
ACTA
SANCTORUM
OCTOBRIS
TOMUS PRIMUS.

IMPRESSION ANASTALTIQUE
CULTURE ET CIVILISATION
115, AVENUE GABRIEL LEBON
BRUXELLES
1970


Dedit illi scientiam Sanctorum Sap. 10.
In plenitudine Sanctorum detentio mea Eccl. 24
ACTA
SANCTORUM
MENSIS
OCTOBER
ERUDITIO
VERITAS
ANTIQUA REDUCO
OBSCURA REVELO
I. Frueytiers fecit.

ACTA SANCTORUM

OCTOBRIS

Ex Latinis & Græcis, aliarumque gentium Monumentis, ſervatâ primigeniâ veterum Scriptorum phraſi,

COLLECTA, DIGESTA,

Commentariiſque & Obſervationibus

ILLUSTRATA

A

JOANNE STILTINGO P.M.,
CONSTANTINO SUYSKENO,
JOANNE PERIERO P.M.,
CORNELIO BYEO,
JACOBO BUEO,
Operam conferente
JOSEPHO GHESQUIERO
E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

TOMUS I

Quo dies primus & ſecundus continentur.



ANTVERPIÆ,
Apud PETRUM JOANNEM VANDER PLASSCHE.
M D C C L X V.




F. Wagenschön Pinx: 1764

C. F. Fritsch Sculp: Amsterd.

MARIA CAROLINA,

ARCHIDUX AUSTRIÆ, etc.



MARIÆ CAROLINÆ

REGIÆ PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ, DALMATIÆ, HIEROSOLYMÆ,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, LIMBURGI, SILESIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, COMITI FLANDRIÆ, HANNONIÆ, NAMURCI, TYROLIS, GORITIÆ &c.

ANni ſeptuaginta jam elapſi ſunt, SERENISSIMA ARCHIDUX, ex quo Opus noſtrum de Actis Sanctorum ſub Auguſtiſſimæ Domus Tuæ felicibus auſpiciis ac munifico patrocinio incolume ſtetit, atque eo interim tempore in lucem prodierunt menſes quatuor, nimirum Junius, Julius,

Au-

Auguſtus & September, viginti octo volumina complexi, omnia ejuſdem Auguſtiſſimæ Domus Principibus dicata, eorumque magnis Nominibus non minùs in tutelam, quàm in eximium decus & ornamentum inſignita. Inchoamus nunc ultimum anni ſacri trimeſtre, cujus primitias, tomum ſcilicet primum Octobris, qui totius Operis ſeptimus ſupra quadrageſimum eſt, ex Auguſtiſſimæ Matris Tuæ, SERENISSIMA ARCHIDUX, noſtræ verò Clementiſſimæ Dominæ ac munificentiſſimæ Fautricis, nutu ad pedes Tuos venerabundi deferimus; certò confiſi, fore ut, quod ex Materno munere non poteſt non Tibi eſſe gratiſſimum, ex avita quoque in Cælites pietate placido vultu animoque excipias volumen, quod mirabilia Omnipotentis Dei in Sanctis ſuis, præmiaque virtutum enarrat. Orta enim es iis Majoribus, iis Parentibus genita, apud quos virtus ſuo ſemper in pretio fuit, manetque ſuus Sanctis honor delatus; educata es in illa aula, in qua religio & pietas mirabili avitoque fœdere cum ſumma rerum potentia & majeſtate ſuaviter concordant. Nec verò neſcis, quàm validos ad virtutem ſtimulos Sanctorum exempla addant virtutis amantibus; quantùm, inquam, ad æmulationem valeat eorumdem commemoratio, quæ & illius exercitium tum ipſo plurimorum uſu, tum pulchritudine ſua, tum præmiorum magnitudine commendant. Patieris igitur, ut confidimus, SERENISSIMA ARCHIDUX, nos de more quædam hîc ex eodem volumine debita cum veneratione delibare, quæque in eo pro-

prolixiùs expoſita ſunt, brevi quodam compendio perſtringere. Solùm duos primos Octobris dies percurrit, nec plures, quàm viginti ſeptem utriuſque ſexus, varii ordinis, variarumque regionum Sanctos Beatoſque nominatim exhibet, præter manipulos Martyrum, qui in diverſis orbis terrarum partibus fidem Chriſto Domino datam fuſo ſanguine ſuo probârunt. Ut ab Auguſtiſſimæ Matris Tuæ ditionibus ordiamur, Tornacenſes in Flandria primo hujus menſis die celebrant *Piatum* presbyterum, apud Beneventanos quidem in Italia natum, ſed qui ſeculo tertio æræ Chriſtianæ, relictâ patriâ, ad prædicandum divinum Euangelium in hodiernam Flandriam venit, & Tornacenſes vicinoſque à fœda inanium deorum ſuperſtitione ad unius veri Dei cultum & Chriſtiana ſacra adduxit, ac denique apoſtolicos labores glorioſo martyrio coronavit. Corpus ejus Seclinii, quod Tornacenſis diœceſis vicus eſt, ubi ille paſſus creditur, primò ſepultum, alter Belgarum apoſtolus Eligius ſeculo ſeptimo invenit, ac honorificentiùs pro meritis collocavit. Gandavum, altera Flandriæ Auſtriacæ civitas & caput, eodem die ſuum colit *Bavonem*, alio nomine dictum *Alloynum*, cui ipſa non parùm ſuæ amplitudinis & ſplendoris debet. Eximia hujus viri humilitas & ſpontanea ſui corporis afflictio in ſtatu monaſtico, tanto mirabiliùs fulſerunt, quanto ille illuſtriori ſtirpe natus, quanto majori potentia præditus, quantoque ampliori-bus fortunæ bonis inſtructus fuerat, ac molliori vitæ inter affluentes aulæ delicias aſſuetus vixe-rat.

rat. Creditur ſcilicet *Bavo* beatis Pippino Landenſi ejuſque conjugi Ittæ ſeu Idubergæ, ex quibus per ſanctam Beggam filiam Carolovingica Francorum regum ſtirps procreata fuit, vel certè alterutri, ſanguine junctus fuiſſe. Tam illuſtri generi pares opes, poteſtatem ac munia obtinebat in Hasbania, provincia ſeu comitatu Brabantiæ contiguo, ut nihil ei defuiſſe videatur eorum, quæ mortales ſolent in hac vita vehementer expetere. Verùm hæc fortunæ bona, quibus aliquando malè fuerat abuſus, poſt mortem conjugis ſuæ in pauperum alimoniam divinumque cultum impendit, ac mundo penitus valedixit, clero primùm, ac deinde monachis adſcriptus in monaſterio Gandenſi, ubi arctæ incluſus cellæ, ſeu veriùs ergaſtulo, poſt ſtupenda humilitatis ac pœnitentiæ exempla migravit in cælum, tanto major ſe, quanto virtus præſtat fortunæ opibus, quanto præcellunt æterna perituris, cæleſtia terrenis, divina humanis. Hinc coævus illi ſanctus epiſcopus & martyr Livinus, & ipſe quoque Gandenſium patronus, *Bavonem* in epitaphio, quod ipſi conſcripſit, ſic allocutus eſt:

Qui patriæ rector, ſpes gentis, gloria regni,
Magnorum primus qui modò magnus eras;
Non quia magnus eras, te gloria magna beatum,
Sed contempta decus gloria magna facit.

Et verò meritis ejus reſpondit etiam in terris gloria miraculorum, cultuſque inſignis, maximè Gandavi, ubi cathedralem eccleſiam ſibi ſacram habet, qualem etiam habuit Harlemi in Hollandia, dum res Catholica ibidem integra ſtetit. Scilicet

licet nec falli poteſt nec fallere æterni Verbi promiſſio : *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* In Materno quoque Belgio, SERENISSIMA ARCHIDUX, Villarii, quod Ordinis Ciſtercienſis abbatia eſt in Brabantia, ſeculo duodecimo floruit *Godefridus*, ad quam ille ſanctioris diſciplinæ deſiderio incenſus ſe contulerat ex Colonienſi S. Pantaleonis Benedictino monaſterio, quamque vivens ac moriens illuſtraverat, hodiéque ſacris ſuis mortalibus exuviis beat. Mediolanenſem in Inſubria archiepiſcopatum ſanctè ſtrenuéque rexit *Thomas* tempore Caroli Magni, cujus regiam prolem Giſelam ſacro fonte expiavit. Comenſem in eodem ducatu Mediolanenſi epiſcopalem cathedram ſeculo ſeptimo tenuit Joannes, hujus nominis ſecundus, qui pro fide Catholica adverſus Arianos præclarè certâſſe legitur. Mediolani item quieſcit corpus *Diateriæ*, virginitatis laureâ donatæ. Hactenus de aliquibus Sanctis Beatiſque Auſtriacarum ditionum, quorum geſta in hoc volumine exponuntur. E Galliæ Sanctis in eodem prolixè memorandus venit magnus ille Francorum apoſtolus *Remigius*, divino munere ex ſenibus parentibus natus, ut afflictam Eccleſiam Dei inopinata numeroſæ gentis Francorum cum Rege ſuo Clodoveo acceſſione recrearet, totique Galliæ eſſet ſaluti. Ad Gallias quoque pertinet illuſtre par fratrum, *Leodegarius* & *Gerinus*, quorum ille epiſcopus Auguſtodunenſis fuit, hic laicus comes, ambo natalibus ac virtute conſpicui, ambo magnis muneribus in aulis Regum Francorum functi, ambo pro juſtitia

& æquitate tuenda ab impotenti Majori domûs Ebroino multa dira paſſi & necati. Longior ſim, ſi ſingulos Gallorum, aliarumque gentium Sanctos Beatoſque, quorum acta hic tomus enarrat, vel brevi elogio commendare velim. Invenient in illo Heroës ſuos in Italia Romani, Veneti, Beneventani; in Hiſpania Ilerdenſes, Ulyſſiponenſes in Luſitania, Herefordienſes in Anglia; in Oriente Conſtantinopolitani, Antiocheni, Nicomedienſes, Sebaſtopolitani, & Tomitani in Mœſia Inferiori. Sunt inter illos ſanguine ſuo purpurati Martyres, ſunt præſtantes pietate ac doctrinâ Antiſtites, ſunt virtutibus clari abbates, Presbyteri, Diaconi, ſunt virgines ad cæleſtis Agni nuptias admiſſæ. Horum omnium ſeriem claudit *Thomas*, Herefordienſis epiſcopus in Anglia, ex illuſtri Cantiluporum familia natus, quem ſua inſignis eruditio, neſciaque aſſentationis virtus, & ſumma regni præclarè ab eo geſta munia, duobus Angliæ regibus, ac bonis ferè omnibus, magnis æquè ac infimis, dum vixit, charum & venerabilem reddiderunt; ſanctimonia verò trigeſimo octavo poſt obitum anno innumeris clarum miraculis ex ſummi Pontificis decreto ſanctorum Confeſſorum albo inſcripſit. Porrò, ſi quando Tibi, SERENISSIMA ARCHIDUX, libuerit illorum Acta legere, jucundam in iis virtutum varietatem invenies. Quamvis enim multæ virtutes ſint omnibus Sanctis communes, ſunt tamen etiam multæ, quibus alii aliis clariùs fulſerunt. Nimirum miraberis in his heroicam in divina fide conſtantiam,

tiam, promiſſis, minis, tormentis, ipſa morte fruſtra impugnatam; in illis invictum animi in adminiſtranda juſtitia explendoque ſuo officio robur, quod nec adulatio, nec iniquæ preces, nec ſplendida oblata munera, nec reverentia optimatum, nec metus frangere aut emollire potuerunt. Docebunt alii in honorum culmine ſervare Chriſtianam humilitatem, in proſperis modeſtiam, in adverſis animi æquitatem inque Deum fiduciam, inter delicias temperantiam. Commendabunt alii caſtæ mentis ſplendorem, alii manſuetudinem in delinquentes, miſericordiam in egenos; alii pietatem, alii munificentiam in Dei cultûs augmentum, ac quæcumque demum virtutes nos mortales Deo gratos, hominibus charos, atque inter ipſas hujus vitæ calamitates quodam modo beatos reddere poſſunt. Si deinde mentis oculos ad præclarè factorum præmia convertamus, accedent novi ſtimuli ad æmulandum ea, quæ cultoribus ſuis ineffabilem in cælis gloriam, debitamque venerationem in terris promerentur. Verè ſcilicet dixit Apoſtolus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: verè item Vates regius: *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.* Omittimus plura, quia novimus, nos ſermonem habere ad ARCHIDUCEM AUSTRIÆ, cui & virtutis pretium & præmium dudum perſpecta ſunt, & ſtudium ex avita pietate hereditarium. At noſtrum certè eſt, Deum Ter Optimum Maximum, cujus gloria in Sanctis ejus celebratur,

enixis

enixis precibus ſuppliciter rogare, ut Auguſtiſſimam Matrem Tuam, Reginam Apoſtolicam, cujus perpetuâ munificentiâ Sanctorum Acta vulgamus, unà cum Auguſtiſſimo Fratre Tuo, afflicti Imperii ſolatio, Teque ac Sereniſſimis Fratribus ac Sororibus Tuis quàm diutiſſimè incolumem felicemque conſervet, ad ſui ſancti Nominis gloriam, Eccleſiæ tutamen, Imperii ſplendorem, omniumque Auguſtiſſimæ Domus regnorum ac ditionum felicitatem. Ita ardentiſſimis votis precamur

SERENISSIMA ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotiſſimi Clientes
CONSTANTINUS SUYSKENUS
CORNELIUS BYEUS
JACOBUS BUEUS
JOSEPHUS GHESQUIERUS
SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS
TOMI PRIMI
DE ACTIS SANCTORUM
OCTOBRIS.

CUr tomus hic, qui totius Operis quadrageſimus ſeptimus eſt, biennio ferè ſeriùs, quàm alii ſoluêre, in lucem prodeat, fecit acerba nobis mors Stiltingi ac Perieri, quorum Elogia damus. Ad calcem tomi ſubduntur Ephemerides atque Index Sanctorum ac Beatorum omnium, de quibus actum eſt in menſibus Julio, Auguſto & Septembri, atque inſuper alter Index in totius Operis noſtri Tractatus præliminares. Quo conſilio id factum ſit, eorum collector Joſephus Gheſquierus, nobis additus ſocius, docebit. De Sanctis Beatiſque duorum primorum dierum Octobris (nam hos ſolos tomus ipſe complectitur) quorum geſta referimus, in tres claſſes de more diviſis hæc breviter annotamus eo ordine, quo ſunt recenſiti.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Primus occurrit *Piatus* aut *Piato*, presbyter martyr, patriâ Italus, ſed Tornacenſium in Flandria apoſtolus. Dedimus Hymnum à Fulberto Carnotenſi de illo ſcriptum, Actaque ab anonymo, non ſatis antiqua quidem, ſed ceteris meliora & hactenus inedita. De poſſeſſione corporis illius, quod S. Eligius Seclinii in diœceſi Tornacenſi invenit, cum Seclinienſibus litigant Carnotenſes. Conſtantinopoli floruit, obiitque *Romanus* diaconus, à ſacris hymnis, quos plurimos compoſuit, cognominatus *Melodus*, ceteris geſtis parùm notus. Celeberrimus eſt *Remigius* Remorum antiſtes, qui Francorum gentem, baptizato rege Clodoveo, ad Chriſtiana Sacra adduxit. Primigeniæ Vitæ jactura multas nebulas illius geſtis offudit. Nec ad eas pellendas ſufficit ejuſdem Vitæ qualecumque compendium, eodem ſeculo VI, quo *Remigius* obiit, à celebri Venantio Fortunato compoſitum. Multò minùs ad id valet Vita longè prolixior, ſeculo IX ab Hincmaro Remenſi præſule ſcripta, fabuliſque reſperſa. Utramque dedimus; ſed poſteriorem multis longiſque ſermonibus, ad Hiſtoriam nil pertinentibus, diminutam. Præterea dedimus varias corporis tranſlationes & Appendicem de aliquot miraculis. De geſtis quoque illius, chronotaxi ac gloria poſthuma prolixè egimus in Commentario prævio. Presbyter fuiſſe creditur *Vulgiſus*, cujus corpus honoratur in Francia in Firmitate Milonis. Hujus cultus certus eſt, geſta incerta. Non ſatis conſtat, an epiſcopus fuerit *Waſnulphus* Scotus, qui in Hannonia vitam monaſticam egiſſe perhibetur. Corpus ejus quieſcit Condati. Cultum *Thomæ*, Mediolanenſis archiepiſcopi, probavimus. Geſtis illius, quæ pauca noſcuntur, accenſenda non eſt coronatio Caroli Magni ejuſque filii Pipini, nec Ambroſianorum rituum per miraculum defenſio. *Modeſtus* levita & martyr Romanus, cujus non niſi ſubleſtæ fidei elogium habemus, colitur Beneventi propter corpus ejus ſeculo VI exeunte illuc allatum. *Leudomerus* vel *Leodemirus* Lemovicenſis in Gallia fratri ſuo S. Elaphio in epiſcopatum Catalaunenſem ſuffectus eſt. Vitam *Leudomeri* videtur ſcripſiſſe Stephanus, S. Urbani apud Catalaunos abbas ſeculo XI. Si hæc eadem ſit cum illa, quam damus, emendatione eget. Fabuloſa ſunt Acta *Sereni* presbyteri, in prioratu Cellæ in Campania Galliæ culti; data tamen, ne fruſtra pro fabuloſis habita dicantur. Latent etiam geſta *Joannis*, ejus nominis ſecundi epiſcopi Comenſis in ducatu Mediolanenſi, qui adverſus Arianos ſtrenuè certâſſe dicitur. Multò plura certioraque novimus de *Leodegario* epiſcopo Auguſtodunenſi ac martyre ſub Majore-domûs Ebroino. Duas ejus Vitas dedimus, unam auctore anonymo, monacho Auguſtodunenſi, alteram Urſino, Priore ac fortè abbate Locociacenſi, utroque coævo. In Commentario prævio geſta *Leodegarii* ad chronotaxim reducta & gloria poſthuma diligenter expoſita ſunt. *Thomas* Herefordienſis in Anglia epiſcopus, eccleſiæ ſuæ cauſam apud Apoſtolicam Sedem acturus, obiit in Hetruria. Caro ejus apud Urbemveterem in eccleſia S. Severi ſepulta: oſſa in Angliam ad ſedem ſuam relata. Geſta præſtantiſſimi Viri illuſtravimus ex apographo Romano proceſſûs canonizationis ipſius, ex quo etiam dedimus pro compendio Vitæ juratum teſtimonium Richardi de Sweinfeld, olim in obſequiis ejuſdem, tunc verò in epiſcopa-

tum ſucceſſoris. Subjecimus etiam multa miracula ac beneficia in eodem proceſſu relata. Joannes XXII Papa illum Sanctorum confeſſorum catalogo adſcripſit.

EX STATU MONASTICO.

Corpus *Virili* abbatis honoratur in monaſterio Legerenſi S. Salvatoris in Navarra, ſed geſta ejus latent, imò & ipſum, in quo floruit, ſeculum. Obſcura etiam ſunt acta *Sulini* abbatis, quem aiunt ex Cambria veniſſe in Armoricam & in diœceſi Maclovienſi habitâſſe, ubi in vico ſui nominis quieſcit. *Bavo*, aliàs *Alloynus*, in Hasbania natus, genere opibuſque clarus, ſed mundi contemptu illuſtrior, poſt obitum unicæ conjugis ſuæ, ex qua S. Adeltrudem genuit, à S. Amando in eccleſia caſtri Gandenſis attonſus in clericum eſt, ac deinde ibidem monachum profeſſus, poſt admiranda pœnitentiæ edita exempla ſanctiſſimè obiit. Hæc aliaque multa in Commentario prævio illuſtrata ſuiſque temporibus adſcripta habes. Celeberrimi Viri tres Vitas dedimus. Primigenia auctorem habet anonymum, veriſimillimè monachum Gandenſem, coævum, aut certè admodùm antiquum. Secundam ex prima metricam fecit anonymus alter, non poſterior ſeculo decimo. Tertiæ auctor eſt Theodoricus abbas Trudonopolitanus, qui ſeculo XI primam ſtilo expolivit, nec ſine erroribus interpolavit. Amplam quoque materiam ſuppeditavit gloria illius poſthuma, mox ab obitu ejus ad præſens uſque tempus deducta, maximè apud Gandenſes; quorum ille patronus eſt, & ubi eccleſiam cathedralem ſuo nomine inſignitam habet, quam etiam habuit Harlemi in Hollandia. Subjiciuntur demum libri tres Miraculorum, ſeculo x conſcripti. Menologia Græcorum docent, *Michaëlem* & triginta ſex monachos paſſos eſſe prope Sebaſtopolim, pro qua alii Sebaſtam non rectè repoſuerunt. In Græcia floruit *Theophilus* monachus pro defenſione ſacrarum iconum à Leone Iſauro relegatus. *Beregiſus* in hodierna ditione Leodienſi natus & ſub S. Trudone educatus Sarchinii, canonicus Regularis fuiſſe videtur. Apud Pipinum Heriſtallum & Plectrudem ſacellani munere functus, ex eorumdem munificentia monaſterium in Sylva Arduennenſi (ubi nunc eſt monaſterium S. Huberti titulo celebre) exſtruxit, eique primus abbas præfuit. Vita data nequit multum auctoritatis habere. Circa finem ſeculi XII vel initio ſequentis obiit *Godefridus* presbyter & ſacriſta monaſterii Villarienſis, Ordinis Ciſtercienſis, ad quod ex ſeverioris diſciplinæ deſiderio ſe contulerat ex Colonienſi S. Pantaleonis monaſterio Benedictino. Vita illius ex anonymo monacho Villarienſi data eſt. Ilerdæ in Hiſpania Tarraconenſi canonicus erat *Berengarius*, quando ſacro Prædicatorum Ordini aggregatus fuit; in quo virtutibus ſplendens, ad ejuſdem civitatis epiſcopatum electus eſt; idque muneris à Deo deprecans, ante conſecrationem confirmationemque exceſſit è vivis. Geſta ejus ignorantur, corpus ibidem in eccleſia cathedrali honoratur. Ad hanc claſſem forſan referendus eſt *Remedius* aut *Romedius*, eremita, ut creditur, in diœceſi Tridentina, cultuque celebris. Difficile tamen dictu eſt, quis ille fuerit. Unus & alter putârunt, hoc nomine ibidem coli S. Remigium Remenſem. Sed ex adjunctis hæc opinio nobis improbatur. Aliam conjecturam dedimus.

EX STATU SECULARI.

In hac claſſe ferè omnes ſunt martyres. Ulyſſipone in Luſitania paſſus eſt *Veriſſimus* cum ſororibus ſuis *Maxima* & *Julia*, quorum corpora ex veteri ſua eccleſia ad novam intra civitatem tranſtulit Joannes II, Luſitaniæ rex. Uſuardus *Aretam* cum Sociis DIV martyrio Romæ coronatum annuntiat. De numero loco-que non ſatis conſtat. Ex ſolis item Martyrologiis notus eſt alter martyrum manipulus, ex quo certi ſunt *Priſcus*, *Creſcens*, aut *Creſcentius*, & *Evagrius*: ceterorum nomina ex Hieronymianis recenſuimus. Fortè prædicti *Evagrii* corpus tranſlatum in Hiſpaniam eſt. De *Fremerio* aut *Fermerio*, ignoti temporis martyre, qui ſui nominis abbatiam habet in diœceſi Vaſatenſi in Gallia, utcumque dubitari poteſt, an diverſus ſit à ſynonymis, aliis diebus alibi cultis. In Martyrologiis rurſum recenſentur *Primus*, *Quirillus* aut *Cyrillus*, *Pitinus*, *Pontius*, *Leo*, *Gaianus*, *Secundianus* aut *Secundarius*, alter *Secundianus*, *Plato* vel *Platio* & *Leontius*; quorum tres primi Antiochiæ paſſi ſunt, reliqui forſan alibi. Incompertum eſt, an per innumeros martyres, qui cum *Eleutherio* Nicomediæ in Bithynia annuntiantur, non indicentur omnes, qui in perſecutione Diocletianea ibidem coronati fuerunt. De *Lizerio* martyre Romano nihil novimus præter cultum Venetiis, quò ante annum CMXCVIII tranſlatus fuit. Martyribus etiam accenſetur vir illuſtris *Gerinus*, mandante Ebroïno, lapidatus. De hoc & fratre ejus *S. Leodegario* ſimul egimus.

EX SEXU FEMINEO.

Præter jam nominatas inter martyres ſolùm tres hujus ſexus, eaſque virgines, hic tomus complectitur. *Germana* in prioratu ab ea dicto prope Barrum ad Albam in Gallia culta, virginitati lauream martyrii addidit, à Wandalis, ut ferunt Acta,

cta, occiſa. *Euriela* virgo dicitur fuiſſe ſoror S. Judicaëlis regis Armoricorum, coliturque in diœceſi Dolenſi, in eccleſia parochiali illi ſacra. Obſcurior eſt memoria *Diateriæ* virginis, cujus corpus Mediolani quieſcit in eccleſia S. Victoris, ad quam illud S. Carolus Borromæus tranſtulit anno MDLXVII.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDROBELGICÆ,

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

CUm Edictis Philippi II Hiſpaniarum Regis, deinde Sereniſſimorum Archiducum Alberti & Iſabellæ, Belgii Principum, rurſumque Philippi III, ac noviſſimè Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, *&* 19 *Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jeſu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, poteſtas facta ſit eligendi typographos & bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque excluſionem, ſoli imprimere ac reimprimere, & vendere poſſint libros & Opera qualibet, ritè approbata, curantibuſque ejuſdem Societatis Patribus edita aut porrò edenda, ſub conſueto ſuæ Majeſtatis Privilegio, non aliter impetrando, quàm in ſcriptis obtentâ & præexhibitâ licentiâ prædicti Provincialis; idque ſub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impreſſa importantes ſtatutis, ut latiùs in ipſis patentibus litteris apparet: cùm etiam ſua Cæſarea Majeſtas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio ſubjectis;*

Ego infraſcriptus Societatis Jeſu per Flandrobelgicam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præpoſito Generali Laurentio Ricci, concedo Petro Joanni vander Plaſſche *facultatem ſic imprimendi, & per ſe alioſque vendendi infraſcriptum Opus, ex more noſtræ Societatis (quod hiſce atteſtor) recognitum & approbatum; videlicet, Tomum primum de Actis Sanctorum Octobris, collectis & illuſtratis à Joanne Stiltingo P. M., Conſtantino Suyskeno, Joanne Periero P. M., Cornelio Byeo, Jacobo Bueo, Operam conferente Joſepho Gheſquiero, Societatis noſtræ presbyteris Theologis. In quorum fidem haſce, manu propria ſubſcriptas, conſuetoque noſtri officii ſigillo munitas, dedi Antverpiæ* 28 *Septembris* MDCCLXV.

PETRUS WAUTYER.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

CÆſareæ & Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis diplomate ſancitum eſt, ne quis, præter voluntatem Conſtantini Suyskeni è Societate Jeſu, ejuſve ad illuſtranda Sanctorum Acta Adjutorum & Succeſſorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porrò edendos; aut alibi excuſos excudendoſve invehat, venaleſve habeat: qui ſecùs faxit, confiſcatione exemplarium, & aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latiùs patet ex litteris, Bruxellæ datis die XXVI Septembris anno MDCCLIII

Signat J. H. HENRICY.

Et ego Conſtantinus Suyskens Societatis Jeſu, permitto Petro Joanni vander Plaſſche, ut Tomum primum de Actis Sanctorum Octobris, noſtro permiſſu apud ipſum impreſſum, publicet. Datum Antverpiæ 28 *Septembris* MDCCLXV.

APPRO-

APPROBATIO

ORDINARII.


ADversus soliditatem Ecclesiæ Catholicæ super Petram ædificatæ portæ inferi non prævalebunt. Procul itaque aniles fabulæ, quibus potestas tenebrarum abutitur, ut indefectibilem Ecclesiam labefactare & Petri Naviculam, tamquam totidem fluctibus procellosis, obruere nititur, dum eas per indiscretos zelatores, ut veras & ab Ecclesia probatas venditare & promulgare non cessat: Novit enim Christiani Nominis hostis infensissimus, transfigurans se in Angelum lucis, per speciem pietatis incautos decipere, ut tamquam ad Religionem spectantes amplectantur & sustineant, quas vel mediocriter in historiis versati ut consictas fabulas dignoscunt; unde & heterodoxi desumunt argumenta, quibus aversionem ab Ecclesia sancta Dei suis instillent, eamque abominentur: inde talia ac tanta in acatholicis præjudicia, ut difficillimum sit (expertus loquor) illis persuadere, quòd omnes probè instructi Catholici rejiciant fabulas illas, quales doctissimo Opere impugnavit R. P. Daniël Papebrochius, ejusque Socii Hagiographi, in hoc unum collimantes, ut undique eruderata illustrataque certa antiquitatis monumenta publici juris faciant, qui vera à falsis, certa ab incertis secernentes protestantur, neque suis aliorumve relatis Commentariis aliud pondus tribui, quàm sit historiæ ab hominibus errori obnoxiis scriptæ. Tomum primum mensis Octobris continentem duos primos dies eodem spiritu elaboratum à RR. PP. Joanne Stiltingo P. M., Constantino Suyskeno, Joanne Periero P. M., Cornelio Byeo, Jacobo Bueo, operam conferente Josepho Ghesquiero Societatis Jesu presbyteris, dignum censeo, qui cum præcedentibus 46 tomis lucem videat. Datum Antverpiæ 28 Septembris 1765

J. F. DE BRUYN S. T. L. Seminarii Episcopalis Præses, Cathed. Ecclesiæ B. M. V. Canonicus Graduatus, Pœnitentiarius, Examinator Synodalis, librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM.

QUod identidem protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve hîc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quàm sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ: idem ante hunc primum tomum Octobris denuo protestamur.

ELOGIUM



P. IOANNES STILTINGUS S. I.

OBIIT XXVIII FEBRUARII ANNO MDCCLXII ÆTATIS LX.

Curâ Sollerius, Scriptis Papebrochius alter,
Lustris quinque, tomis edidit Acta decem.

L: Fruijtiers f:

ELOGIUM

REVERENDI PATRIS

JOANNIS STILTINGI

HAGIOGRAPHI SOCIETATIS JESU, TOY MAKAPITOY,

Auctore Jacobo Bueo ejuſdem Societatis presbytero.

CAPUT I.

Stiltingi natales, ſtudia, geſta in Societate, donec Muſeo Hagiographico nomen dedit.

Ereptum anno 1762 è vivis P. Stiltingum,

QUanta ſit rerum temporumque viciſſitudo, ſi quis alius, luculentè nos docuit annus à parta Salute MDCCLXII Muſeo noſtro ſic luctuoſus, ut nullus magìs. Continuándis Sanctorum Actis ſolita contentione, induſtriâ, fructuque Bollandiani Patres corpore juxta ac animo vegeti inſudabant; cùm geminum, idque graviſſimum Muſeum Antverpienſe vulnus accepit; alterum quidem, cùm P. Joannes Stiltingus Muſei ſenior, alterum verò cùm P. Joannes Perierus annis jam pluribus in eodem pariter pulvere præclarè verſatus, paucorum menſium intercapedine, ſic diſponente Providentiæ divinæ arbitrio, in vivis eſſe deſierunt. Ea ſunt de Opere noſtro utriuſque merita, ut, ſi utriuſque virtutes, reſque præclarè geſtas præter morem inſtitutumque Majorum noſtrorum ſilentio prætereamus, de ingrati animi vitio, nec injuriâ, arguamur; & tum nobis ipſis, tum ceteris, quibus propoſitum fuerit eorum veſtigia ingredi, defuiſſe videamur. Suum enim id, propriumque habent viri magni, ut exemplis ſuis incendant eos, qui audiunt, & ad imitationem ſui vehementer impellant. Patris igitur Stiltingi imaginem expreſſurus, primùm quidem ejus natales, ſtudia, geſta in Societate, donec Antverpienſi Muſeo noſtro nomen dedit, expediam; tum labores Hagiographicos; poſtremò labores ceteros, ac, quibus maximè virtutibus fulſerit, ex eorum potiſſimùm relatione, qui ejus uſi ſunt familiaritate & conſuetudine, eâ, quâ potero, fide declarabo.

anno 1703 quando dedit Vico-durum; is Megæ primum,

2 Itaque patriam habuit P. Stiltingus Vico-durum ſeu Batavo-durum Ultrajectinæ provinciæ oppidum ad dextrum Rheni cornu, eò loci ſitum, ubi, mutato nomine, Rhenus Lecca audit; diem verò natalem XXIV Februarii anni ſupra milleſimum ſeptingenteſimum tertii, parentes genere honeſtos, religione Orthodoxos, morùm probitate conſpicuos. Nihil hi habuêre antiquius, quàm ut Orthodoxæ fidei præceptis, quantum per ejus licebat ætatem, maturè imbueretur, ad quorum normam deinceps vitam moreſque componeret; quæ quàm probè percepta habuerit, vitæ reliquum abunde declaravit. Cùm autem jam id attigiſſet ætatis, ut eſſet, qui majora aggrederetur, viſum iis eſt, filiolum ſuum huc ſua ſponte currentem humaniorum litterarum ſtudiis admovere. Suos quidem habebat Batavia litterarios ludos, in quibus liberalibus quibuſcumque artibus poterat erudiri: at non inani habebant in metu parentes, ne quam in fide aut moribus labem rudis adhuc ſimplexque puerulus heterodoxorum contubernio & conſociatione ſuſciperet; ſatiúſque ducebant, ſi eas academias adiret, ubi citra fidei morumque diſcrimen fas illi eſſet virtuti eruditionique vacare. Sublimioris igitur cùm eruditionis, tum virtutis fundamenta jacturus conſilio imperioque parentum profectus eſt Megam (Brabantiæ oppidum ad lævam Moſæ ripam) ubi Franciſcanæ familiæ Patres erudiendæ juventutis ſuſcepêre provinciam. Horum labore atque induſtriâ factum eſt, ut brevi inſignem fecerit in utraque progreſſum, ùt mox dicenda ſatis aperient. Atque hic primus ad eximiam, quam provectiore ætate conſecutus eſt, eruditionem, gradus fuit.

tum Antverpiæ politiori litteraturæ incubuit:

3 Agebatur annus hujus ſeculi vigeſimus, cùm non mediocri politioris litteraturæ ſupellectili inſtructus Antverpiæ domicilium fixit, reliquum ibi humaniorum ſtudiorum curſum confecturus. Hîc gymnaſii noſtri alumnis adſcriptus non vulgaris ingenii multiplex ſpecimen præbuit. Ea pollebat docilitate ingenii, ea tenacitate memoriæ, ut, quæ excipiebat ſeu Latini ſeu Græci ſermonis præcepta, & celeriter arriperet, & firmiter fideliterque retineret. Si quid captu arduum perplexumve occurrebat, perrumpebat id omne labore perpetuo; laborem autem amor ſtudiumque litterarum ſublevabat. Qua ex re id conſecutus eſt, ut non ſibi dumtaxat proficeret, magnique fieret inter æquales, ſed exemplo etiam atque incitamento commilitonibus eſſet.

AUCTORE J. B.

Quoties in arenam litterariam prodiit (prodiit autem ſæpe) rarò victus, plerúmque victor inde diſceſſit, quod quidem Antverpienſis noſtri gymnaſii faſti non obſcurè teſtantur. Itaque huic nemo condiſcipulorum anteferebatur, nemo, vel pauci pares habebantur. Accedebat egregia indoles, in operibus pietas, in actionibus modeſtia, in verbis circumſpectio. Effulgebant in adoleſcente accurata legum ſcholaſticarum obſervantia, ad capeſſenda moderatorum imperia expedita voluntas, ceteræque virtutes, quæ hujuſmodi ætatem commendant in primis: atque adeò non injuriâ bonis omnibus, ac moderatoribus potiſſimùm, in amore erat & pretio.

admiſſus in Societatem anno 1722,

4 Emenſo jam propè humaniorum litterarum curriculo, quam præ ceteris vitæ rationem modumque arriperet, apud ſeſe ſedulò diſpicere cœpit: intelligebat nimirum, quanti ad Chriſtianè piéque vivendum interſit, quo vitæ inſtituto utaris. Id verò ſatagebat in primis, ne in tanti momenti negotio quidpiam temerè leviterque aggrederetur, qui moliri nihil, niſi quod divini arbitrii normæ congruum convenienſque perſpiceret, ſibi conſtitutum habebat. Ergò Dei voluntatem rimari attentiùs, animi maculas expiare frequentiùs, Chriſtianæ pietatis officiis enixiùs incumbere, Deumque obteſtari vehementiùs, ſibi ut palàm faceret, quam expediret ſemitam legere, quo vitæ genere uti, ut ad æternæ ſalutis portum ſecuriùs perveniret. Ut ſenſit, arcanis quibuſdam ſeſe ſtimulis ad capeſſendum Euangelicæ perfectionis iter commoveri, vocarique in Societatem noſtram, nihil ultrà moratus, paruit illico vocanti Deo, atque ut in eam admitteretur, expetiit. Nota erat Societatis in Belgio moderatoribus adoleſcentis indoles, nota virtus, notæ denique ſive animi ſive corporis dotes ceteræ, quibus ornatum eſſe, oportet, cui cùm perfectioni propriæ, tum alienæ ſaluti incumbere, decretum ſit. Talis verò cùm & eſſet & haberetur, factus facilè voti compos, & Societatis noſtræ tyronibus adſcriptus eſt anno Domini MDCCXXII: religioſam verò militiam exorſus Mechliniæ menſe Septembri, die XXX, felicibus ſanè auſpiciis.

peracto Mechliniæ tyrocinio,

5 Etenim, abjectâ ceterorum omnium curâ, humanaque omnia infra ſe poſita eſſe, exiſtimans, mox animum religioſæ vitæ exercitationibus officiiſque ita adjecit, eóque brevi progreſſus eſt, ut vel tum intelligi facilè poſſet, ad quàm ſublimem virtutis gradum temporis eſſet productione venturus. Nihil æquè in deliciis habebat, ac vel meditari cæleſtia, vel precibus vacare, vel cum æqualibus, quoties erat colloquendi facultas, pia miſcere colloquia. Nihilo quoque ſegniùs cetera omnia, quæ muneris ſui erant, explebat. Superiorum pendebat à nutibus, majorum reverens, cedens æqualibus. Idem ſui ſemper ſimilis, morum gravitatem religioſa comitate temperabat. Deſidiam oderat angue pejus; ſi quid nactus erat à quotidianis occupationibus otii, ut ne inutiliter id tereret, quærebat in otio negotium: aut enim illuſtrandis ad captum puerilis ætatis fidei Chriſtianæ dogmatibus operam navabat ſtrenuam, aut adhortationem parabat rudibus puerorum animis accommodatam; qua in re ejus ſolertia atque induſtria enituit mirum in modum, eumque retulit fructum, ut, quoties hiſce de rebus coram pueris diſſerebat, vehementer eorum animos commoveret tum ad virtutis amorem, tum ad odium fugamque vitiorum. His aliiſque id genus exercitationibus traducto tyrocinii biennio, Deo ſeſe & Societati votorum religione obſtrinxit.

repetitis humanioribus litteris & auditâ philoſophiâ,

6 Creverat interim cum ætate ingenium; cum ingenio, diſcendi ſciendique cupiditas, iiſque jam erat virtutibus ſeptus, ut tempore remiſſa, ſed animo retenta cum amiciſſimis ſibi Muſis tutò poſſet inſtaurare commercia. Itaque partim repetendis politioribus litteris, partim excipiendis philoſophorum placitis ſolidum triennium dedit: illis quidem annum unum, his verò biennium. Sic autem in utriſque more ſuo verſatus eſt, ut, quam de ſe pridem ſpem exiſtimationemque excitârat, non modò non fefellerit, ſed ſuperaverit etiam, maximè cùm horridos philoſophiæ dumos vepreſque calcavit. Incredibili tenebatur adipiſcendæ eruditionis deſiderio; quidquid ad hanc comparandam facere, exiſtimabat, avidiſſimè arripiebat, volvebat, revolvebat & intimo mentis ſinu recondebat. Obvias ſubinde difficultates non priùs miſſas faciebat, quàm eas videret planè exhauſtas. Erat præterea temporis admodum parcus, laboris amans, ſtudioſus audiendi, veritatis adeò diligens, ut hanc unicè præ oculis haberet & privatim ſtudendo, & colloquendo in congreſſibus, & diſputando in pulpitis. Sagax & accuratus in arguendo, in refutando ſubtilis & ſolidus; quod publica de univerſis philoſophiæ partibus, quam non ſine nominis ſui commendatione habuit, diſputatione reliquit abunde teſtatum.

ſtudioſam juventutem ſexennio docuit.

7 Haud multò pòſt ſuperioribus placuit, ut, quam privatim ſibi hactenus dederat, eamdem quoque ad erudiendam ſtudioſam juventutem operam ſtudiumque conferret. Injunctum ſibi munus non gravatè ſuſcepit, explevitque ſexennio, induſtriâ ſummâ fructuque. Quò enim erat politioribus litteris inſtructus uberiùs, eò copioſiorem earum intelligentiam in diſcipulorum ſuorum animos derivabat. Quos egregiam in ſtudiis operam ponere animadvertebat, cumulatè laudabat; amicis contra admonitionibus, moderatiſque, ſi opus erat, increpationibus ſocor-

ſocordiam ceteris excutiebat. Nihil illi potius erat, quàm ut ii, quorum curam ſollicitudinemque ſuſceperat, non minùs pietate, morumque probitate, quàm litterarum cognitione præſtarent, nihilque ab iis fieret, quod eſſet præter honeſtum aut decorum. Huc collimabat potiſſimùm, huc omnis cura ſpectabat. Quod autem mireris maximè, inter tot exercitationes ingenii, mentiſque curricula, Græcis in litteris plurimùm ſtudii quoque conſumpſit; quo in genere eruditionis jam tum excelluit adeò, ut ſui admirationem injiceret omnibus. Acceſſit & alius, iſque non modicus à Patribus Hagiographis labor; quorum monitu (ſtatuerant enim jam tum, illum ſibi collegam adjungere) veterum hiſtoriarum, maximè eccleſiaſticarum monumenta pervolvit: qua in re quantâ uſus fuerit diligentiâ atque ſolertiâ, aliquot pòſt annis patuit, cùm illuſtrandi Sanctorum Acta initium fecit.

Inde diſciplinis Theologicis eruditus tyronibus noſtris magiſter datus;

8 Sexenni docendi munere ritè perfunctus, majora ut aggrederetur, ætatis ingeniique maturitas poſtulabat: miſſus itaque Lovanium ſtudiis Theologicis incumbere cœpit, & tantò quidem impenſiùs, quantò & hæc ceteris antecellere, & arctiùs cum animorum ſalute conjuncta eſſe, cernebat. Hìc ita ſeſe perpetuò geſſit, ut partam jam pridem famam non conſervârit modò, ſed domi foriſque, privatis, publiciſque diſputationibus auxerit etiam, maximè verò inculpatâ innocentiâ morum, integerrimæque vitæ modo atque conſtantiâ; de qua neque ſtudiorum varietate, neque rerum gerendarum multitudine, nec aliâ quâvis causâ, quoad vixit, dimoveri potuit umquam. Quin imò à ſuſcepta anno Salutis MDCCXXXVI, die XXII Septembris, ſacerdotii dignitate, accuratiore, quoad licuit, uſus eſt vivendi normâ, retinuitque perpetuò. Confecto Theologiæ curſu, collegii Mechlinienſis Rectori deſignatus eſt ſocius, quo tyrones noſtros religioſæ vitæ rudimentis imbueret, & ad omne inſtitueret virtutis officium. Qua porrò dexteritate, quâ prudentiâ, quibus virtutibus pollere, neceſſe ſit, qui munus adeò grave atque præclarum dignè, cum fructuque obeat, quotuſquiſque eſt, qui non facilè capiat? Brevi quidem temporis ſpatio, at non ſine multa prudentiæ laude, meritâque omnium approbatione impoſitam ſibi provinciam adminiſtravit.

at mox continuandis SS. Actis admotus eſt circa finem anni 1737.

9 At non minùs utilem P. Stiltingi operam fore cenſebant PP. Bollandiſtæ promovendis Sanctorum Actis, quàm fingendis inſtituendiſque tyronibus: quippe in quem omnia, quæ ad id muneris neceſſaria ſunt, videbatur congeſſiſſe natura: in his ingenium acre & perſpicax, judicium prudens atque maturum, facilis tenaxque memoria, eruditio inſignis & multiplex, latera valida & firma, animus denique ſtudiorum, ſolitudinis, laboris amantiſſimus. Nec aliud ſuperiorum de illo judicium erat. Illorum itaque rogatu, horum verò juſſu atque imperio Mechliniâ Antverpiam evocatus, ad Bollandi Muſeum acceſſit ad finem vergente anno Domini MDCCXXXVII aut proximè ſequentis initio. Solemnem verò quatuor votorum profeſſionem emiſit anno MDCCXL, menſe Februario, die 2. Quàm cumulatè autem præconceptam de ſe opinionem atque exſpectationem impleverit, quantamque operam Muſeo contulerit, teſtantur lucubrationes de Actis Sanctorum per quinque luſtra, infatigabili ſtudio, conſtantique labore ac diligentiâ & per decem omnino operis Bollandici tomos eruditiſſimè conſperſæ: quas referre ſingulas (ducentæ enim & quinquaginta ferè ſunt) longum foret & injucundum: ſatis habuero, ſi præcipuas paucis paſſim attigero.

AUCTORE J. B.

CAPUT II.

Lucubrationes ejus Hagiographicæ.

§ I. *Quid contulerit operæ in menſem Auguſtum.*

Felicibus auſpiciis S. Bartholomæi Apoſtoli,

HAgiographicis P. Stiltingi laboribus initium dedit Tomus V Auguſti; cujus frontem occupat S. Bartholomæus Apoſtolus: hujus Acta commentario prolixo ſatis & erudito illuſtravit: & primò quidem agitatam jam pridem inter eruditos quæſtionem diſcutit, num S. Bartholomæus Apoſtolus idem ſit, qui Nathanaël Joan. I à Philippo ad Chriſtum adductus. Probabilior illi viſa affirmantium ſententia; quam variis iiſque non contemnendis rationibus, è litteris ſacris atque profanis, diverſarumque gentium monumentis operosè collectis non modò tuetur & munit; ſed & ſecùs ſentientium argumenta diſſolvit. Hinc ad Sancti natales, doctrinam, vocationem, virtutes, aliaque nonnulla progreditur. Tum de variis, quibus Chriſti fidem intulit, regionibus copiosè diſputat, de prædicationis ordine, de modo palæſtraque martyrii. Antiquiores, qui S. Bartholomæum ſcriptis ſuis celebrârunt, auctores in medium profert, ſingulorum ætatem, quantum fidei quiſque mereatur, exponit, à falſis vera ſecernit. Gloriam ſancti Apoſtoli poſthumam, & varias ſacri corporis tranſlationes fusè proſequitur. Celebrem Romanorum Beneventanorumque de Sancti corpore contentionem ita tractat, ut, quamvis rem ipſe relinquat in medio, diverſarum tamen partium momenta rationeſque

AUCTORE J. B.

tioneſque proponat, quid firmum, quid infirmum ſit, moneat, viamque pandat ineundæ concordiæ. Sparſas denique quaquaverſum Sancti reliquias, patrata prodigia, collata mortalibus beneficia non accuratè minùs, quàm prolixè recenſet.

& S. Ludovici Francorum regis

11 Partem ejuſdem Tomi bene magnam implent Acta S. Ludovici Galliarum regis verè Chriſtianiſſimi juxta ac maximi, rebus præclarè geſtis, fidei zelo, vitæ ſanctitate, quà patet terrarum orbis, celeberrimi, operâ ſtudioque P. Stiltingi illuſtrata. Quantam verò huic adornando commentario adhibuerit diligentiam atque accurationem, ut taceam, res ipſa loquitur. Adiſis, lector, commentarium ipſum, & non modò præcipua rerum capita, ſed & minutiſſima quæque, quæ quidem in antiquioris ſinceriorisque notæ ſcriptoribus invenit, concinnè digeſta, exquiſitè illuſtrata, ſuiſque annis ſtudiosè annexa deprehendes. Quod ne quis à me tantùm dictum exiſtimet, eruditorum Trivultianorum liceat proferre de hac lucubratione judicium: quorum verba ad annum 1743 articulo 85 Latinè reddita ſic habent: *S. Ludovicum inde ab ortu ejus uſque ad ſtabilitum toto orbe Chriſtiano cultum* (P. Stiltingus) *ordinatim perſequitur. Quotquot de illo ſcripſerunt, evolvit hiſtoricos, &, critices face prælucente, diſcuſſit. Nulla eum* (Stiltingum) *præterit actio vitæ ejus ſeu privatæ ſeu publicæ, nullus regni eventus; virtutes, miracula, canonizationem, tranſlationes reliquiarum, monumenta in ejus honorem erecta accuratè recenſet atque deſcribit, quin & numiſmata, eo regnante cuſa, æri incidi juſſit, eorumque explicationem adjungit. Simus plùs æquo prolixi, ſi, quæ diſcuſſit, omnia perſequamur, inter quæ multa ſunt & nova & momenti non levis.* Imò talia, iiſdem teſtibus, ut eorum ope nova confici poſſit S. Ludovici Vita, quâ nulla ſit hactenus editarum exactior.

aliorumque SS. geſta deſcribit Tomo v Auguſti;

12 Alterum præterea Sanctum regia Francorum ſtirpe oriundum Tomus idem complectitur, nimirum Gregorium eccleſiæ Ultrajectinæ rectorem; cujus etiam Acta, ſtirpem, patriam, ætatem, geſta, temptus obitûs, aliaque eruditè accuratéque digeſſit. S. Gregorium Ordini ſuo Benedictino vindicare conatus eſt Mabillonius. *Præclaro Ordini*, inquit P. Stiltingus, *virum ſanctiſſimum non invideo, neque nego, rationes eſſe, quæ id ſuadeant; cùm tamen alii diſſentiant, pro inſtituto noſtro examinandum eſt, an id omnino perſuadeant.* Mox ſingula Mabillonii argumenta lectorum oculis ſubjicit, quæ partim refellit, partim incerta eſſe, oſtendit: quod ſanè non contradicendi libidine, ſed veritatis inquirendæ ſtudio, ùt par erat, præſtitiſſe eum, cùm verba mox citata ſatis produnt, tum prodidit ipſe numero 35 ejuſdem commentarii, quo nec Henſchenium noſtrum, ubi eum credidit aberrare à vero, refutare neglexit. Geſta S. Euſebii ſociorumque Martyrum Romanorum, S. Victoris epiſcopi Cenomanenſis in Gallia, S. Patriciæ virginis Conſtantinopolitanæ, S. Hunegundis virginis in Veromanduis, Alexandri martyris Bergomi in Italia, Theodori I epiſcopi Octodurenſis vel Sedunenſis, B. Margaritæ Faventinæ, & B. Villanæ Bottiæ eidem Tomo inſerta, ejuſque laboribus digeſta tacitus prætereo: unde interim colligere pronum erit, qua ubertate doctrinæ, quo ardore & impetu animi promovendæ Sanctorum gloriæ ſe dederit, cujus hæc fuêre laborum exordia, hæ primitiæ.

parique ſucceſſu,

13 Quo pede Tom. v Auguſti cœperat, eodem Tomo vi ejuſdem menſis illuſtrare Sanctorum Acta perrexit. Numerantur eo Tomo commentarii ferè quadraginta, qui omnes P. Stiltingi curis vigiliiſque debentur. Agmen ducit ſylloge hiſtorica de S. Narno epiſcopo Conf. Bergomi in Italia. Cultus quidem Sancti certus, ſed geſta incerta, antiquorum monumentorum inopiâ: maluit igitur, miſſis recentioribus ſcriptoribus, ex Officio Proprio (quamvis nec illudi incaſtigatum dimittat) Vitam S. Narni compendiosè proponere, quàm incerta pro certis obtrudere. Nonnihil plus difficultatis attulit S. Rufus epiſcopus M. Capuæ in Italia cultus, de quo gemina inter eruditos controverſia eſt: alteram proponit his verbis: *An revera Rufus alter Capuanam rexerit eccleſiam, illeque ab altero Rufo*, (diacono, Carponii ſocio, die xxx Aug. ibidem culto) *videatur diſtinctus?* Alteram verò ſic: *An Rufus epiſcopus diverſus ſit à Rufo Patricio, quem S. Apollinaris convertit ad fidem Chriſtianam?* Perpenſis, libratiſque utrimque rationibus, ita ſtatuit, ut, S. Rufum & epiſcopatum Capuanum tenuiſſe, eumdemque fuiſſe, qui Rufus patricius, probabile ſit: alium autem eſſe à Rufo Carponii ſocio, non una ratione defendat. *Tomis in Ponto SS. Martyrum Marcellini tribuni & uxoris ejus Mannes & filiorum Joannis, Serapionis & Petri*, inquit Martyrologium Romanum ad diem xxvii Auguſti: atqui non Pontum, ſed Ægyptum, non urbem Tomitanam, ſed Oxyrynchum, aliumve locum huic vicinum Martyres illos fuſo pro Chriſto ſanguine decorâſſe, ex ipſis Actis P. Stiltingus oſtendit. S. Licerium quemdam, Carinenſem ſeu Carenſem primò in Hiſpania epiſcopum, at Ilerdam deinde unà cum ſede tranſlatum, atque hunc alium fuiſſe à S. Licerio Conſorannenſi in Novempopulania epiſcopo, Hiſpani nonnulli putavêre, quibus adulterina Dexteri Julianique opera impoſuerunt. Dionyſius verò Sammarthanus S. Licerium, à S. Glycerio Conſorannenſi item præſule, qui

qui concilio Agathensi anno DVI subscriptus legitur, secernit: sed solidè utrosque refutat Auctor noster pag. 45 & seq. Plura hujusmodi è tenebris hoc tomo Stiltingus eruit, diligentissiméque disputavit. AUCTORE J. B.

numerosa 14 Singulari tamen laude dignus videtur in primis, quem de S. Cæsario Arelatensi episcopo scripsit, commentarius. Exhibet hic Vitæ sancti Præsulis auctores, cultum, illustria, quibus Cæsarium clarissimi viri ornârunt, testimonia; Trithemii Sausayique, quorum ille S. Cæsarium monachis Benedictinis adnumerat, hic verò geminum ejusdem nominis & sedis antistitem comminiscitur, confutatos errores; præcipua Vitæ capita chronologicè in ordinem digesta, suppletis etiam aliunde iis, quæ desiderantur in Actis. Præterea quibus sanctioris vitæ præcepta institutionesque conscripserit, quibus sive ad vindicandam ecclesiasticam disciplinam, sive ad exstirpandas Pelagianæ hæresis in Gallia reliquias laboribus perfunctus fuerit, quo tempore naturæ debitum solverit, quæ ad posteros scripta transmiserit, quæ demùm postremæ suæ voluntatis monumenta reliquerit, eodem illo commentario copiosè eruditéque disseruit. Quod autem ad Sancti scripta attinet, lectoris attentionem diligentiamque meretur, quod num. 36 & seqq. legitur, nimirum non usque adeò certum esse, scripsisse Cæsarium librum de Gratia & libero arbitrio, quem Fausto Regiensi nominatim opposuerit, & ab Arausicani concilii capitulis diversum, ac quidem neotericis plerisque hactenus visum est. Sancti quoque Syagrii, alterius ecclesiæ Gallicanæ luminis, partim è Breviario Augustodunensi, partim è variis scriptoribus ob aliorum monumentorum penuriam gesta collegit multa circumspectione atque cautela. Si enim Breviario credimus, S. Syagrius & reginæ Brunechildis frater fuit, & Desiderii Viennensis antistitis cognatus, & à Gregorio Pontifice Romano ad Anglorum conversionem in Angliam missus, quæ tamen omnia Stiltingus probat & solido fundamento destitui & à veritate aliena.

commentariorum series. 15 S. Syagrium proximè excipit S. Ætherius Lugdunensis episcopus. Quæritur hoc loci, illene, an Virgilius Arelatensis Augustinum Anglorum apostolum consecrârit episcopum? Locum quæstioni Beda dedit lib. 1 Historiæ ecclesiasticæ cap. 27 ita scribens: *Interea vir Domini Augustinus venit Arelas, & ab archiepiscopo ejusdem civitatis Ætherio, juxta quod jussa sancti patris Gregorii acceperat, archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est.* Verùm Virgilius Arelatibus, Ætherius verò Lugdunensibus, eruditorum consensione, tum temporis præerat. Erroneum igitur est aut urbis, aut episcopi Augustinum consecrantis nomen. Neutram quidem sententiam certam esse, erratum tamen in urbis, non in episcopi nomine, P. Stiltingus existimat; mentem porrò suam iis rationibus firmat, ut ad partes suas æqui lectoris animum vehementer alliciat. Labore non minùs impigro opus fuit de S. Hermetis gestis acturo; quorum ab Actis S. Alexandri Pontificis, unde petenda erant, antiquitas pendebat & auctoritas: hæc autem à Joanne Pearsonio Tillemontioque multis argumentis impugnata videbat. Tillemontium Bailletus sequebatur: Sollerius quoque, Henschenio licèt invito, Tillemontii rationibus acquieverat. Examinanda igitur adversariorum argumenta suscepit, eóque progressus est, ut eorum vanitatem detexerit, & adversariorum non solùm retuderit, sed in ipsos etiam, ubi res ferebat, tela retorserit.

præsertim de S. Augustino ecclesiæ doctore. 16 Justæ molis commentarium de S. Augustino ecclesiæ doctore P. Cuperus inchoârat: huic, cùm vivendi scribendique finem ille feciset, extremam manum P. Stiltingus admovit. Annorum seriem ad prima episcopatûs Augustini tempora deferere Cuperus cœperat: hùc itaque regressus Stiltingus reliqua Augustini gesta partim temporum, partim rerum ordine subtexuit; ac primùm quidem sancti Doctoris scripta nonnulla in medium profert, & quo tempore, qua occasione composita sint, docet. Tum concilia, quibus interfuit, controversiam cum S. Severo episcopo Milevitano, adventum Albinæ, Piniani & Melaniæ in Africam, Sancti responsa ad varia quæsita, mirabilem sanationem Pauli & Palladiæ coram Augustino factam, pium ejus obitum, aliaque non pauca refert, addita pag. 353 gestorum brevi & accuratâ chronotaxi. Hisce subjicit incerta quædam, quæ de Sancto in terris etiam tum versante à posterioribus scriptoribus circumferuntur. Hinc ad elogia progreditur, quibus ornata fuit Sancti seu virtus, seu eruditio. Deinde de Sancti cultu, de translationibus corporis, de loco, in quo corpus fuit depositum, de Sancti apparitionibus, beneficiis, sparsis in varia loca reliquiis disserit: postremò antiquorum quorumdam, quæ de Sancto ostenduntur, & passim incerta sunt, monumentorum discussione commentarium claudit.

variisque Galliæ Sanctis tomum VI Augusti locupletat. 17 Geminus præterea eodem tomo commentarius occurrit, in quo solita P. Stiltingi elucet industria & accuratio, rerumque ad historiam Gallicanam pertinentium peritia. Alter S. Fiacrii, alter S. Agili primi Resbacensis abbatis gesta complectitur; de quibus Trivultianorum judicium attulisse, sufficiat. Ad annum 1745 tom. 3 pag. 1584 & seq. ita habent: *Articuli*

AUCTORE J. B.

de S. Agilo primo Resbacenſi abbate, & de S. Fiacrio, cujus adeò celeber cultus eſt cùm in Hibernia, patriâ ejus, tum in Gallia, ubi potiorem vitæ partem traduxit, obiitque, ad Gallicanam hiſtoriam non parùm utilia continent, in iiſque collegit P. Stiltingus, in ordinem redegit, & illuſtravit facta bene multa, quæ non ſine animi voluptate legentur. Idem denique, qui S. Ludovici Francorum regis geſta tam operosè deſcripſit, beatæ quoque Eliſabethæ ſeu Iſabellæ ſororis ejus germanæ, ſanctæ virginitatis laude, quàm regio ortu illuſtrioris, Vitam ab Agnete de Harcourt contubernali ejus Gallicè ſcriptam Latinè reddidit, variiſque monumentis illuſtravit. Waddingus aliique religioſam vitam fuiſſe profeſſam, affirmant, refragantibus aliis: examinatis utrorumque rationibus pondus ſuum ineſſe, fatetur, ſic tamen, ut negantium opinioni gravitatis & ponderis pluſculum tribuat. Quam in menſem proximum contulerit operam, videamus.

§ II. *Quid maximè præſtiterit tomo* 1 *&* 2 *Septembris.*

Neque minor adornando

PRimus menſis Septembris tomus non ultra diem tertium ejuſdem menſis extenditur. Multus quoque in eo Stiltingi labor apparet. Primus, cujus geſta hoc tomo diſcuſſit, S. Priſcus M. eſt, Capuæ cultus die 1 Septembris: hujus quidem de cultu ſatis conſtat: at alia non pauca ſunt, de quibus dari poſſet dubitandi locus; num S. Priſcus ille paterfamilias fuiſſe verè aſſeratur, in cujus domo Chriſtus paſcha ſibi parari fecit, & diſcubuit unà cum diſcipulis? Num martyr fuerit, atque epiſcopus? Num prima eccleſiæ Capuanæ inſtitutio S. Priſco, an S. Rufo, de quo ad XXVII Auguſti egit, tribuenda ſit? Quæ omnia commentarii prævii § 1 diſcuſſit. Breviarium Capuanum, quod hunc Priſcum cum Priſco epiſcopo Africano confudit, alteri paragrapho materiem dedit. Quid uni, quid alteri competat, diſtinxit, obſervatiſque nonnullis de templo Dianæ Tifatinæ, de via Albana & Aquaria, populares aliquas de S. Priſco traditiones adjecit. Varias § tertio corporis inventiones & tranſlationes enarrat. Primæ quidem inventionis narrationem Michaël monachus in Sanctuario pag. 143 & ſeqq. hiſtoriam texuit, at quæ P. Stiltingo mirabilis magis, quàm credibilis apparuit: huic igitur aliam aliunde ſubſtituit, quæ ut minùs mira eſt, ita & magis ad veritatem videtur accedere. Poſterioris autem inventionis, quæ ſub initium hujus ſeculi contigit, inſtrumenta ſubnectit.

19 Hinc ad S. Terentiani epiſcopi & Flacci MM. geſta progreſſus eſt. Stabilito S. Terentiani cultu, de loco martyrii diſputationem inſtituit. Tuderto Umbriæ oppido martyrium Sancti Romanum Martyrologium adſcribit: contra Florentinius Tudertinæ in Tuſcia civitati id adſcribendum, omnino exiſtimat. Illuſtriſſimus verò Franciſcus Maria de Aſte in Diſceptationibus ad Martyrologium Romanum dubius hæret: at dubitandum non eſſe, quin Tuderti in Umbria martyrium ſubierit, Stiltingus autumat, datis, cur ita ſentiat, rationibus, disjectiſque contrariis. Dertonæ quoque ſancti cujuſdam Terentiani die 1 Septembris feſtivitas celebratur, reliquiæque ſervantur: idemne ſit, qui Tudertinus, dubitavit Ughellus. Dubia res Stiltingo quoque viſa eſſet, niſi, quæ affert, monumenta dubitationem omnem exemiſſent. Varia deinde S. Terentiani Acta enumerat, quæ quamquam ſuis nævis non carêre, agnoſcat, Tillemontio tamen non acquieſcit omnem iis fidem abroganti. Prælo præ reliquis digna viſa ſunt ea, quæ ex Ms. Emin. Card. Franc. Barberini deſumpſit, collato cum tribus aliis & editione Mombritii. Hiſtoriam verò tranſlationis brachii Teanum noluit prælo ſubjicere, non quidem quòd neget, brachium S. Terentiani aliquando eò tranſlatum fuiſſe, ſed propterea quòd ea contineat, quæ & fidem excedant, & ipſis Teanenſis eccleſiæ traditionibus adverſentur. *tomo 1 Septembris*

ejus labor fuit:

20 Commentarii, quem de SS. Sixto & Sinicio exaravit, hæc ferè ſunt præcipua capita. Primùm ducto à cultu utriuſque exordio, tranſlatas utriuſque, variiſque locis diviſas reliquias recenſet, quibus Sanctorum ſuccedunt elogia. Tum in Actorum fidem ætatemque inquirit, quæ haud adeò contemnenda oſtendit, ac Marlotus exiſtimat. De tempore, quo miſſi ſunt in Galliam Sancti non una eſt eruditorum opinio, aliis anno à Chriſti natalibus XLVI, imperante Tiberio, aliis ante medium ſeculi 2 vel circa annum Domini CCLVIII, aliis denique circa annum CCLXXXVIII id contigiſſe, cenſentibus. Opinioni poſtremæ conſonant Acta, eamque Stiltingus nervosè propugnat. Demum Baronii Martyrologium Romanum Martyrum numero Sanctos adſcribit, cui Sauſſayus Tullenſis epiſcopus ſuffragatur: at martyres fuiſſe cum Marloto Stiltingus negat ex Actis, Flodoardo, ipſaque traditione Remenſium. Qui ceteros Stiltingi commentarios hoc tomo ſparſos pervolvere voluerit, eadem ubique laboris indefeſſi argumenta, multos variorum confutatos errores, multa accuratè obſervata, ingeniosè diſcuſſa, & eruditè illuſtrata inveniet, quæ recenſêre ſingula, non neceſſe eſt: indictos tamen, quos de S. Firmino epiſcopo confeſſore Ambiani in Gallia, & de S. Stephano Hungariæ rege ſimul

&

& Apoſtolo commentarios edidit, abire non ſinam.

teſtantur id in primis ea,

21 Pauca ſunt, Trivultianorum judicio ad annum 1749 tom. 2 art. 48, Sanctorum Acta, quæ plus faceſſiverint hagiographis negotii, quàm S. Firmini. Egregia quidem Viri ſanctitas patet; ſed pauca de geſtis ejus exarata; pauciora, quibus tutò credi poſſit, monumenta. Geminum quidem Actorum S. Firmini exemplar Ms. in promptu erat, ſed anachroniſmis, aliiſque vitiis inquinatum, quæ Stiltingi aciem non effugêre. Ad manum quoque habebat eccleſiæ Ambianenſis Breviaria anno 1550 & 1555 impreſſa, Vincentium Bellovacenſem, & Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum: ſed antiquiora monumenta requirebat. Actis S. Firmini martyris Ambianenſis pariter epiſcopi, in quibus S. Firmini confeſſoris mentio fit, nihil invenit antiquius: ſed & horum fidem Tillemontius impugnabat, utpote ſibi non cohærentium, & S. Firmini M. mortem modò ſub Diocletiano, modò ſub Decio & Valeriano collocantium. At, inquit Stiltingus, veriſimile non eſt, Actorum ſcriptorem, cujus gravitatem vel ipſe Tillemontius agnoſcit, in re tam clarâ tam apertè ſibi contradixiſſe. Citat quidem præſes Decii & Valeriani decreta: at, monente Stiltingo, eadem dici poterant ſub Diocletiano, præſertim priuſquam hic ſub regni finem feralia decreta adverſus Chriſtianos promulgaverat: neque enim imperatorum morte lata in Chriſtianos decreta exſpirabant, ſed eorum ſolùm intermittebatur exſecutio, poterantque iis poſtmodum uti provinciarum præſides, & utebantur interdum. Nec de utroque imperatore vivente (Decio & Valeriano) auctoris verba exponi poſſunt, cùm uterque ſimul non imperârit. Atque ita præcipuum Tillemontii argumentum infregit.

quæ de S. Firmino confeſſore

22 Itaque S. Firmini martyris Acta ſatis vindicata credidit, ut, quæ ad S. Firminum Conf. pertinebant, ex iis excerperet, atque lectori ob oculos poneret; quibus Bellovacenſis & Petri de Natalibus ſubjecit elogia, & Ambianenſis Breviarii lectiones. Continent prædicta elogia notas aliquot chronologicas, ſed vagas & vix ſibi cohærentes, & in ſpeciem contrarias: quapropter earum explicationem quoque adjecit: ex quibus denique brevem vitæ chronotaxin utcumque confecit, refutatis Sigeberto & Morlierio Sancti obitum juſto ſeriùs collocantibus. Gloriam Sancti poſthumam explicare aggreſſus, celebrem illam, quæ, ſuperiori ſeculo ad finem vergente, agitari cœpta eſt, de poſſeſſione corporis S. Firmini controverſiam latè diſcuſſit. Brevem rerum geſtarum ſeriem accipe, quam apud Stiltingum fusè probatam explicatamque invenies. Eccleſiam, primùm B. M. Virginis, poſtmodum S. Acheoli dictam, S. Firminus condidit, in eaque ſepultus eſt. Sub initium ſeculi VII in exſtructam à ſe SS. Petri & Pauli nomine cathedralem eccleſiam S. Firmini Conf. corpus tranſtulit S. Salvius Ambianenſium præſul: quæ cùm anno 1218 incendio periiſſet, Everardus novam, quæ & hodiedum viſitur, B. M. Virginis nomine cathedralem baſilicam moliri cœpit: eccleſia autem S. Firmini aut eodem igne conſumpta eſt, aut huic novæ locum cedere debuit, inſtauratáque deinceps fuit eo, quo nunc cernitur, loco. Servatum hactenus in cathedrali S. Firmini corpus anno 1279 novæ thecæ ſolemniter impoſuit Cardinalis Simon, Nicolai III in Gallia legatus.

AUCTORE J. B.

diſſeruit,

23 Neque tum, neque diu pòſt in dubium vocatum fuit, quin S. Firmini Conf. corpus eccleſia cathedralis poſſideret; eamque opinionem monumenta plurima, celebrata jam pridem tranſlationis feſtivitas, corpuſque ipſum quotannis circumferri ſolitum omnium animis altè impreſſerat: dum tandem anno 1697 vehementer oppugnari cœpta eſt; ex quo nempe in eccleſia S. Acheoli canonicorum regularium reformatæ congregationis Gallicanæ detecti ſunt tumuli aliquot, quorum uni (ùt quidem videbatur aliquibus) inſcriptum erat S. Firmini nomen, & oſſa aliquot humana incluſa, quæ S. Firmini Conf. eſſe, ùt vehementer expetebant, ita & facilè crediderunt. Itaque ſpargi in vulgus rumores, apertam, vacuamque repertam eſſe in cathedrali S. Firmini lipſanothecam, vocari in dubium Salviana tranſlatio, ſcribi etiam ultro citroque permulta, aliis pro S. Acheoli eccleſia, aliis pro cathedrali acriter decertantibus. Neque citò finem habitura videbatur controverſia, dum tandem anno 1715 Petrus Sabatier Ambianenſis antiſtes thecam S. Firmini in cathedrali aperuit, Sancti corpus cum authentico depoſitionis inſtrumento invenit, litemque decidit. Porrò litem hanc ita Stiltingus diſcuſſit, ut magnis eum Trivultiani laudibus efferant, & rem demonſtrâſſe, agnoſcant: mirantur tamen omiſiſſe edictum epiſcopi Ambianenſis datum anno 1715, 2 Aprilis, quo prætenſum S. Firmini in eccleſia S. Acheoli tumulum claudi juſſit, legique vetuit, dum corrigatur, S. Firmini Vitam à Bailleto conſcriptam. Verùm illud haud magnopere deſiderabatur: patebat rei veritas, cauſam eſſe finitam, unuſquiſque intelligere poterat; unicus hic erat Stiltingo præfixus ſcopus, ùt ad commentarii calcem videre eſt. *Si qui*, inquit, *deinde adhuc reclamaverint, pertinaciam illi ſuam oſtenderunt, ſed neceſſitatem nobis*

AUCTORE J. B.

nobis non injecerunt ea ulteriùs demonſtrandi, quæ patuerunt luce clariùs.

& de S. Stephano Hungariæ rege, cujus non modò Acta,

24 Jam inde à priſcis temporibus nihil heterodoxis fuit antiquius, quàm ut Romanæ Eccleſiæ gloriæ, quoquo modo poſſint, detrahant. Vidit & hoc ſeculum Godofredum Swartzium, qui converſæ ad Chriſti fidem Hungariæ laudem Latinis invidens, ad Græcos transferre conatus eſt, edito anno 1740 libello, cui titulus: *Initia religionis Chriſtianæ inter Hungaros eccleſiæ Orientali adſerta.* Vitam S. Stephani Hungarorum regis cum hac opinione pugnantem opponis? nihil illa Swartzium terret: quippe quæ, auctore Swartzio, plus quàm duobus ſeculis ab ætate S. Stephani diſtet, quæ monſtroſa & abſurda ſit. Verùm, inquit Stiltingus, *vidit ille hallucinationes, monſtra, abſurda, ubi nihil hallucinationis, nihil monſtri, nihil abſurdi.* Quod ne temerè dixiſſe videatur, ſingula heterodoxi ſcriptoris aſſerta diligenter excuſſit, excuſſa diſſolvit. Vitam S. Stephani ad Colomannum non Haliciæ, ùt Swartzio placet, ſed Hungariæ regi ſcriptam eſſe ſub initium ſeculi XII à Carthuitio epiſcopo, qui S. Stephano ætate ſuppar fuit, multimodis probat; nec ea de re dubitandum eſſe, exiſtimat: exaratam tamen à Carthuitio Vitam non eſſe omni ex parte erroris expertem, ultrò fatetur. At adeóne graves errores illi atque incredibiles, ut omnis abroganda ſit Actis fides? adeóne frequentes, ac Swartzius clamat? ait quidem ille, ſed ait tantùm. Velitatur hactenus Stiltingus, mox pleno marte pugnabit.

& gentis Hungaricæ converſionem,

25 Viguiſſe in Pannonia, viciniſque provinciis, quæ hodiernum Hungariæ regnum conſtituunt, primis Eccleſiæ ſeculis Chriſtianam fidem, nemini dubium eſſe poteſt: ſed variis barbarorum incurſionibus varias quoque experta eſt viciſſitudines, quas auctor noſter enumerat. Primus ex Hungarorum principibus poſt exſtinctam ibi Chriſti fidem, eamdem amplexus eſt Geyſa, S. Stephani pater: ſub hoc poſita ſunt fidei initia licet rudia & imperfecta, à Stephano deinde perfecta. Quæ omnia fusè deducta apud Stiltingum legere eſt, utì & quæ fuerit genti Hungaricæ fidei ſuſcipiendæ occaſio, qui primi illius præcones, nempe Piligrinus Laureacenſis præſul, S. Wolfangus, Ratisbonenſis deinde epiſcopus, & S. Adalbertus. Secus Swartzio viſum eſt, qui priùs Hierotheum monachum Græcum multos Hungarorum ad Chriſtianam religionem traduxiſſe, contendit, quem nimirum Gylas Hungarorum dux Conſtantinopoli baptizatus ſecum in Hungariam duxerit; atque hinc Swartzius verum Hungaricæ converſionis initium numerandum eſſe, exiſtimat; nixus Græcorum aliquot ſcriptorum teſtimoniis; quorum auctoritatem ambitioſiùs prædicat. Verùm multa peccare, & fidenter magis, quàm ſolidè loqui Swartzium, pluribus Stiltingus evincit: Græcorum verò auctoritatem levis eſſe admodùm hac in re momenti & ponderis aſſerit, luculentaſque aſſignat dicti rationes; ac tandem concludit, *religionem Chriſtianam in Hungaria non eſſe cæptam à baptiſmo Buloſudis & Gylæ, ſeu quòd ille baptiſmus prorſus ſit fictitius, ſeu quòd ficto animo ſit ſuſceptus, ſeu denique quòd illi fidem conſtanter profeſſi non ſint.*

datamque à Sede Romana Hungariæ regibus coronam ſolidè vindicat;

26 Defunctus hoc certamine Stiltingus, de S. Stephani anno natali, baptiſmo, ſucceſſione in ditionem paternam, converſione, fundatione epiſcopatuum, atque monaſteriorum, rebus bellicis, contractiſque nuptiis fusè ſimul & eruditè diſſerit. Obtenta à Stephano dignitas regia novæ cum Swartzio contentionis materiem præbuit. Conſtans in primis eſt Hungarorum traditio, coronam regiam à Silveſtro II Pontifice Romano S. Stephano fuiſſe collatam: ut novo regi, ejuſque ſucceſſoribus prædictâ coronâ ritè redimitis crux anteferretur in ſignum apoſtolatûs, idem Pontifex pariter indulſit. Stephanus verò ſe regnumque ſuum S. Petro obtulit. Si Swartzium audias, regni Hungarici corona non Pontificis Romani, ſed Græci imperatoris donum fuit: nec aliunde etiam crucem Hungari acceperunt: ſanctum verò Stephanum ſe ſuaque S. Petro obtuliſſe, fabula fabularum omnium leviſſima eſt. Sed ita heterodoxis pleriſque comparatum eſt, ut id omne, unde Romanæ Eccleſiæ amplitudinis aliquid dignitatiſque accedit, invido dente arrodant, & cavillari ſæpe malint, quàm ſolida ratione pugnare. Haud ea fuit Stiltingo agendi ratio: quam enim ſententiam propugnandam ſuſcepit, ſummorum Pontificum, ipſorum Hungariæ regum, aliorumque teſtimoniis ita confirmavit, ut quemlibet facilè convincat, modò animum habeat à temeritate pertinaciâque alienum: Swartzii verò argumenta & conjecturas fideliter retulit, diligenter excuſſit, validéque protrivit.

ſed cetera etiam ad ſanctum Regem pertinentia fusè perſequitur.

27 Hiſce altercationibus tandem expeditus, explicandis ceteris ſancti Regis geſtis accingitur, quanta nimirum inſtituendis per Hungariam epiſcopis, qui novellam Chriſti vineam excolerent, uſus ſit diligentiâ atque delectu; quæ bella geſſerit; quas condiderit, ditâritque variis locis eccleſias atque monaſteria; quarum potiſſimum virtutum exercitationi incubuerit; quâ fuerit in Virginem Matrem pietate, cujus tutelæ regnum ſuum in primis addictum voluit; quæ, ut rectè piéque regnum adminiſtraret, filio monita, quas ſubjectis leges dederit; quæ denique

que

que moriens ſpecimina pietatis ediderit, quibus & alia non pauca immiſcuit, lectu ſcituque digniſſima. Sancti regis obitus ſummo dolore univerſam affecit Hungariam, & in eccleſia Albæ regalis beatæ Virgini dicata, quam ipſe exſtruxerat, magno honore ſepultus eſt. Annos quinque & quadraginta effluxiſſe, ferunt, quibus ſacris ejus exuviis nullus habitus eſt eccleſiaſticus honor. At circa annum 1083 corpus ejus, jubente ſummo Pontifice, honorificè elevatum eſt. Celebritati adfuit S. Ladiſlaus Hungariæ rex, S. Stephano ſanguine junctus. Patrata ea occaſione prodigia Stiltingus profert, obſervatque ad Sancti gloriam, eum ſummi Pontificis ſolemni decreto, ſeu formali, ùt aiunt, canonizatione Sanctorum albo fuiſſe inſertum, quod regum antea obtigerat nemini. Demum expoſito Sancti cultu in Hungaria primùm cœpto, ad exteras deinde nationes, ac tandem per totam Romanam Eccleſiam propagato, aliiſque nonnullis prodigiis commentario ſuo finem impoſuit. Sunt & alii hoc tomo Stiltingi commentarii ſingulari elogio digni; ſed hiſce longiùs non immorabor, & ad tomum 2 Septembris propero.

Illius quoque ſunt tom. 2 Septembris de converſione & fide Ruſſorum diſſertatio,

28 Præfixa huic diſſertatio eſt de converſione & fide Ruſſorum, eo fine à P. Stiltingo exarata, *Ut ex ea utcumque colligi poſſet, quinam ex iis, quos Ruſſi pro Sanctis habent, certò fuerint Catholici, qui contrà de ſchiſmate ſuſpecti aut certò ſchiſmatici videantur.* Sunt, qui Ruſſos & à ſchiſmaticis ad Chriſtiana Sacra converſos, & ſchiſmatis lue vel à ſuæ converſionis exordio infectos fuiſſe, exiſtiment. Sunt, qui Ruſſos omnes uſque ad poſtrema ferè ſecula ſchiſmatis ſuſpicione liberare voluerint, ùt & Papebrochius noſter in Præfatione ad Ephemerides Græco-Moſcas, datas ante tomum 1 Maii. Neutra erroris expers opinio eſt: nam neque Catholici omnes, nec omnes fuêre ſchiſmatici. Impulit ea res Stiltingum, ut, quod non ſatis examinârat Papebrochius, ad accuratius examen ipſe revocaret, vel maximè, quòd ad diem v Septembris de SS. Boriſi & Hlibi principum Rhutenorum Actis diſputandum ſibi eſſe, cognoſceret. Itaque primò de tempore ſuſceptæ à Rhutenis Chriſti fidei, deque Vladimiro principe, præcipuo converſionis adjutore diſſeruit. Tum Catholici, ſchiſmaticine fuerint Conſtantinopolitani patriarchæ, cùm primùm Rhutenis Chriſtiana fides illuxit, quâ potuit, ſagacitate indagavit. Tertiò, num Rhutenorum metropolitæ Romanæ Eccleſiæ uniti fuerint, quantum licuit monumentorum penuriâ, ſervato ſeculorum ordine, inquiſivit. Quæ de ſanctitate Alexii & Petri Kiovienſium metropolitarum ad XII Februarii Henſchenius, & Jonæ ad XV Junii Papebrochius ſcripsêre, Stiltingus, re attentiùs perpenſa, pro expunctis habet, cùm de eorum fide Catholica, vel apud Catholicos cultu haud ſatis liqueat; nec niſi certis teſtatiſque de cauſis fas ſit cujuſpiam ſanctitatem fidelium venerationi exponere. AUCTORE J. B.

de Moyſe Prophetâ,

29 Sanctorum, quorum tomo 2 Septembris Acta deſcribuntur, ùt antiquiſſimus, ita & ordine primus eſt Moyſes Hebræorum dux & legiſlator. Amplam certiſſimamque explicandis illius geſtis divini codices ſuppeditavêre materiem: ex hoc igitur puriſſimo intaminatæ veritatis fonte Stiltingus derivanda Moyſis geſta, in ordinemque redigenda cenſuit; obſcura verò, accito ſanctorum Patrum, aliorumque divinarum Litterarum interpretum ſubſidio illuſtranda ſuſcepit. Ut ut multa ſunt, quæ hinc hauriri poſſunt, non omnia tamen vel Scriptura, vel Patres, vel interpretes Moyſis geſta complexi ſunt: itaque quæ de his apud auctores quoque profanos leguntur, in medium attulit, ſed ſeparatim; ne ſacra profanis, certa miſcerentur incertis. Duorum in primis rationem habuit, Philonis, & Flavii Joſephi, utriuſque Judæi, quos & à S. Hieronymo in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum laudatos & magni ſemper habitos fuiſſe, ſciebat. Si quid verè & probabiliter dicunt, licèt in Scriptura non expreſſum, pro merito laudat; ſi fabuloſè, explodit; ſi cum ſacris Litteris malè cohærens, refutat. Notæ ſunt paſſim variæ de Moyſe quæſtiones, de quibus jam diu à Theologis & interpretibus diſceptatum eſt; nec has reliquit intactas. Tempus quoque ſcripti Pentateuchi inquirit, diſputatque de ſcriptis aliquot aliis Prophetæ affictis; quibus demum Moyſis Vitam, auctore S. Gregorio Nyſſeno, more noſtro diviſam, & notis illuſtratam adjecit.

de S. Roſalia & S. Bertino inſignes commentarii, quibus & alii non pauci accedunt.

30 Quò celebrius eſt per orbem Chriſtianum S. Roſaliæ virginis nomen, eò majore cura ſtudioque illius augere gloriam ſtuduit commentario non minùs accurato, quàm prolixo, quem ſeparato etiam volumine edidit. Diſcuſſio quoque Actorum S. Bertini abbatis ſudore illi non minimo ſtetit. De ſcriptoribus Actorum S. Bertini multa Mabillonius aſſeruit: non modò diſcuſſit illa Stiltingus, in multiſque correxit, ſed etiam, quo Acta Sancti conſcripta ſint tempore modoque, expoſuit. Deinde de illius natali loco & tempore, genereque diſſeruit. Demum Sancti geſta, virtutes, gloriam poſthumam fusè diſcuſſit. Acrem verò, quæ hoc ſeculo inter clerum cathedralis eccleſiæ S. Audomari & S. Bertini monachos exorta eſt, controverſiam non attingere maluiſ-

AUCTORE J. B.

ſet, niſi aliud ſuſcepti Operis noſtri ratio exegiſſet. De S. Zacharia propheta quoque commentarium ſcripſit, quem non ſine fructu legent ſacrarum litterarum ſtudioſi. Ceteros, quibus hunc tomum locupletavit, commentarios non enumero, in quibus eruditionis & ſagacitatis plurimum ſedulus & attentus lector inveniet, habetque non modò Judæa, Sicilia, Belgium, ſed & Italia, Gallia, Ægyptus, Perſia, Ruſſia, aliæque orbis regiones deſcripta Sanctorum ſuorum geſta.

§ III. *Quid* III *& tribus ſequentibus tomis.*

In tomum III *Septembris*

A Dornando tomo III Septembris haud minori adjumento fuit. Teſtatur id in primis, quæ tomi frontem occupat, de tempore natali S. Gregorii Nazianzeni diſſertatio. Præſcriptam ſacerdotibus ſeculo IV continentiam Bailletus, Tillemontius, aliique impugnârunt. Sententiæ porrò ſuæ exemplum S. Gregorii Nazianzeni, paterni epiſcopatûs tempore nati, non parùm roboris adferre, putaverunt. Hoc igitur adverſariis telum extorquêre præſenti diſſertatione conatus eſt, partim refutando congeſta à Tillemontio argumenta; partim ſtabiliendo propriam de tempore, quo natus eſt S. Gregorius, ſententiam; partim denique Græcorum verſuum, quibus potiſſimùm Tillemontius nititur, ambiguam ſignificationem enucleando, & aptiorem illis interpretationem tribuendo. Tillemontii autem ratiocinia diſcuſſit potiùs, quàm aliorum, tum quòd ab his nihil additum iis, quæ Tillemontius habet, quod quidem alicujus ſit ponderis, invenerit, tum quòd ille Papebrochii hac de re judicium haud ſatis ſincerè retulerit. Quod ſi fortaſſe animoſiùs diſputare videatur, juſta de cauſa id ſe facere, arbitratus eſt. *Video enim*, inquit num. 60, *rem mihi eſſe cum viro, qui noluit ſolo rationum pondere concertare, ac verum indagare; ſed diſſimulando præcipua noſtræ ſententiæ argumenta, ſuaque cum aliis comparando, prævalère.*

egregiam quoque

32 Idem quoque per tomi decurſum variis teſtatum fecit commentariis, quorum nonnullos attingo. S. Evurtii plerique antiqui Faſti meminerunt. Vita quoque ejuſdem manuſcripta exſtat, at non ſatis probata neotericis, quorum nonnullis omnino repudianda videtur, tum ob multiplices, quibus obnoxia eſt, difficultates, tum ob auctorem quatuor circitèr ſeculis Sancto poſteriorem: variis quidem illam fabulis inquinatam, Stiltingus haud diffitetur, at non omnia, quæ in illa leguntur, ſine diſcrimine abjicienda eſſe, contendit: fieri porrò potuiſſe, ut fuerit multò citiùs conſcripta, quàm quidem in animum ſibi neoterici induxerunt. De tempore, quo Aurelianenſem Evurtius rexit eccleſiam, dubitatur, num Conſtantini Magni tempore, item num concilio Valentino interfuerit; & quis Evurtium in epiſcopali ſede proximè exceperit, S. Aniano nonnullis id tribuentibus. Sediſſe Conſtantini tempore Evurtium, neque huic S. Anianum proximè ſucceſſiſſe, probabilius Stiltingus autumat, quorum, utì & aliorum, ad hunc Sanctum ſpectantium accuratam reddit rationem. Lucernam & oleum quoque ſapit commentarius, quo S. Clodoaldi presbyteri geſta deſcripſit. Monachis hunc Mabillonius aliique adſcripſerunt: verùm variis de cauſis longè probabilius, & antiquis ſcriptoribus conformius Stiltingo apparet, eum ſolo presbyteratu inſignem ſanctitatis culmen aſcendiſſe. S. Adriani etiam & Sociorum martyrum Acta Græcè conſcripta Latinitate donavit, fortiterque defendit adverſus nimiam Tillemontianæ cenſuræ ſeveritatem, Sanctique cultum & miracula latè expoſuit.

ſymbolam conferat

33 Etſi rerum geſtarum magnitudine, virtutumque præſtantiâ celeberrima ſemper fuerit S. Pulcheria imperatrix & virgo, & optimè de Orientali imperio merita, nemo tamen Græcorum fuit, qui ejus vitam litteris conſignandam ſuſceperit. Defectum hunc Stiltingi diligentia ſupplevit: quæcumque enim ſive in Epiſtolis S. Leonis, ſive in Conciliis, quæ S. Pulcheriam miris laudibus extulerunt, invenit, ſedulò collegit, ordineque diſpoſuit. Hiſtoricos præterea & veteres, & recentiores, qui ſanctæ Imperatricis laudes attigerunt, inter ſe contulit, correxitque, ubi id ratio exigebat. Hiſce adminiculis Sanctæ genus, conſecratam Deo virginitatem, in formando ad pietatem Theodoſio fratre curam, in adminiſtrando imperio induſtriam, illata impietati & hæreſibus bella, ſortis viciſſitudinem, illibatam vel in ipſo matrimonio caſtitatem, virtutes, piaque opera ubertim explicuit, votumque adjecit, ut optimè meritæ de Eccleſia Virgini cultus celebrior decerneretur, quod tanti Benedictus XIV fecit, ut in litteris ſuis Apoſtolicis anno 1752 ea de re datis, cùm Patris Stiltingi votis, tum aliorum precibus annuere ſeſe voluiſſe, non obſcurè prodiderit. De S. Paphnutio epiſcopo confeſſore plura diſputanda habuit, quàm narranda. De fide illius, quaſi idem eſſet, qui Paphnutius quidam monachus ſchiſmatis Meletiani fautor, dubitavit neotericus ſcriptor: ſed Viri ſanctitatem Stiltingus egregiè vindicavit. Idem quoque Paphnutius in Concilio Nicæno legi de ſacerdotum diaconorumque con-

continentia se opposuit, si scriptoribus heterodoxis, quibus hac in re & è Catholicis aliqui suffragati sunt, credimus: sed fabulam esse, è Patribus probat, qui paulò post Concilium Nicænum floruerunt.

ati & in tomum IV, edito maximè de S. Chrysostomo commentario.

34 E tomo IV Septembris satis habuero, vel unum citâsse, quem ad diem XIV ejusdem mensis de S. Joanne Chrysostomo Ecclesiæ doctore edidit, commentarium, mole minùs, quàm rerum multitudine & gravitate insignem; cui concinnando ipsa sancti Doctoris scripta frequenter impressa materiem in primis præbuerunt. Proximum sancto Doctori locum tenuit Palladius episcopus, scriptor sincerus, & Sancto familiaris. Socratem quoque, Sozomenum, & his accuratiorem Theodoretum consuluit, qui rerum gestarum partem vel ipsi vidêre, vel ab iis, qui viderant, haurire potuerunt. Sed & aliorum præterea scriptorum, qui, S. Chrysostomi ætate, doctrinâ & sanctitate excelluêre, usus est testimoniis: recentiorum verò labores & studia sic adhibuit, ut secundùm antiqua monumenta examinârit singula. Denique quâ quisque fide & auctoritate polleret, adjecit. Quod verò ad gesta virtutesque S. Chrysostomi attinet, nihil omisit eorum, quæ meritò desiderare quisquam possit. Qualis fuerit ante baptismum, qualis post baptismum, qualis in monastica & anachoretica vita, qualis in ordinibus sacris, qualis demum quantusque in episcopatu, summa accuratione describit. Frequentissimas, quas sive Antiochiæ sive Constantinopoli habuit homilias, commentarios in libros sacros, immensam litterarum, præsertim quas exsul scripsit, multitudinem, peculiaresque tractatus, quos pro varia rerum opportunitate, zelique sui magnitudine S. Chrysostomus exaravit, non enumeravit modò Stiltingus, sed etiam volvendo revolvendoque tot illius lucubrationes, ad ordinem & tempus, quo singulæ scriptæ fuerunt, ingenti sanè labore revocavit; brevique compendio chronologico ad commentarii calcem Sancti tum gesta, tum scripta lectorum oculis concinnè presséque subjecit.

Tomo verò V Septembris

35 Tomo verò V Septembris cujusvis statûs Sanctos aut Beatos illustravit: Beatum in primis Desiderium ex abbate Casinensi ad Pontificiæ dignitatis apicem evectum, qui Victor III appellari voluit. Inchoatum de hoc Pontifice commentarium à P. Urbano Stickero P. M. Stiltingus ad umbilicum adduxit. E purpuratorum verò Patrum numero B. Ludovici Alamandi Arelatensis archipræsulis gesta descripsit. Variorum præterea episcoporum gloriam scripto promovit, puta, Mamiliani Panormitani in Sicilia Albini Lugdunensis in Gallia, Sinerii Abrincensis, Ferreoli Lemovicensis, Methodii inter Orientales episcopos doctrinâ, scriptis & martyrio illustris, aliorumque, quos prætereo. Mamiliani quidem Acta haud satis probatæ sunt fidei, ex iis tamen probabiliora selegit: neque etiam talia sunt, ut Mamilianos geminandi, prout è recentioribus nonnemini visum est, necessitatem injiciant. Albinum nobilissimis Romanis familiis adscripsit Severtius & Martyrum numero: neutrum fundatè satis. Diversine sint Sinerius & Severus, Abrincensis uterque in Normannia episcopus, Claudius Castellanus dubitavit; sed levis est utrumque confundendi ratio. S. Philotei quoque presbyteri è Græcorum maximè Fastis gesta collegit, qui à miraculis *thaumaturgi* apud Græcos nomen invenit. Accedit & S. Justinus pariter presbyter: hic modò Confessoribus, modò Martyribus insertus legitur; pertinet autem ad Martyrum classem.

AUCTORE J. B.

cujusvis

36 Stiltingi præterea hoc tomo stylum exercuêre SS. Rithbertus & Sevoldus, BB. Reginaldus, Rolandus de Medicis, & Gandolphus Ordinis S. Francisci confessor; & hi quidem vitæ monachalis aut anachoreticæ instituta complexi sunt. SS. Rithbertus & Sevoldus abbatiam S. Walarici in Picardia exornârunt; cujus hic alumnus, ille verisimiliter abbas fuit. Paucis quidem de utroque differuit, sed cogente monumentorum penuriâ. B. Reginaldus eremita in ecclesia Melinæensi prope Flexiam in provincia Andegavensi colitur: nullum is, qui exstet, nactus est Vitæ scriptorem. Ætas Beati & gesta incerta sunt; certior translatio corporis, cultus & præstita clientibus beneficia. Dedit ista Stiltingus, prout accepit. B. Rolandus de Medicis Borgoni in Pallavicina ditione vitam duxit anachoreticam; cujus quidem non meminêre Martyrologia, cultus tamen indubitatus est; Acta verò descripsit auctor synchronus & fidelis; miracula quidem alium habent auctorem; sed priori non minùs fidelem. B. Gandolphum de Binasco à patria dictum mundo Italia peperit, cælo transmisit Politium, oppidum Siciliæ celebre, ubi plurimis miraculis vivus mortuusque increbuit. Vitam Beati sexaginta circitèr ab obitu ejus annis conscripsit Jacobus de Narnia Cephalæditanus episcopus. Prodigia quoque, quæ variis temporibus edidit, litteris consignata leguntur: quibus de cultu, reliquiis & miraculis recentioribus appendicem P. Stiltingus adjecit.

status

37 Suos etiam status secularis Sanctos habet, de quibus bene mereri studuit; scilicet de SS. Narcisso & Crescentione martyribus Romanis, quorum Martyrologia

AUCTORE J. B.

logia varia, & Acta S. Laurentii meminerunt. Ceterùm omnia ferè, quæ ad ipsos spectant, incerta sunt. De S. Ferreolo Viennensi, in Gallia martyre, S. Juliano martyri Brivatensi amicitiâ, militiâ & fide Christiana conjunctissimo, Brivatene, an in Viennensi vicinia martyrium consummârit, discrepantibus Actis, versatur in dubio: neque SS. Valeriani, Macrini & Gordiani exploratior est palæstra martyrii. Sancti quoque Nicetæ martyris gesta commentatus est, cujus Acta Græca ex codice Ms. bibliothecæ regiæ cum antiqua versione subinde correcta edidit: fuit hic natione Gothus, & apud Græcos Moscosque maximè celeber. SS. Maximi, Theodoti & Asclepiodotæ Acta Ms. Medicæum regis Francorum suppeditavit, eaque Stiltingus Latina fecit. Si non eodem scripta sint anno, quo coronati sunt Martyres, certè haud multò pòst, fidemque merentur, etsi ab ignoto auctore profecta. Porphyrii martyris Græci maximè Fasti meminerunt. Sub Juliano apostata pro fide Christi occubuit, at martyrii locum Græca monumenta non exprimunt: contigit tamen id verisimiliter anno 362 in aliqua imperii Orientalis urbe, & fortè Constantinopoli. His denique adde S. Satyrum confessorem, S. Ambrosii fratrem, cui morum similitudine & sanctitate, quàm sanguine propinquior fuit. Defuncti virtutes Ambrosius ipse laudavit.

Sanctos illustrat.

38 Idem denique variarum, quas vel eximia sanctitas, vel fusus pro Christo sanguis cælitibus inseruit, feminarum Acta illustravit: alia è Græcis, alia è Latinis, alia ex utrisque eruit monumentis. De nonnullis earum è P. Stiltingo pauca delibo. Sanctæ martyres Sophia & Irene diebus variis memorantur à Græcis, sed à Martyribus synonymis, de quibus agit ad diem XVIII Septembris, verisimiliter aliæ. S. Agathoclia in Oriente passa à Joanne Tamayo in Martyrologio Hispanico *Octogesæ in Illergetibus Hispaniæ*, falsò annuntiatur. Marcianopoli in Mœsia sub Antonino S. Melitina martyrium subiit; at cùm plures seculo 2 & III fuerint hujus nominis imperatores, martyrii tempus ad amussim definiri nequit. S. Camellam Castellanus perperam Ordini Cistercienst adscripsit. S. Euphemiam tum in Oriente, tum in Occidente gentes plurimæ celebrârunt, non anno 307, sed 303 vel 304 martyrii laureâ redimitam. Acta ejus Græca reliquis omnibus præferenda, & præcipiti nimis quorumdam censurâ damnata è Græco sermone in Latinum fideliter transtulit. Sancta quædam Euphemia colitur Auriæ in Gallæcia, sed à sancta hac Euphemia Chalcedonensi fortè non diversa. Imperatoriæ dignitatis gloriam S. Richardis servatæ in ipso matrimonio virginitatis splendore, & vitæ sanctitate superavit. Virtutibus, miraculis, scriptisque propheticis seculo XII celebris in primis fuit S. Hildegardis virgo, sororum Ordinis S. Benedicti magistra, cujus gesta ex Actis jam editis, ex Mss., & ex ipsius Sanctæ lucubrationibus copiosè descripsit.

Multa tom. VI Sept. de Fratribus Domini.

39 SS. Jacobum, Judam & Simonem Fratres Domini appellatos ab homonymis Apostolis diversos esse ad 1 Maii & alibi Henschenius tradidit. Quod in dubiis usu venire solet, suos nacta est sequaces, suos item adversarios Henscheniana opinio. Intererat Actorum S. Matthæi, quæ illustrare Stiltingus cœperat, aliorumque Sanctorum, quorum aut edita modò sunt Acta, aut in decursu Operis nostri edentur postmodum, ut certi aliquid, si fieri posset, hac de controversia constitueretur. Itaque operæ pretium se facturum credidit, si quæstionem hanc ab ovo rursum examinaret, edita super ea dissertatione, quæ tomi VI Septembris initio præfixa est. Porrò expensis diligenter partis utriusque rationum momentis, ad eorum accessit opinionem, qui Fratres Domini Jacobum, Judam & Simonem duodecim Apostolorum numero exclusos volunt. Divinarum potissimùm Litterarum & SS. Patrum auctoritate decertat, ac adversariorum argumentis accuratè respondet. Nôrat quidem, Latinis plerisque medio ævo suam non arrisisse sententiam: at cum fabulosâ Apostolorum Historiâ, quæ Abdiæ Babylonii nomine circumfertur, innixi maximè fuerint, haud tanti ponderis apud illum fuit eorum auctoritas, ut à sua discederet opinione, quam & sacris Litteris & SS. Patribus magis consonam judicabat. Nihilo magis ipsum movit S. Isidori Hispalensis Opusculum, tum quòd illud haud satis certò Isidori sit, tum quòd non pauca contineat, quibus historica veritas refragetur.

& S. Matthæo differit;

40 Præter Sanctos varios, quorum res gestas è Græcis potissimùm Fastis eruit, insignem hoc tomo edidit de S. Matthæo Apostolo pariter & Euangelista commentarium. S. Matthæum XXI Septembris Latini colunt, Græci, Mosci, Armeni, Ægyptii, Æthiopes XVI Novembris. Sancti elogium Menæa habent, sed ùt prolixum, ita & multis fabulis commentisque respersum. Acta verò in plurimis codicibus conscripta sunt, sed multis pariter fœta figmentis. Brevia quidem atque jejuna sunt ea, quæ Metaphrastes edidit, minùs tamen fabulosa: quam ob rem ea typis vulgavit, utì & ea, quæ è codice Latino bibliothecæ Vaticanæ describenda curavit, quamvis & illa multa contineant, quæ fidem excedant. Translationis quoque Ms. quamdam Historiam muk-

multiplicis erroris & anachroniſmi damnatam, typis indignam cenſuit. De S. Matthæi rebus geſtis atque virtutibus pauca veteres prodiderunt. Sancti ſobrietatem è Clemente Alexandrino laudat; & collectum ex ſacris Litteris S. Hieronymi operâ elogium profert: obedientiam verò, candorem & humilitatem ex eodem Hieronymo, Baſilio & Chryſoſtomo. Varias quoque ad Sanctum ſpectantes controverſias diſcutit. SS. Matthæum & Jacobum Alphæi Græci exiſtimant fuiſſe fratres; quorum ſententiam à neotericis ait ratione haud ſatis idonea repudiari. Multis denique differit de Sancti Euangelio Hebraico idiomate primùm conſcripto, ac deinde in Græcum verſo, prædicatione, martyrio, gloria poſthuma.

quique commentitia Sanctorum geſta expiodit,

41 Pari diligentia S. Theclam, Pauli diſcipulam, martyrem virginemque in primis celebrem illuſtravit. Prima illius Acta, licèt inſulſa & fabuloſa, quidàm in Aſia presbyter S. Paulo affinxit. Eodem pariter vitio, quæ Erneſtus Grabius edidit, Acta Græca laborant. Fruſtra poſt Baronium Grabius SS. Patrum auctoritatem allegat, ut iis fidem conciliet: habent enim falſa non pauca veris immixta; hæc Patribus placuerunt, non fabulæ, quarum Stiltingus compendium exhibet. Sanctæ Hiſtoriam duobus libris quoque complexus eſt Baſilius Seleucienſis in Iſauria epiſcopus, quorum alter de geſtis S. Theclæ eſt, alter de miraculis. Illum prælo dare Stiltingus noluit ob fabulas in eo contentas: ex hoc verò Sanctæ beneficia & miracula nonnulla recenſuit. Vitam S. Theclæ à Baſilio conſcriptam eſſe, negat Voſſius, quem, judice Stiltingo, Tillemontius rectè refutat. Mitto ea, quæ de Thecla Metaphraſtes & Nicetas David Paphlago ſcripſerunt, quia nec illa ſatis probatæ ſunt fidei. Itaque è ſanctorum Patrum aſſertionibus Sanctæ geſta utcumque contexuit. Magnis eam laudibus Epiphanius, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Hieronymus, Methodius aliique extulerunt; quibus licèt reclamantibus, S. Theclam merum eſſe figmentum, ſcribit Ittigius Lutheri diſcipulus, ſed à Stiltingo meritò vapulat. Martyrii titulum S. Theclæ nullus meritò deneget; an in ipſo certamine mortem obierit, necne, haud ſatis conſtitutum eſt: præplacet Stiltingo eorum ſententia, qui Sanctam poſt ignem feraſque ſuperatas incruenta morte ſublatam tradunt. Quamdiu converſioni ſuæ ſuperfuerit, non conſtat; unde ejus obitum fixit ſeculo 1 aut ſub initium ſecundi. Ceterùm multa quoque habet de Sanctæ cultu, eccleſiis, miraculis, ſparſiſque per Germaniam, Italiam & Gal. liam reliquiis.

AUCTORE J. B.

idem eorum innocentiam,

42 Quemadmodùm commentitia Sanctorum geſta atque elogia ſæpenumero proſcripſit Stiltingus, ita & muneris ſui eſſe, meritò credidit, eorumdem tueri innocentiam, ſi quando falſorum criminum rei agantur; quod in S. Liberio Pontifice Romano maximè præſtitit. Præclara hunc multa tum ante, tum poſt exſilium ſuum geſſiſſe, & fortiter potentiſſimis Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus Arianis reſtitiſſe, nemo inficias ibit: at Arianæ hæreſi, injuſtæque S. Athanaſii damnationi ſubſcripſiſſe paſſim dicitur, exſilii tædio victus: id verò Stiltingus negat, ſat certum eſſe, conaturque evictum dare, Liberium nec Arianæ impietati manus dediſſe, nec Athanaſii damnationem ſuo umquam calculo approbâſſe. Quid igitur? Nonne Liberii lapſum Hilarius, Athanaſius, Hieronymus & ipſiuſmet Liberii litteræ abunde teſtatum faciunt? Magna hîc laudari nomina, ait Stiltingus, ſed nomina tantùm: etenim quæ ex Hilario citantur, ab inepto calumniatore potiùs, quàm ab erudito epiſcopo profecta videntur. Spuria ſimiliter ſunt, quæ ex Athanaſio & Hieronymo ad probandum Liberii lapſum proferuntur. Quod ad Liberii litteras attinet, ſunt eæ numero quatuor, quibus lapſum ſuum Liberius, ſi verè illius ſint, profitetur: at inſtituto ſingularum diligenti examine, Stiltingus non obſcura in illis ſibi viſus eſt deprehendiſſe falſitatis indicia. Eas porrò opinionis ſuæ rationes commentario ſuo complexus eſt, quæ eruditi lectoris attentionem ſolertiamque mereantur.

prodigiaque malè oppugnata defendit.

43 Hiſce accedit de S. Januario Beneventano epiſcopo, ejuſque ſociis Martyribus prolixa lucubratio; cui adornandæ adjumento non modico fuit cùm pia & munifica excellentiſſimæ civitatis Neapolitanæ liberalitas, tum eruditiſſimorum virorum diligentia, qui documenta colligendi negotium ſuſceperunt. Quanto ea ſteterit Stiltingo labore, abunde prodit, rerum controverſiarumque multitudo atque varietas; in quibus tractandis ita verſatus eſt, ut nihil prætermiſerit diligentiæ, nihil præ oculis habuerit, præter inventionem defenſionemque veritatis. Non defuit tamen ex eruditorum Neapolitanorum numero vir egregius, cui non pauca eorum, quæ Stiltingus aſſeruit, diſplicuerunt: videri ea poſſunt in Actorum Bononienſium S. Januarii & Sociorum Martyrum vindiciis repetitis, quas Neapoli Cl. Alexius Symmachus Mazochius edidit anno 1759. Vidit, expenditque illas Stiltingus: nihil tamen ſibi immutandum cenſuit, ſi pauca excipias, quæ

AUCTORE J. B. in Supplemento tomi VIII Septembris pag. 783 correxit. Nec dubito, quin eadem pariter ſinceritate correctionem pluribus adhibuiſſet, ſi quidem plura à ſe orta eſſe peccata, compertum cognitumque habuiſſet. Ceterùm vindicias vindiciis non oppono: judicio ſuo æquus lector utatur, cujus arbitrio rem omnem Stiltingus ipſe permiſit. Prodigioſam ſanguinis S. Januarii ebullitionem non ſolùm accuratè deſcripſit, verùm etiam adverſus heterodoxorum, quos luculentum adeò pro fide Catholica teſtimonium malè habet, cavillos piè validéque defendit.

§ IV. *Quid duobus poſtremis Septembris & I Octobris.*

SS. Cleophæ & Firmini, NIhilo ſegniùs conficiendo tomo VII Septembris incubuit: ejus in primis eſt de S. Cleopha Chriſti diſcipulo commentarius: S. Cleopham Faſti Latini juxta ac Græci laudârunt, colitque ùt martyrem Ordo Teutonicus. Geſta Sancti ferè incerta ſunt, præter ea, quæ in Euangelio cap. 24 Lucas expreſſit. Apparuiſſe Chriſtum Cleophæ eunti in Emmaus Lucas & Marcus indubitatum faciunt: at quoniam apparitioni huic alteram quoque continuò adjiciunt, Apoſtolis Hieroſolymis factam, ad quos Cleophas cum ſocio ſeſe receperat; quæritur, num & huic adfuerit Cleophas? Non id quidem Stiltingo videtur. De cognatione Cleophæ cum S. Joſepho, Beata Virgine, & Chriſto Domino major eſt inter eruditos diſceptatio; qua de re multa Stiltingus. Proximas S. Firmini epiſcopi martyris illuſtrandis geſtis curas impendit. Varia illius Acta recenſet, inter ſe comparat, in eorumque ætatem inquirit. Eſt quidem in illis, quod in vitio ſit; ſic tamen, ut omni probabilitate deſtituta non autumet: quæ autem minùs probabilia credidit, in Annotatis aſſignavit. De tempore, quo Sanctus natus, quo martyrio coronatus, controverſia eſt: natum quidem circa medium ſeculi III, paſſum verò ſcribit ſub Diocletiano circa annum 290. S. Firminum Præſulum ſuorum catalogo Pompelonenſes & Ambianenſes inſeruêre: Ambiani quidem Sanctus ſedem fixit, vitamque beata morte finivit: at nulli ſingulari eccleſiæ conſecratus fuit. Ita jam pridem Bollandus cenſuit, cujus argumenta Moretus, teſte Stiltingo, aut diſſimulavit, aut irrito labore diſſolvere ſtuduit. De Sancti per Galliam, Navarram, Hiſpaniam cultu & gloria poſthuma multa quoque diſſeruit.

Euſebii Pontificis, 45 Euſebii Pontificis Romani ſanctitatem Martyrologia non pauca teſtantur: haud æquè exploratus eſt dies obitûs, quem modò XXI Junii, modò XVII Auguſti, modò XXVI Septembris, modò 2 Octobris fuiſſe, varii Pontificum catalogi prodidêre: ſed Martyrologia maximè antiqua in diem XXVI Septembris conſpirare, Stiltingus obſervat, iiſque ſtandum arbitratur. S. Euſebio Pagius Melchiadem modò anno 310, modò 311 ſucceſſiſſe, ſcribit, at anno 310 & Pontificatum ſuſcepiſſe Euſebium & unà cum vita reliquiſſe, magis Stiltingo probatur. Ceterùm pauciſſima hujus Pontificis geſta innotuerunt: quæ verò apud Anaſtaſium de illo leguntur, partim incerta, partim falſa pronuntiat: inventam eſſe illius tempore Domini noſtri Jeſu Chriſti crucem, auctori noſtro fabula eſt, à Papebrochio non immeritò refutata jam pridem. Sanctam quoque Sabinam ab Euſebio Pontifice baptiſmum ſuſcepiſſe, quod in Actis ejus apud nos tom. 2 Januarii pag. 944 & 945 legitur, apertiùs fabuloſum ait, quàm ut multa refutatione indigeat. Idem quoque de tribus epiſtolis, S. Euſebii nomine vulgatis, & apud Labbeum tom. 1 Conciliorum col. 1381 & ſeqq. impreſſis, judicium tulit, nimirum quas S. Euſebio affictas eſſe, probârunt alii, & eruditi paſſim agnoſcunt; quidquid ſit de decretis nonnullis, quæ ejus pariter nomine circumferuntur. Documentum certius de geſtis S. Euſebii eſt epitaphium, quod Sancto Damaſus Papa ſcripſit, ediditque Baronius tom. 3 in Addendis ad annum 357, ſed quod S. Euſebio presbytero minùs probabiliter attribuit. Colitur præcipuè Euſebius in Vaticana, Lateranenſique baſilicis.

Joannis Marci. 46 De S. Joanne Marco tum Acta Apoſtolorum, tum variæ S. Pauli Epiſtolæ mentionem faciunt. Natum hunc Hieroſolymis atque educatum eſſe, veriſimile Stiltingus putat, ita ut & videre Chriſtum, ab eoque diſcipulorum ſuorum numero aggregari potuerit; ambiguumque ſit, Chriſtine, an Apoſtolorum diſcipulus fuerit. Abiiſſe illum unà cum Paulo & Barnaba Antiochiam, indeque in Cyprum; ſed ab eis deinde receſſiſſe, & Hieroſolymam eſſe reverſum, Apoſtolorum Acta teſtatum faciunt. De cauſa diſceſſûs nihil certi habetur: cauſas tamen aſſignant varii varias, at meris conjecturis nihilo meliores. Certum interim eſt, eum poſtmodùm cum Barnaba Cyprum repetiiſſe, ac Paulo etiam fidem Romæ prædicanti adjutorem exſtitiſſe. Coloſſenſibus quoque aliiſque Aſiæ Minoris populis fidem Chriſti annuntiâſſe dignitate epiſcopali auctum, Stiltingo valdè credibile eſt, quamquam, quis Apoſtolorum hanc ipſi contulerit, obſcurum ſit atque occultum. Idemne ſit S. Joannes Marcus Barnabæ conſobrinus & S. Marcus Euangeliſta, an

an alius, disputant eruditi, aliis alia opinantibus. Stiltingus, re maturè expensa, sic statuit, ut utraque quidem sententia probabilis sit, at neutra certa, liberumque cuilibet relinquat, sentire, quod voluerit. Ad hæc S. Joannem Marcum cum Joanne Seniore sive Presbytero confudêre nonnulli: verùm hoc nomine non alius Stiltingo videtur, quàm Joannes Apostolus, designari.

Cosmæ & Damiani.

47 SS. Cosmam & Damianum martyres insigni semper honore prosecuta est cùm Occidentis, tum Orientis Ecclesia. Certaminis sui socios habuêre SS. Anthimum, Leontium, & Euprepium, sed hos nominis sui celebritate longè superârunt. Nihilominus plura de illis investiganda habuit, quàm pro certis enarranda Stiltingus. Antiqua in primis Latinorum Græcorumque monumenta scrutatus est, indeque Sanctorum elogia, varioque; quibus annuntiantur, dies excerpsit. Tum Actorum ordinem fidemque discussit: horum quidem aliqua pro fabulis habuit; verùm Tillemontio Acta prorsus omnia, etiam, quæ non vidit, improbanti, assentiri haud potuit. Quod autem ad Sanctos ipsos attinet, de his Menologium Basilianum ad XVII Octobris ita habet. *Tria sunt Sanctorum Anargyrorum* (id est, argento abstinentium) *paria, qui & iisdem Cosmæ & Damiani nominibus appellati fuerunt, & medicinæ artem tractaverunt & Anargyrorum cognomen habuerunt;* nimirum par unum Confessorum in Asia, alterum Martyrum in Cilicia, tertium similiter Martyrum, qui Romæ lapidibus obruti martyrii palmam adepti sunt. Huic Græcorum opinioni recentiores eruditi aliquot accesserunt. Verùm Stiltingus, assignata qualicumque erroris occasione, nullos præter Arabes Ægis in Cilicia passos, agnoscendos putat. Denique post definitam, quatenus licuit, martyrii epocham, excitata Sanctis templa, sparsas eorum variis locis reliquias, edita prodigia, cultumque per varias orbis plagas propagatum, cumulatè descripsit.

Eustochii virginis.

48 Seculo V sanctarum Virginum classem auxit S. Eustochium virgo Romana, S. Paulæ filia, S. Hieronymi discipula, generis splendore, opum affluentiâ, virtutumque præstantiâ maximè nobilis. Quamquam S. Hieronymum laudum virtutumque suarum neque indisertum, neque infrequentem sit nacta præconem, antiquioribus tamen Martyrologiis insertam non legi, Stiltingus observat: meminêre illius recentiora, sed variis diebus; quæ ceteris præstant, diem XXVIII Septembris illius festivitati assignant. Antiquo tamen in Palæstina, ubi finem vivendi fecit, cultu non caruit. Sanctæ Virginis natales & gesta ex Hieronymi operibus maximè collegit, quorum hæc præcipua capita. S. Eustochium nata circa annum 368, paterno genere Juliorum, materno verò Scipionum Graccorumque progenies. Primùm quidem S. Marcellâ, dein verò S. Hieronymo usa est vitæ magistris. Virginitatem à teneris unguiculis coluit, ornavitque perpetuò. Circa annum 385 unà cum S. Paula Urbem deseruit, matremque in Palæstinam comitata est, vitæ reliquum in Bethleëm traductura annos vix nata XVII. Quam deinde in deliciis habuit unicè, perennis fuit sanctæ matris imitatio, exercitatioque virtutum. Litterarum Hebraicarum perita, multâque pollens sacrarum Scripturarum cognitione auctor S. Hieronymo fuit, ut varios in Scripturam commentarios exararet. Post carissimæ matris obitum, exstructi ab illa virginum monasterii curam suscepit, gessitque præclarè lustris facilè tribus, ac demum circa annum 419 meritorum plena mortalem cum immortali vita commutavit.

& Fausti Regiensis Acta potissimùm digerit;

49 De S. Fausto Regiensi in Gallia episcopo ad diem XVI Januarii jam paucis Bollandus egerat, cùm coli illum in ecclesia sua die XXVIII Septembris, intellexit, atque in hunc diem S. Faustum translatum voluit; cujus desiderio non modò Stiltingus paruit, sed Sancti etiam gesta multò uberiore stilo, quàm Bollandus, exposuit. Id autem sategit in primis, ut ab hæreseos labe Fausti doctrinam vindicaret, sanctitatemque defenderet adversus nonnullorum insultus. Multi sanè Faustum semipelagianismi reum, vel suspectum saltem habuerunt. Ex Opere Fausti de Gratia & libero arbitrio congessit multa Suarezius noster de divina Gratia part. I prolegom. 5, cap. 5, quæ semipelagianismum sapere videantur: verùm illa Stiltingus, aut non rectè à Suarezio intellecta, aut sensu probè Catholico exponi posse, contendit, variasque ipsius Fausti assertiones adducit, quæ semipelagianorum erroribus videantur planè contrariæ. Damnatos fuisse Fausti libros in Concilio Arausicano 2 in Historia Pelagiana Norisius censuit, licèt illius cultum & sanctitatem agnoscat. At nihil in Concilii Arausicani canonibus, quod quidem Faustum feriat, Stiltingus invenit. Immitior in Faustum Tillemontius, qui non semipelagianismi dumtaxat illum arguit, sed doli etiam atque superbiæ, atque adeò indignum judicat, qui sanctitatis titulo decoretur: sed nec hunc Stiltingus missum fecit absque responso.

denique exaratis de S. Michaële ceterisque Angelis

50 Tomus Septembris VIII postremus est eorum, qui, vivo Stiltingo, in lucem prodierunt, in quo elucubrando industriam suam, operamque indefessam

non

AUCTORE J. B.

non magis desiderari passus est, quàm in ceteris. Diem XXIX Septembris S. Michaëlis, ceterorumque Angelorum honori Ecclesia præcipuè consecratum voluit. Horum gesta è sacris cùm Veteris, tum Novi Testamenti voluminibus, è sanctis Patribus, è Vitis Sanctorum, rerumque ecclesiasticarum scriptoribus operosè collegit, scitéque digessit. Multiplex est SS. Angelorum cultus, perque Orientis & Occidentis oras longè latéque diffusus. Celebres in primis sunt SS. Michaël, Gabriël, Raphaël, Angelique sive privatorum hominum, sive urbium regnorumque Custodes, de quibus proinde disseruit multa seorsim. Varias Angelorum apparitiones, præsertim S. Michaëlis sive in Chonis, sive in monte Gargano, sive in monte Tumba, qui modò Mons S. Michaëlis dicitur, earumque Acta profert, quæ quamquam non ita sint ad veritatem exacta, ut nulla emendatione indigeant, fidei tamen non sunt adeò profligatæ, ut præcipua rerum capita meritò revocari in dubium propterea possint. Ecclesias quoque SS. Angelis variis locis erectas, fidelium peregrinationes in eorum honorem institui solitas, aliaque non pauca recenset & scitu digna, & fovendæ augendæque mortalium erga beatas illas mentes pietati ac veneration accommodata quàm maximè; quò potissimùm spectat multitudo illa beneficiorum penè innumera, quibus sæpenumero clientes suos complexæ sunt, quæque suis digesta seculis Stiltingi commentarius exhibet.

& de S. Hieronymo insignibus commentariis

51 Ut odium veritas, ita sæpe virtus invidiam parit; sensit id S. Hieronymus Ecclesiæ doctor, vir omni laudum genere summus. Habuit enim, cùm viveret, habetque hodiedum adversarios, qui integerrimi Doctoris dictis factisque labem aliquam inferre studuerunt, hodieque student. Quid verò causæ eorum plerosque cò impulerit, aliorum considerationi relictum Stiltingus voluit: haud ita tamen sive ab hæreticis, sive à Catholicis adversus S. Hieronymi mores doctrinamve prolata neglexit; quin suis ea locis commemorârit, examinâritque singula. Post evoluta autem S. Hieronymi Opera, nec non neotericorum de eodem scripta, non invenit *ullam post baptismum in sancto Doctore maculam, nullum ejus dictum aut factum, quod nequeat defendi ùt laudabile, aut certè excusari ùt bona intentione commendandum.* Ubi verò factum aliquod subinde occurrit, unde arripi utcumque posset Sancto obtrectandi occasio, justas illius rationes assignare conatus est. Cùm autem nulla exstet Sancti Vita aut satis antiqua aut accurata, ejus gesta atque virtutes, cùm ex ipsismet Hieronymi Operibus potissimùm collegit atque digessit, tum ex Augustino, Paulino, Theophilo Alexandrino, Innocentio Papa, Sulpicio Severo in Dialogis, Prospero in Chronico, aliisque pluribus vel sancto Doctori coævis, vel certè ab illius ætate haud magno temporum intervallo disjunctis. Plura in hujus commentarii laudem non addo, quòd & prolixior sit, & ipse sese æquo prudentique lectori meritissimò commendet.

aliisque nonnullis tom. I Octobris.

52 Præ manibus PP. Hagiographis erat tomus I Octobris, cùm summo eorum luctu Stiltingus è vivis excessit. Atque utinam non hunc modò perductum ad finem, sed & plures alios Viro de Sanctis & Museo nostro optimè merito, vitâque longiore dignissimo videre licuisset! Lucubrationes jam aliquot de Sanctis ad diem I Octobris hoc tomo relatis paratas prælo habebat; quas inter non postremus est, qui de S. Piato presbytero martyre & Tornacensium Apostolo inscribitur commentarius. Frequens quidem illius in Martyrologiis mentio fit, at non eodem ubique loco annuntiatur. Corpus S. Piati à S. Eligio Noviomensi Tornacensique episcopo inventum esse Seclinii, liquet, magnificéque reconditum: at de inventionis tempore non ita inter omnes convenit. Figi nequit ante mortem Dagoberti regis, teste Stiltingo, nec ante regnum Clodovei II, cujus anno tertio episcopali dignitate primùm fulsit Eligius. Acta S. Piati haud admodùm vetusta sunt; edidit tamen vetustiora; quæ quamquam Actis SS. Luciani & Jonii in multis consonent, de S. Piato tamen primitus conscripta videntur. Sancti episcopatus, quem anonymus aliquis asseruit, idoneis non evincitur argumentis. Sancti palæstra verisimiliter Seclinium fuit, aut ejus vicinia; annus verò, quo sub Diocletiano martyrium subiit, non 299, aut 303 aut 304, sed 287. Passum autem esse Kalendis Octobris, Acta habent, Martyrologique consentiunt. Gestâsse Sanctum per aliquot milliaria amputatum sibi caput, fabula est non ita pridem inventa. Certus celebris Sancti cultus; corpus autem Carnoti integrum incorruptumque servari, quod Rouillardus ait, Stiltingus haud credit ob servatas alibi etiam non paucas Sancti reliquias.

S. Francisci Actis illustrandis immoritur.

53 Neque huic tomo, qui Operis nostri supra quadragesimum septimus est, Stiltingi ulterior labor industriaque defuisset, nisi plura majoraque meditantis conatus mors intempestiva abrupisset. Ut enim erat rerum providus, promovendisque Sanctorum Actis unicè semper intentus, opus magis arduum momentique permagni Hagiographis imminere, intelligebat: illustranda nimirum erant tomo proximo ad diem IV Octobris S. Franci-

sci

ſci Ordinis Seraphici fundatoris Acta, rerum tractandarum multitudine gravitateque fœcunda, & crebra eruditorum diſceptatione famoſa. Itaque, relictâ hujus tomi abſolvendi ſociis curâ, eò cœpit vires omnes nervoſque intendere, ut rem arduam pro dignitate tractaret, illuſtraretque commentario, quam maximè poſſet, numeris omnibus abſoluto. Jamque, evolutâ labore improbo immensâ penè auctorum monumentorumque mole, delineatam animo non modò habebat prolixi commentarii materiem ordinemque, ſed partem etiam litteris conſignatam, cùm divinæ Providentiæ placuit eum ad laborioſæ piæque vitæ æterna præmia, utì confidimus, evocare, magnâ quidem Actorum noſtrorum jacturâ atque diſpendio.

CAPUT III.

Labores Stiltingi reliqui, virtutes, pius obitus.

Laboribus Stiltingi litterariis rei domeſticæ,

ET hi quidem labores ejus fuêre litterarii, quibus nullus dubito, quin apud bonos omnes, & amantes Sanctorum gloriæ perennem laudem ſit conſecutus. At non eo ſolùm nomine vivet apud nos, vigebitque perpetuò optimi Viri memoria. Quid enim de ceteris, quibus rem noſtram non parùm promovit, laboribus dicam? Quid de rei noſtræ domeſticæ cura & adminiſtratione, quam annis pluribus geſſit? Quid de itineribus, quæ ſuſcepit & longa & difficilia? Quid de famæ noſtræ, ſi quando perperam temeréve læſa videbatur, conſervandæ tuendæque ſollicitudine? Tantum operæ in re domeſtica poſuit, ut tantum litterariæ dare potuiſſe, mireris. Sic adminiſtrabat utramque, ut neutram ulla ex parte negligeret. Si qui faciendi erant in rem litterariam ſumptus, liberalis erat & largus; ſi quid in ſuum aut ſociorum uſum privatum, commodumve nimiùm penè parcus; ſi quid fortè reliquum erat, quod poſſet pauperibus erogari, penè effuſus; ſic tamen cautus, ut lateret, niſi quorum id ſcire intererat. Quidquid hoc pacto ſublevandis egenorum neceſſitatibus & ærumnis eſſet impenſum, non detrimento, ſed lucro apponendum eſſe, rerumque omnium moderatori Deo fidendum, dictitabat. Sic denique in omni rei familiaris adminiſtratione uſuque ſe geſſit, ut eſſet religioſæ paupertatis memor, cultorque perpetuus. Quod ſi Sanctorum Opus ſuperioribus annis ſumma celeritate provectum eſt, id Stiltingi curis magna ex parte referri debet acceptum.

AUCTORE J. B.

55 Supellectilis autem litterariæ augendæ causâ Galliam, Italiam, Germaniam, Hungariam peragravit: bibliothecas, quas licuit, perſcrutatus eſt: monumenta diſcuſſit, deſcripſit, collegitque permulta, quæ illuſtrandis Sanctorum Actis videbantur fore utilia. Longum foret viros principes, eruditoſque enumerare, à quibus eo itinere honorificè exceptus eſt, habituſque liberaliter. Viennæ Auſtriæ cùm eſſet, Auguſtiſſimam Romanorum imperatricem Mariam Tereſiam (quam utinam Deus Romani imperii, orbiſque Auſtriaci univerſi bono diu multúmque ſervet incolumem) non modò affari licuit, verùm etiam ùt Mæcenatem munificentiſſimam venerari: unde immortalibus beneficiis, quibus præpotenti pientiſſimæque Auſtriacæ Domui nos æternùm obſtrictos profitemur, cumulus novus acceſſit. Pari benevolentiæ ſignificatione ad ſummi Pontificis Benedicti XIV colloquium non ſemel admiſſus, imò & vocatus eſt Romæ; qui, quo erat, in eruditos viros amore, hunc etiam in nos (licèt immeritos) Opuſque noſtrum non obſcurè teſtatum voluit. Jam pridem quidem paternum Pontificis in nos animum ex ipſius litteris exploratum habebamus: at quem verbis antè oſtenderat abſens, coràm reipſa luculentè probavit. Etenim non modò bibliothecam Vaticanam adeundi copiam fecit, ſed multa etiam ſuo juſſit ære deſcribi, quæ uſui nobis fore, eruditiſſimus Pontifex non ignorabat; quo nomine perennes illi, ùt par eſt, grates habemus. Per annum ferè ea peregrinatio tenuit; quo jam propè finito, in Belgium rediit anno MDCCLIII menſe Julio, unde diſceſſerat anno MDCCLII menſe Septembri. Reducem unà cum P. Conſtantino Suyskeno itineris ſocio ſanum & incolumem, qui domi remanſerant collegæ, ſummâ lætitiâ & gratulatione exceperunt.

Supellectilis litterariæ

& Muſei famæ inſignis cura acceſſit:

56 Quàm denique de conſervanda tuendaque Muſei fama ſollicitus fuerit, id ſpecimen habe: ſparſus fuerat hinc inde in vulgus rumor, Benedictum XIV ſummum Pontificem tanti ampliùs haud facere Sanctorum Acta, quanti illa fecerat antè; deferbuiſſe illius in Hagiographos Antverpienſes amorem; nec illorum labores perinde, ac olim, gratos habere. Æquum non videbatur (nec erat) Stiltingo ejuſque collegis, ut Muſei qualicumque famæ tot tantiſque deceſſorum ſuorum ſudoribus partæ hujuſmodi rumores detrimentum afferrent. Nec verò pro nihilo putanda erant graviſſimi, in iiſque rebus verſatiſſimi Pontificis auctoritas

AUCTORE J. B.

ritas atque judicium ; quippe qui in evolvendis perſcrutandiſque Sanctorum Actis & Hiſtoriis partem bene magnam trivit ætatis , noſtroque in Opere perlegendo multus fuit. Prodierat interim tomus Septembris tertius , cujus exemplar ſuo collegarumque communi nomine Pontifici offerendum , unáque indicandum Stiltingus curavit , quæ de mutata ejus opinione ſpargerentur in Belgio. Quæ ùt Pontifex intellexit , rei inſolentiam vehementer admiratus , fabulæ (utì illam Pontifex ipſe appellat) fontem detexit , datiſque ad Hagiographos humaniſſimis litteris , nebulam omnem , quam Actis noſtris , quos nominare non neceſſe eſt , tentârant offundere , penitus diſſipavit. Legi illæ poſſunt tomo IV Septembris, cui præfixæ ſunt. At nec his contentus egregius Pontifex ea denuò ad Operis noſtri commendationem litteris ſuis Apoſtolicis , quibus auguſtæ virginis Pulcheriæ memoriam annuo feſto recolendi tum Canonicis Regularibus Luſitanis , tum Societatis noſtræ ſacerdotibus ubique terrarum degentibus copiam fecit , ea , inquam , illis inſerta voluit , ut legi illa tom.IV Septembris pag. 778 à curioſo malim , quàm à me minùs fortaſſe verecundè recitari. Quo illud effectum eſt , ut Sanctorum Actis , unde eorum famæ diminutio meritò timeri poterat , ſplendor major affulſerit. Hæc autem dum memoro, nolim , quis ita interpretetur , quaſi aut oſtentationis causâ , aut cuipiam inſultandi libidine dicta ſint : id enim unicè ago , ut meritam illam illi laudem tribuam , cujus , ut ita faciam , merita ſuo jure requirunt.

Quibus virtutibus

57 Planè igitur magni fuêre Stiltingi labores , quos in rem noſtram ſive litterariam , ſive domeſticam contulit : nec tamen horum magnitudini virtutum ejus magnitudo conceſſit ; de quibus & in ſuperioribus jam dictum ſubinde aliquid eſt , & porrò dicetur. Ordior autem ab impenſo orationis ſtudio , unde virtus omnis , quam in religioſi inſtituti viro deſideres , velut capite & fonte promanat. Ut igitur ſeſe ſummo mane propiebat è lecto , mox ad preces , divinorumque myſteriorum meditationem corpore animoque convolabat, in iiſque præſcriptum legibus noſtris tempus accuratiſſimè adimplebat. Hîc rectè ſecúſve factorum rationem à ſe exigebat ipſe ſeverè : hîc vitandorum defectuum , hîc exercendarum contrà virtutum leges ſibi ferebat ; hîc piis in Deum animi motibus indulgebat ; hîc omnem in Chriſti vitam mentis aciem intendebat , ut ad illius exemplar mores ſuos actioneſque componeret. Hinc nihil in geſtu diſſolutum , nihil leve aut inconſideratum in verbis , nihil in omni actione admittebat , quod aut ad modeſtiæ leges non eſſet exactum , aut à religioſa gravitate alienum. Hinc conſecuta pariter eſt conſtans quædam ſtabiliſque tranquillitas animi , rebus ſuis ſemper intenti & ſecum verſantis aſſiduè. Quo in munere conſtanter adeò atque religiosè verſatus eſt , ut præſcriptum orationi tempus rebús aliis non modò non impenderit , ſed ne contraxerit quidem , quantacumque ejus humeris negotiorum multitudo moleſque incumberet.

Stiltingus

58 Confecto hoc quotidianæ orationis penſo , ſacris operaturus templum adibat : quod ut ritè faceret , omnem animi vim cogitationemque , quoad poterat , unà cogebat ; eâ porrò decentiâ & gravitate , eo pietatis ardore rem divinam faciebat , ut facilè appareret , quibus agitaretur intus in animo motibus , ſimileſque in adſtantium animis ſuſcitaret. Peracto Sacro, eò mox ibat , ubi ſuſpiriorum ſuorum teſtem , præter Deum , haberet neminem. Quamquam autem illi liberum eſſet , quâ vellet , horâ ad aras progredi , certum tamen , quo id ageret , ipſe ſibi præſcripſerat tempus , obſervabatque ſumma accuratione quotidie. Nec minùs illi ſolemne erat , ſtatis pariter diei articulis eccleſiaſticarum precum penſa perſolvere , nec umquam , niſi fortè perrarò , & urgenti de cauſa à ſuſcepto ſemel more inſtitutoque diſceſſit : tanta in Viro erat muneris obeundi diligentia , tanta vitæ actionumque conſtantia. Quoties precibus ſive publicis ſive privatis erat in commune vacandum , aderat inter primos. Paulò antequam è vita diſcederet , aberat fortè domo , cùm eſſent publicæ in templo noſtro preces indictæ ; licèt autem juſta illi eſſet abſentiæ cauſa , nihilo ſeciùs illis intereſſe , decrevit. Itaque , ut primùm domum redeundi copiam nactus eſt , hùc ille feſtinus advolat , & ſudore madens illico ad templum properat communibus precibus adjuncturus & ſuas : at Viro pietas magno ſtetit. Etenim calori ſuccedens ſubitò frigus ita ejus turbavit valetudinem , ut numquam deinceps ſe rectè habuerit , fueritque nonnullis injecta ſuſpicio , hoc mali fuiſſe principium , cui haud diu pòſt , ſanus tamen hactenus vegetuſque , ſuccubuit. Geſta ſunt hæc in omnium oculis : quantum verò orationi ab hominum conſpectu remotus otii ſtudiique tribuerit , novit ille , qui unus omnia novit.

maximè

59 Enimverò qui ſic diem auſpicabatur , reliquam diei partem neceſſum erat pari cum laude tranſigere , virtutumque ſpecimina edere penè perpetua , cujus hæc erant conſequentium actionum fundamenta , hæc omnis vitæ morumque exempla. Et ſanè quotaquæque virtutum eſt, ut paucis

cis multa complectar, quam è re nata exercêre, neglexerit? Sermo illi moderatus & parcus, qui ferè vel doctrinam vel pietatem saperet. De se demisse, de ceteris præclarè & loquebatur & sentiebat, ut in illo cum doctrina & eruditione singulari animi alta demissio, cum summa laude & æstimatione summa modestia de palma contenderent. Pacis erat ad scrupulum amans, id unicè satagens, ne quemquam verbo factove offenderet: nullus, qui læderet; si læderetur, ad veniam facilis; collati beneficii immemor, memor accepti; negligens sui, studiosus aliorum; fuci nescius, sincerus amicitiæ cultor; fide viva, spe firma, charitate incensus, legum præceptorumque nostrorum observantissimus. Mitto pietatem in Deum sub Eucharisticis speciebus latentem, quem adorationis causâ visebat sæpissimè; pietatem in Virginem Matrem, quam in deliciis habebat unicè; pietatem in cælites ceteros, quorum promovendo pro viribus cultui, curas, vigilias, labores, industriam, cogitationemque omnem, se denique totum impendit. Difficile enim esset, omnia persequi.

effulserit,

60 Est tamen, quod quo modo Societatis nostræ hominibus maximè proprium esse oportet, nec in Stiltingo desideratum est; ita silentio id præterire, nefas habeo. Fuerunt nempe nec infimæ notæ viri, quibus cùm propter eruditionem multiplicem, tum propter virtutis excellentiam non modò in honore erat, sed quibus etiam in rebus ad animæ salutem pertinentibus ejus uti consiliis esset in votis, eumque suæ arbitrum conscientiæ vehementer optarent. Neque verò id semper abnuit vir Deo plenus, proximique salutis amantissimus. Quamquam enim ægerrimè à studiis sese pateretur avelli, vidêre tamen eum subinde collegæ, nec sine admiratione vidêre, mirabili patientia, & charitate per dies etiam plurimos huic negotio incumbentem. Neque solius Antverpiensis civitatis ambitu Viri zelus potuit contineri: fuit enim cùm in pagum quemdam aliquot ab ea urbe milliaribus dissitum statis temporibus soleret excurrere: virginum illic monasterium erat, quibus quà sacris exhortationibus, quà salutaribus monitis, quà consiliorum prudentiâ plurimùm profuit: confitentibus aures dabat, torpentes excitabat, currentibus ad virtutem calcar addebat, singulis Deo placendi serviendique modum tradebat, earumque conditioni accommodatarum suggerebat documenta virtutum. Nec desunt hujus generis alia: sed è multis pauca ista sufficiunt, ut facilè quivis intelligat, quàm strenuam fuisset huic quoque officii nostri non infimæ parti operam navaturus, nisi aliò superiorum voluntate & nutu mentem convertissent & studia.

AUCTORE J. B.

piusque ejus obitus


61 Lustra jam quinque abierant, ex quo Stiltingus per Operis nostri æquor passis velis & impetu continenti decurrebat, cùm celerem juxta ac secundum studiorum ejus cursum vis morbi repentina retardavit, imò repressit omnino. Corpore hactenus fuerat macilento quidem, firmo tamen & robusto, laborumque supra eorum, qui Virum non penitus noverant, opinionem patienti. Perturbari ejus valetudo cœperat eo, quem paulò antè diximus, casu. Huic qualicumque malo, licèt principio tum ipsimet, tum aliis quoque minùs periculosum videretur, maturè tamen itum est obviam: verùm, reluctante incassum arte medica, incrementum sensim id cepit & vires; cui gravissimi alvi dolores subinde accessêre, eóque tandem prorupêre vehementiæ, ut contortis implicatisque visceribus (ùt quidem visum est medicis) obstructisque naturæ superfluorum meatibus, his, quæ intrò sumpserat, viam omnem, exitumque præcluserint. Difficili morbo pro medicorum judicio varii generis admota fuerunt medicinæ subsidia: at pervicax malum, elusâ medicorum industriâ, irritos reddidit quoscumque conatus, Virumque optimum per acerbissimos dolores ad extrema deduxit.

declaratur.

62 Luctus interim mœrorque omnium animos occupavit: hi sodalis multò sibi charissimi, illi conjunctissimi secum amici, Patres Hagiographi dilectissimi studiorum præsidis, singuli Viri boni & eruditi vices ferebant ægerrimè. Unus ipse ex omnibus vultu sibi, animoque constabat immotus, seque ad ineundum æternitatis iter eâdem, quâ semper vixerat, animi tranquillitate parabat. Universas vitæ noxas iterum iterumque confessus, extremis morientium præsidiis voluit tempestivè muniri; quibus in corona nostrorum ritè nec sine singularis pietatis affectu susceptis, mirâ in Deum fiduciâ vitæ necisque arbitro se suaque commisit. Cum morte luctanti nihil erat in mente, nihil in ore, nisi divinum. Hinc, si qui ipsum accederent, ut pia & salutaria sibi cogitata suggererent, efflagitabat identidem: *Me enim*, inquiebat, *ad hæc vires deficiunt; vos, quæso, opem auxiliumque afferte*; & eo quidem pietatis motu, ut pro verbis gemitus lacrymasque adstantibus vel invitis extunderet, redderetque penè elingues. Tandem malo victus, & rectè factorum conscientiâ fretus sic diem morte confecit extremum, quasi è misero quodam calamitosoque exsilio ad desideratam jam dudum beatamque patriam pro-

AUCTORE J. B.

profecturus abſcederet. Itaque non minùs moriens, quàm ſanus vegetuſque, quibus convixit, exemplo fuit; qui licèt ex oculis noſtris ereptus ſit, cælitumque jam, ùt meritò ſperare nos jubet ſpectata Viri virtus, ſociatus ordinibus, nulla equidem meritorum ejus atque virtutum ex animo noſtro memoriam obliterabit oblivio, dies nulla delebit.



P. IOANNES PERIERUS S. I.

OBIIT XXIII JUNII ANNO MDCCLXII ÆTATIS LI.

Cessit Stiltingus fatis, mox tu quoque cedis:
Quàm tua mors Actis est, Periere, gravis!

L: fruytiers f:

ELOGIUM

REVERENDI PATRIS

JOANNIS PERIERI

HAGIOGRAPHI SOCIETATIS JESU, TOY MAKAPITOY,

Auctore Cornelio Byeo ejuſdem Societatis presbytero.

CAPUT I.

Perieri natales, ſtudia in ſeculo, ingreſſus in Societatem & quæ in ea geſſerit, antequam Hagiographis adſcriberetur.

Perierus anno 1762 è vivis ereptus.

DE rerum humanarum viciſſitudine, quam annus poſt Chriſtum natum MDCCLXII, P. Joanne Stiltingo & P. Joanne Periero, viris de Muſeo noſtro, deque univerſa eruditorum republica optimè meritis, brevi paucorum menſium intercapedine proſperrimum inter Bollandiani Operis curſum improviſò è vita ſublatis, luculentiſſimè nos docuit, nonnulla hîc præludii ſeu inductionis loco poſſem non ineptè præfari. Verùm ne, quod alii, cùm de viris inopina morte è vita ereptis ſcriberent, ſæpiùs fecêre, iterum hîc faciam, incongruum id exiſtimo planéque ſupervacaneum. Nec itidem rem magis neceſſariam præſtem aut utilem, ſi ſcriptionis, quâ P. Joannis Perieri Vitam omnem, ſeu potiùs ſumma Vitæ capita complexurus ſum, rationem in anteceſſum reddidero; hæc enim non alia eſt, quàm quæ pervulgata paſſimque eſt obvia in omnibus propè Elogiis, quibus Majores noſtri collegis ſuis ſeu deceſſoribus, vitâ functis, pro laudabili ſuo inſtituto parentârunt. Itaque, his aliiſque non neceſſariis omiſſis, rem ipſam aggredior; tria tamen hîc, lector hagiophile, te velim præmonitum; primò quidem, nihil me allaturum; quod non compertum exploratumque habeam; deinde verò brevitatis, cùm ſola ſæpe prolixitas animum legentis à legendo avocet, rationem maximè habiturum; ac tertiò denique non commiſſurum, ut res vulgares pluribuſque communes, quantumcúmque laudari dignas, immodico (ſic enim exaggerationi potiùs quàm exactæ veritati ſtuduiſſe, fortè appaream) verborum ornatu extollam.

Contraci natus eſt, ibique litteris humanioribus dedit operam.

2 Cortracum, non ignobile nec inamœnum Flandriæ ad Liſam oppidum, patriam nactus eſt P. Joannes Perierus; diem natalem vigeſimam nonam Auguſti anni MDCCXI; parentes honeſtos, Joannem Perier & Margaretam vander Straete. Memoria felici, ingenio acri ſcientiæque non uni acquirendæ aptiſſimo fuit inſtructus; ſeriùs tamen ad ſtudia litteraria acceſſit: annum quippe jam agebat ætatis decimum quintum, cùm primùm politioribus litteris animum in gymnaſio Cortraceno ſub diſciplina noſtrorum cœpit excolere. At quantò tunc exſtitit ætate provectior, tantò maturius, magiſque roboratum attulit ad ſtudia ingenium, tantóque in his uberiores ac conſtantiores, diligentia comite, fecit progreſſus. Mox in tribus grammatices ac deinde in humanitatis & eloquentiæ claſſibus, uti vir Societatis noſtræ fide digniſſimus poſt Faſtos gymnaſii Cortraceni rogatu meo conſultos me docuit, condiſcipulis ſuis primas, idque in ſingulis prope concertationibus menſtruis, præripuit. Nec tantùm ingenio & doctrinâ, ſed & virtute plurimùm excelluit, adeò ut quicumque (ſunt autem ſuperſtites adhuc plures) novêre P. Perierum, cùm litteris humanioribus Cortraci navaret operam, raram in Deum & Sanctos pietatem integerrimoſque mores, quibus tunc enituit, unanimi voce hodieque prædicent.

quas in Societatem admiſſus, tyrocinio finito, repetiit, auditâque Philoſophiâ,

3 Hac eximiæ virtutis præſtantiſque ingenii exiſtimatione annos quinque integros in palæſtra litteraria exegerat, jamque in ea agebat octavo menſe rhetor annum ſextum, cùm, ecce, nec tamen indecoro pulvere ſordidus (ſocios enim in prima Dialectices concertatione ſuperârat victor) ſubitò è ſtadio, nondum expleto curſu, menſe Maio anni MDCCXXXI, neſcio qua de cauſa, exceſſit. Exin amanuenſem egit apud civilium cauſarum procuratorem ſeu notarium publicum, donec perfectioris vitæ deſiderio incenſus, in Societatem noſtram admitti, inſtanter expetiit, votique factus

AUCTORE C. B.

eſt compos. Accidit id anno MDCCXXXII, cujus menſe Octobri, die decima quinta, tyrocinium Mechliniæ alacri magnoque animo ingreſſus, in jaciendis ſolidis religioſæ vitæ fundamentis integrum de more Societatis noſtræ biennium poſuit. Quo exacto, ſolitiſque Deo & Societati nuncupatis votis, humaniores litteras, quas in ſeculo didicerat, repetiturus, Hallas Deiparæ moderatorum juſſu conceſſit. Inde poſt annum evocatus Antverpiam, philoſophorum placita excepit eo progreſſu, ut primò collectas ex Logica & Metaphyſica, ac deinde ex tota Philoſophia theſes ſolenni publicoque certamine (qui honor probatis tantùm ſubtilioriſque ingenii philoſophis ſolet deferri) propugnare juſſus fuerit.

ſtudioſæ juventuti ſexennio tradidit, poſt quod Theologiæ incubuit,

4 Curſum philoſophicum tam feliciter emenſus, lectiſſimam nec infrequentem juventutem politioribus ſtudiis erudiit, in id ſedulò intentus, ut unà cum doctrina pietatem, virtutiſque amorem tenellis adoleſcentum animis altè imprimeret. Difficili hoc laborioſoque munere ſumma omnium tum noſtrorum, tum externorum approbatione in gymnaſio noſtro Antverpienſi per ſex omnino annos continuos ſtrenuè defunctus, Lovanium miſſus eſt, ibique in utiliſſimam rerum divinarum ſcientiam incubuit annis quatuor. Horum tertio, die ſcilicet vigeſima quarta menſis Septembris anni MDCCXLVI, ſacerdos Mechliniæ conſecratus eſt; quarto verò, poſt theſes primùm argumenti, ad pauciora aſſerta reſtricti, non ſine ingenti nominis ſui commendatione publicè defenſas, etiam excerptas ex univerſa Theologia ſummo omnium applauſu ſolemniter defendit, ſicque glorioſam ſtudiis Theologicis coronidem impoſuit, hagiographicis deinceps daturus operam; ad quæ qua occaſione Antverpiam fuerit revocatus, dicendum nunc eſt.

hujuſque abſoluto curſu, ad Muſeum

5 Jam à medio circitèr anno MDCCXLVII Muſeo noſtro valedixerat P. Joannes Veldius, ad lucrandas Deo infidelium animas in Americam, quò eum jam pridem vota ſua ferebant, quóque tamen, utpote die XXV Auguſti ejuſdem anni è vivis ereptus, non pervenit, ſuperiorum nutu deſtinatus. Quærebant ergò Hagiographi novum Operi ſuo promovendo adjutorem gnavum, induſtrium, ſedulum, iis demum ornatum dotibus, quas ad vaſtiſſimum de Actis Sanctorum Opus felici cum ſucceſſu continuandum requiri, ſuo ipſimet uſu, propriâque experientiâ didicerant. Luſtratis mente ſingulis provinciæ noſtræ domibus, juniorumque præſertim ſacerdotum capacitate expenſa, unus ex omnibus electus eſt Perierus, accituſque dicto anno MDCCXLVII Antverpiam, mox ſe totum Actis Sanctorum conſiderandis, preloque parandis adeò ſtrenuè alacriter que impendit, ut deinceps à ſuſceptis ſemel hagiographiæ ſtudiis ægrè videretur avellendus; ab his tamen tantiſper ſecedere novum Hagiographum brevî compulit tertia probatio.

hagiographicum acceſſu.

6 Ad hanc enim, expleto Theologiæ curſu, plerique è noſtris more Societati uſitato mitti debent, anno ferè integro reſtauraturi ſpiritum, ſi quid fortè nimia ſtudiorum contentione aliave ratione deferbuiſſet; pio ergò huic mori facturus ſatis, ipſo anno, quo hagiographis acceſſerat, MDCCXLVII Liram miſſus eſt Perierus; at ſpectata ſatis Viri virtus neceſſariaque Muſeo Antverpienſi auxiliaris opera id effecit, ut poſt menſem, peractis illic ſpiritualibus ſancti Patris noſtri Ignatii exercitiis, ex moderatorum voluntate redierit Antverpiam; inchoata hagiographiæ ſtudia proſecuturus; in quibus quàm utiliter feliciterque tum ante, tum poſt ſolemnem quatuor votorum profeſſionem, quam ibidem anno MDCCL, die 2 Februarii emiſit, labore non interrupto deſudârit, docent lucubrationes ſummâ induſtriâ, rara eruditione, ſedulitate indefeſſa ab ipſo elaboratæ, ad quas ut ſermonem nunc convertamus, rerum ſeries requirit.

CAPUT II.

Lucubrationes ejus in ſex ultimis Septembris tomis.

Sanctos tomis ſeptem,

QUamquam Perieri, ſpectato brevi quindecim propè annorum ſpatio, quod ſolum Actis Sanctorum illuſtrandis immatura morte è vivis ſublatus impendit, lucubrationes ſint numero non paucæ, ad eam tamen copiam non aſcendunt, ut, quod aliis, qui de ſociis aut deceſſoribus hagiographis è vita poſt labores longè diuturniores ereptis concinnârunt elogia, nonnumquam accidit, omnino hîc vereri debeam, ne, ſi ſingulas debita cum laude enumerem, lectori parùm voluptatis, plurimùm verò afferam faſtidii. Ut nihilominus brevitati, quam ſectaturum me, ſpopondi, ſedulò, etiam ubi minùs neceſſarium eſt, ſtudeam, præcipuas dumtaxat, eaſque vel mole grandiores, vel exquiſitiori eruditione refertas, additis ferè iis, quæ viri vel doctrinam vel induſtriam maximè commonſtrant, paulò fuſiùs recenſebo; quòd verò ſpectat ad reliquas, has etiam, aut certè pleraſque, uno ſaltem alterove verbo generatim attingam. Tomi, quibus omnes univerſim comprehenduntur, numero ſunt ſeptem. Horum ſex priores Septembrem, binis aliis tomis prævie inchoatum, terminant; poſterior verò incipit

Octo-

Octobrem : primus adeò omnium, à quo ſcribendi duxit initium, Septembris eſt tertius, qui dies quinque, ſeptimam nimirum & quatuor ſubſequentes, complectitur.

ac præcipuè quidem tertio Septembris SS. Madelbertam, Sergium,

8 E Sanctis, quos in hoc tomo illuſtravit Perierus, prima occurrit S. Madelberta virgo, abbatiſſa Malbodienſis, die ſeptima Septembris culta. Hæc Sancta S. Aldegundi, materteræ ſuæ, ætate non multùm exſtitit inferior. Hinc, quæ de ambabus iſtis Sanctis memoriæ prodiderunt auctores, adeò ſunt implexa, ut prima fronte ſimul conſiſtere non poſſe videantur. Iſthæc inter ſe ratione vero non abſimili aptè componit, atque inſuper annum Sanctæ circitèr emortualem, qui controvertitur, ſolidis argumentis oſtendit. S. Madelbertæ accedit S. Stephanus Dienſium epiſcopus, de cujus cultu antiquo & hodierno, anno & die emortuali, ſolemni canonizatione ſæpiùs tentata nec ſecuta, eruditè differit. Die ſequenti præter brevem de S. Belina virgine & martyre Syllogen, doctum elaboravit Commentarium Vitæ & Miraculis B. Seraphinæ viduæ & abbatiſſæ præfixum, in quo immemorabilem, qui celebre Urbani VIII decretum præceſſerit, Beatæ cultum egregiè propugnat. Ad diem IX SS. Hyacinthum, Alexandrum & Tiburtium martyres ex ſolis Faſtis ſacris elucidatos exhibet, commentationeque ſat prolixa, in qua dubium, doctrinamne, an judicii æquitatem magis prodat, Acta S. Sergii I Papæ & confeſſoris complectitur. Poſt locum Sancti hujus natalem, qui à nonnullis Antiochiæ in Syria perperam ſignatur, Panormi in Sicilia ſolidè ſtabilitum, difficultatem diſcutit longè maximam. Inter eruditos de anno, quo Pontifex ordinatus ſit Sergius, aliis pro anno 687, aliis contrà pro anno 688 decertantibus, acriter diſceptatur. Expenſis, libratiſque utriuſque opinionis momentis, rem adeò implexam pronuntiat, ut neutram partem, quantumvis etiam pro alterutra ſtet Papebrochius, poſſit amplecti.

Verænum, Adelphium, alioſque nonnullos,

9 Die decima binos contexuit Commentarios, quorum altero S. Verani, Vencienſium epiſcopi, altero S. Thomæ, abbatis Farfenſis, geſta explanat. Eruditorum alii Veranum faciunt Lugdunenſem archiepiſcopum; alii contrà Vencienſi cathedræ hunc Sanctum ita alligant, ut ne umquam quidem ad Lugdunenſem tranſlatum admittant. Re maturè diſcuſſa, poſteriorum opinioni, utpote longè probabiliori, meritò adhæret. Ex anno, quo monaſterium Farfenſe à S. Thoma reſtauratum ſtatuitur, & ex ætate Faroaldi, Spoletini ducis difficultas oritur non modica. Hanc ratione non una dilucidé diſſolvit, mortemque Sancti, quam nonnulli anno 706 innectunt, ſeriùs differendam oſtendit. E Sanctis, qui undecima Septembris die coluntur, SS. Prothum & Hyacinthum MM., & S. Adelphium, abbatem Romaricenſem, confeſſorem illuſtrandos accepit. SS. Prothi & Hyacinthi cultu antiquo & celebri, tranſlationeque non una probatis, varias, quæ de Sanctorum reliquiis inter ſe diſſident, civitates enumerat, aptamque, quâ hæ in concordiam adducantur, rationem aſſignat. Brevi Commentatione de S. Adelphii Actis, illuſtri proſapia, anno natali & emortuali præmiſſa, mox duplicem Vitam, contractiorem unam, diffuſiorem alteram, eruditis utramque Annotationibus inſtructam, ſubjungit. Tum antiquum & hodiernum Sancti cultum, tranſlationes reliquiarum varias, totamque gloriam poſthumam ſcitè & accuratè pertractat. Atque hæ lucubrationes, ſi Elogium de P. Joanne Pinio, hagiographo emerito, XIX Maii anni MDCCXLIX vitâ functo, contextum addideris, labores omnes litterarios exhibent, quos Perierus, hagiographis necdum diu adſcriptus, tertio Septembris tomo elaborando impendit.

AUCTORE C. B.

quarto SS. Maternum

10 Gnavam quoque operam, eamque perutilem, contulit tomo quarto. Quamvis enim in hoc, præter brevem de S. Philippo, martyre Alexandrino, tractatum, & Commentarium de S. Amato, abbate Habendenſi ſeu Romaricenſi, non admodùm prolixum, binæ dumtaxat aliæ, quas elaboravit, lucubrationes occurrant; harum tamen partim accuratione, partim mole, Sanctorum, quos illuſtravit, paucitatem compenſat. Prima in S. Materni epiſcopi, altera in S. Notburgæ, ancillæ virginis, Actis diſcutiendis elucidandiſque verſatur. Ambæ ſimul ſumptæ paginas implent plus centum. Tempus, quo S. Maternus prædicandi Euangelii causâ in Germaniam & Gallias miſſus ſit, amplam ancipitemque diu præbuit eruditis diſputandi materiem. Alii miſſionem illam ad primum æræ Chriſtianæ ſeculum referunt, alii contrà ad tertium aut etiam quartum rejiciunt. Gravem hanc controverſiam Perierus in prolixo paragraphorum XXII Commentario, quo Sancti Acta collegit & digeſſit, minimè dimiſit intactam. Argumenta ambarum partium accuratè, nitidè, dilucidè, fideliter proponit, ac tandem, examinatis ſingulis ac perpenſis, ad opinionem, quæ S. Materni miſſionem ſeculo tertio aut etiam quarto illigat, meritò accedit. Æquo animo id non tulit ſcriptor percelebris: cum miſſione S. Materni primam Euangelii in Germania & Galliis prædicationem à Periero, quod tamen ab hoc nuſpiam

AUCTORE C. B.

am fit, ad tertium uſque vel quartum æræ Chriſtianæ ſeculum differri exiſtimavit, hancque opinionem, diſſertatione ſat prolixa typis edita, confutavit. At ſcriptorem hunc, utut eruditum, Perierus brevi, quòd rationes graves longiori locum non darent, nervoſoque ſimul reſponſo, Appendici ad tomum v Septembris inſerto, à capite ad calcem falſo, ut vulgò aiunt, inniti ſuppoſito demonſtrat, ſicque ſuum ab impacta erroris nota Commentarium ſtrenuè vindicat.

& Notburgam,

11 In hoc porrò reliqua S. Materni Geſta pari ubique accuratione proſequitur, intemperantiorem Launoyi, qui Trevirenſem epiſcopatum Sancto abjudicat, criſim eruditè redarguit, varios ſcriptorum errores refellit, fabulas explodit, veritati conſona confirmat, nihilque prætermittit, quod à quoquam deſiderari meritò poſſe videatur. Nec minori eruditionis & accurationis laude S. Notburgæ, ancillæ virginis, Acta commentatur. Antiquitatem Tabulæ, quæ geſtorum Sanctæ Synopſim exhibet, validis rationibus adductis, contra impugnatores ſtrenuè tuetur; auctores varios, qui libris ſeu Mss. ſeu excuſis Sanctam illuſtrârunt, ordinatè enumerat, nonnulla de loco ejus natali & emortuali appoſitè diſputat, ac tum Vitam breviorem atque inſuper aliquot Vitæ fuſioris Fragmenta, doctis Annotationibus adjectis, lectori hagiophilo proponit. Proximè ſuccedit gloria poſthuma, quam in duas partes partitur. Priori cultum Sanctæ in æde ſacra Ebenenſi antiquum & hodiernum; poſteriori hunc ad alia loca ſacra diffuſum propagatumque ſcitè ſimul & prolixè explanat. Opus hoc ſeorſum etiam ab Actis Sanctorum in forma minori vulgavit, illuſtriſſimoque domino Joſepho Antonio Ignatio S. R. J. comiti à Tannenberg prævia eaque pereleganti, quâ meritiſſimas hujus laudes celebrat, oratione inſcripſit; à quo qua comitate quave benevolentia fuerit acceptum, tum ipſiuſmet oblati litterarii munuſculi præſtantia, tum innata illuſtriſſimo Viro humanitas, raraque in S. Notburgam pietas divinandum neutiquam relinquit.

quinto S. Thomam à Villa Nova,

12 Tomo v eruditos Perieri labores Actis ſuis illuſtrandis accepêre impenſos Valerianus & Leontius martyres, Einbetta, Vorbetta & Villbetta virgines, Aichardus abbas Gemeticenſis, Luthardus comes, Eugenia abbatiſſa & Thomas à Villa Nova archiepiſcopus, de quibus omnibus vel Syllogæ ſummâ curâ contextæ, vel Commentarii eruditè elaborati, auctoris æquè ingenium ac ſtudium produnt. Certè quidem has inter lucubrationes nulla ſe offert non præſtans, non illuſtris; quæ tamen S. Thomæ à Villa Nova res geſtas & Gloriam poſthumam evolvit, principem ſibi locum non immeritò vindicat, idque ſive molem, ſive modum, quo elucubrata eſt, ſpectes: mole implet paginas propè ducentas: eo verò modo adornata eſt, ut ad abſolutam ejus perfectionem nihil auctor deſiderandum relinquat. In Commentario, quem Actis edendis de more præmittit, generis nobilitatem, quam nonnulli perperàm negant, Sancti parentibus invictè aſſerit, difficultates chronologicas nec leves nec paucas diſſolvit, liti perquam implexæ, quâ an Sanctus manè, an veſperi obierit, controvertitur, componendæ viam aperit; verbo, quidquid in exacta eruditaque Commentatione aptè annotari, tractari, examinari, elucidari pro inſtituti noſtri ratione poteſt aut porrò debet, id omne ſedulò annotat, tractat, examinat, elucidat. Tum binas dat Vitas breviores, alteram à Joanne Mugnatonio, epiſcopo Segobricenſi, Sancti amico familiari, litteris mandatam, alteram ex Actis canonizationis contextam; quibus deinde ſubjungit & tertiam, multò diffuſiorem, quam ex idiomate Hiſpanico in Latinum, devoratis tædiis laboris planè ingrati propè infinitis, pari fide & accuratione convertit. Præclarum Opus claudit gloriâ poſthumâ, quam qua ſedulitate, qua accuratione pertractet, meliùs docebit ipſa inſpecta auctoris lucubratio, ad quam propterea, ne ſim prolixior, lectorem curioſum remitto, atque ad tomum VI progredior.

ſexto SS. Projectum, Joannem Prandothæam,

13 Huic typis apparando præter breviores collectiones quatuor ſeu Syllogas, ex Martyrologiis aliiſque Faſtis ſacris erutas, quibus res ad Dionyſium, Privatum & fortè etiam Dorotheum martyres, ad Glycerium ſeu Clicerium, epiſcopum confeſſorem, Marcum confeſſorem & Amam virginem ſpectantes induſtriè juxta ac operosè recenſet, Commentarios omnino quindecim, doctrina non vulgari refertos, ſtudio impigro contexuit. Hos inter alii occurrunt contractiores, diffuſiores alii. Contractioribus, quidquid de Joanne, Alexandro & Septimio, epiſcopis martyribus, Ruſtico, epiſcopo confeſſore, Terentio, Paxentio, Albina martyribus, Silvano, Silveſtro, Petro Acotanto, Conſtantio confeſſoribus, Rodena, Lutrude virginibus memoriæ proditum invenit, ſedulò ſimul laborioſéque diſcuſſit; diffuſioribus verò, quos hîc ſolos, utpote reliquis præſtantiores, pluribus commemoro, Projecti & Joannis Prandothæ, epiſcoporum confeſſorum, Geremari abbatis, Florentii presbyteri confeſſoris, Dalmatii Monerii, item confeſſoris, geſta accuratè ſcitéque evolvit. Joannes Prandotha, vigeſimus primus Cracovienſium epiſcopus, qui anno MCCLXVI

è vivis

è vivis exceſſit, jam à ſeculo decimo quinto Cracoviæ affici incepit & ad ſeculum uſque ſeptimum decimum porrò affici perrexit cultu Sanctis proprio : hunc occaſione bullæ, quam de cultu Sanctorum Urbanus VIII Papa anno MDCXXV edidit, perperam à Cracovienſibus abruptum, Perierus ante omnia, nec immeritò, contendit. Tum illuſtre Beati genus, promotionem ad epiſcopatum, amorem juſtitiæ, conſtantiam in vindicanda eccleſiæ ſuæ injuria, reſque ad beatum uſque obitum præclarè geſtas dilucidè exponit. S. Projectus, Imolenſis epiſcopus, paucis admodùm Faſtis ſacris inſcribitur. Attamen poſt Acta, quæ ei affinguntur, ſedulò diſcuſſa, majorique ex parte meritò rejecta, cultum Sancti eccleſiaſticum variis probatis, quibus honoratus fuit, tranſlationibus, aliiſque venerationis publicæ productis indiciis, certum efficit atque indubitatum.

Geremarum, Florentium & Dalmatium Monerium,

14 Geremari abbatis Acta, quamvis antiquum & forſan ferè æqualem habeant auctorem, una atque altera difficultate chronologica laborant. Utramque felici conatu Perierus expendit, ac tum Sancti patriam, illuſtre genus, annum natalem, geſtorum chronotaxim, cultum planè inſignem, binas reliquiarum tranſlationes, dubium, majorine eruditione, an accuratione, recenſet. Florentius, presbyter confeſſor, ſeculo v floruit. Poſt locum Sancti emortualem ſolidè probatum, Acta typis edenda maturo examine ſcrutatur, eaque tandem, momentis ſingulis æqua lance expenſis, ſuſpecta eſſe admodùm, non abſque ratione pronuntiat. Tum varias monaſteriorum, Glonnenſis ſcilicet & Salmurienſis, quæ nomini ſuo & patrocinio in ducatu Andegavenſi jam à multis retrò ſeculis conſecrata Sanctus habuit, ad ſeculum uſque duodecimum viciſſitudines, pluresque harum occaſione peractas S. Florentii tranſlationes fusè proſequitur. Poſt hæc de Sancti reliquiis Salmuro Royam & Royâ iterum Salmurum vi tranſlatis, orta hinc cives Royenſes inter & monachos Salmurienſes lite, amica hujus, ſacris pignoribus inter partes diviſis, ſecuta tandem compoſitione aliiſque ad Sancti cultum non minùs propè ſpectantibus, aptiſſimè differit, ac demum ipſa dubiæ fidei Acta unà cum Sermone à Marbodo, Redonenſi epiſcopo, in S. Florentii Vitam concinnato, ſubjungit. Acta Dalmatii Monerii confeſſoris, quæ auctor coætaneus litteris mandavit, Gerundæ in Catalonia Hiſpaniæ provincia, codici pergameno valde antiquo inſerta, à Patribus Dominicanis hodieque ſervantur. Horum deſcriptum exemplar, quod cum Majoribus noſtris communicatum fuerit, inter litterariam, quam copioſam habemus, ſupellectilem Perierus haud invenit, datiſque etiam in Hiſpaniam litteris, acquirere nequivit. Non propterea tamen, quam de Beato meditabatur, lucubrationem omittendam differendamve diutiùs cenſuit. Scriptores recentiores non paucos labore impigro excuſſit, & quidquid hi notatu fideque dignum à B. Dalmatio geſtum ferunt, ſtudiosè collegit, ſcitè digeſſit, doctoque Commentario peritè intexuit.

AUCTORE C. B.

ſeptimo SS. Annemundum,

15 Nec ſuam deinceps in illuſtrandis Sanctorum Actis induſtriam minùs probavit. Tomo VII Septembris inſerti exſtant Annemundus, epiſcopus martyr, Lupus, Aunarius, Vigilius, Aderitus, Ceraunius, Bonfilius, Silvinus, Alodius, epiſcopi confeſſores, Herculanus, Florentinus, Hilarius martyres, Deodatus, Eberhardus confeſſores, Maria de Cervello, vulgò de Socos, Hiltrudis & Lioba virgines, de quibus omnibus vel Syllogas ex antiquis monumentis collectas, vel Commentarios eruditis obſervationibus undequaque inſtructiſſimos confecit. Inter Syllogas, utut breves, nulla ſe offert, quin acre auctoris ingenium prodat ; inter Commentarios verò, utut omnes præſtantes, prolixitate tamen ceteris eminent, nec eruditione cedunt, quos de Annemundo, Aunario epiſcopis, Florentino & Hilario martyribus, Maria de Cervello, Lioba virginibus contexuit. Annemundus, Lugdunenſis epiſcopus, qui hoc nomine vel alio parumper diverſo à Gallis ſcriptoribus conſtanter nuncupatur, Dalfini appellationem apud Anglos fuit olim unicè ſortitus. Partim hinc, partim ex corrupto Bedæ textu recentiores nonnulli auctores ſeculo proximè elapſo duos ex uno perperam finxerunt Lugdunenſes epiſcopos. Errorem hunc, quem jam pridem in Vita S. Bathildis reginæ detexerat Bollandus, variis iiſque firmiſſimis rationibus adductis, primò quidem Perierus penitus convellit, ac tum teterrimam cædis Sancto illatæ labem, quam Beda & Eddius Stephanus, vulgari eoque falſo rumore decepti, S. Bathildi, utpote Galliarum regni tunc adminiſtratrici, attribuunt, à ſanctiſſimæ hujus Reginæ memoria pleniſſimè abſtergit, quæſtioneque, quâ an Annemundus cum Sigoberrando epiſcopo, ſub Bathilde pariter occiſo, idem ſit, diſquiritur, ſedulò expenſa, negantium in opinionem, ut probabiliorem, meritò concedit.

Aunarium, Mariam de Cervello,

16 Duplicia S. Aunarii ſeu Aunacharii, epiſcopi confeſſoris, Acta circumferuntur. De his non idem omnes ſentiunt eruditi. Variorum opiniones Perierus profert, rationes ponderat, ſuumque ita attemperat judicium, ut memoratis Actis nec omnem auctoritatem abroget, nec

AUCTORE C. B.

nimiam attribuat. Examinatam hoc modo geminorum, quæ editurus erat, monumentorum fidem proximè excipit illuſtre Sancti genus, patria, tempus nativitatis & aditi epiſcopatus, virtutes, geſta, tota denique vitæ ſeries, obitus, ſepultura, corporis tranſlationes aliaque bene multa cultûs, à fidelibus S. Aunario delati, argumenta indubia, quibus omnibus tam ſcitè doctéque inveſtigandis, atque inveſtigavit Perierus, plurimum ſanè laboris ac induſtriæ fuiſſe afferendum, nemo unus ibit inficias, qui noſtram ſcribendi normam habuerit perſpectam. Varia à ſcriptoribus, quæ ad B. Mariæ de Cervello, vulgò de Socos, geſta pertineant, documenta laudantur, & tamen unius dumtaxat mendoſum apographum poſt iteratos conatus licuit nanciſci. Hinc in explanandis ordinandiſque Beatæ geſtis difficultates non paucæ. Has nihilominùs, in ſubſidium vocatis, quæ ad veterum monumentorum fidem cenſuit exacta, recentiorum aſſertis, Perierus, quantum fas fuit, labore impigro perrupit.

Florentinum, Hilarium & Liobam virginem,

17 Non parùm quoque negotii ei faceſſivit, quem de SS. Florentino & Hilario martyribus inſcripſit, Commentarius in ſex paragraphos diviſus, quorum quinque priores totidem ferè diverſas diſſertationes ex materia ſua non mediocriter laboriosas, non incongruè appellari poſſe, fatebitur, quicumque animum adverterit ad occurrentes in his de epiſcopatu S. Florentino & diaconatu S. Hilario affictis, de tempore & loco martyrii deque reliquiarum tranſlationibus difficultates implexas, quas ut aptè diſſolveret, nulli operæ aut ſtudio pepercit. Tantoperè inſudandum non fuit, ut S. Liobæ virginis Actis Commentarium præmitteret. Habent hæc auctorem à Sanctæ ætate non admodùm remotum, rerumque, quas litteris mandavit, alienis adjumentis apprimè gnarum. At quantò hîc planiora Perierus offendit omnia, tantò laboravit ardentiùs, ut lucubrationem numeris omnibus abſolutam & ad ultimum, ut aiunt, uſque apicem enucleatam concinnaret. Adiſis tomum ipſum, & felicem, quo id præſtitit, mirabere ſucceſſum.

octavo SS. Leodowinum, Felicem de Meda

18 Tomum VIII maximè exornant tres Perieri lucubrationes, quas de S. Leodowino, archiepiſcopo Trevirenſi, S. Simone, comite & monacho, ac de beata Felice de Meda, virgine & abbatiſſa, ſolitâ ſuâ induſtriâ & accuratione perfecit. Præmiſſo Actorum, quæ de Leodowino exſtant, examine, de Sancti parentibus, illuſtri genere, & epiſcopatu Trevirenſi nonnulla doctè obſervat. Tum Leodowinum non fuiſſe ſimul Treviris, Remis & Lauduni epiſcopum, quod nonnulli olim perperàm aſſeruêre, multis argumentis & veterum teſtimoniis evincit. Stupendum, quod de Leodowino narrant biographi, miraculum ratione non una reddit ſuſpectum, annum, quo Sanctus circitèr obiit, aſſignat, cultum Treviris ex Officio Eccleſiaſtico demonſtrat, geminam dat ſubleſtæ fidei Vitam, totumque tandem Opus miraculorum relatione, ex auctore anonymo deprompta, abſolvit. De ſolo natali Felicis de Meda, virginis abbatiſſæ, controverſia eſt: hoc alii Medæ, alii contrà Mediolani ſtatuunt. Litigantium momenta exhibet Perierus, iiſque abſque partium ſtudio expenſis, neutram opinionem amplectitur; Beatam, utpote ſive Medam, ſive Mediolanum nacta ſit patriam, in territorii Mediolanenſi natam, Mediolanenſem non ineptè appellari poſſe, ſolita ſua judicii æquitate pronuntiat. Geſta Felicis litteris conſignârunt ſcriptores non pauci. Hos inter non infimum locum obtinet Auguſtinus Gallucius, qui anno MDCXXXVII Italico idiomate librum edidit in tres partes diviſum, quarum priori Vitam Beatæ complectitur. Hanc, quòd oratoriis ornamentis & excurſibus à re tractanda alienis nimiùm abundet, operæ pretium non judicavit Perierus Latinè redditam recudere. Geſta nihilominùs ſingula, quæ de B. Felice continet, lectorem in Commentario fideliter edocet, uti etiam aliorum auctorum aſſerta, quæ memorari digna cenſuit. Ut porrò qualemcumque cohærentem rerum geſtarum ſeriem ſuppeditet, Commentario ſubjungit Latinum, doctis Annotatis illuſtratum, Vitæ compendium, quod manuſcriptum Piſaurenſium Corporis Chriſti monialium abbatiſſa ſeculo proximè elapſo cum Majoribus noſtris curavit communicandum.

& S. Simonem comitem & monachum illuſtravit.

19 Simon comes & monachus, qui è tribus Sanctis, Perieri induſtriâ in hoc tomo diffuſiùs illuſtratis, commemorandus reſtat, amplam præbuit prolixo concinnando Commentario materiem. Ab aliis Sancti, ab aliis Beati titulo donatur; Perierus cum pluribus Sanctum appellat, annuoque cultum feſto & Officio demonſtrat. Sex ſunt ſcriptores coævi vel ſuppares, qui Sancti, quà genere & potentiâ, quà rebus fortiter ac piè geſtis illuſtriſſimi, memoriam ſcriptis celebrârunt. Guibertus abbas, qui illos inter computatur, Acta Simonis præcipua in compendium contraxit, quod in ipſo lucubrationis ſuæ limine lectori hagiophilo Perierus exhibet. Per decurſum verò inſignis planè Commentarii, cui unius dumtaxat de Sancti geſtis lucubrationem ſubdit, verba reliquorum quinque & teſtimonia, ubi ad confirmandam illuſtrandamve Comitis ſui Hiſtoriam apta exiſtimat, in medium pro-

980 Reliquiæ S. Landoaldi, Amantii, Adriani, Juliani, Vinciani & Adeltrudis ex Wintershoven translatæ sunt Gandavum 207 f
Hoc seculo exeunte, aut inchoato sequenti exstructum fuit monasterium S. Leodegarii in sylva Aquilina 450 e f, 451 a b c

SECULO XI.

Anno 1007 *vel* 1008 corpora SS. Livini & Brixii ex vico Holthem translata fuêre ad Gandavense monasterium S. Bavonis 268 e f, 269 a b c
1010 translatum est corpus S. Bavonis 269 c & seqq., 270 a & seqq.
Circa annum 1035 conditum est S. Leodegarii puellare monasterium in Normannia 451 c d e f

Circa

Circa annum 1041 exſtructum eſt Cogniacenſe monaſterium S. Leodegarii 451 f, 452 a
1049 à S. Leone IX Papa Remis dedicata eſt nova eccleſia S. Remigii, Remenſis epiſcopi, & hujus corpus ſolemniter tranſlatum 117 f, 118, 119, 120, 179 c, 183
1058 Inſpectum tranſlatumque eſt corpus S. Bavonis 272 c & ſeqq., 273 a & ſeqq.
Circa medium hujus ſeculi corpus S. Leudomeri, epiſcopi Catalaunenſis, tranſlatum fuit ad monaſterium Omnium Sanctorum 333 d e

SECULO XII.

Anno 1143 aperta fuit arca corporis S. Piati, apoſtoli Tornacenſium 17 c d e
Hoc ſeculo exeunte, aut ineunte ſequenti obiit B. Godefridus, presbyter Ordinis Ciſtercienſis, Villarii in Brabantia 531 a & ſeqq., 532 a & ſeqq.

SECULO XIII.

Circa annum 1218 natus eſt S. Thomas de Cantilupe, epiſcopus Herefordienſis in Anglia 543 d
Circa annum 1222 elevatum fuit corpus B. Godefridi, presbyteri Ordinis Ciſtercienſis Villarii in Brabantia 533 a
Circa annum 1229 RR. PP. Prædicatores obtinuerunt domicilium Ilerdæ in Catalaunia 538 a b
1245 celebratum ab Innocentio IV concilium Lugdunenſe 1, ubi tunc factus eſt capellanus Pontificius S. Thomas de Cantilupe, poſtea epiſcopus Herefordienſis 544 f, 545 a
1256 moritur B. Berengarius Ordinis Prædicatorum, electus epiſcopus Ilerdenſis in Catalaunia 537 b, 538 f
1262 S. Thomas de Cantilupe factus eſt cancellarius univerſitatis Oxonienſis in Anglia 546 b & ſeqq.
1265 S. Thomas de Cantilupe fuit cancellarius regni Angliæ 546 f, 547 a b c
1270 tranſlatum eſt corpus B. Godefridi, presbyteri Ordinis Ciſtercienſis, Villarii in Brabantia 533 a b
1273 S. Thomas de Cantilupe donatus eſt laureâ magiſterii ſacræ Theologiæ in univerſitate Oxonienſi in Anglia 548 d e f, 549 a b
1274 *vel præcedenti* S. Thomas de Cantilupe iterum factus eſt cancellarius univerſitatis Oxonienſis in Anglia 549 b c
1274 profectus eſt S. Thomas de Cantilupe ad concilium Lugdunenſe II, ubi tunc à Gregorio X Papa factus eſt capellanus Pontificius 549 c d
1275 S. Thomas de Cantilupe ordinatus eſt epiſcopus Herefordienſis in Anglia 551 b & ſeqq.
1279 S. Tomas de Cantilupe, epiſcopus Herefordienſis interfuit ſynodo Rodingenſi 567 a b
1282 S. Thomas de Cantilupe, epiſcopus Herefordienſis, in Italiam profectus eſt, cauſam ſuam coram ſummo Pontifice acturus 576, 577 a b c d e
Eodem anno die 25 *Auguſti* S. Thomas de Cantilupe, epiſcopus Herefordienſis moritur apud Montem-Flaſconis in Tuſcia 577 f, 578, 579, 580 a b
Eodem anno die 30 *Auguſti* caro S. Thomæ de Cantilupo, epiſcopi Herefordienſis, ſeparata ab oſſibus honorificè ſepelitur 580 b c d e
Eodem anno oſſa S. Thomæ de Cantilupe ex Italia tranſlata ſunt in Angliam 581 d e f
1287 oſſa S. Thomæ de Cantilupe in honoratiorem tumulum tranſlata ſunt in eccleſia cathedrali Herefordienſi 581 d e f

SECULO XIV.

Anno 1305 Eduardus rex Angliæ aliique Clementi V Papæ ſupplicârunt pro impetranda canonizatione S. Thomæ de Cantilupe, epiſcopi Herefordienſis 584 e f, 585 a b c
1306 Clemens V Papa juſſit proceſſum inſtrui de virtutibus & miraculis S. Thomæ de Cantilupe, epiſcopi Herefordienſis 585 c & ſeqq., 586 a b
1307 confectus fuit proceſſus canonizationis S. Thomæ de Cantilupe, epiſcopi Herefordienſis 586 e f, 587 & multis ſeqq.
1320 Joannes XXII Papa Thomam de Cantilupe, epiſcopum Herefordienſem, ſanctorum confeſſorum catalogo adſcripſit 596 d e f, 597, 598 a b c d
1373 oſſa B. Berengarii Ordinis Prædicatorum, electi epiſcopi Ilerdenſis, tranſlata fuerunt 539 d
1379 erecta fuit capellania ad ſepulcrum B. Berengarii Ordinis Prædicatorum, electi epiſcopi Ilerdenſis 539 b d

SECULO XV.

Anno 1451 corpus S. Waſnulphi lipſanothecæ incluſum 306 f
1457 corpus S. Piati, Tornacenſium apoſtoli, fuit ad varias civitates delatum 17 a, 21 f, 22 a
1458 inſpectæ ſunt Seclinienſes reliquiæ S. Piati, apoſtoli Tornacenſium 18 b c d
1459 Delatum Brugas eſt corpus S. Piati, Tornacenſium apoſtoli 17 b, 22 a
1468 præceptum apud Auguſtodunenſes fuit feſtum S. Leodegarii, epiſcopi Auguſtodunenſis & martyris 453 c & ſeqq., 454 a & ſeqq.
1475 corpora SS. Veriſſimi, Maximæ & Juliæ martyrum Ulyſſiponem tranſlata fuerunt 27 e, 28 c
1497 inventum fuit corpus B. Thomæ, archiepiſcopi Mediolanenſis 312 d

SECULO XVI.

Anno 1500 inſignes reliquiæ S. Bavonis donatæ ſunt civitati Harlemenſi, ibidemque honorificè cultæ 286 c & ſeqq., 287, 288 a b c d e
1520 Carnoti inſpectæ ſunt reliquiæ S. Piati, Tornacenſium apoſtoli 17 e
1534 corpus S. Remigii, Remenſis epiſcopi, in pretioſiſſimum mauſoleum tranſlatum eſt 121 a & ſeqq., 122 a b c
1536 Gandenſe S. Bavonis monaſterium converſum fuit in collegium canonicorum Secularium 274 f, 275 a b c d
1540 Gandenſe collegium canonicorum S. Bavonis in urbanam eccleſiam tranſlatum fuit 275 e f, 276 a & ſeqq.
1559 Gandenſis eccleſia S. Bavonis in cathedralem erecta fuit 276 d f, 277 a
Eodem anno etiam alii epiſcopatus in Belgio erecti 276 f, 288 e f
1566 res ſacræ Gandavi à Calviniſtis impiè diſſipatæ

ſipatæ ſunt 277 c d
Eodem anno corpora S. Bavonis aliorumque Sanctorum in Gandenſi caſtro depoſita fuêre 277 c d, 278 b c d
1567 inventum eſt corpus B. Thomæ, archiepiſcopi Mediolanenſis 312 d
Eodem anno corpus S. Diateriæ virginis à S. Carolo Borromæo tranſlatum fuit in novam eccleſiam S. Victoris Mediolani 330 a
Eodem anno corpora S. Bavonis & aliorum Sanctorum è caſtro Gandenſi in urbem relata ſunt 278 d e
1578 corpora SS. Bavonis, Livini, aliaque ſacra à Calviniſtis Gandavi fœdè diſſipata 278 e f, 279 a b c d
Eodem anno res ſacræ Harlemi à Calviniſtis violatæ ſunt 289 d e
1586 corpus S. Waſnulphi cum aliorum Sanctorum reliquiis in novam ſipſanothecam Condati repoſitum fuit 306 d e f
1591 Carnoti inſpectæ ſunt reliquiæ S. Piati, Tornacenſium apoſtoli 20 c d
1599 oſſa B. Godefridi, presbyteri, Ordinis Ciſtercienſis, aliorumque ſolemniter tranſlata ſunt Villarii in Brabantia 533 b c d

SECULO XVII.

Anno 1609 inſpectæ ſunt Seclinienſes reliquiæ S. Piati, Tornacenſis apoſtoli 17 f, 18 a & ſeqq., 19 a
1646 corpus S. Remigii, Remenſis epiſcopi, conſpectum eſt integrum 122 f, 123 a
1650 tranſpoſitum fuit in novam ſipſanothecam argenteam corpus ejuſdem S. Remigii, Remenſis epiſcopi 121 e f
1668 brachium S. Thomæ de Cantilupe, epiſcopi Herefordienſis, depoſitum fuit in collegio Societatis Jeſu Audomaropoli in Arteſia 598 d e f, 599 a b c d

ACTA SANCTORUM
OCTOBRIS.

TOMUS PRIMUS.

PRIMA DIES.

SANCTI, QUI KALENDIS OCTOBRIS COLUNTUR.

S. Anctus Piatus aut Piato presbyter, Apoſtolus Tornacenſium, & martyr, Seclinii in Flandria.

S. Veriſſimus M. } Ulyſſipone in
S. Maxima M. } Luſitania.
S. Julia M. }

SS. Arethas & Socii martyres, fortè Romæ.

S. Priſcus }
S. Creſcens aut Creſcentius }
S. Evagrius }
S. Denegothia aut Demergotia }
S. Fauſtinus }
S. Martialis }
S. Januarius }
S. Alexander } martyres Tomis in Mœſia Inferiore.
S. Euprobus vel Eoprobus }
S. Digna aut Pigra }
S. Gothia aut Cotia }
S. Saturnina vel Saturninus }
S. Spes aut Speus }
S. Caſtus }
S. Primus }
S. Donatus }
S. Paſſicus vel Paſficus }
S. Propus vel Prepus }
Et forſan S. Digna altera. }

S. Fremerius aut Fermerius mart., cultus in abbatia S. Fremerii O. S. B. diœceſis Vaſatenſis, in Gallia.

S. Germana, Virgo M., in prioratu S. Germanæ prope Barrum ad Albam, in Gallia.

S. Remedius vel Romedius Conf., in agro Tridentino.

S. Romanus Melodus, diaconus Conf. Conſtantinopoli.

S. Remigius epiſcopus Remenſis, Francorum Apoſtolus, Remis in Campania Gallica.

S. Vulgiſus presbyter Conf., in vico Troiſnes, in provincia Inſulæ Franciæ.

B. Virilus abbas Conf., in monaſterio Legerenſi S. Salvatoris, in Navarra.

S. Sulinus abbas Conf., in vico ſui nominis, diœceſis Maclovienſis, in Armorica.

S. Euriela virgo, in Armorica.

S. Bavo, aliàs Alloynus, Conf., Gandavi in Flandria.

S. Waſnulphus conf., Condati in Hannonia.

SS. Michaël & Socii triginta ſex, monachi & martyres, prope Sebaſtam.

B. Thomas archiepiſcopus Conf., Mediolani in Inſubria.

A

D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Sancti Melori *martyris* in Aremoricis *memoria annuntiatur in Martyrologio Parisiensi, & apud Castellanum, qui* Principem *vocat*, Meloris *apud Grevenum. Vita jam data est ex Capgravio, & Acta alia, quæ postmodum huc perlata sunt, dari poterunt in Supplemento Operis ad* III Januarii.

S. Ananias *discipulus, qui S. Paulum baptizavit, hoc die memoratur in Fastis Græcorum & Coptitarum atque Æthiopum Habessinorum, & solemniter colitur, in Martyrologio Romano aliisque passim Latinis, ubi apud nos datus est,* XXV Januarii.

S. Amandi *episcopi Trajectensis mentio est in Kalendario Verdinensi, ejusque translatio in Ms. monasterii S. Salvatoris annotatur. De ea actum est in* S. Amando VI Februarii.

B S. Vedasti *episcopi Atrebatensis memoria annuntiatur hodie in Hieronymianis apographis Florentinii, diverso tamen charactere, tamquam addita posteriùs. Deinde pag.* 1069 *observat, in Blumiano codice legi:* In Adravetis (*pro* Atrebatis) dep. B. Vedasti episcopi & confessoris. *At in plerisque Hieronymianis* Vedastus *hoc die non legitur. Rursum verò annuntiatur apud Rabanum, in pluribus vetustis Martyrologiis & Kalendariis, quæ edidit Martenius, in Appendice Adonis, in pluribus Auctariis Usuardi & nonnullis Bedæ: item in libro Sacramentorum Ratoldi, ut jam observavit Florentinius, aliisque recentioribus plurimis. Attamen certum est, hunc non esse diem obitûs, sed translationis, ut in* S. Vedasto *dudum probârunt Majores nostri, & Florentinius similiter observavit. Dominicus Georgius in Annotatis ad Martyrologium Adonis hoc die observat sequentia:* Mosander & Rosweidus in Appendicem Vedastum unà cum Bavone ablegârunt. Mosander veniâ dignus est, à qua non solvendus Rosweidus, cui fortè præ oculis fuere apographa Hieronymiana, & vetustiora Usuardi apographa. *Hujus censuræ rationem allegat nullam, ut aliàs non rarò, & certè idoneam censuræ suæ rationem numquam allegâsset. Si credidit, utrumque ab Adone annuntiatum, cur illius opinionis rationem non allegavit? Si eos in codicibus suis vetustioribus non invenerunt Mosander & Rosweydus, qua ratione ex codicibus minùs vetustis eos ab Adone memoratos probabit Georgius?* Vedastum *ne Usuardus quidem habet,* Bavonem *habet, sed primus, ut jam observavit Sollerius noster. Liceat modestè judicium nostrum de Adone Georgii ejusque Annotatis edicere, ut interim contra frequentes id genus Georgii observationes æquus lector præmoneatur. Non habuit Georgius codices satis vetustos ad emendandam editionem Rosweydi: nec tanta fuit eruditione aut judicio, ut hunc adjumentorum defectum supplere posset. De translatione hodierna* S. Vedasti *apud nos actum est in* S. Vedasto *ad* VI Februarii.

S. Severi presbyteri & confessoris *memoria* Urbe veteri (*vulgò* Orvieto) *hodie annuntiatur in Martyrologio Romano. At dubitare cogimur an idem non sit* Severus *presbyter, qui ad* 15 *Februarii in eodem Martyrologio memoratur* in Provincia Valeriæ, *& de quo scribit S. Gregorius Magnus. Certè Maurolycus ad hunc diem credit eumdem* Severum, *cùm sic habeat:* Apud Urbem veterem sancti Severi presbyteri, de quo Gregorius. *Ferrarius similiter in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem indubitanter pronuntiat, eumdem* Severum *utroque die annuntiari. Petrus de Natalibus non modò de his consentit, sed* S. Severum *etiam confudit cum* S. Severo *martyre, ut jam observavit Bollandus noster ad* 15 *Februarii in* S. Severo presbytero in Valeria, *ubi omnia etiam dedit, quæ spectant ad* S. Severum *Urbis-veteris, si à Valeriensi sit alter: nam hanc dubitationem reliquit indecisam. At probabilius saltem est, eumdem utroque die & loco coli, ideoque omnia ad* 15 *Februarii conjunxit Bollandus: rationes verò utcumque dubitandi hæ sunt. Corpus* S. Severi, *de quo agit S. Gregorius, creditur translatum in monasterium Meinfeldense diœcesis Trevirensis. Ea autem translatio sic narratur, ut corpus non videatur acceptum Urbe-veteri, sed ex alio Italiæ loco delatum in Germaniam. At Ferrarius narrat, corpus* S. Severi *translatum fuisse Urbem-veterem. Hinc itaque suspicio oritur, aliud esse corpus, quod translatum est ad Urbem-veterem, aliud, quod in Germaniam. Verùm neutra translatio tam accuratè scripta est, ut ex ea solidum sumi possit argumentum: neutra obstat, quominus ejusdem corporis pars aliqua possit esse Urbe-veteri, pars alia in monasterio Meinfeldensi. Præterea, si incolæ Urbis-veteris errare potuerint, & alterum* S. Severum *colere pro eo, quem laudavit S. Gregorius: potuerunt in eumdem quoque errorem incidere Germani, & alterius* Severi *corpus aut reliquias accipere. At Germani ejusdem* Severi *corpus, aut notabilem corporis partem, ut credibile est, certò acceperint; vel sic ob propinquitatem Urbis-veteris cum loco, ubi vitam duxit* S. Severus *Gregorianus, semper manebit probabilissimum, illum ipsum* Severum *Urbe-veteri coli. Omnia data sunt ad* XV Februarii. E.

C S. Abrahamii *ascetæ brevissima mentio est in solo Synaxario Ms. Sirmondi. Videtur idem, qui colitur apud Græcos* 29 *Octobris cum nepte sua* Maria: *de quibus apud nos actum est cum Martyrologio Romano ad* XVI Martii.

S. Montana *virgo & abbatissa ad hunc diem memoratur à Menardo* apud Ferrarias in agro Vastinensi. *Menardum secuti sunt Bucelinus, Saussayus & Castellanus. At annotationes Menardi faciunt, ut hoc tantùm loco de* S. Montana *agendum censeamus, non quòd de cultu dubitemus, sed quòd aut de ea jam actum sit, aut nihil præter cultum innotuerit, si alia sit à S. Gertrude Nivellensi, de qua actum est ad* 17 *Martii. Audiamus Menardum.* Hæc sancta Virgo colitur in monasterio Ferrariensi, in agro Vastinensi sito, diœcesis Senonensis: cujus Vita ibi extat Ms. in libro, quem monachi hujus cœnobii vocant Commune, aliàs verò dicitur Calendarium, quem præ manibus habui: ubi dicitur filia Pipini & Mononæ, & accepisse velum à sancto Amando; fuisse abbatissam cœnobii Cavensis, & obiisse Ca-

F

A Calendis Octobris. Multaque ibi alia narrantur, quæ præter nomen matris, monaſterii, & diem obitûs, prorſus conveniunt S. Gertrudi Nivellenſi, filiæ Pipini ducis Brabantiæ; ut conferenti librum hunc Ms. cum Vita S. Gertrudis Nivellenſis, quæ extat apud Surium, manifeſtum erit. Ita ut meritò quis dubitaverit, ſanctam Gertrudem Nivellenſem coli à monachis Ferrarienſibus ſub nomine S. Montanæ; aut certè hujus Montanæ Vitam non ita fideliter ſcriptam fuiſſe. Illam ideo colunt monachi Ferrarienſes, quòd dicant ejus corpus ad ſuum monaſterium fuiſſe tranſlatum. *Hæc Menardus. Labbeus tom. 2 Bibliothecæ Mss. à pag. 593 eamdem edidit Vitam* ex Legendario Vici, in diœceſi Bituricenſi, qui ab eadem ſancta Montana cognomen vulgare ad hunc uſque diem ſervat. *Contuli editionem Labbei cum Vita S. Gertrudis, apud nos edita ad 17 Martii, & planè eamdem reperi, exceptis pauciſſimis, quæ ab impoſtore mutata ſunt. Utrùm ipſa ſit S. Gertrudis, quæ in monaſterio Ferrarienſi colitur, mihi non liquet. At certè, ſi alia ſit* Montana, *huic per impoſturam S. Gertrudis geſta fuerunt attributa. Videri poteſt Vita S. Gertrudis ad* XVII Martii.

B Dedicatio eccleſiæ Caſinenſis *S. Benedicti celebratur apud Ferrarium in* Monte Caſino, *& paſſim apud martyrologos Benedictinos. De S. Benedicto ad* XXI Martii.

S. Domninus *martyr Theſſalonicenſis, ſub Maximiano paſſus, hodie celebratur à Græcis in Menæis, utroque Menologio, Synaxario Ms., & demum in Martyrologio Romano. At idem in Martyrologio Romano jam memoratus videtur ad 30 Martii, ut ipſe Baronius ibidem in Annotatis obſervavit. Attamen id certum non credidit Henſchenius noſter, qui de* S. Domnino *& tribus Sociis Theſſalonicenſibus egit ad 30 Martii, & revera mihi quoque certum non videtur, utroque die eumdem annuntiari* Domninum. *Certum non eſt, inquam, quia neſcimus, quo modo coronatus ſit* Domninus, *qui ad 30 Martii ex Martyrologio Hieronymiano ad alia Martyrologia Latina tranſivit ſine ullis martyrii adjunctis, ut ex Latinis non innoteſcat, ſub quo tyranno ſit paſſus, aut quibus tormentis ſit affectus. Præterea in Hieronymianis cum tribus annuntiatur Sociis, Hodiernus verò apud Græcos ſine Sociis memoratur. Itaque ſuſpicio diverſitatis oritur ex eo, quòd 30 Martii addantur tres Socii, iique hodie omittantur. Eumdem verò eſſe utroque die annuntiatum, utcumque inſinuant idem* Domnini *nomen, idemque martyrii locus Theſſalonica. At & nomen, quod ſatis commune eſt, & civitas, in qua paſſi ſunt multi, facilè nos poſſunt fallere, ut rem minimè faciant certam. Quare rectè dubitavit Henſchenius, nec dubium illud etiam nunc tollere præſumo, quia diverſitas dierum, quibus annuntiantur, non ſufficit ad diſtinctionem, & ſocii facilè omitti potuerunt à Græcis, quòd præcipuum tantùm colerent. Vide ergo, ubi Hodierni quoque elogium datum*, Domninum *& Socios* XXX Martii.

Gervaſii & Godinæ *memoria apud Joannem Tamayum in Martyrologio Hiſpanico ita celebratur:* Apud Baſtum oppidum in Luſitania depoſitio SS. Gervaſii & Godinæ confeſſorum: quorum ille conſanguineus S. Senorinæ, iſta abbatiſſa & nutrix illius fuit. Eorum ſacra pignora in ejuſdem S. Senorinæ baſilica honorificè requieſcunt. *Apud Caſtellanum* Godina D *abbatiſſa ſimiliter ut Sancta memoratur. Laudat martyrologus varios ſcriptores, ſed alios ſuſpectos, alios verò, qui de* S. Senorina *loquuntur, & ea occaſione* Godinam *memorant aut* Gervaſium. *Fatetur tamen de horum geſtis nihil ferè innotuiſſe; nec cultum* Godinæ *aut* Gervaſii *probat, ſed ambos hoc die obiiſſe dicit, nec addit, unde id cognoverit. De* Gervaſio *ne Caſtellanus quidem meminit. At ob Caſtellanum credidi, de* Godina *ſaltem nobis ſcribendum fore. Verùm, ubi perſpexi, apud Mabillonium in Actis Benedictinis Sec. 5 pag. 584 dari elogium S. Senorinæ, in eoque* Godinam *ejus abbatiſſam ſemper laudari ſine titulo* Sanctæ *aut* Beatæ; *conſului & Menardum, qui certè difficilis non eſt ad tribuendos* Sancti *aut* Beati *titulos. Ille autem pag. 545 in Annotatis de S. Senorina ter nominat* Godinam, *ſed ſemper ſine titulo* Sanctæ *aut* Beatæ. *Adivi demum Yepeſium, qui Annales Benedictinos Hiſpanicè ſcripſit in Hiſpania, & ab Hiſpano martyrologo laudatur. Ille autem Centur. 5 ad annum Chriſti 977 refert vitam S. Senorinæ monachæ Luſitanæ, cujus abbatiſſa fuit* Godina; *eaque occaſione* Godinam *ſæpe nominat, ejuſque mortem etiam* E *refert; ſed numquam* Sanctæ *aut* Beatæ *titulum illi attribuit. Dicit tamen, fuiſſe mulierem ſanctam & magnam Dei famulam. At hoc de moribus dicitur, non de ſanctitate vindicata, aut cultu eccleſiaſtico honorata. Yepezius autem ſtudiosè titulum* Sanctæ *ſemper tribuit* Senorinæ, *& eumdem ſemper de* Godina *omittit, etiam dum eas ſimul nominat, ut frequenter facit. Quapropter cultus publicus* Godinæ *non modò incertus mihi videtur, ſed etiam parum veriſimilis: non enim capio, cur ſcriptor Benedictinus, iſque Hiſpanus, qui in cultum* Godinæ *haud difficulter inquirere poterat, de Abbatiſſa Ordinis ſui ita ſcripſiſſet, niſi cultu caruiſſet. Suſpicio hæc confirmatur ex Menardo & Mabillonio, aliiſque hagiologis Benedictinis, imò etiam ex Gynæceo Arturi à Monaſterio, qui, quamvis multis cultu carentibus titulum* Beatæ *attribuat,* Godinam *tamen hac die prætermiſit, & ad 22 Aprilis in Annotatis de S. Senorina ſine ullo ſanctitatis aut beatitatis titulo* Godinam *memorat. Si tamen cultus* Godinæ *publicus aliquando probari poſſit, de ea dabitur ſcribendi locus. Interim videri poteſt qualiſcumque Vita S. Senorinæ, data ad* XXII Aprilis.

C F

S. Anianus, *epiſcopus Alexandrinus, hodie memoratur in Florario Sanctorum Ms., datus apud nos ad* XXV Aprilis.

S. Eobani epiſcopi & martyris *meminit hodie Bucelinus in Menologio Benedictino, & vult alium eſſe ab* Eobano, *qui paſſus eſt cum S. Bonifacio, ſed planè improbabiliter. Tota diſtinctionis ratio eſt, quòd* Andres Bambergenſis, *ſcriptor ſcilicet ſeculi* XV, *hac die coronatum dixerit. At, ſi recentior ille ſcriptor id dixit, cenſendus eſt errâſſe, nec ideo quærendus eſt alius* Eobanus, *cùm unus tantùm* Eobanus *epiſcopus, diſcipulus S. Bonifacii & martyr, apud ſcriptores innotuerit. Qua ergo ratione tam levi de cauſa quæremus alterum* Eobanum *epiſcopum, S. Bonifacii diſcipulum & martyrem? De S. Bonifacio ejuſque in martyrio Sociis, inter quos primus ponitur* S. Eobanus, *actum eſt ad* V. Junii.

S. Vulflagii *memoria* in pago Pontivo *eſt in codice Uſuardino Centulenſi. Acta data ſunt ad* VII Ju-

A Junii.

S. Ymerii conf. *tranſlatio adſcripta eſt Florario Ms. ſine aliis adjunctis. Apud Grevenum legitur :* Imeri confeſſoris. *Exiſtimo deſignari* S. Hymerium *epiſcopum Conf., cujus Acta data ſunt ad* XVII Junii.

S. Guthagoni *memoria ſive tranſlatio hodie eſt in Martyrologio Anglicano ; apud alios die, quo in Flandria colitur, & apud nos datus eſt,* III Julii.

S. Germani *Autiſſiodorenſis epiſcopi memoria legitur in pleriſque apographis Hieronymianis, uti & apud Adonem, Wandelbertum & alios. Uſuardus diſertè tranſlationem memorat, ſicut & alii plurimi. De tranſlatione illa, quâ corpus pervenit Autiſſiodorum, actum eſt in* S. Germano *ad* XXXI Julii.

S. Platani martyris, *ac deinde* S. Roſæ viduæ, *meminit hac die Ferrarius in Catalogo generali, utrumque annuntians* Sulci in Sardinia. *At de iiſdem jam egerat ad Kalendas Septembris, ubi de* S. Roſa & S. Platano *apud nos actum eſt* I Septembris.

B In Fontanella dedicatio baſilicæ ſancti Servaci & ſancti Landibti Epi, *ut legitur in Hieronymianis apud Florentinium, ubi textus vetuſti Martyrologii hac interpolatione interruptus eſt. Sunt autem* SS. Servatius & Landebertus *vel* Lambertus, *quorum eccleſiæ dedicatio memoratur, epiſcopi Trajectenſes, de quibus actum eſt ſuis locis ad* XIII Maii & XVII Septembris.

Giſelbertus *abbas cum titulo* Beati, *& tamquam martyrio coronatus in Palæſtina unà cum Thiemone archiepiſcopo Salisburgenſi, memoratur apud Bucelinum in Menologio Benedictino. At nihil dicitur de cultu eccleſiaſtico* Giſelberti. *Quapropter videri poterunt, quæ de* Thiemone *archiepiſcopo apud nos dicta ſunt in Prætermiſſis ad* XXVIII Septembris.

Feſtum S. Angeli cuſtodis *notatur apud Ferrarium. De variis diebus, quibus feſtum iſtud celebratum eſt, agitur in S. Michaële & omnibus Angelis ad* XXIX Septembris.

Rogerius *epiſcopus Londinenſis hodie eſt in priore editione Martyrologii Anglicani. Vide dicta in Prætermiſſis ad* XXIX Septemb.

S. Hieronymus *hodie eſt in Kalendariis Mss., datus ad* XXX Septembris.

C S. Gregorius Armenus *hoc die colitur Neapoli Officio ad libitum, ut dictum eſt ad ejuſdem Acta* XXX Septembris.

S. Laurus *abbas hodie annuntiatus à Caſtellano, ad præcedentem diem cum pluribus apud nos datus eſt* XXX Septembris.

Leofrona, *abbatiſſa monaſterii S. Miltrithæ aut Mildredæ in Anglia, variis diebus jam memorata ab aliis, hodie demum, ut ſancta Martyr, annuntiatur in Gynaceo Arturi à Monaſterio. At nequeo titulum illum confirmare poſt omnia ſeriò conſiderata. Hoc paulò operoſiùs indagandum videtur, quia & Sollerius noſter in Prætermiſſis ad 30 Julii videri poteſt titulum Sanctæ dediſſe* Leofronæ, *dum eam cum Sociis remiſit ad 23 Septembris. At certè cultum non examinavit, & ſolùm* S. *nomini præpoſuit, opinor, quia videbat* Sanctam *vocari à neotericis. Primus, quantùm invenire valeo,* Leofronæ & multorum monachorum & monialium, *tamquam* Sanctorum, *memoriam annuntiavit Arnoldus Wion in Ligno vitæ ad 30 Julii. Et ſanè primum ſe fuiſſe, in Annotatis ipſe inſinuat, dum nullum citat martyrologum, ſed ſolam Hiſtoriam Matthæi Weſtmonaſterienſis, & dum ibidem dicit :* Ex veriſimili quadam conjectura præſentem diem his ſanctis Martyribus conſecravimus : *quod non dixiſſet, ſi diem reperiſſet in aliquo Martyrologio. Wionem ſecutus eſt Wilſonus in prima editione Martyrologii Anglicani, facta anno 1608, eumque laudat in margine. Utrumque eodem die ſecutus eſt Ferrarius in Catalogo generali, & Menardus in Martyrologio Benedictino. At nullus eorum vel minimum producit indicium cultus eccleſiaſtici. Tandem Wilſonus in altera editione Martyrologii Anglicani* Leofronam *cum Sociis tranſtulit ad 23 Septembris, neſcimus qua de cauſa. Neque enim illo die magis coli videtur, quàm 30 Julii. Arturus à Monaſterio* Leofronam *fixit die hac 1 Octobris, laudans pro ſua opinione Eduardum Maihew, qui in Trophæis Anglicanis Ordinis S. Benedicti tom. 2 ad 1 Octobris de* Leofrona *loquitur, illoque potiùs die, quàm alio, ponendam credit. Verùm laudatus Benedictinus Anglus* Leofronam *nec Beatis nec Sanctis annumerat, & captam quidem fuiſſe à Danis agnoſcit cum antiquis, de cæde verò ejus per aliquot ſolùm recentiores aſſerta pag. 1567 ita loquitur :* Quod verò ad Leofronam monaſterii S. Mildridæ abbatiſſam ſpectat, aſſerunt aliqui moderni, eam inter cæteros ſive cæteras neci traditam. At ab antiquis ſcriptoribus id expreſſis verbis non reperimus ſcriptum. *Id ego nihilo magis in Weſtmonaſterienſi aliiſve antiquis inveni. At, ſive cum aliis cæſa ſit, ſive ſolùm in captivitatem ducta ; ſi umquam cultu eccleſiaſtico honorata fuiſſet, id præ reliquis ſciviſſet ſcriptor Benedictinus Anglus, qualis eſt laudatus Maihew. Id ſimiliter non ignorâſſet Alfordus noſter, qui Annales eccleſiæ Anglicanæ edidit, & totam illam hiſtoriam ad annum 1011 conſcripſit ; nec ullibi* Leofronam *vocat* Sanctam *aut* Beatam, *ſicut nec Mabillonius tom. 5 Annalium Benedictinorum pag. 231, ubi* Leofrinam *vocat. Itaque ex cæde, quæ ne certò quidem probari poteſt, nimis facilè ſanctitatis titulus* Leofronæ *& ſociis datus eſt.*

Urſicinus *Tungrenſis aut Trajectenſis epiſcopus hodie annuntiatur in Florario Ms. Sanctorum & apud Ferrarium in Catalogo generali cum titulo* Sancti. *Idem titulus* Urſicino *additus eſt apud nos ad 12 Februarii in Prætermiſſis, & ab aliis pluribus* Sanctus *vocatur. Imò & Henſchenius noſter in Diatriba de Epiſcopatu Trajectenſi pag. 31 de* Urſicino, *quem inter epiſcopos Trajectenſes ponit tertium, ita habet :* S. Urſicinus, epiſcopus Trajectenſis, creditur Kalendis Octobris deceſſiſſe, ad eum diem quibuſdam Martyrologiis inſcriptus : quo anno, non conſtat. *Auctor Florarii de eo ſic habet :* Apud Trajectum ſuperius depoſitio Urſicini, duodecimi epiſcopi Tungrenſis & ſecundi Trajectenſis. Hic Deo multùm devotus exiſtens, poſtquam annis quatuor fideliter gubernâſſet eccleſiam ſibi commiſſam, feliciter tranſivit ad Dominum anno Salutis quingenteſimo viceſimo ſecundo. *Hæc ille ſeculi* XV *ſcriptor. Inquiſivi, utrùm aliqua etiam reperiantur cultus publici indicia. At nulla inveni, niſi quòd omnes Sancti epiſcopi Tungrenſes & Trajectenſes ſimul colantur die 6 Februarii, ut ibidem in Prætermiſſis eſt dictum. At hoc mihi non ſufficit ad cultum* Urſicino *aſſerendum, cùm præcipui aliquot Sancti nominatim ibi exprimantur*

D E F

in

A *in oratione, de* Urſicino *nulla fiat mentio. Itaque ſolum ſupereſt* Sancti *nomen, illudque ipſum quàm ſit vetuſtum, non invenio.*

Laurentius de Librafatta, *ſacerdos Ordinis Prædicatorum, cum titulo* Beati *memoratur apud Marcheſium & Lafonum ad hunc diem, idemque* Beati *titulus* Laurentio *jam datus erat apud Seraphinum Razzium & Michaëlem Pium ejuſdem Ordinis ſcriptores. Fuit magiſter S. Antonini, qui, poſtquam* Laurentius *Piſtorii obierat, ſcripſit Epiſtolam laudibus ejus plenam ad Prædicatores conventûs Piſtorienſis. Epiſtolam illam recitat Razzius in Vitis Sanctorum & Beatorum Ordinis Prædicatorum pag.* 238, *indeque ait Marcheſius, à S. Antonino &* Beatum & Sanctum *vocari. Continet ſanè Epiſtola illa magnificum* Laurentii *elogium, morumque ejus ſanctitatem mirè prædicat.* Beatus *etiam iteratis vicibus dicitur* Laurentius, *nullibi tamen* Sanctus. *Titulus quoque* Beati *cum ejus nomine numquam jungitur, ut* Beatus *ibidem non aliud videatur ſignificare, quàm* felix, *ſicut viventes etiam felices aut Beatos dicimus. Certè voces illæ* Beatus iſte, *ſtatim poſt mor-*

B *tem alicujus prolatæ, non videntur eumdem habere ſenſum, quem modò haberent illæ,* Beatus Laurentius. *Aliunde verò nihil habemus, quod vel ſuſpicionem ingerat de cultu eccleſiaſtico. Præterea Leander Albertus, qui Bononiæ edidit libros ſex de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, anno* 1517 *impreſſos, compoſuit* Laurentii *elogium, deditque lib.* 5 *fol.* 252. *Poterat ille procul dubio nôſſe, an coleretur Piſtorii, & minimè parcus eſt in titulis* Beati & Sancti. *Neutrum tamen* Laurentio *tribuit, neque nos id facere audemus, etiamſi Viri venerabilis virtutes magni faciamus. Plures ejuſdem Ordinis venerabiles viri & mulieres apud laudatos Marcheſium & Lafonum videri poſſunt.*

Protectio *ſanctiſſimæ Virginis Mariæ celebratur hodie apud Moſcos, in quorum Faſtis omnibus eam feſtivitatem notatam invenio.*

Feſtum SS. Roſarii B. Virginis Mariæ *agitur Dominicâ primâ Octobris, ut obſervavit Antonius de Balinghem in Kalendario SS. Virginis Mariæ. Spectat ad Opus particulare.*

Fidharlius *apud Colganum in Actis Sanctorum Hiberniæ pag.* 248 *quaſi Sanctus ad hunc diem refertur. Nimirum ex Menologio genealogico ibi*

C *Colganus recitat Sanctos ex familia S. Colmani, interque eos* Fidharlius *ſic recenſetur :* S. Fidharlius prædicti S. Fidhmunii germanus frater 1 Octobris. *At neſcimus, quanta ſit auctoritas iſtius Menologii genealogici, & non credimus, omnes, qui ex illo ibi dantur, ut Sanctos coli.*

Alphonſi Valentin, *ſacerdotis ex Ordine Prædicatorum, cum titulo* Beati *amplum datur elogium apud Lafonum in Anno Dominicano ad hunc diem. Verùm, cùm dicatur obiiſſe anno* 1564, *ideoque nequeat cultum habere immemorabilem ante decreta Urbani VIII, Beatis eum annumerare non poſſumus, niſi id priùs fecerit ſummus Pontifex. Apud Marcheſium etiam habetur ſine* Beati *titulo.*

Lotharius *ex imperatore monachus eum titulo* Sancti *memoratur apud Wionem & Dorganium, apud Ferrarium ſine ullo Sanctitatis aut beatitatis titulo. Jam inſinuavimus in Prætermiſſis ad* 29 *Septembris, immeritò titulos illos prodigi in* Lotharium *ob paucos dies, quibus in monaſterium moriturus receſſit.*

Rodolphus Tedeſcus, generalis *Ordinis Carmelitarum cum titulo* Beati *memoratur in Acie bene ordinata, quam Kalendarii inſtar compoſuit Philippus à Viſitatione, ejuſdem Ordinis presbyter. In Annotatis Mss. additur :* Prudentiâ & omni virtute inſignis fuit Carmeli Generalis anno MCCLXX : tandem ſancto fine quievit anno MCCLXXVI : ut Beatus colitur in Calendario Ordinis. *At Kalendarium iſtud tam antiquum non eſt, ut titulus* Beati *ibidem* Rodolpho *datus importet cultum eccleſiaſticum.* D

Aſperiani martyris apud Pariſios, qui converſus fuit per ſanctum Dionyſium, *his ipſis verbis mentio eſt in Mss. additionibus marginalibus Cartuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum.*

Tranſlatio beati Wilhelmi epiſcopi Malmisburinæ. *Sic habent eadem additiones. Suſpicor, inſinuari celebrem hiſtoricum Anglum, Wilhelmum aut Guilielmum Malmesburienſem, Ordinis Benedictini monachum in abbatia Malmesburienſi. At ille nec epiſcopus fuit, nec Beatis annumerari ſolet.*

Papa & Mama, *neſcio qui, notati ſunt in Faſtis Æthiopicis apud Ludolfum, omiſſi in omnibus aliis.*

Gabra-Chriſtus, *id eſt,* Servus Chriſti, *inquit Ludolfus, iiſdem Faſtis inſertus eſt, ſed nobis ignotus, eo ſaltem nomine.* E

Matthathiæ, *& trium filiorum ejus Machabæorum, videlicet* Judæ, Jonathæ & Simonis; *item hujus filii* Joannis, & Oniæ *ſummi ſacerdotis, ac demum* Eleazari, *pro lege Judæorum occiſi, meminit hodie Grevenus. Omnes illi ſimiliter recenſentur in Martyrologio Germanico, ibique ſubjungitur* Simon Oniæ *filius, quem mirè celebrat Eccleſiaſticus cap.* 50. *Aliorum geſta in libris Machabæorum enarrantur.*

Dedicatio eccleſiæ cathedralis *Burgi S. Donnini in Italia apud Ferrarium.*

Joannes *rex Armeniæ, aliàs* Hayto *dictus, & ex rege Franciſcanus, qui demum, reſumpta contra infideles rerum bellicarum adminiſtratione, in prælio occiſus dicitur, cum titulo* Beati *memoratur ab Arturo in Martyrologio Franciſcano, ſed ſine cultu publico. Unicum, quod aliquam de cultu ſuſpicionem ingerere poteſt, ita in Annotatis refertur :* Siſii (*in Cilicia*) apud Fratres Minores conditum corpus ejus, habent antiqua Chronica Mss. Minorum & Marianus : ſed inde tranſlatum eſſe in Aquitaniam, ibique miraculis clarere, famam eſſe ſcribit Volaterranus lib. 21 Anthropol. Titul. de Eremitis. *Habet id revera de tranſlatione & aſſertis miraculis Volaterranus. At ex miraculis non ſtatim ſequitur cultus eccleſiaſticus : an verò aſſertum Volaterrani ſit verum, dubitari meritò poteſt, cùm id apud alios non inveniam.* F

Domninum *alterum, tamquam diſtinctum ab eo, quem ſuprà memoravimus, in Menologio ſuo annuntiavit Sirletus his verbis :* Eodem die natalis beati martyris Domnini. Hic fuit ex urbe Theſſalonica, qui ductus Nicomediam, ut Chriſtum abnegaret, id omnino recuſans, & Chriſtum cum omni libertate confeſſus, verberatus, miſſus eſt ad Meſopotamiæ præſidem, crudelem admodùm atque immanem : ſed facta irruptione Perſarum, captivus ductus eſt in regionem Perſidem, ubi multos ad Chriſti fidem convertens innotuit, & detentus atque cruciatus, in tormentis ipſis animam reddidit. *Hac apud Græcos non invenio, ut neſciam,*

A *am, undè hauserit Eminentiſſimus Sirletus, & conſequenter ignorem, an* Domninus *ille, cujus martyrii nec tempus nec locus aſſignatur, umquam exſtiterit, aut certè ab aliis ſit diſtinctus.*

Pictonis *presbyteri* apud Carnotum *ſit mentio in codice Uſuardino Burdegalenſi, in Bizunticenſi* Platonis, *uti &* Piati *apud Muneratum, ubi ſimiliter* Apud Carnotum *legitur. Eſt* S. Piatus *vel* Piato *Tornacenſis, de quo hodie agitur.*

Chrittus *apud Florentinium in textu ponitur* Thomis, *in Epternacenſi clarè annuntiatur* Thomis civitate., *& ſcribitur* Chriſtus. *In Corbeienſi vocatur* Julius, *memoraturque in* Tomis, *in Blumiano* Chryſtus. *Hunc, cùm quòd omiſſus ſit in omnibus apographis contractioribus, tum quòd nomen tam variè exhibeatur, tum quòd de eo plura non innotuerunt, hîc ſolùm commemoramus.*

Nannius Coppenus, *ut* martyr, *apud Rayſſium memoratur.*

Philonis *epiſcopi & martyris* in Gallia *meminit Ferrarius, ſed in Annotatis oſtendit, ſe malè* B *informatum, dum dicit :* Ex quodam Kalendario Gallico. *Galli ipſi* Philonem *illum ignorant : qui veriſimiliter ex nominis corruptione à Ferrario poſitus eſt.*

Neëmias, *ut epiſcopus in Hibernia ex monacho primùm Benedictino, & deinde Ciſtercienſi, memoratur cum titulo* Beati *ab Henriquezio, ſed ſine probatione cultûs. Videri poteſt Vincentius Bellovacenſis in Speculo lib.* 27 *cap.* 103.

Priſcus *epiſcopus in Scotia memoratur à Camerario : ſed nulla ſuggerit cultûs indicia, & de* Priſco *illo tacent alii martyrologi.*

Dedicatio baſilicæ Salvatoris *annuntiatur apud Ferrarium*, Oveti in Hiſpania.

Ulrici *monachi Villarienſis in Brabantia, Ordinis Ciſtercienſis, cum titulo* Beati *meminerunt Rayſſius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii, Gelenius in Colonia Agrippina, Henriquez & Chalemotus in Menologiis Ciſtercienſibus, & Kalendarium eorumdem Divione impreſſum. Nullus tamen ſuggerit ulla publici cultus indicia. Agunt de* Ulrico *; ut de monacho admodùm pio, Cæſarius Heiſterbacenſis lib.* 9 C *cap.* 31, *& Hiſtoria monaſterii Villarienſis apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1355.

Meginerum *archiepiſcopum Trevirenſem anno* 1176 *hac die Parmæ in carcere obiiſſe, referunt multi, & poſt alios Calmetus in Hiſtoria Lotharingiæ recuſa tom.* 2 *col.* 551, *ubi addit, meritò ut Martyrem prædicari in vetuſtis monumentis eccleſiæ Trevirenſis. Attamen non invenio, ullis inſertum fuiſſe Martyrologiis, aut cultu eccleſiaſtico honoratum.*

Valerius, Felix & Alexander, *ut martyres ſub Nerone, annuntiantur in Martyrologio Brixienſi ad hunc diem. Verùm, cùm illi in utroque Ferrarii Catalogo, & in aliis Martyrologiis ignoti ſint ; nihilque proferatur in Annotatis, ex quo colligere valeamus, illos umquam fuiſſe cultos, certiora requirimus documenta.*

Duodecim Fratrum, *qui à Saracenis capti & occiſi ſunt in Paleſtina, cum titulo* Beatorum *meminit Martyrologium Franciſcanum, uti & aliorum quorumdam. De duodecim illis agit Waddingus ad annum* 1369 *num.* 10, *ſed ſine titulo* Beatorum, *quem nec aliis apud Arturum memoratis vindicare poſſumus.*

Abram & David *apud Grevenum & Caniſium memorantur cum S. Remedio, de quo hodie agitur. De iis videri poſſunt dicenda in S. Remedio.* D

S. Flaviæ *V. M. tranſlationem corporis memorat Octavius Caietanus ad domum probationis Societatis Jeſu Panormitanam, & ex eo Ferrarius. Eſt* S. Flavia *ex Sociis S. Placidi, de quibus agendum ad* v Octobris.

S. Froilani *Legionenſis in Hiſpania epiſcopi hodie meminit Caſtellanus. At* S. Froilanus *Martyrologio Romano inſcriptus eſt ad* v Octobris.

Bacus *ponitur in Faſtis Æthiopicis apud Ludolfum. In Coptico alio, quòd ſcabrosè Latinum factum habemus, intelligitur, ſocium eſſe S. Sergii ; ſic enim habet :* Sanctus Baccus martyr, ſocius S. Sergii. *At SS. Sergius &* Bacchus *MM. in Romano Martyrologio leguntur ad* VII Octobris.

S. Laurentiæ *V. M. hodie meminerunt Ferrarius & Caſtellanus, at Martyrologium Romanum* S. Laurentiam *cum ſorore ſua* Palatiate *annuntiat ad* VII Octobris.

S. Quinocus, *Gallicè* S. Qué, *hoc die annuntiatur apud Caſtellanum in Britannia Armorica, quia parœcia eſt eo nomine dicta, vulgari ſcilicet* S. Qué, *quod ſimiliter habemus ex litteris Brioco huc miſſis anno* 1675 *per epiſcopi Briocenſis ſecretarium. Caſtellanus autem parœciam tribuit diœceſi Briocenſi, ſed intra limites Dolenſis. Contrà Epiſtola aſſerit, intra limites quidem Diœceſis Briocenſis parochiam illam eſſe ſitam, ſpectare tamen ad diœceſim Dolenſem. Caſtellanus Sanctum illum credit Epiſcopum Hibernum, uti etiam Epiſtolæ ſcriptor ; ſed his addit, de Sancto illo nihil innotuiſſe. Dicit tamen, ſe vidiſſe caput ejus, quod abhinc quingentis annis fuerit compoſitum : neque addit, an in factitio illo capite ſint aliquæ Sancti reliquiæ. Laudatus Caſtellanus ad* 7 *Octobris, tamquam alium Sanctum, eumque ſolitarium, annuntiat in parochia* Cleder *diœceſis Leonenſis,* S. Colodocum, *vulgò* S. Ké *nominatum. Video inter ipſos ſcriptores Armoricos diſputari, an duo ſint Sancti diſtincti, nec immeritò. Certè* S. Qué *&* S. Ké *pro eodem nomine Gallico habendum exiſtimo, etiamſi ſcriptione differant. Nomina verò Latina ex corruptis priùs Gallicis poſtmodum veriſimiliter conficta ſunt, ut parum nos movere debeat, quòd* Quinocus *&* Colodocus *multùm differant. Vehemens quoque ſuſpicio eſt, Sanctum aliquem Hibernum, ſive* Queranum *aut* Kieranum, *de quo apud nos ad* 9 *Septembris, ſive alium quempiam ſub corruptis Gallicis nominibus latere, & vero nomine ſuo notiorem eſſe. Itaque plura hîc non habemus dicenda, etiamſi cultum hodierni Sancti agnoſcamus, & plura dici poterunt, ſi quis certiora doceat, ad* VII Octobris. E

S. Clarus *epiſcopus Namnetenſis hodie memoratur apud Albertum le Grand & apud Lobineau in Sanctis Britanniæ Armoricæ : at apud alios & nominatim apud Caſtellanum ad* x Octobris.

In Martyrologio Trevirenſi notata eſt Dedicatio altaris S. Gereonis. *De* S. Gereone *& Sociis agendum eſt ad* x Octobris.

S. Opilii *diaconi Placentini ad hunc diem meminit Caſtellanus in Supplemento, veriſimiliter ex Catalogo Sanctorum Italiæ Ferrarii, ubi hac die notatur in Indice. At idem Ferrarius in Catalogo generali* S. Opilium *rectè annuntiat cum Officiis propriis Placentinis ad* XII Octobris.

S. Benedicti *cum ſolo* confeſſoris *titulo meminit* F *ho-*

A *hodie Menardus in Martyrologio Benedictino, eumque annuntiat* in Aremorica regione. *In Annotatis addit, natum fuisse Patris in Achaia, & in solitudine Namnetensis diœcesis, cui nomen* Maceracum, *vitam eremiticam duxisse. De eodem ad hunc diem meminerunt Bucelinus in Menologio Benedictino, Saussayus in Gallicano, & Castellanus in Universali, & hîc* abbatem *vocat. De* S. Benedicto *etiam agunt Albertus le Grand in Vitis Sanctorum Britanniæ Armoricæ pag.* 512 *& Lobineau in Opere recentiore ejusdem argumenti. Omnes disertè aut tacitè insinuant,* S. Benedictum *hac die obiisse, sed duo posteriores addunt, eum coli die* 22 *Octobris, quo corpus translatum dicunt, non verò hoc die. Observat insuper Lobineau, incerta admodum esse, quæ asseruntur de* S. Benedicto. *Itaque gratum nobis facient eruditi, si certiora docuerint pro die* XXII Octobris.

S. Frontus, *aliàs* Fronto, *episcopus Petracoricensis, hodie memoratur apud Rabanum: quem non satis intellectum secuti sunt Molanus, Galesinius, Ferrarius & Canisius, omisso episcopatûs loco. Colitur* S. Fronto *Petracoricensis* XXV

B Octobris.

SS. Luciani *& alterius* Martyris *(ut videtur ibi vocari, sed mendosè impressa est vox illa, quantum existimo) meminit Ferrarius, eosque ponit* Vici in Hispania, *addens in Annotatis,* Ubi corpora habentur, & festum cum Octava celebratur Dominicâ I post festum S. Hieronymi. *Attamen de illis hoc die nullus alius martyrologus meminit, ut existimem eosdem esse* Lucianum *&* Marcianum, *quos similiter* Vici in Hispania *annuntiat die, quo & à pluribus commemorantur, & quo de loco martyrii poterit disputari,* XXVI Octobris. D

Abreha *&* Atzbeha, *primi reges Christiani in regno Habessinorum hodie memorantur in Fastis Æthiopicis apud Jobum Ludolfum, unde & eos accepit, opinor, Castellanus, licèt nomina utcumque mutaverit, unumque solum regem vocet & Sanctum. De his videri poterit in S. Frumentio Æthiopum apostolo, qui colitur* XXVII Octobris.

S. Dodo *monachus hodie memoratus erat à Castellano, sed pag.* 1008 *in corrigendis totum ibidem deleri jussit, & transferri ad diem, quo & ab aliis* Dodo *annuntiatur,* XXVIII Octobris.

S. Nicetii *Trevirensis episcopi hodie meminerunt Appendix Adonis, plura Auctaria Usuardi, & aliqua Bedæ, Florarium Ms. Sanctorum, multique martyrologi recentiores. Agetur de eo cum Martyrologio Romano ad* V Decembris.

S. Autberti *Cameracensis episcopi translatio memoratur apud Grevenum & Canisium. De* S. Autberto *agetur ad* XIII Decemb. E

S. Trophimi *Arelatensis episcopi translatio memoratur apud Ferrarium.* S. Trophimus *legitur in Martyrologio Romano ad* XXIX Decemb.

DE S. PIATO VEL PIATONE

PRESBYTERO, MARTYRE, ET APOSTOLO TORNACENSIUM

SECLINII IN FLANDRIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

C § I. Memoria Sancti in Fastis sacris : locus inventi à S. Eligio F
corporis, ubi modò ecclesia Sancto dicata : cultus ibidem, Tornaci, Carnoti, & in aliis locis.

CIRCA AN. CCLXXXVII. *Sancti in antiquis Kalendariis & Usuardo memoria,*

Nomen hodierni Sancti aliàs scribitur Piatus, *aliàs* Piato *vel* Piaton, *subindè etiam* Piator. *In Kalendario Corbeiensi, quod edidit Martenius tom.* 3 *Anecdotorum ex codice, ut putat, seculi* VIII, *ad Kalendas Octobris occurrit* Piati *nomen. In altero seculi* IX, *quod edidit Acherius in Spicilegio, legitur :* Et natalis S. Piatoris. *In codice Hieronymiano Florentinii eodem die in fine legitur :* Et sancti Piatoni. *At verba illa meritò habentur pro additione seriùs facta, quoniam absunt à reliquis codicibus Hieronymianis. Usuardus* S. Piatonem *distinctiùs memorat his verbis :* Civitate Tornaco passio S. Piatonis presbyteri, qui cum beato Dionysio episcopo ejusque sociis ab urbe Roma Galliam prædicationis causâ expetiit, ac postea consummato martyrio migravit ad Christum. *Georgius in Adone ad hunc diem ex tribus codicibus recentioribus profert aliqua, quæ in vetustioribus non invenit Rosweydus, nec in suo Adone edidit. Sunt autem in illis de* S. Piato *sequentia :* In pago Menenense, natalis S. Piati : qui cum beato Dionysio episcopo ejusque sociis ab urbe Roma Galliam prædicationis causâ expetiit, ac postea consummato martyrio, migravit ad Dominum.

non item in Adone, sed in auctis ejus codicibus,

2 *Tum in Annotatis differit contra observationem Sollerii nostri, qui hæc scripsit :* Piatonis vel Platonis, aliàs Piati, memoria Hieronymianis à Florentinio adjecta censetur, nec illam inde accipere debuit Usuardus, qui procul dubio Acta vidit, ex quibus elogium contextum est. *Georgius, quia in suis codicibus* S. Piatum *invenit, insinuare vult, Usuardum sua potuisse ex Adone accipere. Verùm cùm ipse codices suos non faciat se-*

AUCTORE J. S.

culo XI *&* XII *vetuſtiores; cúmque apud Moſandrum & Roſweydum de* S. Piatone *nihil in Martyrologio Adonis legatur, ac ne in Appendice quidem Roſweydi, prorſus improbabiliter Adoni tribuerentur illa, quæ ex ſuis codicibus dedit Georgius.*

aliiſque Martyrologiis, aliàs in pago Medenantenſi, aliàs Tornaci,

3 *In Martyrologio S. Maximini Trevirenſis, quod edidit Martenius tom.* 6 *Collectionis Ampliſſimæ ex codice, quem credidit ſeculi* X, *ad* 1 *Octobris poſt alios legitur* Bavonis & Pionis, *qua ultima voce* S. Piatum *mendosè deſignatum exiſtimo. Ibidem in Kalendario Stabulenſi clariùs exprimitur, & quidem primo loco, his verbis :* Piatonis martyris. *Ibidem rurſum in Martyrologio Autiſſiodorenſi.* In pago Medenentenſe natale S. Patonis (*pro* Piatonis) martyris. *Apud Georgium antè laudatum in Kalendario Vaticano legitur.* In pago Medenentinſe Piatonis mar. *Ibidem in Martyrologio Fuldenſi confeſſoribus adſcribitur his verbis :* Eodem die, natalis ſanctorum confeſſorum Piatonis atque Bavonis. *Legitur ejuſdem Sancti memoria in aliquot auctariis Bedæ & Uſuardi. Herinienſis codex apud Sollerium annuntiat Sanctum* in pago Medenentinſe, *Bruxellenſis in* pago Me-

B denetenſi. *De loco illo & alii plures, quos brevitatis gratiâ mitto, conſentiunt. At auctor Florarii Ms. & Petrus de Natalibus* S. Piatonem *Tornaci annuntiant cum Uſuardo. Idem fecit Baronius in Martyrologio Romano, ubi ſic habet :* Tornaci ſancti Piatonis presbyteri & martyris, qui cum B. Quinctino, ejuſque ſociis ab urbe Roma in Galliam prædicationis causâ perrexit, ac poſtea in perſecutione Maximiani conſummato martyrio migravit ad Dominum. *Sunt ferè verba Uſuardi, ſed pro Dionyſio ſocio apud Uſuardum ſubſtitutus eſt Quintinus, de quo plura dicentur.*

in quibuſdam etiam Carnoti.

4 *Miſſis recentioribus martyrologis, quorum verba ad propoſitum noſtrum minùs conducunt, huc transferam aliquot auctaria Uſuardi, apud Sollerium recitata, in quibus non Tornaci aut in pago diœceſis Tornacenſis, ſed Carnoti annuntiatur* S. Piatus *aut* Piato, *nomine etiam in aliquibus luxato. Apud Muneratum in fine additur, tamquam diverſus, his verbis :* Apud Carnotum, Piati martyris. *In codice Burdigalenſi legitur :* Civitate Carnoto, paſſio ſancti Pictonis (*pro* Piatonis) presbyteri, qui cum beato Dionyſio *&c. In Bizunticenſi :* In pago Carnotenſi, natalis ſancti Platonis, qui cum beato Dionyſio *&c. Cur* Carnoti *aut* in pago Carnotenſi *in iſtis memoretur Sanctus, facilè conjicere poſſumus ex iis, quæ dicentur de corpore olim Carnotum tranſlato. Quapropter, ſive* Piato *ſcribatur ſive* Plato, *non eſt diverſus à* S. Piatone, *ut liquet ex verbis*, qui cum beato Dionyſio *&c. Editio Lubeco-Colonienſis tempus martyrii, ab Uſuardo prætermiſſum, his addidit verbis :* Ac poſtea ſub Diocletiano, conſumpto martyrio, migravit ad Dominum. *Aliquid rurſum particulare habet matricula Cartuſiæ Ultrajectenſis, ubi legitur :* Pyatonis primi Tornacenſis epiſcopi & martyris. *At obſervat Sollerius*, in margine *notata eſſe hæc verba :* De epiſcopatu Piatonis vidi magnam quæſtionem. *De illa quæſtione agam, quantùm neceſſe videbitur. Interea tranſeamus ad cultûs antiquitatem, quæ certè major eſt, quàm Martyrologia hactenus prolata probare valeant.*

C

Sancti corpus Seclinii inventum à S. Eligio,

5 *Inventio corporis* S. Piati *refertur in Vita S. Eligii lib.* 2 *cap.* 7, *ſive tom.* 5 *Spicilegii Acheriani pag.* 202, *ubi S. Audoënus de S. Eligio, epiſcopo Noviomenſi & Tornacenſi, hæc ſcribit :* Poſt hæc (*ſive poſt inventum corpus S. Quintini diu quæſitum*) ſimili modo, grandi labore atque D inſtantia invenit in territorio Medenantenſi vico Sacilinio ſanctum martyrem Piatonem, cui ſimiliter clavos prolixos ex corpore ablatos populis in argumentum monſtravit. *Valeſius in Notitia Galliarum pag.* 327 *agit de pago Medenantenſi ex hoc ipſo loco, quem partim recitat, additque locos alios, in quibus eumdem pagum memorari credit. Cùm locus nobis ſatis ſit notus hoc tempore, ſolùm recitabo ejus verba ad nos proximè ſpectantia.* Pagus Medenantenſis, *inquit*, vel Medenentenſis, nunc dicitur le Melantois.... Caput pagi Medenentenſis eſt Seclinium, (Seclin) collegio canonicorum, & S. Piatonis martyris reliquiis nobile. *Eſt Seclinium diœceſis Tornacenſis, creditурque Seclinii aut in ejus vicinia paſſus* S. Piato, *quia corpus ibi eſt inventum. Hinc in Martyrologio Pariſienſi Sanctus accuratè annuntiatur his verbis :* In territorio Medenantenſi, vico Sacilinio diœceſis Tornacenſis, ſancti Piatonis presbyteri ac martyris, cui acceptam Chriſti fidem Tornacenſes referunt. *Diſtat Seclinium longiùs Tornaco, quàm Inſulis, à qua civitate abeſt duobus circitèr milliaribus Belgicis verſus Arteſiam.* E

& magnifico mauſoleo honoratum,

6 *Quid fecerit S. Eligius, invento corpore S.* Piatonis, *ſubjungit S. Audoënus his verbis :* Corpus denique, ſicut Martyrem decuit, eleganter compoſuit, atque mauſoleum urbanè deſuper fabricavit. *Nihil additur de tranſlato ad alium locum corpore, nihil de eccleſia aut conſtructa aut amplificata. De mauſoleo ſupra ſepulcrum eleganter compoſito ſolùm agitur, ſive de exornato Sancti ſepulcro. Quàm verò magnificè Sanctorum ſepulcra exornare ſoleret S. Eligius, indicat S. Audoënus lib.* 1 *cap.* 32, *ubi multa ab eodem exornata perſtringit his verbis :* Hic idem vir beatus inter cætera bonorum operum inſignia, multa Sanctorum auro argentoque & gemmis fabricavit ſepulcra, id eſt, Germani, Severini, Piatonis, Quintini, Lucii, Genovefæ, Columbæ, Maximiani & Loliani & Juliani. *Ex hoc autem loco aliquot recentiores ſcriptores in errorem lapſi videntur, dum ſcripſerunt, corpus* S. Piatonis *ante epiſcopatum à S. Eligio inventum. Nam generatim hîc ſolùm multa perſtringit S. Audoënus, quæ deinde ſingula refert ad ſua tempora. Cùm autem inventionem* S. Piatonis *dicat contigiſſe poſt inventum corpus S. Quintini, & hoc ipſum invenerit tempore epiſcopatûs, error ille manifeſtus* F *eſt. De inventione S. Quintini lib.* 2. *cap.* 6 *S. Audoënus ita loquitur :* Ex eo ergo tempore, quo Eligius pontifex conſecratus, & eccleſiæ paſtor eſt datus, ab eo nonnulla inventa (*Sanctorum corpora*) populis ſunt declarata. Ex quibus primum ac ſummum ſanctum martyrem Quintinum in principio epiſcopatus ſui, grandi inſtantia quæſitum, olim quoque celatum, promovit palàm in publicum. *Hæc manifeſtè oſtendunt, etiam inventionem* S. Piatonis, *quæ* poſt hæc *ſecuta eſt, in epiſcopatu S. Eligii contigiſſe.*

quod contigit poſt mortem regis Dagoberti ſub Clodoveo II

7 *Hinc inventio nequit figi ante mortem regis Dagoberti & regnum Clodovei II, cujus anno tertio S. Eligius factus eſt epiſcopus. Hinc alius rurſum error recentiorum corrigendus, qui æquè ac præcedens Officii Tornacenſis lectionibus inſertus eſt. Etenim S. Eligius dicitur mauſoleum compoſuiſſe* ſumptibus Dagoberti Francorum regis. *At Dagobertus erat defunctus, ut ejus id ſumptibus non fecerit S. Eligius, ſed vel propriis, vel aliorum benefactorum, vel Clodovei regis, cujus tempore facta eſt inventio. Locus Vitæ S. Eligii, ex quo error profluxit, habetur lib.* 1 *cap.* 32 *&*

par-

A *partim allegatus fuit num. 6. Poſt verba ibidem data ſequitur :* Adhuc autem & aliorum multorum, ſed præcipuè B. Martini Turonis civitate, Dagoberto rege impenſas præbente, miro opificio ex auro & gemmis contexit ſepulcrum *&c. Si quis totum locum rectè expenderit, videbit, illud de ſumptibus à Dagoberto ſubminiſtratis referri ad ea, quæ Turonibus dicuntur compoſita. At recentiores iſtud retulerunt ad omnia etiam præcedentia. Quod verum eſſe poteſt de aliquibus, ſed non de SS. Quintino &* Piatone, *cùm facta ſint poſt mortem Dagoberti.*

cultus Sancti antè erat inchoatus, & eccleſia veriſimiliter eidem dicata,

8 *Porrò nolim quis exiſtimet, ex inventione corporis inchoatum* S. Piatonis *cultum. Neque enim dubitare poſſumus, quin Sanctus antea coleretur, ideoque corpus quæreretur, ut certus ſepulcri locus populo innoteſceret. Nam hanc fuiſſe intentionem S. Eligii, dum corpora Sanctorum quærebat, declarat lib. 2 cap. 6 S. Audoënus, talemque addit rationem, ut ex hac ipſa innoteſcat, Sanctos fuiſſe cultos ante corporum inventionem.* Huic itaque viro ſanctiſſimo, *inquit*, id etiam à Domino conceſſum erat, ut ſanctorum martyrum corpora, quæ per tot ſæcula abdita

B populis hactenus habebantur, eo inveſtigante ac nimio ardore fidei indagante, patefacta proderentur. Siquidem nonnulla venerabantur priùs à populo in locis, quibus non erant, & tamen quo in loco certiùs humata tegerentur, prorſus ignorabatur. *Colebantur igitur Sancti martyres, quorum corpora quærebat S. Eligius, ſed eorum ſepulcra erant ignota, veriſimiliter quòd metu barbarorum, qui Gallias ſeculo quinto & ſexto inundârunt, altè ſub terra fuiſſent abſcondita, aut ab initio propter gentiles ſic ſepulta. Eccleſia tamen, in qua erat corpus S. Quintini, videtur nota fuiſſe, ut colligitur ex prolixa inventionis relatione. Sic nota fuerit eccleſia, in qua erat corpus* S. Piatonis, *eaque veriſimiliter jam tunc Sancto erat dicata, & olim ſupra ſepulcrum ejus ædificata.*

quæ modò eſt collegiata : arca ibi magnifica,

9 *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii de ſancto* Piato *agit, & de loco, ubi quieſcit. Poſteriora huc transfero :* Quieſcit Siclinii in territorio Melanteſio, ubi in honorem martyris & primi Apoſtoli Tornacenſium eſt clericorum ſive canonicorum collegium, cujus mentio eſt in libro 3 Decretalium. Initium autem fecit S. Eligius. *Si hoc velit dicere de collegio canonicorum, probationem non invenio ; ſi de initio eccleſiæ aut cultus* S. Piatonis, *falſum puto. Elevatio corporis, & exſtructio mauſolei debetur S. Eligio, ut jam vidimus. At cultus multò antiquior eſt, & inſtitutio canonicorum fortè recentior. Pergit Molanus :* Natalem Uſuardus habet Calendis Octobris, quem Tornacenſis eccleſia eo die & per Octavas celebrat. Tranſlatio verò annuè recolitur quarto Calendas Novembris, quam fecit Eligius epiſcopus, (*ſed dubitari poteſt, an fortè non ſit alia tranſlatio*) qui etiam monumentum Martyris mirificè exornavit, ut ex cultu ſepulcri oſtenderet, quantus ſit Martyr apud Deum in curia cæli. Siclinienſes celebrant etiam feſtum elevati capitis feriâ quintâ poſt Dominicam, quâ cantatur introitus Miſſæ, CANTATE.

diverſa ab antiquo mauſoleo, & anno 1458 *compoſita.*

10 Quod autem ad corporis feretrum attinet, & hoc quidem argenteum, deauratum, & elegans, ſed videtur longè recentius, quàm ut id eſſe poſſit, quod ſumptibus Dagoberti regis Francorum divum Eligium aurificem ante epiſcopatum ſuſceptum illi confeciſſe ſcribit S. Audoënus. *Hæc facilè admittimus, modò corrigatur, quod dicitur de mauſoleo ante epiſcopatum ſumptibus Dagoberti compoſito. Imò certum eſt, hodiernum feretrum ſive arcam reliquiarum non eſſe antiquiorem ſeculo* XV ; *longéque diverſam à mauſoleo per S. Eligium conſtructo. De corpore in eam tranſlato anno* 1458 *agetur num.* 51. *De collegio canonicorum conſentit Miræus in Faſtis Belgicis & Burgundicis ad* 1 *Februarii pag.* 69, *ubi de* S. Piato *dicit :* Et quieſcit Seclinii, quod eſt Flandriæ municipium, in collegiata canonicorum ſui nominis baſilica. *De celebritate cultûs in eccleſia Seclinienſi plura proferunt Joannes Buzelinus in Annalibus Gallo-Flandriæ, & Joannes Couſin, quem aliqui Latino nomine* Cognatum *vocant, nos verò* Couſinum *more noſtro vocabimus, in Hiſtoria Tornacenſi. Ex illis aliqua allegabimus poſt examinata Sancti geſta, ubi agetur de cultûs celebritate.*

AUCTORE J. S.

Non modò Seclinii, ſed etiam Tornaci ſolemnis eſt feſtivitas S. Piati,

11 *At non ſoli Seclinienſes* S. Piatum, *cujus corporis notabilem ſaltem partem poſſident, religiosè honorant, ſed eumdem tamquam Apoſtolum ſuum celebri Officio etiam colunt Tornacenſes. In Breviario Tornacenſi, quod impreſſum eſt ſub initium ſeculi* XVI, *feſtivitatis* S. Piati *celebritas rubris litteris declaratur in Kalendario. In Officiis propriis ſanctorum Patronorum cathedralis Tornacenſis, anno* 1626 *impreſſis, ponitur Officium duplex cum Octava, & per omnes dies, quibus Officium de* S. Piato *peragitur, ſemper aliæ ponuntur lectiones de vita & gloria poſthuma Sancti compoſitæ. In Officiis propriis ejuſdem cathedralis, quæ anno* 1712 *impreſſæ ſunt, ita ad* 1 *Octobris notatur :* In feſto S. Piati presbyteri & martyris, diœceſis apoſtoli & patroni. Triplex majus cum Octava. *In Officio autem non modò lectiones ſecundi nocturni, ſed etiam antiphonæ omnes, hymni & reſponſoria ſunt propria, & de geſtis Sancti compoſita ; ſed reliquis diebus alia non leguntur Sancto propria. Lectiones dicuntur compoſitæ* ex hymnis S. Fulberti epiſcopi Carnotenſis, ex Vita S. Eligii, ex Martyrologio Uſuardi, & ex Molano & Miræo.

E

cujus geſtorum compendium in lectionibus Officii recitant.

12 *Eas pro compendio geſtorum huc transfero :* Piatus Beneventi claris parentibus oriundus, puer litteris imbutus totum ſe Chriſto ſubdidit. In adulta ætate conſtitutus contempſit mundi gloriam, & unica eaque ſimplici veſte ſibi reſervata, cætera in pauperum uſus erogavit. Romam, Deo diſponente, profectus, inde à Romano Pontifice cum beato Dionyſio & ſociis ejus directus eſt in Gallias ad prædicandam fidem Chriſti, ubi Tornaci primò, ac deinde in locis vicinis miniſterium ſuum implevit. Triginta virorum millia, ac præterea mulierum & parvulorum multitudinem penè innumeram undis ſalutaribus abluit. Manſuetus erga omnes, durus erat in ſe ipſum. Cùm verò delatum fuiſſet præſidi, tantam fidelium copiam Chriſto ſubditam fuiſſe per Piati prædicationem, juſſit eum comprehendi. Comprehenſus poſt carcerem, compedes, verbera, cæteraque ſuperata tormenta, cæſo capite Tornaci martyrium conſummavit Kalendis Octobris in perſecutione Maximiani. Sepultus eſt Seclinii, quod eſt Flandriæ municipium in territorio Medanentenſi, eo loco, ubi nunc eccleſia ſub ejus invocatione conſtructa conſpicitur : & dum ſepulturæ mandaretur, odor gratiſſimus emanavit. Ibi poſt trecentos & quinquaginta annos beatus Eligius aurifex, nondum epiſcopus Tornacenſis, grandi labore atque induſtriâ ſanctum illud corpus invenit : clavoſque prolixos, de ejus corpore ablatos, populis in argumentum monſtravit. Inventum, ſicut Martyrem decuit,

F

AUCTORE J. S.

eleganter compoſuit, atque mauſoleum deſuper auro argentoque & gemmis fabricavit, ſumptibus Dagoberti Francorum regis. *Hiſce pro majori parte Acta conſonant. Ultima jam correcta ſunt num. 6 & 7. De loco martyrii, quod hîc* Tornaci *figitur, deinde diſſeretur.*

Sanctus etiam Carnoti cultus: Carnotenſis Officii

13 *Carnoti, ubi* S. Piatonem *in aliquot auctariis Uſuardinis annuntiatum vidimus, etiam colitur Officio duplici. Certè in Breviario Carnotenſis eccleſiæ anni* 1633 *legitur ad* 1 *Octobris Officium duplex de* S. Piato, *ſed ſine Octava. In Antiphona ad* Magnificat *dicitur:* Et de corporis præſentia Carnoti clara gloriatur eccleſia. *Lectiones ſecundi nocturni notabiliter differunt à Tornacenſibus. Quapropter totas huc transfero:* Piato, qui & Piatus, Beneventi in Samnitibus natus, Romæ

* Aureliani

presbyter ordinatus, Aurelii * imperatoris, ſeveri & truculenti principis, decimam perſecutionem Chriſtianis inferentis, temporibus cum beatis martyribus Victorico, Fuſciano, Regulo, Quinctino, Luciano, Criſpino, Criſpiniano, & quibuſdam aliis in Gallias prædicationis ergô miſſus eſt. Aurelio autem ſublato, cùm Eccleſia aliquantulùm reſpiraret, Carnotum venit, ubi fideles in avita perſuaſione perſeverantes inveniens, Diocletiano & Maximiano imperantibus, Tornacum Nerviorum oppidum petiit. In quo non

B

parum temporis demoratus, divini verbi ſemina ſpargendo, ejuſdem loci populum, Chriſtum adhuc neſcientem, ſed idolis omnino addictum, ad triginta & ampliùs hominum millia, mulieribus, & qui ſub teneris annis utriuſque ſexûs degebant, non computatis, convertit, quos ſanctis præceptis imbutos ſalutaribus undis abluit.

lectiones in aliquot capitibus à Tornacenſibus

14 Creſcente verò credentium multitudine, Irenei cujuſdam Tornacenſis civis, qui prior Chriſto nomen dederat, domum in templum convertit Deoque dicavit, ibique diaconos, lectores & cantores, qui ſubmiſſa voce canerent (quod adhuc in eccleſia Carnotenſi ſervatur) conſtituit. Quod cùm Maximianus reſciſſet, Rictio Varo Nerviorum ſub Romanis imperatoribus præfecto mandat, ut, quos ſuprà diximus viros, tamquam perduelles de medio tollat. At fide ipſorum & in tormentis conſtantiâ victus, cùm nihil ſe proficere videret, ſpe cadens, in rogum, quem in Sanctorum perniciem Sueſſionis paraverat, ſeſe projecit. Quare ſuffectis tribus aliis præfectis, eos in Belgium miſit. Qui Tornacum advenientes, Piatum, velut ſceleris auctorem, comprehendi juſſerunt. Verùm Piatus à ſuis admonitus,

C

eos è ſuggeſto, ut in fide, quam profeſſi erant, manerent, hortatus, ſecundum Dei verbum cùm ſe ſubducere vellet, Sicliniumque pergeret, per ſicarios de latebris ex improviſo erumpentes fuſtibus primùm cum Sanctorum multitudine non parva exceptus, tandem gutture cultris abſciſſo, glorioſo fine conſummatus eſt Calendis Octobris circa annum Domini trecenteſimum tertium.

& ab Actis ſunt diverſæ.

15 Cùm autem avibus ferisque diu expoſitum ad fontem, Siclinio non procul, ſanctum cadaver fuiſſet, fideles clàm ſublatum Siclinium detulerunt, ibique ſepulturæ mandârunt. Sed cùm miraculis clareret, ducentis annis pòſt vel circitèr, ſancti Eligii Noviomenſis epiſcopi, cui tunc Tornacenſis eccleſia ſuberat, operâ ſacrum corpus è terra levatum eſt, & in arcula, ipſius præſulis manu concinnata, depoſitum. Vigentibus verò in Belgio bellis, Carnotenſes quidam milites ipſum ex argentea theca ad ligneam arculam tranſlatum, Carnotum advexerunt, ubi adhuc integrum, quaſi recenti in gutture, & non obducta cicatrice, viſitur ac colitur, miraculis jugiter clarum. Ejus namque Sancti precibus & ope adverſus pluvias aëriſque intemperiem non minima omnis regio commoda ſentit. *Hæc geſtorum Sancti relatio differt ab altera, primò quòd Sanctus Carnotum deducitur, antequam venit Tornacum: ſecundò quòd inter ſocios, quibuſcum Româ in Galliam profectus eſt, non numeratur S. Dionyſius, ſed pro eodem alii plures ſubſtituuntur. Tertiò hîc* S. Piatus *dicitur Româ diſceſſiſſe ſub Aurelio, pro quo legendum videtur* Aureliano; *at in priori elogio tempus diſceſſûs non exprimitur. Quartò demum mors hîc Sancto illata dicitur per ſicarios & in via; aliàs verò per legitimam poteſtatem & Tornaci. Plura interim mitto: nam quid probabilius videatur de ſingulis capitibus, examinabo inferiùs, ſicut & de corporis poſſeſſione, de qua multis abhinc ſeculis inter Seclinienſes vel Tornacenſes & Carnotenſes fuit controverſia.*

D

§ II. Acta triplicia, quæ cum hymno Fulberti Carnotenſis collata, aliis alia ſunt meliora: nulla tamen ſatis vetuſta. Ex his edenda vetuſtiora.

E

Acta Sancti varia: unum exemplar ceteris vetuſtius conſonat

ACta S. Piati, *quæ necdum impreſſa vidimus, habemus in duobus codicibus noſtris, & in pluribus apographis aliunde acceptis. Dum autem omnia hæc invicem diligenter confero, unum dumtaxat reperio exemplar, quod reliquis omnibus multo vetuſtius exiſtimare poſſum. Ratio eſt, quia multùm conſonat hymno, quem de* S. Piato *ſcripſit Fulbertus Carnotenſis epiſcopus, ut veriſimile ſit, Acta illa Fulberto præluxiſſe: neque enim credibile eſt, Fulbertum ſine vetuſtiori documento hymnum de Sancto compoſuiſſe. Cùm autem Hymnus ille præcipua contineat Vitæ capita, & pluſculum ab erudito & pio ſcriptore auctoritatis accipiat, quàm habere valeant Acta, à ſcriptoribus anonymis iiſque non ſatis vetuſtis concinnata, totum huc transfero, ut & pro cenſura Actorum, & pro dubiis mox excutiendis, lumen afferat. Inter Opera Fulberti Carnotenſis, impreſſa Pariſiis anno* 1608, *ſub hoc titulo,* De ſancto Piato Hymnus, *fol.* 172 *ſic legitur.*

F

cum hymno Fulberti Carnotenſis hîc recitato,

17 In tellure Beneventi claris ortus patribus, inſignis mundo Piatus ſacris fultus moribus:

Mox puer Chriſtum ſequendo admirandis niſibus inſignis, pòſt adultus vilipendit vanam mundi gloriam, de ſuis nil reſervans præter veſtem ſimplicem.

Sed quæcumque poſſidebat dans fomentis pauperum, neſcius Romam pergit, iam vir exſtans, illic & conjungitur Dionyſio ſuiſque ſanctis conſodalibus.

Sic in cœtum tantorum virorum lumen viget additus Dionyſio, his perfectis prædicare Chriſtum genti Gallicæ.

Tornacum verſus Piatus ſe direxit inclytus, cùm Pariſius iret beatus Dionyſius.

Tornaco ergo diffundendo latè ſancti verbi ſemina, Chriſto convertit virorum ter dena millia,

Præter parvos, & ſecundi ſexus turbam maximam Chriſticolûm, geminis inter hæc coruſcans virtutum miraculis.

Edomabat parcitate duras vires corporis, ut fran-

A frangendo roboratus hoſti non ſuccumberet, & illum fortiter debellaret.

At cæſar Maximianus, ut Piati hauſit famam virulentis auribus, comprehendi juſſit eum ad necandum protinus.

Utque fama eſt, ille militare promptus, atque vinci neſcius, nexus vicit, flagra vicit, & omnes impetus.

Decollatur namque tandem læto cœtu martyrum, palmam geſſit laureatus ad cæli palatium. Dumque gleba conderetur glorioſi corpus Martyris, fuſus odor eſt ſuperni circumcirca nectaris,

Ne quid mundus hæſitaret de ſalute ſpiritûs, cujus caro tunc probabat regnare cœlitus. *Hactenus Fulbertus, in cujus hymnum menda irrepſiſſe ſuſpicor. Nihil tamen auſim corrigere.*

Scriptumque eſt incerto tempore.

18 *Si modò unum ex apographis cum hoc conferamus hymno, omnia in hymno aſſerta in illis quoque Actis reperiemus, ſed pluribus verbis expoſita. Quapropter ex his Actis ſua deſumpſiſſe Fulbertum exiſtimo. Qua verò ætate fuerint ſcripta, non tam facilè dicere poſſumus. At ſaltem ſuſpicor, ſcripta fuiſſe, antequam nata erat ſententia,* B *quæ S. Dionyſium Pariſienſem cum Areopagita confudit, ſive ante Hilduinum abbatem S. Dionyſii, qui ſeculo* IX *Pariſienſem Dionyſium voluit facere Areopagitam. Nam auctor Actorum* S. Piatum *S. Dionyſii ſocium exiſtimavit aut diſcipulum, & vel ſic martyrem ſub Maximiano. At id non congruit cum opinione eorum, qui S. Dionyſium ad ſeculum primum retulerunt. Aliunde verò clarum eſt, Anonymum noſtrum ſcripſiſſe multo tempore poſt martyrium* S. Piati, *de cuius prædicationibus admodùm jejunè & confusè loquitur. Id magis etiam liquet ex relatis de martyrio: nam nihil habet de tormentis Sancto per clavos illatis, de quibus tamen dubitare non poſſumus ob clavos in Sancti corpore inventos à S. Eligio. Hinc itaque ſuſpicarer, Acta fuiſſe ſcripta ante inventionem corporis, quæ figenda eſt non diu ante medium ſeculi* VII. *At huic ſuſpicioni obſtat locus Actorum de martyribus Thebæis, qui clarè deſumptus eſt ex interpolatis S. Mauritii Actis, ad* XXII *Septembris apud nos ſecundo loco editis: nam eadem omnino ſunt pleraque verba. Cùm autem hæc Acta tam vetuſta non ſint, ut ex iis ſua haurire potuerit Anonymus noſter ante corpus à S. Eligio inventum; reſtat, ut dicamus, ſcripta eſſe diu poſt corporis inventionem, de qua Anonymus non meminit. Quocumque tempore fuerint ſcripta, ſive ſeculo* VIII *ſive inchoato* IX, *ſaltem multo vetuſtiora videntur, quàm alia interpolata, de quibus mox* dicam.

Acta S. Piati in multis conſonant Actis S. Luciani & S. Jonii:

19 *Tillemontius tom.* 4 *in S. Dionyſio obſervat, Acta* S. Piatonis, *quæ viderat, admodùm ſimilia eſſe Actis S. Jonii, de quo apud nos ad* V *Auguſti. Bailletus in Tabula critica ad hunc diem ſimilia dicit Actis S. Luciani & S. Jonii. Hinc Sollerius noſter in Uſuardo in obſervationibus ad hunc diem ait:* Acta Piatonis ſuſpecta ſunt, quòd ex aliis conſimilibus profluxiſſe videantur, ſed de ea controverſia ſuo loco agendum erit. *Clariùs idem aſſeruit Boſchius noſter ad* V *Auguſti in S. Jonio, ibique in Commentario num.* 7 *evidenter probavit, Acta S. Jonii ex vulgatis S. Luciani Actis imperitè fuiſſe conſarcinata, hæc ſubjungens:* Nam plura proferemus, cùm ad Januarium liberiore, quàm olim fas erat, cenſura redibitur: vel fortè etiam cùm de S. Piato ſeu Piatone agetur ad diem 1 Octobris: nam & ibi multa ſunt cum hiſce Actis communia, non re tantummodo, ſed etiam verbis. *Hac de cauſa diligenter con-*

tuli manuſcripta S. Piatonis *Acta cum impreſſis ad* VIII *Januarii geminis Actis S. Luciani, & non modò omnia, quæ ad martyrium* S. Piati *ſpectant, conſona reperi iis, quæ traduntur de martyrio S. Luciani in Actis ſecundo loco impreſſis, & partim etiam in primis, ſed etiam alia nonnulla. Acta verò interpolata* S. Piatonis, *de quibus mox dicam, in pluribus etiam ſimilia ſunt Actis S. Luciani apud nos ſecundis. Hæc non modicam mihi dubitationem injiciunt. At priùs loquamur de aliis exemplaribus Actorum* S. Piati. AUCTORE J. S.

varia Actorum exemplaria interpolata.

20 *In duobus codicibus noſtris, qui videntur ſcripti ſeculo* XIII, *altero notato* P. Ms. 159, *altero* Q. Ms. 5, *leguntur Acta* S. Piati, *multis interpolationibus amplificata. Eodem ferè modo interpolata habemus in apographo Ciſoniano, quod collatum eſt cum codice Ms. Bonifontis. Omnia hæc, inquam, interpolata ſunt, ſed non eodem prorſus modo. Nam in priori codice noſtro martyrium* S. Piati *figitur ſub Maximiano; nec ullus apparet anachroniſmus. At in altero à Diocletiano, qui ſub initium Actorum tamquam primus imperator in omnibus memoratur, deinde recurritur ad Julianum cæſarem, ſub quo paſſus fuerit Sanctus. Idem* E *anachroniſmus ex codice aliquo notatus eſt ad apographum: idem quoque reperitur in Actis S. Luciani ſecundo loco editis, aut certò S. Luciani martyrium, etſi cum S. Dionyſio in Gallias veniſſe dicatur, perperam ibi figitur ſub Juliano apoſtata. Habemus & Acta breviora ex Ms. Ultrajectino eccleſiæ S. Salvatoris, quibus hic præfixus eſt titulus:* Martyrium S. Piati vel Piatonis Tornacenſis epiſcopi. *Initio tamen à S. Dionyſio presbyter ordinatus dicitur, & nullum aliud verbum de epiſcopatu ejus in Actis occurrit. Sunt autem hæc Acta compendium primorum, quod veriſimiliter pro lectionibus Officii ex iis deſumptum fuit; & nihil habent particulare, niſi quod Julianum pro Maximiano ſubſtituunt perſecutorem. Tale ferè compendium habemus ex Ms. Lectionario eccleſiæ Audomarenſis, non admodùm vetuſto, in quo ſimiliter* Julianus *cæſar pro Maximiano ſubſtituitur perſecutor.*

Cùm Acta S. Piati meliùs cohærent, & de ſe magis probabilia ſint,

21 *Jam verò ex ſuprà dictis habemus, confuſionem eſſe in Actis SS. Luciani &* Piatonis, *imò & Jonii, multaque ex geſtis, maximè in martyrio, quæ de uno primùm fuerant ſcripta, deinde ad alios fuiſſe tranſlata. Hoc ſatis certum videtur de S. Jonio, cujus nomen vetuſtis martyrologis fuit* C *ignotum, & ſatis indicatum ad* V *Auguſti. Res magis ambigua eſt de* SS. Piato & Luciano. *Nam Acta* S. Piati, *prout habentur in apographo edendo, rectè cohærent ſine ullo anachroniſmo, cùm* Piatus *dicatur à S. Dionyſio ordinatus presbyter, & poſt fidem Tornaci prædicatam ſub Maximiano paſſus. Præterea hymnus Fulberti Carnotenſis, qui floruit ſub initium ſeculi* XI, *præcipua Actorum capita aſſerit, ut ex iis videatur compoſitus. Nihil quoque eſt in illis Actis, quod per ſe omnino improbabile dici debeat. Itaque hiſce rationibus Acta viderentur potiùs de* S. Piato *ab initio compoſita, quàm partim ex Actis S. Luciani ad ipſum tranſlata; niſi aliunde rationes dubitandi ſe offerrent. Nam in Actis ſolùm dicitur virgis cæſus & capite minutus. At S. Eligius ex invento Sancti corpore* clavos prolixos *extraxit, ut veriſimile fiat, iis graviora tormenta paſſum eſſe* S. Piatum, *ſicut inferiùs dicam. Hæc præcipua ratio eſt, quæ me reddit dubium. At nec Fulbertus iſtud ſupplicium memoravit, ideoque exiſtimare poſſumus, ſcriptori Actorum non innotuiſſe, niſi poſtrema ſupplicia, quibus Vita Sancto fuit erepta. Quapropter, omnibus conſidera-*

AUCTORE J. S.

ratis, magis probabile videtur, laudata Acta de S. Piato *fuisse primùm conscripta, & ex iis postmodùm consarcinata fuisse Acta S. Luciani secundo loco edita, mutatis nominibus locorum & personarum, nonnullisque additis; ex hac verò S. Luciani Vita, quæ alterâ videtur vetustior, nonnulla deinde illata in editam primo loco, quæ S. Lucianum cum S. Dionysio refert ad seculum* I.

quàm Acta S. Luciani anachronismis laborantia,

22 *Etenim utraque S. Luciani Vita multò magis improbabilis est, quàm sint Acta non interpolata* S. Piati; *utraque multùm abest à recta chronotaxi. Tillemontius tom.* 4 *Notâ* 1 *in S. Lucianum Bellovacensem ait, primo loco editam fabulis plenam esse, secundam verò, quam vetustiorem credit, minùs quidem vitiosam, multis tamen laborare assertis improbabilibus, quæ recenset. Primum est, quòd S. Lucianus dicitur venisse in Galliam cum S. Dionysio, & martyrio coronatus sub Juliano cæsare: hoc ultimum, quod prorsus improbabile est, non invenitur in edendis* S. Piatonis *Actis. Alterum, quòd S. Lucianus dicitur convertisse* triginta hominum *millia, exceptis mulieribus. Hoc non æquè omnibus improbabile videbitur, idemque asseritur de* S. Piatone *non solùm in Actis, sed etiam à Fulberto Carnotensi. Multorum conversio per* S. Piatum *infrà magis probabitur. Tertium prorsus ridiculum rursus abest ab Actis* S. Piati: *nam Julianus cæsar intellexisse dicitur, Româ egressum Lucianum ad fidem prædicandam, misisseque hac de causa tres ex suis ministris, qui Sanctum quærerent. Tres verò illi post multam inquisitionem tandem intellexisse finguntur, eum prædicare in Gallia, quam & intrâsse & Bellovacum usque venisse asseruntur. Ad has ineptias accedit aliud assertum improbabile, videlicet quòd S. Lucianus post mortem caput amputatum tribus ferè milliaribus portaverit. Hoc iterum abest ab Actis* S. Piati, *in quibus omnia rectè cohærent, omnia saltem probabilia videri possunt.*

probabiliùs de S. Piato primùm scripta sunt: quomodo sint edenda.

23 *Hisce de causis probabilius mihi fit, de* S. Piato *conscripta esse Acta, prout ea non interpolata habemus. Nam sic rectè cohærent, & saltem apertè fabulosa non sunt. Nolim tamen id prorsus certum dicere, neque indubitatam fidem Actis nostris vindicare, quia diu post martyrium Sancti conscripta sunt, fortè seculo* VIII *aut* IX. *Ea edam ex apographo Chiffletii. Porrò ut studiosus lector meliùs perspiciat, quibus augmentis postea fuerint depravata, ex codicibus nostris & alio apographo præcipua auctaria in Annotatis recitabo. Interpolationes verò istas suspicor esse seculo* XII *vetustiores, quoniam ante lectiones Officii, quæ anno* 1626 *pro ecclesia Tornacensi concinnatæ sunt, unde eæ fuerint compositæ, insinuatur his verbis:* Ex libris manuscriptis & editis, Vitis Martyris, unâ à clero Seclinensi dicata Simoni episcopo Tornacensi & Noviomensi *&c. Cùm aliis laudatur Vita à clero Seclinensi oblata Simoni episcopo Tornacensi & Noviomensi, qui episcopatum gessit ante medium seculi* XII. *Itaque Acta quædam Seclinii concinnata sunt ante medium seculi* XII. *In Actis autem Seclinensibus plura habentur, quàm in nostris interpolatis, ut hæc vetustiora videantur. Quæ ad interpolata quoque Acta addiderunt de* S. Piato *scriptores recentiores, priùs per ordinem examinabimus.*

§ III. Sancti gesta ordine chronologico examinata usque ad mortem.

Patria Sancti, nomen, virtutes Pueri:

DE *patria* S. Piati *nulla est controversia. Nam* Beneventi finibus *natus dicitur in Actis, & eodem sensu à Fulberto* in tellure Beneventi. *Hinc recentiores passim* Beneventi *natum dicunt, nec refert, utrùm in ea Italiæ urbe natus sit, an in ejus territorio. Secundum Acta nomen Sancto puero fuit* Pius *ante baptismum, sed in baptismo dictus fuit* Piatus. *Nomen etiam* Piato *&* Piaton *subinde scribitur. Mores Sancti in pueritia & adolescentia multùm laudantur in Actis, quibus tamen addita sunt nonnulla, quæ hac de causa non æquè sunt probabilia, aut potiùs pro incertis haberi debent. Nam illa ipsa, quæ in Actis de Pueri moribus leguntur, solùm ut probabilia habenda, cùm ætas scriptoris indubitatam fidem similibus rebus asserere nequeat. Ex iis verò, quæ postmodum addita & supra verisimilitudinem etiam exaggerata, rigida sunt* Piati *jejunia. Hisce & vitam monasticam in Officio anni* 1626 *additam reperio. In scripto, quod eo tempore ad Rosweydum nostrum fuit missum, de jejunio ita legitur:* Hanc sibi jejunii rationem imposuit, quam & totâ vitâ sectatus est, ut cibario pane & aquâ crudisque oleribus victitaret; id etiam Quadragesimæ tempore addens, ut bis tantùm in hebdomada, die videlicet Dominica & feriâ quintâ, vesceretur. *Qui post multa secula prioribus Actis talia addiderunt, ne cogitârunt quidem, viris Apostolicis à Christo mandatum non esse, ut tantùm bis in hebdomada per Quadragesimam manducarent, sed alia planè præcepta, ardua illa quidem, humanis tamen viribus accommodata.*

presbyter ordinatus fuit à S. Dionysio, probabiliùs in Gallia:

25 *De tempore, quo natus est Sanctus, nihil habemus, nisi quòd ex tempore martyrii conjicere possumus, inter principium & medium seculi* III *natum esse. Usuardus, num.* 1 *allegatus, asserit,* S. Piatum *cum S. Dionysio ejusque sociis in Galliam venisse ad prædicandum Euangelium. Id ex Actis verisimiliter collegit. Acta tamen non sunt necessariò sic explicanda: nam solùm dicunt, presbyterum ordinatum à S. Dionysio, postquam Româ erat egressus, ut secundum Acta videatur ordinatio collocanda in Gallia. Itaque potuit in minori clericatûs gradu S. Dionysium ab initio comitari, & post aliquot annos ordinari presbyter. Potuit etiam post S. Dionysium, dudum in Gallia prædicantem, cum aliis accedere, & tunc ab eo presbyter ordinari. Primum tamen videtur probabilius, quia* S. Piatus *dicitur Tornacum profectus, quando S. Dionysius Lutetiam Parisiorum adiit. Verùm de tempore, quo S. Dionysius venit in Galliam, necdum nobis certò constat, licèt dicere possimus lato loquendi modo, eum venisse circa medium seculi* III: *quòd cum Actis* S. Piati *rectè congruit. Nam aliquot annis apud S. Dionysium, qui fortè non statim Parisios adiit, manere potuit, susceptoque deinde presbyteratu, Tornacum proficisci, ibique prædicare. Qui medio ævo noluerunt* S. Piatum *cum S. Dionysio conjungere, non merentur fidem, quia id tantùm fecerunt, quòd Dionysium ad tempora Apostolorum referre vellent.*

26 *De fructu prædicationis* S. Piati *Acta num.*

A

plurimos Tornaci & in locis vicinis

* Galliis

xi *dicunt :* Jam enim converſi fuerant per Sanctum in Gallias * amplius quàm triginta millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus. *Idem aſſerit Fulbertus Carnotenſis. Tantus converſorum numerus Tillemontio viſus eſt incredibilis in S. Luciano, ut ſuprà dictum. Poteſt revera numerus aliquid amplificationis habere, cùm ſcriptor non ſit coævus. Attamen conſiderandum eſt, Tornacum jam tum urbem fuiſſe notabilem, ut obſervatum eſt ad* xx *Februarii in S. Eleutherio epiſcopo Tornacenſi ; & non in una urbe tot homines dici converſos, ſed in Galliis, ſive in pluribus urbibus & oppidis, maximè tamen Tornaci. Præterea prædicatio* S. Piati *videtur diuturna admodùm fuiſſe, cùm paſſus demum ſit ſub Maximiano, ut numerus converſorum jam dictus, etiamſi minimè certus, ſaltem non ſit incredibilis. Vita prima S. Eleutherii de* S. Piato *ſic exorditur :* Temporibus imperatorum Diocletiani & Maximiani per univerſum orbem maxima ſeditio Chriſtiani nominis exorta eſt. Illis igitur diebus vir venerabilis Piatus ab urbe Roma egreſſus cum ſuis comparibus, Gallias ad prædicandum venit, Tornaci reſedit. Quanta fecerit, veſtræ fraternitati non latuit. Omnibus enim Chriſti virtutem euangelizavit, divini ſpargendo ſemina verbi myſtica documenta paganis manifeſtavit. Quid plura? Denique multi per eum crediderunt ; multi ab eo baptizati ſunt ; multi cum eodem Martyre pro Chriſti nomine interempti ſunt. *Addit inter converſos unum ex progenitoribus S. Eleutherii.*

B

ad fidem converſi.

27 *Leguntur eadem in ſecunda Vita, cujus initium apud nos prætermiſſum. In Vita tertia Guibertus, eruditus ſeculi* XIII *ſcriptor ex ordine Minorum, num.* 4 *de* S. Piato *& aliis ejuſdem temporis fidei prædicatoribus ita loquitur :* Sic poſtmodum Pariſienſem populum Dionyſius cum ſociis, Lucianus Belvacenſem expetiit, Ambianenſem Quintinus, Sueſſionenſem Criſpinus & Criſpinianus ; Piatus verò populum Tornacenſem. Qui cùm eſſet nobilis genere, ſed nobilior fide, Beneventanus origine, prædicator officio, dulcis eloquio, martyr deſiderio, ſed apoſtolus zelo, gentes indomitas & incultas poſt multam prædicationis inſtantiam convertit ad fidei diſciplinam. Regnantibus autem Diocletiano & Maximiano, poſt multa genera tormentorum, tandem præciſione capitis in eodem territorio Tornacenſi meruit obtinere deſideratum diutiùs bravium & coronam, relinquens poſt ejus martyrium filios & nepotes, quos per Euangelium in Chriſto genitos ſuæ reddidit gloriæ participes, & fidei Catholicæ confeſſores. *Hæc ſatis inſinuant, opinionem Tornacenſium ſemper fuiſſe, ingenti cum fructu & longo tempore apud Tornacenſes prædicâſſe* S. Piatum, *etiamſi poſtea naſcens illa eccleſia multum paſſa ſit detrimenti, quòd gentilium perſecutio non ſolum* Piatum, *ſed alios quoque multos ab eo converſos abſtulerit, & Chriſtianos deinde Tornaco expulerit, ut pluribus narratur in laudatis S. Eleutherii Vitis. Ceterùm quæ in prima S. Eleutherii Vita de temporibus Diocletiani & Maximiani dicuntur, referenda non ſunt ad* S. Piati *adventum in Galliam, licèt verba ipſa id videantur innuere, ſed ad tempus martyrii & ad ultima prædicationis* S. Piati *tempora. Nam ſcriptor non agit de* S. Piato, *niſi occaſione S. Eleutherii, ideoque breviter tantùm pauca de ipſo perſtrinxit.*

C

28 *Verùm alia modò ingeritur à neotericis controverſia, quæ breviter examinanda venit, priuſquam agamus de martyrio. Anno* 1619 *Tornaci impreſſum eſt Opuſculum Gallicum, cui hic titulus eſt, Latinè redditus :* Aſſertio epiſcopatûs S. Piati, apoſtoli & primi epiſcopi Tornacenſis, ac loci, in quo requieſcunt ejus reliquiæ. *Auctor anonymus, ut indicat titulus, totis viribus laborat, ut dignitatem epiſcopalem Sancto vindicet. At provinciam planè difficilem in ſe ſuſcepit. Nam omnis antiquitas ejus opinioni contraria eſt. Tam Vita edenda, quàm exemplaria interpolata, de* S. Piato *loquuntur, tamquam de presbytero, & à S. Dionyſio presbyterum ordinatum dicunt. De epiſcopatu poſtmodùm ſuſcepto altùm ſilent. Uſuardus ſimiliter* presbyterum *vocat, uti & Martyrologia ferè omnia, quæ allegavi* § 1. *Accedunt jam laudatæ S. Eleutherii Vitæ, in quibus* S. Piatus *numquam vocatur epiſcopus. Præterea Guibertus in Vita tertia num.* XI *de Theodoro, in cujus deinde locum ſubrogatus eſt S. Eleutherius ait,* Theodorus in primum epiſcopum Tornacenſem à paucis fidelibus confirmatur. *Si Theodorus primus credebatur à ſcriptore illo Tornacenſi, necdum ſeculo* XIII, *quo ille ſcribebat, nata apud Tornacenſes erat opinio de epiſcopatu* S. Piati. *Imò nec poſtea in Breviariis Tornacenſibus epiſcopatum* S. Piati *aſſertum invenio. Certè in Officio, quod anno* 1712 *impreſſum eſt,* presbyter *nominatur. Attamen videamus, quid anonymus ille attulerit ad aſſerendam* S. Piato *dignitatem epiſcopalem.*

AUCTORE J. S.

Antiquiora omnia monumenta S. Piatum dicunt presbyterum ;

D

E

argumenta verò allata

29 *Poſt alia multa pag.* 36 *ea de re incipit diſputare. Primum autem argumentum ſumit à ſcriptoribus aliquot recentiſſimis, ex quibus unum nominat, nec tamen verba adducit. Horum numerum auget pag.* 42 *per omnes illos, qui* presbyterum *vocârunt. Hi ſanè plures ſunt & vetuſtiores, ſed perperam pro epiſcopatu* S. Piati *allegantur, cùm contra illius epiſcopatum loquantur. Nam quod obſervat Anonymus, epiſcopos olim etiam presbyteros fuiſſe vocatos ; verum quidem eſt pro primo aut ſecundo æræ Chriſtianæ ſeculo, non item pro quarto, quinto, aut poſterioribus omnibus, quibus vixerunt, qui* S. Piatum *vocârunt* presbyterum. *Tum profert picturas, in quibus ornamenta epiſcopalia* S. Piato *tributa ſunt. At nec admodùm antiquæ ſunt illæ : & novimus, pictores ſibi multa licita ſemper credidiſſe. Leve rurſum eſt argumentum, quod pag.* 49 *petit ex ſigillo capituli Seclinienſis, in quo* S. Piatus *exhibetur cum ornatu epiſcopali : nam ſigillum iſtud non ſatis eſt vetuſtum ad fidem de epiſcopatu faciendam.*

F

pro Sancti epiſcopatu leviſſima ſunt,

30 *Addit pag.* 44 *aliqua de Officio & Miſſa, quæ nec ſatis ſunt vetuſta, & nihil probarent, ſi vetuſta eſſent. Recitat pag.* 45 *orationem ex Breviario Cameracenſi, ſed fruſtra. Nam in illa oratione ſex ſimul Sancti memorantur, tres epiſcopi, Remigius, Vedaſtus, Germanus, & eorum, qui primi nominantur, causâ additur* pontificum. *Idem dicendum de omnibus orationibus, quas ibi ſubjungit. Nam in omnibus etiam nominatur S. Bavo, qui certò non fuit epiſcopus. Quod autem ait anonymus non poſſe voce* confeſſorum *comprehendi* S. Piatum, *verum eſt ; ſed id ipſum probat, vocem* pontificum *æquè orationi potuiſſe inſeri ac vocem* confeſſorum, *etiamſi neutra omnibus congruat. Itaque neque illo argumento aliquid probatur, & ſi revera aliquid probaret de mente illius, qui Breviarium compoſuit, vel ſic exigua eſſet auctoritas particularis Breviarii contra antiquitatem.*

Aliud argumentum, ab epiſcopatu SS. Chryſolii & Euberti,

31 *Poſt levia illa argumenta, quæ unico verbo rejici poſſunt, quod omnia ex recentibus monumentis ſint petita, contra Couſinum, qui cap.* 19 *quæſtionem examinat &* S. Piatum *negat epiſcopum, fortiùs in ſpeciem pugnare incipit Anonymus.*

AUCTORE J. S.

mus. At illa ejus argumenta, cùm solùm petantur ex assertis Cousini aliorumque recentiorum, quæ minimè certa credimus, nos ne tangunt quidem. Ait nimirum, S. Chrysolium (de quo apud nos ad VII *Februarii*) *&* S. *Eubertum* (*de quo ad* I *Februarii*) *episcopos dici levibus solùm argumentis; episcopatum verò* S. Piati *non admitti, nisi demonstrationes certæ afferantur. At illi saltem ab antiquioribus numquam videntur dicti* presbyteri, *sicut* S. Piatus *in omnibus vetustioribus monumentis* presbyter *vocatur. Itaque traditio, secundum quam coluntur ut episcopi, facilius admitti potest, quòd illi traditioni antiqua monumenta non repugnent. Ait iterum, SS. Chrysolium & Eubertum passim haberi pro sociis* S. Piati *in prædicatione;* Piatum *verò primum ab omnibus nominari, ut episcopus dici debeat, cùm illi, ante quos nominatur, pro episcopis habeantur. Hoc argumentum alibi etiam objectum vidi; valetque contra eos, qui omnia de SS. Chrysolio & Eberto à neotericis dicta pro compertis habent.*

petitum, nihil pro S. Piato evicit,

32 *At ego non inveni ullum argumentum, quo probare valeam, tres illos Sanctos eodem prorsus tempore Tornaci, & in ejus vicinia prædicâsse, cùm in documentis vetustioribus altum de Chrysolio & Euberto sit silentium. Si autem* S. Piatus *Tornaci primus cœpit prædicare, ut antiquiora monumenta habent, non est mirum, primum quoque nominari, etiamsi solùm sit presbyter, alii verò credantur episcopi. Horum quoque episcopatum certis argumentis probare non possumus. Nihil tamen occurrit, cur episcopos fuisse negemus, cùm à multo tempore colantur, ut episcopi & martyres. Nulla quoque est ratio, quâ negemus fidem ab ipsis in illis partibus prædicatam, aut id factum, imperante Diocletiano. Etenim aliqui ex fidei prædicatoribus, qui erant per omnes ferè Galliarum provincias eo tempore dispersi, intellecto martyrio* S. Piati, *ad illud territorium accurrere potuerunt, ut periclitanti ecclesiæ opem ferrent, & sic aut citò aut post aliquot annos in manus persecutorum incidere. Nam persecutio illa, quam Maximianus in Gallia excitavit, videtur ad aliquot annos continuata, ut in eadem & alii potuerint coronari post* S. Piatum *in territorio Tornacensi. Præterea generalis persecutio Diocletiani, quæ inchoata est anno* 303, *minùs quidem sæviit in Gallia, quòd eam administraret Constantius cæsar, aliquos tamen etiam in Galliis abstulisse videtur, ut SS. Eubertus & Chrysolius in hac pati potuerint, si sub Diocletiano ad coronam pervenerint. Verùm, ut jam dixi, non habemus de iis documenta satis certa. Ex dictis colliget studiosus lector, ex horum episcopatu nihil legitimè inferri posse pro episcopatu* S. Piati, *de quo non solùm silent vetustiora documenta, sed cui vetustiora monumenta etiam sunt contraria.*

C

ut ejus episcopatus nequeat idoneis argumentis probari:

33 *Aliud argumentum Anonymus fusè prosequitur à pag.* 57, *ut ex officiis episcopalibus, quæ obivit* S. Piatus, *episcopum fuisse ostendat. Verùm liceat breviter dicere, nullum in documentis vetustis tribui* S. Piato *ministerium, quod presbyter obire non poterat. Certè prædicatio fidei, quæ prima allegatur, licita erat presbyteris ad prædicandam fidem missis. Consecratio ecclesiæ, quàm etiam* S. Piato *attribuere vult auctor, non probatur ullo monumento idoneo. Profert quidem scriptum anni* 1090, *ut ait, in quo* cellulæ *fit mentio,* à Piato D. Virgini matri dicatæ consecratæque. *At scriptum istud, octo integris seculis* S. Piato *posterius, nequit multum habere auctoritatis, & fortè solùm vult, curâsse* S. Piatum, *ut consecratio fieret; sicut principes eo sensu ecclesiam consecrare aut dicare aliquando asseruntur. Si in eodem scripto, ut innuit Anonymus, dicitur presbyteros consecrâsse aut constituisse, id eodem modo exponi potest, si tanti est faciendum scriptum seculi* XI. *Postea Anonymus ad alia procedit, nec plura differit ad asserendum* S. Piato *episcopatum. Non attulit autem ullum alicujus vetustatis documentum, in quo Sancti episcopatus asseritur. Verba ex matricula Carnusiæ Ultrajectinæ num.* 4 *data, quibus* episcopus *vocatur* S. Piatus, *spectant ad principium circitèr seculi* XV, *ut illa quoque pondus habere nequeant. Itaque cùm in omnibus vetustioribus documentis solùm* presbyter *vocetur* S. Piatus, *nullibi* episcopus, *rectè ecclesia Tornacensis feciisse videtur, quòd etiam in Officio anni* 1712 *antiquum Sancti titulum non mutaverit.*

D

sicut nec ejus prædicatio apud Carnotenses.

34 *Quemadmodum non ausim dignitatem episcopalem* S. Piato *attribuere, quòd illa caret testimonio vetusto; sic eadem de causa dicere nequeo cum Officio Carnotensi, dato num.* 13, *Sanctum venisse* Carnotum, *ut ibidem prædicaret, priusquam Tornacum proficisceretur. Video quidem, in Tornacensi Officio anni* 1626 *eam opinionem fuisse admissam: sed id factum est post multam dubitationem, ut disco ex litteris ea de re ad Rosweydum nostrum ante compositum istud Officium scriptis. Certè de prædicatione* S. Piati *apud Carnotenses nihil habent Acta edenda, nihil interpolata, nihil ipse Fulbertus Carnotensis episcopus, qui prædicationem* S. Piati *in civitate sua episcopali non debebat prætermittere, si eam in monumento aliquo antiquo assertam invenerat & veram credebat. Quapropter in Tornacensi Officio anni* 1712 *rectiùs iterum omissa est prædicatio* S. Piati *apud Carnotenses. Non quidem incredibile est, Sanctum in aliis Galliarum civitatibus prædicâsse, priusquam veniret Tornacum. Verùm quod vetustiora documenta non habent, non debemus temere divinando post tot secula quærere.*

E

Passus est Sanctus tempore imperantis Diocletiani,

35 *Restant inquirenda aliqua de tempore, loco, & aliis martyrii adjunctis. De tempore consonant Acta cum recentioribus, sub imperio Diocletiani passum esse* S. Piatum. *Exemplaria aliquot interpolata, in quibus Julianus cæsar, qui Augustus potiùs erat dicendus, persecutionem movisse dicitur, non merentur multum attentionis, cùm in illis ipsis initio* Diocletianus *nominetur, à quo nimiùm distat imperium Juliani, & in iisdem rursus* S. Piatus *jungatur cum S. Dionysio, qui seculo* III *passus est. Itaque interpolator, qui Julianum cæsarem in Acta intrusit, id feciisse censendus est ex sola ignorantia, quâ ex præfecto aliquo Juliano confinxit famosum Julianum apostatam, qui primùm cæsar factus est anno* 360, *& anno sequenti augustus. Petrus de Natalibus, qui bis de* S. Piato *diversimode egit, lib.* XI *cap.* 36 *ait, passum* sub Domitiani imperatoris persecutione, *sed ex errore eorum, qui S. Dionysium ad ea tempora retulerunt. Itaque indubitanter dicendum, sub Diocletiani & Maximiani Herculii imperio passum esse* S. Piatum, *ut habent ejus Acta, etiam interpolata, & Fulbertus Carnotensis, quamvis aliqui* sub Maximiano *rectè passum dicant, quòd is priorem in Gallia persecutionem moverit. Consonant quoque Acta S. Eleutherii superiùs allegata.*

F

& probabilius anno 287. aut alio ex proximè sequentibus;

36 *Porrò imperium Diocletiani ultra viginti annos extenditur, nimirum ab anno* 284 *usque in annum* 305; *& Maximianus, ubi consors imperii factus erat à Diocletiano, venit in Galliam anno*

A *anno* 286 *contra Amandum & Elianum rebellantes, de quibus in Actis fit mentio. Illo ipso tempore Maximianus in Galliis Christianos atrociter persequi cœpit, usus ad id operâ Rictii Vari, hominis crudelitate sua famosi, & aliorum præfectorum. Hæc persecutio ad aliquot annos continuata est, & probabilius est, in illa passum esse* S. Piatum, *quàm in generali persecutione Diocletiani, quæ cœpta est anno* 303. *Hinc Tillemontius in indice chronologico annum* 287 *martyrio* S. Piati *assignat. Acta ipsa insinuant, in illa Maximiani persecutione coronatum esse* S. Piatum, *cùm memorando Maximiani in Gallias adventum contra Amandum & Elianum, tum asserendo persecutores à Maximiano fuisse missos. Præterea constat, Maximianum ab anno* 287 *in illis Galliarum partibus fuisse, ut omnia rectè congruant ad figendum* S. Piati *martyrium anno* 287, *aut uno ex proximè sequentibus usque ad annum* 292, *quo Constantius cæsar Galliam administrandam suscepit. Accedit ætas* S. Piati, *quæ magis huic epochæ favet, quàm anno* 303 *aut* 304. *Si enim circa medium seculi* III *venit in Galliam cum S. Dionysio, & eo tempore annos ætatis solùm triginta numerabat, in senium vergebat anno* 287, *ut probabilius sit, circa id tempus martyrio coronatum, quàm superfuisse usque ad annum* 303 *aut* 304. *Hanc tamen epocham asserere ex neotericis voluit Anonymus assertor episcopatûs* S. Piati. *At magis etiam repugnant dicta superiùs de Maximiano: nam nec anno* 303 *nec* 304 *Maximianus fuit in Gallia Belgica, aut in ejus vicinia, nec ibi mandata dedit.*

non anno 299 aut 303 aut 304;

37 *Cousinus cap.* 16 *differit de tempore, quo* S. Piatus *venit in Galliam, & quo deinde martyrio coronatus est. Non existimat, Sanctum venisse cum S. Dionysio, quòd hunc referat ad seculum* I, *sed hac de re jam egimus. Mox verò adventum* S. Piati *in Galliam figere nititur post martyrium legionis Thebææ, quia in Actis priùs narratur martyrium Thebæorum, quàm referatur adventus* S. Piati *in Galliam cum SS. Dionysio & Quintino. At ea Actorum expositio non videtur probabilis: nam Acta martyrium Thebæorum referunt, ut insinuent, in qua persecutione* S. Piatus *occubuerit, non verò, ut designent tempus, quo venit in Galliam. Tum allegat verba Herimanni abbatis S. Martini Tornacensis, qui floruit seculo* XII, *& ait fidem Tornaci prædicatam* à B. Piatone anno ferè tercentesimo ab Incarnatione Domini. *Addit verba alterius abbatis, qui seculo* XIV *hæc de* S. Piati *adventu scripsit.* Anno trecentesimo venit B. Piatus à Roma prædicando fidem usque ad civitatem Tornacensem, quæ tunc temporis gentilis erat, & fuit ibidem capite detruncatus *&c. Si hæ auctoritates essent alicujus ponderis, figendum esset Sancti martyrium in generali persecutione anno* 303 *aut* 304. *At Cousinus maluit offerre annum* 299, *nescio qua consecutione: nam sic martyrium figitur ante adventum, aut certè exiguo tempore Tornaci prædicare potuisset Sanctus. Verùm laudati abbates seculo* XII *&* XIV *non tam accuratè noverant tempus conversi Tornaci & persecutionis per Maximianum in Gallia excitatæ, ut nos remorari debeant, aut inducere possint ad figendum Sancti martyrium eo tempore, quo dicta persecutio cessaverat.*

& Kalendis Octobris.

38 *Dies, quo occisus est* S. Piatus, *in Actis memoratus est & martyrologorum consensu confirmatus. Nam Sanctus legitur passus Kalendis Octobris, eoque die festivitas ejus semper ab immemorabili tempore celebrata est. Verùm recentiores voluerunt etiam exprimere diem, quo Sanctus fuit comprehensus, idque profluxit ex Actis interpolatis. Nam Cousinus cap.* 13 *ait, comprehensum esse* S. Piatum *à persecutoribus* sexto Idus Septembris, *sive die octavo ejus mensis, & mansisse in vinculis usque ad Kalendas Octobris. Res ipsa de se non est incredibilis. At tam ridiculè Actis inserta est, ut fidem non mereatur. Nam finguntur persecutores ex urbe Roma missi ad quærendum* S. Piatum, *& post multam inquisitionem intellexisse, eum prædicare in Gallia. Deinde verò habent:* Sexto itaque Sabbato egressionis eorum, qui eum sequebantur, ab Urbe sanctum virum Piatonem sexto Idus Septembris populum docentem reperiunt. *Hæc, quæ suo loco in Annotatis uberiùs dabuntur, magis contemnenda videbuntur cuilibet historicam crisim docto, quàm amplectenda. At minùs etiam admittendum videtur, quod in Officio anni* 1626 *dicitur sine ullo fundamento, sexto Idus Septembris occisum esse Sanctum.*

AUCTORE J. S.

Secundum Acta circa Seclinium occisus est Sanctus, idque verisimile:

39 *In Officiis Tornacensibus, apud Cousinum, aliosque neotericos, excepto tamen Buzelino, in urbe Tornacensi* S. Piatus *martyrio coronatus dicitur. Buzelinus statuit, Sanctum in urbe comprehensum, sed extra urbem ductum ad supplicium. Usuardus* S. Piatum *annuntiat Tornaci, acsi ibidem passus esset, sive in urbe, sive extra urbem, in loco ad supplicia maleficorum destinato. Si Acta consulere, iisque presse inhærere velimus, dicendum est,* S. Piatum *circa Seclinium & captum esse, & eodem die occisum per milites, qui ad ipsum comprehendendum erant missi, non tamen per sicarios, ut in Officio Carnotensi dicitur. At fateor, Acta non esse talia, ut certam iis fidem habere possimus. Si quo autem in capite ab Actis recedendum est, id præcipuè faciendum in modo, quo occisus est Sanctus, cùm ille videatur minùs componi posse cum relatione S. Audoëni de inventione corporis, ut mox videbimus. Verumtamen incertum saltem est, utrùm in urbe Tornacensi aut prope urbem passus sit* S. Piatus, *& non potiùs circa locum, ubi sepultus est, sive circa Seclinium. Certè Guibertus in Vita tertia S. Eleutherii num.* 4 *ait, caput Sancto præcisum* in eodem territorio Tornacensi, *ut credidisse videatur, passum esse circa locum, ubi sepultus est, ut etiam Acta habent.*

non tamen modo tam tumultuario, quàm Acta innuunt,

40 *In Actis ita narratur Sancti martyrium, acsi ab iisdem militibus, à quibus erat comprehensus, post occisos aliquot Sancti socios, statim fuisset in eodem loco interrogatus, post nonnullas altercationes virgis cæsus, & continuò capite minutus, ut vinctus quidem fuisset, non tamen carcere reclusus. Plura non memorat Eulbertus, qui omnia ex Actis hausisse videtur. At talis procedendi modus non erat consuetus Romanis, quorum milites aut apparitores solùm comprehendere solebant reos, & ad judicem ducere. Novi quidem, id fieri potuisse, modò militibus adesset aliquis, qui legitimam ad mortem inferendam accepisset potestatem; & eo ferè modò occisum esse S. Phocam, de quo ad* XXII *Septembris egimus; sed non erat ille ordinarius procedendi modus. Quo autem minùs credere valeam, modo tam tumultuario occisum esse* S. Piatum, *faciunt clavi, quos in corpore Sancti invenit Eligius, teste S. Audoëno.* Invenit *S. Eligius, ait Audoënus,* sanctum martyrem Piatonem, cui similiter clavos prolixos ex corpore ablatos populis in argumentum monstravit. *Si S. Eligius in argumentum, utique cruciatuum, quos pertulerat* S. Piatus, *clavos prolixos ostendit; credidit procul dubio clavis illis Sanctum fuisse tortum. Id verò non immeritò credidit,*

AUCTORE J. S.

didit, cùm clavos invenerit in corpore fixos & extraxerit. At in Actis nulla fit mentio de tormento per clavos prolixos illato, ut neceſſe ſit dicere, illud ſcriptori Actorum fuiſſe incognitum, ſicut facilè incognitum eſſe poterat, ſi ſeculo IX *inchoato aut etiam exeunte* VIII *ſcripſerit, maximè ſi non legerat Vitam S. Eligii.*

ſed poſt graves cruciatus antè toleratos.

41 *Jam verò ut probabili conjectura aſſequamur, qualia fuerint tormenta* S. Piato *per clavos illata, attendendum eſt ad vocem* ſimiliter, *quæ refertur ad inventos clavos in corpore S. Quintini martyris, de cujus inventione egerat S. Audoënus paulò antè cap.* VI, *ubi ſic habet :* Tunc ergo ſacrum inventum corpus (*S. Quintini*) Eligius cum gaudio lacrymabili exoſculatur.... Clavos quoque miræ magnitudinis, quos tempore paſſionis ejus perſecutores corpori infixerant, ex cerebro cæteriſque artubus extractos, ſibi pro reliquiis ſequeſtravit. *Itaque, cùm ad hunc locum, proximè præcedentem, reſpiciat S. Audoënus, dum breviter dicit,* clavos *prolixos ex corpore* S. Piati *abſtractos fuiſſe, probabilis eſt conjectura,* S. Piato *per clavos illata fuiſſe tormenta non abſimilia iis, quæ narrantur in Actis S. Quintini apud Surium ad* XXXI *Octobris, ad quem diem Acta apud nos illuſtrabuntur. Locum interim ex editione Surii huc transfero.* Tunc Rictiovarus præfectus, cernens eum (*S. Quintinum*) conſtantiâ validiùs ſemper roborari, ... cruciatus adhuc augeri conſtituit. Juſſit igitur vocari fabrum ferrarium, ut faceret duas ſudes ferreas, quibus beatus Quintinus à cervice uſque ad crura transfigeretur; alioſque ſimili modo decem clavos, qui inter ungues & carnem digitis omnibus crudeliter infigerentur, ut vel ſic, corpore confoſſo membriſque undique terebratis, aut deficeret aut cederet ſuperatus. *Si* S. Piatus *ſimilia paſſus eſt, ut ex inventis clavis ſit probabiliſſimum, ulteriùs conjicere poſſumus, ſub Rictio Varo fuiſſe paſſum, eidemque veriſimiliter & alia non parva illata tormenta, uti contigit S. Quintino.*

B

Non conſtat de amputato capite per Sanctum geſtato.

42 *Reſtat de martyrio examinandum, quod Petrus de Natalibus dixit lib.* XI *cap.* 36, *quodque mirè placuit ſcriptoribus nimiùm credulis ſeculi* XVII. *Memoratus ſcriptor, relata capitis amputatione, ſic pergit :* Cujus corpus truncum & exanime caput propriis manibus acceptum pluſquam per duo milliaria deportavit, videlicet uſque ad locum, ubi divinitus ſepulturam elegit, ubi & gloriosè occumbens tumulatus quieſcit. Quo miraculo ultra mille gentilium converſi ſunt. *Idem affert Couſinus cap.* 14 *ex Actis à clero Seclinienſi concinnatis. Adeo id prodigium præterito ſeculo placuit, ut controverſias quoque pepererit, dum alii ſtatuebant, caput amputatum fuiſſe & geſtatum à Sancto, alii id ſolùm volebant de ſummo vertice : rurſum alii credebant, in vivis fuiſſe Sanctum, dum caput aut verticem amputatum geſtabat, alii id à mortuo factum exiſtimabant. Pictores, opinor, eam fabulam aut invenerunt de* S. Piato, *aut inventam magis divulgârunt. Fortè etiam non alia de cauſa primùm pictus cum capite in manibus fuerit Sanctus, quàm ut indicaretur, quo mortis genere ad coronam perveniſſet; ſicut martyres pingi ſolent cum inſtrumentis martyrii. Hoc autem ſi factum eſt, ex pictura malè explicata originem habuerit fabula. Undecumque orta fuerit, de illa nihil in Actis, nihil in ullo exemplari interpolato, quod ad manus meas pervenit, nihil apud Fulbertum Carnotenſem, nihil demum apud Vincentium Bellovacenſem, qui lib.* 12 *cap.* 159 *breviter agit de* S. Piato, *quique alio loco idem tribuit S. Jonio & S. Luciano, in quorum Actis illud invenerat, non item* S. Piato. *Quapropter Tornacenſes rectiſſimè fecerunt, dum in Officio anni* 1712 *fabulam illam, non admodùm de* S. Piato *vetuſtam, prorſus omiſerunt.*

C

D

§ IV. Corporis ſæpius tranſlati præcipuam partem ſibi attribuunt Seclinienſes : reliquiæ nonnullæ aliis quoque locis ſervatæ.

Corpus Sancti ab initio Seclinii ſepultum, ibique à S. Eligio inventum,

DE corpore S. Piati *primùm ſepulto Seclinii in diœceſi Tornacenſi nullus umquam dubitavit. Fuit ibidem ſeculo* VII, *non diu ante medium, anno tamen incerto, quæſitum & inventum à S. Eligio. Non tranſtulit S. Eligius inventum corpus ad aliam eccleſiam : ſed* corpus *in eadem eccleſia, fortaſſe & in eodem loco, ſed magis elevato,* eleganter compoſuit, *in arca veriſimiliter pretioſa,* atque mauſoleum urbanè deſuper fabricavit. *Herimannus abbas S. Martini Tornacenſis in Narratione reſtaurationis ejuſdem abbatiæ tom.* 12 *Spicilegii Acheriani pag.* 407 *de inventione corporis per S. Eligium agit, ſed minùs accuratè, ita ſcribens :* Idem verò auctor noſter beatus Eligius, ut in Geſtis ejus legitur, ſimili modo in pago Medenantenſe municipii Tornacenſis, quod vocatur Siclinium, tumulavit B. Piatonem martyrem, eccleſiam jam à paſſione ejuſdem Martyris conſtructam, juxta facultatem virium ſuarum amplificans, Dei ſe omnipotentis comitante auxilio, ac officia Domino famulantium clericorum conſtituens, ſicut uſque in præſentiarum cernimus. *Omiſſa corporis inventione, ſolam refert depoſitionem. Tum verò addit amplificationem eccleſiæ Seclinienſis, & inſtitutionem clericorum ſive canonicorum. Hæc à neotericis aliquot ſimiliter S. Eligio attribuuntur, veriſimiliter ex laudato Herimanno. Attamen S. Audoënus, quem ille allegat, ſilet tam de amplificata eccleſia quàm de inſtitutione clericorum per S. Eligium. Itaque in S. Eligio ad* 1 *Decembris examinari poterit, utrùm illa per S. Eligium, an ſeriùs ſint facta. Nam auctoritas Herimanni, qui octo ſeculis poſterior eſt, rem nequit facere certam.*

E

F

ſeculo IX *motu Normannorum tranſlatum eſt Audomaropolim ;*

44 *In Chronico de Geſtis Normannorum in Francia apud Cheſnium tom.* 2 *Hiſtoriæ Francorum pag.* 525 *hæc leguntur ad annum* 846 : Anno Domini DCCCXLVI pyratæ Danorum Freſiam adeuntes provincias & eccleſias vaſtaverunt, & populum in eis occiderunt. Quod audientes Flandrenſes, vicinarumque urbium pontifices & abbates, cum Sanctorum ſuorum reliquiis ad ſanctum venerunt Audomarum, quia muro valido & turribus atrium ejus divinâ providentiâ munitum erat. Iſti ſunt Sancti, qui propter perſecutionem illam pervenerunt ad idem caſtrum, ſancti Bavo, Wandregiſilus, Ausbertus, Vulfrannus, Waſvulfus*, Piatus, Bainus, Winnocus, & Auſtreberta virgo, & quadraginta annis eorum aliqui ibi permanſerunt. *Sanctorum, qui hîc nominantur, corpora longè aberant à Friſia, quam tunc invaſerunt Normanni. At terror hic procul dubio Flandriæ & vicinis Galliæ provinciis injectus erat ex cognito eorum adventu per mare, quòd jam varias Galliæ provincias annis præcedentibus vaſtâſſent, & ignotum eſſet, quò tenderent.*

* Waſnulphus

45

A *deinde Carnotum, unde relatum volunt Tornacenſes:*

45 *Quanto tempore ſacrum* S. Piati *corpus Audomaropoli manſerit, ignoramus. Nihilo magis novimus, utrùm inde aliquando Seclinium ſit relatum, an verò ad aliam civitatem priùs aut rectà Carnotum fuerit tranſportatum. Verùm infrà laudandus Herimannus teſtatur, Sancti corpus, deprædantibus Galliam Normannis, ad civitatem Carnotenſem fuiſſe delatum. Ex ea autem tranſlatione orta eſt controverſia de poſſeſſione corporis, quæ jam ante ſeculum* XII *inter Carnotenſes & Tornacenſes vel Seclinienſes agitata fuit, & necdum eſt deciſa. Voluerunt Tornacenſes, corpus fuiſſe relatum; ſed id negârunt Carnotenſes. Attamen dubitandum non videtur, quin ſaltem notabiles admodùm reliquiæ redierint Seclinium, eæque poſtea pro corpore fuerint habitæ, & ad varia etiam loca circumlatæ. Nam ſeculo* XI *facta eſt dedicatio eccleſiæ Haſnonienſis in confinio Flandriæ & Hannoniæ, eóque delata ſunt multa Sanctorum corpora, ut refert Meyerus in Annalibus Flandriæ lib.* 3, *interque ea ſecundo loco recenſetur corpus* S. Piatonis. *Idem corpus anno* 1457 *ad varias civitates fuit tranſlatum, ac nominatim Tornacum, ut infrà narrabimus. Rurſum anno* 1459 *delatum fuit Brugas, teſte Meyero lib.* 16 *ad illum annum. Contradicunt tamen Carnotenſes, ideoque hæc controverſia utcumque venit elucidanda.*

B

quorum epiſcopus anno 1143 *reliquias luſtravit, apertâ earum arcâ,*

46 *Laudatus ſuprà Herimannus, qui floruit ſeculo* XII, *ubi multa ſcripſerat de vaſtationibus Normannorum, quæ in Flandria maximè viguerunt inter medium & finem ſeculi* IX, *pag.* 53 *ita proſequitur:* In præfata perſecutione beatus Piatus Siclinienſis aſportatus eſt Carnotum, ubi, priuſquam Tornacum veniret, Chriſti nomen prædicaverat. Sed illis prædicationem ejus non recipientibus, Tornacum petiit, ibique fidem Domini noſtri defendit. *Quod hîc dicitur de fide apud Carnotenſes prædicata, certum non fit auctoritate ſcriptoris hujus, ſed mihi planè incertum eſt viſum, & minùs probabile, ut ſuo loco dictum. At pergamus cum Herimanno:* De cujus corpore *: inquit*, uſque ad noſtra tempora litigatio grandis extat, dicentibus nobis Siclinii relatum eſſe ad loca paſſionis ſuæ, Carnotenſibus econtrario affirmantibus, uſque in præſentem diem apud ſe reſervari. Ad quam litem ſedandam, fateri neceſſe eſt, quod à majoribus

C noſtris accepimus, ut ſcilicet, relato apud nos corpore, pars aliqua ibi credenda ſit remanſiſſe. Apud Siclinium enim, detectâ arcâ, quâ corpus Martyris ſervabatur, anno Dominicæ Incarnationis MCXLIII populo demonſtratus eſt: de cujus corpore dentem ſuſcipere meruerunt monachi S. Martini Tornacenſis. Deinde priſtino loco reſtitutus, magna cum cuſtodia ſervatur, gaudetque eccleſia Siclinii, Martyris præſentiâ ſe non eſſe deſtitutam. *Erat abbas eo ipſo tempore, quo arcam fuiſſe apertam ſcribit, ut fortaſſe reliquias in ea ſervatas viderit.*

quæ Seclinii prodigio honorata.

47 *Tum prodigium ſubjungit his verbis:* In populo Siclinienſi ſæviebat peſtilentia illa, quæ vulgò dicitur ignis, adeo ut quoſdam non ſolùm membris privaret, ſed & vitam eis auferret: è quibus multi ad beati Martyris baſilicam Siclinii conſtitutam manibus alienis ſunt delati. Hinc eccleſia clamoribus turbatur; Deique auxilium & Martyris ſuffragium ab omnibus imploratur. In feretro autem, quo conſervabantur beati Martyris reliquiæ, ſculptæ erant decem virgines evangelicæ, quinque videlicet prudentes & quinque fatuæ. Hæ itaque omnes affectum Martyris oſtendentes, miſerorum doloribus condolentes, & Domini voluntatem exſequentes, ita flebant, ut crederentur ſenſibiles. In quo facto ſummæ virtutis potentia, & beati martyris Piatonis claruit præſentia: qui, ſicut dum in corpore viveret, & populos ad fidem Chriſtianam cohortaretur, non ſolùm lacrymarum copiam, ſed proprium ad extremum pro his fudit ſanguinem: ita nunc affectûs magnitudinem per ſubjectas demonſtravit imagines. Ex oculis namque prudentium guttæ ſanguinis emanabant, ex oculis autem aliarum lacrymæ velut aquæ fluebant. Poſt hoc autem miraculum, divinum auxilium & Martyris ſolatium infirmi perſentiunt, &, qui mori putabantur, ſanitati redonantur. His de præſentia corporis beati Piatonis, & de antiquitate abbatiæ noſtræ dictis, ad ea, unde digreſſi ſumus, redeamus. *Hæc ultima utcumque oſtendunt, prodigium iſtud ab auctore referri, quaſi ad probandam corporis apud Seclinienſes præſentiam. At certè totius corporis, aut etiam majoris partis, præſentiam nequeunt miracula probare, cùm Sancti etiam patrocinari poſſint, ubi vel exigua ſolùm pars corporis, vel nulla eſt præſens.*

AUCTORE J. S.

E *Ob contentiones Carnotenſium de corpore S. Piati, epiſcopus Tornacenſis*

48 *Magis ad id prodeſſe poteſt mox relata oſſium viſitatio, quam anno* 1143 *factam dixit Herimannus. Meyerus de eadem meminit lib.* 4 *ad annum* 1143 *his verbis:* Tranſlatio S. Piati martyris apud Siclinium per Simonem epiſcopum Tornacenſem. *Non dicitur* tranſlatio, *quòd corpus ad alium locum fuerit tranſlatum, ſed fortè quòd honorificè circumlatum fuerit, antequam arca in locum ſuum reponeretur. Attamen illa corporis aut oſſium viſitatio non effecit, ut Carnotenſes à corpore ſibi attribuendo abſtinerent. Nam Sebaſtianus Roulliard cauſidicus in Hiſtoria Carnotenſi, quam Gallicè edidit anno* 1609, *cap.* 6 *contendit, corpus* S. Piati *integrum & incorruptum eſſe apud Carnotenſes, præciſo tamen capite, & ſic anno* 1520 *inventum in viſitatione tunc facta. Couſinus illam controverſiam tractat cap.* 20, *& ut opinionem Roulliardi refutet, recitat litteras Michaëlis Deſne, epiſcopi Tornacenſis, qui anno* 1609 *arcam Seclinienſem* S. Piati *cum multis inſpexit, & de inventis in arca per dictas litteras rationem reddidit. Valent illæ ad corporis partem Seclinienſibus aſſerendam. Quapropter totas ſubjicio.*

F *anno* 1609, *apertâ rurſum arca Seclinienſi, per litteras*

49 Michaël Deſne, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Tornacenſis, univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis pariter & audituris ſalutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere. Cum juxta univerſalis Eccleſiæ Catholicæ ritum, jam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ receptum, Chriſti fideles Sanctorum reliquias ſtudiosè admodùm conſervatas devotè reverenterque venerati fuerint, eorum præſertim, quorum operâ ſingulare quoddam Dei beneficium obtinuerunt, inſpirante eorum mentes Sanctorum omnium Domino, qui (ut inquit Pſalmiſta) juſtorum oſſa cuſtodit, ut unum ex his non contereretur; maximo (non immeritò) devotionis fervore majores noſtri venerati ſunt, ac nos etiam venerari debemus reliquias glorioſi martyris S. Piati, qui, ſpretis pœnis corporis, huic patriæ Chriſti Euangelium annuntiare, proque eodem martyrium ſubire non dubitavit. Cujus corpus in Seclinio, noſtræ diœceſis loco, inhumatum, poſtea à beato Eligio elevatum, ac honorificâ thecâ reconditum, in eccleſia loci jam nominati, debitis honoribus celebrandum, collocatum fuit. Unde & hodierna die, non ob-

AUCTORE J. S.

ſtantibus ab inde variis bellorum tumultibus & rerum mutationibus, pro majori parte ſacræ reliquiæ corporis ejuſdem ſancti Martyris in prædicta eccleſia Seclinienſi reſervantur, & in argenteo feretro ſupra ſummum altare, loco eminentiore ad hoc accommodato, incluſæ cuſtodiuntur.

declarat, unà cum ſacris oſſibus inventas à ſe litteras

50 Nos itaque die datæ præſentium, cùm pro muneris noſtri debito prædictam Eccleſiam viſitaremus, ad laudem, gloriam, & honorem Dei Optimi Maximi obque reverentiam memorati glorioſi Martyris ejuſdemque ſanctarum reliquiarum, dictum feretrum, ex argento auroque magnificè elaboratum, de dicto loco eminentiori deponi, & ad ſacriſtiam dictæ eccleſiæ deferri mandavimus. Quo in loco præſentibus ibidem nobiſque aſſiſtentibus venerabilibus viris ac Dominis Egidio du Thilleul eccleſiæ noſtræ cathedralis canonico ac officiali noſtro, Sebaſtiano de Molembaix S. Theologiæ licentiato præpoſito, Roberto de Hoves decano, Natali Mannie, Antonio Grau, Valentino Choulet, Joanne de Flandre, Joanne Carlier, Joanne Billau, Roberto Lenglart presbyteris, Antonio Bouloingne, Ludovico Sceptre ſubdiaconis, præfatæ eccleſiæ Seclinienſis canonicis: fratre Adriano Bauvias presbytero religioſo canonico Regulari monaſterii S. Chriſtophori Phanopinenſis, magiſtro hoſpitalis B. Mariæ juxta Seclinium, magiſtro Joanne Cronier presbytero paſtore dicti loci, necnon aliis quamplurimis ejuſdem eccleſiæ cappellanis, prædictum feretrum diligenter viſitavimus, quod ab omni parte adeò artificioſè & firmiter obſeratum invenimus, ut à prima ſua confectione nunquam fuiſſe apertum appareret. Tandem adhibitis aurifabris, ab inferiore parte illud aperiri juſſimus. Quo facto, incluſas ſacco coriaceo, & rubro ſerico involutas, pro maxima parte invenimus ſanctas reliquias corporis prædicti glorioſi martyris S. Piati; & juxta illas literas authenticas de Data vigeſima tertia Maii anno Domini MCCCCLVIII; ac alias duas ſine Data, in pargameno deſcriptas, atque in burſa ſerica rubri coloris incluſas; quibus de veritate dictarum reliquiarum nobis plena fuit facta fides. Quarum quidem literarum tenores de verbo ad verbum, in perpetuam rei memoriam, præſentibus inſerendos eſſe duximus.

C *viſitationis anni 1458, quas ſuis inſerit,*

51 Et priorum literarum tenor eſt hujuſmodi: Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo octavo, die vigeſima tertia menſis Maii, Indictione ſexta, Pontificatûs verò Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ Caliſti tertii anno quarto, ad laudem, gloriam & honorem Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, obque reverentiam ſanctarum præſentium reliquiarum totius ferè corporis glorioſi martyris ſancti Piati, harum partium Apoſtoli, & hujus eccleſiæ Seclinienſis, Tornacenſis Diœceſis, veri patroni, fuerunt eædem ſanctæ reliquiæ ab antiquo & vetuſto ſcrinio, in quo diu ab antea extiterant minùs decenter collocatæ, per reverendum in Chriſto patrem dominum Joannem Cheuroti de Polligniaco oriundum, miſeratione divina epiſcopum Tornacenſem, tranſlatæ, & in præſenti novo feretro, ex auro & argento, ut apparere poteſt, ad ipſius reverendi patris domini epiſcopi admonitionem & inſtantem proſecutionem, ſuaque largiflua bonorum contributione ob hoc fabricato, & conſtructo; in venerabilium patrum dominorum Philippi, S. Petri juxta Gandavum, Nicolai S. Martini Tornacenſis, Jacobi B. Mariæ de Laude, Joannis S. Nicolai de Pratis juxta Tornacum, Dionyſii S. Calixti de Chiſonio, & Nicolai S. Chriſtophori Fanopinenſis, S. Benedicti, Ciſtercienſis, & S. Auguſtini Ordinum, dictæ Tornacenſis Diœceſis monaſteriorum abbatum, necnon Joannis de Thoiſiaco præpoſiti, Joannis Corderii decani, Bernardi de Puteo cantoris, Joannis Damiens Scoti, Matthiæ Lamberti, Thomæ Quieret, Guilielmi Porterie, Joannis Lanberti, Roberti Lanberti, Richarii de Bonteville, & Nicolai de Waſtina, dictæ eccleſiæ Seclinienſis canonicorum, noſtrorumque notariorum publicorum ſubnominatorum præſentia, omnibus reverentia, ſolemnitate & honore concedentibus reconditæ & recluſæ. Quod, ſicut & nobis præpoſito, decano, & canonicis Seclinienſis eccleſiæ præfatis idem reverendus pater dominus epiſcopus tradidit, reverenter omni cum diligentia & veneratione cuſtodiendum; ita & illud poſteris noſtris pia certificatione etiam relinquimus honorificè venerandum, diligenterque & cautè perpetuò conſervandum; ut & ipſe pro nobis orare dignetur in cælis, cujus & harum ſanctarum reliquiarum præſentiâ gaudentes, memoriam agimus in terris. Infrà habebatur, à latere dextero, Bulland. cum certo ſigno manuali. Et à ſiniſtro: Flaming, etiam cum certo ſigno manuali.

& alias vetuſtiores cum aliis indiciis corporis S. Piati,

52 Aliarum verò perantiquis characteribus exaratarum tenor & forma talis eſt: In nomine Sancte & Individue Trinitatis. Notum ſit tam futuris quàm preſentibus in Sicclinio beatiſſimo martyri Piato & Chriſto famulantibus quòd carta cum reverendis membris in tumulo prefati martyris, à beato Elegio cùm de terra levaretur, in hunc modum inventa ſit, quam nullus modernorum immutare præſumpſit. Hæc eſt nomen S. Piati, qui in Sicclinio.... requieſcit. Relicto ſpatio, quod punctis notatum eſt, vacuo. Et ultimarum ſimili antiquitate, talis: Dou ties Sainct Pias de Seclin & des os. Invenimus etiam ibidem clavum unum ferreum, quem ex illis, quos inter ungues ſancti Martyris impactos fuiſſe referunt, eſſe credimus. Necnon aliquas medallias perantiquas effigiem dicti ſancti Martyris, ut apparebat, referentes.

cujus majorem partem ibidem haberi affirmat:

53 Omnibus verò diligenter viſitatis, lectis & conſideratis: tam dictas ſanctas reliquias, quàm etiam literas, clavum & medallias eo, quo à nobis repertæ fuerunt, modo diſpoſitas, eodem feretro repoſuimus; noſtris, & de hujuſmodi viſitatione à nobis facta literis teſtimonialibus adjunctis; ac illud denuo obſerari, & claudi mandavimus, factaque circum dictam eccleſiam ſolemni proceſſione; loco, unde abſtuleramus dictum feretrum, reſtituimus; deſumptis tantummodo ex iiſdem ſacris reliquiis uno dente, quem nobis cum alia particula oſſium reſervavimus, & particula cranii, quam capiti argenteo ad hoc præparato incluſimus. Quocirca ſæpedictas ſanctas reliquias pro veris reliquiis corporis prædicti glorioſi martyris ſancti Piati, harum partium Apoſtoli, recognoſcimus, atque ut tales ab omnibus Chriſti fidelibus habendas ac venerandas eſſe decernimus; prout nos etiam libenter habemus, ac veneramur: cunctiſque Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, qui pia devotione ducti prædictas reliquias viſitaverint, & pro ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ exaltatione aliquas preces ad Deum effuderint, quolibet dierum, quo illud fecerint, quadraginta dies indulgentiarum miſericor-

A corditer in Domino elargimur. In quorum omnium fidem, robur, & teſtimonium præſentes literas (quibus propria manu ſubſcripſimus) per ſecretarium noſtrum fieri, ſignari, ac ſigilli noſtri magni juſſimus appenſione muniri. Datum Sicclinii Tornacenſis noſtræ diœceſis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nono, menſis verò Julii die ultima. *Subſcriptum erat :* Michaël epiſcopus Tornacenſis. *Et inferiùs :* De mandato Rmi domini mei epiſcopi præfati, T. Noppenus ſecret. cum ſigno manuali.

laudatis litteris conſonat Rayſſius.

54 *Has litteras, quæ ſufficere videntur ad magnam corporis partem Seclinienſibus vindicandam, recitat etiam Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico, non diu pòſt ſcripto, agens à pag.* 431 *de* S. Piatonis collegiata eccleſia apud Siclinium Melantheſiorum, *ubi de corpore ſic loquitur :* Corpus celeberrimi Piatonis ſacerdotis & martyris, Nerviorum apoſtoli, hujus ædis patroni tutelaris, qui verticem ſui capitis, ob Chriſti nomen amputatum, Tornaco Seclinium detulit, ut aſſerit Breviarium Tornacenſe & clerus Seclinienſis. *At illud de vertice capitis non eſt in ultimo Breviario Tornacenſi, & jam refutatum eſt. Quod verò in margine habet Rayſſius*, Seclinium dictum, eò quòd S. Piato illic ſeſe inclinâſſet, *nihilo melius eſt, nam tempore S. Eligii vocabatur* Sacellinium, *quod nomen, ut fit, paulatim contractum eſt. Sic ſatis expenſa ſunt, quæ ſubjicit auctor de epiſcopatu, ideoque omittuntur. Tum ait :* Tornacenſes notant (*à ſeculo* XII, *ut vidimus*) quòd tempore perſecutionis Normannorum corpus Piati fuit tranſportatum Carnutes in Celticam : quibus extinctis, relatum fuiſſe, parte notabili corporis ibi relicta. At Sebaſtianus Rouillard... vult, apud Carnutes eſſe integrum illius corpus, abſque quidem minima corruptione. Nuperrimè verò, id eſt, anno à Virgine parturiente MDCIX, pridie Kalendas Sextileis, S. Piatonis capulum, ex argento auroque elaboratum, à reverendiſſimo Tornacenſi epiſcopo Michaële Deſne viſitatum fuit, ubi maxima pars corporis glorioſi Martyris incluſa, ſacco coriaceo & rubro ſerico involuta erat, & juxta litteras in pergameno deſcriptas, quibus de veritate dictarum reliquiarum ipſi plena facta fuit fides. Quocirca tales ab omnibus Chriſti fidelibus habendas ac venerandas eſſe decrevit. *Hæc procul dubio fecit epiſcopus, ut Roulliardi aſſertis ſe opponeret.*

B

C

Aliquot Sancti reliquiæ in aliis locis.

55 *Priuſquam aſſerta illa examino, ex laudato Rayſſio recenſebo, quæ tradit de reliquiis ſervatis in aliis Belgii eccleſiis. Ubi agit de eccleſia cathedrali Tornacenſi, beatiſſimæ Virgini Mariæ dicata, cum multis aliis reliquiis pag.* 314 *in ea recenſet* Partes duas capitis S. Piatonis martyris ac presbyteri, Seclinienſis patroni. *In eccleſia S. Martini Benedictinorum ejuſdem urbis pag.* 339 *cum aliis numeratur* dens S. Piati martyris, *de quo dictum eſt num.* 46. *Duaci in eccleſia collegiata S. Amati, eodem teſte pag.* 45, *nonnihil habetur* De ſancto Piatone martyre. *In cœnobio Marchianenſi Ordinis Benedictini, ad Scarpam ſito, aliquid etiam reliquiarum* S. Piati *eſſe dicitur pag.* 295. *Ignatius Joſephus à S. Maria in Hiſtoria Abbavillenſi pag.* 433 *recenſet reliquias eccleſiæ Ruenſis* (*oppidum eſt in Picardia ad mare*) *interque eas* brachium S. Piati, coopertum laminis argenteis. *Hæc omnia ſunt veriſimilia, cùm nulla ex memoratis eccleſiis longè admodùm Seclinio diſtet. At non æquè probabilis mihi videtur conjectura Molani, quam propter aſſerta Carnotenſium his verbis dedit :* Fortaſſis autem Franci, cùm regionem hanc non ſemel pervagati ſunt ac fœdè diripuerunt, feretrum illud vetus illuc aſportârunt, corporis ſacri reliquiis antea per Siclinienſes extractis & celatis, quibus poſtea aliud extrui curârunt. *Nam Herimannus abbas, cujus verba dedi num.* 46, *ſatis oſtendit, controverſiam de corpore* S. Piati *inter Tornacenſes & Carnotenſes jam ſeculo* XII *vetuſtam fuiſſe, illamque non eſſe cœptam, quòd in deprædatione hoſtili corpus violenter ablatum eſſet, ſed quòd metu Normannorum Carnotum fuiſſet delatum, tamquam ad locum tutiorem.*

AUCTORE J. S.

§ V. Corpus integrum ſibi vindicant Carnotenſes : caput aliquando Seclinio ereptum eóque relatum : beneficia & cultus Sancti celeber tam Carnoti quàm Tornaci & Seclinii.

E

Corpus S. Piati non videtur Carnotum fuiſſe delatum

SEbaſtianus Roulliard *in Hiſtoria Carnotenſi, quæ non mediocriter poterit reformari, lib.* 6 *num.* 19 *& ſeq. prolixè probare contendit, non modò notabiles* S. Piati *reliquias eſſe Carnoti, ſed corpus integrum & incorruptum, reſciſſo tantùm capite. Vellem ſanè, ut opinio Carnotenſium expoſita eſſet per ſcriptorem magis ſobrium & magis criticum, quàm ſit cauſidicus ille, qui monumenta antiqua non recitat, ſed ſuis verbis exponit, quid in iis inveniſſe ſe crediderit. Legit ille datam ſuperiùs conjecturam Molani, ut inſinuat fol.* 181, *eamque partim ſequitur, partim refutare conatur. Non feretrum, ut conjiciebat Molanus, ſed corpus ipſum in hoſtili expeditione ablatum contendit. Ut autem violentam ejuſmodi ablationem probet, tres narrat regum Francorum de Flandris victorias, primam Philippi cognomento Auguſti, quam figit anno* 1213, *alteram Philippi Pulchri, quam illigat anno* 1304, *tertiam Philippi Valeſii, eamque anno* 1328 *relatam. Verùm omnia illa nihil ad rem faciunt, quandoquidem controverſia de corpore* S. Piati *à ſeculo* XII *vetuſta erat, teſte Herimanno abbate, ut poſtea non cœperit per ablationem hoſtilem. Idem Herimannus, cujus tempore luſtrata Seclinii ſunt oſſa Sancti, clarè innuit, corpus tunc non fuiſſe integrum aut incorruptum. Si enim fuiſſet integrum, non dixiſſet, partem videri relictam apud Carnotenſes. Itaque Carnotenſes corpus integrum, quod eis tribuit Roulliardus, Seclinienſibus poſtea non abſtulerunt.*

F

per hoſtilem deprædationem : ſed metu Normannorum.

57 *Quapropter cauſa controverſiæ non alia videtur quærenda, quàm ſit tradita ab Herimanno, nimirum quòd metu Normannorum corpus* S. Piati *ſeculo* IX *aut ineunte* X *fuit delatum ad Carnotenſes, quorum civitas Normannis fortiter reſtiterat. Si vera datur cauſa cœremoniæ illius, quam in pervigilio* S. Piati *in eccleſia Carnotenſi obſervari ait Roulliardus fol.* 180, *ea ipſa magis confirmabit, quàm labefactabit ſententiam Herimanni. Aſſerit nimirum, in pervigilio* S. Piati *poſt primas Veſperas, & rurſum manè in feſtivitate & poſt Miſſam ſolemnem, multa incendi thura in eccleſia, ut per totam fumus excitetur. Cauſam hujus cœremoniæ ex tabulario eccleſiæ allegat, nimirum fumum illum fieri in memoriam nebulæ, quæ excitata eſt, quando corpus ex territorio Tornacenſi portatum eſt Carnotum, quaque latores cor-*

AUCTORE J. S.

poris perſequentium oculis eripuit. Quid ſit de nebula illa, nequeo dicere, qui tabularia Carnotenſia non luſtravi. At, ſi prodigioſa aliqua nebula portitores reliquiarum perſequentium periculo liberâſſet, longè probabilius eſſet, Normannorum turmam fuiſſe, quam illi timebant; quàm victores Gallos à Flandris victis & inſequentibus timuiſſe, ut conſequeretur ex aſſertis Roulliardi.

Roulliardus ait, corpus S. Piati integrum eſſe Carnoti, & ita

58 *Deinde tamen alia adducit, majori attentione digna; ſed vellem, ipſa potiùs Acta capitularia recitâſſet, quàm ſuis omnia verbis enarrâſſet. Laudat Acta capituli, ſcripta, inquit, anno* 1520, *die* XVIII *Februarii. Ex illis dicit, eo die apertam fuiſſe thecam*, in qua repoſitum erat corpus glorioſi martyris S. Piati, & corpus iſtud inventum fuiſſe prorſus integrum & ſine corruptione, capite ſolùm ſeparato à corpore. *Deinde nominat multos, qui adfuerunt, & primum ex illis Milonem d'Illiers decanum, ſed nullum epiſcopum. Mox addit, die* XXV *Martii, quem diem facit Mercurii in hebdomada ſancta, ordinatum fuiſſe, ut corpus obvolveretur telâ ceratâ cum prima theca, & alteri imponeretur, & ſic recluderetur in ſacello S. Leobini. Hæc autem facta dicit die Sabbati ſancti. Demum ait, die Lunæ ſequenti, quem*

B XXVII *Martii facit, ſolemne ſacrum fuiſſe cantatum à Cardinali Borbonio, epiſcopo Cenomanenſi (qui & Senonenſis erat archiepiſcopus) eique poſt Miſſam coram multis perſonis corpus integrum fuiſſe oſtenſum. Ejuſmodi luſtrationem corporis pro argumento præcipuo producit Roulliardus. At tam negligenter exprèſſit dies, quibus ſingula aſſerit facta, ut nec inter ſe cohæreant, nec cum Paſchate aut littera Dominicali anni* 1521, *quo pro hodierno more annos inchoandi à Kalendis Januarii omnia eſſent figenda; minùs etiam cum Paſchate anni* 1520, *qui nominatur, & tunc currebat uſque ad Paſcha.*

in gemina luſtratione à multis perſonis conſpectum.

59 *Attendat ſolùm lector, diem Mercurii in hebdomada ſancta dici* XXV *Martii & diem ſequentem Lunæ ſtatui* XXVII *ejuſdem menſis, & ſtatim videbit in alterutro die ſaltem erratum eſſe. Si verò utrumque contulerit cum Paſchate anni* 1520 *aut* 1521, *videbit in utroque erratum. Si autem tam negligenter proceſſit Roulliardus in diebus nominandis, quos ſaltem ex Actis habere poterat, quid cogitabimus de accuratione auctoris in aſſerenda corporis integritate? Deinde tamen memorat aliam corporis luſtrationem ex Actis capitularibus anni* 1591, *&* C *diei* VI *Octobris, quo luſtratio dicitur facta, petente Carolo Borbonio Cardinali, & præſente epiſcopo Carnotenſi, qui tunc erat Nicolaus de Thou, cum aliis.* Aperta, *inquit Gallicè*, fuit in choro eccleſiæ arca glorioſi martyris Piati, qui inventus eſt decenter involutus velo ſerico coloris rubri, telâ ceratâ tegente omnia ejus membra præter caput & manus: conſpectuſque eſt & agnitus integer & ſine corruptione, capite ſolùm ſeparato & reſecto à corpore. Continuò facto agmine ſolemniter procedentium per eccleſiam, arca ad ejus ſacrarium portata fuit. Sequentibus diebus Lunæ, Martis & Mercurii, memoratum corpus in ſacello Apoſtolorum, aliàs dicto Equitum, expoſitum eſt omnium conſpectui, & revera ab omni hominum genere, ab omni ætate & ſexu, commodè conſpectum fuit, nominatim ab archiepiſcopo Bituricenſi, ab epiſcopis Namnetenſi, Belſovacenſi, Malleacenſi, Cenomanenſi, Andegavenſi, & ab aliis cujuſlibet conditionis perſonis. Demum die Jovis X ejuſdem menſis memorata arca magnâ cum reverentiâ ad locum ſuum fuit remiſſa. *Hæc dierum enumeratio aptè cohæret, & tota relatio veriſimili modo expoſita eſt.*

D

At illa corporis integritas certiùs eſſet probanda; & alia

60 *Verumtamen quod aſſeritur de integritate incorrupti corporis, non caret magna difficultate. Etenim difficulter credi poteſt, corpus* S. Piati *manſiſſe integrum & incorruptum uſque ad ea tempora, & de illa incorrupti corporis integritate non exſtare vetuſtiora teſtimonia. Scripſit S. Audoënus primam corporis inventionem, ſuo tempore factam: memoravit clavos in corpore inventos, & ex eo per amicum ſuum S. Eligium exſtractos. Si corpus quarto, quod currebat, poſt martyrium ſeculo inventum fuiſſet incorruptum, digna erat res tanta, quam poſterorum memoriæ commendaret S. Audoënus. At hic de integritate altùm ſiluit, prout de eadem integritate, corruptionis experte, ſiluerunt deinde alii omnes, quorum ſcripta nobis innotuerunt, ut veriſimillimum fiat, aut corpus illud non eſſe* S. Piati, *aut tam incorruptum non eſſe, quàm inſinuat Roulliardus. Quæ hîc præterea profert ad corpus* S. Piati *Carnotenſibus aſſerendum, parum aut nihil probant. Ex libris capituli eccleſiæ Carnotenſis ait, in iis inveniri litteras cujuſdam canonici Tornacenſis, cui nomen* Cotteau, *datas circa annum* 1580 *ad Canonicum Carnotenſem* Coilleau, *in quibus dicebat, apud Tornacenſes in confeſſo eſſe, corpus* S. Piati *à longo tempore tranſlatum fuiſſe Carnotum, ideoque de geſtis ejus & illa tranſlatione petebat relationem Carnotenſium. Ex illa igitur Epiſtola inferre nititur, Tornacenſes olim agnoviſſe, corpus* S. Piati *non ſervari in ſua diœceſi, ſed apud Carnotenſes. At ex Epiſtola nihil rectè inferri poteſt, niſi Tornacenſes agnoſcere tranſlationem olim factam. Hanc revera & ſeculo* XII *agnoverunt, & etiamnum agnoſcunt. At & eo tempore contenderunt, & etiamnum contendunt, majorem partem fuiſſe relatam.*

E

Roulliardi argumenta ſunt planè infirma.

61 *Objicit inſuper, hymnum aut proſam de* S. Piato *compoſitam fuiſſe à Fulberto Carnotenſi, veriſimiliter quòd magna de Sancto apud Carnotenſes celebrabatur feſtivitas. Hæc ratio compoſitæ proſæ bona eſt. At nihil ulteriùs ex ea inferri poteſt, quod ſit contra Tornacenſes. Nam feſtivitas illa fuerit inſtituta, quando corpus eò erat tranſlatum, nec abrogari debuit, quando corporis pars major Tornacum relata eſt, modò reliquiæ aliquot manſerint Carnoti, quod non negant Tornacenſes. Imò continuari potuiſſet feſtum apud Carnotenſes, etiamſi nullæ ibidem remanſiſſent reliquiæ, ut nihil omnino ex feſtivitate aut proſa Fulberti conſequatur pro præſentia integri corporis. Quin potiùs illa proſa Roulliardo repugnat. Nam tacet Fulbertus de corporis præſentia in eccleſia ſua, tacet de corporis integritate. At, ſi Fulbertus credidiſſet, corpus* S. Piati *integrum & incorruptum in eccleſia ſua ſervari; non erat, cur id ſilentio præteriret in hymno ad laudem Sancti pro eccleſia Carnotenſi compoſito. Itaque probabilius eſt, in ea opinione non fuiſſe Fulbertum. Demum ait, prope Carnotum etiamnum exſtare vicum* S. Piati, *duobus milliaribus Gallicis ab urbe diſſitum. At vicus ille* S. Piati, *qui in tabula Belſiæ notatus eſt, inſinuat quidem, celebrem fuiſſe Sancti cultum apud Carnotenſes; ſed nequit evincere, corpus ibidem ſemper manſiſſe integrum & incorruptum. Ceterùm ego hæc ſolo veritatis amore diſſerenda credidi: neque enim noſtrâ intereſt, Carnotine hodie ſervetur integrum Sancti corpus, an pars magna Seclinii & altera Carnoti.*

62 *Numquam clarè edicit Roulliardus, utrùm caput* S. Piati *etiam apud Carnotenſes ſervari credi-*

A

Caput Sancti Seclinienſibus ablatum & poſtea reſtitutum.

diderit. Solùm aſſerit & repetit, caput ſeparatum eſſe à corpore : cúmque non addat, caput in alia aut eadem theca Carnoti ſervatum, veriſimilem de ejus abſentia ingerit ſuſpicionem, etiamſi quis credere velit, reliquum corpus haberi apud Carnotenſes. Aliàs etiam invenimus, caput S. Piati *in bellica direptione Seclinienſibus ablatum fuiſſe ſeculo* XIV, *ſed poſtea reſtitutum. Hac de re Buzelinus in Annalibus Gallo-Flandricis ad annum* 1308 *ſcribit ſequentia :* Interea Siclinienſes canonici apud Joannem Druidum comitem ejuſque matrem Beatricem per legatos egere, ut S. Piatonis martyris caput bellis nuper Flandricis ſublatum, eoque tempore in caſtro Gamachienſi (*in Picardia & in diœceſi Ambianenſi*) ſervatum reciperent : adeoque proſperè legatio ſucceſſit, ut coram Roberto Ambianenſi epiſcopo Gerardus ejus caſtri canonicus & Petrus comitis baillivus id procuratoribus eccleſiæ Siclinienſis reſtituerint. *Litteras, quibus comes mandat canonicis Gamachienſibus, ut caput iſtud Seclinienſibus reſtituant, recitat Anonymus frequenter laudatus pag.* 125,

B

uti & alias Beatricis ejus matris, idem canonicis imperantis, ac tandem pag. 126 *teſtimonium Roberti Ambianenſis epiſcopi de reſtitutione facta, quod fuit datum in feſto Virginis Aſſumptæ, ſive die* XV *Auguſti anni* 1309. *Teſtatur autem epiſcopus,* in præſentia *ſua reſtitutas eſſe* quaſdam reliquias, quas dicebant eſſe caput ſancti Piati Siclinienſis martyris, olim de dicta eccleſia ſancti Piati Siclinienſis, Tornacenſis dioceſis, ad prædictam eccleſiam caſtri de Gamachiis aſportatum tempore guerræ Flandrenſis.

de poſſeſſione verò majoris partis corporis nihil certi ſtatuitur.

63 *Ex hiſce, quæ de ablatione capitis dicta ſunt, poſſet quis ſuſpicari, eodem ferè modo corpus ablatum, ſed reſtitutum non fuiſſe, ut caput vidimus. At ea conjectura non videtur mihi probabilis, quia controverſia de corpore eſt multò vetuſtior. Alius fortè majore cum probabilitate conjiciet, corpus* S. Piati *à tempore Normannorum fuiſſe Carnoti, ibique deinde ſemper manſiſſe, excepto capite, quod Seclinium fuerit relatum, & haſce capitis reliquias, cum aliis fortè nonnullis, poſtea vocatas fuiſſe* corpus S. Piati. *Quid de omnibus verius ſit, multò certiùs ſciri poterit per poſſeſſores iſtarum reliquiarum, quàm id ego ſolis conjecturis inveſtigare valeam. Quapropter ſolùm dico, notabiles admodùm* S. Piati *reliquias, quantùm conjicere poſſum, utroque loco haberi ; me verò nihil ſtatuere de majori aut minori corporis parte, nihil de integritate per Roulliardum aſſerta, conſentiente Officio Carnotenſi, cujus lectiones recitavi num.* 15. *Utraque eccleſia à multis ſeculis* S. Piatum *piè coluit, utraque beneficiis ejus gaviſa eſt, prout ſcriptores referunt, ſed ferè tantùm generatim.*

C

Cultus & beneficia S. Piati apud Carnotenſes :

64 *In dicto Officio Carnotenſi corpus Sancti dicitur* miraculis jugiter clarum. *Roulliardus cap.* 5 *art.* 10 *agit de ſacello* S. Piati, *quod eſt in eccleſia Carnotenſi, & in quo Sancti corpus aut pars corporis quieſcit. Illud exſtructum dicit à Capitulo Carnotenſi circa annum* 1349, *quando, inquit, miraculis florebat* S. Piatus, *magnuſque ad eum fiebat populi concurſus. Addit erectionem collegii canonicorum* S. Piati. *Hæc omnia Annalibus Gallo-Flandricis ad annum* 1349 *inſeruit Buzelinus his verbis :* Interim Carnuti ad invocationem S. Piatonis.... multæ res admirandæ patrabantur, ac per eas à corporibus ægrientium varia mala propellebantur. Cúmque magis in dies hominum cultus & ſtudium adverſus eum Martyrem gliſceret, etiam oblationes & munera crevere vehementer. Igitur ſacrum divæ Virginis canonicorum collegium id animadvertens, de ſtruendo, ejuſque Divi nomini conſecrando eleganti ſacello mentem induit. In extima Virginalis ædis parte id condi placuit. Et mox è ſecto quadratoque lapide pulcherrimum hoc opus ſurrexit, binis altrinſecus turribus inſigni ſtructura exornantibus. Captuſque tum fluentibus ad Sancti merita & populi religionem è cælo beneficiis, tum ſtudio canonicorum ejus ſacelli fabricam promoventium, Aymericus de Chaſteau-luiſant Carnotenſis epiſcopus, duodecim in eo ſacerdotia inſtituit, ac cenſibus perpetuis donavit. *Hactenus Buzelinus de factis Carnoti.*

AUCTORE J. S.

aliquis in Syria hoſtium & fluminis periculo liberatus :

65 *Idem ad annum* 1138 *aliud refert Sancti beneficium, quod in Syria factum creditur, quando ibi contra infideles militabat Theodoricus Flandriæ comes.* In ea verò, *inquit,* comitis noſtri expeditione id accidiſſe mihi perſuadeo, quod in Vita S. Piatonis Siclinienſes canonici litteris mandavere : Gallo-Flandrum quemdam, erga D. Piatonem mirificè affectum, ſacram cum aliis militiam iniviſſe; cùm in Syriam perveniſſet, cum aliquot aliis in hoſtico ab Turcis deprehenſum : ibi hoſtium multitudine Chriſtianos obruente, uti cum aliquot aliis non interimeretur, fugæ conſilium cepiſſe, & quòd ſpes omnis aliâ viâ evadendi præſcinderetur, in latum amnem, qui proximè magno impetu labebatur, ſeſe præcipitem dediſſe : in aquarum vorticibus cùm luctaretur graviſſimè, ac vitæ diſcrimen ingrueret, in mentem ei patroni ſui Piatonis veniſſe : eius auxilio ſuppliciter implorato aliquoties, viſum ab ipſo virum inſigni canitie venerabilem, qui mox ejus ſeſe corpori ſubjiceret, manuque pedibus ſuppoſita tam inſigne ſubſidium attuliſſe, ut non modò ipſum inter vehementes aquarum fluctus ſuſtinuerit, verùm etiam in adverſam ripam incolumem lætumque tandem expoſuerit : cùm ita periculum evaſiſſet, & patriam denique integris membris repetiiſſet, nihil antiquius ei fuiſſe, quàm ut ſeſe tam pio Patrono ad Siclinienſis eccleſiæ obſequium perpetuò manciparet. *Idem ad annum* 1143 *de arca* S. Piatonis *per Simonem epiſcopum Seclinii aperta. At hac de re jam egimus.*

E

reliquiæ Seclinienſes ad varias urbes & in novam capſam tranſlatæ.

66 *Laudatus Buzelinus ad annum* 1457 *memorat tranſlationem arcæ Seclinienſis* S. Piatonis *ad varia loca & maximè ad urbem Tornacenſem, ita ſcribens :* Per Aprilem (*anni* 1457) Siclinienſes canonici, frequentibus impulſi vocibus Joannis Cheveroti Tornacenſium epiſcopi, ad comparandum ſancti martyris Piati corporis ornatum incubuere. Eamque ob rem eliciendis piorum hominum ſymbolis ſacras ejus reliquias per vicinas Siclinio urbes maxima circumtulerunt religione. Cùm Tornaco propinquarent eâ decenter onuſti ſarcinâ, quo die S. Marci feſtum peragitur, celebratâ ſolemniter Miſsâ, è divæ Virginis templo Joannes pontifex, clerus omnis, D. Martini & S. Nicolai abbates ac religioſi, ſanctorum Auguſtini ac Franciſci familiæ, cum ingenti hominum multitudine, ad portam uſque civitatis obviàm ivere ſuppliciter. Quóve majori Hoſpitem ſanctum voluptate & cultu exciperent, ædis Marianæ canonici ſacrum B. Eleutherii corpus ex adverſo tulere. Igitur quantâ potuit pompâ illatus in urbem eſt ſanctiſſimus Chriſti Martyr, qui ſacris olim concionibus eam ad Chriſti fidem converterat, in eoque majores S. Eleutherii ſacro tinxerat baptiſmo. Quà fuit inceſſum per plateas, cuncta verſicoloribus pannis & tapetibus ſpectantium oculis blandiebantur. Multi

AUCTORE J. S.

clericorum & civium facibus colluminabant: illic ſuaviter modulantium muſicorum vocibus, hìc æris campani ad numeros contacti ſonitu omnia perſonabant. In ædem divæ Virginis Mariæ receptis corporibus ſacris, rurſus divinæ Miſſæ Sacrificium cum inſigni cantorum modulatione ab epiſcopo peractum eſt, omni celebrante præſulum, canonicorum & monachorum numero. Datumque poſtea magnificè ab epiſcopo abbatibus & canonicis epulum. *Sequenti anno facta eſt tranſlatio in novam magnificamque capſam, per ſuprà laudatum epiſcopum Joannem Cheverotum, prout ea memoratur num.* 51 *in litteris ibi datis. Tum anno* 1459 *capſa Brugas delata, ut dictum eſt ex Meyero num.* 45.

Beneficia Seclinii obtenta: Sancti eccleſia Tornaci, & cultus,

67 *Ad annum* 1519 *Buzelinus de beneficiis* S. Piati *ex monumentis Mss. memorat ſequentia:* Frequentabat eo tempore multus hominum concurſus D. Piatonis ædem Siclinii: quorum alii variis corporum ægritudinibus curandis opem flagitabant, alii ad depellendos è corporibus immundos ſpiritus ſancti Martyris ſepulchro & reliquiis admovebantur. Et ſanè quamplurimis ad eorum malorum expulſionem beatus Sacerdos opitulatus eſt. *Demum Buzelinus ad annum* 1609 *refert inſpectionem reliquiarum* S. Piati, *memoratam in litteris Michaëlis Deſne epiſcopi Tornacenſis, quas ſuprà totas dedi. Poſſent hiſce multa addi de celebritate cultûs* S. Piati *in urbe ac diœceſi Tornacenſi, de qua agit Couſinus cap.* 18. *At, quia ſimilia frequenter mutantur, augenturque aliàs, aliàs minuuntur, ſatis mihi erit ſumma legere veſtigia. Habet* S. Piatus *eccleſiam parœcialem nomini ſuo dicatam Tornaci, & in ea præter parochum varii presbyteri habent beneficia. Crux etiam, quæ* S. Piati *dicitur, in eadem civitate cernitur erecta, nimirum in cœmeterio eccleſiæ. Ad hanc verò eccleſiam in pervigilio feſtivitatis* S. Piati, *ordinato agmine procedit omnis clerus eccleſiæ cathedralis ad honorandum ſanctum Patronum. Fiunt & alia nonnulla ad augendam feſti ſolemnitatem. Per annum verò nomen* S. Piati *inter martyres recitatur in litaniis, & in Officio de eo fit commemoratio tamquam patroni.*

B

Sanctus in multis parœciis patronus: concurſus

C

68 *Præterea Couſinus nominat aliquot parœcias rurales, quæ* S. Piatum *elegerunt patronum, non ſolùm in diœceſi Tornacenſi, ſed etiam in Atrebatenſi. Demum multas producit eccleſias cathedrales & collegiatas, in quibus olim* S. Piati *& aliorum ſimul Sanctorum feſtivitas peragebatur die* 1 *Octobris, aut etiamnum peragitur. Hæc omnia prolixiùs apud Couſinum diſputata videri poſſunt. De Seclinienſi templo* S. Piati *Buzelinus lib.* 1 *cap.* 25 *ita ſcribit:* Templum habet magnum, & ipſa clarum vetuſtate varioque incendio. Id canonicis & parœciæ commune. Viſitur in eius crypta ſub odeo fons ille, qui ſancti martyris Piatonis caput afferentis adventu ebulliit, & juxtim vetus ejuſdem ſepulchrum. Frequens fit eò concurſus hominum, exſtinguendis præſertim febribus, & depellendis ex humanis corporibus impuris ſpiritibus, flagitantium opem. *Couſinus cap.* 15 *affirmat, nonaginta & quatuor parœcias, facto longo agmine, olim ad eccleſiam Seclinienſem quotannis ſuppliciter veniſſe, ſed ſimul inſinuat, jam ſuo tempore numerum fuiſſe imminutum. Quod ait Buzelinus de fonte ad caput à Sancto allatum ebulliente, non eſt certius, quàm ſit ipſa capitis præciſi per Sanctum allatio, antè ſatis rejecta.*

69 *Tamen negare nolim, fontem illum eſſe ſalutarem. De eo iterum agit Buzelinus lib.* 2 *cap.* 7, *perpetuum hominum concurſum ad Sancti eccleſiam ita celebrans:* Siclinium ingens vis hominum frequentat, exciente magno S. Piatonis martyris Nerviorumque Apoſtoli nomine; dein eâ, quâ pollet is, exſtinguendi febres, alios morbos curandi, & humanis è corporibus dæmonia exterminandi poteſtate. A Chriſti nativitate anno circitèr trecenteſimo tertio (*ſecundum nos citiùs paſſus eſt*) ſtatim poſt mandatum ibidem loci tumulo corpus, hunc Martyrem colendi religio Siclinienſes alioſque populos accendit: tantumque abeſt, ut tanta temporum intercapedine is affectus deferbuerit, ut potiùs in dies capere vires videatur, multo ſemper affluxu peregrinorum ejus eccleſiam, tum votis ſeſe liberandi, tum poſcendi quidpiam gratiâ, celebrante. Non enim illic ſolùm ſacra ejus oſſa conquieſcunt: verùm etiam jam inde ab ejus tumulatione perpetuam fons ad ejus ſepulchrum aquam propinat, cujus hauſtu ſalutifero varii corporum humanorum morbi ſedantur. *Hactenus de celebri cultu & beneficiis Sancti. Nunc Acta ſubjiciam, & multas interpolationes in Annotatis.*

D

populi perpetuus ad eccleſiam & fontem ejus Seclinienſem.

ACTA

E

Ex Ms. Accincti monaſterii,

Collato cum pluribus interpolatis.

Præfatio.

VObis parum dicturi ſumus, quanta Dominus noſter Jeſus Chriſtus in ſervis ſuis operari dignatus eſt mirabilia. Quicumque legerit, vel legentem audierit, tamquam bonus Chriſtianus aurem accommodet, vel ſenſum apponat, & ſollicitè ſpiritualem habeat intellectum: quia cùm parva non ſufficiunt; plura prodeſſe non poſſunt. Etiam & plurima *a* de ſervis Dei oportet credere, quàm poſſit lectio humana miniſtrare.

a

Sancti patria, parentes, & Pueri virtutes.

2 Igitur venerabilis Piaton *b* Beneventi finibus magnâ ortus fuit proſapiâ. Erant itaque parentes locupletes valde, tam in pecuniâ, quàm etiam in magnâ rerum ampliſſimaque poſſeſſione. Erat verò beatus Piaton elegans, & pulcherrimus inter omnes ſuæ pubertatis coætaneos, ſapiens verbis, prudens moribus, conſilio firmus, ingenio vigens, decorus aſpectu, blandus alloquio; & quod his majus eſt, à primo ætatis ſuæ tirocinio in amorem ſupernæ patriæ ita exarſit, ut cuncta, quibus mortalium favet vita, deſpiceret, atque immortalis vitæ appetitu deſudaret. Cunctis enim virtutibus, quibus cœleſte regnum adipiſcitur, ſancti Pueri nutriebatur infantia. Ætate verò procedente, & religionis deſiderio magis magiſque convaleſcente, nihil de terrenis faſcibus ambiens, mentis aciem in Creatoris omnium timore ſimul & amore fixam tenebat. Erat autem in eo tanta largitatis induſtria, ut omnia, quæ præter ſimplex indumentum habere poterat, pauperibus, & egenis erogaret.

b

F

De legione Thebæa ſub Maximiano paſſa.

3 Igitur Diocletianus, quondam Romanæ reipublicæ princeps, cùm ad imperium totius orbis fuiſſet electus, omneſque provincias turbari quorundam præſumptione proſpiceret, ad conſortium laboris vel imperii olim ſibi commilitonem Herculium Maximianum cæſarem *c* fecit; eumque contra Alamandum & Elianum, qui in Ba-

c

A Bagaudarum nomen præſumptione ſervili arma commoverant, ad Gallias deſtinavit. Cui ad ſupplementum exercitûs legionem Thæbeam ex Orientalibus dedit. Quæ legio ſex millia ſexcentos ſexaginta ſex viros, validos animis & inſtructos armis, quorundam Romanorum habebat exemplo. Igitur milites Chriſtianæ religionis ritum Orientali traditione ſuſceperunt: fidemque ſacram virtuti & armis omnibus præponebant. Maximianus cæſar, dum ad ſacramenta ſuperiùs memorata *d* cunctos in exercitu ſuo cogeret, agnovit, ut diximus, prætergreſſam legionem. Subito iracundiæ furore completus, ſatellites mittit, ut legionem ad ſacramentorum ſuorum ſacrilegia revocarent. Erat in eadem legione primicerius Mauricius, & ſignifer Exuperius, & Candidus ſenator; qui ita commilitonibus ſuis præerant, ut amore potiùs æqualitatis, quàm terrore militari obedienda præciperent.

d

S. Piatus, ordinatus presbyter, apud Tornacenſes

4 Sed prætermiſſis hujus ſacratiſſimæ legionis præclaris triumphis, lectionis ſeries expoſcit, ut proſequamur de beati Piati glorioſo certamine mira geſta; qualiter pretioſus Domini teſtis effectus, fœlici conſummatione antiqui hoſtis verſutias, veluti inſuperabilis agoniteta *f* devicit. Beatiſſimus *g* itaque Piatus ab urbe Roma egreſſus, à beato Dionyſio *h* presbyteri ſumpſit officium, & ad Tornacenſem urbem curſu properavit intrepido: atque tunc ſanctus Dionyſius Pariſius adiit: ſanctus denique Quintinus Ambianis civitatem elegit; ut unuſquiſque eorum de propriis civitatibus, exemplis ſuis, & traditionibus Chriſto Domino fructum boni operis conſecrarent. Sanctus igitur Piatus mox ut Tornacenſes penetravit fines, & cœpit Evangelium Chriſti prædicare, quod ejus pectori Spiritus ſanctus dignanter infuderat; ut verbo ſuæ prædicationis homines ad imaginem Dei factos à dæmonum cultura erueret; ut unum Deum, cœli terræque conditorem puris mentibus adorarent, atque unum Patrem invocarent ingenitum, Filium à patre ſolo confiterentur genitum, Spiritum ſanctum ab utroque procedentem crederent.

g
h

fidem prædicat. Adventientibus perſecutoribus,

5 Talibus itaque beatiſſimus Piatus, populum monitis inſtruebat: ô Cariſſimi filii, invictiſſimi milites, & divini prælii bellatores, qui antiqui hoſtis tanto tempore vinculis obnoxii fuiſtis, à miſera ſervitute laxati, Chriſtum Dei Filium pro veſtra redemptione veniſſe per uterum Virginis ſacræ & intemeratæ jam pariter vel ſerò cognoſcite. Si enim vos ab idolorum cultura ſacri baptiſmatis unda reddiderit emundatos, à morte poteritis erui ſempiterna, quando veſtri cordis tenebras lux depulerit ſempiterna, & ſupernæ gloriæ baptiſmi gloria reddiderit candidatos *i*. Interèà dum ſanctus Vir doctrinis inſiſteret pietatis, & Chriſti populum ab errore converteret vanitatis, elevatis paululùm oculis, perſecutores ſuos venire eminus conſpexit. A prædicationis tamen ſuæ verbo non deſtitit, ſed ſalubriùs * populum monitis hortatus eſt, dicens: Ecce, fratres, & filii cariſſimi, jam mihi Dominus noſter Jeſus Chriſtus laborum meorum retributor eſſe dignatur: jam corpus ab infantia continuo labore laſſatum cum fructu martyrii ad palmam tranſiet ſempiternam.

C

i

* *al.* ſalubribus

ſuos piis monitis pergit inſtruere. Occiſis ſociis,

6 Vos itaque, cariſſimi filii, in accepta prædicatione ſtate firmiſſimi, & nec terror principum, nec minæ judicum, aut malè ſuadens amor à vita vos valeat revocare æterna; ut ibi ſequantur merita gregis, ubi præceſſerit fortitudo paſtoris. His ita dictis, elevatis in cœlum ſanctiſſimus Piatus oculis, & puras manus extendens in cœlum, totis cum viribus dixit: Gratias tibi ago, Domine Jeſu Chriſte redemptor mundi, qui me ad titulum dignitatis tuæ vocare dignatus es, & beatiſſimorum martyrum tuorum Dionyſii, Quintini, Luciani, Criſpini, & Criſpiniani *k*, vel aliorum multorum, qui paſſi ſunt propter nomen tuum, conſortem efficere. Dignare ergo, Domine Jeſu Chriſte, in eorum me numero computare, & regni tui hæredem fieri ſempiternum. His ita dictis, egreſſus à ſupradicta urbe Tornaco, cœpit iter ſuum intrepidus agere, & in accepta re exercere fortitudinem; ut in opus divini myſterii martyrii ſui impleret curſum. Cúmque ſanctus Piatus cum ſociis ſuis Officii ſui dicatum omnipotenti Domino redderet curſum; advenerunt impii perſecutores, qui à nequiſſimo fuerant Maximiano *l* directi. Tunc illico apprehendentes Sanctum Dei, & ſocios *m* ſuos, coram beatiſſimi Piatonis obtutibus gladio puniri eos juſſerunt.

AUCTORE J. S.

k

l

m

S. Piatus perſecutoribus ad varia

7 Quibus interfectis, & Chriſto ſui ſanguinis effuſione dignis martyribus conſecratis, ſanctiſſimum Dei Piatonem cum ira & indignatione taliter allocuti ſunt, dicentes; Tune es ille, qui maleficiis tuis ſeducis populum, ut ſacratiſſimis diis non immolent, & invictiſſimorum principum præcepta contemnant? Sanctus Piatus reſpondit: Ego maleficus non ſum, ſed beneficiis eruditus ſupernis Chriſti populo viam veritatis oſtendo; & Dominum meum Jeſum Chriſtum, qui facturæ ſuæ pio ſemper dominatur affectu, quomodò inoffenſo pede ſequi debeant, innoteſco, ut ad lucem evocati ſupernam, à ſuis tenebris eruantur; & cognoſcentes Dei Filium ad terras pro ipſorum redemptione veniſſe, ſuperſtitioſam idolorum ſectam ſpernentes, ipſi ſoli cervicem cordis inclinent, qui pro omnium ſalute voluit crucifigi. Ad hæc reſpondentes miniſtri, dixerunt: Quomodo tu Deum pronuntias, quem aſſeris crucifixum? Sanctus Piatus reſpondit: Licèt veſtra infidelitas, & aures ſurdæ & pollutæ ſuperni & clementiſſimi Regis audire non mereantur arcanum; tamen propter adſtantem multitudinem vulgi breviter dicam, quomodo ante ſæcula Deus, & verè homo, voluit in fine temporis crucifigi. Deus Pater ingenitus: Deus Filius à Patre ſolo genitus: Deus Spiritus ſanctus procedens ab utroque; tres Perſonæ, ſed una ſubſtantia, qui nec ortûs initium habuit, nec ævi poterit fine concludi; cùm omnia, quæ videntur, & quæ non videntur, ipſius ſapientiâ conſtet eſſe fundata, humanis miſertus exceſſibus, ſanctam Virginem, de qua in fine ſæculorum naſceretur, elegit; ut inviſibilis permanens in ſuis, viſibilis fieri dignaretur in noſtris, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; & Deus inpaſſibilis manens, homo, quem aſſumpſerat, crucis patibulum pro omnibus ſuſtineret; ut ubi erat culpa gravior, fieret gratia major. Niſi enim Filius Dei hominis etiam filius fieri dignaretur; nec peccatores ad veniam, nec miſeri tranſiſſent ad ſuperos.

E

F

conſtanter reſpondet:

8 Hæc, & alia beatiſſimo Piatone proſequente, milites magis magiſque furoris ſtimulis urebantur, & reſpondentes dixerunt: Jam te ſenectutis tempus invitaverat, ut ab inſtantibus vanitatibus reſipiſcere debuiſſes; ſed quoniam & vanitas te nimia obſidet, & ad mortem ſuperfluam invehit loquacitas, nomen tuum nobis conditionemque declara. Sanctus Piatus reſpondit: A carnalibus parentibus vocatus ſum Pius; ſed in regenerationis ſacræ unda baptiſmatis Piatus ſacro

ſa-

AUCTORE J. S.

facerdotis ore vocatus cognoſcor. Conditionis verò cujus ſim, liquidò patet, cùm mihi nihil aliud ſit, quàm ſecundùm Apoſtolum beatum, & Chriſto vivere, & pro ipſo lucrum me mori. Conſepultus enim ſum illi in fonte baptiſmatis, ipſius ſequor veſtigia, cujus ſum ſanguine reformatus. Tunc milites reſpondentes dixerunt: Hoc eſt, quod locuti ſumus, quia ſeductor es, deorum & contumax *n* comprobaris, & vana quæque loqui non ceſſas, & tuæ neſcis feſſæ ſuccurrere ſene uti. Sanctus Piatus reſpondit: Quod ego loquor, neque auribus percipitis neque retinere mente valetis. Excæcavit enim vos infidelitas cordis, & principem veſtrum Maximianum *o* ſæviſſimum, à quo directi eſtis, æterna cæcitas & caligo poſſidet tenebrarum.

n

o

flagris priùs cæſus, capite minuitur, prodigio honoratur.

9 Milites itaque injuriam cæſaris impatienter ferentes, apprehendentes eum, vinctis manibus ceciderunt. Cúmque ab his nimiùm flagellatus, & vinctus admodùm teneretur; ſanctus Vir nec terrore concutitur, nec dolore corporis ſuperatur. Sed confiſus in Domino imbecillia membra ſenectutis juvenili vigore ſuſtentans; eodem vultu, eadem mente perdurans, Chriſti nomen voce

B

confiteri non metuit, dicens; Chriſtum Dei Filium & corde credo & ore non ceſſo laudare. Tunc unus ex militibus, evaginato gladio, parata jam ſancta cervice, pretioſum caput abſcidit. Cúmque Viri ſancti cadaver jaceret exanime, videntibus militibus, & vulgi multitudine, lux de cælo ſuper ſanctum corpus emiſſa eſt, & vox pariter cum luce venit, dicens: Euge bone famule Piaton, qui pro me tuum ſanguinem fundere non dubitâſti in terris, cum Sanctis gratulare in ætherea ſede: veni ad præparatam tibi in cœleſtibus manſionem, veni cum palmâ martyrii; accipe promiſſa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec comprehendere valet humanitas; & fratrum tuorum Martyrum conſortio perfruere. Hoc autem factum eſt diei horâ quaſi tertiâ, quod eſt Kalendas Octobris *p*: exultantibus cunctis fidelibus, & maximas in excelſis referentibus odas.

p

Honorificè à Chriſtianis ſepelitur,

10 Dei autem facto conſilio, qui Sanctos ſuos cum menſura probat, & ſine menſura glorificat, viri loci illius, qui Beatiſſimi fuerant ammonitione converſi, venerunt devotiſſimi, & cum aromatibus ſanctum mundis linteaminibus obvolventes cadaver, ſepelierunt *q* in monumento, in quo nondum quiſquam poſitus fuiſſe videbatur. In quo

q

loco, ſi devotus petitor veniens, ſanctum Piatonem pro peccatis ſuis interceſſorem precatus fuerit, ſine dubio, quidquid poſtulaverit, obtinebit. Cúmque ſanctum corpus viri miſericordiæ reconderent, apertæ ſunt nares eorum, ſenſeruntque aromata angelorum, qui à Domino ob ſancti Viri exequias fuerant deſtinati *r*. Dixeruntque ad invicem: Quidnam ſibi vult hoc eſſe? Odorem talem noſtræ nunquam nares ſenſerunt: ſicque ſumus repleti, ut nihil nobis boni ultrà eſſe * credamus. Quantò ampliùs loquebantur, tantò eos ampliùs odor reficiebat. Tunc proſtrati in terra, cum magno timore & cordis devotione clamaverunt, dicentes: Credimus te Chriſtum Filium Dei cum Patre & Spiritu ſancto regnare in cœlis, ſicut à ſancto martyre tuo Piato didicimus. Et converſi ſunt in eadem hora quaſi quinque millia *ſ* viri, gratias agentes Deo: jam enim converſi fuerant per Sanctum in Gallias *t* ampliùs quàm triginta millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus.

C

* *al.* deeſſe

ſ

t

u

11 Ædificaverunt autem in eodem loco *u* monumentum novum; & per orationes ejus ægri veniunt & ſanantur, cœci illuminantur; claudi recuperantur, vexati à dœmonio liberantur, & fidelium exaudiuntur vota precantium. Dignum ſibi Dominus talem Martyrem approbavit, qui pro ejus nomine paſſionis non timuit ſubire martyrium. O beatum Virum, caſtum, ſanctum, pudicum, verecundum, cujus exemplo iniqui * converſuntur ad fidem, cujus meritis angeli gratulantur in cœlis, cujus tactu confortantur infirmi, cujus meritis * delictorum ſarcina leviatur: quem cunctus populus feſtiva devotione concelebrat, quem terrarum principes pronis efflagitant cervicibus. Ille jam choris admixtus Angelicis, nimio candore reſplendet. Ille cum Apoſtolis palmam aſſumpſit martyrii. Ecce ejus hodie ſolemnia celebramus, qui dum à nobis annua feſtivitate celebratur in terris, à Domino magnificatur in cœlis. Sit tibi, Deus Pater in unitate Filii cum Spiritu ſancto gloria, & ſumma poteſtas, qui ſanctum Martyrem tuum ita glorificare dignatus es, qui vivis, dominaris, & regnas, & tunc & nunc, & per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

D

ejuſque ſepulcrum miraculis claruit.

* *al.* infideles

* *al.* precibus

ANNOTATA.

E

a *Modica hæc Præfatio abeſt à pleriſque exemplaribus interpolatis. Habetur tamen in uno ex codicibus noſtris, ibique hîc legitur* plura.

b *In pleriſque interpolatis ſcribitur* Piatus, *& ſubinde etiam* Piaton; *& ſic modica in vocibus paſſim eſt differentia; ſed præcipua ſolùm annotabo.*

c *Diocletianus imperium certò adeptus eſt anno* 284, *& poſtea Maximianum ſibi aſſociavit. Tillemontius tom.* 4 *Imperatorum Notâ* 5 *in Diocletianum multa diſſerit de tempore, quo Maximianus factus eſt auguſtus, quod probabiliùs illigat anno* 286, *ſic tamen, ut probabile ſit, antea ab anno* 285 *cæſarem fuiſſe declaratum. In hiſce Actis Maximianus ſemper vocatur* cæſar, *ſed hoc parum proderit iis, qui volent ex his probare, Maximianum ſeriùs factum auguſtum. Nam totus hic Actorum paragraphus ex interpolatis S. Mauritii & martyrum Thebæorum Actis exſcriptus eſt, ſicut perſpiciet lector ſtudioſus, modò illa S. Mauritii Acta, apud nos edita ad* 22 *Septembris, ſive tom.* 6 *Septembris pag.* 345, *cum hiſce contulerit. Quapropter inutile erit, ſi plura ad hæc annotare voluero. Igitur de Amando, qui hîc mendosè* Alamandus *ſcribitur, Elianoque & Bagaudis, & de omnibus Thebæis videri poſſunt ibi annotata. Ex hoc anonymi plagio liquet, eum ſaltem poſt medium ſeculi* VII *ſcripſiſſe.*

F

d *Hæc erant memorata in Actis modò dictis, hîc verò omiſſa, ſed pauca aliter addita in Actis interpolatis, ubi repetitur numerus legionis Thebææ, & deinde adduntur mox danda.*

e *Quæ hîc ſequuntur in Actis interpolatis, ex codice noſtro ſubjicio:* Quarum legionum eſt numerus ſex milia ſexcenti ſexaginta (*in aliis additur* ſex) qui ſub Maximiano ſunt paſſi. Beatorum ipſorum martyrum ſacra certamina recurrentes *, digno, dilectiſſimi, honore veneremur, & piis obſequiis exſequamur. Eodem itaque tempore conſociatus eſt beatus Piatus ſanctiſſimis martyribus in urbe Roma, Dionyſio, Quintino, Lucio, Luciano, Albino, Criſpino & Criſpiniano, & aliis, quorum nomina ſunt ſcripta in libro vitæ. De quorum collegio beatiſſimus Piatus extitit martyr: cujus & ſacri martyrii palmam, & pro Chriſti nomine certaminis glorioſi cupio retexere geſta, non meo merito aut proprio confiſus ingenio, ſed ipſius adjutus ſuffragio, qui mi-

* *fortè* recolentes

chi

A chi dignatus eſt paſſionis ejus ſeriem intimare. Vos itaque, fratres, ſollicitè audire contendite, ut, dum ejus imitatores martyrii fueritis in terris, ipſius gloriæ conſortes eſſe valeatis in aſtris. Illis igitur diebus, cùm Maximianus impiiſſimus cæſar decreta principum accepiſſet, ut Chriſtiani, qui diis & ceteris deorum officiis non immolarent, capitalem ſubirent ſententiam, per omnes provincias executores conſtituit & proditores, ut, ſi quis eorum Chriſtianum quemlibet adveniſſe cognoſceret, ejus præſentiæ omnimodis nuntiaret. Erat enim tunc Sanctorum perſecutio generalis, cùm impius perſecutor ad extinguendum ſe Chriſtianitatis nomen armaverat. Nullum tunc in civitatibus Sanctorum refrigerium, nulla in montibus & in ſpeluncis martyrum remanſerant congeſta ſolatia. Eodem itaque tempore ſanctus Piatus beatiſſimis martyribus conſociatus eſt, Quintino videlicet, & Lucio & Luciniano, atque Dionyſio, Criſpino Criſpinianoque. Simul egreſſi, Gallias adierunt, Dominicæ memores juſſionis : Si vos perſecuti fuerint in unam civitatem *, fugite in aliam ; &, ut nobis patientiæ ſuæ præberent exemplum, & effuſio ſanguinis ipſorum, noſtrarum fieret documentum virtutum. Vos verò, fratres kariſſimi, intenta hæc aure percipite, & credite implere poſſe Dominum in Sanctis ſuis, quæ ſcripta ſunt. Inter hæc etiam penſare debemus, quanta ſit gratia Sanctorum ſequi veſtigia, pro Chriſto dolores tolerare, mortem momentaneam non timere, mundum ſuis cum voluptatibus ſpernere, nec timere unâ horâ ferre dolores corporis, qui optant in æternum gaudere cum Chriſto. *Hæc omnia Actis poſtmodùm inſerta ſunt, & pleraque incongruè, ut facilè videbit ſtudioſus lector. Nam neque Româ videtur egreſſus* S. Piatus, *imperante Diocletiano, ſed multò citiùs, neque fortè cum omnibus ſociis ſuprà nominatis. Quod dicitur de acceptis à Maximiano principum decretis, ridiculum eſt, & quæ ſequitur generalis perſecutio, multò ſeriùs inchoata eſt. Pro tanta additione, ex Actis noſtris omiſſa ſunt aliqua mox ſequentia.*

f *Vox* Agonotheta, *vitiosè ſcripta, propriè ſignificat præfectum ludorum, qui præmia ponit certantibus : ſed medio ævo vocem illam Græcam Latini non rarò pro ipſis certantibus uſurpârunt, maximè in Actis martyrum.*

C g *Hìc Acta interpolata incipiunt cum noſtris conſonare.*

h *De S. Dionyſio Pariſienſi agetur ad 9 Octobris, de S. Quintino ad 31 ejuſdem menſis.*

i *Hìc rurſum multa in Actis interpolatis addita, quæ ſubdo :* Tunc magna Spiritus ſancti virtute vivificati, atque ejus gratiâ illuminati, filii Dei & fratres vocabimini Chriſti, & cum eo in regno cælorum regnabitis ſine fine. Cúmque ſanctus vir Piatus die noctuque hujuſcemodi verbis populum cunctum ammoneret, ac ejus fama ſanctitatis regiones finitimas repleviſſet ; ceperunt tunc multi à dæmonum cultura recedere, & Chriſtum Dei Filium pro totius mundi ſalute & redemptione per uterum ſanctiſſimæ Virginis ad terras veniſſe totis viribus credere, & puris pectoribus confiteri. Sed priùs nos quàm paſſionis ejus glorioſum aggrediamur agonem, ſanctiſſimi Martyris & perfecti monachi laudabilem continentiam curabimus intimare. Cùm eſſet itaque Spiritu ſancto repletus, Chriſtianam & Catholicam ſapientiam diligebat. Abſtinens ſe ab omni opere malo, & fidem tenens perfectam, Chriſto ſedulum exhibebat officium. De abſtinentiæ igitur virtute, quâ ſe cotidie macerabat, ut Chriſto Domino carnis ſuæ hoſtiam immolaret, pauca dicenda ſunt. Alius enim cibus illi non erat aſſiduus, quàm eſus herbarum virentium : & aquam frigidam pro potu feſſo corpori tribuebat. Quadrageſimæ verò diebus bis in ſeptimana cibum corpori miniſtrabat. Suſtentabat enim eum cæleſtis alimoniæ victus, & membra debilia divina gratia roborabat. Eratque ſanctus vir Piatus miræ patientiæ, ſummæ abſtinentiæ, ſanctæ humilitatis, & omnium gratiarum decore exornatus. Tempus me deficiet, ſi omnium virtutum ejus gratiam perſequi voluero. Erat vultu placidus, mente tranquillus, ſplendore angelicus ; tantaque circa eum ſanctitas & virtus operum erat, ut in terris corpore poſitus, cum angelis habitaret in ſpiritu. *Hæc præclara ſunt & bellè expoſita, modò auctoritatem habere poſſent, & non eſſent multis ſeculis poſt mortem Sancti ab otioſo ingenio excogitata, aut fortè ab alio ad Sanctum noſtrum traducta, imò & ſupra veriſimilitudinem exaggerata, ea certè, quæ de ciborum abſtinentia ſunt dicta.*

At necdum ſiſtit interpolator, qui mox alia dabit ab omni veriſimilitudine prorſus abhorrentia. Sic enim pergit : Cúmque, ut ſuprà diximus, E Maximianus nequiſſimus cæſar, crudelitatis furore ſuccenſus, in Sanctos Dei ſæviſſima perſecutionis rabie ebulliſſet, nuntiatum eſt ei, quòd ſanctus vir Piatus urbem egreſſus eſſet, ut aliis provinciis Euangelium veritatis inferret, & idolorum numina penitus conterenda diſperderet. Quo audito, impius cæſar nimio furore turbatus, præcepit tribus pueris ſuis fortiſſimis viris, ut ſanctum Dei, ubicumque potuiſſent, perquirerent Piatonem. Quòd, ſi inventum repperiſſent, aut ad ſuam eum audientiam præſentarent, aut plectendus gladio puniretur. Qua juſſione perſecutores accepta, egreſſi ſunt ab Urbe cum ingenti fremitu, rabie furoris accenſi : huc illucque per civitates & provincias Sanctum Dei inquirebant. Cúmque regiones & civitates finitimas perluſtrâſſent, & beatiſſimum Piatonem invenire penitus non valerent, pervenit ad eos, quòd prædicando externi regni Euangelium Galliarum populos occupâſſet. Quo audito, magis magiſque mira indignatione accenſi, Gallias penetraverunt ad fines, curſu eum celerrimo perſequentes. Cúmque jam omnipotens Deus ſanctum virum Piatonem à labore hujus vitæ vellet quieſcere, F & ejus martyrium in exemplum hominibus demonſtrare, pervenerunt perſecutores nequiſſimi ad civitatem, cui Tornacus nomen eſt. Sexto itaque Sabbato egreſſionis eorum, qui eum ſequebantur ab Urbe, ſanctum virum Piatonem ſexto Idus Septembris populum docentem reppererunt. In quo loco caterva populi plurima ſancti Viri jam erat ammonitione converſa ; & idolorum ſuperſtitione calcata, ad Chriſtianitatis ſe nomen ejus monitis vocatam gaudebat. Erat enim vox totius populi unà lætantium, dum ſe cognoſcerent à mortis laqueo ad vitæ fuiſſe ſolatium revocatos. *Poſt hæc iterum pergunt interpolata cum Actis noſtris. Jam verò quiſquis vel mediocriter in criſi hiſtorica verſatus eſt, ſtatim perſpiciet, quàm improbabiliter conficta ſint, quæ aſſeruntur de miſſis à Maximiano ex Urbe miniſtris ad perquirendum* S. Piatum, *& de eorum itineribus. In altero codice, & in apographis pro Maximiano ſubſtitutus eſt* Julianus cæſar, *prout etiam fit in Actis S. Luciani ſecundo loco editis, in quibus eadem leguntur. At anachroniſmus ille,*

in Euangelio una civitate

B

AUCTORE J. S.

AUCTORE J. S.

qui deinde usque ad finem Actorum continuatur, quoties cæsaris fit mentio, facilè in oculos incurrit.

k *Omnes martyres hîc nominati verisimiliter passi sunt ante* S. Piatum, *sed non diu antè, quandoquidem eodem tempore in variis Galliæ civitatibus prædicaverint. De aliis jam memini: de Crispino & Crispiniano agetur ad 25 Octobris.*

l *Hîc quidem à Maximiano missi dicuntur persecutores, sed non ex Urbe. Et revera Maximianus degebat eo tempore in Gallia. Codices, in quibus substitutus est Julianus, hîc etiam habent* à Juliano.

m *Socii, qui hîc confestim dicuntur occisi, non innotuerunt nominibus suis. At verisimiliter fuerunt ex populo Tornaci aut in ejus vicinia converso. Nam in prima Vita S. Eleutherii num.* 1 *de* S. Piato *& occisis cum eo dicitur:* Multi ab eo baptizati sunt: multi cum eodem Martyre pro Christi nomine interempti sunt.

n *Clariùs in codice aliàs interpolato:* Et deorum contemptor esse approbaris.

o *In dictis antè Mss. rursum* Julianum.

p *In codice interpolato:* Quod Kalendis Octobris usque in hodiernum diem colitur. *Ibique, omissis hîc sequentibus, solum additur ante sepulturam:* Dei autem consilio (*factum*) qui Sanctos suos cum mensura probat, & sine mensura glorificat. *Tum verò per vocem* itaque *ad sepulturam pergitur.*

B

q *In Actis interpolatis post vocem* sepelierunt, *additum est,* in loco, qui dicitur Sacelinum (*in aliis* Sacelinium) in monumento novo, in quo *&c. Nihil in codicibus aut apographis nostris de gestato per Sanctum capite.*

r *Pro vocibus,* qui . . . destinati, *quod de viris intelligitur, legitur in interpolatis,* quæ . . . destinata, *de aromatibus.*

s *Hic numerus est incredibilis, quia verisimile non est, tantum populum adfuisse. In codice nostro aliàs interpolato solùm legitur:* Quinque viri. *In altero habetur:* quinquaginta viri. *Rursum in apographo* quinque, *sed in codice, quocum illud collatum est,* quinquaginta. *Minimus numerus præ ceteris est probabilis, quia verisimiliter sepulturæ pauci adfuerunt gentiles.*

t *Sicut omnes codices consonant de numero conversorum in Galliis per* S. Piatum, *sic omnes omnino habent* in Gallias.

u *In Actis interpolatis hæc ita leguntur:* Ædificaverunt autem in supradicto loco Sacelinio * basilicam, in qua sancti Martyris corpus cum hymnis & laudibus posuerunt, ubi per orationes ejus ægri venientes sanantur *&c. Habes, lector studiose, quidquid notatu dignum in Actis interpolatis inveni, non quòd illa censeam fide digna, sed ut facilius perspicias, quæ postmodùm iis quoque Actis sint adjecta.*

* *al.* Sacelino

D

E

DE SS. VERISSIMO, MAXIMA ET JULIA MM.

ULYSSIPONE IN LUSITANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De cultu, martyrio & ætate horum Sanctorum.

PROBABILIUS AN. CCCIII AUT CCCIV. *Sancti in Martyrologio Romano, in Usuardo*

Res martyres Lusitanos Ulyssipone hodie annuntiat Baronius in Martyrologio Romano his verbis: Ulyssipone in Lusitania sanctorum martyrum Verissimi, Maximæ, & Juliæ sororum ejus, qui in persecutione Diocletiani passi sunt. *In Annotatis allegat Usuardum, qui revera hos Martyres annuntiavit, sed de tempore martyrii siluit, ita scribens:* Apud provinciam Lusitaniam civitate Olisepona, sanctorum martyrum Verissimi, Maximæ & Juliæ sororum. *At in Auctariis Bedæ, sive in tribus codicibus, à Papebrochio nostro ante tomum 2 Aprilis pro auctario Flori datis, memorantur sub Daciano præside, id est, tempore imperantis Diocletiani, & cum aliqua sexûs diversitate. Verba hæc sunt:* Elisiponâ civitate, passio sanctorum Verissimi, Maximi & Juliæ *, qui passi sunt sub Datiano præside. Quorum Datianus confessione comperta, parari secretarium jubet & intromitti lictores, extendi Martyres, admoveri verbera, colligari ungulas, exponi aculeos, & tendiculas imperavit. Et, cùm nihil horum Dei Famulos aut terruit promissum aut superavit appositum, gladio tandem consummantur. *Non est verisimile, hæc ab Usuardo visa esse; neque enim aliàs omisisset tempus martyrii. Quare cum Sollerio in Præfatione ad Usuardum art. 2 existimo, Flori non esse illa auctaria, sed multo recentiora.*

* *in uno* Julii

2 *De iisdem Martyribus breviter meminit Petrus de Natalibus lib.* XI *cap.* 130 *num.* 268, *sed corrupto nomine civitatis Ulyssiponensis.* Verissimus, *inquit,* Maxima & Julia sorores apud provinciam Lusitanam in civitate Helisapomia eodem die (1 *Octobris*) martyrio triumphârunt. *Auctor Florarii Ms. Sanctorum pro* Verissimo *substituit mulierem* Verissimam, *& civitatis nomen luxavit. Verba huc transfero:* Apud provintiam Lusitanam civitate Elisaponia sanctarum martyrum Verissime, Julie & Maxime sororum. Quæ sancte Sorores animis fortes, Dei potentiam invincibilem ostenderunt. Quanto enim plùs puniebantur, tanto plùs Deum glorificabant: dicentes: Benedictus Deus, qui in Sanctis suis operatur mirabilia. *De hisce etiam agunt Canisius in Germanico, qui cum Usuardo consentit; Maurolycus & Galesinius, qui nonnihil dissentiunt. Nam prior sic habet:* In provincia Lusitana, civitate Odyssioppone sanctorum martyrum Maximi, Verissimi & Juliæ eorum fororis. *Pro muliere* Maxima *clarè hîc ponitur vir* Maximus; *& aliud* rur-

F

aliisque recentioribus memorati:

A *rursus nomen civitati tribuitur. Galesinius ab Usuardo recedit in nomine primi Martyris, & pro* Verissimi, *ut legi apud alios fatetur in Annotatis, posuit* Verivimi, *nomenque etiam civitatis luxavit, & tempus martyrii sub Antonino fixit, ita scribens:* Ulysponæ in Lusitania, sanctorum martyrum Verivimi, Maximæ, & Juliæ, sororum. Hi sanguine juncti, ita divinæ pietatis amore copulati, uno animi ardore atque alacritate ad æternam gloriam aspirantes, martyrium, Antonino imperatore, præclarè subierunt. *De urbe, in qua passi sunt, etiamsi tot diversis modis sit expressa, dubitandum non est, quin designetur metropolis regni Lusitaniæ, quæ Latinè aliàs* Ulyssipo, *aliàs* Olisippo, *aliàs* Olyssipo *fuit dicta, cunctisque notissima est, sed maximis calamitatibus nostro tempore agitata.*

In Martyrologio Hispanico addita corporum inventio,

3 *Addam & verba Martyrologii Hispanici Joannis Tamayi Salazar, licèt aliàs sit modicæ fidei, quòd auctor asserta Chronicorum suppositorum frequenter sit secutus.* Ulyssippone in Lusitania natalis SS. Verissimi, Maximæ & Juliæ fratrum, qui in persecutione Diocletiani comprehensi, & per publicas civitatis vias ferociter attracti, tandem abscissis capitibus martyres ad præmia pervenerunt æterna. Eorum corpora canibus dilaceranda, exposita sunt; sed Dei providentiâ ser-

B vata: in mari projecta sunt, sed Dei nutu à pelago expulsa, donec à fidelibus condita. Urbis accolæ patrocinium experti sunt. *Idem martyrologus ad* XXIX *Septembris annuntiat inventionem corporum his verbis:* Ulyssippone in Lusitania, inventio sacrorum pignorum SS. Verissimi, Maximæ & Juliæ, fratrum martyrum, à D. Sanctia monasterii S. Jacobi commendataria 1, quæ cùm divina revelatione illorum locum sepulchri cognosceret extatica, protinus fragrantissimi odoris suavitate præeunte, corpora invenit, in aram maximam elevavit. Ad quorum contactum ægritudinibus laborantes à Deo, Sanctorum interventione, beneficia sanitatis efficaciter acceperunt. Ibidem per aliquot secula sacra ipsana jacuerunt, donec, Joanne II Portugalliæ rege disponente, ad ecclesiam Novorum Sanctorum translata sunt, ubi in argenteis sarcophagis reposita honorificè requiescunt. *Pro hac inventione Tamayus laudat Legendarium Ms. ecclesiæ Segobiensis, in quo hæc legi dicit, sicut paulo uberiùs recitat omnia in Annotatis. Acta inferiùs danda sunt, ubi illa paulo breviùs relata inveniet lector, excepta tamen translatione, facta posteriùs per Joannem II ad templum novum.*

C

de qua tacent plerique historici. At hi Sanctorum

4 *De translatione per Joannem II abundè constat ex historicis, ut inferiùs videbimus; sed non æquè de illa inventione tot prodigiis honorata. De illa silere martyrologos, fatetur Tamayus. De eadem similiter tacent Thomas de Trugillo mox uberiùs laudandus, & Ambrosius Morales lib.* 10 *cap.* 14, *licèt ibidem pleraque ad Sanctos illos spectantia breviter referat, quemadmodum & Thomas de Trugillo in Thesauro concionatorio ad* 1 *Octobris. Hujus verba studioso lectori consideranda, & cum Actis, quæ dedit Tamayus, nobis passim suspectus, conferenda huc transfero. Titulus est:* De sancto Verissimo, Maxima & Julia martyribus. *Breviter observo, de nominibus Sanctorum, prout hîc scribuntur, consentire scriptores Hispanos & Lusitanos, ut de nominibus aut sexu Sanctorum prudens non superest dubium, etsi de illis aliquot aliorum errores antè viderimus. De Martyrologiis, in quibus Sancti memorantur, scriptor ita loquitur:* Scribunt Martyrologia ipsa, videlicet Romanum, Usuardi & Adonis, aliique autores de his tribus Martyribus Ulysiponensibus: quorum festum celebratur die 1 Octobris. *Omittendus erat Ado, qui de his Martyribus nihil habet in genuino Martyrologio: & pro eo substitui potest Martyrologium idiomate Lusitanico scriptum de Sanctis Lusitanis, & anno* 1591 *typis Conimbricensibus editum, in quo nihil quoque est de asserta superiùs prodigiosa corporum inventione; quamvis usque ad translationem omnia perstringantur. De cultu addit Morales, Sanctos illos magna cum solemnitate ut patronos Ulyssipone coli.* AUCTORE J. S.

martyrium & translationem narrant.

5 *Redeo ad Trugillum.* Hi ergo glorioſi Martyres, *inquit*, fratres fuerunt, & ex prædicta civitate Portugalliæ. Facto autem edicto publico ab imperatoribus Diocletiano & Maximiano, quorum tempore passi putantur, ut Christiani omnes vel diis sacrificarent, vel interficerentur, [&] crudelissima in eos exercerentur tormenta. Quod edictum cùm Verissimus audivisset, non expectans, quòd ab ipsis tyrannis comprehenderetur, accessit ipse cum duabus sororibus suis ante tyrannum, dixitque, se & sorores suas Christianos esse. Præcepit ergo tyrannus judex, ut in carcerem conjicerentur, & quòd eis victus tenuissimus & parcissimus ministraretur. Quod tormenti genus cùm videret tyrannus eos vultu læ-

E to pertulisse, præcepit, ut eorum corpora dilacerarentur & variis tormentis dilaniarentur. Jussit præterea, ut scorpionibus crudelissimè cæderentur. Denique miserabiliter cruciati sunt glorioſi Martyres, adeo ut propè eviscerarentur; & præterea ardentes flammæ eorum lateribus adhiberentur. Insuper etiam maxima cum immanitate & crudelitate tracti sunt per universam urbem, variique in eos conjecti sunt lapides, ac tandem gladio jugulati sunt. Eorum corpora primùm avibus devoranda & feris exposita sunt: sed cùm videret tyrannus nihil fuisse læsa, jussit ea in mare demergi. Divino tamen nutu factum est, ut in littus ipsum redirent: atque hoc videntes Christiani, non sine maxima infidelium confusione, ea honorificentissimè sepelierunt. In loco autem, ubi sepulti sunt, ædificatum fuit templum. Tempore tandem Joannis II Portugalliæ regis translati sunt in ipsam civitatem, cùm antea foris essent, videlicet in quoddam monasterium monialium S. Jacobi. *Laudatus suprà Morales his consona scribit Hispanicè. Joannes Marieta etiam lib.* 2 *cap.* 20 *similia de his Sanctis narrat, uti & Alfonsus de Villegas in Flore Sanctorum fol.* 398 *&* 399. *At nullus eorum edicit, unde omnia illa fuerint accepta.*

F

Acta unde accepta: ea non satis vetusta, edenda tamen:

6 *Acta, quæ ad* 1 *Octobris dat Tamayus, alia addunt de inventione corporum. De illis Actis Tamayus ad* 1 *Octobris ait:* Ejus Acta ex Legendariis Mss. Montis-Sion & ecclesiarum Segobiensis, Eborensis, Hispalensis & aliarum damus. *Et post Acta data explicat nomen* Montis-Sion, *dicens, se Acta dedisse ex* Legendariis cœnobii Montis-Sion Cistercienſis Toletani *&c. Bivarius in Commentariis ad Chronicon suppositum nomine Flavii Lucii Dextri pag.* 366 *testatur, illa Acta à se visa, ita scribens:* Legi ego Acta eorumdem in pervetusto membraneo ac manuscripto codice bibliothecæ S. Bernardi Toletani sub num. 64, & initio: "In temporibus illis, cùm per u-„niversas provincias„. *&c. Sic revera inchoantur Acta per Tamayum edita, & per nos recudenda. Quo tempore scripta fuerint, dicere non possumus. At certè non satis vetusta sunt ad multum auctoritatis sibi vendicandum. Nam, si scri-*

AUCTORE J. S.

pta fuerunt, prout edita sunt, compositа sunt longo tempore post liberatam seculo XII *Maurorum jugo civitatem Ulyssiponensem. Quapropter, sive exstiterint Acta vetustiora, sive hæc fuerint ex notitiis aliquot vetustioribus aut ex traditione conscripta, nequeunt indubitatam mereri fidem pro singulis factorum adjunctis. Fieri tamen posset, ut prior pars Actorum multis seculis fuerit scripta ante posteriorem, quæ agit de inventione corporum: sed id probare solis conjecturis non possumus. Quidquid sit, Acta illa recudemus, quia non habemus certiora.*

martyrium figendum anno 303 *aut* 304*:*

7 *Priùs tamen pauca restant dicenda de tempore, quo passi sunt Sancti. Acta designant tempus imperatorum gentilium, sed nullum nominatim exprimunt. Sic Usuardus omnino tacet de tempore, quo passi sunt Sancti. At verba, quibus Bedæ Martyrologium auctum est, data num.* 1, *Sanctorum nostrorum martyrium figit* sub Daciano præside, *id est, sub persecutione Diocletiani & Maximiani. Huic asserto satis congruunt Actorum verba illa:* Cùm per universas provincias, ad Romanum imperium pertinentes, paganorum jussione principum, Christianitatis persecutio desæviret. *Baronius in Annalibus ad annum* 303 *num.*

B

138 SS. Verissimi, Maximæ & Juliæ *martyrium in generali illa persecutione, quæ anno* 303 *&* 304 *maximè sæviit, figendum rectè censuit. Tamayus designavit annum* 308 *ex pseudo-Dextro, sed, hujus nulla est fides. Vasæus in Chronico Hispaniæ fixit annum, quo credebat generalem persecutionem inchoatam, ut censendus sit Baronio consentire. Hæc certè opinio reliquis probabilior est: nam certam dicere non ausim. Galesinius, qui martyrium fixit sub* Antonino, *fortè respexerit ad inscriptionem, quam Tamayus ad* XXIX *Septembris recitat, & positam vult anno* 1475, *sed Rodericus Dacunha in Opere Lusitanico de Historia ecclesiæ Ulyssiponensis cap.* 18 *de Sanctis nostris fusè agit, & eamdem inscriptionem, quam omnino vitiosam probat, positam ait anno* 1529. *Habet autem inscriptio de Sanctis:* Passi sunt ante MCCCL annos, *qui si à* 1529 *abstrahantur, passi dicuntur anno* 179. *Imperabat eo tempore Marcus Aurelius Antoninus. At ea inscriptio nullam habere potest auctoritatem, eaque de causa ne recitandam quidem credidi.*

corpora anno 1475 *ad novam ecclesiam translata.*

C

8 *Ceterùm laudatus Dacunha cum ceteris consentit de translatione corporum facta ex veteri templo ad novum, à Joanne II Lusitaniæ rege fundatum pro monialibus S. Jacobi, eamque translationem figit anno* 1475. *Consentit Tamayus, & ad* XXIX *Septembris, ralata priùs corporum inventione, de constructione templi & de translatione scribit sequentia:* Et ideo anno MCCCLXXV (*lege* MCCCCLXXV, *ut habet deinde*) Joannes II Portugalliæ rex illud (*templum novum*) perfecit, &, sanctimonialibus translatis, magnifico & regio apparatu tandem sacras portavit exuvias, ubi capsulis argento puro affabre factis illæ conditæ in ara majori requiescunt. *Ambrosius Morales, qui hæc breviùs perstringit, observat cùm Trugillo num.* 5 *laudato, novum hoc monialium templum intra urbem esse, cùm vetustum esset foris. Antonius Vasconcellus in Descriptione regni Lusitaniæ pag.* 448 *de Martyribus hodiernis breviter agit, & utrumque templum memorat his verbis:* Ibi Divorum nomini templum postea dicatum fuit, quod nomen adhuc suis à Tutelaribus servat, appellaturque hodie, SANCTI VETERES (Santos o velho) ut discrimen sit à templo regio (SANCTOS hodie NOVOS dicimus) in quod Joannes II Portugalliæ rex à se conditum Divorum ossa munificè pariter & religiosè traduxit.

D

ACTA

Auctore anonymo

Ex editione Joannis Tamayi.

Excitata persecutione, Sancti capiuntur: fidemque professi,

IN temporibus illis, cùm per universas provincias, ad Romanum imperium pertinentes, paganorum jussione principum Christianitatis persecutio desæviret, nec esset omnino in orbe angulus, in quo non veræ religionis ardorem idolorum cultura niteretur extinguere: in Ulysipponensem civitatem, quam in Occeani litore memorat & retexit antiquitas, tres Christo Domino Martyres pagani tunc præsidis *a* persecutio consecravit. Qui cùm præceptis imperialibus fuissent admonitus, ut diversis tormentis interficerentur, qui sacrificare idolis distulissent, præceptionis impiæ nefarius executor prædictæ urbis indigenas deduci ad sacrificium per ministros suos compulit: qui secundum ritum paganorum contradicentibus pœnam, obedientibus præmia promittebat. Cúmque inter alios, quos mundanarum rerum blandimenta deceperant, adolere profanis altaribus, Verissimus, Maxima, & Julia, illius sorores, & urbis ejusmodi accolæ, caperentur cogerenturque *b*, discrepantes quidem sexu, sed animi virtute consimiles, Christianos esse, Christum credere, nec divelli posse ab ejus ministerio, sunt professi.

a

E

b

& variis modis priùs cruciati, gladio occiduntur.

2 Quorum judex confessione compertâ, parari secretarium *c*, intromitti lictores, extendi Martyres, admoveri verbera, colligari ungulas, & exponi equuleorum tendicula imperavit. Sed nihil horum Dei famulos terruit aut promissum, aut superavit appositum *d*. Proficiebat siquidem per damna corporum virtus animorum; & per multiplices ac succiduos suppliciorum gradus ad repromissam beatitudinem fides in Deum stabilita tendebat. Ardescebat quidem iracundia persequentis, cùm fiduciam Martyribus per adinventionum suarum cruciamenta conspiceret, & per omnes calliditatis astutias mens diabolo dicata currebat. Sed vincere immundi hostis caliditas non potuit, quos ad coronam cœlestis præmii præparatam patientia divina monebat. Consummantur tandem gladio tormenta martyrii, ut voce Christum confitentes *, quos mutare pœna non poterat, spiritus emissus intraret in cœlum.

c

d

F

*confitentium

Corpora à Christianis sepulta,

3 Nec sic tandem sævientis judicis est expleta crudelitas; nam inhumata reliquit corpora, & saxeis molibus aggravata, avibus devoranda, & feris lanianda subjecit. Sed cùm penitus illæsa manerent, auferre jussit, & in pelagum *e* projici, ne impensæ sepulturæ testimonio exemplum confessionis ac fidei ad posteritatis notitiam perveniret. At priùs veneranda ad litus corpora, quàm nuntii reverterentur, perveniunt. Occurrit plebs devota cum gaudio, tantæ rei obstupefacta novitate, fide excitata, & martyrii unanimositate munita, quæ protinus corpora veneranda colligere, & ad sepulturæ locum cum maxima reverentiæ veneratione transferre curavit.

e

A vit. Nec ullum Christianorum familiaris rei occupatio tenuit, aut sexus retraxit, aut infantia præpedivit, quominus distractus deesset officio. Cujus populi nos exemplum sequentes, annua hæc Martyribus festa Kalendis Octobris, quibus fuere coronati, persolvimus, ut eorum intercessionibus adjuvemur. Nec credere debemus defunctos, quos throno cœlesti novimus esse applicatos.

ubi constructa postmodùm ecclesia, in qua fuerunt inventa.

4 Corpora verò Sanctorum Martyrum jacuerunt apud Ulysipponem in ecclesia *f* ipsismet Sanctis Martyribus consecrata, donec Agarenorum procedente per Hispanias irruptione *g*, à Christianis illius seculi sub terrâ involuti, ne in manus Sarracenorum venirent; illic oblita permanserunt, cùm nullus esset, qui locum thesauri demonstraret absconditi. Sed currentibus annis, cùm in eadem illa ecclesia antiqua (Ulysipponè *h* jam ab Arabum captivitate liberatâ) monasterium Ordinis S. Jacobi magnificum erigeretur, quo postmodum in Mertollam *i* translato, equitum loco uxores, & filiæ eorum, in eodem monasterio recolligerentur, quousque viri è bellis adventabant, cœpit ibidem ex viduis, & aliis illustrissimis fœminis Ordo mulierum S. Jacobi Sanctimonialium coadunari. Inter has Commendataria *k* quædam locum sepulturæ Sanctorum divinitus edisceens, effosso loco, die XXIX Septembris, tandem per suavitatem odoris, quem fovea spirabat, inventa sunt, & in ara majori collocata, urbem & orbem miraculis *l* illustrârunt, quæ Deus Sanctorum intercessione patravit. Præstante D. N. Jesu Christo, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

f
g
h
i
B
k
l

ANNOTATA.

a *Præses ille additis Bedæ Martyrologio verbis vocatur* Datianus, *crudelitate sua in Christianos famosus, & in variis Actis martyrum Hispaniæ & Lusitaniæ notus. Attamen apud laudatum Dacunha* Tarquinus *nominatur: quod nomen unde acceperit, planè ignoro.*

b *Trugillus, cui & alii consentiunt, laudatus in Commentario num.* 5, S. Verissimum *& ejus Sorores ultrò ad tyrannum accessisse scribit. At id neque hæc Acta habent, neque admittendum est sine meliore testimonio.*

c Secretarium *hîc significat locum, in quo considebat judex ad reos audiendos; uti & vox illa aliàs sumitur apud Cangium in Glossario.* A. ANONYMO

d *Verba hucusque de suppliciis data planè consonant cum datis in Commentario num.* 1 *ex additis Bedæ. Quapropter hæc vetustiora credo, quàm sint tota Acta, cùm procul dubio ex vetustiore documento ad Bedam sint adjecta. Facilè videbit studiosus lector, plura tormenta à Trugillo; cujus verba dedi in Commentario num.* 5, *fuisse accumulata, videlicet inediam in carcere, flammas lateribus admotas, crudelem circumductionem per urbem. Nescio, unde omnia illa fuerint à recentioribus desumpta.*

e *Apud aliquos recentiores, inter quos Vasconcellus antè laudatus, aliquid additur his verbis:* Divorum corpora, lapidibus illigata gravibus, quò faciliùs imum attingerent, in mare dejectâ sunt: quod ipsum, thesauri adeo pretiosi non avarum, in littus deposuit miraculo non vulgari. *Fortè præcedentia Actorum verba,* Saxeis molibus aggravata, *à suo loco avulsa fuerunt, & pertinent ad injectionem in mare.*

f *De hac addit Vasconcellus:* Ibi Divorum nomini templum postea dicatum fuit. E

g *Occupatio Hispaniarum per Saracenos aut Mauros secundum Pagii chronotaxim, quam hîc studiosiùs non examino, cœpta est anno* 711. *Unde verò auctor post aliquot secula sciverit, tunc sub terra Sanctorum corpora fuisse abscondita, non intelligo. Crediderim, meram esse conjecturam. At non minùs conjicere poterimus, corpora tempore irruptionis Saracenorum jacuisse in primo sepulturæ loco, & hunc postea fuisse ignotum.*

h *Urbs illa à Pagio expugnata statuitur anno* 1147, *die* XXV *Octobris.*

i Mertolla *sive* Mertola, *oppidum est regni Lusitaniæ, cui olim Latinum nomen* Myrtilis, *aut* Julia Myrtilis.

k *Ita vocantur, quæ præsunt dicto monasterio S. Jacobi. Hanc autem, cui facta dicitur revelatio,* Sanctiam *vocant Dacunha, qui part.* 2 *cap.* 73 *ejus gesta conscripsit, & Tamayus ad* XXIX *Septembris. Jam antè observavi, hanc corporum inventionem à plerisque omissam; corpora verò anno* 1475 *in urbem ad novam ecclesiam delata esse.*

l *De his miraculis nullum inveni nominatim relatum.*

C F

DE S. ARETHA ET SOCIIS MM.

fortè ROMÆ.

Ex Martyrologiis.

S. Arethas cum 500 martyribus

Usuardus in genuino Martyrologio suo ad hunc diem ita habet: Romæ, natalis beati Arethæ martyris & aliorum quingentorum quatuor. *Hæc ipsa verba repetiit in Martyrologio Romano Baronius, nec habuit, quod adderet in Annotatis, Usuardum & recentiores solùm allegans testes, addensque Adonem, sed nescio quem, certè auctum & interpolatum, cum Ado ipse de his non meminerit. Sollerius noster in Observationibus ad Usuardum monet,* Aretham *& Socios primùm ab Usuardo annuntiatos, nec inveniri apud antiquiores, & hæc subjungit:* Sudavi affatim, ut vel vestigium horum Sanctorum alibi invenirem, sed frustra... Galesinius, Ferrarius & recentiores alii numerum illum fingunt & refingunt, adeo ut Bartholomæus Piazza in Emerologio, Socios ad septem dumtaxat contraxerit, quorum gloriosæ confessionis memoriam superstitem ait, & reliquias per varia Urbis templa dispersas. Martyrii tempus divinare videntur citati Galesinius & Ferrarius: ego de tota annuntiatione nihil me compertum habere candidè profiteor. Aretham alium

AUCTORE J. S.

martyrem apud Homeritas, cum multis ſociis ſub tyranno Dunaan paſſum, de quo Metaphraſtes apud Surium XXIV Octobris, curſim attigimus in tractatu de Patriarchis Alexandrinis pag. 64. Quidquid interim ſit de Aretha noſtro Romano, negari omnino non poteſt, eum ab Uſuardo, undecumque demum acceptum, verè conſignatum fuiſſe. *Hiſce verbis Sollerius non parum dubitationis inſinuat, an fortè* Arethas *cum Sociis non ſit perperam ab Uſuardo Romam tranſlatus.*

Romæ annumiatus eſt ab Uſuardo.

2 *Divinare Galeſinium & Ferrarium, ut deſignent* Arethæ *tempus, numerumque Sociorum ab illis fingi & refingi, oſtendunt ipſa eorum verba. Nam in textu, omiſſo tempore, cum Uſuardo de numero conſentiunt; in Annotatis verò* ſub Antonino imperatore *coronatos innuunt, nullius adducto teſtimonio, & Socios ad* quinquaginta, *vel ad* quinque *contrahunt auctoritate aliorum, quos non nominant, & quibus Uſuardum præferunt. Auctor Florarii Ms. & Maurolycus accuratè conſentiunt cum Uſuardo. Petrus de Natalibus veriſimiliter idem ſcripſit: ſed in utraque editione ejus Operis, quam nos habemus, altera anni* 1493, *altera anni* 1515, *ſic legitur:* Areta martyr & alii quinque & quatuor paſſi ſunt Romæ Calendis Octobris. *Si pro* quinque *legatur* quingenti, *congruit cum Uſuardo. Et ſanè veriſimile vix eſt, ſcriptum fuiſſe* quinque & quatuor; *ſed potiùs* quingenti & quatuor, *ut habet Uſuardus, aut* quinquaginta & quatuor. *Ex eo loco fortaſſe Galeſinius Socios ad* quinquaginta *aut ad* quinque *diminui ab aliquibus dixit; rectè tamen Uſuardum prætulit. Nam dubitandum non videtur, quin & Petrus de Natalibus & reliqui omnes ex Uſuardo aut ejus codicibus hauſerint, ſicut ſua brevitate omnes innuunt. Illud unum utcumque videtur dubium, an fortè Uſuardus* S. Aretham *cum Sociis, qui die* XXIV *Octobris apud Homeritas paſſus legitur, fortè ex errore non tranſtulerit Romam: quòd ibidem magis examinari poterit.*

DE SS. MM. PRISCO, CRESCENTE

AUT CRESCENTIO, ET EVAGRIO: QUIBUS VERISIMILITER ADDENDI DENEGOTHIA AUT DEMERGOTIA, FAUSTINUS, MARTIALIS, JANUARIUS, ALEXANDER, EUPROBUS VEL EOPROBUS VEL EUTROPIUS, DIGNA AUT PIGRA, GOTHIA VEL COTIA, SATURNINA VEL SATURNINUS, SPES AUT SPEUS, CASTUS, PRIMUS, DONATUS, PASSICUS VEL PAFFICUS, PROPUS VEL PREPUS, ET FORSAN ALTERA DIGNA.

TOMIS IN MOESIA INFERIORE.

Ex Martyrologiis.

Tres ex his Martyribus in Martyrologio Romano,

Amplam, ut inferiùs probabo, Martyrum claſſem hodie annuntiant Apographa Hieronymiana. Ex his verò tres ſolùm priores ſelegit auctor vetuſti ſive parvi Martyrologii Romani, indeque hi tres tranſiverunt ad alia medii ævi Martyrologia, & ex his ad Romanum hodiernum. Eos ita memorat Baronius: Tomis in Ponto ſanctorum martyrum Priſci, Creſcentis & Evagrii. *In Annotatis aſſignat Bedam, cujus purum Martyrologium hos Martyres non habet, ſed interpolatum; rectéque Uſuardum & Adonem, & alios, nimirum recentiores,* adſtipulanturque, *inquit,* vetera manuſcripta, *intellige Martyrologia, non Acta, quæ hactenus non innotuerunt, ſi qua forte conſcripta fuerunt. Romanum vetus aut parvum ſic habet:* Tomis civitate, Priſci, Creſcentii & Evagrii. *Eadem ad litteram Ado & Notkerus, addita tamen voce* Sanctorum *ante nomina Martyrum, quam ſimiliter addidit Uſuardus, & pro* Creſcentii *ſcripſit* Creſcentis, *quod tranſiit ad Romanum. Beda, Rabanus & Wandelbertus Martyres illos omnino omiſerunt.*

omnes in apographis Hieronymianis,

2 *Nomina omnium, quos in titulo poſui, habentur ex quatuor præcipuis codicibus, nimirum ex textu Florentinii, ex codice Blumiano, quem contulit in fine Operis ſui, ex Epternacenſi & ex Corbeienſi, quos in Annotatis perpetuò recitavit. Textus omnes continet, exceptâ alterâ* Dignâ, *quam*

A *quam pro ceteris consonans, addit codex Blumianus, favente etiam Epternacensi. Duo omittuntur ex ultimis in codice Epternacensi, plures in Corbeiensi: quod minimè mirandum in mendosis passim codicibus. Textum Florentinii subjungo:* In Thumis civitate sanctorum Prisci. Criscenti. Evagri. Denegothiæ. Faustini. Martialis. Januarii. . . . . Alexandri. Euprobi. Digne. Gothiæ. Saturnine. Spei. Casti. Primi. Donati. Passici. Propi. *Deinde pag.* 1069 *observat Florentinius, ante duos ultimos sive* ante Passicum *in codice Blumiano addi.* Item Dignæ, *& alia de quorumdam translatione, & tum demum sequi duos ultimos. Epternacensis apud eumdem sic habet :* Civitate Tomis natalis Prisci, & Evagri. . . . Crescenti, Demergotiæ, Faustini, Martialis, Januarii, Alexandri, Eutropi, Pigræ, Cotiæ, Saturnini, Spei, Casti, Primi, Donati, item Digne. *Ultimum nomen forsan malè impressum est, pro* Dignæ *aut* Digne. *In Corbeiensi, omisso civitatis nomine, ita legitur :* Prisci, Faustini martyris (*vox* martyris *verisimiliter irrepsit pro* Martialis) Alexandri, Eopropi, Saturnini, Spei, Primi, Donati. Item Dignæ, Paffico, Præpi.

B *&, licèt in aliquot apographis per interpolationes*

3 *Nunc probandum est, omnes istos Martyres, etiamsi in aliquot codicibus post interpolationem posteriùs factam disjuncti fuerint, ad eamdem videri classem spectare. Primò plures simul passos, quàm tres primos, quos Martyrologium Romanum cum martyrologis medii ævi solos exhibet, liquet ex textu Florentinii, in quo post tres illos quatuor alii eodem modo sine interruptione ponuntur. Plures similiter ponuntur sine interruptione in codice Corbeiensi, & in aliquot contractis infrà recitandis. Secundò non solùm septem primos, qui apud Florentinium consequenter ponuntur, sed reliquos etiam omnes, qui post annuntiatam dedicationem ecclesiæ SS. Servatii & Lamberti sequuntur, ad eamdem spectare classem, colligitur ex omnibus aliis apographis, præsertim cùm clarum sit, dedicationem illam seculo* VIII, *quo S. Lambertus obiit, aut etiam seriùs, in mediam Martyrum turmam fuisse injectam, & in uno tantùm habeatur codice. Nam in codice Blumiano omnes recensiti Martyres consequenter ponuntur, præter duos ultimos, qui post aliam illius codicis interpolationem sequuntur. Omnes verò ponuntur in codice Corbeiensi sine ulla interpolatione aut interruptione, sed aliqui sunt omissi, & quidem duo ex tribus prioribus.*

C *sint distracti, ad eam omnes classem videntur pertinere.*

4 *In codice Epternacensi rursum scissa est illa Martyrum turma, sed alio loco : nam post duos interposita est translatio S. Remigii & S. Germani, tum reliqui sequuntur. De his translationibus idem censendum, quod de prædicta dedicatione. Nam translationes quidem in aliis quoque apographis leguntur, sed alio loco, & in nullo alio inter illos Martyres. Quare clarum est, imperitiâ librarii, qui illam fortè in margine invenit, Martyribus insertam esse. Porrò laudati Martyres leguntur etiam in codicibus contractis, sed omissis aliquibus. In Richenovienſi hæc habentur :* In civitate Thomis : Prisci, Evagrii, Januarii & Alexandri. *In Augustano sine loco :* Prisci, Crescentiani (*pro* Crescentii) Evagrii, Fausti (*pro* Faustini) Dignæ. *In Labbeano :* Prisci, Crescentiani, Evagri, Fausti, Casti, Dignæ. *Hos ipsos habet Gellonense. In Corbeiensi contracto :* In Thaniis Prisci, Evagri. *Hi duo etiam soli sunt in duobus Martyrologiis apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum editis. Ex his igitur confirmatur, nec solùm tres primos, nec rursum septem priores, sed omnes novemdecim videri simul passos; quandoquidem in iis Apographis, in quibus pauciores recensentur, æquè aliqui ex prioribus, quàm ex posterioribus sint omissi; & in ipsis quoque Martyrologiis contractis aliqui ex posterioribus sint expressi. Florentinius in Annotatis ejusdem planè est sententiæ, totumque Martyrologii locum hoc modo restituendum censet :* Thomis *aut* Tomis civitate SS. Prisci, Crescenti, Egri (*lege* Evagri.) Denegothiæ, Faustini, Martialis, Januari, Alexandri, Eupropi, Dignæ, Gothiæ, Saturninæ, Spei, Casti, Primi, Donati, item Dignæ, Passici, Propi. *Pleraque nomina hîc rectè expressa crediderim; aliqua tamen sunt dubia.*

AUCTORE J. S.

Passi videntur Sancti Tomis

5 *De civitate, in qua passi sunt Martyres, etiam dubium movet Florentinius, quia aliàs scripta est* Thumis, *alias* Tomis. *Addi potest ex additis à me, aliàs etiam legi* Thomis, *&* Thaniis. *In tanta varietate recurrendum videtur ad martyrologos medii ævi : nam hi codices Hieronymianos habuerunt minùs mendosos, quàm habeamus hoc tempore. Auctor Romani Parvi, qui ceteris vetustior, uti & Ado & Notkerus habent* Tomis *sine aspiratione, solus Usuardus addidit aspirationem & scripsit* Thomis. *Hisce jam satis refutatur* E *suspicio Florentinii de* Thmuide *civitate Ægypti, acsi scriptum fuisset* Thumuis *pro* Thmuis : *nam id nullus habet codex, & utrumque fuisset mendosum, cùm* Thmui *fuisset scribendum, si in illa civitate essent passi.* Thomum *etiam Ægypti civitatem cum Ortelio assignat Florentinius; sed ea parùm nota est apud vetustos geographos, & ea saltem non effertur numero plurali, ut scribendum fuisset* Thomi *aut* in Thomo, *quod nullus habet codex. Quare dubitandum non videtur, quin Martyres nostri sint passi in notissima civitate Mœsiæ inferioris, quæ passim plurali numero* Tomi *vocatur, multosque alios habuit Martyres. Nam & in omnium vetustissimo Epternacensi legitur* Tomis, *& sic habent Martyrologia medii ævi, excepto Usuardo, qui censendus est non advertisse, civitatem illam sine adspiratione scribi.*

in Ponto Mœsiæ inferioris.

6 *Baronius etiam addit* in Ponto, *quod non habent vetusti martyrologi; sed noverat Tomos in Ponto sitos esse, quia Ovidius poëta in illa civitate, & in Ponto exsul fuit, & de Tomis frequenter meminit. Cellarius in Geographia antiqua pag.* 373 *etiam recitat epigraphen nummi cujusdam Caracallæ, quâ vocatur* Metropolis Ponti. *Verumtamen urbs* Tomi *quærenda non est in Ponto, notissima Asiæ Minoris provincia; sed in illa parte inferioris Mœsiæ, quæ sita est inter Danubium & Pontum Euxinum, & quæ modo constituit extremam hodiernæ Bulgariæ partem ad Pontum Euxinum. Hinc ad vitandum multorum errorem, qui Tomos facilè in Asia Minore quærerent, dici potest :* Tomis in Mœsia inferiore, *aut*, in Ponto Mœsiæ inferioris. F

Corpus S. Evagrii, fortè unius ex his, servatum in Hispania.

7 *Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico ad hunc diem scribit sequentia :* In cœnobio S. Basilii de Cuellar, diœcesis Segobiensis, depositio S. Evagrii martyris, qui cum aliis Tomis in Ponto martyrium consummavit. Cujus sacra lipsana Hispanias allata, & in eodem cœnobio condita, ibidem honorificè quiescunt & venerantur. *In Annotatis ad confirmationem ait :* M. Ægidius Gonzales Davila, chronographus regius, in Theatro ecclesiastico Castellæ tom. 1 fol. 519 asserit, sacra hujus sancti Martyris pignora adservari in diœcesi Segobiensi, in cœnobio fratrum S. Basilii Magni in oppido Cuellar, ubi honorificè coluntur. *Testatur revera laudatus scri-*

AUCTORE J. S.

ſcriptor in memorato cœnobio Baſiliano ſervari corpus S. Evagrii *martyris, ejuſque feſtum ibidem celebrari die prima Octobris. Ex hoc cultûs die utcumque inſinuatur, pro corpore* S. Evagrii *hodierni illud corpus haberi: hoc tamen Davila non adjungit. Subjungit martyrologus Hiſpanus aliud teſtimonium, ita pergens*: Quod & nos adepti ſumus ex relatione reverendiſſimi & numquam fatis laudati prædicatorum principis & principum prædicatoris P. F. Didaci Niſſeno, amici noſtri. *Omnino credo, corpus alicujus* S. Evagrii *ibidem ſervari. Unde verò noverint, illud eſſe hodierni, mihi perſpectum non eſt.* D

DE S. FREMERIO AUT FERMERIO M.

IN ABBATIA S. FREMERII O. S. B. DIOECESIS *VASATENSIS IN GALLIA.*

Eccleſia cum abbatia S. Fremerio dicata:

B

Auſſayus in Martyrologio Gallicano ad hunc diem ita habet: Vaſati natalis S. Fremerii martyris, qui factus hoſtia pietatis juſtitiæ coronam forti agone recepit à Domino. *De cultu hujus Sancti nullum eſt dubium, cùm habeat abbatiam nomini ſuo dicatam in diœceſi Vaſatenſi. De hac abbatia meminit Mabillonius tom.* 5 *Annalium Benedictinorum pag.* 160, *ibique vocatur* S. Fermerii. *Dionyſius Sammarthanus tom.* 1 *Galliæ Chriſtianæ col.* 1217 *de eadem agit ſub hoc titulo:* Abbatia S. Fremerii, *S. Ferme*, Ord. ſancti Benedicti: *& ſic habet:* Sancti Fremerii ſeu Fermerii abbatia haud longè à Droto fluvio & oppido Libournæ (*Libourne*) poſita, condita fertur à Fremundo Burdigalenſi. *Tum refert, ſeculo* XI *ſubditam fuiſſe Salmurenſi monaſterio S. Florentii & ſubjungit:* Attamen illud monaſterium ad hunc diem proprios habet abbates, qui uſu veſtimentorum pontificalium gloriantur, habentque merum & mixtum imperium in villa S. Fremerii. *Eccleſiam quoque* S. Fremerio *fuiſſe dicatam, liquet ex catalogo abbatum, quem ſubdit: nam de Leone II dicit:* Obiit anno MDCC, jacetque in eccleſia S. Fremerii. *Habemus ergo, & abbatiam & villam & eccleſiam* S. Fremerii *nomine inſignitam. At neque de geſtis, neque de tempore, quo vixit, vel minimum invenire potui.*

C

idem videtur cum S. Fermerio,

2 *Apud laudatum Sauſſayum in Martyrologio S. Savini de Levitania ad* XXX *Auguſti hæc leguntur:* Eodem die paſſio S. Fermerii martyris. *Deinde pag.* 1252 *ex monumentis eccleſiæ Pictavienſis de* S. Fermerio *hæc ſcribit Sauſſayus:* S. Fermerius, (*vulgò S. Fraigne*,) cujus natalis claret XXX Auguſti; ejuſque tutelæ prioratus dicatus eſt Ordinis S. Benedicti, quin & parœcialis eccleſia in Engoliſmenſi tractu, diœceſis Pictavienſis, ubi colitur XXX Auguſti. *Hinc Caſtellanus* S. Fermerium *ad eumdem diem inſeruit Martyrologio Gallicano, uti apud nos eodem etiam die dictum eſt in Prætermiſſis. Porrò ſpectata vicinitate locorum, quibus colitur in Vaſatenſi,* E *Engoliſmenſi & Pictavienſi territoriis, dubitandum non videtur, quin idem ubique colatur* Fermerius *aut* Fremerius, *præſertim cùm ubique dicatur* martyr, *de geſtis verò altum ſit ſilentium. Opinio illa magis ſit veriſimilis ex Caſtellano, qui pag.* 705 *in Appendice ad* XXX *Auguſti, datis de* S. Fermerio *addit ſequentia:* Dictus eſt etiam S. Frenir: cujus tranſlatio celebratur die 1 Octobris. *Rurſum pag.* 783 *inter Ædmeros de* S. Fremerio *hodierno ita loquitur:* Fremerius (*Gallicè* S. Ferme) patronus abbatiæ in Vaſatenſi territorio, (*ut ſuprà dictum*) idem veriſimiliter cum S. Fermerio (*Gallicè* S. Fraigne.) *Quod adeo variatum eſt nomen Gallicum, parum aut nihil movere nos debet ad Sanctum illum geminandum, cùm notiſſimum ſit, quàm facilè Sanctorum nomina variis modis luxentur à populo.*

& fortè idem quoque eſt cum S. Formerio.

3 *Ceterùm ad* XXV *Septembris egi de* S. Formerio, *qui colitur* in vico de Vanares in Alava Hiſpaniæ provincia, *quia ibidem requieſcunt ſacræ ejus reliquiæ à multis ſeculis. De geſtis* S. Fermerii *nihil quoque nôrunt Hiſpani: ſed* Martyrem *credunt, & aliunde ad ſe advectum. Hinc ibidem monui, fortè eumdem eſſe cum hodierno* Fremerio *aut* Fermerio, *ſed nihil dici poſſe pro certo. Memoratæ ſuſpicioni favet non modò, quòd Hiſpani ſuum* Formerium *credunt extraneum, ſed magis etiam quòd corpus ejus habent, quandoquidem de reliquiis nihil apud Gallos inveniam. Verùm, ut jam ibidem monui, ejuſmodi conjecturæ veriſimilem quidem ſuſpicionem ingerere valent; ſed minimè ſufficiunt ad aliquid certi ſtatuendum. Hinc, relicto illo dubio, antè ſeorſum egimus de* S. Formerio, *& modò de* S. Fremerio *aut* Fermerio. F

DE

A

AUCTORE J. S.

DE S. GERMANA VIRGINE MART.

IN PRIORATU S. GERMANÆ PROPE BARRUM

AD ALBAM IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De cultu Sanctæ & Actis edendis.

FORTE SEC. V. *Memoria S. Germanæ in aliquot Martyrologiis :*

Auſſayus in Martyrologio Gallicano pag. 1247 *dedit vetuſtum Martyrologium S. Sabini de Levitania, in quo ad Kalendas Octobris* S. Germana *annuntiatur his verbis :* Barro Caſtro natale ſanctæ Germanæ virginis in territorio urbis Lingonum. *Varia ejuſdem nominis ſunt oppida, quibus nomen eſt* Barrum, *in ipſa etiam diœceſi Lingonenſi, diſtincta tamen nominibus fluviorum, quibus adjacent : nam alterum vocatur* Barrum ad Albam, *Gallicè* Bar-ſur-Aube ; *alterum* Barrum ad Sequanam, *vulgò* Bar-ſur-Seine. *Habetur &* Barrum Ducis, *ſed id non eſt in diœceſi Lingonenſi. Sauſſayus ſuis quoque verbis ad* 1 *Octobris* S. Germanam *annuntiat verbis martyrium indicantibus, &* in caſtro Barrenſi, *ſine diſtinctione oppidorum ſynonymorum. At Arturus in Gynæceo, omiſſa mentione de martyrio, quod tamen in Annotatis inſinuat,* S. Germanam *memoravit* in caſtro Barrenſi ad Sequanam, diœceſis Lingonenſis. *Sic* Barri ad Sequanam *Caſtellanus* S. Germanam *annuntiat, dicitque* mactatam à Wandalis, *ut habent Acta. Jacobus Vignerius, Societatis noſtræ presbyter, qui ſcripto Chronico Lingonenſi aliiſque libris innotuit, cum Actis* S. Germanæ *aliquot de Sancta anno* 1659 *ad Bollandum tranſmiſit notitias, & in his ex Martyrologio quodam Ms., quod non nominat, ſequentia ad* 1 *Octobris produxit verba :* Natale ſanctæ Germanæ virginis & martyris, quæ, ſedata perſecutione crudelium Wandalorum, paſſa eſt, cùm ad turpia & impudica ipſorum vota nullatenus ſe vellet inclinare, propter caſtitatis obſervantiam & confeſſionem nominis Chriſti ab ipſis decollata, cum palma martyrii & virginitatis honore migravit ad cælos, ſanguine proprio laureata. *Hæc etiam Actis conſona.*

B

C

in prioratu ſui nominis prope Barrum ad Albam

2 *Habet* S. Germana *prioratum nomini ſuo dicatum prope Barrum ad Albam in monte, in quo ab initio ſepulta dicitur in eccleſia S. Stephani. Hinc autem liquet, ſicut ex ipſis quoque Actis, errâſſe Arturum & Caſtellanum, dum Sanctam annuntiârunt Barri* ad Sequanam : *nam aut* Barri ad Albam *annuntianda erat, aut in monte vicino, ubi eſt eccleſia, olim* S. Stephani, *nunc* S. Germanæ *dicta. Laudatus Vignerius de illo* S. Germanæ *prioratu meminit in Chronico Lingonenſi ad annum* 1076, *quo ponit converſionem S. Simonis comitis, cujus liberalitate prioratûs* S. Germanæ *datus eſt abbatiæ Jurenſi cum aliis pluribus.* Secundus, *inquit,* S. Germanæ ſacer, poſitus eſt in monte vicino, *videlicet Barro ad Albam, ubi erat primus prioratus. De eodem meminit Chifletius noſter in Collectione apud nos Ms., & ab eo vocatur* Prioratus S. Stephani & S. Germanæ de Monte Barri ſuper Albam *&c. Plura non affero, quia jam recitata ſunt ad* xxx *Septembris in S. Simone* § 10, *ubi legi poſſunt. Quippe allata ſufficiunt ad probandum Sanctæ cultum, & ad oſtendendum, ejus prioratum eſſe prope Barrum ad Albam, ubi & ſepulta creditur, poſtquam in loco aliquo vicino fuerat occiſa.*

3 *De feſtivitatibus* S. Germanæ *Vignerius hæc annotavit :* Porrò feſtum S. Germanæ celebratur Kalendis Octobris : item xix Januarii. *Non tamen exiſtimo celebrari per totam diœceſim Lingonenſem. Nam idem quoque ait :* De S. Germana nihil habent Breviaria Lingonenſis eccleſiæ, ſive manuſcripta ſive typis excuſa, quæ hactenus vidi : neque etiam Lectionaria, licèt ea citet Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. *Citaverit Robertus unum fortè ex Lectionariis, ex quibus deſcripta ſunt Acta à nobis danda. De ulteriori Sanctæ cultu Vignerius aliqua ſibi communicata dicit à domino Benigno Cenreyo, presbytero Lingonenſi, quem & doctiſſimum ait theologum. Verba ipſa tranſcribo :* Quoties ardente diutiùs ſole, patens hiatibus terra imbres deſiderat, congregatur clerus populuſque, qui, conceptis votis, ſacrum Germanæ virginis caput, argenteâ incluſum thecâ, de monte in urbem, quanta poſſunt pietate cultuque aſportant. Unde mox repentinis aquis humus irrigatur : neque umquam talis ſpes eſt fruſtrata colonos. Inſuper, quos febris exagitat, in montem duci ſe curant, aut certè fontem, B. Germanæ ſacrum, ad montis radicem poſitum, adeunt, precantur, vota faciunt : & inter orandum non rarò, ſopore leviter in membra influente obdormiſcunt, & ſæpe ex ipſo ſomno ſani, hilares ac læti meritis Germanæ martyris excitantur.

E

gemina feſtivitate, & populi pietate colitur.

F

Acta edenda : ætas Sanctæ minùs certa.

4 *De Actis, quæ tranſmiſit laudatus Vignerius, pauca veniunt obſervanda. Titulus apographo præfixus eſt :* Paſſio S. Germanæ virginis & martyris, Kalendis Octob. *Teſtatur autem, ea anno* 1656 *tranſcripta* ex tribus codicibus Mss., partim prioratûs S. Germanæ, partim eccleſiæ S. Macuti. *Ea pro Officio eccleſiaſtico compoſita exiſtimamus, quia in novem lectiones diviſa ſunt. Claudius Robertus in catalogo epiſcoporum Lingonenſium Acta commemorat, &* Vitam S. Germanæ *vocat, in Guidone* 2, *quem ponit epiſcopum* 67. *De vetuſtate horum Actorum multa dicere nequeo : nam vetuſta quidem credo, ſi ad ætatem noſtram reſpicere velimus : ſed veriſimiliter aliquot ſeculis poſt mortem Sanctæ fuerunt concinnata. Hinc non aliam iis auctoritatem tribuere poſſumus, quàm quòd ex his Actis innoteſcat, qualis de* S. Germana *apud Barrenſes olim fuerit traditio.*

AUCTORE J. S.

Mors Sancta, ſi Actis ſtrictè inhæremus, figenda eſt ſub initium ſeculi V, *ſive circa annum* 407, *ſub cujus initium Wandali in Gallias irruperunt: nam Wandalis cædes Sanctæ in Actis tribuitur. Vignerius in Chronico Lingonenſi pag.* 29 *maluit ad Hunnos eorumque regem Attilam reſpicere, & martyrium* S. Germanæ *poſt pugnam Catalaunicam continuò figendum credidit, ſive anno* 451. *Verùm, ſi Actorum auctoritas non ſufficit, ut facilè admiſero, ad martyrium certò ſub Wandalis figendum; multò minùs ex ſola conjectura illud ſub Hunnis figere poſſumus. Hinc ne ſeculo quidem quinto, quo Wandali primùm, deinde Hunni, Gallias vaſtârunt, certò figendum videtur. Si enim pro tuenda caſtitate, ut creditur, occubuit Sancta; iſtud multò etiam ſeriùs contingere potuit.*

A C T A

Auctore anonymo.

B

Ex tribus codicibus Mss.

Sancta prope Barrum ad Albam ſacerdoti

SIcut audivimus, & patres noſtri narraverunt nobis, tempore, quo crudelium Wandalorum deteſtanda ferocitas & inſatiabilis rabies intra Galliæ fines emerſit, non ſolùm baſilicas omnes & loca Deo dicata miſerabiliter ſubvertens, verùm etiam fideles & Catholicos viros inauditis ſuppliciis & morte turpiſſima condemnans, habitabat in colle, cujus vertici adjacet Barrenſe *a* forum, puella ſpecioſiſſima, nomine Germana, moribus inſignis & vitâ, fide plena, caſtitate præfulgida, in conſpectu Dei & hominum gratioſa. Morabatur autem ea tempeſtate in eodem loco quidam venerabilis ſacerdos, in baſilica, quæ in honore beati prothomartyris Stephani *b* fundata eſt, cura fungens paſtorali, cui ſacratiſſima Puella quotidie latices ad manus ſuas abluendas & ad divinum obſequium *c* in ſacroſancta altaris & menſæ Dei vaſa infundendos ſedulo deferebat obſequio.

a

b

c

piè ſerviens, C

2 Hortabatur frequentiſſimè iſte reverendus Dei ſacerdos beatiſſimam Chriſti Ancillam, ſeculi hujus tranſitoria oblectamenta & caduca reſpuere blandimenta, inſtruens & docens eam, ſuæ mentis domicilium, juſtè & piè & caſtè vivendo, Spiritui ſancto habitaculum gratiſſimum præparare. Cujus ſalutaribus monitis Virgo diligenter obediens, angelicam in terris ducebat vitam, ab omni ſorde ſe cuſtodiens alienam, & ab omni via mala pedes ſuos avertens. Jejuniis crebris & orationibus aſſiduis inſiſtebat, & ſecreto cilicio tecta, expectans expectabat Dominum venientem ad nuptias ſecum, ad cœleſtium epularum perenne convivium, & ad cæleſtes nuptias cum lampadibus oleo lætitiæ & exultationis & bonarum virtutum chariſmatibus refertis, feliciter intratura.

in manus Wandalorum incidit: à quibus fruſtra

3 In diebus illis prædicta execrabilium Wandalorum nefandiſſima multitudo ad hunc locum, caſu ducente, perveniens ſuper ripas fluvii, cui Alba vocabulum eſt: qui ab Orientali latere ad radicem memorati montis præterfluit, ſceleratiſſima caſtra ſua ſubitò applicans, totam circùm adjacentem planitiem horrendo & barbarico impetu occupavit. Conſuetudinario itaque more beata Virgo ad fontem, de quo ſolita fuerat haurire, deſcendens, reperit ibidem quoſdam de prophano exercitu reſidentes, laboris & itineris ſui laſſitudinem recreantes. Qui cùm intuerentur eam venientem, conſiderata pulchritudine ipſius, & tantum Puellæ decorem vehementer admirantes, gaviſi ſunt valde, putantes eam ex facili ſubjugandam, & ad deſideria ſua inflectendam. Exarſerunt itaque in concupiſcentiis ſuis; primóque eam blandis ſermonibus & molli adulatione demulcere ſtuduerunt: ſed cùm cernerent, quòd non poſſent flectere cor ipſius ad id, quod deſiderabant, conviciis, minis, ſæviſque verberibus eam deterrere cœperunt. Sed neque terroribus neque blanditiis à propoſito ſuo beata Virgo immutata, elegit potiùs corpus ſuum ſuppliciis quàm corruptoribus exponendum. D

ſollicitata multiſque modis vexata,

4 Sic igitur Sponſa Chriſti conſtantiam fidei, puritatem mentis, integritatem corporis inviolabiliter conſervans, nulla arte à miniſtris ſathanæ potuit ſuperari; nec in aliquo voluit perfidis conſentire: impollutam ſiquidem ſe cuſtodiens, reddidit eos confuſione plenos & ſtupore, admirantes, quòd nec ejus mentem frangere, nec ad ſua vota poterant inclinare. Comperto igitur inimici Dei, beatam Virginem Chriſtianam fore, illico irruunt in eam, & fortè vivam abſorbuiſſent eam, niſi Dominus habitâſſet in ea. Verumtamen impulſu reciproco alius ad alium ipſam turpiter impellebant, ſatiſque inhoneſtè eam tractantes, veluti qui ludum pilâ exercent, ipſam, quam tenebant, ſtatim ad invicem projicientes, in hunc modum Ancillam Dei acriter affligebant. Talibus & multis aliis irriſionibus viri impii innocentem Puellam vexantes, tandem decreverunt ad judicem ſuum deducendam: qui tunc erat dux eorum, & primaria poteſtate illi nefandiſſimæ cohorti præminebat. E

ducì ſiſtitur. Cùm huic quoque nollet conſentire, * *fortè* mendaciis

5 Præſentatâ itaque aſpectui perfidi & inclementis judicis, ejus pulchritudinis ſpecialiſſima ſpecie ſuccenſus, atroci ab mendatiis * depoſito vultu, & maligni tyranni facie exuta, placido & tranquillo ſermone adulatoriiſque blanditiis eam ſtuduit delinire. Sed inaniter ſtultus laborans, in vanum ſua proferebat eloquia: quia beata Virgo more aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, ad ipſius impudica vota ſuum minimè inclinavit auditum. Auri & argenti pretioſarumque veſtium copiam inſuper pollicetur, & ſuper omnes familiæ ſuæ feminas principatum, ſi voluntati ſuæ liberum præberet aſſenſum. Sed hæc omnia tanquam nihilum & inane reputata ſunt ei: & iſtis omnibus à beata Virgine neglectis, elegit abjecta eſſe magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. O conſtantia laudabilis! ô fides inexpugnabilis! ô mulier virilis! quæ toties tentata, nunquam tamen extitit immutata! Quid dicturi molles & effeminati viri, cùm audient, etiam in ſexu fragili victoriam martyrii, & fœminam naturalis teneritudinis oblitam, Chriſti veſtigia ſequentem, non poſt deſideria ſua ambulantem. Iter ſalutis egredi metuunt, & ſecuritatis deſidiâ torpentes, in ſui cordis ignavia facere *d* non erubeſcunt. Quæ hodierni temporis fœmina in tanto rerum turbine ſtaret immobilis, in tanto & tali conflictu victrix triumpharet? A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. F

d

ejus imperio Virgini caput amputatur.

6 Animadvertens itaque impius judex, quòd nihil proficeret, ſed omnis ſermo ſuus caſſo labore deficeret, confuſus & vehementer turbatus,

A tus, præcepit à conſpectu ſuo rebellem celeriter removeri, & abſque dilatione ſacratiſſimum caput ejus amputari. Rapuerunt autem eam illico mortis miniſtri, ſatellites diaboli, ſicarii cruentiſſimi; totiuſque humanitatis facie depoſita, obliti pietatis & miſericordiæ, traxerunt innocuam Virginem ad decollandum, benedicentem & laudantem Deum, qui non ſolum corpus ſuum ab omni pollutione ſervavit incorruptum, verùm etiam de prophano & truculento judice conceſſit triumphum. Quorum unus, arrepto gladio, infelicem extendens dexteram, Innocentis caput irreverenter amputavit, nec Deo deferens, nec Virgini parcens, nec honori nec famæ conſulens. Ecce quàm felici, quàm glorioſa, quàm triumphali morte beata virgo Germana migravit à ſeculo! Ecce quomodo pro terrenis cæleſtia, pro perituris æterna feliciter commutans, ſanguine proprio laureata, beato fine cum palma martyrii in pace quievit! Quis dubitet, iſtam ſacratiſſimam Virginem cum Chriſto in cælo regnare, & caſtis ejus amplexibus jugiter inhærere, pro cujus amore ſanguinem ſuum fudit, & à verbis impiorum non timuit, nec ter-
B renæ dignitatis gloriam quæſivit? In brevi terminata, explevit tempora multa, & rapta eſt, ne malitia mutaret intellectum ipſius; cùm hujus mundi tranſitoriam, fallacem & injuſtam gloriam cum ſuis oblectationibus conferens, ad gaudia ſine fine manſura toto mentis deſiderio anhelanter cucurrit.

Fertur caput ſuum geſtâſſe,

7 Amputato igitur beatiſſimæ Virginis ſacratiſſimo capite, cruentiſſimi homicidæ recedebant inſultantes, exiſtimantes nomen illius ſe penitus extinxiſſe, quam viventem non valuerant ſuperare. Et licèt viſa ſit oculis inſipientium mori, qui lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis; nos tamen credimus, eam vivere perenniter in cæleſti curia: & memoriale ejus non derelinquetur in ſecula. Ut enim comprobaret Rex, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius, etiam poſt mortem beatam Virginem cum Chriſto regnare, truncatum caput, tamquam viveret, propriis manibus collectum, cœpit lon-
e go terrarum ſpatio in ulnis ſuis bajulare *e*, & in hunc modum ad baſilicam, quaſi vita comite, tendens, tanquam fatigata eſſet ex ardui aſperitate itineris & difficultate longioris viæ, reſedit
C quodam loco, caput, quod geſtabat, in gremium ſuum deponens, velut præſtolaretur aliquem, qui eam colligeret, & ſuo funeri obſequium debitum præſtaret.

in eccleſia verò S. Stephani ſepulta eſt.

8 Audiens autem ſacerdos, cui miniſtrare conſueverat, rei eventum, mœſtus & lugubris, ipſe & quidam fideles deſcenderunt cum eo ad locum, ubi erat, & ſicut prædiximus, invenientes, collegerunt eam cum fletu & lacrymis, ferentes in baſilicam prothomartyris Stephani, ibique honorificè pro modulo ſuæ facultatis corpus ejus ſepulturæ commendârunt. Cujus nomine & monumento inſignis habetur locus iſte: titulo nominis Mons-ſanctæ-Germanæ appellatur. Licèt enim antea alio vocabulo nuncupatus fuiſſet, decretum eſt à fidelibus, ut deinceps à poſteris Mons-ſanctæ-Germanæ perpetuò vocaretur: quod vocabulum non ſolùm in confinio, verùm etiam in remotis partibus celebre & divulgatum habetur. Sepulta eſt autem in memorata eccleſia ſacratiſſima virgo & martyr Chriſti glorioſa, Germana, quartodecimo Kal. Februa-
f rii *f*, ubi omnibus, qui ad ſuffragia ejus cum devota fide & fideli devotione acceſſerint poſtulanda, ſemper patrocinari non deſiſtit. Imploramus ergo te, pia virgo & dulcis memoriæ Germana, ut interventu precum tuarum nos Jeſus Chriſtus exornet bonorum operum incrementis, lites & diſcordias pellat, pacis & dilectionis fœdera mittat, morbos auferat, ſalutem concedat, diſciplinam & religionem nos famulos tuos jugiter amplecti faciat, totius immunditiæ & pravitatis noſtræ ſordes abluat, fidem & devotionem ſemper in nobis augeat, caritate nos repleat, exornet patientiâ, coronet perſeverantiâ, & ad gaudia felicitatis æternæ perducat, ubi facie ad faciem Chriſtum inceſſanter contemplaris, & ſequeris Agnum, quócumque ierit: quod nobis concedere dignetur idem Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

A. ANONYMO.

Beneficia aliqua ejus patrocinio obtenta.

9 Quodam tempore, cùm pro negotiis & ruinis eccleſiæ beati Stephani reparandis per diverſa loca ad fideles populos pro ipſorum eleemoſynis expetendis ſacratiſſimum beatæ Germanæ caput deferretur, caſu delatum fuit in caſtrum, quod Bellum-forte *g* nuncupatur; ubi Deus omnipotens cum majeſtate merita ipſius dignatus eſt declarare, ut omnes ægroti, tam debiles quàm claudi & febricitantes, vel aliis ægritudinibus laborantes, qui illuc convenerant, ſoſpitate priſtina recepta, cum gratiarum actione receſſerunt. Accidit etiam temporibus noſtris, ſicut religioſorum actione & venerabilium virorum relatu & teſtimonio perhibetur, quòd, cùm die quadam domus, oratorio beati Stephani contigua, igne vehementi fuiſſet ſuccenſa, ita ut flammarum globos ventorum vehementia in vicina baſilicæ tecta inferret, & nulli jam veniret in dubium, quin ea ex proximi ardoris incendio combureretur; cùm, Deo inſpirante, quidam de circumſtantibus beatæ Virginis ſacratiſſimum caput delatum oppoſuit obviantibus flammis. Tunc ſubitò in oculis omnium ipſa etiam flamma retroacta eſt, & ſolam, quam invaſerat, domum conſumens, ſicut credimus, per merita ſanctæ Virginis eccleſiam dimiſit. Simile huic fuit, quòd cùm in eadem villula quædam domus fuiſſet ſuccenſa, aërque lucidus, ſerenis radiis ſol clarus haberetur, attulerunt ibi ſacratiſſimum caput *h*; *h* & ſtatim cœpit imber denſiſſimus ruere, per
F quem totius ignis creſcentis incendium penitus extinctum mirabiliter ceſſavit. Tu autem Domine &c.

g
E

ANNOTATA.

a Barrenſe forum, *ut explicat Claudius Robertus in Commentario num.* 4 *laudatus, ſignificat hîc* Barrum ſuper Albam, *conſentitque Vignerius in notitiis ad nos miſſis, & ipſa loci deſcriptio id certum facit.*

b *Eccleſia S. Stephano ſacra, ubi modò eſt prioratus* S. Germanæ, *de quo dictum num.* 2. *Dubitari tamen poſſet, an illa eccleſia jam ſteterit ſeculo* V, *ſive tempore Wandalorum; ſicùt dubitari poteſt, an Sancta ipſa ſit tam antiqua, ut inſinuavi num.* 4.

c *Ex hoc loco ait Vignerius:* Sancta Germana fungebatur munere diaconiſſæ. *Attamen non dicit, diaconiſſam fuiſſe: neque id veriſimile eſt.*

d *Reliqui inventa in apographo, etiamſi dictio ſit ſcabroſa.*

e *Crebræ ſunt in Actis minùs genuinis geſtatio-*

A. ANONYMO.

nes capitis amputati, ſed pleraque ſaltem fabuloſa.

f *Eodem die* XIX *Januarii Sancta etiam colitur. Alia quoque Germana eo die in Africa cum multis paſſa eſt.*

g Caſtrum Bellum forte, nunc ducatûs titulo inſigne, vulgò Beaufort en Champagne, *inquit Vignerius.*

h *Advertere poterit ſtudioſus lector, ubique in Actis memorari* caput, *nullibi corpus, præterquam in prima ſepultura. Ex notitiis verò, quas Actis adjunxit Vignerius, nihilo magis colligere potui, an Sancta corpus ſeorſum à capite ſervetur in prioratu prope Barrum ad Albam.*

DE S. REMEDIO VEL ROMEDIO CONFESSORE

IN AGRO TRIDENTINO

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§. I. Sancti memoria in paucis Martyrologiis: ejuſdem cultus in diœceſibus Tridentina & Brixinenſi, reliquiæ, & beneficia aliquot illius patrocinio adſcripta.

B

FORTE SEC. V INCHOATO. *Hic Sanctus à Ferrario ad diem* 15 *Januarii,*

BOllandus noſter inter *Prætermiſſos ad diem* XV *Januarii de hoc Sancto annotavit ſequentia:* S. Romedius, ſive Remedius, confeſſor colitur hoc die Tridenti, ut auctor eſt Ferrarius; qui 1 Junii agi eccleſiæ ipſius dedicationem ſcribit, obiiſſe ipſum XIII Januarii. Aſt in Vita, quam è veteribus Mss. tom. 3 Bavariæ ſanctæ exhibet Raderus noſter, conſentientibus quibuſdam Martyrologiis, dicitur obiiſſe & coli 1 Octobris. *Hæc Bollandus, rationem reddens, cur hujus Sancti geſta cultumque examinanda diſtulerit ad Kalendas Octobris. Re vera Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non ſunt, ipſum ad* XV *Januarii annuntiavit his verbis:* Tridenti, S. Remedii confeſſoris; *laudavitque in Annotatis Tabulas eccleſiæ Tridentinæ & Vitam ejus typis editam. Idem martyrologus in Catalogo Sanctorum Italiæ de eodem Sancto rurſum agens, primò in Indice toti Operi præfixo,* Romedius, *inquit,* confeſſor in territorio Tridentino XV Januarii: corpus in propria eccleſia in Plebe S. Zenonis.

C

ejuſque ſacelli dedicatio primâ Dominicâ Junii annuntiantur;

2 *Verùm in ipſo Opere non ad* XV *Januarii, ſed ad* 1 *Junii ejuſdem elogium è Vita acceptum exhibet, præmiſſo tamen hoc titulo:* De S. Romedio confeſſore Tridentino, cujus dies feſtus agitur die XV menſis Januarii. *Ut autem ipſum initio menſis Junii memoraret, non ea ratio fuit, quòd Kalendis Junii coleretur; ſed quia (uti Ferrarius ipſemet ad calcem elogii addidit)* Dominicâ primâ menſis hujus (*Junii*) eccleſiæ ipſius dedicatio celebratur. *Hoc ipſum etiam legitur in veteri Kalendario, quod clariſſimus vir Hieronymus Tartarotti* Tridentino-Veronenſe *appellavit, atque inter inſtrumenta poſt ſuam de Monumentis antiquis Roboretanis Apologiam nuper anno* 1758 *vulgavit, quod initio Junii ſic habet:* Nota, quòd ſemper Dominicâ primâ menſis Junii eſt Conſecratio angelica felicis & devotæ capellæ S. Romedii in valle Annania, diœceſis Tridentinæ. *De die obitûs illius agam infrà; ſed quaſcumque hic dies fuerit, ex dicendis conſtabit, Sanctum tam die* XV *Januarii, quàm Kalendis Octobris coli. Laudatus Ferrarius in Catalogo Generali eumdem denuo velut abbatem in Bavaria annuntiavit ad Kalendas Septembris, ubi ait:* In Bavaria S. Remedii abbatis; *annotans ibidem:* Ex Martyrol. Canis. hac die. Ab aliis ponitur die 1 Octobris. *Nos tantùm duas Martyrologii Caniſii, ſive Walaſſeri, editiones habemus, factas Dilingæ annis* 1573 *&* 1599, *in quibus* S. Remedius *ad Kalendas Octobris, non Septembris, relatus eſt verbis mox dandis. Oportet ergo Ferrario præluxiſſe omnium primam editionem anni* 1562, *quam conſulere mihi non licuit.*

à paucis aliis memoratur hodie.

3 *Quod verò ad Martyrologia attinet, præter laudatos Ferrarii Catalogos vix tria habemus, eaque pro tempore, quo Sanctus vixiſſe perhibetur, planè recentia, in quibus ejuſdem memoria exſtet. Horum antiquiſſimus eſt Codex Hagenoyenſis, anno* 1412 *exaratus, qui apud Sollerium noſtrum inter Auctaria Martyrologii Uſuardini ad diem* 1 *Octobris ita annuntiat:* In epiſcopatu Tridemienſi (*lege* Tridentinenſi) ſancti Remedii confeſſoris. *Obſcurior eſt Greveni phraſis, ibidem ſic habens:* Item ſanctorum confeſſorum, Remedii, Abræ, qui & Deodatus, David, diſcipulorum ſancti Germani epiſcopi. *Grevenum ſecutus eſt Adamus Walaſſer in Martyrologio Germanico, quod ob collatam à Petro Caniſio in eodem adornando operam,* Caniſii *ſolet appellari. Verba ejus ex Germanicis Latina accipe:* Item ſanctorum confeſſorum, Remedii, Abræ (qui etiam Adeodatus dictus fuit) & Davidis, diſcipulorum ſancti epiſcopi Germani, qui omnes ex Bavaria orti ſunt. *Quid hæc ſibi velint, exponam infrà; verùm cùm plura ex Martyrologiis non habeantur, Actaque illius, quæ circumferuntur, ejuſmodi ſint, ut tum ob juſtæ antiquitatis defectum, tum ob aſſerta, quæ partim apertè falſa, partim falſitatis meritò ſuſpecta, continent, à nonnullis in dubium vocari videam, an is Sanctus umquam exſtiterit, eorumdem Actorum examini præmittenda cenſui, quæ de illius cultu & reliquiis accepi, ut ab his, quæ certa*

F

A *certa ſunt, ad reprobanda falſa, dubiaque diſcutienda procedam.*

Clariſſimi Roſchmanni opera hîc nobis præſtita.

4 *Facem mihi hîc præferet clariſſimus vir Antonius Roſchmannus, ſacræ Cæſareæ ac regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis bibliothecæ publicæ Oenipontinæ in Tyroli præfectus, nec non ſanctioris tabularii procuſtos, ſuiſque editis Opuſculis eruditis notus, & in Actis noſtris pro meritis ſæpe memoratus. Hic enim in omnibus, quæ ad vitam cultumque* S. Remedii *pertinebant, conquirendis benignam nobis ſtrenuamque operam præſtitit, ac Commentarium de iis à ſe compoſitum ad nos perhumaniter tranſmiſit. Addidit & Notitias recentiores, quas partim ipſemet auritus oculatuſque teſtis comparavit, partim ab erudito viro R. D. Severino Holzhamer, ſacerdote beneficiato Taurenſi, de recentiori Sancti cultu reliquiiſque eo loci honoratis ſcriptas obtinuit. Adjecit & Collectanea altera de ſacris reliquiis cultuque ejuſdem Confeſſoris in monaſterio Montis S. Georgii Ordinis S. Benedicti, item in Tyroli, excerpta ex archivo, bibliotheca, aliiſque illius aſceterii tabulariis, à quodam loci Religioſo, quantùm apparet. Denique cùm clariſſimus Tartarottus, jam ſuprà laudatus, in Appendice ad Apologiam ſuam, brevem* S. Remedii *Vitam à Bartholomæo Tridentino ſeculo* XIII *concinnatam anno* 1758 *edidiſſet, notiſque illuſtrâſſet, lucubravit & ipſe Roſchmannus annotationes, quibus Tartarottianas partim confirmavit, partim refutare aggreſſus eſt. Plura etiam præſtitiſſet nobis vir ille eruditus, niſi in perhumano hoc nobiſque perutili collectionis monumentorum opere aliunde (quod dolemus) prohibitus fuiſſet. Hæc interim pro debita grati animi ſignificatione à me dicta ſunto.*

Colitur in diœceſi Tridentina ut advocatus

5 *Itaque ut à cultu Sancti publico per univerſam diœceſim Tridentinam ordiamur, Tartarottus in ſuis Annotationibus ad Vitam num. 6 pag.* 316 *hæc ait ſermone Italico :* Calendarium perpetuum Madruccianum anni MDLX (*præerat tunc Tridentinæ eccleſiæ illuſtriſſimus Chriſtophorus Madruccius, S. R. E. Cardinalis*) ad diem XV Januarii habet : REMEDII CONFESSORIS ; hiſque congruenter in reformatione Inſtituti Tridentini, anno MDCIX facta, etiam feriæ S. Remedii præſcriptæ fuêre. *Pro Latina voce* feriæ *etiam Italicè legitur* ferie ; *quæ vox tam Latinis, quàm Italis (quantùm quidem ex horum Lexicis diſcere potui) in hujuſmodi phraſibus feſtum in populo cum ceſſatione ab opere ſervili ſignificat. Suſpicor tamen, illius feſti diei indictionem anno* MDCIX *antiquiorem eſſe, atque adeo tunc ſolùm fuiſſe confirmatam. Nam apud Tartarottum ibidem pag.* 281 *laudatur conſtitutio ſynodalis illuſtriſſimi domini Ludovici Cardinalis Madruccii, pariter epiſcopi Tridentini, anno* 1593 *facta, in qua ejuſdem* S. Remedii *feſtum inter ſanctorum* Advocatorum *civitatis ac diœceſis Tridentinæ feſta obſervanda reponitur. Conſtitutionis, quæ Latina eſt, verba ex cap.* 23 de Feſtis *accipe.*

feſto annuo & Officio die 15 Januarii.

6 Præter feſta, quæ ex præcepto Eccleſiæ celebranda ſunt, in epiſcopatu noſtro Tridenti ſolemniter ab omnibus celebrandum eſt feſtum D. Vigilii, epiſcopi & martyris glorioſi, patroni ipſius civitatis ac totius diœceſis. . . Feſta autem ſanctorum Siſinnii, Martyrii & Alexandri martyrum ; item S. Maxentiæ matris S. Vigilii, S. Remedii confeſſoris, & S. Simonis Innocentis martyris, ejuſdem Tridentinæ civitatis & diœceſis advocatorum ; in eccleſiarum dedicationibus ; & juxta piam cujuſque loci conſuetudinem obſervanda ſunt, quemadmodùm feſta S. Martini, Catharinæ, Antonii, Mariæ Magdalenæ, Rochi, Agnetis, Gregorii & ſimilia. *Utut ſit*, S. Remedium *in eadem diœceſi annuo Officio honorari, diſcimus etiam ex Proprio Sanctorum civitatis & diœceſis Tridentinæ, quod juſſu illuſtriſſimi ac reverendiſſimi domini Caroli Madruccii, S. R. E. Cardinalis, & epiſcopi ac principis Tridentini anno* 1627 *excuſum in Muſeo noſtro habemus. In hoc ad diem* XV *Januarii hæc legere eſt :* Sancti Romedii Confeſſ. duplex de Communi Confeſſoris non Pontif. Oratio : DEUS, QUI. In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In ſecundo, de Sermone S. Gregorii : DERIDETUR. In tertio Homilia in Euangelium : SINT LUMBI VESTRI de eodem Communi.

AUCTORE C. S.

Reliquiæ ejus in cathedrali Tridentina, plures in valle Ananiæ

7 *Hactenus de generali hujus Sancti cultu in epiſcopatu Tridentino, cujus initium ignoratur : de peculiari hæc præterea didici. Tom.* 5 *Italiæ ſacræ Ferdinandi Ughelli, ſive in Additionibus Nicolai Coleti col.* 585 *inter ſacras reliquias, quæ in cathedrali eccleſia Tridenti honorantur, recenſetur aliquid* de collo S. Romedii. *In eadem diœceſi jacet vallis Anania, aliàs Anaunia, nunc* Val di Non *vulgo appellata, in qua ſanctus Anachoreta vixiſſe ac obiiſſe creditur, atque etiam nunc templum habet. Situm loci, cultumque Maximilianus comes à Morh in Mss. Germanicis de rebus Tyrolenſibus T.* 111, *p. m.* 24 *de Valle Anania, apud laudatum Roſchmannum tradit his verbis :* Juxta hunc pagum (*Ermulum*) longa protenditur vallis ad dextram, cui à divo Remedio nomen. Rivus ex hac protruditur, partim in monte Mendula, & partim in monte Rovegno. In hac valle & excelſa rupe templum S. Remedii, turris inſtar, exſtructum eſt, in quod aſcenditur per gradus centum. Hic habitabat S. Remedius. In hac ſacra æde monſtrantur reliquiæ hujus Sancti. . . . Jus patronatûs pertinet ad comites de Thunn.

in eccleſia, ubi inſignem cultum habet.

8 Celebrantur hîc per annum nundinæ binæ, & ſingulis Dominicis cujuſque menſis proceſſio. Rivus per hanc vallem excurrens, & piſcium ferax, S. REMEDII vocatur, & iterum ad prædictos comites pertinet. *Hactenus comes à Morh, cujus teſtimonium Roſchmannus ſuo calculo confirmat. De eodem loco hic præmiſerat ibidem ex Opere Michaëlis Angeli Mariani, anno* 1678 *Tridenti edito, etiam iſta :* Ad templum aſcenditur per nonaginta quatuor gradus. . . Olim in altari erant ſacræ reliquiæ (*nimirum* S. Remedii) in ciſta lignea, hodie in elegantiori, quod donum eſt Guilielmi Franciſci liberi baronis de Firmian (*addit hîc Roſchmannus*, Sac. Cæſ. Maj. Camerarii actualis, & apud electorem Bavariæ legati) & baroniſſæ Claudiæ, conjugis ſuæ (*addit demum Roſchmannus*, filiæ Georgii liberi baronis de Firmian, natæ igitur & uxoratæ de Firmian) anno MDCLXVI oblatum. Aſſervatur & ibi cum iiſdem baculus peregrinatorius. Infra templum ſpecus eſt hujus ſancti Anachoretæ. Celebratur feſtum XV Januarii ingenti concurſu, & in feriis Pentecoſtes. Comites à Thunn nominant Priorem. Comes Romedius de Thunn partem ſancti brachii Pragam in Bohemia tranſtulit ; quia meditabatur ibi ſacellum ſeu templum huic Divo erigendum. *De hoc ſacello, quod deinde reipſa erectum fuit, agemus infrà.*

Cultus ejus in diœceſi Brixinenſi.

9 *Tridentinæ diœceſi à Septemtrione adjacet Brixinenſis, cujus epiſcopus ſedem ſuam, Saliburgenſi ſuffraganeam, habet in civitate Brixina, Italis* Breſſanone, *Germanis* Brixen *appellata, in comitatu Tyrolenſi. Inſignem* S. Remedii *in hujus*

AUCTORE C. S.

diœceſis, in qua natus dicitur, peculiaribus locis cultum mox exponam; de generali verò prælaudatus Roſchmannus in Mss. Obſervationibus ſuis ad Tartarottianas ſic loquitur: Brixina ipſa num Sanctum hunc colat, ignoro: inſertus eſt tamen Calendariis hujus diœceſis ad diem xv Januarii; & dudum inſertum fuiſſe, luculento teſtimonio viri illuſtris Johannis Guilielmi Putſchii convincimus; is enim in Rhapſodiis ſuis Mss. autographis, in bibliotheca noſtra publica (*Oenipontina*) aſſervatis, ad annum MDLVI (quo tempore ſcripſit) hæc habet: "xv die menſis Januarii, feſto ſanctiſſimi Remedii, comitis in Thaur, confeſſoris Chriſti, & inclyti principatus Tyrolenſis apoſtoli & patroni, obiit Oeniponti nobilis dominus Henricus Kuen ab Aur &c." *Sanè hæc à laudato Putſchio in diœceſi Brixinenſi ſcripta non modò innuunt*, S. Remedii *nomen tunc temporis in ejuſdem diœceſis Calendariis legi ſolitum, verùm etiam de illius velut* Apoſtoli & Patroni *generali ibidem cultu ſuſpicionem meritò movent.*

maximè in pagi Taur eccleſia S. Petri,

10 *Utut ſit (nam & Tartarottus negat, ſe de tali cultu Officiove quidquam comperiſſe) in eadem diœceſi certò ſunt pagus* Taur & Mons S. Georgii, *quodque olim in hoc fuit, nunc ad ejuſdem radices in loco* Viecht *è regione pagi* Schwaz, *tranſlatum, exſtat monaſterium Ordinis S. Benedicti, in quibus locis ſolemnem cultum ob reliquias ibidem religioſè ſervatas eidem Sancto exhiberi, compertum habeo ex Notitiis Mss. Roſchmanni. Incipio à pago Taurenſi, in quo ipſum natum eſſe, ſcriptores paſſim conſentiunt,* ſito antiquitus in Rhætia, hodie in comitatu Tyrolenſi, prope urbem Halenſem ad Oenum (*fluvium*) ſalinis celebrem, *inquit idem vir clariſſimus, poſt aliqua addens, exſtitiſſe in eo olim vetus caſtrum, in ſuis adhuc ruinis grande. Rurſum aliam & ad propoſitum noſtrum propiùs ſpectantem notitiam dat verbis, quæ ſubdo.* Cùm anno MDCCLIII his Actis colligendis operam navâſſem, neceſſarium pariter viſum eſt, tum monaſterium Sangeorgianum, tum pagum, templum & arcem Taurenſem accedere. Illud factum, ut dixi, XVIII Octobris MDCCLIII; ubi (*in pago nimirum Taurenſi*) imprimis arcis ingentia rudera conſpexi; nec procul hinc ſitum templum perantiquum S. Petri, ubi in fornice ſupra altare ſummum hæc verba leguntur: "Sanctus Romedius comes in Taur hoc templum erexit; Dei verò, piorumque munere à ruina vindicavit magiſter Georgius Meringer, parochus ibidem anno MDCXXXII."

C

cujus notitia datur, in qua ſolemniter colitur

11 Deſcendi dein ex parte Epiſtolæ per duodecim gradus in ſacellum ſubterraneum, menſæ dictæ aræ principis immediatè reſpondens, & ſupra altare, cui ſtatua divi Remedii impoſita eſt, hanc iterum inſcriptionem legi: "Deo Opt. Max. & S. Remedio hoc ſacellum erectum anno MDCXXVIII." Credebatur nempe locus hic vacua petra fuiſſe, ſeu ſpecus, in quam ſe ad perſolvendas preces recepiſſet hic ſanctus Confeſſor. Cæterùm cùm ad omnia viſitanda atque indaganda dies aliquot fuiſſent neceſſarii, erudito cuidam ac venerabili ſacerdoti ſeni, M. R. D. Severino Holzhamer, beneficiato Taurenſi ſupplicavi, ut omnia colligeret, & ad quæſtiones meas ſub fide ſacerdotali reſponderet. Is pro cultu in hunc Sanctum ſingulari id egregiè præſtitit. Fuit igitur in ſcriptis ipſi mota quæſtio prima: An, quomodo, & ubi hic Sanctus colatur. Reſponſio hæc continebat: Cultui antiquo ſucceſſit fervidior novus, poſtquam Sancti hujus vita in theatro publico anno MDCCXIV in pago Taur exhibita fuit. *Interſerit hîc Roſchmannus, auctorem hujus ſacri ſpectaculi, ipſum, quantùm quidem noverat, venerabilem presbyterum fuiſſe, cujus verba deinde denuò pergit referre.* D

die 15 Januarii & Dominicâ 4 poſt Paſcha, in eodem pago

12 Ex eo tempore ejus feſtum xv Januarii ſolemniſſimè celebratur: id etiam fit in pago Tulfes & Rinn ex altera Oeni ripa. Dominicâ quartâ poſt Paſcha fit proceſſio ſolennis ex pago in memoriam Tranſlationis ſacrarum reliquiarum anno MDCCXIV inſtitutæ. Diebus Dominicis ac feſtivis magnus coram ipſius imaginibus fit concurſus populi, præcipuè ex pago, non commodo licèt, & aſcenſu haud facili itinere. Vix quiſpiam erit in toto pago, qui Sanctum hunc non ſingulariter colat. Nemo ſacram ædiculam S. Petri relinquit ſine interno ſolatio; etiamſi quoque id, quod rogat, non impetret. Non obſtante non ſatis commodo ad hanc acceſſu, ſæpius per multas hebdomades in ſingulis duo vel tria Sacra leguntur; *videlicet quæ, ut opinor, ſeu pii ſacerdotes è peculiari devotione ſponte ſua, vel ab aliis oblato ſtipendio illuc celebraturi adveniunt.* Singulæ ferè pagi hujus perampli domus imaginem (*S. Romedii*) habent & venerantur, quæ etiam ab exteris quæruntur. Vix erit rurſum habitatio, in qua non ab illo tempore (*ab anno* 1714) unus vel plures hoc nomen in ſacro baptiſmate obtinuerunt. E

honorantur reliquiæ ejus, ad quas tam ſtatæ, quàm extraordinariæ proceſſiones

13 *Ad ſecundam Roſchmanni quæſtionem laudatus Holzhamerus iſta remiſit:* Quatuor veneramur de ſancto corpore particulas de coſtis ejus. Duæ ſunt in templo parochiali ad B. V.; major in ſtereobata ſtatuæ S. Remedii plerùmque in medio aræ lateralis expoſitæ, ad quam etiam multa Sacra in ejus honorem leguntur: ſolet hæc etiam circumferri in proceſſionibus publicis. Minor incluſa eſt cruci argenteæ, quæ in feſtis majoribus etiam exponitur, & in proceſſionibus publicis à ſacerdote geſtatur. Coſta tertia cordi ſtatuæ S. Remedii inſerta fuit tempore tranſlationis, anno MDCCXIV ad templum S. Petri inſtitutæ. Jam olim adfuiſſe creditur in ara aſſervata fornicis ſubterranei ſubtus aram principem anno MDCXXVIII exſtructa. Locus hic, ex traditione, ſacra divi Euergetis noſtri eremus ac feceſſus fuiſſe creditur. *Ad quæſitum tertium, quod erat,* an fiant ad ipſum ſupplicationes publicæ cum vexillis; *reſpondit, illas fieri* Dominicâ quartâ poſt Paſcha, ut ſuprà dictum: extra ordinem verò ſæpius ad removendas noxias cæli frugibus tempeſtates. Sic acceſſit (*inquit*) ante biduum in ſingulari neceſſitate pagus vicinus, licèt alterius parochiæ, Abſam dictus. F

& ſupplicationes fiunt & narranturque aliqua beneficia,

14 Communitas verò Taurenſis & vicina Rumenſis devotiones publicas & gratiarum actorias ſingulis annis in honorem S. Remedii indicere ſolet. Invocatur autem præcipuè in periculis incendiorum, inundationum & noxiarum tempeſtatum: item contra febres &c. *Subdit etiam aliqua beneficia recentia, velut ſuo tempore per* S. Remedii *invocationem impetrata his verbis:* Anno MDCCLI ſtudioſus quidam à magno furore & inſania, ita ut includi ac cuſtodiri debuerit, per invocationem à parentibus factam, hujus Sancti ope liberatus fuit. Sic anno MDCCLII Michaël Kirchebner, tibialium textor in Naters, & filius ruſtici in Gunzen ex periculoſo morbo convaluit. Idem anno MDCCXLI uni, anno MDCCXLVIII & MDCCLI aliis tribus contigit; binis inſuper febris ſublata fuit. Infans quadriennis ad preces parentum cæcitatis periculo anno MDCCXLVIII liberatur; imò meliori acie utitur. Febris ardens

MDCCL,

A MDCCL, in horas ſingulas factis precibus, minuitur. Anno MDCCLI partus difficilis feliciter ſuccedit; uti & alio tempore. Anno MDCCXLIX infans pro mortuo habitus ad vitam & ſanitatem rediit.

quæ ejuſdem Sancti patrocinio adſcribuntur.

15 Anno MDCCXXXIV Equus & currus Joſephi Höpperger Taurenſis, lignis oneratus, in præcipitium aliquod detruſi, illæſi remanent. Anno MDCCL bos cum curru onerato lignis per glaciem præceps actus, binis equis in via, in qua nemo decedere poterat, obvius, ad verba SANCTE REMEDI JUVA, inſtar muri conſtitit. Anno MDCCXXX & ſic infans per deſcenſum ſcalæ in fornicem ſubterraneum templi S. Petri præceps actus, ad verba: JESU, MARIA ET SANCTE ROMEDI JUVA, in pedes ſine omni damno erigitur. Invocatur etiam in afflictionibus pecorum; præcipuè equorum. Anno MDCCXLIV Simon Magerle, operarius in montibus vicinis ſalinariis, dum laborat, vaccam perdidit, & à ſuis jam per ſeſqui dies fruſtra quæſitam inaudiens, Sanctum invocat; tum quaſi manu per vallem quamdam ductus, foſſam metallicam deſertam videt per longius ſpatium extenſam,
B & hinc ex omni parte tenebroſam; intrat, ac ſuo tandem baculo fodinam in profundum deprehendit; tandemque nolam collo animalis alligatam percepit. Alacer igitur candelas & funes affert. Fune ſe in fundum triginta pedes altum demittit, & admirabundus ex omni parte illæſam vaccam reperit. Quærit ergò inſtrumenta & ſocios; vaccamque cum his feliciter extrahit; torpentem quidem inediâ, ſed mox recreatam per annos aliquot utiliter aluit. Verbo in omnibus neceſſitatibus invocatur hic Divus tutelaris noſter. *Hactenus ille de beneficiis* S. Romedio *adſcriptis; quæ uti levitatis foret ſine certiori vade pro indubitatis admittere, ita nimis ſeveri ſupercilii eſſet eadem ſine alia ratione inter fabulas ablegare. Attamen ex his ſaltem colligere oportebit, magnam eſſe indigenarum in hunc Sanctum fiduciam, quem & in neceſſitatibus ſuis invocant, & præſentem invocati opem profitentur. Id ipſum etiam probat reſponſum ad quæſtionem quartam:* An etiam peregrini hunc locum frequentent. *Reſpondit enim idem ille presbyter*, quòd omnino, præſertim hoc tempore, non tantùm vicinæ urbes, ſed etiam remotiores, templum S. Petri ad arcem frequentent, quarum rerum quamplurima
C anathemata fidem faciant.

§ II. Caput Sancti, ad quod deinde etiam aliæ ejuſdem reliquiæ acceſſerunt, ab aliquot ſeculis honoratum in monaſterio montis S. Georgii: eædem reliquiæ, exuſto monaſterio, novo ornatu Suazii donatæ & ad novum monaſterium relatæ: vetus hymnus.

CElebrem quoque jam ab aliquot ſeculis cultum habuit in Monte S. Georgii, ſive in monaſterio S. Georgii, condito in eodem monte. Monaſterium illud diœceſis Brixinenſis eſt in comitatu Tyrolenſi, & in tabulis geographicis notatur tribus circiter plùs minùs milliaribus infra Oenipontum, vulgò Inſprugg, *ad ſiniſtram fluminis Oeni. Penitiorem notitiam dedit Roſchmannus, in Opere noſtro relatus tom.* IV *Septembris in S. Notburga pag.* 742 *ad lit.* m, *ubi hæc ait:* Libet hîc . . . brevem aptamque ejus deſcriptionem ex comite de Mohr afferre, ita aſſerente: "Situm eſt hoc „monaſterium in inferiori Oeni valle, in dyna„ſtia Freindsberg à tergo pagi Stans, in faucibus „versùs Septemtrionem rupi ſuperſtructum, Al„pibus undique circumdatum; ad rupis pedem „duo torrentes ſibi occurrunt.„ Et ita (*ſubdit Roſchmannus*) ſitum conſpexi ipſius. *Conſule chartam topographicam, ibidem additam. De ejuſdem monaſterii obſcuris primordiis auctor Collectaneorum noſtrorum, de quibus num.* 4 *memini, ita diſſerit.* Quamvis de primis in Monte S. Georgii colonis, aut exſtructa ibidem eccleſia, non una authorum circumferatur opinio, dum non deſunt, qui anno poſt Chriſtum natum CMXCVI pro presbyteris & clericis, hujate in loco Deo ſanctoque Georgio ſervientibus, eccleſiam jam E exſtitiſſe, contendunt; alii verò cum illuſtriſſimo Franciſco Adamo Brandiſio plures, Ratholdum ex Aiblinga (loco Boiariæ non ignobili) nobilem, ad has rupes, ut nemini, niſi ſoli Deo, cui unicè ſervire conſtituerat, notus, harum in foraminibus lateret ſecuriùs, ad annum Domini M peregrini ſub habitu penetrâſſe, contendunt.

olim conſtituto in monte, nunc ad ejuſdem radices tranſlato,

17 Brunnerus denique Annalium Boïcorum part. 3, lib. 12, Ratholdum ſacris initiatum ad annum MCXII S. Georgii montibus initia dediſſe; fundamento tamen (ſi monaſterii monumentis fides) non ſatis firmo, omnino recenſet; quam poſtea nobilium aſcetarum coadunatam ſocietatem Regimbertus epiſcopus Brixinenſis, obtentâ etiam ab Innocentio II anno MCXXXVIII confirmationis bullâ, in abbatiam mutavit, ſub Regula ſanctiſſimi patriarchæ Benedicti militantem. *Plura de eodem loco legi poſſunt in Germania ſacra Gabrielis Bucelini parte* 2, *pag.* 184 *& ſequenti. Utut hæc ſe habeant (nam hujus loci non eſt in iſtius monaſterii initia inquirere) in prædicto monte ſtetit Sangeorgianum monaſterium Ordinis S. Benedicti uſque ad annum* 1705, *quo ſimul* cum eccleſia, nemoribus, villis, pontibus, atque ædificiis cunctis (ſalvis ſolùm archivo & Sanctorum reliquiis) conflagravit; *& eccleſia quidem ibidem* F *poſtea reparata fuit; monaſterium verò ipſum* ad pedem ejuſdem montis S. Georgii in Viecht *tranſlatum fuit, ut ex iiſdem Collectaneis habemus. Conſentit Roſchmannus, qui præcedenti numero laudatus ad propoſitum noſtrum ſic inquit:* Hodie reſtaurato pauliſper ex incendio hoc monaſterio (*veteri in monte S. Georgii*) ac templo pro paucis Religioſis, monaſterium ipſum tranſlatum eſt Viechtium, Suazio oppoſitum. *Conſule cartam topographicam ibidem datam, in qua antiquum monaſterium in monte num.* 18, *novum verò ad ejuſdem montis radicem num.* 19 *notata exhibentur.*

jam ab aliquot ſeculis ſervatur caput S. Romedii,

18 *Porrò Sangeorgiani inſignes* S. Remedii *reliquias religioſè aſſervant, caput ſcilicet in primis, de cujus antiqua poſſeſſione auctor Collectaneorum plura congeſſit.* Conſtanti tamen (*inquit*) traditione per plura ſæcula & unanimi Annalium noſtrorum ſenſu conſtare videtur, quòd Henricus III, quem etiam occaſione Henrici Aucupis alii quartum nominant, imperator ſacrum divi Romedii caput anno MXCVII, antequam monachi Benedictini lares Sangeorgianos incoluêre, illi jam

AUCTORE C. S. *In monaſterio S. Georgii diœceſis Brixinenſis,*

AUCTORE C. S. jam tunc clericorum, vel nobili eremitarum cœtui, præter alia multa, in paucis munificus benefactor, ſingulari dono contulerit; ab his verò primis S. Georgii inquilinis in ſæculo dein XII noviter introducti Ordinis S. Benedicti ſecundi incolæ, cum oratorio, habitatoribus, bonis, redditibuſque & rebus, quæ tunc aderant, eccleſiæ, ex liberalitate altefati Reginberti fundatoris & epiſcopi Brixinenſis, acceperint, obtenta deſuper à Sede Apoſtolica eorum omnium confirmatione. De hac autem dònatione Henriciana aſſervatur in monaſterii archivo tabula antiquiſſima, ſine tamen die annove ſcriptionis, cujus litteræ capitales coloribus ſunt pictæ, in qua nullum comma, nullum punctum ſupra vocalem I, nullum Æ; ſed ubique ſimplex E; cujus inter alia ibi notata tenor eſt ſequens.

quòd ab Henrico III imperatore,

19 "De capite S. Romedii confeſſoris dato ab „imperatore Henrico tertio. Anno Nativitatis „Domini milleſimo nonageſimo ſeptimo, indi„ctione quarta, anno autem ordinationis domi„ni Henrici tertii Romanorum auguſti regni qua„drageſimo primo, imperii verò tertio decimo, „idem dominus * monaſterio caput beatiſſimi „confeſſoris Remedii, qui dominus comitatûs „Tauri fuiſſe traditur. Cujus ineſtimabilis dona„tionis immarceſſibilis memoria ad noſtra tem„pora perdurat.„ Huic tabulæ antiquiſſimæ penitus correſpondet Chronicon monaſterii anno MCDLXXX in vernacula typo editum per verba hîc ſubjuncta. *Verba Chronici Germanica Roſchmannus ſic reddidit Latinè:* Cùm numerarentur à Nativitate Chriſti MLXXXXVII Indictione IV, regni XLI, imperii XIII imperator Henricus tertius venerabili novæ abbatiæ donavit ſacrum caput ſancti comitis & confeſſoris Remedii cum quinque villis & earum hominibus, maſculis & feminis juxta tenorem imperatoriarum litterarum deſuper exſtantium, atque notabili ſumptu excidi curavit ſecundum rupes & montem, ac fontem & rivum molinarem ad eccleſiam deduxit.

* *al.* dedit B

aliis dicto quarto, donatum fuiſſe,

20 *Ambæ epochæ Henricianæ, regni ſcilicet annus* 41 *à morte patris ejus, quæ menſe Octobri anni* 1056 *contigit, annuſque* 13 *imperii, ductо initio à die* XXXI *Martii anni* 1084, *quando ab antipapa ſuo Guiberto Romæ coronatus eſt, rectè conveniunt cum anno Chriſti* 1097, *cujus Idibus Martiis diploma iſtud datum eſſe ſcribit Roſchmannus; ſed currebat tunc Indictio* V, *non* IV, *niſi Indictionis initium hîc ſeriùs, quàm à Septembri anni tunc proximè elapſi, vel à Kalendis Januariis tunc labentis anni, repetitum fuerit. Clariſſimus Tartarottus in Annotationibus ad Vitam num.* 6 *data verba Chronici improbat, quòd S. Georgii Mons nondum eſſet* abbatia, *ſed tantùm* eremitorium *anno* 1097, *quo Henrici diploma datum notatur. Verùm huic jam reſpondit Roſchmannus in ſuis Annotationibus Mss., licèt tunc ibi non fuerint Benedictini, fuiſſe tamen clericos ſeu presbyteros, qui ſub ſuo* Prælato *vitam degebant. Probat id ex eodemmet diplomate, in quo Henricus dicitur quoſdam manſos ſeu villulas* eccleſiæ S. Georgii in Indale conſtructæ *dediſſe*, ut oratio in præfata eccleſia perſeveret in perpetuum, & presbyter de iſto prædio, qui die ac nocte Deo & S. Georgio ibidem ſerviat, ab ejuſdem eccleſiæ Prælato fideliter ordinetur. *Id unum ergò fortè dici poteſt, quòd Chronici auctor illam qualemcumque aſcetarum clericorumve ſocietatem perperàm appellaverit* abbatiam, *qualis erat, dum ſcripſit.*

C

21 *Mitto plura, quia eodem teſte Roſchmanno, qui diploma autographum à ſe conſultum teſtatur, in eo quidem de variis donationibus præfatæ eccleſiæ ab Henrico factis legitur, at nihil de* S. Remedii *capite. Quam ob rem exiſtimo, diploma illud à Chroniſta non laudari pro dono ſacri capitis, ſed pro aliis rebus, quas idem Henricus, à quo caput iſtud datum dixerat, eidem eccleſiæ donavit. Igitur non aliter ad propoſitum noſtrum conducit hoc diploma, quàm quòd ex illa Henrici imperatoris erga Sangeorgianos munifica benevolentia aliquid veriſimilitudinis accedat traditioni de capite* S. Remedii *ab eodem accepto; ſive hujus donatio antè, ſive poſt facta fuerit, ſive etiam eodem tempore; ſed neutiquam neceſſe viſum fuerit eamdem, ut profanarum rerum donationes, diplomate regio firmare. Porrò non inaniter quoque ex Ughelli Italia ſacra aucta tom.* 5, *col.* 593 *obſervat Roſchmannus, eumdem Henricum anno* 1082 *caſtellum Caſtellarium, prope Mantuam ſitum, donâſſe eccleſiæ Tridentinæ; hac enim occaſione fieri potuiſſe, ut Tridentinus epiſcopus caput* S. Remedii, *quod cum reliquo ejuſdem corpore in ipſius diœceſi ſervabatur, eidem imperatori donaverit, & hic Sangeorgianis, quibus favebat, largitus fuerit.*

D

traditio & domeſticæ tabulæ ferunt;

22 *Andreas Brunnerus in Annalibus Boiorum parte* 3, *lib.* 12, *ad annum Chriſti* 1112 *de S. Georgii montis primordiis ac progreſſu breviter tractans, eidem caput* S. Remedii *pariter attribuit, ſed ejuſdem donatorem facit, non Henricum imperatorem, ſed Reginbertum epiſcopum Brixinenſem, ſic inquiens:* Cultum & opes paulò pòſt Reginbertus, ex S. Petri apud Salisburgenſes abbate epiſcopus Brixinenſis, addidit (*monaſterio Sangeorgiano*) idemque Eberhardum loco præfecit, & D. Rhomedii dynaſtæ Taurenſis capite eódem deportato, Oenanæ valli Civem ſuum, imò Dominum, poſt ſeptingenteſimum, quàm inde emigraverat, annum reddidit, rarum pignus, & majoribus noſtris ſumma religione frequentique votorum nuncupatione cultum; quam laudem ſæculo noſtro (*Chriſti ſeculo* XVII) mortalium ignavia detraxit. *Hactenus Brunnerus, qui, neſcio, an donationem ſacri capitis Reginberto alio argumento adſcripſerit, quàm quòd is Montem S. Georgii in abbatiam erectum Benedictinis monachis, ut ſuprà vidimus, tradidiſſe legatur. Redeo ad auctorem Collectaneorum noſtrorum Mss., qui poſt aliqua ſic progreditur.*

Brunnerus credidit, id munus eſſe Reginberti epiſcopi Brixinenſis.

E

Acceſſerunt anno 1470 *aliæ inſignes ejuſdem reliquiæ*

23 Sacro huic divi Romedii capiti, in Monte S. Georgii ab anno MXCVII religioſiſſimè cuſtodito, acceſsêre poſtea anno MCDLXX reliquiæ aliæ de eodem ſancto Confeſſore, quæ ad vallem Ananiæ (ut ſonant litteræ) in abſcondito tenebantur, à Joanne epiſcopo Tridentino donatæ, expeditis etiam deſuper donationis litteris hujus tenoris: "Joannes Dei gratiâ epiſcopus Triden„tinus univerſis ac ſingulis Chriſti fidelibus præ„ſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino „ſempiternam. Ex paſtorali officio nobis incum„bere arbitramur, ut animas Domini fidelium, „quantùm poſſumus, ad devotionem & venera„tionem Sanctorum excitemus; quoniam, uti „cernimus, mala, peccatis noſtris exigentibus, „multiplicantur ſuper terram, pro quibus iram „Dei meremur & flagellum, pro quorum aver„ſione neceſſarium æſtimamus Sanctos Dei im„plorare, & eorum reliquias in majori venera„tione habere, & illa pretioſa pignora non ſic „in abſcondito tenere, ſed inter Chriſti fideles „diſtribuere, ut in majori veneratione habean„tur. Accedens itaque ad nos &c.... Supplica„tionibus ſuis favorabiliter annuentes, dignum „ar-

A

* *fortè* dominum

„arbitrati, ut, quem (S. Remedium) vallis i-
„pſa Oeni in vita dum * habuerat, de ejus præ-
„ſentia reliquiarum gaudeat in terris, eumdem-
„que quoque poſt ejus feliciſſimum tranſitum in-
„terceſſorem & patronum habeat in cælis; de
„conſilio & aſſenſu venerabilis capituli noſtri de
„eiſdem reliquiis largiti ſumus, ſcilicet unam ſca-
„pulam, unam cannam brachii, unam coſtam,
„unum nodum ſpinæ dorſi, unum talum pedis,
„unum articulum manûs...

ex valle Ananiæ, à Joanne Hinderbachio epiſcopo Tridentino

24 „In quorum teſtimonium & fidem præ-
„ſentes litteras fieri, noſtrique ſigilli majoris juſ-
„ſimus appenſione communiri. Datæ in Triden-
„tino caſtro noſtro Boni conſilii die tertia men-
„ſis Novembris anno Domini milleſimo qua-
„dringenteſimo ſeptuageſimo.„ *Lacunas, quas in datis litteris vides, etiam habet apographum noſtrum, ſive hic defectus ex detritis in autographo aut primario exemplari vocibus ſit, ſive in noſtro tantummodò Ms. ex brevitatis ſtudio commiſſus.*

B

Quod ſanè doleo; cùm ex hoc vitio hîc lateat perſona poſtulantis, cui memoratæ reliquiæ donatæ fuerunt. Imò ne nomen quidem Sancti, cujus eæ ſunt, in toto inſtrumento occurrit, niſi ſemel uncis incluſum, quod à deſcribente claritatis gratiâ potiùs additum videtur, quàm ab ipſo donatore. Cetera tamen adjuncta ſatis innuunt, de S. Remedii *reliquiis agi, idque etiam diſertè docet ſuprà laudatum Chronicon Germanicum monaſterii Sangeorgiani decennio poſt eam donationem typis vulgatum, ex quo ſequentia Latinè verſa excerpſit Collectaneorum ſcriptor, hæc ſubdens:* Chronicon autem monaſterii MCDLXXX in vernacula editum, & è Germanico in Latinum tranſlatum hanc ad annum MCDLXX reliquiarum donationem ſequentibus enarrat.

eum conſenſu capituli canonicorum donatæ

25 „In vigilia Sanctorum Omnium ex ſingula-
„ribus gratiis reverendiſſimus princeps & dominus
„dominus Joannes epiſcopus Tridentinus, ve-
„nerabili huic eccleſiæ Montis S. Georgii donavit
„ſequentes ſacras reliquias, cum conſilio, favo-
„re & voluntate reverendi capituli ſui, ſcapulam
„integram de S. Romedio, cannam brachialem
„integram, ſpondylum ſpinæ dorſi, talum pe-
„dis, articulum manûs ejuſdem Sancti, abſque
„illis reliquiis, quæ de eodem Sancto jam pri-
„ùs aderant.„ *Hæc Chroniſta contemporaneus, qui tamen, vel ejus interpres, inter reliquias tunc acceptas prætermiſit* unam coſtam. *Nec refert, quòd eamdem donationem* in Vigilia Sanctorum omnium, *id eſt, pridie Kalendas Novembris, factam dicat; litteræ verò epiſcopi primùm datæ ſint* die tertia menſis Novembris, *nam hiſce donationem triduo antè factam firmâſſe dicendus eſt. Jam quòd ad perſonas attinet, epiſcopus Joannes fuit Joannes Hinderbachius, qui in Ughelli Italia ſacra aucta tom. 5, col. 638 ab anno 1463 electus epiſcopatum Tridentinum tenuiſſe dicitur uſque ad annum 1486, quo obiit. Ex notitia verò mox danda diſcimus abbatem Sangeorgianum, qui ſæpe dictas reliquias obtinuit, fuiſſe Gaſparem, quem Bucelinus in catologo abbatum ejuſdem monaſterii à civitate natali vel familia* Augspurger *cognominat, & ab anno 1469 uſque ad 1491 præfuiſſe ait.*

C

Gaſpari ejuſdem monaſterii Sangeorgiani abbati.

26 *Mox laudatam notitiam habemus ex Roſchmanno, qui eam, neſcio, ex quo loco, ubi Latinè exſtabat, ſic recenſuit:* De magna parte corporis S. Remedii confeſſoris. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo (*lege* MCDLXX) in Vigilia Omnium Sanctorum reverendus in Chriſto pater dominus Gaſpar hujus monaſterii prælatus juſſu & conſenſu reverendiſſimi in Chriſto patris: domini, domini Joannis, epiſcopi Tridentini, in præſentia venerabilium fratrum duorum, Georgii Nothafft, Joannis Fogler, canonicorum eccleſiæ Tridentinæ, quos illac præfatus pontifex * ibi intereſſendum tranſmiſit, altare capellæ S. Remedii confeſſoris in ſcopulo vallis Ananiæ, ubi major pars oſſium præfati ſancti Confeſſoris, ſanctorumque ejus diſcipulorum Davidis & Abræ, reconditæ & ſquallidæ jacebant (*deeſt hîc vel ſuprà verbum, fortè aperuit*) celebrato priùs per quinque dies deſuper altari divino officio; unde prænominatus præſul cum ſui capituli conſenſu & voluntate abbati prædicto has reliquias piè contulit: ſcapulam unam integram ejuſdem, ſpondylum unum ſpinæ dorſi ejuſdem, talum unum pedis ejuſdem, articulum unum manûs ejuſdem ſancti Confeſſoris. Cujus inæſtimabilis donationis teſtimoniales litteræ *, ſigillo ſuo majori in corda ſerica pendenti, nobis tradidit, ac omnibus præfatas reliquias devotè viſitantibus, & orationes coram eis fundentibus, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis pœnitentiis relaxat.

AUCTORE C. S.

* *adde* ad

* litteras

E

Pro harum omnium reliquiarum non interrupta poſſeſſione

27 *Redeo ad Collectanea noſtra Mss., quorum auctor ut non interruptam* S. Remedii *reliquiarum ab Henrici III, aliàs IV, imperatoris, ac deinde etiam Joannis epiſcopi Tridentini donationibus poſſeſſionem ſuo monaſterio Sangeorgiano vendicet, præter jam dicta etiam alia laudat. Pro ſeculo* XIII *aſſerit, in dedicatione eccleſiæ clauſtralis, anno* 1204, *rogante Sigeboto abbate, à Cunrado Brixinenſi epiſcopo facta, inter alias Sanctorum reliquias, tunc præſentes, etiam* S. Remedii *lipſana recenſeri; quæ non alia, quàm caput ejus fuiſſe, ex prædictis temporumque ratione concludit. Seculo* XIV *totum quidem monaſterium conſumptum incendio fuiſſe ſcribit, ſed ſervatas ſacras reliquias; pro ſeculo* XV *Chronicon ſuperiùs memoratum, dataſque Joannis epiſcopi Tridentini litteras teſtatur. Pro ſeculo* XVI *laudat catalogum reliquiarum, anno* 1512 *confectum, & Annales monaſterii, à Bernardo Empelio Priore ſcriptos, atque à P. Jacobo Edemanno anno* 1580 *in Germanicam linguam verſos.* Ad ſeculum XVII (*ita ipſe progreditur*) exſtant variæ compacturæ Annalium & Catalogorum de ſacris exuviis, in quibus preſſa quoque non tantùm mentio fit horum ſacrorum divi Romedii pignorum, ſed & peregrinationum ſpecialium ad hæc ſacra divi Romedii oſſa veneranda; quæ etiam peregrinationes apud alios authores notantur.

laudantur variæ notitiæ &c.

F

28 Præcipuè ad hoc ſeculum XVII ſervit Catalogus reliquiarum, qui anno MDCLII ſub titulo ATHOS GEORGIANUS typis Wagnerianis Oeniponti prodiit, celſiſſimo & reverendiſſimo domino, domino Antonio S. R. I. principi epiſcopo Brixinenſi, loci ordinario clementiſſimo &c, dedicatus, cum præfixa Operi approbatione reverendiſſimi ordinariatus Brixinenſis, in quo repetitis vicibus non tantùm ſuperiùs recenſitæ divi Remedii reliquiæ feſtivè memorantur, ſed etiam iconibus ære excuſis exhibentur. *De eodem Catalogo & iconibus etiam meminit Roſchmannus, adjectaſque iiſdem annotationes ex Germanicis Latinas exhibet hoc modo.* Folio 27 (*Operis mox laudati*) elegans cernitur ciſta ſeu tabernaculum cum his verbis: "Hoc conditorium ex præcipuis „eſt; nempe caput integrum S. Romedii, cele-
„bris comitis in Hochenwart in Bawaria, & „comitis in Taur in Tyroli.„ His additum in fine: "Propter hoc ſacrum caput olim multæ ce-
„lebres proceſſiones & peregrinationes huc in „Montem S. Georgii magna celebritate ac po-
„pu-

AUCTORE C. S.

„puli confluxu ciebant:„ Folio 28 iterum ſimile conditorium æri inciſum exhibetur, cui adſcriptum : "In hoc ſimili labore continetur ſcapula „& plures reliquiæ majores de prædicto S. Re„medio.„ Folio 29 exhibetur figura alterius oblongi, velut altaris, cum his verbis : "In hoc „continetur canna brachialis integra S. Rome„dii.„ *Subdit denique laudatus vir clariſſimus :* Quoad proceſſiones, vidi aliquot compacturas Annalium hujus aſceterii (*S. Georgii*) in quibus notatæ fuerunt allegatæ ſuperiùs celebres proceſſiones ad caput S. Remedii.

Exuſto veteri monaſterio, eædem reliquiæ Suazii depoſitæ

29 *De ſeculo noſtro auctor Collectaneorum hæc aſſerit :* Ad ſeculum, quod præſens decurrit XVIII, nemo unus ignorat, quàm pernicioſo incendio in Vigilia Omnium Sanctorum (*anno, ut ſuprà dictum eſt* 1705) totum cum nemoribus & villis, pontibus atque ædificiis cunctis (ſalvis ſolùm archivo & Sanctorum reliquiis) monaſterium conflagraverit. Sacræ his è ruinis ſalvatæ reliquiæ lugubri profectò fuga inter ardentiſſimas ſpectantium lacrymas Suazium commigrârunt ad palatium illuſtriſſimi domini, domini Joſephi, liberi baronis de Tannenberg, domini dynaſtæ Rottenburgi ad Oenum &c, dynaſtæ dynaſtiarum
B Freindſperg, Schwaz & Neuhaus p. m.; uti refert Hiſtoria monaſterii recèns ædificati ad pedem Montis S. Georgii in Viecht. Ubi ab illuſtriſſima familia non tantùm maximâ curâ tenerrimè cuſtoditæ, ſed & juges quotidie inter preces de genu devotiſſimè cultæ fuerunt. Quin paulò pòſt hæc divi Romedii ſacra lipſana labore Phrygio, ornatuque ſerico, non ſine copioſis margaritis, cum conditorio, operâ ſtatuarii affabrè confecto atque deaurato, elegantiſſimè propriis illuſtriſſimis manibus veſtiebantur; ut præſentes ſerico ad Divi caput involutæ, propriis quoque non minùs gratioſis manibus in vernacula ſcriptæ, ſchedæ teſtantur.

30 Copia ſchedæ primæ in Latinum verſæ.

& à baroniſſa vidua Tannenbergica novo ornatu & arcâ donatæ ſunt;

"Laudetur Jeſus Chriſtus.

„Sacrum hoc caput divi Remedii cum adjacen„tibus coſtis minoribus & oſſibus quinque aliis „hujus Sancti anno MDCCXXIX ego & filiæ meæ „binæ virgines, Maria Margaretha, & Maria „Anna Eliſabetha, ſingulari gaudio, amore & „devotione ad hunc Sanctum involvimus, Phry„gio opere ornavimus, ciſtamque ſtatuarii la„bore confectam deauratamque, cum ſericis *
** Roſchman* ſeris
C „& ſumptibus omnibus, honoribus ſancti Re„medii conſecravi. His me cum filio unico Jo„ſepho Antonio Ignatio, & tribus filiabus ſub „patrocinium S. Remedii commendo.

„Eliſabetha vidua L. B. de Tannenberg, na„ta L. B. de Riſenfels.„

Copia ſchedæ ſecundæ in Latinum verſæ.

"Beate Romedi, ora pro me, & impetra mi„hi gratiam, quam ego à Deo peto.„

"Maria Anna Tannenbergica.„

Harum illuſtrium perſonarum crebra meritóque honorifica ac grata mentio apud nos exſtat tom. IV *Septembris ad diem* XIV *in Actis S. Notburgæ, ancillæ virginis, quæ etiam præfato illuſtriſſimo domino S. R. I. comiti Joſepho Ignatio, de eadem Sancta ac noſtro Opere optimè merito, ſeparato volumine dedicata fuere. His grati animi gratiâ obſervatis, ad Collectanea redeamus.*

deinde ad novum monaſterium delatæ, in eodem, ut antè. honore habitæ.

31 Hoc in ſuo, quo recèns donabantur, ornamento (*prælaudatæ reliquiæ*) non tantùm anno MDCCXXXVIII coram reverendiſſimo ac celſiſſimo domino, domino Caſparo è comitibus de Kinigl, S. R. I. principe & epiſcopo Brixinenſi, loci ordinario clementiſſimo, ut, dum ſacra D lipſana divæ virginis Notburgæ XIV Septembris publico cultui ſolenniſſimè ab altefata celſitudine ſua exponebantur, etiam in feſtiva per plateas deductione divæ virginis Notburgæ ſacrum corpus comitarentur, S. Romedii venerandæ exuviæ Suazium evocatæ ſunt, clericorum humeris per proceſſionem bajulandæ; ſed etiam anno MDCCL, dum reverendiſſimus & celſiſſimus dominus, dominus Leopoldus Joſephus Maria è comitibus de Spaur, S. R. I. princeps & epiſcopus Brixinenſis, loci ordinarius clementiſſimus &c, in viſitatione paſtorali, viſitatis rebus eccleſiæ omnibus, luſtrataque omni cum ſacris reliquiis ſacra ſupellectili, recèns erectam monaſterii baſilicam cum ſeptem altaribus per duos continuos dies conſecravit, præter alias hujus Sancti reliquias coram altefato celſiſſimo domino, domino ordinario, & reverendiſſimis dominis viſitatoribus, expoſitum quoque fuit tum horum cùm omnium præſentium devotioni caput ſancti confeſſoris Romedii.

Epilogus collectoris pro poſſeſſione

32 Ut adeò non modò dyptica eccleſiaſtica, E atque titulis membraneis ciſtiſque inſcripta, vetuſtiſſima & conſtans eccleſiæ traditio, inſtitutæ publicæ peregrinationes, cultus publicus & feſtivæ per plateas geſtationes, frequentiſſimæ ad ciendam populi devotionem in ara expoſitiones, ſed & præter approbationem authoritate ordinaria præfixam, paſtorales quoque viſitationes ſacris his noſtris exuviis emphaticè adſtipulentur. Sicut autem ex his præmiſſis non tantùm donatio ac non interrupta ſacrarum reliquiarum divi Romedii tot jam ſæculis quieta poſſeſſio; verùm etiam devotiſſimus fidelium cultus eiſdem exhibitus deducuntur; ita veneratio horum ſacrorum oſſium ampliùs infertur, & quidem in dedicatione eccleſiæ clauſtralis, anno MCCIV à Cunrado epiſcopo Brixinenſi ſolenniter acta, nullo negotio elucet, ubi inter alias publico cultui authoritate ordinaria in præfata eccleſia expoſitas reliquias mentio expreſſa fit exuviarum S. Romedii.

cultuque ſacri capitis.

33 Exponebantur præterea multis retrò à ſæculis authoritate etiam Apoſtolica (*utinam hoc collector probâſſet*) publico quoque extra eccleſiam in loco cum venerabili altaris Sacramento, aliiſque reliquiis confertiſſimæ peregrinantium concioni ſacra pariter lipſana divi Romedii, ut teſtantur omnes reliquiarum catalogi. De proceſ- F ſionibus olim ad ſacrum divi Romedii caput, aut peregrinationibus peculiaribus exſtant compacturæ plures in monaſterii archivo. *Rurſum poſt aliqua*, Anathemata, *inquit collector*, ultimus ignis ipſa cum eccleſia totoque monaſterio triſtiſſimâ memoriâ abſumpſit; inter alias tamen de S. Romedio ſcripturas inventus eſt Hymnus præſens, devotè magis, quàm concinnè compoſitus; qui cùm beneficia, gratias, & de cælo auxilia recenſeat, quæ fidelium pietas, ſua pro in divum Romedium fiducia, & imploravit & deſuper obtinuit, nemini hujus Sancti honoribus devoto, aut ampliandi cultus zelatori, ingratum exiſtimo, ſi ſolo etiam hoc ex fine adjiciatur.

Vetus Sancti hymnus.

34 Salve caput venerandum,
Mille millies amandum
Salve ſplendor patriæ.
Decus es nobilitatis,
Es & gemma probitatis
Noſtræ apex gloriæ.

A Te amamus, te laudamus,
Opem tuam imploramus,
Robur & auxilium.
Noſtri ergò miſerere,
Opem ferto, nos tuere,
Malis ſis remedium.

III.

Ægrum corpus, angor mentis,
Febris, languor, furor dentis,
Ignis, grando, abeant.
Fuge dæmon, fuge ſaga,
Et inundans ceſſet plaga,
Vires ægris redeant.

IV.

Clamat pauper, clamat dives,
Ad te omnes clamant cives,
Tota clamat patria.
Tuam fove hanc cohortem,
Et his omnibus poſt mortem
Pande cæli atria.

§ III. S. Remedii cultus in novo monaſterio Sangeorgiano & in veteri paululùm reparato: quid cenſendum de parte cranii in valle Anania aſſervata: reliquiæ aliæ Halæ ad Oenum: aliæ in Bohemia in ſacello, à comite de Thun erecto.

B

Sancti reliquiarum cultus, & feſtum 1 *Octob. in novo monaſterio:*

DE *hodierna* S. Remedii *veneratione in monaſterio ad Montis S. Georgii radices, poſt veteris exuſtionem, ut dictum eſt, inſtaurato, hæc inſuper tradit ſæpe laudatus auctor Collectaneorum.* Præcipuis hodie feſtis omnibus reliquiæ S. Romedii in ara eccleſiæ publicæ venerationi exponuntur, ubi fidelium devotio variis in morbis, doloribus, periculis, jumentorum infirmitatibus, terræ hominumve anguſtiis, lapſibus, inundationibus, dæmonum atque ſagarum incommodis, opem frequenter implorat, & auxilium, fuſis quod precibus deſuper ſincero mundoque rogavit corde, referre conſuevit... Officium præterea divinum in choro & ara de S. Romedio Montis S. Georgii antiquiſſimum eſt, ob inſignes (nullus dubito) ejuſdem reliquias, inter quas ex decretis Pontificiis vel maximè capita ſanctorum ſervorum Dei veneranda numerantur. Feſtum hoc ſingulis annis die 1 Octobris ſolenniter agimus; & pluribus quidem, quàm centum jam ab annis functio ſacra patris Prioris eſt, qui abſoluto in choro officio, feſtivam, expoſitis ſacris jam pridie lipſanis in ara, Miſſam cum diacono & ſubdiacono, aliiſque conſuetis in majori feſto cæremoniis inter muſicos concentus ſolenniter decantat.

C

Aliqua etiam ejuſdem veneratio in veteri utcumque reparato:

36 *Hæc de cultu hodierno in novo monaſterio: de veteri iſta ſubdit:* Veteris monaſterii in aræ principis pictura divo Jacobo Majori apoſtolo ſanctoque Georgio martyri, loci patronis, divum etiam adſtitiſſe Romedium, aliorum ſolida narratione accipio; ſicut & quòd omni tempore, quoad poſſibile erat, aliquis ex religioſo cœtu noſtro hoc ſacro nomine inſignitus perpetui erga hunc Sanctum cultus teſtimonium profiteretur. Tandem cùm anno MDCCV incendium non tantùm monaſterium ejuſque alia ædificia plura, ſed etiam cum eccleſia aras, picturas & anathemata triſtiſſimè conſumpſiſſet; in reparata autem MDCCXXXIII eodem in monte eccleſia jam thaumaturga B. V. Maria doloroſa aram principem occupet, illuſtriſſimus dominus, dominus Joannes Georgius liber baro à Sternbach, Stok, Luttach & Angerburg, dominus in Oberfalcken & Groſſenſtein, ſacræ cæſareæ regiæque majeſtatis excelſæ cameræ conſiliarius, hodie ſalinarum Auſtriæ Gmundenſium director &c, in cornu Euangelii divum reſtituit Romedium, operâ celeberrimi Graſſmayerii elegantiſſimè depictum: cui è regione diva Notburga, eodem à pictore affabrè præſentata, reſpondet, pauper & humilis ancilla ex Rottenburg, prædiviti Domino in Taur, Notburga Romedio. *Hîc finem Collectaneis ſuis fecit ignotus mihi Religioſus Sangeorgianus, cujus diligens opera mihi ad illuſtrandum* S. Remedii *cultum peropportunè ſuccurrit.*

AUCTORE C. S.

Caput apud Sangeorgianos totum eſt præter ambas maxillas:

37 *Quia verò per* caput *nonnumquam venit capitis pars, juverit hîc quoque ex crebrò laudato laudandoque clariſſimo Roſchmanno addidiſſe, quale illud ſit, de quo agimus. In Commentario ſuo Ms. ille ſic loquitur:* Hæc omnia collegi, dum anno MDCCLIII, XVIII Octobris ipſus reverendiſſimum, perilluſtrem ac ampliſſimum dominum prælatum Lambertum illius monaſterii, quod nunc in locum Viecht è regione pagi Schwaz tranſlatum eſt, acceſſi: ubi inter alia hunc reverendiſſimum dominum abbatem rogavi, ut mihi, tamquam conſtituto collectori Actorum S. Remedii, ipſum ſacrum caput hujus Sancti intueri ac conſiderare liceret. Attulit ergò hoc multùm R. P. Columbanus Laimprucher, ejuſdem Ordinis ibidem profeſſus ac pro tempore ſacriſta, & ex ornatu ſuo perquàm eleganti ac pretioſo extractum, ſuiſque ſemotis involucris, mihi ſpectandum præbuit. Examinavi ergò illud, præſente eodem reverendiſſimo domino abbate, P. Columbano, & meo filio Caſſiano, Rhetorices tunc ſtudioſo; reperique, exceptis ſolis maxillis cum uno integro & duobus dimidiis dentibus, aliàs integerrimum. Inveni inſuper duas ſchedas, quarum copias hîc exhibeo Latinè redditas. *Adi ſuprà num.* 30, *ubi ambas recitavi.*

E

dicitur tamen etiam in Valle Ananiæ cranium ejuſdem

38 *Rectè ſanè hoc* caput *appellatur, etſi ambæ maxillæ deſint, quæ ſolæ* capitis *nomine etiam nequeunt venire. Verùm, in valle quoque Ananiæ (de qua conſule num.* 7 *& ſequentem) caput aliquod, vel pars capitis, velut* S. Romedii *monſtratur. Ita rurſum didici ex Roſchmanno, qui poſt verba mox data recitataſque duas memoratas inſcriptiones ita pergit:* Collocutus dein ſum Suazii huic illuſtriſſimæ dominæ Eliſabethæ, viduæ nunc comitiſſæ de Tannenberg, quæ cum ſuis filiabus domicellis comitiſſis hoc ſacrum divi Remedii caput (*apud Sangeorgianos aſſervatum*) uti etiam oſſa omnia divæ Notburgæ virginis, & S. Pirmini epiſcopi & confeſſoris, in ordinem redegit, ac pretioſiſſimè veſtivit ornavitque: quæ mihi teſtata eſt, caput & ſcapulam ritè concordare, & ſibi ſimilia in qualitate & conditione oſſium eſſe cum iis, quæ in valle Anania ſpectâſſet; partem illam capitis, quæ ibi (*in valle Anania*) hoc addito, monſtraretur, quaſi in illa beatiſſima Virgo, & coram illa flectens S. Remedius foret exhibitus per prodigium ſingulare, ſe omni cura conſiderâſſe, non autem reperire potuiſſe, quòd pars hæc eſſe poſſit ſancti capitis (*in ſæpe dicto monaſterio ſervati*) nec picturam ita ſe habere ſibi viſam eſſe.

F

AUCTORE C. S. *vel pars ejus ſervari, quam ut genuinam eſſe credam,*

39 Fateor equidem (*ſubdit Roſchmannus*) mihi dum die XII Octobris anno MDCCXXXIV divum Remedium, civem meum, in templo ſuo ac valle Ananiæ eſſem veneratus, ſimile aliquid fuiſſe monſtratum, cujus jam non ampliùs ritè recordor: caput certè integrum non mihi viſum fuiſſe, ritè memini. Si illo tempore hunc mihi laborem imaginari potuiſſem, utique accuratiùs hæc omnia conſideraſſem. *Huc pariter ſpectat reſponſio presbyteri beneficiati Taurenſis Severini Holzhamer, num.* XI *laudati, apud Roſchmannum dicentis, dubitare ſe, an caput, quod Sangeorgiani habent, verè* S. Romedii *ſit*, cùm in valle Anania pictum miraculo cranium exhiberi à pluribus audierit. *Si revera* cranium *oſtendatur in valle Anania, certè pars eſſe nequit capitis apud Sangeorgianos Benedictinos culti, cùm hoc integrum ſit præter ambas maxillas, teſte, ut vidimus, clariſſimo Roſchmanno, illud* ex ornatu ſuo ... extractum, ſuiſque ſemotis involucris, *nudum à ſe ſpectatum examinatumque affirmante. Ignotum mihi eſt, ex quo tempore Ananienſes cœperint iſtud cranium vel qualemcumque capitis partem pro* S. Romedii *capite habere; nam hac ſuper re nihil alibi legi. Non magis ſcio, an iidem*

B *Ananienſes in hanc rem ſuam alios titulos allegent, quàm antiquam poſſeſſionem corporis ejuſdem ſancti Confeſſoris, ibi mox ab obitu ſuo ſepulti ac per multa ſecula honorati.*

argumenta requiro 40 *At certè illis prodeſſe nequit aſſerta capitis pictura: aut enim hæc dubia eſt, aut manifeſta. Si dubia, qualem eſſe, ſuſpicari faciunt dicta num.* 38 *& ſequenti, quid inde certi evincetur? Si manifeſta ſit, certiſque indiciis conſtet,* S. Romedium *in illa exhiberi; quo argumento probant, picturam illam non humanæ artis opus eſſe, ſed per divinum miraculum factam? Quamquam vel ſic dumtaxat probabile foret argumentum pro eodem capite* S. Romedio *attribuendo. Quod ad antiquam ſacri corporis poſſeſſionem attinet, eam ſic tueri non poſſunt, nec, ut arbitror, volunt Ananienſes, ut temporum lapſu nullæ partes ab eo ſeparatæ aliiſque in locis depoſitæ fuerint: nam oppoſitum conſtat ex dictis dicendiſque. Pro capite autem Sangeorgianis olim donato faciunt, quæ hoc ac præcedenti §§ recenſui, ex quibus liquet, eos jam ab aliquot ſeculis in tranquilla ejuſdem poſſeſſione, publico celebrique cultu continuata, fuiſſe. Quid verò cauſæ eſſe credemus, quòd Ananienſes hanc non impugnaverint, ſi verum* S. Romedii *caput prodigioſâ picturâ ſpectabile ſemper*

C *penes ſe manſiſſe exiſtimârint? Non enim tam longè invicem diſtant ambo loca, in contiguis diœceſibus ſita, ut ea capitis apud Sangeorgianos celebritas Ananienſibus latere potuerit. Atqui tamen nihil hujuſmodi ab his tentatum fuiſſe, triplici ex cauſa cogor ſuſpicari.*

Sangeorgianis opponenda. Aliquæ Sancti reliquiæ Halæ ad Oenum: 41 *Prima eſt, quòd nullum, ut dixi, ſcriptorem legerim, qui ſacrum* Romedii *caput eo temporum ſpatio in valle Ananiæ ſuperfixiſſe affirmet. Secunda, quòd etiam Brunnerus, cujus nihil prorſus intererat, utro in loco illud honoraretur, poſſeſſionem ejuſdem verbis num.* 22 *datis, velut minimè controverſam, iiſdem Sangeorgianis adſcribat. Tertia denique, quòd Roſchmannus quoque, diligens rerum Tyrolenſium indagator hagiophilus, ſincerusque veritatis amator, de ejuſmodi impugnatione typis ſcriptiſve edita nullum verbum faciat, præter ea, quæ ſuprà retuli, quæque ipſe, donec certiora proferantur, meritò duxit negligenda. Quid ſi caput illud, quod Ananienſes ſervant, ſit Davidis vel Abræ, qui ejuſdem Sancti ſocii fuiſſe perhibentur, ut infrà videbimus? Rurſum alias* S. Romedii *reliquias Halæ, quæ comitatûs Tyrolis oppidum eſt infra Oenipontum in valle Oenana, Roſchmannus in Commentario ſuo Ms. memorat verbis, quæ ſubdo.* Vir illuſtris Florianus à Waldauf in Wallenſtein Maximiliani I cancellarius ingentem theſaurum ſacrarum reliquiarum collegit, & parochiali Halæ ad Oenum templo cum ampliſſima dote ac celeberrima fundatione reliquit. De his ſacris reliquiis editus eſt Oeniponti anno MDCC libellus in octavo, continens Vitas Sanctorum per totum annum, & refert, quales de hoc Sancto adſint reliquiæ, & in quibus neceſſitatibus invocari ſoleat. *Ex eodem libello Germanicè edito hæc recitat Latinè:* Die XVII Junii. S. Remedius confeſſor & eremicola. De ejus ſancto corpore adſunt duæ particulæ... Invocatur in periculoſis caſibus ſeu lapſibus. *Sic ibi; ſed cur memoria ejus ad diem* XVII *Junii ibidem relata ſit, neſcio.*

D

aliæ in Bohemiam allatæ à comite de Thun, 42 *E comitatu Tyroli etiam in Bohemiam cultus* S. Romedii *cum inſigni reliquiarum portione propagatus eſt; cujus rei initium Michaël Angelus Mariani in Opere ſuo anno* 1678 *Tridenti edito, ſive ex illo Roſchmannus ſic indicat:* Comes Romedius de Thunn partem ſacri brachii Pragam in Bohemia tranſtulit; quia meditabatur ibi ſacellum, ſeu templum, huic Divo erigendum. *Quod tum temporis meditabatur laudatus illuſtris comes, id vel ipſemet, vel ejuſdem filius aut nepos poſtea, non quidem Pragæ, ſed in arce ſua Choltitzenſi, quæ in Chrudimenſi regni Bohemiæ diſtrictu ſita eſt, munificè præſtitit, ut pluribus docet Amandus Friedenfels ſacri Ordinis Præmonſtratenſis canonicus Strahovienſis, in Opere, quod anno* 1699 *Vetero-Pragæ typis vulgavit. Eſt hoc ſatis juſtum volumen in minori folio, inſcriptum* Glorioſus S. Romedius *&c*, necnon Glorioſa domus comitum de Thun *&c*, *editumque* ſub auſpiciis illuſtriſſimi ac excellentiſſimi domini, domini Romedii Conſtantini, S. R. I. comitis de Thun, domini in Choltitz, Caſtelfund, ſuperiori & inferiori Marckerſdorff, Ledetz & Schwogſchitz, ſacræ Cæſareæ majeſtatis intimi actualis conſiliarii, camerarii, & in inclyto regno Boëmiæ regii locumtenentis, ſumptuoſiſſimæ capellæ S. Romedii in arce Choltitzenſi munificentiſſimi fundatoris. *Ut porrò lector intelligat, qua ex cauſa hæc comitis Thuniani in* S. Romedium *pietas accendi, ejuſdemque Sancti inſignes reliquiæ ab eo facilè obtineri potuerint, aliqua ex eodem Opere, quod in Muſeo noſtro habemus, hìc annotabo.*

E

F

in cujus familia erat patronatus eccleſiæ ipſius in Valle Anania, 43 *Paginâ* 125 *ſcribit, Bernardinum comitem de Thun* eccleſiam S. Romedii in valle Anania *reſtaurâſſe, eoque titulo jus patronatus illius ab Apoſtolica Sede accepiſſe. Deinde in Ectypo ſacelli Romediani, quod velut altera Operis pars eſt, pag.* 28 *alteram tradit aut certè addit accepti patronatus cauſam*; Quod jus patronatûs, *inquiens*, capellæ S. Romedii in valle Anania concernit; illud ad illuſtriſſimam familiam Thunianam temporibus illuſtriſſimorum dominorum Chriſtophori & Bernardini de Thun pervenit; cùm enim præfatæ capellæ annui reditus non niſi ad viginti quatuor florenos aureos cameræ aſcenderent, illis eandem ex propriis bonis aliis duodecim florenis aureis annuè pendendis liberaliter locupletârunt. Unde à Leone X prænominatis dominis benefactoribus jus patronatûs in dictam capellam conceſſum eſt; & ſic facti ſunt capellæ S. Romedii patroni, & illius ſacrarum reliquia-

A quiarum thesaurarii. *Ex hac igitur pia comitum Thunianorum in* S. Romedium *munificentia, obtentoque propterea ipsius ecclesiæ patronatu verisimillimè factum est, ut* Romedii *nomen in illustrissimam illorum familiam invectum fuerit, comesque Romedius Constantinus memoratas ejusdem Sancti patroni sui reliquias aut ipse facilè impetraverit, aut antè acceptas magnifico illo sacello honorandas decreverit.*

erectumque ad eas reponendas in arce Choltitzensi

44 *Has reliquias Michaël Angelus Mariani verbis datis* partem sacri brachii *appellat; Friedenfelsius verò simpliciter* brachium. *Posteriori, qui in eodem sacello sese per octennium capellani munere functum esse profitetur, potior fides esset, nisi hic, omittendo adjunctum* integrum, *suspicionem faceret, ne more satis recepto magnam* brachii *partem* brachium *nominaverit. De sacello ipso laudatus Friedenfelsius sic orsus est:* Inter sacras Boëmiæ prærogativas minimum non est, inclytum hoc regnum tam copiosis Sanctorum lipsanis abundare, ut jure merito appellari possit sacrarum reliquiarum gazophylacium. Tam pretioso thesauro etiam dives est arx Choltitzensis, in cujus magnifica capella brachium S. Romedii religiosè asservatur. Hujus tam sumptuosæ fabricæ fundator est illustrissimus ac excellentissimus dominus Romedius Constantinus de Thun.

B . . . Forma hujus splendidissimi sacelli est quasi figuræ ovalis, in octoëdrum longiusculum transformatæ. Interni parietes sunt gypso incrustati, varia ornamenta & diversarum rerum effigies repræsentante; quibus intermixtæ spectantur elegantissimæ picturæ, peritorum artificum manu absolutæ; ita ut dubium remaneat, utrùm artificiosi cæmentarii trulla, an verò pictoris penicillus prævaleat. Supremus hujus sumptuosæ fabricæ apex assimulatur turriculæ, quæ pro augenda interna sacelli luce perspicuis fenestris est instructa.

magnificum sacellum,

45 *Mox pergit totum sacellum enucleatè describere, adjectis quatuor tabulis majoribus æri incisis, quæ totidem internas sacelli facies exhibent, magnoque numero minoribus iconismis, quibus illud ornatum est; quæ omnia nimis longum esset hîc enarrare. Pauca tamen addo de ara principe,* S. Romedii *nomine Deo dicata.* Summum altare (*inquit*) versus Meridiem situm, arte statuaria affabrè elaboratum, potiore sui parte cæruleo colore imbutum & Indica vernice obductum est, quæ tantum splendorem huic operi conciliat, ut pulchritudinem lapidis lazuli æmuletur. In reliquis ornamentis & projecturis hoc splendidissi-

C mum altare auro obryzo in bracteolas ducto vestitum & dives est. Imago, quæ capacitatem altaris implet, ex una parte spectandum exhibet S. Romedium, urso sarcinularum suarum bajulo comitatum; ex altera verò energumenos, ex quibus Vir sanctus pessima ejicit dæmonia. Hanc iconem excellentioris pictoris manu venustissimè efformatam, & non vulgari pretio comparatam, celsissimus Joannes Ernestus (*è comitibus de Thun*) archiepiscopus Salisburgensis, hujus sacelli pientissimus consecrator, pro augenda summi altaris magnificentia liberaliter donavit.

eidem Sancto dicatum.

46 Coronidis loco illi impositum est scutum splendidissimum hanc continens inscriptionem:

Sacra DEI MUROS inter translata Patroni
Lypsana DE FACTO cum conjuge structor
honorat.

Ad horum versuum elucidationem observat editor, voces Dei muros *anagramma esse nominis* Romedius; *nomen verò familiæ* De Thun *Latinè* De facto *versum. Subdit denuò Friedenfelsius:* Supra altare in superficie muri expressæ conspiciuntur binæ geniorum effigies, gentilitium S. Romedii insigne, tanquam comitis de Thaur, sustentantium. His subjecta legitur sequens inscriptio:

AUCTORE C. S.

Clarus in insigni, sed signis clarior extat.

Ceterùm prælaudatus celsissimus archiepiscopus Ernestus de Thun ibidem pag. 6 legitur sacellum hoc solemni ritu consecrâsse die 2 Septembris anni MDCXCII.

§ IV. Vitæ Sancti nec antiquæ nec immunes à fabulis: seculum, quo floruit; locus natalis & conditio: conjectura, an fortè idem sit cum comite Jacobo, quem laudavit S. Vigilius Tridentinus: aliorum fabulæ.

E *E Sancti biographis primus notas est Bartholomæus Tridentinus,*

Tantùm abest, ut æquè certa de S. Remedii *gestis, quàm de cultu, tradere possimus, ut contra ex illis vix quidquam exploratum habeamus, quod meritò nequeat in dubium revocari; non quia desunt scriptores, qui de ipso, velut celebri Sancto, partim obiter, partim etiam satis prolixè, Latinè, Italicè ac Germanicè meminerunt, quos magno numero Roschmannus in suo Commentario recensuit; sed quia hi omnes longissimè vixerunt post tempora* S. Remedii, *quem ex communi omnium consensu S. Vigilio Tridentino episcopo, anno* 400 *vel* 405 *martyrii palmam adepto, convixisse statuunt; & quia insuper ea, quæ de eodem narrant, manifestis commentis commaculant. Porrò gemini fontes sunt, ex quibus scriptores sua de* S. Remedio *asserta passim hauserunt; Acta scilicet Sangeorgiana & Summontoriana, quæ ambo à locis, in quibus servantur, sic liceat appellare. Illorum prima scriptorem habent Bartholomæum, à patria sua Tridentinum dictum, Ordinis Prædicatorum, qui in Legendario Sanctorum, hactenus inedito, quod circa medium seculum* XIII, *sive circa annum* 1240 *compilavit, brevem quamdam* S. Remedii *Vitam dedit. Exstat illa in Ms. codice Montis S. Georgii, ex quo Roschmannus exemplar ab ejusdem monasterii abbate obtentum nobis transmisit, alterumque Tartarottus in Appendice ad Apologiam pro Monumentis Roboretanis excudit, cui & annotationes criticas adjecit.*

F

cui præluxit Vita vetustior ignotæ ætatis, quæ latet aut periit.

48 *Quamquam autem Bartholomæus Tridentinus è* S. Remedii *biographis primus nominatim notus sit, non propterea omnium primus fuisse censendus est; quin imò certum videtur, eidem etiam hîc, ut alibi, vetustiora Acta præluxisse. Scripsit ille etiam gesta prælaudati S. Vigilii episcopi martyris Tridentini, quæ Tartarottus ex codice bibliothecæ Barberinæ Romanæ excepta in eadem Appendice excudit. In his cùm de sanctis Martyribus Ananiensibus, Sisinnio, Martyrio & Alexandro, mentionem faceret, mox adjecit:* Ut eorum Gesta referunt; *nimirum qualia in Opere nostro exstant ad diem* XXIX *Maii. Pari modo dum in iisdem S. Vigilii Actis de* S. Remedio *meminit, sic ait:* Inter hæc Remedius nobilis de Tauro cum sociis suis Abra & David Romam perrexit, & rediens, ultra mille animas cum omnibus possessionibus S. Vigilio reliquit, &, UT IN EJUS GE-

AUCTORE C. S.

STIS LEGITUR, in ejus diœceſi apud caſtrum Tau, juxta locum, ubi paſſi ſunt Sancti (*mox dicti martyres*) ad Dominum, cui devotè ſervierat, cum ſociis ſuis migravit. *His verbis*, Ut in ejus Geſtis legitur, *Bartholomæus haud dubiè laudavit Vitam aliquam antiquiorem* S. Remedii; *prout ſuprà pro ſanctis martyribus Ananienſibus eorumdem Geſta laudaverat. Quantæ tamen antiquitatis, cujuſve notæ ea* S. Remedii *Vita fuerit, quidve etiam ex eadem deſcripſerit, quid addiderit Bartholomæus, ænigmatis inſtar eſt, quia Vita illa vetuſtior, à Roſchmanno ac Tartarotto fruſtra quæſita, modò nuſquam comparet.*

Alia ejuſdem Sancti Acta à Radero edita.

49 *Altera* S. Remedii *Acta, quæ Summontoriana ſuperiùs vocavi, Matthæus Raderus, Societatis noſtræ presbyter, ex Summontorio, ſive Altaſpecula, vulgò* Hohenwart (*quod ſacrarum virginum contubernium eſt in ſuperiori parte Boïcæ*) *deſcripta, & ab ampliſſimo domino Stephano, abbate Schirenſi ſibi ſubmiſſa, tom.* 3 *Bavariæ ſanctæ typis vulgavit. Gemina illa ſunt: breviora eumdem abbatem auctorem habent, adeoque ſunt recentia. Prolixiora deſumpta notantur* ex Lectionibus de S. Romedio ſeu Remedio, *ſuntque aliis fabuloſiora, nec ullam magnæ antiquitatis notam præferunt. Ceterùm hiſce aut ſimilibus vel etiam ſuprà memoratis Sangeorgianis Actis paſſim uſi ſunt recentiores, tum qui in ſuis Hiſtoriis & Annalibus de eodem Sancto meminerunt, tum qui ejuſdem Vitam vulgârunt, inter quos anonymus quidam brevem Italicè edidit Tridenti anno* 1627; *Georgius Seiſer Societatis Jeſu in libello de aliquot Sanctis Tyrolenſibus Oeniponti anno* 1661; *Amandus Friedenfels ſacri Ordinis Præmonſtratenſis Latinè Vetero-Pragæ anno* 1699; *Jacobus Smid, item Societatis Jeſu, Germanicè in Vitis Sanctorum Tyrolenſium parte* 1, *Auguſtæ Vindelicorum anno* 1732, *aliique, quorum aliquos, dum opus fuerit, per decurſum hujus Commentarii laudabimus.*

B

Dicitur Sanctus convixiſſe S. Vigilio Tridentino;

50 *Jam ut ad ipſum geſtorum* S. Remedii *examen veniamus, omnes cum Vitæ, tum etiam ſcriptores ferè omnes conſentiunt, illum S. Vigilio Tridentino epiſcopo ac martyri familiarem fuiſſe, atque aliqui etiam addunt, ante eumdem mortuum eſſe. S. Vigilii Tridentini Acta ex Ms. Trevirenſi S. Maximini dedit Papebrochius noſter ad diem* XXVII *Junii, oſtenditque, martyrium ejus ad annum Chriſti* CD *vel* CDV *reponendum eſſe. Vixerit ergò* S. Remedius *ſeculo* IV, *& versùs ejuſdem finem, vel ſequentis initium vivere deſierit. Verùm dum aſſertæ cum S. Vigilio familiaritatis auctorem quærimus, haud ſatis idoneum pro tanta antiquitate reperimus. Certè antiquiorem nominatim non novimus, Bartholomæo Tridentino, ſeculi* XIII *ſcriptore, quo quanto vetuſtiora fuerint Geſta, quæ laudavit, ex dictis incompertum eſt. Bartholomæo conſonant Acta S. Vigilii in Ms. Carthuſiæ Colonienſis, ex quibus Papebrochius in Annotatis ad puriora Acta Trevirenſia cap.* 1, *lit.* m, *eadem, quæ ſuprà Tartarottus ex Romanis Barberinis recenſuit; teſtaturque ultimo loco nominatus, eamdem periodum ſimiliter legi in Ms. bibliothecæ capituli Veronenſis ſeculi* XVI.

C

quod, etſi deſint teſtimonia ſeculo XIII *vetuſtiora,*

51 *Clariſſimus Roſchmannus in Commentario ſuo Ms. pro ea inſuper laudat tres Lectiones de eodem S. Vigilio, quarum prima ex teſtimonio viri clariſſimi Simonis Petri Bartholomæi, juriſconſulti, exſtat* in Lectionario antiquiſſimo Ms., Gothicis, ut aiunt, litteris exarato, decimitertii ſæculi, ut putatur, quod aſſervatur in archivo capituli Tridentini. *Reliquas duas lectiones deſumptas eſſe ait ex duobus Lectionariis anno* 1534 *&* 1538 *editis. Mutto plura; quia hæc omnia numerum augere poſſunt, non pondus aſſertæ familiaritati addere; cùm eorum omnium antiquior ſit Bartholomæus vel ſcriptor codicis Tridentini, qui cùm ſeculi* XIII *etiam eſſe dicatur, parùm intereſt, huicne an iſti primò præluxerit Vita vetuſtior, de qua præterea nihil novimus. Accedit, quòd in melioris notæ Actis S. Vigilii, qualia Papebrochius è Ms. Trevirenſi edidit, nulla fiat de* S. Remedio *mentio, parque in iiſdem ſilentium ſit in codice bibliothecæ capitularis Veronenſis notato lit.* R. num. 214, *ſcriptoque ſub finem ſeculi* IX, *teſte clariſſimo viro Joanne Jacobo Dioniſi, canonico Veronenſi, apud Tartarottum in Appendice.*

D

verum eſſe poteſt.

52 *Habes, erudite lector, quo fundamento nitatur* S. Remedii *amicitia cum S. Vigilio Tridentino, atque adeò & ætas, qua ille ex communi ſcriptorum conſenſu floruiſſe perhibetur; quæ cùm nulla certiori ratione ſtabilire poſſimus aut convellere; nec certò aſſerere audemus, nec negare. Attamen ne quis ſilentium ſinceriorum Actorum ejuſdem S. Vigilii pluris hîc faciat, quàm mereatur, ſciat, in his Actis, quæ minimè prolixa ſunt, ſine omni dubio plurima prætermiſſa eſſe, ut hoc argumentum negativum nullius aut certè perexigui in oppoſitum ponderis eſſe queat. Tartarottus, qui* S. Remedii *Acta vehementer convulſit, ſuſpicatus eſt, fortè ex malè intellecto quopiam veteri inſtrumento* Remedium *ad laudati ſancti præſulis tempora relatum fuiſſe. Suſpicatus eſt, inquam, alicubi lectum fuiſſe,* Remedium *aliquid donâſſe* S. Vigilio, *id eſt, more loquendi medio ævo ſatis uſitato* eccleſiæ S. Vigilii; *quemadmodum* donare aliquid S. Petro *idem erat, quod* donare Eccleſiæ Romanæ. *Fateor, fuit hic loquendi modus olim valdè uſitatus; ſed cur hîc recurramus ad interpretationem inſtrumenti, de quo nemo meminit, quodque an umquam exſtiterit, gratis obtruditur ſuſpicio? Imò verò cùm ex dicendis eccleſia Tridentina nihil umquam poſſediſſe legatur in loco, qui S. Vigilio à* Remedio *donatus in hujus Vita dicitur; veriſimilius eſt, ex Sancti familiaritate cum Vigilio aliunde notâ, confictam fuiſſe à biographo, vel Vitæ interpolatore, donationem illam, quàm ex hac familiaritatem.*

E

Creditur natus in hodierna Tyroli

F

53 *Progrediamur ad examinanda reliqua pauca, quæ Bartholomæus de eo memoravit, quæque alii præterea addiderunt. Ab illius patria & conditione iſte Vitam ſic orſus eſt:* Remedius, vir nobilis ex Bavaria ortus, Taurenſe caſtrum in Valle Æni fluminis cum multis aliis divitiis poſſidebat. *Bavarum ipſum etiam facit Stephanus abbas Schirenſis apud Raderum noſtrum, qui eumdem hoc titulo ſuæ Bavariæ ſanctæ inſeruit. Alii paulò aliter loquuntur. Lectiones Summontorianæ à Radero editæ ſic habent:* Remedius nobilis de caſtro Thaur de Hallis civitate ſalifera oriundus extitit, quæ civitas caſtro Tirolenſi eſt ſubjecta. *Ne multis recenſendis lectorem fruſtra detineam, dumtaxat addo Roſchmanni teſtimonium, in Commentario ſuo Ms. dicentis:* Locum (*Sancti natalem*) Taurum eſſe, ſitum antiquitus in Rhætia, hodie in comitatu Tyrolenſi prope urbem Halenſem ad Oenum, ſalinis celebrem, unanimis omnium aſſertio eſt. *Rurſum in Obſervationibus item Mss. ad Notas Tartarottianas ejuſdem loci notitiam hanc tradit:* Taur locus antiquiſſimus eſt, & parochia hæc pagos quatuor alias complectitur, Oenipontanâ ipsâ & Halenſi antiquior: nam eo luculentiùs mihi perſpecta hæc ſunt, cùm

A cùm horum trium archiva jam olim mihi concredita fuerint.

inter Oenipontum & Halam in caſtro Taur;

54 *Quia verò Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ* S. Remedii *patriam Halam appellavit, in laudato Commentario errorem excuſans*, Condonandus quoque, *inquit*, error Ferrario eſt, qui Halæ ad Oenum honeſto loco natum dixit: nam dynaſtia hodierna Thaurenſis ambitu ſuo etiam Halam complectitur, & judex hujus urbis etiam judicem totius dynaſtiæ in criminalibus agit; locutus eſt ergò Ferrarius ex ſuorum temporum more. *Denique cur ab aliis Bavarus appelletur, iſtam rationem in Obſervationibus aſſignat:* Ex Bavaria ortum Bartholomæus dicit per anachroniſmum. Tyrolis enim noſtra ad Bavariam pertinuit ſolùm ab eo tempore, quo Rhetia & Noricum à Gothis ceſſa fuit Francis ſæculo V, & ſeculum uſque VIII adultum, quo Thaſſiloni adempta, & regno Caroli Magni penitus adjecta, atque comitibus regenda data fuit, ut coævus Eginhardus teſtatur: à ſcriptoribus tamen, imò & ab imperatoribus aliquamdiu eodem cum Bavaria jure fuit habita. Et hinc Otto Friſingenſis, ſæculi XII ſcriptor lib. 2, cap. 27 de Bulſano

B (*nunc in limite principatus Tridentini, quà comitatui Tyrolenſi adjacet, ſito*) loquitur, quòd hæc villa poſita ſit in termino Italiæ Bojariæque *&c. Hæc & plura ibidem clariſſimus Roſchmannus.*

quod de loco, ubi caſtrum poſtea ſtructum fuit,

55 *Admiſſo ex communi ſcriptorum conſenſu loco Sancti natali in Taur, Oenipontum inter & Halam, non propterea cum iiſdem admittendum cenſet, Taur tunc caſtrum vel arcem fuiſſe, qualis medio ævo exſtitit, & cujus rudera adhuc ſuperſunt. Negat enim, hujuſmodi arces extra urbes vel oppida poſitas convenire temporibus Romanorum, aſſeritque, ex ejuſdem caſtri reliquiis conſtare, illud medii ævi opus eſſe. Et ſanè minimè veriſimile eſt, Romanis temporibus, quibus* S. Remedius *vixiſſe creditur, ejus generis munitam arcem in privatæ perſonæ familiæque poteſtate ac jure fuiſſe; ut iidem ſcriptores cum Bartholomæo affirmant. De ſtructura hæc ejus verba ſunt:* Caſtrum Taur, cujus rudera ante annum ſpectavi, medii ævi, non Romani, ſtructura eſt: ſunt enim adhuc in Tyroli noſtra rerum Romanarum architectonicarum non ignobiles reliquiæ, quæ cum aliis ejuſdem regionis medii ævi monumentis facilè comparari, & ab his diſtingui poſſunt.

C *Quam ob rem veriſimillimum mihi apparet, ſcriptores Romanis temporibus multò poſteriores, cùm arcem viderent eo in loco, circa quem* S. Remedius *natus eſſe dicebatur, facilè inductos fuiſſe, ut crederent, eamdem ipſi natalem ac hereditariam fuiſſe.*

exponendum eſſe, quidam eruditus exiſtimat.

56 *Proinde addo ejuſdem clariſſimi viri de natali loco conjecturas.* Locus igitur (*ait*) in quo natus fuit divus Remedius, vel editiori in agro fuit, in quo ſitus hodie pagus cum parochia perantiqua Thaur, amplæ dynaſtiæ, quæ pariter Thaur vocatur, præcipuus; vel circa celſiorem caſtri aut templi divi Petri collem. Incertum, an illo tempore villa ibi fuerit nobilis cujuſdam Romani civis, qualem patrem divi Remedii credere fas eſt; aut an ædes etiam plures in ipſo montis aſcenſu poſitæ, quarum nomen diuturnitate temporis evanuit, adfuerint. Nomen quoque TAUR potiùs excelſis ibi montibus convenire putem, quàm loco ipſi: chartas enim tabularium noſtrum princeps Oenipontanum cuſtodit; nempe de anno MCCCXXV, MCCCXCVI & MCCCCXCIV, quæ caſtrum Thaurenſe vocant DAS BURG GESATS AUF THAUR, velut dicerent. CASTRUM SITUM IN MONTE.... Nobis quoque Tyrolenſibus in valle Puſtriſſa montes illi altiſſimi DIE THAURN vocantur; præcipuè in dynaſtiis Virgen & Kals ſuprà Loncium oppidum *&c. Plura addit ibidem exempla; ſed hæc ſufficiant de loco, in quo* S. Remedium *in lucem editum eſſe, fert traditio, quam jam aliquot ſeculis continuatam eſſe novimus, & cujus initium cetera neſcimus.*

AUCTORE C. S.

Sunt, qui S. Remedium comitem natum,

57 *Quod ad tempus nativitatis ſpectat, anonymus in Vita Italica, anno 1627 Tridenti edita, illam circa annum Chriſti 330 fixit, eumque Georgius Seiſer, Societatis noſtræ presbyter, & Petrus Tecinus doctor & Prior eremi Remedianæ ſecuti fuere; at Jacobus Schmid item noſter, ſeculo IV ineunti illigare maluit. Sed hos, & ſi qui alii annum circiter figere volunt, omnes divinare, manifeſtum ex eo eſt, quòd de Sancti ætate nihil ex antiquioribus notum ſit, quàm quòd S. Vigilio Tridentino epiſcopo, anno CD vel CDV per martyrium ſublato, convixerit; atque hoc ipſum oſtendi non tam vetuſtis teſtimoniis conſtare, quin in dubium vocari queat. Id unum igitur ex communi illo antiquiorum recentiorumque de* Remedii *amicitia cum Vigilio conſenſu colligere fas eſt,* E *ipſum ſeculo IV natum eſſe. Huic tamen traditioni adverſatur alia quorumdam aſſertio, quam ſi admittere velimus, ab iſta recedendum eſt. A Bartholomæo Tridentino tantùm dicitur* S. Remedius vir nobilis... Taurenſe caſtrum in valle Æni fluminis *poſſediſſe: in Lectionibus Summontorianis;* Nobilis de caſtro Thaur: *in Vita Ms. S. Vigilii ex codice Cartuſiæ Colonienſis:* Nobilis de Tauro; *& apud Janum Pincium lib. 1 de Vitis Pontificum Tridentinorum:* Rhomedius à Tauro vir nobilis.

ac jure hereditario Taurenſem cum caſtro comitatum poſſediſſe,

58 *Aliquid plus inſinuat Vita Italica Tridenti edita, ſecundùm quam* natus *ille* eſt ex illuſtri ſanguine... & dominus caſtelli Thaur antiqui majorum ſuorum patrimonii. *De caſtro ejuſdemque poſſeſſione ſuperiùs expoſui mentem meam. Splendorem natalium illius non eſt cur ſuſpectum habeam, niſi ex communi hominum ſtudio Sanctis nobilitatem adſcribendi. Verùm alii, & quidem plures, etiam* dignitatem comitis Thaurenſis *eidem addiderunt, quam alii hereditariam, quales hujus temporis comitatus eſſe ſolent, dixêre; alii per loci præfecturam, ad illa tempora aptiùs, interpretati ſunt. Utriuſque opinionis patronos Roſchmannus in Commentario ſuo improbans, ita recenſuit:* Ita ſanè Divum noſtrum citata ſuperiùs tabella (*adi num.* 18) & Chronicon Sangeorgianum (*vide ibidem*) Lazius, Burglecherus, comes à Mohr, Tecinus, Friedenfels, & P. Schmid compellant. Raderus in Bavaria ſancta vol. 3, fol. 18 hunc comitem fuiſſe, ſeu præfectum loci, toparcham ac judicem explicat. Brunnerus Annalium Boïcorum parte 1, lib. 4, Summontorii quoque, quod hodie Altam-ſpeculam vocamus, in Bavaria Dominum, &, ut nunc loquimur, comitem fuiſſe, affirmat.

F

affirmant: Raderus illum comitem ex officio credidit;

59 *Raderi verba accipe.* Dynaſtæ Summontoriani antiquiſſima ſtirpe oriundi, & Schrobenhuſianum caſtrum in Boiaria, & Summontorianum, Taurum quoque inter Oenipontem & Halam condidêre... Ex his, inquam, comitibus omnium vetuſtiſſimus memoratur in tabulis Summontorianis S. Remedius... COMITUM porrò nomen illa ætate non niſi præfectum loci & toparcham ac judicem ſonabat; uti ex Notitia Imperii conſtat: *Hactenus ille. Ex opinione eorum, qui* Remedium *hereditario jure Taurenſem comitem*

AUCTORE C. S.

tem natum esse, putaverunt, Friedenfels Opus suum, cujus suprà meminimus inscripsit hoc modo: Gloriosus S. Romedius, ex comitibus de Thaur, Andek, & Altæ Guardiæ, vallis Annaniæ in Tyroli apostolus *&c. Quin etiam illustrissimus comes Romedius Constantinus de Thun in splendido sacello, quod huic Sancto in Bohemia ab illo erectum dixi, scutum gentilitium, velut familiæ ipsius illique proprium, in altari appendi fecit cum hoc lemmate:*

Clarus in insigni, sed signis clarior exstat.

Supersedeo plurium scriptorum nominibus recensendis. De Lazio & Aventino dicam aliquid infrà; de Summontorianorum & Andechiorum comitum prosapia conditisque ab illis castris nihil attinet ad me inquirere, qui de solo ago S. Remedio.

priorum sententia cum Sancti ævo nequit conciliari.

60 *Qui hunc dignitatem comitis nascendi conditione consecutum esse, eoque honoris titulo insignitum castrum Taurense hereditario jure adeptum, affirmant, aut etiam utrumque eodem jure possidendum in familiam suam primum invexisse; hi alia refutatione non egent, quàm quòd constet, ejus generis comitatus ævo, quo* S. Remedium

B *vixisse volunt, omnino ignotos fuisse, & tantùm aliquot pòst seculis erigi cœptos. De antiquitate castri Taurensis conjice ex dictis; at quocumque illud tempore primùm conditum fuerit, dubitare me facit Roschmannus, an comitatûs titulum umquam gesserit.* Ego sanè (*ait in suo Commentario*) per annos jam viginti excussis patriæ tabulariis præcipuis, & chartis ferè innumeris, atque data omni opera, Thaurenses comites invenire adhuc nullos potui. *Superest, ut inquiramus, an quoquo modo verisimile sit,* S. Remedium *comitatum tenuisse, non jure natalium, nec quales nostro tempore possidentur; sed ex officio & gratia imperatoris, quales comitatus eo ævo fuisse constat. De hujus generis comite honorifica exstat mentio in epistola, quam S. Vigilius jam sæpe laudatus scripsit & simul cum reliquiis sanctorum Ananiensium ad S. Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum episcopum, non diu post eorum martyrium, per eumdem comitem transmisit.*

S. Vigilius Tridentinus insigne testimonium reliquit

61 *Habes illam in Opere nostro tom.* VII *Maii pag.* 42 *& sequentibus, unde hìc aliqua describo, adhibitis nonnullis correctionibus, sine quibus phrasis, alioquin satis obscura, etiam inepta atque hiulca est.* Ad sanctas (*inquit*) aures novus

C caritatis hospes non aliter applicaret... vel imbueret ignotus alloquium, nisi provocaret & præmium. Ab homine itaque apostolico, frater carissime, præsentis tenor atque epistolæ incipiet plenitudo; ut facili confinio intelligas, quòd Martyrum præconia subsequantur. Jacobus etenim, desideriorum cælestium vir fidelis, comitivam reclinaturus in Christi comitibus dignitatem, Sanctorum recentium & vapore fumantûm reliquias postulavit. Reclinaturus dixi, quia deponi non potest, quæ apud Dominum dignitas cumulatur. Cui ego ... penè, dum vereor (*ne tantum thesaurum imprudentiùs elargirer*) negavi, quod semper debere *, ut quis fœneretur, expendi. Feceram (confiteor) multorum, privato timore, jacturam, nisi ad Jacobum respexissem, sancto Joanni ... ut, delegato amore per religiosa vocabula martyrum, deferretur, & iterum sanguine jungeretur non peregrina germanitas. *Respexit hìc, ut Papebrochius ibidem annotavit, ad sanctos apostolos Joannem & Jacobum, germanos fratres, quorum prioris nomen sanctus episcopus Constantinopolitanus, secundi comes ille gerebant. Porrò si omnia S. Vigilii de Jacobo dicta perpendamus, ea* Romedio *nostro sic conveniunt, ut si bini sint, certè sint simillimi.*

* deberet

D

de quodam comite Jacobo, quod in S. Romedium sic quadrat,

62 *Per* comitivam dignitatem *Papebrochius ibidem in Annotatis, Tillemontius tom.* 10 *Monumentorum pag.* 548 *in S. Vigilio, Tartarottus in Memoriis historicis eorumdem sanctorum martyrum Ananiensium pag.* 42, *& Roschmannus in Commentario Ms.*, comitatum *intelligunt; eaque procul dubio naturalis interpretatio est* comitivæ dignitatis. *Habemus ergò virum nobilem, comitemque sub finem seculi quarti S. Vigilio Tridentino synchronum, præsentem, amicum, ab eoque ob virtutes magno habitum in pretio; qualis scilicet* S. Remedius *fuisse perhibetur. Erat Jacobus ille* desideriorum cælestium vir fidelis; *quod nemo negaverit aptè quadrare in* Remedium, *qui mundanis divitiis ac voluptatibus anachoreticam vitam prætulit; Jacobus* comitivam dignitatem *suam dicitur* reclinaturus in comitibus Christi: *ex quo loquendi modo laudatus Tillemontius colligit, eumdem solitariæ vitæ se dedere decrevisse; Tartarottus, humanis rebus vale dicto, in procinctu fuisse ad sacra Palæstinæ loca visitanda. Simile quid Vigilii verba non obscurè indicant; maximè* F *cùm subdat:* Reclinaturus dixi; quia deponi non potest, quæ apud Dominum dignitas cumulatur, *nimirum ob mundi contemptum & Christianam humilitatem. Eadem de* S. Remedio *leguntur in Vita apud Bartholomæum, cujus verba subjicio.*

ut suspicio esse possit, Jacobum illum

63 Audivit autem Dominum dicentem (*in Euangelio*) "Vade, & vende omnia, quæ ha-„bes, & da pauperibus.„ Assumtis ergò sibi duobus ... (*sociis*) cœpit Sanctorum limina peragrare. *Deinde dicitur etiam Romam adiisse, tandemque reversus, in valle Anania, ubi passi fuerant prædicti sancti martyres, reliquos dies vitæ suæ in anachoreticis exercitiis exegisse. Denique* apostolici viri *appellatio, Jacobo data, rectè tribui potest* Remedio, *sive hæc apostolicam victûs & vestitûs rationem, sive etiam zelum animarum significet; nam & hic à nonnullis* vallis Ananiæ apostolus *vocatur. Fateor, quò Jacobus ille demum devenerit, ignoratur: quid tamen miri esset, si hic (qualis à S. Vigilio describitur) ex eorumdem martyrum amore juxta locum, ubi illi haud ità pridem passi fuerant, solitariam sibi cellam fecisset, ubi & illorum recenti memoria ac veluti conspectu in proposito suo confirmari, nec inde longè absentis amici Vigilii colloquio, dum vellet, posset frui. Ex hisce omnibus omnino crederem, hunc Jacobum esse* S. Remedium *vel* Romedium, *nisi nimia vocabulorum diversitas obstaret.*

F

fortè fuisse Remedium

64 *Quis tamen me certum reddat, Sanctum non fuisse binominem, nec* Jacobi *vocabulo potiùs quàm* Remedii *usum fuisse S. Vigilium, quia cùm ad S. Joannem Chrysostomum scriberet, libebat ei ad sanctos fratres apostolos Joannem & Jacobum alludere; nec denique* Remedii *nomen prævaluisse, tum quia id ei magis proprium sive usitatius erat, tum quia etiam visum fuit significantius magisque congruere propter remedia seu beneficia ad illius invocationem solita divinitus impetrari. Præter nominis diversitatem adversantur suspicioni meæ aliquot Vitæ, in quibus dicitur* S. Remedius *mortuus ante laudatos martyres Ananienses, ejusque funus ab his simul & à Vigilio curatum fuisse. Hæc illam everterent planè, nisi recentiores essent, & eam ipsam narrationem alioquin magis suspectam redderent adjectis fabulis, quas inferiùs breviter memorabo. Ipsis antiquior Bartholomæus in Vita S. Vigilii Ananiensium mar-*

ty-

A *tyrium adventui* Remedii *ad Vigilium præmittit; de ejuſdem verò morte tam in hac, quàm ipſius Sancti noſtri Vita ſic ambiguè loquitur, ut certò dici nequeat, utrum alteri ſupervixiſſe cenſuerit: & quamvis de ſenſu ejus conſtaret, non tantæ ipſe auctoritatis eſt, ut rem ab illius tempore tam longè remotam certam facere poſſit.*

alio nomine dictum. Joannis Aventini

65 *Ceterùm nolo, huic ſuſpicioni meæ, quæ falli poteſt, majus pondus tribui, quàm quod hinc ei dant amborum idem vitæ tempus, amicitia cum S. Vigilio, eadem illuſtris conditio, ſimilis rerum mundanarum contemptus, ceteraque de Jacobo à Vigilio dicta; inde verò minuunt nominis diverſitas, ignotaque reliqua vita Jacobi; quæ prudenti lectori ponderanda relinquo: ſed ſimul meminerit, ſi Jacobus iſte diverſus ſit à* S. Remedio, *nullam de hoc Sancto exſtare certam notitiam ſeculo* XIII, *quo Bartholomæus Tridentinus ſcripſit, antiquiorem; & Jacobum illum, à S. Vigilio tantopere laudatum, quoad cetera ex omni memoria etiam penitus excidiſſe. Singularia ſunt, quæ de eodem Sancto Joannes Aventinus & Wolfgangus Lazius ſcripſerunt. Horum primus in Annalibus Boiorum lib.* 3 S. Remedium *faxit ſeculo* VI *præfectum Norici, Theodoni Boiorum regulo pro Romanis fruſtra ſeſe opponentem, ac tandem pag.* 261 *poſt annum* 520 *ſubdit:* Illa tempeſtate divum Vigilium pontificem Tridentinum cum quibuſdam ſymmyſtis interfectum eſſe à Boiis, divum Remedium, Noricum præfectum, cum ſociis pulſum, habeo, quos ſequar.

B

& Wolfgangi Lazii

66 *Auctorum, quos non nominat, quique mihi aliunde ignoti ſunt, fidem nequeo æſtimare: interim apud eruditos nunc ſatis conſtat, Theodonem illum cum geſtis ſuis commentitium eſſe, primumque hujus nominis ducem Boiorum illum eſſe, qui circa medium ſeculum* VII *S. Emmerammum excepit benignéque detinuit. Conſtat item, S. Vigilium, in cujus Actis nihil ſimile legitur, certè non ſeriùs, quàm anno* 405 *martyrium ſubiiſſe; Aventini verò magnam eſſe in fabulando audaciam. Nugas etiam vendidit Wolfgangus Lazius lib.* 6 *de Gentium migrationibus pag.* 176, *ubi ſub hoc titulo,* Comites à Taur, id eſt, Tauriſcorum poſteritas, qui in Rætiis vel Atheſi flumine uſque Vindeliciam rerum potiti fuêre &c, *primo loco poſuit Evin, ſub Mauricio imperatore, ſecundo Gaidoaldum; tertio Alachim, ac quarto denique* Remedium *cum iſto brevi elogio:* Remedius ob vitæ continentiam relatus in numerum Sanctorum; cujus ſepultura in Nanſperg adhuc veneratur. *Quinto loco ſequitur* Henricus comes de Altorf ex Suevia, filius Ethiconis & & ſororius Ludovici Pii cæſaris ob uxorem nomine Beatam, de ſtirpe S. Remedii deſcendentem, tractui Atheſino præfuit. *Addit & alios, quos uſque ad medium ſeculum* XII *perduxit.*

C

fabulæ de eodem Sancto rejiciuntur.

67 *At unde, inquies, iſta didicit Lazius? Pro tribus primis laudat Paulum diaconum in Geſtis Longobardorum; pro Henrico ejuſque conjuge Beata Conradum Urſpergenſem in Chronico ſuo; pro* Remedio *nullum. Ex Paulo diacono habemus, Evin, Gaidoaldum & Alachim Longobardos fuiſſe & duces Tridentinos; quibus cum* S. Remedio *quidquam commune fuiſſe, nec ipſe, nec alius veterum tradidit. Pari modo Conradus Urſpergenſis in Chronico, editionis Argentoratenſis pag.* 209 *ſcribit quidem, Henricum Welphonem duxiſſe* uxorem de Bawaria, Beatam nomine; *ſed hanc* de ſtirpe S. Remedii *deſcendiſſe, nullo verbo indicat. Nugæ ergò hæc ſunt Lazii, ignota ceteris ſine teſte aſſerentis, ſanctumque* Remedium *contra communem ſcriptorum opinionem ad alia tempora removentis.*

AUCTORE C. S.

§ V. Examinantur reliqua Bartholomæi Tridentini aſſerta, aliaque ab aliis præterea tradita.

Donatio caſtri agrique Taurenſis

EX *ſuprà dicta falſa opinione, ſecundùm quam* S. Remedius *comes Taurenſis jure natali & hereditario fuiſſe creditus fuit, fluxit & altera, quæ Taurenſe caſtrum cum ſubditis ſuis S. Vigilio, ſeu epiſcopatui Tridentino, vel, ut aliis placuit, ſedi Auguſtanæ Vindelicorum, ab eodem donatum fuiſſe, tradit. Bartholomæum in Vita ipſius audiamus.* S. Remedius (*ex Romano itinere ad S. Vigilium accedens*) bis mille homines cum caſtro Thaurenſe & eccleſiis & omnibus ſuis attinentiis epiſcopatui Tridentino contulit. Eccleſiæ autem Auguſtenſi multa reliquit. *Roſchmannus obſervat, in Ms. Sangeorgiano pro* bis mille *per abbreviationem legi* bn mille, *quod fortè* bene mille *ſignificat. Idem Bartholomæus in Vita S. Vigilii apud Tartarottum rurſum ait:* Inter hæc Remedius nobilis de Tauro... Romam perrexit, & rediens, ultra mille animas cum omnibus poſſeſſionibus S. Vigilio reliquit. *Conſonat Ms. Colonienſe à Papebrochio noſtro laudatum in Annotatis ad Vitam ejuſdem ſancti Præſulis Tridentini tom.* V *Junii pag.* 166 *ad lit.* m; *nam in Actis illius ſincerioribus nil tale legere eſt. Reverendiſſimus Stephanus abbas Schirenſis apud Raderum in Bavaria ſacra, partim conſonat, partim diſſentit.*

E

eccleſiæ Tridentinæ vel Auguſtanæ à Sancto facta,

69 Illius enim (*ait*) civitatis (*Tridentinæ*) epiſcopium traditur hic, ſeculo renuncians, magnificè ſuarum copiâ facultatum, ac circitèr millenario familiæ numero ditâſſe. Nam villam Thaurenſem præclaræ amplitudinis, tribus eccleſiis inſignem, deſtructo caſtro, Auguſtenſis ſedis mancipatui contuliſſe firmatur: ibi quippe hæreditariò manſionis habitationem poſſediſſe dicitur. *De utraque donatione rectiùs ſilent Lectiones Summontorianæ, Vitaque Italica Tridenti edita anno* 1627. *Nam quis non videat, illam commentum ſcriptoris poſterioris ævi eſſe, qui cùm legiſſet,* Remedium *ex amore Dei mundanis rebus renuntiâſſe, crederetque, ipſum Taurenſis caſtri hereditarium comitem dominumque fuiſſe (quales ſcilicet comitatus tempore, quo ſcribebat, jam exſtabant) conſequenter opinatus fuerit, idem caſtrum, cum omnibus ſervis ac ſubditis ad illud pertinentibus, nulli veriſimiliùs ab eo donatum eſſe, quàm eccleſiæ Tridentinæ, cujus antiſtitem S. Vigilium, non ſecùs ac patrem ſuum, ſingulari affectu veneratione proſequebatur. Pari ratione cùm ſciret, eccleſiam Auguſtanam poſſeſſiones in dynaſtia Taurenſi habere, has quoque ab eodem Sancto acceptas conjectare potuit, & conjecturas ſuas pro rebus compertis obtrudere.*

F

recentioris ævi commentum eſt,

70 *Juverit hîc quoque clariſſimi Roſchmanni obſervationem attexuiſſe. Sic ille habet:* Donatio iſta ſine teſte aſſeritur; nihil eccleſia Tridentina in Taur poſſidet, aut poſſedit unquam. Eccleſia Auguſtana illa eſt, quæ non tantùm in Taur, ſed in ipſo epiſcopatu Tridentino, Bulſanenſi nempe tractu, antiquiſſima jura & poſſeſſiones nacta eſt; ita quidem, ut Præpoſitum, S. Afræ vulgò dictum, ſatis nobilem & virum conſpi-

AUCTORE C. S. cuum, perpetuò in eodem Bulſano liberaliter alat. Non autem à S. Remedio (uti certus hæc ſcio) hi proventus eccleſiæ Auguſtanæ, ſed à magnis principibus &, ut creditur, ab antiquiſſimis temporibus, atque fortè Francicis regibus aut ſaltem potentioribus dynaſtis, obvenêre. Vidi olim diploma Henrici Bohemiæ regis, ad initium ſeculi XIV confectum, quo harum rerum tutelam in ſe recepit, quâ adhuc principes noſtri funguntur. Si ſcriptores antiquiores ea, quæ ediderunt ex aliis fide, ut ipſis videbatur, bona, non corraſiſſent, non tot fabulis acta Sanctorum ſcaterent. *Hactenus Roſchmannus; cujus poſtremam querelam nos quoque juſtiſſimam crebrò experimur, dum Sanctorum Vitas ex interpolatorum levitate tam turpiter infectas videmus, ut, quæ in iiſdem genuina ſunt, ex admixtis fabulis ſuum etiam pretium amittant.*

fortè ex veris natum. 71 *Sunt alii, qui donationem* bis mille *vel* mille animarum *ſeu* hominum, *interpretantur de totidem infidelibus per* S. Remedium *ad Chriſti fidem converſis, ſanctoque Vigilio paſtori ſuo eccleſiæ Tridentinæ aggregandis regendiſque traditis; quod à vero non abhorret, favetque huic opinioni titulus* Apoſtoli Vallis Ananiæ, *quem aliqui* S.
B Remedio *tribuunt; & ſi hic idem ſit cum comite Jacobo, de quo ſuprà diſputavi, favebit inſuper dictum S. Vigilii, in epiſtola ſua illum* hominem apoſtolicum *appellantis. Porrò quamvis donationem caſtri Taurenſis rerumque ad illud ſpectantium fictitiam putemus, prudenter tamen dubitari nequit, quin* Remedius *munificus fuerit in S. Vigilium: utque ſolent fabulæ ſæpe ex veris naſci, quod ad tres illas eccleſias attinet, S. Vigilius in Actis ſuis ad diem* XXVI *Junii, & in Actis ſanctorum martyrum Ananienſium ad* XXIX *Maii in Opere noſtro editis, legitur duas eccleſias condidiſſe; unam Tridenti ad portam Veronenſem, in qua & ipſe ſepultus fuit, alteram in Valle Ananiæ in loco, ubi mox dicti martyres fuerant coronati; in qua utraque exſtruenda* Remedius *illi potuit adjutor opibus ſuis fuiſſe. Tertia fortè fuerit ſacra ædicula; ſi verum eſt, quod Lectiones Summontorianæ aſſerunt,* S. Remedium *aliquam* (*quam* baſilicam *liberaliùs appellant*) *in ſuum ſuorumque uſum fabricâſſe.*

Sanctus anachoreticam vitam duxit in valle Anania C 72 *Progredior ad locum, in quo Sanctus vitam ſolitariam egiſſe, ac beato fine terminâſſe creditur. Bartholomæus in Vita, à Tartarotto ex apographo Sangeorgiano accepta, de illo paucis ſic meminit:* Sanctus verò in Anania vixerat caſtrum ſerviens, vitâ & miraculis clarus quievit. *Roſchmannus, qui eamdem Vitam ex ipſomet codice Sangeorgiano nobis deſcripſit, paulò aliter legit hoc modo:* Sanctus verò in Anania vixit. Caſtrum ſerviens, vitâ & miraculis clarus quievit. *Utraque lectio vitioſa eſt, quam corrigendam crederem pro* Caſtrum *ſubſtituendo* Chriſto, *niſi alius ejuſdem Bartholomæi locus ſuaderet, legendum potiùs eſſe* apud Caſtrum. *Etenim in Vita S. Vigilii apud eumdem Tartarottum rurſus ait:* Ut in ejus (*S. Remedii*) Geſtis legitur, in ejus (*S. Vigilii Tridentina*) diœceſi, apud caſtrum Tau, juxta locum, ubi paſſi ſunt Sancti (*martyres Ananienſes*) ad Dominum, cui devotè ſervierat, cum ſociis ſuis migravit. *Eadem habentur in ejuſdem ſancti epiſcopi Actis interpolatis Colonienſibus apud Papebrochium tom.* V *Junii pag.* 166. *Conſonant Lectionaria à Roſchmanno laudata, in quorum primo ſeculi* XIII, *ut creditur, cella ejus aſſignatur* apud caſtrum Tavoni, locum, ubi paſſi ſunt Sancti: *in ſecundo*; Apud caſtrum Taoni juxta locum, ubi paſſi antedicti martyres: *in tertio, ſive Breviario:* Apud caſtrum Eam (*hæc vox ibi ſic vitioſa eſt*) juxta locum, ubi paſſi ſunt Sancti. D

non procul à loco martyrii SS. Siſinnii, Martyrii & Alexandri, 73 *Ne longior ſim, omnes, aut ferè omnes, locum ſolitariæ vitæ mortiſque* S. Remedii *ſtatuunt non procul ab illo, ubi SS. Siſinnius, Martyrius & Alexander anno* 397 *à gentilium turba occiſi crematique fuêre, licèt aliqui in nomine loci non nihil diſcrepent. Eſt autem locus ille in diœceſi ac principatu Tridentino, in valle* Anania, *ab aliis* Anagnia *&* Anaunia *nonnumquam dicta, Italis* Val d'Annone *&* Val di Non. *Pro ulteriori loci notitia audiamus denuò Roſchmannum.* Ms. Sangeorgianum (*id eſt Bartholomæus in Vita S. Vigilii*) non TAU, ſed (quod de induſtria conſideravi) THAUM dicit, & ſic ſcripſit, THAV̄; quem charta ſingularis vallis Ananiæ in bibliotheca noſtra publica, typis impreſſa, TAON, & alia V. C. Joſephi Spergeſii, ex oculari inſpectione confecta, TAVON vocat, atque in vicinia templi & rivi S. Remedii collocat. *Conſentit Tartarottus in Memoriis eorumdem martyrum, ubi pag.* 32 *& ſequenti de locò martyrii diſputans, docet,* Tavon *villam eſſe* plebis, *ſive paræciæ* S. Zenonis, *Italis* Pieve di S. Zeno, *corruptè ſic dictæ pro* S. Siſinnii; *eidemque vicinam: quod hîc breviter obſervatum volui, quia Ferrarius, num.* 1 *hujus Commentarii allegatus, habet,* S. Romedii corpus in propria eccleſia in Plebe S. Zenonis aſſervari. E

ubi ſeculo V *inchoato obiit.* 74 *In Tabula geographica Blaeviana principatus Tridentini, eccleſia* S. Remedii *inter duos rivos, qui infrà conjuncti in fluvium Nucem vulgò* Noce *illabuntur, collocata eſt ſeſqui milliari Italico à Plebe S. Zenonis, quod an accuratum ſit, noverint Tridentini. Vide etiam dicta ſuperiùs in hoc Commentario num.* 7 *& ſequenti. Elegit igitur Vir ſanctus aptum vitæ anachoreticæ locum non procul ab eo, ubi S. Siſinnius cum duobus ſociis pro laboribus apoſtolicis martyrium receperat, elegitque veriſimiliter eo conſilio, ut ex hac ſacri loci propinquitate recentique martyrum memoria in ſancto propoſito ſuo novos indies animos caperet. Hinc verò collige, audiendos non eſſe, qui* S. Remedii *obitum eorumdem martyrio ſine idoneo teſte præmittunt, atque adeo ex horum dictis infirmari non poſſe meam de Jacobo comite ſuſpicionem, quam ex S. Vigilii epiſtola præcedenti § expoſui. Quanto tempore ibi vixerit, quove circitèr anno exceſſerit è vivis, nemo veterum tradidit, nec ullum laudatur monumentum, ex quo id colligi queat. Temere igitur divinâſſe dicendi ſunt auctor Vitæ Italicæ jam frequenter nominatæ, quique cum ipſo mortem ejus anno* 400 *illigârunt. Mihi ex hactenus allegatis nihil veriſimilius aſſeri poſſe videtur, quàm illam ſeculo quinto aliquot annos inchoato accidiſſe. Diem* 1 *Octobris aſſignat Bartholomæus, quo etiam colitur in monaſterio Sangeorgiano; ſed in epiſcopatu Tridentino Officium ejus celebratur die* XV *Januarii.* F

Legitur duos ſocios habuiſſe, 75 *Huc uſque diſtuli de duobus Sancti ſociis agere, ut, quæ ad illum pertinebant, expeditiùs fluerent. In Vita S. Vigilii per Bartholomæum, & in Ms. Colonienſi de illis hæc legere eſt.* Inter hæc Remedius nobilis de Tauro cum ſociis ſuis Abra * & David Romam perrexit, & rediens, ultra mille animas cum omnibus poſſeſſionibus S. Vigilio reliquit, &, ut in ejus Geſtis legitur, in ejus diœceſi apud caſtrum Tau, juxta locum, ubi paſſi ſunt Sancti, ad Dominum, cui devotè ſervierat, cum ſociis ſuis migravit. *In Vita verò ipſius*

* *al.* Abia

A *pſius* S. Remedii *idem Bartholomæus ſcribit :* Aſſumptis igitur ſibi duobus, videlicet Abraham, qui cognominabatur Adeodatus, & David, cœpit Sanctorum limina peragrare *&c ; ac tandem de omnium trium obitu ſubdit :* Sanctus ... quievit Calendis Octobris ; quem etiam ſocii fuerunt proſecuti. Fideles propterea ſupra ſancta corpora eccleſiam fecerunt. *Stephanus abbas Schirenſis apud Raderum in Bavaria ſancta illorum alterum famulum fecit, ita inquiens :* B. Remedius cum quodam collega ſuo Abraham, cui cognomen fuit Deodatus, & famulo, David nomine, divino ſervitio inceſſanter inſtabat *&c. Contrà in Lectionibus Summontorianis ibidem editis dicuntur iidem ſocii fuiſſe* duo nobiles juvenes, non infimi, Abraham ſcilicet & David.

quos quidam ex vitioſa Greveni annuntiatione

76 *Similiter ambos nobiles diviteſque appellat auctor Vitæ Italicæ, quam ſecutus eſt in ſuo Catalogo Sanctorum Italiæ Philippus Ferrarius ad Kalendas Junias, aliique. Quid horum verius ſit, quis in tantis antiquitatis tenebris ſine alio lumine edicat ? Singularis eſt de his Greveni annuntiatio, quam ab Adamo Walaſſer in Martyrologio Germanico, Petri Caniſii paſſim dicto, adoptatam fuiſſe, oſtendi ſuprà. Oportet Greveni verba ad Kalendas Octobres hîc repetere.* Item ſanctorum confeſſorum Remedii, Abre, qui & Deodatus, David, diſcipulorum ſancti Germani epiſcopi. *Ecce non modò Abram & David, verùm etiam ipſemet* Remedius, S. Germani epiſcopi *diſcipuli fuiſſe dicuntur ; ſed quis Germanus ille fuerit, non additur. Tartarottus, qui Acta* S. Remedii *vehementer oppugnavit, etiam hinc adverſus illa argumentum cudit. Hunc Germanum poſſe alium eſſe negat, quàm epiſcopum Autiſſiodorenſem, vel Pariſienſem ; quorum cùm prior natus ſit anno* 378, *factus epiſcopus anno* 418, *mortuuſque anno* 448 ; *alter autem anno* 576 *ſupremum diem ſuum obierit, obſervat, cum neutrius ætate componi poſſe, quæ de Abrahæ & Davidis ſocietate cum* S. Remedio, *& morte, ante vel non multò poſt S. Vigilii martyrium obita, narrantur. Propterea credi vult, aut ſaltem veriſimile facere, Abraham & Davidem diſcipulos fuiſſe alterutrius ſancti Germani, & ab inepto ſcriptore, neglecta temporis ratione,* S. Remedio *imprudenter additos : nec obſtare ſilentium biographorum utriuſque ſancti præſulis, qui etiam alia omiſerunt.*

B

C

ipſi abjudicare fruſtra conatur :

77 *Quidni eodem argumento contendit etiam* Remedium *alterutrius epiſcopi diſcipulum facere, cùm de omnibus eodem modo loquatur Grevenus ? Imò cur non Grevenum potiùs erroris accuſavit, quàm Bartholomæum Tridentinum, tribus fermè ſeculis illo antiquiorem, vetuſtiora Acta laudantem, alioſque ſibi conſentientes habentem ? Mihi veriſimillimum, ne dicam, certum apparet, Grevenum vel unius puncti omiſſione, vel ex loco malè intellecto in hunc errorem veniſſe. Grevenus ſic legit :* Item ſanctorum confeſſorum Remedii, Abre, qui & Deodatus, David, diſcipulorum ſancti Germani epiſcopi. Imeri confeſſoris. Item *&c. Sicut ipſe* Imerum *hîc, interpoſito puncto, à præcedentibus ſejunxit, ita & nos* Germanum *ſejungamus hoc modo :* Item ſanctorum confeſſorum, ſancti Remedii, Abre, qui & Deodatus, David, diſcipulorum. Sancti Germani epiſcopi. Imeri confeſſoris. Item *&c. Si ſic legamus, Abram & David non alterius, quàm* Remedii *diſcipuli fuiſſe dicendi erunt, nihilque habebunt cum S. Germano illo commune. Ne verò iſthæc à me gratis dicta autumes, obſerva, hac eadem die in variis Martyrologiis annuntiari tranſlationem, in aliis depoſitionem S. Germani epiſcopi Autiſſiodorenſis, atque hinc facilè accidere potuiſſe, ut Grevenus in aliquo apographo nudam* S. Germani epiſcopi *annuntiationem, eo, quo dixi, modo poſt* S. Remedium *& diſcipulos, omiſſa vel detrita interpunctione, inveniens, crediderit, iſtos S. Germani diſcipulos fuiſſe.*

AUCTORE C. S.

de eorumdem cultu nobis non conſtat.

78 *Profectò nemo, qui veterum Martyrologiorum apographa pervolvere conſuevit, ignorare poteſt, quàm frequenter per hujuſmodi incuriam deſcribentium Sancti à veris locis avulſi ad alienas claſſes referantur. Quale apographum hîc ſecutus Grevenus ſit, non comperi, diverſum tamen fuiſſe ab Auctariis Uſuardinis, quæ Sollerius in Martyrologio ſuo Uſuardi recenſuit, liquet ex annuntiatione* Imeri confeſſoris, *quæ ab illis omnibus abeſt. Fruſtra ergò Tartarottus Abràm & Davidem, velut alterutrius S. Germani diſcipulos,* S. Remedio *ineptè attributos fuiſſe, perſuadere conatus eſt ex hoc Greveni loco, ad quem confirmandum nec teſtimonium aliquod vetuſtius, nec rationem ſolidam, nec denique ex recentioribus aliquem, præter Walaſſerum, potuit producere. Quam ob rem equidem non video, cur duos illos* S. Remedii *ſocios, qui ſine ulla ejuſdem Sancti laudis jactura prætermiſſi fuiſſent, gratis confictos eſſe, credamus. Non idcirco tamen illis inter Sanctos Beatoſque locum in Opere noſtro dare audemus ; quia aliunde nihil comperi, quod eorumdem cultum probet. Bartholomæus quidem ait,* ſupra *omnium trium* ſancta corpora eccleſiam *à fidelibus exſtructam fuiſſe ; ſed hoc quoque ad horum duorum cultum aſſerendum non ſufficit, cùm eccleſia hæc hodiéque ſolius* S. Remedii *titulum gerat, neque ſociis umquam dicata fuiſſe legatur ; ut adeò ſepultura quidem omnibus tribus communis, non cultus dici poſſe videatur.*

E

Pro fabulis habenda ſunt, quæ de avibus tegulas aliò ferentibus,

79 *Nunc breviter percurramus quædam alia Bartholomæo ignota, aut certè prudenter ab eo præterita, quæ ab aliis de Sancto noſtro referuntur. Non tamen curabo omnia, à recentioribus ex meris conjecturis ſine ullo fundamento inſuper adjecta, commemorare ; quod non minùs tædioſum, quàm inutile, futurum eſſet. Pro fabulis ſine dubio habenda ſunt, quæ de ipſo cellam ſuam conſtruente leguntur apud Raderum in Lectionibus Summontorianis hoc modo :* Nam tunc in quodam minori ſcopulo, non longè ab iſto (*in quo deinde exſtruxit*) ædificare ipſam baſilicam intendens, vidit & probavit ex judicio Dei, illum locum non eſſe dignum hoſpitio tanti Cultoris Dei. Et in ſignum hujus aves non parvæ de ipſo minori ſcopulo tegulas ligneas & alia cum roſtris portabant ad eundem eminentem ſcopulum, ubi nunc eſt ipſa baſilica conſtructa. *Commenti ſpeciem etiam habet hiſtoria urſi, in iiſdem Lectionibus relata, & ab auctore Vitæ Italicæ Tridentinæ, aliiſque adoptata, cujus hæc ſumma eſt. Equum, quo ſolebat* S. Remedius *ob attritas ſenio aut valetudine corporis vires uti, urſus devoravit, cùm ille propinquam mortem præſagiens, conſtituerat ad S. Vigilium poſtremò accedere.*

F

de urſo, devorati equi vices ſubeunte,

80 *Mandat igitur diſcipulo ſuo Davidi, ut injecto freno urſum adducat, equi vices ſubiturum. Paret hic ; obſequitur urſus, eique Sanctus inſidens, Tridentum progreditur, per viam precibus ſuis energumenam dæmone, atque alteram puellam febribus liberans : quæ omnia etiam in icone ari inciſa, quam excuſam habeo, exhibentur. Raderus cùm narrationem illam ſuſpectam haberet vel eo maximè ex capite, quòd tam prodigioſa urſi vectura parùm conveniret Viro ſancto, populatem*

AUCTORE C. S.

auram ac miraculorum ſpeciem ſedulò declinanti, maluit urſum illius ſarcinulæ baiulum facere, adducto in exemplum urſo altero, qui idem obſequium S. Corbiniano Friſingenſi epiſcopo præſtitiſſe legitur in hujus Vita ab Aribone, ejuſdem ſedis antiſtite ſcripta, quam à nobis editam habes ad diem VIII *Septembris, quo colitur. Ita etiam viſum eſt pictori, vel quiſquis pingi curavit tabulam, in ſummo altari ſacelli Choltitzenſis in Bohemia expoſitam, de qua vide dicta ad num.* 45. *Ego, ut paucis mentem meam edicam, Remedianus iſte urſus, ſive illum ipſius Sancti, ſive ejuſdem ſarcinulæ vectorem facere malis, cùm idoneo careat auctore, fidem nullam meretur. Eodem vitio ſolummodo laborant energumenæ atque febrientis curationes, quæ aliunde nullam difficultatem patiuntur, & in genuinis Sanctorum Actis ſatis frequentes ſunt.*

de timinnabulo ſponte ſonante, eccleſiaque ab angelis conſecrata,

B

81 *Fabulas rurſus ſonant tintinnabulum, eccleſiæque per angelos conſecratio, quæ in eadem Vita Italica leguntur. Nimirum dicitur* S. Remedius *S. Vigilio vale dicens, inſtantemque mortem ſuam prænuntians, promiſiſſe fore, ut in ſupremo ſuo agone tintinnabulum, quod iſte habebat, ſponte ſua ſonitum ederet, idque prodigium trino ſonitu reipſa accidiſſe. Hoc ſigno accepto, ſanctus epiſcopus (ſi eidem ſcriptori creditur) unà cum tribus diſcipulis ſuis, poſtea martyribus, Siſinnio, Martyrio & Alexandro, ad cellam ejus mox profectus, mortuum cum ſolemnibus exſequiis in parva eccleſia, quam ipſemet vivens erexerat, tumulavit, conſtituitque eccleſiam illam poſtridie conſecrare. Verùm eadem nocte à quodam venerabili viro excuſſus è ſomno & ad eccleſiam miſſus, vidit eam & altare ejuſdem ab angelis dedicari. Ita ferè in Vita: in Lectionibus Summontorianis utrumque miraculum à Sancto promittitur, factumque eſſe, haud dubiè credi voluit auctor. Utrumque etiam aliquot recentiores ſine criſi admiſerunt: at nemo, credo, mirabitur, quòd ego antiquiores vades requiram, quàm ſint anonymus ille Tridentinus, ſeculi* XVII *ſcriptor, ignotaque mihi, ſed certò non ſatis idoneæ ad fidem faciendam ætatis, Lectionarii Summontoriani compilator.*

quidam alii narraverunt.

C

82 *Nihilominus fatendum eſt, prædictam eccleſiæ conſecrationem, velut ab angelis factam, Kalendario Tridentino-Veronenſi, quod Tartarottus edidit, initio menſis Junii, ut ſuprà memini, inſcriptam eſſe verbis, quæ ſubdo.* Nota, quòd ſemper primâ Dominica menſis Junii eſt CONSECRATIO ANGELICA felicis & devotæ capellæ S. Romedii in valle Anania diœceſis Tridentinæ. *Laudatum Kalendarium, judice Tartarotto, exaratum quidem eſt inter annum Chriſti* 1255 *annumque* 1313; *ſed additamenta ſeu interpolationes, inter quas iſta annuntiatio eſt, aliâ manu facta, non ſunt antiquiores ſeculo* XV. *Si ita eſt, nequit illa quidquam ponderis dictæ narrationi addere, ac fortè auctorem habet, qui veteri annuntiationi Dedicationis ejuſdem eccleſiæ, quam aliunde didicerat, ex Lectionario Summontoriano adjecit vocem* Angelica, *quia nempe illam ab angelis peractam in illo legerat. Dixi:* Veteri annuntiationi dedicationis, *quam multo antiquiorem eſſe, non ambigo; quamque in eodem Lectionario rectè affixam eſſe Dominicæ primæ menſis Junii, videre licet ſuperiùs* § 1.

§ VI. Expenduntur ac refutantur argumenta, quibus Caſtellanus & Tartarottus probare conati ſunt, S. Remedium Tyrolenſem eſſe S. Remigium Remenſem antiſtitem.

D

Reſpondetur ad argumenta, quæ Tartarottus

PRater ea, *quæ in Actis improbavimus, multò plura improbavit Tartarottus; & ita quidem, ut non modò Acta ipſa, tamquam ex aliquot Sanctorum Vitis conſuta, nullius prorſus fidei facere voluerit, verùm etiam in dubium vocare, an Sanctus ille* Remedius *Tridentinus exſtiterit umquam. Quæ verò objicit, ea partim omnes Sancti Vitas, partim Raderiana tantùm monumenta, aliorumve particularia aſſerta impugnant. Contra omnia faciunt rationes, quas ab antiquiorum monumentorum ſilentio, à non cultu ejus in diœceſi Brixinenſi, ab ipſo Sancti nomine* Remedio, *ac diebus, quibus colitur, repetiit. Silentium arguit primò, quòd, licèt ab aliquibus* Bavarus *dicatur, tamen diligentes ſcriptores rerum Boicarum, Vitus Arenpeckius, Bernardus Noricus & Wiguleus Hundius de illo non meminerint; imò nec Marcus Velſerus de eodem alia noverit, quàm quæ didicerat ex Pincio: ſecundò quòd neque in vetuſtis Martyrologiis, neque apud veteres Vitarum Sanctorum collectores, Jacobum de Voragine, Petrum Calo & Petrum de Natalibus, ulla de eodem exſtet mentio. Non inquiro, an & quantùm è re trium priorum fuerit* S. Remedii *meminiſſe; at certè illis omnibus antiquior eſt Bartholomæus Tridentinus, qui Vitam etiam vetuſtiorem laudavit. Scripſit Bartholomæus ante medium ſeculum* XIII; *Bernardus Noricus ſeculo* XIV, *Arenpeckius ſub finem* XV, *Hundius denique* XVI.

E

à ſilentio veterum & non cultu objecit.

84 *Bartholomæo juniores etiam ſunt à Tartarotto laudati Vitarum compilatores; è quibus Jacobus de Voragine ſcripſit poſt medium ſeculum* XIII, *Petrus Calo fortè uſque ad annum* 1310 *vel etiam ſeriùs ſupervixit; Petrus de Natalibus ſcripſit poſt medium ſeculum* XIV. *Exſtabat ergo horum temporibus Vita* S. Remedii, *neque ex eorumdem ſilentio aliud inferri poteſt, quàm quòd ille non fuerit è celebrioribus Sanctis, quorum Acta latiùs innotuerant. Quod ad Martyrologia attinet, fateor, me vetuſtius, in quo ille memoretur, non habere, Hagenoyenſi, quod Sollerius noſter primùm anno* 1412 *ſcriptum eſſe cenſuit: cultum tamen ejus multò antiquiorem probant tum dicta §§* 1 *&* 2 *tum eccleſia ejuſdem nomini ſacra, quam Bartholomæi tempore jam exſtitiſſe, Tartarottus ipſe agnovit, & cujus initium non aſſignavit, nec aſſignare potuit. Cur Sabionenſis, deinde Brixinenſis diœceſis, in qua natus dicitur, illum non colat, & an numquam coluerit, ipſa viderit: at certè colitur, multiſque ſeculis cultus fuit in duobus ejuſdem diœceſis locis, ſcilicet in pago Taur & in monaſterio Sangeorgiano; colitur item per univerſam diœceſim Tridentinam Officio annuo, ac peculiari præterea veneratione in valle Anania, in qua eremiticam vitam duxit, & beato fine coronavit. Pergamus ad argumentum, quod idem clariſſimus Tartarottus à Sancti nomine & diebus cultûs formavit.*

F

Idem ſcriptor perſuadere conatus eſt, hunc Remedium eſſe S. Remigium Remenſem,

85 *Obſervat itaque, S. Remigium Remenſium antiſtitem à variis antiquis etiam* Remedium *appellari; eumdem ab Hincmaro in Vita ejus, & à Flodoardo in Hiſtoria eccleſiæ Remenſis mortuum dici die* XIII *Januarii; & nihilominus feſtum ejus in Martyrologiis ordinariè ſignari ad Kalendas Octobris, in aliis ad diem* XV *Januarii. Simili modo, ait,* S. Remedii *Tridentini obitum ab aliquibus referri ad diem* XIII *Januarii, feſtum tamen ejus per diœceſim Tridentinam celebrari die* XV *ejuſdem menſis. Præterea tranſlationem S. Remigii Remenſis coli Kalendis Octobris, quo eodem die Bartholomæus & alii* S. Remedium *Tridentinum obiiſſe ſcribunt, hujus obitûs diem cum die tranſlationis illius confundentes. His præmiſſis, concludit, omnino dicendum eſſe, vel ea, quæ hac ſuper re de S. Remedio Remenſi leguntur, commenta eſſe, & ex Actis* S. Remedii *Tridentini accepta; vel contrà, quæ de* S. Remedio *Tridentino dicuntur, mutuata eſſe ex monumentis ad S. Remedium Remenſem pertinentibus. Primum admitti poſſe meritò negat, ac proinde ſtatuit, pro figmentis & aliunde arceſſitis habenda eſſe, quæcumque de* S. Remedio *noſtro hac in parte habemus.*

B *fabulis deformatum; quod etiam Caſtellano viſum eſt:*

86 *Hinc ulteriùs arguit, verum mortis illius feſtique diem omnibus retrò ſeculis ignotum fuiſſe hodieque eſſe; quod eo magis mirandum fore notat, ſi ille fuiſſet* primus confeſſor & protector Tyrolis, *veraque eſſent prodigia, quæ in ejuſdem morte contigiſſe narrantur, quibus hæc multo celebrior, quàm S. Remigii Remenſis obitus, neceſſariò evaſiſſet. Hiſce omnibus laudatus ſcriptor non obſcurè inſinuat,* S. Remedium *Tridentinum videri ſibi eumdem eſſe cum Remenſi, ſed fabuloſis geſtis ex aliorum Sanctorum Vitis ineptè corraſis planè deformatum. In hac opinione præeuntem habuit Claudium Caſtellanum in Obſervationibus ad primum bimeſtre Martyrologii Romani, Gallicè verſi, pag.* 231, *ubi illam veluti minimè dubiam aſſeruit verbis, quæ ex Gallicis Latina ſubnecto.* Tridenti eccleſia eſt, dicta S. Romegii (*Gallicè* dite Saint-Romege.) Hunc Sanctum diverſum eſſe à S. Remigio (*Remenſi*) credidit Ferrarius, cùm ipſum CONFESSOREM TRIDENTINUM appellet, Latinè ROMEDIUM nominans. Sed cùm ipſemet dicat, eum mortuum eſſe die XIII Januarii, ejuſque feſtum agi die XV; legaturque etiam honorari die I Octobris, ut Raderus ſcribit in ſua Bavaria ſancta, ubi ipſum non noſcens, ROMEDIUM appellavit; Cúmque Bollandus eumdem REMEDIUM dictum reperierit, ut liquet in Prætermiſſis ad XV Januarii; quis non videat, hunc ipſum eſſe S. Remigium (*Remenſem*) qui in variis Mss., etiam Remenſibus, legitur nominatus REMEDIUS; cum qua voce nomen REMY (*ita Galli vocant Remigium*) majorem analogiam habet, quàm cum voce REMIGIUS.

C *quorum rationes petitæ à ſynonymo utriuſque vocabulo,*

87 *Favit etiam Sollerius noſter, dum in Auctariis Uſuardinis ad Kalendas Octobris iſtam codicis Hagenoyenſis annuntiationem,* In epiſcopatu Tridemienſi, ſancti Remedii confeſſoris, *ſic excepit*: Nec TRIDEMIENSI intelligo, nec TRIDENTINENSI, ut alii loquuntur; *lectoremque ſuum ſine ulteriori examine ad datum Caſtellani locum remiſit. Sed meum nunc eſt rationes ab iſtis duobus allegatas librare. Sanctum Remenſem epiſcopum* Remigium *à variis antiquis* Remedium *etiam appellari, oſtendam in illius geſtis hoc ipſo die illuſtrandis. Ibidem ſimiliter docebo, felicem ejuſdem obitum ab Hincmaro Flodoardoque diei* XIII *Januarii affigi, eodemque die, ac etiam biduo pòſt, necnon Kalendis Octobris, memoriam in Martyrologiis celebrari. Diœceſis Remenſis patronum ſuum die* XIII *Januarii cum feſto in populo colit; ubi verò extra illam diœceſim die* XV *ejuſdem menſis honoratur, id fit, quia dies* XIII *impedita eſt Octavâ Epiphaniæ Domini, ut neceſſe fuerit, feſtum ejus transferri. Kalendis Octobris celebratur tranſlatio corporis ejus, ut etiam notat Martyrologium Eccleſiæ Romanæ, quæ cum omnibus ritum ſuum ſequentibus eodem die annuo Officio ipſum honorat.*

AUCTORI C. S.

& communibus diebus cultûs &c.

88 *Jam ut ad* S. Remedium *Tridentinum veniamus, negat Roſchmannus, illius obitum ab ullo, præterquam à Ferrario, ad diem* XIII *Januarii referri; neque ego ullum præterea reperi; ceteris omnibus emortualem diem ſilentibus, aut cum Bartholomæo ſignantibus ad Kalendas Octobris. Niſi ergò mendum typothetarum ſit, dicendus eſt Ferrarius hîc lapſus memoriâ eſſe. Ita concidit argumentum à die obitûs petitum: nullum enim alium ſcriptorem pro morte* S. Remedii *Tridentini diei* XIII *illiganda laudârunt. De cultu fatendum eſt,* S. Remedium *duos dies, diverſo tamen modo, communes habere cum* S. Remigio *Remenſi. Hujus præcipua feſtivitas apud Remenſes* E *agitur die* XIII *Januarii, velut ejus emortuali; quo die* S. Remedius *Tridentinus nec colitur, nec obiiſſe dicitur, niſi per errorem à Ferrario. Colitur autem hîc die* XV *Januarii per univerſam diœceſim Tridentinam, & in pagis Taurenſi, Tulfes, & Rinn, diœceſis Brixinenſis, cujus etiam Kalendariis memoria ejus eo die dudum inſerta fuit.*

ſedulò expenduntur,

89 *Eodem quidem die etiam S. Remigius Remenſis annuntiatur in aliquot apographis Hieronymianis & ex his apud Grevenum; notatque Florentinius, illum tunc coli à Cartuſianis Colonienſibus; ſed hi feſtum illud juſta de cauſa à propria die ſua tranſtulerunt, ut dicam in* S. Remigio; *ac fortè ex pari alicujus ſingularis loci conſuetudine ejuſdem ſancti epiſcopi memoria in ſuprà dictis apographis ad alienum aliàs locum relata eſt. Supereſt tertius dies à laudatis ſcriptoribus objectus, ad Kalendas ſcilicet Octobris, qui celebribus tranſlationibus Remigii Remenſis ſacer eſt, & quo propterea feſtum illius in Romano Breviario recolitur. Eodem illud ſolemniter celebrant, dudumque celebrârunt Sangeorgiani Benedictini in diœceſi Brixinenſi, ſoli à ceteris diſcrepantes. Quæ cauſa ſit, ignoro; neque facile dictu eſt, an hi diem iſtum elegerint ex Bartholomæo Tridentino, à quo is Sancto emortualis fuiſſe traditur, an contrà Bartholomæus ex eodem feſtivo die emortualem fixerit.* F *Interim pro* XV *Januarii major ſtat veriſimilitudo ex annuo cultu in univerſa diœceſi Tridentina, cujus neſcitur initium. Ad hæc potuit etiam peculiaris ratio fuiſſe, ut in Sangeorgiano monaſterio, alio, quàm alibi, die feſtum illud ageretur; verbi gratiâ, quòd Kalendis Octobris ibi fortè facta fuerit reliquiarum illius exaltatio, quódve menſe Januario difficilior eſſet adventantibus acceſſus ad monaſterium, in loco horrido inter Alpes præcipiti rupi impoſitum; aliave ſimilis ratio mihi ignota.*

oſtenditurque, ex his nihil poſſe convinci

90 *Tandem ſi ſynonyma vocabula Sanctorum, qui aliunde ſatis diſtincti iiſdem diebus coluntur, ad tam graves ſuſpiciones ſufficiant, quid dicemus de Martyrologio Romano, quod plura hujus generis exempla ſuppeditat? Ex Alexandris duos illud habet die* VI *Januarii, duos die* IX *Februarii, duos* XXIV *Martii, duos* III *Maii, duos alios* VI *Junii, duos Aarones* I *Julii, duos Caſſianos* XIII

AUCTORE C. S.

Auguſti &c. Etiam minus roboris habet, quod Tartarottus addit de die obitûs S. Remedii *ad noſtra uſque tempora ignoto. Licèt enim nunc de eo non conſtet, unde probabit, eundem omnibus retrò ſeculis ignotum fuiſſe? Et quid tantoperè mirandum in* Remedio, *quod etiam in celeberrimis Sanctis ſæpe contingere novimus? An quia fuit* primus confeſſor & protector Tyrolis? *Ita ſcilicet ipſum vocat ſolus Petrus Tecinus, noſtri ſeculi ſcriptor; & aliunde non apparet, cur hi tituli certum ejuſdem obitûs diem ad noſtra uſque tempora neceſſariò ſervare debuiſſent. An quia prodigia, quæ in ejus morte contigiſſe dicuntur, eam celebriorem, quàm Remigii Remenſis obitum redditura fuiſſent? Verùm hæc non leguntur apud Bartholomæum, ceteris, quos novimus, antiquiorem, ac proinde pro adjectis fabulis poſſunt haberi. Fabulas tamen eſſe, fruſtra quis probare niteretur ex ſola illa, quæ futura fuiſſe dicitur, pretenſa mortis majori celebritate.*

adverſus ſententiam oppoſitam.

91 *Judicet nunc æquus lector, quàm veriſimile ſit, ex celeberrimo Remigio Remenſi fictum in Tyroli eſſe* Remedium *noſtrum; nimirum ex Gallo Rhætum, ex epiſcopo laicum, ex Francorum in Galliis apoſtolo ſolitarium in agro Tridentino. Judicet, an prudentis ſit ob allatas rationes hujuſmodi fictionem aſſerere adversùs traditionem, cujus initium neſcitur, ſed quam medio ſeculo* XIII *jam viguiſſe, ex Bartholomæo conſtat; judicet, inquam, an prudentis ſit, tam craſſum errorem afſricare univerſæ diœceſi Tridentinæ, quæ* Remedium *ſuum annuo Officio Confeſſoris non Pontificis honorat; imò & Brixinenſi, cujus æquè ac Tridentinæ antiſtites ejuſdem reliquias publicæ venerationi exponi ac ſolemniter coli permittunt, & à multis ſeculis permiſerunt. Atqui tamen hæ reliquiæ nequeunt dici eſſe S. Remigii Remenſis, cujus corpus Remis integrum in magnifico mauſoleo aſſervatur. Tartarottus, ut tam mirabilem perſonæ commutationem minùs à vero abhorrentem faceret, ad exempla recurrit.*

B

Alia argumenta, quibus idem Tartarottus

92 *In faſtigio montis Oſopi in ditione Forojulienſi eſt quædam ſacra ædicula, S. Columbæ dicata, quæ ut virgo martyr ab immemorabili tempore ibidem invocatur, & cujus caput veneration exponitur ac ſolemniter circumfertur quotannis Dominicâ ſecundâ Julii. Illuſtriſſimus Juſtus Fontanini, cùm anno* 1717 *ad eam ſe contuliſſet, invenit ibi epitaphium, quod ſic habet:* Columba, *ſeu potiùs* Coluba, virgo ſacrata Dei, *ibidem depoſita* Opilione V. C. conſule, *id eſt, anno Chriſti* 453; *crediditque, S. Columbam ibi cultam eam eſſe, cujus erat epitaphium, non autem celebrem Senonenſem; atque hanc opinionem ſuam commentario ſubinde illuſtravit. Subdubitavit tamen poſtea ipſemet, teſte Tartarotto, petiitque, ut Majores mei eam rem non moverent; & hi Columbam illam inter Prætermiſſos ad diem* V *Auguſti repoſuerunt, dilato examine in diem* XXXI *Decembris, quo S. Columba Senonenſis colitur. Jam quid in rem ſuam hinc concludat Tartarottus, audiamus.* Si (*inquit verbis Italicis*) celebris iſte vir litteratus non ſolidiori fundamento, quàm quo dictum eſt, nixus, novam in Forumjulii Sanctam induxerit, mirandum non eſſet, ſi ſimili aut etiam minori celebris Sanctus in epiſcopatum Tridentinum invectus fuiſſet. *Rationem allegat piam quidem ſed nimis credulam plebis temporibus barbaris ſimplicitatem & ignorantiam, atque ipſius etiam cleri Tridentini inſcitiam tantam, ut circa finem ſeculi* X *nullus in eo dignus reperiretur, qui epiſcopalem cathedram teneret, ſed alius aliunde fuerit arceſſendus &c.*

C

D

perſuadere conatur, S. Remedium Tyrolenſem

93 *Tum denuo ſic proſequitur:* Jam verò quid miri eſſet, ſi iſtis aliiſve ſimilibus temporibus Vitæ S. Remedii faciendæ occaſionem dediſſet vetus aliquod ſacellum, in valle Anania S. Remigio Remenſi dicatum, in quod quidam antiquus comes de Thaur, aliuſve ejus regionis vir illuſtris, poſt auctam donis ſuis Tridentinam eccleſiam, ſe receperit ad exigendos dies ſuos extremos, in eoque ſepeliri voluerit? *Huic ſuſpicioni ſuæ favere credit, quòd Michaël Angelus Mariani in Vita anno* 1678 *Tridenti edita ſcribat, Sancti reliquias non in ara principe quieſcere, ſed* retro aram eccleſiæ in loco recondito inſtar Sanctuarii, honorari altare Sancti cum arca reliquiarum ejus. *Huc pariter facere putat, quòd apud Raderum in Lectionibus Summontorianis dicatur* Remedius, *dum viveret, ipſemet ſepulcralem arcam ſuam ſibi parâſſe; nempe, ut opinor, quia hæc cura Tartarotto viſa eſt potiùs alterum pium comitem, quàm ſanctum anachoretam decuiſſe. Utque veriſimilius faciat, vetus iſtud in valle Anania ſacellum antiquitus habuiſſe patronum Remigium, Remorum epiſcopum, meminit de altero ſacello, eidem Sancto, prout aſſerit, Verone olim dicato.*

E

non eſſe alium, quàm S. Remigium Remenſem,

94 *Refert & aliud exemplum nimiæ levitatis ſeu temeritatis in tutelari Sancto mutando: ſuis temporibus in eccleſia vallis in Gardumo, SS. Felici & Fortunato martyribus ſacra, nonnullos tentâſſe horum priori Sancto ſubſtituere ignotum quemdam Felicem, quem ſuſpicatur fuiſſe virum quempiam illuſtrem,* Remedio *noſtro ſimilem, in eadem ſepultum. Addit tertium ex Muratorii Diſſertatione* 48 *in Antiq. Italic. pag.* 256, *ubi ille narrat, in territorio S. Cæſarii, diœceſis Mutinenſis, à bardis ruſticis fuiſſe cultam quamdam ſanctæ mulieris iconem, quam* S. Albergam *appellabant, quæque non aliunde, quàm ex eorumdem cerebris, nata erat, quòd eo loci olim fuiſſet pium peregrinorum pauperum hoſpitium: nam* hoſpitium *Italicis* albergo *dicitur. Quartum producit ex Joanne Mabillonio, in ſuo Itinere Italico pag.* 145 *aſſerente, Urbanum VIII ſummum Pontificem ab aliquibus Hiſpanis rogatum, ut ad promovendum cultum Sancti, cui nomen erat* Viar, *negâſſe id facturum ſe, niſi ſibi conſtitiſſet, quis iſte Sanctus eſſet, & quo titulo pro tali haberetur. Allatum tunc eſſe lapidem inſcriptum his vocibus: S. VIAR; & à peritis judicatum, fragmentum eſſe inſcriptionis, in qua quidam PRÆFECTUS VIARUM legebatur.*

F

& reliquias ibi cultas, cujuſdam alterius eſſe,

95 *Denique quia noverat Tartarottus, reliquias, quæ S. Remigii Remenſis eſſe non poſſunt, velut* S. Remedii *in diœceſibus Tridentina & Brixinenſi publico cultu honorari, recurrit ad inconſultam ſuperſtitioſamque veterum in Sanctorum reliquiis quomodolibet comparandis aviditatem levitatemque; inſinuans ſcilicet, prædictas reliquias videri ſibi non* S. Remedii *eſſe, ſed alicujus ignoti comitis de Thaur, aut alterius illuſtris viri, in ſacello S. Remigii Remenſis in valle Anania olim ſepulti. Atque hæc præcipua ſunt, quæ Tartarottus ad perſuadendam* S. Remedii *Tridentini cum ſancto Remorum epiſcopo Remigio confuſionem produxit: quæque an ſatis valida ſint, paucis inquiramus. Rationes, quibus illuſtriſſimus Fontaninus aliquando inductus fuit, ut Columbam vel Columbam in monte Oſopo ſepultam, ejuſdem ſacræ ædis patronam eſſe crederet, quæque deinde ipſimet non ſat*

A *ſat ſolidæ apparuerunt, ad præcitatum diem* xxxi *Decembris poterunt examinari.*

velat minimè ſolida

96 *Interim, quod huc ſpectat, exemplum hoc plurimùm differt ab eo, ad quod perſuadendum à Tartarotto adhibetur. Quis enim non videat, quàm diverſa ſit in utroque caſu perſonæ mutatio. Fontaninus Columbam ſacræ ædis patronam non ſatis notam, ſed ut virginem martyrem ibi cultam, divinare volens, opinatus eſt, eam, quæ in reperto ibidem epitaphio dicebatur* Columba *vel* Coluba virgo ſacrata Dei, *ejuſdem ædis patronam potiùs eſſe, quàm Senonenſem, vel quamlibet aliam; favebantque ei nomen, locus ſepulturæ, & honorifica inſcriptio lapidis, ſi omiſſum titulum* Martyris *excipias, qui quo improprio modo eidem olim dari potuerit, indicavit in laudato Commentario ſuo pag.* 91. *Contrà verò in cauſa Remediana debuiſſet celeberrimus ille Remigius, Remorum epiſcopus, & Francorum gentis patronus, in Martyrologiis celebratiſſimus, in ipſa ſui nominis eccleſia in eremicolam agri Tridentini (neſcitur, quo tempore, aut à quo) ſubitò commutatus fuiſſe, oſſaque viri cujuſdam illuſtris, in eadem tumulati, ſanctoque tutelari ſubſtituti, pro ſacris reliquiis*

B *publicæ venerationi expoſita fuiſſe, ſpectante & approbante clero & epiſcopis diœceſium Brixinenſis & Tridentinæ.*

refutantur.

97 *Exaggeret, quantum ratio patitur, Tartarottus ſequiorum temporum ſimplicitatem, reliquias obtinendi immodicam cupiditatem, ac cleri inſcitiam; ejus tamen generis errores geminæ diœceſi appingendi non ſunt ſine ſolidioribus argumentis: docuitque diffidentiâ ſuâ Fontaninus, noſtri quoque temporis eruditos criticos, dum veteres minùs æquo æſtimant, nova veri ſpecie poſſe falli. Nihilo plùs proſunt, quæ de quorumdam conatu pro ignoto Felice in locum cognominis ſancti martyris ſubſtituendo, quæque de commentitiis ſanctis Alberga & Viar commemoravit, pro quibus diſſimillima erat ratio, longéque impar cultûs auctoritas & vetuſtas. Denique non video, quid ipſum juvare poſſit ſua obſervatio num.* 93 *poſita ex Mariano & Radero de ſitu corporis* S. Remedii *in eccleſia Ananienſi, arcaque ab ipſomet facta: nam & locus ille ſacro corpori religiosè ſervando idoneus eſt; & quid piaculi eſſet, ſi Sanctus ipſemet ſepulcralem arcam ſibi vivus parâſſet? Verùm hac de re nihil legitur apud Bartholomæum, uti ex*

C *Vita patebit.*

V I T A

Auctore Bartholomæo Tridentino.

Ex Ms. monaſterii S. Georgii in Tyroli.

REmedius vir nobilis, ex Bavaria ortus, Taurenſe caſtrum in valle Oeni fluminis, cum
a multis aliis divitiis poſſidebat *a*. Audivit autem Dominum dicentem: Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: aſſumptis igitur
b ſibi duobus, Abram *b*, qui cognominabatur Adeodatus, & David, cœpit Sanctorum limina peragrare. Hæc autem in Sanctorum eccleſiis ei familiarior oratio erat: Domine Jeſu Chriſte, iſtis & omnibus Sanctis pro nobis apud tuam miſericordiam patrocinantibus, ne deſpicias nos; ſed ab omni ſæculari negociatione & diabolica illuſione & impedimento eripias nos, & nobis *c*, Domine, ne elongeris; ſed promta voluntate nos ad ſerviendum tibi confortare digneris. Et *d* audivit, Dominum poteſtatem ligandi & ſolvendi B. Petro contuliſſe: & primò petiit Romam, indeque rediit Tridentum, ubi tum B. Vigilius *e* epiſcopatum tenebat, quem his verbis ſalutavit: Ave gemma præſulum, epiſcope, & tuæ pietatis vultu nos reſpice. Quem præſul, ut erat alacer, alacri vultu in eum reſpiciens, ſedere fecit; & verbo vitæ præmiſſo, S. Remedius bn *f* mille homines cum caſtro Taurenſe & eccleſiis, & omnibus ſuis attinenciis epiſcopatui Tridentino contulit. Eccleſiæ etiam Auguſtenſi multa reliquit *g*. Sanctus verò in Anania vixit. Caſtrum ſerviens *h*, vitâ & miraculis clarus quievit Calendas Octobris, quem & ſocii ſunt proſecuti *i*. Fideles propterea ſupra ſancta corpora eccleſiam fecerunt *k*, quam dum architectus cooperiretur *l*, à ſummo uſque in amnem *m* labitur, & turba properante, ut colligant & ſepeliant, ecce, hominibus *n*, quem non ſolùm [mortuum *o*] ſed & comminutum quærebant, cum ſerica & aſſia occumbit *p*, & Deum laudans, opus complevit. Multa & talia ſigna per eum Dominus operatur *q*.

c *d* *e* *f* *g* *h* *i* *k* *l* *m* *n* *o* *p* *q*

ANNOTATA.

a *Seculo quarto, quo* S. Remedius *floruiſſe creditur, veriſimiliter nondum exſtitiſſe caſtrum Taurenſe, ac multò minùs comitatûs titulo tunc inſignitum, & ab eodem Sancto hereditario jure, ut alii volunt, poſſeſſum fuiſſe, dixi in Commentario prævio* § 4, *ubi etiam de loco illius natali, aliiſque ad perſonam ejus ſpectantibus actum eſt.*

b *Hanc Vitam edimus, ſicut à clariſſimo Roſchmanno ex codice Sangeorgiano tranſcriptam accepimus. Tartarottus eamdem ex ejuſdem codicis apographo excudit, ſubinde cum aliqua diſcrepantia vocum. Hoc loco ille legit:* Abraham. *De his duobus Sancti ſociis vide dicta in Commentario à num.* 75.

c *Apud Tartarottum rectiùs legitur:* A nobis.

d *Ibid.* Etiam.

e *De Vigilio epiſcopo Tridentino & martyre actum apud nos eſt ad* 26 *Junii. Martyrio coronatus fuit anno* 400 *vel* 405.

f *Ita in codice Sangeorgiano legi, expreſsè obſervavit Roſchmannus. Tartarottus habet* bis; *fortè tamen iſta vocula contracta pro* benè *poſita eſt.*

g *Nihil de hiſce omnibus legere eſt in ſinceriori-bus Actis S. Vigilii; ſed Colonienſia à Papebrochio noſtro ad præcitatum diem Junii in Annotatis ad cap.* 1 *laudata ſic habent:* Inter hæc Remedius nobilis de Tauro cum ſociis ſuis Abia & David Romam perrexit; & rediens ultra mille animas cum omnibus ſuis poſſeſſionibus S. Vigilio reliquit. *Quid de hiſce donationibus cenſendum ſit, expoſui in Commentario prævio* § 5.

h *Tartarottus hanc vitioſam periodum ſic recenſuit:* Sanctus verò in Anania vixerat caſtrum ſerviens. *Bartholomæus Tridentinus in Vita S. Vigilii & mox laudatum Ms. Colonienſe verbis præcedenti numero recitatis ſubdunt:* Et (ut in ejus Geſtis legitur) in ejus (*S. Vigilii*) diœceſi apud caſtrum Tau, juxta locum, ubi paſſi ſunt Sancti (*martyres Ananienſes*) ad Dominum, cui devotè ſervierat, cum ſociis ſuis migravit. *Ceterùm*

pro

F

A *pro notitia loci, ubi Sanctus vitam ſolitariam egit obiitque, adi Commentarium § 1 num. 7 & 8, & § 5 à num. 72.*

i *Eo die etiam colitur in monaſterio Sangeorgiano, in quo inſignes ejuſdem reliquias honorari, dictum eſt §§ 2 & 3; ſed in diœceſi Tridentina & alibi die 15 Januarii.*

k *Exſtat hodieque eo in loco eccleſia* S. Remedio *dicata, cujus dedicatio quotannis Dominicâ primâ Junii celebratur. De fabulis, quas alii de eadem ejuſdemque dedicatione &c commenti ſunt, egi in Commentario num. 79, 81 & 82. Etſi verò Sociorum corpora à Bartholomæo etiam* ſancta *hîc vocentur, quia tamen de eorumdem cultu nihil reperi, judicavi illos in Prætermiſſis tantùm memorandos eſſe.* D

l *Apud Tartarottum rectiùs eſt :* cooperiret.

m *Vocatur hîc hodieque* Amnis S. Remedii, *teſte Roſchmanno in Annotatis ſuis.*

n *Tartarottus habet :* Is.

o *Vocem* mortuum, *quæ deſiderabatur, ſupplevi ex Tartarotto.*

p *Ita etiam eſt apud Tartarottum ; ſed haud dubiè ſubſtitui debet :* occurrit. *Pro* ſerica & aſſia *ille poſuit :* ſecuri & aſcia ; *at fortè pro* ſerica *ſubſtituenda eſt* ſerra.

q *Eodem modo etiam terminatur apud Tartarottum.*

DE S. ROMANO MELODO DIACONO CONFESSORE

CONSTANTINOPOLI

B C. B.

SYLLOGE E

Ex Menologiis aliiſque Faſtis maximè Græcorum.

CIRCA ANNUM D

Memoria Sancti in faſtis ſacris;

Menologium, quod è Græco Latinum reddidit Sirletus, Typicum S. Sabæ, Menæa atque alii omnes ferè ſacri Græcorum Faſti tum excuſi, tum manuſcripti atque apud nos aſſervati, hodie S. Romanum *diaconum annuntiant, atque ob hymnorum ab ipſo compoſitorum & copiam & elegantiam* Melodi *vel* Poëtæ *titulo aut alio æquivalenti ut plurimùm exornant. Græcis ſe adjunxit Ferrarius in Catalogo Generali, & noviſſimè Caſtellanus in Martyrologio Univerſali, adeo ut mirum videri queat, quòd Eminentiſſimus Baronius, licèt multos alios ex laudato Sirleti Menologio in Faſtos Latinos traduxerit, noſtrum tamen Sanctum Martyrologio Romano inſerendum non putârit. Qua ratione ad ſic arbitrandum inductus fuerit vir eruditiſſimus, penitus ignoro: quæcumque ea ſit, donec in medium prolata, firma agnoſcatur & ſolida, nolim ego prætermittere* Romanum Melodum, *quem in tot ſacris Faſtis ſummo conſenſu Sanctis annumeratum invenio, quemque inferiùs dicenda oſtendent eccleſiaſtico cultu olim honoratum fuiſſe, atque etiam hodiedum à Græcanici ritus orthodoxis honorari.*

C

hæc à Ferrario Beryti,

2 *Itaque quæ de Sancto ſparſim ſcripta inveni, in unum colligo, atque nonnullis annotationibus præmiſſis elogium ex Menæis ſubjicio, cui cùm omnino ferè conſonet Menologium Baſilianum, ut Græcè extat, idem, quod de illo dicetur, de hoc etiam dictum debet intelligi. Ferrarius mox laudatus in Catalogo Generali* S. Romani *memoriam Beryti, quæ eſt urbs maritima in Phœnicia, Syriæ provincia, ineptè collocat, unicè procul dubio quòd in Faſtis Græcis legatur fuiſſe Berytanæ eccleſiæ Diaconus; nec enim aliud occurrit, quod ipſum in hanc opinionem potuerit inducere, cùm ſanctus Confeſſor neque Beryti natus ſit, neque defunctus, nec porro ex ullis monumentis pro ejus ſingulari cultu in dicta civitate quidquam habeatur. Ferrarium ſecutus fuerat Caſtellanus in Martyrologio Univerſali, ſed poſtea in Supplemento ad idem Martyrologium meliori notitia inſtructus Sancti commemorationem rectè conſignavit Conſtantinopoli, ubi cum felici & immortali vita hanc mortalem commutavit, cultuque, ut ex dicendis palàm fiet, Sanctis proprio fuit affectus.*

patria verò Myſſenæ in Peloponeſo perperam collocatur;

3 *Nec ſolùm Ferrarius memoriam, ſed & patriam* S. Romani *hallucinando aſſignat, quem Myſſenæ in Peloponeſo natum in annotatis ad Catalogum Generalem aſſerit. Pro errore hoc ſtabiliendo citat tabulas Græcas, ſed quæ qualeſve illæ ſint, non edicit. Certè nullæ Græcorum tabulæ, quas ego viderim,* S. Romani *natale ſolum in Peloponeſo ſtatuunt, nec etiam, quantùm arbitror, ſtatuiſſet Ferrarius, modò vidiſſet in Menæis excuſis Sancti elogium; hoc etenim & civitatem & regionem* Romani *natalem dilucidè his verbis aſſignat :* Οὗτος ὁ ἐν ἁγίοις Ῥωμανὸς ὑπῆρχεν ἀπὸ Συρίας ἐκ τῆ ἐμεσηνῶν πόλεως. Hic ſanctus Romanus fuit ex Syria ex civitate Emeſena. *Menologium Sirletianum, cum quo tabulæ à Ferrario citatæ vel eadem fortè ſunt vel eadem continent, Sanctum* ex urbe Emeſena, *nulla facta regionis natalis, Syriæ ſcilicet, mentione, oriundum dumtaxat affirmat. Hinc factum ſuſpicor, ut tanto intervallo à vera* S. Romani *patria aberrârit Ferrarius: cùm enim ex tabulis Græcis cerneret Sanctum ex urbe Emeſena natum, urbem verò nomine Emeſenam nullam nôſſet, in Menologio Sirletiano aliiſve Græcis tabulis Latinè redditis Emeſena pro Myſſena mendosè ſcriptum putârit, adeoque Sanctum Myſſenæ in Peloponeſo natum. Eſt porrò Emeſena adjectivum à nomine ſubſtantivo Emeſa, quo civitas, quæ mundo dedit* S. Romanum, *nuncupata reperitur, quamvis, ut videre licet apud Baudrandum & Ortelium, alia etiam nomina modicè & ab hoc & invicem diſcrepantia ſortiatur.* F

pietatis exercitia, & commoratio in æde Deiparæ ſacra

4 *Hiſce annotatis, ad Sancti pium vitæ inſtitutum progredior. Elogium ex Menæis dandum* S. Romanum *refert Berytanæ eccleſiæ ordinatum fuiſſe diaconum, cúmque poſtea tempore Anaſtaſii impe-*

A peratoris venisset Constantinopolim, totum se pietatis exercitiis addixisse in templo Deiparæ sacro, in quo etiam, aut potiùs in æde templo illi contigua, ipsum habitâsse (quo sensu habitatio in templo intelligenda est) non obscuris verbis insinuat. Unde non immeritò colligas, Sanctum munere aliquo verosimiliter perfunctum etiam esse, ratione cujus præter onera diaconatui annexa, curam insuper dicti templi custodiendi gereret. Quippe olim usitatum non uno in loco fuit, ut custodes ecclesiarum in ædibus ecclesiæ, quam custodiendam acceperant, contiguis habitarent, quapropter etiam illos Græci παραμοναρίους sive προσμοναρίους, Latini verò mansionarios nuncupabant, quod pluribus confirmatum apud Cangium in Constantinopoli Christiana lib. 3 pag. 75 curiosus lector inveniet.

à Cyro consule ædificata.

5 Templum Deiparæ sacrum, in quo Sanctus narratur Constantinopoli commoratus, pietatique se dedisse, à Cyro consule & præfecto prætorio, cujus viri variam fortunam ad posteros transmisit Theophanes in Chronologia pag. 83, tempore Theodosii junioris, testibus Simocatta lib. 8 cap. 8 & Codino de Orig. const. pag. 54, à fundamentis fuit exstructum, quod propterea brevitatis causâ templum Cyri deinceps nominabo. Porro hæc notitia effecit, ut hæc Græca Elogii dandi verba ἐν τῷ ναῷ.... ἐν τοῖς κύρῳ per hæc Latina in templo.... à Cyro ædificato interpretanda censuerim; præterquam enim, quòd hæc interpretatio in laudatis historicis fundamentum habeat, nulla occurrit aliunde ratio, cur rejiciatur, attentis etiam linguæ Græcæ idiotismis, τὰ κύρῳ & ἐν τοῖς κύρῳ; quorum primus, ut notum est linguæ Græcæ peritis, possessiones vel facta à Cyro, secundus autem illud vel ea, quæ numerantur inter possessiones vel facta à Cyro, usitata admodum locutione significat; cùm autem necesse sit illud à Cyro esse factum, quod inter facta à Cyro meritò computatur; nihil etiam est ex hac parte, quod datæ interpretationi adversetur. Nolui ad exemplum interpretis Menologii Basiliani præfata Græca verba exponere per hæc Latina in templo .... in ædibus Cyri; præterquam enim quòd inconcinna sit locutio, aliæ rationes contra hujusmodi interpretationem militant, quibus brevitatis causâ omissis, inceptum prosequor.

Vigiliæ nocturnæ in Blachernis;

6 Non solùm Sanctus in templo Cyri divinis officiis assiduè vacábat interdiu, verùm etiam alium pietati etiam noctu exercendæ campum non numquam eligebat, ut summum, quo in Deum efferveſcebat, charitatis ardorem expleret. Pervigilia sive vigiliæ nocturnæ sic dictæ, quod nox prævia diei festo, cujus fiunt vigiliæ, inter preces sacrosque cantus in ecclesia insomnis traducatur, more apud Græcos usitato, sed non nisi ἐν ταῖς δεσποτικαῖς ἑορταῖς, festis nempe Christo Domino & Beatæ Virgini dicatis, peragi consueverunt, quemadmodum dissert. 1 de libris Græcorum ecclesiasticis docet Leo Allatius, qui etiam dies festos hujusmodi pro temporum ratione modò plures, modò pauciores apud eosdem Græcos fuisse asserit, demumque duodenario numero definitos loco citato enumerat. Itaque Sanctus, quemadmodum Menæa commemorant, nocturnis hisce ut assisteret vigiliis, quæ verosimiliter in ecclesia, in qua sedem fixerat, peragi plerúmque non solebant, sese, si non omnino quotiès fiebant, frequenter saltem conferebat ad ædem sanctissimæ Dei Genitricis in Blachernis sitam, quam etiam solo Blachernarum nomine elogium Sancti, quod in Menæis exstat, rectè nuncupat. Etenim, licèt sub hoc nomine usque ad Heraclii imperatoris tempora unum venerit ex suburbiis civitatis Constantinopolitanæ, postea verò, cùm hoc hujus muris ab Heraclio fuisset inclusum, unus ex tractibus; Byzantini tamen, ut in Const. Christ. lib. 4 pag. 84 ex Nicephoro Callisto docet Cangius, ecclesiam sanctissimæ Dei Genitrici à S. Pulcheria augusta in Blachernis ædificatam vulgo Blachernas appellabant, quomodo & auctor Chronici Alexandrini pag. 442 atque aliquot alii nuncupârunt.

hæ in Menologio Sirletiano non videntur omitti debuisse, ui nec commoratio in templo Cyri,

7 Porro Menologium Sirletianum, licèt Sanctum piè admodum Constantinopoli in æde Sanctissimæ Dei Genitrici sacra conversatum, atque etiam Vigiliis memoret fuisse intentum, nihil tamen continet, unde vel ejus vigilias in præfata Blachernarum ecclesia vel commorationem in templo Cyri apertè colligas; tum hanc, tum illas laudati Menologii collector, quantùm suspicor, silentio fortè propterea præterierit, quòd in Fastis, quos habebat præ manibus, conjungi adverteret cum uno alterove adjuncto, quod parum verisimile existimabat, ideoque cetera hàberet suspecta. Suspicionem hanc ingerit hujusmodi adjunctum occurrens in Menæis, quæ fortè sunt Fasti ab illo visi; cùm enim hæc Sanctum referunt Blachernarum Vigilias peragere soluisse, nihilominus adjungunt in templo Cyri ipsa nocte, Natalitio Christi Festo, ut apparet, prævia dormivisse; unde consequens fit, ipsum Natalitiis Christi Vigiliis in Blachernis non interfuisse; hoc autem parum verisimile fortè arbitratus est laudatus Collector ob eximium pietatis atque orationis studium, quod Sanctum, festorum Dominicorum Vigilias frequentare alioquin solitum, non siviſſet abesse à Vigiliis Festi, si non inter Dominica principis, multùm saltem eminentis. Attamen nihil hinc magni momenti habetur contra Vigilias Christi Natalitias à Sancto non peractas, cùm rationes maximè legitimas habere potuerit, cur aliis Blachernarum Vigiliis, Christi verò Natalitiis non interesset; unam subjicio, quæ fortè locum habere potuit: cùm ante Heraclium imperatorem, qui integro seculo aut paulò serius post S. Romanum imperii Orientalis habenas tenuit, Blachernæ (videri potest Cangius lib. 1 pag. 41 in Const. Christ.) non concluderentur muris Constantinopolitanis, intra quos tamen situm erat Cyri templum, fit admodùm credibile, Sanctum Christi natalitias Vigilias in Blachernis non frequentâsse, ne noctu in urbem, utpote portis tunc non patentibus, reverti prohibitus, à divinis officiis in templo Cyri, cui inserviebat, unâ altèrâve saltem ante lucem horâ ob Festi solemnitatem tunc saltem etiam peragendis abesse cogeretur. Hinc jam liquet præfato similive adjuncto, nisi rationem magis urgentem habuerit, moveri non debuisse laudatum collectorem, ut Vigilias à Sancto in Blachernis peractas, vel etiam commorationem in templo Cyri silentio involveret.

nec etiam dexteritas in condendis contaciis divinitus accepta,

8 Verùm in præfato Sirleti Menologio adhuc multò minùs omittenda erat omnis planè mentio de mira dexteritate Sancti in condendis contaciis, de qua alii omnes sacri Græcorum Fasti, etiamsi Romani non nisi brevissimè plerique meminerint, unanimi suo consensu dubitare vix sinunt. Hanc autem divitem venam in compingendis contaciis divinitus, ut fertur, recepit Romanus; cùm enim, ut narrant Menæa, quibus tamen ubique indubia fides haberi non debet, ab apparente aliquando in somnis, ipsa scilicet Natalitiâ Christi nocte, Sanctissima Dei Genitrice Maria librum chartaceum, quem hæc porrigebat, jussus fuisset deglutire, sibique videretur promptissimè obtemperâsse, mox expergefactus, conscenso ambone, extemporale illud

AUCTORE C. B. *lud odarium, quod in Menæis Chriſti die natali etiamnum legitur, atque hîc integrum Græcè & Latinè exempli causâ ſubjungo, cantare incepit:*

Η' ϖαρθένος σήμερον τὸ ὑπερούσιον τίκτει,
Καὶ ἡ γῆ τὸ σπήλαιον τῷ ἀπροσίτῳ ϖροσάγει,
Ἄγγελοι μετὰ ϖοιμένων δοξολογοῦσι,
Μάγοι δ' μετὰ ἀστέρος ὁδοιποροῦσι·
Δί ἡμᾶς γὰρ ἐγεννήθη ϖαιδίον νέον, ὁ ϖρὸ αἰώνων Θεός.

Virgo hodie ſuperſubſtantialem parit,
Et terra ſpeluncam ei, qui accedi non poteſt, offert,
Angeli cum paſtoribus Deum glorificant,
Magi cum ſtella iter faciunt;
Propter nos enim natus eſt novus Infans, ante ſecula Deus.

ob quam, præmiſſa contacii notione,

9 *Porro antequam hoc contaciorum donum Sancto divinitus collatum pluribus attingam, lubet, ne quid indagandum reſtet, genuinam notionem, quam in Græcorum* ἀκολουθίᾳ *atque adeò in Elogio ex Menæis dando contacium ſortitur, ex Iſaacio Haberto præmittere, qui in* Ἀρχιερατικῷ *ſive libro pontificali eccleſiæ Græcæ inter diverſas ſignificationes, quas dicto vocabulo attribuit, hanc*
B *ſequentem, quæ ſola in propoſito noſtro obtinet, etiam recenſet, atque his verbis exponit:* In oratione ſive divini horarum Officii recitatione vel decantatione contacium eſt genus quoddam modulatum hymni ſeu cantici eccleſiaſtici, ceteris ſimplicius iiſque brevius, quale ſingulis diebus Feſtis proprium eſt: unde κοντάκιον τ῀ ἡμέρας contacium diei vocatur. *Contacio, prout in* ἀκολουθίᾳ *ſive divino officio locum tenet, ſimilem quoque notionem aſſignant omnes paſſim eruditi, qui rem hanc tractârunt. At de ejuſdem vocabuli etymologia, quæ ſignificationi dilucidandæ ſubſervit, non æquè inter omnes convenit, aliis à dictione* κοντὸς, *quæ idiomate vulgari rem brevem, aliis verò à* κοντὸν, *quod telum & ſpiculum, ut docet Cangii Gloſſarium, etiam ſignificat, eam deducentibus. Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus, Brixienſis epiſcopus in poſterioris partis Diatribis ad vetus Officium Quadrageſimale Græciæ orthodoxæ à pag.* 142 *uſque ad* 159 *omnia, quæ de præfati vocabuli etymologia apud varios auctores ſparſim ſcripta atque notatu digna invenit, non minùs erudita quàm operoſa diſſertatione complexus eſt, ſuamque inſuper ſymbolam adjecit, quem propterea conſulere poteſt lector ſciendi avidus, cui ne longiori digreſſione ſim moleſtus, ad propoſitum redeo.*

C *laudari in Menæis Romanus oſtenditur,*

10 *In Menæis longiori elogio præmittuntur duo verſiculi, quibus alluditur ad contacia ſive hymnodias à Sancto compoſitas, ob quas deinde pluribus adjectis tropariis ſive canticis collaudatur. Verſiculos tranſcribo cum interpretatione Latina.*

Καὶ ϖρὶν μὲν ὕμνει ῥωμανὸς θεὸν λόγον·
Υ'μνεῖ δ' καὶ νῦν, ἀλλὰ καὶ σὺν ἀγγέλοις.

Ante quidem hymnis celebravit Romanus divinum Verbum;
Celebrat autem & nunc, ſed & cum angelis.

E Tropariis ſeu canticis unicum dumtaxat, quod laudes Sancti ob compoſitas hymnodias præ reliquis complectitur, Græcè pariter & Latinè hic exhibeo:

Ἐν θεοπνεύστοις ἄσμασι κατεστράνωσας, μάκαρ, τὸν τ῀ χριστ῀ ἀπόῤῥητον θείαν οἰκονομίαν, καὶ ὕμνοις ἔσεμψας ϖάντας, Ῥωμανὲ, τοὺς ἁγίους, μεθ' ὧν φαιδρῶς ἀνύμνησας τὴν ἁγνὴν καὶ παρθένον καὶ ἀληθῆ τ῀ Θεοῦ Μητέρα, ϖάνσοφε πάτερ, μεθ' ἧς ἡμῶν μνημόνευε ϖαρεσὼς τῇ Τριάδι. Canticis divinitus inſpiratis manifeſtâſti, Beate, divinam Chriſti arcanam Providentiam, & laudibus, Romane, coronâſti omnes Sanctos, quibuſcum, ſapientiſſime Pater, celebrâſti puram & Virginem & veram Dei Matrem, quacum adſtans Trinitati, noſtri reminiſcere. *Hoc etiam troparium, utpote quo omnes Sanctos laudibus coronâſſe aſſeritur, contacia ingenti numero concinnâſſe* S. Romanus *ſatis indicatur.* D

qui, quamquam plurima condiderit contacia, non omnium tamen in Menæis occurrentium eſt auctor,

11 *Laudatus Cardinalis Quirinus in Diatribis citatis pag.* 171 *plura contaciorum millia Sancto attribuit ex his Menæorum verbis;* ὡς εἶναι τὸ πλῆθος τ῀ ὑπ' αὐτ῀ γενομένων κονταχίων ὑπὲρ τὰ χίλια, *quibus ego exiſtimo dumtaxat ſignificari contaciorum à Sancto compoſitorum copiam unum mille excedere; etenim* χίλια, *licet pluralis ſit numeri, ſe ſolo plura millia ſignificare, nuſpiam apud probatos auctores invenio. Quamvis porrò* Romanus *tot feratur ſcripſiſſe contacia, non propterea tamen omnia contacia in eccleſiaſticis Græcorum libris occurrentia ad* Romanum, *ceu eorumdem auctorem ſunt referenda, ſed pleraque illis potiùs hymnographis adſcribenda, quorum ipſa odas dirimunt; eoque magis, quòd ibidem plura contacia in Sanctos* Romano *juniores, ac de ſolemnitatibus longè poſt* Romani *obitum in eccleſia Græca inſtitutis, compoſita legantur. Hæc ante me Diatribis citatis pag.* 171 *&* 172 *iiſdem ferè verbis annotavit Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus ſæpe laudatus, qui ſibi præluxiſſe Wangnereckium in Proleg. ad piet. Mar. Græc. num.* 18, *ingenuè fatetur. Wangnereckius tamen omnia contacia, quæ de feſtis vel Sanctis,* S. Romano *antiquioribus, reperiuntur, eidem Sancto videtur imputare; ſanè in piet. Mar. Græc. num.* 93 *&* 214 *ex Menæis duo contacia, quorum unum* XV *Januarii in cathiſmate virginali inter oden* 3 *&* 4 *de S. Paulo Thebæo, alterum verò* X *Februarii in cathiſmate virginali poſt oden* 3 *de S. Charalampo ponitur,* Romano *indubitanter attribuit. Non inquiro, an hi duo moduli, qui inter cathiſmata in Menæis reponuntur, contaciis meritò annumerentur; at quòd non adeò indubiè* S. Romani *ſint, argumento eſt, quòd nomen* Romani *non præferant, ubi tamen primævum Sancti contacium ſuprà num.* 8 *adductum, quod procul omni dubio ad alium non ſpectat hymnographum, hunc ſibi titulum præfixum habet:* Ποίημα Ῥωμανοῦ τ῀ Μελῳδ῀, opus Romani Melodi. E

neque etiam id genus hymnorum primus eſt inventor.

12 *Quod ſi tamen* Romano *adſcribenda forent omnia contacia, quæ adſcripſiſſe videtur laudatus Wangnereckius, nonnihil probabilitatis acquireret ipſiuſmet Wangnereckii aliorumque opinio, qui* Romanum *ſtatuerunt primum contaciorum inventorem. Verùm cùm dubitari meritò poſſit, an ante* S. Romanum *precibus in eccleſia recitandis vel decantandis contacia non fuerint immixta, cum Rayæo noſtro conſentio, qui in Tract. prælim. ad tom.* 2 *Junii de Acoluthia officii Græci pag.* XVIII *num.* 16 *propterea* S. Romano *contaciorum inventionem abjudicat, quòd Menæa indicent quidem, contacia à* S. Romano *compoſita fuiſſe quàm plurima; ſed ab ipſo fuiſſe primùm inventa non indicent. Addit, Menæa* S. Romani *Feſtum ſic indicere:* Μνήμη τ῀ ὁσίου ϖατρὸς ἡμῶν Ῥωμανοῦ ϖοιητ῀ τ῀ κονταχίων, *ubi non* ϖοιητ῀ τ῀ κονταχίων, poëtæ *ſive* conditoris contaciorum, ſed εὑρετ῀, inventoris *nomine annuntiare Sanctum debuiſſent, ſi voluiſſent contaciorum inventionem ipſi attribuere. Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus Diatr. cit. pag.* 172 *candidè fatetur, ſe nihil habere, quod hîc Rayæo opponat, cujus etiam opinionem confirmari poſſe ait ex eo, quòd Joſephus quoque hymnographus, junior videlicet, qui pangendorum canonum facultatem miraculo pariter accepiſſe fertur, in quibuſdam Synaxariis* ϖοιητὴς τ῀ κανόνων, conditor canonum *nuncupetur, nec propterea tamen*

A *men ejuſcemodi hymnorum, qui* canones *appellantur, primus inventor reputetur.*

Elogium ex Menæis,

13 *Tradita à me hactenus de* S. Romano *non nullis annotationibus fuerunt interrumpenda, at nunc integrum ex Menæis elogium à me Latinè redditum ſine ulla interruptione ſubjicio :* Hic S. ROMANUS fuit ex Syria ex civitate Emeſena, diaconus ſanctæ eccleſiæ Beryti. Cùm autem temporibus Anaſtaſii imperatoris veniſſet Conſtantinopolim, commoratus eſt in templo Sanctiſſimæ Dei Genitricis à Cyro ædificato, piam vitam agens, pernoctanſque in Blachernarum pervigiliis. Peragebat igitur ibidem nocturnas Vigilias, rurſumque revertebatur ad templum à Cyro ædificatum, ubi & gratiam compoſitionis contaciorum accepit, cùm in ſomnis apparuiſſet ipſi Sanctiſſima Dei Genitrix, eique tomum ſeu partem chartæ præbuiſſet, deglutire jubens. Viſus eſt igitur os aperire & chartam abſorbere (erat autem natalitium Chriſti feſtum) atque confeſtim expergefactus, ambonem conſcendens pſallere cœpit : Hodie Virgo ſuperſubſtantialem parit. Atque ubi reliquorum feſtorum, ſed & illuſtrium Sanctorum contacia perfeciſſet, ita ut

B contaciorum ab ipſo compoſitorum copia unum mille excedat, in pace vitam finivit. *Huic elogio nihil ſuperaddit vel detrahit Maximus Cytheræus, Menæa paſſim ſecutus.*

14 *At Synaxarium Conſtantinopolitanum Ms., quod fuit Sirmondi, ſequens habet auctarium :* ᾧ ἐτάφη ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ, ἔνθα καὶ τελεῖται ἡ αὐτοῦ σύναξις. Et ſepultus eſt (*S. Romanus*) in eadem eccleſia ; ubi (*ſcilicet in templo Cyri*) etiam ipſius feſtivitas celebratur. *Ex his habemus antiquum Sancti cultum in templo Deiparæ Conſtantinopolitano à Cyro ædificato : pro cultu hodierno probando multùm facit, quòd Typicum S. Sabæ, Horologium Crypto-ferratenſe, atque etiam Anthologium Venetiis anno* 1738 *noviſſimè editum, Sancti commemorationem in Officio eccleſiaſtico faciendam præſcribant. His accedit Specimen eccleſiæ Ruthenicæ cum ſancta Sede Apoſtolica Romana ſemper unitæ anno* 1733 *Romæ excuſum, in quo, parte ſecunda, in Ephemeridas Moſcorum figuratas ad* 1 *Octobris Ignatius Kulczynski monachus Ord. S. Baſilii mag. Ruthenus, procurat. gener. & rect. SS. Sergii & Bacchi ad montes, laudati Operis auctor, opportunè ad propoſitum noſtrum aſſerit, Feſtum* Pocrou, *ſive Protectionis Sanctiſſimæ Dei Genitricis dictum, ſolemniter à Ruthenis eo die celebrari, ſeque in ſuo Anthologio habere Officium cum parvis & magnis Veſperis, cum tribus canonibus, uno de protectione, altero de Anania, cujus etiam memoria tum recolitur, tertio de* S. Romano. *Ceterùm liquet,* S. Romanum *floruiſſe circa annum Chriſti* 500, *cùm Conſtantinopolim venerit tempore Anaſtaſii imperatoris, qui ſub finem ſeculi quinti atque initium Sexti imperio Orientis præfuit. Conſonat Menologium Slavo-Ruſſicum Latinè redditum à generoſo Domino, Joanne Gabriele, barone de Sparwenfeld, quod Sanctum anno* 496 *vixiſſe affirmat.*

AUCTORE C. B.

cultus eccleſiaſticus & tempus, circa quod Sanctus Floruit.

E

DE S. REMIGIO EPISCOPO REMENSI

FRANCORUM APOSTOLO,

REMIS IN CAMPANIA GALLICA

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. S.

C

§ I. Sancti memoria ad duos præſertim dies in ſacris Faſtis ſignata : in his nomen variè expreſſum : variæ ejuſdem feſtivitates in Martyrologiis.

F

CIRCA D. XXXII. *Annuntiatur in multis Martyrologiis*

Sanctus Remigius *Durocortori Remorum in Campania Galliæ epiſcopus, magnum apud Francos Apoſtolatûs titulo meritoque nomen, ad duos præſertim dies vetuſtis æquè ac recentioribus Martyrologiis inſcriptus legitur, in quorum aliquot* Remedius *appellatur. Ad diem* XIII *Januarii, quæ ejuſdem emortualis fuiſſe creditur, Florus in Auctario venerabilis Bedæ in codicibus Atrebatenſi, Tornacenſi & Lætienſi, ab Henſchenio noſtro ante tom. 2 Martii relatis, ipſum cum brevi hoc elogio ex ipſius Vita deprompto memorat :* Remis depoſitio S. Remigii, epiſcopi & confeſſoris. Hic primus Francorum gentem cum Clodoveo, principe eorum, baptizavit. Qui plurimorum miraculorum ſignis coruſcans, puellam, quam priùs dæmonio vexatam ſanaverat, poſtea mortuam ſuſcitavit. Scriptum in Geſtis ejus. *Eodem die illum annuntiat Uſuardus Sollerii,* Remis metropoli, *inquiens,* depoſitio ſancti Remigii epiſcopi, viri eximiæ virtutis. Cujus ſanctitatis præconium merito credulitatis ſuæ gens Francorum debitæ venerationis cultu celebriter recolit. *Apud Martenium quoque tom. 3 Theſauri novi Anecdotorum inter Martyrologia antiquiſſima, in Corbeienſi col.* 1593 *eo die legitur :* Remis S. Remigii archiepiſcopi.

ad diem 13 *Januarii, quo obiiſſe creditur ;*

2 *Conſonat & aliud è bibliotheca ſereniſſimæ reginæ Sueciæ, quod antè fuerat Senonenſe S. Columbæ, poſt tom.* VI *Junii Operis noſtri datum :* Remis tranſiti (*id eſt, feſtum* tranſitûs, *ſive* obitûs) Remigii confeſſ. præcipui. *Addo & vetus Kalendarium à Luca Acherio (qui illud ſeculo* IX *ſcriptum fuiſſe cenſuit) editum in Spicilegio veterum ſcriptorum tom.* 10, *ubi pag.* 130 *Idibus Ja-*

AUCTORE C. S.

Januarii ſic habet : Remis depoſitio S. Remigii epiſcopi. *Accedit Hagiologium Franco-Gallicæ à Labbeo vulgatum :* Remis metropoli, natalis ſancti Remigii epiſcopi, viri eximiæ virtutis. *Item Florarium noſtrum Ms. Sanctorum :* Remis metropoli, depoſitio ſancti Remigii epiſcopi, Francorum apoſtoli. Hujus tranſlatio agitur Kalendis Octobris. Obiit anno DXLV ; *imò multo citiùs, ut ſuo loco probabimus. Sequuntur denique recentiores, Petrus Galeſinius in Martyrologio Eccleſiæ Romanæ, Sauſſayus in Gallicano, Caſtellanus in Univerſali, ac denique auctor Martyrologii Pariſienſis, Eminentiſſimi Cardinalis de Noailles, archiepiſcopi Pariſienſis auctoritate anno* 1727 *vulgati. Eſt autem hæc dies* S. Remigio *natalis ſeu depoſitionis titulo ſacra, ac præcipuo cultu à clero populoque per univerſam archidiœceſim Remenſem celebratur*

ſed celebrior ejuſdem memoria eſt

3 *Longè tamen frequentior eſt ejuſdem ſancti Præſulis in ſacris Faſtis memoria ad diem* 1 *Octobris, quo venerabile illius corpus tranſlatum fuit, quoque feſtivitas* B. Remigii *jam inde à tempore S. Gregorii Turonenſis celebris habebatur, eodem ſancto ſcriptore teſte in Hiſtoria Francorum* B *lib.* 8, *cap.* 21 *ex recenſione Theodorici Ruinartii. Beda in Martyrologio ſuo per Henſchenium edito ipſum ſolum hoc die ſignavit paucis his verbis :* Kalendis. Feſtivitas S. Remigii Remis civitate. *Romanum vetus, ſeu parvum Roſweydi eodem die habet :* Et Remis civitate ſancti Remigii epiſcopi. *In veteri Calendario Acheriano, in quo, ut præcedenti numero dixi, illius* depoſitio *ad diem* XIII *Januarii ſignata eſt, denuo legitur :* Kal. Octobris Natalis ſancti Remigii epiſcopi. *Breviter item illum hodie memorant antiquiſſima Martyrologia vel Calendaria Hieronymiana, à Martenio tom.* 3 *Theſauri novi Anecdotorum edita ; nimirum S. Germani Autiſſiodorenſe, Morbacenſe, Corbeienſe, Tornacenſe, aliud Corbeienſe, & monaſterii Lyrenſis ; quibus adde & Auguſtanum, in Opere noſtro poſt tom.* VI *Junii datum.*

ad diem 1 *Octobris, quo ſacrum corpus ejus*

4 *Hiſce omnibus Wandelbertus in Martyrologio ſuo metrico apud Acherium tom.* 5 *Spicilegii ſic concinit :*

Francos qui primus docuit domuitque feroces,
Remigius proprio Octimbrem præſignat honore.

C *Paulò prolixius elogium dedit Ado, item ad Kalendas Octobris hæc inquiens :* Rhemis civitate, ſancti Remigii, epiſcopi & confeſſoris, viri præclariſſimæ virtutis & ſanctitatis. Hic gentem Francorum, idolorum culturis deditam, convertit ad Chriſtum, rege ipſorum ſacro fonte Baptiſmatis & ſacramentis fidei priùs initiato. Septuaginta & eo amplius in epiſcopatu annos explevit. Hic inter cetera facta puellam à morte corporis ſuſcitavit. *Uſuardus quoque, qui ipſius depoſitionem ad* XIII *Januarii memoraverat, ejuſdem tranſlationem ad diem* 1 *Octobris ſignavit hoc modo :* Eodem die tranſlatio ſanctorum confeſſorum Germani & Remigii, quorum prior Autiſſiodorenſem, alter verò Remenſem rexit eccleſiam. *Eadem ferè, ſed omiſſa voce* tranſlatio, *leguntur in Hagiologio Franco-Gallicæ Labbei. Cetera quoque Martyrologia, quæ pro die* XIII *Januarii ſuperiùs laudavi, rurſum ad Kalendas Octobris* S. Remigii *memoriam paſſim celebrant. Ne longior ſim, ſolius Florarii noſtri Ms. verba, quibus feſti ratio, non tamen ſine errore, exponitur, hîc adjicio.*

5 *In hujus Indice primò legitur :* Ejus tranſlatio prima & ſecunda primo die Octobris ; *deinde verò ad dictas Kalendas dicitur :* Remis civitate, tranſlatio S. Remigii epiſcopi & confeſſoris, cujus corpus cùm poſt obitum ejus ad eccleſiam ſanctorum Thymothei & Apollinaris deferretur, ſecus eccleſiam S. Chryſtophori cepit adeò ponderare, quòd coacti ſint illud ibidem relinquere. Ubi cùm multa miracula fierent, eccleſiam ampliaverunt, & ipſum in capſa argentea poſuerunt anno Salutis DCCCLIII. *Legerat hæc Florarii auctor in Vita edenda, ſed quantùm ad tranſlationes pertinet, eas non rectè explicavit. Tres ſacri corporis* Remigii *tranſlationes variis quidem ſeculis, ſed Kalendis Octobris factæ memorantur. Prima contigit incerto anno, at eodem tamen ſeculo* VI, *quo ille obierat ; ſecunda facta eſt ab Hincmaro archiepiſcopo Remenſi, non anno* 853 *ſed* 852. *Tertiam denique peregit S. Leo IX ſummus Pontifex Romanus, dum is anno* 1049 *in civitate Remenſi præſens degeret. Porrò etſi dies* 1 *Octobris proinde dies tranſlationum* S. Remigii *ſit, eoque titulo in variis Martyrologiis ſignetur, ejuſdem tamen feſtum natale ad eumdem diem tranſlationibus iſtis celebrem jam antiquitus relatum fuiſſe, ſuo tempore oſtendam.*

D *variis temporibus tranſlatum fuit.*

6 *In hunc locum ſervavi præterea aliquot vetuſta Martyrologia, quæ* S. Remigium *noſtrum iiſdem quidem Kalendis Octobribus annuntiant, ſed mutato paululùm nomine,* Remedium *vel* Remedum *appellant. In ſuprà laudato Theſauro Anecdotorum Martenii Martyrologium S. Germani Autiſſiodorenſis ſic habet :* Remus (*id eſt,* Remis) Remedii *: Corbeienſe ibidem :* Remis, ſancti Remedi : *Gellonenſe in Spicilegio Acherii tomo* 2, *pag.* 35 *:* Remis, Remedii epiſcopi. *Inter Martyrologia quoque apud nos poſt tomum* VI *Junii excuſa, Richenovienſe ait :* Remis, depoſitio ſancti Remedii epiſcopi ; *Labbeanum :* Rem. (*id eſt,* Remis) Remedii epiſcopi ; *Corbeienſe brevius :* Remis S. Remedii *: Hieronymianum vetuſtius, ſive Lucenſe Florentinii :* Remedii, *ibidemque præmiſſum fuerat ad* XV *Januarii :* Depoſitio S. Rimedii epiſcopi & confeſſoris. *Eodem nomine uſus etiam Rabanus eſt in Martyrologio his ipſis Kalendis dicens :* Rhemis civitate, Remedii epiſcopi. *Similiter Notkerus in ſuo item Martyrologio, ubi cetera ferè ex Adone deſcribens,* Remis, *inquit,* ſancti Remedii epiſcopi *&c.*

E *In aliquot Martyrologiis Remedius,*

7 *Hugo Menardus in Notis & Obſervationibus ad Librum Sacramentorum S. Gregorii I Papæ pag.* 182 *cenſuit, vocem* Remedium *ex* Remegio *factam eſſe. Cùm enim ibidem pag.* 181 *laudâſſet codicem Remenſem ejuſdem Libri apographum, quem anno* 31 *regni Caroli Magni exaratum fuiſſe ſtatuit, & in quo* Remegii *pro* Remigii *legitur, obſervavit ſequentia.* Notandum eſt, in multis Mss. codicibus ſcribi REMEGII pro REMIGII, ut in hoc codice. Unde & in multis codicibus Mss. & antiquis excuſis, mutato G in D, ſcribitur REMEDII ; ita ut hic Pontifex REMIGIUS, & quidem uſitatiùs ; interdum REMEGIUS ; aliquando REMEDIUS dicatur. *Neque ego dubito, quin proprium hujus ſancti Præſulis nomen ſit* Remigius, *quo modo tam in ſuis litteris, quàm in aliis ipſi ſynchronis vel ætate proximis monumentis editis ſcriptum legitur. Facili quoque mutatione potuit vox* Remigius *in* Remegius, *ac demum in* Remedius *tranſire ; ſed pari quoque facilitate* Remedius *in* Remegius ; *quorum quid veriſimilius ſit, pauliſper examinemus. Menardus aſſerit quidem, in multis Mss. codicibus ſcribi* Remegii *pro* Remigii ; *ſed nullum præter ſuum Remenſem nominatim exprimit ; ſimulque fatetur,* in

alibi etiam Remegius appellatur,

A in multis codicibus Mss., & antiquis excusis *legi* Remedii.

sed proprium ejus nomen Remigium esse,

8 *Ego verò in multis Martyrologiis, quæ recensui, reperi* Remigium, Remedium & Remedum; *in nullo* Remegium. *At fuerint sanè, si velis, isthæc omnia recentiora Menardino codice Remensi circa finem seculi* VIII *ex illius sententia exarato; certè tamen antiquior illo est Fredegarius Scholasticus, seculi* VII *scriptor, à quo tam in Historia Francorum S. Gregorii epitomata, quàm in Chronico, non* Remegius, *sed* Remedius *appellatur. Edidit hæc Theodoricus Ruinartius, unà cum Operibus S. Gregorii Turonensis, accepta ex codice Sirmondi, sive Claromontano, ipsi Fredegario synchrono. Porrò in laudata Epitome ibidem col.* 556, *cap.* 16 *sic ille scribit:* Sanctus ac apostolicus Remedius, Pontifex ejusdem urbis (*Remensis*) ad Chlodoveum veniens *&c. Ac paulò infrà:* Urceum (*Chlodoveus rex*) beato Remedio transmisit. *Rursum col.* 560, *cap.* 21 *bis* Remedius, *nec aliter nominatur. Demum in Chronico col.* 654, *cap.* 83 *legitur:* Ermenfredus in Auster Remus (*id est*, Remos) ad basilicam sancti Remedii fecit confugium. *Mitto plura, solumque addo Hincmarum, seculo* IX *archiepiscopum Remensem, qui licèt sanctum Præsulem nostrum* Remigium *constanter appellet, nihilominus observat, eumdem etiam* Remedium *ab aliquibus dictum fuisse, ac tandem pro* Remigio *concludit. Juverit ipsum audîsse.*

B

Hincmarus monet ex certioribus monumentis.

9 *In Vita edenda num.* 9 *ita disserit:* Nec illud silendum est, quia in cartis recenti tempore post illius obitum, sed & post plura annorum curricula factis de rebus isti Remensi ecclesiæ traditis, REMEDIUM eum fuisse nominatum legimus. Quod, qui ad merita & actus illius attendit, congruere, hoc eum nomine appellatum fuisse, intelligit, qui mitigator furoris Domini in tempore iracundiæ factus est reconciliatio... Meritò igitur eum REMEDIUM fuisse nominatum in baptismate crederemus, nisi in emendationibus gestis, illum oraculo divino per sanctum Montanum, REMIGIUM vocari debere, cognosceremus. Sed in versibus metricis ab ipso compositis, & jussione illius in quodam vase ab eo consecrato sculptis ita legimus:

"Hauriat hinc populus vitam de Sanguine sacro,
„Injecto, æternus quem fudit vulnere Christus.
„Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.„

Eadem Flodoardus lib. I *Historiæ Remensis cap.* 10 *adoptavit, isque non minùs quàm Hincmarus,* Remegii *pro* Remigii *nomen nesciviisse videtur. Quam ob rem dicendum videtur, sanctum Præsulem priùs* Remedium, *dictum fuisse, quàm* Remegium, *ac proinde si alterum ex altero formatum fuerit, ex* Remedio *potiùs* Remegium, *quàm contrà, factum esse.*

C

Ejusdem variæ festivitates

10 *Redeo ad Martyrologia, de quibus pauca annotanda supersunt. Suprà jam monui, in Vetustiore Martyrologio Hieronymiano, quod Florentinius vulgavit, non ad diem* XIII *Januarii, sed ad* XV *ejusdem mensis* S. Remigii *mentionem haberi. Verba, quæ velut antiquaria manu diverso characterе ceteris addita, ibidem leguntur, hæc sunt:* Remus, depositio S. Rimedii episcopi & confessoris. *Grevenus ad eumdem diem in Additionibus Usuardinis habet:* Remedii episcopi & confessoris. *Dubium non est, quin utrobique idem sanctus Remensis Præsul indicetur; & Florentinius ex Greveno, ut existimo, ibidem annotavit:* Sub hac tamen die XV Januarii ejus depositionem agunt Carthusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum. *Ratio translationis festi fuisse videtur, quòd dies* XIII *Januarii Octavâ Epiphaniæ Domini, dies autem* XIV *festo S. Hilarii Pictavensis impeditæ essent. Certè in Matricula Carthusiæ Ultrajectinæ ea ratio traditur, cur ejusdem* S. Remigii *festum natale ibidem die* 1 *Octobris agatur. Ita enim inter Auctaria Usuardina, apud Solleriuum in illa ad Kalendas Octobris legitur:* Remigii episcopi & confessoris, cujus festum hîc celebratur in Ordine, quando scilicet translatio ejus accidit; quia in die obitûs propter Octavas Epiphaniæ & commemorationem sancti Hilarii non vacat.

AUCTORE C. S.

ad varios dies in sacris Fastis adscripta:

11 *Codex Usuardinus Herinensis ex recensione laudati Sollerii aliam ejusdem Sancti festivitatem, translationis scilicet, ad diem* XXIX *Maii puro Usuardi textui præfigit his verbis:* Translatio corporis beati Remigii, Francorum apostoli, ab eo loco, in quo antea jacuerat, in eadem ecclesia. *Eadem descripsit auctor Florarii nostri Ms., addens, quotam hanc fuisse crederet translationem, & sic inquiens:* Translatio tertia corporis beati Remigii, Francorum apostoli, ab eo loco, ubi antea jacuerat, in eadem ecclesia. *In hoc eodem Florario ad diem* XXIX *Decembris denuò legitur:* Item relatio pretiosissimi corporis beati Remigii, Francorum apostoli, à civitate Remorum. *Denique Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano varias illius festivitates recensuit: nimirum ad diem* XIII *Januarii festum ejus natale sive obitûs; ad* XXIX *Maii tertiam sacri corporis translationem; ad* 1 *Octobris celebriorem translationem; ad diem* 2 *ejusdem mensis dedicationem ecclesiæ Remensis, corporisque exaltationem; ac tandem ad* XXX *Decembris ejusdem mirificam relationem, de quibus singulis in hoc Commentario suis locis agemus. Castellanus in Notis ad Martyrologium Romanum, die* XIII *Januarii in* S. Remigio *scribit, memoriam translationis, anno* 852 *ab Hincmaro factæ, recoli* die XIII Novembris; *quod ex errore dictum videtur: nam translatio ista certè contigit Kalendis Octobris, eoque die cum aliis translationibus recoli soluit.*

E

nos cum Martyrologio Romano de illo hodie agimus.

12 *Ceterùm, quia, ut dictum est, Kalendæ Octobres* S. Remigii *nostri memoriæ jam à multis seculis consecratæ fuerunt, easdemque ex dicendis in gloria posthuma etiam synodalia Gallorum decreta, & regum capitularia, atque ipse S. Leo IX Papa eidem dicârunt, non immeritò Cardinalis Baronius eumdem sanctum Francorum Apostolum iisdem Kalendis Martyrologio Romano cum sequenti elogio inscripsit:* Rhemis in Gallia, sancti Remigii episcopi & confessoris, qui gentem Francorum convertit ad Christum, Clodoveo ipsorum rege sacro fonte Baptismatis & fidei sacramentis initiato: & cùm annos plurimos in episcopatu explêsset, sanctitate & miraculorum virtute conspicuus decessit è vita Idibus Januarii; ejus tamen festivitas hac die recolitur, quâ sacrum ipsius corpus postea fuit translatum. *Eâdem de causa Majores nostri in Prætermissis ad dies* XIII *&* XV *Januarii, iterumque ad* XXIX *Maii ejusdem gesta in Kalendas Octobres distulerunt, ad quorum fidem liberandam ea hodie damus.*

F

* * * *
* * *
* *
*

AUCTORE C. S.

§ II. Primigenia S. Remigii Vita amiſſa : ejuſdem Compendium aliquod , auctore Venantio Fortunato , edendum : Vitæ per Hincmarum ſcriptæ & dandæ cenſura : aliquot alia monumenta præſertim de ſacri corporis tranſlationibus.

Vita Sancti, ſeculo VI, *quo obierat, prolixè ſcripta,*

JAm ab aliis meritò obſervatum eſt , S. Remigii , *inſignis eruditionis ſanctitatiſque viri , apoſtolatum in gente Francorum , ac diuturnum epiſcopatum , non potuiſſe non amplam ſcribendæ hiſtoriæ materiam ſynchronis ſuis dediſſe.* Erat enim (*ut loquitur S. Gregorius Turonenſis lib.* 2 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 31 *editionis Ruinartii , quâ utor*) S. Remigius epiſcopus egregiæ ſcientiæ & Rhetoricis adprimè imbutus ſtudiis ; ſed
B & ſanctitate ita prælatus , ut S. Silveſtri virtutibus æquaretur. *Et eodem teſte in libro de Gloria confeſſorum cap.* 79 , Remigius ... Remenſis urbis epiſcopus ... ut ferunt , ſeptuaginta , aut eo amplius , in epiſcopatu annos explevit. *Nec verò defuiſſe , qui iſthoc labore apud poſteros bene mereri vellet , docet Hincmarus , ſeculo* IX *archiepiſcopus Remenſis , in Prologo ad Vitam ſecundo loco edendam num.* 1 , *ex quo delibo ſequentia.* Sicut à ſenibus , etiam ætatis provectæ , viris religioſis , qui de tempore Tilpini , hujus urbis præſulis , adhuc vivebant , quando in ſervitium iſtius ſanctæ eccleſiæ , auctore Deo , fui electus atque provectus , ... fideli relatione didici , à ſuis majoribus audierunt narrari , eos vidiſſe librum maximæ quantitatis , manu antiquaria ſcriptum de ortu ac vita & virtutibus atque obitu beati Remigii , ſanctiſſimi patroni noſtri.

jam perierat ſeculo IX,

14 *Verùm librum hunc ſuo tempore , id eſt , ſeculo* IX *non ſuperfuiſſe , ibidem conqueritur , duas hujus jacturæ cauſas allegans. Prima eſt , quòd cùm ille prolixitate ſua paſſim diſplicuiſſet , eodemque ex capite ad eccleſiaſticos uſus minimè accommodatus eſſet , jam inde à ſeculo* VI , *quo* S. Remigius *exceſſit è vivis , in exiguum compendium contractus fuerit , ac tum prolixius iſtud Opus*
C *legi deſierit* ; Et cùm ipſa Exceptio (*id eſt* compendium) cœpit lectione in populo frequentari , & à multis propter brevitatis ſuæ facilitatem tranſcribi ; ipſe magnus codex à negligentibus negligentiùs cœpit haberi. *Alteram cauſam rejicit in bella inteſtina afflictumque eccleſiarum Galliæ ſub principe Carolo Martello ſtatum , & depravatos mores clericorum , quos ad victum ſibi è mercatura comparandum inopiâ compulſos fuiſſe memorat.* Sicque (*ut ibidem proſequitur*) præfatus liber cum aliis , partim ſtillicidio putrefactus , partim à ſoricibus corroſus , partim foliorum abſciſione diviſus , in tantum deperiit , ut pauca & diſperſa inde folia vix reperta fuerint.

quo illam fruſtra quæſivit Hincmarus archiepiſcopus Remenſis :

15 *Continuatores Galliæ Chriſtianæ tom.* 9 , *col.* 28 *epiſcopatum Tilpini ab exeunte Chriſti anno* 753 *vel ineunte* 754 *uſque ad* 794 *deducunt ; columnâ verò* 39 *Hincmari ſedis initium anno* 845 *affigunt. Igitur inter Tilpini obitum & Hincmari epiſcopatûs exordium anni tantùm* 51 *circitèr interceſſerunt ; ut facilè potuerint laudati ab Hincmaro grandævi ſenes utriuſque ſedis tempora attigiſſe. Adhæc cùm à Caroli Martelli obitu , qui* 741 *accidit , uſque ad Tilpini mortem ſolùm anni circitèr* 53 *numerentur , pariter liquet , eorumdem ſenum majores facilè videre potuiſſe prædictum librum Vitæ* S. Remigii , *antequam is ſub eodem Carolo peſſumdatus eſſet. Addit Hincmarus , ſeſe omnem operam in eodem codice quærendo perdidiſſe* , quibuſdam (*inquiens , num.* 7) dicentibus , quia in illo & illo loco magnum librum de vita & virtutibus ipſius Domni & Patroni noſtri reperire valerem. Ad quæ mittens , quæ mihi promiſſa fuerunt , penitus falſa inveni. *Ita ipſe ſeculo* IX , *nec quemquam in hoc libro quærendo deinde feliciorem fuiſſe arbitror ; cùm hactenus non comparuerit , & pro amiſſo habeatur.*

ſed ejuſdem breve compendium ſeculo VI

16 *Hac igitur ſpe remiſſa , in ejuſdem prolixioris Vitæ vetus compendium , quod occaſio jacturæ prolixioris Vitæ fuiſſe dictum eſt , inquiramus. Laudatus Hincmarus de illius auctore cauſâque ac methodo ſcriptionis ita rurſum loquitur :* Ægidius poſt beatum Remigium quartus iſtius civitatis (*Remenſis*) epiſcopus quemdam virum religioſum , nomine Fortunatum , metricis verſibus inſignem , qui à multis potentibus & honorabi-
E libus viris in his Gallicis & Belgicis regionibus per diverſa loca tunc vitæ ac ſcientiæ ſuæ merito invitabatur , petiit , de eodem libro , coturno Gallicano dictato , aperto ſermone aliqua miracula , quæ in populo recitarentur , excipere ; quatinus ea ſine tædio audire & mente recondere , atque per ea ad amorem & honorem atque devotionem Dei & ipſius Protectoris ſui idem populus excitari valeret. Quod in eadem Exceptione lector poteſt advertere , ubi ſcriptum eſt : STUDEAMUS PAUCA DISSERERE, PLURIMA PRÆTERIRE. *Ægidius , de quo hîc loquitur , tom.* 9 *Galliæ Chriſtianæ col.* 14 *& ſequentibus dicitur in Remenſi eccleſia jam ſediſſe anno* 565 , *annoque* 590 *in Verodunenſi ſynodo depoſitus atque à Childeberto Auſtraſiæ rege Argentoratum in exſilium miſſus.*

fecerat Venantius Fortunatus , vir ſanctitate & ſcriptis clarus ,

17 *Fortunatus verò Compendii , ſive , ut Hincmarus loquitur ,* Exceptionis *auctor , fuit celebris ille Venantius Honorius Clementianus Fortunatus , patriâ quidem Italus , ſed eccleſiæ Pictavienſis primò presbyter , deinde etiam epiſcopus , ſcriptis poëmatis Vitiſque Sanctorum eodem ſeculo* VI *clarus. Illius nomen aliquot Martyrologiis inſcriptum eſt ad diem* XIV *Decembris , ubi in ejuſdem cultum inquiri , geſtaque conſequenter illuſtrari poterunt. Interea conſule , ſi lubet , ipſius*
F *breve elogium in Opere noſtro datum tom.* VI *Maii, pag.* 774 *& ſequenti , occaſione Vitæ S. Germani epiſcopi Pariſienſis ab eodem conſcriptæ ibidemque excuſæ. Qui plura volet , adeat eruditos Benedictinos tom.* 3 *Hiſtoriæ litterariæ Franciæ , ubi de ejuſdem actis , ſcriptiſque prolixè diſſeritur. Quòd autem ab Hincmaro non appelletur epiſcopus , ratio eſt , quòd Fortunatus , dum hoc compendium ſcripſit , nondum eſſet epiſcopus , ad hunc Ordinem non provectus , niſi poſtquam Ægidius Remenſis , quo poſtulante , illud compoſuit , exauctoratus jam eſſet. Simili de cauſa à S. Gregorio Turonenſi tantummodo* presbyter *appellatur ; nimirum quia , S. Gregorio ſcribente , ad altiorem gradum non aſcenderat.*

ita juſſus ab Ægidio archiepiſcopo ,

18 *Quanti verò ipſum idem S. Gregorius fecerit , indicavit in Epiſtola , ſive in Præfatione ad libros de Miraculis S. Martini ſic loquens :* Utinam Severus aut Paulinus viverent , aut certè Fortunatus adeſſet , qui iſta deſcriberent ! *Verùm*

utut

A *utut doctus & in Sanctorum Vitis conſcribendis verſatus ille fuerit, quod ex prolixa* S. Remigii *Vita compendium fecit, tanto nomini non reſpondet. Nam præter nativitatem* Remigii, *adoleſcentiam & adeptum epiſcopatum vix quidquam illud continet præter aliquot miracula, prætermiſſis ceteris in epiſcopatu ab illo præclarè geſtis, quæ certè plus intererat poſteritati commendari. Quæ tamen Fortunatum hîc excuſent, ſunt primò ſcriptionis brevitas & argumentum præfixa ab Ægidio,* aliquot *dumtaxat exigente* miracula, quæ in populo legerentur : *ſecundò communis ævo ſuo in mirabilium narrationes propenſio ; ac tertiò denique ipſa Vita prolixior, quæ volentibus plura tunc etiam integra exſtabat, quamque occaſione hujus ſuæ Opellæ perituram, nec ſcire poterat, nec debebat. Fortè etiam prolixior illa æquè peritura fuiſſet, ac proinde Ægidio Fortunatoque forſitan debemus, quòd ſaltem pauca illa ex eadem ad nos pervenerint.*

quod in editione Mombritii & in noſtris Mss. habemus,

19 *Incertum eſt, hocne compendium, an primigeniam iſtam Vitam laudaverit S. Gregorius Turonenſis ; at certè laudavit alterutrum lib.* 2 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 21 *his verbis :* Eſt enim nunc liber Vitæ ejus, qui eum narrat mortuum ſuſcitâſſe. *Per* mortuum *hic puellam indicari, patet ex ejuſdem libro de Gloria Confeſſorum cap.* 79, *ubi de* S. Remigio *rurſum loquens, ait :* Oratione ſua defunctæ cadaver puellæ obtinuit ſuſcitari. *Hoc autem miraculum in compendio refertur ſecundùm partitionem meam num.* 8, *haud dubiè ex prolixiori Vita acceptum. In Gregorii textu appellatio* Libri Vitæ *magis congruit prolixiori ; ſed compendio adverbium temporis* nunc ; *quo videri poteſt Vitam recenter editam indicâſſe. Boninus Mombritius, qui in Hierolexico Macri pag.* 83 *ad vocem* Birrus *dicitur* ex antiquo Paſſionario in pergameno Ms., in archivo Lateranenſi ſervato, Acta Sanctorum... tempore Sixti IV, *id eſt, ſeculo* XV *verſus finem inclinato, vulgâſſe, Compendium iſtud tom.* 2 *edidit cum hoc titulo :* Depoſitio ſancti Remigii epiſcopi. *Auctorem addidit Laurentius Surius ad diem* 1 *Octobris hoc modo :* Vita S. Remigii epiſcopi, authore Fortunato presbytero, cujus meminit Hincmarus in Præfatione ad Vitam ejus, quam XIII die Januarii reperies. *Diverſis illos apographis uſos eſſe, docet, non rerum, ſed phraſium diverſitas, niſi hæc Surio attribuenda ſit.*

B

C *& primo loco excudam.*

20 *Habemus & nos idem in membranaceo codice Muſei noſtri notato* P. Ms. 9, *cujus characteres à ſeculo* X *non abhorrent. Habemus inſuper alia duo apographa ſine notitia loci, niſi quòd horum alterum à Chiffletio noſtro acceptum, ab eoque cum pervetuſto codice S. Benigni Divionenſis collatum eſſe notetur. Hæc quoque tam cum codice noſtro, quàm cum editis à Mombritio Surioque in rebus conſentiunt, non ſemper in verbis, ideóque laudatum apographum è codice noſtro cum iſtis collatum primo loco excudam. Eſſe autem Exceptionem illam, quam laudavit Hincmarus, non una perſuadet ratio. Nam primò, factam eſſe, ut populo prælegeretur in eccleſia, indicat exordium :* Beatiſſimi Remigii antiſtitis depoſitio ſancta nobis hodie diem miſticæ ſolempnitatis exhibuit *&c. Secundò, ut jam monui, pauca continet, præter aliquot miracula, ſicut Ægidius Fortunato mandaverat. Tertiò verba iſta,* Studeamus pauca differere, plurima præterire, *ab Hincmaro citata, in omnibus noſtris Mss. editiſque leguntur. Quartò idem Hincmarus, qui in Prologo profeſſus fuerat, ſeſe ea, quæ ſcripta repererat, iiſdem verbis in Vita relaturum, ferè integras phraſes nonnumquam recitat, quas habet compendium noſtrum. Denique ſtilus ipſe, etiam quoad ſolœciſmos (præſertim in Mss. noſtris & editione Mombritiana) aliis Fortunati Opuſculis ſatis congruit.*

AUCTORE C. S.

Hincmarus Remenſis archiepiſcopus rogatus à clero,

21 *Sicut ſeculo* VI *primigeniæ Vitæ prolixitas, ita ſeculo* IX *nimia Fortunati Compendii brevitas rectiùs diſplicuit. Quam ob rem clerus Remenſis à ſæpe dicto archiepiſcopo ſuo Hincmaro petiit, ut pro reparanda veteris jactura novam Vitam adornaret, ne ſancti Patroni ſui geſta eximia poſterorum memoriæ tandem penitus ſubducerentur. Erat ſanè Hincmarus ea eruditione & eloquentiâ inſtructus, ut ad hoc argumentum feliciter tractandum præ ceteris ævi ſui meritò aptus videri potuerit. Conſule, ſi vacat, Flodoardum in Hiſtoria eccleſiæ Remenſis, & ipſiuſmet Hincmari Opera, duobus tomis in folio ab erudito Jacobo Sirmondo, Societatis noſtræ presbytero, typis edita. Is ergò cleri ſui votis obſecuturus, pro ſua prudentia primò cœpit diligenter inveſtigare, ſicubi primigenia Vita prolixior ſupereſſet, eaque ſpe fruſtratus, ad alia ſubſidia ſibi comparanda curas ſuas convertit. Fortè in hunc finem etiam data fuit epiſtola, de qua Flodoardus lib.* 3 *Hiſtoriæ Remenſis cap.* 21 *ſic meminit :* Adoni Viennenſi archiepiſcopo ſcribit (*Hincmarus*) inter cætera, pro epiſtola B. Aviti ad S. Remigium ſcripta, quam quidam Rotfridus monachus ei dixerat, ſe apud eumdem Adonem legiſſe. Sed &, ſi qua præterea de S. Remigio reperire valeret, ei ſuper aurum & topazion pretioſa & amabilia mitteret.

E

prolixam denuo Vitam ex notitiis ſine delectu corraſis

22 *Atque hæc quidem laudabiliter, ſi tanta ei de ſinceritate monumentorum ſollicitudo, vel in iiſdem diſcernendis criſis fuiſſet, quantam in corradendis diligentiam profitetur. Audiamus ipſum de hiſce loquentem.* Aggredior (*inquit in Prologo apud me num.* 7) quæ diu diſtuli, à progenitoribus & ortu ejus incipiens, & ſic tam ea, quæ in Hyſtoriis à majoribus editis de illo inveni, quàm & illa, quæ in diverſis ſcedulis diſperſa reperi ; verùm & illa in ſerie digerens, quæ vulgata relatione percepi ; quia haut * longè ante nos dictum eſt, & etiam in ſanctis Scripturis, ſed & in Euangelica veritate comperitur, vera eſt lex hyſtoriæ, ſimpliciter ea, quæ, fama vulgante, colliguntur, ad inſtructionem poſteritatis litteris commendare. In quibus omnibus lectorem ſtili diverſitas non perturbet ; quoniam ea, quæ de Hyſtoriis Majorum aſſumam, & ea, quæ in antiquis ſcedulis reperiam, ita, ut inventa fuerint, ponam. Illa verò, quæ ex antiquis vulgata relatione percepi, & ad inſtructionem legentium vel audientium addam, vel eorum verba, de quorum dictis ea mutuabo, ponere procurabo, vel meo ſermone dictabo. *Hæc ibi, quæ Sigeberto Gemblacenſi præluxere, dum in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis cap.* 99 *editionis Auberti Miræi annotavit ſequentia.*

** al.* ut

F

& traditionibus, ideoque fabulis infectam,

23 Hincmarus ex monacho S. Dionyſii Pariſienſis, archiepiſcopus Remenſis, Vitam S. Remigii Remenſis, primò breviter deſcriptam, ex brevi in librum magnæ quantitatis augmentatam, ex magno libro abbreviatam ſtudio Fortunati epiſcopi & poëtæ, hanc, inquam, Vitam Hincmarus deſcripſit, inferens tam ea, quæ in Hiſtoriis majorum de ortu, vita vel morte S. Remigii invenit, quàm ea, quæ in diverſis ſchedulis diſperſa collegit ; & ſecundùm legem hiſtoriæ nec illa prætermiſit, quæ vulgata relatione didicit ; nec Teſtamentum ejus præteriit. *Ita Sigebertus, qui tamen unde didicerit, fuiſſe aliquam* S. Remigii

AUCTORE C. S.

migii *Vitam* primò breviter descriptam, *prolixiori priorem, non assequor. Ut ad Hincmarum revertamur, is ergò ex prædictis omnibus, undique consarcinatis novam contexuit, eamque propter identidem insertas pias exhortationes longam quidem, sed quantùm ad historica pertinet, ex communi eruditorum sententia illo auctore indignam. Atque hæc fortè ratio est, quòd in Collectione Operum ejusdem, à Sirmondo duobus tomis in folio edita, ista non compareat. Et verò quid mirum, si quis in fabulas erroresque historicos impingat, qui quarto pòst seculo scribens, sine delectu adoptat, quidquid de argumento suo in quibuslibet schedulis legit, & ex fama seu traditione, fortè nupera, audivit? Profecto hæc nec vera historiæ lex est, nec in sacris Scripturis commendata.*

scripsit post medium seculum IX,

24 *De tempore scriptæ Vitæ hæc accipe. Hincmarus in Vita edenda num.* 133 *narrat translationem corporis* S. Remigii *à se factam anno* 852, *ac numero sequenti subdit, Radonem subdiaconum ecclesiæ Suessionensis, qui in eadem translatione præsens, acri diuturnoque dolore dentium liberatus fuerat*, post viginti quinque annos *fassum esse, sese ab eo tempore illum numquam amplius sensisse. Proinde, nisi Radonis testimonium Hincmarus postea adjecerit, dicendus est illam scripsisse aut saltem perfeciſſe non ante annum* 877; *post quem non diu supervixit, anno scilicet* 882 *mortuus. Hujus Vitæ exemplaria habemus tum in codicibus Mss. Musei nostri, tum in apographis aliunde acceptis, sed alia aliis integriora. Præcipuum exstat in insigni codice nostro membranaceo in folio magno, notato* Q. Ms. 4 : *tam prolixa verò hæc est, ut unà cum* S. Remigii *Testamento sexaginta & sex magnas paginas seu columnas* 100 *&* 32 *ferè impleat; sic tamen, ut vix aut ne vix quidem, media illius pars ad historiam pertineat, reliqua autem sermones ad instruendam plebem sint, singulis penè capitibus inserti, vel panegyrici, ad Sancti virtutes pro suggestu celebrandas accommodati.*

B

quam ex Ms. nostro dabo, rescissis, ut etiam fecit Surius,

25 *Huic, si panca excipias, simile est exemplar Bonifontis, ex quo extracta habemus, quæ absunt ab editione Suriana mox memoranda. Eosdem capitum titulos, quos habet Bonifontanum, olim accepimus ex Ms. domini canonici Prudhomme. Demum eadem Vita, sed sine nomine auctoris, sine Præfatione & aliis ad historiam non spectantibus exstat in alio codice nostro* P. Ms. 22, *qui olim fuit* liber monasterii sancti Pauli in Trajecto. *Laurentius Surius eamdem cum Præfatione Hincmari edidit ad* XIII *Januarii, exhortationes verò insertas partim addidit, partim rescidit. Deinde pòst versus ab eodem Hincmaro* S. Remigii *mausoleo inscriptos subjecit alias ejusdem Sancti translationes & miracula ex Flodoardo, ut ibidem in margine novissimæ editionis Operis Suriani de Vitis Sanctorum annotatum est. Tandem velut peculiare Opusculum recensetur* Encomium ejusdem S. Remigii per Hincmarum archiepiscopum Remensem; *quod in codicibus nostro* Q. Ms. 4, *Bonifontano & domini Prudhomme tamquam ejusdem Vitæ pars præcedentibus annexum est, & reipsa partem esse, legentibus manifestum erit.*

C

longis sermonibus ad historiam nil facientibus,

26 *Jam quod ad Surii in edendo consilium attinet, ego quoque longiores Hincmari sermones gestis immixtos, & à proposito nostro alienos, quantùm commodè potero, rescindam, lectore in Annotatis monito de prætermissis, ne Vita supervacaneis parergis onerata tædium pariat; prædictumque encomium, quod in suprà laudatis codicibus ultimum Vitæ caput est, eadem de causa penitus prætermittam; maximè quia apud Surium legi potest. Verumtamen ne id à me temerè factum lector suspicetur, juverit totius encomii argumentum paucis hîc dedisse. Hincmarus in prima illius parte* S. Remigium *novem choris angelorum adscribi meruisse differens, pro singulis aliquam virtutum illius, quas suprà narraverat, breviter commemoravit; atque his unam paginam editionis Surianæ in folio implevit. Secunda pars duas alias paginas occupat, in eaque gregem suum per considerationem gloriæ Sanctorum, pœnarumque peccatis debitarum, ad pœnitentiam sub* S. Remigii *patrocinio agendam hortatur, & ad fiduciam in Christum Redemptorem excitans, sanctissimæ Eucharistiæ usum hunc in finem plurimùm commendat.*

D

& tribus capitulis in Appendicem rejectis.

27 *Hæc de editione Suriana intellige : nam in codice nostro* Q. Ms. 4, *& in Bonifontano eadem quidem legere est, sed ibidem perperam inserta sunt duo alia capitula, quorum primi titulus est :* Qualiter archiepiscopum Moguntiæ verberavit, & res suas recuperavit *: secundi autem :* Quòd sensum & vitam perdidit, qui in ejus ecclesia vinum vendebat. *Dixi, hæc ibi perperàm inserta esse; tum quia cum reliqua oratione minimè cohærent, tum maximè quòd facta, quæ continent, Hincmaro posteriora sint; & ex Flodoardi Historiæ lib.* 1, *cap.* 20 *accepta. Dubitari quoque potest, an caput aliud, quod in eodem codice nostro & Bonifontano ante dictum elogium ponitur, inscribiturque* De reliquiis beati Remigii per sanctum Moderannum in Italiam delatis, *revera Hincmari sit. Mihi quidem illius non esse, verisimilius apparet, quia extra locum relatum est, nec in aliis Mss., quæ laudavi, nec in editione Surii exstat, & aliunde certa est, ut dixi, interpolatio elogii, cui proximè præmittitur. His de causis satius duxi, hoc ultimum miraculum ex Flodoardi Historia huic Commentario, ubi aptior locus erit, inserere, reliqua verò duo in Appendice cum aliis recensere.*

E

hanc secutus est Flodoardus, & expolivit Nicolaus Picardus de Laris-villa.

28 *Laudatus Flodoardus, ab aliis Frodoardus dictus, ecclesiæ Remensis presbyter, qui pòst medium seculum* X *obiit, multa ex eadem Vita in memoratam Historiam suam, & iisdem nonnumquam verbis transtulit, ita ut ex utriusque Operis collatione etiam liqueat, Vitam, quam habemus, reipsa Hincmari fœtum esse. Juverit unum locum adduxisse Secundùm partitionem meam num.* 131 *in Vita edenda sic ait Hincmarus :* Non usquequaque inulta nostris temporibus deserit (*S. Remigius*) præsumptorum piacula. Nam Blitgarius quidam nuper mansum de thesauro ecclesiæ in villa Tenoilo precio apud Bernardum custodem obtinuit *&c. Audi modò Flodoardum lib.* 1, *cap.* 20 *hæc eadem referentem.* Tempore (*inquit*) domni Hincmari præsulis quidam Blitgarius ecclesiæ mansum in villa Tenoilo apud ipsius ecclesiæ custodem impetravit pretio *&c. Mitto plura, quia res certa est. Idem Hincmari Opusculum esse, credo, quod Galliæ Christianæ scriptores tom.* 9, *col.* 224 *seculo* XIV *à Remigiano monacho expolitum tradunt his verbis :* Nicolaus Picardus de Laris-villa, qui multos sermones ineditos condidit, tum vitam & miracula S. Remigii politiore stylo donavit, haud infacundus seculi decimi quarti scriptor. *Hujus libelli inopiam eo minùs doleo, quòd auctor vetustus non sit, quòdque illo usus fuerit Renatus de Cérizières, Societatis nostræ presbyter, in Vita Gallica* S. Remigii, *anno* 1633 *Remis edita; ex qua tamen video, Nicolaum quædam etiam addidisse.*

F

29 *Mabillonius tom.* 1 *Annalium Benedictino-*

A *Fragmentum veteris Miſſæ edendum:*

norum in Appendice altera, pag. 680 *fragmentum quoddam, miracula* S. Remigii *continens, edidit ex codice Remenſi, in quo ſequens titulus præfigebatur :* Ex Præfatione, quæ ad Miſſam antiquitus dicebatur de miraculis ejuſdem beati Remigii. *Præmiſerat in eodem tomo pag.* 63, *Miſſam illam ritus Gallicani* ante annos mille *dici ſolitam*, ut conſtat, *inquiens*, ex veterrimo codice eccleſiæ Remenſis, ante annos octingentos ſcripto. *Hoc ſi ita ſit, erit iſta Præfatio ad ſeculum* VII *vel initium* VIII *referenda (nam anno* 1703 *primus ille Annalium tomus in lucem prodiit) poteritque una ex ſchedulis fuiſſe, ex quibus ſua corraſit Hincmarus. Ut ut eſt, in hac Præfatione miracula eadem, ſed non omnia, quæ apud illum, leguntur, etiam prodigioſum illud vini poculum, quo Clodoveus Francorum rex ſe ſuamque familiam & innumeram turbam in gemina expeditione bellica, donec hoſtes debellâſſet, ex* S. Remigii *munere ſatiâſſe dicitur ; quod ut manifeſtæ fabulæ ſpeciem præfert, auctoritatem Præfationis illius apud me non parùm minuit : dabo tamen illam in ſuprà dicta Appendice.*

B *an Vita ejus aliqua à S. Audoëno ſcripta? Teſtamentum apocryphum.*

30 *Alteram* S. Remigii *Vitam, velut à S. Audoëno Rotomagenſi epiſcopo ſcriptam*, Antonius *Poſſevinus tom.* 1 *Apparatus ſacri, editionis Colonienſis Agrippinæ anni* 1608, *pag.* 133 *laudat his verbis :* Ejuſdem Audoëni Rothomagenſis epiſcopi De Vita S. Remigii liber unus extat manuſcripta in bibliotheca monaſterii S. Galli in Helvetia. *Poſſevinum ſecutus eſt Aubertus Miræus in Sigeberti Gemblacenſis Scriptoribus eccleſiaſticis cap.* 58 ; *at neuter explicat, quis fuerit ille Remigius. Rectè tamen cenſent Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptores tom.* 3, *in S. Audoëno pag.* 628, S. Remigium *Remenſem hîc deſignari ; nam duo alii ejuſdem nominis epiſcopi, Lugdunenſis & Rotomagenſis, Audoëno poſteriores ſunt. Operæ pretium eſſet hanc Vitam edere ; verùm cùm laudatæ Hiſtoriæ litterariæ auctores ibidem obſervent, neſciri, quæ illa ſit, nullaque de eadem aliunde habeatur notitia, veriſimile eſt, hanc, ſi umquam exſtiterit, jam non ampliùs ſupereſſe, vel latêre. Contrà verò exſtant hodieque duo Teſtamenta*, S. Remigio *Remenſi adſcripta, quorum unum prolixius ad illuſtranda ejuſdem geſta conferre poſſet, niſi ob manifeſta ſuppoſitionis indicia graveſque rationes ab eruditis meritò nunc rejiceretur : de ambobus ſuo loco ſermo fiet.*

C *Aliquot ſacri corporis Tranſlationes ex Ms.,*

31 *Poſt ambas Vitas, primam Venantio Fortunato, alteram Hincmaro, auctoribus ſcriptas, edam aliquot tranſlationes corporis variis temporibus factas. Primo loco dabo parvum Opuſculum ineditum, quod Henſchenius noſter olim obtinuit ex bibliotheca Prumienſi ab ejuſdem monaſterii Priore R. D. Coſma Dilckrath. Auctor ſynchronus eſt, videturque Rotfridus fuiſſe ex verſibus in calce adjectis :*

Tu quicumque libens librum perlegeris iſtum,
Rotfridi, Clemens, dic, miſerere Deus,
Ut merces maneat ſcriptori vita perennis
Almi Pontificis Remigii meritis. Amen.

In hoc Opuſculo narrat ipſe ſacri corporis avectionem anno 882 *ex metu Normannorum ab Hincmaro factam Sparnacum, eoque paulò poſt mortuo, ad Orbacenſe monaſterium, ac denique reductionem ad civitatem Remenſem factam à Folcone ſeu Fulcone II, qui Hincmaro ſucceſſerat. Hinc ſuſpicari licet, ejuſdem ſcriptorem fuiſſe Rotfridum illum, qui tom.* 9 *Galliæ Chriſtianæ col.* 226, *num.* XI *dicitur præpoſituram monaſterii Remigiani Remis geſſiſſe ſub Hincmaro archipræſule & abbate, niſi fortè hic Rotfridus per obitum ſuum illam ceſſerit Thetboldo, qui ibidem dicitur eâdem poſt illum functus eſſe ſub Hincmaro & Fulcone. Id certum eſt, auctorem ſynchronum eſſe, ſed eo magis dolemus, quòd illius narrationem in fine integram non habeamus, ſive id vitio codicis Prumienſis imputandum ſit, ſive ipſimet auctori, qui cœptum Opuſculum non perfecerit.* AUCTORE C. S.

32 *Opportunè tamen offert ſe hîc Flodoardus, qui in Hiſtoria Remenſi eaſdem tranſlationes expoſuit, addiditque aliam ab Herveo, Fulconis ſucceſſore, ſeculo* X *inſtitutam. Quam ob rem illas omnes ex laudata Hiſtoria collectas ſecundo loco exhibebo. Subjiciam denique ex Mabillonii Actis Sanctorum ſui Ordinis celebrem illam tranſlationem ſacri corporis, quam S. Leo IX ſummus Pontifex anno* 1049 *ipſe Remis præſens fecit, & Anſelmus Remenſis monachus Remigianus, rei geſtæ ſpectator, litteris conſignatam reliquit. Atque hæc de inſtrumentis, quibus uſurus ſum, dicta ſufficiant : nam alios ſcriptores recentiores, ubi opus erit, per Commentarii decurſum laudabo : vellem tamen, ut ad manus meas perveniſſet liber, quem Andreas Sauſſayus, Martyrologii Gallicani auctor, de* S. Remigii *gloria poſthuma conſcripſit.* editiſque dandæ. E

§ III. Sancti illuſtre genus, parentes, fratres & reliqua familia : ipſius nativitas à S. Montano prædicta : natale ſolum in Lauduneſio : an ejuſdem nutrix S. Balſamia ? vita uſque ad epiſcopatum.

Remigius ex illuſtri genere ortus,

QUi *primigeniam* S. Remigii *Vitam eodem, quo hic obiit, ſeculo contraxit, Fortunatus, tunc presbyter, poſtea epiſcopus Pictavienſis, illuſtre ejuſdem Sancti genus in editione noſtra num.* 1 *paucis his verbis indicavit :* Primis ortus natalibus, parentum nobilitate fulgebat. *Hunc ſecutus Hincmarus in Vita ſecundo loco edenda num.* 4 *de ejuſdem parentibus ait :* Erant enim ambo genere nobiles, & gratiâ inter ſuos nominatiſſimi. *Conſonat Flodoardus in Hiſtoria eccleſiæ Remenſis lib.* 1, *cap.* 10 *inquiens :* Ortus eſt autem Puer iſte ... alto parentum ſanguine. *Horum teſtimonia, præſertim Fortunati, ipſius* S. Remigii *temporibus tam propinqui, & primigeniâ Vitâ uſi, illuſtres ſancti Præſulis natales certos faciunt ; ſed quod Renatus Cerizierus in Vita Gallica parte* 1, *cap.* 1 *inſuper ait, ejuſdem patrem fuiſſe comitem Lugduni Clavati, vel, ut alii volunt, Sueſſionum, nimis leviter aſſertum autumo. Nomen patris ipſius ſiluit Fortunatus ; Hincmarus & Flodoardus* Emilium *vel* Æmilium *dixerunt. Illum inſignem virum fuiſſe, etiam colligere licet ex epiſtola S. Sidonii Apollinaris ad S. Principium, Sueſſionum epiſcopum, fratrem* S. Remigii *data.* F

patrem habuit Æmilium, matrem S. Ciliniam,

34 *Eſt hæc inter editas ab erudito Jacobo Sirmondo decimaquarta libri* 8, *in qua laudatus S. Sidonius patrem ſimul ac filios laudans, Principium ſic alloquitur :* Cujus (*Antiolii ignotæ mihi ſedis epiſcopi*) relatu, qui pater vobis, quique qualeſque vos fratres, quâ morum prærogativâ pontificatu maximo ambo fungamini, ſollicitus cognoſcere ſtudui, & gaudens, cognoviſſe me memini. Cui patri, quondam videlicet vos ha-

AUCTORE C. S.

benti, vix domus Aaron pontificis antiqui meritò compararetur &c. Remigii *matrem* Cyliniam *vel* Ciliniam *omnes cum Fortunato appellant, & à ſanctitate ſua meritò plurimùm laudant. Inſcripta illa eſt in multis Martyrologiis, etiam in Romano, in quo ad diem* XXI *Octobris ſequenti elogio celebratur :* In caſtro Laudunenſi, ſanctæ Ciliniæ, matris beati Remigii, epiſcopi Rhemenſis. *In aliquibus etiam ad diem* V *Aprilis ejuſdem Sanctæ* prima tranſlatio *annuntiatur, uti in Opere noſtro obſervatum ibidem in Prætermiſſis eſt, ac latiùs dici poterit ad præcitatum diem Octobris.*

fratres S. Principium epiſcopum Sueſſionenſem, & alterum,

35 *Hi duo pii conjuges, teſte Hincmaro in Vita edenda num.* 3, *duos, ut putamus, liberos jam genuerant, ante conceptum* Remigium. *Verba, quæ ab aliis paulò aliter exponuntur, ſubjungo.* Beata ſiquidem Cilinia intenta piis operibus, licèt corpore teneretur in mundo, mente tamen converſabatur in cælo ; quæ in flore juventutis ſuæ pepererat de unico viro ſuo Emilio Principium, poſtea Sueſſorum civitatis ſanctum epiſcopum, & fratrem ejus, patrem beati Lupi epiſcopi, ejuſdem Principii ſucceſſoris. *Paulò obſcuriùs ob omiſſas voces* & fratrem ejus *loquitur Flodoardus lib.* 1, *cap.* 10, *ubi legitur :* Hæc autem beata genitrix in flore dudum juventutis ex unico viro ſuo Æmilio pepererat Principium, Sueſſorum civitatis poſtea ſanctum epiſcopum, & patrem beati Lupi, ejuſdem Principii ſucceſſoris. *Ex hiſce controvertitur, an S. Lupi pater idem ſit cum S. Principio Sueſſionenſi epiſcopo, an diverſus ; ſive an S. Principius fuerit S. Lupi pater, an patruus, & conſequenter, duoſne an unicum fratrem natu majorem* S. Remigius *habuiſſe dicatur.*

B

ex quo natus eſt S. Lupus, Principii ſucceſſor ; affinem S. Genebaudum,

36 *Cardinalis Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annos Chriſti* 463 *&* 507, *aliique poſt illum crediderunt, S. Lupum ex laudato S. Principio natum eſſe, priuſquam ille ſacros Ordines ſuſcepiſſet ; aliis contrà opinantibus, ejuſdem Lupi patrem fuiſſe alterum SS. Principii ac* Remigii *fratrem, iſtaque Hincmari dicta* & fratrem ejus *non ad* Remigium, *ſed ad Principium referenda eſſe. In poſtremam ſententiam itum eſt in Opere noſtro ad diem* XXV *Septembris, quo S. Principius Sueſſionenſis colitur, eamque Hincmarus clariùs docet, quàm eidem refragetur Flodoardus, cujus obſcuriora aſſerta potiùs dilucidanda ſunt ex Hincmaro, quem ibidem deſcripſit. Forſitan ex eodem* SS. Remigii *atque Principii fratre, ex quo natus eſt Lupus, etiam genita fuerit ignoti nobis nominis puella, quam Flodoardus poſt Hincmarum ſcribit fuiſſe* S. Remigii neptem, *ſanctique Genebaudi, poſtea primi Laudunenſis epiſcopi, uxorem, cum eoque humanæ fragilitatis exemplum, & Latronis, qui patri in epiſcopatum ſucceſſit, nec non Vulpeculæ matrem.*

C

ſuæ neptis conjugem, deinde epiſcopum Laudunenſem, &c,

37 *Hiſtoriam vide in Vita edenda num.* 67 *& ſequentibus ; interim cùm de* S. Remigii *familia hìc agamus, paucis obſervo, Genebaudum maculas incontinentiæ, cum uxore olim ſua in epiſcopatu contractas, tam ſevera ſeptem annorum pœnitentiâ eluiſſe, ut ſedi ſuæ reſtitui meruerit, talemque ſe deinceps præſtitiſſe, ut Sanctis annumeratus ſit, colaturque die* V *Septembris, ubi geſta ejus apud nos illuſtrata habes. Filius quoque, quem quia in epiſcopatu genuerat Genebaudus,* Latronem *voluit appellari, patri, ut dictum eſt, in epiſcopatu ſucceſſit, ac poſt mortem pro Sancto habitus, iiſdem teſtibus Hincmaro & Flodoardo ; at in Opere noſtro ad præcitatum Septembris diem inter Prætermiſſos tantùm recenſitus, quòd Caſtellanus in Aëmeris aſſerat, eum nec Officio nec commemoratione Lauduni coli, quamvis ab Andrea Sauſſayo in Martyrologio Gallicano cum* Sancti *titulo celebretur. De Vulpecula, altero vetiti complexus fructu, deque utriuſque matre nihil inſuper traditum legi.*

D

quorum major pars cultum obtinuit.

38 *Habemus ergò ex dictis* S. Remigii *patrem Æmilium, virum illuſtrem & à S. Sidonio Apollinare, tacito nomine, honorificè memoratum ; matrem S. Ciliniam Romano aliiſque Martyrologiis ad diem* XXI *Octobris & alibi ad* V *quoque Aprilis inſcriptam ; fratrem S. Principium ; nepotemque ex altero fratre S. Lupum, ambos Sueſſionum epiſcopos, & horum primum die* XXV *Septembris, ſecundum* XIX *Octobris, Sanctorum cultu ſimiliter honoratos ; S. Genebaudum* Remigii *neptis primò conjugem, deinde Laudunenſem antiſtitem, inſigni pœnitentia vitæque dehinc actæ integritate ſacros honores pariter promeritum, cultumque die* V *Septembris ; ac denique hujus filium Latronem, ab Hincmaro Flodoardoque* Sancti *compellatione honoratum. Denique Flodoardus lib.* 1, *cap.* 23 *tres alios* S. Remigii nepotes *memorat, nimirum Agricolaum presbyterum, Aëtium & Agathimerum ; verùm hi forſitan illi innotuêre ex ſolo ejuſdem Sancti Teſtamento prolixiori, ab eruditis jam paſſim meritòque rejecto.*

E

Sancti nativitas à S. Montano prædicta eſt parentibus,

39 *Laudati conjuges Æmilius & Cilinia poſt editos S. Principium, aliumque, ut opinamur, filium, S. Lupi patrem, ac fortè etiam aliam prolem, dum ætatem Chriſtianè ſimul degerent, admonita illa eſt à S. Montano monacho vel ſolitario, divinitus inſtructo, de naſcituro ex ipſis Filio altero in Galliæ ſalutem. Fortunati verba ex Vitæ num.* 1 *accipe.* Quem (*Remigium*) divina pietas, non ſolùm priuſquam naſceretur, ſed antequam conciperetur, elegit : in tantum, ut Montanus quidam monachus, dum leviſſimo ſe ſopore quieſceret, tertiò fuiſſet ammonitione pulſatus, uti matri ſuæ benedictæ Cyliniæ, quòd maſculum conceptura eſſet, veridica relatione prædiceret, ut nomen & meritum deſignaret. Qui ilicò implevit imperium, & fecundiſſimæ genitricis concepturæ ſobolis gaudia annuntiavit. Illa verò, ſicut fidei credulitatis non apparuit dubia, ita ſuſcepit in partu, quem præſcierat in utero *&c. Hæc ſunt, quæ de* S. Remigii *vate nativitateque habemus ex Fortunato, primigeniæ Vitæ breviatore. Colitur Montanus ille in agro Luxemburgenſi die* XVII *Maii, ad quem ejuſdem geſta ex Hincmaro, cultumque aliunde dedit Godefridus Henſchenius noſter.*

F

qui provectæ quidem ætatis tunc fuiſſe videntur, at non tantæ,

40 *Videamus modò, quid alii his addiderint. Si qua Hincmaro Flodoardoque fides eſt, Æmilius & Cilinia, dum hæc à S. Montano nuntiata illis fuere, liberos procreare dudum deſierant, imò etiam non parùm provectæ erant ætatis ; cùm S. Cilinia tunc* anus, *Æmilius* vetulus *fuiſſe dicantur. Hæc vera eſſe poſſunt ; ſed veriſimile non eſt, quod Richardus, ignotus mihi* S. Remigii *Vitæ auctor, à Marloto tom.* 1 *Metropolis Remenſis lib.* 1, *cap.* 2, *& à Renato Ceriziero cap.* 2 *Vitæ Gallicæ laudatus, ſcripſit, Ciliniam nonaginta annos tunc numerâſſe. Veriſimile id, inquam, non eſt ; quia cum* SS. Remigii, *Principii ac Lupi chronotaxi haud facilè poteſt componi. Secundùm Hincmarum & Flodoardum Cilinia* in flore juventutis *genuit Principium & patrem S. Lupi. Etſi ergò hæc verba* in flore juventutis *paulò latiùs accipiendo, illam tunc annorum* 30 *fuiſſe concedamus, Principius & frater ejus ſaltem annos ſexaginta numeraverint, naſcente* Remigio ; *cúmque hujus*

na-

A *nativitas ex dicendis non multùm removenda ſit ab anno Chriſti* 435, *iſti ambo circa annum* 375 *nati eſſent. Atqui tamen obitum S. Principii ad finem ſeculi* V *referunt neoterici, alii etiam differunt ad initium ſexti : quibus poſitis, idem S. Principius multò major centenario obiiſſe dicendus eſſet, quod aliunde nihil nos cogit credere.*

quantam aliqui dixerunt.

41 *Similis aut etiam major ætas aſſignanda erit S. Lupo, niſi hunc quoque ex ſene genitum, ſine teſte aſſerere malimus. Ponamus enim, ipſum tantùm anno patris ſui quinquageſimo, atque adeo circa annum Chriſti* 425, *natum eſſe ; vel ſic tamen is ad annum vitæ ſuæ centeſimum quintum pertigiſſet anno Chriſti* 530, *ante quem certè non obiit* S. Remigius, *cui illum ſupervixiſſe, communis habet ſententia cum ſinceriori ipſius* S. Remigii *Teſtamento. Hæc me omnino impellunt, non modò ut commentitiam credam tantam Ciliniæ, dum* Remigium *peperit, ætatem, quantam Richardus ille aſſeruit ; verùm etiam ut non dubitem, quin Hincmarus & Flodoardus aut juniorem, quàm erat, in utroque priori partu Ciliniam fecerint, aut eamdem perperàm* anum *dixerint, quando illa concepit* Remigium. *Nihil quidem hac*

B *ſuper re habemus ex Fortunato ; ſed, ut hujus ſilentium, quòd brevitatis ergò multa prætermiſerit, nihil evincit ; ita Hincmari in aliis ad* S. Remigium *ſpectantibus nimia credulitas & exornandi ſtudium hîc quoque illum de alterutro ut minimùm ſuſpectum faciunt, maximè ob allegatas rationes. Prætereo alia Hincmari de* Remigii *procreatione aſſerta, in Annotatis obſervanda.*

Natus eſt in Laudunenſio, Galliæ pago, ſed in quo hujus determinato loco,

42 *Sancti patriam idem archiepiſcopus Remenſis num.* 6 *ſic indicat :* Ortus eſt ... in pago Laudunenſi ; *quod Flodoardus lib.* 1, *cap.* 10 *iiſdem verbis repetiit, nec à quoquam ſcio negari. Pagus autem Laudunenſis, Gallicè le* Laonois *vel* Laonnois, *qui in eadem Vita num.* 67 *etiam vocatur* comitatus Laudunenſis, *tractus Galliæ eſt, habens à Septemtrione Teoraſciam, ab Ortu Campaniam, ab Occidente & Meridie agrum Sueſſionenſem. Nomen ſuum accepit à caſtro* Lauduno, *aliàs* Lugduno Clavato, *indigenis* Laon *dicto, nunc civitate epiſcopali, ad quam dignitatem illud à* S. Remigio *evectum fuiſſe, infrà dicemus. Quo in loco hujus pagi vel comitatûs natus ſit, apud veteres non reperi. Marlotus lib.* 2, *cap.* 2 *de eodem ſic ſcribit :* Locus etiam, ubi Puer editus, vulgò Cerniacum dicitur, villa in Laudunenſio : probabilius tamen eſt, paternam domum apud Lauriniacum vel Labriniacum extitiſſe, ubi B. Remigius oſſa ſuæ genitricis poſuit, more tunc ob perſecutiones uſitatiſſimo ; quod Ms. codex, ſeu Regiſtrum viſitationis Eminentiſſimi Cardinalis Borbonii adhuc confirmat.

C

veteres non tradiderunt.

43 *Neutrum locum in Lexicis geographicis reperio. Cerizierus Cerniacum, Gallicè* Cerny *appellans, pro loco natali ſimiliter aſſignat, ut pro hoc ſaltem popularis aliqua traditio ſtare videatur.* Lauriniacum *vel* Labriniacum *Marloto veriſimiliter caſtrum aliquod ſeu caſtellum fuit, adversùs* perſecutiones *vel hoſtiles incurſiones tutum. Verùm hæc opinio, à depoſitis ibidem per* S. Remigium *matris ſuæ oſſibus petita, nititur Teſtamento illo prolixiori, cujus auctoritatem reſpuunt eruditi. In hoc ibidem pag.* 182 *legi aſſerit :* Labrinacum tibi, ubi oſſa genitricis meæ poſui, cum præfixis terminis deputavi. *Quid verò in Regiſtro viſitationis Cardinalis Borbonii pro opinione ſua præterea legerit, inexploratum mihi eſt ; donec tamen certiora producantur, ſuffecerit mihi dixiſſe, magnum hunc Francorum Apoſtolum in pagi Laudunenſis incerto nunc loco in lucem prodiiſſe. Ejuſdem quoque annus natalis propter antiquorum ſilentium nequit certus determinari, ſed nec à vero multùm poteſt recedi, ſi annus æræ vulgaris circitèr* 435 *aſſignetur ; quantum colligere licet ex aliis Hincmari calculis, quos infrà aptiùs examinabimus. Ceterùm quando Cerizierus* Remigium *die* XIII *Januarii natum eſſe ſcripſit, vix dubito, quin ejuſdem diem emortualem cum natali in terris confuderit.*

AUCTORE C. S.

Remis in eccleſia, Sanctæ Nutricis dicta, colitur S. Balſamia,

44 *Fortunatus & poſt eum Hincmarus piam Sancti pueritiam adoleſcentiamque nativitati paucis ſubjecerunt ; ſed Flodoardus lib.* 1, *cap.* 10 *quædam de ejuſdem nutrice hoc loco interſerit.* Hujus, *inquit*, beatiſſimi Remigii nutrix beata Balſamia fuiſſe traditur, quæ mater extitiſſe S. Celſini memoratur, qui & ipſe B. Remigii diſcipulus fuiſſe familiaris aſſeritur, miraculis quoque poſtmodùm claruiſſe dinoſcitur, & æquorum maximè votis adhuc inſignis habetur, in cujus & ipſa beata genitrix ejuſdem requieſcit eccleſia. *Nicolaus Picardus de Laris-Villa apud Cerizierum in Vita Gallica parte* 1, *cap.* 3 *ſcribit, illam divina inſpiratione impulſam Româ veniſſe* E *in Galliam, ut parvulum* Remigium *lactaret ; ſed credat, qui volet, ſcriptori ſeculi* XIV *id primò aſſerenti. Id certum eſt, S. Balſamiam,* S. Remigii nutricis *titulo Remenſibus caram, Gallicéque* Sainte Norrice *ſeu* Nourrice *paſſim appellatam, Remis eccleſiam cum canonicorum collegio ſibi ſacram habere ; de qua pluribus agit Marlotus in Hiſtoria Remenſi tom.* 2, *lib.* 3, *cap.* 9, *unde pauca accipe.*

cujus corpus ibi ſervatur, quam S. Remigii nutricem fuiſſe,

45 Hæc SANCTÆ NUTRICIS eccleſia vulgò nominatur, quòd B. Balſamia S. Remigii nutrix fuerit, & mater S. Celſini ; unde prædicta eccleſia quandoque S. CELSINI vocatur à Flodoardo, quòd ejus reliquiæ in ea depoſitæ eſſent, ut & B. Mauri martyris ; quamvis hæc B. BALSAMIÆ ſeu NUTRICIS nomen conſtanter retineat, cujus feſtum notatur XIII Maii in Martyrologio. *Rurſum poſt aliqua de ſacris reliquiis in eadem eccleſia aſſervatis hæc ſubdit :* Inter Sanctorum exuvias magni ducunt corpus ferè integrum S. Balſamiæ, beatiſſimi Remigii nutricis, matris verò S. Celſini, ex Flodoardo, in capſa argentea ſupra majus altare expoſitum. ... Habent quoque S. Celſini, B. Remigii diſcipuli, ſat notabiles particulas in arculis reconditas. *De hac Sancta apud nos ex Martyrologio Gallicano Sauſſayi & Arturi Gynæceo ſacro facta mentio eſt in Prætermiſſis ad diem* XIII *Maii, ejuſdemque amplior notitia dilata in* XVI *Novembris, quo in Remenſi Breviario aliiſque Martyrologiis locum habet : ſanctum verò Celſinum, Gallicè* ſaint Souſſin *vulgo appellatum, presbyterum Laudunenſem, Martyrologia celebrant die* XXV *Octobris, ubi de ipſo agendum erit. Interim locus hic poſtulat, ut de aſſerto S. Balſamiæ nutricis munere quædam obſervemus.*

F

primo, ut videtur, auctore Flodoardo, credunt ;

46 *Negari non poteſt, S. Balſamiam jam inde à Flodoardi ætate, id eſt, ſeculo* X *pro* S. Remigii *nutrice Remis ab aliquibus habitam fuiſſe, ſed à quanto tunc tempore, quove antiquiore auctore, planè incertum eſt. Marlotus nullum monumentum Flodoardo vetuſtius laudat ; imò ſatis indicat, nullum illo vetuſtius à ſe repertum eſſe, dum ſolam hujus auctoritatem profert,* Ex Flodoardo, *inquiens. Atqui hic tantùm quinto ſeculo poſt* S. Remigii *obitum ſcripſit, ipſumque nutricis obſequium non niſi timidè S. Balſamiæ attribuit, uſus verbo* traditur *hoc modo :* Hujus beatiſſimi Remigii nu-

AUCTORE C. S.

trix beata Balſamia fuiſſe traditur. *Adhæc eccleſia illa, quæ nunc* Sanctæ Nutricis *appellatur, nec hoc, nec* S. Balſamiæ *titulo veniſſe videtur tempore ejuſdem Flodoardi, à quo verbis mox datis non corpus S. Celſini in eccleſia* Sanctæ Nutricis *aut* S. Balſamiæ, *ſed* ipſa beata genitrix *Balſamia in filii ſui Celſini eccleſia quieſcere dicitur. Neque aliter locutus fuerat in ejuſdem libri* I *cap.* 3, *ubi de S. Mauri presbyteri, Remis paſſi, reliquiis dixit :* Cujus oſſa in eccleſia beati Celſini ſervantur depoſita. *Ex inſtrumentis autem à Marloto ibidem præterea adductis, in quibus* Sanctæ Nutricis *eccleſia expreſsè appellatur, vetuſtiſſima ſunt duæ Romanorum Pontificum litteræ, Alexandri III & Lucii III, qui poſt medium ſeculum* XII *Pontificatum geſſerant ; quo propterea tempore jam vigebat iſta eccleſiæ appellatio.*

ſed ſilente ; imò refragante potiùs Hincmaro,

47 *Quodſi ad tempora Flodoardo anteriora redeamus, anceps hæreo ac omnino cogor dubitare, an ſatis firma illa ſit de* S. Remigii *nutrice traditio. Si ſeculo* IX *S. Balſamia pro ejuſdem ſancti Francorum Apoſtoli nutrice agnita fuiſſet, eoque nomine dicatam ſibi apud Remenſes habuiſſet eccleſiam, quâ veri ſpecie nobis perſuadebimus, iſtæ Hincmaro Remenſi archiepiſcopo, qui poſt ejuſdem ſeculi medium in ipſa urbe ſcripſit, latère potuiſſe ; quorum memoriam prædictæ eccleſiæ titulus & conſpectus in dies ipſi ingeſſiſſet ? Nihil tamen ſimile tradidit Hincmarus, imò longè diverſum, in Vita num.* 4 *&* 5 *ad inſtar prodigii referens, quòd Cilinia mater, prout Montanus prædixerat, jam vetula Filium ſuum lactaverit, & poſtquam hunc ablactâſſet, lacte ſuo oculos ejuſdem Montani obliniens, viſum ei reſtituerit. Eadem ferè narrat Flodoardus lib.* I, *cap.* 10 *non ſatis ad dicta de S. Balſamia conſequenter.*

B

non auſim certò aſſerere.

48 *An fortè* nutricis *vocabulum latiùs acceptum pro gerula ſive pro ea à Flodoardo uſurpatur, cui Infantis cura & cetera educatio demandatur ? Ita quidem una objectarum difficultatum pars ceſſabit, ſed non omnes ; quia propter Hincmari ſilentium mihi dubium inhærebit, ne iſta opinio leviter nata omne pondus ſuum à Flodoardo acceperit, quo antiquiorem auctorem pro eadem à nemine laudatum legi, quique non niſi quinto poſt* S. Remigium *ſeculo, cautè addito verbo* traditur, *eam ſcriptis mandavit. Quid ſi* S. Balſamia *à lactato nutritoque ſancto filio ſuo Celſino* ſanctæ Nutricis *nomen apud vulgus primò obtinuerit, eaque appellatio de lactato* Remigio, *cujus diſcipulus Celſinus fuiſſe perhibetur, Flodoardi ævo accipi cœperit ? Ceterùm hanc dubitationem meam lectoribus ſic exponendam cenſui, ut ſimul profitear, gratum mihi fore affirmantem ſententiam amplecti, ſi quis (quod eruditos Remenſes in primis rogatos volo) certiora pro eadem argumenta vel monumenta ſuggeſſerit. Præſtari id à nobis poterit ad diem* XVI *Novembris, quo S. Balſamia colitur, aut etiam hoc ipſo menſe Octobri, cujus die* XXV *de ejuſdem ſancto filio Celſino ſcribendum erit. Pergo ad alia.*

C

Sanctus in pietate & litteris multùm proficit, vivitque reclusus.

49 *Fortunatus geſta* S. Remigii *à pueritia uſque ad epiſcopatum, id eſt, uſque ad annum ætatis ſuæ* 22, *paucis ſic complexus eſt :* In quo aſſiduè venturæ ætatis merita dulcis infantia deſignabat, & quod ante conceptum mater agnoverat, ante tempora jam videbat. Studebat teneros annos morum maturitate vincere, & benevolentiâ caritatis melle condire. *Haud plura habet Flodoardus, niſi quòd de ejuſdem in litterarum ſtudiis progreſſu vitaque dehinc ſolitaria etiam meminerit.* Traditus, *inquit*, à parentibus ſcholæ B. Remigius litteris imbuendus, brevi coævis, ſed & natu majoribus, doctrinâ eminentior eſt effectus ; cunctos ſuperans condiſcipulos morum maturitate ac benivolentiæ caritate ; populorum ſtudèns turbas vitare, atque ſolitarius in recluſione Domino deſervire. Quod & obtinuit, habitaque, ſanctæ converſationis ſtudiis Adoleſcens pius, incluſione Lauduni, Chriſto militavit. *Accepit hæc ex Hincmaro, qui de cella, in qua Sanctus ſolitariè Deo vixit, num.* 10 *Vitæ addidit :* Qui locus in caſtro Lauduno hactenus deſignatur, & venerabiliter colitur. *Felices ipſius in litteris ſucceſſus non inaniter ab illis aſſeri, colligere licebit ex S. Sidonio Apollinare infrà laudando.*

D

§ IV. Vitæ chronotaxis, ſive anni nativitatis, ordinationis epiſcopalis, durationis ſedis, & obitûs : electio ad epiſcopatum & conſecratio illius.

E

Probatur ex Fortunato, ipſomet S. Remigio,

CUm *tres præcipuæ vitæ* S. Remigii *epochæ, nimirum tempus natale, initium epiſcopatûs, & mors illius, adeò inter ſe connectantur, ut ex aliis mutuò ſint eruendæ, oportet de his omnibus ſimul agere. Fortunatus primigeniæ Vitæ breviator, ipſius Sancti ætati proximus, in Compendio edendo num.* 2 *teſtatur, ipſum creatum epiſcopum eſſe*, cùm . . . vigeſimi ſecundi anni . . . ſumpſiſſet exordium ; *numero autem* 9, *eumdem obiiſſe*, ſenio jam urgente. *Sanctus ipſemet* Remigius *in epiſtola ſua ad tres epiſcopos poſt mortem Clodovei Francorum regis ſcripta (quam habes apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum, col.* 1608) *de annis, quos in epiſcopatu tunc numerabat, ſic ait :* Quod propitia Divinitate ſit dictum, Quinquaginta & tribus annis epiſcopali ſedi præſideo. *In calce quoque ejuſdem epiſtolæ indicat, provectam ætatem ſuam illis contemptui fuiſſe*, Annorum, *inquiens*, numero me eſſe ſcribitis Jubileum, irridentes potiùs, quàm pro dilectione gaudentes.

Gregorio Turonenſi, Hincmaro & Flodoardo, S. Remigium

51 *Sanctus Gregorius Turonenſis epiſcopus, qui eodem ſeculo* VI *floruit, in lib. de Gloria confeſſorum cap.* 79 *de diuturno ejuſdem præſulatu pariter meminit his verbis :* Remigius verò Remenſis epiſcopus, qui, ut ferunt, ſeptuaginta, aut eò ampliùs, in epiſcopatu annos explevit. *Hincmarus in Vita edenda num.* 10 *ſcribit, illum creatum epiſcopum eſſe*, cùm ad viginti & duos ætatis ſuæ annos pervenit ; & defuncto Bennadio *ſucceſſiſſe. Deinde num.* III *ait, mortuum eſſe*, poſtquam per viginti & duos annos in clericali ordine, in epiſcopatu verò ſeptuaginta quatuor . . . Domino miniſtravit, nonageſimo ſexto ætatis ſuæ anno, Idus Januarias. *Hos tamen* viginti & duos annos, in clericali ordine *exactos, ſic interpretare, ut dicatur* S. Remigius *in clericali ordine vixiſſe uſque ad annum ætatis ſuæ* 22, *quo ad epiſcopatum promotus fuit ; hoſce enim annos ſeorſum computari non poſſe à totidem antè memoratis, ex iiſdem Hincmari calculis manifeſtum eſt : nam alioquin Sanctus moriens non annum ætatis ſuæ* 96, *ſed circitèr* 118 *egiſſet. Longævum illum præſulatum ſimiliter tenet alibi tom.* 2 *Operum ſuorum editionis Sirmondi, pag.* 431 *etiam aſſeverantiùs de illo ſcribens :* Ut veraces noſtratium hiſtoriæ

A riæ monſtrant, LXXIV & eo ampliùs annos in epiſcopatu degens *&c.*

in juvenili ætate epiſcopum ordinatum, ſenem obiiſſe.

52 *Denique prædictos omnes calculos idem Hincmarus in epitaphio, ſeu verſibus, quos* S. Remigii *pretioſo mauſoleo inſculpi curavit, denuò recenſuit:*

Bis denos binoſque gerens feliciter annos,
Sorte Dei ſumpſit pontificale decus.
Sexaginta, ſimul bis ſeptem, manſerat annis
Iſtius urbis honor Præſul, & orbis amor.

Ac poſt panca interjecta:

Nonaginta quidem ſex cùm compleverat annos,
Splendida lux noſtras deſeruit tenebras;
Idus jam plenas cùm Janus menſis haberet,
Emeritus Miles præmia digna capit.

Conſentit Flodoardus in Hiſtoria Remenſi, eoſdem initi geſtique epiſcopatus, & ætatis, in qua obiit, annos illi attribuens, quos & eruditi paſſim admittunt. Tria ergò hîc pro certis habemus; videlicet epiſcopalem ordinem S. Remigio *collatum anno ætatis ſuæ vigeſimo ſecundo; annos ſeptuaginta quatuor in epiſcopatu tranſactos, ac nonaginta ſex annorum ætatem, in qua migravit ad cælos. Jam verò, ſive iſti anni completi, ſive incompleti cenſendi ſint, non difficile eſſet ejuſdem Sancti chronologiam ordinare, dictaſque epochas ad Chriſti annos reducere, ſi vel unam harum certo anno æræ Chriſtianæ illigatam haberemus.*

B

Ex Hincmari calculis partim vitioſis Sigebertus erravit

53 *Pro emortuali faciunt ſequentes verſus ſuprà dicto mauſoleo ab Hincmaro item inſcripti anno* 852, *quibus dicitur tunc annus* 308 *à* Remigii *obitu cucurriſſe.*

Octingenteno quinquagenoque ſecundo,
Quo Deus eſt anno Virgine natus homo,
Tertius & Karolus regni componeret actus,
October * primam cùm daret atque diem,
Ac ter centenos * octavus tangeret annus,
Hic Juſtus Domini quo petit aſtra poli.

* *al.* Octimber
* *al.* Ter centenus

Si modò annos trecentos & octo, quot inter S. Remigii *mortem ejudemque tranſlationem anno* 852 *factam medios computavit, ab hoc anno auferamus, prodibit Chriſti* 544, *cujus Idibus Januariis ipſius obitus figendus eſſet. Deinde ſi ab hoc emortuali anno pariter ſubducamus annos* 74 *geſti epiſcopatus, reſtabit* 470, *ad quem ordinatio illius referenda erit. Tandem hinc quoque ablatis annis* 22, *quos ante epiſcopatum vixit, ſupererit annus Chriſti* 448, *circa quem ejuſdem nativitas contigiſſet. Iiſdem calculis uſus Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ſuo,* S. Remigii *ſedis initium ad annum Chriſti* 471, *additiſque annis* 74, *mortem ad annum* 545 *repoſuit.*

C

in chronotaxi S. Remigii, ut advertit Baronius, qui tamen ipſe quoque

54 *Cardinalis Baronius laudatum chronographum, Democharem, alioſque partim ſecutus, tom.* 6 *Annalium ſtatuit, illum præcitato anno* 471 *ordinatum epiſcopum eſſe; ſed tom.* 7 *occaſione concilii Arvernenſis, cui Flavius,* S. Remigii *poſt Romanum ſucceſſor, ſubſcriptus legitur, quodque Baronius anno* 541 *celebratum fuiſſe putabat, Sigebertum arguit de ejuſdem Sancti morte æquo ſeriùs dilata, atque ita differit.* Qui verò nonus ordine (*inter epiſcopos Arvernenſi ſynodo ſubſcriptos*) recenſetur, Flavius eſt Remenſis epiſcopus. Ex quo velim obſerves, planè errore deceptos, qui S. Remigii, ejuſdem eccleſiæ epiſcopi, ad Deum tranſitum referunt ad annum Domini quingenteſimum quadrageſimum quintum. Nam quomodo ad illud tempus potuit Remigius perveniſſe, ſi hoc anno (541) ſediſſe Flavius reperitur, quem & præceſſiſſe ponitur Romanus, ejuſdem S. Remigii primus ſucceſſor? Par erat (ſi licuiſſet) Antiſtitis celeberrimi, Francorum Apoſtoli, ex hac vita ad Deum tranſitum certo ſignâſſe in noſtris Annalibus, ſicut die, ita & anno: ſed quòd, quæ de his ab aliis ſcriptis mandata feruntur, haud ejuſmodi eſſe noſcantur, quæ immobili veritate ſubſiſtant, inviti abſtinere cogimur, & non niſi hîc dumtaxat obiter meminiſſe. AUCTORE C. S.

& Colvenerius veram non fuere aſſecuti.

55 Gregorii enim Turonenſis teſtificatione, aſſerentis, ſeptuaginta annos & ampliùs S. Remigium ſediſſe, & Hincmari aſſertione, dicentis, vixiſſe in epiſcopatu annos ſeptuaginta quatuor, invaluit opinio illa, ut, qui creatus habetur epiſcopus anno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, idem pervenerit ad annum quingenteſimum quadrageſimum quintum. Sed ſynodalia Acta majorem vendicant ſibi fidem; ex quibus liquet, neque ad annum ſeptuageſimum perveniſſe. *Hactenus Eminentiſſimus annaliſta, rectè quidem arguens Sigebertum alioſque, qui* S. Remigium *uſque in annum Chriſti* 545 *ſediſſe dixerunt; ſed & ipſe quoque corrigendus, quod Arvernenſem ſynodum nimis ſerò collocaverit, malueritque ab annis epiſcopatûs* Remigii *per Gregorium & Hincmarum in Vita edenda expreſſis recedere, quàm ab anno ordinationis ejuſdem ſignato per Sigebertum alioſque recentiores, quos in anno emortuali errâſſe agnoverat. Oppoſitam viam iniit Georgius Colvenerius, qui in Scholiis ad Flodoardi lib.* 1 *Hiſtoriæ Remenſis cap.* 13 *ordinationem illius anno Chriſti* 470, *mortem verò anno* 544 *affigens, contendit, Hincmari numeris in epitaphio ſtandum eſſe; ſynodum autem Arvernenſem quindecim aut ſedecim annis poſt Chriſti annum* 541 *differendam.*

E

Synodo Arvernenſi anno 535 *ſubſcripſit Flavius,*

56 *Horum omnium opiniones ac ſimul Hincmari de annis trecentis & octo, à ſancti Præſulis obitu uſque ad annum æræ Chriſtianæ* 852 *elapſis, aſſertum in epitaphio, ſolidè refutantur ex vero anno prædicti concilii Arvernenſis. Exſtat illud in Collectionibus Conciliorum Sirmondi, Labbei & Harduini, ex variis codicibus Mss. editum, in quibus omnibus metropolita primo loco ſubſcriptus ſic legitur:* Honoratus in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Bituricæ conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi, die VI Idus * Novembris, poſt conſulatum Paulini junioris V. C. *Baronius exiſtimavit, Paulinum hunc anno* 540 *cum Juſtino juniore nomen Faſtis dediſſe, ac propterea eam ſynodum anno* 541 *affixit. Verùm nunc conſtat, dictum Paulinum fuiſſe anno* 534 *ultimum Occidentis conſulem, & idcirco eamdem ſynodum celebratam eſſe anno* 535, *qui in laudatis Conciliorum Collectionibus etiam adſcriptus eſt. Porro inter illius ſubſcriptiones nono loco legitur:* Flavius, Deo propitio, epiſcopus eccleſiæ Rhemenſis, conſenſi & ſubſcripſi.

* *al.* ſub die Iduum

F

Remigii ſucceſſor poſt Romanum; ex qua epocha aliiſque calculis

57 *Fuit autem hic* S. Remigii *poſt Romanum ſucceſſor, uti jam obſervavit Baronius ex Flodoardo, qui libri* 2 *caput ſic orſus eſt:* B. Remigio ſucceſſiſſe traditur Romanus, Romano Flavius; *ac proinde non potuit idem* S. Remigius *uſque in annum* 541 *vel* 540 *ſediſſe. Recedendum ergò etiam eſt ab Hincmaro, dum* S. Remigii *obitum inter annumque Chriſti* 852 *dumtaxat trecentos & octo annos computavit, quod cum memorata Flavii ſubſcriptione nullo modo poteſt componi. Henſchenius noſter tom.* 1 *Februarii ad diem* VI *in Commentario prævio ad Vitas S. Vedaſti epiſcopi Atrebatenſis* § 2 *&* 3, *numeros ab Hincmaro in Vita traditos ſervans, ſtatuit,* Remigium *natum eſſe circa annum* 435, *ordinatum epiſcopum Remenſem circa* 457, *mortuumque anno* 529 *vel potiùs*

AUCTORE C. S.

tiùs 530. *Hujus chronotaxis fundamenta præter Hincmari numeros in Vita ſunt concilium Arvernenſe, annus emortualis Clodovei regis, ipſiuſque* S. Remigii *epiſtola poſt ejuſdem regis obitum ad tres epiſcopos ſcripta, dum ipſe* quinquaginta tribus annis epiſcopali ſedi *præfuerat. Dabimus illam loco ſuo; verùm hîc tempus, quo ſcripta fuit, indagandum eſt.*

Henſchenius S. Remigii chronotaxim ordinavit, natum illum ſtatuens

58 *Scriptam illam eſſe poſt mortem Clodovei, probat Henſchenius, quòd* Remigius *obtrectantibus ſibi epiſcopis in eadem reſpondeat:* Ego Claudium presbyterum feci, non corruptus præmio, ſed præcellentiſſimi regis teſtimonio, qui erat non ſolùm prædicator fidei Catholicæ, ſed defenſor . . . Regionum præſul, cuſtos patriæ, gentium triumphator injunxit. *Uti certum eſt, non alium regem, quàm Clodoveum, hîc poſſe deſignari, ita ex vocibus* qui erat *dicendus eſt idem ille, dum hæc epiſtola data eſt, jam exceſſiſſe è vivis. Jacobus Sirmondus eam tom.* 1 *Conciliorum Galliæ pag.* 204 *& ſequenti recitans, ad annum Chriſti* 523 *vel* 524 *referendam putavit; haud dubiè pro ſenſu ſuo; nam nullam notam chronologicam continet, neque ipſe ullam rationem protulit ipſam tam ſerò reponendi. Rectiùs Henſchenius, aliique poſt ipſum cenſuerunt, eamdem non diu poſt Clodovei obitum exaratam eſſe, quia videntur tres illi epiſcopi ea occaſione uſi fuiſſe ad* Remigii *factum arguendum, quod auſi non fuerant, vivo rege, in cujus gratiam ipſe illud præſtiterat.*

B

circa annum 435, ordinatum circa 457, mortuum circa 530.

59 *Quapropter laudatus Henſchenius cùm alibi gravibus argumentis ſtatuiſſet, ejuſdem regis obitum in diem* XXVII *Novembris anni* 509 *incidiſſe, conſequenter hanc* Remigii *epiſtolam anno proximè ſecuto, ſive* 510 *illigavit. Quibus poſitis, ſponte ſua fluit digeſta ab illo Remigiana chronotaxis: ſi enim ab anno* 510 *anni quinquaginta tres, quos tunc in epiſcopatu numerabat, demantur, reſtabit annus* 457, *initio præſulatûs ipſius aſſignandus. Et ſi ab hoc annos viginti duos ante ſuſceptum epiſcopatum actos ſimiliter auferas, ad annum* 435, *ipſi natalem, dilabêris: tandem ſi annos viginti & unum, ex ſeptuaginta quatuor ſedis epiſcopalis reſiduos, anno* 510 *addideris, exſurget annus ejus emortualis, nimirum Chriſti* 531: *ſed quia omnes ſuprà dicti anni fortè non fuere completi, aſſignatæ quoque epochæ particulâ* circa *coërcendæ ſunt. Eâdem, quâ Henſchenius, viâ inſtiterunt & alii viri eruditi, exiguo diſcrimine ab illo diſſidentes.*

C

Ægidius Bucherius in Belgio Romano lib. 17, *cap.* 15 *nativitatem* S. Remigii *anno* 436, *ordinationem ineunti* 458 *vel exeunti* 457, *mortem anno* 533 *innexuit.*

Ab his parùm differunt alii eruditi, mortem Clodovei

60 *Paulò plùs differt Cointius, qui tom.* 1 *Annalium ad annum Chriſti* 486, *num.* 12 *initium epiſcopatûs illius anno* 459, *mortem etiam* 533 *maluit adſcribere, huncque* computum *ſuum* aut verum aut vero proximum *eſſe, dixit. Antonius Pagius in Critica Cardinalis Baronii ad annum* 471, *num.* 13 *poſt relatas Henſchenii Cointiique ſententias,* Henſchenius, *inquit,* ac Cointius multis oſtendunt, ſuos computos aut veros aut vero proximos eſſe; *ipſe tamen ad annum* 541 *num.* 10 *ejuſdem Sancti obitum anno* 530 *cum Henſchenio potiùs illigavit. Denique Jacobus Longuevallius tom.* 2 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag.* 110 *nec ordinationem ejus poſt annum* 459, *nec mortem ſeriùs, quàm anno* 533, *figi poſſe agnovit. Exiguæ hujus inter laudatos ſcriptores diſſenſionis ab Henſchenio præcipua ratio eſt, quòd hic Clodovei mortem anno* 509, *illi anno* 511 *contigiſſe, opinati ſint. Poſteriorum ſententia nunc communior eruditorum eſt, atque ipſi etiam Henſchenio fortè aliquando placuit tom.* V *Maii pag.** 228 *num.* 3, *ubi S. Auſtregiſili Bituricenſis archiepiſcopi annum natalem eruens ex adſcripto anno* 41 *regni Childeberti (qui patri Clodoveo cum fratribus ſuis mox ab obitu illius ſucceſſit) annotavit Childebertum* anno Chriſti DXI *regnare cœpiſſe, ac proinde S. Auſtregiſilum anno* 551 *natum eſſe.*

D

& conciliam Aurelianenſe anno 511 *figentes,*

61 *Huic ſententiæ ego quoque inhærebo maximè propter concilium* 1 *Aurelianenſe, quod certè vivo Clodoveo, ac probabiliſſimè anno* 511 *celebratum fuit, ut ſuo loco oſtendetur. Certum quoque eſt, nec ejuſdem regis obitum ultra hunc annum, nec ſæpe dictam epiſtolam à* S. Remigio *ad tres epiſcopos datam, diu poſt illum poſſe differri. Ponamus enim hanc anno* 512 *ſcriptam eſſe, cùm prioris anni menſe Novembri die* XXVII *Clodoveus obiiſſet; annoſque viginti & unum, è ſeptuagintæ quatuor epiſcopatûs illius reſiduos eidem anno* 512 *addamus, vel ſic prodibit annus Chriſti* 533, *cujus menſe Januario die* XIII S. Remigius *mortuus ſit, à quo tempore ſatis breve, at ſufficiens, eſt ſpatium uſque ad annum* 535, *quo Flavius* S. Remigii *poſt Romanum ſucceſſor concilio Arvernenſi ſubſcripſit. De S. Romano breviter agens Henſchenius ad diem* XXIX *Februarii, conſequenter ad prædictam ſententiam ſuam initium epiſcopatûs ipſius ad annum* 530, *mortem ad* 533 *vel ſequentem retulit.*

E

in quorum nunc communiori ſententia procedo.

62 *Sollerius item noſter tom.* 1 *Julii pag.* 60, *num.* 7 *in S. Theoderico presbytero, cujus funus S. Romanus curâſſe legitur, de anno quidem obitûs S. Romani conſentit, ſed ejuſdem ordinationem* anno circitèr DXXXII *conſignavit, ſecutus ſcilicet illos, qui mortem Clodovei biennio ſeriùs, quàm Henſchenius, poſuerunt. Porrò quia prorſus incertum eſt, utrùm anni ab Hincmaro in Vita aſſignati, quibus hæc chronotaxis nititur, pro completis (quales fuiſſe dicuntur anni* 74 *epiſcopatûs) an pro incompletis accipiendi ſint, cenſeo, eamdem non meliùs ordinari poſſe, quàm nativitatem* Remigii *circa annum* 436, *ordinationem circa* 458, *ac mortem denique anno vitæ ejus nonageſimo ſexto circa* 532 *Idibus Januarii figendo, ſic ut particula* circa *non niſi ad unum annum ultra citrave extendatur. His de chronotaxi præmiſſis, progrediamur ad modum, quo ille ad epiſcopatum promotus fuit, dum in ſua cella Lauduni ſecretam ab humanis turbis vitam coleret. Dubitari poteſt, an & quos jam tum ſacros Ordines ſuſcepiſſet, quia Hincmarus num.* 111 *Vitæ tradit, ipſum exceſſiſſe è vivis,* poſtquam per viginti & duos annos (*id eſt, ut diximus, uſque in annum ætatis ſuæ* 22) in clericali Ordine, in epiſcopatu verò ſeptuaginta quatuor . . . Domino miniſtravit.

F

Anno Vitæ ſuæ 22 *electus Remenſis epiſcopus,*

63 *Utut ſit (nam hac ſuper re apud alios nihil reperi) electionem illius Fortunatus in Compendio num.* 2 *paucis his verbis complexus eſt.* Quid plura? Cùm ſecundis ſucceſſibus certatim ſanctæ converſationis ſtudiis adoleſcens, vigeſimi ſecundi anni Juſtus ſumpſiſſet exordium, in hac urbe Remenſium omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptus fuiſſe dinoſcitur potiùs, quàm electus. *Fortunati verba partim deſcripſit, partim paraphraſticè expoſuit Hincmarus, ac miraculum addidit, quo veluti divino ſuffragio ejuſdem electio fuerit confirmata. Adi Vitam num.* 10. *Eadem adoptavit Flodoardus lib.* 1 *Hiſtoriæ Remenſis cap.* XI, *ex quo ea accipe.* Aſt ubi vigeſimum ſecundum ætatis ſubiit annum, defuncto præfato Bennadio archiepiſcopo (*quem in ſuo teſta-*

A *ſtamento* Bennagium *ſcribi, præmiſerat cap.* 9) in hac urbe Remenſi omnium generaliter votis ad apicem pontificatûs non tam electus, quàm raptus, fuiſſe dinoſcitur. Fit ſiquidem populi concurſus, diverſi quidem ſexûs, conditionis, dignitatis & ætatis, unâ eâdemque ſententiâ, hunc verè Deo dignum, & qui populis præfici deberet, acclamantis.

& cæleſti prodigio illuſtratus conſecratur,

64 Sanctiſſimus igitur Adoleſcens his depreſſus anguſtiis (quoniam nec fugæ locus ei uſpiam patebat, nec populo, ut ab intentione cœpta deſiſteret, ullo modo ſatisfacere poterat) ſuper ætatis infirmæ cœpit conqueri tempore, & quòd eccleſiaſtica regula hanc ætatem ad tantam non admitteret dignitatem, voce publica prædicare. Sed cùm irrevocabiliter populi adclamaret frequentia, & Vir Dei magnâ reniteretur conſtantiâ, placuit omnipotenti Deo manifeſtiſſimis indiciis propalare, quod ipſe de eo judicium dignabatur habere. Traditur enim cœleſtis radii lumen ſuper ipſius ſanctum ſubitò deſcendiſſe verticem, & cum ipſo lumine cœlitus ejus infuſum capiti unguinis divini liquorem, cujus ſacri nectaris ejuſdem totum videretur caput infuſione
B delibutum. Omni ergò poſthabita dubitatione, præſulum Remenſis unanimitate provinciæ pontificali conſecratur benedictione. *Hactenus Flodoardus ex Hincmaro, ex cujus fide pendet geminum iſtud prodigium; quòd an ille primus tradiderit, an ex vetuſtiori aliquo monumento aliterve acceperit, certò dicere nequeo. Verumtamen, ſi Præfatio Miſſæ, de qua memini ſuprà num.* 29, *tam antiqua ſit, quàm ibidem voluit Mabillonius, ex ea potuit cæleſtem illam unctionem diſcere, quæ ſine mentione radii in eadem ſic memoratur:* Hic eſt ille Remigius, qui .... è cælo ſibi infuſionem chriſmatis ſuper ſe venientem adoleſcens aſpexit.

fruſtra allegans immaturam ætatem ſuam,

65 *Cetera omnia veriſimillima ſunt, tum ex humilitate* Remigii, *tum ex recepta ejus temporis Eccleſiæ diſciplina. Non enim dubium videtur, quin ſanctus Juvenis, qui civicarum rerum fugitans, in adamata ſibi cella ſolitarius vitam degebat, & deliteſcere malebat, quàm prodire in publicum, modis omnibus reluctatus ſit, ne epiſcopale onus ſibi imponeretur, atque hunc in finem ætatem ſuam, ſecundùm ſacros canones imparem,*
C *allegaverit. Certè concilium Neocæſareenſe, ſeculo* IV *celebratum, canone* XI, *apud Labbeum tom.* I *Conciliorum, col.* 1485 *ſic habet:* Presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiam ſi fuerit homo valdè dignus. *S. Siricius, qui in fine ejuſdem ſeculi* IV *Pontificatum tenuit, in epiſtola ad Himerium in Collectione Epiſtolarum ſummorum Pontificum per Petrum Couſtantium tom.* I, *col.* 633 *& ſequenti, ad presbyteratum requiſivit annos triginta quinque, ad epiſcopatum quadraginta quinque. Sed nimirum* Remigii *ſanctitas, morum maturitas & eruditio ætatem abundè evidenterque ſupplebant, ut, quem divina providentia deſtinaverat, Remenſes ſibi epiſcopum unanimi voce eligerent, ejuſdemque provinciæ antiſtites ordinarent, meritò rati, contra canones hîc non peccandum, ubi tam peculiaris ratio ita ſuadebat.*

quam meritis ſuperabat.

66 *Sic etiam poſtea Patres concilii Toloſani, anno* 1056 *habiti, apud Labbeum tom.* 9, *col.* 1084 *hujuſmodi caſus à communi lege exceptos eſſe voluere canone* 2 : Item placuit confirmare, ſicut ſcriptum eſt, ut epiſcopus, vel abbas, presbyter, ante triginta annos, diaconus verò ante viginti quinque non ordinetur; niſi ſtudio ſanctitatis aut ſapientiæ ornati, providentiâ epiſcopi ſimul & cleri promoveantur. *Itaque quæ Toloſanos patres poſtea impulerunt, ut hunc canonem conderent, Remenſes quoque clerum populumque impellere potuêre, ut in* Remigii *electione à communi diſciplina recederent. Quodſi etiam Hincmaro prædicta prodigia aſſerenti credamus, vel ſic evaneſcet omnis difficultas, quæ contra Sancti alioquin immaturam ætatem ex canonibus peti poſſet. Ceterùm ex dictis hæc* Remigii *ordinatio ad annum* 457 *vel* 458 *referenda eſt, pro quo ulteriùs determinando nihil præterea ſuggerit Flodoardus in ejuſdem deceſſore Bennagio vel Bennadio, qui ex ipſius Hiſtoriæ Remenſis lib.* I, *cap.* 9 *& duobus ſequentibus ferè unicè notus eſt.* AUCTORE C. S.

§ V. S. Remigii eruditio & ſanctimonia à SS. Sidonio Apollinare & Gregorio Turonenſi commendata: diſcutitur hiſtoria energumenæ Toloſanæ per Sanctum liberatæ & vitæ redditæ. E

Eximia Sancti eloquentia

QUamquam ex hactenus dictis legendiſque in utraque Vita edenda ſatis ſuperque conſtet de S. Remigii *epiſcopalibus dotibus, juverit tamen hîc etiam aliunde oſtendiſſe, quantâ eloquentiâ ſanctitateque inſtruxerit Deus, quem Francorum tunc barbaræ genti doctorem & apoſtolum deſtinaverat. Eruditionem & eloquentiam luculenter commendavit S. Sidonius Apollinaris, eruditus & ipſe epiſcopus Arvernorum & ſanctitate clarus, in epiſtola ad illummet data, editaque inter ejuſdem Sidonii Opera à Jacobo Sirmondo, cui eſt ſeptima libri* 2, *quam totam tranſcribo.* Sidonius domino Papæ Remigio ſalutem. Quidam ab Arvernis Belgicam petens (perſona mihi cognita eſt, cauſa ignota; nec refert) poſtquam Remos advenerat; ſcribam tuum, ſeu bibliopolam, pretio fòrs fuat officiove demeritum, copioſiſſimo, velis, nolis, declamationum tuarum ſchedio emunxit. Qui redux nobis atque oppido gloriabundus, quippe perceptis tot voluminibus, quicquid detulerat, quanquam mercari paratis (quod tamen utilius, nec erat injuſtum) pro munere ingeſſit. Curæ mihi è veſtigio fuit, iiſque, qui ſtudent, cùm meritò lecturiremus, plurima tenere, cuncta tranſcribere. F

ex lectis ejuſdem declamationibus mirè laudatur

68 Omnium aſſenſu pronuntiatum, pauca nunc poſſe ſimilia dictari. Etenim rarus, aut nullus eſt, cui meditaturo par aſſiſtat diſpoſitio per cauſas, poſitio per literas, compoſitio per ſyllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in teſtimoniis, proprietas in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, flumen in verbis, fulmen in clauſulis. Structura verò fortis & firma, conjunctionumque perfacetarum nexa cæſuris inſolubilibus; ſed nec hinc minùs lubrica & lævis, ac modis omnibus erotundata; quæque lectoris linguam inoffenſam decenter expediat, nec ſalebroſas paſſa juncturas, per cameram palati volutata balbutiat. Tota denique liquida prorſus & ductilis, veluti cùm cryſtallinas cruſtas aut onychintinas, non impacto digitus ungue perlabitur: quippe ſi nihil eum rimoſis obicibus exceptum tenax fractura remoretur. Quid plura? Non extat ad præſens vivi ho-

AUCTORE C. S.

hominis oratio, quam peritia tua non, ſine labore, tranſgredi queat ac ſupervadere. Unde & propè ſuſpicor, domine Papa, propter eloquium exundans atque ineffabile (venia ſit dicto) te ſuperbire.

à S. Sidonio Apollinare, plura ab eo Opuſcula appetente.

69 Sed, licèt bono fulgeas ut conſcientiæ, ſic dictionis ordinatiſſimæ; nos tibi tamen minimè ſumus refugiendi, qui bene ſcripta laudamus, etſi laudanda non ſcribimus. Quocirca deſine in poſterum noſtra declinare judicia, quæ nihil mordax nihilque minantur increpatorium. Alioqui, ſi diſtuleris noſtram ſterilitatem facundis fœcundare colloquiis, aucupabimur nundinas involantûm; & ultro ſcrinia tua, conniventibus nobis ac ſubornantibus, effractorum manus arguta populabitur: inchoabiſque tunc fruſtra moveri ſpoliatus furto, ſi nunc rogatus non moveris officio. Memor noſtri eſſe dignare, domine Papa. *Hactenus S. Sidonius Apollinaris, prolixè indicans, quanti tum ipſe, tum alii,* S. Remigii *Opuſcula facerent; verùm hæc dudum periiſſe dolemus. Idem ſanctus epiſcopus Arvernas in epiſtola ad Principium Sueſſionenſem,* S. Remigii *fratrem, de qua num.* 34 *jam memini, epiſcopum, utriuſque pontificales virtutes celebravit; quæ cùm non minùs ad* S. Remigium, *quàm ad S. Principium ſpectent, & in hujus Actis die* XXV *Septembris non niſi leviter indicatæ fuerint, non abs re fuerit, eaſdem ex laudata Sirmondi editione, ubi illa epiſtola* 14 *libri* 8 *eſt, huc transferre.*

B

Laudavit idem S. Sidonius

70 *Poſt ea, quæ citato numero recitavi, S. Sidonius ita progreditur:* Cui patri (*SS. Principii ac* Remigii, *quos alloquitur*) quondam videlicet vos habenti, vix domus Aaron pontificis antiqui meritò compararetur: quem licèt primum in medio plebis eremitidis ſanctificationis oleo legiferi fratris dextra perfuderit, filios ejus in ſimilis officii munia vocans; tamen ipſius ſuper Ithamar & Eleazaro felicitatem Nadab & Abiu fulminibus afflati decoloravere; quorum quamlibet interemptorum credamus abſolvendas animas, punitas tamen ſcimus eſſe perſonas. Vos verò tacturi paginam altaris, nihil, ut audio, offertis ignis alieni; ſed comitantibus victimis caritatis caſtitatiſque, fragrantiſſimum incenſum thuribulis cordis adoletis. Ad hoc, quoties jugum Legis cervicibus ſuperbientium per vincula prædicationis adſtringitis, tunc Deo tauros ſpiritaliter immolatis. Quoties conſcientiæ luxuriantis fœtore pollutos ad ſuaveolentiam pudicitiæ ſtimulis correctionis impellitis, hircorum vos obtuliſſe virulentiam, Chriſtus ſibi computat.

C

ejuſdem virtutes epiſcopales,

71 Quoties, hortantibus vobis, in quocumque compuncto culpas ſuas anima pœnaliter recordata ſuſpirat; quis vos ambigat paria turturum, aut binos pullos columbarum, qui duplicem ſubſtantiam utriuſque hominis noſtri, tam numero quàm gemitu, aſſignant, myſtico litâſſe ſacrificio? Quoties veſtro monitu obeſum quicumque corpus æſtuantemque turgidi ventris aruinam, crebro jejuniorum decoquendus igne, torruerit, nulli dubium eſt, vos tunc ſimilam frixam in quadam continentiæ ſartagine conſecraturos. Quoties aliquem, mentis perfidæ figmenta ponentem, ſanam reſpondere doctrinam, fidem credere, viam tenere, vitam ſperare, ſuadetis; quis vos dubitet, in hujus emendatione converſi, qui jam ſit liber ab hæreſi, liber ab hypocriſi, liber ab ſchiſmate, purgatiſſimum propoſitionis panem cum ſinceritatis & veritatis azyma dedicaturos? Poſtremò quis neſciat, quicquid Legis diebus figuraliter immolabatur in corporibus, quòd totum id gratiæ tempore manifeſtè vos offeratis in moribus? Atque ideò grates uberes Deo refero, quòd ſecundùm veſtræ paginæ qualitatem facilè agnoſco, antiſtitem ſuprafatum (*Antiolium*) de vobis cùm magna dixerit, majora tacuiſſe *&c.*

D

Gregorii Turonenſis de eodem teſtimonium: ejus ſtatura corporis.

72 *Breve ſed inſigne pariter de ejuſdem ſancti Præſulis Remenſis eruditione & ſanctitate teſtimonium reliquit S. Gregorius Turonenſis lib.* 2 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 31, *quod etſi alia occaſione jam dederim, juverit tamen repetiiſſe.* Erat enim (*inquit*) S. Remigius epiſcopus egregiæ ſcientiæ, & rhetoricis adprimè imbutus ſtudiis; ſed & ſanctitate adeò prælatus, ut S. Silveſtri virtutibus æquaretur. *Hæc de animi ipſius dotibus, quæ per Commentarii hujus decurſum etiam magis eluceſcent. De ejuſdem corporis ſtatura Marlotus lib.* 2, *cap.* 2 ex veteri, *inquit,* codice *deſcripſit ſequentia:* Fuit . . . vultu liberali & ingenuo, corpore procerus, ſeptem pedum fermè longitudinis, auſtera fronte, naſo non nihil aquilino, aliquatenus flavo, barbâ ſat prolixâ, in inceſſu gravis, venerandus aſpectu, ac undique ſerenitatem præferens & majeſtatem; animi verò pulchritudo, quæ virtute patebat, tanta fuit, ut ſola exterioris hominis ſpecie expreſſam in eo putares imaginem ſanctitatis. *Ita ille, quem oportebat ampliorem codicis notitiam addidiſſe, ut de ejuſdem fide ac pretio utcumque cenſere liceret.*

E

Celebrem energumenæ per S. Remigium curationem

73 *Ad Sancti geſta quod attinet, Fortunatus, nimiùm in his cum magno hiſtoriæ diſpendio brevis, in Vita num.* 2 *poſtquam electionem illius narraverat, mox ſubdidit:* Statim ſic apparuit aptus & devotus officio, tamquam ſi, quò noviter aſcenderat, jugiter præfuiſſet. *Tum epiſcopalibus virtutibus generaliter tantùm laudatis, ad aliquot miracula ab illo inter vivos patrata feſtinavit, è quibus unius inſignioris adjuncta pluribus hîc examinanda ſunt. Num.* 6 *hæc tradit:* Quædam verò puella, ab urbe Toloſa præclaris orta natalibus, ab adoleſcenti infantia veſani ſpiritus tenebatur obſidione captiva. Quam cùm tenero amore diligerent piiſſimi genitores, ad S. Petri ſepulchrum in Romanam urbem cum plurima multitudine & multa devotione duxerunt. Ibi quidam Dei ſervus cum auxilio ſacri corporis (*S. Petri Apoſtolorum principis*) plurima implebat ſigna virtutis. Hanc tamen puellam cùm nulla potuiſſet interceſſione purgare, nec ab ipſa callidi dæmonis virus valuiſſet expellere; hinc * reſponſum hoſtis antiquus reddidit, divini nominis obſecratione conſtrictus, quòd numquam ab alterius de eodem habitaculo, niſi hujus beatiſſimi Remigii antiſtitis, emundatione poſſit expelli.

F

* *an* huic?

à Fortunato traditam, Hincmarus ſic interpretatus eſt,

74 Tunc parentes ejus, & ipſius benedicti & Alarichi regis Gothorum affatibus ſuffragati, cum devincta ſobole ad ſanctum Remigium antiſtitem pervenerunt, deprecantes, ut virtutem ejus agnoſcerent in purgatione ſobolis, quam præſcierant in confeſſione latronis, *id eſt, dæmonis. Sequitur ibidem præfatæ puellæ per* S. Remigium *à maligno ſpiritu vindicatio, & in vitam paulò poſt amiſſam reſtitutio. Huc ſpectat, quod habet S. Gregorius Turonenſis cap.* 79 *de Gloria confeſſorum:* Remigius verò Remenſis urbis epiſcopus . . . oratione ſua defunctæ cadaver puellæ obtinuit ſuſcitari. *In veteris quoque Præfatione Miſſæ jam aliquoties laudata de eo legitur:* Puellam verò ex Toloſanis à dæmonico ſpiritu purificavit, ipſamque poſtmodùm mortuam ſuſcitavit. *Quam ob rem de facti veritate non eſt, quòd dubitemus. Hincmarus more ſuo Fortunatum ferè deſcripſit; ſed*

A *ſed Dei ſervum, à quo ille Toloſanam puellam Româ ad* Remigium *miſſam dixerat*, Benedictum *appellatum fuiſſe credidit, Fortunatumque ſic interpretatus eſt, ut videri poſſit hic fuiſſe celebris ille S. Benedictus, monaſticæ vitæ in Occidente reſtaurator. Etenim in Vita edenda num. 39 ſic loquitur.*

quaſi ipſa ad illum miſſa fuiſſet à S. Benedicto patriarcha cum litteris,

75 In iiſdem namque partibus (*Italiæ*) erat tunc vir vitæ venerabilis, gratiâ & nomine BENEDICTUS, plurimis effulgens virtutibus. Cujus famam audientes ipſius puellæ parentes, ad eumdem Dei ſervum perduxerunt.... Quam cùm nulla potuiſſet interceſſione purgare... adjuratus hoc reſponſum antiquus hoſtis reddidit,... quòd numquam alterius de eodem habitaculo, niſi hujus beatiſſimi Remigii antiſtitis, orationibus poſſet expelli. Tunc parentes ejus cum ipſius viri Dei Benedicti litteris hanc Remorum civitatem adire cœperunt. Et quoniam apud Alaricum regem Gothorum, qui in Toloſana civitate ſedem ſuam conſtituit, & unà cum regno Gothico magnam partem Galliarum ſibi obtinuit, prædictæ puellæ parentes valdè honorati ac familiares, &, ut ferebatur, carne propinqui ejus erant, cum litteris ac legatis ipſius ad B. Remigium pro emundatione ſæpe dictæ puellæ ab antiquo hoſte in hanc urbem illam ſecum adducentes, venerunt *&c. Flodoardus partim verba Fortunati, partim Hincmari deſcribens, laudatum ſervum Dei cum Hincmaro* Benedictum *velut ſuo nomine proprio appellavit.*

B

quas typis editas

76 *Circumfertur quoque epiſtola, S. Benedicti patriarchæ nomine hac ſuper re ad* S. Remigium *ſcripta, quam inter alios etiam Cardinalis Baronius, ſed eamdem improbans, in Annalibus eccleſiaſticis ad annum Chriſti* 507, *num.* 4 *&* 5 *excudit ex Appendice ad Leonis Marſicani Chronicon Caſinenſe, ſic illam referens:* Dominico ſacerdoti Remigio frater & conſervus in Chriſto Jeſu, cœnobialis vitæ humilis cultor Benedictus æternæ benedictionis munus. Sanctiſſimo tuo cò-

* *al. add.* æterni

gratulans profectui, ſacerdos Regis *, quia ſummi Capitis membra ſumus, quod mihi deeſſe ſentio (laus Deo) poſſidere me credo in te. Ecce, quòd peccata mea fieri prohibuerunt, tuæ auctoritatis ſacerdotalia habent merita: & deſinant modò circa me rumores hominum, cùm apud te conſtet, omnium perfectionem eſſe virtutum. Hanc captivam & ab antiquo hoſte obſeſſam tuæ delego celſitudini, quatenus pro ejus liberatione ſacram Hoſtiam offerre Deo debeas, & meam parvitatem victoriâ ipsâ non minimùm lætifices. Vale, ſacerdotum Chriſti limpidiſſime calcule. *Eadem epiſtola, verbis quidem hinc inde paululùm variatis, ſed eadem ſignificantibus, exſtat apud Marlotum tom.* 1 *Metropolis Remenſis lib.* 2, *cap.* 3, *& apud Jacobum de Breul in laudati Chronici Appendice anno* 1603 *ſimul cum Aimoini Hiſtoria Francorum &c Pariſiis excuſa.*

C

inedita ſque habemus, & quas Remenſes monachi

77 *Eamdem, ſed paulò vitioſiorem, Ms. habemus ex bibliothecæ Vaticanæ codice* 3542, *in quo iſta energumenæ hiſtoria non nihil aliter, quàm apud Fortunatum & Hincmarum exſtat, eidem epiſtolæ partim præmiſſa eſt, partim ſubnexa, quæ poſtrema pars etiam apud Breulium mox laudatum legitur. Neque verò nuperum eſſe hujuſmodi epiſtolæ inventum, diſcimus ex litteris, quas Remigiani monachi Remenſes unà cum illius quodam exemplari ad Caſinenſes dedêre, quaſque mutilas continet Ms. codex noſter ſignatus* Q. Ms. 4 *hoc modo:* Exemplar epiſtolæ beati Benedicti abbatis ad ſanctum Remigium præſulem. *Poſt hunc ti-*

tulum ſequuntur monachorum litteræ. Exigui ac permodici regularis vitæ ſectatores fratres, qui ſunt Remis conſtituti in monaſterio beati & glorioſi confeſſoris Chriſti, Remigii archiepiſcopi, ſanctis ac Deo digniſſimis fratribus Caſſini, ſummæ Divinitatis normali rubrica indefatigatis humeris cluentibus, ſanctarum munuſcula precum. Miramur admodùm, fratres glorioſi, quòd, emenſis annorum curriculis jam penè quingentis, ex quo precioſus Deo & hominibus communis pater noſter, ſanctus Benedictus, mundum hunc nequam devicit, atque ſempiternæ jocunditatis delicias intravit, epiſtolam illam memorabilem tranſcribere neglexiſtis, & hactenus, ut nuper comperimus, incognitam habetis, quam ille ſancti Paraclyti ſinergus (*lege* ſynergus, *id eſt*, cooperator) compoſuit, ſuperni nectaris rore reſperſit, ac ſancto patrono noſtro Remigio ſummæ humilitatis indiculo direxit. Quapropter ſanctæ caritatis veſtræ...

AUCTORE C. S.

Caſinenſibus miſiſſe dicuntur ſeculo 12: *in hunc errorem*

78 *Reliqua hîc deſunt cum folio ſequenti; vel fortè pluribus; ſed opportunè ſuppleri, ſaltem aliquatenus, poſſunt ex Marloto, qui ex iiſdem monachorum litteris hæc recitat:* Caritati veſtræ exemplar epiſtolæ non ferentes deeſſe, non eiſdem per omnia verbis, ejuſdem tamen rationis veſtigiis innitentes, plena devotione caraxavimus, *id eſt deſcripſimus. Cùm laudati cœnobitæ* annos penè quingentos *à S. Benedicti morte, quæ anno* 543 *contigit, tunc numeraverint, hæ eorumdem litteræ circitèr ad medium ſeculum* XI *referendæ ſunt. Veriſimillimum eſt, de eadem S. Benedicti epiſtola meminiſſe Petrum diaconum, monachum & bibliothecarium Caſinenſem ſeculo* XII, *dum in libro de Viris illuſtribus cap.* 1 *inter ejuſdem ſancti patriarchæ ſcripta laudavit* epiſtolas... duas; primam ad Remigium Rhemenſem archiepiſcopum; ſecundam ad S. Maurum, ſuum diſcipulum. *Verùm age, nunc ipſa energumenæ hiſtoriæ adjuncta, à quibus ſimul pendet epiſtola, examinemus. Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum Chriſti* 507 *obſervans, ejuſdem puellæ patrem in teſtamento* S. Remigii *appellari* Benedictum, *opinatus eſt, ex errore factum, quòd Hincmarus pro hoc ſubſtituerit ſanctum patriarcham Benedictum, tunc temporis monaſticam vitam apud Sublacum in Latio ſive Campania Romana excolentem.*

F

inductus Hincmarus eſt, non ex teſtamento S. Remigii; ſed, ut Papebrochius,

79 *Sed hæc opinio duplici de cauſa mihi diſplicet. Prima eſt, quòd teſtamentum prolixius* (*nam in breviori nil tale legitur*) *ex infrà dicendis probabiliùs numquam ab Hincmaro viſum fuerit; cúmque pro ſuppoſititio vel interpolato meritò habeatur, potior ſuſpicio ſit de Benedicti nomine ibidem puellæ patri afficto. Altera eſt, quòd ex collatis textibus ſatis appareat, Hincmarum ex malè intellecto Fortunati loco hallucinatum fuiſſe. Papebrochius noſter in Annotatis ad Miracula S. Rictrudis abbatiſſæ Marchianenſis, in quibus de eadem energumena velut à S. Benedicto ad* S. Remigium *miſſa Walbertus, ſeculi* XII *ſcriptor, mentionem facit, tom.* 3 *Maii, pag.* 123 *lit.* e *ita diſſerit.* Fortunatus in Vita S. Remigii apud Surium dicit, quòd dæmoniacam ad S. Petri ſepulcrum Romæ, "ubi quidam Dei ſervus ad ſancti „ præſentiam corporis patrabat ſigna virtutum,„ adduxerint Toloſâ parentes ſui; ſed cùm dæmon reſpondiſſet, expelli ſe non poſſe, niſi à S. Remigio, tunc adhuc vivente, iidem "paren„ tes ipſius benedicti ſervi Dei, & Alarici Go„ thorum regis affatibus ſuffragati„ puellam deduxerunt ad ſanctum Antiſtitem. Ubi vocem BE-

AUCTORE C. S.

NEDICTI, à Fortunato adjectivè ſumptam, ſubſtantivè accepit auctor noſter (*Walbertus*) non advertens, quòd ab anno ccccx, quo Alaricus rex in Urbe à ſe capta præſens fuit, & res illa geſta eſt, uſque ad S. Benedicti nativitatem anni interceſſerint minimùm ſeptuaginta.

in Alarico tamen hallucinatus, rectè obſervavit,

80 *Secundùm hæc non ſolus Walbertus, verùm etiam Fortunatus errâſſet, aſſerendo, dæmoniacam illam anno* 410 *curandam miſſam eſſe ad S.* Remigium, *quem non niſi circa annum* 436 *natum fuiſſe, probavi ſuprà, & cujus propterea, non magis quàm S. Benedicti, ætas cum eodem facto poteſt componi. Sed neque Fortunatus dixit, Alaricum iſtum fuiſſe urbis Romanæ domitorem, neque hæc Romæ contigiſſe, præſente Alarico; nec denique ulla ratio eſt Fortunatum hîc arguendi, niſi quòd ex brevitatis ſtudio obſcuriùs locutus ſit. Deſignatur ſcilicet hîc Alaricus hujus nominis II, Gothorum ſeu Viſigothorum in Galliis rex, qui ſedem ſuam Toloſæ habuit, uti expreſsè annotavit Hincmarus num.* 75 *relatus, quique à Clodoveo I Francorum rege in Vogladenſi prælio anno* 507 *occiſus fuit. Toloſæ quoque habitabant energumenæ parentes, qui, ut genere nobiles, facilè potuerunt Alarico regi noti eſſe, Româque Toloſam reduces, conſilium & operam, vel etiam commendatitias ad* S. Remigium *litteras ab eo impetrare, qui licèt ſectâ Arianus eſſet, paſſim tamen Catholicos ſatis benignè tolerabat. Contigit ergò hæc hiſtoria inter annos Chriſti* 485 *&* 507, *quibus Alarici Viſigothorum in Gallia regnum includitur à Pagio, & quo toto tempore* S. Remigius *in Remenſi cathedra certè ſedit.*

B

vocem benedictus *pro nomine proprio interpretando;*

81 *Altera Papebrochii obſervatio de voce* benedictus *apud Fortunatum* adjectivè, *non* ſubſtantivè *accipienda, veriſſima eſt & certa; neque dubito, quin Hincmarus (qui Walberto præluxiſſe potuit) id non advertens, ſi non S. Benedictum patriarcham, ſaltem alium quemcumque ejuſdem nominis malè adduxerit, atque ita occaſionem aliis dederit iſta ad eumdem ſanctum patriarcham referendi. Verba Fortunati pauliſper expendamus. Illo teſte, parentes Toloſani filiam ſuam curationis ſpe* ad S. Petri ſepulchrum in Romanam urbem . . . duxerunt. Ibi quidam Dei ſervus cum auxilio ſacri corporis (*S. Petri*) plurima implebat ſigna virtutis. *Nomen hujus ſervi Dei ſiluit; ſed manifeſtum eſt, illum Romæ habitâſſe, ſacrumque Apoſtolorum Principis corpus ſingulari curâ ac pietate frequentare ſoluiſſe, apud quod multa miracula vel beneficia etiam aliis obtinere merebatur. Non igitur erat ille S. Benedictus patriarcha, de quo nihil tale legitur, quique eo tempore, quo hæc contigiſſe debuerunt, non Romæ apud S. Petrum, ſed apud Sublacum in Campania Romana ſolitariam vel monaſticam vitam ducebat.*

C

quam Fortunatus ibi adjectivè uſurpavit,

82 *Quòd autem Fortunatus paulò infrà de eodem anonymo ſervo Dei loquens, ſcribat,* ipſius benedicti . . . affatibus *&c, non magis probat, hunc appellatum fuiſſe* Benedictum, *quàm Ciliniæ,* S. Remigii *matri, etiam fuiſſe nomen* Benedictæ, *ex eo, quòd apud eumdem Fortunatum in eadem Vita num.* 2 *legatur S. Montanus divinitus juſſus fuiſſe* Remigii *nativitatem* benedictæ Ciliniæ *vaticinari. Nempe eo vocabulo utroque loco uſus Fortunatus eſt, ut amborum apud Deum merita indicaret: qui loquendi uſus etiam aliis biographis ſatis communis eſt. Simili planè modo idem Fortunatus ibidem num.* 2 S. Remigium *titulo* Juſti *appellavit,* Cùm ſecundis, *inquiens,* ſucceſſibus certatim ſanctæ converſationis ſtudiis adoleſcens, vigeſimi ſecundi anni Juſtus ſumpſiſſet exordium *&c; item in Vita S. Germani Pariſienſis epiſcopi, in Opere noſtro ad diem* XXVIII *Maii data, Germanum ut minimùm ter* Juſtum *dixit; ex quibus tamen nemo meritò crediderit, utrique nomen* Juſti *fuiſſe. Mitto plura, quia res clarior videtur, quàm ut prolixiùs probari debeat. At quis igitur fuit iſte benedictus ſervus Dei à Fortunato tam laudatus?*

D

videturque ibidem loqui de S. Abundio, manſionario S. Petri.

83 *Mihi ſanè veriſimillima apparet ſententia Mabillonii, qui in Annalibus Benedictinis ad annum Chriſti* 530 *conſentiens de voce* benedicti *apud Fortunatum adjectivè accipienda, credidit, illum fuiſſe S. Abundium, aliàs etiam Acontium vocatum, de quo S. Gregorius Magnus lib.* 3 *Dialogorum cap.* 25 *honorificè meminit, ex eoque Henſchenius ad diem* XIV *Aprilis, quo Romæ colitur in baſilica Vaticana, ubi cuſtos & manſionarius fuit. Elogium illius ex laudato Gregorii loco ibi datum lege, ſi lubet: mihi ſuffecerit ejuſdem initium recitâſſe.* Alius hîc non ante longa tempora, ſicut noſtri ſeniores referunt, cuſtos eccleſiæ (*S. Petri Romæ*) Abundius dictus eſt, magnæ humilitatis atque gravitatis vir, ita omnipotenti Deo fideliter ſerviens, ut idem B. Petrus apoſtolus ſignis oſtenderet, quam de illo haberet æſtimationem. *In hunc virum apprimè conveniunt iſta dicta Fortunati:* Ibi (*Romæ in baſilica S. Petri*) quidam Dei ſervus cum auxilio ſacri corporis (*ejuſdem Apoſtolorum Principis*) plurima implebat ſigna virtutis. *Congruit & tempus: nam S. Gregorius, qui illum* non ante longa tempora *floruiſſe aſſerit, Dialogos ſuos ſcripſit circa finem ſeculi* VI, *ante cujus medium S. Abundius obiiſſe creditur; & energumenæ hiſtoria ex dictis contigit inter annos Chriſti* 485 *&* 507.

E

Conficta eſt epiſtola illa S. Benedicti,

84 *Ex his omnibus ſtatue, quid cenſendum ſit de prætenſa S. Benedicti epiſtola, cui fingendæ Hincmarus ex malè intellecto Fortunati loco occaſionem primus dediſſe videtur, quæque, ut in commentis ferè contingit, ſuæ ſuppoſitionis indicio non caret. Tale eſt ipſum illius initium, ſive inſcriptio:* Dominico ſacerdoti Remigio frater & conſervus in Chriſto Jeſu, cœnobialis vitæ humilis cultor Benedictus, æternæ benedictionis munus; *nam, ut rectè Baronius ad annum Chriſti* 507, *num.* 4 *ad iſta obſervavit:* Inuſitatum quippe omnino, ut ſcribens inferior ætate & dignitate ad majorem, ſe FRATREM & CONSERVUM appellet, benedictionem impertiatur. *Hæc eadem inſcriptio etiam ineptiùs exſtat apud Marlotum, & in apographo noſtro Vaticano, in quibus pro verbis illis* cœnobialis vitæ humilis cultor, *ad ejuſdem ſancti abbatis modeſtiam parùm congruenter, legitur* Cœnobialis vitæ inſtitutor. *Si porrò in tempus factæ epiſtolæ inquiramus, multum dubito, an ſeculo* XI *antiquior ſit, id eſt, an umquam alia exſtiterit præter illam, quam Remigiani monachi ad Caſinenſes tunc miſiſſe dicuntur. Cur autem ita ſentiam, accipe.*

F

quæ veriſimiliter antiquior non eſt ſeculo XI,

85 *Illam Fortunato ignotam fuiſſe, liquet ex eo, quòd ne S. Benedicti quidem meminerit, ſed tantùm dixerit, puellæ Toloſanæ parentes ſæpe dicti ſervi Dei, & Alarici regis, non litteris, ſed* affatibus, *id eſt conſiliis & aſſenſu inductos fuiſſe ad opem* S. Remigii *implorandam. Hincmarus ſeculo* XI *pro* affatibus *utriuſque* litteras *& Alarici inſuper* legatos *ſubſtituit; at non ait, illas à ſe umquam viſas eſſe. Flodoardus ſeculo* X *cautiùs procedens, de affatibus confidenter ex Fortunato, de litteris dubiè ex Hincmaro locutus eſt, ſic ſcribens:* Tunc parentes ejus, tam ipſius B. Benedicti, quàm etiam Gothorum regis Alarici affatibus

A tibus ſuffragati, eorumque litteris ad B. Remigium datis (UT TRADITUR) freti, ad eumdem ſanctum Antiſtitem ... pervenerunt. *Jam verò ſi Flodoardus epiſtolam, S. Benedicti nomine hac ſuper re ſcriptam, vidiſſet, nonne ejuſdem exemplar potiùs laudâſſet, quàm Hincmari dicta dubitandi formulâ* ut traditur *infirmâſſet? Denique ipſi quoque monachi Remenſes in litteris, quas versùs medium ſeculum* XI *de eadem epiſtola ad Caſinenſes ab eis ſcriptas eſſe diximus, non obſcurè innuunt, ſeſe nullum illius exemplar habuiſſe.*

quo videtur bona fide primùm ſcripta fuiſſe.

86 *Nam quid aliud indicant iſta eorumdem verba:* Caritati veſtræ exemplar Epiſtolæ non ferentes deeſſe, non eiſdem ſemper per omnia verbis, ejuſdem tamen rationis veſtigiis innitentes, plena devotione caraxavimus. *Quorſum hi vetus ejus authographum apographumve, ſi quod habuerint, non deſcripſere, ut gratum Caſinenſibus munus tranſmitterent? Certè hæc verba Marlotum (etſi aliàs non abnuentem, aliquam hac de re epiſtolam à S. Benedicto ad* Remigium *datam fuiſſe) ita moverunt, ut diceret:* Cùm igitur germana non ſit, ſed verbis forſan conficta, ut ipſi fatentur, hîc (*in contextu Hiſtoriæ*) eam inſerere, operæ pretium non putavi. *Quibus de cauſis ego vix dubito, quin laudati monachi Remenſes, ex Hincmaro decepti, Epiſtolam primi concinnaverint, qualem ab ipſo S. Benedicto, ſi minùs verbis, ſaltem ſenſu ſcriptam fuiſſe, bona fide ex rei geſtæ argumento conjectabant: quamquam & hoc illis parùm feliciter ceſſit, ut dictum eſt. De Colvenerio, qui in Scholiis ad Flodoardum eamdem epiſtolam tueri niſus eſt, nihil addo; quia rationes, quas profert, nihil urgent, ſatiſque refutantur ex allegatis.*

B

Anonymi de eadem hiſtoria narratio rejicitur.

87 *Verùm cùm ſuprà monuerim, hanc energumenæ hiſtoriam in apographo noſtro Vaticano partim ante, partim poſt hanc commentitiam epiſtolam paulò aliter referri ab anonymo, eam in compendium hîc contraho. Parentes filiam ſuam à dæmone poſſeſſam ad varia ſanctorum martyrum corpora ac tandem poſt quinquennium etiam Romam adduxerunt; ſed irrito ubique eventu. Romæ dum morarentur, auditâ præclarâ famâ S. Benedicti, in monte Caſino tunc habitantis, ad ipſum ſpe pleni perrexerunt. Neque abnuit ille opem ſuam ferre; ſed cùm poſt triduum in oratione exactum nihil planè profeciſſet, eoſdem cum prædictis litteris ſuis ad* S. Remigium *deſtinavit, ut hic pro energumena Sacrificium offerret. Hoc agente* Remigio, *dæmon per os puellæ in has voces erupit:* O ſacerdos Chriſti Remigi, noli adversùs Benedictum gloriari: quia non propter tuum imperium, ſed propter ejus humilitatem exire cogor. *Subditque anonymus:* Hiis dictis, liberata eſt mulier; & omnes, qui audierunt, dederunt gloriam Deo. *Hactenus ille, cautè ſilens de Alarico Gothorum ſeu Viſigothorum rege, quem conſtat multis annis occiſum eſſe, priuſquam S. Benedictus è Sublaco Caſinum commigravit. Mitto plura, quia nullius ponderis eſſe poteſt hic incertæ ætatis anonymus, qui fictitiæ epiſtolæ novam pro ſuo ſenſu fabulam adjunxit.*

C

§ VI. Francorum cum Clodoveo rege in Belgicas irruptio & victoria de Syagrio: ejuſdem regis in S. Remigium benignitas; votum & victoria de Alemannis; converſio ad Chriſtum, præcipuo inſtructore S. Remigio.

AUCTORE C. S.

Collabente Occidentis imperio, magnaque Galliarum parte

QUæ deinde narrat Fortunatus uſque ad ultimum Vitæ ſeu Compendii numerum, ubi ſancti Præſulis obitus refertur, non ſunt, niſi pauca miracula, quæ commentario non egent. *Miracula item ferè tantùm recenſet Hincmarus uſque ad caput* 4 *noſtræ partitionis, in quo illam æternâ memoriâ dignam Clodovei regis cum ſua Francorum gente ad Chriſtiana ſacra acceſſionem exponere orditur. Quod antequam facit, præmittit quædam de* E *Francis, eorumdem originem à Troianis repetens, aliaque nonnulla de primis illorum ſedibus tradens, quæ partim inter fabulas eruditi nunc reputant, ut ego in Annotatis obſervabo. Poſtulabat quidem locus, ut idem argumentum pluribus hîc tractarem, niſi id jam eruditè præſtitiſſet Henſchenius noſter ad diem* 1 *Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Sigeberti, Francorum Auſtraſiorum regis. His igitur, quæ ibidem legi poſſunt, prætermiſſis, ad Clodovei I, qui Childerico ſucceſſit, regnum accedo. Galliarum ejus temporis ſtatum Hincmarus ſatis rectè ſic exponit:* In illo tempore in his partibus circa Rhenum uſque Ligerim fluvium habitabant Romani, quorum princeps erat Egidius. Ultra Ligerim autem dominabantur Gothi, quorum princeps erat Alaricus. Burgundiones quoque Arriani, ut & Gothi, habitabant juxta Rodanum fluvium uſque ad civitatem Lugdunum & ei confines urbes, quorum princeps Gundebaudus.

à Gothis & Burgundionibus occupata, F.

89 Eo tempore mortuus eſt Egidius, & ſucceſſit in principatum Romanorum, qui habitabant in Galliis, filius ejus Siagrius. *Sumpſit hæc ex S. Gregorii Turonenſis Hiſtoria Francorum, in cujus lib.* 2, *cap.* 9 *editionis Ruinartianæ legitur:* In his autem partibus, id eſt, ad Meridionalem plagam, habitabant Romani uſque Ligerim fluvium. Ultra Ligerim verò Gotthi dominabantur. Burgundiones quoque, Arrianorum ſectam ſequentes, habitabant trans Rhodanum, qui adjacet civitati Lugdunenſi. *Deinde verò cap.* XI In Galliis autem Ægidius ex Romanis magiſter militum datus eſt; *de Syagrio ſermo recurret. Porrò occupatâ per Odoacrum Herulorum regem cum Romana Urbe Italiâ, Zenone, qui Conſtantinopoli ſedem ſuam habebat, imperante, Romanum imperium in dies magis magiſque in Occidente labaſcens, barbaris nationibus cedebat in prædam. Inter haſce Franci, qui jam aliàs Rhenum tranſierant, ad dilatandos fines ſuos cum rege Clodoveo in Romanum ſolum proruperunt, ut deinde ſubdit Hincmarus ex Gregorio Turonenſi, cujus verba huc transfero.*

Clodoveus Francorum rex gentilis Belgicam expugnat,

90 *Libro* 2, *cap.* 27 *hæc ſcribit:* Mortuo Childerico, regnavit Chlodovechus (*ſic Clodoveum appellat*) filius ejus pro eo. Anno autem quinto regni

AUCTORE C. S.

regni ejus Syagrius Romanorum rex (*id eſt, qui Romani imperii nomine in Gallia præerat*) Ægidii filius, ad civitatem Sueſſionas, quam quondam ſuprà memoratus Ægidius tenuerat, ſedem habebat. Super quem Chlodovechus cum Ragnachario parente ſuo, quia & ipſe regnum tenebat (*ſcilicet Cameraci, ut habet cap.* 42) veniens, campum pugnæ præparari depoſcit. Sed nec iſte diſtulit, ac reſiſtere metuit. Itaque inter ſe utriſque pugnantibus, Syagrius eliſum cernens exercitum, terga vertit, & ad Alaricum regem, Tholoſam curſu veloci prolabitur. Chlodovechus verò ad Alaricum mittit, ut eum redderet; alioquin noverit, ſibi bellum ob ejus retentionem inferri. At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret (ut Gotthorum pavere mos eſt) vinctum legatis tradidit. Quem Chlodovechus receptum cuſtodiæ mancipari præcepit; regnoque ejus accepto, eum gladio clàm feriri mandavit. *Hæc Gregorius de bello, quo Romanæ in Galliis res penitus conciderunt, & monarchia Francica ibidem dilatata & ſtabilita fuit.*

victo cæſoque Syagrio, ex communiori ſententia anno 486.

91 *Quod ad tempus attinet, Henſchenius annum Chriſti* 484, *Cointius, Pagius, aliique nunc paſſim* 486 *aſſignant; omnes iiſdem Turonenſis calculis nixi, ſecundùm quos Clodoveus annos triginta regnavit, annoque regni ſui quinto memorabilem illam de Syagrio victoriam retulit. Verùm cùm Henſchenius ejuſdem obitum anno* 509, *alii* 511 *affigendum ſtatuerent, & tam hi, quàm ille, ab iiſdem annis annos viginti quinque retrocedendo numerarent, neceſſe erat, ut in victoriæ quoque tempore toto biennio diſſiderent. Inter civitates Belgicæ ſecundæ, quæ Romanis hactenus paruerant, & per Syagrii exercitûs cladem in poteſtatem Francorum venerunt, erat metropolis Remorum, antiquis* Ducortorum, *nunc paſſim* Remi, *Gallicè* Reims *dicta, cui tunc à multis annis archiepiſcopus præſidebat* Remigius, *in quem propterea non modica communis calamitatis pars recidebat. Erant Franci tunc etiam natione vitæque cultu barbari, ſuperſtitione idololatræ, tractandis armis ſtipendiiſque è præda ſibi comparandis aſſueti; à quibus proinde hoſtibus extrema meritò timenda erant. Et licèt Clodoveus, quòd non vaſtandi ſed occupandi Gallias causâ adveniſſet, moderatiùs, quàm aliàs ſperari poterat, ſuâ uſus victoriâ ſit, multas tamen eccleſias tum temporis direptas fuiſſe, teſte S. Gregorio Turonenſi, mox videbimus.*

C

E theſauris eccleſiarum eo tempore ablatis

92 *Porrò dubium quoque non eſt, quin ſanctus Præſul paſſus non ſit, ſuas in tuendo grege & eccleſiaſticis bonis ſervandis partes deſiderari, licèt peculiaria illius hac in re geſta ad nos non pervenerint. Unum tantùm eſt, tacito* S. Remigii *nomine, à laudato Turonenſi traditum, ex quo cùm ſimul de illatis eccleſiæ Remenſi damnis, ipſiuſque Sancti apud regem, utut ethnicum, æſtimatione conjectare liceat, totum hîc deſcripſi. Verbis num.* 90 *datis mox ſubnectit ſanctus hiſtoricus:* Eo tempore multæ eccleſiæ à Chlodovechi exercitu deprædatæ ſunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus involutus. Igitur de quadam eccleſia urceum miræ magnitudinis ac pulcritudinis hoſtes abſtulerant cum reliquis eccleſiaſtici miniſterii ornamentis. Epiſcopus autem eccleſiæ illius miſſos ad regem dirigit, poſcens, ut, ſi aliud de ſacris vaſis recipere non mereretur, ſaltem vel urceum eccleſia ſua reciperet. Hæc audiens rex, ait nuncio: Sequere nos uſque Sueſſionas; quia ibi cuncta, quæ acquiſita ſunt, dividenda erunt. Cúmque mihi vas illud ſors dederit, quæ Papa poſcit, adimpleam. Dehinc adveniens Sueſſionas, cuncto onere prædæ in medium poſito, ait rex: Rogo vos, ô fortiſſimi præliatores, ut ſaltem mihi vas iſtud (hoc enim de urceo ſuprà memorato dicebat) extra partem concedere non abnuatis. D

vas argenteum à Clodoveo repetit, obtinetque quidam epiſcopus,

93 Hæc rege dicente, illi, quorum erat mens ſanior, aiunt: Omnia, glorioſe rex, quæ cernimus, tua ſunt; ſed & nos ipſi tuo ſumus dominio ſubjugati. Nunc, quod tibi beneplacitum videtur, facito: nullus enim poteſtati tuæ reſiſtere valet. Cùm illi hæc ita dixiſſent, unus levis, invidus ac facilis, cum voce magna elevatam bipennem urceo impulit, dicens: Nihil hinc accipies, niſi quæ tibi ſors vera largitur. Ad hæc obſtupefactis omnibus, rex injuriam ſuam patientiæ lenitate coërcuit, acceptumque urceum nuncio eccleſiaſtico reddidit, ſervans abditum ſub pectore vulnus. Tranſacto verò anno, juſſit omnem cum armorum apparatu advenire phalangam, oſtenſuram in Campo-Martio ſuorum armorum nitorem. Verùm ubi cunctos circuire deliberat, venit ad urcei percuſſorem. Cui ait: Nullus tam inculta, ut tu, detulit arma: nam neque tibi haſta, neque gladius, neque ſecuris eſt utilis; & adprehenſam ſecurim ejus in terram dejecit. At ille cùm paululùm inclinatus fuiſſet ad colligendam eam, rex elevatis manibus ſecurim ſuam capiti ejus defixit. Sic, inquit, tu apud Sueſſionas in urceo illo feciſti. Quo mortuo, reliquos abſcedere jubet, magnum ſibi per hanc cauſam timorem ſtatuens. E

qui S. Remigius fuiſſe creditur.

94 *Eccleſiam, cujus hic ſacer urceus erat, fuiſſe Remenſem, epiſcopum verò* S. Remigium, *expreſſis verbis docent Fredegarius, vel quiſquis Hiſtoriæ Francorum epitomatæ auctor eſt, cap.* 16, *Hincmarus in Vita edenda, Aimoïnus item in Hiſtoria lib.* 1, *cap.* 12, *& Flodoardus lib.* 1, *cap.* 13, *nec à quopiam in dubium revocatum legi. Hoc tamen differt horum narratio à Turonenſi, quòd Fredegarius ſcribat,* S. Remigium *ipſummet pro repetendo urceo ad Clodoveum acceſſiſſe, & hoc annuente ac mandante, miſiſſe, qui cum rege Sueſſiones pergeret: Hincmarus autem & Flodoardus hæc non ad primam Clodovei in Gallias irruptionem, quod Gregorii contextus inſinuat, ſed ad aliquod tempus poſterius rejicere videantur, quando* Remigius *ob ſuam ſanctitatem & miracula Francis jam innotuerat & in veneratione habebatur. Vide annotanda ad Vitæ num.* 49 *& ſequentem. Poſt hæc Hincmarus, Turonenſem denuò ſecutus, paucis memoratâ victoriâ, quam Clodoveus* decimo regni ſui anno *de Thoringis obtinuit, progreditur ad ejuſdem regis nuptias cum S. Chrotechilde, Gundobadi Burgundionum regis nepte, qui illius patrem Chilpericum matremque interemerat.* F

Clodoveus, invocato Chriſto, quem ex S. Chrotechilde didicerat,

95 *Hæc ſancta mulier, licèt inter Arianos nata enutritaque, Catholica dogmata ſectabatur, & in Clodovei thalamum aſſumpta, Chriſtum viro ſuo aſſiduè prædicando, tam hujus quàm totius gentis Francorum converſioni viam ſtravit. Quin etiam tantum apud ipſum valuit, ut, licèt ille Chriſtiano dogmati aures adhuc obturatas teneret, permiſerit tamen, ut quos ex illa filios ſuſcepit, Ingomeris & Chlodomeris ſacro baptiſmate initiarentur. Conſule, ſi lubet, S. Gregorium lib.* 2 *Hiſtoriæ cap.* 28 *&* 29, *Vitamque ejuſdem ſanctæ reginæ apud nos illuſtratam ad diem* 111 *Junii, quo colitur. Quæ autem huc propiùs ſpectant, ex capitibus* 30 *&* 31 *Turonenſis accipe.* Regina verò non ceſſabat prædicare regi, ut Deum verum cognoſceret, & idola negligeret: ſed nullo modo

A do ad hæc credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur ; in quo compulsus est confiteri necessitate, quod priùs voluntate negaverat. Factum est autem, ut, confligente utroque exercitu, vehementer cæderentur ; atque exercitus Chlodovechi valdè ad internecionem ruere cœpit.

Alamannos insigni prælio subigit,

96 Quod ille videns, elevatis ad cælum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis, ait : Jesu Christe, quem Chrotechildis prædicat esse Filium Dei vivi ; qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam devotus efflagito, ut, si mihi victoriam super hostes indulseris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus, probâsse se prædicat, credam tibi, & in nomine tuo baptizer. Invocavi enim deos meos ; sed, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo. Unde credo, eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non occurrunt. Te nunc invoco, & tibi credere desidero ; tantùm ut eruar ab adversariis meis. Cúmque hæc diceret, Alamanni terga vertentes,

B in fugam labi cœperunt. Cúmque regem suum cernerent interemptum, Chlodovechi se ditionibus subdunt, dicentes : Ne ampliùs, quæsumus, pereat populus ; jam tui sumus. At ille, prohibito bello, coartatoque populo, cum pace regressus, narravit reginæ, qualiter per invocationem nominis Christi victoriam meruit obtinere.

& curante eadem regina, à S. Remigio instruitur.

97 Tunc regina accersiri clàm S. Remigium, Remensis urbis episcopum, jubet, deprecans, ut regi verbum salutis insinuaret. Quem Sacerdos accersitum, secretiùs cœpit ei insinuare, ut Deum verum, factorem cæli & terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis, prodesse possunt. At ille ait : Libenter te, sanctissime Pater, audiam ; sed restat unum, quòd populus, qui me sequitur, non patitur relinquere deos suos ; sed vado, & loquar eis iuxta verbum tuum. Conveniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamavit : Mortales deos abjicimus, pie rex, & Deum, quem Remigius prædicat immortalem, sequi parati sumus. Nuntiantur hæc Antistiti, qui gaudio magno repletus, jussit lavacrum præparari *&c. Antequam progredior, inserenda hîc sunt, quæ Alcuinus in Vita S. Vedasti, Atrebatensis episcopi, ab Henschenio nostro ad diem* VI *Februarii edita, de eodem argumento scripsit, non exiguam partem in conversione laudati regis eidem S. Vedasto, nondum episcopo, attribuens, & à Turonensis narratione paululùm varians.*

C

Usus tamen per viam rex fuerat cathechista S. Vedasto

98 Igitur superatis hostibus (*ait cap.* 1, *num.* 7) & rebus in pace compositis, & Alemannis suæ subjectis ditioni, rex ovans cum laude triumphi ad patriam rediit. Et ut fidelis tantæ sibi gloriæ Largitori sponsor appareret, festinavit fervorum Christi sacra imbui prædicatione, & sancti baptismatis ablui Sacramentis. Venit autem ad Tullum oppidum, ubi sanctum agnovit Vedastum laudabili religione soli servire Deo, & dulcissimos contemplativæ vitæ carpere fructus. Hunc verò ad S. Remigium, Christi clarissimum Sacerdotem, ad Remorum properans civitatem, sibi socium assumpsit, quatenus per singulos itineris sui gressus saluberrimis ab eo imbueretur doctrinis, & Catholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis ; ut paratus fide & virtutum scientiâ, à tanto Pontifice spirituali ablueretur lavacro, & ab illo donis cælestibus confirmaretur, quod ab isto, divina priùs præveniente gratia, Euangelicis cœptum fuerat prædicationibus. Hic ad fontem vitæ festinantem deducebat regem ; ille in fontem salutis æternæ venientem abluebat. Ambo propemodùm pari pietate patris ; hic doctrinâ, ille baptismatis undâ, utrique æterno Regi regem temporalem munus obtulerunt acceptabile.

AUCTORE C. S.

nondum episcopo, qui ipsum ad S. Remigium

99 Hi sunt duæ olivæ & duo candelabra lucentia, à quibus rex præfatus in via Dei eruditus & à diaboli catenis erutus, miserante Deo, portam perpetuæ lucis ingressus, cum fortissima gente Francorum credidit Christo, & facta est gens sancta, populus acquisitionis, ut annuntientur in eo virtutes illius, qui eos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. *Deinde capite* 2 *narrat, dum illi, ut dictum est, Remos peterent, occurrisse cæcum, quem S. Vedastus per manum cum Crucis signo Christique invocatione imposítam, spectante cum proceribus rege, illuminavit. Unde prosequitur :* Igitur rex à viro Dei (*S. Vedasto*) Euangelicis apprimè imbutus doctrinis, & hoc præsenti miraculo in fide firmiter confortatus, nîl moratus in via, nîl dubitans in fide, E sed magna alacritate animi, magna festinatione itineris sanctissimum pontificem Remigium videre properavit, ut illius sacratissimo ministerio, Spiritu sancto operante, in remissionem peccatorum & spem vitæ æternæ Catholici baptismatis vivo ablueretur fonte.

adduxisse legitur in duabus Vitis ejusdem S. Vedasti

100 Cum quo (*S. Remigio*) aliquantis moratus diebus (*Clodoveus*) ut ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, & pœnitentiæ secundùm Apostolicum præceptum priùs ablueretur lacrymis, dicente B. Petro principe Apostolorum, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Domini nostri Jesu Christi ; & sic in nomine sanctæ Trinitatis cælestis mysterii baptisma susciperet. Sciens verò beatus Pontifex, Apostolum dicere Paulum, Omnia vestra honesto cum ordine fiant, constituit diem, quo rex ecclesiam intraret ad susciplenda divinæ pietatis Sacramenta. *Hæc Alcuinus, quæ quia S. Gregorii & Hincmari narrationem partim supplent, partim etiam eidem non nihil adversari videntur, non inobservata relinquenda sunt. Alcuinus, cujus Vita in Opere nostro exstat ad diem* XIX *Maii,* F *floruit sub Carolo Magno, anno* 804 *defunctus, eruditione sua scriptisque Operibus erudito orbi notissimus. Prædictam S. Vedasti Vitam non ipse primus scripsit, sed ex antiquiore emendatiorem fecit, rogante Radone abbate Vedastino, ut in ejusdem Prologo legere est. Henschenius eidem aliam breviorem Vitam auctoris anonymi præmisit, quam in Commentario prævio § 7 ante annum 667 scriptam credidit, dubitavitque, an hæc illa sit, quæ Alcuino præluxit, quod Historiæ litterariæ Franciæ tom.* 3 *deinde affirmârunt.*

à B. Alcuino & vetustiori anonymo scriptis,

101 *In hac quoque num.* 2 *&* 3 *& in Addendis num.* 962 *post Clodovei votum & victoriam ad propositum nostrum sic legitur :* Victos deinde Alamannos cum rege in ditionem cepit, ovansque ad patriam festinus rediens, ad Tullum oppidum venit. Et cùm jam desiderium restaret, ut celer ad baptismi gratiam confugeret, scisciando comperit, inibi B. Vedastum sub religionis cultu vitam degere, quem mox sibi itinere junxit. Dum pariter pergerent, quadam die venerunt in pago Vongise ad locum, qui dicitur Rilugiago super fluvium Axona, obviumque habens cæcum, multorum annorum spatia ab hac

AUCTORE C. S.

luce damnatum, petiit à B. Vedaſto, ut pro ſe immenſæ pietatis poſtularet auxilium, ut lumen, quo carebat, ipſo impetrante, recipere denique mereretur. Ille fiſus de miſericordia Domini, dexteram levavit, ſuper oculos cæci ſignum Crucis impoſuit, ſtatimque lumen oculorum recepit; ibique à Chriſtianis hominibus baſilica conſtructa eſſe videtur, ubi in ejus honore multa miracula fiunt. Deinde ad Remorum urbem ad Pontificem Remigium, qui tunc inibi ſacerdotalem cathedram regebat, perduxit. Quò tantiſper moratus, ſacræ Trinitatis fidem Chlodoveus profeſſus, baptiſmi gratiam recipit.

quorum aſſerta liberaliora videntur,

102 *Fidem igitur meretur Alcuini narratio tum ab auctoritate ſcriptoris, tum ab antiquiori Vita, ex qua illam compoſuit. Nunc dicta ejus cum S. Gregorii Hiſtoria Francorum conferamus. Si ſoli Alcuino credimus, rex Clodoveus fidei Chriſtianæ myſteriis à S. Vedaſto nondum epiſcopo ſic inſtructus, ſic ad baptiſma anhelans Remos properavit, ut* Remigium *ipſemet mox arceſſiviſſe, nullâque interpoſitâ morâ, ab illo baptizari poſtulâſſe videatur. Si verò Turonenſem audiamus, rex relatam* per invocationem nominis Chriſti victoriam *Chrotechildi conjugi ſuæ tantùm retulit, nulla facta mentione de advocando* Remigio, *votoque ſuo protinus implendo. At regina nihil hîc cunctandum rata, prudenti conſilio ſanctum Antiſtitem, clam rege advocatum, de facto edocuit, monuitque, ut illius animum tam recenti eventu ad Chriſtiana ſacra propenſum tentaret, quâque plurimùm valebat, eloquentiâ impelleret. Ille tam favorabili occaſione gaviſus, Clodoveum ſecretò convenit, eumdemque ex ſolo timore, ne à Francis ſuis idololatris deſereretur, adhuc vacillantem facilè induxit, ut eorumdem mentes exploraret; cúmque hoc feliciter ſucceſſiſſet, ad explenda promiſſa paratum habuit.*

B

ac paulò coërcenda ſunt, ut cum dictis S. Gregorii

103 *Ita mihi quidem videtur manifeſtè indicari his ſancti hiſtorici verbis, quæ juverit repetiiſſe.* Cum pace regreſſus (*Clodoveus*) narravit reginæ, qualiter per invocationem nominis Chriſti victoriam meruit obtinere. Tunc regina accerſiri clàm S. Remigium, Remenſis urbis epiſcopum jubet; deprecans, ut regi verbum ſalutis inſinuaret. Quem Sacerdos accerſitum, ſecretiùs cœpit ei inſinuare, ut Deum verum factorem cœli & terræ crederet, idola negligeret, quæ neque ſibi neque aliis prodeſſe poſſunt. At ille ait: Libenter te, ſanctiſſime Pater, audiam; ſed reſtat unum, quòd populus, qui me ſequitur, non patitur relinquere deos ſuos: ſed vado, & loquar eis juxta verbum tuum *&c. Ego iſthæc ſic concilianda cenſeo, ut Gregorius ſeu brevitatis ergô, ſeu alia de cauſa quædam prætermiſiſſe dicendus ſit; Alcuinus verò in S. Vedaſti laudem conjecturis ſuis liberaliùs indulſerit, quod etiam aliis ſcriptoribus ſatis commune eſt, dum heroum facta celebrant.*

C

concilientur: fortè etiam S. Solennis ſuam operam contulit.

104 *Credo itaque, vera eſſe, quæ de S. Vedaſti cum Clodoveo itinere Remos uſque narravit Alcuinus; ſed baptiſmi in eodem rege deſiderium vel nimis ab illo exaggeratum, vel dum is Remos advenit, multùm refrixiſſe, perſuadet mihi Turonenſis auctoritas, binis ſeculis Alcuino antiquioris, nec multis annis poſt* S. Remigii *obitum nati. Habuit quidem Alcuinus Vitam S. Vedaſti, quam elimavit; ſed ſi hæc (ut Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptores cenſent) illa brevior ſit, quam excudit Henſchenius; ea non tam clarè ipſi ſuffragatur, quin prædicto modo commodè exponi poſſit, ſicut verba num.* 101 *data conſideranti non difficulter apparebit. Similem, imò etiam majorem, in ejuſdem regis converſione partem S. Solenni epiſcopo Carnotenſi vindicare conatus eſt anonymus quidam ejuſdem biographus; iſque antiquus quidem, minimè tamen ſynchronus, in Vita ad diem* XXV *hujus menſis Septembris apud nos edita, caſtigataque; ſed cùm hic Clodoveum non modò ad amplectendam fidem à S. Solenne incitatum, verùm etiam ab eodem baptizatum fuiſſe velit, ipſius verba ſuo loco inferiùs referam & confutabo. Non inficiabor tamen, S. Solennem inter alios epiſcopos regio baptiſmati adſtitiſſe, ſuamque operam in inſtruendis baptizandiſque Francorum proceribus utiliter contuliſſe.*

D

Hæc regis converſio non contigit anno 509, nec 500,

105 *Progredior ad Chriſtianitatis Francorum epocham, ſive ad tempus baptiſmi illorum regi, magnæque eorumdem multitudini collati. Hincmarus geminam hujus feliciſſimi eventus notam chronologicam tradidit; unam in Vita edenda num.* 56, *ubi annum regni Clodovei decimum quintum adſcripſit; alteram in verſibus, quos mauſoleo* S. Remigii *inſcripſit. Poſteriori loco tempus, quod inter regis baptiſmum, ſanctique* Remigii *in dictum mauſoleum tranſlationem, anno Chriſti* octingenteno quinquagenoque ſecundo *à ſe factam, interceſſit, ſic annotavit:*

E

Ter centum fuerant, tres & deni quater anni,
Quo vitæ Francos gurgite lavit ovans.

Hæc verba duplici modo exponi poſſunt: vel enim tantùm decem anni multiplicandi ſunt per quatuor, ut cum reliquis efficiantur anni 343; *vel quater multiplicandi ſunt tredecim, ut prodeant anni* 352. *Si annos* 343 *ab anno* 852 *auferas, venietur ad annum Chriſti* 509; *ſi autem annos* 352 *ab eodem anno* 852 *ſubducas, ſupererit annus Chriſti* 500; *quorum alteruter baptiſmi epochâ ſignandus eſſet; vel certè alterutri proximus pro ratione annos completos vel labentes numerandi.*

nec 499 aut 494, uti ex vitioſis calculis olim viſum fuit;

106 *Georgius Colvenerius in Scholiis ad Flodoardi Hiſtoriam Remenſem, lib.* 1, *cap.* 21, *ubi iidem verſus recitantur, agnoſcens, Clodoveum ſine dubio ante annum* 509 *baptizatum fuiſſe; monuit, prædictos annos ſecundo modo multiplicandos eſſe, annumque* 500 *baptiſmo aſſignavit: an rectè, mox videbimus. Quod ſpectat ad alteram notam chronologicam, ſcilicet annum* XV *regni Clodovei, hic etiam in paucis aliquot S. Gregorii Hiſtoriæ Francorum Mss. codicibus legitur. Quapropter Cardinalis Baronius, qui Clodoveum anno* 484 *regnare cœpiſſe ſtatuerat, eumdem anno* 499 *baptizatum credidit. Henſchenius autem, qui ejuſdem regnum cum anno* 479 *inchoaverat, baptiſmum anno* 494 *exeunti illigavit in Diatriba de Epiſcopatu Trajectenſi & alibi. Verùm hic poſtmodùm diligentiùs inquirens, unde iſte annus* decimuſquintus, *qui nec in aliis multo pluribus bonæque notæ exemplaribus laudatæ Hiſtoriæ, nec in editis, nec in Fredegarii Hiſtoria epitomata, reperitur, unde, inquam, annus iſte in paucos illos codices inſertus fuiſſe videretur; deprehendit, primi hujus anni aſſertorem eſſe anonymum in Geſtis Francorum, pro fabulatore ab eruditis dudum habitum.*

F

ſed initio Pontificatûs Anaſtaſii II,

107 *Henſchenio conſenſit Theodoricus Ruinartius in annotatis ad editionem ſuam Operum ejuſdem S. Gregorii Turonenſis, in qua iſte annus etiam non legitur. Ex eodem anonymo, ut & alia, illum Hincmarus Vitæ Remigianæ inſeruit, qui proinde pro ſtabilienda baptiſmi Francorum epocha exigui ponderis eſſe poteſt. Tandem in lucem eductum fuit certius inſtrumentum, epiſtola ſcilicet Anaſtaſii II ſummi Pontificis, Clodoveo neophyto gra-*

A *gratulantis, quæ à Luca Dacherio tom.* 5 *Spicilegii, prioris editionis, publici juris facta, & ab eruditis omnibus pro genuina agnita fuit. Daturus eam inferiùs, pauca interim, quæ huc pertinent, ex eadem delibo.* Tuum, glorioſe fili *(inquit Anaſtaſius)* in Chriſtiana fide cum exordio noſtro in Pontificatu contigiſſe, gratulamur. *Eodem igitur ferè tempore ad ſummum Pontificatum evectus Anaſtaſius eſt, & baptizatus Clodoveus. Evectus autem ille eſt ex communi ſententia anno* 496, *menſe Septembri ſecundùm Papebrochium, ſecundùm alios Novembri; obiitque anno* 498. *Clodovei verò baptiſmus ex mox dicendis contigit in Nativitate Domini, adeóque menſe Decembri ejuſdem anni* 496, *ut cum Anaſtaſii Pontificatûs initio compouatur.*

ſive anno 496. 108 *Quam ob rem Henſchenius, eâ visâ epiſtolâ, mutavit ſententiam in poſthuma Exegeſi de Epiſcopatu Tungrenſi & Trajectenſi, tomo* VII *Maii præfixa, in cujus capite* 10, *num.* 76 *Clodovei baptiſma in præcitatum annum* 496 *diſtulit, huncque (rejecto anonymo geſtorum Francorum ſcriptore) pro ſua de initio ejuſdem regni ſententia cum anno* XVII *regni illius conjunxit. Hanc Henſchenii mentem fuiſſe, quilibet locum aſſignatum conſiderans facilè perſpiciet, licèt ibidem ex typothetæ negligentia aliove caſu in textu annus regni* XIX, *Chriſti verò* DXCVIII; *in margine autem rectè quidem annus regni* 17, *ſed perperam Chriſti annus* 475 *excuſi ſint. Porrò hæc ſententia de Clodovei Francorumque baptiſmate ad annum Chriſti* 496 *reponendo apud eruditos nunc certa eſt, quorum qui regnum illius ab anno* 481 *auſpicantur, etiam annum* XV *ex Geſtis Francorum acceptum poſſunt retinere. De die collati baptiſmi agam § ſequenti.*

§ VII. Baptiſmi à S. Remigio regi Franciſque collati tempus, ſolemnis apparatus & locus.

Sanctus Præſul regem multoſque Francorum ad baptiſmum parat, *Sanctus Gregorius Turonenſis num.* 97 *relatus, paucis multa complectens, mox à conſenſu populi ad baptiſmum deſcribendum feſtinans,* Nuntiantur, *inquit,* hæc Antiſtiti, qui gaudio magno repletus, juſſit lavacrum præparari *&c; quæ certè non ſic accipienda ſunt, quaſi non aliquot ſaltem dies inter hæc & baptiſmum interceſſerint. Enimverò credibile non eſt,* S. Remigium *in re tanta tam feſtinanter proceſſiſſe, quàm præferat iſta narratio. Nam ut concedamus, ejuſdem ſororem Albofledem, atque etiam aliquot è Francorum primoribus jam tum Chriſtianis præceptis ſatis imbutos fuiſſe;* de exercitu . . . ejus *tunc ſimul* baptizati ſunt amplius tria millia, *ut ex eodem Gregorio habemus, quibus examinandis, edocendiſque, & ad ſacrum fontem ritè præparandis haud dubiè opus tempore erat. Nimirum hæc indicare voluit anonymus biographus S. Vedaſti in Vita breviori, dum ait:* Tantiſper moratus *(Remis)* ſacræ Trinitatis fidem Chlodoveus profeſſus, baptiſmi gratiam recipit. *Alcuinus quoque verbis num.* 100 *datis tempus aliquod pœnitentiæ, ex eccleſiaſtica diſciplina baptiſmo præmittendæ, impenſum memoravit.*

110 *Interea nuntios ad varios Galliarum orthodoxos antiſtites deſtinatos fuiſſe, ut tantæ ſolemnitati adeſſent, ſuamque cùm in inſtruendis tum in abluendis catechumenis operam navarent, ipſa rei magnitudo veriſimile facit, certiúſque colligitur ex epiſtola S. Aviti, Viennenſis epiſcopi, in qua hic regi recèns baptizato gratulans, inter cetera ſcripſit:* Conferebamus, nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cùm adunatorum numerus pontificum manu, ſancti ambitione ſervitii, membra regia undis vitalibus confoveret *&c. Inter invitatos ipſe quoque fuiſſe creditur, ſed venire non auſus, quia in Gundobadi Burgundionum regis, ſectâ Ariani, ditione ſedem ſuam habebat. Præſentibus verò probabiliter annumerandus eſt S. Solennis, Carnutenſis epiſcopus, Clodoveo ſubditus, de quo ſermo redibit; annumerandus item eſt S. Vedaſtus, poſtea Atrebatenſis epiſcopus, quem* S. Remigius *hac occaſione ab eodem rege commendatum iſti eccleſiæ præfecit. Sanctus quoque Heraclius epiſcopus Senonenſis adſtitiſſe legitur in ejuſdem Vita, ad diem* VIII *Junii apud nos data: neque dubium eſt, quin & alii multi advocati fuerint, in quos longum eſſet inquirere.*

AUCTORE C. S. *& convocatis aliis epiſcopis,*

B 111 *Hincmarus in Vita num.* 57 *de eadem præparatione ac tempore, quo iſta facta credidit, hæc habet:* Ille quoque *(S. Remigius)* gaudio magno repletus, regem & populum, qualiter diabolo & operibus ac pompis ejus abrenuntiare & in Deum credere deberent, apertis & brevibus verbis inſtruxit; & quia dies ſancti Paſchæ imminebat, jejunium ſecundùm Chriſtianorum conſuetudinem eis indixit. *Tum cæleſte prodigium refert, quod* die . . . paſſionis Domini, quem Paraſceven uſus eccleſiaſticus vocat, pridie ſcilicet, antequam baptiſmi gratiam rex & populus ejus percepturi erant, *contigiſſe pluribus affirmat. Videlicet dum eadem nocte* Remigius *cum rege ac regina ſermonem de divinis haberet, totum locum cæleſti lumine mirabiliter repletum fuiſſe, vocemque auditam, quæ diceret:* Pax vobis, ego ſum, nolite timere: manete in dilectione mea; *eaque voce ac luce ceſſantibus, ſuaviſſimum odorem remanſiſſe, atque ipſum ſanctum Epiſcopum, divino ſplendore coruſcum, regi plurima de illo poſteriſque vaticinatum eſſe.*

baptizat, non in feſto Paſchatis, ut olim creditum eſt,

ſed in Nativitate Domini, 112 *De hiſce prodigiis, quorum mentionem apud alios antiquos, ſi Flodoardum excipias, factam non reperi, fides penes Hincmarum ſit, qui, ut ſuprà jam monui, quæcumque de* S. Remigio *legit audivitque, ſine debito delectu conſarcinavit. Baptiſmi tempus, quod Gregorius ſiluit, Hincmarus accepit ex Fredegarii Hiſtoria epitomata, in cujus cap.* 21 *ſic legitur:* Cùm de prœlio memorato ſuperiùs Chlodoveus Remis *(id eſt,* Remos *)* fuiſſet reverſus, clàm à S. Remedio *(ſic ille* S. Remigium *appellat)* Remenſis urbis epiſcopo, adtrahente etiam Chrotechilde regina, baptiſmi gratiâ cum ſex millibus Francorum in Paſcha Domini conſecratus eſt. *Ita ille: & ferebat ſanè tunc Eccleſiæ diſciplina, ut baptiſma extra caſum neceſſitatis non niſi in feſtis Paſchæ & Pentecoſtes, facto in Vigilia initio, ſolemniter celebraretur. Hinc factum exiſtimo, ut Fredegarius Paſchale feſtum aſſignaverit, eidemque Hincmarus, Flodoardus, aliique ſine ulteriori examine facilè aſſenſerint. Verùm eam ſanctionem hac vice non fuiſſe obſervatam, indubitatum nunc eſt ex ſuprà laudata epiſtola S. Aviti Viennenſis, qui iſta in Natali die Domini facta eſſe, diſertè docet.*

F

uti docet epiſtola S. Aviti Viennenſis, 113 *Sic enim eumdem regem alloquitur:* Occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat: cujus ſplendorem congruè Redem-

AUCTORE C. S.

demptoris noſtri nativitas inchoavit, ut conſequentem * eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pariat, quo natum redemptioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit. Igitur, qui celeber eſt natalis Domini, ſit & veſtri; quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo. *Quid clarius? Dicere autem cum nonnullis, quos Cointius ad annum* 496, *num.* 8 *rectè redarguit*, rejiciendum hoc negotium ad Paſcha ſubſequentis anni, ſcriptamque hoc anno ab Avito illam epiſtolam uno aut altero die poſt Natalem Domini, cùm Viennæ reſcire nondum potuiſſet, quid in eo factum fuiſſet Remis, & ex rumore tantùm, qui ſparſus fuerat, regem Francorum illo die baptizatum, ſuſpicaretur: *hæc, inquam, dicere eſt nodum in ſcirpo quærere, lucique velle nebulas affundere. Qui epiſtolam num.* 166 *& ſequentibus totam recitandam legerit, facilè agnoſcet, eam ex certiori notitia, quam ex ſparſo rumore ſcriptam eſſe.*

* *al.* conſequenter

cui fruſtra opponitur conſuetudo ejus temporis eccleſiæ

B

114 *Scrupulum quoque hîc injicere non debet, quam dixi, contraria Eccleſiæ illius temporis diſciplina; cùm non Galliarum modò, ſed etiam totius Eccleſiæ ſtatus poſtularet, ne hac vice ſervaretur. Diſciſſo in varias partes Occidentis imperio, regnabant tunc temporis in Italia Theodoricus Oſtrogothus, in Aquitania, Narbonenſi Gallia atque Hiſpania Alaricus Viſigothus; ad Rhodanum viciniſque provinciis Gundobadus rex Burgundionum, omnes ſectâ Ariani, quales etiam erant Vandali, qui dominabantur in Africa; in Germania denique Britanniaque prævalebant pagani. Tot inter barbaras nationes, quæ Romanum in Occidente imperium occupaverant, bellicoſiſſimæ gentis Francorum rex, paganus quidem, ſed cùm per ſanctam conjugem ſuam Chrotechildem, ex qua ſuſceptos liberos baptizari permiſerat, tum per Catholicos antiſtites veri Dei cognitione dudum imbutus, tumque etiam recenti victoria, ad invocationem Chriſti de Alemannis relata, incitatus, cum ſuæ gentis primoribus baptiſmum flagrantiſſimè expetebat, quo nihil Galliæ, nihil Eccleſiæ Dei accidere poterat optatius. Æquumne erat illorum vota differri, etiamſi non fuiſſet timendum, ne ex dilatione refrigeſcerent, atque ita optima illa Galliarum ſpes fortè concideret?*

tantùm in feſtis Paſchæ & Pentecoſtes ſollemniter baptizandi;

115 *Ad hæc accedere potuit & altera ratio, periculum ſcilicet, ne Clodoveus ad hæreticos deſciſceret. Certè hoſce illum ad partes ſuas adducere niſos eſſe, indicare mihi videtur S. Avitus in epiſtola jam laudata, quam ſic orſus eſt:* Veſtræ ſubtilitatis acrimoniam quorumcumque ſchiſmatum ſectatores ſententiis ſuis, variis opinione, diverſis multitudine, vacuis veritate, Chriſtiani nominis viſi ſunt obumbratione velare. . . . Invenit quippe tempori noſtro arbitrum quemdam divina proviſio; dum vobis eligitis, omnibus judicatis; veſtra fides noſtra victoria eſt. *Id eſt, quantùm ego quidem exiſtimo: Hæretici Chriſtiano nomine gloriantes, conati ſunt technis ſuis errores ſuos tibi perſuadere; ſed dum tu, hiſce rejectis, Catholicam fidem elegiſti, etiam ceteros eamdem eligere docuiſti. Inter hæreticos illos præcipui fuiſſe videntur Ariani, qui, ut S. Gregorius lib.* 2, *cap.* 31, *& lib.* 3, *cap.* 31 *teſtatur, duas ejuſdem regis ſorores, unam Theodorico Oſtrogothorum in Italia regi nuptam, quam aliqui* Anafledam, Albofledim, *vel* Augofledam *appellant; alteram Lanthechildem, ad ſuam ſectam jam aggregaverant. Gundobado quoque Burgundionum regi, Arianæ hæreſi pariter addicto, affinitate junctus erat Clodoveus per S. Chrotechildem, iſtius ex fratre neptem; atque ita ipſi cum utraque Ariana aula regia aliqua intercedebat neceſſitudo, & hinc perverſionis periculum.*

D

à qua juſtiſſimis de cauſis hîc poterat recedi.

116 *Simili, ſed minori de cauſa legitur S. Eleutherius Tornacenſis epiſcopus in Vitis illius, ad diem* XX *Februarii apud nos editis, ſub finem ejuſdem ſeculi* V *vel initio* VI *Cenſurinum tribunum cum magno Tornacenſium numero* V *Kalendas Octobris baptizâſſe. Profectò ſuprà allatæ rationes ſat graves urgenteſque videri debuerunt* S. Remigio *ceteriſque, qui aderant, epiſcopis, ut ab eccleſiaſtica conſuetudine ſine piaculo recedi poſſet; taleſque haud dubiè etiam viſæ ſunt S. Avito, qui illorum factum non modò non improbavit, verùm etiam gratulando regi laudavit. Denique certum nunc eſt, Clodoveum extra ſtata baptiſmi tempora, in feſto Natalitio Domini hoc Sacramento initiatum fuiſſe; at dicere non auſim univerſaliter verum eſſe, quod Pagius in Critica Baronii ad annum Chriſti* 499, *num.* 9 *ſubjicit his verbis:* Poſt Chlodovi regis converſionem uſus iſte baptizandi in Natalitiis Domini perſeveravit apud Francos. Guntramnus enim Francorum rex apud Turonenſem lib. 8, cap. 9 queritur, dilatum eſſe nepotis ſui baptiſmum ultra Natalis Domini ſolemnitatem.

E

Sanctus regem magna cum pompa ad baptiſterium ducit,

117 *Videamus modò, quanto cum ſplendore ſacrum illud lavacrum* Remigius *celebrandum inſtituerit, ut ipsâ quoque cæremoniâ & apparatûs majeſtate oculos menteſque Francorum percellens, ſublimitatem myſterii commendaret. Sanctus Turonenſis hiſtoricus lib.* 2, *cap.* 31 *illa ſic deſcribit:* Juſſit (*S. Remigius*) lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptiſterii divino reſpergitur ab odore; talemque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit, ut æſtimarent, ſe paradiſi odoribus conlocari. *Eadem ferè deſcripſit Hincmarus, ſed de proceſſu ad baptiſterium addidit ſequentia:* Sicque præcedentibus ſacroſanctis Euangeliis & Crucibus, cum ymnis & cantibus ſpiritualibus atque letaniis, Sanctorumque nominibus acclamatis, ſanctus Pontifex, manum tenens regis, à domo regia pergit ad baptiſterium, ſubſequente regina & populo. Dum autem ſimul pergerent, rex interrogavit Epiſcopum dicens: Patrone, eſt hoc regnum Dei, quod mihi promittis? Cui Epiſcopus, Non eſt, inquit, illud; ſed initium viæ, per quam venitur ad illud.

F

comitante regina, ipſumque cum aliquot Francorum millibus

118 *In comitatu reginæ veriſimillimè fuerunt duæ ipſius regis ſorores, quarum una, nomine Albofledis, tunc etiam baptizata fuit; altera Lanthechildis dicta, quæ Arianis erroribus implicita fuerat, hæreſim tunc ejuravit, ſacroque chriſmate uncta fuit. Addit ibidem præterea Hincmarus famoſum allatæ per columbam ſacræ ampullæ miraculum, quod infrà examinabimus. De baptiſmi collatione ita pergit Turonenſis:* Rex ergò prior poposcit, ſe à Pontifice baptizari. Procedit novus Conſtantinus ad lavacrum, deleturus lepræ veteris morbum, ſordenteſque maculas, geſtas antiquitus, recenti latice deleturus. Cui ingreſſo ad baptiſmum Sanctus Dei ſic infit ore facundo: Mitis depone colla Sicamber: adora, quod incendiſti; incende, quod adorâſti. Erat enim S. Remigius epiſcopus egregiæ ſcientiæ & rhetoricis adprimè imbutus ſtudiis; ſed & ſanctitate ita prælatus, ut S. Silveſtri virtutibus æquaretur. . . Igitur rex, omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptizatus eſt in nomine Patris & Fi-

A lii & Spiritus ſancti, delibutuſque ſacro chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti.

& illius ſorore baptizat, alteramque ſorem, Arianiſmo renuntiantem,

119 De exercitu verò ejus baptizati ſunt ampliùs tria millia. Baptizata eſt & ſoror ejus Albofledis, quæ non poſt multum tempus migravit ad Dominum. . . Converſa eſt enim & alia ſoror ejus, Lanthechildis nomine, quæ in hæreſim Arianorum dilapſa fuerat; quæ confeſſa æqualem Filium Patri & Spiritum ſanctum, chriſmata eſt. *Fredegarius nihil de ſororibus regis memorans, baptizatorum numerum ad ſex millia extendit: Flodoardus, & quem hic ſecutus eſt, Hincmarus in Vita num.* 65 tria millia virorum *ex Gregorio retinent; ſed addunt*, Exceptis parvulis & mulieribus. *Verùm hic biographus ibidem à Gregorio perperam diſceſſit, aſſerens, ambas Clodovei ſorores tunc quoque baptizatas fuiſſe.* Baptizantur (*inquit*) ſorores ejuſdem, Albofledis & Landehildis; *hæcque Flodoardus totidem verbis in Hiſtoriam Remenſem lib.* 1, *cap.* 13 *tranſtulit. Utrique præivit fabulator ille anonymus, Geſtorum Francorum auctor, apud quem cap.* 15 *legitur*: Baptizantur ſorores ejus his nominibus, Albofli-

B dis & Landechildis, ipſa die. *At verò Gregorii verba tam clara ſunt, ut mirer, Hincmarum ab eo receſſiſſe, ut anonymo adhæreret.*

ex more ſacro chriſmate ungens, Eccleſiæ adjunxit.

120 *Conformia etiam ſunt eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ baptizatos ab Ariauis, dum ad Catholicam Eccleſiam veniebant, non rebaptizandos, ſed vel impoſitione manuum vel ſimul cum ſacri chriſmatis unctione reconciliandos præſcribebat. Exempla refert idem Turonenſis lib.* 2, *cap.* 34, *ubi Gundobadus, rex Burgundionum Arianus*, à S. Avito epiſcopo Viennenſi, Chriſtum Filium Dei & Spiritum ſanctum æqualem Patri confeſſus, clàm ut chriſmaretur, expetiit; *ſed quia publicè confiteri abnuebat, non obtinuit. Lib.* 4, *cap.* 27 *de Brunichilde, Athanagildi Hiſpaniarum regis filia, Sigeberto Auſtraſiæ regi nupta, pariter Ariana, ſed converſa dicitur*: Beatam in Unitate confeſſa Trinitatem, credidit atque chriſmata eſt. *Eadem ibidem cap.* 28 *leguntur de Galſvintha, ejuſdem Athanagildi filia altera & Chilperici Sueſſionenſis regis uxore; item lib.* 5, *cap.* 39 *de S. Hermenegildo, Leuvegildi Hiſpaniæ regis filio; ac denique lib.* 9, *cap.* 15 *de Richaredo, ejuſdem S. Hermenegildi fratre, dum ab Ariana hæreſi ad Catholicam fidem acceſſerunt.*

C

Quidam contendit ex Vita S. Solennis Carnotenſis,

121 *Ex hactenus allegatis omnino dicendus eſt laudatus rex & à* S. Remigio *& in urbe Remenſi baptizatus fuiſſe; quia tamen video, à nonnemine tam de baptiſta, quàm de loco baptiſmi dubitatum fuiſſe, de utroque hîc agendum eſt. Joannes Jacobus Chifletius in nova Diſquiſitione Ampullæ Remenſis contendit, eo munere functum eſſe S. Solennem, epiſcopum Carnotenſem; gemino nixus argumento; primo, quòd id in hujus Vita aſſeratur; ſecundo, quòd etiam alibi legatur* S. Remigius *eumdem regem è ſacro fonte ſuſcepiſſe. Vita illa in Opere noſtro data caſtigataque eſt ad* XXV *Septembris, ibidemque in Commentario prævio oſtenſum, antiquam quidem eſſe, ſed mendis non carere, & à Bollando noſtro parvi penſam; quòd verò ad præſentem controverſiam ſpectat, hæc pag.* 75 *in Annotatis lit.* c *ad hodiernum diem remiſſa fuit, penitiùs diſcutienda. Ut hoc faciam, debeo hîc quædam ex Vita ibidem edita retexere; nam ex ejuſdem Vitæ pretio res pendet. Si iſti anonymo biographo credimus, Clodoveus, dum* contra Gothorum regem *ducens exercitum, tranſiret Carnotum, à S. Solenne, ejuſdem civitatis epiſcopo, in certam victoriæ ſpem ſigno Crucis in fron-*

te pectoreque ſignatus, ſic vovit: In his armis vadens, ſi à Gothis vel Alemanis ſuperatus non fuero, ſed rediero in pace, ſtatim ad baptizandum convolabo. AUCTORE C. S.

122 *Poſt hæc ſic progreditur biographus*: Talibus armis ſuccinctus pergit dimicaturus ad bellum, ſtatimque ferocem Alemannorum gentem debellavit atque ſubegit. Cúmque contrà ſe Gothorum agmina inſtruxiſſent, qui contra eum bella paraverant, acieſque illius contra aciem inimicorum tela injiceret, acriterque bellum inſtaret, in momento Gothorum agmina proſtrantur, Domino opitulante: & dorſa gladio præcipites dedêre. Erat enim crux manu impreſſa pontificis in pectore principis, & coruſcabat in mucrone victoria. *Subdit, eumdem Sanctum poſt victoriam Clodoveo apparuiſſe, vetuiſſeque, ne fugientes Gothos inſequeretur, neve eorum terras vaſtaret; regemque obſecutum, arma in Aquitaniam pari felicitate vertiſſe. Tandem*, Tali, *inquit*, tropheo per crucis myſterium rex ſublimatus, regreſſus ab Aquitania, miſit legatos ſuos ad B. Solennem, ut eum baptiſmatis undâ perfunderet. . . Qui ſacerdos gaudio repletus ſpirituali, aſſumſit ſecum ſacræ legis cultores, Re- E migium & Vedaſtum antiſtites venerandos, & divina favente miſericordia, ad regem perveniens, baptizavit eum cum omnibus dignitatibus ſuis, & ſimul cum eo duces trecentos ſexaginta quatuor nobiliſſimos Francorum.

hunc, non Remigium, regis baptiſtam fuiſſe;

123 *Habes hîc, ſtudioſe lector, narrationem illius de converſione Clodovei regis, ex qua* S. Remigio *nihil aliud adſcribit, quàm quòd hic à S. Solenne arceſſitus, baptiſmo adſtiterit. Verùm hæc narratio ſcriptoris anonymi, incertique temporis ac fidei, vel ex hoc ſolo capite rejicienda eſſet, quòd antiquioribus certioriſque notæ ſcriptoribus non modò ignota, ſed etiam contraria tradat. Accedunt & manifeſti errores partim jam obſervati ad* XXV *Septembris, qui ſcriptorem inſcitiæ convincunt. Hujuſmodi ſunt, quòd bellum Alemannicum, anno* 496 *geſtum, cum Gothico ſeu Viſigothico, quod ad annum* 507 *ſpectat, fœdè confuderit; quòd Clodovei baptiſmum, quem conſtat anno* 496 *ei collatum fuiſſe, uſque poſt bellum Gothicum, id eſt uſque ad citatum annum* 507 *differat; quódque eumdem regem, velut monenti S.* F *Solenni, ne Gothorum regnum vaſtaret, obſecutum Aquitaniam depopulantem faciat, quaſi tunc temporis eorumdem regni pars non fuerit. Denique ex dicendis certum eſt, S. Vedaſtum non niſi notabili tempore poſt baptiſmum Clodovei ad epiſcopales infulas promotum fuiſſe. Fruſtra igitur laudatus Chifletius ex hiſce tam mendoſis Actis, incertoque auctore, regii baptiſmatis gloriam contra antiquorum omnium teſtimonia* S. Remigio *abjudicare niſus eſt.*

ſed hæc Vita ſubleſtæ fidei eſt:

124 *At enim, inquit, ipſemet* Remigius *in ſuo ſincero Teſtamento ſeſe ejuſdem regis patrinum profeſſus eſt, dicens*: Aliud argenteum vas, quod mihi domnus inluſtris memoriæ Hludowicus, quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, donare dignatus eſt *&c. Fateor, hæc in eo legi, atque inſuper aſſeri ab Hincmaro in Vita num.* 65, *ubi dicitur*: Et ſuſceptus ab ipſo Pontifice de ſancto fonte *&c; quod & Flodoardus lib.* 1, *cap.* 13 *adoptavit. Non inficior quoque, paſſim inſolitum eſſe, ut in ſolenni baptiſmo idem baptiſta ſit, qui & ſuſceptor; verùm id* inauditum *eſſe, nimis leviter aſſernit Chifletius. Plura exempla ſe reperiſſe ſcribit Cointius ad annum Chriſti* 496, *num.* 55, *ubi poſtquam* S. Remigii *factum retulerat*,

neque obſtat, quòd Remigius regem è fonte ſuſceperit,

AUCTORE C. S.

subjecit : Occurrent in his Annalibus alia ejuſdem generis exempla : neque enim uni dumtaxat Clodoveo contigit ab eodem pontifice baptizari ac ſuſcipi. *Simile quid habemus etiam in Vitis SS. Amandi epiſcopi Trajectenſis & Sigeberti regis Auſtraſiæ.*

cùm utroque munere potuerit fungi.

125 *In harum prima, apud nos data ad* VI *Februarii, quæ Baudemundum, ipſius S. Amandi diſcipulum, auctorem habet, cap.* 4 *dicitur Dagobertus I. Francorum rex rogâſſe S. Amandum, ut Sigebertum filium ſuum* ſacro *dignaretur* abluere baptiſmate, atque in filium . . . ſpiritualem ſuſcipere ; *ſanctuſque epiſcopus annuiſſe. In altera verò ad* 1 *Februarii illuſtrata Sigeberti Gemblacenſis cap.* 2 *eadem referens, iſta expreſsè ſic interpretatus eſt de ſuſceptione è baptiſmo :* Statimque *(S. Amandus)* eum regenerans ſacro baptiſmate, Sigebertum eum nominavit, eumque ipſe cum Chariberto fratre regis de ſacro fonte ſuſcepit. *Fortè etiam in Clodovei baptiſmo alius fuerit præter* Remigium *ſuſceptor ; utcumque tamen ſit, non eſt, cur id factum eſſe non credamus ; neque rei inſolentia deterruit Cardinalem Baronium, quin etiam ipſe tom.* 6 *Annalium aſſereret,* S. Remigium *Clodovei regis baptiſtam ſimul & ſuſceptorem fuiſſe.*

B

Aliqui ſuſceptoris munus S. Medardo non rectè attribuunt.

126 *Marlotus tom.* 1 *Metropolis Remenſis lib.* 2, *cap.* 7 *alia occaſione ex Geſtis S. Medardi,* à Fortunato (ut dicitur) exaratis *locum recitat, in quo patrini munus, non* Remigio, *ſed laudato Medardo adſcribitur. Verba Vitæ iſtius accipe,* In civitatem Remorum venientes, in baſilica S. Petri, quæ nunc dicitur AD PALATIUM, regem B. Remigius baptizavit, & de ſacro fonte B. Medardus ſuſcepit. *Ut verum fatear, neſcio, quo Vitæ exemplari hîc uſus Marlotus ſit ; nam in eo, quod cum Fortunati nomine Majores mei ad diem* VIII *Junii ediderunt, nihil tale legitur. Tantumdem reperire eſt in ejuſdem Sancti Vita metrica ibidem præmiſſa, ac in duabus proſaïcis ſubjunctis, necnon in editione Suriana ; ita ut Marlotianum exemplar nullius ponderis apud me eſſe queat. Eodem loco habenda eſt Vita quædam Ms. S. Gildardi epiſcopi Rotomagenſis, ex collectione Belfortiana accepta, in qua Henſchenius tom.* 2 *Junii pag.* 69, *num.* 9 *inter alia improbandum notavit iſtud aſſertum :* B. Remigius regem Chlodoveum baptizavit, S. Medardo (*tunc*) Veromandenſi epiſcopo ſuſcipiente illum de ſacro fonte. *Rationem cenſuræ ſuæ eam ibi allegat Henſchenius, quòd Clodoveus ſacro latice ablutus fuerit anno* 496, *ſanctus verò Medardus non niſi circa annum* 530 *creatus epiſcopus.*

C

Ex S. Nicetii Trevirenſis epiſtola ad Chlodoſvindam

127 *De civitate quoque, in qua ſacra iſta auguſtaque ſolemnitas peracta fuit, dubitatum eſt ex epiſtola S. Nicetii, epiſcopi Trevirenſis, ad Clodoſvindam, ejuſdem Clodovei ex Chlotario filio neptem, Alboini Longobardorum in Italia regis conjugem, excuſa in Appendice Operum S. Gregorii Turonenſis, editionis Ruinartianæ col.* 1338 *& ſeqq. In hac S. Nicetius Chlodoſvindam exhortans, ut virum ſuum ab Ariana hæreſi ad Catholicam fidem adduceret, ita ipſam alloquitur :* Audîſti ab avia tua, domna bonæ memoriæ Rodhildi (*id eſt S. Chrotechilde*) qualiter in Francia venerit ; quomodo dominum Chlodoveum ad legem Catholicam adduxerit ; & cùm eſſet homo aſtutiſſimus, noluit adquieſcere, antequam vera agnoſceret. Cùm iſta, quæ ſuprà dixi (*de veritate fidei Catholicæ*) probata cognovit, humilis ad domini Martini limina cecidit, & baptizari ſe ſine mora permiſit. *Dubitatum, inquam, fuit, an S. Nicetius hîc celebrem illam apud Turones S. Martini corpore baſilicam, an aliam aliquam in civitate Remenſi indicare voluerit.*

D

dubitari poteſt, an Clodoveus in urbe Turonenſi baptizatus fuerit ;

128 *Pro Turonenſi baſilica facit primò, quòd in eadem epiſtola de illa locutus fuerit, Arianos provocans ad miracula ibidem ſpectanda, paulò antè dicens :* Hic (*Alboïnus rex*) ſi jubet*, ad domnum Martinum per feſtivitatem ſuam, quam undecima die facit November, ipſos (*Arianos ſuos*) mittat ; & ibi, ſi audent, aliquid præſumant, ubi cæcos hodie illuminare * conſpicimus, ubi ſurdos auditum & mutos ſanitatem recipere *&c. Nemo ambiget, quin hîc per* domnum Martinum *hujus ſacrum corpus in Turonenſi baſilica miraculis clarum deſignetur, etiamſi nomen urbis omiſſum ſit. Pro eadem baſilica facit ſecundò, quòd etiam S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum, nominatim lib.* 4, *cap.* 21, *& poſt ipſum Fredegarius in Epitome cap.* 55 *per ſolas voces* Limina B. Martini *non aliam, quàm ipſius Turonenſem baſilicam denotaverint : eo ſcilicet modo, quo per* limina ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli *ab antiquis æquè ac recentioribus eorumdem baſilicæ Romanæ ſolent indicari. Eodem igitur modo exponenda ſunt S. Nicetii verba, niſi obſtent alia argumenta.*

* ſi lubet

* illuminari

E

ſed certum eſt, id Remis contigiſſe.

129 *Obſtant autem graviſſimæ rationes, ne Clodoveus in Turonenſi baſilica baptizatus eſſe credatur ; atque illa in primis, quòd, cùm urbs Turonica tunc temporis Alarico Viſigothorum regi, ſectâ Ariano, parèret, procul ab omni veriſimilitudine ſit, Clodoveum, qui Catholicos ſanctoſque antiſtites in ditionibus ſuis habebat, voluiſſe in alieno Ariani principis regno Catholicum baptiſma ſuſcipere ; quod inſuper nec ſine valida militum manu ipſi tutum fuiſſet, nec cum ea à Gothis permittendum. Præterea nullus veterum hanc gloriam eccleſiæ Turonenſi adſcripſit, ne ipſe quidem S. Gregorius, qui illam nec ignorare facilè potuiſſet, nec debuiſſet omittere ; quique cùm* Remigio *ejuſdem baptiſmi miniſterium attribuat, ſimul ſatis indicavit, factum id eſſe in illius propria diœceſi Remenſi, non in aliena provincia, quod canones vetabant. Remos item diſertè aſſignârunt ſuprà allegati ſcriptores, quibus hîc addo Ludovicum Pium imperatorem, qui in privilegio pro reſtauranda Remenſi metropolitana eccleſia conceſſo, apud Flodoardum lib.* 2, *cap.* 19, *hoc ipſum ſubjectis verbis agnovit.*

F

vel in eccleſia S. Martini,

130 Ebo (*ait ibidem*) venerabilis archiepiſcopus Remenſis eccleſiæ, & reverentiſſimæ ſedis S. Remigii, glorioſiſſimi pontificis & ſpecialis patroni noſtri, præſul clementiæ noſtræ innotuit, quia vetuſtatis ſenio contrita dictæ metropolis urbis ſancta mater noſtra eccleſia, in honore ſanctæ ſemperque Virginis ac Genitricis Mariæ conſecrata, exiſteret, in qua, auctore Deo, & cooperatore S. Remigio, gens noſtra Francorum cum æquivoco noſtro (*id eſt* Clodoveo, *quod nomen idem cum* Ludovico *eſt*) rege ejuſdem gentis, ſacri fontis baptiſmate ablui ac ſeptiformis Spiritus ſancti gratiâ illuſtrari promeruit. *Hæc de Remenſi civitate ſententia tam certa eſt, ut eruditi Galli de S. Nicetii verbis cum illa conciliandis ferè unicè cogitaverint. Hadrianus Valeſius tom.* 1 *Rerum Francicarum lib.* 6, *minimè veriſimile ratus, S. Nicetium, Clodoveo ætate tam propinquum, in re Francis Galliſque notiſſima adeò errâſſe, ut pro B. Mariæ baſilica Remenſi Turonenſem S. Martini eccleſiam Clodoſvindæ obtruſerit, ſtatuit, illa* S. Martini limina *non alibi, quàm Remis fuiſſe, ita diſſerens :* Nec dubi-

AUCTORE C. S.

§ VIII. Hincmari aliorumque recentiorum narratio de ſacra ampulla Remenſi : antiquiorum de eadem ſilentium, ac neotericorum judicium.

Remis ſervatur ampulla vitrea cum chriſmate vel ſacro oleo.

Singulare baptiſmi regii adjunctum, de quo nec ipſi Galli conveniunt, hactenus referre diſtuli, quia prolixiori ſermone eget, ut rationes in utramque partem adductæ exponantur. Servatur Remis in eccleſia abbatiæ Remigianæ ampulla vitrea ad magnitudinem nucis, in eaque liquor quidam ſeu oleum, quo Francorum reges in ſolemni auguratione ſua inungi ſolent, Sacra ampulla *paſſim appellata. Impoſita illa eſt pretioſæ thecæ, concluſaque in magnifico mauſoleo* S. Remigii, *teſte Marloto tom.* 1 *Metropolis Remenſis, lib.* 3, *cap.* 9, *cujus ibi verba ſunt, quæ ſubdo.* In eodem (*mauſoleo*) & ad pedes S. Remigii ſervatur chriſma E
cœlitus miſſum, quod AMPULLAM vocant, in vaſe argenteo, auro illito, lapillis & unionibus ſparſo & illuſtrato, cui catenula affixa eſt, quam ad collum admovet abbas, cùm à monaſterio ad majorem eccleſiam inſigni pompa pro regum inauguratione ſacram unctionem defert. *Joannes Jacobus Chifletius in nova Diſquiſitione Ampullæ Remenſis cap.* XI *de ejuſdem chriſmatis uſu ex Cæremonialis Francici, tempore Ludovici VIII regis ſcripti, tom.* 1, *pag.* 13 *recitavit ſequentia.*

quo Francorum reges ungi ſolent.

134 Chriſmate in altari ſuper patenam conſecratam præparato, debet archiepiſcopus ſacroſanctam ampullam ſuper altare aperire, & inde cum acu aurea aliquantulum de oleo cœlitus miſſo attrahere, & chriſmati parato diligenter immiſcere ad inungendum regem, qui ſolus inter univerſos reges terræ hoc glorioſo præfulget privilegio, ut oleo cœlitus miſſo inungatur. *Fuêre, qui dicerent, oleum ſacræ illius ampullæ numquam diminui, utut multi Francorum reges ex eo fuerint inuncti; quidam etiam, poſt unctionem regis exſiccari, rurſumque impleri, dum ſucceſſor inaugurandus eſt; alii denique, teſte Renato Ceriziers in Vita Gallica* S. Remigii *parte* 2, *cap.* 4, *crediderunt, illud mirabili incremento decrementoque ſuo variam regis valetudinem denotare; quas imperiti vulgi fabulas tum ipſe, tum ceteri Galli verbis ſilentioque exploſerunt. Porrò, ut ad propoſitum veniamus, hanc ampullulam in baptiſmo Clodovei è cælo demiſſam, volunt aliqui, alii negant, alii dubitant.* F

Hanc ad baptiſmum Clodovei divinitus allatam eſſe,

135 *Inter ceteros hoc argumentum ex profeſſo tractârunt Joannes Jacobus Chifletius, eques & Philippi IV Hiſpaniarum regis archiatrorum comes, atque Jacobus Alexander Tenneurius, in Aquitanico vectigalium ſenatu conſiliarius regius; quorum prior adversùs alterum edita anno* 1651 *nova Diſquiſitione de Ampulla Remenſi, eam impugnavit; ſecundus anno proximè ſubſecuto Tractatum apologeticum pro eadem contra iſtum vulgavit. Dum hæc agebat Chifletius, ad longè alium ſcopum collineavit, ad prærogativas ſcilicet regum Galliæ, à Tenneurio aſſertas, impugnandas; quarum examen cùm à ratione ſtudiorum meorum vitæque conditione prorſus alienum ſit, omnino præteribo, eóque libentiùs, quòd ad præſentem controverſiam nihil interſit de illis diſputare. Quin etiam*

laudata epiſtola, quæ explicari poteſt.

** al.* eſt ingreſſus

bito, quin LIMINA MARTINI vocaverit Niceti- A
us eccleſiam S. Martini apud Remos ad portam Collaticiam vel Baſilicarem, cujus mentio fit in Remigii teſtamento. Ubi ablui voluiſſe Chlodoveum, non mirabitur, qui Martini nomen ob ſigna atque virtutes ſummæ Gallis & Francis veneration fuiſſe, votaque ei ab ipſo Chlodoveo ante Vogladenſe prœlium nuncupata intelliget.

vel potiùs in metropolitana B. M. V.; nec oppoſitum evincit

131 *Valeſio conſentiunt Jacobus Longueval in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tom.* 2, *pag.* 230, *& Gabriel Daniel in Hiſtoria Franciæ tom.* 1, *ad annum Chriſti* 495. *Contrà Cointius tom.* 1 *Annalium Francorum, ad annum* 496, *num.* 10 *& ſequentibus, maluit Ludovici Pii aſſertioni adhærere, atque ita explicare textum S. Nicetii, ut Clodoveus, dum ex Alemannico bello Remos pervenit, mox ad S. Martini eccleſiam procidiſſe dicatur, optâſſeque, quàm primùm poſſet, baptizari; quod verum eſſe poteſt, etſi nec eo ipſo tempore, nec in eadem eccleſia baptizatus fuerit. Illius ratio eſt, quòd Ludovici dicta conformia ſint ſeculo Clodovei, quo in ſingulis civitatibus non niſi unicum ſolebat eſſe baptiſterium, apud primariam baſilicam adſtructum; quódque Nicetii verba hanc interpretationem admittant. Eligat lector, quam volet, è duabus ſententiam; mihi Cointiana ſic præplacet, ut tamen dubitem, an S. Nicetius ibidem reipſa non loquatur de Clodovei acceſſu ad S. Martini baſilicam Turonenſem, huncque præpoſtero ordine memoraverit.* B

laudata epiſtola, quæ explicari poteſt.

132 *Nam primò quidem ita verba ejus eo ſenſu accipientur, quem ex dictis num.* 128 *exigere videntur. Secundò S. Gregorius Turonenſis lib.* 2 *Hiſtoriæ cap.* 27 *teſtatur, Clodoveum poſt domitos Viſigothos ad eamdem eccleſiam ſe contuliſſe :* Patratâ poſt hæc victoriâ, Turonis regreſſus eſt*, multa ſanctæ baſilicæ beati Martini munera offerens. *Tertiò Nicetii hîc non intererat, an acceſſus iſte ante, an poſt Clodovei baptiſmum contigiſſet; cùm ibi unicè agat, ut Chlodoſvindam ad procurandam viri ſui converſionem exemplo ſanctæ aviæ ſuæ Chrotechildis impellat; cúmque Arianos ad S. Martini, ſanctiſſimæ Trinitatis aſſertoris, ſepulcrum miraculis clarum provocâſſet, addidit etiam exemplum Clodovei regis, qui poſt maturum examen cognita veritate doctrinæ, à S. Martino aſſertæ, ejuſdem ſepulcrum veneratus fuerat: ad hæc autem quid intererat, ſive laudatus rex id ante ſive poſt baptiſmum ſuum feciſſet; quidve multùm mirandum eſſet, ſi Nicetius unum alteri inadvertenter malè præpoſuiſſet? Denique ſi hunc præpoſterum ordinem in Nicetii textu admittamus, rectè ipſi conveniet cum S. Gregorio Turonenſi, ſecundùm quem Clodoveus, procurante S. Chrotechilde, à* S. Remigio *inſtructus baptizari petiit, & poſt devictos Gothos humilis ad domini Martini limina cecidit, ſive ad ejuſdem baſilicam Turonenſem religionis ergô multis cum muneribus profectus eſt.* C

AUCTORE C. S.

iam diversa quæstio est, utrùm hæc ampulla ad baptismalem regis Clodovei unctionem è cælo accepta sit ; & an ex eadem idem ipse etiam in regem à S. Remigio *unctus fuerit. Ego in primum præcipuè inquiram, propositis, quæ utrimque proferuntur, argumentis ; & ab affirmantibus exordior.*

eoque chrismate eumdem tunc unctum fuisse,

136 *Hincmarus in Vita edenda num.* 62, 63 *&* 65 *rem sic gestam narrat :* Cùm verò perveniſſent ad baptiſterium (*Remigius & Clodoveus*) clericus, qui chriſma ferebat, à populo eſt interceptus, ut ad fontem venire nequiret. Sanctificato autem fonte, nutu divino chriſma defuit : & quia propter populi preſſuram ulli non patebat egreſſus eccleſiæ vel ingreſſus, ſanctus Pontifex, oculis ac manibus protenſis in cælum, cœpit tacitè orare cum lacrimis. Et ecce, ſubitò columba nive candidior attulit in roſtro ampullulam, chriſmate ſancto repletam, cujus odore mirifico ſuper omnes odores, quos antè in baptiſterio ſenſerant (*ex balſamis juſſu* S. Remigii *ſparſis accenſiſque odoriferis cereis, ut præmiſerat*) omnes, qui aderant, inæſtimabili ſuavitate repleti ſunt. Accipiente autem ſancto Pontifice ipſam ampullulam, ſpecies columbæ diſparuit : de quo chriſmate fudit venerandus Epiſcopus in fontem ſacratum. Viſo autem, rex, tanto miraculo, abnegatis diaboli pompis & operibus ejus, petiit, ſe à ſancto Pontifice baptizari. *Hîc baptiſmum regis enarrat, ac demum ſic proſequitur.* Et ſuſceptus ab ipſo Pontifice (*Clodoveus*) de ſancto fonte, perunctus eſt ſacro chriſmate cum ſigno ſanctæ Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

B

tradunt Hincmarus archiepiſcopus Remenſis,

137 *Denique, ut narrationi ſuæ fidem conciliet, hæc ſubdit :* De miraculo ſiquidem, quod Dominus dignatus eſt oſtendere per columbæ ſpeciem in allatione Chriſmatis, ſicut & de aliis, rata eſt Catholicorum Patrum ſequenda ſententia, quâ dicitur : Divina operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis ; nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *Tandem multa de apparitionibus Spiritus ſancti diſputat, quæ velut nec ad ampullæ miraculum probandum, nec ad* S. Remigii *Acta ſpectantia, in Vita edenda præcidi. Idem Hincmarus tom.* 1 *Operum illius per Sirmondum pag.* 744 *in Coronatione Caroli Calvi, quando hic anno Chriſti* 869 *in regno Lotharii Metis inauguratus eſt, de eodem argumento in publico epiſcoporum procerumque conſeſſu ſic ait :* Sanctæ memoriæ pater ſuus (*Caroli Calvi*) domnus Hludovicus Pius imperator auguſtus ex progenie Hludovici (*id eſt, Clodovei*) regis Francorum inclyti, per B. Remigii, Francorum apoſtoli, Catholicam prædicationem cum integra gente converſi, & cum tribus Francorum milibus, exceptis parvulis & mulieribus, vigiliâ ſancti Paſchæ in Remenſi metropoli baptizati, & cælitus ſumpto chriſmate, unde adhuc habemus, perunCti & in regem ſacrati, exortus *&c.*

C

non tamen ſemper eodem modo,

138 *Dubium non eſt, quin hîc de eodem chriſmate, de quo in Vita, etſi diverſimodè, loquatur : nam in illa tantùm unctionem baptiſmalem & in Sacramento Confirmationis factam memoravit ; hîc autem adjunxit unctionem regiam. Secundò hîc meminit quidem de* cælitus ſumpto chriſmate ; *ſed locum, tempus, modumque, quo cælitus acceptum eſt, ſiluit ; quod obſervâſſe juverit propter dicenda inferiùs. Clodoveum à* S. Remigio *in metropolitana eccleſia Remenſi in regem unctum fuiſſe, agnovit etiam Ludovicus Pius in præcepto, quod pro eadem eccleſia dedit, allegans, quòd Clodoveus in ea baptizatus confirmatuſque eſſet, ſubdenſque :* Sed & ipſe rex nobiliſſimus ad regiam poteſtatem perungi, Dei clementiâ, dignus inventus fuit. *Flodoardus (apud quem laudatum præceptum exſtat in Hiſtoria Remenſi lib.* 2, *cap.* 19) *pro more ſuo dicta Hincmari ex Vita adoptavit, inſeruitque libri* 1, *cap.* 13, *additâ tamen voce* traditur, *quæ vox apud alios ſcriptores ſubdubitantis timidéque aſſerentis paſſim eſſe ſolet. Ipſum audiamus.*

D

Flodoardus ejuſdem eccleſiæ presbyter,

139 Ubi verò ad præparatum baptiſterii perventum eſt locum, clericus chriſma ferens, à populo interceptus, ad fontem pertingere penitus eſt impeditus. Sanctificato itaque fonte, nutu divino chriſma defuit. Sanctus autem Pontifex, oculis ad cælum porrectis, tacitè traditur orâſſe cum lacrymis. Et ecce, ſubitò columba, ceu nix, advolat candida, roſtro deferens ampullam, cæleſtis doni chriſmate repletam. Cujus odoris mirabili reſperſi nectare, inæſtimabili, qui aderant, ſuper omnia, quibus antea delectati fuerant, replentur ſuavitate. Acceptâ itaque, ſanctus Præſul, ampullâ, poſtquam chriſmate fontem conſperſit, ſpecies mox columbæ diſparuit. Rex autem tantæ gratiæ conſpecto miraculo lætus, actutum diaboli pompis & operibus abnegatis, à reverendo ſe petit Pontifice baptizari. *Sequitur hîc, ut apud Hincmarum, Clodovei baptizatio, ac ſimiliter ſubditur :* Suſcipitur ab eodem ſancto Pontifice, divoque conſecratur inſignitus unguine.

E

Aimoïnus monachus Floriacenſis, aliique recentiores.

140 *Accedit Aimoïnus Floriacenſis lib.* 1 *Hiſtoriæ Francorum, cap.* 16 *ex recenſione Franciſci Du Cheſne tom.* 3 *Script. Hiſt. Franc., pag.* 20, *ubi hæc memorat :* Quòd verò grata acceptabiliſque Deo prædicti regis (*Clodovei*) fides fuit, oſtenſum declaravit miraculum. Nam, cùm fortè, qui chriſma gerebat, intercluſus à populo deeſſet ; ecce ſubitò, non alius ſine dubio, quàm ſanctus apparuit Spiritus, in columbæ viſibili figuratus ſpecie, qui rutilanti roſtro ſanctum deferens chriſma, inter manus depoſuit Sacerdotis, undas ſanctificantis. Fit gaudium & exultatio ; baptizantur multi de populo : Deo laudes, Deo gratiæ acclamantur, & gaudens rex ab eccleſia ad propria regreditur. *Mitto alios recentiores, qui cùm jam laudatos ſecuti fuerint, aſſerentium numerum augere quidem poſſunt, ſed non augere auctoritatem, ipſive facto majorem fidem addere. Ex tribus autem nominatis antiquior eſt Hincmarus, iſque Vitam Remigianam ſcripſit circa medium ſeculum* IX, *id eſt, plùs quàm annis* 350, *poſtquam ea res contigiſſet. Adhuc remotiùs ab eadem vixerunt Flodoardus & Aimoïnus Floriacenſis, ſeculi decimi ſcriptores.*

F

Sed de re tam memorabili ſilentibus omnibus antiquioribus,

141 *At verò apud antiquiores Hincmaro nihil de re tam memorabili reperire eſt. De ea ſilent S. Avitus epiſcopus Viennenſis & Anaſtaſius II Papa in litteris, quas ſinguli ad Clodoveum ipſum de ſuſcepto baptiſmo gratulatorias dederunt. Silent S. Nicetius epiſcopus Trevirenſis in epiſtola ad Clodoſvindam Longobardorum reginam,* § 7 *laudata ; Fortunatus in compendio Vitæ Remigianæ ; S. Gregorius Turonenſis, & hujus Hiſtoriæ epitomator Fredegarius ; ſilent quoque anonymus, qui Geſta Francorum circa annum* 725 *ſcripſit ; Alcuinus in Vita S. Vedaſti, quemque is ſecutus fuit, anonymus auctor ejuſdem S. Vedaſti Vitæ brevioris ; licèt hi omnes de Clodovei baptiſmate meminerint. Tacet pariter vetus Præfatio Miſſæ ritus Gallicani de* S. Remigio, § 2 *hujus Commentarii laudata, quæ plurima illius miracula continens,*

A *regemque Clodoveum ab eodem ad Chriſtiana ſacra adductum memorans, nullum de ampulla aut miraculoſo chriſmate verbum facit. Quin & Cointius tom. 1 Annalium Francorum ad annum Chriſti 496, num. 29 ultrò fatetur, non haberi pro eo miraculo teſtem Hincmaro priorem. Sic autem habet ibidem.*

eruditi Galli paſſim non audent eam aſſerere,

142 Quod attinet ad ampullam allatam à columba, auctorem, qui miraculum illud aſſerat, non habemus antiquiorem Hincmaro. Aimoïnus, qui ſcripſit anno Chriſti circitèr milleſimo, columbam interpretatus eſt Spiritum ſanctum . . . Flodoardus, antiquior Aimoïno, ſenſum Hincmari ſtylo concinniore ſic reddidit . . . Flodoardus & Aimoïnus Hincmarum ducem ſecuti ſunt; cui ſi non habes fidem, antiquiori argumento non potes urgeri. *Conſentit Hadrianus Valeſius tom. 1 Rerum Francicarum, lib. 6, pag. 260 & ſequenti ita differens:* Hincmarus de vita S. Remigii, Aimoïnus ejus æqualis *(imò uno ſeculo poſterior)* in Hiſtoria lib. 1, Frodoardus, Remenſis eccleſiæ presbyter, rem admirabilem, & Gregorio, Fredegario, aliiſque veteribus noſtris hiſtoricis ignotam narrant: nimirum, cùm ferenti chriſma clerico omnes ad baptiſterium aditus turba intercluderet, columbam nive candidiorem advolaviſſe, ampullam roſtro ferentem, eamque in Remigii, aquam conſecrantis, manibus depoſuiſſe, ac ſtatim non comparuiſſe: ita Chlodoveum perunctum eſſe.

B

vel negam,

143 Addit Hincmarus Remorum epiſcopus (ut in Actis ſynodi Mettis habitæ, cui ipſe præſedit, & in Appendice Aimoïni invenio) ſacrum hoc & cælo miſſum chriſma religioſè ſervari, necdum ſua ætate poſt annos ampliùs CCCLXX deficiſſe, eoque Chlodoveum unctum & regem conſecratum eſſe XXV regni anno. In quo Hincmarum ſua tempora ſuique decepêre mores, exiſtimantem, iiſdem cæremoniis Merovingos regnum iniiſſe, quibus poſteri Caroli Majorisdomûs inierint: cùm Pippinus primus omnium Franciæ regum, imitatus Judæos ac poſteriores Veſigothorum reges, ut ſe ſacra unctione venerabiliorem auguſtioremque faceret, ſemel atque iterum ungi voluerit. Ante ætatem verò Hincmari ſolus Ludovicus Pius, ab eo ad Hugonem Francorum reges non ampliùs tres, nimirum Carolus Ludovici Pii pronepos, Rorbertus frater Odonis, & Lotharius, Durocortori Remorum reges inuncti ſunt ac conſecrati. Mirum ut non ſit, chriſma de cælo delapſum, quod in nullos uſus, ſed in memoriam miraculi ſervaretur, tamdiu ſuperfuiſſe, ac poſt tot annos minimè conſumtum oſtentari potuiſſe. *Hactenus Valeſius, ſatis inſinuans, quid de ampullæ Remenſis hiſtoria ſentiret: quæ verò de unctionibus addidit, aliis, ut ſuprà jam monui, examinanda relinquo.*

C

vel tacitam prætereunt, alii tamen propugnant.

144 *Aliquot alii, haud dubiè ob idem veterum ſilentium de controverſo miraculo tacere maluerunt, ubi de Clodovei baptiſmo loquebantur; è quibus ſunt Antonius Pagius in Critica Annalium Cardinalis Baronii, Adrianus Bailletus tom. 3 de Vitis Sanctorum in* S. Remigio, *ubi in margine etiam annotavit, unctionem, quâ Clodoveus tunc delibutus eſt, non fuiſſe inunctionem regiam; Fleury in Hiſtoria eccleſiaſtica, Daniel in Francica, ac denique Longuevallius in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tomo 2, pag. 231 & ſequenti, niſi in obſervatione in infima margine adjecta, quam infrà aptiùs recitabo. Rurſum alii, qui dictum miraculum, quale ab Hincmaro narratur, propugnant, nominatim Marlotus in Metropoli Remenſi, Tenneurius in Tractatu apologetico adversùs Joannem Jacobum Chifletium, & Cerizierus in Vita Gallica* S. Remigii, *negant, ex prædictorum veterum ſilentio quidquam poſſe concludi; quod Mabillonio quoque viſum fuit; licèt hic de ipſa ampullæ origine, ſive tempore, loco & occaſione, quibus divinitus accepta fuerit, auſus non ſit Hincmaro certò aſſentiri, ut ſequenti § dicturi ſumus.*

AUCTORE C. S.

Mabillonius, quamquam nec ipſe Hincmari dictatueatur,

145 *Interim is tom. 1 Annalium Benedictinorum, ad annum Chriſti 533, num. 18 de auctorum ſilentio ſic diſputat:* Ad Avitum quod attinet, nondum fortè reſcierat, quæ acciderant in Chlodovei baptiſmo, ad quem à rege invitatus hâc epiſtolâ ſe excuſat. Deinde etiam ſi ea reſciviſſet, quid attinebat illa commemorare Chlodoveo ipſi, horum omnium conſcio? Jam verò Gregorius, etſi ampullæ cælitus demiſſæ non meminerit, aliquid tamen prodigii tunc accidiſſe innuit, cùm ait, templum baptiſterii DIVINO RESPERSUM fuiſſe AB ODORE, talemque ibi gratiam (*Deum*) adſtantibus tribuiſſe, ut ÆSTIMARENT, SE PARADISI ODORIBUS CONLOCARI. Denique ex Fortunati ſilentio nihil confici poteſt; cùm alia æquè miranda in S. Remigii Vita prætermiſerit, imò ipſam, quod mirere, Chlodovei & Francorum converſionem & ſacram ejuſdem regis tinctionem, à Remigio factam. *De Fredegario nihil hîc obſervavit; niſi fortè hùc etiam referenda ſint, quæ ibidem poſt aliqua interjecta, occaſione alterius miraculi, ab illo æquè ac à Gregorio prætériti, ſic ſubdidit:* Neque potior eſt ex Fredegarii ſilentio petita auctoritas, quæ ut ſummum eadem cenſenda eſt cum auctoritate Gregorii epiſcopi Turonenſis, cujus ille Hiſtoriam dumtaxat in compendium redegit.

E

niſus tamen eſt infirmare argumentum

146 *Ad hæc reponi poteſt, ſuſpicionem de cauſa ſilentii in Avito, à Mabillonio injectam, aliquid veriſimilitudinis habituram, ſi non deeſſent alia ſat vetera teſtimonia pro miraculo aſſerendo; nec conſtare, epiſtolam ab illo primis poſt Clodovei baptiſmum diebus datam eſſe; cùm illam miſerit cum Laurentii illuſtris viri filio, cujus libertatem à Gundobado rege ipſe, jubente Clodoveo, petierat, tuncque primùm obtinuerat, uti ex epiſtola danda manifeſtum erit. Hanc ergò occaſionem exſpectâſſe videtur Avitus, ut eidem regi de baptiſmo gratularetur; non unicè ſcripſit, ut ſeſe excuſaret, quòd ſolemnitati non adfuiſſet. Porrò ſi miraculum ſciviſſet S. Avitus, ſanè attinebat illud Clodoveo, utut probè conſcio, commemorare. Nam præterquam quòd id pergratum regi accidere debuiſſet; gratulabatur illi, quòd, nequicquam obſtrepentibus hæreticis, Catholicam fidem amplexus eſſet, hortabaturque, ut eamdem etiam inter ceteras gentes, tum legationibus tum armis, propagaret. An non appoſitè fidem illam tam illuſtri miraculo comprobatam memorâſſet; & ſi ille ex eodem chriſmate in Chriſtianum regem unctus fuiſſet; nonne hunc quoque ſtimulum pro eadem fide dilatanda aptè adjeciſſet?*

F

ab antiquiorum ſilentio petitum;

147 *Tranſeamus ad S. Gregorium, cujus locum à Mabillonio laudatum, etſi ſuprà jam dederim, oportet hîc repetere.* Gaudio magno repletus (*S. Remigius de regis Francorumque ad baptiſmum conſenſu*) juſſit lavacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptiſterii divino reſpergitur ab odore; talemque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit, ut æſtimarent, ſe paradiſi o-

AUCTORE C. S.

doribus conlocari. *Quis ſuſpicetur, hæc ad ampullam chriſmatis è cælo delapſam referenda eſſe? Ego quidem per* divinum *illum* odorem *non aliud indicari exiſtimo, quàm balſami odoriferorumque luminarium, quæ* Remigius *in baptiſterium inferri juſſerat, nativam fragrantiam, eâque tam ſuaviter affectos, qui aderant, ut, Deo eorumdem mentes quoque gratiâ ſuâ demulcente, velut inter cæleſtia odoramenta verſari ſibi viderentur. Nec refert, quòd odorem* divinum *dixerit: nôrunt enim Latinæ linguæ periti,* divinum *in ſenſu improprio etiam aliquando uſurpari pro* præſtantiſſimo, præ ceteris excellenti *&c. Non aliter locum hunc accepit Hincmarus, dum num. 62 Vitæ illum ferè deſcripſit, deinde verò num. 63 longè præſtantiores odores ſimul cum ampulla cæleſti acceptos narravit; priores ſcilicet naturales ex odoramentis, poſtremos miraculoſos reputans.*

ſed, ut mihi quidem videtur,

148 *Fruſtra etiam quis auctoritatem ex ſilentio Fredegarii objectam elevare, & ad ſummum eamdem cum S. Gregorii Turonenſis auctoritate hîc facere vellet eo argumento, quòd Fredegarius illius Hiſtoriam dumtaxat in compendium redegerit. Enimverò hæc ratio non obſtitit, ne Fredegarius hinc inde aliqua aliunde accepta explicandi illuſtrandive gratiâ addiderit. Sic in hoc ipſo loco diem baptiſmi Clodoveo collati, quem Gregorius ſiluerat, inſeruit, nimirum:* in Paſcha Domini. *Sic ibidem ſubjunxit:* Cùm à S. Remedio in Albis Evangelii lectio Chlodoveo adnuntiaretur, qualiter Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad paſſionem venerat; dixit Chlodoveus; Si ego ibidem cum Francis meis fuiſſem, injuriam ejus vindicâſſem. Jam fidem his verbis oſtendens, Chriſtianum ſe verè eſſe adfirmat. *Præmiſerat etiam cap.* 18 *&* 19 *multa de S. Chrotechilde, quæ non magis, quàm mox dicta in Turonenſis Hiſtoria reperies. Si igitur Fredegarius non alienum ab inſtituto ſuo putaverit, aliqua à Gregorio præterita, vel eidem ignota, Epitomæ inſerere, cur non etiam ampullæ è cælo miſſæ prodigium, genti Francorum tam honorificum ac ſingulare, in eadem memorâſſet? Attamen hujus rei non modò non meminit, verùm etiam Gregorii verba, in quibus,* aliquid prodigii *tunc accidiſſe, inſinuari Mabillonius credidit, ille prætermiſit; non alia, puto, de cauſa, quàm quòd odorem illum naturalem fuiſſe arbitraretur, & de ampullæ miraculo nihil inaudîſſet.*

B

C

parùm feliciter.

149 *Supereſt quæſtio de ſilentio Fortunati, qui primigeniam Vitam certè habuit. Quid mirum eſt, hunc multa alia atque ipſum etiam Clodovei baptiſmum omiſiſſe, qui ab Ægidio archiepiſcopo Remenſi juſſus erat tantùm* aliqua miracula, quæ in populo legerentur, *ex longiori illa Vita* excipere, *teſte Hincmaro in Prologo, ſtuduitque ex illis* pauca diſſerere, plurima præterire, *ut ipſemet Fortunatus loquitur in compendio num. 3? Verùm cùm is totus in mirabilibus narrandis verſetur, tanto magis mirandum eſt, cæleſtem illam ampullam, ſingulare utique miraculum, nullique è ceteris gentibus conceſſum munus, ab eodem prætermitam eſſe. Mihi quidem minùs veriſimile appareret, Fortunatum iſta brevitatis ergô omiſiſſe, quàm non acturum fuiſſe de Francorum baptiſmo, ſi hunc tam nobili prodigio illuſtratum noviſſet. Prædictis ſilentibus adde Alcuinum reliquoſque ſuprà nominatos, quorum etſi ſinguli nîl evincant, conjunctim tamen argumentum negativum multùm confirmant. Addenda quoque eſt Præfatio Miſſæ ritus Gallicani, quoddam compendium Vitæ ac miraculorum* S. Remigii *continens, quæ ſi Fortunati ævo jam lecta fuerit, ut exiſtimavit Mabillonius, quid ſilentio ſuo aliud indicat, quàm cæleſtem ſæpe dictæ ampullæ miſſionem illo tempore ignotam fuiſſe? Cetera vide § ſequenti.*

D

§ IX. Refutantur alia argumenta pro Hincmariano aſſerto allata: opinio Mabillonii & Longuevallii ſatis probabilis proponitur.

Veriſimile non eſt, Hincmarum ampullæ prodigium didiciſſe

Superſunt alia argumenta, quæ pro Hincmariana narratione producuntur, examinanda, moduſque, quo alii dignitatem ampullæ Remenſis tuentur. Tenneurius in Tractatu apologetico cap. 2 *perſuadere conatus eſt, S. Gregorium Turonenſem expreſſam de eadem mentionem feciſſe, ſed locum ex illius Mss. exemplaribus eraſum eſſe. In hunc finem laudavit Magdeburgenſes in Hiſtoria eccleſiaſtica cent.* 6, *cap.* 6, *ubi hæc aiunt:* Porrò inter alios ritus etiam chriſma addiderunt. Nam, ubi Remigius Clodoveum regem baptizâſſet, non E adfuit chriſma (fortè quia non fuit neceſſarium) ſed ait Gregorius Turonenſis & Henricus Erfordienſis, columbam ore attuliſſe vas chriſmate plenum. *Ex hiſce Tenneurius ſtatuit, aut ſaltem probabile cenſuit, Magdeburgenſes habuiſſe antiquos codices, in quibus iſta legebantur, quæ à Gallicanis propter veterem inter Remenſem & reliquos Franciæ archiepiſcopos litem de jure ungendi reges avulſa fuerint, non item à Germanicis codicibus, quia hæc controverſia ad Germanos non pertinebat; ſed & ex his quoque tandem ſublata fuiſſe, quia cum exemplaribus Gallicis, quæ certiora reputabantur, non concordabant. Ita ferè ipſe; quod Cointio ad annum* 496, *num.* 29 *non immeritò* ridiculum *viſum fuit.*

ex S. Gregorio Turonenſi, ſed ex hujus exemplaribus eraſum eſſe;

151 *Conſentit Ruinartius in annotatis ad Hiſtoriam Francorum ejuſdem Gregorii lib.* 2, *cap.* 31, *cujus obſervationem accipe.* Quod verò aiunt, à centuriatoribus Magdeburgenſibus viſum fuiſſe codicem Gregorii, in quo ampulla illa memoraretur, quem heterodoxi poſtea diſſciſſerunt, veri ſimile non videtur. At fortè illi habuêre præ manibus librum de Geſtis Francorum, à Cheſnio tom. 1 editum, qui in nonnullis codicibus Mss. Gregorio noſtro tribuitur, in quo hæc hiſtoria deſcripta fuerit. Ejuſmodi habetur unum exemplar in bibliotheca archimonaſterii Remigiani apud Remos, ab annis circitèr D exaratum. *Credibiliora hæc ſunt, quàm omnia exemplaria Gregorianæ Hiſtoriæ propter dictam litem in Gallia ſic luxata fuiſſe, ut nullum hac in parte integrum remanſerit, etiam in provincia Remenſi, cujus non minùs interfuiſſet eadem illæſa ſervare, quàm aliarum luxare.*

F

nec magis veriſimile eſt, eumdem hoc

152 *Laudatus Tenneurius loco citato præterea contendit, Hincmari teſtimonium, etſi nullum eo vetuſtius haberetur, tribuſque ac ampliùs ſeculis eventu poſterius ſit, non ideò fabuloſum reputandum, vel ab illo adinventam fuiſſe ampullæ hiſtoriam. Rationem allegat, tum quòd æquum non ſit ita de viro inſigni, pio, docto & eccleſiaſtica dignitate ornato ſuſpicari; tum quòd* veriſimillimum *ſit, illum iſta* ex vetuſtiſſima Hiſtoria, ut ipſe teſtatur, nempe Remigiana Vita, quæ temporum injuriâ periit . . . excepiſſe. *Hîc lectorem remittit ad aliud ſuum Opus, cui titulus* Veritas vindicata adversùs Joannem Jacobum Chifletium *&c,*

A *&c, in cujus parte 3, cap. 5 id ipſum confidentiùs aſſeveraverat hoc modo :* Sic enim Hincmarus archiepiſcopus Remenſis in Vita S. Remigii (quam ex vetuſtiſſima ejus Hiſtoria, à Gregorio Turonenſi memorata, excepiſſe teſtatur) de Clodovei baptiſmo loquens : "Cùm verò perve-„niſſent ad baptiſterium„ *&c. Evicerat penè cauſam ſuam Tenneurius, ſi, quod credi voluit, ſolidè probâſſet, teſtatum Hincmarum eſſe, ſeſe omnia, quæ recenſuit*, S. Remigii *geſta ex ejuſdem vetuſtiſſima Vita accepiſſe.*

ex primigenia Vita accepiſſe.

153 *At enim oppoſitum prolixè profitetur ipſemet Hincmarus in Prologo, in quo docet, primigeniam illam Vitam*, librum maximæ quantitatis, *ſic periiſſe, ut ſua ætate poſt diligentiſſimam indagationem* pauca & diſperſa inde folia vix reperta fuerint; *ſeque ad hanc jacturam ſarciendam ejuſdem Vitam ſcribere aggreſſum eſſe. Adjumenta autem ſua exponens, Colligam, inquit*, tam ea, quæ in hyſtoriis à Majoribus editis de illo inveni, quàm & illa, quæ in diverſis ſcedulis diſperſa repperi; verùm & illa in ſerie digerens, quæ vulgata relatione percepi; quia . . . vera eſt lex hyſtoriæ ſimpliciter ea, quæ, fama vulgante,
B colliguntur, ad inſtructionem poſteritatis litteris commendare. *Adi hujus mei Commentarii § 2, ubi etiam dubitationem meam indicavi, utrùm ſanctus Turonenſis hiſtoricus primigeniam Vitam, an ejuſdem per Fortunatum compendium laudaverit. At ſi primam, ut Tenneurius cenſuit, ſatiſque veriſimile eſt, novum hinc argumento negativo robur accedit; nempe quòd ampullæ hiſtoria non magis in illa lecta fuerit à Gregorio, quàm à Fortunato, cui ejuſdem Vitæ copia certè fuit.*

Reſpondetur ad argumenta petita ab auctoritate Hincmari,

154 *Hincmarum (quamvis ſuis nævis non caruerit, maximè ubi de ſuæ ſedis excellentia agebatur) doctum piumque præſulem fuiſſe, non inficior, nec ampullæ hiſtoriam ab illo primo omnium excogitatam confictamve eſſe certò aſſevero. Rerum quoque Remigianarum indagatorem agnoſco diligentem, ſed magis, ne quid à quovis ſeu ſcripto ſeu verbis traditum præteriret, quàm ut vera compertaque referret. Nam quid aliud indicant iſta, quæ ex ejuſdem Prologo mox recitavi, eaque, quam ſibi præfixit, hiſtoriæ ſcilicet vera lex*, ſimpliciter ea, quæ, fama vulgante, colliguntur . . . litteris commendare ? *Quàm infeliciter hæc ei ceſſerit, liquebit in Annotatis, ubi fabulas ex nimia credulitate & ſine ulla criſi ab eodem adoptatas obſervabo. Ex ſimilibus obſcuris nulliuſve pretii*
C *ſcedulis, aut potiùs ex* vulgata relatione, *ſeu vulgari ac fortè tunc nupera traditiuncula, prodigium ampullæ didiciſſe videri poteſt, ne ipſemet poſt tria ſecula primus finxiſſe credatur tam celebre factum, cujus nulla reperitur apud vetuſtiores memoria. Fortè etiam, quod ſcriptores infrà laudandi ſuſpicati fuêre, cùm ampullæ, in eccleſia Remenſi magna cum veneratione aſſervatæ, veram originem neſciret, ipſe ex conjecturis ſuis illam aliam aſſignavit; ſed de hac re poſtea pluribus.*

qui etiam coram Carolo Calvo in illuſtri conventu Metenſi

155 *Fidem facto præterea conciliare nititur Marlotus ex eo, quòd Hincmarus verbis præcedenti § datis in Caroli Calvi inauguratione Metenſi publicè dicere non dubitaverit, Clodoveum* cælitus ſumpto chriſmate *à* S. Remigio *inunctum & in regem conſecratum fuiſſe. Sic enim ad hæc Marlotus differit :* Quis dicat, Hincmarum tam perfrictæ frontis, ut hiſtoriam tanti momenti hactenus inauditam, ſed recèns à ſe confictam, coram tam illuſtri confeſſu edicere; tantæ levitatis, ut ſapientiſſimo regi nugamenta quædam gerrarum conſarcinare; tantæ improbitatis, ut ipſis templorum cæremoniis ſacriſque ritibus, ingeſtâ fabulâ, ſacrilegum in modum illudere voluerit ? Carolus rex, cui ſolemne erat obſcura quæque Scripturæ loca ſapientibus proponere, etiam in caſtris & inter bellorum tumultus, de re tam gravi non ſciſcitatus eſſet ? Quotquot hîc aderant, primæ nobilitatis ac literaturæ viri, elingues, ſtupidi, vel faſcinati ab Hincmaro, ne in fictam ejuſmodi traditionem inſurgerent ? Quis credat, niſi aliunde, hunc vera proferre, certiores eſſent ? *&c.* AUCTORE C. S.

ampullam iſtam aſſeruit; oſtenditarque,

156 *Jam dixi ſuprà, neceſſe non eſſe, ut Hincmarus impoſturæ arguatur; ſed ſaniorem criticen in eo ab eruditis meritò requiri. Ponamus itaque, ipſum credidiſſe, quod aiebat; nihil præter nimiam credulitatem in hoc facto reprehendendum erit. An & quid ad ejuſdem aſſertum poſtea repoſuerint illuſtres litteratique viri, qui aderant, neſcimus : at certè prudentis non erat in ipſa eccleſia atque in ipſa inauguratione regis dicentem archiepiſcopum, qui primas in ea partes tunc agebat, interpellare; quæque hîc pro ejuſdem regis proſapiæ gloria breviter commemoraverat, coram eodem rege ibidem dictis convellere. Æquè ignotum eſt, quid hac in re fecerit Carolus; cui tamen ingrata accidere non potuit iſta archipræſulis oratio. Pro Clodovei unctione regia Hincmarus laudare potuit privilegium Ludovici Pii, num. 130 citatum, in quo hic imperator, ſine ulla tamen de ampulla divinitus accepta mentione, hoc ipſum aſſeruit, verbis ibidem datis mox ſubdens :* Sed & ipſe rex nobiliſſimus (*Clodoveus*) ad regiam poteſtatem perungi, Dei clementiâ dignus inventus fuit.
E

qua ratione excuſari poſſit.

157 *Notandum præterea eſt, Hincmarum hoc in loco dixiſſe quidem, Clodoveum* cœlitus ſumpto chriſmate *unctum & in regem ſacratum fuiſſe, non tamen indicâſſe modum, quo chriſma cœlitus acceptum eſſet. Quod obſervo, quia ex infrà dicendis ſunt, qui, licèt hiſtoriam ampullæ ab Hincmaro in Vita traditam pro certa tueri non audeant, nihilominus probabile eſſe cenſent, Clodoveum chriſmate, alia occaſione alioque modo per* S. Remigium *divinitus impetrato, unctum fuiſſe. Hoc ſi ita ſit (quod poſtea examinabo) Hincmarus nihil in Metenſi conſeſſu aſſeruit, de quo potuerit meritò reprehendi, niſi fortè de aſſerta unctione regia Clodovei, pro qua auctorem habebat, ut dixi, Ludovicum Pium, patrem Caroli Calvi, in cujus inauguratione iſta aſſeruit.*

F

Fruſtra etiam pro Hincmaro

158 *Tenneurius etiam ipſum* S. Remigium *in auxilium vocat*; Verùm, *inquiens*, & in eo, quod apud Flodoardum habetur, Remigiano Teſtamento tacitam fieri cœleſtis ampullæ mentionem, fateantur neceſſe eſt, qui ſancti Pontificis verba accuratè expendent. Sic enim ipſe de regio Clodovei genere : "Quod in regiæ maje-„ſtatis culmen perpetuò duraturum * elegi, ba-„ptizavi, de ſacro fonte ſuſcepi, donoque ſe-„ptiformis Spiritûs conſignavi, & per EJUSDEM „ſacri chriſmatis unctionem ordinavi in regem.„ Manifeſtum eſt, dictionem EJUSDEM, non ad ſacrum chriſma, cujus antea nulla mentio, ſed ad Spiritum ſanctum referri, & de eo explicandam eſſe; ac proinde vocari à Remigio oleum illud, quo Clodoveum unxerat, Chriſma Spiritus ſancti; æquè ac ſi diceret : "Per ſacri chri-„ſmatis EJUSDEM SPIRITUS unctionem ordina-„vi in regem;„ non repetito proximè appoſito SPIRITUS vocabulo. Non poterat autem vocari chriſma illud CHRISMA SPIRITUS SANCTI, niſi divinitus miſſum, quamvis miſſionem clariùs non

* *al.* regnaturum

ex-

AUCTORE C. S. explicet, utpote omnibus notissimam & in testamento supervacaneam. *Hæc Tenneurius; quæ miror ab illo tam confidenter afferri potuisse.*

laudatur S. Remigii testamentum, utpote non genuinum.

159 *Testamentum, quod velut* S. Remigii *esset, Flodoardi Historiæ Remensi insertum legitur, invalidum est ad eam rem probandam; cùm passim ab omnibus pro commentitio aut interpolato rejiciatur, nec verba ex illo allegata habeantur in ejusdem sancti Præsulis Testamento breviori, quod sincerum esse passim creditur. Ponamus tamen pauliſper, probixius etiam genuinum esse, vocemque* ejusdem *ad Spiritum sanctum esse referendam; profectò potuit chrisma illud* chrisma Spiritus sancti *vocari, quia idem chrisma erat; cujus unctione* Remigius *Clodoveum in Sacramento Confirmationis* dono septiformis Spiritûs, *ut præmittitur*, consignavit. *Hæc expositio non minùs clara & simplex est, quàm Tenneuriana obscura, verbisque è Testamento adductis merè afficta; neque puto, Tenneurium in iis simile quid umquam suspicaturum fuisse, nisi id ad tuendam Hincmari narrationem è re sua fore judicâsset. Insuper, etiamsi verbis illis cæleste chrisma indicaretur, non propterea oportet eadem de ampullæ Remensis missione, qualis ab Hincmaro refertur, necessariò interpretari, ut modò dicere aggredior.*

B

Dubitavit Mabillonius, an sacrum chrisma & oleum,

160 *Mabillonius tom.* 1 *Annalium Benedictinorum, ad annum Christi* 533, *num.* 18, *ubi, ut dictum est, argumentum ab auctorum veterum silentio petitum elevare conatus est, cum Marloto censens, verisimile non esse, Hincmarum tam impudentem, imprudentemve fuisse,* ut rem novam ac recèns inventam pro re antiqua & sacra in tam illustri eruditorum hominum cœtu (*Metensi*) obtruserit; *maximè, quòd eam* obiter tantùm & absque præfatione, uti rem omnibus notam, & nemini ambiguam *retulerit; Mabillonius, inquam, ibidem hinc concluſit:* Res ergò jam tum receptissima & exploratissima erat ampulla sacra, sed origo fortè non ita. *Ad rationes adversùs silentium veterum & pro Hincmari fide ab eo expositas satis videor respondisse; quare audiamus illum de ampullæ origine differentem.* Non unius tantùm (*ita habet ibidem*) sed duarum ampullarum meminit antiquus auctor, qui libellum de vita S. Chrotildis reginæ scripsit, ubi ait, chrismate deficiente, cùm S. Remigius Chlodoveum baptizaturus esset, DUAS AMPULLAS OLEO ET CHRISMATE PLENAS cælitus demissas fuisse, è quibus B. Remigius regem more ecclesiastico perunxerit.

C

alia occasione à S. Remigio divinitus impetrata,

161 Unde id acceperit hic auctor, nobis incompertum; nisi si hoc loco aliud miraculum confuderit, ab Hincmaro in Vita B. Remigii relatum. Narrat quippe Hincmarus, sanctum Pontificem, cùm iter ageret, ab homine quodam ægroto haud ignobili, necdum baptizato, accersitum fuisse, ut eum sacris aquis ablueret. Cùm autem oleum exorcizatum ferè, chrisma verò penitùs in duabus ampullis, à presbytero loci allatis, defecisset, vacuas ampullas super altare depositisse, ac fusa ad Deum oratione, mox plenas inventas fuisse. Quod quidem Hincmarus ante Chlodovei baptismum refert. Neque id ab Hincmaro inventum putes. Hoc enim antiquitus, id est, ante annos mille, in Præfatione Missæ de S. Remigio ritu Gallicano commemorabatur, ut constat ex veterrimo codice ecclesiæ Remensis, ante annos octingentos scripto, in quo B. Remigii quoddam Vitæ compendium & quædam miracula referuntur EX PRÆFATIONE, QUÆ AD MISSAM ANTIQUITUS DICEBATUR, ut fragmenti illius titulus præfert, in quo sic de duabus ampullis scriptum reperitur: "Dum autem cuidam ægroto baptizando chrisma quæreretur, & nihil inveniretur, sic ampullas vacuas super altare jussit mitti, ut ipse se interim in oratione prosterneret. Tunc cælesti rore chrismatis benedictione perfunditur." Integrum fragmentum in Appendice hujus tomi habes. D

Hincmaro non dederint occasionem errandi,

162 Haud scio, an ad duas istas ampullas respexerit scriptor Vitæ S. Chrothildis mox laudatus: quod si ita est, ex his ampullis Chlodoveum perunctum fuisse, nobis conjiciendi locum dedit. Porrò an ampulla illa, cujus meminit Hincmarus, una ex illis duabus fuerit, ejusque originem non satis compertam ad Chlodovei baptismum retulerit, temerè asserere nolim. Sed sive hæc, sive alia fuerit, de ejus veritate dubitare non possum. *Post hæc monet Mabillonius, obesse non posse, quòd de duabus illis ampullis nulla existet apud Fortunatum & Fredegarium mentio: cùm primus profiteatur, se ex primigenia Vita* pauca differere, plurima præterire; *alterius verò majoris esse non possit auctoritas, quàm Gregorii Turonensis, cujus Historiam in compendium contraxit. Tandem Mabillonius ex omnibus præmissis sic statuit:* Cùm itaque hæc argumenta nihil contra sacræ ampullæ veritatem efficiant, antiquissimæ de illa traditioni Remensis, imò & totius Gallicanæ ecclesiæ sua constare debet auctoritas. *Censuit igitur Mabillonius, sacram ampullam, Remis asservatam, ex qua Christianissimi reges etiam his nostris temporibus in coronatione sua inungi solent, sacrum chrisma divinitus acceptum continere, ex eoque Clodoveum quoque unctum fuisse; sed unicè dubitavit de loco, tempore ac modo, quibus idem illud chrisma acceptum sit, & an ipsa quoque ampulla cæleste sit munus.* E

consentit Longuevallius noster;

163 *Ipsi proximè accedit noster Jacobus Longuevallius, sed apertiùs mentem suam eloquitur, tomo* 2 *Historiæ ecclesiæ Gallicanæ lib.* 5, *pag.* 231 *& sequenti, ubi in ipso contextu, ut superius monui, de ampulla tempore baptismi missa altùm silens, sequentem annotationem in inferiori paginæ ora sermone Gallico adjecit:* S. Avitus Viennensis, Anastasius Papa, S. Nicetius Trevirensis, Gregorius Turonensis &c, qui de Clodovei baptismo agunt, miraculi ampullæ sacræ non meminerunt, uti nec Fortunatus in Vita S. Remigii, quod silentium tot tam gravium auctorum aliquot criticis argumentum visum est invincibile, contra quod nec traditio Remensis ecclesiæ, nec testimonium Hincmari valere posse, arbitrantur. En tibi, quod hac in re mihi certius apparet. Vetus Missa de miraculis S. Remigii docet, sanctum hunc Episcopum, cùm ægrotantem baptizare volenti chrisma ad unctiones faciendas deesset, duas ampullulas super altari posuisse, hasque miraculosè impletas esse. Hincmarus idem miraculum narrat. Credibile est, Clodoveum eodem miraculoso chrismate è cælis misso inunctum fuisse. Sic verum erit, illum chrismate è cælis misso unctum esse; nec mirum erit, laudatos auctores, dum de ejusdem baptismo agerent, istius miraculi non meminisse; nempe quia illud hac occasione non contigerat. Hoc satis est ad comprobandam traditionem regibus nostris ecclesiæque Remensi tam glorioſam. *Hactenus Longuevallius, sed verbis Gallicis.* F

quæ opinio non improbabilis apparet;

164 *Atqui ita omnino est: hoc modo cessabit argumentum ex silentio veterum, quod adversùs ampullam Remensem militabat; ac simul assigna-*

bi-

AUCTORE C. S.

§ X. Litteræ gratulatoriæ S. Aviti Viennenſis & Anaſtaſii II Papæ ad Clodoveum : S. Remigius illum per epiſtolam ſolatur de morte ſororis ſuæ ; per alteram ſalutaria monita eidem tradit : ejuſdem regis benignitas in eccleſiaſticos.

S. Avitus epiſcopus Viennenſis per epiſtolam

Rancorum regis gentiſque ad Chriſtiana ſacra converſio magno, ut par erat, gaudio Catholicos omnes, maximè eccleſiarum præſides affecit. Ex hiſce Anaſtaſius II ſummus Pontifex Romanus, ſanctuſque Alcimus Avitus, Viennenſis ſub Gundobado Burgundionum rege Ariano epiſcopus, litteras gratulatorias ſuæque lætitiæ teſtes ad Clodoveum dedêre. Aviti, qui prior ſcripſiſſe videtur, epiſtolam jam recitavit Henſchenius noſter in ejuſdem Sancti geſtis ad diem v *Februarii ; quia tamen illam in hoc Commentario ſæpe laudavi, ad eamque lectorem remiſi, eamdem hîc recudam, prout correctior exſtat inter Opera Jacobi Sirmondi tom.* 2, *col.* 56 *& duabus ſequentibus.*

Avitus Viennenſis epiſcopus Chlodoveco regi.

Veſtræ ſubtilitatis acrimoniam quorumcumque ſchiſmatum ſectatores ſententiis ſuis, variis opinione, diverſis multitudine, vacuis veritate, Chriſtiani nominis viſi ſunt obumbratione velare. At, dum ſtatus noſtros æternitati committimus, dum, quid recti unuſquiſque ſentiat, futuro examini reſervamus, etiam in præſentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Invenit quippe tempori noſtro arbitrum quendam divina proviſio. Dum vobis eligitis, omnibus judicatis ; veſtra fides noſtra victoria eſt.

gratulatur Clodoveo ſuſceptum baptiſmum in natali Domini :

167 Solent plerique in hac eadem cauſa, ſi pro expetenda ſanitate credendi, aut ſacerdotum hortatu, aut quorumcumque ſodalium ſuggeſtione moneantur, conſuetudinem generis & ritum paternæ obſervationis opponere. Ita ſaluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis cuſtodia inutilem reverentiam ſervant, confitentur, ſe quodammodo neſcire, quid eligant. Diſcedat igitur ab hac excuſatione poſt talis facti miraculum noxius pudor. De toto priſcæ originis ſtemmate ſola nobilitate contenti, quicquid omnis poteſt faſtigium generoſitatis ornare proſapiæ veſtræ, à vobis voluiſtis exurgere. Habetis bonorum auctores, voluiſtis eſſe meliorum : reſpondetis proavis, quòd regnatis in ſæculo, inſtituitis poſteros, quòd regnatis in cælo. Gaudeat ergò quidem Græcia, habere ſe principem Legis noſtræ ; ſed non jam quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari, quòd non deſit & reliquo orbi claritas ſua. Siquidem & occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat. Cujus ſplendorem congruè Redemptoris noſtri Nativitas inchoavit ; ut conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex unda vos pareat, quo natum redemptioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit.

regem laudat, & victorias pollicens

168 Igitur, qui celebris eſt natalis Domini, ſit & veſtri : quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus

A *bitur veriſimilis ratio, quæ hiſtoriæ ejuſdem ampullæ, quam Hincmarus primus omnium vulgâſſe ſcitur, occaſionem & initium dederit. Ceſſabit, inquam, argumentum ex ſilentio : quid enim mirum, ſi, qui ex laudatis ſcriptoribus tantùm litteras de ſuſcepto baptiſmo gratulatorias regi Clodoveo dederunt, vel ejuſdem baptiſmi tantummodo fecêre mentionem, non memorârint miraculum, quod in baptiſmo non contigerat ; aut ſi alii ſiluerint, qui non Vitam* S. Remigii, *ſed Francorum hiſtoriam ſcribendam ſuſceperant ; vel ſi denique iſtud præterierit Fortunatus, qui* plurima *illius miracula à ſe omiſſa profeſſus eſt ? Aliter prorſus ſe res habet in priori caſu ; quia, cùm miraculum iſtud non tantùm ad* S. Remigii, *ſed etiam ad Clodovei totiuſque gentis Francorum gloriam ſpectâſſet atque in ipſo regis baptiſmo factum fuiſſet, non apparet ulla veriſimilis ratio, ob quam à prædictis omnibus fuiſſet præteritum. Ad hæc cùm ex traditione haberetur, Clodoveum in baptiſmo ſuo à* Remigio *unctum fuiſſe chriſmate è cælis accepto, ampullamque, quæ reliquum iſtius chriſmatis continebat, in Remenſi eccleſia religioſè aſſervari, nec vera ejuſdem ampullæ origo ſatis nota eſſet, haud difficulter opinari potuit Hincmarus, vel ſi quis ipſi præivit, eamdem in ipſo regis baptiſmate divinitus allatam fuiſſe.*

B

Sed nihil illam juvat quidam biographus S. Chrotechildis.

165 *Reſtat, ut de Vita S. Chrotechildis, à Mabillonio mox laudata, aliquid obſervemus. Edidit eam ipſe ex Ms. codice S. Germani Pratenſis inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti Sæculo* 1, *à pag.* 98, *in eaque num.* 7 *revera ſic legere eſt :* Cúmque chriſma defuiſſet, Dei nutu in ſpecie columbæ venit Spiritus ſanctus, portans duas ampullas, oleo & chriſmate plenas, quas B. Remigius devotè ſuſcepit, regemque more eccleſiaſtico perunxit, vocavitque eum LUCDOVICUM, quaſi LAUDABILEM VIRUM. *Viderat illam & aliunde ex Mss. codicibus habebat Henſchenius noſter, quando S. Chrothildis acta illuſtravit ad diem* III *Junii, ſed quia eamdem* aliquot ſeculis poſt obitum Sanctæ ſcriptam *compererat, maluit, hac omiſsâ, aliam ex S. Gregorii Turonenſis Hiſtoria concinnare. Illam ſaltem Carolo Magno poſteriorem eſſe, probat in eadem facta mentio de imperatoribus Romanorum è ſtirpe Clodovei. Apud Mabillonium num.* 2 *dicitur :* Deus enim præſcius futurorum præviderat, ex Crothilde ſemen regium naſciturum, eorumque propagine Romanorum Francorumque imperium gubernaturum. *Et numero ultimo agitur de ſepultura ejuſdem S. Chrothildis,* Romanorum imperatorum matris, & regum Francorum genitricis. *Hinc ſtatue primò, anonymum hujus Vitæ auctorem nullius aut exigui ponderis eſſe poſſe : ſecundò regiam Clodovei unctionem ipſi veriſimiliter ignotam fuiſſe : tertiò, non ſatis illum fuiſſe inſtructum de ampulla Remenſi, cùm duas pro una in ejuſdem regis baptiſmate allatas numeret.*

C

AUCTORE C. S.

ſtus ortus eſt mundo ; in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecrâſtis. Quid jam de ipſa glorioſiſſima regenerationis veſtræ ſolennitate dicatur ? cujus miniſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris divina pietas gratulationis adjecerit, ut ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos poſt hanc expectationem jam ſecuros veſtri ſacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cùm adunatorum numerus pontificum manu ſancti ambitione ſervitii membra regia undis vitalibus confoveret ; cùm ſe Dei ſervis inflecteret timendum gentibus caput ; cùm ſub caſſide crines nutritos ſalutari galea ſacræ unctionis indueret ; cùm intermiſſo tegmine loricarum, immaculati artus ſimili candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, regum florentiſſime, faciet, inquam, indumentorum iſta mollities, ut vobis deinceps plus valeat rigor armorum, & quicquid felicitas uſque huc præſtitit, addet hinc ſanctitas.

B

hortatur, ut Chriſti nam fidem apud paganas gentes propagare ſtudeat ;

169 Vellem verò præconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram vel obſervantiam præteriret. Numquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatore vidiſtis ? An fortè humilitatem, quam jam dudum nobis devotione impenditis, qui nunc primùm profeſſione debetis ? An miſericordiam, quam ſolutis * à vobis adhuc nuper populus captivus gaudiis mundo inſinuat, lacrymis Deo ? Unum ergò, quod vellemus augeri : Ut, quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam faciet, ulterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigatis : nec pudeat pigeatque, etiam directis in rem legationibus, adſtruere partes Dei, qui tantùm veſtras erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitus imperio ſervituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potiùs gentem, quàm principem. Nulla igitur patria quaſi ſpeciali ſede ſibi vindicet, totis quos honorum gradibus attollitis. Conſtat, vos eſſe, quo communis uno ſolis jubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plùs gaudent lumine, ſed non carent remotiora fulgore.

* *an.* ſolutus ?

C

laudat ejuſdem miſericordiam, & illuſtrem captivum remittit.

170 Quapropter radiate perpetuùm, præſentibus diademate, abſentibus majeſtate. Succeſſus felicium triumphorum, quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas : quotieſcumque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen Catholicæ religionis affectum ſervat in vobis cura miſerandi ; & in apice, rerum omnium gubernacula continente, non minùs eminet ſanctitas, quàm poteſtas. Ex qua utique factum eſt, ut dirigi ad vos ſervi veſtri viri illuſtris Laurentii filium principali oraculo juberetis. Quod apud domnum meum, ſuæ quidem gentis regem, ſed militem veſtrum, obtinuiſſe me, ſuggero. Nihil quippe eſt, in quo ſervire non poteſt. Commendat directum ; congaudi miſſo, invidi vos viſuro. Cui minùs computandum eſt ad utilitatem, parenti proprio reſtitui, quàm patri omnium præſentari. *Hactenus S. Aviti epiſtola ex recenſione Sirmondi ; ad quam quædam ab Henſchenio annotata conſule in Commentario prævio ad Vitam ejuſdem ſancti epiſcopi tom. 1 Februarii pag. 263.*

171 *Eodem anno* 496, *ſub cujus finem Clodovei baptiſmum contigiſſe credimus, Anaſtaſius II ad ſummum Pontificatum Romanum evectus fuit, menſe Septembri ſecundùm Papebrochium noſtrum, ſecundùm alios menſe Novembri. Hic quoque tam felici nuntio ſive ex fama, ſeu, quod veriſimilius eſt, ex* S. Remigii, *vel ipſius etiam regis Clodovei litteris è Gallia audito, epiſtolam per Eumerium presbyterum ad eumdem regem tranſmiſit, quam Lucas Dacherius omnium primus typis vulgavit tom.* 5 *Spicilegii prioris editionis pag.* 582, *unde etiam à Labbeo in ſuam Conciliorum Collectionem illata eſt, & ab eruditis pro genuina excepta. Apud laudatum Dacherium ſic recenſetur.*

Glorioſo & illuſtri filio
Cludoecho Anaſtaſius epiſcopus.

Tuum, glorioſe fili, in Chriſtiana fide cum exordio noſtro in Pontificatu contigiſſe, gratulamur. Quippe Sedes Petri tanta occaſione non poteſt non lætari, cùm plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum ſpatia repleri ſagenam, quam in altum juſſus eſt mittere idem piſcator hominum & cæleſtis Jeruſalem beatus claviger.

D

Gratulatur etiam illi Anaſtaſius II Papa,

172 Quod ſerenitati tuæ inſinuare voluimus per Eumerium presbyterum, ut, cùm audiveris lætitiam patris, creſcas in bonis operibus, impleas gaudium noſtrum, & ſis corona noſtra, gaudeatque mater Eccleſia de tanti regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Lætifica ergò, glorioſe & illuſtris fili, matrem tuam & eſto illi in columnam ferream. Nam refrigeſcit caritas multorum, & malorum hominum verſutiâ navicula noſtra feris fluctibus agitatur, & deſpumantibus undis pertunditur. Sed ſperamus in ſpem contra ſpem, & Dominum collaudamus, qui eruit te de poteſtate tenebrarum, & in tanto principe providit Eccleſiæ, qui poſſit eam tueri, & contra occurrentes peſtiferorum conatus galeam ſalutis induere. Perge igitur, dilecte & glorioſe fili, ut Deus omnipotens ſerenitatem tuam & regnum protectione cæleſti proſequatur, & angelis ſuis mandet, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, & det tibi in circuitu de inimicis ſuis victoriam. *Deplorabilem Eccleſiæ Catholicæ ejus temporis ſtatum jam expoſui § 7 ; qui quanto miſerabilior erat, tanto certe gratiùs Anaſtaſio Papæ accidere debuit Francorum ad Chriſtum converſio, à quibus ut major Eccleſiæ in Galliis clades timenda fuerat, ita nunc major ſpes ſalutis affulgebat. Credibile eſt, etiam ad* S. Remigium *hac ſuper re litteras datas fuiſſe, quas non habemus.*

E

eique Eccleſiam Dei commendans, victorias precatur.

F

S. Remigius per epiſtolam conſolatur eumdem regem

173 *Apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum, col.* 1268 *& ſequenti una exſtat ipſius* S. Remigii *ad Clodoveum epiſtola, quæ ad hoc tempus, ſive ad initium anni* 497, *nondum exacta hieme, pertinere creditur, agitque de morte Albofledis, Clodovei ſororis. Ex hac epiſtola diſcimus, Albofledem non modò unà cum rege fratre ſuo à ſancto Præſule ad Chriſtianam fidem adductam, baptizatamque, verùm etiam Deo virginem conſecratam fuiſſe. Non diu tamen ſupervixiſſe, ſcribit S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria lib.* 2, *cap.* 31, *ubi laudatæ epiſtolæ exordium recitans, hæc ait :* Baptizata eſt & ſoror ejus Albofledis, quæ non poſt multum tempus migravit ad Dominum : pro qua cùm rex contriſtaretur, S. Remigius conſolatoriam miſit ei epiſtolam, quæ hoc modo ſumpſit exordium : "Angit me & ſatis me angit ve-
„ ſtræ cauſa triſtitiæ, quòd bonæ memoriæ ger-
„ mana veſtra tranſiit Albofledis. Sed de hac re
„ con-

A „ consolari possumus, quia talis de hoc mundo „ migravit, ut suspici magis debeat, quàm lu„ geri.„ *Hæc nec plura Gregorius; quam ob rem epistolam totam ex laudato Labbeo accipe.*

174 Domino illustri meritis Clodoveo * regi Remigius episcopus.

de morte sororis illius Albofledis,

Angit me, & satis angit, vestræ causa tristitiæ, quòd glorioſæ memoriæ germana vestra transiit Albofledis *. Sed consolari possumus, quia talis de hac luce discessit, ut recordatione magis suscipi * debeat, quàm lugeri. Illius enim vitæ fuit, quòd assumpta credatur à Domino, quæ à Deo electa migravit ad cælos. Vivit vestræ fidei, etsi est conspectûs * desiderio recepta, Christus implevit, ut benedictionem virginitatis acciperet; quæ sacrata non est lugenda, quæ fragat * in conspectu Domini flore virgineo; quo scilicet & coronâ tecta, quam pro virginitate suscepit. Absit, ut à fidelibus lugeatur, quæ bonus Christi odor esse promeruit, ut per eum, cui placet, auxilium possit conferre poscentibus. Dominus meus, repelle de corde tuo tristitiam: animo ritè composito, regnum sagaciùs gubernate, erectiora sumentes studio serenitatis

* *al.* Chlodoveo
* *al.* Albochledis
* *an* suspici?
* *al.* conspectu
* *al.* flagrat

B consilia. Læto corde membra conforta; mœroris torpore discusso, acriùs invigilabis ad salutem. Manet vobis regnum administrandum & Deo auspice procurandum. Populorum caput estis, & regimen sustinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre consueverunt.

quæ cum ipso baptizata fuerat, & virginitatem Deo sacraverat.

175 Esto ipse tuæ animæ consolator, vigorem illius providentiæ continens ingenitæ, ne tristitia candorem tuæ menti subducat. De ejus præsente transitu, quæ choris est juncta virgineis, ut credo, Rex gaudet in cælo. Salutans gloriam vestram *, commendo familiarem meum, presbyterum Maccolum, quem direxi. Quæso, ut tanti * habeatis ignoscere, quòd, qui occursum debui, exhortatoria destinare verba præsumpsi. Tamen per harum baiulum si jubetis, ut vadam, contempta hiemis asperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos, auxiliante Domino, pervenire contendam. *Eamdem epistolam etiam exhibet Ruinartius in Appendice Operum S. Gregorii Turonensis col.* 1326, *ex qua aliquot discrepantes voculas in margine annotavi. An tamen alterutro loco omnino pura sit, dubitare me facit locus è Turonensi mox adductus, in*

* *al.* additur &
* *al.* tantis

C *quo illius exordium paulò aliter exstat. Ceterùm ea non alio argumento ad annum* 497 *referri videtur, quàm quòd Albofledis* non post multum tempus *à suscepto baptismate defuncta esse dicatur à S. Gregorio, quódque ex ipsa epistola constet, hanc hiemali tempore scriptam fuisse.*

Eidem regi salutaria monita tradit in alia epistola,

176 *Addo hîc & alteram ejusdem sancti Præsulis epistolam, alio tempore & occasione datam, in qua scilicet eidem regi seu ad bellum ituro, seu potiùs post quamdam victoriam ab illo relatam salutaria præcepta dedit. Hæc à Jacobo Sirmondo in tomo* 1 *Conciliorum Galliæ pag.* 175 *sic edita exstat:*

Domino insigni & meritis magnifico, Chlodoveo regi Remigius episcopus.

Rumor ad nos magnus pervenit, administrationem vos secundam rei bellicæ susceptisse. Non est novum, ut cœperis esse, sicut parentes tui semper fuerunt. Hoc in primis agendum, ut Domini judicium à te non vacillet *, ubi tui meriti, qui per industriam humilitatis tuæ ad summum culminis pervenit: quia, quod vulgò dicitur, Ex fine actus hominis probatur. Consilia-

rios tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare. Et beneficium tuum castum & honestum esse debet; & sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum consilia semper recurrere. Quòd si tibi bene cum illis convenerit, provincia tua meliùs potest constare. Cives tuos erige, afflictos releva, viduas fove, orphanos nutri *, si potius est quàm erudies, ut omnes te ament & timeant. AUCTORE C. S.

* *al.* tantis

dum is in procinctu ad bellum Gothicum esset,

177 Justitia ex ore vestro procedat: nihil sit sperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona, aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat, ut nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascumque opes possides, captivos exinde liberabis, & à jugo servitutis absolves. Si quis in conspectu vestro venerit, peregrinum se esse, non sentiat. Cum juvenibus jocare, cum senibus tracta, si vis regnare * nobilis judicari. *Duo in hac epistola loci, quos asteriſco notavi, certè sunt vitiosi; sed eodem modo leguntur etiam apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum col.* 1402, *& Ruinartium in Appendice ad Opera S. Gregorii Turonensis col.* 1326 *& sequenti. Prior locus sensum integrum reddet, si pro* ubi tui meriti *&c legatur*, & à tuo exercitu, qui per industriam humilitatis tuæ ad summum culminis pervenit. *Secundus locus fortè sic restituendus est:* Sic potiùs illos erudies, ut omnes te ament & timeant. *Jam quod ad occasionem & tempus scriptæ epistolæ attinet, Sirmondus hunc ei titulum præfixit:* Hortatoria, cùm rex ad bellum Gothicum se accingeret. *Consenserunt Labbeus in Collectione conciliorum, Ruinartius in Annotatis ad Historiam Turonensis, & Longuevallius in Historia ecclesiæ Gallicanæ, in qua propterea laudatam epistolam ad annum* 507 *recensuit.*

* *i. e.* regnator

E

ut nonnullis visum est,

178 *Videntur hi eruditi viri in eam sententiam iviſſe, primò quòd in ipso epistolæ exordio dicatur Clodoveus tunc* administrationem secundam rei bellicæ susceptisse; *belli initium sive apparatum interpretantes, & secundum forsitan illud numerantes ab Alemannico. Secundò, quòd idem rex videri possit monitis in hac epistola datis obsecutus fuisse, dum in Visigothos moturus, ea pro immunitate personarum rerumque ecclesiasticarum exercitui suo mandata præscripsit, de quibus ipsemet in sua epistola ad episcopos post bellum Gothicum data, infráque recitanda meminit. Quamvis hæc illorum opinio non sit improbabilis, mihi tamen verisimilius apparet, eamdem illam* S. Remigii *epistolam potiùs post idem bellum Gothicum scriptam fuisse. Verba illa in exordio posita* Rumor ad nos magnus pervenit, administrationem vos secundam rei bellicæ susceptisse, *non minùs tum relatam insignem victoriam, quàm instans bellum, sonant. Per vocem* secundam *intellige* prosperam; *tuncque hujus phrasis sensus obvius erit:* Ex ingenti rumore intelleximus, administrationem rei bellicæ, quam susceptisti, tibi prosperè successisse. F

sed fortè non nisi circa ejusdem belli finem scripta.

179 *Huic expositioni congruit, quod subditur.* Non est novum, ut cœperis esse, sicut parentes tui semper fuerunt, *nimirum hostium victores; additurque monitum:* Hoc in primis agendum, ut Domini judicium à te non vacillet *&c*; *scilicet, ne rex & exercitus ejus novâ illâ victoriâ elati posthac indignos se redderent divinis auxiliis, quæ Christiana ejusdem regis humilitas promeruerat. Reliquum quoque ejusdem epistolæ, in qua præterea nulla fit de bello mentio, præcepta continet, victori principi ad subactam provinciam justè administrandam, quàm bellaturo, opportu-*

AUCTORE C. S.

niora. Denique Clodovei litteris ad episcopos post bellum Gothicum directis occasionem aquè potuit dedisse hac Remigii *epistola, si post, quàm si ante idem bellum data fuerit. Non tamen inficior, ex consiliis* Remigii *profecta esse, quæ Clodoveus adversùs Gothos processurus pro immunitate ecclesiarum religiosissimè sanxit; id enim verisimillimum est ex ejusdem sancti Archipræsulis cura pastorali, singularique auctoritate, quâ apud ipsum valebat. Verùm id non obest, quo minùs etiam post relatam victoriam ista scripserit, tacitéque monuerit, ut promissis staret;* quia, *ut ibidem inquit,* quod vulgo dicitur, Ex fine actus hominis probatur.

180 *Utut sit, Clodoveus, occiso Alarico Visigothorum rege, totâque Aquitaniâ potitus, regnum suum ad montes Pireneos extendit. Tum ut promissis staret, litteras ad universos recèns subactæ regionis episcopos dedit, quas visum est ex Sirmondi editione hîc recudere, quia sensa Christiano principe dignissima, quæ continent, haud dubiè fructus sunt institutionis à* Remigio *acceptæ, tantique discipuli religio tanti Magistri gloria est.*

Ejusdem regis præcepta pro immunitate ecclesiastica

Dominis sanctis & apostolica sede dignissimis episcopis Chlothovechus rex.

B Enuntiante fama, quid actum fuerit vel præceptum omni exercitui nostro, priusquam in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudinem vestram præterire non potuit. In primo quoque de ministerio ecclesiarum omnium præcepimus, ut nullus ad subripiendum in aliquo conaretur, neque de sanctimonialibus, neque de viduis, quæ in religione Domini devotæ esse probantur. Simili conditione & de clericis, vel filiis supradictorum, tam clericorum, quàm viduarum, qui cum illis in domo ipsorum consistere videbantur: idem & de servis ecclesiarum, quos de ecclesiis tractos, per episcoporum sacramenta constiterit, præceptum est observare, ut nullus ex ipsis aliquam violentiam vel damnum pateretur.

occasione hujus belli data, verisimiliter ex consilio Remigii.

181 Quod ita ad integrum est agnoscendum, ut ex his supradictis si aliquis vim captivitatis pertulisset, sive in ecclesia sive extra ecclesiam, omnino sine aliqua dilatione reddendos esse, præcipiamus. De ceteris quidem captivis laicis, qui extra pacem sunt captivati, & fuerint approbati, apostolia * cui volueritis arbitrii vestri *, est non negandum. Nam de his, qui in pace nostra, tam clerici quàm laici, subrepti fuerint, si veraciter agnoscitis, vestras epistolas, de anulo vestro infrà signatas, sic ad nos omnimodis dirigat, & à parte nostra præceptionem latam noveritis esse firmandam. Sic tamen populus noster petit, ut, cuicumque epistolas vestras præstare fueritis dignati, cum sacramento per Deum & benedictione vestra dicere non tardetis, rem istam, quæ poscitur, veram esse: quia multorum varietates vel falsitates inventæ sunt; ut comprehendatur, sicut scriptum est: Perit justus cum impio. Orate pro me, domini sancti & apostolica sede dignissimi papæ. *Hactenus Clodoveus rex in laudata epistola.*

i. e. litteras apostolicas
* *adde* dare
C

D

§ XI. Quid censendum sit de vicariatu seu primatu S. Remigii: alia gesta ejus pro conversione Francorum sunt obscura: aliqua etiam pro convertendis Arianis: concilium Aurelianense 1, eo fortè suadente, celebratum.

Epistola S. Hormisdæ Papæ ab Hincmaro attributa,

H*incmarus in Vita num. 96 mox post bellum Gothicum meminit de dignitatibus Clodoveo regi ab imperatore Anastasio, sanctoque Antistiti à Romano Pontifice collatis. Primum, quod ibidem legi potest, didicerat ex S. Gregorio Turonensi, ut in Annotatis ostendam. Alterum, pro quo vetustiorem Hincmaro testem non novi, hîc discutiendum est. Loco citato sic habet:* Sed & Ormisda, Romanæ Sedis Pontifex, S. Remigio antiquæ metropolis episcopo, quæ tunc temporis E habebat sub se duodecim civitates & totidem episcopos eisdem præsidentes, vices suas in regno Ludovici, nüper cum integra gente ad fidem conversi per sanctam ejus prædicationem, Domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis, commisit hoc modo: "Dilectissimo fratri Remigio Ormisda,, *&c. Tum sequitur epistola integra, quæ sic orditur:* Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia *&c. Eadem exstat in Collectione Conciliorum per Labbeum tom.* 4, *col.* 1420, *ubi is titulus per modum compendii ab editore præfixus legitur:* Epistola 1 Hormisdæ Papæ ad S. Remigium Rhemensem episcopum. Post acceptas ab eo gratulatorias litteras, eidem ob præclaram meritorum excellentiam, & nobilissimæ sedis prærogativam, vicariam Sedis Apostolicæ præfecturam in Gallia delegat.

in qua primatus in toto regno Clodovei

183 *Eamdem laudatus Hincmarus in scriptis suis adversùs suum è sorore nepotem, Hincmarum Laudunensem episcopum, non uno in loco citavit, ut suæ sedis primatum monstraret. Juverit aliquos textus dedisse ex editione Jacobi Sirmondi, quâ utor. Tomo* 2 *Operum, capitulo* 10, *pag.* 419 *sic fatur:* B. Hormisda S. Remigio vices Apo- F stolicæ Sedis ei committens, inter alia ita scripsit *&c. In Capitulo* 16, *pag.* 435 *Hincmarum Laudunensem sic urget:* Attamen velis, nolis, S. Hormisda Papa tibi ostendet, primatem esse hujus provinciæ illum, qui in sede B. Remigii apud Remorum metropolim est ordinatus episcopus. Ait enim in epistola ad eum directa *&c. Subdit epistolam integram, quam pariter totam recitat cap.* XI *Opusculi, quod ad episcopos scripsit de jure metropolitanorum; rursumque cap.* 19 *confidenter ait:* Demum in regno Clodovei, nuper cum integra gente ad fidem conversi per sanctam prædicationem B. Remigii, Domino cooperante & sermonem confirmante, sequentibus signis, B. Hormisda vices suas eidem S. Remigio Remorum Durocortorum antiquæ metropolis episcopo . . . per Belgicas & quasdam provincias Gallicanas commisit, ut Dei ecclesias, quas Franci adhuc pagani devastaverant & incenderant, universa prædantes, & quæcumque perperam gesta fuerant, ad debitum statum redu-

duceret, manente privilegio Arelatensi ecclesiæ in sibi antiquitus delegatis provinciis.

datur S. Remigio, nequit esse ejusdem Hormisdæ,

184 *Ejusdem denique Pontificiæ epistolæ, velut à S. Hormisda scriptæ, bis meminit Flodoardus; semel lib.* 1, *cap.* 15, *de* S. Remigio *agens; deinde lib.* 4, *cap.* 1 *in Fulcone, Hincmari proximo successore, à quo eamdem asserit allegatam fuisse in litteris ad Stephanum VI summum Pontificem pro suæ sedis commendatione missis. Porrò hæc S. Hormisdæ nomine vulgata epistola non eodem modo ab eruditis neotericis excepta fuit; quòd Pontifex in eadem loquatur de rege Clodoveo, tamquam tunc etiam vivente. Nam apud Hincmarum, à quo illam habemus, ejusdem scriptor sic loquitur:* Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritalis filii nostri Ludovici, quem nuper ... ad fidem cum gente integra convertisti... præsenti auctoritate committimus. *Cardinalis Baronius, aliique, qui cum ipso post Sigebertum Gemblacensem crediderunt, Clodoveum post annum* 514, *cujus mense Julio S. Hormisda S. Symmacho in Pontificatum successit, inter vivos superfuisse, non dubitârunt eam epistolam ex Hincmari fide pro genuina Hormisdæ agnoscere.*

B *Contrà, qui ejusdem regis obitum ultra annum* 511 *differri non posse, rectiùs statuerunt, horum alii eamdem vel pro commentitia habent, vel, qui mitiùs sentiunt, Hormisdæ nomine perperam inscriptam esse, arbitrantur.*

sed fortè est Anastasii II

185 *Id modò certum est, Clodoveum, ineunte Pontificatum Hormisda, ut minimùm toto biennio cum aliquot mensibus mortuum fuisse; adeò ut Hormisdæ epistola esse nequeat, in qua rex ille inter vivos computatur. Dicere, mortem illius non fuisse notam Pontifici, dum scribebat, non sinit elapsum ab illa temporis spatium, ac multò etiam minùs litteræ, quas Hormisda ille post adeptum Pontificatum sibi à* Remigio *missas esse, in ipso exordio indicat. Hac fortè de causa Sirmondus illi nullum in Collectione Conciliorum Galliæ locum dedit, ac certè tam Papebrochius in Propylæo Maii, quàm Sollerius ad diem* VI *Augusti in S. Hormisda, aliique eamdem illi meritò abjudicârunt. Si revera alicujus Pontificis sit, oportet eam vel Anastasii II vel S. Symmachi esse, cum quorum Pontificatu regnum Clodovei à baptismo usque ad obitum concurrit. Pro Anastasio facit, quòd hic litteris* § 10 *recitatis Clodoveo recèns baptizato gratulatus sit, & Ecclesiæ Dei tuitionem commendaverit, eaque occasione videri possit vices suas* Remigio

C *commisisse, ut hic in gente à se nuper conversa omnia majori cum auctoritate ordinaret & opus feliciter cœptum perficeret.*

vel potiùs S. Symmachi. Hic error Hincmaro obrepere potuit

186 *Contrà, cùm Hincmarus eamdem epistolam bello Gothico postponat, auctor ejus potiùs credendus est S. Symmachus, qui ab anno Christi* 498 *usque in* 514 *summum Pontificatum gessit. In hac sententia, quam Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 508, *num.* 57 *& sequentibus tenuit, objecta difficultas evanescit; eaque epistola referri poterit ad initium sedis Symmachi: nam & scriptor in illa mox meminit de litteris gratulatoriis, puta de accepto Pontificatu, à* Remigio *ad se datis, & tunc temporis admodùm recens erat Francorum conversio, quæ in eadem epistola à* Remigio nuper *facta dicitur. Quòd autem Hincmarus consequenter dicendus sit in omnibus allegatis locis in nomine Pontificis errâsse, tolerabilius æquiusque est, quàm si ille eamdem epistolam à capite ad calcem confinxisse, & ad suæ sedis decora asserenda Hincmaro Lugdunensi ceterisque provinciæ Remensis episcopis non sine manifesto sui nominis periculo impudenter obtrusisse credatur. Neque verò deest verisimilis ratio, quâ in hunc errorem potuit inductus fuisse.* AUCTORE C. S.

ex libro Pontificali & Anastasio Bibliothecario,

187 *Vetus Romanorum Pontificum catalogus, ab Henschenio nostro in Diatriba præliminari ad tom.* 1 *Aprilis editus, pag.* XXXVI *in Hormisda hæc habet:* Eodem tempore venit corona aurea cum gemmis pretiosissimis, donum à rege Francorum. *Hunc locum auctor Libri Pontificalis sic interpretatus est:* Eodem tempore venit regium donum cum gemmis preciosis à rege Francorum Chlodoveo Christiano, B. Petro Apostolo. *Eadem in Vitas Pontificum transtulit Anastasius Bibliothecarius, in eodem S. Hormisda dicens:* Eodem tempore venit regnum (*id est corona regia*) cum gemmis pretiosis à rege Francorum Chlodoveo Christiano, donum B. Petro Apostolo. *Ex tempore obitûs Clodovei & initio Pontificatûs Hormisdæ liquet, Clodovei nomen utroque posteriori loco inscitè additum fuisse; in vetustiori autem Catalogo Pontificum per* regem Francorum *unum è quatuor Clodovei filiis, Theodoricum, Clodomerem, Childebertum, vel Clotarium, in quos paternum regnum divisum fuit, tacito nomine designari; vel certè donum illud ad Anastasii II aut Symmachi sedis tempus pertinere.*

E

ubi legitur Clodoveus coronam auream ad Hormisdam misisse.

188 *Utut sit, Hincmaro scribenti præluxit placuitque Libri Pontificalis, vel cui synchronus vixit, Bibliothecarii assertio, suumque etiam hac in re meritum* S. Remigio *adjecit. Mox enim num.* 99 *Vitæ post sæpe dictam epistolam perrexit hoc modo:* Hujus S. Ormisdæ Pontificatûs tempore sæpe fatus Ludovicus rex glorioſus coronam auream cum gemmis, quæ REGNUM appellari solet, B. Petro, Remigio suggerente, direxit. *Quin etiam, quo minùs dubites, unde ista hauserit, adjunxit:* Hic beatus Papa Ormisda misit Constantinopolim ad Justinum imperatorem in legatione Germanum, episcopum Capuanum: *quæ S. Germani legatio in laudatis Libro Pontificali Vitisque Pontificum apud Bibliothecarium etiam legitur, atque ex alterutro ab Hincmaro hîc extra ordinem locumque, ut patet, relata est. Ponamus modò, Hincmarum aliquod hujus controversæ epistolæ exemplar vel etiam autographum in ecclesiæ suæ archivis reperisse, sed cum tam detrito Pontificis nomine, ut legi non posset; nonne facilè potuit tribus ferè cum dimidio seculis pòst scribens, & in chronologicis minimè accuratus, existimâsse, illam Hormisdæ esse, ad quem suprà dictam coronam à Clodoveo dono missam fuisse in citatis locis legerat, credebatque?*

F

Primatus hic aliàs satis verisimilis est,

189 *Ceterùm ipse vicariatus seu primatus* S. Remigio *tunc concessus ex illius temporis rerum statu in Galliis satis verisimilis videtur. Cùm enim ecclesiæ, quas Franci adhuc pagani in suam potestatem redegerant, miserum in modum spoliatæ fuissent, & ecclesiastica disciplina, ut in ejusmodi bellorum tumultibus novoque gentilium dominatu fieri assolet, haud dubiè non parùm passa esset, conveniens erat, ut post eorumdem conversionem peculiaris quædam potestas auctoritasque à Sede Apostolica cuidam præsuli committeretur, qui omnia prudenter dignéque ordinare valeret, quæ ad afflictam religionem restituendam, & in gente cum rege suo recèns ad Christum conversa confirmandam promovendamque pertinere viderentur. Cui autem hanc curam potiùs commisisset Pontifex, quàm ejusdem gentis Apostolo, qui & nobilem sedem obtinebat, & sapientiæ, sanctitatis ac miraculorum laude præ ceteris florebat, tantæque erat apud regem auctoritatis, quantam exigebat*

AUCTORE C. S.

magnitudo negotii, ut felicem exitum ſortiretur.

maximè ſi talis fuerit, qualis à nonnullis exponitur;

190 *Habebat quidem Gallia primatem ſuum S. Cæſarium epiſcopum Arelatenſem, cui hanc dignitatem etiam S. Symmachus anno* 513 *confirmavit; verùm cùm Arelatenſis civitas Gothis Arianis parêret, non poterat is munere ſuo ſatis liberè fungi in regno Clodovei, regis Catholici, Gothiſque Arianis infenſi. Sed & in epiſtola, de qua agimus, primatus* Remigio *conceditur cum hac clauſula* ſalvis privilegiis, quæ metropolitanis decrevit antiquitas; *quibus verbis expreſsè cavetur, ne quid hinc de jure Arelatenſis decederet, ut jam obſervavit Hincmarus num.* 183 *relatus dicens:* Manente privilegio Arelatenſi eccleſiæ in ſibi antiquitus delegatis eccleſiis. *Præterea, ſi primatus* Remigii *tantummodò perſonalis fuerit, ſeu ſoli* Remigio *datus, ad ſucceſſores non tranſmittendus, ſique Symmachus Arelatenſi primatui, per temporarium* Remigii *vicariatum diminuto adjecerit, quidquid Theodoricus Oſtrogothorum rex in Gallia & Hiſpania ſuo vel Amalarici nepotis nomine tenebat, ut Cointius ad annum* 508, *num.* 62, *& ad annum* 533, *num.* 59, *ac Thomaſſinus in veteri & nova Diſciplina Eccleſiæ tom.* 1 *part.* 1, *lib.* 1, *cap.* 30 *cenſuerunt; ſatis proſpectum fuit eccleſiæ Arelatenſis primatui, qui tantùm pro ditionibus regis Clodovei juſtis de cauſis aliquo tempore coarctabatur, & aliunde acceperat incrementum.*

B

fuitque pro vario tempore variè extenſus.

191 *Non ſatis conſtat, quàm latè ſe Remenſis iſte primatus extenderit. In epiſtola Pontificia dicitur conceſſus* per omne regnum Ludovici; *ab Hincmaro autem loco mox præmiſſo,* in regno Ludovici . . . per Belgicas & quaſdam provincias Gallicanas. *Per* Belgicas *intellige utramque Belgicam, Germaniamque, quas antiqua Belgica complectebatur; per* Gallicanas *verò Gallicam Celticam ſeu Lugdunenſem, cujus pars Clodoveo etiam paruit. Sed ſicut ille regnum ſuum ſucciſivis temporibus per has provincias dilatavit, ita pro vario tempore, quo vicaria præfectura* S. Remigio *commiſſa fuerit, hæc minùs magiſve latè extenſa potuit fuiſſe. Qui de hoc argumento plura volet, adeat laudatos Cointium & Thomaſſinum; epiſtolam verò ipſam in Vita edenda à num.* 96. *Pergamus nunc cetera* S. Remigii *geſta exponere. Dubitari nequit, quin ille ad reliquam Francorum*

C

gentem ab idolis ad Chriſtum adducendam gnaviter feliciterque incubuerit, quamvis particularia illius geſta ferè neſciamus, & de his ſileat Fortunatus.

S. Remigius ad reliquam gentem convertendam incumbit,

192 *In Præfatione Miſſæ Gallicanæ jam crebrò laudata apoſtolicum Viri robur occaſione converſi regis celebratur his verbis:* Iſte eſt, Domine, cujus lingua pro tui cauſa tacere nequivit juſtitiam, cùm in tua prædicatione nec regum purpuras metuit, nec cunctarum rerum egeſtatem tua verba ſeminando exhorruit. Probat hoc ille ferociſſimus princeps ab gentilitatis errore detentus, cùm ex ejus prædicatione ad divinum cultum converſus, relinquens idola, fit Chriſtianus perfectus. *Paulò plura, ſed confuſo tantùm modo tradidit Hincmarus, poſt narratam regis multorumque procerum baptiſmum ſic proſecutus in Vita num.* 66. Multi denique de Francorum exercitu, necdum ad fidem converſi, cum regis parente Raganario ultra Sumnam fluvium aliquandiu deguerunt, donec Chriſti gratia cooperante, glorioſis potitus victoriis, eundem Raganarium, flagitiis turpitudinum inſervientem, vinctum à Francis ſibi traditum rex Ludovicus occidit, & omnem Francorum populum per B. Remigium ad fidem converti & baptizari obtinuit. *De Raganario per Clodoveum victo occiſoque conſule S. Gregorium Turonenſem lib.* 2 *Hiſtoriæ cap.* 42, *ubi* Ragnacharius *appellatur, dicitur-*

D

que rex apud Cameracum, *quod vetus Galliæ civitas eſt in Belgica ſecunda, trans Sumnam, ſeu Somonam, Gallicè* la Somme, *flumen ſita.*

Clodoveo regnum ſuum dilatante,

193 *Erat autem Ragnacharius, eodem ſancto hiſtorico teſte,* tam effrenis in luxuria, ut vix vel in propinquis quidem parentibus indulgeret: *quapropter nil mirum eſt, ſi tam fœdæ libidinis princeps Chriſtianas leges reſpuerit, & obſtinatis in paganiſmo Francis refugio eſſet. Cointius eadem ejus anno Chriſti* 510 *contigiſſe arbitratus eſt, ſed non probavit, faciléque potuit illa paucis annis citiùs accidiſſe. Occiſus tunc etiam fuit Ragnacharii frater Richarius, eaque ratione Cameracum & Atrebatum civitates in poteſtatem Clodovei venerunt. Præmiſerat ibidem laudatus Turonenſis cap.* 40 *&* 41, *eumdem Clodoveum etiam Sigiberti Coloniæ regis, ſive hujus filii Chloderici regno, necnon Chararici (quem Malbrancus lib.* 2, *cap.* 38 *Morinorum regem nominat) ditionibus potitum eſſe; tandemque cap.* 42 *ſubdit:* Interfectiſque & aliis multis regibus vel parentibus ſuis primis, de quibus zelum habebat, ne ei regnum auferrent, regnum ſuum per totas Gallias dilatavit: *nam & Alaricum, ut ſuprà dictum eſt, Viſigothorum regem vicit occiditque, atque hinc dominatum ſuum ad Pireneos montes extendit.*

E

ipſumque multùm adjuvante,

194 *Porrò cum Francorum regno dilatabatur pariter ſancto Præſuli campus ad fidem ſeminandam, favente monarcha Chriſtiano probéque Catholico, cujus licèt ille ſingula geſta probare non poſſet, zelo tamen divini cultus augendi utebatur. Si Sigeberto Gemblacenſi credimus, laudatus rex apoſtolicos Viri labores etiam edicto promovit: ſic enim habet in Chronico ad annum* 499 *editionis Miræi:* Ludowicus rex . . . baptizatus à Remigio, epiſcopo Remorum, exemplo & edicto ſuo perducit ad fidem Chriſti populum Francorum. *Sed ſive edictum hoc Sigebertus ex antiquiori didicerit, ſive ex conjectura primus laudaverit, Clodoveus ab ipſo* Remigio *in epiſtola ad tres epiſcopos Heraclium, Leonem & Theodoſium, inferiùs recitanda dicitur fuiſſe* non ſolùm prædicator Catholicæ fidei, ſed defenſor. *Quod ad*

F

ipſum S. Remigium *attinet, Hincmari verba ſic interpretare, ut is dicatur, convertendo regem, converſioni totius gentis Francorum viam ſtraviſſe, ac partim conſiliis eidem regi ſuggeſtis, partim ſuâ, partim etiam aliorum apoſtolicorum virorum operâ, eamdem ſtrenuè proſperéque urſiſſe: neque enim res tanta brevi tempore perfici potuit; nec ut ipſe ſolus ſufficeret, magnitudo negotii, terrarumque ſpatia patiebantur.*

miraculis claret, idola deſtruit.

195 *Illum ad hæc miraculis uſum eſſe, tum ipſa ordinaria Dei providentia veriſimillimum facit, tum præter Fortunatum Hincmarumque in Vitis edendis, diſertè docet vetus auctor Collationis, vivente* Remigio, *à Catholicis epiſcopis cum Arianis habita Lugduni, qui breve illud quidem ſed planè illuſtre hac de re teſtimonium poſteris reliquit:* Ubique altaria deſtruebat idolorum, & veram fidem potenter cum multitudine ſignorum amplificabat. *In epiſtola quoque, quæ S. Hormiſdæ Romani Pontificis nomen malè præfert, ſed vel Anaſtaſii II vel S. Symmachi ex dictis eſſe poteſt, legitur:* Remigius *Clodoveum*, adminiculante ſuperna gratiâ, plurimis & Apoſtolorum tem-

A temporibus æquiparandis ſignorum miraculis prædicationem ſalutiferam comitantibus, cum gente integra *convertiſſe. Verùm hæc generaliter dicta præter magnam de Viro apoſtolico exiſtimationem non niſi majus deſiderium accendunt ſingularia ejuſdam facta, quorum notitia ad nos non pervenit, cognoſcendi.*

Arianum epiſcopum mutum reddens, convertit in ſynodo,

196 *Erat in Galliis & alia animarum peſtis, hæreſis Ariana, quam Viſigothorum ac Burgundionum vicini reges cum ſuis profitebantur. Hujus ſectæ doctores in ipſam etiam Francorum aulam intuliſſe pedem, patet ex Lanthechilde regis ſorore, quam illorum errores in fraterno baptiſmo abjurâſſe, vidimus ſuprà. Baptizato rege, & Catholicam de ſanctiſſima Trinitate fidem cum ipſo profeſſa Lanthechilde, haud dubiè nullus fuit Arianis in aula locus; at non propterea toto regno exceſſerant. Quæ tamen ſancto Præſuli ſeu antè ſeu pòſt cum illis fuerint certamina, veteres non tradiderunt, niſi unum, in quo arrogantem ejuſdem hæreſis aſſertorem in epiſcoporum ſynodo ſolâ ſuâ præſentiâ mutum feciſſe, ac mox pœnitentem, nutibuſque meliora pollicitum, reſtituta loquendi facultate, in gratiam admiſiſſe narratur. Rem pluribus refert Hincmarus in Vita num.* 101 *&* B *ſequenti, ex eoque Flodoardus lib.* 1, *cap.* 16, *legiturque etiam in Præfatione Miſſæ Gallicanæ jam ſæpe laudatæ, cujus verba in Annotatis ad præcitatum Vitæ locum recitabo.*

cujus locus & tempus planè obſcura ſunt,

197 *Hujus ſynodi, cujus nullâ aliunde habetur memoria, nulla alia exſtant acta, obſcura ſunt tempus, locus, congregandæ cauſa, & qui eidem interfuere, epiſcopi. Cardinalis Baronius tom.* 6 *Annalium illam ad annum Chriſti* 514 *repoſuit, putavitque, à* S. Remigio *poſt acceptam à Romano Pontifice in Francorum regno vicariam poteſtatem, Remos convocatam fuiſſe, ut Arianam hæreſim è regionibus, quas Gothi antè poſſederant, eliminandam curaret. Verùm hæc eruditiſſimi annaliſtæ opinio non ſatis veriſimilis eſt ex ejuſdem ſynodi adjunctis, qualia referuntur ab Hincmaro, quo vetuſtiorem pro illa ſcriptorem non habemus, niſi fortè antiquior ſit præmemorata Præfatio Miſſæ Gallicanæ. Hunc ergò narrationem ordientem audiamus.* Cùm epiſcopi demum (*inquit*) Galliæ ac Belgicæ provinciarum causâ fidei ad ſynodum convenerunt, B. Remigium, undecumque doctiſſimum & in Scripturis ſanctis eruditiſſimum, ac in eccleſiaſticis dogmatibus exercitatum, ad idem concilium venire petierunt. *Conſonat Flodoardus lib.* 1, *cap.* 16 *ſic pariter orſus:* Galliæ quondam præſules ad ſynodum fidei gratiâ convenientes, B. Remigium, utpote virum divinis eloquiis eruditiſſimum & doctrinis eccleſiaſticis exercitatiſſimum, ad idem concilium venire petierunt.

C

quia certò ex iis nequeunt ex Hincmaro,

198 *Non igitur* Remigius *hanc ſynodum convocaverat, ſed ab ejuſdem alibi, fortè etiam extra provinciam Remenſem congregatæ patribus ad eam fuit invitatus, non ob vicariatum Pontificium, ſed propter eximias dotes ſuas, quibus excellebat. Guilielmus le Begue apud Colvenerium in Scholiis ad Flodoardum iſta contigiſſe opinatus eſt in concilio Aurelianenſi I, quod anno* 511 *habitum creditur: quæ opinio etiam minùs veriſimilis fit ex eo, quòd inter epiſcopos Aurelianenſi ſubſcriptos* Remigius *non compareat, ut hic tunc temporis adverſa valetudine, aliave de cauſa nobis ignota, impeditus fuiſſe videatur, ne adeſſet; quódque tam Hincmarus, quàm Flodoardus Aurelianenſem ſynodum ab illa diſtinguant, dum Aurelianenſem (quamvis perperam) bello Gothico præmittunt, alteram verò primùm poſt mortem Clodovei memorant. Hac forſitan de cauſa Longuevallius tom.* 2 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ eamdem circa annum* 512, *cùm rex præcedenti anno obiiſſet; Cointius autem & Bailletus etiam quinquennio ſeriùs reponi poſſe exiſtimârunt.* AUCTORE C. S.

ex quo ea ſynodus innotuit.

199 *Nequit tamen inde ſatis probabiliter concludi, ſynodum illam laudati regis obitu poſteriorem eſſe; cùm Hincmarus in Præfatione ad Vitam num.* 8 *lectorem moneat, non potuiſſe ſe ſingula referre ordine, quo contigerunt, Flodoardus verò poſtquam cap.* 15 *regis mortem narraverat, caput* 16 *ſic inchoaverit:* Galliæ QUONDAM præſules ad ſynodum fidei gratiâ convenientes *&c; ubi per vocem* quondam, *quæ non minùs ad præcedentes, quàm ad ſubſecutos ejuſdem regis obitum annos referri poteſt, tempus utrimque divinandum reliquit. Revera Marlotus tom.* 1 *Metropolis Remenſis lib.* 2, *cap.* 8 *ab illis longè diſſentiens, credidit, hanc ſynodum non ſolùm ante mortem, verùm etiam ante baptiſma Clodovei celebratam fuiſſe; quia ipſi minimè credibile videbatur, poſt publicam ſempiternæ Trinitatis confeſſionem ab illo factam, poſtque ejuratam à Lanthechilde Arianam hæreſim, auſum fuiſſe quemquam in ejuſdem regis ditionibus eamdem publicè* E *tueri. Verùm hæc quoque ratio debilis eſt. Ponamus enim pauliſper, hanc ſynodum, Clodoveo jam mortuo, vel etiam eo vivo, congregatam fuiſſe, ut de Arianis, in ſubacto nuper Viſigothorum regno, alibive ſub Francorum imperio degentibus, ad Eccleſiam reducendis ageretur; quid tantopere mirandum eſſet, ſi unus ex ipſis repertus fuiſſet, qui ſuarum partium cauſam defendendam ſuſceperit, eique acceſſum permiſerint ſynodi patres, ut convinci publicè poſſet? Denique ne lectorem pluribus fruſtra detineam, nihil hactenus allegatum legi, ex quo figere liceat hujus ſynodi tempus, quod æquè ac locus ignotum videtur fuiſſe Hincmaro, qui illam fortè omnium primus memoravit.*

Videtur etiam auctor fuiſſe conventûs Lugdunenſis,

200 *Veriſimile eſt*, S. Remigium *etiam laborâſſe, ut eamdem hæreſim è vicinis quoque regionibus exterminaret. Ex ſuprà dictis dominabantur ad Rhodanum Ararimque Burgundiones Ariani, quorum rex Gundobadus, licèt & ipſe iiſdem erroribus irretitus, Catholicos præſules in regno ſuo patiebatur, nec à vera fide multùm erat alienus, quam etiam aliquando amplexus fuiſſet, niſi ſuæ gentis timor obſtitiſſet. Effecit ergò, quantùm apparet,* S. Remigius, *ut Catholici epiſcopi, qui ſedes ſuas apud illos habebant, à Gundobado licentiam peterent coram ipſo de fide cum Arianis publicè diſputandi. Illo annuente, habita eſt hujuſmodi diſputatio in urbe Lugdunenſi, cujus compendium primus vulgavit Dacherius in Spicilegio ſuo tom.* 5 *à pag.* 110 *primæ editionis, & ex eo Labbeus tom.* 4 *Conciliorum à col.* 1318, *utrobique ſub hoc titulo:* Collatio epiſcoporum, præſertim Aviti Viennenſis, coram Gundebaldo adversùs Arianos. *Sic autem incipit:* Providente Domino Eccleſiæ ſuæ, & inſpirante pro ſalute totius gentis cor domni Remigii, qui ubique altaria deſtruebat idolorum, & veram fidem potenter cum multitudine ſignorum amplificabat, factum eſt, ut epiſcopi plures, non contradicente rege, congregarentur, ſi fieri poſſet, ut Ariani, qui religionem Chriſtianam ſcindebant, ad unitatem poſſent reverti.

à Catholicis cum Arianis coram rege habiti,

201 *Hæc verba duplici ſenſu accipi poſſunt: primo ſic, ut ſolo* S. Remigii, *paganos Francos convertentis, exemplo excitati antiſtites converſionem*

AUCTORE C. S.

nem Burgundionum Arianorum tentâſſe dicantur ; quo modo iſta interpretatus eſt Fleuryus tom. 7 Hiſtoriæ eccleſiaſticæ pag. 110. *Secundo ſic, ut iidem epiſcopi, hortante vel ſuggerente* Remigio, *id fecerint ; prout eadem accepit Longuevallius in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tom.* 2, *pag.* 247, *cujus interpretatio mihi multò veriſimilior apparet. Etenim cùm Collationis ſcriptor dicat,* Domino... inſpirante pro ſalute totius gentis cor domni Remigii, . . . factum *eſſe*, ut epiſcopi plures, non contradicente rege, congregarentur &c, *quorſum per* totam gentem *ſolos Francos Franciſque ſubditos deſignari credamus ; non item Burgundiones, pro quorum ſalute iſte Lugdunenſis conventus*, Domino inſpirante cor domni Remigii, *habitus dicitur ; curve* S. Remigium *non niſi ſolo exemplo zeli ſui, ac velut inſcium, eam rem procurâſſe putemus, ad quam illum divinitus excitatum fuiſſe, Collationis ſcriptor aſſeruit ? Mihi quidem videtur hic præclara iſta* Remigii *inter Francos geſta unicè memorâſſe, ut doceret, quantus Vir eſſet, cujus operâ conventus iſte Lugdunenſis habitus fuit.*

B *in quo multi Ariani converſi fuêre, circa annum 499.*

202 *Non eſt hujus loci, quæ in eodem geſta fuerunt, exponere, cùm potiſſimùm ſpectent ad S. Avitum Viennenſem epiſcopum, qui primas in eo partes habuit ; ſolùm addo, eum fuiſſe geminæ congreſſionis eventum, ut Arianis ad Catholicorum argumenta primò tacentibus, deinde inſanè vociferantibus, Gundobadus rex veritatem agnoverit quidem, ſed non amplexus ſit ; multi tamen alii ex Arianis eamdem agnitam ſint ſecuti. Nam, ut ibidem in calce legitur,* ex ea die plurimi Ariani ad pœnitentiam venerunt, & poſt aliquot dies baptiſati fuerunt : & magnificavit Dominus fidem noſtram per interceſſionem domni Juſti in conſpectu omnium. *Juſtus, de quo hîc, eſt ſanctus epiſcopus Lugdunenſis, cujus corpus in eadem civitate tunc ſervabatur, Actaque illuſtrata apud nos habes ad diem* 2 *Septembris. Niſi pro* baptiſati *legendum ſit* chriſmati, *peculiaris debuit fuiſſe pro Arianis iſtis baptizandis ratio, cùm ex dictis* § 7 *Ariani ſolerent per unctionem chriſmatis manuumque impoſitionem in Eccleſiam admitti. Ceterùm creduntur hæc contigiſſe circa annum* 499, *quo tempore Clodoveus Burgundicum bellum meditabatur ; quia Gundobadus epiſcopis Catholicum dogma commendantibus ibidem legitur reſpondiſſe :* Si veſtra fides eſt vera, quare epiſcopi veſtri non impediunt regem Francorum, qui mihi bellum indixit ? . . . Nam non eſt fides, ubi eſt appetentia alieni *&c.*

C

Ejuſdem conſiliis etiam adſcribitur ſynodus Aurelianenſis

203 *Ejuſdem ſancti Archipræſulis Remenſis, ſollicitudini etiam celebrationem concilii Aurelianenſis primi adſcribunt Hincmarus & Flodoardus ; ſed ambo tempore alieno. Prior in Vita edenda num.* 92 *de Clodoveo, velut tunc in procinctu ad bellum Gothicum ſtante, ait :* Tunc . . . per conſilium B. Remigii in Aurelianis civitate epiſcoporum ſinodum convocavit, in quo conventu multa utilia conſtituta fuêre. *Alter etiam clariùs loquitur lib.* 1, *cap.* 15, Synodo, *inquiens*, per ſancti patroni ſui Remigii conſilium in urbe Aurelianenſi habita, pergens contra regem Alaricum Arianum, & accipiens à B. Remigio benedictionem, redditur de victoriæ perceptione ſecurus. *Geſtum hoc bellum eſt anno* 507, *quo propterea, ut ſeriùs, ex utriuſque ſententia celebratum etiam fuiſſet concilium Aurelianenſe ; quæ opinio etiam Baronio placuit. Verùm alii illud meliùs uſque in annum* 511 *differunt, maximè poſtquam Sirmondus tom.* 1 *Conciliorum Galliæ ejuſdem Acta vulgavit ex variis codicibus, in quibus conſulatus Felicis, qui ad hunc annum ſpectat, adſcriptus legebatur, eaque nunc receptiſſima ſententia eſt.*

D

anno 511, *jubente Clodoveo, celebrata,*

204 *Convocatum fuiſſe, jubente Clodoveo, liquet tum ex Præfatione Actis præfixa, tum ex epiſtola patrum congregatorum, ad eumdem regem data, quæ tomo citato pag.* 177 *ſic habet :* Domino ſuo, Catholicæ Eccleſiæ filio, Chlothovecho glorioſiſſimo regi, omnes ſacerdotes, quos ad concilium venire juſſiſtis. Quia tanta ad religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, ut ſacerdotalis mentis affectu ſacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in unum colligi jufferitis, ſecundùm voluntatis veſtræ conſultationem & titulos, quos dediſtis, ea, quæ nobis viſum eſt, definitione reſpondimus, ita ut, ſi ea, quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe judicio comprobantur, tanti conſenſus regis ac domini majori auctoritate ſervandam tantorum firmet ſententiam ſacerdotum. *Canones, qui triginta & duo in hoc concilio conditi fuêre, ibi legi poſſunt ; hîc ſuffecerit annotâſſe, decimum agere* de hæreticis clericis, qui ad fidem Catholicam plena fide ac voluntate venerint ; vel de baſilicis, quas in perverſitate ſua Gothi hactenus habuerunt : *ex quibus manifeſtum fit, eamdem ſynodum, non ante, ſed poſt bellum Gothicum, celebratam eſſe. Id ipſum etiam probant ſubſcriptiones epiſcoporum, qui Alarico antè fuerant ſubjecti.*

E

cui tamen Sanctus non videtur interfuiſſe.

205 *At miror, inter antiſtites, numero triginta & tres ſubſcriptos* Remigii *nomen non haberi ; ex quo ſuſpicari licet, ipſum tunc ex corporis infirmitate aliave gravi de cauſa non potuiſſe adeſſe, adeoque nec aliam fortè in eadem ſynodo partem habuiſſe, quàm quòd Clodoveo auctor fuerit illam convocandi, eidemque ſuggeſſerit rerum capita, de quibus tractandum à patribus erat, atque hæc jam ſancita &, ut vidimus ad regem miſſa, ſuo calculo approbaverit, effeceritque, ut etiam ex conſenſu regio rata haberentur : erant enim in his quædam pro immunitate eccleſiaſtica, quæ ſine illo conſenſu non poterant exſecutioni mandari. Non diu poſt hæc vixit Clodoveus, ex communiori ſententia mortuus die* XXVII *Novembris anni* 511, *cujus menſe Julio, die* X *prædicta ſynodus habita fuerat.*

F

§ XII. Epiſcopatus Laudunenſis à S. Remigio erectus & fundatus : aliæ in Belgio ſedes, datis epiſcopis, reſtitutæ.

Cum propriæ diœceſis ſuæ diminutione

Altera ſancti Metropolitani cura erat in civitatibus ſedi ſuæ ſubjectis dignos præſules in defunctorum locum ſufficere, vel etiam novas ſedes erigere. Remenſis metropolis antiquitus habuerat habebatque tunc in provincia ſua civitates epiſcopales undecim, teſte Hincmaro in Epiſtola ſeu Opuſculo 44, *cap.* 19 *tom.* 2 *Operum illius per Sirmondum, ubi illas ſic enumeravit* : Sueſſionum, Catalaunorum, Veromandorum, Atrebatum, Cameracenſium, Tornacenſium, Silvanectum, Belgivagorum, Ambianenſium, Morinum, id eſt, Ponticum, Bononienſium. *De numero vocabuliſque civitatum conſtat ; non item an ea omnes ſuas quæque ſedes epiſcopales ante*

Re-

A Remigii *tempora habuerint ; at certè non habuere ſub eodem* S. Remigio *ſingulæ ſingulos epiſcopos , ut idem Hincmarus in Vita danda num. 96 nimis liberaliter aſſeruit. Antiquis novam* Remigius *adjecit , Laudunenſem ſcilicet , quam cum propriæ ſuæ diœceſis diminutione erexit , dotavitque poſſeſſionibus à rege Clodoveo Francorumque primoribus ſibi dono datis ; gaudens ferens iſtud diſpendium , dum gregi ſuo prodeſſet , probaretque neophytis , ſeſe non eorum opum , ſed ſalutis cupidum eſſe ; ut docet Hincmarus in Vita num. 66 & ſequenti.*

erigit epiſcopatum Laudunenſem ,

207 *Conſonat de more Flodoardus lib. 1 , cap. 14 ſic ſcribens :* Rex igitur , Francorumque potentes plurimas B. Remigio poſſeſſiones per diverſas contulêre provincias ; ex quibus tam Remenſem , quàm reliquas nonnullas dotavit * *al.* ditavit ecclesias. Non modicam necnon earumdem partem rerum eccleſiæ S. Mariæ Laudunenſis Clavati , Remenſis parochiæ caſtri , ubi nutritus fuerat , tradidit ; ibique Genebaudum , carne nobilem virum , tamque ſacris , quàm ſæcularibus literis eruditum , qui , relicta conjuge , S. Remigii (ut traditur) nepte , religioſam ſubierat vitam , ordinavit epiſcopum , comitatûſque Laudunenſis eidem caſtro ſubjecit parochiam. *Eadem ferè de hujus epiſcopatus erectione Hincmarus tradidit in Opuſculis ſuis , ac nominatim in Epiſtola 16 ad Hincmarum Laudunenſem , ita ipſum alloquens :* Vide , frater , ut certa ſit provincia metropoli Remorum antiquitus ſubjecta ; quæ metropolis undecim civitates ſub ſe habuit , etiam antequam B. Remigius auctoritate Africani concilii ordinaret epiſcopum in caſtello , in quo & tu metropolis tuæ ſuffragator es ordinatus.

B

dotatque bonis à rege & proceribus

208 *Rurſum poſt aliqua ſic proſequitur :* Sed & per plures annos tempore ejuſdem B. Remigii , qui , ut veraces noſtratium Hiſtoriæ monſtrant , LXXIV , & eo amplius , annos in epiſcopatu degens , & multis virtutibus clarus , jam in ſenecta ſua ibidem ordinavit epiſcopum , & rebus eccleſiaſticis (quoniam ſecundùm ſacras regulas , quicquid rerum & mancipiorum in ordine epiſcopatûs adquirit epiſcopus , ſicut & illæ , quæ antè fuerunt eccleſiæ , habentur eccleſiaſticæ) idem epiſcopium ſufficienter dotavit. *Mitto plura , quia res certa eſt , & ab ipſis Laudunenſibus agnita ; tantúmque pauca ad Hincmari dicta obſervabo. Juniori Hincmaro , quocum graves habebat ſimultates , humilitatem ſedis ſuæ Laudunenſis invidiosè oggerit , velut duodecim ſedium , metropoli Remenſi ſubjectarum , noviſſimæ , & in Remenſis diœceſis caſtello erectæ , atque ex ejuſdem eccleſiæ bonis fundatæ ; quod ne* S. Remigius *contra canones feciſſe videretur , monet id ab eo factum eſſe* auctoritate Africani concilii.

C

ſibi donatis , ſub finem ſeculi quinti

209 *Hoc nomine indicâſſe videtur concilium Africanum dictum II , in cujus capitulo 5 , apud Labbeum tom. 2 , col. 1160 ſine mentione civitatum aut caſtellorum ſtatutum eſt* , ut diœceſes , quæ numquam epiſcopos acceperunt , non habeant ; & illa diœceſis , quæ aliquando habuit , habeat proprium. Et ſi accedente tempore crescente fide , Dei populus multiplicatus deſideraverit proprium habere rectorem , ejus videlicet voluntate , in cujus poteſtate eſt diœceſis conſtituta , habeat epiſcopum. *Hic ipſe eſt caſus , de quo agimus : nam & Dei populus per Francorum acceſſionem ad Chriſtum vehementer ibi multiplicatus fuerat , & Laudunum erat diœceſis Remenſis , in poteſtate* S. Remigii , *conſtitutæ. Fortè hic etiam vicaria ſua poteſtate uſus eſt , ſi jam tum accepiſſet à Romano Pontifice. Alterum Obſervandum ad tempus pertinet ; nempe epiſcopatum Laudunenſem , Hincmaro teſte , erectum fuiſſe à* Remigio in ſenecta ſua , *poſtquam jam* per plures annos *Remenſem metropolim rexerat ; quod congruum Vitæ eſt , in qua ea res poſt Clodovei baptiſmum , anno , ut dixi , 496 collatum , reponitur , atque ex ejuſdem regis Francorumque neophytorum donationibus facta dicitur.*

AUCTORE C. S.

vel inchoato ſexto ; in eoque primum epiſcopum creavit

210 *Sigebertus Gemblacenſis in Chronico eamdem ad annum 500 , Cointius ad 497 recenſuerunt ; non alia , opinor , de cauſa , quàm quòd hic baptiſma regis anno 496 , ille anno 499 illigâſſet , atque ambo crederent , eamdem mox à baptiſmo illius contigiſſe. Non multùm ab hiſce diſſentit Longuevallius , qui ejuſdem epiſcopatûs fundationem ad annum 499 memorat. Obſervat tamen hic , civitates Bononienſem & Atrebatenſem ab Hincmaro dici epiſcopos habuiſſe ante Laudunum , atque hinc credi poſſe , vel SS. Antimundum Vedaſtumque non fuiſſe primos duarum iſtarum ſedium epiſcopos , vel Laudunenſem pluribus annis ſeriùs à* S. Remigio *conſtitutam fuiſſe ; obſervat , inquam , id credi poſſe , niſi hoc in loco ſuſpectus eſſet Hincmarus , ſcribens adversùs Hincmarum Laudunenſem , ſuum ex ſorore nepotem , quocum litigabat , & cujus propterea ſedem , quantùm potuit , deprimere conatus eſt. De Antimundo ſanctoque Vedaſto mox agam ; & quia Hincmaro certa fides hîc haberi nequit , cum laudatis ſcriptoribus exiſtimo , Laudunenſis epiſcopatûs exordium non admodùm diu poſt Clodovei baptiſma ſtatui poſſe ; nec tamen video , cur non etiam paucis annis ſeriùs , & ſeculo* VI *jam inchoato reponi queat.*

E

S. Genebaudum : Atrebatenſibus epiſcopum dat S. Vedaſtum ,

211 *Genebaudi , quem in ea ſede* S. Remigius *primum epiſcopum conſtituit , deploraudus cum uxore quondam ſua lapſus ſanctum Senem haud dubiè vehementer contriſtavit , maximè propter offendiculum , quod in gente nuper converſa ea res creare poterat ; ſed & plurimùm conſolata eſt ejuſdem ſevera per ſeptennium obita pœnitentia , ſanctitaſque , ob quam in ſedem ſuam reſtitui meruit , coliturque die* V *Septembris , ad quam Acta ejus apud nos data ſunt , ex* S. Remigii *Vita per Hincmarum , quam excudam. Porrò inter civitates Remenſi metropoli ſuffraganeas numeratum ſuprà vidimus Atrebatum , pervetuſtam Belgicæ ſecundæ civitatem in hodierno comitatu Arteſiæ , cujus caput eſt. Eidem metropoli ſubjectum manſit uſque ad annum 1559 , quo Paulus IV ſummus Pontifex illius ſedem Cameracenſi eccleſiæ ad archiepiſcopalem dignitatem evectæ ſuffraganeam dedit. Primum , quem quidem certò nôrunt , epiſcopum ſuum Atrebatenſes , S. Vedaſtum à* Remigio *ſibi datum agnoſcunt ; qua de re cùm nihil in Vita habeat Hincmarus , quædam hîc dicenda ſunt.*

F

quem à Clodoveo rege ſibi commendatum apud ſe tenuerat ,

212 *In hujus Commentarii § 6 ex ejuſdem S. Vedaſti Vitis , breviori ſcilicet , alteraque longiori ab Alcuino emendata , narravi , hunc Sanctum , tunc nondum epiſcopum , à rege Clodoveo , dum ab Alemannis victor rediens Tullum tranſiret , catechiſtam adſcitum fuiſſe , ejuſdemque baptiſmo Remis adſtitiſſe. Quid deinde illo factum fuerit , auctor Vitæ brevioris ita pergit exponere :* Inde progreſſus (*Clodoveus poſt ſacrum lavacrum*) victor ad patriam rediens , jam dictum Vedaſtum B. Remigio commendavit. *Subdit idem auctor , ipſum apud* S. Remigium *manſiſſe , eoque tempore miraculo illuſtratum & à multis ſanctitatis doctrinæque causâ conventum fuiſſe.* Cúmque jam celeberrimâ famâ in præfata urbe Remo-

AUCTORE C. S.

rum esset, & B. Remigius eum venerationis cultu attollere niteretur, fuit tandem consilii, ut Atrebatum urbis eum pontificem faceret, qui Francorum gentem paulatim docendo ac de industria monendo, attrahere curaret. Suscepto itaque pontificalis cathedræ onere, ad urbem Atrebatum venit. *Eadem Alcuinus paulò prolixiùs exposuit in Vita longiori, quam cum breviori illa in Opere nostro editam habes ad diem* VI *Februarii, quo S. Vedastus colitur.*

& episcopatum illius datat.

213 *De anno ordinationis S. Vedasti variæ sunt opiniones, quarum aliquæ illam, certè æquo seriùs, post Clodovei obitum referunt; aliæ uno alterove anno post ejusdem regis baptismum. Sed Henschenius propter ea, quæ de S. Vedasti apud* Remigium *mora gestisque leguntur, credere maluit, ipsum anno ferè sexto post ablutum sacro fonte Clodoveum episcopatu initiatum fuisse; quod in chronologia, quam sequor, in annum* 502 *recideret. Quo in statu rem Christianam tunc repererit Atrebati, inde conjici potest, quòd in prælaudatis Vitis dicatur invenisse ecclesiam, in qua sacra faceret, ab Attila medio seculo* V *vastatam, tumque inter paganos incolas fœdo squalore vepribusque obsitam. Verisimillimum est,* S. Remigium,

B

à quo ordinatus & huc missus fuerat, è suis, quas à Francis acceperat, opibus ipsi succurrisse tum ad loca sacra excitanda tum ad fundandum episcopatum. Hoc certè innuit Urbanus II Papa, dum circa finem seculi XI *Atrebatensi civitati (quæ, ut loquitur laudatus Pontifex,* per B. Remigium episcopum Vedastum obtinuit) *restituens proprium episcopum, confirmavit,* quicquid . . . prædictæ ecclesiæ B. Remigius contulit. *Litteras Pontificias vide in Spicilegio Dacherii tom.* 3, *pag.* 123.

Eidem Sancto etiam ecclesiam Cameracensem commisit,

214 *Cameracenses quoque in Belgio, quorum civitas Cameracum, vulgò* Cambrai *ad Scaldim fluvium sita, Remensem metropolim agnovit, donec ipsamet à Paulo IV, ut dixi, archiepiscopalis facta est, nullum sedis suæ episcopum ex certis testimoniis producere possunt ante eumdem S. Vedastum, quem à* S. Remigio *Remensi similiter acceptum grati referunt. Hæc tamen non sic intelligenda sunt, quasi Vedastus ab Atrebatensi sede ad Cameracensem aliquando translatus fuerit, sed quòd ille Atrebati suam sedem habens, Cameracensibus quoque prædicaverit, ceteraque curas episcopales impenderit, atque eorumdem ecclesiam simul cum Atrebatensi episcopus gubernârit. Consule, si lubet, Galliam Christianam auctam in utriusque sedis episcopis. Non tamen nisi aliquot annis post susceptum episcopatum Atrebatensem S. Vedastus Cameraci prædicavit, saltem publicè: non enim permissurus fuisset Ragnacharius, homo paganus ethnicorumque Francorum fautor & effrenis libidinis princeps, qui in ea urbe regnavit, donec anno* 510, *ut censuit Cointius, aut fortè paulò citiùs, à Clodoveo rege victus & occisus fuit, quemadmodùm ex S. Gregorio Turonensi* § *præcedenti dictum est.*

C

quam ille simul cum Atrebatensi rexit post necem Ragnacharii.

215 *Occiso autem Ragnacharo & Cameracensibus in potestatem Clodovei redactis, liberrima fuit Vedasto apud eos prædicandi facultas; & (quod Hincmarus asserit) Clodoveus rex Christianus* omnem, *id est, partim reliquum,* Francorum populum per B. Remigium, *missosque ab eo apostolicos viros* ad fidem converti & baptizari obtinuit. *Hoc sensu, at non alio, Baldericus in Chronico Cameracensi & Atrebatensi lib.* 1, *cap.* 4 Remigium *utriusque civitatis apostolum agnoscit;* Numquam enim, *inquiens,* S. Remigium in nostris partibus verbum Dei populo prædicâsse audivimus; sed ab illo & à rege noviter baptizato huic nostræ urbi (*Cameracensi*) ad convertendam gentem directum B. Vedastum cognovimus; quare illum negocii auctorem credimus. *Denique Henschenius noster in Commentario prævio ad Vitas S. Vedasti die* VI *Februarii* § 2 *pariter admittit, potuisse tunc ecclesiam Cameracensem à* S. Remigio *eidem commendari; sed simul observat, utriusque Sancti ævo viciniores auctores hac de re silere.* D

A S. Remigio etiam ordinati creduntur S. Eleutherius Tornacensis, & S. Medardus

216 *Remensi metropoli suffraganea etiam fuit civitas Tornacensis, in Belgio ad Scaldim pariter sita, nunc ab anno* 1559 *novo Cameracensi archiepiscopatui subjecta. Hujus tres primi episcopi, quorum memoria exstat, Theodorus, S. Eleutherius, sanctusque Medardus (nam S. Piato Tornacensium apostolus quidem fuit, & presbyter, sed non episcopus) eodem, quo apud Remenses* S. Remigius, *tempore floruêre, ab eoque ex nonnullorum opinione ordinati creduntur. De Theodoro obscura exstat memoria, nec eadem de ejus mortis causa variorum opinio est. Clariora sunt S. Eleutherii gesta & Commentario prævio ad diem* XX *Februarii illustrata ab Henschenio, qui ibidem in Annotatis ad Vitæ* 1 *caput* 1, *lit.* n *observavit, Buzelinum sine veterum testimonio scribere, ipsum à* S. Remigio *consecratum episcopum fuisse. Favet tamen ipsi utriusque vitæ tempus & ratio à metropolitico jure petita. S. Medardus fuit primò episcopus Veromanduensis, deinde translata sede sua Noviomensis, ac denique etiam simul S. Eleutherii in Tornacensem episcopatum successor, prout pluribus videri potest in Opere nostro ad diem* VIII *Junii, ubi ejusdem S. Medardi gesta illustravit Papebrochius.* E

Veromanduensis, dein Noviomensis, ac tandem simul Tornacensis episcopus,

217 *Ibidem pag.* 90 *in Annotatis ad lit.* b *ex tertia quadam Vita, ceteris recentiori,* hujus consecrationis (*pro sede Veromanduensi*) *legitur* caput extitisse S. Remigius, Remorum archiepiscopus, qui B. Medardum sanctificationis perungens oleo, super gregem Christi pastorem instituit, cooperante Spiritu sancto. *Consecrationem hanc Papebrochius circa annum* 530 *fixit, consentitque Cointius. De assumpto insuper regimine ecclesiæ Tornacensis anonymus, quem ipse seculo* XI *exeunte vel inchoato* XII *scripsisse credidit, in Vita altera pag.* 90, *num.* 18 & 19 *hæc ait:* Pontificali demum, metropolitani scilicet & comprovincialium suorum evictus auctoritate, regisque ac procerum assensu . . . vix concessit (*S. Medardus*) & unanimi, pontificali videlicet ac regali auctoritate duas illas ecclesiam unam fecit; utrumque ovile (*Noviomense ac Tornacense*) pastor egregius . . . tempore Hormisdæ Papæ, sub sanctissimo Remigio Remorum archiepiscopo . . . tandem suscepit, & ut utrique ecclesiæ cathedralis semper honor maneret, benignè concessit. *Ita quidem anonymus ille, sed quem errore chronologico laborare, Papebrochius hic, & Henschenius in S. Eleutherio* § 2 *annotârunt.* F

uti & S. Alpinus Catalaunorum; sed Antimundus & Athalberus

218 *Illorum ratio est, quòd S. Eleutherii obitum anno* 531, Remigii *autem anno* 530 *illigarent, constaretque, S. Hormisdam jam inde ab anno* 523 *vivere desiisse; ut propterea, Medardus à* S. Remigio *in demortui Eleutherii sedem suffici nequierit; multò minùs eamdem sedem tempore Pontificatûs Hormisdæ administrare. De Hormisda id certum est; secùs de* Remigio, *quem usque in annum* 532 *vivere potuisse, dixi* § 4. *Nolim tamen pro vita* S. Remigii *usque ad hunc annum extendenda argumentum sumere ex ista S. Me-*

A *Medardi Vita, cujus auctor eodem loco tam manifeſtum errorem in S. Hormiſda nominando commiſit. Major ſtat probabilitas pro S. Alpini, Catalaunorum in provincia Remenſi epiſcopi, ordinatione* S. Remigio *adſcribenda, qua de re conſuli poteſt Commentarius prævius ad ejuſdem Sancti Vitam in Opere noſtro datam die* VII *Septembris. Sat antiquo etiam teſtimonio caret, quod de epiſcopatu Morinorum per* S. Remigium *inſtituto, & per Antimundum vel Aumundum, deinde per Athalbertum ab eodem ſancto Archipræſule ordinatos geſto, nonnulli poſt Matthæum Deſprets & Malbrancum tradiderunt.*

probabiliùs non fuêre epiſcopi Morinorum,

219 *Jam examinata hæc quæſtio eſt ad diem* IX *Septembris in S. Audomaro* § 3, *ibidemque oſtenſum, parùm veriſimilem eſſe iſtum Antimundi Athalbertique epiſcopatum, ſique illi in Morinorum converſione laboraverint, probabiliùs tamen non fuiſſe epiſcopos. Et verò, ut rationes ibidem allegatæ epiſcopatum illorum parùm probabilem relinquunt, ita aliunde ſatis veriſimile fit, vel utrumque vel eorum alterum à* S. Remigio *miſſum fuiſſe, ut Morinis prædicaret. Chararicum, qui Morinorum rex fuiſſe creditur, etiam S. Gregorius Turonenſis lib.* 2 *Hiſtoriæ cap.* 41 *regem facit, & ſaltem ſub finem vitæ ſuæ Chriſtianum fuiſſe ſignificat, dum ibidem ſcribit:* Contra eum indignans Chlodovechus abiit, quem circumventum dolis cepit cum filio, vinctoſque totondit: & Chararicum quidem presbyterum, filium verò ejus diaconem ordinari jubet. *Tum narrat, eumdem filium patri ſuo ſpem feciſſe de regno recuperando, ſubditque:* At ille (*Clodoveus, hoc audito*) juſſit eos pariter capite plecti. Quibus mortuis, regnum eorum cum theſauris & populo adquiſivit. *Fredegarius in Epitome cap.* 27 *Chararicum &* regem *&* parentem *Clodovei appellavit.*

B

à Remigio tamen mitti potuerunt, ut iiſdem prædicarent.

220 *His poſitis, mihi valdè veriſimile apparet, Chararicum, poſtquam parentem ſuum Clodoveum regem Chriſtiana ſacra amplexum eſſe vidit, catechiſtam ab illo petiiſſe, & à* S. Remigio *miſſum fuiſſe Antimundum presbyterum, qui tum temporis ſolitariam vitam in territorio civitatis Remenſis egiſſe dicitur. Huic ſocius dari aut poſtea addi vel ſuffici potuit Athalbertus, ſolo pariter presbyteratu initiatus. Fortè etiam ambo à* Remigio *primùm miſſi fuêre, poſtquam Clodoveus Morinos in ſuam redegerat poteſtatem: ut tamen ſaltem alterutrius miſſio, regnante Chararico, potiùs contigiſſe videatur, favet, quod de ſuſcepta ab eodem rege Chriſtiana fide ex S. Gregorio Turonenſi mox obſervavi. Porrò ex hac opera Morinis impenſa potuerunt ambo aliquot ſeculis pòſt, cùm jam perobſcura exſtaret utriuſque memoria, Morinorum epiſcopi credi cœpiſſe. Saltem hoc pacto ſtantibus argumentis, quæ adversùs illorum epiſcopatum militant, datur probabilis ratio, unde iſta opinio apud Morinos naſci potuerit.*

C

Ab eodem etiam ordinatus non eſt S. Agricolaus Trajectenſis.

221 *Ægidius Aureæ vallis monachus in additamentis ad Harigerum de Geſtis pontificum Tungrenſium & Trajectenſium cap.* 30 *ſanctum quoque Agricolaum à* S. Remigio *aliiſque præſulibus in concilio I Aurelianenſi epiſcopum Trajectenſibus poſt diuturnam ſedis Tungrenſis vacationem datum eſſe affirmat his verbis:* Eo, inquam, tempore, à prædicto Beato ſcilicet Remigio & rege Clodoveo & ceteris Galliarum epiſcopis & magnatibus celebrata eſt prima ſynodus Aurelianis de reſtauratione regni & eccleſiarum. Ibi omnis clerus & religio monachorum dolebat de ſubverſione Tungris urbis, nec nomen epiſcopale ibi quiſquam ſubire præſumebat, ex quo Servatius inde pulſus receſſerat. Convenit ergò digniori eccleſiarum gradui; & vir vitæ venerabilis Agricolaus, agrum Dominicum exculturus eligitur, conſecratur præſul, juxta magnanimum Servatium ſedem in Trajecto habere dirigitur *&c. Verùm hæ nugæ ſunt Ægidii, quas Bollandus noſter ad diem* V *Februarii in S. Agricolao ſolidè refutavit, probans Sanctum hunc initio ſeculi* V, *id eſt, antequam natus eſſet* S. Remigius, *obiiſſe, ſanctumque Falconem, qui ab eodem Agricolao octavus Trajectenſis epiſcopus fuit, ſub Clodoveo jam tum Chriſtiano ſediſſe; quod ex infrà dicendis de ſimultate inter eumdem Falconem &* Remigium *orta manifeſtum fiet.*

AUCTORE C. S.

Fortè ex ejuſdem conſilio Aquilinus in Colonienſi ſede conſtitutus.

222 *Incertum quoque eſt, quod de Aquilino ex ejuſdem* S. Remigii *conſilio in vacantem ſedem Colonienſem conſtituto Cointius ad annum* 509, *num.* 2 *affirmavit his verbis:* Colonia autem, quæ ab obitu S. Evergiſli longo laboraverat interpontificio, ſtatim ac in poteſtatem Clodovei venit, Aquilinum, vel, ut Democharis ex Irenico ſcribit, Solinum accepit epiſcopum; ex conſilio enim B. Remigii rex piiſſimus nihil omittebat, ut extructis eccleſiis, miſſiſque pontificibus, damna repararet, quæ pridem hæreſes & idolorum cultus in Gallias invexerant. *Ita quidem ille affirmatè; verùm cùm nullum veterum teſtimonium producat, multùm dubito, an alio argumento hîc fultus fuerit, quàm quòd veriſimile ſit, Clodoveum regno Colonienſi per Sigiberti ejuſdemque filii Chloderici necem potitum, monente* S. Remigio, *vacanti ſedi Colonienſi epiſcopum dari curâſſe; At de tempore ſedis Aquilini non conveniunt alii. Sammarthani fratres illum circa annum* 455 *ſediſſe crediderunt, quem & Dionyſius Sammarthanus in ſua Gallia Chriſtiana ſecutus eſſe videtur tom.* 3, *col.* 624, *ubi etiam ejuſdem ſucceſſorem Simoneum reponit circa annum* 500, *deinde Domitianum, quem anno* 535 *concilio Arvernenſi ſubſcripſiſſe obſervat.*

E

§ XIII. S. Remigius S. Falconem, Trajectenſem epiſcopum, Remenſis eccleſiæ jura lædentem, acri epiſtola coërcet: geſta ſua in cauſa Claudii presbyteri adverſus tres Galliæ epiſcopos defendit.

F

Cùm S. Falco epiſcopus Trajectenſis

Sic ſe habent res humanæ, ut etiam inter viros ſanctos miteſque ac injuriarum cetera patientiſſimos nonnumquam ſimultates exſurgant, maximè cùm de eccleſiarum, quarum curam ſuſceperunt, juribus defendendis, vel de eccleſiaſtica diſciplina mitiùs ſeveriúſque adminiſtranda res agitur. Hoc in S. Remigio *quoque accidiſſe intelligimus ex duabus illius epiſtolis, quæ ad noſtra tempora pervenerunt. Prima ei ſimultas fuit cum S. Falcone, epiſcopo Tungrenſi ſeu Trajectenſi ad Moſam in Belgio, cujus parùm nota geſta Bollandus paucis memoravit ad diem* XX *Februarii, quæ unà cum S. Eucherio, deceſſore ſuo, &, ut creditur, germano fratre, colitur. Epiſcopatûs Falconis initium circa annum* 495, *mortem circa* 512 *reponenda videri, laudatus Bollandus ibidem indicavit, dictamque controverſiam num.* 6 *ſic rectè*

AUCTORE C. S.

rectè expoſuit : Quod ad geſta S. Falconis attinet, nihil quoque reperimus, præterquam S. Remigii ad eum epiſtolam, quâ eum acriter ſanè arguit, quòd in Moſomagenſi eccleſia juriſdictionem ſibi adversùs Remenſis eccleſiæ jura uſurpâſſet.

in eccleſia Moſomenſi, quæ ad Remenſem ſpectabat,

224 Diximus IX Februarii ad Vitam S. Victoris martyris, ſitum eſſe Moſomagum, ſive Moſomum, ad Moſam amnem, inque Remenſi diœceſi; ſed ad Trevirenſis Leodienſiſque confinia. Ibi S. Falco initio aditi epiſcopatus, dum vicina ſui epiſcopatus loca luſtrat (ignarus fortaſſis, ad ſe locum non pertinere, aut ratus, in magna populorum neceſſitate, qualis & alibi in Belgio turbulentis Francicæ dominationis initiis, licere in alieno etiam ſementem facere, quæ in communis Domini emolumenta cederet) presbyteros alioſque Eccleſiæ miniſtros ordinârat; qua de re ita expoſtulat S. Remigius. *Cùm ex hac* Remigii *epiſtola tantùm quædam excerpta dederit Bollandus, eam hîc ex tom.* 1 *Conciliorum Galliæ per Sirmondum pag.* 205 *& ſequenti integram recudo.*

B

Domino verè ſancto, & in Chriſto beatiſſimo fratri Falconi, epiſcopo, Remigius epiſcopus. Quantùm comperi, rebus geſtis probavi, priùs curæ beatitudini tuæ fuit, ut mihi inferres injuriam, quàm ſalutationem deferres. O conveniens principium, quod dediſti, ut læderes epiſcopus antè me, quàm epiſcopum te viderem.

omnia, vetat ſua eſſet, ordinâſſet, S. Remigius illum per epiſtolam

225 Nimiùm citò pennis tenerulis evolâſti, levitate animi, non maturitatis conſilio. In ipſo ſiquidem epiſcopatûs exordio jus ingredi tentas alienum, qui adhuc tuum verecundè debueras introire. Fas ergò fuit, ut illicitis ordinationibus tuis à te crediderîs occupandam loci Moſomagenſis eccleſiam, quam metropolitani urbis Rhemorum ſub ope Chriſti ſua ſemper ordinatione rexerunt? Adhuc, arbitror, tua neſcis, & jam aliena pervadis. In quam igitur cùm Levitas feceris, presbyteros conſecrâris, archidiaconos inſtitueris, primicerium ſcholæ clariſſimæ militiæque lectorum; non queror, quòd me conſilio inter iſta non videris; utinam te vidiſſes! Si enim canones tua ſanctitas ignorabat, ſatis præproperum fuit, ut tranſgredereris, antequam diſceres. At verò eccleſiarum ſtatuta ſi noveras, tantò graviùs tantóque periculoſiùs inſipientia tua priſcorum magnificorumque pontificum decreta calcavit. Cave, qui aliena præſumis, ne, quod habere videris, amittas.

C

acriter reprehendit, permittenſque, ut Moſomenſibus prædicet,

226 Cùm factæ ordinationis jura non conſtent, quo potiſſimùm conſilio ſacerdotalis officii tyrocinia defenſabis, ſi temerariæ tranſgreſſionis admiſſum pertinaciâ vel impotentiâ miſcueris? Majoris diſcriminis erit, antiquam ſanctionem fuiſſe violatam, quàm laus ſit, loco ſtare, contra canones quos creâſti. Sed quid de eorum loquar ordinibus, quos à beatitudine tua non licuit promoveri? Plus illud eſt, quod ſi juxta majorum ſtatuta ſeveritatemque diſcutimus, non minùs, quàm ſtatus illorum, veſter veniet epiſcopatus in dubium. Dominus in Euangelio dicit ad Petrum: "Simon Joannis, diligis me?„ Et Petrus: "Etiam, Domine, tu ſcis, quia a-„mo te.„ Cui bis terque à Domino ſub hac reſponſione præcipitur: "Paſce oves meas.„ Ego quia oves Chriſti paſcere, omnimodis imperitus, alimoniæ cæleſtis ubertate non poſſum; qui es ſacris eruditionibus eruditus, eas, quæ mihi, jubente Chriſto, traditæ ſunt, ut paſcas, admoneo, ut invadas inhibeo. Age ſemper, ut te digna comitentur. Eccleſiæ, quam divina diſpenſatione meruiſti præſidendam, deſervi, & pro ſalute gregis Dominici ſollicitus paſtor invigila. D

monet, ut à juriſdictione & à fructibus exigendis abſtineat,

227 Utinam mediocritati meæ iſta ſuppeterent, quæ in nomine Domini habere vos cupio! Sed quia deſunt meæ, vel credita mihi ſunt obſequia Salvatoris, ſalvari mercenario non requiro. Joannes in Apocalypſi ſeptem quippe angelis ſuis comprehendit *, & unicuique ſcribit eccleſiæ. Facta igitur merita quæ præpoſitis: quæ probata corrigenda, caſtigat. Cùm ergò ſub vocabulo angeli tradatur actionis forma pontificiæ, doleo ſuper tuæ præſumptionis audacia, ut jura permutes vetera novus, cauta temerarius, divina terrenus. Audiant nos, audiant, quos elegeris, ſacerdotes: ſacerdotes tui ipſi nos audiant. Creatoris confido ſententiam, non pro te, ſed in te, à judicantibus proferendam. Quis enim pro ſenſus ſui probitate non improbet, eum contra Eccleſiæ regulam prorupiſſe, qui debuerat Eccleſiæ regulam cuſtodire? Mandas, ut audio, colonorum tibi tributa portari, & præcipis, ut reditus deferantur agrorum. Datur intelligi, quòd eccleſiæ rem, non eccleſiam concupiſti; quando ſolicitus exquiſitor expoſcis, quæ ego, ad quem jure veniebant, remiſi potiùs, quàm quæſivi.

* *fortè hîc deeſt* ſeptem eccleſias

E

nuntiatque, ab illo ibi ordinatos, à ſe amotos eſſe.

228 Nolo, te lateat, Levitas atque presbyteros, contra ordinem quos feciſti, ab ordine jam remotos. Perpendi enim, quòd à me non decebat admitti, quos à te non licuerat ordinari. Heu! quantùm me à cultus tui propoſito repuliſti, dum mavis perperam agere, quàm fœdera fraterna ſervare. Optaveram namque, ut clericus permanſiſſes; quia factus fueras vi ſacerdos. Sed ſi mentem tuam cura iſta non tangit, ego tamen pro ſinceritate profiteor, quòd animum non minùs angit, à te inexcuſabiliter erratum, quàm me fuiſſe contemptum. *Hactenus epiſtola* S. Remigii, *in qua nonnullæ phraſes obſcuræ vel mutilatæ occurrunt, fortè veteris librarii vitio attribuendæ; nam eodem modo leguntur à Labbeo tom.* 4 *Conciliorum vulgatæ. Ceterùm ſi cui hæc epiſtola paulò acrior videatur, meminerit is, ſanctum Archiepiſcopum non tam ſuam cauſam, quàm ſedis ſuæ jura, non parùm læſa, & eccleſiaſticos canones, in quos certè non leviter impegerat Falco, hîc ex munere ſuo defendiſſe.*

F

Obſervatio de Moſomo, quod hodiedum eſt diœceſis Remenſis.

229 *Falconis tamen ſanctitas omnino ſuadet, ut credamus, illum hæc vel ex ignorantia vel imprudenti zelo egiſſe, aut certè ſic monitum errata emendâſſe: nam plura de eadem controverſia nuſquam alibi legere eſt, & Moſomum deinde manſit in epiſcopatu Remenſi, in qua hodieque cenſetur. De illo variis in locis loquitur Flodoardus in Hiſtoria eccleſiæ Remenſis, nominatim lib.* 4, *cap.* 13 *de Heriveo, qui anno* 900 *Remenſem ſedem adeptus eſt, ſic ſcribens:* Hic pontifex caſtrum Moſomum, reparatis muniit muris, & eccleſiam inibi dirutam à novo reſtauravit, atque in honore ſanctæ Dei Genitricis, ut olim fuerat, dedicavit *&c. Supereſt adhuc caſtrum iſtud ſeu oppidum, Gallicè* Mouſon *appellatum, quod Baudrando in Lexico geographico dicitur* urbs Galliæ in Campania provincia, ad Moſam fluvium cum abbatia, in confinio ducatûs Luxemburgici *&c, diciturque fuiſſe* aliàs ſub dominio utili archiepiſcopi Remenſis. *Qui plura volet, adeat Galliam Chriſtianam auctam tom.* 9, *col.* 258 *& ſequentibus, ubi etiam catalogum abbatum ejus loci reperiet.*

A *Sanctus ob Claudium ordinatum presbyterum,*

230 *Altera controversia* S. Remigio *fuit cum tribus Galliæ episcopis, Heraclio, Leone & Theodosio, quorum primus videtur fuisse episcopus Parisiensis, tertius Autissiodorensis, qui ambo concilio Aurelianensi I anni* 511 *subscripti leguntur; medius verò creditur esse Senonensis. Ex his item duo sanctitate vitæ suæ ecclesiasticum cultum obtinuerunt; nimirum S. Leo ad* XXII *Aprilis, S. Theodosius ad* XVII *Julii, ad quos dies Romano aliisque Martyrologiis inscripti sunt, & de illis breviter actum est in Opere nostro. Dissidii inter hos sanctos præsules causa fuit de disciplina ecclesiastica, dum tres illi laudati episcopi eam sine ullo habito ad principem respectu severè observatam volebant,* Remigius *autem mitiùs opinabatur. Commendaverat rex Clodoveus Claudium quemdam, cetera mihi ignotum,* Remigio, *vel, ut hic loquitur,* jusserat, *ut illum presbyterum ordinaret. Sanctus Præsul, etsi fortè aliquid sacris canonibus minùs consonum hîc adverteret, tamen ratus, id tanto regi,* qui, *ut ejusdem Sancti verbis denuò utar,* erat non solùm prædicator fidei Catholicæ, sed defensor, *posse concedi; commendatum Claudium presbyteratûs ordine initiavit; nec quisquam episcoporum, dum Clodoveus in vivis superfuit, ob hanc ordinationem* Remigio *litem movisse legitur.*

B *eumdemque post lapsum indulgentiùs habitum,*

231 *Ut verò se habet humana fragilitas idem ille Claudius jam presbyter, postea in grave crimen prolapsus est; quod quale fuerit, nescitur; sed certè hujusmodi fuit, ut secundùm sacros canones ab officio suo perpetuò amovendus esset. At pius Antistes misericordiâ motus, atque æquum esse putans, ut in gratiam regis de Ecclesia optimè meriti, licèt tum defuncti, cum illo paulò indulgentiùs ageretur, desiderabat ipsum ad pœnitentiam admittere cum spe restitutionis in locum, unde exciderat. Verùm cùm canones obstarent, ac novissimè etiam in concilio Aurelianensi I conditus esset hic canon nonus;* Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, simul & officio & communione pellatur; *sanctus Præsul per litteras ad coepiscopos suos recurrit, deprecans, ut aliquid de severitate disciplinæ remittentes, sinerent Claudium, cum ea spe pœnitentiæ subjici. Qua in re sanè nihil est, quod in sancto mitique Episcopo jure posset reprehendi.*

litteris à tribus episcopis indignè compellatur;

232 *Verùm id tribus illis episcopis, Heraclio, Leoni ac Theodosio, longè aliter visum est, qui in severitatem proni, non modò pias Sancti preces, velut ab enervi sene profectas, respuerunt,* jubileum *ipsum contemptim appellantes; sed ordinationem Claudii ab eodem factam criminati sunt, eo confidentiùs, quòd mortuus esset rex Clodoveus, apud quem* Remigius *in summa fuerat veneratione, & quo postulante, Claudium ordinaverat. Quin etiam Archipræsuli præcipere ausi sunt, ut in Celsum quemdam, qui Claudio crediderat, ut aiebant, ubi esset, inquireret, pecuniasque eidem ablatas restitueret; cùm Sanctus nec de Celso, nec de rebus ablatis quidquam sciret.* Remigius *itaque tam inopinato responso, quo ætatem dignitatemque suam contemptui haberi videbat, perculsus, rescripsit epistolam, in qua factorum suorum rationem reddens, simul de Christianæ charitatis violatione cum ipsis acriter expostulavit. Exstat illa apud Sirmondum tom.* I *Conciliorum Galliæ pag.* 204 *& sequenti, ex quo eam totam hîc transfero, maximè quia ex illa unicè nota est hæc controversia.*

233 Dominis verè sanctis, & meritò beatissimis in Christo fratribus, Heraclio, Leoni & Theodosio, Remigius episcopus. AUCTORE C. S.

Paulus apostolus in epistola sua loquitur: "Ca-„ritas numquam excidit„: quæ, ut tales ad me litteras mitteretis, in vestris sensibus non resedit. Nam pro Claudio fudi simplicem precem, quem vos non presbyterum scribitis, ut in me indignationem vestri pectoris proderetis. Illum non abnego graviter deliquisse: sed vos ætati meæ, etsi non meritis, decuerat detulisse. Quod propitia Divinitate sit dictum, quinquaginta & tribus annis episcopali sedi præsideo, & me appellavit tam procaciter nemo. Dicitis, meliùs vos fuisse non natos. Hoc mihi fuerat opportunum, ne audîssem transgressoris opprobrium. Ego Claudium presbyterum feci, non corruptus præmio, sed præcellentissimi regis testimonio, qui erat non solùm prædicator fidei Catholicæ, sed defensor. Scribitis, canonicum non fuisse, quod jussit. Summo fungimini sacerdotio? Regionum præsul, custos patriæ, gentium triumphator injunxit. Tanto in me prorupistis felle commoti, ut nec episcopatus vestri detuleritis auctori. *quibus ille respondens, rationem facti sui exponit;*

eos de caritate & misericordia exhibenda admonet,

234 Rogavi, ut Claudius, sacrilegii perpetrator, pœnitentiæ servaretur: legimus namque, legimus, quòd excidium cælesti denuntiatione prædictum evaserunt per pœnitentiam Ninivitæ: quòd Joannes præcursor Domini in Euangelio prædicavit, ut, regno appropinquante cælorum, eam populi agerent, ne perirent. In Apocalypsi angelis ecclesiarum scribitur ex præcepto Domini Salvatoris, ut, quæ dignè minùs egerant, pœnitentiæ satisfactione corrigerent. De iracunda dictione sanctitatis vestræ intelligo, quòd lapsum non misereamini post ruinam; sed magis velle vos video, ne convertatur, ut vivat, cùm Dominus dixerit: "Nolo mortem morien-„tis, sed ut convertatur & vivat.„ Hoc nos expedit sequi; hanc Domini voluntatem non prætermittere, sed tenere: quia nos posuit, non ad iracundiam, sed ad hominum curam, & servire pietati potiùs, quàm furori.

sequè indignè ab illis tractari conqueritur.

235 Ponitis in epistola vestra, quòd Celsus quidam, qui Claudio credidit, quò abductus, & utrùm vivat, an sit mortuus, ignoratis, atque hujus inquisitorem me esse præcipitis, & nescitis, si in sæculo, aut si apud inferos sit quærendus; & res suas à me vultis restitui, quas sublatas fuisse non novi. Impossibilia præcipitis, ut impia peragatis. Annorum numero me esse scribitis jubileum, irridentes potiùs, quàm pro dilectione gaudentes, cui, vinculo caritatis irrupto, insinceriter à vobis nec parcitur, nec defertur. *Sanè admodùm acris hæc epistola est, sed verisimiliter mitior appareret, si trium istorum antistitum litteras, ad quas hæc responsoria data est, pariter haberemus. Interim hinc liquet,* Remigio *in senili pectore non defuisse vigorem, quo se suamque dignitatem, quam in Ecclesia Dei sustinebat, immeritò appetitus tutaretur.*

F

Hæc epistola scripta est, mortuo Clodoveo, circa annum 512.

236 *Ex verbis istis de rege Clodoveo,* qui ERAT non solùm prædicator fidei Catholicæ, sed defensor, *omnes rectè colligunt, hanc epistolam à* S. Remigio *scriptam esse post ejusdem regis obitum: quod etiam confirmatur ex eo, quòd verisimile non sit, adversarios Sanctum sic criminari ausuros fuisse, vivente rege, qui ordinationem imperaverat. Communis quoque opinio est, hanc simultatem ortam esse non diu post eumdem obitum; qui cùm anno* 511 *illigari soleat, eadem epistola ad annum* 512 *etiam soles referri; & ne*

AUCTORE C. S.

multo ſeriùs referatur, ſuadet adjectus annus epiſcopatûs Remigii *quinquageſimus tertius; uti ex chronotaxi ſuprà conſtituta colligere licet. Veriſimillimum eſt*, S. Remigium *etiam ad alios Galliæ epiſcopos litteras pro Claudio dediſſe, ab iiſque, ſi non ab omnibus planè favorabilia, ſaltem multo mitiora recepiſſe reſponſa, etſi nulla de his exſtet memoria, ut nec exſtat de cauſæ eventu. Fas tamen credere eſt, laudatos tres epiſcopos, à quibus duos inter Sanctos coli obſervavi, ſi in diſciplinæ ſeveritate ſibi perſiſtendum eſſe deinceps duxerint, ſaltem ſuam in venerandum ſanctumque Senem acerbitatem depoſuiſſe, &, quod humanius peccaverant, emendâſſe.*

§ XIV. Recenſentur aliquot illuſtres diſcipuli S. Remigii: examinantur, quæ de gemina eccleſia ab eodem Remis exſtructa dicuntur.

B

Inter Sancti diſcipulos præter B. Vedaſtum & Techildem

Lodoardus lib. 1 Hiſtoriæ Remenſis cap. 25, ſub titulo De diſcipulis ejuſdem B. Remigii *varias utriuſque ſexus ordiniſque perſonas recenſuit, non quòd illas omnes ſtricti nominis diſcipulos illius fuiſſe crederet, ſed quòd, ad ejuſdem familiam domeſticam aut familiaritatem utcumque pertinuerint; monitiſque multùm profecerint, uti ſatis liquet tum ex ipſo capite, tum ex ejuſdem exordio, quod tale eſt:* Fuerunt hujus denique beatiſſimi Patris noſtri temporibus in hac urbe viri clariſſimi, Deoque virtutibus accepti, tam ex clero, quàm ex ordine laicali; utpote qui tali, tam venerando, tamque ſanctiſſimo famulabantur Patri *&c. Accepit illos ex* S. Remigii *teſtamento breviori, in quo nominantur præter Attolum, virum potentem, & munificentiâ in pauperes inſignem. Quam ob rem, cùm teſtamentum brevius infrà daturus ſim, illis hìc recenſendis ſuperſedeo; de Attolo autem loquar poſt aliquot alios inſigniores ſanctitate diſcipulos, qui vel ex eodem Flodoardo vel aliunde innotuerunt. Illis certè annumerandus eſt S. Vedaſtus, de quo vide dicta ſuperiùs* § 12. *Annumeranda item videtur S. Techildis vel Theodechildis, Clodovei I regis*

C *filia, virgo & fundatrix monaſterii S. Petri-Vivi apud Senones, de qua egit Papebrochius noſter tom.* v *Junii, ad diem* XXVII.

illuſtris fuit S. Theoderius abbas,

238 *Ejuſdem ſancti Archipræſulis diſcipulus potiori jure fuit S. Theodericus, cujus elogium ibidem texuit Flodoardus cap.* 24 *ſic orſus:* Extitit his etiam beatiſſimi Remigii temporibus beatus vir Theodericus, almi Magiſtri pius diſcipulus, quem non ex alto voluit adeò ſanguine generari, qui ſublimiter hunc in generatione juſtorum decreverat nobilitare *&c. Hic celebris fuit ſanctitate, & miraculis clarus, quem* S. Remigius *in adoleſcentia à ſe inſtitutum, deinde ex parentum mandato nuptiis invitum illigatum, in perſuadenda ejuſdem ſponſæ virginitate adjuvit, eaque conſentiente, novo monaſterio, in monte Oreclo, præfecit; ſacerdotio initiavit, ejuſdemque operâ uſus eſt tum in convertendis paganis, tum ad ſanandam Theodorici regis filiam, quam hic ſanctus abbas, dum ex Magiſtri ſui præcepto ad illam tenderet, mortuam ſuſcitavit. Geſta ejus illuſtrata habes à Sollerio noſtro ad diem* 1 *Julii; panca tamen, quæ ad* S. Remigium *præterea per-*

tinent, juverit hìc repetiiſſe. Exſtat hodieque monaſterium illud, eoſdem duos Sanctos primarios ſuos auctores agnoſcens, ſanctique Theoderici, *Gallicè* Saint Thierri, *nomen retinens, tribus circitèr milliaribus à civitate Remenſi diſſitum, eſtque Ordinis S. Benedicti. Ejuſdem loci viciſſitudines & abbatum Catalogum referunt Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptores tom.* 9, *col.* 180 *& ſequentibus.* D

ex cujus conſilio S. Remigius lupanar evertit,

239 *Hujus quoque ſancti abbatis conſilio* S. Remigius *meretricularum domicilium in pium viduarum contubernium commutâſſe legitur apud Flodoardum lib.* 1, *cap.* 24, *cujus verba hìc tranſcribo.* Traditur hujus beati viri ſuggeſtione S. Remigius collectionem meretricum, quæ ad id uſque temporis proſtibula fertur extra civitatem retinuiſſe, ſubverſis fornicibus, in viduarum quadraginta congregationem permutâſſe, ſumptuſque quotidiano victui neceſſarios inſtituiſſe, ipſumque numerum viduarum perpetim manere, ut adhuc quoque manet, decreviſſe. Nam dum S. Remigius monaſterium S. Theoderici viſitans, ſecus meretricium pſalmos cum eodem cariſſimo diſcipulo ſuo concinendo tranſiret, ac S. Theoderico vox faucibus hæſiſſet, iterumque, in E redeundo ſcilicet, idem in eodem (ceu memoratur) loco & verſiculo contigiſſet; admiratus Pater ſanctiſſimus, & requirens, cur diſcipulus ſolers in Dei laudibus contra morem titubaverit; accipit, dolere beatum virum de animarum diſpendio perditarum, & in tam ſancti Patris vicinia tam fœdæ turpitudinis tanta diabolo creſcere lucra.

eique ſubſtituit ac dotavit ædes ac contubernium

240 Sicque perſuaſum Patri piiſſimo, diſcipulo ſuggerente caſtiſſimo, ſubvertere latibula diaboli, & deceptas atque decipientes animas in caſtimoniam tranſducere Chriſti. *Hæc Flodoardus, quæ ab antiquiori Vita, ſeu potiùs ab Oratione panegyrica, primo loco à Sollerio edita, abſunt; leguntur tamen ibidem in Vita altera, ab anonymo poſt Flodoardi Hiſtoriam ſcripta, cap.* 2, *in quo poſt narratam S. Theoderici ſuggeſtionem auctor ſic proſequitur:* Hac de cauſa Pater egregius, laude attollendo diſcipulum, exhilaratus, regi ſupplicat, & locum cœnulentum, ubi diaboli exercebantur opera, ut optabat, impetrat. Expulſiſque omnibus, ad deceptionem animarum congeſtis, uſque ad ſolum latibula meretricum, quæ erant cavernæ dæmonum, ſicut F ad præſens cernitur, ſubvertit. Et quoniam locus ille ſpurcitiarum extra erat civitatem poſitus, compoſitis infra muros domorum receptaculis, numero quadraginta ſanctimonialium, quo & ipſæ meretriculæ erant, coæquato, inibi conſilio B. Theoderici fidelis diſcipuli collocavit, & unde ſumptus corporis victu quotidiano haberent, penes largitatem regis promeruit.

quadraginta viduarum, ſeu mulierum pœnitentium;

241 Inſtituit quoque, ut idem numerus ſemper maneret, & ſicut illæ lenocinii opus perficientes, & voluntatem dæmonum peragentes, reditus proprii corporis domino terreno perſolvebant, ita iſtæ Regi cæleſti corporis & cordis munditiam cuſtodientes, cum fructu bonorum operum ſe ipſas repræſentarent. Ergò quia ſpiritus, ubi vult, ſpirat, & ardentes charitate facit, quos inflammat, voluit menti famuli ſui cælitus intimare, quatenus ſpiritualem Magiſtrum commonere faceret caritatis amore, ut animas, quas inimicus gaudebat adquisîſſe, ſuo Creatori redderet, & portio execrabilis diaboli minorata remaneret... Magnus Magiſter, magnus & diſcipulus, & poſt Magiſtrum, cumque Magi-

ſtro

A ſtro in hoc opere laudandus ! *Bailletus ad diem* 1 *Julii in Vita ejuſdem S. Theoderici exiſtimavit, monaſterium hoc virginum cœtui exſtructum fuiſſe ; cui opinioni utcumque favent, quæ de ejuſdem alumnarum* corporis & cordis munditia *anonymus mox meminit, uti & vox* ſanctimonialium, *per quam* virgines *ab illo deſignatas eſſe, etiam Sollerius noſter credidit ; in Annotatis tamen monens,* viduas *retinendas eſſe cum Flodoardo, qui eodem anonymo prior eſt.*

non virginum, 242 *Certè Flodoardi verba clara ſunt, &, niſi fallor, ſic exponenda, ut per* viduas *ipſæ meretriculæ lapſæque puellæ, de commiſſis pœnitentiam agere cupientes, intelligendæ ſint. Quid enim aliud indicant iſta Flodoardi verba :* Sicque perſuaſum Patri piiſſimo . . . . ſubvertere latibula diaboli, & deceptas atque decipientes animas in caſtimoniam tranſducere Chriſti ? *Quin & ipſe anonymus id ipſum ibidem non obſcurè indicavit, dum S. Theodericum ea de re cum* S. Remigio *ſic loquentem induxit :* Scio enim, ſi vis, & pro certo vis, quia potes ſolo internuntio hoc regis munificentiâ impetrare, & Creatori ſuo oves circumventas ac de fauce inimici ereptas reſtituere. *Ac rurſum, dum ait, ſancto diſcipulo*

B *ſuggerente, factum eſſe,* ut *Magiſter* animas, quas inimicus gaudebat adquisîſſe, ſuo Creatori redderet, & portio execrabilis diaboli minorata remaneret.

uti nonnulli viſum eſt. 243 *Quomodo autem diceretur hîc* S. Remigius deceptas atque decipientes animas in caſtimoniam tranſduxiſſe Chriſti, *quomodo* oves circumventas ac de fauce inimici ereptas, *&* animas, quas inimicus gaudebat adquisîſſe, Creatori ſuo *reſtituiſſe ; ſi meretriculis ex eo loco expulſis, atque alibi ſuo more vivere permiſſis, tantummodò caſtas virgines ſubſtituiſſet ? Quapropter videtur* Remigius, *regia auctoritate fultus, meretriculas illas aggreſſus, eaſque aut omnes aut aliquas ad meliorem frugem reductas in ſubſtituto lupanaribus monaſterio concluſiſſe, ſuppeditante rege ſumptus, ex quibus tum hæ, tum totidem ejuſmodi pœnitentes mulieres perpetuò alerentur. Potuerunt autem illæ honeſtiori vocabulo à Flodoardo* viduæ *appellari ; & ab anonymo dici* ſanctimoniales, *propter quamdam religioſæ Vitæ ſpeciem & continentiam, quam in modeſto habitu pioque contubernio ibidem incluſæ obſervabant. Potuit etiam tempore, quo anonymus S. Theoderici biographus ſcripſit, aliqua mutatio in eodem monaſterio facta fuiſſe. Ceterùm obſervat Jacobus Longuevallius in Hiſtoria Eccleſiæ Gallicanæ tom.* 2, *pag.* 325, *hanc primam eſſe domum, quam ejus generis pœnitentibus in Galliis erectam legerat.*

C

S. Theodericus à S. Remigio miſſus, filiam regis mortuam reſuſcitat, 244 *Laudatus Flodoardus de filia Theodorici regis, qui in partem regni patri ſuo Clodoveo ſucceſſerat, per S. Theodericum à* S. Remigio *miſſum ſanata, in eodem capite* 24 *præmiſerat ſequentia :* Reperitur etiam præfati regis filiam vitâ defunctam magnificus hic Domini præco vitæ reformâſſe ſpiraculo, pro qua languente rex ad ſanctum direxerat Remigium, petens, ut ad ſe veniret, atque cum precibus ægrotanti filiæ manus imponeret. At pius Præſul moleſtia quadam corporis (ut fertur) detentus B. Theoderico (quem piè caſtéque nutrierat & ſpiritalibus doctrinis inſtruxerat, quemque gratiâ curationum repletum videbat) negotium, quod petebatur, ut pater filio commendat. *Subdit, Theodericum ſancto Præſuli ſuo obſecutum, licèt in via puellæ regiæ mortem intellexiſſet, tamen ut mandata exſequeretur, ad illam perrexiſſe, eamdemque poſt fuſas Deo preces ſacro oleo illitam ad vitam revocâſſe. Quam ob rem, (inquit)* Rex itaque non ſolùm diſcipulum, ſanctum ſcilicet Theodericum, ſed & B. Remigium cupiens munificentiæ ſublimare dono, villam, quam dicunt Venderam, ſitam ſuper fluvium Maternam *, reverendo patri Remigio ; Gaugiacum verò in pago Remenſi præcepto ſuæ auctoritatis ſancto contulit Theoderico.

AUCTORE C. S.

* *i. e.* Matronam

quapropter ambo à rege donantur. 245 *Ut hoc factum confirmet Flodoardus, ibidem addit :* Proceſſu denique temporis, Karolo, Ludowici imperatoris filio, ſceptra regni Francorum gubernante, Angilrannus aulicorum quidam, traditionis ignarus, à rege Venderam ſibi poſtulat dari. Quod ubi rex annuiſſet, audiens domnus Hincmarus præſul, qui ſedem tenebat eccleſiæ Remenſis, hanc infiſcari villam ; regalis præcepti chartam, in eccleſiæ hujus archivo repertam, donationis hujuſce ſeriem continentem, Karolo mittit, & ne contra legem canonicam res uſurpet Eccleſiæ commonefacere ſatagit. In quo præcepto manifeſtè legitur, quomodo rex Theodericus pro ſuſcitatione filiæ, S. Theoderici precibus obtenta, non ſolùm prænotatam conferens ei villam, Dei ſervum ſui muneris honore prætulerit, quin & Magiſtro præſtantiſſimo, ſcilicet Remigio, cui Dominus tantam gratiam contulerat, ut talem diſcipulum haberet, qui Spiritus ſancti dono, ſicut & Magiſter, mortuos reſuſcitaret, beneficentiæ gratiâ villam Venderam obtulerit. Hæc ut ita ſe habere, ex ipſis chartarum monimentis Karolus animadvertit, à pervaſione villæ deſtitit, & eccleſiæ propriis liberè uti permiſit. *Hæc ibi, quæ etiam in ſecunda S. Theoderici Vita apud nos edita leguntur ; ſed quia abſunt ab antiquiori, & de fide præcepti à Flodoardo laudati ſatis certò jam conſtare nequit, nonnullis criticis ſuſpecta ſunt.*

B

Inter ejuſdem diſcipulos etiam numerantur Suſanna virgo abbatiſſa, 246 *Ex iiſdem Vitis & Flodoardo diſcimus, eodem tempore Remis floruiſſe inſignem item* S. Remigii *diſcipulam, Suſannam nomine, virginum monaſterio præfectam, quæ ſuo quoque conſilio laudatum Theodericum adjuvit tum in confirmando illius de virginitate ſervanda propoſito, tum in loco monaſterii condendi ſeligendo. Vetuſtior Vitanum.* 3 *ſic habet :* Tunc erat urbe Remenſe quædam celebris abbatiſſa, ſacratiſſima virgo, nomine Suſanna, quæ ſub providentia ſummi pontificis B. Remigii puellari præfuit congregationi, femina virilis animi, virago profundi conſilii, conſiliatrix altioris ingenii. Ad cujus, quaſi piiſſimæ matris, mitiſſimos ſinus contulit ſe S. Theudericus ; *nimirum, conſilium opemque petens, ut virginitatem, quam ſponſæ ſuæ fruſtra perſuadere niſus fuerat, illibatam ſervaret.* Virgo virgini (*Suſannæ*) Deo ſoli cognita pandit ſui cordis arcana. . . Communis igitur utriuſque pater pius ab utriſque conſulitur S. Remigius. Cujus per ſapientiſſimum conſilium ad providendum futuri monaſterii locum mittitur cum virgine virgo, ſancta cum ſancto, Suſanna cum Theuderico *&c. Flodoardus rectiùs hîc interſerit, Theoderici ſponſam à* S. Remigio *arceſſitam, & ad virginitatis propoſitum conſenſumque in mariti caſtimoniam adductam fuiſſe, antequam de condendo monaſterio agi cœptum eſt. Plura de hac inſigni virgine abbatiſſa, ejuſque monaſterio non reperi. Arturus eamdem cum* Sanctæ *titulo in ſacro Gynæceo ad diem* 1 *Julii celebrat, ſed ſolita ſua liberalitate, quemadmodùm ibidem in Prætermiſſis dictum eſt.*

F

247 *Ad diem* XVI *Junii actum in Opere noſtro eſt de SS. Berthaldo & Amando, eremitis in diœ-*

AUCTORE C. S.

SS. Berthaldus & Amandus eremitæ, S. Gibrianus presbyter,

diœcesi Remensi, quos traditio fert è Scotia Hiberniave, regnante Clodoveo, illuc adventâsse, & à S. Remigio *benignè acceptos instructosque fuisse, & eorum primum ab eodem etiam ordinatum presbyterum; qua de re ibidem num.* 4 *ita habet eorumdem Vitæ compendium, ad Officium matutinum legi solitum.* Eo tempore Remensem ecclesiam regebat B. Remigius, cujus virtutibus & doctrinâ Berthaldus excitatus, ad eum cum suo Amando proficiscitur. A quo benignè susceptus & doctrinâ sacrâ institutus, atque in filium spiritualem adoptatus, tandem ad sacrum presbyteratûs Ordinem gradatim promovetur. Quo honore affectus, ad solita cum socio lætanter revertitur, Missæ sacrificium unà cum precibus ac votis sanctè & religiosè oblaturus in oratorio, quod non procul à domuncula sua construxerat, in quo divinis sæpe recreabatur visitationibus. *Ejusdem sancti Archipræsulis discipulus etiam fuisse creditur S. Gibrianus presbyter, de quo Sigebertus Gemblacensis, vel hujus interpolator, in Chronico ad annum Christi* 509 *scribit:* Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus in Gallia peregrinatus, urbem Remensem & vitâ & morte sua illustrat.

B

cum fratribus ac sororibus suis ab eo benignè exceptus;

248 *Vitam ejus, miracula, & translationem corporis ex diœcesi Catalaunensi, ubi vixerat & humatus fuerat, factam ad Remense archimonasterium Remigianum, edidit Henschenius tom.* 2 *Maii pag.* 300 *& sequentibus, ubi nescio ex quo errore tam in margine, quàm in Indice chronologico, qui eidem tomo de more præfixus est, annus Christi* CCCCIX *pro* DIX *adscriptus legitur, licèt ex Commentariolo prævio Annotatisque ibidem constet, postremum annum signari oportuisse; quod hac occasione juverit observâsse. Sex S. Gibriani fratrum, triumque sororum, qui cum ipso in Galliam tunc adventârunt, & quorum etiam aliqui cultum obtinuerunt, nomina ibi legi possunt. De* S. Remigio *nulla ibidem in Vita mentio est: at in Remensi Breviario, anno* 1630 *typis edito, ad diem* VIII *Maii legitur S. Gibrianus ex Hibernia in Galliam profectus,* cum fratribus à S. Remigio, peregrinorum patre, humaniter *ac* benignè exceptus *&c. Unus ex dictis fratribus fuit S. Tresanus, in cujus Vita, ad diem* VII *Februarii data, dicitur hic apud* S. Remigium *iniquè accusatus, & ab eodem innocens declaratus, paulò pòst, commendante S. Genebaudo episcopo Laudunensi, sacerdotio initiatus esse.*

C

item SS. Arnulphus & Scaribergæ;

249 *Rursum alter* S. Remigii *discipulus fuisse perhibetur S. Arnulphus martyr ac fortè episcopus Turonensis, cujus gemina Vita data est in Opere nostro ad diem* XVIII *Julii, una scilicet prosaica auctore anonymo, altera carmine heroico scripta à Letselio, neutra tamen magnæ auctoritatis. In utraque dicuntur illius illustres parentes, per* S. Remigium *ab idolis ad Christum conversi baptizatique, promisisse, fore ut, si sobolem procrearent (nam steriles videbantur) hanc ei in filium spiritualem traderent; idque voti compotes facti præstitisse: ipse verò puer à sacro fonte ab illo susceptus & Arnulphus dictus, atque ab eodem post infantiam institutus tantùm profeciſſe, ut & cum regia stirpis virgine Souriberga, quam Clodoveus rex ei sponsam dederat, consentiente virginitatem servaverit, ac tandem multis clarus miraculis ad Turonensem cathedram fuerit elevatus. Denique post sancti Magistri sui obitum ad ejusdem sepulcrum accedens, in silva Aquilina inter Parisios & Carnutum occisus fuisse dicitur à famulis suæ uxoris, qui dominam suam ab illo sperni putabant, colituruque ut martyr. Ipsa quoque Scariberga, quæ* S. Remigii *discipulis etiam accenseri potest, aliquot Martyrologiis ad varios dies inscripta est, de eaque apud nos eodem, quo de ejusdem sponso, actum est die* XVIII *Julii. De S. Vulgiso, quem aliqui* S. Remigii *discipulum sine idoneo teste asserunt, agam hoc die.*

D

& Atolus, qui 12 *xenodochia exeriſſe dicitur,*

250 *Dixi suprà, etiam Atolum quemdam virum potentem inter Sancti Francorum Apostoli discipulos à Flodoardo reponi. De hoc lib.* 1, *cap.* 23 *tradidit sequentia.* Enituit etiam (*in urbe Remensi, dum episcopatum ibi gereret Remigius*) vir præclarus Attolus, qui, sicut in epitaphio legitur, amore studioque S. Remigii, xenodochia duodecim rebus è propriis struxit; sepultusque cum filio & filia post altare in ecclesia B. Juliani martyris, hunc sepulturæ declaratur habere titulum, templi pinnaculo innotatum.

Hìc igitur nullum lateat, quid * terra retentat,
Ne quis, si cupiat discere, cassus eat.
Subtus enim tria consistunt monumenta petrina,
In quibus almorum corpora condita sunt.
Hic pater est Atolus, nato natâque sepultus,
Expectantque diem nunc Domini properam.
Illius certè natus memoratur Elanus,
Nata deinde sua dicitur Eufrasia.
Qui placuere Deo, dictis factisque supremo,
Nunc pariter quorum membra tenent loculum.
Instruxit bis sena suis xenodochia rebus,
Jure fovens plebes divitiis inopes.
Sic proprium censum cælum transvexit ad altum,
In quo suscepit, quod miserando * dedit.
Hoc totum sub amore sacri studioque Remigî,
Ob quod prærutilum detinet ipse polum.

* *al.* quod

* *al.* miserendo

cujus & filii filiæque ejus grata Remis memoria fuit.

251 *Hactenus ibi: at ego non video, in hoc epitaphio tam clarè asseri, duodecim illa xenodochia, vivente* S. Remigio, *ab Attolo fundata fuisse, quin mihi dubium maneat, an non post ejusdem obitum in illius honorem erecta fuerint. Fortè propterea Marlotus tom.* 1 *Metropolis Remensis lib.* 2, *cap.* 17 *maluit hæc sub Romano,* S. Remigii *proximo successore collocare; sed cùm Romani* Remigio *mox post hujus obitum suffecti brevissimus fuerit episcopatus, is, si sub Romano floruerit, etiam sub* S. Remigio *floruisse dicendus est, potuitque hujus fuisse discipulus eo sensu, quòd pia ejusdem monita libenter exciperet & executioni mandaret. Addit ibidem Marlotus:* Prædicti Atoli, ecclesiæ S. Juliani (*in qua memoratum epitaphium tempore Flodoardi legebatur*) ut creditur, fundatoris, & filiorum pignora postmodùm translata fuisse in ecclesiam S. Remigii, ac juxta tumulum ejus condita, refert Larisvilla libello de Dignitate ejusdem ecclesiæ his verbis: "Sunt & aliæ gemmæ in eodem loco; hoc est, „ tria corpora sanctorum, Atoli, Helani & Eu„ frasiæ:„ at reliquiarum index horum non meminit. *Idem scriptor tom.* 1, *lib.* 2, *etiam aliquot alios* S. Remigii *discipulos facit, in quos omnes non vacat mihi hìc inquirere.*

F

Ecclesia, quæ in monumentum exstincti incendii

252 *Laudatus Marlotus cap.* 3 *postquam ex Hincmaro narraverat,* S. Remigium *ingens civitatis Remensis incendium precibus suis & signo Crucis exstinxisse, sic prosecutus est:* In memoriam tam celebris patrati miraculi B. Remigius duas struxit basilicas ex prolixiori testamento; quarum alteram, quæ est Militum S. Joannis

Hic-

A Hierosolymitani, haud procul à Patente porta positam suis restruxit sumptibus Constantius decanus anno circitèr MXL, retro cujus summum altare serpentes duo (*symbola dæmonum, à quibus incendium excitatum fuisse, scripserat Hincmarus*) hinc inde erumpunt è pariete, quasi in urbem regredi conantes, nî impedirentur. Lapidi supra limen portæ, quâ itur in ecclesiam, versus sequentes insculpti totius rei historiam pandunt his verbis.

Remigii meritum sic cœpit condere templum:
Porta Patens certis erat appellata figuris,
Hìc pandens aditum, reliquis per bella negatum:
Fortè dolis sathanæ succenditur ignis in urbe:
At pius Antistes cernens exurgere vires,
Ingemit ex adyto, Deus, &, Deus, inquit, adesto;
Per lapides stratos descendens inde Sacerdos,
Sicut molle lutum fecit dissolvere saxum,
Cúmque cito cursu paulùm distaret ab astu,
Oppositi sese, Cruce Christi tutus ab igne;
Sicque per hanc portam pepulit cum dæmone flammam.

B Pòst, ubi porta fuit, Constantius ædificavit &c.

253 *Hactenus Marlotus, ceteros versus omittens, mihi sanè incommodè, quia ex illis intelligendum erat, an laudatus decanus Constantius istius ecclesiæ primus conditor, an tantummodò restaurator fuisse dicatur. Etenim ex primo versu* Remigii meritum sic cœpit condere templum, *ejusdem prima ædificatio* Remigio *nequit certò attribui, cùm illius sensus esse possit,* Remigii meritum, *seu miraculum in exstinguendo incendio ibidem factum, occasionem dedisse ad templum in eodem loco excitandum. Postremus verò à Marloto recitatus versus ejusdem templi conditorem, non restauratorem facit Constantium: non enim ait,* Remigius *ibi condidit ecclesiam, aut, Constantius ab illo conditam instauravit; sed:* Pòst, ubi porta fuit, Constantius ædificavit, *utique ecclesiam ob* Remigii meritum, *sive in memoriam suprà dicti miraculi. Atque hæc quidem ex ista inscriptione metrica, prout exstat apud Marlotum: nam etiam aliunde certò constat, eamdem illam ecclesiam seculo* XI *à laudato Constantio primò erectam fuisse.*

in civitate Remensi extructa fuit, conditorem non habuit

C 254 *Auctorem habeo Anselmum monachum San-Remigianum Remensem, scriptorem synchronum, quem Marlotus ipse (quod miror) pro se laudat tom. 2 ejusdem Historiæ lib. 1, pag. 79, de eodem Constantio hæc scribens:* Tradit Anselmus in Itinerario Leonis (*Papæ ejus nominis noni*) Constantium veterem basilicam, supra cryptas martyrum Remis olim à B. Remigio constructam, non reparâsse modò, sed & frontem eleganter condidisse, ac Dei famulos ibidem in ejus obsequium aggregâsse. Decani canonicorumque meminit charta Rodulfi archiepiscopi infrà citanda. At horum præbendas capitulum Remense Hospitalariis S. Joannis Hierosolymitani pridem concessit, qui aliquot hactenus ibi presbyteros aluerunt sub Præceptore ecclesiastico. *Videamus ergò, quid Anselmus hac super re tradiderit in laudato Itinerario, in quo ipsemet oculatus testis retulit, quæ S. Leo IX summus Pontifex Remis gessit, quando anno* 1049 *concilium ibidem celebravit. Itinerarium hoc tum alii ediderunt, tum etiam ipsemet Marlotus tomo citato, in cujus pagina* 95 *Anselmus agens de corpore* S. Remigii *solemniter tunc per civitatem Remensem circumlato, hæc ait.*

S. Remigium, ut Marlotus credidit,

255 Quod in circuitu civitatis cum jucunditate deportantes, congruas stationes per præfixa faciunt spatia; cúmque ad eum locum ventum esset, ubi quondam fuerat porta, antiquo PATENS nuncupata vocabulo, per quam idem Sanctus humani generis hostem, in eadem urbe visibilibus ignium debacchantem exterminiis, adhuc in carne vivens, orationibus expulit; illic pretiosos artus (*S. Remigii*) deponunt, & ipsius miraculi memoriam digna devotione & canticis spiritualibus agunt. Ad cujus facti memoriale ibidem basilica moderno constructa est tempore, quam quidam Dei servus, Constantius nomine, suis impensis eleganter composuit, & Dei famulos ad ejus obsequium, quot potuit, dum viveret, aggregavit, & in honore S. Mariæ Magdalenæ sanctique Remigii consecrari fecit. *Hæc ibi de hoc argumento, nec plura Anselmus; in quibus quæ vel umbra est ecclesiæ à* S. Remigio *eo in loco olim conditæ? Imò verò an non clarè indicat Anselmus, Constantium ecclesiam ibidem, ubi nulla antè fuerat, erexisse. Quin etiam dubitari posset, utrùm Anselmus, dum ait,* Ad cujus facti memoriale ibidem basilica moderno constructa est tempore, *indicare voluerit, eam in memoriam Sancti corporis in solemni illa circumlatione eo loco paulisper depositi, an in ignis per eumdem Sanctum mirabiliter exstincti monumentum à Constantio ædificatam fuisse.* E

AUCTORE C. S. *sed Constantium Decanum Remensem, qui illam primus exstruxit*

256 *Posterius tamen verisimilius est, quia tom. 9 Galliæ Christianæ col.* 171 *in Catalogo decanorum Remensium Richardus Constantii successor jam dicitur memorari in instrumentis annorum* 1050 *&* 1051, *quo propterea tempore mortuus jam fuisse videtur; suprà dicta autem sacri corporis circumlatio contigit anno* 1049. *Porrò cùm Constantius cuidam donationi ibidem dicatur subscripsisse anno* 1034, *sæpe dictæ ecclesiæ ædificatio ante medium seculum* XI *reponenda est. Marlotus alterius basilicæ, quam in ejusdem miraculi memoriam à* S. Remigio *positam credidit, ne situm quidem annotavit. Sed quoniam suprà num.* 250 *pro utraque laudavit Testamentum prolixius, oportet de hoc quoque verbum addere. In eo, prout exstat in edita Flodoardi Historia Remensi lib.* 1, *cap.* 18, S. Remigius *varia legata faciens re vera ita loquens inducitur:* Ecclesiæ, quam in honore omnium martyrum supra cryptam Remorum ædificavi, cùm per auxilium virtutis Dei ab igne dæmonis penè jam totam urbem concrematam eripui, solidos duos. Ecclesiæ, quam pro eodem signo virtutis Dei in honore S. Martini & omnium confessorum infra urbem ædificavi, solidos duos.

versùs medium seculum XI, *quidquid tam de hac,*

F

257 *Et ita quidem ibi legitur; sed testamentum hoc ab eruditis pro supposititio rectè haberi, superiùs jam monui, & Hincmaro æquè ac Flodoardo ignotum vel non bonæ fidei visum fuisse, sequenti § pluribus probabo. Et quod ad hunc quidem locum attinet, Hincmarus in Vita edenda num.* 34 *& quatuor sequentibus de incendio illo exstincto fusè meminit differìtque, & observat, divinitus punitum fuisse quemdam Remensem incolam, qui contra sancti Præsulis vetitum aliquot annis pòst perforaverat murum circa portam illam, antea Patentem dictam, quam perpetuò clausam teneri, cum interminatione cœlestis vindictæ Sanctus mandaverat; sed de ecclesiis in illius miraculi monumentum ab eodem erectis verbum nullum*

quàm de altera legatur in Sancti testamento prolixiori.

AUCTORE C. S.

lum fecit. Par eſt ſilentium apud Flodoardum lib. 1 *Hiſtoriæ cap.* 12, *in quo idem cum ſuis adjunctis miraculum & tranſgreſſoris punitionem enarravit; ita ut ſeculis nono ac decimo, quorum primo Hincmarus, ſecundo Flodoardus ſcripſerunt, neutrius baſilicæ velut à* S. Remigio *conditæ memoria apud Remenſes fuiſſe videatur; ac proinde teſtamentum iſtud prolixius* (*nam in breviori non exſtat alterutrius mentio*) *etiam ex hoc capite ſuſpectum haberi debeat.*

Non ſatis etiam certum eſt, an eccleſia S. Germani

258 *Rurſum alteram* Remigio *ut conditori ſuo eccleſiam adſcribit S. Hericus vel Heiricus in libris Miraculorum S. Germani Autiſſiodorenſis, quos anno* 876 *vel ſequenti Carolo Calvo auguſto dicavit, editoſque apud nos habes ad diem* XXXI *Julii. Libri* 1 *caput* 6 *ibidem ſic incipit:* Sanctiſſimus & in optimis quibuſque præclarus Remigius Remorum pontifex pretioſus, honore Germani beatiſſimi, in loco, in quo ſepeliri decreverat, quique ab urbe Remenſi milliario fermè diſtat, propria manu, ut vetuſtiſſima teſtamenti ejus pandit auctoritas, extruxit baſilicam. Hæc ut antiquitate longæva, ita quoque miraculorum (*S. Germani*) perſtat ſplendore clariſſima *&c.*

B *De hac eccleſia ſilet denuò teſtamentum brevius, ſed in prolixiori* Remigius *ait:* Eccleſiæ S. Germani, quam ipſe in ſolo Remenſi ædificavi (*lego*) ſolidos duos. *Hocne, an aliud quodpiam* S. Remigii *teſtamentum hîc laudaverit Hericus, dubitari poteſt, quia nuſquam legi, ſanctum Præſulem in eccleſia S. Germani ſepeliri umquam voluiſſe; imò in editis diſertè dicitur ſepulturam ſuam in eccleſia* ſanctorum martyrum Timothei & Apollinaris *elegiſſe.*

in ſolo Remenſi ab eodem fuerit ædificata.

259 *Aſſerenti Herico credimus quidem, ejus tempore exſtitiſſe in agro Remenſi aliquam S. Germani eccleſiam miraculis celebrem; ſed illam à* S. Remigio *exſtructam fuiſſe, ex ſola fide teſtamenti, quod citat, non poſſumus pro certo habere; dum de eadem altùm tacet Hincmarus, qui eodem tempore Remis, quo Hericus Autiſſiodori, floruit, quemque tanto minùs ea res latêre potuit, quòd ejuſdem civitatis archiepiſcopus eſſet, &* S. Remigii *geſta ſtudiosè conquiſita ſcriberet. Par eſt de eadem apud Flodoardum ſilentium, quámque obſcura fuerit deinde apud Remenſes illius memoria, colligere etiam licet ex Marloto, qui lib.* 1, *cap.* 30 *recenſens eccleſias Remenſes, quæ in prolixiori teſtamento nominantur, de hac tantùm inquit:* Pars illius à quibuſdam creditur eſſe oratorium illud, quod adjacet eccleſiæ S. Remigii ad latus versùs Meridiem, ſeu ſacellum S. Marculfi.

C

§ XV. Diſcutitur geminum S. Remigii teſtamentum, & pro Breviori contra prolixius pronuntiatur.

Hincmarus promiſit Sancti Teſtamentum poſt Vitam dare,

INquirendum tandem eſt, quanti valeant Teſtamenta, quæ S. Remigii *nomine edita circumferuntur, & quorum unum breve eſt, aliud multò prolixius. Hincmarus in Vita edenda mortem Sancti narraturus, ſecundùm partitionem meam cap.* 8 *iſta præmiſit:* Poſt præmiſſas & alias virtutes, quas Dominus per hunc Sanctum ſuum operari dignatus eſt, gemitus & ſuſpiria illius exaudiens . . . revelavit ei Dominus, conſolans illum, imminere diem obitus ſui. Qua de re ſecundùm ſacros canones teſtamentum rerum ſuarum condidit, ad hereditatem illam feſtinans, de qua propheta dicit: "Cùm dederit dilectis „ſuis ſomnum, hæc hereditas Domini.„ *Ac rurſus poſt aliqua interjecta ſic proſecutus Hincmarus eſt:* Condito ſiquidem teſtamento, cujus textum ad exemplum epiſcoporum noſtri & futuri temporis, qui illud legere voluerint, huic Opuſculo ſubjungere utile duximus . . . oculorum corporalium lumine aliquandiu eſt privatus. *Reipſa in codice noſtro, ex quo Vitam dabo, eidem Vitæ ſubjunctum eſt cum hoc titulo litteris miniis exarato:* Sequitur exemplar Teſtamenti beati Remigii. D

poſt quam tam in codice noſtro, quam in multis Remenſibus

261 *Tum additum eſt monitum Hincmari litteris, ut cetera nigris, de valore* ſolidorum, *de quibus in eodem teſtamento crebra eſt mentio, quale hîc ſubdo.* Exemplar Teſtamenti à beato Remigio conditi, in quo lector attendat, quòd ſolidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, ſicut tunc ſolidi agebantur, & in Francorum lege Salica continetur, & generaliter in ſolutione uſque ad tempora magni Karoli perduravit, velut in ejus Capitulis invenitur. *Mox incipit teſtamentum:* In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti amen. Ego Remigius epiſcopus civitatis Remorum, ſacerdotii compos, teſtamentum meum condidi *&c. Præter hoc & aliud exemplar habemus ex ſimilis quidem Vitæ apographo, ſed ignoto mihi codice deſcriptum, collatumque cum Ms. monaſterii Bonifontis, Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Remenſi, prout illud Bollandus noſter olim communicavit cum Joanne Jacobo Chifletio, & ab hoc typis editum exſtat in nova Diſquiſitione de Ampulla Remenſi. At undecumque acceptum fuerit iſtud apographum, vel ſimillimum vel idem eſt cum eo, quod ex codice Muſei noſtri mox laudavi; Bonofontanum autem non niſi aliquot vocibus ab utroque diſcrepat. A Chifletio editum Philippus Labbeus tom.* 1 *Bibliothecæ Mss. recudit, aliquot mendis inde ſublatis* ope ſanioris codicis, *ut ibidem loquitur.* E

exſtat Teſtamentum breve, quale Flodoardus habuit,

262 *Simillimum quoque eſt, quod Marlotus tom.* 1 *Hiſtoriæ Remenſis lib.* 2, *cap.* XI *prelo vulgavit* ex Mss. codicibus abbatiarum SS. Remigii, Nicaſii & Theodorici prope Remos, *& de quo ad rem noſtram hæc annotavit:* Brevius S. Remigii Teſtamentum, neglectum ab aliis, hîc reponendum duxi, quòd in pluribus Mss., iiſque magnæ antiquitatis, exſtet apud nos ſub finem Operis, vitam ac miracula prædicti Remigii complectentis, ab Hincmaro ſtudiosè collecti, nulla in eiſdem prolixioris Teſtamenti facta mentione; quod mirum videri poteſt, cùm ſolum hoc (*prolixius*) à multis editum ſit. *Ejuſdem brevioris exemplar habuiſſe Flodoardum, convincitur ex ipſius Hiſtoriæ Remenſis lib.* 1, *cap.* 23, *in quo eoſdem, nec alios, legatarios nominat, qui in illo recenſentur; eoſdem quoque tantùm memorat ſubſcriptos, qui eidem leguntur ſubſcripſiſſe; de poſterioribus ſic inquiens:* Sed & laici clariſſimi nonnulli renitebant viri, quorum Pappolus, Eulodius, Euſebius, Ruſticolus, Eutropius & Dauveus privatis beati Viri rebus interfuerunt, & ipſius Teſtamento ſubſcribentes, nomina propria ſubdiderunt. *Vide Teſtamentum infrà edendum: nam in prolixiori multi præterea epiſcopi ſubſcripti notantur.* F

quodque editum eruditis paſſim meritò placuit;

263 *Porrò ſimul ac Teſtamentum hoc brevius primò à Chifletio, cui Bollandus dederat, ac deinde etiam ab aliis, quos dixi, typis vulgatum apparuit, paſſim placuit eruditis, qui aliud prolixius,*

A *lixius, quod hactenus editum fuerat, inter ſuppoſititia vel interpolata ablegaverant. Certè brevius pro genuino admisêre Cointius in Annalibus Francorum ad annum Chriſti* 533, *num.* 50, *Antonius Pagius in Critica Cardinalis Baronii ad annum* 514 *num.* 9, *& iterum ad annum* 541 *num.* XI, *Natalis Alexander tom.* 5 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæc.* VI, *cap.* 4 *art.* 3, *& Joannes Longuevallius in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tom.* 2, *pag.* 392. *Contrà Adrianus Bailletus in* S. Remigio *ad hunc diem, Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptores tom.* 3, *pag.* 160, *aliique nonnulli maluerunt illud de interpolatione aliove de vitio ſuſpectum habere. Quid ſibi in eo præcipuè diſplicuerit, non edicunt; ſed diſplicere potuit, quòd cùm nullam temporis notam præferat, nihilominus in calce legatur:* Actum Remis die & conſule ſuprafcripto. *Fateor, hinc omnino dicendum eſt, non integrum ad nos perveniſſe.*

264 *Verum hæc mutilatio facilè fieri potuit vel ex ipſius autographi, plùs quàm trium ſeculorum uſque ad Hincmarum lapſu detriti vitio, vel ex ejuſdem Hincmari, aut, qui hunc primus deſcripſit, librarii oſcitantia vel feſtinatione; ſimilique ex cauſa potuêre voces aliquot in eodem omitti, addi, vel paululùm immutari; quod equidem libens conceſſero. Nihil tamen in toto textu præterea reperio, quod pro Teſtamento illo in ſuſpicionem falſi vocando ſatis ſolidum argumentum ſuggerat. Quapropter illud unà cum codicillo, quem pro ſumptibus ſepulturæ ſuæ eidem adjecit, ex fide Hincmari ſtudioſo lectori exhibebo poſt finem Vitæ, quia, cùm variis annotatis indigeat, commodè hîc dari non poteſt. Antequam hoc typis editum eſſet, ex ſuprà dictis prodierat aliud longè auctius, à Barnaba Briſſonio lib.* 7 *de Formulis & ſolemnibus populi Romani verbis excuſum ex Mss. eccleſiæ Remenſis. Exſtat item in Flodoardi Hiſtoria ejuſdem eccleſiæ lib.* 1, *cap.* 18, *prout hæc primò ab erudito Jacobo Sirmondo anno* 1611, *ac deinde à Georgio Colvenerio anno* 1617 *in lucem data eſt.*

ſed non omni ex parte integrum eſt. Circumfertur & aliud
B

265 *Tertium hoc fuiſſet* S. Remigii *teſtamentum: nam Sanctus ſic in eo loquens exhibetur:* Neque ei duo priora teſtamenta, primum quidem, quod ante quatuordecim, & alterum, quod ante ſeptem condidi annos, obſiſtere, obviare, aut ullatenus nocere poterunt; eo quòd, quidquid in ipſis continebatur, in præſentia fratrum meorum hîc inſerta, &, quæ deerant, adjuncta; inſuper & quæ Dominus mihi largiri in poſtmodùm dignatus eſt, ſuperaddita noſcuntur. *Eidem præter prædictos ſex viros laicos ſubſcripſiſſe leguntur epiſcopi ſex, nimirum Vedaſtus, Genebaudus, Medardus, Lupus, Benedictus, Eulogius, atque inſuper presbyteri tres, Agricola, Theodonius & Celſinus. Marlotus poſtquam verbis num.* 262 *datis dixerat, Teſtamentum brevius exſtare* in pluribus Mss., iiſque magnæ antiquitatis ... ſub finem Operis, vitam ac miracula prædicti Remigii complectentis *&c*; *de prolixiori ſic ibidem diſſerit*: Fateor equidem, prolixius quoque Teſtamentum cum Breviori à me repertum in aliquot Mss.; at non eadem fide. Nam brevius immediatè ſequitur, ut debet (*nempe quia ita promiſerat Hincmarus*) Opuſculum Hincmari; prolixius verò inter Miſcellanea rejicitur, ut aliunde excerptum, & recentiori admodùm charactere, ita ut cum Hincmari Opere nihil commune habeat.

multò prolixius, quod nec in tot, nec in tam antiquis Mss. reperiri,
C

266 Cùm verò Frodoardi autographum nanciſci non potuerim, fortè quòd ablatum ſit, ut fertur, ab eccleſia Remenſi, ſatis deprehendi non poteſt, an revera prolixius, quod deeſt in melioris notæ codicibus, Vitæ S. Remigii inſertum ſit à Frodoardo poſt caput XVII libri I, vel aſſutum, aut certè à recentioribus pro breviori ſuppoſitum. Equidem meritò quis ſuſpicari poſſet, aliud nullum ab Hincmaro cognitum teſtamentum præter brevius à nobis evulgatum, quodque Operi ſuo ſubjeciſſe teſtatur... At cùm brevius tantùm ſubjunxerit ex Mss., quæ reſtant, quis dicat aliud agnoviſſe? *Pergit deinde duplici alia ratione probare, prolixius Hincmaro aut penitus ignotum fuiſſe, aut certè tam ſubleſtæ fidei viſum, ut omnino negligendum crederet. Probat id primò, quòd, cùm prolixius ferè omnia præclariora* S. Remigii *geſta contineat, non fuiſſet opus Hincmaro pro illius Vita ſcribenda ad fragmenta membranarum ſchedulaſque & traditionem recurrere, ſicut ſibi opus fuiſſe, in Præfatione conqueritur; nec prætermiſiſſet aliqua, quæ in eodem teſtamento præterea leguntur; quæque omnia maximam fidem ex ipſius Sancti teſtamento inveniſſent.*

AUCTORE C. S. *obſervavit Marlotus, variiſque rationibus oſtendit,*

267 *Alterum ipſius argumentum petitur ex ejuſdem Hincmari ſilentio, non ſolùm in Vita, ut dictum eſt, ſed etiam in aliis Opuſculis ſuis, in quibus ad confirmanda ſua de primatu eccleſiæ Remenſis, de jure increpandi reges, de invaſoribus bonorum eccleſiaſticorum ceteriſque hujuſmodi aſſerta maximè opportunum illi fuiſſet iſtud teſtamentum citare.* Unde (*ita poſt pauca ibidem concludit Marlotus*) ſi quando illud deſignare videatur in quibuſdam epiſtolis, quarum fragmenta citantur à Frodoardo, id adeò obſcurè & obiter, ut ſatis innoteſcat, non habuiſſe pro authentico. *Hactenus de Hincmaro; de Flodoardo quoque ibidem ſic diſputat:* Sed & à Frodoardo non magni exiſtimatum, ex hoc augurari licet, quòd trium teſtamentorum à Remigio conditorum non meminerit (ut nec ipſe Hincmarus) quòd nullibi, ſi prædictum caput XVII libri I exceperis (*in quo tantùm dicitur "Rerum ſuarum „condidit teſtamentum„*) de eo mentionem faciat. Exempla legentibus paſſim obvia ſunt (libro I præſertim) cùm de eccleſia S. Xyſti loquitur (ubi & quieſcit) Remigium ei aliquid legâſſe, tacet; *quod tamen in prolixiori teſtamento feciſſe legitur.* De eccleſia quoque S. Agricolæ diſſerens cap. 6, ubi ſcitu digna, quæ ſunt in prolixiori teſtamento, filet; quæ deſunt in breviori.

illud Hincmaro Flodoardoque vel ignotum.

F

268 Item de eccleſia S. Timothei teſtamentum quidem & Appendicem, quibus B. Remigius legat ei duodecim ſolidos ad cameram faciendam & miſſorium argenteum; quia ſunt in breviori; at quatuor ſolidos, eidem eccleſiæ pariter ab eo legatos, & in prolixiori recenſitos, non retulit. Denique cap. XXV agens de diſcipulis S. Remigii, & viris clariſſimis, qui teſtamento ſubſcripſerunt, hos tantùm nominat, qui in breviori recenſentur; *prætermiſſis ſcilicet epiſcopis ſex tribuſque presbyteris, quos prolixiori teſtamento ſubſcriptos legi diximus. Adde, quòd nec illuſtrem illam ſanctitate ac miraculis virginem Genovefam, nec S. Clodoaldum, Clodovei regis nepotem, inter ſancti Præſulis diſcipulos memoraverit, quamvis illa in eodem prolixiori teſtamento ejuſdem Sancti* cariſſima filia & ſoror *vocetur*, & Remenſem eccleſiam ſæpiſſime viſitare *ſolita fuiſſe dicatur; iſte autem* puer ſanctiſſimus & unanimus mihi *ab eodem ibidem appelletur; de utroque ſilente breviori. Hæc mihi quidem ſufficere videntur, ut quilibet prudenter ſtatuat; primò, te-*

vel ſubleſtæ fidei viſum fuiſſe;

AUCTORE C. S.

ſtamentum prolixius vel ignotum fuiſſe Hincmaro vel admodùm ſubleſtæ fidei viſum, quale revera eſſe videbimus : ſecundò dubitari poſſe, an caput 18 *libri* 1 *Hiſtoriæ Remenſis, in quo iſtud recenſetur, verè Flodoardi ſit, eidemque ſubſtituendum non ſit teſtamentum illud brevius.*

quod poſtremum veriſimilius appareat

269 *Verumtamen ne credam, iſtud prolixius utrique ſcriptori planè ignotum fuiſſe, obſtant fragmenta illa epiſtolarum ejuſdem Hincmari, quorum mox facta mentio eſt, quæque Marlotus deinde in ſubſidium vocavit pro prolixiori vendicando. Flodoardus lib.* 3, *cap.* 26 *tractans de epiſtolis ab Hincmaro ad varias illuſtres perſonas datis pag.* 515 *editionis Colvenerii, ſcribit, illum in epiſtola ad Nantarium amicum ſuum negâſſe, ſe umquam conceſſiſſe vel conceſſurum eſſe, ut coloni rerum eccleſiæ Remenſis in pago Wormacienſi ad operam ſuam aliis impendendam conſtringerentur, aut venatores alieni ibidem aliquod tempus manerent, atque hanc dediſſe rationem :* Quoniam ſui anteceſſores hoc facere non ſunt auſi ; quia S. Remigius cum grandi maledictione vel interminatione hoc fieri vetuerit. *Pag.* 517 *&* *ſequenti*

B

dicitur Hincmarus de rebus eccleſiæ ſuæ in Provincia ſitis Gerardo comiti reſcripſiſſe, ſeſe eas nulli umquam in beneficium daturum ; quia, *ut inquit*, S. Remigius hoc in ſuo teſtamento terribiliter contradixit. *Ibidem pag.* 527 *laudatus præſul traditur Bernardo comiti Toloſano, propinquo ſuo, petenti, ut quædam eccleſiæ Remenſis bona in Aquitania poſita ad uſum fructum ſibi concederet, abnuiſſe*, quia non audeat propter teſtamentum S. Remigii, quod id omnino fieri prohibuit. *Denique pag.* 533 *idem epiſcopus negâſſe narratur, ſe umquam permiſſurum, ut quis eccleſiæ ſuæ bona detineat, & rationem hanc denuò allegâſſe :* Propter alligationes, quas S. Remigius in teſtamento ſuo diſpoſuit.

propter aliquot textus Flodoardi.

270 *In eodem libro cap.* 4 *recitatur diploma Caroli Calvi regis, per quod hîc varias poſſeſſiones & inter has* Sparnacum, Juliacum & Culmiſciacum, *eccleſiæ Remenſi, rogante Hincmaro, reſtituens, ita loquitur :* Et ut in calce omnia concludamus, quicquid ex eodem epiſcopatu, quando de manu Fulconis illum recepimus, alicui præſtito beneficio conceſſimus, per

C

hanc noſtræ confirmationis auctoritatem, inſpecto coram cœtu fidelium noſtrorum, tam eccleſiaſtici quàm laicalis ordinis, teſtamento ſancti Remigii, præſentialiter caſæ S. Mariæ & S. Remigii atque Hincmaro archiepiſcopo cum omni integritate reddimus *&c. Jam verò nulla ejuſmodi maledictio ſive interminatio adversùs eos, qui res eccleſiaſticas laicis conceſſuri eſſent, nulla etiam è tribus villis à Carolo Calvo nominatim expreſſis, in teſtamento breviori legitur ; leguntur autem tam hæ quàm illæ in prolixiori, adeò ut omnino dicendum ſit, Hincmaro notum fuiſſe teſtamentum prolixius, eumdemque illo aliquando uſum eſſe, dum neceſſitas poſtularet ; vel certè brevius, quale nunc exſtat, aliqua ſui parte eſſe mutilatum ; prout conſtat, hoc ſaltem non omni ex parte integrum eſſe ex dictis num.* 263 *& ſequenti. Cui hæc ſuſpicio placet, is ſuprà obſervatum Hincmari ac Flodoardi ſilentium facilè conciliabit cum locis hîc in contrarium adductis.*

Recenſentur aliqua manifeſta ſuppoſitionis indicia,

271 *Utut tamen hæc ſe habeant, in illo ipſo prolixiori teſtamento non obſcura ſuppoſitionis indicia eruditis neotericis meritò diſplicuerunt, quorum hæc ſumma eſt. In eo occurrunt vocabula* Auſtria, Neuſtria & archiepiſcopus, *quæ tunc temporis Gallis inuſitata fuere. Sanctus rerum eccleſiaſticarum pervaſoribus pœnas interminans inter alia ſic loquitur :* Generi tantummodò regio, quod ad honorem ſanctæ Eccleſiæ & defenſionem unà cum fratribus meis & coëpiſcopis omnibus Germaniæ, Galliæ atque Neuſtriæ in regiæ majeſtatis culmen perpetuò regnaturum ſtatuens elegi, baptizavi, à fonte ſacro ſuſcepi, donoque ſeptiformis Spiritûs conſignavi, & per ejuſdem ſacri chriſmatis unctionem ordinato in regem parcens, ſtatuo *&c. Negant autem ullum è Francorum regibus ante Pippinum ſacra unctione inauguratum regem eſſe. Deinde quid ſibi vult iſta* ad regiæ majeſtatis culmen *per* S. Remigium *& coëpiſcopos ejus electio ? cùm Clodoveus armis, filii autem ejus ex hereditate paterna regnum in Gallia obtinuerint. Pergit ibidem* S. Remigius *& ſucceſſoribus ſuis cum graviſſima comminatione injungit munus reges, ſi à vera religione deflexerint, aut eccleſiaſtica bona occupaverint, increpandi, & ſi contumaces fuerint, publicè excommunicandi, quod ab illius temporis uſu in Galliis prorſus alienum reputatur.*

D

propter quæ teſtamentum illud prolixius

272 *Succeſſoribus item ſuis poteſtatem attribuit metropolitas Galliæ ad concilia convocandi ; quam poteſtatem negant tunc alteri fuiſſe, quàm qui vicariatu Sedis Apoſtolicæ fungeretur ; vicariatum autem aiunt* S. Remigio *quidem conceſſum fuiſſe, non tamen ut ad ejuſdem ſucceſſores tranſmitteretur. Geſta quoque ſua & miracula ſic memorat, ut, ſi non jactitâſſe, ſaltem minùs modeſtè recenſuiſſe poſſit videri. Ad hæc in breviori teſtamento (quod certè omnium primum fuiſſet, cùm in hoc nulla de priori fiat mentio) dicitur legâſſe* Ambroſium puerum, Leudocharium puerum, *& quamdam* parvulam *Fedamiæ & Melani filiam ; liberamque fore conſtituerat* filiolam parvulam Flavaraſenam ; *quæ omnia iiſdem verbis repetuntur in prolixiori ; quaſi iſti pueri puellæque poſt annos quatuordecim, inter primum poſtremumque teſtamentum intermedios, nondum adoleviſſent. Rurſum in breviori ſanctus Præſul vas argenteum, à rege Clodoveo olim ſibi donatum, eccleſiæ ſuæ legans, jubet ex eo* turriculum & imaginatum calicem fabricari ; *ſubditque :* Quod faciam per me, ſi habuero ſpatium vitæ. *Poſt hæc vixiſſet uſque ad poſtremum teſtamentum annis quatuordecim, atque adeo ſat longo tempore, ut iſta commodè fieri potuiſſent ; ſed nihilominus eadem in prolixiori denuò leguntur, paucis verbis mutatis adjectiſque, & vaſe* aureo *pro* argenteo *in aliquot exemplaribus ſubſtituto.*

F

ab eruditis neotericis paſſim rejicitur,

273 *Addo & aliud certæ ſuppoſitionis argumentum.* S. Remigius *in eodem prolixiori teſtamento hæc ait :* Duodeciacus verò, ſicut à Clodowaldo, nobiliſſimæ indolis puero confirmatum eſt, tibi hæres mea (*eccleſia Remenſis*) perpetualiter famuletur. *Rurſum de poſſeſſionibus à rege Clodoveo ante & poſt baptiſmum ſuum eccleſiæ Remenſi donatis ita loquitur* : Neque priùs de regno ejus, quantum paſſus eſt pedis, eccleſiæ Remorum jungere volui, donec, ut hoc omnibus eccleſiis adimpleret, obtinui ; neque poſt ejus baptiſmum, niſi Codiciacum & Juliacum, ſuper quibus jam dictus puer ſanctiſſimus & unanimus mihi Clodowaldus, & incolæ loci illius multiplicibus xeniis gravati, obnixè deprecantes, quod regi debebant, eccleſiæ meæ ſolvendum, me petere compulerunt. Quod idem piiſſimus rex & gratanter accipiens, promptiſſima voluntate largitus eſt. *Puer, de quo hîc, fuit S. Clodoaldus, Chlodomeris regis filius, Clodovei ſanctæque Chrothildis nepos, qui poſt patris ſui*

A *ſui in bello Burgundico necem communi duorum fratrum ſuorum cædi ereptus, ac poſtea ſponte ſua attonſus, juri, quod ad paternum regnum habebat, ceſſit, & presbyter factus ſanctè obiit, cujus geſta illuſtrata in Opere noſtro ſunt ad diem* VII *Septembris.*

& revera pro ſuppoſititio ſeu interpolato habendum eſt.

274 *Hic ergò, ſi prolixiori teſtamento credimus, donationem villæ Duodeciaci* S. Remigio *viventi confirmavit, eidemque* unanimus *fuit, atque alteram donationem in Codiciaco & Juliaco fecit, vivente ac conſentiente avo ſuo Clodoveo. Primum improbabile eſſe, oſtenſum eſt in Commentario ejuſdem Vitæ prævio* § 2, *quòd S. Clodoaldus tantummodo decennis circitèr eſſe potuerit, moriente* Remigio; *nec tantillæ ætatis pueri hujuſmodi donationes facere ſoleant, neque ipſe tunc haberet, quas ſic faceret. Alterum etiam manifeſtiùs falſum eſt: nam ſi Clodoaldus circitèr decennis dumtaxat fuerit circa annum* 532, *quando* S. Remigius *obiit, qua ratione potuerit idem ipſe, vivo avo ſuo Clodoveo, id eſt, non poſt annum* 511, *ſive annis circitèr viginti & uno antè ejuſdem ſancti Præſulis obitum iſta feciſſe? Nimirum hæc anachroniſmum continent, qui* S. Remigio, *utique ſanæ mentis viro, teſtamentum ſuum condenti, attribui nequit. Mitto plura; quia jam dicta abundè ſufficiunt, ut cum ſuprà laudatis criticis, Cointio, Pagio, Natali Alexandro, Longuevallio, aliiſque paſſim prolixius iſtud teſtamentum pro ſuppoſititio cogar agnoſcere.*

B

Laudatus Marlotus perſuadere conatus eſt, utramque genuinum eſſe; quod refellitur,

275 *Marlotus tamen loco ſuperiùs citato in utramque partem diſputans, & ad objecta argumenta ægrè reſpondens, ſic tandem concluſit:* Ut breviter & ingenuè dicam, quod ſentio, arbitror, nequaquam illa duo (*brevius ac prolixius*) diſtinguenda eſſe teſtamenta, quaſi brevius multos annos alterum præceſſerit; ſed hæc à Remigio ultimo morbo laborante (ſucceſſivè tamen) condita: brevius primò à notariis exceptum eſt, cui viri conſulares à Frodoardo recenſiti ſubſcripſêre. At cùm provinciales epiſcopi Remos de more Archiepiſcopum viſitaturi adveniſſent, addita ſunt, quæ deeſſe videbantur in breviori, vel Teſtatoris genio, ut ſæpe fit, novis rebus in mentem occurrentibus, aut ipſis eidem ſuggerentibus epiſcopis, qui prolixiori teſtamento ſubſcripſerunt. *Cenſuit igitur, duo priora teſtamenta, quorum primum ab annis quatuordecim, ſecundum ab annis ſeptem condita fuiſſe in prolixiori dicuntur, ambo diverſa eſſe ab eo, quod brevius appellamus. Fateor, hac ratione tolli difficultates, quas num.* 272 *à parvulorum ætate ac turriculo caliceque faciendis objeci; ſed cetera perſtant argumenta in oppoſitum, quæ Marlotus enervare fruſtra niſus eſt ratiociniis, quæ nîl opus eſt hîc referre, cùm non urgeant, & apud ipſum legi poſſint.*

C

utramque genuinum eſſe; quod refellitur,

276 *Præterea mirum profectò videri debet, ea, quæ breviori teſtamento paulò pòſt vel ex* Teſtatoris genio, *vel* ſuggerentibus epiſcopis, *addita vult, ea ſola prædictis omnibus difficultatibus obnoxia eſſe. Mirum etiam eſt, utrique teſtamento eumdem codicillum adjectum legi his verbis:* Poſt conditum teſtamentum, immò ſignatum, occurrit ſenſibus meis, ut baſilicæ domnorum martyrum Timothei & Apollinaris miſſorium argenteum ſex librarum ibi deputem, ut ex eo ſedes futura meorum oſſium componatur. *Cur enim ſanctus Teſtator hæc non æquè ac alia, quæ vel ipſi in mentem occurrerant, vel ab epiſcopis ſuggeſta fuerant, teſtamento prolixiori inſeruit? Cur item ab utroque abeſt dies menſis & nomen conſulis, & nihilominus utrumque ſignatum eſt:* Actum, *vel* Peractum Remis die & conſule ſuprascripto *vel* ſupradicto? *Horum ratio facilè apparet, ſi additamenta iſta poſt* S. Remigii *tempora facta dicamus ab interpolatore, qui brevioris teſtamenti nactus exemplar, in quo æquè ac in eo, quod hactenus ſupereſt, nomen conſulis dieſque menſis deſiderabantur, ſatis habuit eidem multa inſerere & ſubſcribentium nomina augere, ceteraque, prout invenerat, relinquere.* AUCTORE C. S.

concluditurque, prolixius ineptî interpolatoris eſſe.

277 *Ne verò quis contrà ſuſpicetur, brevius ex prolixiori potiùs contractum eſſe, obſtant in primis, quæ in additamentis illis ab ævo & tempore* S. Remigii *aliena eſſe obſervavi: at ſi quis veterum ſatis criticus iſthæc in breviori teſtamento propterea ſtudiosè omiſiſſe dicatur, cur prætermiſiſſet etiam alia quædam alioqui ſcitu digna, nec ſimilibus difficultatibus obnoxia, nominaque epiſcoporum ac presbyterorum, quæ prolixiori ſubſcripta leguntur? Obſtat inſuper, quòd brevius, non prolixius, in pluribus magnæ antiquitatis Mss. codicibus proximè ſubdatur Vitæ* S. Remigii, *uti Hincmarus promiſerat, quódque hic item breviori uſus ſit in eadem Vita ſcribenda, ita ut prolixius, ſi non ignorâſſe, certè neglexiſſe dicendus ſit, licèt* E *aliàs opportunum ei fuiſſet prolixius adhibere. Vide dicta ſuperiùs. Sunt, qui additamenta iſta ſeu interpolationes factas putant tempore Caroli Martelli, huncque illis prolixioris teſtamenti verbis deſignari:* Princeps ille, quicunque fuerit, moneatur . . . tandemque ſi . . . incorrigibilis contumaciæ ſpiritum non depoſuerit, . . . elogium ſegregationis à corpore Chriſti ab omnibus ei porrigatur. *Illorum ratio eſt, quòd iſta ibidem decernantur in bonorum Eccleſiæ invaſores, & aliunde conſtet, Carolum Martellum bellis implicitum multa hujuſmodi bona militibus ſuis in ſtipendia conceſſiſſe. At quocumque demum tempore iſta interpolatio facta ſit, inepta eſt, & ſeipſam prodit.*

Ejuſdem ſcripta, à S. Sidonio laudata, perierunt:

278 *Hac occaſione etiam aliquid de ejuſdem ſancti Archipræſulis ingenii fœtibus dicamus. De inſigni illius eloquentia egimus* § 5 *ex SS. Sidonio Apollinare & Gregorio Turonenſi, ex quorum primo conſtat, illum Declamationes ſcripſiſſe. Neque paucas haſce fuiſſe, docet ibidem laudatus Sidonius, dum de iis, quas ad manus ſuas felici caſu veniſſe ait, ipſi* S. Remigio *ſcripſit:* Quidam ab Arvernis Belgicam petens . . . poſtquam Remos advenerat, ſcribam tuum, ſeu bibliopolam . . . copioſiſſimo, velis, nolis, Declamationum tuarum ſchedio emunxit. Qui redux nobis atque oppidò gloriabundus, quippe perceptis tot voluminibus; quicquid detulerat . . . pro munere ingeſſit. *Quanti verò ipſe aliique, quibuſcum eaſdem perlegerat, illas æſtimaret, ibidem ſic indicavit:* Omnium aſſenſu pronuntiatum, pauca nunc poſſe ſimilia dictari: *ac rurſum, poſtquam hujus ſuæ ſententiæ rationem reddiderat, ſubjunxit:* Quid plura? Non extat ad præſens vivi hominis oratio, quàm peritia tua non, ſine labore, tranſgredi queat ac ſupervadere. *Vide plura ibidem. Eaſdem fortè etiam legit S. Gregorius Turonenſis, quo teſte in lib.* 2 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 31, *fuit* S. Remigius epiſcopus egregiæ ſcientiæ, & rhetoricis adprimè imbutus ſtudiis. *Verùm hæ Declamationes vel latent, vel potiùs dudum perierunt, ac veriſimiliter jam perierant ſeculis* X *&* IX, *cùm nec Flodoardus nec Hincmarus de iiſdem meminerit.*

F

279 *Joannes Baptiſta Villalpandus, Societatis Jeſu theologus, Commentariis ſuis in Ezechiëlem*

AUCTORE C. S.

Explanationes in Epistolas S. Pauli non sunt illius.

prophetam erudito orbi notissimus, Romæ anno 1596 *edidit sub nomine* S. Remigii *Remensis episcopi Explanationes in Epistolas S. Pauli, acceptas ex codice seculi* XI, *qui in Romano monasterio S. Cæciliæ trans Tiberim servabatur. Idem Opus deinde recusum Moguntiæ est anno* 1614, *exstatque etiam in Bibliotheca Patrum Lugdunensi. Verùm hasce Explanationes hujus sancti Archiepiscopi non esse, nunc in confesso est, ut videri potest tum apud alios, tum apud Philippum Labbeum in Dissertationibus philologicis de Scriptoribus ecclesiasticis tom.* 2 *in Remigio Autissiodorensi pag.* 285 *& sequentibus. In Romano Breviario ad Kalendas Octobris in lectione de* S. Remigio *nostro legitur:* Multos interpretatus est divinæ Scripturæ libros, *quod an ex certo veterum testimonio, an solùm ex conjectura, ex S. Sidonii Apollinaris epistola concepta, dictum sit, alii judicent; at certè nihil tale modò exstare nescitur.*

Ex Remigii scriptis tantum supersunt epistolæ quatuor.

B

280 *Solæ ergò supersunt sancti Francorum Apostoli epistolæ quatuor, quarum duæ scriptæ sunt ad regem Clodoveum; ex duabus reliquis una ad Falconem episcopum Trajectensem, altera ad tres episcopos, Heraclium, Leonem ac Theodosium. Duas primas in hoc Commentario dedi* § 10, *ultimas* § 13. *Ceterùm dum Casimirus Oudinus in Commentario de Scriptoribus ecclesiasticis tom.* 1 *col.* 1290 *inter* S. Remigii *Remensis epistolas unam ad* Hormisdam Papam *exstare, ait, in Collectionibus Conciliorum, Sirmondi, Labbei &c, hallucinatus est, &* Hormisdæ Papæ ad Remigium *debuit dicere: quamquam & hanc Hormisdæ non esse, sed fortè Anastasii II, aut S. Symmachi, ostendimus* § XI.

§ XVI. Beatus Sancti obitus, & sepultura in ecclesiola S. Christophori, quæ miraculis illustrata in insignem abbatiam excrevit: prima sacri corporis translatio, intra eamdem ecclesiam amplificatam facta.

C

F*Ortunatus in Vita primo loco edenda, num.* 9 S. Remigii *obitum sic paucis expositi:* Inter hujusmodi igitur virtutum suarum insignia elegit B. Remigius, athleta Christi, transitum letiferi soporis excipiens, procellas mundi, senio jam urgente, deserere, & ad portum cælestis habitaculi pervenire. Post cujus verò obitum tanta ad sui corporis patrocinia fidelibus remedia tribuuntur, & solis agnoscitur vivere meritis, qui tantis fulsit exemplis. *Hincmarus in Vita cap.* 8 *addit, illum ad cælestem patriam suspirantem, de propinqua morte divinitus monitum, condito testamento, aliquanto tempore ex divino beneplacito oculorum luce privatum vixisse, eâque demum receptâ post Missarum celebrationem* Idus Januarias, *id est,* Idibus Januariis *feliciter in Domino obiisse,* postquam per viginti & duos annos in clericali ordine, in episcopatu verò septuaginta quatuor continentissimè ac religiosissimè fidelis Servus ac prudens Domino ministravit, nonagesimo sexto ætatis suæ anno. *De hisce omnibus epochis abundè egi* § 4, *ubi ostendi, Sanctum natum videri circa annum* 436, *ordinatum episcopum circa* 458, *ac denique feliciter mortuum circa* 532, *Idibus Januarii; quæ ibidem latiùs legi possunt. Subditur hîc apud Hincmarum sanctissimi Viri, de Francis Gallisque optimè meriti, elogium, ac mox ad ejusdem sepulturam proceditur.*

D

Sancti corpus, sepulturâ alibi frustra tentatâ.

282 *Desideraverat sanctus Præsul in ecclesia sanctorum martyrum Timothei & Apollinaris sepeliri, eamque voluntatem suam per codicillum testamento adjectum indicaverat; verùm aliter volente Deo, non in hac, sed in exigua S. Christophori, extra urbem tunc sita, ecclesia humatus fuit. Rem, ut gesta est, exposuit Hincmarus ibidem num.* 115 *& sequenti, & post illum Flodoardus lib.* 1, *cap.* 17, *ubi præterea vetus monumentum seu inscriptionem suo tempore ibidem exstantem recensuit. Flodoardi verba accipe.* Cùm verò funus ipsius sanctissimum deferretur ad sepulturam, sanctorum martyrum Timothei & Apollinaris in ecclesia præparatam, ita feretrum in medio vico est aggravatum, ut nullo modo posset, hominibus quantumlibet annitentibus, amoveri. Stupefactis omnibus, Deique misericordiam postulantibus, dignaretur ostendere, quo in loco Sancti sui vellet recondi corpus, E designant ad basilicam præfatorum martyrum; nec feretrum movere possunt. Proponunt ad ecclesiam S. Nicasii; nec capulum valet attolli. Decernunt ad ædem SS. Sixti & Sinicii; nec sic potest moveri. Tandem coacti; quoniam parva supererat ecclesia in honore B. Christophori martyris, & nullius propalati corpus servabatur in ea Sancti, circumjacentibus tamen atriis, ecclesiæ cœmeterium ferebatur ex antiquo Remensis; petierunt, ut Dominus declararet, utrúmnam in eadem ecclesiola pignus illud sacratissimum reponi decerneret.

humatur in ecclesiola S. Christophori, ubi mox claret miraculis

283 Ad quæ vota tanta facilitate loculum levant, ut nullum portantes onus sentirent. Recondita sunt autem reverentissimi Patris hujus membra in hac ecclesiola, divina moderante dispositione, in loco, ubi nunc habetur altare beatæ virginis Genovefæ. Ubi verò feretrum constat ipsius aggravatum, multa feruntur ostensa miracula postmodùm. Hîc etiam Crux exstat abinde posita, columnæ monimentis his insignitæ præfixa: "Cùm transîsset ex hoc mundo ad „cælestem patriam præsul magnus beatus Remi„gius, huc à plebe sancta dignè delatus est, F „corpore in ecclesia condendus Timothei mar„tyris. Tunc hoc loco moram fecit, nec mo„veri potuit, donec, quo locandus esset, re„velavit Dominus: ubi nunc, favente Christo, „præpollet virtutibus, præstans hîc Deo devo„tis apta beneficia, cæcis visum, claudis gres„sum & ægris remedium. Igitur profusis votis „exoremus Dominum, veniam ut delictorum „piis ejus precibus mereamur, & cælorum gau„dia. Sancte Remigi, confessor pretiose Domi„ni, Adeloldi quoque tui miserere famuli.„ *De Cruce eo loci pro monumento posita etiam meminit Hincmarus, at non de inscriptione; sive quòd hæc hujus tempore ibi non exstaret, sive quòd eamdem quacumque alia de causa prætermiserit: Adeloldus autem ille cetera mihi ignotus est.*

Proponitur censura Castellani,

284 *Claudius Castellanus Parisiensis canonicus in Notis ad Martyrologium Romanum Gallicè versum auctumque, ad diem* XIII *Januarii, quâ* S. Remigii *obitum rectè consignavit, scribit, Flodoardum ista* ex vulgi rumore *tradidisse, suamque de hisce censuram verbis, ut cetera, Gallicis, sic exponit.* Ex S. Gregorio Turonensi habemus, hujus

A huius tempore festum S. Remigii celebrari solitum initio Octobris; ex quo credibile est, corpus ejus jam tum fuisse translatum, fortè ex ecclesia S. Timothei (in qua illum sepeliri voluisse, discimus ex ejusdem codicillo) ad ecclesiam S. Christophori, quæ nomen SANCTI REMIGII ab eodem pòst accepit. Neque huic opinioni opponenda est historia, quales sunt corporum aggravatorum, quas pro tot aliis sacris corporibus commentas novimus; atque hæc verisimiliter illa est translatio, quam memorat Flodoardus cap. 18 Historiæ suæ Remensis, quamvis illam velut de uno tantummodò in alium ecclesiæ S. Christophori locum non diu post ejusdem obitum Kalendis Octobris factam esse significet. *Censuit igitur Castellanus, corpus* S. Remigii *in ecclesia SS. Timothei & Apollinaris, quod in codicillo mandaverat, primò sepultum ac paulò pòst ad ecclesiam S. Christophori translatum fuisse; Flodoardi verò his contraria asserta ad fabulas amandanda esse: quæ censura quanti valeat, videamus.*

isthæc ad fabulas amandantis,

285 *Fallitur Castellanus, dum ait, Flodoardum ista* ex vulgi rumore *accepisse; accepit enim ex Vita* S. Remigii *toto seculo antè ab Hincmaro scripta, quam adi num.* 115 *& sequenti. Unde eadem didicerit Hincmarus, incompertum est; sed non propterea ad solum vulgi rumorem recurrendum est. At enim, inquies, quorsùm sanctissimi Viri suprema voluntas, in codicillo indicata, divinitus impedita fuisset? Respondeo, etsi sæpe lateant divina judicia, hanc ab utroque scriptore non omnino ineptam rationem allegari, ne, si in SS. Timothei & Apollinaris ecclesia tumulatus esset, miracula in illius gratiam à Deo ibidem facta, duobus illis martyribus, quorum corpora miraculis clara ibi quiescebant, adscriberentur; cujus rei nullum periculum erat in ecclesia S. Christophori, in qua observant, nullius Sancti corpus tunc asservatum fuisse. At verò si* S. Remigius *in ecclesia SS. Timothei & Appollinaris, ut jusserat, primò fuerit tumulatus, cur paulò pòst, ut Castellanus censuit, ex hac in ecclesiam S. Christophori contra expressam voluntatem illius fuit translatus?*

sed sine solidis argumentis.

C

286 *An ut decentiùs reponeretur? Sed hoc ipsum fieri poterat in eadem, in qua sepultus fuerat, S. Christophori ecclesia; quod & revera factum esse, laudati Hincmarus in Vita num.* 120, *ac Flodoardus infrà num.* 297 *referendus affirmant. Uterque etiam pro se laudat rei gestæ monumentum Remis erectum, quod saltem antiquum fuisse, apparet ex Hincmaro asserente, aggravati corporis miraculum contigisse* in loco, ubi (*inquit*) ex tunc & nunc Crux est posita, & ubi multa miracula Deus postea pro S. Remigio ostendit. *Fuerit ergò aliquando nonnullis aliis sacris corporibus simile affictum prodigium (quod hîc non inquiro) ideóne etiam hoc, de quo agimus, pro fabula habendum est? Nec denique favet Castellano, quòd jam inde à temporibus Gregorii Turonensis festum* S. Remigii *initio Octobris celebrari soleret; nam ut cum ipso infrà dicturi sumus, id factum esse propter primam sancti corporis translationem, ita propter ejusdem censuram adversùs Hincmari Flodoardique testimonia negare non possumus, primam illam translationem intrà eamdem S. Christophori, in qua primò sepultum fuerat, contigisse. Id unum eidem concedi potest, propter Hincmari à Remigiana ætate distantiam & in adoptandis fabulis facilitatem, memoratum prodigium pro certo haberi non posse. Nunc unde paululùm digressi sumus, redeamus.*

AUCTORE C. S.

Sanctus ibi fulget miraculis, ut ostenditur ex SS. Nicetio & Gregorio

287 *Quot quantisque miraculis venerabile illud* S. Remigii *corpus in hac S. Christophori ecclesia mox fulserit, argumento est epistola, jam aliàs laudata, S. Nicetii Trevirensis episcopi ad Chlodosvindam, magni Clodovei ex S. Chrothilde neptem, quam Muratorius cum Pagio circa annum* 565, *id est, annis circitèr* 30 *post ipsius* S. Remigii *obitum, scriptam statuunt. In hac Nicetius Chlodosvindam monens, ut suæ sanctæ aviæ exemplo salutem viri sui Alboini, Longobardorum in Italia regis, curaret, eumque ab Arianismo ad Catholicam fidem adducere studeret, & pro ejusdem fidei veritate etiam ad miracula visenda Arianos provocans, primo loco celebre S. Gregorii Turonensis sepulcrum laudat, deinde verò subdit:* Quid de domino Remigio & de domino Medardo episcopis, quos tu, credo, vidisti? Non possumus exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. *Eodem seculo* VI *floruit scripsitque S. Gregorius Turonensis, qui & ipse insigne hac super re testimonium reliquit in libro de Gloria confessorum cap.* 79, *quod totum huc transfero.* Remigius verò Remensis urbis episcopus, qui, ut ferunt, septuaginta, aut eo ampliùs, in episcopatu annos explevit, & oratione sua defunctæ cadaver puellæ obtinuit suscitari, plerumque infirmis sanitatum gratiam porrigit, & in pervasores sæpissimè ultor exsistit.

E

qui geminum exemplum narrat, unum de injusto invasore

288 Erat autem haud procul à basilica campus tellure fœcundus, tales enim incolæ olcas vocant (Olca *apud Cangium in Glossario dicitur olim passim usurpata esse pro portione terræ arabilis, fossis vel sepe undique clausa*) & hic datus basilicæ sanctæ fuerat; quem unus ex civibus pervadit, despiciens hominem, qui eum loco sancto contulerat. Qui cùm ab episcopo ac loci abbate crebrò conventus fuisset, ut, quæ injustè pervaserat, redderet; parvipendens verba, quæ audiebat, pertinaci direpta defensabat intentione. Denique causa exstitit, & non devotio, ut Remensem urbem adiret; properat ad Sancti basilicam. Arguitur iterum ab abbate pro invasione campi; sed nihil dignum ratione respondet: explicitisque negotiis, ascenso equo, ad domum redire disponit, sed obstat nisui ejus Sacerdotis injuria. Nam fauciatus à sanguine (*id est, correptus apoplexiâ*) diruit in terram; obligatur lingua, quæ locuta fuerat campum tolli, clauduntur oculi, qui concupierant, manus contrahuntur, quæ apprehenderant. Tunc balbutiens, & vix sermonem explicare potens, ait: Deferte me ad basilicam Sancti, & quantumcumque super me auri est, ad sepulcrum ejus projicite: peccavi enim auferendo res ejus.

F

divinitus punito; alterum de lue inguinaria

289 Aspiciens autem dator campi hunc cum muneribus venientem, ait: Ne accipias, quæso, Sancte Dei, munera ejus, quæ numquam accipere consuevisti; ne sis, deprecor, adjutor ejus, qui, inflammante concupiscentia, rerum tuarum nequam possessor exsistit. Nec distulit Sanctus audire vocem pauperis sui: nam homo ille, licèt dedisset munera, rediens tamen domum, emisit spiritum, recepitque ecclesia res suas. *Hactenus S. Gregorius, qui mox aliud latius exemplum subjicit, commune scilicet beneficium tempore diræ luis Remensibus collatum hoc modo.* Sed nec illud fieri placuit, quod illo gestum est tempore, cùm lues inguinaria populum primæ Germaniæ devastaret. Cùm autem omnes

ter-

AUCTORE C. S.

terrerentur hujus cladis auditu, concurrit Remensium populus ad Sancti sepulcrum, congruum hujus causæ flagitare remedium. Accensis cereis lychnisque non paucis, hymnis psalmisque cæleſtibus per totam excubat noctem. Manè autem facto, quid adhuc precatui desit, in tractatu rimatur. Reperiunt etenim, revelante Deo, qualiter, oratione præmissa, adhuc majori propugnaculo urbis propugnacula munirentur.

à civitate Remorum repulsa.

290 Adsumptâ igitur pallâ de Beati sepulcro, componunt in modum feretri (*quasi Sancti corpus, quod in crypta vel sepulcro quiescebat, in illo feretro jacêret*) accensisque super cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis; nec prætereunt ullum hospitium, quod non hac circuitione concludant. Quid plura? non post multos dies fines hujus civitatis lues adgreditur memorata; verumtamen usque ad eum locum accedens, quo Beati pignus accessit; acsi constitutum cerneret terminum, intrò ingredi non modò non est ausa, sed etiam, quæ in principio pervaserat, hujus virtutis repulsu reliquit. *De hac peste inguinaria etiam alibi meminit Gregorius, ac nominatim in Vitis Patrum cap. 6, num. 6, ubi dicitur S. Gallus Arvernorum episcopus civitatem suam ab eadem immunem servâsse. Factum hoc Cointius ad annum Christi 546 retulit, consentiuntque Ruinartius & Sollerius noster in Annotatis ad citatum Gregorii locum, scilicet hic ad diem 1 Julii in eodem S. Gallo, ille verò in editione Operum S. Gregorii, ambo censentes, luem illam anno 545 vel initio sequentis cœpisse. Si ita est, contigerit istud* S. Remigii *miraculum anno circitèr decimo quarto à morte illius, quo propterea tempore jam tum magna fuisse debuit de ejusdem patrocinio apud Remenses existimatio, quòd hunc præ ceteris Sanctis, quorum sacras exuvias asservabant, elegerint patronum in tanto discrimine. De palla seu tapete sepulcrali, qui Remis servari creditur, vide dicenda num. 350. Ceterùm hæc duo ex multis exempla tantùm recitavit Gregorius, singulorum scilicet generum unum, de quibus dixerat :* Plerúmque infirmis sanitatum gratiam porrigit, & in pervasores sæpissimè ultor exsistit.

B

In eadem S. Salaberga prolem precibus impetravit,

291 *Seculo* VII *floruit S. Salaberga, abbatissa, circa annum 665 defuncta, in cujus Vita, per auctorem gravem supparem scripta, & apud nos ad diem* XXII *mensis Septembris data, cap.* 1, *num.* 10 *non minùs honorifica de eadem ecclesia miraculisque in illa obtineri solitis fit mentio. Quippe de laudata Sancta tum secundis nuptiis à patre suo invita alligata sic ait :* Sed cùm his, favente Domino (*Salaberga ejusque Sanctus conjux Blandinus*) bonis pollerent moribus & Christiano more vitam degerent, & prolem nullam capere possent, Christianissima femina anxia tot privata privilegiis . . . ad basilicam B. Remigii pontificis, qui urbem Rhemorum Campaniæque tellurem virtutibus sacris & mirabilibus illustrabat, expetiit, ibique vigiliis & orationibus excubans, votum vovit, ut, si divinitus ei soboles concederetur, ipsam Domino dicaret. Nec mora, domum reversa, hoc, quod fideliter & anxiè petierat, à Domino est ei collatum; concepitque & peperit filiam, cui ex aviæ vocabulo Saretrudis nomen indidit.

& securitatem rei obtinuerunt.

292 *Magnam quoque ejusdem loci religionem inter Francos fuisse insinuant, quæ S. Gregorius Turonensis & Fredegarius præterea annotârunt. Horum enim primus lib. 9 Historiæ cap. 14 scribit, Ægidium Remensem episcopum, cùm de crimine læsæ majestatis accusatus, ad Childebertum,* D *Sigeberti filium, Austrasiæ regem, arcessitus esset, non antè sese viæ dedisse, quàm juramentum accepisset* in basilica S. Remigii, ne aliquid mali in itinere pateretur; *quod & religiosè observatum fuisse videtur. Fredegarius verò in Chronico cap. 83 tradit, Ermenfredum, Ægæ, Majoris-domûs Clodovei II generum, occiso Ænulfo comite, ad eamdem ecclesiam, velut tutissimum minimèque violandum asylum confugisse, ut se Nanthildis reginæ, occisique cognatorum vindictæ subtraheret.* Ermenfredus (*inquit*) in Auster Remus ad basilicam S. Remedii fecit confugium; ibique diebus plurimis hanc infestationem devitando & regio timore resedit.

Insigne scriptoris seculi decimi de eodem Sancto testimonium.

293 *Honorificè quoque de sancto Archipræsule nostro meminit anonymus, qui circa annum 965 scripsit Vitam S. Deicoli sive Deicolæ abbatis Lutrensis in Burgundia, apud nos editam ad diem* XVIII *Januarii, in cujus capite* 1 *ille præcipuos Galliarum Sanctos recensens, num.* 4 *ad propositum nostrum sic ait :* Lubet enim præterire memorando insignem Remorum excellentiam, qui silicernii excubitando fovent exoptatissimam glebam S. Remigii, signipotentiæ episcopi atque Francorum apostoli; qui si non aliis, illius tamen Apostolus est, quia ejus meritis ascribitur, quòd eorum ecclesia quotidiana sobole fecundatur. *Per* silicernium *indicari* senem *ibidem observatum jam est; & in ætate decrepita* Remigium *obiisse vidimus; at in edito ibidem perperam legitur :* Qui si aliis, non illius tamen Apostolus est; *quod, ut sensus exigebat, restitui, nisi fortè tantùm transponenda interpunctio sit hoc modo :* Qui si aliis non, illius tamen Apostolus est. *Porrò hæc eadem humilis antea S. Christophori ecclesia, tanto thesauro ditata & illustrata miraculis, brevî magna fecit incrementa, evasitque tandem illustre illud* S. Remigii *monasterium, in hoc usque tempus florens, ejusdemque sacro corpore, quod in magnifico mausoleo post tot secula integrum servat, toti orbi Christiano, ac præsertim Galliæ venerabile.*

Hæc eadem ecclesia brevî aucta

294 *Multis de illa agunt Marlotus in Historia Remensi & post ipsum Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom. 9 à col. 219, à quibus posterioribus ego pauca tantùm, quæ ad situm primaque illius incrementa pertinent, hîc mutuabo.* Insigne (*aiunt*) S. Remigii ARCHIMONASTERIUM (ita illud appellavêre Johannes XIII & Innocentius IV summi Pontifices, imò & CAPUT FRANCIÆ appellavit Gerberga regina) primitus fuit ædicula B. Christophoro sacra, quæ olim extra Durocortori pomœrium posita in declivi collis planitie versus Meridionalem plagam, nunc intra mœnia urbis includitur. Hanc ferunt Annales excipiendis Christianorum corporibus primùm adhibitam, sed procedente tempore penitus incultam jacuisse ad obitum usque S. Remigii, qui circiter annum DXXXIII ibidem sepultus illustre conditorio suo nomen ac famam frequentibus miraculis conciliavit. Incertum est & à multis retrò seculis oblivioni traditum, cui potissimùm accepta referri debeant hujus basilicæ incunabula. Neque porrò notius, quis eam primus post acceptas sanctissimi Præsulis exuvias auxerit, dotaveritque : quamquam Romulsus & Sonnatius, desinente seculo sexto; tum Lando, Nivardus, Reolus atque Rigobertus, episcopi Remenses, ac Dagobertus rex, variis eam muneribus affeciſſe memorantur.

E

F

295 Ita tamen se res habuisse videtur. Quum pri-

AUCTORE C. S.

A *in insignem basilicam & monasterium excrevit,*

primùm in angusto hocce tuguriolo B. Remigii increbuêre miracula, locus ipse seu civibus, maximè verò episcopis, seu regni proceribus, visus est meliorem atque ampliorem in formam coaptandus; tum instituendi sacri corporis excubitores, qui divinis laudibus insisterent. Id factum non longo post sancti Præsulis obitum intervallo: quippe Gregorius Turonensis episcopus meminit Epiphanii abbatis Remigiani sub Ægidio archiepiscopo. *Plura ibi lege, si lubet; neque enim hujus loci est ejusdem monasterii historiam prosequi, singulaque eorum asserta examinare. At certè verisimillima sunt, quæ de ejusdem primordiis ex ipsis mox retuli; cùm prudenter dubitari nequeat, quin Franci æquè ac Galli indigenæ sepulcralem locum Apostoli & Antistitis sui, miraculis ante ac post mortem clarissimi, non diu distulerint pro meritis exornare, ministrisque pro dignitate instruere. Jam inde à seculo sexto, quo* S. Remigius *obiit, abbatem ei loco præfuisse, probat laudatum ab illis testimonium Gregorii Turonensis, nimirum ex libro* 10 *Historiæ, cap.* 19, *ubi legitur* abbas Epiphanius basilicæ S. Remigii *particeps fuisse nefariorum consiliorum Ægidii episcopi Remensis, cum eoque exauctoratus;* Epiphanio (*ut ibi dicitur*) abbatis officio, qui basilicæ S. Remigii præerat, remoto.

B

de quo aliqua annotantur.

296 *De ejusdem loci abbate, fortè alio, sine nomine etiam meminit in libro de Gloria Confessorum cap.* 79, *verbis, quæ num.* 288 *dedi: creduntque laudati Galliæ Christianæ scriptores, primos sacri sepulcri custodes fuisse monachos, quales ipse* S. Remigius *in monte Or prope Remos instituerat sub S. Theoderico. Fatentur tamen, suæ contrariam esse opinionem communem, fundatam in Flodoardi Historia lib.* 2, *cap.* 17, *ubi de Tilpino, qui paulò post medium seculum* VIII *ad episcopatum Remensem evectus fuisse creditur, diserte habetur:* In cœnobio denique S. Remigii monachos ordinâsse, ac vitâ monasticâ eos traditur instituisse; cùm canonicos priùs idem cœnobium à tempore Gibehardi abbatis, qui eandem congregationem ob amorem Dei & S. Remigii reperitur aggregâsse, ad hoc usque tempus habuisse feratur. *Quid ad hæc respondeant illi, ibidem legi potest; ubi etiam consequenter ad opinionem suam col.* 225 *Gibehardum, cujus tempus præfecturæ nesciri agnoscunt, quarto loco in serie abbatum reposuêre, & circa annum* 745 *præfuisse, volunt videri. Mitto plura, quia ad* S. Remigium *propriè non spectant, & ad ejusdem sancti Francorum Apostoli translationes accedo.*

C

Ampliatâ ecclesiâ, corpus in novam cryptam

297 *Primam sacri corporis illius translationem, factam intra eamdem ecclesiam, sed amplificatam, narrat Hincmarus in Vita num.* 120, *eam causam allegans, quòd* multa & stupenda miracula in eadem ecclesia per merita ejus Domini gratiâ fierent. *Hincmari narrationem Flodoardus de more secutus lib.* 1, *cap.* 20 *sic reddidit:* Sepulto igitur in præmemorata basilica beatissimi Remigii corpore, cùm multa stupendaque in eadem per Domini gratiam fierent miracula, dilatata & exaltata est ipsa ecclesia, factaque crypta post altare, in qua transferretur pignus venerabile. Detegunt humo loculum, quo præparatum deponant in antrum; sed ipsum penitus movere non possunt. Superveniente verò nocte, multis accensis luminaribus, circa noctis medium sopor excubantes occupat omnes. Quibus evigilantibus, invenitur transvectus sacro cum thesauro sarcophagus, in præparatum (non nisi manibus angelicis) habitaculum deportatus: tantaque cuncti

integrum divinitus transfertur 1 *Octobris*

replentur odoris suavitate, quantam lingua non valet humana propalare. Quæ delectationis amœnitas in eadem per totam diem illam, sed & in crastina, perseveravit ecclesia.

298 Hac igitur die translationis ejus, scilicet Kalendis Octobris, cum divinis laudibus sumptæ sunt reliquiæ de capillis ejus; & casulâ tunicaque ipsius; & integrum, licèt exsiccatum, corpus ejusdem rubeo constat brandeo (*id est, velo holoserico*) involutum. Sarcophagum, *sive, ut Hincmarus loquitur,* sepulcrum, *quod angelico (ut creditur) ministerio in novam cryptam noctu translatum fuisse, evigilantes invenerunt, fuisse marmoreum, discimus ex eadem Vita num.* 133, *ubi etiam docet Hincmarus, eamdem translationem, præsentibus* episcopis Remorum diœceseos, *seu provinciæ, factam esse &* sudario *caput Sancti tectum. De tempore nihil etiam aliud habet, nisi quòd pridie Kalendas Octobris translatio frustra tentata fuerit, ipsaque nocte subsecuta, sive ipsis Kalendis, dicto modo divinitus peracta sit. Neuter quoque verbum addit, ex quo vel auctor vel tempus rei gestæ erui queat. Verùm ex Gregorio Turonensi certum est, illam jam ante annum* 585 *contigisse.*

E

ante annum 585, *verisimilius*

299 *Etenim lib.* 8 *Historiæ Francorum cap.* 21 *agens de causa ducis Bosonis-Guntchramni præcitato anno* 585 *à Childeberto Austrasiæ rege apud Belsonancum villam judicata, diserte meminit de festo* S. Remigii initio mensis Octobris *Metis jam tum solemniter celebrari solito.* Factum est autem, (*ait*) ut post dies paucos adesset festivitas B. Remigii, quæ in initio mensis Octobris celebratur. *Hæc autem quæ alia fuerit, quàm Translationis, de qua agimus, cùm & hæc Kalendis Octobris facta fuerit, &* S. Remigius *non hac die, sed* XIII *Januarii obierit, quo propterea ejusdem natalis in cælo & olim celebratus fuit, & nunc quoque in diœcesi Remensi colitur? Quia verò Gregorius de ista festivitate non loquitur velut de recenter instituta, potuit eadem translatio multis annis ante* 585 *contigisse; sed quot annis, incertum manet. Porrò ut ad translationis auctorem utcumque pertingamus, ab obitu* S. Remigii *usque ad annum* 585 *quatuor tantùm episcopi Remis sederunt, quorum primus S. Romanus successorem habuit Flavium, jam inde anno* 535 *concilio Arvernensi subscriptum.*

sub Mapinio vel Ægidio; non Sonnatio, archiepiscopis.

300 *Huic suffectus Mapinius est, cujus diaconus Potadius pro eo subscripsisse legitur concilio Aurelianensi V, anno* 549. *Quartus denique Ægidius jam sedisse dicitur anno* 565, *annoque* 590 *exauctoratus. Romani sedis tempus brevius est Sanctique morti propinquius, quàm ut huic translationem adscribamus; de Flavio prater subscriptum concilio Arvernensi anno* 535 *nomen nihil scitur. Major est de Mapinio Ægidioque verisimilitudo, quos ambos (Ægidium præsertim) Remensem ecclesiam bonis temporalibus auxisse alibunde novimus. Ex dictis autem collige, quàm longè à vero abfuerit Renatus Cerizierus, quando in Vita Gallica* S. Remigii *pag.* 334 *eamdem illam translationem à Sonnatio archiepiscopo Remensi anno* 635 *peractam fuisse scripsit. Eâdem operâ refellitur etiam Galliæ Christianæ scriptorum opinio, qui tom.* 9 *col.* 18 *in Sonnatio crediderunt, id ab ipso fieri potuisse circa annum* 600, *si ille, ut Cointius censuit, anno* 594 *ineunte ad eam sedem electus fuerit.*

F

AUCTORE C. S.

§ XVII. Corpus repertum integrum elevatur ab Hincmaro : ab eodem transfertur Sparnacum ; deinde ab aliis Orbacum : à Fulcone defertur in urbem Remenſem : ab Heriveo primæ ſepulturæ ſuæ eccleſiæ reſtituitur ; pauliſper deponitur intra civitatem.

Hincmarus, amplificatâ eccleſiâ,

B

NOtior eſt & altera ejuſdem ſacri corporis tranſlatio ſeu elevatio, *ab Hincmaro archiepiſcopo Kalendis item Octobris anni* 852 *ſolemniter celebrata, ab eoque, ſed tacito nomine ſuo, in Vita num.* 133 *& ſequenti ſcriptis mandata. Eam in ſua quoque Hiſtoria Remenſi lib.* 1 *cap.* 21 *retulit Flodoardus, cujus verba interim accipe.* Hujus beatiſſimi Patris noſtri venerabile pignus domnus Hincmarus archiepiſcopus, adhuc ampliatâ ipſius eccleſiâ, cryptâque opera majore atque pulchriore præparatâ, præſentibus & annitentibus epiſcopis diœceſeos hujus Remenſis, tranſtulit, integrumque illud cum brandeo, quo priùs repertum fuerat involutum, in argenteo locello tranſpoſuit. Sudarium verò, quod ſuper caput ipſius erat, cum parte prædicti brandei ſcriniolo reconditum eburneo, Remis ab inde reſervatur in eccleſia beatæ Dei Genitricis Mariæ. *Hactenus Flodoardus ex Hincmaro, apud quem præterea legitur, novam illam argenteam lipſanothecam cum incluſo ſacro corpore tunc poſitam fuiſſe ſuper* ſepulchro marmoreo, in quo (*illud*) antè jacuerat, *& reliquias*, quæ ad caput illius extra ſepulchrum repertæ fuerant, *ab epiſcopis, qui ſolemnitati aderant*, in ſepulchro, in quo *corpus* jacuerat, *collocatas.*

corpus integrum repertum argenteo loculo incluſit

C

302 *Longuevallius tom.* 6 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag.* 33 *duo alia adjuncta refert ex inventis anno* 1646, *quando ſancti Præſulis corpus denuò inſpectum fuit. Primum eſt, Sancti vultum ab Hincmaro obtectum tunc fuiſſe ſudario holoſerico, ex una facie violaceo, ex altera viridi, hancque inſcriptionem Latinam in ora circùm acu pictam gerente:* Sancte Remigi, confeſſor Domini pretioſe, cum pietate mei memento Hincmari, nomine, non merito epiſcopi, indigni quoque, ſed devoti ſervi tui. *Secundum eſt, quòd tunc quoque ejuſdem Sancti capiti ſuppoſitum fuerit pulvinar ex holoſerico rubro, cum altera inſcriptione ſimiliter acu picta, quæ notabat, iſtud opus eſſe Alpaidis, ſororis Caroli Calvi. Subdit denique laudatus Longuevallius verbis Gallicis :* Pulvinar hoc velumque, integra æquè ac S. Remigii corpus, inventa fuêre anno MDCXLVI ; quæ cauſa fuit, ne eidem pulvinari ſubſtitueretur aliud pretioſius, quod abbatiſſa S. Stephani Remenſis obtulerat. *Redeamus ad Flodoardum, cetera huc ſpectantia proſequentem.*

anno 852 *Kalendis Octobris*

303 *Loco citato de Lipſanotheca argentea hæc ait :* In loculo verò, ubi tunc depoſitum corpus ejus eſt, hii verſus à domno Hincmaro editi, leguntur inſculpti.

Hic famulus Hincmar Domini, ſacra membra locavit
Dulcis Remigii, ductus amore pio ;
Qui priùs eſt ſanctus, mundo quàm matre creatus,
Et magnus dictus cælitus ore Dei.
Bis denos binoſque gerens feliciter annos,
Sorte Dei ſumpſit pontificale decus.
Sexaginta, ſimul bis ſeptem manſerat annis
Iſtius urbis honor Præſul & orbis amor ;
Vitam defunctis reddens, quoque lumina cæcis ;
Egerat & vivens plurima mira ſatis.
Nam domuit fera corda, animo pius, ore profuſus,
Sicambræ gentis regia ſceptra ſacrans.
Nonaginta quidem ſex cùm compleverat annos,
Splendida lux noſtras deſeruit tenebras.
Idus jam plenas cùm Janus menſis haberet,
Emeritus Miles præmia digna capit.
Iſdem Hincmarus primus hac ſede ſacerdos
Poſt triginta loco conſtitit & numero ;
Qui ſextus decimus ſub hac radiante lucerna
Remigio Remis munia cara dedit.
Annis ſeptenis, quinis ac menſibus egit
Paſtoris curam, hæc recolenda patrans.
Octingenteno, quinquagenoque ſecundo,
Quo Deus eſt anno Virgine natus homo,
Tertius & Karolus regni componeret actus,
Octimber * primam cùm daret atque diem,
Ac ter centenus * octavus tangeret annus,
Hic juſtus Domini quo petit aſtra poli ;
Ter centum fuerant, tres & deni quater anni,
Quo vitæ Francos gurgite lavit ovans.
Ipſius is precibus cæleſti in ſede locetur,
Quem terris coluit verus amator. Amen.

D

E

* *Mſ.* October

* *Mſ.* ter centenos *ac nux* annos

304 *Abſunt hæc à Vita noſtra Mſ. in loco, ubi iſta tranſlatio memoratur, in eodem tamen codice poſt Teſtamentum & codicillum* S. Remigii *velut peculiari capite* 33 *recenſentur ſub gemino titulo litteris miniatis expreſſo. Prior ſic habet :* Sequuntur metrici verſus conſcripti in loculo argenteo, in quo reconditum eſt integrum corpus beati Remigii : *alter verò ante verſum* Iſdem Hincmarus primus *&c talis eſt :* Iſti ſequentes verſus ſunt ſcripti in ſcrinio corporis ſancti Remigii in linea inferiori per circuitum. *Ex eodem codice paucas illas variantes lectiones adjeci in margine. Calculos, ſecundum quos Hincmarus annos* 308 *à baptiſmo Clodovei, ab obitu autem* S. Remigii *annos* 343 *vel* 354 *numeravit uſque ad annum* 852, *quo hæc tranſlatio contigit, vitioſos eſſe, probavi* § 4, *quem conſule.* Tertius Karolus *non potuit hîc alius fuiſſe Hincmaro, quàm Carolus Calvus, tunc Neuſtriæ rex, qui licèt inter Francorum reges hujus nominis tantùm ſecundus ſit,* tertius *ab illo dictus eſt, annumeratò Carolo Martello, qui non quidem regis, ſed principis titulo Francos rexit. Obiter quoque obſerva, Hincmarum ſeſe hîc trigeſimum primum Remenſem epiſcopum dicere, qui in Gallia Chriſtiana trigeſimus ſecundus numeratur. Cetera rectè ſe habent, nam cùm Hincmarus menſe Aprili anni* 845 *archiepiſcopus Remenſis electus ac die* III *Maii ſequentis ordinatus fuerit, annos ſeptem menſeſque quinque in epiſcopatu numerabat Kalendis Octobris anni* 852, *quo* S. Remigii *corpus tranſtulit.*

F

& in novam cryptam intulit,

305 *De ornatu ſepulcri per Hincmarum ſæpe laudatus Flodoardus lib.* 3, *cap.* 9 *quædam annotavit, de quibus ſiluit loco ſuprà citato, ſive quòd is poſtea additus fuerit, ſive quòd tunc ei non venerit in memoriam.* Præfatus denique præſul Hincmarus (*Flodoardi verba ſunt*) cryptam præclari operis ad pedes S. Remigii conſtruxit,

ac magnificum ornatum adjecit.

&c

A & corpus ejuſdem beatiſſimi Patroni de loco cryptæ prioris unà cum ſepulchro ipſius in eadem, collectis Remenſis diœceſeos epiſcopis, ut jam ſuperiùs dictum eſt, tranſtulit & ante ipſius ſepulchrum opus egregium auro edidit, gemmiſque diſtinxit, feneſtram inibi, unde Sancti ſepulchrum videretur, fecit, & circa ipſam feneſtellam hos verſiculos indidit:

Hoc tibi, Remigi, fabricavit, magne ſepulchrum
Hincmarus præſul, ductus amore tuo,
Ut requiem Dominus tribuat mihi, Sancte, precatu
Et dignis meritis, mi venerande, tuis.

Dona quoque eidem eccleſiæ ab Hincmaro collata ita enumerat: Euangelium aureis litteris inſignivit, ac parietibus aureis gemmarumque nitore diſtinctis munivit, verſibus etiam auro inclytis prætitulavit. Sed & crucem majorem cooperuit auro, gemmiſque decoravit. Librum quoque Sacramentorum ſub eburneis tabulis, argento præſignitis; ſed & Lectionarium ad Miſſas librum pari decore venuſtatum ibidem contulit, alioſque libros & ornamenta nonnulla eidem venerabili loco delegavit.

B *Dum miraculis ibidem illuſtrari pergeret,*

306 *Præmiſerat etiam idem ſcriptor Remenſis lib.* 1, *cap.* 21, *Radonem ſubdiaconum eccleſiæ Remenſis, qui cum epiſcopo ſuo Rothado ad tranſlationem faciendam advenerat, horribili dolore dentium, quo tunc per annum integrum die noctuque cruciatus fuerat, ſubitò liberatum fuiſſe, dum, epiſcopis venerabile corpus in præparata theca argentea componentibus, afflictam maxillam applicuit loculo, ex quo illud tunc elatum fuerat; ac præterea duos è morbo contractos, in pago Ribuario hac eadem die in oratorio,* S. Remigii *nomine dicato, incolumitatem obtinuiſſe; ſed de hiſce conſule Hincmarum in Vita num.* 134, *unde iſta accepit Flodoardus. In hac eadem eccleſia manſit* S. Remigii *corpus uſque in annum* 882, *atque interim miraculis illuſtrari perrexit, teſte eodem Hincmaro, cujus hæc denuò verba ſunt:* Ex tempore ſiquidem primæ ac ſecundæ tranſlationis, ſicut & antè, multæ & inſignes virtutes in eodem loco per ipſius Sancti merita ex diverſis infirmitatibus ſunt operatæ, quas habemus deſcriptas, ſed hîc propter pluralitatem, & quia ſæpius ibidem oſtenduntur, omiſimus ponere.

C *Normannis Gallias infeſtantibus,*

307 *Quievit, inquam, ibi uſque in annum* 882, *quo ab eodem Hincmaro, tunc ſene, afflictæque valetudinis, ad Sparnacum, epiſcopatûs Remenſis Villam, avectum fuit, atque hinc poſt mortem illius ad Orbacenſe monaſterium, unde à Fulcone, ejuſdem ſucceſſore, relatum Remos fuit. Harum trium tranſlationum ſcriptorem ſynchronum habemus anonymum, fortè Rotfridum, cujus narrationem poſt geminam Vitam dabimus: ſed cùm hæc vel mutilata ad nos pervenerit, vel ab auctore ſuo non ſit perducta ad calcem, opportunè ſuccurrit Flodoardus, ex cujus libro* 1 *Hiſtoriæ Remenſis cap.* 21 *&* 22 *eaſdem tres tranſlationes continuata ſerie poſt anonymi qualemcumque lucubratiunculam etiam exhibebimus. De utriſque adi Commentarium hunc § 2. Harum primæ ſecretò, aut certè ſine ulla pompa factæ, cauſam dedêre Normanni, qui, cùm ex morte Ludovici II Germaniæ regis audaciores facti, Trevirenſem urbem jam cepiſſent, eodem anno etiam mortuo Ludovico III Galliæ rege, terrorem ſuum per reliquas Gallias latè ſpargebant, ac Remenſibus imminebant. Conſule, ſi lubet, Pagium in Critica, alioſque ſcriptores paſſim obvios.*

308 *Hincmarus igitur de ſancto Francorum Apoſtoli corpore ſollicitus, cui nec ſua ſuburbana eccleſia, nec ipſa Remorum civitas, tam temporis muro non circumcincta, tutum aſylum præſtare poterat, illud ſecum aſportavit Sparnacum, nunc oppidum, Gallicè* Eſpernay, *tunc villam, quinque leucis ab urbe Remenſi & in ſiniſtra Matronæ fluminis ripa poſitam in Meridiem, quam Sanctus ipſemet à potenti viro Eulogio magno pretio ſedi ſuæ olim comparaverat; ut videri poteſt in ſecunda Vita edenda num.* 86 *& ſequenti, ubi de eodem loco etiam plura annotabo. Itaque* excreſcentibus tandem flagitiis (*ait Flodoardus lib.* 3, *cap.* 30) contra quæ veluti murus inexpugnabilis (*Hincmarus*) ſemper obſtiterat, gens Normannorum per omne Francorum diffunditur regnum. Et quoniam civitas hæc (*Remenſis*) tunc abſque muro habitabatur, accipiens ille, quod ſibi carius in theſauris habebat, corpus videlicet B. Remigii, ſylveſtria loca trans fluvium Matronam expetiit, & apud villam Sparnacum idem ſacrum corpus aliquamdiu cuſtodivit.

AUCTORE C. S. *ab Hincmaro ſubducitur ad villam Sparnacum*

309 *Tempus factæ tranſlationis lib.* 1, *cap.* 21 *aſſignat* Dominicæ Incarnationis annum DCCCLXXXII ſub rege Karolomanno. *Conſentit Rotfridus, qui alias inſuper notas chronologicas, menſemque ac diem appoſuit, ſic ſcribens:* Anno feliciſſimæ Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Filii Dei omnipotentis, octingenteſimo octuageſimo ſecundo, Karolomanni regis orthodoxi, ſceptra Francorum regni tenentis primo, epiſcopatûs verò Hincmari archiepiſcopi trigeſimo octavo... quinta Sabbathi, octava die menſis octavi, qui apud Latinos November dicitur. *Hæ omnes notæ chronologicæ in annum* 882 *conveniunt, ut paucis oſtendo. Carolomannus, Ludovici Balbi, anno* 879 *menſe Aprili defuncti, filius, cum fratre ſuo Ludovico in paternum regnum ſuccedens, Burgundiam Aquitaniamque primò obtinuit; deinde verò eidem fratri ſuo Ludovico III Galliæ regi, menſe Auguſto anni* 882 *mortuo, pariter ſucceſſit. Agebat igitur Karolomannus hujus anni menſe Novembri quartum quidem annum regni in Burgundia & Aquitania, ſed primum tantummodò in hereditate fraterna; quæ poſterior epocha unicè ſpectabat ad Remenſes, qui Ludovico hactenus paruerant.*

anno 882 *menſe Novembri,* L.

310 *Idem auctor, cui Hebræorum more loqui placuit, menſem* Novembrem *dixit* octavum, *nimirum ducto anni initio ab Hebraico menſe* Niſan, *qui partim noſtro Martio, partim Aprili reſpondet. Hinc etiam hebdomadæ dies numeravit per* Sabbata, *ſic ut* prima Sabbati *nobis dies Dominica ſit,* quinta Sabbati *nobis dies Jovis ſeu Feria quinta; quam tunc cum die* VIII *Novembris concurriſſe, probat ejuſdem anni* 882 *littera Dominicalis* G. *Rectè quoque ſe habet adſcriptum tempus ſedis Hincmari, qui tom.* 9, *col.* 39 *Galliæ Chriſtianæ* V *Nonas Maii anni* 845 *archiepiſcopus ordinatus fuiſſe legitur. Porrò Hincmarus, eodem teſte Flodoardo lib* 3, *cap.* 30, dum ibidem moraretur, apud eamdem villam diem clauſit ultimum; cujus corpus ad monaſterium S. Remigii relatum, & poſt ipſius Sancti tumulum in ſepulchro, quod ipſe ſibi præparaverat, eſt ſepultum. Cujus epitaphium ab eo dictatum habetur hujuſmodi.

die octava Hincmarus ibidem moritur

311 *Ex hoc epitaphio, quod metricum eſt, poſtremos tantùm verſus, quibus ſuam in ſanctum Patronum ſuum fiduciam indicavit, accipe.*

Dulcis Remigii ſibimet*devotio proſit,

ſed tranſlatur Remis: annus & dies obitûs ejus aſſignatur.

i.d. Hincmaro

AUCTORE C. S.

Quâ te dilexit pectore & ore, manu.
Quare hîc subpetiit supplex sua membra locari,
Ut bene complacuit: denique sic obiit.

Tempus vero emortuale illius epitaphio sic additum ab alio est: Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXII. Episcopatûs autem sui XXXVII, mense VII & die quarta. *Annos triginta septem mensesque septem completos hîc accipiendos esse, certum est, hosque si simul cum diebus quatuor incompletis numeraveris à die tertia Maii anni 845, quâ Hincmarum ordinatum diximus, pervenies ad diem* VII *Decembris anni* 882, *quâ oportet illum Sparnaci obiisse, postquam cum* S. Remigii *corpore à die* VIII *Novembris ejusdem anni illuc advenerat. Sirmondus tamen in synopsi Chronica ante tomum* I *Operum Hincmari, ejusdem obitum die* XXI *Decembris signavit, nescio, quo deceptus monumento, vel hallucinatione inductus.*

S. Remigii corpus transfertur Orbacum eodem anno vel sequenti.

B

312 *Mortuo Hincmaro, sacræ* Remigii *exuviæ non diu Sparnaci permansere; sed tutioris asyli gratiâ successit & altera translatio, quam Flodoardus lib.* I, *cap.* 21 *sic breviter tradidit:* Post Hincmari denique Pontificis obitum desiderabilis hic sacrorum thesaurus membrorum ad Orbacense perducitur monasterium. Hîc quoque beatissimi hujus Patroni nostri suffragiis omnis commoditas aëris circumquaque degentibus attribuitur incolis cum insolita fertilitate. *Eadem habet Rotfridus edendus, auritum sese & oculatum testem asserens insolitæ fertilitatis, benignique aëris, quibus Orbacenses accolæ in adventu corporis Francorum Apostoli gavisi fuêre, dum alii cum aëris intemperie alibi conflictarentur. Est autem Orbacum, Gallicè* Orbais, *vetus Ordinis S. Benedicti monasterium, cujus situm ex Galliæ Christianæ auctæ tom.* 9, *col.* 422 *hîc transcribo.* Positum est in extremis Suessionicæ diœcesis finibus, ad Surmelini amnis crepidinem molliter assurgentem in angusta valle, quæ distat ab Augusta Suessionum Gallicis milliaribus tredecim, novem à Remis, à Catalauno undecim; à Sparnaco tandem, Virtuto, Sesanna, Castroque Theodorici quinque duntaxat leucis removetur. *De tempore translationis neuter è laudatis scriptoribus quidquam addidit, sed ex infrà dicendis constabit, illam vel eodem anno* 882, *vel initio sequentis contigisse.*

Fulco Hincmari successor idem sacrum corpus anno 883

C

313 *Multò celebrior latiorque est quarta translatio, facta à Fulcone, qui cùm anno Christi* 883 *in episcopatum Hincmaro suffectus esset, de urbe adversus Normannorum impetus munienda solicitus, murum, quem Ebo, Hincmari decessor, dejecerat, mox cœpit instaurare, otioque, quod barbari dabant, usus, sancti* Remigii *exuvias Orbaco revexit, atque intra civitatem in basilica beatissimæ Mariæ Virginis deposuit. Ambo scriptores, Rotfridus scilicet ac Flodoardus, illam pluribus exponunt; sed horum prior eamdem in Ms. nostro Prumiensi usque in civitatem non perduxit, ut suprà jam monui. Itaque quia isthæc ex duobus illis post Vitas danda sunt, solummodò compendiosè hoc loco delibabo, ac in primis pro chronotaxi tempus rei gestæ ex Rotfrido exponam.* Ilico (*inquit ille de Fulcone archiepiscopo*) primo sui præsulatus anno, tertio mense Siban, qui Latinè Junius vocatur, XV ejusdem mensis die *Orbacum advenit; postridie verò fuisse* diem Resurrectionis Dominicæ, *id est*, diem Dominicam, *ut nunc vocamus, auctor observat.*

die 16 *Junii Orbaco cal-*

314 *Fulconem anno* 883, *mense Martio ineunte Remensem episcopum consecratum esse, aiunt sæpe laudati Galliæ scriptores, atque adeò primum sedis suæ annum adhuc agebat ejusdem anni; mense Junio per Rotfridum assignato. Mensis* Siban *reipsa tertius mensis est Hebræorum, qui partim cum nostro Maio partim cum Junio concurrit; eratque anno* 883 *dies* XVI *Junii dies Dominica, ut habemus ex littera Dominicali* F. *Igitur die* XV *Junii, quæ Sabbatum erat, Fulco cum aliquot suæ provinciæ episcopis, cleroque ac magna populi caterva sub vesperam Orbacum advenit, ibidemque pernoctavit, salubri imbre arentem terram interim refocillante. Postera die Dominica post divina officia solemniter celebrata, sacrum thesaurum tolli jussit, cum eoque, accurrentibus undique accolis, profectus, ad villam vel vicum Calmiciacum pertigit. Ibi illum in parva ecclesia, quam Rotfridus ex aliquorum opinione ab ipso Sancto olim consecratam, Flodoardus verò ejusdem nomine dedicatam fuisse aiunt, ea nocte deposuerunt.*

miciacum, postridie inter multa miracula

315 *Postridie, sive* XVII *Junii, celebratis denuò divinis mysteriis, Fulco iter suum prosecutus, corpus inter illustria miracula, quorum aliqua in edendis legere est, in suburbanam ipsius, in qua antè quieverat, ecclesiam intulit, populoque, ut in crastinum rediret, mandavit. Manè igitur facto, magno numero affuêre, atque inter alios mulier quædam Erluindis ex quinquennali languore parte corporis capta, illuc adrepens, subitò sanari meruit. Condicto tempore advenit cum clero populique optimatibus archiepiscopus Fulco, sublatumque sacrum loculum tandem die* XVIII *Junii, ut tutiùs servaretur, intra urbis mœnia intulit, atque in basilica beatissimæ Virginis Mariæ, quæ metropolitica erat,* in altaris crepidine *collocavit. Neque hæc sine miraculis peracta fuêre:* nam, *teste Flodoardo,* tantam Dominus hîc operatus est hac die miraculorum magnitudinem, ut viri quatuor, fœminæ verò novem, visum; viri quoque duo gressum recipere mererentur. *Cetera vide ibidem.*

in suburbanam Sancti ecclesiam, tertio die intra civitatem Remensem transfert.

E

Heriveus, Fulconi suffectus, Sancti corpus refert

316 *Aliam denique translationem prædictis annexuit Flodoardus, factam ab Heriveo, qui cùm Fulconi, anno* 900 *occiso, successisset, jamque à Normannis minùs timendum Remis esset,* S. Remigii *corpus è basilica S. Mariæ in suburbanam ecclesiam, in qua primò sepultum fuerat, magna cum pompa revexit. De eadem translatione denuò meminit lib.* 4., *cap.* 12, *quod, quià quadam adjuncta, priori loco omissa, continet, totum hîc recitabo.* Hic præsul (*Heriveus scilicet*) corpus B. Remigii, quod eatenus in civitate servabatur, locatum post altare Dei Genitricis majoris ecclesiæ, ad basilicam sepulturæ ipsius Sancti referre disposuit. Erat autem hvemale tempus, & ad celebrandam Dominici Natalis solemnitatem tam rex Karolus (*cognomento* Simplex) quàm nonnulli proceres ejus, in hanc convenerant urbem. Cùmque his diebus, multis imminentibus imbribus, nimium per totam urbem & circumquaque haberetur lutum, conqueri multi cœpêre, qualiter illud sanctum corpus tunc ad locum destinatum valerent efferre.

F

ad suam ecclesiam suburbanam, quod dum fit, sanatur paralyticus,

317 Factum est autem, ut nocte post Sanctorum Innocentium natale, cujus insequente die id operis disponebatur expleri, borea ex improviso media nocte insurgente, totius subitò cœni gelaretur immanitas; ita ut humi limique humore desiccato, per glaciei repentè datæ superficiem sicco liberoque vestigio membra sacra valerent deferri Pontificis. At ubi extra civitatem ventum est ad locum, unde monasterium ipsius directo jam peteretur itinere, claudus quidam, de quo jam suprà retulimus (*lib.* I, *cap.*

A *cap.* 22, *ex quo iſta cum ceteris tranſlationibus dabo*) virtute divina erectus & incolumitati eſt reſtitutus. Ubi cùm multus haberetur populus, turbis undique confluentibus, principi Burgundiæ Richardo vaginæ auro exornatæ, gemmiſque decenter excultæ, agminis denſitate ſtipato, abſcinduntur à baltheo. Quas quidam negotiator emptas per diverſa detulit fora, nec alicubi venundare potuit, donec poſt annum ad eumdem principem in Burgundiam retulit; quas ille cum gratiarum actione & S. Remigii benedictione recepit. *De claudo illo, qui ſcabellis innixus adrepens libero membrorum ſuorum uſu tunc donatus fuit, Flodoardus lib.* 1, *cap.* 22 *ait:* Quem ſoſpitate recepta plurimis vidimus annis incolumem, erectum gradientem, collataque ſibi proſperitate gaudentem.

cujus miraculi erectum exſtat monumentum.

318 *In tanti verò miraculi memoriam eodem teſte, ibidem* poſita deinceps extat columna, cruce præfixa, glorificationis hujus continens monimenta. *Exſtat eadem hodieque, aut certè exſtabat etiam ſeculo proximè elapſo, quando inſcriptionem baſis illius Marlotus tom.* 1 *Hiſtoriæ Metropolis Remenſis lib.* 4, *cap.* 6 *inſeruit, qualem hîc exhibeo.* Nongento primo anno incarnati Domini, ſub quarto calend. Januarii, ſecundaque Sabbati, glorioſo ab hac urbe delato corpore Domini noſtri ac Patroni beati Remigii, cum honore dignitatis utriuſque ordinis concurrebat plebs devotè Heriveo præſuli, Carolo rege ſubſequente cum Richardo principe, Chriſto laudes una mente jubilando conſonè. Cùm fuiſſet huc perlatum pignus ſanctiſſimum, cælitus virtute lapſa, illicò proſiluit (miro dictu *) quidam claudus, directis poplitibus, novo greſſu abhinc ſuum proſequens Remedium, cujus ope adjuvemur hîc & in perpetuum.

B

* *an* mirum dictu?

Sancte, tui Sigloardi miſerere monachi,
Qui ductus amore iſtius patrati miraculi,
Ob iſtius monimentum hunc erexit titulum.

Hæc tranſlatio facta eſt anno vulgari 900,

319 *Eodem prorſus modo hanc inſcriptionem recitavit Colvenerius in ſcholiis ad Flodoardum, plurimis annis ante Marloti Hiſtoriam editis; ut prudenter dubitare nequeam, quin calculi in eadem expreſſi genuini ſint, maximè cùm Marlotus Remis ſcribens illam ſuperſtitem viderit. Verùm hi calculi probant, adſcriptum annum* 901 Incarnati Domini *Dionyſianum eſſe, ducto principio à die* XXV *Martii communis anni noſtri* 900, *atque adeo tranſlationem hanc ſub finem anni noſtri vulgaris* 900 *contigiſſe, niſi vitioſa ſit ipſa monumenti inſcriptio; quod video, ab aliis non fuiſſe obſervatum. Rationem paucis accipe. Tranſlatio hîc dicitur facta* quarto Calend. Januarii ſecundaque Sabbati; *id eſt, die* XXIX *Decembris, feriâ ſecundâ. De die* XXIX *Decembris apprimè conſentit Flodoardus mox laudatus, qui eamdem factam ait*, inſequente die feſtum ſanctorum Innocentium, *quod* XXVIII *celebratur. At verò dicta dies* XXIX *Decembris vulgaris anni* 901 *non erat* ſecunda Sabbati *ſeu feria ſecunda, ſed tertia Sabbati, ſive feria tertia, ut liquet ex ejuſdem anni littera Dominicali* D. *Contrà annus noſter vulgaris* 900 *menſe Decembri litteram Dominicalem habuit* E, *quæ oſtendit, Feſtum Sanctorum Innocentium in Dominicam tunc incidiſſe, diemque* XXIX *Decembris conſequenter fuiſſe* ſecundam Sabbati, *ſeu feriam ſecundam.*

C

niſi vitioſa ſit monumenti inſcriptio.

320 *Jacobus Longuevallius tom.* 6 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag.* 415 *eamdem inſcriptionem Gallicè referens, retinuit* annum 901 Incarnationis Domini *& diem* Lunæ, *ſeu feriam ſecundam; ſed pro die menſis poſuit* XXVIII Decembris; *quod neſcio, utrùm acceperit ex aliquo exemplari, in quo* quinto Calendas *pro* quarto Calendas Januarii *legeretur; an fecerit, ut apparentem errorem ex anno hebdomadaque die emendaret. Verùm ſic contra clarum Flodoardi aſſertum dicenda eſſet tranſlatio non poſtridie feſti Sanctorum Innocentium, ſed ipſo eorumdem feſto contigiſſe. Ceterùm cùm Heriveus pridie Nonas Julii anno* 900 *epiſcopus ordinatus fuiſſe legatur, nihil obſtat, quo minùs ſub ejuſdem anni finem id agere potuerit. Credimus ergò, venerabiles illas magni Francorum Apoſtoli mortales reliquias primo anno archiepiſcopatûs Herivei, Chriſti autem pro noſtro computandi more anno* 900 *in primæ ſuæ ſepulturæ ædem atque in mauſoleum ab Hincmaro erectum relatas fuiſſe, poſtquam illæ anno* 882 *menſe Novembri primò Sparnacum ab Hincmaro, paulò poſt Orbacum, ac denique à Fulcone anno* 883 *intra urbis Remenſis mœnia ad baſilicam B. Mariæ Viginis portatæ fuerant.*

AUCTORE C. S.

Ex Hungarorum metu deponitur in civitate.

321 *Eodem ſeculo ſacrum unà pignus intra eamdem urbem ſecuritatis gratiâ denuo depoſitum fuit, teſte eodem Flodoardo in Chronico ad annum Chriſti* 926, *ubi legitur:* Corpus S. Remigii, & aliorum quorumdam Sanctorum pignora, Hungarorum metu Remis (*id eſt* Remos) è ſuis monaſteriis ſunt delata. *Quamdiu ea tunc ibidem manſerint, non edicit, nec de* S. Remigii *corporis reductione deinde, quod quidem ſciam, meminit; trepidatum etiam ſequenti anno ex eorumdem Hungarorum metu fuiſſe, ſic indicat:* Metus interea falſi rumoris Hungarorum & fugæ per regnum Lotharienſe agitantur & Franciam. *At quocumque tempore reductum fuerit, conſtat reductum fuiſſe ad eccleſiam ſuam, in qua hodieque magnificè quieſcit, ut infrà exponam.*

E

§ XVIII Novæ baſilicæ Remigianæ ædificatio & per S. Leonem IX Papam dedicatio: ſynodus in eadem tunc habita: Sancti corpus ab illo in crypta depoſitum: Privilegia ab eodem conceſſa & ſolemne feſtum annuum indictum.

F

Veteri eccleſia S. Remigii minante ruinam,

Eſqui ſeculo poſt contigit & alia ejuſdem ſacri corporis celeberrima tranſlatio, dedicatioque eccleſiæ, ab ipſo Chriſti Vicario S. Leone IX anno 1049 *facta, quam Anſelmus Remenſis Remigiani monaſterii monachus, rei geſtæ ſpectator, juſſu Herimari abbatis ſui, qui eamdem procuraverat, ſcriptis expoſuit in Opuſculo, quod ejuſdem S. Leonis Itinerarium nuncupavit. Opuſculum hoc tum alii fruſtatim, prout ſubjecta materia exigebat, vulgaverunt, tum Mabillonius in Actis Sanctorum ſui Ordinis Sæculo VI, parte I integrum edidit ex Mss. Remenſibus ſub titulo Hiſtoriæ dedicationis eccleſiæ* S. Remigii *apud Remos. Ibidem in Obſervationibus præviis etiam aliquot alios ſcriptores laudat, qui de eadem honorificè meminerunt. Ego Hiſtoriam illam infrà ſuo loco ex Mabillonio recudam, non integram tamen, ſed reciſa ſynodo Remenſi, quæ ab eodem S. Leone in eadem eccleſia ab illo dedicata, & coram expoſi-*

AUCTORE C. S.

ta S. Remigii *lipſanotheca, tunc celebrata fuit, & apud Labbeum in collectione Conciliorum legi poteſt.*

novam cœpit Airardus, & poſt Theodoricum perfecit Herimarus,

323 *Ut porrò in cœpta tranſlationum narratione pergam, hujus quoque compendium hìc texere viſum eſt, additis nonnullis aliunde acceptis vel in ipſa hiſtoria edenda non recenſendis. Veteri* S. Remigii *baſilica, quam ab Hincmaro amplificatam fuiſſe diximus, minitante ruinam, Airardus ejuſdem loci abbas cœpit novam ædificare. Cœptis immortuo ſuffectus Theodoricus, cùm inchoatum opus majoris moliminis eſſe cerneret, quàm ut conſummari facilè poſſet, aliam ipſe exorſus eſt, quam duodecimo ſuæ prælaturæ anno moriens imperfectam reliquit. Succeſſit ipſi Herimarus, qui Theodorici veſtigiis inſiſtens, illam tandem perfecit, quodque illius deceſſor etiam deſideraverat, alteras curas intendit, ſi quo modo obtineri poſſet, ut illa à ſummo Romano Pontifice dedicaretur. Opportuna autem ſeſe obtulit occaſio. Anno enim* 1048 *poſt admodùm brevem Pontificatum mortuo Damaſo II, Henricus imperator ſucceſſorem deſignavit S. Brunonem epiſcopum Tullenſem, qui ejuſdem juſſu Romam adiens, à clero populoque Romano pariter electus & inthronizatus eſt Pontifex, aſſumpto Leonis IX nomine.*

B

qui & petiit à S. Leone IX Papa, ut illam dedicaret;

324 *Nuper autem promiſerat Herimaro abbati Bruno, ſeſe proximi Quadrageſimalis jejunii tempore peditem ad* S. Remigii *ſepulchrum venturum; cujus promiſſionis memor Herimarus, antequam iſte Romanum iter aggreſſus eſſet, per litteras ab eo petiit, ut, ſi quando in Gallias rediiſſet, promiſſis ſtaret, ſimulque deſiderium ſuum de dedicanda per ipſum eccleſia inſinuavit. Vota ſupplicantis ſuperavit ſanctus Præſul, pollicitus,* etſi nulla alia ſe revocet Eccleſiæ utilitas, vel pro ſolo amore S. Remigii reverſurum ad Gallias, & ejus baſilicam dedicaturum, ſi divina annuerit benignitas. *Nec diu diſtulit promiſſa: nam eodem anno* 1049, *cujus menſis Februarii die* XII *inthronizatus Pontifex fuerat, in Galliam reverſus, novam illam* S. Remigii *eccleſiam dedicavit, ſynodumque in eadem habuit. Nihil hìc memoro de molitionibus, quibus perverſi homines, tam clerici quàm laici, ob ſua crimina malè ſibi a ſancto Pontifice metuentes, apud Henricum I Galliæ regem laboraverunt, ne ille in Franciam ingredi ſynodumque celebrare permitteretur; hæc enim ut multa alia ibidem legi poterunt.*

C

cui hic annuens, Româ Remos venit; quò ingens accolarum

325 *Porrò S. Leo citato anno* 1049 *die* XXIX *Septembris manè ad monaſterium* S. Remigii *advenit, ejuſdemque veneratus ſepulcrum Remenſem urbem ingreſſus eſt, ubi in metropolitica beatiſſimæ Mariæ Virginis baſilica Miſſam ſolemniter celebravit pernoctavitque in palatio proximo. Poſtridie ſummo manè die* XXX *Septembris, ut confluentis populi turbas vitaret, duobus tantùm comitatus capellanis, ad* S. Remigium *regreſſus eſt. Quanta autem hominum multitudo ad ſolemnitatem poſtridie celebrandam eò tunc confluxerit, vel inde colligi poteſt, quòd nec monachis ad perſolvenda ſolita divina officia diurna, nec ipſi ſummo Pontifici ad celebrandam Miſſam in illa eccleſia locus fuerit, Pontificiaque mandata, pollicitationes ac minas adhiberi oportuerit ad evacuandam eccleſiam, ut ſaltem nocturna officia in eadem à monachis peragi poſſent. Nec Franci hi tantùm erant, ſed & exteræ gentes, quas è circumjacentibus regionibus magni* Remigii *nomen feſtique ſolemnitas & ſummi Pontificis litteræ ac præſentia magno numero illuc attraxerat. Adi Anſelmum, iſta in Hiſtoriæ edendæ cap. 2 pluribus exponentem.*

326 *Addo hìc Wibertum, ipſiusmet S. Leonis archidiaconum Tullenſem, in Vita ejuſdem Pontificis data apud nos ad diem* IX *Aprilis cap.* 2, *num.* 12 *&* 13 *breviter ſic ſcribentem:* Invitatur (*S. Leo Papa*) ab Herimaro abbate venerandi cœnobii S. Remigii, Remorum Pontificis, ad conſecrandam eccleſiam in ejus honore reſtructam: ubi non eſt dictu facile, quanta multitudo à finibus terræ, Hiſpanorum, Britannorum, Francorum, Anglorum, advenerit ejus inviſere præſentiam. In qua frequentia adfuit etiam non modicus cœtus pontificum. *Obſervat autem Henſchenius in Annotatis ibidem, in Mss. pro* Francorum *legi* Scottorum. *Præſules verò apud Anſelmum in ſynodo ſic recenſentur:* Remenſis (*archiepiſcopus Wido*) Treverenſis (*archiepiſcopus Eberhardus*) ... Beroldus Sueſſionenſis, Drogo Morinenſis, Rollandus* Silvanectenſis, Adalbero Mettenſis ... Aylenardus archiepiſcopus Lugdunenſis, Hugo Lingonenſis, Joffridus Conſtantienſis, Ivo Sagenſis, Herbertus Liſoienſis, Hugo Baiogacenſis, Hugo Avringenſis, Theodoricus Virdunenſis ... Hugo archiepiſcopus Veſontionenſis, Hugo Nivernenſis, Euſebius Andegavenſis, Pudicus Nannetenſis, epiſcopus Anglorum, & Johannes Portuenſis, *qui cum Pontifice Româ advenerat.*

D

exteraque gentium, multitudo hominum, nec non epiſcoporum

* *al.* Frollandus.

E

327 *Hæc de epiſcopis, abbates verò recenſentur hoc modo:* Abbas S. Remigii Herimarus, domnus Hugo Cluniacenſis, Sigefridus Gortzienſis, Folco Corbeienſis, Rotbertus Prumienſis, Rainoldus S. Medardi, Girvinus S. Richarii, Godfridus Verzelliacenſis, Arnoldus Pultarienſis, Rodulfus Moſomenſis, Oylardus Cathalaunenſis, Milo Dervenſis, Norgaudus Altvillarenſis, Albertus S. Theoderici, Stephanus S. Urbani, Wlfricus S. Auguſtini Cantuarienſis, Alwinus S. Benedicti de terra Anglorum; deinde ceteri, qui, ut ſuperiùs relatum eſt, ſimul fuerunt numero ferè quinquaginta. *Tres illos Anglos miſerat ſanctus rex Eduardus, quantum diſcimus ex fragmento libri fundationis monaſterii Rameſienſis S. Benedicti in agro Huntidonenſi, à Spelmanno tomo* I *Conciliorum Angliæ edito, in quo hæc legere eſt:* Acta ſunt hæc, poſtquam ſupradictus abbas (*Rameſienſis*) Alfwinus repatriavit, revertens de magno concilio, quod Remis à Leone Papa anno Verbi Incarnati MXLIX celebratum eſt, quò miſſi fuerant honorabiliter à rege Edwardo Duduc epiſcopus (*Wellenſis in comitatu Somerſettenſi*) & ipſe Alfwinus Rameſiæ, & Wlfricus de S. Auguſtino, Abbates.

& abbatum magnus numerus convenerat.

F

328 *Porrò eadem de cauſa, ob quam ſanctus Pontifex populum ex eccleſia egredi juſſerat, nempe ne ex nimia frequentia divinum Officium turbaretur, poſtera die, quæ erat* I *Octobris, ob priores tranſlationes* S. Remigio *dudum ſacra, corpus ejuſdem è crypta ſua eduxit, feretroque impoſitum ipſe ſuis quoque humeris in publicum protulit, aliiſque tradidit deferendum ad baſilicam B. Mariæ Virginis, ubi reliquum diem noctemque inter eccleſiaſtica officia honorificè requievit. Poſtridie ſolemnis inſtituta eſt cum eodem per circuitum civitatis ſupplicatio, S. Leone novam illius baſilicam interea conſecrante. Dedicatione abſoluta, venerabile illud pignus ad fores ſuæ eccleſiæ relatum (obſeratæ enim manſerant fores ob rationem mox allegatam) per quamdam feneſtram intromiſſum eſt, & ab eodem Pontifice in primario altari, quod ipſemet conſecraverat, collocatum. Poſt hæc Miſſam ſolemnem de dedicatione eccleſiæ celebravit,*

Pontifex, dum Sancti corpus circumfertur per urbem, intrat baſilicam,

A *vit, ſynodumque in poſterum diem in eadem inchoandam denuò indixit.*

& coram illo ſuper altari collocato ſynodum celebrat;

329 *Die itaque tertia Octobris inchoata eſt ſynodus, triduoque continuata, ex qua ea ſolùm, quæ ad* S. Remigii *poſthumam gloriam pertinent, hîc excerpam, pro ceteris lectore ad Mabillonium, vel Conciliorum editores remiſſo. Ex mox dictis Pontifex corpus ſancti Præſulis non ad cryptam ſuam retulerat, ſed in altari reliquerat expoſitum, cujus rei ipſe, Anſelmo teſte, hanc dedit rationem,* videlicet ut *(ille)* evidens & conſpicuus omnibus apareret oculis in celebranda ſynodo, in qua ſi quis erroneus aliquid frivolum vel eccleſiaſticæ religioni adverſum adſerere præſumeret, erga hunc Vir Dei illius virtutis potentiam per ſui corporis præſentiam exhiberet, quam adhuc in mundo vivens erga Arianum hæreticum exhibuit, cui in conventu epiſcoporum Catholicæ fidei lucem nebuloſi dogmatis umbrâ obnubilare molienti, ad adventum ſuum, divina virtute officium vocis extorſit (*id eſt loquendi facultatem eripuit*) ſed paulò pòſt cum humili ſatiſfactione reatum ſuum agnoſcentem, animæ corporiſque eumdem ſanitate donatum ad filios adoptionis

B tranſtulit. Quæ perorantis Papæ intentio, ex ſuperno inſtinctu procedens, effectu nullo modo caruit, velut hoc Opuſculum ſuo loco declarabit.

in qua cùm Veſontionenſis archiepiſcopus Lingonenſem reum

330 *Declaravit illud in Actis ſynodi ſecundi & tertii diei, ſcilicet in cauſa Hugonis epiſcopi Lingonenſis, quem de Simonia, aliisque gravibus delictis accuſatum Hugo archiepiſcopus Veſontionenſis tueri parans, linguæ uſu ſubitò deſtitutus fuit. Anſelmi verba accipe.* Non ſolum ſe (*Hugo Lingonenſis*) ab objectis nequit excuſare criminibus, ſed etiam ejus cauſidico, ne ad ſui defenſionem quicquam proferre valeat, linguæ munus * adimitur divinitus. Veſonſionenſis quippe epiſcopus, dum ſuſceptum ejus negotium perorare & ad excuſationem criminoſi incongrua quædam decerneret proponere, inſperatò ſibi ſuffragium vocis divino ſenſit denegari numine. Procul dubio magnus Pater Remigius, ob hoc ipſum, ut prædictum eſt, ante conſpectum ſynodi expoſitus à beatæ fidei Papa, etiam hîc ejuſdem virtutis enituit potentiâ, quam * olim, dum adhuc peregrinaretur in terris, Ariani illius exinanivit molimina. Tunc enim hæreticum adverſus Catholicam fidem blaſphemias deliberantem garrire, ne conata perageret, ſed potiùs reſipiſcendo fidelis fieret, ſilentio condemnavit; nunc autem virum, licèt fidelem, ne ſceleratum defendendo delinqueret, uſu loquendi privavit. Et revera divinæ ſublimitatis incomprehenſibilis virtus in utroque hoc facto mirabiliter enituit, quæ & ibi glorioſæ animæ, licèt corporeis adhuc involucris ſeptæ, tantum poteſtatis contulit, & quanta eam jam beatificaverit gloria, nunc circa ejus exanime corpus potenter oſtendit. *De Ariano muto facto ſanatoque vide Vitam ſecundo loco edendam num.* 101 *& ſeq.*

* al. motus

* *forè* quâ

C

malè excuſare niteretur, obmutuit;

331 *Die ſequenti, qui ultimus ſynodo fuit, nuntiatum eſt, Hugonem Lingonenſem, conſcientiâ criminum ſuorum actum, aufugiſſe, & à ſynodo excommunicatus fuit.* Quod (*ait Anſelmus*) audiens archiepiſcopus Veſontionenſis, ſurrexit, & quomodò pridie eumdem reum excuſare nitens, ex divina virtute per B. Remigii merita ſilentio condemnatus ſit, patefecit coram eodem conventu, ſatis devotè veniam petens, quòd ejuſdem miraculi novitatem eò uſque negligenter celârit. Hîc ex pia devotione & alacritate cordis domnus Papa in lacrymas compunctus, ſic ait: " Adhuc vivit beatus Remigius,,. Tunc ex præcepto ejus omnes ſurrexerunt, & cum eo ante ejuſdem Sancti ſepulcrum proſtrati Antiphonam SANCTE REMIGI ex integro devotiſſimè cecinerunt. *Conſonat ferè Wibertus jam laudatus, in Vita apud nos edita cap.* 3, *num* 13, *ubi ait:* Hugo Lingonenſis epiſcopus, multis ac horribilibus infamatus accuſationibus, eſt vocatus ad reddendam rationem; qui prædictum archipræſulem Chryſopolitanum (*id eſt*, Veſontionenſem) utpote eloquentiſſimum, ſibi expetiit cauſidicum ac prælocutorem. Hic igitur coactus à Domino Apoſtolico illius ſuſcepit cauſam dicendam (ſed repentè obmutuit ante cunctorum præſentiam: ut profectò pateſceret, Deum noluiſſe falſis excuſationibus verorum criminum tanti Pontificis inquinari linguam.

ut ipſemet ibidem faſſus eſt: quam ob rem Deo & Remigio gratiæ ſolemniter actæ.

332 Lingonenſis igitur Hugo, hoc miraculo exterritus, noctu, judicium concilii metuens, aufugit. Cunctis verò pro infortunio archiepiſcopi præſentis afflictis & lacrymantibus, Dominus Apoſtolicus cum ſumma contritione cordis ad Chriſtum converſus, ſuis ſanctis precibus ejus impeditam linguam reſolvit. In craſtinum verò in ſynodo idem epiſcopus (*Lingonenſis*) requiſitus, & non adeſſe compertus, lectâ ſententiâ tertiò vocatus eſt. Tunc Veſuntionenſis epiſcopus ſurrexit, & quomodò eumdem reum conatus defendere obmutuerit, coram omnibus patefecit. Quod audiens Domnus Papa, hoc miraculum meritis B. Remigii adſcripſit, & cum omnibus, qui aderant, ſurgens, gratias Deo, inde domno ſancto Remigio, cum magno pſallentio reddidit. *Subdit hîc Wibertus inſignem Hugonis Lingonenſis pœnitentiam, poſtea ab eo ſponte ſuſceptam, abſolutionem criminum ab eodem S. Leone eidem impertitam, ac piam denique in jejuniis corporiſque maceratione ad mortem uſque conſtantiam, quod ad miſericordiſſimi Dei gloriam, ipſiuſque Hugonis commendationem annotamus.*

Sanctus Pontifex in eadem ſynodo altare S. Remigii,

333 *In eadem ſynodo die tertia, quæ erat quinta Octobris, idem Pontifex, eodem teſte Anſelmo ibidem,* privilegium autem, quod fecerat S. Remigio, ibidem in conſpectu omnium recitatum confirmavit, & conſtituit omni tempore, ſicut ſcriptum continebatur, inviolabiliter conſervari; ſicque data benedictione, concilium ſolvit. *Privilegium hoc conceſſerat ipſa die dedicationis eccleſiæ, ſed paulò pòſt primùm ſcriptum fuit, ut patet ex edito apud Mabillonium, ex quo illud totum hùc tranſfero.* Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Herimaro abbati & omni congregationi monachorum ſancti Remigii perpetuam ſalutem. Divinæ bonitatis non immemor & ingratus, quæ ſuâ gratiâ humilitatem meam in Sede Apoſtolica ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſublimavit, ne mea negligentia mihi diſcrimen, eccleſiarum autem faciat ruinam, eccleſias, quæ noſtro Apoſtolatui ſubjacent, Catholicè ordinare, regere & emendare, nec non Apoſtolica auctoritate immunes & liberas facere propoſui, ſi ſancti Spiritus benignus favor mihi annuerit. Unde ex debito noſtri Apoſtolatus poſt aliquas eccleſias, quas zelo ſuccenſus charitatis viſitavi, & divina miſericordia me præveniente, ut potui, emendavi; ad hanc beati Remigii eccleſiam dedicandam, de eccleſiaſticis etiam cauſis tractaturus & definiturus adveni, confidens ſanctiſſimis meritis ipſius adjuvari ad obtinendam Dei miſericordiam, ſi aliquid

AUCTORE C. S.

quid dignum & memorabile egerim ad ipsius honorem & gloriam.

334 Hac igitur dedicata ecclesia, placuit huic idonea & laudabilia auctoritatis & nostræ visitationis relinquere monumenta. Deliberamus itaque, & coram hac sancta synodo promulgamus, statuimus & confirmamus, ut hæc ecclesia hoc privilegium nostræ auctoritatis supra ceteras Franciæ ecclesias habeat, quatenus nulla ecclesiastici ordinis magna vel parva persona in hoc altari, quod consecravimus, Missam celebrare præsumat, nisi Remorum archiepiscopus, & hujus loci abbas, & cui licentiam concedet; permissâ eâdem licentiâ canonicis Remensis ecclesiæ bis in anno, in Pascha scilicet & in Rogationibus, septem presbyteris legitimis ad hoc officium deputatis, quos & scientia ornet, morum gravitas & vitæ probitas commendet. Præterea, quia hæc ecclesia ab iniquis pervasoribus graves & multiplices suarum rerum est passa injurias; ne quisquam amodò villis beati Remigii, quas possidet, vel possidebit, aut hominibus intra vel extra ipsas villas positis, graves consuetudines imponat & iniquas, auctoritate beati Petri Apostolorum principis prohibemus, & quæ hactenus injustè fuerint impositæ, eadem sancta & inviolabili auctoritate, ne ulteriùs fiant, interdicimus, servata hac in omnibus auctoritate, ut consuetudines, quæ justè ei antiquitus sunt constitutæ, ratæ permaneant & inviolatæ.

quod consecraverat, insigni privilegio nobilitat, ejusdemque ecclesiæ

B

335 Hoc etiam nostra auctoritate confirmamus, quòd Wido Remorum archiepiscopus partem, quam in mercato *, quod erat XII Calend. Novemb., beato Remigio nostro obtentu donavit, ea conditione, ut nemo in ipso mercato quinque denariorum pretium per violentiam auferat, nullus, nisi hujus loci abbas, aut cui ipse jusserit, ibi quicquam accipiat. Nullus ad idem mercatum convenientes, quod XII Calend. Novemb. statuimus & promulgamus, veniendo & redeundo cædat, impediat, aut per vim eis aliquid auferat. Statuentes sub divini obtestatione judicii, ut, qui hoc privilegium sanctæ Romanæ Sedis violare præsumpserit, æternam damnationem incurrat. Sub eadem etiam obtestatione, nostro precatu & præfati archiepiscopi voluntario assensu, remissus est ecclesiæ sumtus, quem in festo sancti Remigii accipiebat Remensis archiepiscopus. Datum III Nonas Octobris per manum Petri diaconi., bibliothecarii & cancellarii sanctæ Apostolicæ Sedis, anno domini Leonis IX Papæ I, Indict. III. *De hoc privilegio Anselmus etiam meminit in Historia dedicationis edenda num 29, ubi aliqua annotabimus.*

vetera jura firmat, & nova adjicit: **i. e.* nundinis

C

336 *Prædicta Remensi synodo feliciter finita, sanctus Pontifex inde rediturus in Italiam, die subsequenti, quæ erat sexta Octobris, cum episcopis, abbatibus, ceterisque ecclesiastici Ordinis viris, regressus in ecclesiam est, postque solemne sacrum, quod coram se celebrari fecit, corpus* S. Remigii, *quod in ara principe collocatum hactenus reliquerat, suis rursum suppositis humeris ad cryptam decenter decoréque paratam retulit, fusisque ibidem piis precibus ac lacrymis, in viam se dedit. Haud multò pòst, sed, quantùm apparet, Romam jam reversus, epistolam ad universum clerum populumque Francorum direxit, per quam & suum in* S. Remigium *amorem testatus est, & annuum festum translationis ejusdem à se factæ Kalendis Octobris in Francia observandum instituit. Testem habemus eumdem Anselmum, Opusculum suum claudentem his verbis:* Vir de-

sacrum corpus in cryptam refert, & in Italiam reversus,

nique venerabilis (*S. Leo Pontifex*) sæpe dictum Apostolum nostrum, eo magis ferventi excolens dilectione, eumque summopere desiderans honorare, & illius monasterium sua auctoritate nobilitare, epistolam ejus laude refertam direxit sanctæ Ecclesiæ filiis in Francia constitutis, quâ decrevit, apud eos haberi celebrem ipsius Sancti festivitatem, quæ recolitur Kalendas Octobris... cujus epistolæ textum, quia ordo narrationis videtur exigere, huic Operi dignum judicavimus inferere. Hujus verò exemplar hujusmodi est.

G

337 Leo Episcopus, Servus servorum Dei, fratribus & filiis Catholicis, per universum regnum Francorum constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. Compertum caritati vestræ credimus, quòd post consecrationem nostram, illam videlicet, quâ benignitas Dei humilitatem nostram sanctæ Romanæ Ecclesiæ præesse voluit, Germaniam, Galliamque visitavimus, ac Remorum urbem adeuntes, maximo voto & summa devotione ecclesiam beati Remigii, ut longè antè desideravimus, Deo annuente, & ejusdem sanctissimi Viri patrocinantibus meritis, cum magna gloria dedicavimus, atque post consecrationem ecclesiæ in eadem synodum celebrantes, plurima ad utilitatem Christianæ religionis necessaria, concilio coëpiscoporum nostrorum, assensu etiam & laude cleri & populi, quorum innumera multitudo ad tantæ devotionis celebritatem confluxerat, statuendo confirmavimus: quæ omnia capitulis digesta inter canones haberi præcepimus, & postea in omnibus synodis, quas habuimus, idipsum confirmare curavimus.

epistolâ ad Francos datâ suum in S. Remigium amorem testatur,

E

338 Et quoniam beatissimum Remigium gentis Francorum prædicatorem & apostolum scimus, venerari & honorare illum, quem Dominus in terris & in cælo mirificavit, prout possumus, debemus: præsertim cùm semper in nostro pectore inde ipsius amor ferventiùs ardeat, quòd pretiosissimum corpus ipsius sanctissimi Viri propriis manibus transferentes, in locum sibi præparatum, miraque pulcritudine exquisiti operis decoratum, reposuimus. Unde vestram admonere volumus dilectionem, ut, sicut nos in ejus obsequiis perpenditis gratulari, ita & vos causâ nostri amoris, maximéque ex debito paterni honoris sollemnitatem ejus, quæ est Kalendas Octobris, celebrem habeatis; quia, etsi aliis non est apostolus, tamen vobis est: nam primitiæ apostolatûs ejus vos estis in Domino. Hunc itaque honorem Patri & Apostolo vestro exhibete, ut juxta promissum Domini longævi super terram vivere, & ejusdem Patris precibus æternæ beatitudinis felicitatem mereamini possidere. Valete. *Huic epistolæ nulla adscripta est temporis aut loci nota, nec pro alterutro aliud habemus, quàm quòd Anselmus indicet, S. Leonem ad illam scribendam partim impulsum fuisse miraculo, quod eidem Pontifici obtigerat* anno secundo *post gesta Remis*, cùm Romæ moraretur. *Porrò decretum istud de celebrando festo renovatum fuisse à clero Gallicano anno* 1657 *suo loco videbimus.*

& festum illius Kalendis Octobris quotannis sollemniter celebrandum constituit.

F

* * * *
* * *
* *
*

§ XIX.

A

§ XIX. Magnificum ſancti Francorum Apoſtoli mauſoleum & lipſanothecæ argenteæ : corporis integritas ſeculo XVII confirmata : quales fuerint reliquiæ antiquitus in agro Nivernenſi aliæque in Abbatia Bercetenſi in Italia honoratæ.

Cardinalis Robertus Lenuncurtius fieri curavit

Sancti Francorum Apoſtoli corpus in crypta ſua, in quam illud à S. Leone Papa anno 1049 *illatum fuiſſe dixi, perſeveravit quieſcere uſque in adultum ſeculum* XVI, *quando in mauſoleum verè magnificum tranſlatum denuò fuit, in quo hodieque religiosè ſervatur. Marlotus verbis mox dandis ſumptuoſiſſimi hujus operis auctorem nominat Cardinalem Lenuncurtium, ſive* de Lenoncourt. *Conſentiunt Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptores in ſerie abbatum S. Remigii Remenſis tom.* 9, *col.* 238, *ubi legitur:* Robertus de Lenoncourt II patruum excepit (*in munere abbatiali ejuſdem monaſterii*) anno MDXXIII factus poſtea Catalaunenſis epiſcopus, deinde Cardinalis, tum epiſcopus Metenſis. Sumtuoſiſſimum illud S. Remigii mauſoleum, quod deſcripſimus in Prologo, exſtruxit anno MDXXXIV. *Bailletus laudans Sauſſayum in Gloria poſthuma* S. Remigii, *quod Opus ad manus noſtras non pervenit, aſſerit, iſtud ab ejuſdem Cardinalis patruo ac deceſſore in abbatia, Roberto de Lenoncourt, qui primò Turonenſis, deinde Remenſis archiepiſcopus fuit, cœptum eſſe circa initium dicti ſeculi* XVI, *ſed à laudato Cardinale perfectum. Deſcripſerunt autem illud laudati Galliæ Chriſtianæ auctores ex Marloti Hiſtoriæ Remenſis tom.* 1, *lib.* 3, *cap.* 9, *cujus verba hîc quoque locum merentur.*

ſumptuoſiſſimum mauſoleum è pretioſo varioque marmore,

340 Retro majus altare (*inquit Marlotus*) proſtat S. Remigii mauſoleum, viſendæ pulchritudinis & magnificentiæ; eſt enim omnium, quotquot in Gallia ſunt, pulcherrimum, cujus ex libello noſtro, qui inſcribitur Tumulus Francorum Apoſtoli, typum reponimus. Moles hæc altiùs ad vicenos pedes, & amplius aſſurgit, quæ ſenis utrimque ſtatuis, è candido & lævi marmore affabrè perfectis, exornata, primos Franciæ Pares duodecim tam exquiſito artificio exprimit, ut res tota ad majeſtatem compoſita, tota ad miraculum efficta videatur. Statuæ ſingulæ ſingulis ex jaſpide albo purpurea columnis, & totidem loculamentis, in ipſa mole marmorea excavatis, diſcluſæ ab invicem. Hinc Pares de clero ſex, illinc de prima nobilitate totidem laïci, ſuis quique ſymbolis & teſſeris, ſacris prophaniſque, viſendi ac ſpectabiles: his paludamentum, illis trabeæ, his coronæ, illis infulæ, his torques equitum & gladii, illis ad manum geſtamina litui paſtorales. Denique omnibus certæ ac diſcriminales notæ, ſcuta honoraria, & quæ in rege inaugurando quique præferunt regiæ majeſtatis ac potentiæ ſymbola. Nititur deinde ſummis columnarum capitibus undique circùm oberrans commune epiſtylium, cui corona impoſita cum ſuis Zophoris, partiumque projecturis miram operi elegantiam conciliat.

B

C

341 Hac autem columnari coronide altè effultus eminet in totam ſepulchri molem arcellatus è candenti lapide fornix, æquabili in longum concameratione productus, niſi quòd in extrema duo tympana arcuatim deſinens, in utroque etiam medio latere tympanum aliud aperit, ad poſticum verò in patente ſuper columnas poſteriores areola viſitur in imminenti ſolio reſidens ſanctus Remorum præſul Remigius, qui medium Clodoveum inter & aſſiſtentem ſibi à lævâ D. Theodoricum, tam nativa oris gravitate, tam venuſta oculorum & frontis gratiâ, tam verenda & amabili vultûs & totius corporis majeſtate, accidentem ſibi, Deoque ſupplicem Clodoveum compellat, quaſi vel ei prima fidei pandat myſteria, vel mitiorem, ferocitate jam poſita, Sicambrum ſuaviſſimo Chriſti jugo imperet colla ſubmittere. Quà declivior ſepulchri teſtudo ſupernè ad latera ſe inflectens, in coronidem incumbit, videre eſt in capſulis quinquaginta quatuor diſpoſita duplici in longum ordine anaglypha, utrimque viginti ſeptem, in quorum ſingulis inter geminas ex jaſpide columellas viſuntur expreſſa picto & cælato in argento ſancti Præſulis facta nobiliſſima.

AUCTORE C. S.

auro & argento & gemmis exornatum,

342 Anterior ſepulchri facies, ut eſt prima venientibus objecta, ita pretioſo inprimis & magnifico ſplendidè fulget ornatu. Patet hæc prima frons duplici quadrangulari feneſtra, quarum utraque ingenti lamina ex auro obriſo & ſolido, liliis aureis, ſemitoreumate fuſili prominentibus, viſenda rutilat; & inferior quidem inter duas ex porphyrite pretioſiſſimo columnas tota, tota, quanta eſt, ita liquatis ad auripigmenta metallis radiat, ita pellucidis & pulcherrimo ordine lapillis, unionibus, & ex his quibuſdam inuſitatæ magnitudinis & pretii, collucet, ut venuſtior appareat, quàm cælum ſtellis. Præter hæc ſunt anaglypha in argento innumera, ſerta gemmea & roſæ margaritariæ conflatiles; item ex gemmis atque unionibus, pulcherrimè auro inter ſe nexis, leones, aquilæ, elephanti, columbæ, cruces ingentes, aliaque id genus ſexcenta auratiæ artis & gemmariæ opera præſtantiſſima. At tota hæc, quanta eſt, exterior mauſolei venuſtas & elegantia, à centum circitèr annis Lenuncurtii Cardinalis liberalitate exſtructi, minor eſt, ſi cum his, quæ intùs ſunt, conferatur.

quale hîc deſcribitur ex Marloto.

E

343 Continet enim, ut immortale depoſitum, inclyti Francorum Apoſtoli corpus, ſuis partibus conſtans, ac velut corruptionis expers, in capſa argentea recèns affabrè elaborata, ad prædicti mauſolei figuram multùm accedente. *Hæc capſa argentea, quæ hîc ſtudiosè dicitur* recèns affabrè elaborata, *non fuerit facta à laudato Cardinale Lenuncurtio, ſed toto ſeculo pòſt à Leonorio d'Eſtampes de Valencé, archiepiſcopo Remenſi, quantùm colligere licet ex tom.* 9 *Galliæ Chriſtianæ col.* 161, *ubi in ejuſdem Leonorii elogio legitur:* Anno MDCL veterem capſam S. Remigii, jam inde à temporibus Hincmari confectam, recondi curavit in argenteo loculo. *Cùm ergò Marlotus primum ſuæ metropolis tomum anno* 1666 *typis vulgaverit, haud dubiè hunc ipſum loculum per capſam argenteam* recèns affabrè elaboratam *indicavit.* In eodem & ad pedes S. Remigii ſervatur Chriſma cælitus miſſum, quod AMPULLAM vocant, in vaſe argenteo, auro illito, lapillis & unionibus ſparſo & illuſtrato, cui catenula affixa eſt, quam ad collum admovet abbas, cum à monaſterio ad majorem eccleſiam inſigni

In eo ſervatur Sancti corpus duplici thecæ argenteæ incluſum, item ampulla ſacra,

F


AUCTORE C. S.

pompa pro regum inauguratione ſacram unctionem defert.

Sanctique lituus paſtoralis.

344 Eſt etiam in prædicto mauſoleo baculus S. Remigii, laminis aureis coopertus, quem ferunt ab Hormiſda miſſum, cùm Remigius per regnum Clodovei legatus Apoſtolicus creatus eſt quamvis in charta infrà citanda cap. 14 dicatur per eum à civitate Remenſi dæmonem effugâſſe; quod tamen priorem traditionem non convellit. *Quid de ampulla è cælo accepta ſentiam, ſatis dixi ſuprà in hoc ipſo Commentario, in quo etiam oſtendi, non potuiſſe* S. Remigium *in Clodovei jam baptizati regno cum iis, quibus volunt, adjunctis Apoſtolicus Vicarius conſtitui à S. Hormiſda, ſed eam rem ad Anaſtaſium II vel S. Symmachum referri debere. Quod ad typum magnifici hujus mauſolei attinet, is in noſtro Marloti Remenſis Hiſtoriæ exemplari deſideratur, nec habemus aliud ejuſdem auctoris Opuſculum,* Tumulus Francorum Apoſtoli *inſcriptum; quare coactus fui eumdem ex Vita Gallica, per Renatum Cerizierum conſcripta, à G. Bauſſonnet anno 1633 delineatum, & ab E. Moreau ari inciſum, chalcographo noſtro imitandum dare, ut duo è quatuor illius lateribus ſtudioſi lectoris oculis exhiberem.*

D



B

E

C

F

Alia ornamenta, circa prædictum mauſoleum poſtea addita

345 *Pergit ibidem Marlotus exponere, quæ Cardinalis Lenuncurtii operi poſtea adjecta fuêre, eoque, quo ſcribebat tempore nondum erant perfecta.* Tam aræ principi, quàm mauſoleo, multum nunc ſplendoris & lucis adferunt cancelli ex candido lapide, æreis marmoreiſque columnis mixtim collucentibus, cum epiſtyliis & deaurata coronide, inter ſingulas adyti majores columnas, quæ chori fornices ſuſtinent, exquiſita arte poſiti, quibus perficiendis ſedula cura impenditur, adeò ut totum intercolumnium brevî mirificè ſeptum iri, ſperandum ſit. Horum pulchrior, portam includens, quâ fit aditus ad tumulum, ære publico ac Remenſis ſenatûs pietate ſtructus eſt; alter V. C. D. Talon, advocati generalis in ſuprema Pariſienſi curia, liberalitate; reliqui expenſis R. D. Wilquin, ejuſdem cœnobii Prioris majoris, mihi amiciſſimi, qui ſuos prædeceſſores æmulatus, à quibus parcè vivendo eccleſia altaribus, capſis, ſtatuiſque argenteis, odeo, pictis tabellis, aliiſque operibus exornata eſt, in hoc præſertim incumbit, ut cancellorum elegantiâ, quæ hactenus deeſſe videbatur ad abſolutum chori ornatum, ultimum ſuum decorem accipiat. *Hactenus de pretioſo illo mauſoleo, cum pretioſiore ſuo incluſo depoſito hodieque ſuperſtite.*

Anno 1646 ſacrum corpus repertum eſt integrum,

346 *Bailletus in* S. Remigio *de quadam ejuſdem ſacri corporis viſitatione ſeu inſpectione meminit facta anno 1646 ab eodem illuſtriſſimo Leonorio archiepiſcopo, à quo veterem Hincmarianam lipſanothecam novæ incluſam anno 1650 eſſe, mox diximus. Ejus verba ex Gallicis Latina accipe.* Archiepiſcopus Leonorius D'Etampe de Valençay in ſolemni lipſanothecæ viſitatione facta anno

A no MDCXLVI, cum multis ſpectabilibus teſtibus declaravit, corpus Sancti repertum eſſe in omnibus ſuis partibus integrum, opertumque etiam tunc pelle ſua, findoni ſic adhæreſcente, ut eam tollere auſi non ſint, ne quid corpori ſimul detraherent, ſed ex qua tamen ſatis apparebat, carnem exſiccatam eſſe, qualem illam Hincmarus fuiſſe annotavit, dum anno DCCCLII ſecundam ejuſdem corporis tranſlationem fecit. Hic præſul addit, in hac viſitatione, quæ die XIII Novembris ejuſdem anni majori cum ſolemnitate iterata fuit, ſolum ſacri corporis caput luſtratum fuiſſe; illius frontem ſua pelle, oculos ſuis palpebris tecta viſa eſſe; os ejus omninò patens, in eoque quatuor aut quinque dentes valdè nitidos conſpectos; aliquot etiam circa tempora capillos, ac denique barbam ſatis ſpiſſam, ſed brevem inventam, quaſi non niſi ab octo novemve diebus tonſa fuiſſet.

de ejuſque integritate inſtrumentum factum.

347 *De hac viſitatione etiam parciùs mentionem faciunt laudati Galliæ Chriſtianæ ſcriptores in Leonorio his verbis:* Anno MDCXLVI documentum edi curavit, quo integritas corporis S. Remigii teſtificata confirmatur. *Meminit denique & Longuevallius in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ tom. 6, pag. 33 occaſione tranſlationis olim factæ per Hincmarum, cujus inſcriptio acu picta in velo holoſerico, quo is* S. Remigii *vultum tunc velavit, præcitato anno 1649 reperta fuit, prout num. 302 dictum eſt. Marlotus hiſtoriam ſuam ad eumdem annum non produxit, nec laudatum à Galliæ Chriſtianæ ſcriptoribus documentum Leonorii aliunde nactus ſum, ut cogar hîc à pluribus abſtinere, neſciamque, utrùm hæc corporis inſpectio novæ thecæ argenteæ faciendæ occaſionem dederit, an, ut eadem theca fieret, ipſa inſpectio facta ſit.*

B

Hæc corporis integritas confirmatur ex eo, quòd nullæ reliquiæ

348 *Aſſertæ corporis integritati omnino congruunt, quæ de veterum Remenſium religione in eodem integro conſervando habemus. Hincmarus in Vita num. 120 primam illius tranſlationem enarrans, de reliquiis tum ſeorsùm depoſitis hæc ait:* Ipſaque die tranſlationis ejus cum divinis laudibus ſumptæ ſunt reliquiæ à corpore illius, de capillis videlicet ejus & caſula ac tunica ipſius; & involutum eſt corpus illius integrum, ſed exſiccatum, de brandeo (*id eſt velo funebri*) rubeo. *Nihil ergò tunc præter partem capillorum ex integro Sancti corpore reſectum fuit. Minus etiam ex eodem diminuit Hincmarus, qui deinde num. 133 agens de ejuſdem tranſlatione, quam ipſemet anno 852 ſolemniter exſecutus eſt,* Ipſum, *ait,* corpus ſanctiſſimum, ſicut in anteriore tranſlatione ab epiſcopis Remorum dioceſeos, integrum inventum eſt, & brandeo rubeo involutum. Et cùm de ipſo ſepulchro in locello argenteo eſt tranſpoſitum, pars de brandeo cum ſudario, quod fuerat ſuper caput ejus, aſſumpta in ſcriniolo eburneo, ſecus altare ſanctæ Mariæ in civitate (*quæ eccleſia cathedralis eſt*) honore debito veneratur.

C

ab illo ſeparatæ leguntur, præter capillos

349 *Haſce, nec alias,* S. Remigii *reliquias, ab Hincmaro eccleſiæ ſuæ cathedrali donatas, ſuo tempore ibidem aſſervatas ſatis indicat Flodoardus lib. 1, cap. 21 ſic inquiens:* Sudarium verò, quod ſuper caput ipſius erat, cum parte prædicti brandei, ſcriniolo reconditum eburneo, Remis reſervatur in eccleſia beatæ Dei Genitricis Mariæ. *Imò tanta fuit Hincmari hac in re religio, ut etiam ipſi Ludovico Tranſrhenano, ſeu Germaniæ regi, reliquias ex ejuſdem Sancti corpore petenti, non auſus ſit obſequi. Ita diſcimus ex eodem Flodoardo lib. 3, cap 9 ipſius Hincmari epiſtolam laudante his verbis:* De corpore autem ipſius beatiſſimi Remigii non eſt auſus aliquid ſumere (*Hincmarus*) ſicut ipſe quoque teſtatur in epiſtola ad Ludowicum regem tranſrhenenſem, qui id ſibi ab eo petebat muneris. Sed hic * Pontifex pro maxima præſumptione aſſerit ſe duxiſſe, corpus ejus, quod Dominus per tanta tempora integrum conſervaverat, diſrumpere. *Quod Hincmarus in gratiam Ludovici regis facere non auſus fuit, nec ſucceſſores ipſius deinceps auſos eſſe, probat ſacri corporis integritas circa medium ſeculum* XVII *Leonorii archiepiſcopi Remenſis teſtimonio confirmata.*

AUCTORE C. S.

* *al.* id

ſudarium, pallam &c ac fortè dentes; quorum aliquid

350 *Conſequenter ad hæc ipſi quoque cœnobitæ Sanremigiani Remenſes non alias apud ſe illius reliquias, ab ipſo ſacro corpore diverſas, haberi agnoſcunt præter ampullam ſacram, & pedum paſtorale, mauſoleo incluſa, pallamque, ſeu ſepulcrale auleum. Saltem alias ibidem non noverat Marlotus, qui lib. 3 Hiſtoriæ Remenſis cap. 10 in ejuſdem loci Cimeliarchio inter ſacras reliquias extra mauſoleum aſſervatas de poſteriori unicè meminit ita ſcribens:* Conſervatur ibidem palla, quâ S. Remigii ſepulcrum tectum fuit in ſignum ſanctitatis, antequam corpus ex eo transferretur. Hujus meminit Gregorius Turonenſis cap 79 de Gloria confeſſorum. Hæc albi coloris eſt, rubeis ramuſculis ac leonibus diſcriminata; vulgò Sudarium vocatur, ſed impropriè. Cùm ſiccitate vel morbo epidemico Campania laborat, circumferri ſolet per vicos urbis ab aſcetis proceſſionaliter, quò Deus malum, ſancti Præſulis interceſſione, procul avertat. *Verba Turonenſis ſuprà dedi num. 289 & ſequenti; ubi dictum eſt, per S.* Remigii *invocationem ejuſdemque pallæ ſepulcralis circumlationem Remenſes præſentiſſimum luis inguinariæ periculum feliciter repuliſſe. Vide etiam Hincmarum in Vita num. 117 & annotanda ibidem.*

D

olim potuit fuiſſe in agro Nivernenſi; & aliquid à S. Moderamno

351 *Ex hujuſmodi reliquiis, ex capillis ſcilicet, velo, aliiſve, quæ ad* S. Remigii *corpus utcumque pertinuerant, vel fortè etiam ex dentibus, aliquid fuiſſe dicendum eſt, quod apud Nivernenſes miraculis claruiſſe, Hincmarus in Vita num. 126 tradidit, ut ſequitur:* Quidam Vir nobilis de territorio Nivernenſi, obtentis reliquiis B. Remigii, oratorium in ejus honore in proprietate ſua ædificavit; ubi Dominus multas virtutes per merita ipſius Sancti ſui oſtendit. *Ejuſdem generis fuêre reliquiæ, quas S. Moderamnus, Redonenſis in Britannia Gallica epiſcopus, ſeculo* VIII *in Italiam ſecum tuliſſe, divinoque nutu depoſuiſſe in Bercetenſi monaſterio S. Abundii martyris, quod ab illis deinde* S. Remigii *appellatum fuit. Auctorem denuò habemus Flodoardum, cujus verba ex lib. 1, cap. 20 hîc tranſcribo.* Tempore Chilperici regis extitiſſe fertur Moderamnus, Redonenſis eccleſiæ præſul, vir nobili proſapia oriundus, qui per licentiam prædicti regis limina S. Petri adire diſponens, divertit in monaſterium B. Remigii, ſitum in ſuburbio Remenſis urbis. Ubi liberaliter à fratribus ejuſdem loci ſuſceptus, impetravit à Bernehardo, ſacrorum cuſtode, reliquias de ſtola, cilicio atque Sudario S. Remigii.

E

F

epiſcopo Redonenſi ſeculo 8 allatum dicitur in Italiam

352 Quibus gratanter acceptis, iter incœptum lætus agens, dum permeat Italiam, in monte Bardonum quadam nocte metatum habens, memoratas in ilicis ramos ſuſpendit reliquias. Cúmque diluculo ſurgens, iter cœptum arriperet, immemor horum (nutu, ceu creditur, divino)

AUCTORE C. S.

hæc ibidem remanſêre pignora. Procedente verò aliquantò longiùs epiſcopo, ubi relictarum memor fit reliquiarum, ſuum ſtatim ad has recipiendas dirigit clericum, nomine Vulfadum. Quo ad has perveniente, nullo valet eas ingenio contingere, dum mirabili ſigno, ut eas attingere vellet, elevarentur in ſublime. Hoc præfatus epiſcopus audito miraculo, regrediens, in eodem loco fixit tentorium; ſed relicta pignora eadem nocte minimè valuit recipere, donec facto manè, in monaſterio, quod vocatur Bercetum, in honore S. Abundii martyris inibi conſtructum, Miſſam celebrans, prædictorum partem munerum devoveret ibidem ſe relicturum; ſicque rapta ſibi recipiens, impleto venerabiliter voto, cœptum repetit iter.

donatumque monaſterio Bercetenſi

353 Cui obviam factus Luitbrandus Italorum rex ſtrenuus, qui hanc auditu jam comperat ſacrorum virtutem, amore B. Remigii ductus idem monaſterium, Bercetum ſcilicet, cum omnibus adjacentiis, omnique abbatia, manſos octingentos (ut tradunt) continenti, præfato præſuli Moderamno delegavit, eique in præſentia fidelium ſuorum legali de more veſtituram ex ea

B

& chartam fecit. Remeans autem ab urbe Roma memoratus præſul acceſſit ad venerandum B. Remigii ſepulcrum, atque ſicut illi præmiſſus rex hanc terram tradidit, ita nihilominus ille S. Remigio eandem contulit. Sicque proſperè in ſuum reverſus epiſcopium, ſucceſſorem ſibi ordinari fecit, & valefaciens filiis ſuis, Bercetum monaſterium repetiit, & uſque ad obitus ſui diem in loco illo moderatè & honeſtè, ut ſervus Dei converſatus, vixit. Qui quoque nonnullis deinceps locus miraculis illuſtratus claruit. *De eodem monaſterio rurſum meminit lib. 2, cap. 19 in Ebone archiepiſcopo Remenſi, proximo deceſſore Hincmari, palatinis negotiis nimiùm ſeſe implicante, cujus rei occaſione hæc ſcribit.*

quod hac occaſione a S. Remigio appellari cœptum dicitur,

354 Dum frequenter igitur Ebo præſul in palatio tunc moraretur, hujuſmodi de eo in monaſterio S. Remigii (*Remenſis*) viſio revelata eſt. Erat ibi monachus quidam, nomine Raduinus, genere Longobardus, qui abbas quondam extiterat monaſterii, quod in monte Bardonis in Italia beatiſſimi Remigii celebri pollet memoria, Moderamni Redonenſis epiſcopi ſtudio dedicata. In quo monaſterio, dum præfatus Raduinus monachicæ profeſſionis gereret officia, ductus amore meritorum B. Remigii, ſepulchri ejuſdem limina petiit. Qui cum fratribus

C

ejuſdem loci vitam ducens religioſam, dignè ſeſe ad cæleſtem ſatagebat præparare militiam. *Subditur viſio laudati Raduini, quæ huc non pertinet. Eadem ferè de Moderamno leguntur in noſtro codice Ms., ex quo Vitam ab Hincmaro compoſitam edimus; quod tamen caput quia Hincmari non eſſe credimus, prætermittemus. In hoc codice epiſcopus* Moderannus *vocatur, ab eoque monaſterium Bercetenſe ſcriptoris tempore* Ad ſanctum Moderannum *nuncupatum fuiſſe dicitur; & pro manſis* octingentis *tantummodo* octoginta *legitur. De Raduino ibidem hæc ſolùm legere eſt:* Cujus loci (*Berceti*) canonicus, nomine Radoinus, proceſſu temporis amore B. Remigii in Franciam veniens, in ſuo monaſterio (*Remenſi*) monachus eſt effectus, & pro ſua probitate honorem præpoſituræ adeptus.

& à Liutprando Longobardorum

355 *Sanctus hic Moderannus aliquot Martyrologiis inſcriptus eſt, coliturque officio proprio ritus duplicis* XXII *Octobris per diœceſim Redonenſem in Britannia Minori, ac ſuum etiam peculiarem cul-*

tum habet Berceti, ubi ejuſdem corpus quieſcit. Ad eum itaque diem de eodem agendum erit in Opere noſtro, addendaque, ſi qua præterea ex geſtis ejus aliunde innotuerint. Interim quæ noſtri argumenti nunc ſunt, hîc accipe. Nicolaus Coletus in Additionibus ad Ughelli Italiam ſacram tom. 2, col. 144 *abbatiam Berceti & cognomine oppidum in diœceſi Parmenſi recenſet. Ejuſdem ſitum paulò clariùs aſſignat Auguſtinus Lubinus in Abbatiis Italiæ, nimirum* in ducatu Parmenſi prope Alpes de Bardona dictas, in monte Bardone, ad Orientem Parmæ civitatis. *Paulus Warnefridi diaconus Forojulienſis in geſtis Longobardorum editionis Muratorii lib. 6, cap. 58 idem monaſterium inter Liutprandi regis ſacra ædificia ſic memorat:* In ſumma Bardonis Alpe monaſterium, quod Bercetum dicitur, ædificavit. *At Muratorius, vel quiſquis adjectarum ibidem notarum auctor eſt, poſt Mabillonium ex datis Flodoardi verbis ſtatuit, illud à laudato rege ob depoſitas ibidem à Moderamno* S. Remigii *reliquias bonis ædificiiſque ditatum & auctum, non primùm conditum fuiſſe.*

rege conditum.

D

ſeu potiùs inſtauratum & auctum fuit:

356 *Et verò eſt quidem Pauli diaconi auctoritas potior, quippe qui Longobardus ipſe Italusque eodem ſeculo* VIII *ſcripſit, quo Liutprandus regnavit; Flodoardus Gallus Hiſtoriam ſuam Remenſem primùm ſeculo* X *exaravit in Gallia: cùm tamen Pauli verba interpretationem Muratorii haud difficulter admittant, non eſt, cur Flodoardum erroris arguamus; maximè cùm Bercetenſis monaſterii hiſtoria Remis facilè nota fuiſſe potuerit ex Raduino, quem ſeculo* IX *ex ejuſdem loci alumno vel abbate Remenſem monachum factum fuiſſe diximus; eòque etiam magis, ſi, ut Flodoardus aſſerit, Bercetenſe monaſterium Remenſi aliquando fuerit ſubjectum. Utut ſit, utroque ſcriptore in Liutprandum conſentiente, non videtur dubitandum, quin pius hic rex Bercetum ſaltem auxerit in honorem* S. Remigii, *idque occaſione à Flodoardo allegata. Certè illud* S. Remigii *nomine deinde appellatum fuiſſe, probant duo regum Italiæ diplomata ſeculi* X, *apud Muratorium tom. 6 & 2 Antiquitatum Italiæ edita.*

E

An etiam Remenſi monaſterio unquam ſubjectum?

357 *Primum datum anno Chriſti* 922 *Rodulphi regis eſt, quo ille* abbatiam de Berceto, in honore ſancti Remigii conſtructam in comitatu Parmenſi cum omnibus pertinentiis *Parmenſi epiſcopatui olim donatam, confirmavit. Per alterum Hugo item rex Italiæ anno* 930 *eamdem donationem confirmans, iiſdem uſus eſt vocibus:* Abbaciam ſcilicet de Bercetum in honore ſancti Remigii extructam &c. *Hinc porrò liquet, monaſterium illud ſeculo* X *epiſcopatûs Parmenſis juris fuiſſe, cui iſtud jam à ſeculo* IX *donatum fuiſſe, docent etiam alia diplomata ab Ughello tom. 2. Italiæ ſacræ aucta in epiſcopis Parmenſibus relatæ, in quibus tamen ſine ullo* S. Remigii *aut* S. Abundii *vel* Moderamni *titulo* abbatia de Berceto *tantummodo appellatur. De ejuſdem autem ſubjectione monaſterio Remenſi nihil ejuſmodi inveni: quapropter ſi iſta donatio à S. Moderamno umquam fuerit facta, non diu videtur tenuiſſe. Adde, quòd ſatis mirum videri debeat, ſi Liutprandus Longobardorum Italiæ rex permiſerit, ſui regni abbatiam alteri in Francia ſito donari.*

F

A

§ XX. Reliquiæ è Sancti dentibus, capillis &c variis in locis honoratæ: quid cenſendum de ſacris oſſibus, quæ velut ipſius eſſent, alibi aſſignantur: Florentiæ eccleſia ipſi dicata: vetuſtus ac recentior ejuſdem cultus.

Sancti reliquiæ è capillis, cilicio &c donatæ cuidam prioratui in Provincia,

B

Præter eccleſias præcedenti § nominatas multò etiam plures ſunt, quæ de ejuſdem ſancti Francorum Apoſtoli reliquiis ſibi datis gloriantur. Apud Marlotum tom. 1 *pag* 357 *lego, aliquam earumdem donationem à Remigianis cœnobitis Remenſibus anno* 1251 *factam eſſe prioratui* S. Remigii *in Provincia, diœceſis Avenionenſis, qui à monaſterio Remenſi tunc temporis dependebat. Donationis inſtrumentum ex Actis capitularibus ibidem recitat Marlotus, & ex hoc ego, quantùm ad noſtrum argumentum pertinet, ſubjungo.* Univerſis præſentes literas inſpecturis Henricus Prior, Joannes Cantor, totuſque S. Remigii Rem. conventus &c. Tranſmittimus vobis de cilicio, de caſula, de capillis & de ſarcophago beatiſſ. Remigii, de oſſibus ſancti Clementis Papæ & Martyris ... de baculo ſancti Remigii, per quem à civitate Remenſi dæmonem effugavit.... Datum Remis ann. MCCLI menſe Januario. *Ita ibi; ſed dubito, an menſis vel annus rectè ſe habeat, quia Marlotus obſervans, inſtrumentum hoc, abbatiali ſede vacante, factum eſſe, tamen poſtremi abbatis Petri de Sacy obitum ibidem in diem* VIII *Octobris ejuſdem anni* 1251 *incidiſſe præmiſerat. Porrò cùm in eodem inſtrumento nulla fiat de* S. Remigii *oſſibus mentio, hæc donatio nullam hinc difficultatem patitur.*

quales fortè etiam ſunt, quæ aliquot aliis locis adſcribuntur:

C

359 *In Opere noſtro tom.* 1 *Februarii pag.* 403, *num.* 49 *ex Adamo Bremenſi & Alberto Stadenſi dicitur S. Anſcharius archiepiſcopus Hamburgenſis ſeculo* IX B. Remigii cimelia ... cum ingenti honore ſervaviſſe Bremæ. *Agi autem hîc de* S. Remigio *Remenſi, ex præmiſſis manifeſtum eſt. Ibidem pag.* 791 *&* 792 *in S. Vedaſto epiſcopo Attrebatenſi legitur anno* 1287 *Attrebati facta ſolemniſſima ſacrarum reliquiarum, & inter haſce* SS. Vedaſti, Remigii & Hilarii *tranſlatio, cujus feſtum annuum Dominicâ ſecundâ poſt Paſcha Officio ritus duplicis majoris ibi recoli ſolet. Tomo* 3 *ejuſdem menſis Februarii pag.* 4, *num.* 45, *& pag.* 103, *num.* 15, *inter reliquias, quas S. Angilbertus abbas Centulenſis in ſua eccleſia depoſuit, etiam aliquæ* S. Remigii *memorantur. Rurſum pag.* 453, *num.* 19 *&* 20, *in Dedicatione baſilicæ Trevirenſis S. Matthiæ apoſtoli, ab Eugenio* III *ſummo Pontifice facta, dicuntur aliquæ* Remigii *in altari principe, itemque in altero ad ejuſdem S. Matthiæ tumbam erecto, tunc impoſitæ ſervari. Denique (nam longum tetricumque eſſet, ſingulos tomos noſtros percurrere) tom.* V *Septembris, pag.* 415 *quædam etiam in monte Caſſino* S. Remigii *reliquiæ honorari leguntur. Hæ omnes ſi tantùm ex ſtola, caſula, velo, cilicio, vel etiam ax capillis dentibusve ſint, nihil obſtat, quo minùs Sancti Francorum Apoſtoli eſſe queant; ſecùs ſi ex oſſibus, propter illius corporis integritatem ſuperiùs aſſertam.*

AUCTORE C. S.

verùm oſſa, quæ velut S. Remigii Remenſis variis locis,

360 *Etiam plures recenſet Arnoldus Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico, quarum certè aliquot ſancti Remorum epiſcopi eſſe non poſſunt. Pag.* 42 *aliquid* de ſancto Remigio *attribuit eccleſiæ collegiatæ S. Amati Duaci: pag.* 82 de oſſibus S. Remigii epiſcopi *cœnobio Cameracenſi S. Autberti, quod Canonicorum Regularium S. Auguſtini eſt: pag.* 269 *eccleſiæ cathedrali Leodienſi* de dente S. Remigii: *pag.* 305 *Attrebatenſi eccleſiæ Cathedrali* Reliquias SS. Vedaſti, Remigii & Hilarii: *demum pag.* 315 *Tornacenſi item cathedrali eccleſiæ* duas capitis oſſium portiones S. Remigii Remenſium archiepiſcopi. *Aliquas item ejuſdem Sancti reliquias Coloniæ Agrippinæ aſſervatas ſcribit Ægidius Geleníus in ſacra & civili Magnitudine iſtius civitatis; videlicet pag.* 310 *aliquid de* S. Remigio epiſcopo *in eccleſia collegiata B. M. V. ad gradus; & pag.* 456 *in Cartuſia* os magnum, & aliud parvum S. Remigii epiſcopi Rhemenſis.

ac præ ceteris liberaliùs Bucelinus adſcribit,

E

361 *At nemo liberalior fuit in reliquiis ſancti Remenſis Archipræſulis aliis locis adſcribendis, quàm Gabriël Bucelinus in Sacrario Benedictino, quod ſui Ordinis Menologio adjecit, & in quo id ita præſtitit, ut (quod mireris) ex toto ejuſdem Sancti corpore Remenſibus nihil planè reliquerit. Etenim ad Kalendas Octobris poſt breve* S. Remigii *Remenſis elogium*, Hujus ſacrum corpus, *inquit*, aſſervatur in cœnobio S. Medardi; caput in Münſterlingen ſervari, Piſtorius ait; chryſma autem cæleſte regibus ungendis in S. Remigii: inſigne os ejuſdem Sancti in monaſterio Georgimontano. *Per* S. Medardi *cœnobium deſignat Sueſſionenſe Ordinis Benedictini; Münſterlingen in Topographia Germaniæ parte* 2 *pag.* 63 *ait eſſe celebre virginum Benedictinæ profeſſionis monaſterium, in ripa lacus Podamici, haud procul ab urbe Conſtantia diſſitum: Georgimontani notitiam ibidem pag.* 39 *hanc tradidit:* S. Georgii mons, vulgo Jergenberg, in æditiſſima rupe ſupra Schwazium in Tiroli, ſitum inacceſſo penè loco cœnobium Ordinis etiam Benedictini, in quo maximus omninò ſanctarum reliquiarum theſaurus aſſervatur.

F

fortè ſunt S. Remigii Rotomagenſis,

362 *De prædictis omnibus ſacris oſſibus generaliter dici poteſt, non eſſe* S. Remigii Remenſis, *obſtat enim corporis illius integritas, quam hactenus non legi impugnatam, nedum authentico aliquo inſtrumento convulſam. Speciatim verò de Bucelino pronuntiare licet, hunc in ejuſdem* S. Remigii *corpore Sueſſionenſibus Benedictinis attribuendo deceptum fuiſſe ex nominum temporumque confuſione. Floruit ſeculo* VIII *S. Remigius, aliàs etiam* Remedius *dictus, archiepiſcopus Rotomagenſis, de quo in Opere noſtro actum eſt ad diem* XIX *Januarii, quo colitur. Hujus ſacrum corpus ibidem num.* 7 *& ſequentibus dicitur Rotomago, ubi ſepultum fuerat, aliquando Sueſſiones tranſlatum, & in baſilica monaſterii S. Medardi, regnante præſenteque Carolo Calvo, depoſitum fuiſſe; ac demum hinc anno* 1090 *Rotomagum revectum eſſe. Quam ob rem corrigitur ibidem error doctoris Jacobi Mennelii, qui, quòd ejuſdem corporis relationem ignoraret, in quodam libro Friburgi Briſgoiæ anno* 1520 *typis edito dixerat, iſtud ſuo etiam tempore Sueſſionibus ſingulari cum pietate honorari.*

quem Bucelinus hîc cum Remenſi confudit,

363 *Conſentiunt nobis Galliæ Chriſtianæ continuatores tom.* 11 *col.* 20 *paucis his verbis:* Corpus ejus (*S. Remigii Rotomagenſis*) in ſua cathedrali conditum, delatum eſt poſtea ad S. Medardum Sueſſionenſem, & anno MXC ad ſuos Rotomagenſes in baſilicam S. Audoëni relatum;

AUCTORE C. S.

sed anno MDLXII cum plurimis aliis Sanctorum pignoribus à neotericis (*Hugenottis*) in cineres redactum. *Bucelinus itaque Rotomagenſem S. Remigium cum Remenſi confudit, ac præterea vel aberrantem Mennelium ſecutus, vel aliter ignorata ſacri corporis ad Rotomagenſes reductione, credidit illud in Sueſſionenſi Medardina eccleſia ad ſua uſque tempora aſſervatum. Credibile eſt, ex ſynonymorum confuſione factum, ut, qui reliquias alicujus S. Remigii, forſitan Rotomagenſis, habebant, facilè libenterque ſibi perſuaſerint, eas magni Francorum Apoſtoli eſſe. De oſſibus loquor; nam ex dictis nil vetat, quo minùs aliquid ex ejuſdem capillis, veſtibus aut ſimilibus rebus ad ipſum utcumque pertinentibus, varii obtinuerint. Simile eſto de dentibus judicium; quia in viſitatione anno* 1646 *à Leonorio archiepiſcopo Remenſi facta* quatuor *tantùm* aut quinque dentes *in ejuſdem ſacro ore conſpecti fuêre, ut ſuprà dictum eſt.*

vel alterius Sancti ſynonymi; uti & os Florentiæ aſſervatum

B

364 *De capite Münſterlingæ ſervato nihil uſpiam legi præterea, nec locum exprimit Bucelinus, in quo id aſſeruit Piſtorius; at certè illud* S. Remigii *Remenſis non eſſe, ex allegatis ſatis ſuperque conſtat. Eadem ratio eſt de duabus oſſium capitis portionibus, quas à Rayſſio eccleſiæ cathedrali Tornacenſi attribui dixi: nec inquiro, an hæ & illud Remigii Rotomagenſis, an alterius mihi ignoti Sancti ſint. Denique quas in monaſterio Georgimontano in Tiroli coli ait Bucelinus, reliquias, hæ non ſunt* S. Remigii *Remenſis, ſed* S. Remedii *vel* Romedii, *etiam alibi in Tyroli, velut indigenæ culti, de quo hoc ipſo die egimus. Florentiæ quoque in Tuſcia* unum os S. Remigii epiſcopi *in pretio haberi ſcribit Joſephus Richa Societatis noſtræ presbyter in Notitiis hiſtoricis eccleſiarum Florentinarum, anno* 1754 *ibidem ſermone Italico editis, & ad nos dono miſſis, parte* I, *tom.* I, *pag.* 259. *Scribit, inquam, os iſtud Florentiæ honorari in eccleſia,* S. Remigio *Remenſi ſacra, quem vernaculè* San Romeo *ibi appellant. De hoc ſacro pignore eadem, quæ de prædictis difficultas redit, de qua nihil hîc addo.*

in eccleſia, San Romeo dicta,

C

365 *Verùm hac occaſione agendum eſt de eccleſia illa Florentina, maximè quòd Papebrochius de ejuſdem Sancto titulari malè fuerit inſtructus. Tom.* VI *Maii in Appendice ad diem* XXVIII *edita Vita eſt venerabilis Mariæ Bagneſiæ virginis Florentinæ, tertii Ordinis S. Dominici, in qua ibidem pag.* 115* *num.* 7 *dicitur illa ſui pectoris arcana credidiſſe* confeſſario ſuo, reverendo magiſtro Raphaëli, rectori S. Romæi. *Papebrochius in Annotatis ad hæc lit.* f *putavit, hunc* Romæum, *iſtius eccleſiæ patronum, eſſe ejuſdem nominis Beatum, Lucæ in Etruria, ubi illius corpus quieſcit, honoratum, ac cetera parùm notum, de quo ſimul cum S. Avertano egerat Henſchenius ad diem* XXV *Februarii. Sed fefellit Papebrochium nominis à vulgo facta & à biographo adoptata mutatio: nam* Romæum *ibi pro* Remigio *uſurpari, certum eſt. Ita omnino conſtat ex laudato Richa, qui adductis inſtrumentis probat, eccleſiam, quæ Florentiæ* San Romeo, *aliàs etiam* San Remigio, *ſolet appellari, & præter quam nulla* Romei *nomine in eadem civitate exſtat eccleſia, non alteri, quàm* S. Remigio *dicatam eſſe.*

quæ tamen S. Remigium patronum habet.

366 *Hoc ipſum etiam liquet ex libro, ut vocant, baptiſmali ejuſdem eccleſiæ, ex quo deſcriptum habemus authenticum teſtimonium de baptiſmo laudatæ venerabili Mariæ Bagneſiæ anno* 1514 *in eadem collato, quod R. P. Ferdinandus Bagneſi, Societatis noſtræ presbyter, ejuſdem Virginis conſanguineus, nobis tranſmiſit. Deſcriptionem eccleſiæ, in qua Bagneſiana familia ſacellum ſuum habet, dat Richa, & ex antiquo inſtrumento docet, eodem in loco olim fuiſſe publicum hoſpitium ſeu xenodochium Francorum, Romam peregrinantium; atque hinc opinatur, vocabulum* Romeum *corruptam vocem eſſe, ac fortè derivatam ab eo, quòd peregrinus Romam petens à vulgo Florentino olim forſan dictus fuerit* Romeo. *Cenſet denique, hanc eccleſiam circa annum* 1078 *producto civitatis ambitu, parochialem factam eſſe, qualis hodieque eſt. Veriſimilia hæc ſunt; ſed quid ni liceat etiam ſuſpicari, ſacrum os ibidem aſſervatum, quod* S. Remigii *Remenſis eſſe nequit, fortè ſuprà dicti B. Romei Lucenſis eſſe, & ab hoc eccleſiam, neglecto, cui dedicata erat,* S. Remigii *titulo,* ad S. Romeum *à populo appellari cœpiſſe. Fateor tamen, ſuſpicionem admodùm incertam eſſe, ac penitus evertendam, ſi conſtet, prædictum ſacrum os non eſſe Romei Lucenſis, vel Florentiam allatum eſſe, poſtquam S. Romei appellatio eidem eccleſiæ jam adhæſerat, quod utrumque eruditi Florentini forſan facilè poterunt edicere.*

D

Feſtum ejus ad Kal. Octob. celebre jam erat ſeculo 6

E

367 *Mitto plura de reliquiis, atque aliqua de ejuſdem feſtivitatibus adjungo. Non repetam hîc vetuſta ac recentiora Martyrologia, quæ initio hujus Commentarii recitavi, & in quibus ad duos potiſſimùm dies nomen ejus inſcriptum legitur, videlicet ad* XIII *Januarii, qui emortualis eſt, & ad* I *Octobris, quo tranſlationes ſacri corporis illius ſuprà expoſitæ contigerunt. Hujus poſterioris feſtivitatis antiquior celebriorque exſtat memoria, jam ab ipſo, quo ille obierat, ſeculo* VI *celebrari ſolitæ. Ita teſtatur ejuſdem temporis ſcriptor S. Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Francorum lib.* 8, *cap* 21, *ubi narrans Boſonem-Guntchramnum eo die corpus defunctæ matronæ, quæ uxoris illius propinqua erat, in cathedrali eccleſia Metis ſepultum, omnibus ornamentis ſuis impiè ſpoliari juſſiſſe, hæc ait:* Factum eſt autem, ut poſt dies paucos (*quàm illa ibi ſepulta fuerat*) adeſſet feſtivitas B. Remigii, quæ in initio Octobris celebratur. Diſcedentibus autem multis è civitate (*nimirùm ad feſtum illud in quadam eccleſia ſuburbana celebrandum*) cum epiſcopo & præſertim ſenioribus urbis cum duce, venerunt pueri Boſonis-Guntchramni ad baſilicam, in qua mulier erat ſepulta *&c. Ex hoc facto, quod anno* 585 *contigit, liquet, jam tum celebrem fuiſſe eam feſtivitatem; quippe quæ tanto cum populi affluxu etiam apud civitatem Metenſem extra Remenſem provinciam agebatur.*

F

in Gallia, reperiturque in vetuſtis Ritualibus,

368 *Eamdem cum ſua Vigilia etiam ſignatam habet codex Remenſis, quo pro editione libri Sacramentorum S. Gregorii Magni uſus eſt* Hugo Menardus, *qui illum ſub Carolo Magno ſcriptum fuiſſe ſtatuit, & inter Annotata ibidem pag.* 181 *& ſequenti in eodem ſic legi aſſerit:* PRIDIE KAL. OCTOB. vigilia S. Remigii, ORATIO. Hæc nobis ſolemnitas beatiſſimi Remigii confeſſoris tui atque pontificis meritis inchoata &c. SUPER OBLATA. Deſcendat, quæſumus, Domine, ſuper hoc ſacrificium miſericordia tua &c. CONTESTADA (*id eſt Præfatio.*) Quo igitur interveniente B. Remigio confeſſore tuo, ſupplices pietatis tuæ miſericordiam poſtulamus &c. POST COMMUNIONEM. Credimus magnum iſtum pietatis myſterium. *Hæc de Vigilia; de ipſo autem feſto ex eodem codice iſta ſubjicit:* KAL. OCTOB.

A OCTOB. Natale S. Remigii episcopi & confessoris. ORATIO. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedente B. Remigio confessore tuo &c. SUPER OBLATA. Ut hæc accepta sit Domino &c. PRÆFATIO. Semper gratias agere, atque in laudibus tuis cum lætitia & exultatione S. Remigii confessoris tui præconia dicere, laudes attollere, atque jugiter exultare; cujus hodie annua Solemnitate depositionis festa celebramus &c. POST COMMUNIONEM. Præsta, quæsumus, ut, intercedente sancto Antistite tuo, cujus hodierna die in conspectu Majestatis tuæ beatitudinis gloriam dignis laudibus celebramus &c. SUPER PLEBEM. Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, meritis sancti antistitis & confessoris tui Remegii hanc plebem tua solita miseratione custodi &c.

ut & nomen ejus in Canone Missæ; idem festum synodus Moguntina

369 *Hactenus Menardus, qui ibidem pag.* 15 *præmiserat, in eodem codice, alioque seculi* X, *quem* Ratoldi *appellavit, nomen* Remigii *in ipso Missæ canone inscriptum legi. Observo etiam, etsi dies Sancti emortualis credatur fuisse* XIII *Januarii, nihilominus Kalendis Octobris festum ejus* B Natale *signari propter celebrem ejusdem corporis translationem, quam hoc die factam dixi. Neque hoc exemplo caret in aliis Sanctis, quorum festa natalia seu obitus simili de causa ad alios dies translata fuere. Eumdem Kalendarum Octobrium diem per universum Caroli Magni imperium sancto Franciæ gentis Apostolo sacrum voluere patres qui, eodem imperatore volente anno* 813 *Moguntinam synodum celebrârunt, cujus canon* 36, *quem velut* S. Remigio *valdè honorificum, ex collectione Conciliorum Labbei tom.* 7, *col.* 1250 *huc transfero, sic habet.* Festos dies in anno celebrare sancimus. Hoc est, diem Dominicum Paschæ, cum omni honore & sobrietate venerari; simili modo totam hebdomadam illam observari decrevimus. Diem Ascensionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecosten, similiter ut in Pascha.

sub Carolo Magno servari præcepit in Gallia,

370 In Natali apostolorum Petri & Pauli diem unum, Nativitatem sancti Joannis Baptistæ, Assumptionem sanctæ Mariæ, Dedicationem sancti Michaëlis, Natalem S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ. In Natali Domini dies quatuor, Octavas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem sanctæ Mariæ. Et illas festivitates C Martyrum vel Confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt. Similiter etiam Dedicationem templi. *Observa, hîc inter pauca illa festa omnibus passim communia duobus tantùm Galliarum Sanctis* Remigio *ac Martino locum datum esse; quod singulari erga ambos patrum Moguntinæ synodi venerationi adscribendum est. Diem mensis* Remigio *sacrum etsi non exprimant, hunc tamen non* XIII *Januarii, sed* 1 *Octobris designari, manifestè colligitur ex ordine festorum, cùm medius ponatur inter* Dedicationem S. Michaëlis, *quæ* XXIX *Septembris recolitur, Natalemque* S. Martini, *qui* XI *Novembris celebratur. Ceterùm hic canon relatus est loco* 35 *in Capitulari Ludovici Pii imperatoris apud Baluzium tom* 1 *Capitularium regum Francorum lib* 2, *col.* 748.

ac seculo XI renovavit S. Leo IX Papa.

371 *De eadem festivitate mentio fit in concilio Pistis ad Sequanam, Galliæ fluvium, anno* 862 *habito, in cujus capite* 3 *quibusdam iniquis prædatoribus spatium satisfaciendi concessum est* usque ad Missam S. Remigii, id est, Kalendas Octobris. *Vide Labbei Concilia tom.* 8, *col.* 780. *Incertum tamen est, quamdiu prædicta Moguntina sanctio observata fuerit; at saltem multis in locis vel exoleviſſe vel refrixisse videtur seculo* XI, *quo S. Leo IX summus Pontifex post translatum à se Remis* S. Remigii *corpus eadem die* 1 *Octobris anni* 1049, *dedicatamque postridie novam ejus ecclesiam Remensem, jamque Romam reversus, Apostolicas litteras ad Francos direxit, ut solemnitatem illius ad Kalendas Octobres in posterum celebrem agerent. Litteras jam recitavi suprà num.* 337 *& sequenti, quas tamen Marlotus tom.* 2 *pag.* 105 *suspicatus est, non tam ab illo datas fuisse, ut intermissam festivitatem restitueret, quàm ut jam tot seculis observatam majori cum solemnitate celebrandam Gallis persuaderet; quod & ab illis, inquit, tunc religiosè observatum, ex vetustioribus Breviariis posset probari.* AUCTORE C. S.

Hanc Francorum in sanctum Apostolum suum pietatem

372 *Post hæc conqueritur laudatus historicus Remensis, hanc Francorum in Apostolum suum bene meritam venerationis testificationem denùo déferbuisse, donec ea, suggerente impellenteque R. P. domno Stephano Wilquin, monasterii San-Remigiani Remensis Priore majori, in generalibus cleri Gallicani comitiis anni* 1657 *utcumque restituta fuit. In hunc finem profert duo instrumenta authentica, ex Actis cleri Gallicani in comitiis Parisiensibus, quod alterum Latinè scriptum huc transferam; alterum, quod Gallicum est, sufficerit compendiosè præmisisse. Itaque anno* 1657, *die* XVII *Martii illustrissimus dominus Felix Vialar, Catalaunensis episcopus, in laudatis comitiis in majori conventu patrum Augustinianorum habitis, nomine provinciæ Remensis exposuit,* S. Remigium *pro Francorum Apostolo semper agnitum, magnis elogiis à summis Pontificibus primique ordinis personis celebratum, à regibus in peculiari veneratione habitum, ac de tota gente optimè meritum fuisse; his de causis ejusdem festivitatem per universum Francorum regnum multis seculis studiosè, sollemniter piéque actam esse; sed deinde, præsertim nuperis temporibus, multis in locis neglectam.* E

revocare conatus est clerus Gallicanus

373 *Rem porrò dignam esse zelo sacri illius consessus, publicam cleri populique erga glorioſum Patronum Franciæ pietatem resuscitare, atque omnes hortari episcopos, ut eamdem in suis quique diœcesibus commendent, efficiantque,* ut ejusdem Officium, saltem aliorum festorum dupliciumque more, ubique celebretur. *Post hoc Catalaunensis episcopi postulatum dominus le Gentil, ecclesiæ Remensis vicedominus, litteras capituli sui obtulit, quibus eadem flagitabantur. Placuit congregatis patribus pia petitio, ex eorumque unanimi consensu sequentes encyclicæ litteræ sermone Latino scriptæ fuerunt.* F

Universis per Gallias episcopis cœtus ecclesiæ Gallicanæ salutem in Domino. Cùm sancti Remigii archiepiscopi Remensis festiva celebritas, tum ecclesiæ Gallicanæ conciliis, tum summorum Pontificum decretis, regumque nostrorum Capitularibus luculenter per tot secula sancita sit; attamen illud lugendum accidit, ut, quæ magis vetustate commendanda fuerat, frigescente populorum pietate obliterata, vel feré sileatur, aut saltem tanti Francorum Apostoli & Doctoris non condignis honoribus celebrata memoria vilescat.

in comitiis generalibus Parisiis anno 1657 *celebratis.*

374 Ille enim sicut optimè novit charitas vestra, quasi secundus Silvester, subditâ Christo regi mortali purpurâ, Clodoveum nostrum, tamquam novum Constantinum, abjectis inanibus

AUCTORE C. S.

bus diis, docuit adorare, quod incenderat, & incendere, quod adoraverat, ac demum miraculis atque doctrinâ ad fidei communionem adductis cum principe populis, & idololatriæ, lepræ nempe veteris, salutari lavacro abluta Francorum labe, hujusce Christiani regni sub Christianissimis regibus dedicavit Christo primitias, & Ecclesiæ suæ primogenitos peperit atque defensores. Cumque gauderet Græcia, quòd sola haberet principem legis nostræ, non deesse & reliquo orbi claritatem suam ostendit; * occiduis effulgurante siquidem recidivis * partibus in rege non novo novi jubaris lumine. Certè si quando ante oculos positæ vicinarum gentium in fide ruinæ Patronis cœlitibus fecere supplices; quod obsequii genus erga sanctum Remigium, apostolum suum, non præstabit adunatis enixiùs precibus Francorum pietas? cùm proh dolor! à finitimis regionibus dilatato hæreticæ pravitatis incendio, ulcisCente peccata Numine, propulsata recedat religio.

ejus litteræ encyclicæ hîc dantur. B

375 Quapropter hortamur charitatem vestram, ut ad honorem sancto Remigio die prima Octobris solemniori ritu exhibendum excitata subditorum vestrorum devotione, collaboremus unanimes; & nos tanti Præsulis exemplo (qui, teste Hormisda, agebat summi documenta pontificis, dum & prædicanda faceret, & ea insinuare non differret) sedulò in id incumbamus, ut operantes justitiam, quæ vincit regna, & nos omnes salvos faciamus, & eos, qui nos audiunt. Parisiis die XXII Maii MDCLVII.

Vestri addictissimi servi & confratres, archiepiscopi, episcopi, & ecclesiastici viri in generalibus cleri Gallicani comitiis congregati.

Claudius archiepiscopus Narbonensis præses.

De mandato eminentissimorum ac illustrissimorum archiepiscoporum, episcoporum, totiusque cœtus ecclesiastici, cleri Galliæ nomine congregati.

Henricus de Villars à secretis. Joannes de Montpezat de Carbon à secretis.

Quem successum hæ litteræ habuerint, siluit Marlotus, sed hunc exiguum fuisse, tradit Bailletus ad hunc diem in S. Remigio, *asserens illius Officium etiam post illas in plerisque diœcesibus perseverâsse, quale antea fuerat.*

Officia illius hoc tempore in diœcesibus Remensi, Lugdunensi, C

376 *De Remensibus observat ibidem Bailletus, hosce præcipuum sui sancti Præsulis ac Patroni festum Kalendis Octobris antiquitus etiam agere solitos, nec reperiri in Remensis ecclesiæ vetustis Sacramentariis particulare Officium pro die* XIII *Januarii; sed suo tempore primariam ejusdem sollemnitatem in eadem diœcesi observari de præcepto ad præcitatum diem* XIII *Januarii; ad Kalendas autem Octobris solùm ex devotione, consentitque Castellanus in Notis ad Martyrologium Romanum, de eodem Januarii die etiam à populo per universam diœcesim Remensem servari præceptο. In ejusdem ecclesiæ Breviario, anno* 1559 *auctoritate Caroli Cardinalis Lotharingi archiepiscopi edito, duplex festivitas etiam præscripta est. De prima ad* XIII *Januarii sic legitur:* Remigius & Hylarius Pontifices duplex majus, celebre habens Octav. non solennes. *Totum hoc Officium more antiquorum ferè proprium est, ceteris ex communi confessoris pontificis adjectis; sed in eo nullam prorsus de S. Hilario mentionem factam legi, uti nec in die octava, quæ etiam solius* S. Remigii *titulum præfert. Alterum ad Kalendas Octobris sic notatur:* Translatio sancti Remigii duplex majus. *Extat in Museo nostro Missale Laudunense anno* 1500 *vel* 1506 *typis editum, in quo ad diem* XIII *Januarii Missa ritus duplicis de* S. Remigio; *& ad Kalendas altera de ejusdem translatione cum Octava præscribitur.* D

377 *Denique in variis aliarum ecclesiarum Breviariis, quæ habemus, Officium vel Commemoratio ejusdem sancti Archipræsulis partim ad alterutrum diem, partim etiam ad utrumque repositum est. In nostra diœcesi Antverpiensi, quæ antequam propria episopali sede illustrata esset, pars erat diœcesis Cameracensis, cum eaque subjecta metropoli Remensi, festum ejus natale Officio ritus duplicis cum lectionibus tertii Nocturni propriis ad Kalendas Octobris recolitur; in Romano verò ad easdem Kalendas Officio tantùm simplici cum tertia lectione propria.* *aliisque Gallicis, & nostra Antverpiensi.*

VITA BREVIS

Auctore Fortunato presbytero, postea episcopo Pictavensi.

Ex Ms. codice Musei nostri collato cum aliis Mss. & editis.

BEatissimi Remigii antistitis depositio sancta nobis hodie diem mistícæ sollempnitatis exhibuit, quæ annis singulis, dum in se cursu temporum volvitur, nostris desideriis innovatur. *a* Hic itaque primis ortus natalibus, parentum nobilitate fulgebat, quem divina pietas non solùm priusquam nasceretur, sed antequam conciperetur, elegit: in tantum, ut Montanus quidam monachus, *b* dum se * levissimo sopore quiesceret, tertiò fuisset ammonitione pulsatus, uti matri suæ benedictæ Cyliniæ *c*, quòd masculum conceptura esset, veridica relatione prædiceret, ut * nomen ejus & * meritum designaret. Qui ilicò implevit imperium, & fecundissimæ genitrici concepturæ *d* Sobolis gaudia nuntiavit. Illa verò sicut fidei credulitatis non apparuit dubia, ita suscepit in partu, quem præscierat * in utero. Haud morosa extitit; ut certa, felicissimum pignus secura protinus edidit, quod priùs corpore concepit *e*.

2 In quo assiduè venturæ ætatis merita dulcis infantia designabat, & quod ante conceptum mater agnoverat, ante tempora jam videbat. Studebat teneros annos morum maturitate vincere & benevolentiâ *f* cordis, caritatis melle, condire. Quid plura? Cùm secundis successibus certatim sanctæ conversationis studiis adolescens vigesimi secundi anni justus sumpsisset exordium *g*, in hac urbe Remensium omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptus fuisse dinoscitur potiùs, quàm electus. In quo statim sic apparuit aptus & devotus officio, tamquam si, quò noviter ascenderat *h*, jugiter præfuisset. Fuit itaque in elemosinis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, in humilitate * profusus, in doctrina præcipuus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus. Numquam in eo invenit humani gene-

Remigius à Montano nasciturus prædicitur matri a

* se *alibi abest.* b c

* *al.* & * *al.* vel d

* *Chiff.* præsciebat e

anno ætatis suæ 22 *electus episcopus Remensis, virtutibus claret:* f g h

* *Divion.* humanitate

A generis adversarius, nec *i* quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret.

3 Sinceritatem mentis vultus sui serenitate monstrabat, & pietatem clementissimi cordis ostendebat lenitate * sermonis. Quicquid ad salutem pertinere possit * æternam, non minùs implebat Beatissimus opere, quàm sermonis prædicatione docebat. Longum est itaque verbis exigere, ne inrogemus audientibus de nimia prolixitate fastidium, si, quanta in eo ornamenta bonorum omnium, quæ sunt vel preciosa vel maxima, supernæ remunerationis prærogativa contulerim *k*. Studeamus ergò pauca differere, plurima præterire *l*: nam si tanta virtutum suarum insignia dicere cœperimus, aut ariditas nostri sermonis non possit excolere, aut memoria retinere: plùs habere poterat terminum lux hodierna, quàm pagina capiat *m*. Intendebat vir beatus * Remigius jactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia celsa * latêre. Cùm ei verò contigisset habere inter domesticos suos secretius *n* convivium & delectaretur in libertate carorum, descendebant ad eum intrepidi *o* passeres, & in manu ejus mensæ reliquias colligebant. Discedebant alii saturi, accedebant alii saturandi. Sic mansuescebat feritas avium in operatione virtutum.

B 4 Accidit autem quodam tempore, cùm * ex more pastorali sollertia parœchias circuiret *, ut, si negligenter aliquid in divinis cultibus ageretur, fidelis Servus Christi agnosceret; in vico similiter, cui vocabulum est Calmiciaco *p*, ipsius devotione studii accessit. Ubi dum quidam cæcus ab eo opem misericordiæ postularet, cœpit, quâ * dudum captus fuerat, infestatione dæmonis corporis vexatione torqueri. Tunc S. Remigius in oratione, quâ semper anima sancta intentione vacabat, corporea se * sedulitate prostravit, raptimque lumen pristinum reddidit oculis, & pestem immundi spiritus effugavit. O ineffabilis gratia pietatis; à quo dum substantia sola petitur, triplex remedium obtinetur. Victu pavit egenum, muneravit visu cæcatum, reddidit libertati captivum; atque ita contigit per hoc insigne mysterium, ut, dum apparuit unus in paupere, trinitas se ostendit in salutem. *

C 5 Sic ut semper ergò humani generis adversarius suam non desistit ostendere nocendi virtutum potentiam *q*; civitatem Remorum, eodem tempore surgentibus subitò flammarum globis, oborta nimia vastatione succenderat, & jam ferè partem tertiam favillis exstantibus concremationi peracta consumpserat, &, quod residuum erat, victrix flamma lambebat: tunc, cùm ejus * rei nuntius ad beatissimi Remigii antistitis perveniisset auditum, ilicò, velut invictus athleta, ad ruinam urbis celeri velocitate percurrit, atque se igni obvium, impleta oratione, monstravit: [statim velut quodam reatu fracta vel concisa, populo teste, in se vastatio reducit * incendii *r*] & per patentem portam admodùm fugiens dicessit, ut omnibus monstraretur, quòd Vir Dei, plenus fidei igne, plùs caluit, qui sevitiam tantæ indignationis & evicit & extinxit meritis *s*.

6 Quædam verò puella, ab urbe Tolosa *t* præclaris orta natalibus, ab adolescenti infantia vesani spiritus tenebatur obsidione captiva. Quam cùm tenero amore diligerent piissimi genitores, ad S. Petri sepulchrum in Romanam urbem * cum plurima multitudine & multa devotione duxerunt. Ibi quidam Dei servus *u* cum auxilio sacri corporis plurima implebat signa virtutis. Hanc tamen puellam cùm nulla potuisset intercessione purgare, nec ab ipsa callidi dæmonis virus valuisset expellere; hinc * responsum hostis antiquus reddidit, divini nominis * obsecratione constrictus, quòd numquam ab * alterius de eodem habitaculo, nisi hujus beatissimi Remigii antistitis emundatione possit * expelli. Tunc parentes ejus, & ipsius benedicti *x*, & Alarici regis Gothorum *y* affatibus suffragati, cum devincta sobole ad sanctum Remigium antistitem pervenerunt, deprecantes, ut virtutem ejus agnoscerent in purgatione sobolis, quam præscierant in confessione latronis. *z*

7 Tunc beatissimus Remigius, cùm *aa* diurna luctatione se non esse dignum assereret, & consuetâ pacientiâ repugnaret, precibus est populi supplicantis evictus, ut orationem pro ipsa funderet, & parentum lacrimis condoleret. Tunc S. Remigius, meritis sanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, ut iniquus prædo, per quod ingressus fuerat, discederet, & Christi famulam relaxaret. Itaque cum nimio vomitu & obsceno fetore per os, quod *bb* fuerat intromissus, abscessit. Sed paulò pòst, discedente Pontifice, sub ipsius tamen horæ spatio, dum nimiùm labore fessa nutaret, spem salutis amisit *cc*. Iteratè * ergò supplicantium turba recurrit ad Medicum: beatus autem Remigius ille * se accusat, potiùs perpetrâsse facinus, quàm sanitatis præmium indulsisse, & extitisse homicidii reum, non attulisse remedium.

8 Ad basilicam igitur S. Johannis, quò corpus jacebat exanimæ *, populi obtentus deprecatione regreditur, ibique S. Remigius cum lacrimis ad pavimenta Sanctorum in oratione *dd* prosternitur, & reliquos, ut ita facerent, adhortatur. Tunc S. Remigius, effuso lacrimarum imbre, consurgens suscitavit mortuam, quam priùs sanavit ægrotam. Quæ protinus adprehensa manu Pontificis, cum integra incolumitate surrexit, & ad propria feliciter remeavit *ee*. Judicare enim possumus, quantus in præsenti miraculo fuisset parentum fletus pro * gaudio, laus populi pro * triumpho. Putasne, cum quo gemitu, quantaque devotione GLORIA IN EXCELSIS DEO cecinerunt, qui per sacrum Antistitem divina videre mysteria meruerunt? Potuit enim ille plebem suam de casu cujuslibet periculi imminentis eripere, qui vitam mortuæ valuit * restaurare.

9 Inter hujusmodi igitur virtutum suarum insignia elegit B. Remigius, athleta Christi, transitum letiferi soporis excipiens, procellas mundi, senio jam urgente, deferere, & ad portum cælestis habitaculi pervenire. *ff* Post cujus * verò obitum tanta ad sui corporis patrocinia fidelibus remedia * tribuuntur, & solis agnoscitur vivere meritis, qui tantis fulsit exemplis. [Cui verò pœna dignoscitur defuisse martyrii, non devotio confessoris *gg*. In illis ergò divinis templorum oraculis, ubi ejus patrocinia veneramus, * quicquid cum fide petitur, invenitur, & quod speratur studio, præstatur effectu. Profusis ergò unanimiter precibus exoramus, ut nobis vitæ salutaris spatio indulgentiam delictorum obtineat interceſſio S. Remigii pontificis cum auxilio Redemptoris. Det etiam deprecatio ejus generaliter in hoc mundo tranquilla pacis tempora, qui pro-

i quibus paucæ memorantur: passeres sponte cicures habet:
* *al.* in lenitate
* *al.* posset

k
l

m
* *al.* sanctus
* *al.* cælica

n
o

cæcum dæmoniacum curat:
* *Chiff.* eum
* *ibid.* circumire

p
* *Chiff.* qui

* *ibid. add.* etiam

C
* *ibid.* in salute *incendium civitatis Remensis compescit:*

q

* *ibid.* hujus

* *l.* reducitur

r

s

t energumenam, quæ Romam frustra adducta fuerat,

A. FORTUNATO.
* *Chiff* in Romana urbe

u
* *al.* hoc
* *Chiff.* Numinis
* *ibid. decst* ab
* *ibid.* posset

x
y

z

liberat ac paulò pòst mortuam

aa

bb

E

cc
* *Chiff.* Iteratis precibus
* *ibid.* illi

suis precibus ad vitam revocat.
* *al.* exanime

dd

ee
* *Chiff.* præ
* *ibid.* præ

F

* *ibid.* mortui potuit

moritur, & post obitum fulget miraculis.

ff
* *Divion.* ejus
* *Chiff.* remediaque

gg
* *al.* veneramur

A. FORTUNATO. promiſit juſtis æterna. Quod ipſe præſtare dignetur, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto, qui eſt benedictus in ſecula. Amen. *hh*

ANNOTATA.

a *Huic Vitæ compendio in codice noſtro, ſine ullo auctoris nomine, pro titulo tantùm præmittitur litteris miniatis :* Kl. Octobris. Incipit Vita ſancti Remigii confeſſoris : *ſed auctorem illius Venantium Fortunatum eſſe, probavi in Commentario prævio § 2. Hæc prima periodus paulò aliter alibi legitur : nam in Ms. Chiffletiano ſanctique Benigni Divionenſis habetur :* Beatiſſimi Remigii antiſtitis depoſitio ſancta nobis hodierna die myſticæ ſolennitatis feſta exhibuit, quæ annis ſingulis, dum in ſe curſus temporum volvitur, noſtris deſideriis innovatur. *Ita etiam ferè habet editio Suriana, quæ incipit :* Beati Remigii *&c : ſed in Mombritiana breviùs dicitur :* Remigii antiſtitis depoſitio nobis in præſentia diem myſtice feſtum ſolemnitatis exhibuit ; *poſt quæ mox ad ſequentem periodum ita proceditur :* Enim verò primus ortus natalibus *&c. Ex hiſce omnibus collige, compendium hoc ad uſum eccleſiæ factum eſſe à Fortunato, quod ut faceret, hunc ab Ægidio archiepiſcopo Remenſi rogatum fuiſſe, ſcribit Hincmarus, num.* 16 *Commentarii prævii relatus. Ceterùm nullius momenti lectiones apud Surium Mombritiumque diſcrepantes inobſervatas præteribo, ne annotatis lectori gravis ſim.*

B b *De hoc ſancti Francorum Apoſtoli vate egit Henſchenius noſter ad diem* 17 *Maii, quo ille colitur.*

c *In Ms. Chiffletiano atque editione Suriana :* Ciliniæ : *in Ms. Divionenſi S. Benigni :* Chiliniæ : *apud Mombritium :* Chilimæ. *Hæc* S. Remigii *mater colitur die* 21 *Octobris. Interim vide dicta de eadem hîc in Commentario prævio § 3, ubi etiam de ejuſdem Sancti patre & familia reliqua actum eſt.*

d *Surius pro* concepturæ *ſubſtituit* concipiendæ ; *ſed codici noſtro conſentiunt reliqua exemplaria ; neque ille ſolœciſmus alienus eſt à ſtilo Fortunati, qui etiam* celebratura *aliquando dixit pro* celebranda, *ut obſervat Operum illius editor Chriſtophorus Browerus in calce ante Indicem rerum.*

C e *Hîc nonnihil variant lectiones Mss. Chiffletianum, Divionenſe S. Benigni & editio Suriana ſic habent :* Haud moroſa extitit, haud incerta : feliciſſimum pignus ſecura protinus edidit, quod priùs corde concepit : *Mombritius verò ſic :* Non ut moroſa extitit vel incerta : feliciſſimum pignus ſecura protinus edidit, quod priùs corde concepit. *De ætate parentum annoque nativitatis* S. Remigii *conſule Commentarium prævium num.* 39 *& ſequenti.*

f *Surius :* Benevolentiam ; *Mombritius :* benivolentiam.

g *Variant hîc denuò exemplaria. Chiffletianum ac Divionenſe S. Benigni pro* ſumpſiſſet *habent* ſumpſit ; ſumpſit *item Mombritius, ſed poſt* adoleſcens *addit verbum* polleret. *At Surius eamdem phraſim ſic reddidit :* Cùm ſecundis ſucceſſibus certatim ſanctæ converſationis ſtudiis adoleſcens Domino militaret, & vigeſimo ſecundo anno ſecundioris meriti ſumpſiſſet exordium *&c. Epiſcopatûs illius initium ad annum circiter* 458 *referendum eſſe, oſtendi in Commentario prævio* § 4.

h *Divionenſe S. Benigni habet :* Qui noviter ascendebat : *& in Chiffletiano etiam legitur* qui *pro* quò. *Noſtro conſonat Surius. Sed certe perperam legit Mombritius :* Acſi quippiam noviter acciderat : jugiter præfuiſſet. D

i *Vocem* nec *tam hîc, quàm mox infrà repoſui ex ceteris omnibus ; cùm in noſtro* ne *vitiosè legeretur.*

k *Hæc phraſis luxata integrum ſenſum habebit, ſi pro* contulerim *legatur* contulerit, *addaturque* exponam *vel verbum ſimile. In Chiffletiano ac Divionenſi ſic habetur :* Longum eſt itaque verbis texere (*in Divionenſi* comprehendere) ne irrogemus audientibus de nimia his prolixitate faſtidium. Quantum in eum bonorum omnium ornamenta, quæ ſunt pretioſa vel maxima, ſupernæ remunerationis prærogativa contulit. *Non nihil etiam diſcrepant in verbis Surius & Mombritius ; ſed ſenſus eódem recidit.*

l *Hæc ipſa verba tamquam ex* S. Remigii *Vita per Fortunatum ſcripta Hincmarus inſeruit Prologo Vitæ poſt hanc edendæ.*

m *Iſta in Ms. Chiffletiano ac Divionenſi S. Benigni ſic legere eſt :* Nam ſi tantarum virtutum ſuarum ſigna aut ariditas noſtri ſermonis poſſet excolere, aut memoria retinere, priùs habere E
B poterit terminum lux hodierna, quàm pagina. *Noſtro conſentit Mombritius, præterquam quòd pro* plùs *rectiùs habeat* priùs, *&* poterit *pro* poterat ; *Chiffletiano magis conſonat Surius.*

n *Ita correxi ex ceteris Mss. & editis : nam in noſtro legebatur* ſecretiorem.

o *In Chiffletiano (ac fortè etiam Divionenſi) eſt* trepidi, *ac mox infrà* ſaturati *pro* ſaturi : *ſed noſtro codici conſonant Mombritius, Surius, atque ipſe quoque Hincmarus in Vita ſubjicienda num.* 20, *ubi iſta è ſuo Fortunati exemplari iiſdem verbis retulit.*

p *Chiffletianum habet* Calmaciaco ; *Divionenſe S. Benigni* Calmatiacus ; *Mombritius* Calmatiaco, *Surius* Calmaciacus ; *Hincmarus mox laudatus num.* 27 Calmitiacus ; *Flodoardus in Hiſtoria Remenſi à Colvenerio edita, lib.* 1, *cap.* 12, Calmiciacum. *Idem editor in ſcholiis ad dictum caput notat, etiam* Colmiſciacum *&* Culmiſciacum, *aliiſque affinibus vocabulis nonnumquam appellari à Flodoardo, qui lib.* 4, *cap.* 28 *ſcribit, ſeſe* eccleſiam vici Colmiſiaci *aliquando rexiſſe. Addit Colvenerius, locum illum à Nicolao Cheſneau, decano & canonico S. Symphoriani in urbe Remenſi, in Hiſtoria Flodoardina Gallicè verſa* Cormicy, Chaumyſy *&* Chaumuci *appellari.* F

q *In Chiffletiano :* Sed ſicut ſemper erga humani generis detrimenta adverſarius ſuam non deſiſtit oſtendere nocendi virtutum (*in Divionenſi* virium) potentiam *&c.*

r *Hæc uncis incluſa deſcripſi ex Chiffletiano : in noſtro enim ſic mendoſiùs legebatur :* Fracta vel conciſa populi teſta in ſe vaſtationem reducit incendii. *Surius pro* reatu *habet* rotatu.

s *Chiffletianum :* Plùs caluit, quàm ſævitia tantæ indignationis ; quam & evicit meritis & extinxit. *De hujus incendii extinctione plura vide in Vita* 2 *à num.* 33 *& annotanda ibidem.*

t *Toloſa Gallis* Toloſe *ſeu* Toulouſe, *Galliæ Narbonenſis civitas ad Garumnam fluvium, archiepiſcopalis, provinciæ Occitaniæ primaria & Parlamenti ſedes, vulgo nota eſt.*

u *In ſolo Chiffletiano hîc additur :* Nomine Benedictus ; *at certè perperam, ut mox dicemus.*

x *Hanc vocem* benedicti, *à Fortunato adjectivè poſitam, de prædicto ſervo Dei, qui ad ſepulcrum*

A *pulcrum S. Petri ſolebat operari miracula, ſubſtantivè accepit Hincmarus in Vita ſubjicienda, erediditque illum fuiſſe magnum illum patriarcham S. Benedictum, quod & alii ac inter hoſce veriſimiliter Chiffletiani codicis interpolator, poſt ipſum cenſuerunt. Verùm hanc opinionem multis diſcuſſam refutatamque vide in Commentario num* 73 *& ſequentibus; ubi etiam oſtenſum eſt, eumdem ſervum Dei, de quo loquitur Fortunatus, veriſimillimè fuiſſe S. Abundium vel Acontium, cujus meminit S. Gregorius lib.* 3 *Dialogorum cap.* 25.

y *Alaricus hic Gothorum ſeu Viſigothorum rex Arianus ſedem ſuam habebat Toloſæ; atque is ipſe eſt, quem Clodoveus anno* 507 *in prælio Vogladenſi ſuperavit occiditque.*

z *Id eſt* diaboli.

aa *In Chiffletiano legitur:* Ille cum *&c, omiſſis his:* Tunc beatiſſimus Remigius.

bb *Chiffletianum:* quo: *Surius:* quod fuerat ingreſſus.

cc *Ibidem hæc periodus ſic recenſetur:* Sed paulò pòſt diſcedente Pontifice, ſub ipſius ſtatim horæ ſpatio, vitæ calore decepta, ſpiritum
B (*in Divionenſi additur* ſalus) amiſit. *Mombritius ultima ſic reddidit:* dum nimio labore feſſa nutriretur, vitali calore alienata, ſpiritum ſalutis amiſit. *Etiam Surius paulò aliter loquitur.*

dd In oratione *deeſt in Chiffletiano.*

ee *Vel hanc vel prolixam, cujus hæc compendium eſt, Vitam haud dubiè laudavit S. Gregorius, dum lib.* 2 *Hiſtoriæ Francorum cap* 31 *de* S. Remigio *ſcripſit:* Eſt enim nunc liber vitæ ejus, qui eum ait mortuum ſuſcitâſſe: *nam per* mortuum *puellam deſignari, liquet ex ejuſdem libro de Gloria confeſſorum cap* 79, *ubi de eodem Sancto inquit:* Oratione ſua defunctæ cadaver puellæ obtinuit ſuſcitari.

ff *In Commentario prævio* § 4 *mortem ejus fiximus circa annum* 530, *cùm ille annum ætatis* 96 *numeraret.*

gg *Hanc periodum uncis incluſam, quæ in noſtro deerat, tranſcripſi ex Ms. Chiffletiano, quia ferè eadem etiam legitur in Divionenſi S. Benigni, in alio Ms., & in editionibus Mombritiana & Suriana.*

hh *Chiffletianum terminatur hoc modo:* Profuſis ergò unanimiter precibus exoremus, ut
C nobis vitæ ſalutis ſpatium (*in Divionenſi S. Benigni:* vitæ ſalutaris ſpatio) indulgentiam delictorum obtineat interceſſio ſancti Remigii pontificis cum auxilio Redemptoris. Det etiam deprecatio ejus generaliter omnibus in hoc mundo tranquilla pacis tempora, qui promiſit juſtis æterna. Explicit depoſitio ſancti Remigii.



D

VITA PROLIXIOR

FABULIS RESPERSA

Auctore Hincmaro archiepiſcopo Remenſi.

Ex inſigni codice Ms. membranaceo Muſei noſtri.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Primigenia amplaque Sancti Vita.

HIncmarus *a* nomine, non merito, epiſcopus ac plebis Dei famulus, dilectis fratribus ac comminiſtris noſtris, hujus ſanctæ Remenſis eccleſiæ filiis. Sicut à ſenibus, etiam ætatis provectæ, viris religioſis, qui de tempore Tilpini hujus urbis præſulis adhuc vivebant, quando in ſervitium iſtius ſanctæ eccleſiæ, auctore Deo, fui electus atque provectus, & poſtea per aliquot annos vixerunt, fideli relatione didici *b*, à ſuis majoribus audierunt narrari, eos vidiſſe librum maximæ quantitatis, manu antiquaria ſcriptum, de ortu ac vita & virtutibus atque obitu beati Remigii, ſanctiſſimi Patroni noſtri.

a

E

b

poſtquam quoddam illius compendium fecit Fortunatus c

2 Qui hac occaſione deperiit, quoniam Egidius poſt beatum Remigium quartus iſtius civitatis epiſcopus quemdam virum religioſum, nomine Fortunatum *c*, metricis verſibus inſignem, qui à multis potentibus & honorabilibus viris in his Gallicis & Belgicis regionibus per diverſa loca tunc vitæ ac ſcientiæ ſuæ merito invitabatur, petiit de eodem libro, coturno Gallicano dictato, aperto ſermone aliqua miracula, quæ in populo recitarentur, excipere; quatinus ea ſine tædio audire & mente recondere, atque per ea ad amorem & honorem atque devotionem Dei & ipſius Protectoris ſui idem populus excitari valeret. Quod & in eadem exceptione lector poteſt advertere, ubi ſcriptum eſt: STUDEAMUS PAUCA DISSERERE; PLURIMA PRÆTERIRE *d*.

c

F

d

legi deſiit; ac mox calamitate temporum

3 Et cùm ipſa Exceptio cœpit lectione in populo frequentari & à multis propter brevitatis ſuæ facilitatem tranſcribi, ipſe magnus codex à negligentibus negligentiùs cœpit haberi, uſque dum tempore Karli principis *e*, qui propter diſcordiam & contentionem de principatu inter eum & Raganfridum, & frequentia ac civilia, immò plùs quàm civilia, quia inteſtina & parricidalia bella, in Germanicis atque Belgicis atque Gallicanis provinciis religio Chriſtianitatis penè fuit abolita, ita ut epiſcopis in paucis locis reſiduis, epiſcopia laïcis donata & per eos diviſa rebus extiterint: adeò ut Milo *f* quidam tonſurâ clericus, moribus, habitu & actu irreligioſus, laïcus epiſcopia Remorum ac Trevirorum uſurpans inſimul, per quadraginta circitèr annos peſſumdederit. Cujus infelici tempore de iſta Remenſi eccleſia non ſolùm precioſa quæque ablata fuerunt, ſed & eccleſiæ atque domus Religioſorum deſtructæ & res ab epiſcopio fuêre diviſæ. Illi quoque pauci, qui erant reſi-

e

f

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

dui clerici, negotio victum quærebant, & denarios, quos mercimonio conquirebant, in cartis & librorum foliis interdum ligabant *g*.

g penè tota periit.

4 Sicque præfatus liber cum aliis partim ſtillicidio putrefactus, partim à foricibus corroſus, partim foliorum abſciſione diviſus, in tantum deperiit, ut pauca & diſperſa inde folia vix reperta fuerint. Cùm verò tempore Pippini regis, prædicti Karli principis filii, revelatione oſtenſa Eucherio Aurelianenſis civitatis epiſcopo de dampnatione æterna ejuſdem Karli *h*, qui res eccleſiarum diviſerat, fuit * idem Pippinus, ſicut & aliarum eccleſiarum epiſcopiis, huic Remenſi epiſcopio partem de rebus eccleſiaſticis reddidit, & Tilpinum in hac urbe Remorum epiſcopum ordinari conſenſit. Hoc enim in hac eccleſia in noviſſimo ſecli tempore de libro memorato, ſed & de aliis accidit, quod antiquo tempore de autenticis Scripturis eveniſſe, ſanctus Johannes Criſoſtomus in omelia Euangelii ſecundùm Matheum *i* memorat, dicens: Multa enim ex propheticis periêre monimentis, quod de hyſtoria Paralyppomenon probare poſſibile eſt.

h

* *abundat* fuit

i

B

Hac occaſione auctor de ſacris libris deperditis

5 Deſides enim cùm eſſent Judæi, nec deſides modò, ſed & impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt prophanè. Et de prophanitate quidem tali Iheremyas refert *k*; de negligentia verò in quarto Regum libro legimus, quoniam poſt multum temporis vix Deuteronomii ſit volumen repertum, defoſſum quodam in loco, ac penè deletum *l*. Sed & plura de Scripturis in his, quæ habemus, memorata legimus, quæ non habemus: ſicut & liber Juſtorum, qui commemoratur in libris Regum; & ſicut eſt liber Bellorum Domini, cujus in libro Numerorum mentio eſt. Neque Carmina Salomonis, neque diſputationes ejus ſapientiſſimas de lignorum natura herbarumque omnium, itemque jumentorum, volucrum, reptilium & piſcium; vel quod in libro verborum dierum dicitur: Reliqua verò operum Salomonis priorum & noviſſimorum ſcripta ſunt in verbis Nathan prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis: in Viſione quoque Addo videntis contra Iheroboam filium Nabath, & multa hujus volumina, quæ ſcripta quidem fuiſſe probatur, ſed hodie conſtat non eſſe.

k

l

C

ac partim per Eſdram reſtitutis diſſerens;

6 Vaſtata namque à Chaldæis Judæa, ut in Patrum litteris legimus, etiam bibliotheca antiquitus congregata inter alias provinciæ opes hoſtili eſt igne conſumpta, ex qua pauci, qui nunc in ſancta Scriptura continentur libri, poſtmodùm Eſzræ pontificis & prophetæ ſunt induſtriâ reſtaurati. Unde ſcriptum eſt de eo: Aſcendit Eſzras de Babylone, & ipſe ſcriba velox in Lege Moyſi *m*. Velox videlicet, quia promptiores litterarum figuras, quàm eatenus Hebræi habebant, reppererit. Et in epiſtola regis Perſarum: Artarxerxes rex regum Eſzræ ſacerdoti, ſcribæ Legis Dei cæli doctiſſimo, ſalutem *n*. Quo contrà & nos, multis aliis perditis, plura in quibuſdam hiſtoriis & diverſis pitaciolis *o* ac uſitata relatione à præcedentibus relicta poſteris, de ortu & vita, ſeu virtutibus & obitu domni & ſanctiſſimi patris ac protectoris noſtri Remigii habemus, quæ in memorata exceptione non continentur.

m

n

o

7 Unde bonis veſtris deſideriis placuit, ut illa mea ſervitus ad ignorantium & ſubſequentium notitiam in unum colligeret. Quod etiam diu feciſſem, niſi me ſpes vana deluderet, quibuſdam dicentibus, quia in illo & illo loco magnum librum de vita & virtutibus ipſius Domni & Patroni noſtri reperire valerem. Ad quæ mittens, quæ mihi promiſſa fuerunt, penitus falſa inveni. *p* Nunc autem opitulante Domino, qui in ſe confidenti, & opera ſua, qui mirabilis & glorioſus eſt in Sanctis ſuis, volenti loqui promittit, Aperi, inquiens, os tuum, & ego adimplebo illud, meritis ipſius ſancti Francorum Apoſtoli & Patroni noſtri, veſtriſque adjutus orationibus, aggrediar, quæ diu diſtuli, à progenitoribus & ortu ejus incipiens; & ſic tam ea, quæ in Hyſtoriis à Majoribus editis de illo inveni, quàm & illa, quæ in diverſis ſcedulis diſperſa repperi; verùm & illa in ſerie digerens, quæ vulgata relatione percepi; quia haud longè ante nos dictum eſt, & etiam in ſanctis Scripturis, ſed & in Euangelica veritate comperitur, vera eſt lex hyſtoriæ ſimpliciter ea, quæ, fama vulgante, colliguntur, ad inſtructionem poſteritatis litteris commendare *q*.

quæſitam primigeniam S. Remigii Vitam,

p

q

ejuſdem geſta collecturum

r

E

8 In quibus omnibus lectorem ſtili diverſitas non perturbet; quoniam ea, quæ de Hyſtoriis majorum aſſumam, & ea, quæ in antiquis ſcedulis reperiam, ita, ut inventa fuerint, ponam *r*. Illa verò, quæ ex antiquis vulgata relatione percepi, & quæ ad inſtructionem legentium vel audientium addam, vel eorum verba, de quorum dictis ea mutuabo, ponere procurabo, vel meo ſermone dictabo, volens quiddam debiti mei obſequii in laude, quâ non indiget, offerendo ipſi, Benefactori meo retribuere pro omnibus, quæ indigno mihi gratis potiùs tribuit, quàm meritis ullis retribuit. Denique in deſcriptione virtutum ejus ordinem, quo per illum eas Dominus dignatus eſt operari, ſervare non potero; ſed, ſicut eas vel ſcripto vel auditu accepi, illas deſcribam. Sic enim ſalvo altiore propheticæ inſpirationis munere divino allatæ myſterio, & pſalmos ſanctus Iheronimus dicit in ordine digeſtos, non ſicut fuerunt editi, ſed ſicut ab Eſzra diverſis temporibus fuerunt inventi.

& ſcriptionis adjumenta modumque exponit.

9 Verumtamen, prout notitiam temporum invenero, vel ordini geſta congruere videro, ea digerere procurabo. In his autem, quæ de ſcriptis virtutum miraculis, à Domino per beatiſſimum Patronum noſtrum operatis, ad exhortationem legentium ſive audientium pro modulo intellectus mei de Catholicorum dictis ſubjungere ſtudebo, veſtigia beati Gregorii, licèt non valeam, proſequi moliar; qui deſcribens Sanctorum actus, pravorumque caſus, exhortatione inde aſſumpta, ſecundum ſapientiam ſibi à Deo datam multa neceſſaria & utilia legentibus ac audientibus interpoſuit *s*. Verùm & non ab re agere à quoquam videri puto, ſi ea, quæ de ortu & actu atque obitu Domini ac protectoris noſtri in ſcedulis vetuſtate propè deletis inventa ſunt, reparo, & de abditis ad lucem reduco; & ea, quæ veterum certa relatione cognovi, litteris commendare procuro; cùm, ſicuti præmiſi, ſancti Eſzræ pontificis ſtudio ſacras Scripturas, deſidiâ & prophanitate impiorum Judæorum abolitas, noſcamus fuiſſe reſtauratas, & non ſolùm Euangelicam & Apoſtolicam hyſtoriam ab Euangeliſtis ſacratiſſimè conditam, ſed & plurimorum Sanctorum geſta pluriimos Eccleſiæ magiſtros ad inſtructionem multorum, & etiam hyſtoriographos agones ſecularium ad poſterorum memoriam deſcripſiſſe; gen-

F

s

profitetur ſe, poſt fruſtra

A gentiles quoque poëtas ſua figmenta grandiſonis pompare modis ſtuduiſſe, legamus. Explicit Præfatio.

ANNOTATA.

a *In codice noſtro litteris miniatis loco tituli præmittitur:* Incipit prefatio Hincmari archiepiſcopi in Vita beati Remigii Remorum pontificis & Francorum apoſtoli. *Sequebantur ibidem inſuper duæ treſve aliæ voces miniatæ, quæ nunc ferè detritæ ſunt, ut legi nequeant.*

b *Galliæ Chriſtianæ continuatores tom. 9, col. 28 & ſeqq. tempus ſedis Tilpini, quem à plurimis* Turpinum *appellari obſervant, ab exeunte anno 753 vel ineunte 754 uſque ad annum 794 extendunt. Ab hoc poſtremo anno uſque ad annum 845, quo Hincmarus eamdem ſedem obtinuit, tantùm anni 51 effluxerunt, ita ut aliqui ſenes, qui ſub Tilpino præſule vixerant, facilè ſupereſſe potuerint uſque ad epiſcopatum Hincmari. Vide plura in Commentario prævio § 2.*

c *De Ægidio archiepiſcopo Remenſi ac Fortunato presbytero, poſtea Pictavienſi epiſcopo, ceteriſque, quæ huc pertinent, conſule Commentarium prævium eodem § 2.*

B

d *Hæc ipſa verba leguntur num. 3 Vitæ brevioris, quam cum ejuſdem Fortunati nomine dedi, quamque eam eſſe, de qua Hincmarus hîc loquitur, manifeſtum eſt.*

e *Deſignatur Carolus Martellus, Pippini Heriſtalli ex Alpaïde filius, de cujus bellis pro Majoratu-domûs Francorum adversùs Raganfridum vel Raginfredum, alioſque hoſtes geſtis conſule, ſi vacat, Hiſtorias Francorum.*

f *De hoc pſeudoarchiepiſcopo, qui Remenſem eccleſiam diu graviter afflixit, legi poteſt laudata Gallia Chriſtiana in S. Rigoberto & hujus ſucceſſore S. Abele, qui dicti uſurpatoris tempore eidem eccleſiæ legitimi epiſcopi præfuerunt, multúmque ab illo paſſi ſunt. Vide etiam, ſi lubet, Opus noſtrum ad diem 4 Januarii, ubi de S. Rigoberto, & ad 5 Auguſti, ubi de S. Abele actum eſt.*

g *Non videtur dubitandum, quin calamitates illæ ab Hincmaro ſupra verum ampliſicatæ ſint.*

h *Hanc fabulam multis expoſitam, diſcuſſam,*
C *rejectamque habes in Opero noſtro ad diem 20 Februarii in S. Eucherio Aurelianenſi epiſcopo, §§ 3, 4 & 5 Commentarii prævii.*

i *Conſule S. Joannem Chryſoſtomum in Homilia 9 in Matthæum, in qua ſimilia legere eſt in editione Montfauconii tom. 7 pag. 135.*

k *Jeremias cap. 36, ℣. 27.*

l *De Libro Legis reperto tempore pii regis Joſiæ lege lib. 2 Regum cap. 22, & Paralip. 2, cap. 34.*

m *Lib. 1 Eſdræ cap. 7, ℣. 6.*

n *Ibid. ℣. 12.*

o Pitaciolum & Pittaciolum, *medio ævo pro ſchedula vel membranula conſcripta ſolebat uſurpari, ut etiam hinc liquet.*

p *Hincmarum ſcripſiſſe etiam ad S. Adonem Viennenſem archiepiſcopum, ut, ſi quid de* S. Remigio *haberet, ſecum communicare dignaretur, obſervavi ex Flodoardo in Commentario prævio num. 21.*

q *Nullus Criticus hanc hiſtoriæ ſcribendæ legem univerſim admittet; nec Hincmarus eamdem ex ſacris Litteris potuiſſet probare; & ſanè quàm infeliciter illa ipſi ceſſerit, per decurſum videbimus.*

r *Hoc verè ab ipſo dictum eſſe, aliquoties obſervabo.* A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

s *Laudat S. Gregorium Magnum, qui in libris Dialogorum præcepta moralia & ſalutaria monita narrationibus hiſtoricis immiſcuit; quod Hincmarus noſter tam prolixè fecit, ut exemplo Surii coactus fuerim plurima reſcindere. Adi Commentarium prævium num. 25 & ſequenti.*

VETUS CAPITUM PARTITIO.

INcipit textus Vitæ, actuum atque obitûs beati Remigii, Remorum pontificis, & Francorum apoſtoli, cujus depoſitio eſt Idus Januarii, tranſlatio autem Kalendas Octobris.

CAPITULUM I. Quomodo eſt Montano monacho deſignatus ex nomine naſciturus ſanctus Remigius, & quomodo per eum Dominus illi deberet lumen oculorum reddere.

II. Quòd Remedium fuiſſe illum legimus appellatum; & ſtatim poſt annos ſcolares recluſioni ſe mancipavit.

III. Qualiter electus ad epiſcopatum fuerit ſanctus Remigius; & de ſignis cælitus in ejus electione oſtenſis. E

IV. Qualiter ſanctus Remigius eſt ordinatus epiſcopus; & qualem mox ſe in epiſcopatu exhibuit.

V. Qualiter intrepidi paſſeres in manu illius menſæ reliquias colligebant; & de Johanne apoſtolo; & quomodo de hoc beati Remigii facto maximam inſtructionis ædificationem in carorum caritoſa dilectione, & in fragilitatis noſtræ diſcreta condeſcenſione nobis valemus aſſumere.

VI. Qualiter cæcum, dæmonis invaſione poſſeſſum & ſtipendia petentem, à dæmone liberavit, lumen ei reſtituit, & ſubſidium, quod petebat, exhibuit; & quod tunc miraculo corporali exhibuit, cotidie fidelibus petentibus ſpiritualiter exhibebit.

VII. Qualiter de parvo liquore in villa Celto vinum redundare fecit ex vaſculo non modicæ quantitatis, & nos per orationes ejus, ſi fideliter petierimus, repleri habundante gratia Dei valebimus, ut fiat in nobis fons vitæ, ac in ejus lumine videamus lumen, & fide recta F imbuti debriemur ſobria ebrietate ſpiritûs.

VIII. Qualiter civitatem Remorum conflagratam per dæmonem ab incendio liberavit; & nos, ſi fideliter petierimus, ejus meritis & interceſſionibus à viciorum flammis & ab igne perpetuo liberari valebimus. Unde ſumpta ſimilitudine commemorata eſt breviter falſitas Prædeſtinatianorum hæreticorum, qui dicunt, Deum quoſdam ad ignem perpetuum prædeſtinâſſe; & hinc Catholicæ fidei veritas demonſtratur.

IX. Quomodo puellam ab infantia maligni ſpiritus obſidione captivam, cum litteris beati Benedicti & legatis Alarici Gothorum regis ſibi delatam, priùs à dæmone liberavit, & poſtea mortuam ſuſcitavit; & quia poteſt fragilitate carnis exutus, & choris angelicis ſociatus, plebem ſuam & quemlibet cum fide petentem de caſu cujuſlibet periculi imminentis meritis & precibus ſuis eripere, & quemcumque à malis ad bona converſum de cujuſcumque peccati morte reſuſcitare; ſed & de futura morte perpetua liberare, qui adhuc in ergaſtulo corruptibilis carnis poſitus vitam mortuæ valuit reſtaurare, cum neceſſariis commonitionibus, ut habeamus

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

seduli ante mentis oculos horam exitus nostri de corpore: & quibus proficiet, quòd sepulturam secus corpus ipsius Sancti expostulant.

X. Qualiter ampullas vacuas oleo exorcizato & sacro crismate per orationem repleri fecit.

XI. De adventu Francorum per Germaniam in Belgicam & Galliæ regiones, & quomodo Ludovicus regnum Francorum suscepit; & de miraculis, quæ fiebant per beatum Remigium, & de urceo Remis asportato, & à quodam levi Franco in regis præsentia bipenne percusso.

XII. Quomodo Ludovicus rex Francorum neptem Gundebaudi regis Burgundionum, nomine Rothildem, Christianissimam in conjugem sumpsit, & quomodo idem Ludovicus regnum suum dilatavit, & de filiis Ludovici, quos Rothildis contra ejus voluntatem baptizari fecit.

XIII. Quòd Ludovicus rex frequenter ab uxore sua exhortatus, ut fidem Christi susciperet, eam audire non voluit; sed bellantibus inter se Francorum exercitu & Alemannis, angustiâ coartatus votum Christo fecit, & vicit; tumque reversus, se credere & baptizari velle, uxori suæ narravit.

B XIV. Quomodo regina Rothildis sanctum Remigium ad se vocavit, deprecans, ut regi salutis viam prædicaret, & quomodo die Passionis Domini, pridie antequam rex cum populo baptizaretur, cùm beatus Remigius regem catecizaret, apparuit illis Dominus Jesus Christus & allocutus est eos; & qualiter sanctus Remigius spiritu prophetiæ, quæ essent eidem regi Francorum & suæ posteritati futura, prædixit.

XV. Qualiter rex Ludovicus ad baptisterium venit; & de ostenso miraculo, quomodo species columbæ in rostro ampullam cum chrismate sacro, cunctis videntibus, oranti sancto Remigio apportavit: & quomodo de exercitu Francorum unà cum rege tria milia virorum, exceptis parvulis & mulieribus, sunt baptizati, & postea pars gentis Francorum, quæ residua erat, cum Raganario per beatum Remigium ad fidem conversa & baptizata est.

XVI. Quomodo sanctus Remigius de rebus sibi à Francis per diversas provincias datis magnam partem per diversas ecclesias tradidit, & de his, quæ in Remensi provincia illi fuerant traditæ, non modicam partem ecclesiæ sanctæ C Mariæ in castro Lauduni Clavati, Remensis parrochiæ, ubi nutritus fuerat, tradidit, ibique Genebaudum, virum carne nobilem & litteris eruditum, qui, relicta uxore, vitam religiosam expetierat, episcopum ordinavit; & quomodo ipse Genebaudus lapsus cum eadem femina, & in reclusione pœnitentiæ à beato Remigio retrusus pœnituit, & qualiter gratiâ Dei angelica visitatione consolatus, per beatum Remigium in ordine episcopali est restitutus; & qualiter tenenda sit sententia Canonum, quæ post lapsum publicè pœnitentem ad gradum ecclesiasticum non accedere vel in gradu manere, aut ad gradum redire, sollicitissimè præcipit.

XVII. Quomodo Ludovicus rex sedem suam in Suessionis civitate constituit, & sancto Remigio villas Codiciacum & Luliacum dedit; & de miraculis, quæ tunc Deus per illum ostendit.

XVIII. Quòd sancto Remigio oranti sancti apostoli Petrus & Paulus coadjutores fuerunt.

XIX. Qualiter Sparnacum villam ab Eulogio comparavit; sed & qualiter partem silvæ in Vosago pretio emit; & de miraculo per eum ibidem facto. D

XX. De vino benedicto, quod sanctus Remigius Ludovico regi, pergenti contra Gundobaudum, dedit.

XXI. Quomodo Ludovicus rex in Parisius civitate sedem suam constituit; & de vino benedicto, quod ei contra Alaricum pergenti sanctus Remigius dedit.

XXII. Quomodo Ludovico regi Anastasius imperator codicellos pro consulatu misit; & Ormisda Papa sancto Remigio vices suas in regno Ludovici commisit; & de morte Ludovici regis; & quomodo sanctus Chlodoaldus beato Remigio Duziacum dedit.

XXIII. Quomodo hæreticus, intrante sancto Remigio in synodum, obmutuit, & iterum jussione sancti Remigii loquendi facultatem recepit.

XXIV. De vindicta in Celtenses, qui metas beati Remigii incenderunt, ab ipso illata.

XXV. Quomodo Deus beato Remigio revelavit diem obitus sui, & de testamento ab eo condito; & quomodo oculorum corporalium lumine aliquandiu est privatus, & iterum lumine redonatus; & de obitu illius ac ætatis longævitate. E

XXVI. De miraculo, quod ostensum est, cùm ejus sanctum corpus ad sepulturam ferretur; & de miraculo, quod per pallam sepulcri ejus contra luem inguinariam est ostensum; sed & de miraculo, quod actum est in homine, qui oleam sibi datam præsumpsit.

XXVII. Quomodo angelico ministerio corpus illius translatum est de loco primæ sepulturæ ad alteram sepulturam; & quomodo Pipinum regem in villa Avisiaco flagellavit.

XXVIII. De miraculo ostenso per pulverem pavimenti ejus ecclesiæ, quem colonus villæ, quæ Plumbea Fontanata dicitur contra oppressores suos de fisco Roseto colligens secum duxit.

XXIX. De miraculis ostensis in forestariis Ludovici imperatoris, qui partem silvæ, quam sanctus Remigius comparavit in Vosago, invadere præsumpserunt.

XXX. De miraculo ostenso in oratorio pagi Nivernensis & de uxore Richuim, quam in Juliaco jacentem percussit; & quia causantur quidam, quòd nostris temporibus ita per eum F virtutes non fiunt, sicut fieri antè solebant.

XXXI. De secunda translatione beati Remigii, & quomodo ipsa die ibi Rado quidam clericus à dolore dentium sit sanatus.

XXXII. Quomodo beatus Remigius Sanctorum, tam veteris quàm novi Testamenti, Patrum spiritu vivens in corpore plenus fuit, & post obitum consors miraculis claruit.

XXXIII. De reliquiis beati Remigii per sanctum Moderamnum in Italiam delatis.

XXXIV. Quomodo beatus Remigius in secli hujus convalle lacrimarum ascensiones in corde suo disposuit, & de virtute in virtutem gratiâ Dei provectus excrevit, & pro quibus ipse atque alii Sancti Dei orant, qui cum Deo spiritu in cælo regnant, & qualiter orantes ad sepulchrum ejus præparare se debeant, ut exaudiantur, & qualiter munitis corpore & sanguine Christi, & unum cum eo effectis, nobis est exeundum de corpore.

XXXV. Qualiter archiepiscopum Maguntiæ verberavit, & res suas recuperavit.

XXXVI.

A XXXVI. Quòd ſenſum & vitam perdidit, qui in ejus eccleſia vinum vendebat.

CAPUT I.

Sancti nativitas & nomen divinitus prædicta: illius parentes: ſtudia litterarum & virtutum: vita ſolitaria: electio ad archiepiſcopatum Remenſem cæleſtibus indiciis comprobata.

Montanus pro eccleſia Galliarum orans

POſt *a* vindictam ſcelerum, quæ facta eſt à Domino cæde Galliarum, perſequente Wandalorum crudelitate *b*, miſericordiam cæli diſtillaverunt; cùm ad mitigandam gentis Francorum barbarica ferocitate ſuperventùram divinæ animadverſionis, propter iniquitates perſeverantes, ultionem ꝛ mundo præſulem à Deo prædeſtinatum, Remigium pontificem hoc ordine protulerunt. Erat quidam venerabilis ac dignus profeſſione & nomine Montanus *c* monachus, in

B recluſione ſolitariam vitam ducens, jejuniis, vigiliis atque orationibus continuè vacans, necnon ceterarum virtutum inſignibus adeò Divinitati ſe commendabilem reddens, ut angelicis ſæpius frueretur alloquiis & cæleſtibus frequenter viſionibus ac revelationibus intereſſet. Is ergò cùm pervigil in oratione pro pace ſanctæ Eccleſiæ, quæ multis ac diverſis afflictionibus apud Galliarum & Belgicarum provincias vexabatur, Dei omnipotentis clementiam indefeſſis precibus exoraret, nocte quadam plùs ſolito orationem protelans, uſque lucis crepuſculum in contemplatione permanſit.

divinitus cognoſcit, S. Remigium

2 Qui cùm, laſſitudine ac fragilitate carnis compellente, paululùm membra ſopori dediſſet, ſubitò per divinam gratiam angelorum choris & animarum cœtibus beatiſſimorum hominum, jam ſpiritibus cum Deo regnantium, immortalitatem adhuc corporum expectantium, interfuit & familiariſſimum cœpit audire colloquium. Inter cetera igitur, quæ in conventu illo

C cælico audivit, etiam illi ſancti ſpiritus, humanæ ſalutis avidi, quæritare cœperunt de Gallicanæ dejectione eccleſiæ, & quid facto ad talia opus eſſet, crebro verſare ſermone; dicentes, quia jam tempus eſſet miſerendi ejus. Duplicia enim perceperat pro omnibus peccatis ſuis, quamquam fex ejus non ſit exinanita. His inter ſe ita ſerentibus, ſubitò vox affuit à ſuperioribus atque ſecretioribus aditis ſaluberrimè atque ſuaviſſimè intonans, quæ & præſentium ſolaretur ſpirituum mœſtitiam, & quod futurum erat, gratulabundâ promulgaret ſententiâ, ita dicendo.

è Cilinia naſciturum;

3 Dominus proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit; ut audiret gemitum compeditorum, ut ſolveret filios interemptorum; ut annuntietur nomen ejus in gentibus, in conveniendo populos in unum, & reges, ut ſerviant Domino. Cilinia in utero concipiens, filium pariet nomine Remigium, cui

d à me ſalvandus populus committetur *d*. Beata ſiquidem Cilinia, intenta piis operibus, licèt corpore teneretur in mundo, mente tamen converſabatur in cælo. Quæ in flore juventutis ſuæ pepererat de unico viro ſuo Emilio *e* Principium, poſtea Sueſſorum civitatis ſanctum epiſcopum, & fratrem ejus, patrem beati Lupi epiſcopi, ejuſdem Principii ſucceſſoris *f*, qui uſque ad ultima glorioſi Remigii tempora ſacerdotio eſt functus, ſicque defunctus.

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

e f

quod cùm huic jam provectæ ætatis ægrè perſuaſiſſet,

4 Vir autem ille venerabilis, inter illius temporis innumera pericula tanta conſolatione accepta, Ciliniæ divinum oraculum, gratiâ Dei perceptum, innotuit. At illa dixit ad Montanum: Quomodo fieri poteſt, ut anus lactem filium, cùm mihi à temporibus diu tranſactis muliebria defecerint, & vir meus Emilius vetulus ſit ac in ævoſo ejus corpore frigidus extet circum præcordia ſanguis, & voluptatis opera in eo penitus emarcuerint. Erant enim ambo genere nobiles & gratiâ inter ſuos nominatiſſimi; & quia liberorum parentes proceſſerant in diebus multis, efœti, & carne jam infecundi, conjugale commercium non quærebant, nec eis ſpes ultrà vel appetitus generandi ſobolem inerat. Cui beatus Montanus reſpondit: Scias cùm ablactaveris puerum Remigium, de lacte tuo perunges oculos meos, & recipiam lumen. Nam ut merita illi accreſcerent, ſicut & ſancto Tobiæ, juxta divinum ſermonem, ut juſtus juſtificetur adhuc, idem beatus Montanus lumen corporalium oculorum amiſerat.

E

naſcitur puer & vocatur Remigius.

5 Tandem credentibus parentibus verbis viri Dei, fit gaudium, quòd talem ſuſcepturi eſſent Prolem, in cujus conceptione non foret ardor explendæ libidinis, ſed amor generandæ juxta divinum præſagium ſobolis. Concipitur ergò futurus Chriſti Pontifex, & Chriſti adminiculante miſericordia, mater beatiſſima, quem auſpice Deo concepit, feliciter filium genuit, cui Remigium ſecundùm Domini dictum in baptiſmate nomen imponi fecit. Et ablactatus, ſicut ſuus prænuntiator prædixerat, lacte matris *g* oculos ſui vatis, matre obſtetricante, perungens, lumen illi gratiâ divinâ reſtituit. Nec incredibile videri debet, ſi Puer iſte, antequam per ætatem corporis ſciret vocare patrem & matrem ſuam, virtutes munere divino operatus eſt, qui etſi ut homo in iniquitatibus conceptus eſt, contra morem tamen humanæ conditionis non in delictis eum prævaricationis, ſed in gratia remiſſionis mater ſua peperit.

g

F

ut divinitus juſſum fuerat;

6 Neque enim dubitandum eſt, quia Spiritus ſanctus, qui eum talem futurum prædixit, & cujus munere conceptus fuit, etiam à peccatis abſolvit. Conſtat quippe veridicâ Patrum ſententiâ, quia lege non conſtringitur ſancti Spiritus donum. Et præterea, qui Cornelium ac domum ejus ante perceptionem baptiſmi ſuâ gratiâ conſecravit, ipſe utique beatum Remigium non ſolùm ante baptiſmum, ſed etiam nativitatem ejuſdem gratiæ munere perfudit *h*. Ortus eſt autem ex anu & vetulo diu ſterilibus per repromiſſionem, ut Yſaac & Johannes, Vir iſte ſanctus, antequam natus; nomine deſignatus, antequam mundo cognitus, in pago Laudunenſi *i*, alto parentum ſanguine, ut monſtraretur in ortu, qualis futurus erat in actu. Singularis autem meriti indicium datur, quotiens hominibus à Deo vel imponitur nomen, vel mutatur. Sic Abraham *, quia pater multarum gentium erat futurus, Abraham eſt vocatus: ſic Jacob, quia Deum vidit, Iſraël appellari meruit *k*: ſic Joſias ob eximiæ virtutis culmen nominatus à Deo eſt, multo antequam natus.

h

i

* *l.* Abram

k

A. HINCMARO ARCHIEP. REM. *de qua impositione nominis*

7 Sic Johannes eo, quòd divina ſibi gratia adminiculante plus eſſe meruit, quàm propheta, eo quòd nemo inter natos mulierum major illo ſurrexerit; & Petrus à firmitate & ſtabilitate petræ ſumpſit agnomen. Et qui antea Saulus, poſtea nominatus eſt Paulus, quoniam Legis zelo contra Chriſtum erectus, ab eo, quem in membris ſuis perſequebatur, de cælo in terram proſtratus, apud ſe factus eſt Paulus, id eſt, parvus, modicus & humilis; demum gratiâ Dei defenſor magnus, ut vas electionis, effectus atque totius eſt Eccleſiæ magiſter & prædicator egregius. Et filii Zebedei, eò quòd verbum Dei terribiliter mundo peccanti intonuerunt, Filii tonitrûs aſſumpſêre cognomen. Et Dominus ac Redemptor noſter Jeſus, id eſt Salvator, cognominatus eſt, antequam carne natus; eò quòd ſalvum facturus eſſet populum ſuum à peccatis eorum.

auctor aliqua obſervat.

8 Ita ergò & beatus Remigius ab eo, quòd eccleſiam ſibi credendam inter fluctivagos mundi recturus eſſet anfractus, Remigii cognomen à Deo eſt aſſecutus. Servorum namque Dei proprium eſt à Deo nominatim ſciri: unde uni eorum dicitur: Novi te ex nomine: & beato Jheremiæ ad prædicationem verbi divini ituro dicitur: Priuſquam te formarem in utero, novi te, & in ventre matris tuæ ſanctificavi te. Jheremias enim ab idolorum cultu populum revocaturus, in ventre ſanctificatur; Johannes populum ſuo illuminaturus alloquio, in utero materno propheticam ſuſcepit gratiam, & beatus Remigius gentem Francorum à tenebris ignorantiæ ad lucem perducturus Euangelii, itidem divinâ donatus eſt gratiâ, ut, quod perfecturus erat miniſterio, cum participibus ſuis pari clareſceret munere: & qui, ut dictum eſt, Eccleſiam Dei, ſpeciali autem curâ Remorum civitatem atque provinciam, remigio alarum ſanctarum, ſcilicet verbo & exemplo, meritis & orationibus, erat Dei prædeſtinatione recturus, & perfecto certamine, ſpiritu cæleſtia regna petiturus, angelorum utique ſubvectus auxilio, Remigius eſt jure Dei præceptione vocatus.

ætii & de nomine Remedii, quo alicubi appellatur.

9 Nec illud ſilendum eſt, quia in cartis recenti tempore poſt illius obitum, ſed & poſt plura annorum curricula factis de rebus iſti Remenſi eccleſiæ traditis, Remedium eum fuiſſe nominatum legimus. Quod, qui ad merita & actus illius attendit, congruere, hoc eum nomine appellatum fuiſſe, intelligit; qui mitigator furoris Domini in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, & magnificatus à Domino in conſpectu regum, in verbis ſuis, ſicut in ſequentibus oſtendemus, monſtra, videlicet paganos feroces, placavit. Meritò igitur eum Remedium fuiſſe nominatum in baptiſmate crederemus, niſi in emendationibus geſtis, illum oraculo divino per ſanctum Montanum Remigium vocari debere cognoſceremus. Sic in verſibus metricis ab ipſo compoſitis, & juſſione illius in quodam vaſe ab eo conſecrato ſculptis ita legimus:

,, Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro
,, Injecto, æternus, quem fudit vulnere Chriſtus.
,, Remigius reddit Domino ſua vota ſacerdos *l*.

l

Quod vas uſque ad noſtra tempora perduravit, donec fuſum in redemptionem datum eſt Chriſtianorum, ut à miniſtris diaboli Normannis redimeret pretium argentei calicis, quos de poteſtate tenebrarum redemerat effuſus ſanguis calicis Chriſti, videlicet paſſione.

Doctrinâ & virtute conſpicuus, annos 22 natus m

10 Traditus autem à parentibus ſcholæ litteris imbuendus, in brevi coævis & etiam natu majoribus ſuis doctrinâ excellentior eſt effectus *m*. Studebat quoque teneros annos morum maturitate vincere, & benivolentiam cordis caritatis melle condire, turbas frequentium populorum vitare, &, ut præconem ſuum *n* feciſſe didicerat, vitâ ſolitariâ in recluſione Domino ſervire: qui locus in caſtro Lauduno hactenus deſignatur, & venerabiliter colitur. In qua recluſione ſecundis ſucceſſibus certatim ſanctæ converſationis ſtudiis juſtus Adoleſcens Domino militavit. Et cùm ad viginti & duos ætatis ſuæ annos pervenit, defuncto Bennadio archiepiſcopo, in hac urbe Remenſi omnium generaliter votis ad pontificii culmen raptus fuiſſe dignoſcitur potiùs, quàm electus *o*. Fit ergò concurſus populi, diverſi quidem ſexûs, conditionis ac dignitatis, necnon & ætatis, ſed & unius atque ejuſdem ſententiæ: cuncti hunc verè Deo dignum, & qui populis præfici deberet, acclamabant.

n

o

eligitur epiſcopus Remorum, & acriter reluctatus

11 Vir autem beatiſſimus his anguſtiis depreſſus, nimiis afficiebatur angoribus; quia nec fugæ locus uſpiam patebat, nec populo, ut ab intentione cœpta reſipiſceret, ullo modo ſatisfacere poterat. Divinæ namque erat voluntatis, ut, qui omnium ſaluti proſpecturus erat, omnium acclamationibus eligeretur, & qui unitati fidei cum jam fidelibus & futuris fidelibus erat proviſurus, unione cuncti populi ad ſedem eveheretur ſacerdotalis honoris. Sacratiſſimus quidem Vir cùm his acclamationibus ſe urgeri conſpiceret, de infirmitatis & ætatis ſuæ tempore conqueri cœpit; & quia eccleſiaſticus Ordo infirmam ætatem ad hanc non reciperet dignitatem, voce publica fatebatur. Timebat enim, ne immatura ætas, inimici verſutiis impugnata, aliquid contraheret ſiniſtri. Sed divina gratia & vocem populorum conſtantiſſimè in ipſius perdurare fecit electione, & ſanctum Virum ab antiqui hoſtis protexit malignitate.

poſt manifeſta divinæ voluntatis indicia

12 Et cùm populi acclamaret frequentia, & ſanctiſſimus Vir magnâ reniteretur conſtantiâ, placuit omnipotenti Deo ei manifeſtiſſimis demonſtrare indiciis, quod ipſe de eo haberet judicium. Etenim cùm modo prædicto reniti conaretur, videntibus omnibus, qui aderant, deſcendit ſubitò radius novi luminis ſuper ipſius Viri ſancti verticem, acſi ipſe ſol de cælo motus ſuper eum ceciderit; & quia illuminandarum lux parabatur animarum, ipſe quoque, cùm ad hoc opus adſciſceretur, lumine debuit declarari viſibili. Ipſe namque erat lucerna, quæ non ſub modio curæ corporeæ, ſed ſuper candelabrum puriſſimæ ac Deo dilectæ converſationis erat ponenda, quatinus his, qui in domo ſanctæ Eccleſiæ futuri erant, lumen optimæ inſtitutionis præberet.

in ſui electionem conſentit.

13 Placuit etiam Omnipotentiæ divinæ huic miraculo aliud addere ad oſtenſionem meritorum beatiſſimi Viri. Etenim radio ſupradicto ſe illuſtrante, ſenſit capiti ſuo unguinis ſacri infuſum liquorem, quo totum ejus delibutum eſt caput *p*. Et meritò, ut qui oleum ſpiritale populis, quo eorum quidem capita viſibili, mentes autem prædicatione, Spiritu ſancto in ſe loquente, unecturus erat chriſmate inviſibili & gratiâ ejuſdem Spiritus ſancti, ipſe quoque priùs

p

tali

A tali unctione insigniretur. Acceptis autem talibus ac tantis auspiciis, divinis timuit contraïre statutis: neque tutum illi videri poterat, tot signis præcurrentibus, divinæ contradicere jussioni; præsertim cùm luce & unctione sancti Spiritus, qui oleo visibili designatur, interiùs illustratus atque perunctus, ut & sanctus Ysaïas, ad mittendum se in divinum ministerium debere potiùs offerre, quàm recusare, didicerit.

ANNOTATA.

a *In codice nostro, ex quo hæc edimus, hic titulus litteris miniatis præmissus est:* Incipit textus Vitæ, actuum atque obitûs beati Remigii Remorum pontificis & Francorum Apostoli, cujus depositio est Idus Januarii, translatio autem Kalendas Octobris. *Tum sequitur titulus capitis* I, *quem, ut reliquorum capitum titulos, vide in veteri partitione hîc præmissa.*

b *Indicatur hîc illa Vandalorum aliorumque barbarorum, quos Stilico anno Christi* 406 *evocavit, in Gallias irruptio, de qua S. Hieronymus in epistola ad Ageruchiam, Renatus Profuturus Frigeridus apud S. Gregorium Turonensem, Prosper aliique veteres meminerunt, & de qua consuli possunt rerum Francicarum scriptores.*

B

c *Colitur ille in agro Luxemburgensi die* 17 *Maii; sed gesta ejus præter pauca illa, quæ Fortunatus suprà in Vita breviori & post illum Hincmarus hîc tradidit, ferè latent.*

d *Non lubet mihi divinare, utrùm Hincmarus hæc ex antiquiori scriptore didicerit, an pro suo ingenio sic amplificaverit dicta Fortunati, qui in Vita brevi num.* 1 *tantummodo ait, Montanum monachum in somnis tertiò admonitum fuisse, ut* S. Remigii *nativitatem Ciliniæ prædiceret. Inscripta est hæc beata genitrix in Romano aliisque Martyrologiis ad diem* 21 *Octobris, ubi de illa nobis erit agendum.*

e *De hoc veluti insigni viro, sed tacito nomine, meminit S. Sidonius Apollinaris in epistola ad S. Principium,* S. Remigii *fratrem. Verba ejus dedi in Commentario prævio num.* 34.

f *S. Principii gesta exposita sunt ad diem* 25 *Septembris; S. Lupi verò examinanda ad* 19 *Octobris. Porrò hujus S. Lupi patrem verisimiliùs diversum esse à S. Principio, dixi in Commentario prævio num.* 36.

C

g *Flodoardus lib.* 1 *Historiæ Remensis cap.* 10 *eadem referens, nihilominus tradi ait,* S. Remigii *nutricem fuisse S. Balsamiam; de qua dubitationem meam exposui in Commentario prævio num.* 44 *& sequentibus; ut de eadem certiùs instrui possimus, priusquam ad diem* 25 *Octobris, quo aliquot Martyrologiis inscripta est, in Opere nostro pertigerimus.*

h *Consequenter ad hæc idem Hincmarus inter alios versus* S. Remigii *loculo hunc etiam inscripsit:*

Qui priùs est sanctus, mundo quàm matre creatus.

In antiqua quoque Præfatione Missæ legebatur: Hic est ille Remigius, qui priùs fuit consecratus, quàm genitus. *Sed prudens lector mecum haud dubiè certius argumentum, quàm sint istæ auctoritates & ratiocinia, pro tam eximio privilegio requiret. Nec aliter visum fuisse apparet Flodoardo, qui lib.* 1 *cap.* 10 *cetera ex Hincmaro adoptans,* Remigii *sanctificationem in materno utero cautè prætermisit.*

i *De* S. Remigii *patria vide dicta in Commentario prævio num.* 42 *& sequenti.* A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

k *Non hæc ratio datur in vulgata, Gen.* 32, ℣. 28, *ubi dicit ei angelus:* Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?

l *Paucis adverte hîc, studiose lector, insigne sancti Francorum Apostoli testimonium de vera ac realis sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia.*

m *Eximiam sancti Viri eloquentiam à S. Sidonio Apollinare honorificè laudatam habes in hujus ad illum epistola, quam dedi in Commentarii prævii* § 5. *Quæ sequuntur usque ad vocem* turbas, *descripta sunt ex Fortunato in Vita brevi num.* 2.

n *Id est, S. Montanum, qui illius nativitatem prædixerat.*

o *Descripta hæc sunt ex Vita brevi num.* 2. *Ceterùm initium episcopatûs illius in Commentario prævio* § 4 *fixi circa annum Christi* 457.

p *Nec de cæsti radio, nec de hac unctione divinitus facta meminit Fortunatus. Flodoardus lib.* 1, *cap.* XI *Hincmarum secutus est, sed præmisso verbo* traditur. *Consonat vetus Præfatio Missæ his verbis:* E cælo sibi infusionem chrismatis super se venientem Adolescens aspexit. *Sed quia de hujus Præfationis ætate mihi non constat, nescio, hæcne Hincmaro, an Hincmarus Præfationis auctori præluxerit.*

q *Isaïæ cap* 6, ℣. 8.

CAPUT II.

Sancti ordinatio & virtutes episcopales: innocentia vitæ prodigio passerum probata: auctoris exhortatio ad lectores.

Episcopus ordinatus,

POsthabita ergò omni dubitatione atque ancipiti submota sententia, unanimitate episcoporum Remensis provinciæ, infulis induitur sacerdotalibus, benedictione consecratur episcopali, atque in sede præsulatûs collocatur hujus civitatis Remorum. Ubi statim sic apparuit aptus & devotus, tamquam si officio, ad quod noviter ascenderat, jugiter præfuisset. Fuit itaque in elemosinis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, in humanitate profusus, in doctrina præcipuus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus. Sinceritatem mentis vultus sui serenitate monstrabat, & pietatem clementissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis. Quidquid ad salutem pertinere posset æternam, non minùs implebat Beatissimus opere, quàm sermonis prædicatione docebat *a*. O Virum per omnia Deo dignum! Eminebat in ipso habitu animi pulchritudo; in specie exterioris hominis ipsam putares expressam ymaginem sanctitatis.

E F

a

omnibus pastoralibus virtutibus

15 Erat irreverentibus terribilis aspectu, reverendus incessu, metuendus severitate, venerandus benignitate. Censuram autoritatis temperabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus quidem

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

dem minabatur frontis auſteritas; ſed blandiebatur cordis ſereniras. Erga bene agentes Petrus apparebat in vultu: erga delinquentes Paulus in ſpiritu; ac ſic conveniente in uno diverſitate gratiarum, illius pietatis, hujus erat æmulator diſtrictionis; ita ut, cùm præſentiam ejus quiſquam vix ſuſtineret, abſentiam ferre non poſſet. Internorum autem bonorum ſuorum formas ac ſpecies, ſicut nemo ad plenum potuit aſpicere, ita nemo ſufficit explicare: quas ſicut ille ſtuduit excolere, ita & laboravit occulere, & cùm hæc vellet augeri, nolebat agnoſci. Sed quia hæc eſt natura juſtitiæ, ut, quantò ſtudioſiùs abſcondi optat, tantò clariùs innoteſcat, & occultatio ipſa prædicatio ſit; per populos tantorum bonorum fama volitabat. Eminebat in admiratione omnium, veluti civitas ſuper verticem montis expoſita; nec jam poterat latêre lucerna ſub modio.

mox elucet,

16 Glorioſa illa anima aperuit latentes in ſe divitias cæleſtium munerum, & de armario ſuavè olentium virtutum aromata ſanctificationis & gratiarum ſuarum ſuper omnem hanc eccleſiam effudit. Neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia, ſic in ſe excoluit diverſas gratiarum virtutes, ut vix pauci tenerent ſingulas, quomodo ille implevit univerſas. Semper in operis exercitio, ſemper in compunctionis affectu. Nulla illi ex omnibus propenſior cura, niſi aut de Deo in lectione atque ſermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. Qui contrita continuatis jejuniis oſſa ſtudebat de perſecutore inimico longo triumphare martyrio, pro cibo ac potu hoc ſecum inceſſanter ruminans: Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte: Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini: cor meum & caro mea exultaverunt in Deum meum: Defecit in ſalutare tuum anima mea, ſitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea! ſitivit anima mea ad Deum, fontem vivum; quando veniam & apparebo ante faciem Dei!

B

& ad cæleſtia ſemper anhelans,

17 Et conſolando ſe: Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Sperabo in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus. Satiabor, dum manifeſtabitur gloria ejus. Nam quia ſpecie ſui Conditoris, ad quam anhelabat, necdum ſatiabatur, continuis ſuſpiriis atque gemitibus, diurnis ac nocturnis lacrimis illum deſiderans, pro lucta ad ſuperna gaudia ſublevata, flendo ſe anima ſancta paſcebat. Et intùs quidem doloris ſui gemitum tolerabat, ſed eo refectionis pabulum percipiebat, quo hic vis amoris per lacrimas emanabat. Præter vitam avidè nichil eſuriebat, præter juſticiam nichil delectabiliter ſitiebat. Præſentia, tamquam inania atque tranſacta, abſente ſpiritu, non videbat, & in futuro repoſita, quaſi oculis ſubdita, concupiſcebat. Et verè felix terra, quæ talem genuit, ac de alumno nobis patronum, de homine angelum ac doctorem nobis emiſit. Bene igitur & congruè ſecundùm prophetam de illo dicimus: In memoria æterna erit juſtus.

C

ſimul ſtrenuam ſui gregis curam habet,

18 Dignè enim in memoria verſatur hominum, qui ad gaudium tranſiit angelorum: qui ideò gratiam Dei glorificatus invenit, quia mundi gloriam adjutus Dei gratiâ, non quæſivit: qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram ſpei tranquilla jam in ſtatione compoſuit: qui contra impetum diaboli ſcutum Dei ita infatigabiliter tenuit, ut ad victoriam perveniret. Habemus in eo medicum è cælo, cum quo ſanctitas, immò ipſe ſanctitatis Auctor, civitatem noſtram intravit. Quantis cæcis, à via veritatis errantibus, viſum, quo Chriſtus videretur, aperuit; & in quantorum auribus ſermonibus cæleſtium mandatorum pretioſum infudit auditum! Quantos intrinſecùs vulneratos angelici oris arte & orationis virtute curavit! Quantorum animas, peccatis in corpore jam defunctas, ad emendationem, tamquam ad lucem vocando, reſuſcitavit! Docebat filios ſuos cotidie, ne res alienas concupiſcerent; ne eis conjuges alienæ pulchræ eſſent, nec peccati venenum per aſpectum animam penetraret. De quantorum ille cordibus, quos iniquitas & impietas poſſidebat, fugavit luxuriam, promovit *b* iram, reſtinxit invidiam; revocando illic fidem & caſtitatem atque miſericordiam!

D

b

multoſque fructus refert.

19 Quantos Vir ille apoſtolicus pœnitentiæ medicamentis à peccatorum morte reſuſcitavit, cuſtos animarum; cupiditates reſecans, iras comprimens, malitias extirpans. His magis Vir ille temporibus neceſſarius fuerat, quibus tanta iniquitas, ſumptis cotidie, deficiente juſtitia, viribus, convaleſcit. Et quidem ille in hac peregrinatione ſeculi ſolo corpore conſtitutus, cogitatione tamen in illa æterna patria converſatus eſt, qui huic mundo crucifixus ac mortuus, quicquid laboravit, de hac vita ad illam tranſtulit, & de ſiniſtra ſemper tranſmiſit in dexteram, atque in cælo ſuos repoſuit ſudores. Et inter hæc omnia intendebat Vir beatus jactantiam virtutum fugere, in quo non poterat gratia celſa latêre. Adeo ut non ſolùm corda hominum belluina feritate crudelia ad manſuetudinem Chriſti domaret fidelis Servus ejus & prudens, ſciens conſervis ſuis dare in tempore tritici menſuram, id eſt, pro captu audientium menſurare & oportunè divini verbi pabula miniſtrare; verùm etiam aves, ut innocentia & poteſtas primi Adæ, antequam peccaret, cui omnia irrationabilia ſubjecta fuerunt, ut Scriptura demonſtrat, in iſto ſancto Viro per ſecundum Adam, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum reformata intelligeretur.

F

Paſſeres ad eum paſcendi veniunt:

20 Dum enim inter domeſticos ſuos contingebat ſecretius illum habere convivium, & delectaretur in hylaritate carorum, deſcendebant ad eum intrepidi paſſeres, & in manu ejus menſæ reliquias colligebant. Diſcedebant alii ſaturi, accedebant alii ſaturandi: ſicque manſueſcebat feritas avium in operatione virtutum *c*. Delectatio namque illius talis erat in hylaritate carorum, ſicut de beato Job legimus, quoniam non cadebat lux vultûs ejus in terram, quia nimirum in tanta gravitate vultum tenere conſueverat, ut numquam contemptibili lætitia reſolveretur; ſed quotieſcumque hylariorem ſe præſentibus exhiberet, certâ ſemper hoc causâ utilitatis eorum faceret. Ita & hic Sanctus religioſa gravitate diſcretus in omnibus, non vanitatis jactantia hoc vel diſſolutione agebat; ſed ut Dei oſtenderetur ſibi collata gratia, & ad ejus amorem ac fidem, qui mirabilis in Sanctis ſuis ſervos ſuos multis modis conſolari & mirificare dignatur, ſuorum corda excitarentur, & illius ſervituti ſe propenſiùs manciparent.

c

de quo facto auctor

21 Sed non ſine conſideratione videtur prætereundum, cur iſte Sanctus in jocunditate carorum ampliùs manſuetudine ac paſtione paſſerum, quàm aliarum avium delectabatur. Et ut

A ut primò dicamus ſimpliciter, ſolent homines alias aves domeſticas habere in domibus ſuis, paſſeres autem, licèt in tectis, ſicut legimus & videntes ſcimus, ſoleant habitare, humana gaudentes vicinitate, intra domos tamen ſuas domeſticos habere non ſolent. Unde conſtat, quia ſi aves, quæ in domibus domeſticæ haberi ſolent, in manu paſceret, pro nullo haberetur miraculo, nec eſſet, unde convivantibus jocundatio proveniret. In domum quoque ſecretiorem aliis avibus, quæ intra cubicula domeſticæ haberi non ſolent, niſi paſſeribus, qui in tectis humana vicinitate gaudentes habitare ſolent, ad hanc Servo Dei divinam collatam gratiam demonſtrandam facultas non erat conveniendi. Sed ſi altius aliquid in hoc Sancti Dei facto perſcrutari volumus, intelligere poſſumus, quia nullæ aves tam ſæpe in Scripturis commendantur, ſicut paſſer, columba & turtur.

quædam obſervat,

22 Columba quippe & turtur, qui gemitus pro cantu edere ſolent; quia luctus Sanctorum in præſenti ſeculo & ſuperna deſideria per ſecretas orationum lacrimas & conventus Eccleſiæ publicos, deſignant. Paſſer verò, avis corpore parva, ſed maximâ ſagacitate ſollicita, quæ nec facilè laqueis irretita, nec per ingluviem ventris eſcarum ambitione decipitur; hæc propter infirmitatem ſuam, ne aut ipſa à prædatore capiatur, aut fœtus ejus ſerpentinis devorentur inſidiis, ad domorum faſtigia celſa concurrit. Huic meritò prudens & humilis quiſque comparatur, qui diabolicæ calliditatis fraudes fugiens, vigiliis & orationibus ac pœnitentiæ lacrimis intra ſanctæ Eccleſiæ ſepta ſe munire feſtinat. Redemptor etiam & Salvator noſter, ſe paſſerem dignatus eſt deſignare, pſalmiſta teſte, qui dicit: Etenim paſſer invenit ſibi domum. Jam quippe paſſer ſibi domum invenit, quia æternum cæli habitaculum noſter Redemptor intravit: ubi factus eſt, ſicut paſſer ſolitarius in tecto, quia ſolus inter mortuos liber ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit, ut ſit & vocetur Filius Dei.

ac prolixè differens,

23 Ad quem in hac peregrinatione poſita anima cujuſque fidelis ſuſpirans ſic jocundatur, dum per fidem rectam & ſancta deſideria ac per bona opera in cælorum regno manſionem ſuam ſentit eſſe præparatam, ſicut paſſer in foramine parietis exultat; id eſt, jam veraciter fidelis in foramine maceriæ, ſcilicet in unitate Eccleſiæ, quæ de perforato in cruce Chriſti latere lavacro rigatur & poculo, à maligni ſpiritus & membrorum ejus malignitate protectus exultat, & qui ex ſanguinibus & voluntate carnis & voluntate viri fuerat natus, ſanguine Jeſu veri Filii Dei de poteſtate tenebrarum redemptus, & ex aqua & Spiritu, quo idem Dominus Deus noſter ex glorioſa ſemper Virgine Maria, Domina noſtra, eſt natus, & ipſe à virgine matre Eccleſia immaculato divini fontis utero eſt renatus ac incorporatus, gaudio inenarrabili & exultatione exultat. Unde talia quoque de hoc beati Francorum Apoſtoli (ſigna enim apoſtolatûs ejus Franci ſunt, ſicut in proceſſu monſtrabimus) ad noſtræ utilitatis augmentum conſiderantes, trahere poſſumus, comparantes illud actioni Johannis Apoſtoli.

24 Fertur relatione majorum, quia cùm beato Johanni Apoſtolo avis, quæ perdix vocatur, viva & ſana à quodam oblata fuiſſet, cœpit eam leni manu demulcendo tractare. Quod quidam adoleſcentulus videns, ad coævos ſuos ridendo dixit: Videte, quomodo ille ſenex cum avicula, ſicut & puer, ludit. Beatus verò Apoſtolus per ſpiritum iſta cognoſcens, vocavit ad ſe juvenem, interrogans, quid manu teneret. Cui juvenis, Arcum, inquit. Et beatus Joannes: Quod habet officium illud, quod manu tenes? Et juvenis: Sagittamus, inquit, inde beſtias, ſive aves, vel alia quæque. Et beatus Johannes, Quomodo, inquit, vel quo ordine? Et juvenis, curvato arcu, tetendit illum, & tenſum in manu tenuit. Sed beatus Johannes nichil ei ſubſecutus loquendo fuit, poſt aliquod ſpatium juvenis arcum diſtendit. Cui beatus Johannes, Cur, inquit, arcum diſtendiſti? Ad quem juvenis: Quia ſi diutius tenſus teneretur, infirmiùs tela jactaret. Et ad hæc ſanctus Apoſtolus: Sic & humana fragilitas, ſi ſemper in rigore contemplationis perſiſtat, & ſuæ fragilitati non condeſcendat, minùs neceſſario validâ contemplationis pennâ ſublevatur *d*.

A. HINCMARO ARCHIEP. REM. *factique rationem explicans*

d lectores ſuos hortatur

25 Quod pia proviſione Conditoris & Salvatoris noſtri agitur, ut per collatam gratiam creſcamus in profectu virtutum, & per infirmitatis noſtræ recognitionem, diſcamus humilitatis cuſtodire virtutem. Nam & aquila cunctis avibus celſiùs volare, cunctis animantibus clariùs ſolis radiis infigere conſuevit obtutus; tamen naturæ neceſſitate ad cadaver celſum deponere ſolet volatum. Sic & noſtra fragilitas memor ſuæ conditionis, quia illum, ad quem ſuſpiramus, in hujus tempore vel loco peregrinationis continuè contemplari non poſſumus, quaſi ab effectu contemplationis deſiderato ad modicum retractus animus crebra innovatione ardentiùs & fortiùs ad cæleſtia tendit. Quo facto & ſermone audientibus magnam inſtructionis ædificationem & præſentibus contulit & ſequentibus ſe reliquit. Sic & de hoc beati Remigii facto maximam inſtructionis ædificationem & in carorum caritoſa dilectione, & in fragilitatis noſtræ diſcreta condeſcenſione nobis valemus aſſumere.

ad bona opera.

26 Sicut ille paſſeribus ſubminiſtrans, qui non ſerunt, neque congregant in horrea, ſed Deus paſcit illos, aliis ſaturatis, alios ſaturandos ſuſcipiebat, nos, qui res & facultates vel cognationis ſucceſſione, vel fidelium collatione ſuſcepimus, fratribus, qui non præparaverunt ſibi (quia hylarem datorem diligit Dominus) cum gaudio bona, quæ poſſumus, miniſtrantes, alios, quibus bona miniſtremus, aſciſcimus, plùs gaudentes de bono opere, quàm de bona poſſeſſione, ut & Deus collætetur operi noſtro bono, qui operariis pietatis ſe in judicio dicturum prædixit: Quod uni ex his minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis: venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Sed & in hoc facto maximum ſalutis emolumentum nobis proſpiciemus, ſi nos ipſos ad cotidiana bonorum operum exercitia ſtudioſos reddere ſatagimus: quatinus, ſicut cotidianum penſum de cibo, de potu, de ſomno & ceteris neceſſariis corporibus noſtris reddimus, ita cotidianum paſtum ex jejuniis, vigiliis, elemoſinis, orationibus atque profuſis lacrimis, ſacriſque oblationibus animabus noſtris reddere procuramus. Sicut enim cotidiana refectione corporis indigemus, ita, qui ab aſſumptæ novitatis ſpecie cotidie fuſcamur, cotidiana renovatione animæ indigemus. *e*. . .

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

ANNOTATA.

a *Hæc omnia à vocibus* ſtatim apparuit *ferè verbatim deſumpta ſunt ex Vita brevis num.* 2 *&* 3.

b *Id eſt* amovit, expulit.

c *Hanc de paſſeribus narrationem rurſum totam habes in Vita brevi num.* 20, *unde eiſdem fermè verbis ab Hincmaro accepta eſt. Miror, hæc eadem uſque adeo olim placuiſſe, ut etiam ſæpe dictæ Præfationi Miſſæ, & quidem cum amplificatione, inſerta fuerint his verbis :* Paſſerum quoque millia, quotiens voluit, toties in manu recepit; eiſque viciſſim de menſa reliquias miniſtravit: dum alii diſcedebant ſaturati, alii ad eum venientes, feritate depoſita, ſuper menſam reliquias colligebant.

d *Colitur S. Joannes apoſtolus & Euangeliſta die* 27 *Decembris, ubi ejuſdem geſta dabuntur, & variorum de eodem aſſerta, quæ ſacra Scriptura non habet, diſcutientur.*

e *Omitto reliqua hujus capitis, quæ quatuor columnas magni folii implent, ac nihil continent niſi exhortationem ad renovationem ſpiritûs, ad perſeverantiam in bonis operibus, & ad pœnitentiam de commiſſis peccatis ad finem uſque vitæ ferventer agendam, quæque proinde ad Vitam* S. Remigii *nullo modo pertinent.*

B

CAPUT III.

Energumenus ſimul & cæcus à S. Remigio curatus : Vinum multiplicatum : veſtigia ejuſdem Sancti ſaxis impreſſa : incendium extinctum : energumena poſt expulſum dæmonem mortua, vitæ reddita. Sacro oleo & chriſmate divinitus accepto æger unctus & ſanatus.

C

Pauperem cæcum energumenum

a

ACcidit autem quodam tempore, cùm paſtorali ſollertia ex more parrœchias circuiret, ut, ſi negligenter aliquid in divinis cultibus ageretur, fidelis Chriſti Servus agnoſceret, & ut bonus agricola, quæ inculta erant, ad bonæ operationis fructus perferendos excoleret; ad vicum, cui vocabulum eſt Calmitiacus *a*, pervenit. Ubi dum quidam cæcus, per intervalla temporum occultantis ſe dæmonis invaſione poſſeſſus, ab eo miſericordiæ opem poſtulâſſet, quoniam ante ipſius ſancti Viri præſentiam occultari non potuit (erat enim illius generis, de quo Dominus in Euangelio dicit, quòd non ejicitur, niſi in oratione & jejunio) cœpit, quâ dudum captus fuerat, dæmonis infeſtatione idem cæcus corporis vexatione torqueri. Tunc beatus Remigius in oratione, quâ ſemper animo ad Dominum intendebat, corpore, quod jejuniis & bonorum operum exercitio inceſſanter afficiebatur, ſe humiliter ad terram proſtravit, ſtatimque lumen cæci oculis priſtinum reddidit, & ab eo peſtem immundi ſpiritus effugavit, & ne ultrà eum vexare præſumeret, in nomine Chriſti præcepit, opemque victûs petitam pauperi tribuit. D

28. O ineffabilis gratia pietatis! à quo dum ſubſtantia ſola petitur, triplex remedium obtinetur: victu pavit egenum, muneravit viſu cæcatum, reddidit libertati captivum. Atque ita contigit per hoc inſigne miraculum ſanctæ Trinitatis myſterium; ut, cùm apparuit unus in paupere, trinitas ſe oſtendit * in ſalute. Qui ergò temptationibus, ſive occultis in mente, ſive apertis in corpore, antiqui hoſtis ſentit ſe infeſtatione urgeri, opem interceſſionis ejus obtinere depoſcat; & ſi fideliter petierit, ab infeſtatione immundi ſpiritus ſe ipſius meritis & precibus à Dei gratia liberari non dubitet. Qui ſuperna lumen contemplationis ignorat, qui præſentis vitæ tenebris preſſus, dum venturam vitam nequaquam diligendo conſpicit, & quò greſſum operis porrigat, neſcit; lumen intelligentiæ ac contemplationis atque neceſſariam cordis compunctionem per interceſſionem ejus apud Domini pietatem expoſtulet, nichil hæſitans, quia pro certo accipiet. Qui paupertate ſpiritali victûs atque veſtitûs, fidei videlicet, ſpei & caritatis ac ceterarum virtutum, ſe artari agnoſcit, vel etiam temporalibus neceſſitatibus ac tribulationibus ſentit affligi, ejus interceſſionum ſolatia gemitibus & lacrimis expetat; & quod pauper, cæcus atque dæmonioſus per illum obtinuit, ſe ſolatia conſolationum obtinere confidat *b*.... E

ſtipe, viſu & libertate donat.

* oſtenderit

b

29 Erat enim hic Præſul beatiſſimus internorum curam in exteriorum occupatione non minuens; exteriorum providentiam in internorum ſollicitudine non relinquens. Cùm ergò circuiens parrechiam ſollicitudine paſtorali tranſiret per condumam *c* epiſcopii villæ, cujus vocabulum eſt Tudiniacus *d*, aſpexit meſſores, meſſem ſecantes, accedenſque ad eos cum verbo prædicationis, exhortatus eſt eos, dando cibum & potum in conſolationem laboris. Et dum hæc agerent, accidit, conſobrinam illius, nomine Celſam, Deo ſacratam, perinde tranſire, & villam ſuæ proprietatis, nomine Celtum *e*, adire. Quæ cùm cognovit, ſanctum Remigium juxta tranſitus ſui viam eſſe, venit ad eum, & benignè, ut par erat, ab illo ſuſcepta petiit eumdem ſanctum Virum, ut unà cum illa domum ſuam, quò ibat, dignaretur adire. Idem Vir ſanctus, ut erat præſtabilis ſuper juſtis petitionibus, ipſius ſuæ conſobrinæ poſtulationi aſſenſum præbuit. F

Dum diœceſim luſtrat,

c

d

e

30 Et cùm jam pariter ad domum perveniſſent, & inter ſe familiaria & ſpiritualia haberent colloquia, venit miniſter ipſius Celſæ ad auriculam ei dicens, quod villicus ejus vinum, quod in eadem villa fuerat, venditum jam habebat *, excepta parvula quantitate, quam pro ſalvando vaſculo *f* reſervavit. Cujus vultum ſanctus Remigius videns rubore perfuſum, interrogavit, quid ei ſuus miniſter in auriculam dixerit. Quæ illi promptè reſpondit, quoniam non tantùm pro eo de ipſo nuncio verecundabatur, quantùm pro eis, qui cum eo advenerant. Cognitâ verò cauſâ, beatus Remigius hylari vultu conſolatus eſt eam, dicens: Pro hac re, filia, noli contriſtari: dabit enim Dominus inde largitate pietatis ſuæ ſolitam conſolationem, qui per prophetam ſuum ſe timentibus nichil deeſſe, promiſit. Et dixit eidem conſobrinæ ſuæ, audientibus illis, qui aderant, ut alia illa curaret, ipſe autem interim vellet hortum & viridarium atque domos illius circuire, & videre, qualiter illa maneret.

ad villam conſobrinæ ſuæ diverti-tur,

* *i. e.* vendidiſſet

f

31 Et

A *ubi è modico vino non modicum vas*

31 Et ſic de induſtria priùs alia circuiens, pervenit uſque ad cellarii hoſtium, & interrogans, quid in illo tecto haberetur, reſpondit miniſter, cellarium eſſe. Idem autem Vir ſanctus dixit, ſe illuc introire velle. Cui cùm nemo auderet contradicere, interrogavit cellarium, ſi haberet in aliquo de ipſis vaſculis vel aliquid vini. Et deſignato vaſculo, in quo aliquid vini remanſerat, dixit: Claude hoſtium, & ſta de iſta parte, uſque dum ego ad te revertar. Et pergens ad alteram frontem vaſculi, quæ erat ſecus parietem, fecit crucem ſuper idem vaſculum, quod erat non modicæ quantitatis, & genua flectens ad orationem, oravit diutius. Et cœpit vinum per foramen ſuperius, per quod eidem vaſculo infuſum fuerat, adeò redundare, ut ſuper pavimentum ipſius domûs largiter inundaret. Et Viro ſancto adhuc decumbente in oratione, cellarius timore percuſſus exclamavit dicens: In nomine Chriſti quis umquam tale vidit!

divinitus impleri ac abundare

g

B

32 Quod cùm audivit ſanctus Remigius, ſurrexit ab oratione, & præcepit illi, ut nemini hoc indicaret; ſed diceret dominæ ſuæ, à miniſtris impetratum vinum ſe habere *g*, unde miniſtrare valerent. Sanctus verò Domini rediens ad præfatam conſobrinam ſuam, conſolatus eſt eam, dicens: Filia, noli contriſtari, ſed ſpera in Domino, & fac bonitatem, & paſcêris in divitiis ejus. Habes nunc vinum: lætemur & exultemus in Domino. Quod factum cùm ipſa & homines ejus per cellarium cognoviſſent (quia, ut ſcriptum eſt, Opera Domini narrare honorificum eſt) dixit ad eum conſobrina ſua: Nunc cognovi, ſancte Pater, quia divina inſpiratione ad hanc domum hodie te vocavi. Propterea de hac villa te & eccleſiam tuam jure perpetuo heredem eſſe faciam: & præſentialiter ipſam villam ad Remenſem eccleſiam tradidit, & eidem ſancto Præſuli inde cartam & inveſtituram ſecundùm morem legalem fecit *h*.

h

precibus ſuis impetrat.

i

C

33 Miramur, quia juxta verbum Helyæ ydria farinæ non defecit, & lechitus olei non eſt imminutus: miramur, quia juxta verbum Helyſei de parvo liquore olei magna vaſa oleo infuſa fuêre repleta *i*; miremur, quia benedictione & oratione domini & patris ac patroni noſtri Remigii vas non modicæ quantitatis de parvo liquore, quod in eo erat, vinum ſuperfuſum etiam in pavimentum cellarii redundavit. Et nos, qui carnis voluptatibus debriati alios etiam peccare facientes peccatis indebriavimus, & ad peccandum noſtro vel exemplo vel verbo illeximus, evacuati à Chriſto, vaſa donis ſpiritalibus vacua, ſi ad memoriam hujus beati Pontificis à fundo cordium noſtrorum venenum iniquitatum noſtrarum, quod delectabiliter, ut vinum, nos ingurgitando bibimus, per puram confeſſionem cum contritione & cordis rugitu evomuerimus, evacuantes nos felle peccatorum, quo repleti ſumus, & lacrimis nos eluerimus, levantes corda noſtra cum puris manibus ſine ira & diſceptatione ad Dominum, meritis ejus & precibus obtinere nos poſſe credamus, ut repleamur habundante gratia Dei, & fiat in nobis fons vitæ, ac in ejus lumine videamus lumen *k*....

k

Ingens incendium civitatis Remenſis

34 Quia humani generis adverſarius non deſiſtit oſtendere nocendo malignitatis ſuæ potentiam, immiſſione ſua ſurgentibus ſubitò flammarum globis, hanc civitatem Remorum ſuccendit, & nimia vaſtatione oborta, jam ferè partem terciam favillis extantibus, concrematio peracta conſumpſerat; & quod reſiduum erat, vi-

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

l

m

ſigno Crucis extinguit: præceptum hac occaſione ab eo datum

35 Statimque ut extenſa dextera contra ignem cum invocatione Chriſti nominis ſignum ſanctæ Crucis fecit, totum illud incendium, velut quodam reatu cognito, fracta & conciſa atque in ſeſe reliſa virtute, cœpit ante Viri Dei præſentiam fugere. Quod Vir Dei ſemper inſequebatur, & inter ignem & ea, quæ adhuc erant reſidua, cum ſigno ſanctæ Crucis & invocatione Chriſti ſe opponebat. Sicque totum flammarum globum, ante ſe fugientem, per Patentem portam (ſic enim tunc temporis vocabatur, quia portis aliis clauſis ob civitatis cuſtodiam, pro exeuntium & introeuntium commoditate in die patebat) divinâ potentiâ expulit, & aliâ portâ ad hoc officium deputatâ, præfatam portam clauſit, & ut numquam ab aliquo aperiretur, cum interminatione vindictæ, qui illam præſumeret aperire, prohibuit; ſicut & Joſue imprecatus eſt ultionem de eo, qui muros Iherico Dei virtute dejectos denuò reſtauraret *n*.

E

n

quidam vitulans pœnas luit.

o

36 Poſt quoſdam verò annos civis quidam, nomine Fercintus, ſecus illam portam manens, pertuſum in macceria, quâ eadem porta obſtruſa fuerat, fecit *o*, per quem fimum ſuæ curtis ejiceret. Quem mox tanta eſt vindicta ſecuta, ut non homo, non pecus, clade ſuperveniente, in eadem domo remanſerit. In quo miraculo omnibus Dei gratia declaravit, quòd Vir Dei plenus fide plùs igne divini amoris caluit, qui ſævitiam tantæ indignationis meritis ſanctis evicit, expulit, & extinxit. In eo enim, quia in ſilicibus ejus fuerunt impreſſa veſtigia; & beati Petri in elemento inſtabili ſolidi greſſus juſſione Domini extiterunt, licèt diverſo modo, non tamen diverſa fide ac gratia, operationem Chriſti conſpicimus. Nam & in veteribus legimus hyſtoriis, quia in ſancta civitate Iheruſalem ſervatur lapis duriſſimus, in quo monſtrantur pia Redemptoris veſtigia, quando ante Pilatum judicem conſtitit, cujus cordi ſaxis duriori, exigentibus culpis, ejus verba imprimi nequiverunt.

F

Auctor de Sancti veſtigiis ſaxo impreſſis

37 Et ſilicibus impreſſis veſtigiis Servi ſui Remigii, contra malitiam diaboli, cujus membrum Pilatus extitit, pugnaturi, dignatus eſt demonſtrare; quia dedit ei, ſicut diſcipulis ſuis in carnis præſentia dixerat, poteſtatem calcandi ſupra omnem virtutem inimici; verùm & in hoc facto gratiâ ſuæ potentiæ voluit demonſtrare, quàm ſpecioſi ſunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: per quem auferebat à duris corde, & ablaturus erat ab infidelibus Francis, corda lapidea, & dabat pertinacibus, atque daturus erat infidelibus, corda mollia ad recipienda divini verbi ſemina, ut per patientiam referrent fructum in tempore ſuo. Sed & per ſe Dominus, qui perforato in cruce latere ſuo ædificavit Eccleſiam, profundens aquam & ſanguinem, quibus eadem Eccleſia lavachro riga-

p

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

tur & poculo : & per hunc Servum ſuum, cui regendam ſuam commiſit eccleſiam, impreſſis in petra veſtigiis (quoniam robuſtiora ſaxis veſtigia & molliora veſtigiis ſaxa, oſtenſa ſunt) demonſtrare figuraliter voluit, quod de eadem eccleſia per Moyſen figurata locutione prædixit : Ferrum & æs calciamentum ejus *q*.

q

deque extincto incendio differit.

38 Calciamentum quippe in Scriptura ſancta munimen prædicationis accipitur ; ſicut ſcriptum eſt : Calciati pedes in præparatione Euangelii pacis. Quia ergò per ferrum virtus, per æs autem perſeverantia exprimitur, ferrum & æs calciamentum ejus dicit, dum prædicatio illius acumine ſimul & conſtantiâ munitur. Per ferrum enim mala adverſantia penetrat, per æs autem bona, quæ propoſuit, longanimiter ſervat. In eo, quod inter ignem & ab incendio necdum tacta ſtans, cum ſigno Crucis & invocatione Chriſti nominis iſte Vir ſanctus (qui cum ſuis collegis dicere poterat, Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco) ſe tranſgredi flammas prohibuit, Dei miraculum repræſentatum, quando Aaron pontifex, ut iram Domini placaret, thuribulum cum incenſo odorifero ſumpſit, atque inter viventes & mortuos ſtetit *r*. Cujus meritis & precibus poſtulemus, in nobis extingui flammas vitiorum, noſque liberari ab igne perpetuo intolerabilium tormentorum *s*.... De eo, quòd præfatus civis contra vetitum beati Remigii, quod ille clauſerat, aperire præſumpſit, & ultione non caruit, nos quoque pertimeſcamus Sanctorum verba & præceptiones parvipendere ; quia Deo in ſe loquente, ſine mutabilitate manen.. ſententias exprimit eorum ſermo, qui tranſit.

r

B

s

Energumena fruſtra exorcizata à S. Benedicto, t

39 Quædam puella ab urbe Toloſa *t* præclaris orta natalibus, ab infantia maligni ſpiritus tenebatur obſidione captiva. Quam cùm tenero amore diligerent piiſſimi genitores, ad ſancti Petri ſepulchrum in Romanam urbem cum plurima multitudine & multa devotione duxerunt. In iiſdem namque partibus erat tunc Vir vitæ venerabilis, gratiâ & nomine Benedictus *u*, plurimis effulgens virtutibus. Cujus famam audientes ipſius puellæ parentes, ad eumdem Dei ſervum illam perduxerunt. Qui multis jejuniis & orationibus pro ipſius emundatione ab infeſtiſſimo dæmone laborans, Domini potentiam ſtuduit exorare. Quam cùm nulla potuiſſet interceſſione purgare, nec ab ipſa callidi virus dæmonis valuiſſet expellere ; multis ac validiſſimis exorciſmis adjuratus hoc reſponſum antiquus hoſtis reddidit, divini nominis obteſtatione conſtrictus, quòd numquam alterius de eodem habitaculo, niſi hujus beatiſſimi Remigii antiſtitis orationibus poſſet expelli.

t

u

C

à S. Remigio liberatur,

40 Tunc parentes ejus cum ipſius viri Dei Benedicti litteris hanc Remorum civitatem adire cœperunt. Et quoniam apud Alaricum regem Gothorum, qui in Toloſana civitate ſedem ſuam conſtituit, & unà cum regno Gothico magnam partem Galliarum ſibi obtinuit, prædictæ puellæ parentes valdè honorati ac familiares, &, ut ferebatur, carne propinqui ejus erant, cum litteris ac legatis ipſius ad beatum Remigium pro emundatione ſæpe dictæ puellæ ab antiquo hoſte, in hanc urbem illam ſecum vinctam adducentes venerunt, ut Chriſti per eam virtutem agnoſcerent, quam præſcierant confeſſione dæmonis. Beatus autem Remigius cùm diuturna reluctatione, ſe non eſſe ad tantum opus dignum, aſſereret, & conſuetâ patientiâ repugnaret, precibus eſt populi ſupplicantis evictus, ut orationem pro ipſa funderet, & parentum lacrimis condoleret. Tunc meritis ſanctitatis armatus, verbi præcepit imperio, ut iniquus prædo, per quod ingreſſus fuerat, diſcederet & Chriſti famulam relaxaret. Itaque cum nimio vomitu & obſceno fœtore per os, quo intravit, egreſſus eſt.

D

ac paulò pòſt mortua, reſuſcitatur.

41 Sed paulò pòſt diſcedente Pontifice, ſub ipſius tamen horæ ſpatio, dum nimio labore feſſa nutaret, vitæ calore decepta ſpiritum ſalutis amiſit. Iteratis igitur precibus ſupplicantium turba recurrit ad Medicum. : Vir autem ſanctus ſe accuſat, potiùs perpetrâſſe facinus, quàm ſanitatis præmium indulſiſſe, & extitiſſe homicidii reum, non contuliſſe remedium. Ad Baſilicam ergò ſancti Joannis baptiſtæ, ubi corpus jacebat exanime, populi obtentus deprecatione regreditur, ibique ſanctus Remigius cum lacrimis ad pavimenta Sanctorum in oratione proſternitur, & reliquos, ut ita facerent, adhortatur ; & effuſo lacrimarum imbre, conſurgens ſuſcitavit mortuam, quam priùs ſanavit ægrotam. Apprehendens namque manum ejus, dixit : Puella, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſurge. Quæ mox cum integra incolumitate, ſicut ipſa poſtea fatebatur, ab ipſis inferni clauſtris ſurrexit, & ad propria feliciter remeavit *x*.

E

x

Auctor ad vitam animæ Sancti patrocinio obtinendam

42 Poteſt enim fragilitate carnis exutus, & choris angelicis ſociatus, plebem ſuam & quemlibet cum fide petentem de caſu cujuſlibet periculi imminentis meritis & precibus ſuis eripere, & quemcumque à malis ad bona converſum de cujuſcumque peccati morte reſuſcitare, ſed & de futura morte perpetua liberare ; qui adhuc in ergaſtulo corruptibilis carnis poſitus vitam mortuæ valuit reſtaurare. Propterea quoniam duæ mortes ſunt in unoquoque noſtrûm, una videlicet animæ per peccatum, & altera corporis propter peccatum ad pœnam peccati : quia mors eſt animæ, quando Deus eam deſerit ob magnitudinem peccatorum ; & mors eſt corporis, quando ab anima deſeritur : & duæ ſunt reſurrectiones, nunc animæ in Eccleſia per Filium Verbum Dei, quando per gratiam ejus reſurgit à morte iniquitatis.

lectorem hortatur.

43 Et hæc eſt prima reſurrectio, quam qui habet, in ſecunda, quæ eſt corporis, feliciter reſurgit in vitam æternam per Verbum Dei carnem factum, Filium hominis, qui accepit poteſtatem judicium facere : quod judicium in fine ſeculi erit, & ibi non erit reſurrectio animarum, ſed corporum. Petamus igitur corde contrito & humiliato cum lacrimis, bonis operibus ſuffragantibus, per hujus Patroni noſtri meritum nos ſuſcitari à morte animæ in præſenti vita, ut vivamus cum Chriſto, credentes firmiter, nos per ejus interceſſionem hoc apud Domini miſericordiam obtinere poſſe, ſi fideliter petierimus, qui in curatione priùs à dæmone, & pòſt in reſuſcitatione corporis à morte præfatæ puellæ certiſſimum pignus de meritis ejus accepimus *y*...

F

y

Oleo & chriſmate divinitus accepto ægrum linit & ſanat.

44 Denique cùm quidam ægrotus familiæ non ignobilis, necdum baptizatus, ſe à ſancto Remigio viſitari poſtularet, & jam velut in ultimo ſpiritu poſitus, credere ſe fateretur, & baptizari depoſceret, ægro abrenuntiante, & benedicto fonte, ſanctus Remigius à presbytero loci illius exorcizatum oleum & criſma quæſivit. Qui ſimplex oleum ſe habere ; ſed oleum exorcizatum & criſma in ampullis, in quibus fuerant, penitus jam defeciſſe, reſpondit. Sanctus autem Remigius

migius ipſas ampullas ſibi afferri præcepit; quas vacuas ſuper altare miſit, & ſe in orationem proſtravit. Surgens autem ab oratione ampullam, in qua brevis z habebatur olei exorcizati, & alteram ampullam, in qua brevis continebatur ſacri chriſmatis, plenas invenit. Sicque infirmum, qui antè abrenuntiaverat, poſt abrenuntiationem oleo exorcizato perunxit; demumque baptizatum ſecundùm traditionem Eccleſiaſticam Chriſmate ſacro linivit: qui, mox animæ ſanitate recepta, etiam corporis incolumitatem promeruit *aa*.

Auctoris circa hæc

45 Quem, fratres Kariſſimi, quem imitatum atque ſecutum in hoc miraculo B. Remigium, debemus advertere, niſi eum, qui in nuptiis, ad quas venire, & eas ſuâ præſentiâ dignatus eſt ſanctificare, ydrias vacuas aquâ impleri præcepit, & eamdem aquam nutu ſuo in vinum convertit *bb*. Et quidem potuit Dominus implere vacuas ydrias vino, qui in exordio mundanæ creationis cuncta creavit ex nichilo: ſed maluit de aqua ydrias impleri, & de ipſa aqua facere vinum, ut miniſtrorum obſequio ydriæ aquâ replerentur, & benedictionis ſuæ nutu aqua verteretur in vinum; ut patenter oſtenderet, quia, ſicut omnia fecit ex nichilo, ita & naturas rerum ſanctificatione ſua mutat, ut ipſe vult.

obſervationes.

46 Et beatus Remigius, ſervus & amicus Sponſi Eccleſiæ, credentem per divina myſteria ſocians eidem corpori ejus, verbis ſollempnibus poterat ſimplex oleum exorcizare & ſanctum chriſma, ſicut & fontem ſacrare; ſed maluit, ut Dominus ſigillatim de Sacramentis ſanctificatis ampullas, in quibus fuerant, benedictionis ſuæ potentiâ repleret, & ſe fidelem in verbis ſuis, quibus dixerat, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, ad confirmandum fidem neophiti credentis, obſequio Famuli ſui oſtenderet. Certum eſt, quoniam qui in exordio creationis creaturis ſingulis benedixit, & eas ſemper ipſa benedictione in uſus hominum creſcere & multiplicari facit, & de creaturis panis ac vini aquæ mixti, ſed & olei, ſecundùm ſuam traditionem ad invocationem ſacerdotis ſemper bona creat, non faciendo, quod jam erant, ſed ſacroſancta myſteria faciendo exiſtere, quod nondum erant; corpus ſcilicet & ſanguinem ſuum, & chriſma ſalutis æternæ; idem ampullas ſingulas oleo replevit, & ad invocationem Sacerdotis ſui ſanctificationis benedictionem ſingillatim infudit.

ANNOTATA.

a *Vide Annotata ad Vitam brevem lit.* p, *in qua Vita num.* 4 *eadem, quæ Hincmarus hîc, iiſdemque ſæpe verbis narrantur. In Præfatione etiam Miſſæ jam aliàs laudatæ ſic legitur:* Cæcum quoque dæmoniacum, duplici ærumna conſtrictum, uno ictu eripiens, cùm lumen reſtituit oculorum, mox & hominem curavit dæmonioſum.

b *Pergit auctor hîc ſpatio integræ columnæ docere, perſeverandum in oratione eſſe, non deſperandum, ſi Deus poſtulata mox non concedat; diſpiciendumque, an peccata noſtra non obſtent, ſecundum illud S. Joannis Euangeliſtæ in Epiſt.* 1, *cap.* 3, ℣. 21 *&* 22: Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo *&c.*

c Conduma *eſt prædium quoddam, uti videre licet apud Cangium in Gloſſario, ubi ejuſdem ſignificationis eſſe putat* Condamina *vel* Condomina. *In Gloſſis Mss. ibidem ab eo laudatis* Conduma *vel* Cumma *dicitur* domus elevata. *Hîc prædium aliquod terræ arabilis deſignari, ſatis liquet.*

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

d *In prolixiori* S. Remigii *teſtamento, cujus cenſuram dedimus,* Tudiniacus *villa ſita dicitur* in ſolo Portenſi, *quod à Flodoardo aliquando pagus* Portenſis, Porcenſis *&* Porticenſis *appellatur; quo nomine videtur indicari* pagus Portianus, *Gallicè* Porcean *&* Porcein, *in quo* Caſtrum Portianum, *vulgo* Chaſteau-Porcein *ad Axonam fluvium in tractu Retelenſi. Vide Valeſium in Notitia Galliarum.*

e *Colvenerius in editione Hiſtoriæ Remenſis per Flodoardum lib.* 1, *cap.* 12 *in margine obſervavit,* Celtum *Gallicè* Cernay *dici (an rectè, alii judicent) ſed de ſitu ejuſdem nec apud ipſum nec apud alios quidquam legi.*

f *Puto, ne corrumperetur, ſi penitus vacuum maneret.*

E

g *Hoc* S. Remigii *conſilium inventioni Hincmari adſcribo.*

h *Hinc in teſtamento prolixiori* S. Remigius *inducitur ſic loquens:* Ex quibus Celtus, quam per manum meam Celſa Sobrina mea tibi (*eccleſiæ Remenſi*) tradidit. *Quamquam autem Teſtamentum hoc pro ſuppoſititio vel interpolato habeamus, non propterea tamen hanc donationem verè factam eſſe negamus; nam & falſis vera ſolent immiſceri, & donatio illa, aliunde cognita, ab interpolatore potuit teſtamento inſeri.*

i *De farina in hydria oleoque in lecytho, ut Elias propheta prædixerat, non deficientibus vide lib.* 3 *Regum cap.* 17, *à* ℣. 12.

k *Sequitur hîc denuò prolixa inſtructio per ſex magnas libri columnas continuata, ad hiſtoriam* S. Remigii *nil pertinens.*

l *Extincti incendii urbis Remenſis miraculum didicit Hincmarus ex Fortunato in Vita brevi num.* 34 *&* 35, *uti textus conferenti patebit; aliqua tamen addidit. Inter hæc eſt, quæ habet de eccleſia S. Nicaſii, Remenſis epiſcopi ac martyris, de quo ſociiſque ejus agemus ad diem* 14 *Decembris, ad quem in Martyrologio Romano locum habent. In ſæpe dicta Præfatione Miſſæ tantùm legitur:* Urbem autem Remicam, pænè ab igne conſumptam, beato in ſigno Crucis cum velocitate veniens, per unam expulit portam totum flammarum globum cum igne fugientem.

F

m *Flodoardus, qui uno circitèr ſeculo poſt Hincmarum ſcripſit, lib.* 1 *Hiſtoriæ cap.* 12 *veſtigia illa velut ſuo tempore etiam exſtantia memorat. De iiſdem nihil legitur in Vita brevi.*

n *Libro Joſue cap* 6, ℣. 26. *De prohibitione per* S. Remigium *hîc facta, pœnaque violatoris, quæ ſequitur, non meminit Fortunatus; ſed utramque adoptavit Flodoardus loco mox citato. Vide etiam, quæ de eccleſia eo in loco per Conſtantium decanum Remenſem versùs medium ſeculum* XI *exſtructa dixi in Commentario prævio num.* 252 *&* ſequentibus.

o Pertuſum fecit, *id eſt* perforavit, *ut rectè ibidem interpretatus eſt Flodoardus.*

p *Lucæ cap.* 10, ℣. 19.

q *Eſt hæc benedictio à Moyſe tribui Aſer data Deuteronom.* 33, ℣. 25.

r *Lege librum Numerorum cap.* 16 *à* ℣. 46.

s *In-*

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

s *Inseritur hîc per septem libri columnas adversus Prædestinatianos disputatio de vera prædestinatione, de gratia & libero arbitrio, de præscientia & omnipotentia Dei, de ejusdem sincera voluntate salvandi omnes, & morte Christi pro omnibus. Et* hæc idcirco, *tandem inquit*, commemoravimus, quoniam adhuc reliquiæ Prædestinatianorum in istis Gallicanis provinciis fauce susurra mussitant; ut hæc legentes, doctrinâ Catholicâ istius Patris & Pontificis nostri, sociorumque ejus, imbuti, atque muniti à sibilis mortiferis antiqui serpentis existant *&c.*

t *Adi Vitam brevem num. 6 & duobus sequentibus, unde hæc sumpsit interpolavitque Hincmarus.*

u *Hoc non dixit Fortunatus. Vide observata ad Vitam brevem lit.* x, *hancque de S. Benedicto, patriarcha sui Ordinis, fabulam pluribus refutatam in Commentario prævio à num 73.*

x *Ista gemina puellæ curatio in veteris Missæ Præfatione refertur his verbis:* Puellam verò ex Tolosanis à dæmonico spiritu purificavit, ipsamque postmodùm mortuam suscitavit. *Consule etiam Annotata ad Vitam brevem litt.* ee.

B y *Omitto hîc denuò longum quinque columnarum sermonem, quo auctor lectoribus suis memoriam mortis & divini judicii commendans, hortatur, ut ad hæc sedulò se parent; atque de diversitate mercedis æternæ pœnarumque post hanc vitam, pro diversitate meritorum, differit.*

z Brevis *à sequioris ævi scriptoribus usurpatur pro* indice *rerum, nominum &c; atque ita hic pro inscriptione ampullæ, quæ indicabat, ad cujus rei usum hæc esset.*

aa *Hujus miraculi nulla mentio est apud Fortunatum: sed in Præfatione Missæ hoc modo:* Dum autem cuidam ægroto baptizando chrisma quæreretur, & nihil inveniretur; sic ampullas vacuas super altare jussit mitti, ut ipse se interim in oratione prosterneret. Tunc cœlesti rore chrismatis benedictione perfunditur. *Flodoardus lib. 1, cap. 12 de more secutus Hincmarum est.*

bb *Joannis cap. 2.*

CAPUT IV.

C *Francorum gentis origo fabulosa & sedes: Chlodovei regis tunc etiam ethnici de S. Remigio existimatio: ejusdem regis conjugium cum S. Chrotilde: victoria Tulbiacensis, & hanc secuta ejusdem cum gente sua ad Christum accessio & baptismus.*

Gentis Francorum post Clodionem, Meroveum

DUm gentis Francorum, ut Hystoriæ produnt, de Troja civitate, impugnantibus & expugnantibus Græcis, pars cum Ænea in Italiam perrexit, pars eorum, videlicet duodecim milia, in finitimas Pannoniæ partes secus Meotidas paludes pervenerunt, ibique civitatem advenientes ædificaverunt, quam ob suam memoriam Sicambriam vocaverunt *a*. In qua multis annis habitaverunt, & in gentem magnam usque ad tempus Valentiniani imperatoris creverunt, & ita sub principibus crinitis juxta morem gentis subinde succedentibus, per Torringiam, regionem Germaniæ, à castello Dispargo, in quo diu habitaverunt *b*, ad Belgicæ provinciæ Tornacum atque Cameracum civitates agressi sunt; indeque ad Summam fluvium partem Belgicæ provinciæ occupaverunt, ubi plurimis temporibus deguerunt sub Chlodione *c* & Mereveo rege utili, à cujus celeberrimo nomine Franci vocati sunt Merovingi; sicut à Valentiniano imperatore Atticâ linguâ vocati sunt Franci, hoc est, Feroces *d*.

a

D

b

c

d

48 Cui Mereveo in principatum successit Childericus *e*, qui de Basina regina Toringorum habuit filium Ludovicum *f*, qui fuit rex magnus, super omnes ante se reges Francorum, pugnator bellicosissimus atque egregius. In illis diebus vel temporibus ceperunt Franci Agrippinam civitatem super Renum, quam Coloniam vocaverunt, & Treveris civitatem super Mosellam, quæ à Hunis antea diruta & afflicta fuerat, succendentes ceperunt *g*. In illo tempore in his partibus circa Renum usque Ligerim fluvium habitabant Romani, quorum princeps erat Ægidius. Ultra Ligerim autem dominabantur Gothi, quorum princeps erat Alaricus. Burgundiones quoque Arriani, ut & Gothi, habitabant juxta Rodanum fluvium usque ad civitatem Lugdunum & ei confines urbes, quorum princeps erat Gundebaudus *h*. Eo tempore mortuus est Ægidius, & successit in principatum Romanorum, qui habitabant in Galliis, filius ejus Siagrius *i*.

& Childericum rex factus Clodoveus,

e f

g

E

h

i

Romanorum in Galliis duce debellato, licèt paganus,

49 Mortuo autem Childerico, qui Aurelianis & Andegavis civitates cum suo exercitu Francico occupavit atque vastavit, Ludovicus filius ejus sagaciter Francorum regnum suscepit. Anno quinto Ludovico regnante, Siagrius, filius Egidii, dux Romanorum, qui in Galliis habitabant, in Suessionis civitate, quam pater ejus tenuerat, residebat; super quem Ludovicus cum hoste advenit, atque devicit; quemque ab Alarico, apud quem in Tolosa, fugiens Ludovicum, aliquandiu habitavit, sibi transmissum recepit, & occidi præcepit, & omnia, quæ illius fuerant, suæ potestati subegit *k*. Eo tempore multæ ecclesiæ à Ludovici exercitu deprædatæ sunt. Erant autem, sicut & rex illorum, fanatici & pagani; attamen audientes miracula, quæ fiebant per beatum Remigium, reverebantur eum, &, licèt pagani, diligebant illum, in quo lux cælestis gratiæ omnibus resplendebat. Et rex illorum libenter illum audiebat, & audito eo, multa faciebat, & à multis nequitiis se cohibebat.

k

F

S. Remigium magni facit, ejusque precibus annuens,

50 Erat enim sanctus Remigius vir sapiens atque sanctissimus, egregius rethoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia eiciens, omniumque infirmitatum languoribus medelam præbens *l*. Transitum autem rex faciens secus civitatem Remis per viam, quæ usque hodie propter barbarorum per eam iter, Barbarica nuncupatur, noluit in eandem civitatem introire, ne ab exercitu suo aliquod malum ibi fieret. Sine voluntate autem & conscientia ipsius pars quædam indisciplinatorum (quoniam non erat potestas temporalis inhabitantium, quæ eis resisteret) eandem civitatem intravit, & quædam ornamenta atque sacra vasa inde rapientes, ut prædones solent, asportaverunt, inter quæ urceum

l

A ceum magnæ magnitudinis atque pulchritudinis rapientes tulerunt. Sanctus autem Remigius miſſos ſuos ad regem Ludovicum direxit, deprecans, ut, ſi aliud de ſacris Vaſis eccleſiæ recipere non mereretur, vel illum urceum miſſis ſuis reddi juberet.

ſacram vas, eccleſiæ Remenſi ablatum, reſtituit,

51 Hæc audiens rex, ait ad miſſos eccleſiaſticos: Sequimini nos uſque Sueſſionis civitatem, quia ibi cuncta, quæ acquiſita ſunt, dividenda erunt. Cúmque mihi urceus ille in partem obvenerit, quæ Epiſcopus poſtulat, adimplebo. Veniens autem Sueſſionis civitatem, cunctam prædam, quæ aſportata fuit vel acquiſita, rogat afferri in medium. Cúmque omnia fuiſſent in præſentia regis allata, dixit: Rogo vos, ô fortiſſimi pugnatores, ut mihi dare iſtum urceum non negetis. Hoc rege dicente, illi Franci, qui bono animo fuerunt, aiunt: Omnia, glorioſe rex, quæ cernis, tua ſunt, & nos tuo dominio ſumus ſubjecti; quod tibi bonum videtur, hoc fac: nullus enim tuæ poteſtati reſiſtere audet. Cúmque hæc illi benignè dixiſſent, unus Francus levis cum vociferatione elevata bipenni, quæ alio nomine appellatur Franciſca *m*, percuſſit urceum illum, dicens: Tu nichil hinc accipies, rex, niſi quod tibi ſors vera donaverit. Obſtupefactis omnibus, rex injuriam ſuam patienter ſufferens, acceptum urceum nuncio eccleſiaſtico reddidit, ſervans iram in corde abſconſam.

m

B

& urcei violatorem poſtea occidit.

52 Tranſacto anno, Ludovicus rex, ut omnium armorum nitorem videret, omnem exercitum juſſit cum armorum apparatu venire ſecundùm morem in campo Martio; ſic enim conventum illum vocabant à Marte, quem pagani deum belli credebant, à quo & Martium menſem, & terciam feriam Diem Martis appellaverunt. Quem conventum poſteriores Franci Maii campum, quando reges ad bella ſolent procedere, vocari inſtituerunt *n*. Verùm ut rex cunctum exercitum circuivit, venit ad hominem illum, qui urceum præterito anno cum bipenni percuſſerat; & ait ad eum: Nullus hîc tam inculta & ſordida arma habet, ſicut tu habes; quia neque clipeus, neque lancea, neque bipennis eſt utilis. Accepit autem rex franciſcam ejus, quæ vocatur bipennis, & projecit in terram: cùm autem ille ſe inclinâſſet eam recolligere, rex ſtatim elevata manu franciſcam ſuam in caput ejus defixit, & ait: Sicut tu in Sueſſionis civitate ſuperiore anno in urceo illo feciſti, ſic & facio tibi. Mortuoque illo, exercitum rex de ipſo campo juſſit ad propria in pace diſcedere: & grandis timor & pavor pro hac cauſa in Francorum populo conſurrexit *o*.

n

C

o

Chlodoveus uxorem ducit S. Chrothildem,

p

53 Ludovicus decimo anno regni ſui commoto exercitu, ſibi Toringiam provinciam ſubjugavit *p*. Inde Gundebaudi regis Burgundionum neptem, filiam videlicet fratris ſui Chilperici, quem gladio interfecerat, nomine Rothildem, pulcram ſatis puellam & verè Chriſtianiſſimam, interveniente Aureliano conſiliario ac legatario ſuo, nutu divino in conjugem ſumpſit; ſicut lector in ſuo loco pleniùs legere poteſt *q*. In diebus illis dilatavit rex Ludovicus regnum ſuum uſque Sequanam: ſequenti tempore uſque fluvium Ligerim occupavit, accepitque Aurelianis caſtrum Milidunenſe, quod & in ducatum obtinuit *r*. Concepit denique ac peperit Rothildis filium, quem cùm ſacro baptiſmate conſecrari vellet, rex non acquieſcebat ei: necdum enim credebat in Dominum Deum cæli. Regina enim cotidie illi prædicabat eum: at ille nolebat eum audire. Interea regina parat filium ad baptiſmum, ornat eccleſiam velis atque cortinis, ut regis cor ad credendum compungeret.

q

r

A. HINCMARO ARCHIEP. REM. *quæ illum ad Chriſti fidem adducere ſtuduit.*

54 Baptizatus eſt puer, quem Ingomirum vocavit, quique in albis deceſſit *s*. Unde rex nimis contriſtatus, reputabat * reginæ, increpando dicens ad eam: Quia ſi in nomine deorum meorum puer dedicatus fuiſſet, utique incolumis diu vixiſſet: quia autem in nomine Dei veſtri baptizatus eſt, vivere non potuit. Regina verò dicebat: Deo gratias ago, qui me non duxit indignam, ut de utero meo primogenitum in regno ſuo recipere ſit dignatus: ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac causa retineo. Poſtea verò genuit filium alium, quem in baptiſmo Chlodomirum *t* vocavit. Et hic cùm ægrotare cœpiſſet, dixit rex: Non poteſt aliud fieri, niſi & de iſto ſic fiat, quomodo fuit de fratre ejus, ut baptizatus in nomine Chriſti veſtri citò moriatur. Sed orante regina & Domini miſericordia præcurrente, recepit ſanitatem. Regina quoque non ceſſabat regi prædicare, ut Deum verum coleret, & idola, quæ colebat, vana derelinqueret; ſed nullo modo animum ejus ad credendum poterat commovere; donec tandem aliquando bellum contra Alemannos Suevoſque moveret, in quo compulſus eſt Deum confiteri, quem antea negaverat *u*.

s

* *i. e.* imputabat

t

E

u

Chlodoveus poſt debellatos per Chriſti invocationem

55 Factum eſt autem, bellantibus inter ſe Francorum ſcilicet exercitu & Alemannis atque Suevis, ut Ludovici exercitus nimis corrueret. Aurelianus conſiliarius ejus, intuens regem, ait: Domine mi rex, crede modò Deum cæli, in quem domina mea regina credit & prædicat, & dabit tibi ipſe Rex regum & Deus cæli ac terræ victoriam *x*. Ille verò elevatis oculis in cælum, commotus in lacrimas, ait: O Jeſu bone, quem Rothildis regina mea credit & prædicat, & quem bonus Remigius, Remorum archiepiſcopus, prædicat eſſe Filium Dei vivi *y*; qui ſubvenis in tribulatione, qui das auxilium in te ſperantibus, tuum auxilium devotus poſtulo, ut, ſi mihi victoriam ſuper hoſtes dederis, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populi prædicant, credam tibi, & in nomine tuo baptizabor. Invocavi enim deos meos, &, ut experior, elongati ſunt ab auxilio meo: unde credo, eos nulla poteſtate eſſe præditos, qui ſibi credentibus non ſuccurrunt. Te verum Deum ac Dominum invoco, & in te credere deſidero; tantùm ut liberer ab adverſariis meis.

x

y

F

apud Tulpiacum hoſtes, acceſſito S. Remigio

56 Cúmque hæc orans clamaret, Alemanni in fugam lapſi terga dederunt, & videntes regem ſuum interfectum, Ludovici poteſtati ſe ſubdunt, dicentes: Parce, precamur, Domine rex, ne pereat plùs populus: jam tui ſumus. Tunc juſſit rex imminentem plagam ceſſare, & Alemannos cepit, ipſoſque ac terram eorum ſub jugo tributario conſtituit. Sicque factâ victoriâ, reverſus eſt in Franciam ad reginam ſuam, & narravit ei, qualiter per invocationem nominis Jeſu Chriſti victoriam meruit obtinere. Acta ſunt hæc anno quintodecimo Ludovico regnante *z*. Tunc regina, ut impleretur dictum Apoſtoli, Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem, vocavit ſanctum Remigium, urbis hujus Remenſis antiſtitem, deprecans eum, ut regi ſalutis viam prædicaret. Quem ſanctus Sacerdos per multam ſalutaris vitæ doctrinam ad baptiſmum venire prædicabat. Et ille ait: Liben-

z

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

ter te audiam, beatiſſime Pater; ſed unum reſtat; quia populus, qui me ſequitur, non vult deos ſuos relinquere. Vadam autem adhortari eos juxta verbum tuum.

unà cum populo ſuo ſe erudiendum præbet; quod dum hic agit, aa

57 Et veniens rex ad populum cœpit hortari eos, ut in Deum, qui eis victoriam dederat, crederent; quoniam dii illorum in tribulatione ſua nichil eis prodeſſe potuerunt *aa*. Acclamaverunt autem omnes, præcurrente miſericordia & potentiâ Dei: Mortales deos relinquimus, glorioſe rex, & verum Deum immortalem, quem Remigius prædicat, credere parati ſumus. Nuntiavit hæc ſancto Remigio: ille quoque gaudio magno repletus regem & populum, qualiter diabolo & operibus ac pompis ejus abrenuntiare, & in Deum credere deberent, apertis & brevibus verbis inſtruxit; &, quia dies ſancti Paſchæ *bb* imminebat, jejunium ſecundùm Chriſtianorum conſuetudinem eis indixit. Die verò paſſionis Domini, quem Paraſeven uſus eccleſiaſticus vocat, pridie ſcilicet antequam baptiſmi gratiam rex & populus ejus percepturi erant, cùm ſanctus Remigius & venerabilis conjux regis Rothildis pro regis & populi ejus ſalute in oratione pernoctarent, Epiſcopus in domo ante altare

bb

B ſanctæ Mariæ multas effundens lacrimas, & regina in oratorio ſancti Petri juxta domum regiam; expleta oratione, Pontifex ad hoſtium regii cubiculi pulſaturus acceſſit, ut videlicet per alta ſilentia noctis aliis curis regi abſoluto liberiùs poſſet committere ſacra myſteria verbi.

pridie baptiſmi, cæleſti lumine, voce * *i. e* oſtiis

58 Quem hoſtiis * apertis cubicularii regis reverenter ſuſcipiunt, & cum honore debito uſque ad penetralia regis introducunt. Sed & rex alacriter ei obviàm proſilivit, eumque amplexatus, cum ipſo & venerabili conjuge in oratorium beatiſſimi Apoſtolorum principis Petri, quod, ut diximus, cubiculo regis contiguum erat, proceſſit. Cúmque illi tres, Pontifex ſcilicet & rex atque regina, diſpoſitis ſedilibus conſediſſent, circumſtantibus quibuſdam clericis, qui cum Pontifice venerant, & familiaribus regis atque reginæ, & ſanctus Præſul regem monitis inſtrueret ſalutaribus, ac Euangelicis diſciplinis imbueret, ad confirmandam veræ fidei prædicationem, per ſanctum depromptam Pontificem etiam viſibiliter oſtendere Dominus voluit,, quod fidelibus cunctis promiſit: Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum; repentè lux tam copioſa totam replevit eccleſiam, ut claritatem ſolis evinceret; & cum luce vox pariter audita eſt dicentis: Pax vobis:

C ego ſum, nolite timere; manete in dilectione mea.

ac adore coram rege & regina,

59 Et poſt hæc verba lux, quæ advenerat, receſſit, & incredibilis ſuavitatis odor in eadem domo remanſit, ut patenter oſtenderetur, illuc Autorem lucis & pacis atque ſuavitatis veniſſe, quem nemo eorum, qui aderant, præter Epiſcopum, propter fulgorem luminis timore perculſi, intueri valuerunt; tantaque claritatis gloria Pontificem ſanctum perfudit, ut ſplendor ex eo procedens plùs conſpicuam domum, in qua ſedebant, reddiderit, quàm lucernarum lumina ibidem lucentia. Rex itaque ac regina pedibus ſe ſancti Sacerdotis proſternunt, & cum magno pavore ac gemitu conſolationem ejus requirunt, & quid ſibi ad utilitatem atque ſalutem pertinens eſſet agendum, cum magna expetunt devotione, parati audire & opere complere, quod à ſancto Pontifice diſcerent.

60 Nam lumen, quod eos exteriùs perfudit, etiam interiùs illuminavit, & ad quærendum ſalubre conſilium incitavit. Delectabantur namque in verbis illis, quæ audierant, licèt exterriti eſſent de luminis claritate. At verò Vir ſanctus, ſanctâ repletus ſapientiâ, cœpit eos inſtruere, hanc eſſe viſionis divinæ atque angelicæ conſuetudinem, ut in adventu ſuo terreant corda mortalium, ſed ſubſequenti conſolatione demulceant præcedentem timorem, inſtruens eos ex auctoritate ſanctarum Scripturarum, quomodo ſingulis, quibus apparuerunt, & in primordio apparitionis incuſſerint videntibus ſe timorem, ſed poſt per gratiam conſolationis gratiſſimam eorum cordibus præbuere lætitiæ hylaritatem. Cúmque jam ſanctus Vir eos de talibus ſufficienter inſtruxiſſet, prophetico repletus ſpiritu cuncta, quæ eis, vel ſemini eorum, eventura erant, prædixit.

aliiſque illuſtraturæ multa eis prædicit

& inſtar Moyſis fulget.

61 Qualiter ſcilicet ſucceſſura eorum poſteritas regnum eſſet nobiliſſimè propagatura atque gubernatura, & ſanctam Eccleſiam ſublimitura, omnique Romana dignitate regnoque potatura, & victorias contra aliarum gentium incurſus adeptura, niſi fortè à bono degenerantes viam veritatis relinquerent, & diverſos vitiorum fuerint ſecuti anfractus, quibus negligi Eccleſiaſtica ſolet diſciplina, & quibus Deus offenditur; ac per hoc regna ſolent ſubverti atque de gente in gentem transferri. Quod de Moyſe ſcriptum legimus, quia ſplendida facta eſt facies ejus, dum reſpiceret in eum Dominus, hoc & in beatum Remigium luce ſplendida illuſtratum factum fuiſſe audivimus; quoniam ſicut Moyſes legiſlator populo veteri erat à Domino conſtitutus, ita & beatus Remigius Euangelicæ gratiæ lator populo in proximo per fontem baptiſmatis innovando extitit munere Chriſti electus *cc*.

E

cc Sanctus Chlodoveum ducit ad baptiſterium,

62 Interea eundi via ad baptiſterium à domo regia præparatur, veliſque atque cortinis depictis ex utraque parte prætenditur & deſuper adumbratur. Plateæ ſternuntur & eccleſiæ componuntur, baptiſterium balſamo & ceteris odoramentis conſpergitur; talemque gratiam Dominus ſubminiſtrabat in populo, ut æſtimarent, ſe paradyſi odoribus refoveri. Sicque præcedentibus ſacroſanctis Euangeliis & crucibus, cum ymnis & cantibus ſpiritalibus atque letaniis Sanctorumque nominibus acclamatis, ſanctus Pontifex, manum tenens regis, à domo regia pergit ad baptiſterium, ſubſequente regina & populo. Dum autem ſimul pergerent, rex interrogavit Epiſcopum, dicens: Patrone, eſt hoc regnum Dei, quod mihi promittis? Cui Epiſcopus, Non eſt hoc, inquit, illud regnum, ſed initium viæ, per quam venitur ad illud. Cùm verò perveniſſent ad baptiſterium, clericus, qui chriſma ferebat, à populo eſt interceptus, ut ad fontem venire nequiret.

F

& divinitus alium chriſmate fontem ſacrat,

63 Sanctificato autem fonte, nutu divino Chriſma defuit: & quia propter populi preſſuram ulli non patebat egreſſus eccleſiæ vel ingreſſus, ſanctus Pontifex, oculis ac manibus protenſis in cælum, cœpit tacitè orare cum lacrimis. Et ecce ſubitò columba nive candidior attulit in roſtro ampullulam, chriſmate ſancto repletam, cujus odore mirifico ſuper omnes odores, quos antè in baptiſterio ſenſerant, omnes, qui aderant, inæſtimabili ſuavitate repleti ſunt. Accipiente autem ſancto Pontifice ipſam ampullulam, ſpecies columbæ diſparuit *dd*: de quo chriſmate fudit venerandus Epiſcopus in fontem ſacratum. Viſo autem rex tanto miraculo, abne-

dd

gatis

A gatis diaboli pompis & operibus ejus, petiit, ſe à ſancto Pontifice baptizari. Procedit novus Conſtantinus ad lavacrum ſalutiferum, in quo delendi erant lepræ veteris morbi, ſordenteſque antiquæ peccatorum maculæ diluendæ, divino muneri obſequente beato Remigio, in quo apoſtolicâ doctrinâ & virtutum gratiâ alter repræſentari videbatur Silveſter *ee*.

ee

ipſumque regem *ff* *gg*

64 Ingreſſo autem in fontem vitalem Ludovico, ſanctus Epiſcopus dixit ore facundo: Mitis depone colla Sicamber *ff*; adora, quod incendiſti, incende, quod adorâſti *gg*: & præceptis ſalutaribus illum inſtituens, humili devotione venerari eccleſias ad cultum religionis ædificatas, ut Deum adoraret in eis, quas rigida prophanitate incendere conſueverat; & idola, quæ in aſilis ſuis pro deo adorare ſolebat, fidei ardore ſuccenſus, deiciendo incenderet. Cujus ſapientia miranda eſt in brevitate ſermonum, quibus diſcretionem oſtendit inter illam adorationem & ſervitutem, quam ſæpe à ſanctis viris honore venerationis & amore obſequii angelis & hominibus exhibitam legimus; & illam adorationem & ſervitutem, quam cultu divinitati debito

B Deo ſoli juxta præceptum ipſius, non autem ulli creaturæ exhibendam, ſanctæ Scripturæ lectione cognoſcimus.

multoſque alios baptizat.

65 Et ſic poſt confeſſionem orthodoxæ fidei ad interrogationem ſancti Pontificis ſecundum eccleſiaſticum morem baptizatus eſt trina merſione in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti; & ſuſceptus ab ipſo Pontifice *hh* de ſancto fonte, peruncțus eſt ſacro chriſmate cum ſigno ſanctæ Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti *ii*. Baptizantur autem de exercitu ejus tria millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus *kk*. Baptizantur ſorores ejuſdem, Albofledis & Landehildis *ll*: & factum eſt gaudium magnum in illa die angelis ſanctis in cælo, & hominibus devotis in terra. De miraculo ſiquidem, quod Dominus dignatus eſt oſtendere per columbæ ſpeciem in allatione chriſmatis, ſicut & de aliis, rata eſt Catholicorum Patrum ſequenda ſententia, quâ dicitur: Divina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum *mm*....

hh

ii

kk

ll

mm

C ANNOTATA.

a *Hanc fabuloſam Francorum ex Trojanis originem, ab eruditis dudum exploſam, hauſit Hincmarus ex anonymo ſcriptore de Geſtis Francorum, qui à nonnullis* Fabulator anonymus *ſolet appellari. Certiorem Francorum originem ſedeſque in Germania, mari Oceano propinquiore ac viciniore Belgio expoſitas, apud nos vide tom* 1 *Februarii pag.* 206 *& ſequentibus in S. Sigeberto rege Francorum Auſtraſiorum.*

b *Hæc vel ex eodem anonymo deprompſit, vel ex S. Gregorii Turonenſis Hiſtoriæ lib.* 2, *cap.* 9, *cujus tamen verba non rectè expoſuit. Sic ille ibidem habet:* Tradunt enim multi, eoſdem de Pannonia fuiſſe digreſſos: & primùm quidem litora Rheni amnis incoluiſſe; dehinc tranſacto Rheno, Toringiam tranſmeâſſe, ibique juxta pagos vel civitates reges crinitos ſuper ſe creaviſſe... Ferunt etiam, tunc Chlogionem (*id eſt* Clodionem) utilem ac nobiliſſimum in gente ſua regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitabat, quod eſt in termino Thoringorum. *Secundùm hæc igitur Franci è Pannonia advenæ primò ad dexteram Rheni ripam conſediſſent, deinde eodem amne tranſmiſſo, versùs Thoringiam tranſmeâſſent. Hoc autem qua ratione dicetur, cùm Toringiam petentibus Rhenus minimè tranſeundus, ſed ab eadem, in qua habitabant, dextera ejuſdem fluminis ripa retrocedendum fuiſſet? At nihil difficultatis habent, qui cum Henſchenio noſtro* Diſpargum caſtrum *ſtatuunt eſſe hodiernum Dieſthemium*, in termino Tongrorum *ad Septentrionem ſitum, uti hunc locum excudit Badius. Conſule Henſchenium loco citato; & pro* Thoringia *ſupra ſubſtitue pariter* Tongriam *ſive* Tungros.

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

c *S. Gregorius Turonenſis loco mox citato hæc ait:* Chlogio autem, miſſis exploratoribus ad urbem Cameracum, perluſtrata omnia ipſe ſecutus, Romanos proterit, civitatem adprehendit, in qua paucum tempus reſidens, uſque Suminam fluvium occupavit. *Nihil hîc dicitur de civitate Tornacenſi, verùm hanc accepit Hincmarus ex eodem anonymo in Geſtis Francorum.* Sumina *autem, Hincmaro* Summa, *aliàs* Somona, *Gallicè* la Somme *fluvius in Veromanduis ſupra Fanum S. Quintini ortus, in Occaſum fluens, Picardiam ſecat, & prope oppidum S. Valerici in Britannicum mare illabitur.*

E

d *Præivit hic rurſum anonymus his verbis:* Appellavit eos Valentinianus imperator Francos Atticâ linguâ, quod in Latinum interpretatur ſermonem, hoc eſt feros, à duritia vel ferocitate cordis. *Fabulam eſſe liquet ex Trebellio Pollione & Flavio Vopiſco, qui cùm ſub finem ſeculi tertii & quarto ante Valentiniani I imperium ſcripſerint*], Francos *jam nominârunt. Ad hæc* Francos, *à Belgica Francicaque voce* Franck, *id eſt* libero *alii rectiùs derivant. Conſule Henſchenium loco citato num.* 2.

e *Merovei obitum ac Childerici Succeſſionem in regnum Henſchenius ibidem & Cointius anno* 456 *illigârunt.*

f *Gregorius Turonenſis ſcribit, Baſinam fuiſſe uxorem Biſini, vel Baſini Thoringiæ regis, apud quem Childericus, à ſuis è regno pulſus exſulaverat, eamdemque ad eumdem Childericum poſtea in regnum ſuum reſtitutum confugiſſe, & ab eo in conjugem acceptam eſſe. De nato illis filio hæc ſubdit:* At ille (*Childericus*) gaudens eam ſibi in conjugio copulavit: quæ concipiens peperit filium, vocavitque nomen ejus Chlodovechum. Hic fuit magnus & pugnator egregius. *Hincmarus illum conſtanter appellavit* Ludovicum, *quod idem nomen eſt; nam* Ludovici *nomen Chlodovecho vel Clodoveo in baptiſmate datum eſſe, ut quidam apud Surium crediderunt, omni veriſimilitudine caret.*

F

g *Ne nimiis annotationibus de rebus ad* S. Remigium *nil pertinentibus pergam lectori moleſtus eſſe, legat de his, qui volet, Cointium, alioſque hiſtoricos, qui res Francicas tractaverunt.*

h *Pro hiſce omnibus conſule Commentarium prævium* § 6.

i *De occupata à Childerico civitate Andegavenſi meminit S. Gregorius Turonenſis lib.* 2, *cap.* 18; *de Aurelianenſi tantùm ait:* Childericus Aurelianis pugnas egit. *Mortem ejus Henſchenius ad finem anni Chriſti* 479, *Cointius aliique ad annum* 481 *retulerunt. Ludovicus ſive Chlodovechus vel Clodoveus in regnum per Gallias dilatatum ſucceſſit.*

k *De Ægidio Syagrioque, Romanorum nomine ſubditos imperio Gallos regentibus, ac poſtremo per Clodoveum victo occiſoque vide Commentari-*

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

num prævium § 6, ubi etiam dictum est, hoc Clodovei bellum ab Henschenio anno 484, à Cointio autem aliisque nunc passim biennio seriùs, sive anno 486 figi.

l Erat (*inquit S. Gregorius Turonensis lib. 2, cap. 31*) S. Remigius episcopus egregiæ scientiæ & rethoricis adprimè imbutus studiis; sed & sanctitate adeò prælatus, ut S. Silvestri virtutibus æquaretur:

m *Eadem voce etiam utitur anonymus scriptor de Gestis Francorum, & Flodoardus lib. 1, cap. 13.*

n *Hunc conventum, in quo Franci armis instructi quotannis mense Martio adesse debebant, à Pippino rege anno 755 ad mensem Maium translatum fuisse, tradunt Annales Petaviani his verbis:* DCCLV. Venit Thasilo ad Martis campo, & mutaverunt Martis campum in mense Maio. *Consulo, si lubet, Cointium ad annum Christi 752, num. 19, annumque 755, num. XI. Hinc factum est, ut, qui antè* Campus Martius *appellabatur, deinde* Campus Madius, *vel* Campus-Maius *dictus fuerit.*

B o *Hæc omnia etiam legere est apud S. Gregorium Turonensem lib. 2 Historiæ, cap. 27, sed taeito nomine episcopi ac civitatis. Verba dedi in Commentario prævio num. 92 & 93; sed utrumque expressit Fredegarius in Historia Epitomata, cap. 16, ubi tamen hoc differt ab illo, quòd dicat,* S. Remigium, *ipsummet pro repetendo sacro urceo ad regem accessisse, deinde verò, eodem rege jubente, quemdam Suessiones misisse. Verba ejus accipe.* Igitur de ecclesia Remicianæ urbis urceum magnum hostis abstulerat cum reliquis ministeriis (*id est, sacra supellectile.*) Sanctus ac apostolicus Remedius pontifex ejusdem urbis ad Chlodoveum veniens, postulans, si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel urceum illum reciperet. Audiens rex, dixit: Mitte nuntium usque Suessionas &c.

p *Præivit hîc rursum Gregorius Turonensis, loco mox citato sic subdens:* Multa bella victoriasque fecit. Nam decimo regni sui anno Thoringis bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subjugavit.

q *Quam hic* Rothildem *appellat, S. Gregorio Turonensi in eodem lib. 2 cap. 28 & alibi* Chrotechildis *dicitur, nunc communiùs* Clotildis *vel*

C Chrotildis, *quo nomine de hac sancta regina in Opere nostro actum est ad diem 3 Junii, quo colitur. Porrò cùm Hincmarus scribat, hasce nuptias,* interveniente Aureliano, *conciliatas fuisse, satis indicat, sibi præluxisse anonymum in Gestis Francorum, cujus fabulosam de hoc argumento narrationem Henschenius noster in Annotatis ad caput 1 Vitæ ejusdem Sanctæ lit.* a *recensuit & explosit.*

r *Utrumque rursum didicit ex eodem anonymo. Cointius primam expeditionem retulit ad annum 493, secundam ad 494, ex Sigeberti Chronico, in quo hæc anno decimo tertio Clodovei, illa duodecimo contigisse dicitur. Ceterùm vulgo nota sunt* Sequana, *Gallis* la Seine, *&* Liger, la Loire *Galliæ flumina;* Aureliani *urbs est* Orleans, Milidunum *seu* Melodunum, Melun.

s In albis, *id est intra octiduum à suscepto baptismo. Solebant enim in baptismo veste candida indui, quam octavo die deponebant. Porrò hæc omnia iisdem ferè verbis habet Turonensis lib. 29 & 30; nec tamen hinc, sed ex anonymi Gestis Francorum accepit Hincmarus, ut conferenti manifestum erit.*

t *A Turonensi dicitur* Chlodomeres, *estque unus è quatuor Clodovei filiis, qui paternum regnum inter se partiti sunt.* D

u *De bello hoc egi in Commentario prævio § 6, ubi illud cum Clodovei baptismo ad annum 496 referendum esse ostendi.*

x Aureliani *non meminit S. Gregorius, qui Clodoveum, sic ab hostibus pressum, sponte sua Christi auxilium invocâsse scripsit. Anonymum hic denuò secutus Hincmarus est.*

y Quem bonus Remigius, Remorum archiepiscopus *&c, solius Hincmari sunt, non S. Gregorii, nec anonymi.*

z *Hæc totidem verbis leguntur apud anonymum in Gestis Francorum. In editione Historiæ S. Gregorii Turonensis per Chesneum, ac tribus quatuorve ejusdem exemplaribus etiam hîc legi,* Actum anno XV regni sui, *observat Ruinartius in Annotatis ad editionem suam; sed in ceteris editis ineditisque non legi; quapropter ista omisit, censuitque intrusa fuisse ex prædicto anonymo; quod ante ipsum jam adverterat Henschenius. Ceterùm secundum communiorem sententiam, quæ Clodovei regnum ab anno 481 orditur, annus* XV *ejusdem regni in Christi 496 incidit, quo Clodoveum baptizatum fuisse credimus.* E

aa *Hæc non consonant dictis S. Gregorii, qui lib. 2, cap. 31 de Clodoveo ait:* Conveniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamavit: Mortales deos abjicimus *&c.*

bb *Cùm in Commentarii prævii § 7 probaverim, Clodoveum non in Paschate, sed in Natalitiis Christi Domini sacro fonte ablutum fuisse, corrigenda sunt, quæ de Quadragesimali jejunio ac Paschate Hincmarus, Flodoardus, aliique post illos dixêre. Quantum ad baptismum in Paschate Clodoveo collatum præiverat Fredegarius in Epitome cap. 21; at Turonensis & sæpe dictus anonymus hac de re siluerunt.*

cc *Quæcumque hîc à num. 57 iisque verbis* Die verò Passionis Domini *&c narrantur, ignota sunt omnibus antiquioribus, nituntur que sola fide Hincmari; qui unde ista acceperit, quis divinet? At certè, erravit in tempore, ut dictum est. Quæ verò sequuntur, partim conformia sunt narrationi S. Gregorii, partim amplificata, partim etiam diversa, quemadmodum in Commentario prævio ostendi, & in Annotatis aliquoties observabo.* F

dd *Hoc lampullæ in baptismo Clodovei divinitus acceptæ miraculum ignotum est omnibus antiquioribus Hincmaro, qui an illud apud ullum alium legerit, non indicavit. Adi Commmentarium prævium §§ 8 & 9, in quibus de eodem prolixè actum est.*

ee *De Constantini lepra baptismoque per S. Silvestrum I Papam ei collato etiam S. Gregorius Turonensis hîc meminit; verùm hæc discussa vide apud nos tom. 5 Maii in Constantino Magno cap. 2.*

ff *Ista* Remigii *ad regem dicta accepta sunt ex Turonensi.*

gg Sicambrum *vocat à Sicambria Francorum regione ultra Rhenum sita.*

hh *Quidam crediderunt,* S. Remigium, *quia Clodoveum è sacro fonte suscepit, ejusdem baptistam non fuisse, quorum opinionem refutavi in Commentario prævio § 7; ubi etiam dixi, hæc non alibi, quàm in civitate Remensi peracta esse.*

ii *Hæc sacra unctio, quam etiam Turonensis ibidem*

A *ibidem memorat, fuit Sacramentum confirmationis, non unctio regia.*

kk *Turonenſis hîc :* De exercitu verò ejus baptizati ſunt amplius tria millia.

ll *Ita rurſum ex anonymo in Geſtis Francorum ; ſed utrique contradicit S. Gregorius, ibidem ſic proſecutus :* Baptizata eſt & ſoror ejus Albofledis, quæ non poſt multum tempus migravit ad Dominum... Converſa eſt enim & alia ſoror ejus, Lanthechildis nomine, quæ in hæreſim Arianorum dilapſa fuèrat, quæ confeſſa æqualem Filium Patri & Spiritum ſanctum, chriſmata eſt. *Adi Commentarium prævium num.* 119 *&* 120. *Interſeruit autem, ubi puncta poſui, laudatus ſanctus hiſtoricus initium epiſtolæ, quam* S. Remigius *ad Clodoveum, de morte ejuſdem ſororis ſuæ Albofledis dolentem, conſolatoriam dedit, quam ego totam retuli in Commentario num.* 174 *& ſequenti. Litteras quoque, quibus S. Avitus Viennenſis epiſcopus & Anaſtaſius II Papa Clodoveo de ſuſcepto baptiſmate gratulati ſunt, præmiſi ibidem à num.* 166.

mm *Ita eſt, meritò id docent Patres de humano ingenio divinæ auctoritati in myſteriis fidei ceteriſque à Deo revelatis ſubmittendo. Eodem Patrum effato rectè etiam probâſſet Hincmarus, rejicienda non eſſe miracula eo ſolo ex capite, quòd humani ingenii captum excedant. Sed quid huc illud pertinet, ubi agitur de miraculo, ſola fide humana nixo, nec ab ullo, qui quidem ſciatur, ante Hincmarum tradito ? Neque id magis probat in ſermone, quem ſubdit, in quo ſcilicet diſſerit de apparitionibus ſancti Spiritus relatis in Scripturis divinis aliiſque hiſtoriis ; de poteſtate patrandi miracula fidelibus à Chriſto Domino promiſſa ; de ſacro chriſmate, & Sacrificio Miſſæ ; quæ velut ad* S. Remigii *geſta nîl facientia hîc reſcidi.*

B

CAPUT V.

Reliquæ gentis Francorum converſio, & in S. Remigium munificentia : epiſcopatus Laudunenſis ab illo erectus, eique præfectus S. Genebaudus : hujus lapſus, pœnitentia, in officium reſtitutio & ſanctitas.

C

Sanctus totam gentem convertit ;

MUlti denique de Francorum exercitu, necdum ad fidem converſi, cum regis parente Raganario ultra Summam fluvium aliquandiu deguerunt, donec Chriſti gratia cooperante, glorioſis potitus victoriis, eundem Raganarium, flagitiis turpitudinum inſervientem, vinctum à Francis ſibi traditum rex Ludovicus occidit, & omnem Francorum populum per beatum Remigium ad fidem converti & baptizari obtinuit. *a.* Baptizatus autem rex cum gente integra plurimas poſſeſſiones per diverſas provincias ſancto Remigio, tam ipſe, quàm Franci potentes dederunt, quas ipſe per diverſas eccleſias tradidit, ne Franci, eum rerum temporalium cupidum eſſe, & ob id ad Chriſtianitatem eos vocâſſe putarent, & fidem Chriſti ac ſanctum ſacerdotium vilipenderent *b.* De quibus rebus in Orientalibus Franciæ partibus petentibus traditoribus, portionem quandam epiſcopio Remenſi adjunxit.

a

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

67 Et de his, quæ in Remenſi provincia illi fuerant traditæ, non modicam partem eccleſiæ ſanctæ Mariæ in Caſtro Lauduni Clavati, Remenſis parrochiæ, ubi nutritus fuerat, tradidit, ibique Genebaudum, virum carne nobilem, & tam in Scripturis ſanctis quàm & in ſecularibus litteris eruditum, qui, relicta uxore, nepte ſcilicet ipſius beati Remigii, vitam religioſam expetierat, epiſcopum ordinavit, & parrechiam ipſius comitatûs Laudunenſis præfato caſtro ſubjecit *c.* Qui Genebaudus plùs, quàm neceſſe fuerat, de antè acta vita & gradûs ſublimitate confidens ; cùm debuerit cogitare, quia non Davide ſanctior, nec Salomone ſapientior eſſet, qui mulierum delenimentis periclitati ſunt, incautè ſuam uxorem, quam relinquens mutaverat in ſororem, quaſi pro inſtructione ſalutari, frequentiùs ſe viſitare permiſit, oblitus Scripturæ dicentis : Lapides excavant aquæ, & alluvione terra conſumitur, rupes transfertur de loco ſuo.

b *Epiſcopatum Lauduni erigit, Genebaudo ibi ordinato epiſcopo,*

c

E

68 Unde contigit, ut crebræ viſitationes & blanda ac frequentia mulieris colloquia durum contra luxuriæ mollitiem cor epiſcopi emollirent, & quaſi rupem ſaxeam de loco ſanctitatis ad luxuriæ inquinamenta tranſtulerint. Et item contra Scripturam dicentem : Quis alligabit ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ejus non comburentur ? Admotâ igni paleâ, id eſt, carnis muliebris materiâ, libidinis ignem ſuaſione diabolica, quaſi vento vehementi exagitante, ardor luxuriæ in flammas erupit, & concumbens cum eadem quondam uxore ſua, mulier concepit, & poſt partum mandavit epiſcopo, filium ſe peperiſſe. Genebaudus verò confuſus & dolens, nuntio dixit : Quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latêre non potuit, in cubiculi abſconſo generatus eſt ; rectè vocabitur Latro : ſic ei nomen imponat. Et quia culpa hominibus non innotuit, ne ſuſpicio inde procederet, ſi ſe à ſolita viſitatione femina illa ſubtraheret, cœpit, ut antea, domum frequentare epiſcopi. Sicque factum eſt, ut tectâ hominibus culpâ, & in cordibus tam epiſcopi quàm feminæ tectus luxuriæ ardor (quoniam, ut notum eſt, Quoque magis tegitur, tectus magis æſtuat ignis) contra culpam compunctus epiſcopus, ſed poſt fletum ad culpam rediit, & oblitus eſt, quod planxerat, cùm extinguere noluit, quod per deſiderium ardebat.

quem poſtea cum uxore quondam ſua

F

69 Iteravit peccatum, quod egerat, concepitque iterum mulier, & miſſo nuntio, mandavit epiſcopo, ſe feminam peperiſſe ; quam juſſit nominari Vulpeculam. Quod, cur ita eam nominari voluerit, qui fraudes & ſignificationes in Scripturis ipſius animalis cognoſcit, quas ad dolos ac verſutias deceptoris diaboli, & ad carnis petulantis illecebras & anfractus retulit, facilè ſatis advertit. Tandem Domino, qui beatum Petrum reſpexit, & negationem amariſſimè flevit *d*, illum reſpiciente, Genebaudus in ſe reverſus ad ſanctum Remigium miſit, petens, ut Laudunum veniret ; quia tales cauſæ ibi emerſerant, quas per ſe diffinire non poſſet. Beatus autem Remigius, ſicut Genebaudus petiit, Laudunum venit. Et ſuſceptus cum debita reverentia, ac ſecreta cubiculi petens, Genebaudum

graviter lapſum, ac demum pœnitentem

d

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

interrogavit, pro qua causa illum vocaverit. Genebaudus verò cum maximo fletu & ejulatu volens tollere stolam de collo suo & procidere ad pedes sancti Remigii, cum magna virtute à beato Remigio est detentus, ne stolam de collo suo tolleret. Et postquam diutius ambo fleverunt (intellexerat enim beatus Remigius, Genebaudum admisisse crimen, pro quo stolam vellet deponere) vix cum singultibus & lacrimis Genebaudus per ordinem omnia retulit, quæ commiserat.

Increpitus S. Remigius

70 Quem sanctus Remigius videns contritum & penè desperatum, blandè consolatus est, dicens, quòd non tantùm doleret de admisso ab eo crimine, quantùm, quòd sic malè sentiret de Domini bonitate, cui secundùm Euangelicam veritatem non est impossibile omne verbum, & qui de nichilo cuncta fecit; primumque parentem, in quo omnes peccaverunt, gratiâ salvum fecit, ullum peccantem, ad se reversum, non despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit; & qui quatriduanum & jam fœtentem Lazarum lacrimis sororum, quæ signârunt sollicitas ac flebiles pœnitentium cogitationes, compatiens flevit, & à mortuis suscitavit, &

B

suscitatum convivio suo admisit; mulieris etiam illius, quæ fuerat in civitate peccatrix, manibus iniquitate pollutis sanctissimos pedes suos, qui super angelorum omnium verticem ad Patris dexteram consident, attrectari se non renuit, quique nulli quantiscumque vel qualibuscumque peccatis mortuo, vel mole ac scelerum enormitate sepulto, gratiam resuscitationis à peccatis denegat, & dignè pœnitentem atque peccata sua deflentem per januam reconciliationis communioni altaris sacrosancti restituit, remissionem totius peccati postulanti denegare non deberet diffidere.

Spe veniæ obtinendæ solatur,

71 Nam, cùm Stephanus pro fide moreretur, Saulus lapidantium vestimenta servabat: omnium ergò manibus ipse lapidavit, qui ad lapidandum omnes exertos reddidit; & tamen eundem ipsum in sanctæ Ecclesiæ laboribus antecessit, quem persequendo martyrem fecit. Sed & multi episcopi negaverunt, Jesum Christum esse verum Filium Dei vivi, & blasphemiam dixerunt in Spiritum sanctum; & resipiscentes Catholicæ fidei confessione & dignis pœnitentiæ fructibus, atque profusis lacrimis, non solùm

C

indulgentiam meruerunt, sed & in ordine ecclesiastico permanserunt, & ad sanctorum sacerdotum consortium pervenerunt. Et quia duobus modis apostatatur à Deo, fide scilicet & operatione, sicut illi fide apostatantes misericordiam consecuti sunt, ita & is, qui criminaliter peccando, sicut dicit Apostolus, factis Deum negavit, tamen à credulitate & confessione veræ fidei non declinavit, facilè hujus peccati veniam apud divinam misericordiam obtinere valeret, si fructus pœnitentiæ dignos ageret.

& ad pœnitentiam agendam incitatum cellulæ includit;

72 Nullus enim suorum magnitudine facinorum perterritus de impetranda venia, si dignum pœnitentiæ fructum fecerit, debet ullo modo dubitare; quoniam etiam Jherosolimitis, qui Filium Dei blasphemaverunt & crucifixerunt, indultum esse constat, sicut sacra Scriptura demonstrat. Fidelis est enim in verbis suis, qui prophetica nobis voce promisit: In die illa erit fons patens domus David in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Domus namque David nobis peccatoribus fons patens in ablutionem est, quia iniquitatum nostrarum fordibus per David Filium, Salvatorem nostrum, apertâ jam misericordiâ, pœnitentes & confitentes lavamur in sanguine suo. Et ut erat doctissimus ac orator eloquentissimus, testimonia de latitudine sanctæ Scripturæ & exempla pœnitentium in unum colligens, ad animandum eum illi proposuit, & exhortato pœnitentiam indixit. Factâque mansiunculâ cum lecto in modum sepulchri, & parvissimis fenestellulis ac oratorio, quæ hodieque manent secùs ecclesiam S. Juliani, Genebaudum in ea reclusit.

D

Genebaudus in ea post septennium ab angelo intelligit,

73 Et clerum atque parrechiæ ipsius populum per septem annos, ut propriam parrechiam, gubernavit, & unam Dominicam diem Remis, alteram apud Laudunum celebravit. In qua reclusione pœnitentiæ quantæ contritionis ac continentiæ idem Genebaudus fuerit, divina misericordia demonstravit. Septimo siquidem anno in vigilia Cœnæ Domini cùm idem Genebaudus in oratione pernoctaret & seipsum defleret, quoniam is, qui ad hoc ordinatus fuerat, ut in illa die pœnitentes Domino reconciliaret, ipse, suis criminibus exigentibus, nec inter pœnitentes in ecclesia merebatur consistere; circa mediam noctem venit angelus Domini magna cum luce ad eum in oratorium, ubi pronus jacebat, & ait ad eum: Genebaude, exauditæ sunt pro te orationes patris tui Remigii, suscepit quoque Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum. Surge & hinc egredere, facque mysterii episcopalis officium, & reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis.

E

peccata sua dimissa esse, & à S. Remigio,

74 Genebaudus autem nimio terrore perculsus, respondere nichil potuit. Tunc angelus Domini confortans eum, & ne timeret, hortatus est, sed gauderet in misericordia Domini sibi collata. Qui animatus dixit ad angelum: Non possum hinc egredi, quia pater & dominus meus Remigius clavem hujus hostii * secum habet, quod & sigillo suo signavit. Et angelus ad eum, Ut non dubites, inquit, me à Domino missum, sicut patet tibi cælum, sic & hostium illud patebit. Et statim, salvo sigillo ac serâ, hostium illud apertum est. Tunc Genebaudus in modum crucis se jactans in limine, dixit: Etiamsi ipse Dominus Jesus Christus dignatus fuerit ad me peccatorem venire, hinc non egrediar, nisi ille venerit, qui me in ejus nomine in ista reclusione constituit, & statim angelus Domini discessit ab eo. Beatusque Remigius in cripta, quæ retro sedem erat ecclesiæ sanctæ Mariæ Remis, pernoctabat in oratione, & quasi dormiens in excessum est raptus, & vidit angelum assistentem sibi, qui hæc omnia, sicut dicta & gesta fuerant, narravit, & jussit, ut quantocius Laudunum peteret, & Genebaudum episcopali sedi restitueret, & coram se ministerium episcopale agere persuaderet.

* *i. e.* ostil

F

per angelum monito, suæ sedi restituitur,

75 Mox sanctus Remigius nichil dubitans, cum summa celeritate Laudunum petiit, & in limine hostii, salvo sigillo & serâ relatis, Genebaudum jacentem reperit, quem tensis brachiis, cum gaudio & lacrimis laudans divinam misericordiam, elevavit, eumque sedi & officio episcopali, veluti angelus Domini præceperat, restituere maturavit, & Remis cum gaudio repedavit. Genebaudus itaque in sanctitate & justitia postea omnes dies vitæ suæ gratiâ Dei peregit, prædicans cunctis, quanta illi fecerat Dominus; quatinus nemo de sua justitia confideret, nemo de misericordia Dei diffideret, quæ tunc evidentiùs prominet, quando peccator sanctificatur & abjectus

A abjectus erigitur (neque enim de qualitate noſtrorum operum pendet cæleſtium menſura donorum, aut in iſto ſeculo, in quo tota vita hominis temptatio eſt, hoc unicuique retribuitur, quod meretur; ut, ſi iniquitates Dominus obſervaret, nullus judicium ipſius ſuſtineret) dicens ſibi, magnam in gloriam Dei cauſam eſſe lætandi, qui ei, ut multùm ab illo diligeretur, multa dimiſit, & ut mirabilem faceret gratiam ſuam, in eo munera ſua contulit, in quo meritorum ſuffragia non invenit, & poſt collata munera graviter peccantem, cum peccatis ſuis non perdidit, ſed miſericorditer ad veniam revocavit.

ac epiſcopali munere fungens, miſericordiam Dei laudat,

76 In qua prædicatione miſericordiæ Dei ſecutus eſt Apoſtolum dicentem: Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturí ſunt illi in vitam æternam. Legimus in Hyſtoria ſacra *e*, beatum Petrum apoſtolum, cui Dominus dixerat, Quæcumque ſolveris ſu-

e

B per terram, erunt ſoluta & in cælo, ab Herode cathenis religatum in carcere, pro quo ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum fiebat oratio, quique ab eiſdem vinculis eſt abſolutus per angelum. Habemus Genebaudum epiſcopnm, cui fuerat ligandi & ſolvendi in cælo & in terra collata poteſtas, ab Herodis capite diabolo peccati vinculis alligatum, & ob id decreto beati Remigii proprio judicio, ne judicaretur à Domino, cuſtodiæ mancipatum, ubi quoniam ei pœnitentia fuit digna, extitit etiam fructuoſa. Audivimus, eum angelica voce precibus beati Remigii peccatorum vinculis abſolutum, illique poſt pœnitentiam, quod per peccatum ſibi clauſum fuerat, cælum apertum, & quod inviſibiliter de eo ſpirituali gratia actum erat, viſibili ac corporali miraculo demonſtratum.

& ſenex ſanctè moritur, eique filius ejus ſuccedit.

77 Et quidem omnipotens Deus peccatum ejus potuit tacendo laxare, & conſolatione ſui ſpiritus de peccati perpetratione mœrenti certam veniæ ſpem reparando, ab afflictione triſtitiæ illius mentem relevare; ſed loquendo per angelum, ſalvo ſigillo & ferâ, reſerando hoſtium, exemplo ſuæ miſericordiæ noſtra ad pœnitentiam voluit corda concutere. Habeamus ergò fratres kariſſimi per interceſſionem hujus interceſſoris noſtri beati Remigii fiduciam de miſericordia Conditoris noſtri. Cogitemus, quæ facimus, recogitemus, quæ fecimus, largitatem ſupernæ pietatis aſpiciamus, & ad miſericordem Judicem, dum adhuc expectat, cum lacrimis veniamus. Conſiderantes namque, quòd juſtus ſit, peccata noſtra non negligamus: conſiderantes verò, quòd pius ſit, non deſperemus. Præbet apud Deum nobis hominibus peccatoribus fiduciam Deus homo: eſt nobis ſpes magna pœnitentibus, quia Advocatus noſter factus eſt Judex noſter, qui beatum Genebaudum & provexit, & ſtravit, & miſericordiſſimâ gratiâ relevavit, atque relevatum in fide recta & bonis operibus perſeverare fecit. Obiit itaque Genebaudus in pace, Sanctis Dei connumeratus, tam diu in epiſcopatu vivens, ut ei ſucceſſerit Latro filius ejus epi-

C ſcopus, & ipſe ſanctus *f*. . . .

f

Auctor occaſione hujus facti

78 Et ne quis etiam contra Apoſtolum delectans vocum novitates dicere præſumat, aut ſacras regulas contra hoc miſericordiæ Domini exemplum conſtituiſſe, aut beatum Remigium divina præceptione in hoc opere contra ſacras regulas de Genebaudo egiſſe, aut ipſum Genebaudum contra regularem conſtitutionem poſt lapſum in gradu manſiſſe; ſatisfaciat illi conſona Catholicorum Patrum ſententia, Ut, inquiens, conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alioquin contra claves datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt, Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. In eo enim, quod dicitur, Quæcumque ſolveritis, erunt ſoluta, nichil excipitur, nichil non comprehenſum relinquitur. A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

obſervat alia qua de poteſtate & diſciplina Eccleſiæ.

79 Igitur omni electorum Eccleſiæ juxta modum culparum vel pœnitentiæ ligandi ac ſolvendi quantorumcumque vel qualiumcumque peccatorum datur auctoritas, ut videlicet, agnitis peccantium cauſis, quos in peccatis, quæ egerint, perſiſtere cognoverit, illos perhempnibus *. ſuppliciis obligandos inſinuet: quoſcumque verò humiles ac verè pœnitentes aſpexerit, hos jam à timore perpetuæ mortis miſerans abſolvat, & purgatos altari ſacroſancto reſtituat. Sed ne forſitan etiam de detectis criminibus ſpe honoris eccleſiaſtici animus cujuſquam peccantis intumeſcens, ſuperbè ageret pœnitentiam, ſeveriſſimè placuit, ut poſt actam de crimine dampnabili pœnitentiam, nemo ſit clericus, ut deſperatione temporalis altitudinis medicina major & verior eſſet humilitas. Nam & ſanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore ſuo perſtitit: & beatum Petrum, quando amariſſimè lacrimas fudit, utique Dominum eum negâſſe pœnituit, & tamen apoſtolus manſit. Sed non ideò ſupervacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui, ubi ſaluti nichil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutiùs inveniretur; experti aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.

** i. e. perennibus*

E

ANNOTATA.

a *Conſule Commentarium prævium num.* 192 *& duobus ſequentibus.*

F

b *Iſtud veriſſimum eſſe, puto. Sanctus ipſe in Teſtamento prolixiori aliquas hujuſmodi donationes tam à rege ſibi, quàm à ſe variis eccleſiis factas commemorat, quas tamen, quia teſtamentum illud pro ſincero admitti nequit, hîc non recenſeo.*

c *Laudunenſes epiſcopatus ſui inſtitutorem fundatoremque agnoſcunt* S. Remigium, *ac primum ſedis ſuæ epiſcopum S. Genebaudum, cujus geſta, ex hac* S. Remigii *Vita excepta, apud nos illuſtrata ſunt ad diem* 5 *Septembris; quapropter eadem hîc prætermiſiſſem, niſi ſic Vitam* S. Remigii *nimiùm mutilaturus fuiſſem. Ab obſervationibus tamen faciendis hîc abſtinebo, quia ſtudioſus lector eò pro illis recurrere poterit. Adi etiam hunc Commentarium prævium* § 12.

d *Verbum* flevit *refer ad S. Petrum, ſeu pro* flevit *ſubſtitue* flentem.

e *Lege Actus Apoſtolorum cap.* 12.

f *De ſanctitate Latronis vide Annotata ad ejuſdem Vitam die* 5 *Septembris lit.* r; *atque ibi ea Vita finitur. Hîc verò primò ſequitur admonitio, ne peccatores deſperent de miſericordia Dei, nec tamen damnabili fiducia freti ex ſpe veniæ conſequenda*

A. HINCMARO ARCHIEP. REM. *ſequendæ pœnitentiam differant, aut peccent ſecuriùs. Hiſce prætermiſſis, ſubjungo, quæ Hincmarus ibidem de hoc* S. Remigii *facto & Eccleſiæ diſciplina obſervavit.*

CAPUT VI.

Villæ S. Remigio à Chlodoveo donatæ: Sanctus inter orandum à cælitibus honoratus: aliæ poſſeſſiones eccleſiæ Remenſi comparatæ: Chlodovei de Burgundionibus & Gothis victoria.

Sanctus villas à Chlodoveo rege,

LUdovicus rex ſedem ſuam in Sueſſionis civitate, unde Siagrium expulerat, conſtituens, delectabatur præſentiâ & colloquio beati Remigii. B Sed quia villas, quas ſibi rex & Franci in pagis, Sueſſonico videlicet ac Laudunenſi dederunt, ut ſuprà dictum eſt, epiſcopio Laudunenſi & aliis caſis Dei donaverat, non habebat in vicinitate ipſius civitatis Sueſſorum, niſi unam villulam, *a* quæ ſancto Nichaſio *a* data fuerat: unde ſuadente religioſiſſima regina, & petentibus locorum incolis, qui multiplicibus exeniis *b* erant gravati, ut, quod regi debebant, eccleſiæ Remenſi perſolverent, rex ſancto Remigio conceſſit, ut, quantum circuiret, dum ipſe meridie quieſceret, totum illi donaret. Sanctus autem Remigius per fines, qui manifeſtiſſimè patent, pergens ſigna ſui itineris miſit. In quo fine quidam homo habens molendinum *c* reppulit ſanctum Remigium, ne intra illos fines molendinum ipſum concluderet.

a

b

c

divinitus caſtigatis, qui adverſabantur,

81 Quem beatus Remigius blandè alloquens, dixit: Amice, non ſit tibi durum, ut ſimul habeamus hunc molendinum. Ille autem rejecit eum; & ſtatim rota molendini verti in inverſum cœpit. Idem autem homo clamavit poſt beatum Remigium, dicens: Serve Dei, veni, & habeamus ſimul hunc molendinum. Cui ſanctus Remigius: Nec mihi, nec tibi. Et ſic talis foſſa in eodem loco devenit, ut ex tunc & nunc uſque in perpetuum molendinus ibi eſſe non poſſit *d*. Et quia repulſus eſt à quibuſdam hominibus, ne ſilvulam quandam intra terminos ſuos concluderet, dixit, ut nec folia unquam de ipſa ſilva intra terminos ſuos, cùm eſſet contigua, evolarent, nec fuſtis inde versùs illos terminos caderet: quod & obſervatum eſt; quam diu illa ſilva manſit. Ab inde quoque procedens, venit ad villam nomine Caviniacum *e*; quam concludere intra illos fines volens, ab hominibus ejuſdem villæ rejectus fuit.

C

d

e

dono accipit.

82 Tunc ille vultu hylari, modò rejectus, modò repropinquans, ſigna per ſuum iter miſit; ſicut loca demonſtrant, per quæ rejectus, & per quæ reappropinquans perrexit. Tandem repulſus, dixit illis: Semper laborate, & egeſtatem ſuſtinete *f*; ſicut hodieque manentis ſententiæ verborum illius virtus oſtendit. Surgente interea rege à ſomno meridiano, reverſus eſt ad eum ſanctus Remigius, & omnia, quæ ambitus circuitionis illius continuit, ei præcepto ſuæ autoritatis rex donavit, quæ uſque hodie Remenſis eccleſia (quarum rerum capita ſunt Luliacus *g* & Codiciacus) jure quieto poſſidet. Legimus in ſacra & antiqua Hyſtoria, ſanctum David montes Gelboe maledixiſſe, ut nec ros nec pluvia veniret ſuper eos; neque eſſent agri primitiarum. Habemus ſanctum Remigium ore prophetico maledixiſſe inſenſibilibus creaturis, ut poſſeſſores earum ſterilitatis dampno in vindicta retributionis ferirentur.

f

D *g*

Matutinas laudes prævenire in eccleſia ſolitum.

83 Ad deſtruendam multorum dubietatem, qui non credunt, animas præter corpora vivere poſſe, neque cognitionem mutuam habere, unum inſignius & incognitum, & ſanctæ Dei Eccleſiæ multùm utile hoc eſt miraculum. Sanctus pater Remigius tempeſtæ * noctis ſilentio ſolus causâ orationis prævenire clerum ad eccleſiam ſolitus erat, ut, quantùm ab hominibus remotior, tantùm ad orandum fieret liberior, & dum vult eſſe ſolus, nunquam minùs ſolus, quàm ſolus. Elegit tamen ſibi ſpecialiter locum, in quo ſeipſum mactaret hoſtiam vivam, Deo placentem, & furtivas orationes dirigeret ad Deum, ipſo annuente, & ſancto Mychaële adminiſtrante, in thuribulum aureum caritatis Dei imponendas, & Spiritus ſancti igne accendendas, ut fumus aromatizans aſcenderet ad thronum gloriæ & Majeſtatis divinæ in odorem ſuavitatis. Dum hæc frequenter ageret, causâ experientiæ ſubſequitur eum ignorantem quidam ſibi familiaris, ut diſceret, quid ſolus in eccleſia ageret, aut qualiter ſe haberet.

* intempeſtæ

quidam videt cum SS. Petro & Paulo

84 Invenit eum ſtantem & manus ad cælum tendentem, & oculos illic elevantem. Orationem non audivit, ſed mox per adjutores ejus ſibi de cælis miſſos recognovit, quia matutinas laudes celebravit. Ventum eſt ad lectionem legendam, & ecce proceſſit claviger æthereus ſanctus Petrus, canitie capitis & barbæ venerandus, capite coronato & barbâ tonsâ, indutus veſte alba; & cæleſtis ille primas & apoſtolici chori princeps, inclinato capite, petiit benedictionem ad legendam lectionem ab homine in terra degente, cujus tamen ſecundùm apoſtolum aſſidua in cælis converſatio erat. Remigius benedicit, Petrus Lectionem legit. Poſt lectionem ſimul Reſponſorium canunt. His finitis, Petrus, ſubmiſſo capite, reverenter abſceſſit. Mox advenit dux verbi, vas electionis, magiſter gentium, capillo capitis nigro, barbâ prolixâ, calvitie veneranda, benedictionem à Remigio petiit & accepit, Lectionem legit, poſt Lectionem ſimul Reſponſorium canunt; & ſalutato Remigio, inclinato capite, Paulus devotus receſſit.

F

eaſdem perſolventem.

85 Tertiam Lectionem ipſi reliquerunt legendam, ut veraciter ſciret, benedictionem à Deo dandam. Hæc omnia ſubſecutor ſancti Patris vidit; ſed & eum non latuit, & manè facto, interrogavit eum, ubi ad matutinas vigilias eſſet. Et ipſe, gravi, inquit, ſompno preſſus in ſtratu meo requievi. Et Pater ſanctus, Non eſt, inquit, ita; ſed dic, quid videris. At ille tremefactus dixit: In ea forma, quâ in pictura demonſtrantur Petrus & Paulus, petierunt à te benedictionem ſeparatim. Dediſti; legerunt Lectionem uterque; Reſponſoria tecum cecinerunt, & inclinatis capitibus te ſalutantes humiliter, diſceſſerunt. Et Pater ſanctus dixit ei: Cave, ne alicui, me vivente, viſionem dicas; ſed poſt meum diſceſſum dic eccleſiæ, ut cognoſcat, quàm propitius eſt Deus, & quàm exaudibilis eſt omnibus invocantibus eum in veritate;

&

A & quàm parati ſunt cæleſtes cives ad ſuccurrendum infirmioribus fratribus ſuis *h*.

h

Villam pro beneſacto accipere renuit,

86 Eulogius quidam vir præpotens, convictus apud regem Ludovicum de crimine regiæ majeſtatis, cùm ſe purgare non poſſet, ad eccleſiam ſanctæ Mariæ & ad interceſſionem beati Remigii confugium fecit. Cui ſanctus Remigius & vitam & rerum ſuarum poſſeſſionem apud regem obtinuit. Idem autem recompenſationis gratiâ ſancto Remigio Sparnacum *i* villam ſuam in perpetuum dare voluit: ſanctus autem Remigius retributionem temporalem pro interceſſionis ſuæ beneficio recipere noluit. Sed quoniam idem Eulogius verecundiæ confuſione addictus, quia ei contra natales ſuos vitam donari per alterius indulgentiam meruit, in ſeculari habitu ſtare non voluit; ſanctus Remigius ei dixit, ut, ſi perfectus eſſe vellet, venderet omnia ſua & daret pauperibus, & ſequeretur Chriſtum.

i

ſed perſoluto in pauperes pretio, eccleſiæ ſuæ acquirit.

87 Et ſic de theſauro eccleſiaſtico taxatum pretium, quinque ſcilicet milia libras argenti Eulogio dedit, & eandem villam in poſſeſſionem eccleſiæ comparavit; bonum exemplum omnibus epiſcopis, tam ſuo tempore in carne viventibus, quàm poſt eum in ordine ſuccedentibus, derelinquens, ut pauperibus aut viduis vel pupillis, vel pro his, qui ad miſericordiam eccleſiæ confugiunt, qui injuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel in inſulis dampnantur, aut certè quamcumque ſententiam ſuſcipiunt, juxta ſacros canones ſubvenientes, vel quæcumque agentes, bona pro temporali retributione non faciant; ſed juxta vocem Dominicam, Gratis accepiſtis, gratis date, quod Dei gratiâ, id eſt gratis datâ, acceperunt, gratis etiam, id eſt, ſine retributione temporali, proximis largiantur. Unde bene, cùm virum juſtum deſcriberet Propheta *k*, ait: Qui excutit manus ſuas ab omni munere: neque enim dicit, Qui excutit manus ſuas à munere tantùm; ſed adjunxit; Ab omni: quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa; munus à manu pecunia; munus à lingua favor. Qui ergò ſacros Ordines tribuit, vel quodcumque bonum, unde retributionem à Deo ſibi in futuro ſeculo reddi cupit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non ſolùm ullam pecuniam, ſed etiam gratiam non requirit.

B

k

C

Aliam poſſeſſionem emit eccleſiæ ſuæ:

88 Partem etiam maximam ſilvæ in Voſago *l* pretio comparavit, & manſioniles *m* ibidem conſtituit, qui ab aquis, ſuper quas conſtituti ſunt, Coſſa & Gleni vocantur; hominesque in eiſdem manſionilibus de vicina epiſcopii villa, quæ Berna dicitur, à Francis ſibi data, manere diſpoſuit, ut picem annuatim religioſis locis eccleſiæ Remenſis adminiſtrarent *n*, quibus & penſam dedit, quæ uſque hodie ab incolis ipſorum locorum habetur; cum qua debitum ſuum exſolvunt *o*, ipſiuſque comparationis ſuæ fines per gyrum adeò exterminavit *p*, ut & omnibus videntibus pateat ipſa exterminatio, & à progenie in progenies hactenus ipſæ exterminationes ab eo factæ nominetenus vocitentur ac deſignentur. In quibus exterminationibus quodam loco in fuſte cavo *q* manu ſua petram miſit, quam omnes, qui volunt manum in caverna, in qua petra poſita eſt, ponere poſſunt & ipſam petram volvere, & eam à caverna nullo ingenio valent extrahere.

l *m*

n

o

p

q

89 Poſt quædam verò tempora quidam invidens, quòd multi ad laudem ſancti Remigii hoc pro religione tenebant, manu ipſam petram de caverna extrahere voluit. Quod non valens, ſecuri ipſum pertuſum *r* ampliare temptavit; & elevans ſecurim, ut fuſtem percuteret, dextera manus illius exaruit, & oculorum lumen amiſit; & qui famam ſancti Remigii extinguere voluit, laudis venerationem adauxit. In hac ſollicitudine, quam ſanctus Remigius de pice locis religioſis Remenſis eccleſiæ ſuo vel ſucceſſorum ſuorum tempore conſulendis *s* ſategit, rectoribus eccleſiæ patenter oſtendit; quia internorum ſollicitudinem non relinquentes, exteriorum providentiam non debent minuere, ne aut exterioribus dediti ab intimis corruant, aut ſolis interioribus occupati, quæ foris debent, proximis non impendant.

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

illius gloriæ invidus punitur: Sancti ſollicitudinem

r

s

90 Sed ſic ſibimet ad ſpiritualia vacent, ut exteriorum adminiſtrationem non relinquant, ne, cùm curare corporalia funditus negligunt, ſubditorum neceſſitatibus minimè concurrant, & ſi eis neceſſaria præſentis vitæ non tribuunt, neque libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ ſermo non penetrat, ſi hunc apud ejus animum miſericordiæ non commendat manus. Tunc autem verbi ſemen facilè germinat, quando in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Unde rectorem, neceſſe eſt, ut interiora poſſit infundere, cogitatione innoxia etiam exteriora providere. Hanc paſtorum ſollicitudinem Paulus excitat, dicens: Qui ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. Quæ beati Remigii ſollicitudo quantùm Domino placuerit, miraculo oſtenſo in eum, qui ejus bonis operibus invidebat, evidenter oſtendit.

auctor laudat.

E

Chlodovæus poſt victos, ut Remigius prædixerat, Burgundiones

91 Ludovicus rex cum Dei benedictione per ſanctum Remigium accepta, de victoria ab eo ſibi prædicta ſecurus, & in mandatis accipiens, ut tam diu ad dimicandum pergeret, quamdiu illi benedictum vinum, ſibi ab eo datum, in cotidiano uſu potandum ſufficeret *t*; iter arripuit contra Gundebaudum & Godegiſlum *u*, fratrem ejus, commoto exercitu maximo. Et Burgundiones cum ingenti multitudine venerunt contra eum ſuper Oſcharam *x* fluvium, ſecus caſtrum, quod Divion dicitur; ibique inter ſe atrociter confligentes, Gundebaudus ac Godegiſlus cum Burgundionibus terga verterunt, & vix fugâ lapſi evaſerunt. Ludovico, ut ſolebat, exiſtente victore, Gundebaudus ſe in Avinione *y* recluſit, & per Aredium, conſiliarium ſuum, pacem à Ludovico expetiit. Ludovicus verò, ablatis theſauris, cum præda maxima & Francorum exercitu ad propria eſt reverſus.

t

u

x

F

y

contra Gothos iturus, eccleſiam ædificat, ſynodum convocat,

92 Et mittens legatum, nomine Paternum, virum induſtrium, ad Alaricum regem Gothorum, de amicitiæ inter eos conditione mandavit *z*. Alaricus verò, cùm per Paternum vellet Ludovicum decipere, à Paterno exploratis, quæ circa eum erant, & de theſauris ejus ingenio ſubarratis *aa*, illuſus eſt. In diebus illis rex Ludovicus cùm veniſſet Pariſius civitatem, ubi ſedem ſuam conſtituit *bb*, ait ad reginam & ad populum ſuum: Satis mihi moleſtum eſt, quòd Gothi Arriani partem optimam Galliarum tenent. Eamus cum Dei auxilio, & eiciamus eos de ipſa terra, noſtriſque ditionibus, quia valdè bona eſt, eam ſubiciamus, habentes juſtitiam adversùs Alaricum, ad quem pro amicitiæ conditione legatum direximus, per quem nos decipere voluit,

z

aa

bb

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

luit. Placuit hoc consilium proceribus Francorum. Tunc per consilium reginæ suæ fecit ecclesiam in honore apostolorum Petri & Pauli *cc* in Parisius civitate, & per consilium beati Remigii in Aurelianis civitate episcoporum sinodum convocavit *dd*; in quo conventu multa utilia constituta fuêre.

cc

dd

Sanctique promissis fretus,

93 Rex quoque devotissimus pergens contra Alaricum Arrianum, benedictionem à sancto Remigio petiit: cui & benedictionem dedit, & victoriam in verbo Christi spopondit, deditque illi plenum vas, quod vulgaris consuetudo Flasconem *ee* appellat, de vino, quod benedixit; sicut etiam fecerat, quando post baptismum contra Gundebaudum perrexerat, præcipiens illi, ut tam longè ad bellum procederet, quamdiu illi & suis, quibus inde dare vellet, illud vinum de prædicto flascone non deficeret. Bibit ergò inde rex ac regalis familia & numerosa turba populi, & exinde uberrimè satiantur; & vas vini detrimentum non patitur, sed benedictione Dei, per sanctum Remigium indita, more fontis inundatione repletur *ff*.

ee

ff

B

occiso in pugna Alarico, Gothos subjugat.

94 Movit autem rex cunctum exercitum suum de populo Francorum versùs Pictavis civitatem *gg*: ibi enim tunc Alaricus rex Gothorum commorabatur, & sic per pagum Turonicum pergens, & reverentiam beato Martino atque sancto Hylario exhibens, sicut locis suis lector inveniet *hh*, cum Alarico rege Gothorum in campo Moglotinse super fluvium Glinno *ii*, miliario decimo ab urbe Pictavis, bellum conseruit; illisque inter se compugnantibus, Gothi cum rege suo nimis collisi terga verterunt: Ludovicus, sicut solebat, victor extitit. Cúmque Alaricum interficeret, duo Gothi cum contis eum ex adverso in latera feriunt; sed propter loricam, quâ indutus erat, lædere nequiverunt: magis autem Dominus loricâ fidei indutum per orationem sancti Remigii, patris & patroni sui, adjuvit eum. Patratâ siquidem victoriâ & multis civitatibus suæ ditioni subjugatis, usque ad Tolosam perrexit & thesauros Alarici accipiens, per Equolisinam *kk* transiit civitatem, cujus muri ante conspectum ejus corruerunt. Interfectis ergò Gothis Arrianis, qui ibi erant, cum gloriosa victoria de multis civitatibus ad propria rediit.

gg

hh

ii

kk

C

Auctoris observatio.

95 Conferamus, fratres, his, quæ in Hystoria veteri legimus, ea, quæ in Hystoriæ hujus Patroni nostri revolvimus. Illinc namque scriptum est: Ydria farinæ non deficit, & lechitus olei non est imminutus; donec dedit Dominus pluviam super terram, juxta verbum Domini, quod locutus est in manu Helyæ *ll*: & flascones vini non defecerunt, usquequò, Deo cooperante, patratis victoriis, rex reversus fuit ad propria, juxta verbum Domini, quod locutus est in manu Remigii.

ll

ANNOTATA.

a *S. Nicasius unus è decessoribus* S. Remigii *in sede Remensi, colitur die* 14 *Decembris, ubi gesta ejus illustranda erunt.*

b *Vox* Exenia, *seu* Xenia, *quæ propriè sunt dona hospitibus dari solita, sequiori ætate pro quibuslibet donis, ac nonnumquam etiam (ut hîc) pro quolibet tributo, quod doni nomine pendendum erat, usurpata est.*

c *Id est*, molam *seu* moletrinam.

d *Hæc eadem adoptavit Flodoardus lib.* 1, *cap.* 14, *ubi de memorata fossa ait:* Mox tanta profunditas in eodem loco, tellure se subducente, facta est, ut numquam deinceps inibi molendinus haberi posset. *At mihi ista narratio fabula vel fabulæ proxima apparet; nec enim verisimile est*, S. Remigium *alienæ rei tam cupidum fuisse, ut eam cedere recusanti ac deinde etiam offerenti sic responderit, damnumque inflixerit. Idem esto judicium de duabus sequentibus narratiunculis, quas laudatus Flodoardus Historiæ suæ etiam inseruit.* D

e *Colvenerius in editione Flodoardi in margine Gallicè reddidit* Chavignon.

f *Credat hæc, qui volet; ego sanctum Antistitem mitiorem fuisse, mihi persuadeo, quàm ut tam facilè prorumperet in vindictam.*

g *Laudatus Colvenerius rursum in margine* Luliacum *Gallicè* Luilly, Codiciacum Cocy *exposuit.*

h *Quis tacitè ferat has ineptias? Has ego quidem vix credo ab Hincmaro proficisci potuisse. Certè tota hæc fabula, quæ à num.* 83 *huc usque texta est, nec in Flodoardo, nec in editione Vitæ Remigianæ apud Surium, nec in codice nostro* P. Ms. 22 *legitur, ut meritò suspicari debeam, eam hoc loco intrusam esse. At quisquis illius auctor sit; poterat animarum à corporibus separatarum immortalitas & cognitio invictis argumentis probari, neque producendum hîc erat* incognitum *quidem (ut verè asseruit) at certè non* Ecclesiæ Dei multùm utile hoc miraculum, *imò fabula Christiano viro sensato indigna. Credibiliora sunt, quæ sequuntur.* E

i *Gallicè* Espernay, *teste eodem Colvenerio, de quo loco vide dicta in Commentario prævio num.* 308, *ubi de translatione* S. Remigii *ad illum ab Hincmaro facta memini.*

k *Isaias cap.* 33, ℣. 15.

l *De* Vosago, *aliàs* Vogeso, *Galliæ Belgicæ monte ac silva, longissimo tractu à Septemtrione in Meridiem inter Lotharingiam Alsatiamque, ac partim etiam inter Lotharingiam & comitatum Burgundiæ extenso, adi Lexica geographica.*

m Mansionilis & Mansionile *diminutivum est à voce medii ævi* mansus, mansa & mansum, *quæ villam, sive certum terræ modum cum domo coloni significat.*

n *In Testamento prolixiori de picis usu ceterisque huc spectantibus sic legere est:* Quibus (*clericis ecclesiæ Remensis*) etiam Berna ex episcopio, quæ peculiaris prædecessoribus meis esse solebat, cum duabus villis, quas Ludowicus, à me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei, Biscofesheim suâ linguâ vocatis *, mihi tradidit, sive cum Coslo & Gleni, vel omnibus silvis, pratis pascuis, quæcumque per diversos ministros in Vosago infrà, circùm & extrà, tam ultra, quàm citra Rhenum pretio dato comparavi, picem annuatim ministret, cunctisque locis regularibus, tam à me, quàm ab antecessoribus meis ordinatis, sive in futuro ab episcopis successoribus meis ordinandis, pro necessitate locorum ad vascula vinaria componenda annuatim distribuat. *Hactenus ex Testamento illo, sed supposititio seu interpolato, ut aliàs dictum. Itaque, cùm magna proventuum ecclesiæ Remensis pars obveniret è vineis,* S. Remigius, *Hincmaro teste, providit illis de pice necessaria ad vasa vinaria oblinenda, cui conficiendæ idonei succi arbores Vosagus habebat.* F

* *al.* vocatas

o *Flo-*

A o *Flodoardus lib.* 1, *cap.* 20 *hunc locum ſic reddidit :* Quibus & penſam tribuit, quæ hodieque ab ipſorum ſucceſſoribus accipitur, cum qua ſuum quoque perſolvunt debitum. *Videtur autem hîc per* penſam *certa menſura deſignari, quam, vel cui parem aut ſimilem etiam tunc in debito ſuo perſolvendo adhibebant, qui ad id onus tenebantur. In editione Suriana anni* 1617 *litterâ majuſculâ* Penſa *ſcribitur, acſi nomen proprium alicujus loci eſſet.*

p *Id eſt, limites deſcripſit, ſeu notavit : nam* exterminatio, *quæ vox ſtatim ſequitur, etiam in aliis inſtrumentis, ut Gloſſario Cangii adductis, pro termino ſeu limite agrorum medio ævo uſurpata fuit.*

q *Id eſt, in* arbore cava : fuſtis *enim medio ævo pro caudice arboris ſignificanda ponebatur. Flodoardus loco citato ſic habet :* In quibus determinationibus ligni cujuſdam concavo manu ſua petram conjeciſſe traditur.

r Pertuſum *ſubſtantivè adhibuit pro* foramine, *ut habet Flodoardus ibidem.*

s *Surius, ut ſolœciſmum emendaret,* conſulturus *ſubſtituit.*

B t *Vide annotanda hîc inferiùs ad litt.* ff.

u *Tota hæc de bello Burgundico narratio, quam Flodoardus lib.* 1, *cap.* 15 *adoptavit, corrigenda eſt ex S. Gregorio Turonenſi lib.* 2, *cap.* 32. *Erat Gundobadus, Burgundionum rex, patruus S. Chrothildis, quam Clodoveus uxorem duxerat, & cujus patrem Chilpericum Gundobadus interfecerat gladio, ejuſdemque Chilperici uxorem, ligato ad collum lapide, ſubmerſerat. Ita ille præmiſerat cap.* 28. *Tum cap.* 32 *ait :* Tunc Gundobadus & Godegiſelus fratres regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Maſſilienſi provincia retinebant. Erant autem tam illi, quàm populi eorum, Arianæ ſectæ ſubjecti. Cúmque ſe invicem impugnarent, audiens Godegiſelus Chlodovechi regis victorias, miſit ad eum legationem occultè, dicens : Si mihi ad perſequendum fratrem meum præbueris ſolatium, ut eum bello interficere, aut de regno ejicere poſſim, tributum tibi, quale tu ipſe velis injungere, annis ſingulis diſſolvam. Quod ille libenter accipiens, auxilium ei, ubicumque neceſſitas poſceret, repromiſit. Et ſtatuto tempore contra Gundobadum exercitum commovit. Quo audito, Gundobadus, ignorans dolum fratris, miſit ad eum, dicens : Veni in adjutorium meum ; quia Franci ſe commovent contra nos, & regionem noſtram adeunt ; ut eam capiant. . . . At ille, Vadam, inquit, cum exercitu meo, & tibi auxilium præbebo. Moventeſque ſimul hi tres exercitum, id eſt, Chlodovechus contra Gundobadum & Godegiſelum * cum omni inſtrumento belli, ad caſtrum, cui Divione nomen eſt, pervenerunt. Confligenteſque ſuper Oſcaram fluvium, Godegiſelus Chlodovecho ſe conjungitur, ac uterque exercitus Gundobadi populum atterit. At ille dolum fratris, quem non ſuſpicabatur, advertens, terga dedit, fugamque iniit, Rhodanitideſque ripas paludeſque percurrens, Avenionem urbem ingreditur. Godegiſelus verò, obtentâ victoriâ, promiſsâ Chlodovecho aliqua parte regni ſui cum pace diſceſſit *&c. Poſt hæc dicitur ibidem Clodoveus Gundobadum in civitate Avenionenſi incluſum obſediſſe, ac tandem ex conſilio Aridii transfugæ cum eo de tributo pactus, inde receſſiſſe. Confer hæc cum narratione Hincmari, & quantum ei fidendum ſit, ſtatue. Bellum hoc ſolet ad annum* 500 *referri.*

C * *al.* Godegelus

x Oſcara, *aliàs* Oſcarus, *vulgo* l'Ouche, *Galliæ fluvius, Divionem, indigenis* Dijon, *ducatûs Burgundiæ metropolim, de qua mox fiet mentio, rigat, & haud procul à Fano S. Joannis Laudonenſis in Ararim illabitur.*

y *Id eſt,* Avenione, *quæ Galliæ Narbonenſis notiſſima civitas eſt, vulgò* Avignon, *ad Rhodanum fluvium, nunc ditionis Pontificiæ, ſed quæ tunc Burgundionibus parebat.*

z *S. Gregorius Turonenſis lib.* 2, *cap.* 35 *ſcribit, Clodoveum, rogatum ab Alarico Gothorum rege, amicitiam cum ipſo pepigiſſe* in inſula Ligeris, quæ erat juxta vicum Ambacienſem (*nunc oppidum* Amboiſe *dictum*) territorii urbis Turonicæ. *Clodoveum verò cognita ex Paterno legato ſuo fraude Alarici, bellum ipſi intuliſſe, tradit Fredegarius in Hiſtoria Epitomata cap.* 25, *quos conſule, ſi lubet.*

aa *In altero codice noſtro* P. Ms. 22, *& apud Surium legitur :* Et theſauris ejus ingenio ſubarratis, *omiſſa præpoſitione* de : *utrobique phraſis obſcura eſt.*

bb *Id eſt,* Pariſios ; *nam* Pariſius *à medii ævi ſcriptoribus indeclinabiliter ſæpe uſurpatur. Atque ibi quidem ſedem regni ſui conſtituit Clodoveus, non tamen ante, ſed poſt hoc bellum Gothicum, teſte S. Gregorio lib.* 2, *cap.* 38.

cc *Hæc nunc* S. Genovefæ *appellatur.*

dd *Concilium Aurelianenſe I, de quo hîc loquitur Hincmarus, revera habitum fuit, regnante Clodoveo, non tamen anno* 507, *cui bellum Gothicum illigatur, ſed anno* 511, *uti dictum eſt in Commentario prævio num.* 203.

ee Flaſconem vini *etiam dixit S. Ardo in Vita B. Benedicti abbatis Anianæ & Indæ, in Opere noſtro data ad diem* 12 *Februarii, ubi pag.* 616 *in Annotatis lit.* i *Henſchenius noſter obſervavit, præter Hincmarum hîc, eadem etiam uſos eſſe Alcuinum in Vita S. Willebrordi & Walafridum in Vita S. Othomari, ſeculi noni ſcriptores ; derivarique à voce Teutonica* Fleſche *aut* Flaſch ; *quæ lagenam, ſeu vas figulinum vel vitreum, vino conſervando idoneum, ſignificat. Sic Galli dicunt* flaſcon, Flaccon, & Flacon, *Hiſpani pariter* flaſcon, *Itali* fiaſcone *&c.*

F ff *Conſonat more ſuo Flodoardus lib.* 1, *cap.* 15 *ſic inquiens :* Cui (*regi*) Vir quoque ſanctus, ut & pridem fecerat, vas, quod vulgò flaſconem vocant, vini à ſe benedicti plenum dedit ; hoc idem, quod antea (*nimirum Clodoveo adversùs Gundobadum profecturo*) mandans, ut eo uſque ad bellum procederet, donec ſibi ſuiſque, quibus exinde dare vellet, hoc vinum de prædicto flaſcone non deficeret. Bibit igitur rex ex eo, plureſque ſuorum ; vas tamen vini non patitur detrimentum. *Eadem in Præfatione Miſſæ ſæpe memorata referuntur hoc modo :* Datur verò ejus oratione poculum cum largitate hauriendum ; & regalis familia & innumera turba populi uberrimè ſatiatur : & vas detrimentum non patitur, ſed ejus benedictione more fontis inundatione repletur. Bis oſtenſum eſt hoc miraculum. *Uti certum eſt, Flodoardo Hincmarum præluxiſſe, ita vel ex ipſa phraſi manifeſtum fit, aut Hincmarum eadem ex iſta Præfatione, aut Præfationis auctorem ex Hincmaro accepiſſe. Itaque pro tam inſolenti miraculo primum, quem novimus, auctorem habemus Hincmarum, vel incerti temporis Præfationem, quæ fortè ab illo vel ex hac ipſa Vita compoſita fuit. Quapropter non dubito, quin prudens lector mecum requiſiturus ſit meliorem vadem prodigii, quod fabulæ proximum apparet.*

gg Pictavum, *nunc* Poictiers, *civitas Galliæ*

A HINCMARO ARCHIEP. REM.

eſt ad Clanim fluvium, Pictavienſis provinciæ caput, & epiſcopalis ſub metropoli Burdegalenſi.

hh *Lege, ſi lubet, Turonenſem lib. 2, Hiſt. cap.* 37.

ii Moglotinſe & Glinno *etiam habent alter codex noſter* P. Ms. 22, *& editio Suriana. Cheſneus tom.* 1 *Scriptorum Hiſtoriæ Francicæ pag.* 539 *ex codice ſuo legit* Mogotenſe: *at dubium non videtur, quin vitiatum vocabulum ſit. Nam S. Gregorius Turonenſis lib.* 2, *cap.* 37 *prælium iſtud contigiſſe, teſtatur*, in campo Vogladenſe, decimo ab urbe (*Pictavenſi*) miliario. *Similiter & Fredegarius cap.* 25 *Hiſt. Epitomatæ:* In campania Vogladenſi, decimo ab urbe Pictava miliario. *Porrò per* Vogladum *paſſim cenſent indicari* Vouglé *oppidulum vel vicum ad fluvium* Clanim, *quatuor leucis ab eadem urbe, teſte Baudrando in Lexico geographico, diſſitum. Huic ſententiæ patrocinatur ſimilitudo nominis ſituſque: nam fluvius, apud quem Hincmarus, eoque antiquior anonymus in Geſtis Francorum cap.* 17, *ac denique etiam Rorico, locum pugnæ aſſignant, quique priori* Glinnus, *duobis aliis* Clinnus, *Gregorio autem lib.* 9, *cap.* 41 Clennus *vel* Clenus *dicitur, certè eſt* Clanis *aliàs* Clanius, *Gallicè*

B le Clain, *qui Pictavum rigat, infraque hanc urbem in Vigennam ſe exonerat. Quapropter non videtur mihi veriſimilis opinio Boucheti in Annalibus Aquitanicis & Pictavenſibus parte* 2, *cap.* 2 (*quæ etiam Sammarthanis fratribus in Hiſtoria genealogica familiæ Franciæ lib.* 3, *cap.* 5 *placuit*) *locum illum interpretantis de* Civaux, *vico quinque vel ſex milliaribus ſupra Pictavenſem urbem inter* Cubort & Luſſac *prope Vigennam fluvium poſito.*

kk *Ita etiam habet Cheſneus; ſed alter codex noſter corruptiùs* Equoſilinam; *Surius rectè interpretatus eſt* Engoliſmam. *Hæc autem ac præcedens de bello Gothico narratio ſumpta eſt ex Gregorio Turonenſi lib.* 2, *cap.* 37, *ubi eadem civitas* Encoliſma *vocatur, quæ Galliæ Aquitanicæ urbs eſt, vulgo* Angouleſme *dicta, Engoliſmenſis provinciæ caput, & epiſcopalis ſub metropoli Burdegalenſi.*

ll *Lib.* 3 *Regum, cap.* 17, ℣. 16.

CAPUT VII.

C

Reliqua ad Chlodoveum ſpectantia: Sanctus vicarius Pontificius in Galliis conſtitutus: epiſcopo Ariano loquelam adimit, pœnitenti reddit: rei frumentariæ providet: ſceleratos divinitus caſtigat.

Chlodoveus ab Anaſtaſio imperatore honoratur: S. Remigius

PEr idem tempus ab Anaſtaſio imperatore codicellos Ludovicus rex pro conſulatu accepit; cum quibus codicellis etiam illi Anaſtaſius coronam auream cum gemmis & tunicam blatteam miſit; & ab ea die conſul & Auguſtus

a *b* eſt appellatus *a*. Sed & Ormiſda *b*, Romanæ Sedis Pontifex, ſancto Remigio, antiquæ metropolis epiſcopo, quæ tunc temporis habebat ſub ſe duodecim civitates & totidem epiſcopos, eiſdem præſidentes *c*, vices ſuas in regno Ludovici, nuper cum integra gente ad fidem converſi per ſanctam ejus prædicationem, Domino cooperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis, commiſit hoc modo. " Dilectiſſimo ,, fratri Remigio Ormiſda. Suſcipientes plena ,, fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, qui- ,, bus nos germanæ ſalutis tuæ lætificavit indici- ,, um corporali cum ſpiritualibus officiis inco- ,, lumitate ſubnixa, congruum eſſe perſpeximus, ,, hanc ipſam, quam mente gerimus, verbis a- ,, perire lætitiam. Agis enim ſummi documenta ,, pontificis, dum & prædicanda facis, & ea ,, inſinuare non differs.

Sedis Apoſtolicæ vicarius in regno Chlodovei

97 ,, Prærogativa * igitur de noſtri ſumpſimus ,, electione judicii; quando id operatum te eſſe ,, didicimus, quod ceteris agendum obnixiùs im- ,, peramus, ut in provinciis tanta longinquitate ,, disjunctis & Apoſtolicæ Sedis vigorem, & Pa- ,, trum regulis ſtudeas adhibere cuſtodiam. Vi- ,, ces itaque noſtras per omne regnum dilecti & ,, ſpiritalis filii noſtri Ludovici, quem nuper ad- ,, miniculante ſuperna gratia, plurimis & Apo- ,, ſtolorum temporibus æquiparandis ſignorum ,, miraculis prædicationem ſalutiferam comitan- ,, tibus, ad fidem cum gente integra converti- ,, ſti, & ſacri dono baptiſmatis conſecrâſti; ſal- F ,, vis privilegiis, quæ & metropolitanis decrevit ,, antiquitas, præſenti auctoritate committimus, ,, augentes ſtudii hujus participatione miniſterii ,, dignitatem, relevantes noſtras ejuſdem reme- ,, dio diſpenſationis excubias. Et licèt de ſingu- ,, lis non indigeas edoceri, à quo jam probavi- ,, mus acutiùs univerſa ſervari, gratius tamen ,, eſſe ſolet, ſi ituris trames oſtenditur, & la- ,, boraturis injuncti operis forma monſtratur.

** an* prærogativam?

dicitur conſtitutus

98 ,, Paternas igitur regulas & decreta ſan- ,, ctiſſimis diffinita conciliis ab omnibus ſervan- ,, da mandamus. In his vigilantiam tuam, in his ,, curam, fraternæ * monita exhortationis o- ,, ſtendimus. His eâ, quantâ dignum eſt, reve- ,, rentiâ cuſtoditis, nullum relinquit culpæ lo- ,, cum ſanctæ obſervationis obſtaculum. Ibi fas ,, nefaſque præſcriptum eſt; ibi prohibitum, ad ,, quod nullus audeat aſpirare; ibi conceſſum, ,, quod debeat mens Deo placitura præſumere. ,, Quotiens univerſale poſcit religionis cauſa con- ,, cilium, te, cuncti fratres, evocante, conve- ,, niant; & ſi quos eorum ſpecialis negotii pul- ,, ſat intentio, jurgia inter eos oborta compe- F ,, ſce, diſcuſſa ſacrâ lege determinando * cer- ,, tamina. Quidquid autem pro fide & veritate ,, conſtitutum, vel provida diſpenſatione præ- ,, ceptum, vel perſonæ noſtræ auctoritate fue- ,, rit confirmatum, totum ad ſcientiam noſtram, ,, inſtructa legationis atteſtatione, perveniat. Eo ,, fit, ut & noſter animus officii caritate dati, ,, & tuus ſecuritate perfruatur accepti. Deus te ,, incolumem cuſtodiat, Frater kariſſime."

* *al.* fraternæque

* *al.* determina

ab Hormiſda Papa: moritur Clodoveus:

99 Hujus ſancti Ormiſdæ Pontificatûs tempore ſæpe fatus Ludovicus rex glorioſus coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari ſolet, beato Petro, ſancto Remigio ſuggerente, direxit *d*. Hic beatus Papa Ormiſda miſit Conſtantinopolim ad Juſtinum imperatorem in legatione Germanum, Capuanum epiſcopum *e*, cujus animam vidit ab angelis in cælum deferri ſanctus Benedictus, qui pro curatione puellæ dæmoniacæ ad beatum Remigium literas ſuas direxit *f*. Poſt hæc omnia mortuus eſt Ludovicus *g* rex in pace, & ſepultus eſt in baſilica ſancti Petri apoſtoli, quam ipſe ac regina ſua ædificaverunt. Mortuus eſt autem anno quinto poſt-

d

e

f

g

A postquam cum Alarico rege Gothorum pugnavit, regnavit quoque simul annis triginta *h*. Et eodem momento, quo mortuus est Ludovicus Parisius, revelante spiritu, sanctus Remigius, cùm esset Remis, defunctum fuisse cognovit, & sibi assistentibus indicavit *i*.

h

i

S. Clodoaldi pia munificentia, mors sancta & sepultura.

100 His ita gestis, filius Chlodomiri, filii Ludovici regis, nomine Chlodoaldus, interfectis fratribus suis, quos unà cum eo post patris obitum Rothildis regina nutriebat, in clericum se totondit, & processu temporis vitæ ac religionis suæ merito partem hereditatis à patruis regibus optinuit, de qua Duziacum villam in pago Mosomagensi cum appenditiis suis sancto Remigio ac Remensi ecclesiæ tradidit *k*, & villam Riviliacum in pago Biturico sancto Dyonisio delegavit; villam verò Novientum in pago Parisiaco cum omnibus ad se pertinentibus matri ecclesiæ Parisius civitatis, ubi presbyter extitit ordinatus, donavit. In qua villa plenus virtutibus migrans ad Dominum, in ecclesia, quam ipse ædificaverat, corpore fuit in pace sepultus.

k

Episcopo Ariano usum linguæ divinitus aufert; l

101 Cùm episcopi demum Galliæ ac Belgicæ provinciarum causâ fidei ad synodum convenerunt *l*, beatum Remigium, undecumque doctissimum & in Scripturis sanctis eruditissimum, ac in ecclesiasticis dogmatibus exercitatum, ad idem concilium venire petierunt. Cui synodo

B Arrianus quidam hæreticus, acerrimus disputator, & dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus, & inde nimis elatus intererat. Ingrediente autem sancto Remigio episcoporum concilium, à multitudine fratrum expectantium, surgentibus omnibus, reverenter, sicut angelus Dei suscipitur: superbus autem hæreticus, & malè de vero Dei Filio sentiens, dedignatus est ei assurgere. Qui protinus, cùm sanctus Remigius ante eum transiit, ita obmutuit, ut nec verbum quidem ullum effari potuerit. Expectantibus autem omnibus, ut post allocutionem sancti Remigii hæreticus ille aliquid diceret, nichil potuit loqui, sed ad vestigia sancti Remigii pronus cadens, nutibus veniam petiit.

emendato & Catholicè sentienti restituit.

102 Cui sanctus Remigius dixit: In nomine Domini nostri Jesu Christi, veri Filii Dei vivi, si ita de eo verè sentis, loquere, & de illo, sicut Catholica credit Ecclesia, credo & confitere. Ad cujus vocem antè superbus hæreticus, humilis jam & Catholicus, Catholicam fidem

C de sancta & inseparabili Trinitate, & de Christi Incarnatione Catholicè confessus est, & in eadem confessionis suæ fide se permansurum, professus est. Sicque animâ per infidelitatem perdito, & corporali voce propter superbiam condemnato, virtute divina sanctus Remigius & animæ & corporis reddidit sanitatem *m*, cunctis, qui aderant, vel lecturi seu hæc audituri erant, sacerdotibus patenter ostendens de malè sentiendo peccante in Christum, qui per humanitatem proximus & frater nobis fieri dignatus est, quomodo erga peccantes in se vel in Ecclesiam, atque rebelles; & erga pòst recognoscentes & pœnitentes debeant agere.

m

Auctor circa hoc S. Remigii factum

103 Peccantes, inquit Apostolus, coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant. Et item scriptum est: Qui confessus fuerit peccata sua, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Pastores igitur Ecclesiæ pœnam ei debent amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Et Christus ait omni Christiano: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum. Si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Unde in Lege quoque scriptum est: Cùm debet tibi quippiam frater tuus, & abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue. *n*. Unde dicit Apostolus: Sol non occidat super iracundiam vestram. Peccata quippe debita vocamus. Proximus autem noster nobis debitor efficitur, cùm in nos aliquid deliquisse monstratur: à quo pignus accipimus, quando ab eo, qui in nobis peccâsse cognoscitur, peccati ejus jam confessionem tenemus, per quam relaxare peccatum, quod in nobis perpetratum est, postulamur.

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

n

quædam observat,

104 Qui peccatum, quod commisit, fatetur, & veniam petit, jam quasi pro debito pignus dedit: quod nimirum pignus ante solis occasum reddere jubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol justitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, à quo confessionem accipimus culpæ, ut, qui se deliquisse in nos meminit, à nobis mox relaxatum sentiat, quod commisit. Sic beatus Remigius juxta præceptum Legis justè, quod justum fuerat, est executus, quia in assertione justitiæ, vel in auctoritatis executione, non aliud, quam eandem quærens justitiam, hæreticum malè sentientem obmutescere virtute Domini faciendo, coram omnibus redarguit, & nutibus postulantem veniam indulgendo absolvit. Quod item Dominus

E figuratè in Lege præcipit, Ne accipias, inquiens, loco pignoris superiorem vel inferiorem molam *o*. Pignus, ut præmisimus, debitoris confessio est peccatoris. Superior & inferior mola est spes & timor: spes quippe ad alta sublevat; timor autem cor ad ima premit. Sed mola nostra superior & inferior ita sibi necessariò junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur; quia incassum misericordia speratur, si non etiam justitia timeatur: incassum justitia metuitur, si non etiam de misericordia confidatur.

o

illudque illustrat.

105 Mola ergò superior aut inferior tollitur, si per prædicantis linguam vel actionem in peccatoris pectore aut timor ab spe, aut spes à timore dividatur. Legimus in sacra Hystoria, quia, transeunte apostolo Petro, umbrâ ejus sanabantur ægroti *p*: quo contrà superbus hæreticus obmutuit, secus eum transeunte sancto Remigio. Illic meruerunt fides & humilitas sanitatem; hîc infidelitas & superbia ultionem. Legimus in sancto Euangelio, quia Gabriel archangelus, qui

F astat ante Deum, euangelizans Zachariæ, quoniam habiturus esset filium in senectute sua de uxore, quæ processerat jam in diebus suis; quoniam non credidit eidem archangelo, permansit mutus, usquequo ea, quæ nuntiaverat archangelus, completa sunt in tempore suo. Completis autem angeli promissionibus, apertum est os Zachariæ, & prophetavit *q*. Et teste Malachia propheta, sacerdos angelus Domini est. Angelico ergò officio malè sentienti ac per hoc incredulo beatus Remigius virtute divina vocem abstulit, & euangelizando, quia Christus Jesus verus est Filius Dei vivi, credenti vocem restituit, & fidem Catholicam confiteri fecit.

p

q

Instantis sterilitatis præscius, annonam in pauperes congregat,

106 Senescente autem sancto Remigio, & Dei Spiritu sibi revelante, quoniam abundantiam ipsius anni secutura esset fames, secutus sancti Joseph prudentiam, de annona, quæ in villis episcopii nata fuerat, vel quam ab aliis comparaverat, acervos, quos Metas dicimus, fecit, ut populo, fame postmodùm laboraturo, inde subvenire valeret. Unde & in villa, quæ Cel-

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

tus *r* dicitur, plures metas fieri juſſit. Ipſi autem homines Celtenſes ſemper rebelles & ſeditioſi fuerunt: qui quadam die Dominica inebriati cœperunt inter ſe dicere, Quid ille jubileus *s* (ſic enim appellabatur propter ætatis prolixitatem ſanctus Remigius) facere vellet de illis metis, quas congregaverat; an civitatem inde facere vellet, quia, ſicut turres per muros civitatis, ita per circuitum curtis metæ habebantur. Et ſuadente diabolo, ſe mutuò adhortati ſunt, ut focum in eas injicerent. Quod cùm ſancto Remigio, in propinqua villa, quæ Baſilice curtis *t* dicitur, conſiſtenti celeri nuntio eſt delatum, aſcendit equum, ut ad tantam præſumptionem compeſcendam ad Celtum veniret.

ejuſque incenſoribus maledicit:

107 Quò cùm pervenit, jam ipſæ metæ ardebant. Beatus autem Remigius & ætate & veſpertino frigore, ſicut in autumno fieri ſolet, frigidus de equo deſcendit, & à longè ſe calefacere cœpit, tranquillo corde & ore dicens: Semper eſt bonus focus, ſi non ſuper poteſt *u*: verumtamen omnes, qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderoſi *x* fiant, & feminæ gutturnoſæ *y* fient. Quod ita impletum eſt: nam uſque ad tempora Karoli Magni imperatoris, qui eoſdem homines de Celto, quoniam vicedominum *z* in eadem villâ morte crudeliſſima occiderunt, exterminavit, autoribus interfectis, & conſentientes per diverſas provincias diſpergi atque perpetuo exilio condemnari fecit, & de ceteris villis epiſcopii Remenſis eandem villam reſtaurari *aa* præcepit. Ita viri & feminæ multati permanſerunt, ſicut ſancti Viri ſententia promulgavit. Quoſdam etiam de eorum progenie, qui tunc fugâ lapſi, cùm alii diſpergebantur, remanſerunt & ad eandem villam redierunt, nos hanc vindictæ ſuſtinentes ſententiam vidimus, ſicut Gyezi cum domo ſua maledictione Helyſei leprâ multatus eſt *bb*...

quod quomodo Sancti faciant, auctor explicat.

108 Sciendum quoque eſt de illata à beato Remigio in Celtenſes vindictæ ſententia; quia cùm ſancti Viri maledictionis ſententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis vel livore vindictæ, ſed ex juſtitiæ examine erumpunt. Intùs enim ſubtile Dei judicium aſpiciunt, & mala foràs exurgentia quia maledicto debeant feriri cognoſcunt, & eo in maledicto non peccant, quia, quo ab interno judicio non diſcordant. Hinc eſt, quòd Petrus in offerentem ſibi pecunias Symonem ſententiam maledictionis intorſit, dicens: Pecunia tua tecum ſit in perditione *cc*. Qui enim non ait, EST, ſed SIT, non indicativo modo, ſed optativo ſe hæc dixiſſe ſignavit. Hinc Helyas duobus quinquagenariis ad ſe venientibus dixit: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo & conſumat vos *dd*. Quorum utrorumque ſententia quanta veritatis ratione convaluit, terminus cauſæ monſtravit: nam & Symon æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios deſuper veniens flamma conſumpſit. Virtus ergò ſubſequens teſtificatur, qua mente maledictionis ſententia promitur: cùm enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum, qui maledicitur, uſque ad interitum maledictio abſorbet, ex utriuſque partis fine colligitur, quia à bono & intimo Judice in reum ſententia ſumpta jaculatur.

ANNOTATA.

a *Hincmaro rurſum hîc præluxit S. Gregorius Turonenſis lib. 2, cap. 38 ſic inquiens:* Igitur Chlodovechus ab Anaſtaſio imperatore codicillos de conſulatu accepit, & in baſilica B. Martini (*apud Turones*) tunicâ blateâ (*id eſt* purpureâ) indutus eſt & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc aſcenſo equite (*id eſt*, equo) aurum argentumque in itinere illo, quod inter atrii baſilicæ B. Martini & eccleſiam civitatis eſt, præſentibus populis manu propria ſpargens, voluntate benigniſſima erogavit, & ab ea die tanquam conſul aut auguſtus eſt vocitatus. *Hæc ultima verba anonymus in Geſtis Francorum ſic reddidit:* tamquam conſul & auguſtus eſt appellatus; *ſed Hincmarus omiſſa voce* tamquam, *abſolutè dixit:* conſul & auguſtus eſt appellatus. *Contrà verò Flodoardus lib. 1, cap. 15 tantùm ait:* Codicillos ab Anaſtaſio imperatore pro conſulatu ſibi miſſos cum corona aurea tunicaque blattea ſumpſit, & ab inde conſul appellatus eſſe memoratur. *Cointius ad annum Chriſti 508, num. 37 credidit, dignitatem imperatoriam Clodoveo hîc datam eſſe, ſive illum ab Anaſtaſio I in conſortium imperii adſcitum fuiſſe: verùm alii multò veriſimiliùs cenſent, dumtaxat patriciatum ab illo imperatore illi collatum eſſe; nam Clodovei dignitatis imperatoriæ nullum alibi exſtat indicium. In epitaphio quoque illius apud Aimoïnum Floriacenſem infrà ad lit.* g *tantùm dicitur* patricius.

b *S. Hormiſda in Pontificatum S. Symmacho non ſucceſſit ante annum 514, cùm Clodoveus ſaltem ab anno 511 jam obiiſſet. Quapropter cùm Pontifex in epiſtola mox recitanda, vicariatum ſuum in regno Clodovei concedens, de eodem rege, velut tunc etiam vivente, loquatur, non poteſt hæc epiſtola S. Hormiſdæ eſſe, ſed fortè eſt Anaſtaſii II, vel potiùs S. Symmachi. Adi Commentarium prævium § XI, ubi de eodem vicariatu ſive primatu pluribus actum eſt.*

c *Haſce duodecim civitates idem Hincmarus in Opuſculo ſeu Epiſtola 44, cap 19 ſic enumerat.* Habuit ſub ſe (*metropolis Remenſis*) duodecim civitates, videlicet Sueſſionum, Catalaunorum, Veromandorum, Atrebatum, Camaracenſium, Tornacenſium, Silvanectum, Belgivagorum, Ambianenſium, Morinum, id eſt, Ponticum, Bononienſium, & Laudunum Clavatum. *Ita ille: ſed non tam facilè probâſſet, quàm liberaliter aſſeruit, tempore* S. Remigii totidem epiſcopos eiſdem *civitatibus præſediſſe. Conſule Commentarium prævium § 12.*

d *Ex dictis obiit Clodoveus ut minimùm biennio ante Pontificatum S. Hormiſdæ, atque adeò ſi ille coronam ſummo Pontifici miſerit, ea res ad Pontificatum Anaſtaſii II vel S. Symmachi referenda eſt. Oſtendi autem in Commentario prævio num. 187 & ſequenti, Hincmarum in hunc errorem veriſimiliter inductum eſſe ex Libro Pontificali vel Anaſtaſio Bibliothecario in Vitis Romanorum Pontificum.*

e *S. Germani epiſcopi Capuani geſta illuſtranda venient die 30 Octobris, quâ ejuſdem memoria in Romano Martyrologio conſignata eſt. Cetera legationem illam, quæ certa eſt, in Hormiſda etiam referunt Liber Pontificalis & Anaſtaſius Bibliothecarius, ex quorum altero potuit Hincmarus de illa mentionem hîc feciſſe, occaſione coronæ aureæ, quam iidem à Clodoveo ad S. Hormiſdam*

A *miſdam miſſam fuiſſe, perperam crediderunt.*

f *Ejuſdem S. Germani animam ab angelis in cælum ferri viſam à S. Benedicto patriarcha, ſcribit S. Gregorius Magnus in hujus Vita, in Opere noſtro data ad diem 21 Martii, cap. 6, num. 35. Sed quod hîc addit Hincmarus de dæmoniaca ab eodem S. Benedicto ad* S. Remigium *miſſa, fabula eſt, quam in Commentario prævio § 5 refutavi.*

g *De anno mortis Clodovei vide dicta in Commentario prævio § 4. Eccleſia, in qua ſepultus fuit, à S. Gregorio Turonenſi lib. 2, cap.* 43 Sanctorum Apoſtolorum, *nimirum Petri & Pauli, appellatur, nunc* S. Genovefæ *propter hujus virginis corpus in eadem aſſervatum. Longuevallius tom. 2 Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag. 319 notat, ejuſdem regis anniverſarium ibidem quotannis celebrari, quod etiam dicitur in Kalendariis Spiritualibus urbis Pariſienſis ad diem 27 Novembris, qui ipſi emortualis fuiſſe creditur, in iiſdemque additur anniverſarium illud celebrari* in ornamentis violaceis. *Hæc obſervo, quia Papebrochius noſter in Commentario prævio ad Vitam S. Chrothil-*
B *dis tom. 1. Junii, pag. 292, num. 6 ſive malè inſtructus, ſive quòd tunc ea res aliter ſe habueret, dixit, nullam illius* ſive ut Sancti *(quod verum eſt)* ſive ſaltem ut benefactoris *anniverſariam memoriam in eadem eccleſia amplius ſupereſſe. In hierotheca S. Chrothildis, cujus typus loco citato datus eſt, idem rex velut Sanctus quidem radiis ornatus viſitur; non tamen illum coli ibidem ſatis obſervatum eſt. Aimoinus Floriacenſis in Geſtis Francorum lib. 1, cap. 25 vetus illius epitaphium, neſcio, quo teſte,* S. Remigio *auctori adſcriptum recitat his verbis:* Super ejus tumulum à ſancto, ut fertur, Remigio hoc deſcriptum eſt epitaphium :

Dives opum, virtute potens, claruſque triumpho,
Condidit hanc ſedem rex Clodoveus, & idem
Patricius magno ſublimis fulſit honore.
Plenus amore Dei contempſit credere mille
Numina, quæ variis horrent portenta figuris.
Mox purgatus aquis & Chriſti fonte renatus,
Fragantem geſſit infuſo chriſmate crinem;
C Exemplumque dedit, ſequitur quod plurima turba
Gentilis populi, ſpretoque errore ſuorum,
*al. Auctorem Ductorem * eſt cultura Deum verumque Parentem.
His felix meritis ſuperavit geſta priorum,
Semper conſilio, caſtris, belliſque tremendus.
Hortatu rex ipſe bonus ac pectore fortis.
Conſtructas acies firmavit in agmine primus.

Ceterùm Clodoveus, etſi ex nimia dominandi cupidine quædam feciſſe legatur, Chriſtiano principe indigna, tamen ob ſuſceptam propagatamque divinam religionem aliaſque virtutes æternâ memoriâ dignus eſt.

h *Accepta hæc ſunt ex Gregorio Turonenſi, qui addit, eumdem tunc totius vitæ ſuæ annos* quadraginta quinque *numerâſſe. Adjungit præterea:* A tranſitu ergò S. Martini uſque ad tranſitum Chlodovechi regis, qui fuit undecimus annus epiſcopatûs Licinii Turonici ſacerdotis, ſupputantur anni centum duodecim; *ſed annum tranſitûs S. Martini ad ejuſdem geſta die* XI *Novembris illuſtranda examinandum remittimus. Interim diximus, Clodovei obitum ex Henſchenii calculis anno* 509, *ex communi verò ſententia, quam ſecuti ſumus, anno* 511 *affigi.* A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

i *De eo ſic habet ſæpe laudata Miſſæ Præfatio:* Qui principem in longinquo defunctum itinere, angelo ſibi nuntio, ex revelatione eâdem horâ defunctum fuiſſe cognovit. *Perperam tamen hîc Clodoveus dicitur* in longinquo itinere *obiiſſe; nam etiam teſte Turonenſi lib. 2, cap.* 43, *ille* apud Pariſius obiit, *ubi* cathedram regni ſui *conſtituerat, ut præmiſerat cap.* 38. *Succeſſerunt autem ipſi in regnum quadripartitum filii ejus Theodoricus, Clodomirus, Childebertus & Clotarius, quorum primus Auſtraſiam poſtea dictam, in qua Remi cenſebantur, obtinuit. Sed quantum* S. Remigius *in Clodoveo perdiderit, collige ex moleſtiis poſt ejuſdem regis obitum à quatuor epiſcopis eidem creatis, de quibus egi in Commentario prævio § 13.*

k *S. Clodoaldus colitur die 7 Septembris, ubi geſta ejus illuſtrata ſunt, oſtenſumque eſt, ipſum potuiſſe quidem donationem iſtam eccleſiæ* S. Remigii *facere, ſed non vivo S.* Remigio. *Adi etiam Commentarium prævium num. 273 & ſequenti.* E

l *Ignota eſſe hujus ſynodi locum, tempus & acta, dixi in Commentario prævio § XI.*

m *In ſuprà dicta Præfatione Miſſæ hæc ita leguntur:* Deinde idem Vir ſanctus, dum ingrederetur concilium, Epiſcopus à multitudine fratrum expectantium ſuſcipitur ſicut angelus Dei: ſed ſuperbum hæreticum nolentem de fede ſurgere, & malè de Trinitate ſentientem, ommutuit Beatiſſimi adventus; & cujus aſperitatem priùs per vanitatem exhorruit, ante ejus veſtigia veniam petiit pronus, & cervices inflexit. Quem Beatiſſimus pœnitentem aſpiciens, vel poſtmodùm Trinitatem defendentem, ejus corpori ſimul & animæ largitus eſt ſanitatem. Lingua ſolvitur ad ſuum officium, anima liberatur ab inferni perpetuo cruciatu.

n *Lege Deuteronomii cap. 24, à ℣. 10, ubi tamen iſta paulò aliter leguntur. Vide etiam Exodi caput 22, ℣. 26.*

o *Vulgata Deuteronomii capite 24, ℣. 6 habet:* Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam.

p *Actus Apoſtolorum cap. 5, ℣. 15.*

q *Lege caput 1 Evangelii ſecundùm Lucam. Quod autem mox infrà laudat ex Malachia, legitur hujus cap. 2, ℣. 7.* F

r Celtus *etiam vocatur à Flodoardo lib. 1, cap. 17, diciturque villa fuiſſe epiſcopii Remenſis; ſed cetera locus hic ignotus mihi eſt.*

s *Sic* S. Remigium *ex ludibrio etiam vocatum fuiſſe à quatuor epiſcopis ipſum criminantibus, vidimus in Commentario prævio num. 235.*

t *Flodoardus ibidem:* In propinqua villa, quam Baſilicæ cortem vocant. *Colvenerius in margine nomen Gallicè expreſſit* Bazancourt.

u *Ita etiam habent alter codex noſter, Surius & Flodoardus. Obſcura phraſis eſt, quâ ſanctus Senex frigeſcens, placidéque jocans, mihi videtur indicare voluiſſe, ſaltem prodeſſe calorem ignis, ſi ex incenſis frugum acervis* non, *ſive* nihil ſuper *eſſe, ſive ſervari* poteſt. *Nam mihi non placet verſio Gallica Nicolai Cheſneau, quam Colvenerius in Scholiis ſic reddidit Latinè:* Si non excedit, & non nimis potens eſt.

x Ponderoſitas *hernia aliudve ſimile genitalium vitium eſt, de quo vide S. Gregorium Magnum in Regula Paſtorali part. 1, cap. XI, aliaque ex-*

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

exempla apud Cangium in Gloſſario.

y Gutturoſi & gutturnoſi *dicuntur, quibus guttur fœdo tumore excreſcit, quales multos in Alpibus vidi.*

z Vicedominus *eſt, qui vices domini tenet. Flodoardus loco citato vocat illum* Vicedominum eccleſiæ Remenſis, *quo nomine* œconomus *ejuſdem eccleſiæ, ut aliàs ſolet, indicari videtur.*

aa *Id eſt, opinor, alios homines è villis epiſcopatûs Remenſis arceſſitos in iſtorum locum ſubſtituit.*

bb *Lege lib. 4 Regum, cap. 5. Celtenſium verò ſceleris pœnæque fides tota penes Hincmarum ſit. Miſcet hîc aliqua de pœna, quam filii propter delicta parentum ex juſtiſſimo Dei decreto aliquando luunt.*

cc *In Actibus Apoſtolorum cap. 8, ℣. 20.*

dd *Lib. 4 Regum, cap. 1, ℣. 10 & 12.*

CAPUT VIII.

B *Sancto mors imminens revelata: oculorum lumen ademptum & reſtitutum: ejuſdem ſanctus obitus & ſepultura: lues inguinaria per illum cohibita: corporis tranſlatio: injuſti caſtigati: pulvis eccleſiæ adverſus ſerpentes adhibitus.*

Imminentis mortis præſcius, teſtamentum condit,

POſt præmiſſas autem & alias multas virtutes, quas Dominus per hunc Sanctum ſuum operari dignatus eſt, gemitus & ſuſpiria illius exaudiens, quibus dicebat: Quando veniam & parebo ante faciem Dei? Satiabor, dum manifeſtabitur gloria ejus, revelavit ei Dominus, conſolans illum, imminere diem obitus ſui. Qua de re ſecundùm ſacros canones teſtamentum rerum ſuarum condidit, ad hereditatem illam feſtinans, de qua Propheta dicit: Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, hæc eſt hereditas Domini. C Omnis, qui dormit in morte, perdit hereditatem; ſed cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, hæc eſt hereditas Domini; quia electi Dei, poſtquam pervenerunt ad mortem, tunc invenient hereditatem; ſicut ſanctus Remigius terrenam derelinquens hereditatem, accepit æternam, quia oliva fructifera per lucida miſericordiæ opera extitit in domo, videlicet Eccleſia Dei: unde ſperavit jure in miſericordia Dei ſui, veraciter dicens: Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, quia ſicut corpus ſatiatur de pane, ita de lacrimis reficitur anima, quoniam exinde ſperat remiſſionem peccatorum habere.

& ad cæleſtia anhelans, oculorum lumen amittit;

110 Dies verò & nox pro ſeculi diverſitate ponuntur; quia ſive in proſperis rebus ſive in adverſis, deſiderii ſui lacrimas, Deum deſiderans, anima fundit, ſciens ſcriptum: Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris. Ante lucem quippe ſurgere eſt, priuſquam claritas æternæ retributionis appareat; in præſentis vitæ nocte gaudere. Sedendum ergò priùs eſt, ut pòſt rectè ſurgamus; quia, quiſquis nunc ſe ſponte humiliat, hunc ſequens gloria exaltat. Manducat autem panem doloris, qua gemit in hac peregrinatione, & cæleſti deſiderio ad æternam anhelat patriam. Condito ſiquidem teſtamento, cujus textum ad exemplum epiſcoporum noſtri & futuri temporis, qui illud legere voluerint, huic Opuſculo ſubjungere utile duximus *a*, & diſpoſitis omnibus; quia, ut ſcriptum eſt, verus agricola omnem vitis veræ palmitem, fructum ferentem, purgat, ut fructum plùs afferat, oculorum corporalium lumine aliquandiu eſt privatus, quatinus mentis oculis intentiùs, quæ ſuperna ſunt, ad quæ toto deſiderio anhelabat, contemplari valeret. D *a*

eoque recepto, Miſſam celebrat, & moritur annoſus,

111 Is autem ſtudebat in ſuæ probationis temptatione ſemper gratias agere, ymnis Dei & laudibus diebus ac noctibus vacare, fideli mente intelligens, quoniam qui humiliter flagella ſuſcipiunt, poſt flagella ſublimiter ad requiem ſuſcipiuntur. Quod & in eo Dominus in præſenti volens oſtendere, quaſi pignus æternæ lucis, antequam decederet, viſum ei reſtituit: unde ſicut & de amiſſione luminis nomen Domini benedixit. Et poſt non longum ſpatium ſciens adeſſe E diem ſui tranſitus, poſt Miſſarum celebrationem ac ſacræ communionis largitionem, valefaciens & dans pacem filiis ſuis, poſtquam per viginti & duos annos in clericali ordine, in epiſcopatu verò ſeptuaginta quatuor continentiſſimè ac religioſiſſimè fidelis Servus & prudens Domino miniſtravit, nonageſimo ſexto ætatis ſuæ anno, Idus Januarias, ſancti certaminis curſu conſummato, fide ſervata, cum multiplici bonorum operum fructu & animarum lucro, ut diu deſideravit *b*, anima cælos penetrans terræ corpus reddidit, accipiens ſtolam albam, animæ ſcilicet beatitudinem ſempiternam, donec in reſurrectione aliam accipiat ſtolam, beatam videlicet unà cum anima reſumpta * glorificandi corporis immortalitatem. *b* * reſumpti

meritis & animarum lucro gravis,

112 Nam quia patrum antiquorum vita, quæ uſque ad ſeptingentos & octingentos, adhuc etiam & amplius, protrahebatur annos, propter peccata in nobis contracta eſt in ſeptuaginta, vel, ſi multum, in annis octoginta, ita ut ſeptuagenarii longævi, & octogenarii dicantur decrepiti, & quod amplius fuerit, in jam ſilicernis *c* occupet labor & dolor, de illius ætatis ejuſque ſimilium prolixitate canit pſalmiſta: Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi. Quia cùm eorum vita differtur, ſemper in melius fortitudo producitur, eiſque per augmenta temporum creſcunt etiam lucra meritorum. Bene autem patientes ſunt, ut annuntient, quia cæleſtia prædicantes, tantò robuſtiùs adverſa tolerant, quantò & per tolerantiam ſuam animarum commoda locupletiùs reportant; ſicut fecit ſanctus Remigius, triumphator in gentibus egregius, confeſſor officio, martyr quoque ſtudio, invictus certamine, palmam quærens ſanguine; beatus athleta Dei, quem etſi gladius perſequentium non tetigit, dignitatem martyrii non amiſit. *c* F

cui etiam martyrii palmam

113 Quem quia diu contigit in corpore vivere, neceſſe fuit, etiam longiora carnis ac diaboli ac pravorum hominum temptamenta tolerare. Quia enim, adjuvante ſe Domino, virtutem patientiæ fortiter ſervare contendit, & in pace Eccleſiæ vixit, & tamen martyrii palmam tenuit. Duo quippe ſunt martyrii genera; unum in mente, aliud in mente ſimul & actione.

A ne. Itaque martyr etiam ſine ferro percutientium extitit. Mori quippe à perſequente, martyrium in aperto opere eſt; ferre verò contumelias, odientem diligere, illicita deſideria in ſe mactare, martyrium eſt in occulta cogitatione. Nam quia duo ſunt martyrii genera, unum in occulto opere, aliud in publico, teſtatur Veritas, quæ Zebedei filios requirit, dicens: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Cui cùm protinus reſponderent, Poſſumus; ilicèò Dominus reſpondit, dicens: Calicem quidem meum bibetis. Quid enim per Calicem, niſi dolorem paſſionis accipimus, de quo aliàs dicit: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.

auctor adſcribere conatur.

114 Et Zebedei filii, id eſt, Jacobus & Johannes, non uterque per martyrium occubuit; & tamen, quòd uterque calicem biberet, audivit. Johannes namque non per martyrium vitam finivit; ſed tamen martyr extitit, quia paſſionem, quam non ſuſcepit in corpore, ſervavit in mente *d*. Sic & beatus Remigius hoc exemplo ſine ferro martyr extitit, quia patientiam in animo veraciter cuſtodivit, & in ſe illicita deſideria occidit. Sicque moribus & vitâ, verbo & exemplo, viam ſalutis humanæ omnibus ſe audientibus & videntibus patenter oſtendit, & conſummato feliciter curſu, ad ſanctorum Apoſtolorum ac martyrum conſortium Confeſſor Domini precioſus poſt mortem corporis gloriosè pervenit, ſicut atteſtatur apoſtolica illi collata gratia, gens videlicet Francica ad fidem Chriſti per eum converſa, & baptiſmi gratiâ conſecrata; martyrii palma longanimitas patientiæ in longævitate ipſius vitæ; confeſſionis gloria, orthodoxæ fidei prædicatio, & virtutum tam in vita ipſius corporis, quàm & poſt obitum præclara oſtenſio.

Sancti corpus poſt fruſtra tentatam alibi ſepulturam

115 Ceterùm cùm funus ſanctiſſimum beati Remigii deferretur ad ſepulturam versùs eccleſiam ſanctorum martyrum Thimotei & Apollinaris *e*, ſecus eccleſiam ſancti Chriſtofori martyris, in loco, ubi ex tunc & nunc crux eſt poſita, & ubi multa miracula Deus poſtea pro ſancto Remigio oſtendit, ita feretrum eſt aggravatum, ut nullo modo quocumque ingenio vel à quantiſcumque hominibus poſſet moveri. Et ſtupentibus omnibus ac petentibus Dei omnipotentiam, ut dignaretur oſtendere, in quo loco ejuſdem Sancti ſui corpus vellet reponi, deſignaverunt ad baſilicam præfatorum martyrum; & feretrum moveri non potuit. Propoſuerunt, ut ferretur ad eccleſiam ſancti Nichaſii *f*; & moveri non potuit. Propoſuerunt, ut ferretur ad eccleſiam ſanctorum Sixti & Sinicii *g*, & nec ſic moveri potuit.

in eccleſiola S. Chriſtophori tumulatur.

116 Tandem coacti, quoniam parva eccleſia erat in honore beati martyris Chriſtofori, ſed nullum corpus nominati Sancti in ea jacebat, & in qua eique circumjacentibus atriis ex antiquo erat cymeterium Remenſis eccleſiæ, petierunt, ut Dominus declararet, ſi in eadem eccleſiola vellet illud ſanctiſſimum corpus poni. Et ſic tanta facilitate motum eſt feretrum, ut nullum honus * portantes ſentirent *h*. Sepultum eſt autem illud venerabile corpus in eadem eccleſiola, in loco, ubi altare eſt in honore ſanctæ Genovefæ, quæ familiariſſima extitit beato Remigio *i*. Quod manifeſtum eſt, actum fuiſſe divina diſpoſitione atque ipſius voluntate, ut, ſicut res ſuo nomine acquiſitæ juxta ſacras leges epiſcopio eccleſiæ Remenſis erant unitæ, ita & quæ ipſius meritis erant de cetero acquirendæ, Remenſi eccleſiæ, in cujus jaceret territorio, unirentur.

* onus

h

i

117 Poſt cujus obitum cùm lues inguinaria populum primæ Germaniæ *k* devaſtaret, & omnes Remenſis eccleſiæ provinciæ hujus cladis terrerentur auditu, concurrit Remenſium populus ad Sancti ſepulchrum, congruum hujus cauſæ flagitare remedium. Accenſis cereis lichniſque non paucis, ymnis * pſalmiſque cæleſtibus per totam excubat noctem. Manè autem facto, quid adhuc precatui deſit, in tractatu rimatur. Reppererunt etenim, revelante Deo, qui Sanctum ſuum mirificari apud homines voluit, quem apud ſe mirificatum habebat, qualiter oratione præmiſſa, adhuc majori propugnaculo propugnacula urbis munirentur. Aſſumptâ igitur pallâ deſuper Beati ſepulchro *l*, componunt eam in modum feretri *m*, accenſiſque ſuper cruces cereis atque ſuper ceroferariis *n*, dant voces in canticis, circueunt urbem cum vicis, nec prætereunt ullum hoſpicium, quod non hac circuitione concludant. Quid plurà? Non poſt multos dies fines hujus civitatis lues aggreditur memorata: verumtamen uſque ad eum locum accedens, quò Beati pignus acceſſit (acſi conſtitutum cerneret terminum) intro ingredi ullo modo non eſt auſa; ſed etiam quæ in principio pervaſerat, hujus virtutis repulſu reliquit *o*.

A. HINCMARO ARCHIEP. REM. *Invocatus luem inguinariam a civitate arcet.*

k

* hymnis

m

n

E

o

Invaſor campi eccleſiæ illius, ſæpe fruſtra monitus,

118 Qui beatiſſimus Pontifex & in vita corporis & poſt obitum, ſicut infirmis ſanitatum gratiam dedit, ſic & in pervaſores ſæpiſſime ultor extitit *p*. Erat autem haud procul à baſilica campus tellure fecundus (tales enim incolæ Olcas *q* vocant) & hic datus baſilicæ Sancti fuerat, quem unus è civibus pervadit, deſpiciens hominem, qui eum loco ſancto contulerat. Qui cùm ab epiſcopo ac loci præpoſito *r* crebrò conventus fuiſſet, ut, quæ injuſtè pervaſerat, redderet, parvipendens verba, quæ audiebat, pertinaci direpta defendebat intentione. Denique cauſa extitit & non devotio, ut properaret ad Sancti baſilicam. Arguitur iterum à loci præpoſito pro pervaſione campi; ſed nichil dignum ratione reſpondit. Explicitiſque negotiis, aſcenſo equo, ad domum redire diſponit; ſed obſtat niſui ejus Sacerdotis injuria.

p

q

r

tandem divinitus morte punitur.

119 Nam ſauciatus à ſanguine *ſ*, diruit in terram; obligatur lingua, quæ locuta fuerat campum tolli; clauduntur oculi, qui concupierant; manus contrahuntur, quæ apprehenderant. Tunc balbutiens & vix ſermonem explicare valens, ait: Deferte me ad baſilicam Sancti, & quantumcumque ſuper me auri eſt, ad ſepulchrum ejus proicite: peccavi enim auferendo res ejus. Aſpiciens autem dator campi, hunc cum muneribus deferri, ait: Ne accipias, Sancte Dei, quæſo, munera ejus, quæ numquam cupidè accipere conſueviſti. Ne ſis, deprecor, adjutor ejus, qui, inflammante concupiſcentia, rerum tuarum nequam poſſeſſor extitit. Nec diſtulit Sanctus audire vocem pauperis ſui: nam homo ille, licèt dari juſſiſſet munera, oſtendit Sanctus Domini, ſe illa non acceptâſſe: unde rediens pervaſor domum, amiſit ſpiritum, recepitque eccleſia res ſuas *t*.

F

ſ

t

Sancti corpus integrum ab angelis tranſfertur.

120 Sepulto ſiquidem, ut prædiximus, corpore beati Remigii in eccleſia ſancti Chriſtofori, cùm multa & ſtupenda miracula in eadem eccleſia per merita ejus Domini gratiâ fierent, ampliata & exaltata eſt ipſa eccleſia, & facta cripta retro altare, in qua transferretur corpus ſanctiſſimum. Effoſſum eſt de loco, in quo erat

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

rat, ut in foſſam factam in memorata cripta deponeretur ; ſed nullo modo moveri potuit. Superveniente autem nocte & pernoctantibus fratribus in ymnis & canticis, multis accenſis luminaribus, circa mediam noctem ſopor in omnes irruit. Et evigilantibus eis Kalendas Octobris, cum ſanctiſſimo corpore ſepulchrum inventum eſt angelicis manibus poſitum in foſſa criptæ retro altare factæ: tantaque evigilantes odoris ſuavitate repleti ſunt omnes, qui affuerunt, ut humana lingua hoc effari non valeat; & ſic per totam diem & in craſtina ipſe odor in eadem eccleſia perſeveravit. Ipſaque die tranſlationis ejus cum divinis laudibus ſumptæ ſunt reliquiæ à corpore illius, de capillis videlicet ejus & caſula ac tunica ipſius ; & involutum eſt corpus illius integrum, ſed exſiccatum, de brandeo rubeo *u*.

u

Pipinus rex ab illo caſtigatur.

121 Proceſſu denique temporis Pipinus rex, Karoli Magni pater, volens epiſcopii Laudunenſis villam, quæ Aniſiacus dicitur, accipere quaſi ſub cenſu, ſicut & alias quaſdam fecerat, venit in ea manere. Ubi cùm dormiret, venit ad eum ſanctus Remigius, dicens: Quid hîc facis? Quare intrâſti in hanc villam, quam mihi
B homo, te devotior, dedit, quamque ego eccleſiæ Dominæ meæ, ſanctæ Dei Genitricis, donavi? Et flagellavit eum ſatis duriter, ita ut poſtea livores in corpore ejus parêrent. Et cùm diſparuit beatus Remigius, Pipinus ſurrexit, ac correptus valida febre, quantociùs ab ipſa villa receſſit ; de qua febre non parvo tempore laboravit. Et deinceps princeps regni uſque ad moderna tempora ibi non manſit ; ſicut nec in Codiciaco vel Juliaco, niſi Ludovicus rex Germaniæ, quando ſuper fratrem ſuum Karolum regnum ejus invaſit, in Juliaco manſit, & inde in craſtina turpiter ante ipſum fratrem ſuum fugiens, vix evaſit *x*.

x

Colonus quidam ab injuſtis vexatoribus

y
z
aa

122 Noſtra ætate *y* colonus quidam villæ Remenſis epiſcopii, quæ Plumbea fontana dicitur, manebat juxta fiſcum regium, qui Roſetus *z* vocatur, & nec peculium nec meſſem vel pratum propter fiſcaliorum *aa* infeſtationem quietè habere valebat. Unde ſæpe juſtitiam apud regios miniſteriales petiit, quam optinere non potuit. Tandem invenit ſibi ſalubre conſilium:
C nam coxit panes & carnes, & accepit cerviſiam in vaſculis, prout potuit, quæ omnia in vaſe, *bb* quod vulgo Benna *bb* dicitur, collocavit, & carro ſuperpoſuit, ſicque junctis bobus, cum candela in manu ad baſilicam ſancti Remigii properavit. Quò perveniens de pane & carne *cc* ac cerviſia matricularios *cc* pavit; candelam ad ſepulchrum Sancti poſuit, & ejus auxilium contra opprimentes ſe fiſcalinos petiit. Pulverem quoque de pavimento eccleſiæ, quantum valuit, collegit & in panno ligavit, ac in prædictam bennam miſit, & deſuper linteum, ſicut ſupra corpus mortui affectari ſolet, compoſuit, & cum carro ſuo ad propria remeavit.

per Sancti opem miro modo liberatus:

123 Quicumque autem de obviantibus eum interrogabant, quid in illo carro duceret, reſpondebat, ſe ſanctum Remigium ducere: & admirabantur omnes in dicto & facto illius, putantes illum eſſe amentem. Perveniens autem cum eodem carro in pratum ſuum, paſtores paſcentes diverſi generis animalia de fiſco Roſeto invenit. Et invocato ſancto Remigio, ut eum contra oppreſſores ſuos adjuvaret, cœperunt boves & vaccæ cum maximis mugitibus invicem ſe cornibus impetere, hyrci hyrcos, capræ capras cornibus impugnare, porci cum porcis confligere, verveces verò cum vervecibus ſe collidere, paſtores ſe fuſtibus & pugnis mutuò percutere. Et levato maximo turbine, paſtores ejulantes, animalia ſecundùm genus ſuum cum maximo ſonitu & ſtrepitu ita cœperunt verſùs Roſetum fugere, acſi maxima multitudo inſequentium eos cum flagellis perſequeretur. Quod videntes & audientes fiſcalini, nimio terrore percuſſi, non putaverunt, ſe vel unâ horâ vivere poſſe. Unde correcti à præſumptione ſua, ab afflictione pauperis ſancti Remigii adeò ceſſaverunt, ut in poſtmodum ſua idem pauper homo pacificè & ſine inquietudine poſſederit *dd*.

D

dd

pulvis eccleſiæ illius ſerpentes arcet.

ee

124 Et quoniam juxta fluvium Sarram *ee* in loco lutoſo manebat, maximam moleſtiam in ſuis habitaculis à ſerpentibus ſuſtinebat. Qui accipiens pulverem, quem de pavimento eccleſiæ ſancti Remigii colligens, ſecum detulit, per ſua habitacula ſparſit, & poſtea ſerpens in eis locis, in quibus pulvis ſparſus fuerat, non apparuit. Quibus oſtenſis miraculis, certo indicio colligere poſſumus, quia, ſi non hæſitantes in fide, in tribulationibus noſtris auxilium ſancti Remigii ex corde petierimus, & ab angelis ſathanæ, qui in ſerpente matrem humani generis E allocutus deceperat, infeſtationibus, & à pravorum hominum improbitatibus, ejus meritis & interceſſionibus liberabimur.

ANNOTATA.

a *Geminum, ut dixi, circumfertur* S. Remigii *teſtamentum, unum breve, aliud prolixius. Breve, prout hîc pollicitus eſt, huic Vitæ in codice noſtro multiſque aliis bonæ notæ Mss., teſte Marloto, ſubjungitur, quod infrà dabo. Prolixius pro ſuppoſititio ſeu interpolato paſſim habetur. De utroque egi in Commentario prævio.* § 15.

b *In eodem Commentario* § 4 *oſtendi, prædictos* viginti & duos annos, in clericali ordine *ante epiſcopatum actos, exponendos eſſe de integra* S. Remigii *ætate uſque ad ſuſceptum epiſcopatum; atque ita ordinavi illius chronotaxim, ut natus videatur circa annum Chriſti* 436, *ordinatus epiſcopus circa* 458, *ac denique feliciter mortuus circa* 532 *Idibus Januarii. Obiiſſe autem illum in admodùm provecta ætate, liquet ex diuturna ejuſdem ſede, cujus annum quinquageſimum tertium vel quartum ipſemet jam numeravit, quando epiſtolam, num.* 233 *Commentarii datam, quatuor epiſcopis ſcripſit. Accedit & teſtimonium S. Gregorii Turonenſis, in libro de Gloria Confeſſorum cap.* 79 *dicentis:* Remigius verò Remenſis urbis epiſcopus, qui, ut ferunt, ſeptuaginta, aut eo amplius, in epiſcopatu annos explevit &c.

F

c Silicernium *eſt convivium funebre; ſed à Terentio in Adelphis act.* 4, *ſcenâ* 2 *etiam dicitur de ſene, putantque aliqui, hanc vocem ab eo compoſitam ex vocibus* ſilices *&* cernere, *quòd incurvi ſenes* ſilices *ſeu ſolum ſoleant* cernere. *Certè pro decrepito ſene uſurpatur hîc ab Hincmaro, & in eadem ſignificatione* ſilicernus *&* ſilicernius *apud alios quoque medii ævi ſcriptores reperiuntur.*

d *Imò verò Calicem Domini bibit, meritóque ut martyr habetur, quia, ut S. Hieronymus in libro contra Jovinianum ex Tertulliano ſcribit,* Romæ miſſus in ferventis olei dolium *pro Chriſti fide fuit, ex quo licèt per miraculum ſanus evaſerit,*

A *vaſerit, verè tamen pro Chriſto tormentum naturaliter lethiferum ſuſtinuit. Nihil ſimile* S. Remigius *paſſus legitur, qui tamen voto martyr eſſe potuit.*

e *De his duobus ſanctis martyribus circa finem ſeculi* 3 *apud Remos paſſis, eorumdemque eccleſia conſuli poteſt Opus noſtrum ad diem* 23 *Auguſti, quo in Romano Martyrologio annuntiantur. In eorum eccleſia* S. Remigius *elegerat ſepulturam, ut legitur in codicillo, quod teſtamento ſuo adjecit.*

f *S. Nicaſii Remorum epiſcopi geſta illuſtranda ſunt ad diem* 14 *Decembris. Sepultus hic fuit in inſigni baſilica, à conditore ſuo Joviniana appellata, primituſque dicata S. Agricolæ martyri, ſed jam à multis ſeculis dicta S. Nicaſii, cui deinde addita fuit abbatia Ordinis S. Benedicti, hodieque florens.*

g *Horum quoque geſta vide in Opere noſtro ad diem* 1 *Septembris.*

h *Caſtellanus in Notis ad Martyrologium Romanum iſthæc pro fabulis habet: vide tamen dicta in Commentario prævio num.* 284 *& ſequenti.*

B i *Sancta virgo Genovefa revera vixit eodem tempore, quo* S. Remigius, *cui & nota & familiaris eſſe potuit: attamen hoc ex antiquiori, quàm Hincmarus ſit, nequeo confirmare. In teſtamento prolixiori id quidem etiam aſſeritur; ſed cùm iſtud interpolatum ſit, non poteſt fidem facere. Colitur autem ſancta illa Virgo die* 3 *Januarii, ad quem ejuſdem Vita apud nos data fuit.*

k *Per* Germaniam primam *deſignat Galliæ Belgicæ partem circa Rhenum, cujus metropolis erat Moguntia. Accepit autem hæc de lue inguinaria, ope* S. Remigii *à civitate Remenſi depulſa, ex S. Gregorio Turonenſi, cujus verba recenſui in Commentario prævio num.* 289 *& ſequenti.*

l Palla, *de qua hîc, eſt topes, ſeu velum, quo venerationis gratiâ ſepulcra Sanctorum contegi ſolebant. S. Gregorius Turonenſis, qui eâdem voce hîc utitur, etiam alibi de hujuſmodi* pallis *meminit, ac nominatim in eodem libro de Gloria Confeſſorum cap.* 27 *loquens de duobus preſbyteris, S. Martialis Lemovicenſis epiſcopi ſociis, eorumdemque ſepultura, uſum pallæ ſic indicat:* Super terram tamen utrique ſtabant (*in crypta*) ſed non poterat alteri propter illum, qui primus
C erat, honor impendi, hoc eſt, non ibi palla expandi poterat, non lumen accendi.

m *Nimirum quia ſancti Præſulis corpus ſub terra tumulatum erat, feretrum aliquod palla illius ſepulcrali texerunt, circumtuleruntque, ut hac pia ſacri funeris ſpecie incolas ad implorandam ſancti Patroni ſui opem, & hunc ad eamdem impendendam commoverent. Juverit hîc adſcripſiſſe Ruinartii ad hunc S. Gregorii locum annotationem.* Non ſolùm, *inquit*, ſupereſt illa palla, quæ in baſilica Remigiana religiosè adſervatur, vulgò S. Remigii Sudarium dicta; ſed & perſeverat illa pia conſuetudo, eam in modum feretri compoſitam, cùm ingruit aliqua neceſſitas, per urbis compita deferendi. Quam quidem conſuetudinem à Gregorii noſtri ævo interruptam non fuiſſe, probant vetera aliquot monumenta. Ex his eſt codex Ms. ab Hincmaro bibliothecæ Remigianæ datus, ubi ejuſmodi ſupplicatio in icone repræſentatur, alia ejuſdem rei deſcriptio habetur in veteribus aulæis, quæ ſimilem ſupplicationem repræſentant. *Nolo quidem negare, eam conſuetudinem à laudati Gregorii ævo interruptam non fuiſſe; verumtamen id non probant duo iſta monumenta, quæ fortè ac veriſimiliter unum illud idemque factum, de quo Hincmarus ex Gregorio loquitur, repræſentant. De conſuetudine conſentit Marlotus, cujus verba retuli in Commentario prævio num.* 350. A. Hincmaro archiep. Rem.

n *Apud S. Gregorium & Flodoardum omittitur vox* ſuper, *ac in editione Ruinartii pro* ceroferariis *eſt* ceroferalibus; *ſed amba voces idem ſignificant, candelabra ſcilicet ad ſuſtinendos cereos, vel etiam homines cereos ferentes. De more accenſas faces Crucibus affixas in ſupplicationibus circumferendi meminit Socrates lib.* 6 *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 8 *ex recenſione Valeſii, ubi de S. Joanne Chryſoſtomo hæc ait:* Cruces enim argenteæ à Joanne erant excogitatæ, quæ cereas faces accenſas geſtabant, Eudoxia auguſta ſumptum ad hoc ſuppeditante.

o *De anno, quo hæc peſtis ſic pulſa fuerit, vide Commentarium num.* 290.

p *Quæ hoc ac ſequenti numeris continentur rurſum penè de verbo ad verbum Hincmarus tranſcripſit ex S. Gregorio Turonenſi, uti hujus narrationem, quam dedi in Commentario num.* 287 *& duobus ſequentibus, cum Hincmariana conferenti palàm fiet.* E

q *Eodem vocabulo hîc uſus eſt laudatus ſanctus Hiſtoricus. Obſervat autem Ruinartius ibidem, Gallicè dici* une ouſche *vel* oſche, *quæ vetus Gallica vox reipſa portionem terræ arabilis fertiliſque, foſſis vel ſepibus clauſam ſignificat. Plura dabit Gloſſarium Cangii.*

r *S. Gregorius tam hîc, quàm infrà pro* præpoſito *habet* abbate: *ſed an hic* abbas *monachorum fuerit, an clericorum tantùm, qui eidem loco inſervientes communem ibidem vitam ducebant, hinc colligi nequit. Conſule Commentarium num.* 294 *& ſequentibus.*

s *Id eſt, morbo apoplectico.*

t *Eadem, ut dixi, habet S. Gregorius Turonenſis, ex cujus fide Hincmarus hæc retulit.*

u Brandeum *eſt velum holoſericum. Porrò de hac tranſlatione, pro qua confirmanda antiquiorem Hincmaro ſcriptorem non habemus, pluribus egi in Commentario à num.* 297. *Obſervo tamen, jam inde ab ætate S. Gregorii Turonenſis celebratam fuiſſe* S. Remigii *feſtivitatem die* 1 *Octobris, qui certè non illiûs* obitûs (*nam hic in diem* 13 *Januarii incidit*) *ſed hujus primæ tranſlationis ejuſdem anniverſarius dies eſt, quidquid ſit de prodigioſis tranſlationis adjunctis.* F

x *Bellum hoc pertinet ad annos Chriſti* 858 *&* 859, *quorum primo Ludovicus Germaniæ rex, ab aliquot Caroli Calvi, fratris ſui, proceribus invitatus, illius regnum invaſit, eumdemque à ſuis proditum fugere coëgit; ſed & anno ſequenti ab eodem cum validis copiis reverſo inde expulſus eſt. Inter Opera Hincmari à Sirmondo edita tom.* 2, *à pag.* 126 *exſtant epiſtolæ ab eodem Hincmaro aliiſque epiſcopis hac ſuper re ad eoſdem reges datæ.*

y *Flodoardus lib.* 1, *cap.* 20 *hæc narraturus, habet* moderno tempore; *ex quo mihi dubium fit, an ea deprompta non ſint ex Flodoardo, & in Vitam* S. Remigii *inſerta, ſicut aliàs factum eſſe, dixi in Commentario prævio, & ſuo loco infrà probabo. Ratio eſt, quòd Flodoardus, toto ſeculo Hincmaro poſterior, dum deinde ſubdit aliud, quod Hincmarus num.* 131 nuper *factum eſſe ſcripſit, expreſsè dicat, contigiſſe* tempore domni Hincmari præſulis, *non* moderno tempore *aut* ætate ſua. *Verumtamen cùm iſta etiam in altero codice noſtro Ms. & editione Suriana Hinc-*

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

maro adscribantur, & inter hujus Flodoardique narrationem aliqua hîc occurrat differentia, nolui hanc è Vita rescindere, sicut rescidi alia, quæ certò non sunt Hincmari.

z *Cùm infrà dicatur villa* Plumbea fontana *fuisse* juxta fluvium Sarram, *videtur hîc per* Rosetum *indicari* Rozoy, *quod velut oppidulum in Tabulis Blaevianis notatur duabus circitèr leucis à fonte Sarræ seu Serræ, Gallicè* la Serre, *Picardiæ fluvii in tractu Teoraciæ, qui prope Faram in Æsiam, vulgo* l'Oyse *se exonerat.*

aa *Id est, qui fisco regio præpositi erant.*

bb *Flodoardus lib.* 1, *cap.* 20 *hæc referens, non* vas, *sed* vehiculum *vocat* Bennam, *sic inquiens:* Hæc omnia vehiculo, quod vulgo Benna dicitur, imposuit. *Revera Cato de Re rustica cap.* 23 *voce* Benna *usus est pro quodam vehiculo rustico; & Cangius in Glossario profert ejusdem rei exempla ex medii ævi scriptoribus. Quia tamen tum in hoc Vitæ Remigianæ loco, tum mox infrà, concordantibus altero codice nostro Ms., & editione Suriana,* benna *à vehiculo clarè distinguitur, verisimillimum est,* Bennam *etiam alicujus vasis genus fuisse; maximè cùm apud Cangium quoque in Glossario laudetur instrumentum,* B *in quo* benna *pro vase, in quo colliguntur vindemiæ seu uvarum racemi, usurpatur.*

cc Matricularii *dicuntur, qui* matriculæ, *id est, catalogo, velut ad certum locum pertinentes, inscripti sunt. Hi duplicis generis sunt in rebus ecclesiasticis: alii enim* matricularii *sunt clerici, qui eo titulo stipendiorum ecclesiasticorum loci, cui adscripti sunt, fiunt participes; alii* matricularii *pauperes, qui in eorum numerum relati sunt, quos ecclesiæ suis eleëmosynis sustentant. De posterioribus verisimiliter loquitur Hincmarus.*

dd *Haud immeritò hæc nonnullis minùs digna fide videbuntur; cùm tamen sive Hincmarus sive Flodoardus de facto sui temporis loquatur, non temerè rejiciendus est. Hac occasione etiam pro sequentibus observâsse juverit,* S. Remigium *jam inde à tempore S. Gregorii justæ severitatis in ejusmodi iniquos invasores editis exemplis inclaruisse. Nam in libro de Gloria Confessorum cap. 79 de illo ait:* In pervasores sæpissime ultor exiftit.

ee *Adi Annotata hîc ad lit.* z.

C

CAPUT IX.

Pœnæ injustis rerum ecclesiæ Remensis invasoribus divinitus inflictæ: gemina sacri corporis integritate sua conspicui translatio: auctoris epilogus.

Injusti invasores unus vitâ, alter oculis privati.

TEmpore Ludovici imperatoris duo fratres Franci, forestarii *a* ejus, invaserunt partem de silva, quam in saltu Vosago, ut suprà ostendimus, sanctus Remigius in vita sua pretio comparaverat intra fines ejus *b*, dicentes, quòd plùs pertineret ipsa silva ad fiscum imperatoris, quàm ad partem sancti Remigii. Contradicentibus autem hominibus de potestate Remensis ecclesiæ, unus eorum altercando venit ad porcos suos, quos in eandem silvam ad pastionem miserat, inter quos lupum invenit. Quem, ascendens equum, velociter est insecutus, & volens eum percutere, equo expavescente, collisit caput ad unum fustem *c* de ipsa silva, ita ut cerebrum illius in terram defluxerit: & mortuus est. Frater verò ejus concitè pergens in partem alteram, pervenit ad quandam petram, & dixit: Omnibus notum sit, quia usque ad hanc petram est ista silva imperatoris. Et percutiens eandem petram dolatoriâ *d*, quam portabat in manu, exilierunt ab illa particulæ in oculos ejus, & excæcatus est. Sicque ambo receperunt mercedem præsumptionis & mendacii sui.

a
b

D

c

d

Ecclesiæ violator, adhærescente pede ostio,

126 Quidam vir nobilis de territorio Nivernensi, obtentis reliquiis beati Remigii, oratorium in ejus honore in proprietate sua ædificavit *e*, ubi Dominus multas virtutes per merita ipsius Sancti sui ostendit. Cùm autem, defuncto Ludovico imperatore, Aquitani gentilitia mobilitate absque jugo principis, prout quisque poterat, se efferre & ad invicem impugnare ac per contiguos pagos debachare * cœperunt; pauperes homines subst antiolas suas in ecclesiis reponere studuerunt. Unde confisi opinione virtutum, quæ ibi fiebant, ad salvandum sua in eodem oratorio, quique poterant, certatim reposuerunt. Audientes autem prædones, idem oratorium multis plurimorum opibus refertum, aggressi sunt eas diripere. Quorum unus obseratum ostium pede percussit, ut seram effringeret; & mox eidem ostio pes ejus adhæsit, & resupinus præsumptor in terram cecidit.

e

* debacchari

F

deinde cum crure & femore putrescente, punitus.

127 Quod cernentes alii, aufugerunt. Ipse autem miser, cruciatu cogente, cum maximo ejulatu cœpit culpam suam fateri, & cum lacrimis amarissimis profiteri, quòd, si Deus per merita sancti Remigii pedem illius ab ipsa compede solveret, numquam ulteriùs de ipsa vel de alia ecclesia quicquam tolleret, vel tolli, quantùm ex ipso esset, ullo modo consentiret. Caballum quoque suum cum sella & alia, quæ potuit, ad eandem ecclesiam donavit; sicque post confessionem & lacrimas & votum pes ejus ab ostio, cui inhæserat, est solutus. Verumtamen postea de ipso arido pede claudus permansit, usquedum computrescente crure ac femore post diutinum laborem mortuus fuit.

Sanctus domum suam injustè occupanti, post geminam admonitionem,

128 Quando tres fratres reges, Lotharius, Ludovicus & Karolus, regnum post patris sui obitum *f* inter se diviserunt *g*, episcopium Remense, quod tenebat Fulco presbiter *h*, Karolus inter homines suos divisit: villam Juliacum Richuino *i* in beneficium dedit. Cùm autem uxor illius, nomine Berta, in cubiculo villæ ipsius jacêret, venit ad eam sanctus Remigius, dicens: Non est iste locus tuus ad jacendum; alterius meriti & officii debet esse, qui hanc villam habere & in hoc cubiculo debet jacêre. Surge quantociùs & hinc abscede. Quod illa parvipendit, putans, se visum inanem videre. Altera vice venit ad eam sanctus Remigius, & dixit ei: Cur hinc non abscessisti, sicut tibi præcepi? Vide, ne ampliùs hîc te inveniam. Quod illa, ut priùs, pro nichilo duxit. Tertiò venit ad eam sanctus Remigius, & dixit: Nonne semel & secundò tibi præcepi, ut hinc abscederes? Sed quia contempsisti hinc pergere, aliorum deportatione abscedes, & percussit illam virgâ, quam tenebat in manu.

f
g
h
i

mortem infligit.

129 Quæ, toto corpore in maximum tumorem conversо, quod vidit, viro suo Richuino & aliis

A aliis quàm plurimis dixit, & per aliquantos dies ſeveriſſimè cruciata vitam finivit. Cujus corpus vir ejus in eccleſiam ſancti Remigii deportari, eamque ibidem ſepeliri fecit. Mirantur quidam, quòd, cum vindicta mortali illam de prædicta villa expulit, & corpus ejus in eccleſia ſua ſepeliendum recepit. Quod nemo mirabitur, ſi perpenderit, qua intentione Sancti vindictas in delinquentes exerunt: videlicet ut, ſi ſe recognoverint, hîc recipiant, quod merentur, ne poſt mortem æternis ſuppliciis crucientur (ſicut in libro Regum legitur de propheta illo, qui inobediens ori Domini extitit, & à leone percuſſus interiit, & poſt ultionem perceptam à leone corpus illius intactum remanſit *k*) ſi autem hîc ſe non correxerint, in quos vindictæ procedunt, alii de flagellis eorum emendentur & metuentes corrigantur; ſicut ſcriptum eſt: Peſtilente flagellato, ſapientior erit parvulus *l*.

k

l

Auctor docet, cur ſuo tempore tot miracula non fiant,

130 Cauſantur etiam aliqui, quoniam ſanctus Remigius nunc in rerum ſuarum invaſores & familiæ ſuæ oppreſſores non vindicat, ſicut præcedentibus temporibus egerat, uſurpantes pſalmi verſum, Signa, inquiunt, non videmus, B jam non eſt propheta, & nos non cognoſcet ampliùs. Sed non huic cauſandum, verùm dolendum atque timendum eſt; quia impletur noſtris, quod prædictum eſt antiquis temporibus. Scriptum eſt enim in Apocalypſi: Factus eſt ſol, ut ſaccus cilicinus. In extremo quippe noſtro tempore ſol quaſi cilicinus ſaccus oſtenditur, quia fulgens vita prædicantium ante reproborum oculos aſpera & deſpecta probatur, & ſanctorum miracula per contemptum peccantibus juſto judicio ſubtrahuntur; ſicut ſcriptum eſt: Ne quando convertantur, & ſanem eos: quatinus pleniùs obruantur ſuppliciis, qui nunc gaudent etam in delictis.

& nuperum narrans,

131 Verumtamen hic Sanctus imitator Domini ſui, qui non omnia vindicat, ut ejus oſtendatur patientia; nec omnia inulta dimittit, ut ejus probetur providentia; licèt non tam frequenter exerat in pernicioſos vindictam, non uſquequaque inulta noſtris temporibus deſerit præſumptorum piacula. Nam *m* Blitgarius quidam nuper manſum de theſauro eccleſiæ in villa Tenoilo pretio apud Bernardum cuſtodem obti- C nuit, unde famulos ſancti Remigii cum flagellis ejecit, conclamantibus eis ſanctum Remigium, ut eos adjuvaret. Quibus idem Blitgarius cum irriſione reſpondit: Modò parebit, qualiter vos ſanctus Remigius adjuvabit: videte, quomodò in adjutorium veſtrum venit. Et inter hæc verba cum maximo clamore ingemuit, & incredibiliter inflando intumuit, ſicque medius crepuit & mortuus eſt.

m

n

lectorem piè monet.

132 Quibus auditis, divinam in nobis vindictam pertimeſcentes, blaſphemiam in Deum & Sanctos ejus magnopere caveamus, ſtudentes, ne eccleſiaſticam familiam crudeliter tractemus, & contra mala proximi pertrahamur ad retributionem mali, vel ad livorem odii; ne ad temptamenta diaboli ſeducamur ad delectationem vel conſenſionem peccati; ne contra flagella ſummi Opificis proruamus in exceſſum murmurationis. Licèt enim non fiant nobis tam frequentia ac reverenda per hunc Servum ſuum miracula, tamen certi eſſe debemus, quia non ſubtrahuntur civitati ſuæ ac nobis civibus ſuis continua interceſſionum ejus auxilia; ſicut de e Jheremia legimus *o*: Hic eſt, inquit, fratrum amator & populi Iſraël, hic eſt, qui multùm orat pro populo & univerſa ſancta civitate Jheruſalem.

A. HINCMARO ARCHIEP. REM. *Sancti corpus in argenteam thecam tranſponitur:*

133 Anno Incarnationis Dominicæ octingenteſimo quinquageſimo ſecundo *p*, nuper adhuc ampliatâ ipsâ eccleſiâ, cùm de loco criptæ prioris ſepulchrum unà cum beati Remigii corpore tranſlatum eſt in cripta majori & pulchriori opere facta, ipſum corpus ſanctiſſimum, ſicut & in anteriore tranſlatione, ab epiſcopis Remorum dioceſeos, integrum inventum eſt & brandeo rubeo involutum. Et cùm de ipſo ſepulchro in locello argenteo eſt tranſpoſitum, pars de ipſo brandeo cum ſudario, quod fuerat ſuper caput ejus, aſſumpta in ſcriniolo eburneo, ſecus altare ſanctæ Mariæ in civitate *q* honore debito veneratur. Locellum autem argenteum cum corpore ipſius Sancti ſepulchro marmoreo, in quo antè jacuerat, ſuperpoſitum fuit, & reliquiæ, quæ ad caput illius extra ſepulchrum repertæ fuerant, in ſepulchro, in quo jacuerat, à præfatis epiſcopis fuerunt poſitæ Kalendas Octobris, quo Kalendarum die & altera ejus tranſlatio ante plures annos fuerat celebrata *r*.

p

q

r

interim ibi unus dolore dentium liberatur; alibi duo contracti ſanantur.

134 Cùm autem ſanctiſſimum corpus ejus de ſepulchro in prædictum locellum argenteum tranſlatum fuit, Rado, tunc ſubdiaconus eccleſiæ Sueſſonicæ *ſ*, qui cum epiſcopo ſuo Rothardo *t* illuc convenerat, jam per annum integrum dolore dentium adeò die nocteque vexabatur, ut ſenſum perdere præ nimio dolore metueret. Qui, dum epiſcopi impoſitioni ſancti corporis E intenderent, maxillam, quâ dolore vexabatur, loco, in quo corpus ſanctum jacuerat, appoſuit; & mox ab ipſo dolore liberatus, deinceps dentium dolorem non ſenſit; ſicut poſt viginti quinque annos iſdem referre curavit *u*. Et ipſa die in quodam oratorio, ubi memoria beati Remigii colitur, in pago Ribuario *x* duo contracti ſanati fuerunt. Ex tempore ſiquidem primæ ac ſecundæ tranſlationis, ſicut & antè, multæ & inſignes virtutes in eodem loco per ipſius Sancti merita ex diverſis infirmitatibus ſunt operatæ, quas habemus deſcriptas, ſed hîc propter pluralitatem, & quia ſæpius ibidem oſtenduntur, omiſimus ponere.

ſ

t

u

x

Auctor prædicta omnia breviter repetens,

135 Ex digeſtis virtutibus abundantiſſimè claret, quàm inſigne illum Dominus gloriâ & honore dignatus ſit coronare, &, ut erat in conſpectu ejus, mirabilem hominibus demonſtrare. De F quibus, fratres kariſſimi, brevi epylogo quædam commemoremus, ut contemplemur, qualiter hic beatiſſimus Patronus ac Protector noſter ſanctorum, tam veteris quàm novi Teſtamenti patrum, ſpiritu, ſcilicet diverſitate operationum unius ejuſdemque Spiritus à diverſis accepta, vivens in corpore plenus fuerit, & poſt obitum conſors, miraculis claruit. In eo namque, quòd cælitus prænuntiatus & ex nomine deſignatus extitit, repræſentatos nobis Yſaac patriarcham & Johannem Baptiſtam videmus; in eo, quòd ſanctificatus necdum natus *y*, & *v* ab adoleſcentia in recluſione populi devitavit præſentiam, item Jheremiam & Johannem Baptiſtam; in eo, quòd ab epiſcopis provinciæ Remenſis & clero ac populo electus, & ſignis ſuper eum divinitus oſtenſis, eſt ordinatus epiſcopus, Mathiam, qui ab Apoſtolis & ceteris fidelibus electus & oblatus Domino, divina eſt ſorte ordinatus apoſtolus.

y

S. Remigium cum eximiis

136 In eo, quòd inter amariſſimos hujus ſeculi fluctus meritorum atque virtutum, oratio-

A. HINCMARO ARCHIEP. REM.

num ac prædicationum remigiis ſanctam eccleſiam ad portum æternæ ſalutis gubernavit, Nöe, qui archam, præſignantem Eccleſiam, in diluvio rexit. In eo, quòd ſplendida facta eſt ejus facies de præſentia Chriſti, Moyſen. In eo, quòd inter flammas & reſidua, quæ necdum ignis voraverat, ſtetit & incendium ſe tranſire prohibuit, Aaron. In eo, quòd rebus inſenſibilibus maledicens, cultores earum damnavit ſterilitate, David z. In eo, quòd tria milia virorum, prædicatione ſua converſorum, vigiliâ ſancti Paſchæ *aa* baptizavit, & puellam à morte reſuſcitavit, beatum Petrum, qui in ſancto Pentecoſte tot milia Judæorum ad fidem convertit & baptizari fecit, & Dorcham à morte reſuſcitavit. In eo, quòd ferociſſimos barbaros à feritate ſua mitigavit, & Remis ad baptizandum concluſit, quibus poſt ſacrum baptiſma Panem cæli & ſpiritualem potum dedit, Helyſeum, qui hoſtes venientes in Samaria concluſit, quibus cibum & potum dari præcepit. In eo, quòd parviſſimos liquores ſuperhabundare fecit, Helyam & item Helyſeum.

z

aa

B *utriuſque Teſtamenti ſanctis viris*

137 In eo, quòd regi Ludovico prædixit prophetico ſpiritu, quæ ſibi ſuiſque poſteris erant ventura, Yſaïam, qui regi Ezechiæ, quæ illi ac ſuis erant futura, prædixit. In eo, quòd longè poſitus corpore, præſens ſpiritu, obitum regis cognovit, itidem Helyſeum, cujus ſpiritus præſens erat, quando Naaman in occurſum Gyezi de curru ſuo deſcendit. In eo, quòd revelante ſibi ſancto Spiritu, famem ſecuturam prænoſcens, providentiam, quomodò laboraturo fame populo ſubveniret, adhibuit, Joſeph. In eo, quòd, ut juſtus juſtificaretur adhuc, corporalium lumen oculorum aliquandiu amiſit, & poſtea viſum recepit, Tobiam: ſed &, quia vitis veræ palmes fructum ferens, purgatus eſt, quò fructum plùs afferret cum oculorum mentis lumine, quod non amiſerat, lumen corporalium oculorum, quod aliquandiu amiſerat, recepit. In eo, quòd in temptatione patiens & laudes referens, poſt temptationem autem probatus, lumine corporalium oculorum recepto, ſicut in amiſſione, Dominum benedixit, Job conſideramus, qui patiens in temptatione nomen Domini benedixit, & poſt temptationem probatus duplicia ſua poſſedit.

comparat. C *bb*

138 In eo, quòd, die receſſus ſui cognito, per Miſſarum celebrationem filiis ſuis valefecit, & obiit, beatum Johannem apoſtolum & Euangeliſtam *bb*. In eo, quòd palla ſepulchri ſui clademinguinariam reſtinxit ac reppulit, egregium Paulum, cujus ſudario ac ſemicinctiis ſanabantur ægroti. In eo, quòd zelo juſtitiæ, & vivens in corpore & poſt obitum, in delinquentes vindictas exercuit, item Moyſen, Phineen, Joſue & Helyam, Petrum, Symonis magi, Ananyæ & Saphyræ percuſſorem, & Paulum Elimæ magi excæcatorem. In eo, quòd ſanctiſſimum corpus illius priùs in deſignata nutu divino eccleſia ſepultum, & poſtea angelico miniſterio de loco ad locum eſt deportatum, Abacuc prophetam, qui manu angeli de Judæa ſuper lacum Babylonis eſt deportatus, indeque in Judæam revectus, & Moyſen, qui à Domino, angelico utique miniſterio, fuit ſepultus, cujus ſepulchrum ſicut nemo uſque in præſens novit, ita cujuſmodi ordine ſepulchrum iſtius Sancti tranſlatum fuerit, nemo cognoſcit *cc*.

cc

ANNOTATA.

a Foreſtarii *ſunt, quibus cura ſylvarum demandata erat. Galli dicunt* Foreſtiers *à* foret *ſilva. Ludovicus imperator, de quo hîc, fuit hujus nominis I, cognomento Pius, ut colligitur ex ſerie narrationis.*

b *Nimirum num.* 88.

c *Id eſt, ad* truncum *vel* caudicem arboris, *ut in Annotatis ad cap.* 6, *lit.* q *dictum eſt. Conſentit Flodoardus, qui pro* fuſte arborem *poſuit.*

d Dolatoria *hîc uſurpatur pro* dolabra, *pro qua Flodoardus* bipennem *dixit.*

e Nivernum, *Gallicè* Nevers, *Galliæ urbs eſt ad Ligerim amnem, Nivernenſis provinciæ præcipua, ducatûſque titulo & epiſcopali ſede ſub metropoli Senonenſi illuſtrata. De* S. Remigii *reliquiis in hoc Nivernenſi oratorio depoſitis obſervo ex dictis in Commentario prævio, non fuiſſe illas ex ejuſdem Sancti carne vel oſſibus, niſi fortè ex dentibus, ſed vel ex capillis, vel ex velo, quo corpus ejus involutum fuit, ſimilive re ad eumdem utcumque pertinente.*

f *Mors Ludovici Pii imperatoris contigit anno* 840, *poſt quam revixerunt turbæ Aquitanicæ, quæ ante illam cœperant, quòd è primoribus aliqui Pipino, Pipini Aquitaniæ regis filio, faverent adverſus Carolum Calvum, quem laudatus imperator illis regem dederat.*

g *Facta eſt hæc regni diviſio à tribus Ludovici Pii filiis Verodùni anno Chriſti* 843.

h *Hic Fulco presbyter, & poſt hunc Notho, eccleſiam Remenſem poſt Ebonis ejuſdem ſedis archiepiſcopi exauctorationem adminiſtrârunt, donec Hincmarus anno* 845 *eidem epiſcopus datus eſt; ut videre licet apud Flodoardum lib.* 3 *Hiſtoriæ cap.* 1.

i *Flodoardus lib.* 3, *cap.* 4 *recitat privilegium ejuſdem Caroli Calvi regis, in quo is, poſtulante Hincmaro, eccleſiæ Remenſi reſtituens res,* quas, *inquit,* magna neceſſitate & per omnia inviti, dum à paſtore ſedes illa ſancta vacaret, fidelibus noſtris ad tempus, unde quoddam temporale ſolatium in noſtro haberent ſervitio, commendavimus; *expreſsè memoravit* Juliacum, vel quicquid ex eodem epiſcopatu Richuinus habuit.

k *Lib.* 3 *Regum, cap.* 13.

l *Laudat librum Proverbiorum, qui in Vulgata cap.* 21, ℣. 11 *habet:* Mulctato peſtilente, ſapientior erit parvulus.

m *Flodoardus lib.* 1, *cap.* 20 *hîc præmittit:* Tempore domni Hincmari præſulis.

n Manſus, *vel* Manſa *aut* Manſum *eſt certus agri modus cum æde coloni.*

o *Lib.* 2 *Machabæorum cap.* 5, ℣. 14.

p *Hanc ſecundam* S. Remigii *tranſlationem, quam hîc incipit narrare, Hincmarus ipſemet, licèt nomen ſuum taceat, magna cum ſolemnitate inſtituit, eamque pluribus expoſui in Commentario prævio* § 17, *ad quem, ne eadem hîc repetam, ſtudioſum lectorem remitto.*

q *Indicat eccleſiam cathedralem Remenſem, ſanctiſſimæ Dei Genitrici dicatam.*

r *Nimirum prima tranſlatio, de qua egit in hac ipſa Vita num.* 120.

ſ *Sive* Sueſſionenſis, *Gallicè* Soiſſon, *qua ex ſuffraganeis eſt archiepiſcopatûs Remenſis.*

t *Is ipſe Rothardus eſt, qui Hincmarum anno* 845 *ordinavit epiſcopum, quique deinde ab illo*

multa

A *multa indigna paſſus eſt, de quibus vide, ſi lubet, Galliam Chriſtianam auctam tom. 9, col. 340 & ſequentibus.*

u *Hinc collige, Vitam hanc ab Hincmaro ſcriptam, aut ſaltem ad finem perductam non eſſe ante annum* 877.

x *Conſentit Flodoardus lib.* 1 *Hiſtoriæ inquiens, oratorium illud* apud pagum Ribuarium *fuiſſe. Sed quis hic pagus eſt? Apud Colvenerium in margine hîc Gallicè dicitur* Bruieres en Lannois, *id eſt* Bruieres in Laudunenſio. *At neſcio, quo argumento; nam inter Latinum Gallicumque nomen nulla ſimilitudo eſt. Imò longè alibi locum illum fuiſſe, colligitur ex eodem Flodoardo in Chronico ad annum* 923, *ubi ſcribit, Rotberto, quem Franci regem ſibi adverſus Carolum Simplicem elegerant*, in regnum Lotharienſe *proficiſcenti, Henricum Germaniæ regem obviàm veniſſe* in pagum Ribuarium ſuper fluvium Ruram. *Rura autem, de quo hîc, vulgo* de Roer, *Germaniæ fluvius eſt, qui in Eyfalia ortus, per ducatum Juliacenſem fluit, & apud Ruræmundam in Gueldria Moſæ ſe miſcet. Itaque* pagus Ribuarius,
B *in quo oratorium illud fuiſſe dicitur, non eſt nomen alicujus vici vel oppidi, ſed tractus Ripuariorum, qui inter Rhenum & Moſam, quique inter duo hæc flumina labitur, apud Ruram fuiſſe creditur. Hinc etiam non placet mihi Flodoardini Chronici interpretis opinio, qui* Pagum Ribuarium *Gallice* Ribemont (*quod Picardiæ oppidulum eſt ad Æſiam fluvium*) *interpretatus eſt, teſte Ortelio in Theſauro geographico tom.* 2.

y *Jam dixi ſuprà, nullo argumento ab Hincmaro probari*, Remigium *in materno utero ſanctificatum fuiſſe.*

z *Fortè hîc reſpexit ad iſtam Davidis imprecationem lib.* 2 *Regum, cap.* 1, ℣. 21: Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum. *Reliqua ſacræ Scripturæ loca non annotabo, quia nimis frequentia laudantur.*

aa *Imò in Nativitate Domini, ut probavi in Commentario prævio* § 7.

bb *S. Joannis apoſtoli & Euangeliſtæ geſta in Opere noſtro illuſtranda ſunt ad diem* 27 *Decembris, quo colitur.*

C cc *Sequitur hîc in codice noſtro novum caput ſub hoc titulo:* De reliquiis beati Remigii per ſanctum Moderannum in Italia delatis; *quod cùm ob rationes in Commentario prævio num.* 27 *datas Hincmari eſſe non credam, hîc prætermitto, maximè quòd eamdem hiſtoriam jam recenſuerim ex Flodoardo in eodem Commentario à num.* 351. *Prætermitto & longum, qui ibidem ſequitur, ſermonem, duoque eidem inſerta capita, de quibus conſule dicta in Commentario num.* 25 *& duobus ſequentibus.*

TESTAMENTUM
S. REMIGII

Ex Philippi Labbei Bibliotheca Mss. tom. 1.

Eccleſiam Remenſem cum S. Lupo & Agricolao

IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, gloria Domino ✠ Amen *a*.

Ego Remigius epiſcopus civitatis Remorum, ſacerdotii compos, teſtamentum meum condidi jure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, ſi ei juris aliquid videbitur defuiſſe? Quandocumque *c* ego Remigius epiſcopus de hac luce tranſiero, tu mihi hæres eſto, ſancta & venerabilis eccleſia catholica urbis Remorum; & tu fili fratris mei, Lupe epiſcope *d* (quem præcipuo ſemper amore dilexi) & tu nepos meus Agricola presbyter *e*, qui mihi obſequio tuo à pueritia placuiſti, in omni ſubſtantia mea, quæ mea ſorte obvenit, antequam moriar, præter id, quod unicuique donavero, legavero, darive juſſero, vel unumquemque veſtrûm voluero habere præcipuum. Tu ſancta hæres mea Remenſis eccleſia, colonos, quos in Portenſi *f* habeo territorio, vel de paterna maternaque ſubſtantia, vel quos cum fratre meo ſanctæ memoriæ Principio epiſcopo commutavi *g*, vel donatos habeo, poſſidebis. Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Tenuaïcum, Maurilionem, Baudoleifum, Projunciolum, Niviatenam, Lautam, Suffroniam, colonas; Amorinum quoque ſervum tuo dominio vendicabis. Necnon, agros *h*, quos poſſideo in pago Portenſi, cum pratis, paſcuis, ſilvis ad te teſtamenti hujus authoritate revocabis.

a *b* *c* *d* E *e* *f* *g* *h*

heredes ſuos inſtituit, ſed ſimul

2 Futuro epiſcopo ſucceſſori meo amphybalum *i* album Paſchalem relinquo; ſtragula columbina duo, vela tria, quæ ſunt ad oſtia diebus feſtis triclinii, cellæ & culinæ. Vas argenteum decem & octo librarum inter te, hæres mea, & diœceſim tuam eccleſiam Lugdunenſem *k*, factis patenis atque calicibus ad miniſterium ſacroſanctum, prout volui, Domino annuente, diſtribui. Aliud argenteum vas, quod mihi domnus illuſtris memoriæ Hlodowicus rex, quem de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, donare dignatus eſt, ut de eo facerem, quod ipſe voluiſſem, tibi hæredi meæ eccleſiæ ſuprà memoratæ jubeo thuribulum *l* & imaginatum calicem *m* fabricari; quod faciam per me, ſi habuero ſpatium vitæ. Si antè clauſero ultimum diem, tu fili fratris mei Lupe epiſcope, ſpecies antedictas, tui ordinis memor, efficies. Compresbyteris meis & diaconibus, qui ſunt Remis, viginti & quinque ſolidos æqualiter dividendos in commune dimitto. Vitis plantam ſuper vineam meam, ad ſuburbanum poſitam, ſimili modo communiter poſſidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco eccleſiaſtici hominis Albovichii, ut Albovichius libertate pleniſſima perfruatur.

i *k* *l* *m*

multis aliis

3 Subdiaconibus ſolidos duodecim; lectoribus

Ex EDITO. bus ſolidos duos, oſtiariis & junioribus ſolidos duos jubeo dari. Pauperibus in matricula poſi-
n tis *n*, ante fores eccleſiæ expectantibus ſtipem, duo ſolidi, unde ſe reficiant, inferentur. De Va-
o culiaco *o* Frunimium, Dagaleifum, Dagaredum, Ductionem, Baudovicum, Uddulfum, Vinofeifam, liberos eſſe præcipio. Tennaredus, qui de ingenua naſcitur matre, ſtatu libertatis utatur. Tu verò fili fratris mei Lupe epiſcope, tuo dominio vindicabis Nifaſtem & matrem ſuam Mutam; vineam quoque, quam Enias vinitor colit: Eniam & Monulfum ejus filium juniorem, jubeo libertate perfungi. Mellovicum
* *al.* portarium porcarium *, & Paſchaſiolam conjugem ſuam; Vernivianum cum filiis ſuis, excepto Widragaſio, cui tribuo libertatem, tuo juri deputabis. Servum meum de Ceſſurnico tuum eſſe præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus Principius epiſcopus tenuit, cum ſilvis, pratis, paſcuis revocabis. Servum meum, quem Mellonicus tenuit, Viteredum derelinquo; Teneurſolum Capalinum & uxorem ſuam Teudoroſenam tuo juri dominioque tranſcribo.

tum peculiaribus perſonis, 4 Teudonivia quoque ex mea præceptione ſit libera. Edoveifam, quæ homini tuo ſociata fuit, & ejus cognationem retinebis. Uxorem Aregildi & cognationem ſuam ingenuos eſſe jubeo. Partem meam de prato, quod Lugduni juxta vos habeo, ad imitatem montium poſito, &
p quæ jovia *p* ſunt pratella, quæ tenui, ad te revocabis. Tibi autem, nepos meus Agricola presbyter, qui intra domeſticos meos parietes exegiſti pueritiam tuam, trado atque tranſcribo Merumvaſtem ſervum, & uxorem ſuam Menatenam, & eorum filium, nomine Marcovicum. Ejus fratrem Medovicum jubeo eſſe liberum. Amantium & uxorem ſuam Daëro tibimet derelinquo; eorum filiam eſſe præcipio liberam Daſovindam: Alaricum ſervum tuæ deputo portioni; cujus uxorem, quam redemi & manu miſi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum & uxorem ſuam Moram tuo dominio vindicabis; eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellanricum & uxorem ſuam Placidiam ad tuum dominium revocabis; Medaridus eorum filius ſit libertus, & vineam, quam Mellaricus Lugduni facit, tibi dono, Brittobaude ſervum, necnon etiam Gibericum. Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenus de-
C relinquo, ut diebus feſtis & omnibus Dominicis ſacris altaribus mea offeratur oblatio, atque annua convivia Remenſibus presbyteris & diaconibus præbeantur.

tum collegiis 5 Delegoque nepoti meo Prætextato Moderatum, Tottionem, Marcovicum, Innocentium ſervum, quem accepi à Profuturo, originario *q* meo. Coclearia quatuor de majoribus,
q acetabulum, lacernam *r*, quam mihi tribunus
r Friaredus dedit, & argenteam tabulam *ſ* figuratam; filiolo illius Paronis *: acetabulum & tria
ſ coclearia, & caſulam, cujus fimbrias commutavi. Remigiæ coclearia tria, quæ meo ſunt nomine titulata, mantele ipſius *t*, quod habeo, feriale tranſcribo. Hichinaculum *u* quoque dono illi, de quo Gundobado dixi. Delegoque bene-
* *al.* Parovio dictæ filiæ meæ Helariæ diaconæ ancillam, nomine Noram, & vitium pedaturam *x*, quæ
t ſuæ jungitur vineæ, quam Cattuſio facit, do-
u no, & partem meam de Talpuſciaco tranſcribo pro obſequiis, quæ michi indeſinenter impendit. Aëtio nepoti meo *y* partem de Ceſſuni-
x co *, quæ mihi ſorte diviſionis obvenit, cum
y omni jure, quod tenui atque poſſedi; Ambroſium quoque puerum ad jus illius dominiumque tranſmitto. Vitalem colonum liberum eſſe jubeo; & familiam ſuam ad nepotem meum Agathimerum pertinere; cui vineam dono, quam poſui Vindoniſſæ *z*, & meo labore conſtitui, ſub ea conditione, ut à patribus * ſuis omnibus diebus feſtis ac Dominicis pro commemoratione mea ſacris altaribus offeratur oblatio, & Lugdunenſibus presbyteris atque diaconibus annua convivia, concedente Domino, præbeantur.

eccleſiiſque 6 Dono eccleſiæ Lugdunenſi ſolidos decem & octo, quos presbyteri & diaconi inter ſe æquali diviſione diſtribuant. Partem meam de Secia ex integro ad ſe revocet eccleſia Lugdunenſis. Commendo ſanctitati tuæ, fili fratris mei Lupe epiſcope, quos libertos eſſe præcipio, Cattuſionem & Auliatevam conjugem ſuam, Nonnionem, qui meam vineam facit, Sunnoveifam, quam captivam redemi, bonis parentibus natam, & ejus filium Leuberedum, Mellaridum & Mellatevam, Vaſantam coquum, Ceſariam, Dagaraſevam, & Baudoroſevam Leonis neptem, & Marcoleifum filium Tottionis: E
hos totos, fili fratris mei Lupe epiſcope, ſacerdotali authoritate liberos defenſabis. Tibi autem hæredi meæ eccleſiæ Flavianum & uxorem ſuam Sparagildem dono; eorum filiolam parvulam Flavaraſevam liberam eſſe conſtitui. Fedamiam uxorem Melani & eorum parvulam Remenſes presbyteri & diaconi poſſidebunt. Ciſpiciolum colonum liberum eſſe præcipio, & ad nepotem Aëtium ejus familiam pertinere: ad utrumque, * *al.* Coloniam Paſſiarum id eſt, ad Aëtium & Agathimerum pervenire colonicam Paſſiacum *.

varia legata facit. 7 Pronepti *aa* meæ Prætextatæ dono Modoroſevam, Profuturo Leudocharium puerum trado; Profuturæ dari jubeo Leudoveram. Lugdunenſibus ſubdiaconibus, lectoribus, oſtiariis & junioribus quatuor ſolidos derelinquo; pauperibus in matricula poſitis ſolidus dabitur ad eorum refectionem. Delegoque octo ſolidos eccleſiæ Sueſſionum *bb* pro commemoratione nominis mei; Catalaunenſi *cc* eccleſiæ ſolidos ſex; Moſomagenſi *dd* ſolidos quinque; Vongenſi *ee* agrum apud officinam molinarum, quæ ibi eſt conſtituta; Catarigenſi *ff* eccleſiæ ſolidos quatuor, totidemque Portenſi pro commemoratione F
mei nominis inferentur. Urſi archidiaconi familiaribus uſus obſequiis, dono ei domitextilis *gg* caſulam ſubtilem, & aliam pleniorem; duo ſaga delicata; tapete, quod habeo in lecto, & tunicam, quam tempore tranſitus mei reliquero meliorem. Heredes mei, Lupe epiſcope, & Agricola presbyter, porcos meos inter vos æqualiter dividetis. Friaredus, quem, ne occideretur, quatuordecim ſolidis comparavi, duos conceſſos habeat: duodecim det *hh* ad baſilicæ domnorum martyrum Timothei & Apollinaris cameram faciendam.

Teſtamenti ſubſcriptio, & additus codicillus. 8 Hæc ita do, ita lego, ita teſtor: ceteri omnes exhæredes eſtote, ſuntote *ii*. Huic autem teſtamento meo dolus malus abeſt, aberitque; in quo ſi qua litura vel charaxatura *kk* fuerit inventa, facta eſt, me præſente, dum à me relegitur & emendatur. Actum Remis die & conſule ſupraſcripto *ll*, intercedentibus & mediis ſignatoribus.

✠ Remigius epiſcopus teſtamentum meum relegi, ſignavi, ſubſcripſi, & in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Domino adjuvante, complevi.

V. C.

aa
bb
cc
dd
ee
ff
gg
hh
ii
kk
ll

A V. C. Pappolus interfui, & ſubſcripſi *mm*.
mm V. C. Ruſticolus interfui & ſignavi.
V. C. Eulodius interfui & ſignavi.
V. C. Eutropius interfui & ſignavi.
V. C. Euſebius interfui & ſignavi.
V. C. Daweus interfui & ſignavi.
Poſt conditum teſtamentum, imò ſignatum, occurrit ſenſibus meis, ut baſilicæ domnorum martyrum Timothei & Apollinaris miſſorium argenteum *nn* ſex librarum ibi deputem, ut ex eo
nn ſedes futura meorum oſſium componatur.

ANNOTATA.

a *In codice noſtro atque editione Marloti deeſt:* Gloria Domino. *In altero noſtro Ms. apographo, & editione Joannis Jacobi Chifletii hoc totum abeſt initium. Porrò tituli loco præmittitur tam in editis, quàm in codice noſtro ſequens monitio, quæ Hincmari eſſe videri poteſt.* Exemplar Teſtamenti à beato Remigio conditi, in quo lector attendat, quòd ſolidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, ſicut tunc ſolidi agebantur, & in Francorum lege Salica continetur, & generaliter in ſolutione uſque ad tempora Karoli perduravit, velut in ejus Capitulis
B invenitur.

Idem monitum iiſdemque vocibus (præterquam quòd Karolo cognomen Magni *addatur) in codice noſtro laudatiſque editionibus Chifletii ac Marloti, ut dixi, legitur. Erat autem* ſolidus *moneta aurea*, denarius *argentea; quæ prænotâſſe juverit, quia in hoc Teſtamento crebra fit de* ſolidis *mentio.*

b *Hæc in codice vitioſè ſic leguntur:* Valere præcepi fieri, quatinus ſi juris aliquid videbitur defuiſſe.

c *Mss. noſtra aliaque edita habent:* Quandoque.

d *Fuit hic S. Lupus S. Principii in epiſcopatu Sueſſionenſi, qui Remenſi ſuffraganeus eſt, ſucceſſor. Sunt, qui eumdem S. Principium hujus Lupi fuiſſe patrem autumant; alii patruum credere malunt. Poſterioribus aſſenſi ſumus in Opere noſtro ad diem 25 Septembris, quo ſanctus ille Principius colitur. S. Lupus*, S. Remigii *ex fratre nepos, cultum habet die 19 Octobris. Conſule, ſi lubet, Commentarium noſtrum prævium num. 35 & ſequenti. Eumdem S. Lupum unà cum eccleſia Remenſi ac mox nominando Agricola presbytero heredem à* S. Remigio *in teſtamento ſuo ſcriptum fuiſſe, docet etiam Flodoardus lib. 1, cap. 23.*
C

e *Hic inter* S. Remigii *diſcipulos à Flodoardo in Hiſtoria lib. 1, cap. 23 ſic recenſetur:* Quorum (*diſcipulorum*) videtur eximius Agricola, nepos ipſius, presbyter venerandus, & eidem obſequiis, ut ipſe teſtatur (*nempe hîc*) à pueritia placitus, quam domeſticos ejus exegit intra parietes: quem etiam cum eccleſia Remenſi beatoque Lupo epiſcopo, fratris ſui filio, in omni ſubſtantia ſua, præter id, quod ſpecialiter unicuique donaverat, darive juſſerat, heredem conſtituit.

f *Adi Annotata ad Vitam per Hincmarum cap. 3, lit.* d.

g *Alibi:* communicavi *: ſed hujuſmodi minutias, præſertim in nominibus propriis hominum, quæ hinc inde variè ſcribuntur, inobſervatas præteribo, dum nihil intereſt eaſdem animadvertiſſe.*

h *Alibi legitur:* Villas, agroſque.

i Amphybalus *ſeu* amphyballus *à Græco* ἀμφιβάλλειν circumdare, *hîc ſignificat ſacerdotalem veſtem, quâ totum corpus circumdatur. Huc ſpectat, quod in Expoſitione antiquæ Liturgiæ Gallicanæ legitur apud Martenium tom. 5 Anecdot. col. 99:* Caſula, quam amphibalum vocant, quod ſacerdos induetur, tota unita, per Moyſem legiferum inſtituta primitus demonſtratur *&c. Subditur, illam ſine manicis eſſe, non ſciſſam, non apertam. Alias* amphibali *expoſitiones etiam dat Cangius in Gloſſario.* Ex edito.

k *Tam hîc, quàm infrà per* Lugdunum *ſemper* Lugdunum Clavatum, *ſive* Laudunum, *nunc Gallicè* Laon, *deſignat, cujus epiſcopatum diœceſim Remenſem appellat, quia illius ſuffraganeus erat, fueratque Remenſis epiſcopatûs pars uſque ad tempora* S. Remigii, *qui Lugdunum Clavatum epiſcopali ſede primus illuſtravit, uti aliàs diximus.* Laudunenſem *pro* Lugdunenſem *conſtanter habent codex noſter & editiones Chifletii & Marloti.*

l *Chifletius & Marlotus legunt* turriculum; *quo modo ſi legendum ſit, erit* turriculum, turricula, *ſive hierotheca in modum turris fabrefacta, ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervandum. Exemplum habes apud S. Gregorium Turonenſem lib. 1 de Gloria martyrum cap. 86, ubi legitur:* Acceptaque turre, diaconus, in qua myſterium Dominici Corporis habebatur &c. *Simile quoque vas fuiſſe exiſtimo, de quo Flodoardus lib. 2, cap. 6 in Landone Remenſi epiſcopo ait:* Turrim quoque auream, quam ad votum ſuum fabricari fecerat, ſuper altare poſuit S. Mariæ Remenſis eccleſiæ. E

m *Id eſt, calicem operis celati.*

n *Id eſt, qui adſcripti erant pauperibus, qui ex eccleſiæ eleëmoſynis alebantur.*

o Vaculiacum *nomen villæ aut vici eſt; quæ ſequuntur ſunt nomina propria ſervorum.*

p *Ita habent omnia exemplaria præter unum, quod Chifletius ſecutus eſt, in quo legitur* novia. Jovia *pariter legitur in omnibus exemplaribus Teſtamenti prolixioris, teſte Colvenerio in Scholiis, ubi ex Nicolao Cheſneau addit, fortè legendum eſſe*, quæ juxtà ſunt. *Ego, ut verum fatear, neſcio, quid hîc ſibi velit vox* jovia.

q Originarius *is eſt, qui ratione originis ſui domino ſuo ſervitutem aliudve obſequium debet: quapropter ea vox variam explicationem admittit. Profuturum, de quo hîc agitur, non fuiſſe vernam ſeu mancipium, ſatis liquet ex eo, quòd hîc dicatur* Innocentium ſervum S. Remigio *dediſſe.* F

r *Chifletius & Marlotus legunt* lucernam. Lacerna *veſtis eſt antiquis Romanis nota ac domi militiæque, maximè pluvioſo aëre, uſitata.*

f *Codex noſter & Marlotus*, Cabutam; *quo modo etiam in exemplaribus Teſtamenti prolixioris legi, aſſerit Colvenerius in Scholiis ad Flodoardum, additque*, cambutam *haberi apud Briſſonium.* Cabuta, cambuta *&* çambuca *ordinariè uſurpatur pro pedo paſtorali ſeu epiſcopali. Mihi præplacet lectio Labbei, cui conſonat Chifletius; at ſimul fateor, ex* cabutam *facilè* tabulam, *ac vice verſa, potuiſſe formari.*

t *Alibi:* mantile, *id eſt* palliolum; *ſed ſuſpicor pro* ipſius *legendum eſſe* ipſi. *Donationis Remigiæ in hoc teſtamento factæ meminit Flodoardus lib. 1, cap. 23.*

u *Ita habent exemplaria omnia etiam prolixioris Teſtamenti, præterquam apud Briſſonium, ubi eſt* Hiclinaculum; *quod æquè ignotæ ſignificationis eſt. Cangius in Gloſſario ſuſpicatur* hichi-

Ex edito. naculum *idem esse, quod* Hichinarium *&* Hicinarium, *quæ inter vasa sacra in Historia episcoporum Autissiodorensium recenseri, affirmat.*

x Pedatura *vitium est spatium vitibus consitum, certo pedum numero limitatum. Exempla plura habes apud laudatum eruditum Cangium.* Hilariam diaconam *inter* S. Remigii *legatarios etiam recenset Flodoardus lib.* 1, *cap.* 23.

y *Hic quoque inter Sancti legatarios nominatur à Flodoardo ibidem, uti & Etius sive Aëtius, qui cum Agathimero infrà nominabitur.*

z *Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum docet, hanc* Vindonissam *vel* Vindenissam *villam esse in pago Remensi,* Venderesse *nunc vulgò dictam; atque alteram etiam* Vindenissam *villam aut vicum in pago Laudunensi.*

aa *Ita correxi ex aliis, cum apud Labbeum hîc legeretur* pronepoti. *Flodoardus prædicto loco nec de Prætextata nec de Prætextato nominatim meminit.*

bb Suessionensis, *vulgò* Soissons, *civitas Galliæ in provincia Insulæ Franciæ, episcopatum Remensi suffraganeum habet.*

cc Catalaunum, *Gallicè* Chaalons sur Marne, *altera episcopalis civitas est sub metropoli Remensi, in provincia Campaniæ.*

B

dd Mosomagum, *aliàs* Mosomum, *indigenis* Mouson, *Galliæ item urbs est ad fluvium Mosam in Campania & in confinio ducatus Luxemburgici, & diœcesi Remensi, de qua paulò plura dixi in Commentario prævio num.* 229.

ee *De* Vongensi *pago in Campania Gallica meminit Flodoardus lib.* 2 *Historiæ cap.* 18, *& lib.* 3, *cap.* 10 *de* municipio Vongo. *Plura vide, si lubet apud Valesium in Notitia Galliarum, qui de ejusdem loci situ & hodierno vocabulo hæc ait:* Hic est, ut existimo, vicus ad Axonam positus, medio inter urbem Remos ac Epusum vel Epoissium (*Gallicè* Yvoix) spatio; vulgò Von dictus; aut certè potiùs Vouzi vel Vousi, qui locus ad idem flumen situs est, nec procul à Von distat, eoque vico multò major est & clarior ac frequentior.

ff *Videtur hic locus aliàs* Caturigæ *dictus, ad eumque spectare, quæ laudatus Valesius pag.* 140 *habet his verbis:* Est & alius ejusdem nominis locus in Campania Remensi, Æthico Caturrigæ seu potiùs Caturigæ dictus, in tabula

C

Theodosiana Caturicæ... Distat à Durocortoro Remorum xxxix millibus passuum, à Nasio ix, à Tullo xxv. *De Portensi pago, qui sequitur, satis alibi dictum est.*

gg *Ita habent exemplaria omnia etiam prolixioris Testamenti, cum eo tantùm discrimine, quòd in nonnullis ea vox composita in geminam* domi textilis *distracta sit. Cangius in Glossario suspicatus est, legendum esse* auritextilis. *Flodoardus lib.* 1 *cap.* 23 *eadem referens ait:* Donat ei casulam quamdam subtilem.

hh *Videtur igitur* S. Remigius *quatuordecim illos solidos Friaredo pro sui redemptione mutuos dedisse, ex quibus nunc duos ipsi donavit, reliquos ecclesiæ SS. Timothei & Apollinaris dari jussit.*

ii *In codice nostro deest verbum* suntote; *apud Chifletium rectiùs legitur* sunto.

kk Charaxare *scribere est: hîc autem* characura *usurpatur pro vocum immutatione, obductione &c. Ceterùm laudatus Cangius plura adfert exempla instrumentorum, in quibus eadem formula adhibita fuit.*

ll *Hinc liquet, exemplaria hujus Testamenti, quæ existant, non omnino integra esse, cùm nec tempus nec consul suprà memoretur. Eodem defectu laborat Testamentum prolixius, quod ex hoc breviori auctum fuisse, putamus.* D

mm *Hunc ac quinque sequentes viros clarissimos, Flodoardus lib.* 1, *cap.* 23 *scribit,* S. Remigii *testamento subscripsisse, non alios, qui in prolixiori testamento subscripti leguntur. Adi Commentarium prævium* § 15.

nn Missorium *est lanx, in qua cibi ad mensam deferuntur. De sepultura in ecclesia SS. Timothei & Apollinaris electa, nec tamen facta, consule Commentarium prævium* § 16.

TRANSLATIONES
SACRI CORPORIS
Auctore fortè Rotfrido synchr.,
Ex Ms. codice Prumiensi. E

ANno felicissimæ Incarnationis Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei omnipotentis, octingentesimo octuagesimo secundo, Karolomanni regis orthodoxi sceptra Francorum regni tenentis primo, episcopatûs verò Hincmari archiepiscopi trigesimo octavo *a*, accidit, exigentibus scelerum immanitate meritis, atque crudelitate discriminum magnitudinis, ut puta populi Francorum propter timorem Norbalbingorum *b*, quo sanctissimi ac pretiosissimi corpus Remigii præsulis quinta Sabbathi, octava die mensis octavi, qui apud Latinos November *c* dicitur, transferretur de proprio stationis loco Sparnacum *d*. Erat enim nox, indicans peccatorum voraginem multifariè nostrorum: alioquin nisi contigissent, multis peccatis esse involutos, & enormitate peccaminum gravatos, seu mole delictorum saucios, necnon læthalis reatûs funere sopitos, poterat ille de exitii nos imminente periculo eripere, qui, Domino adjuvante, multa jam olim signa faciens valuit coruscare. *Corpus ex Normannorum metu Sparnacum transfertur ab Hincmaro,* *a*

2 Fuitque inibi sanctissima corporis gleba usque ad præfati pontificis obitum *e* & paulò pòst aliquantis diebus. Hoc itaque beatissimus Pater huic populo dedit in munere, ut, cùm passim post transitum prædicti Hincmari à perfidis quaquaversùm depopularentur Christianæ fines regionis, & permaximè hujusce sedis, ipsi tantùm ejus interventione immunes efficiuntur à cladis seu calamitatis peste. Indidem verò ejusdem rei gratiâ transvectum est ad Orbacis monasterium *f*. Factum est autem, uti ipsius obtentu & Dei omnipotentis largifluæ dationis dono accolæ ipsius loci nullum circumquaque paterentur detrimentum seu incommoditatem elementorum; sed quicquid in diversis seminum speciebus feverunt, ultra eorum æstimationem multipliciter attributum est; sicut ipse, referentibus ipsis, auribus hausi, oculisve videndo probavi *g*: & cùm aliis foret in locis intemperies aëris, ut puta, gelu primò, & postea siccitas solis perfida; hîc procul & eminus propulsa decernitur. Fuêre ergò alma eodem in loco corporis membra non paucis diebus. *eoque ibi mortuo, Orbacum.* *b* *c* *d* *e* *f*

3 Quid plura? Contigit, ut rerum Parens atque Plasmator omnium, misericordiam initio stillans,

A lans, reſpiceret populum. Remenſem, qui erat deſtitutus, ſed & mœſtitiæ doloris ægritudine tabefactus de præfati Antiſtitis almi corporali abſentia. Interim Folconem *h* inſtinctu Numinis quodam afflati eligere totis ſtuduêre niſibus. At ille infula ſacerdotali circumamictus, oleo ſacræ ſanctificationis perunctus, ſerto benignitatis redimitus, cœpit curiosè quærere ac ſummâ diligentiâ vigilanter ſatagere, & inſtar beati David omnia diſpenſanter prudentique conſilio tractare. Nam, quemadmodùm ille ſollerter & excellenti præditus ingenio, omnique flagrans bonitatis ardore archam Domini ad civitatem & locum ſanctum ſtuduit referre, ita is per omnia prudenter cuncta cogitans atque diſponens, ita ut priùs quæſitu opus eſſe diceret, quod ſibi in talibus conſilium, quidve foret agendum: & dum quaquaverſum diù potuêre, cauſam trutinantes, ad id tandem ſententiæ eventum eſt, ut almificum pignus ad propria comperiret fore ferendum.

Folco Hincmaro ſuffectus, illud Remos relaturus, *h*

4 Sed has inter cogitationum varietates, & aſſiduas elimando meditationum diſpenſationes, ubi comperit actitandum, ilicò primo ſui præſulatus anno, tertio menſe Siban, qui Latinè Junius vocatur, XV ejuſdem menſis die *i*, cœtu clericorum ſibimet adjuncto, nec non populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus epiſcopis ſuæ diœceſeos, & ſacerdotibus non paucis, locum, quo pretioſiſſima habebatur margarita, multa cum religione & fideli rationis adminiſtratione ſtuduit adire. Cúmque poſt jejunium ſupradictus pontifex pranſum cum ſuis ſerò ſecederet, & bubulci cum onuſtis plauſtris rebus diverſis ſuppellectilis ipſius Sancti iter toto accelerare feſtinarent fervoris deſiderio, eſſetque facies cœli claritate ſolis perlucida & aëris ſerenitate tranquilla, die quoque jam in veſperam vergente, occaſuque Phœbeæ lampadis tenebras vocante, mirum dictu, cùm extemplò circumquaque cœli ſerenitas tetra caligine obducitur, coactoque in nubes aëre, ſenſim pluvia cœpit demitti; pòſt verò paulatim & per incrementa gliſcendo ad tantam nimborum excrevit magnitudinem, quo ad uſque ſuperficies terræ, quæ ariditate ſiccitatis tabeſcendo ſorduerat, ut ſqualore pulveris fœda perſiſteret, longè latéque inprægnata, & ad omne opus agendum maneret apta.

cum aliis epiſcopis clero-que Orbacum advenit, *i*

C 5 Sed poſtquam luci croceæ noctis ceſſit pallor, Phœbique ſplendori ſtellarum itidem fulgor; jamque aurora diem Reſurrectionis Dominicæ *k* paululùm decreſcendo, furvæ noctis tenebris roſeo repræſentabat ſplendore, tum ætate ab omni, utroque ſexu, omnique dignitatis ſeu profeſſionis gradu, undecunque poterant, venitur in eccleſiam, quò magnifici Confeſſoris corpus quieſcebat, opperientes horam glorioſiſſimæ revectionis. Igitur prædictus venerabilis Folco, cui ſumma cura & ingens deſiderii ardor ad hoc patrandum efferbuerat, ubi tempus opportunum imminere perſpexit, cum coëpiſcopis, presbyteris & diaconibus, omnique gradu eccleſiæ illò, officium celebraturus, fidei calore acceſſit armatus; explicitoque miniſterio ſacerdotali magno cum honore & reverentia, ſicuti revera itidem officium poſtulabat; & ritè omnibus patrâtis, cum timore ſancto & ſumma devotione canentes Reſponſorium, levaverunt digniſſimum pignus, & iter cœptum magna cum cautela feſtinare curârunt.

ac poſtridie illud tollens magna cum pompa *k*

6 Nunc ergò, prudens lector, nota verba, ſigna myſteria. Nota, quòd dicitur primâ vigiliâ noctis denſæ caliginis in initio hyemis Beatiſſimi corpus quaſi furto ſublatum à paucis, quod ſuprà ſuccinctè digeſſimus; hîc autem, quòd die Dominicæ Reſurrectionis horâ quaſi tertiâ *l*, fervente jam ſole, & in altum proficiente, quando Spiritus ſanctus ſuper Diſcipulos venit, inchoante primordio æſtatis, cum multa manûs populi conſtipatione non caſu aut fortuitu, ſed ſacræ diſpenſationis conſortio, ineſſe reverſionem commemoramus, ſedula diſcuſſione perpende. De [hac *m*] profectò reverſione non modò angeli & homines gratulati, verùm etiam ipſa elementa multimodâ adminiſtratione læta feruntur. Nam revera, ſicut in Filii Dei omnipotentis paſſione triſtia, ſic econtrà hujuſce inſignis reverſione Viri grata paruêre; in tantum, ut ipſi diei nil contrarietatis obſiſteret, non ventus flaret contrarius, neque pulvis ſuperiora petens, oculiſve nocivus exiſtens; nubes nequaquam parêret denſa, ſeu tenebroſitatis caligine obfuſcata; ſol quoque radios lucis ſpargens, ut omnia illuminaret, minùs urendo concremaret.

A. FORTE ROTFRIDO SYNCHRONO. *iter verſus Remos aggreditur;* *l*

m

E 7 Cœpere itaque quaquaverſùm huc illucque, prout fama fuerat delata, omnis dignitas, ætas omnis, uterque ſexus, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, matres cum parvulis, divites & pauperes, curvus arator, ſordidus vinitor, pannoſuſque bubulcus, opilio vel ſubulcus, magno cum gaudio & inenarrabili lætitia, ſumma cum feſtinatione alii obviàm, poſt tergum alii, nonnulli econtrà; unuſquiſque ſatagens pro poſſibilitate valetudinis, curſu felici occurrere: fitque concurſus magnuſque conventus; fitque concentus ab omni gradu & utroque ſexu: [licèt *n*] eccleſiaſticæ modulatio vocis diſpar hauriretur, affectus tamen gratulationis & glorificatio exultationis par eſſe comprehenditur. Et qui præibant ergò, & qui ſequebantur, clamabant in excelſis, dicentes: Oſanna! & Kyrie eleiſon: & perinde ceu quondam populus Hebræorum Regi regum, ſedenti aſinum, comitantes canebant, ramoſque de arboribus præcidentes obviabant, atque veſtimenta ſua expandebant in via; ſic iſti, prout poterant, omnia diſpenſanter agere viritim decertabant. Quid igitur, fratres chariſſimi, arbitremini, horum corda ad hoc excitando præparavit? Quis illis dedit ſenſum & intellectûs donum ad hoc patrandum, niſi Deus omnipotens, & Spiritus ſanctus, qui replet & inflammat corda fidelium, quos præſidet & regit ſecùs ſuæ diſtributionis pietatiſque abundantiam?

accurrente undequaque populo, Deumque laudante;

n

F 8 Tali ergò dignitatis proceſſu pervenitur ad vicum, cui nomen eſt Calmiciacus *o*, ubi multas jam olim, Domino tribuente, virtutes ſanctiſſimus Antiſtes vivens carne exercuerat; & in eccleſiola parvula, quam ipſe, ut quidam aiunt, dudum conſecraverat, ſacratiſſimus deponitur theſaurus, adhibitiſque diligenter cuſtodiis, quiſque it pranſum, cibo potuque reficientes corpora ſecedunt cubitum. In craſtinum verò jam poſtera Phœbeo luſtrabat lampada terras, humentemque aurora polo dimoverat umbram, cùm ecce hinc inde audiuntur voces gaudentium, laudantium Deum, atque dicentium: Benedictus Deus, qui reddit nobis Paſtorem, Protectorem & Defenſorem animarum noſtrarum, ſub cujus alarum protectione anguſtiis credimus liberari ab omnibus vel ærumnis; quia ipſe eſt, qui quotidie interpellat apud Deum pro peccatis noſtris; nec ſumus fruſtrati præſentiâ ejus.

cúmque Calmiciaci pernoctáſſet, *o*

A. FORTE ROTFRIDO SYNCHRONO.

Interea sæpe memoratus pontifex cum omni diligentia, quæ ad se pertinebant, sine mora *p* Sacramentis mysteriorum æquè celebratis, iter carpere & clivum montis, qui juxtà erat, scandere cum Christi laudibus delegit, & turmæ multitudinis cum eo fidelis.

p

& postero die

9 Cúmque in ipsius montis fastigii supercilio cum pio perveniissent Antistite, quasi in eminentiori stans loco omnem circumspiceret, quæ suæ diœceseos juris erat, latissimam regionem, populumque undecunque procurrentem, cum lachrymis & gemitibus crebrisque suspiriis ejus intercessionem, benedictionem ac multimodam æternæ distributionis suffragationem efflagitantem, quorum vota & obsecrationes ut comperitur, minimè spernens, sed potiùs compatiens, factus in agonia, prolixiùs orare pro eorum delictis studuit, ne ducerentur diutius reorum catenâ constricti, essentque apud Deum obnoxii, laqueis diaboli irretiti; compar illi, qui nonnumquam iram Domini contra Israël pro reatu vituli, quem fecerant, mitigavit *q*. Si enim vivens quondam hoc potuit impetrare, quando regem acerbissimum *r* de faucibus diaboli, Domino annuente, cum populo suo valuit extrahere, multò magis cum Christo nunc regnans quivit promereri.

q

r

B

cæptum iter prosequeretur,

** forte* privaretur

10 Itaque cùm Deus omnipotens præscius futurorum, qui desiderat & semper inquirit salutem animarum; qui non vult mortem peccatoris, nec lætatur in perditione morientium, respiceret & propitiari vellet populo suo, ne jam ampliùs oberraret & proprio pioque privatus * Pastore; & ut vox ipsius veridica probaretur, dicentis: "Non potest civitas abscondi supra „montem posita, neque accendunt lucernam, „& ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt; „sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem „vestrum, qui in cœlis est,, amicissimum videlicet sibi patronum nostrum Remigium, triumphatorem egregium *f*, quanti apud se foret meriti, torpescentibus & ignaviâ bonorum operum pigrescentibus; &, qui necdum poterant mysteria capere mystica, signis clarescentibus ad incognita surgere propulsaret; quatinus ejus sanctitas virtutum coram omnibus coruscando fulgeret, populique perfruentes suavitate signorum glorificarent Deum, opificem tantorum operum, & qui cum fide eum orarent, confitentes & abnegantes commissa scelerum delicta, scirent indubitanter, crederentve & tenerent firmiter; quoniam, sicut doctorem eum olim habuerunt in terris, ita intercessorem semper haberent in cœlis; &, quia valet apud misericordem Judicem interpellare pro peccatis multorum populorum, quia membrum est ipsius Judicis, & pars magna civitatis supernæ Hierusalem.

f

C

cæca mulier visum,

11 Paululùm inde cùm processissent, mulier quædam, nomine Doda, quæ multo jam tempore, amisso lumine, degebat in cæcitate, audito, quòd sanctissimi Præsulis corpus indidem transiret, data manu regenti gressus, cœpit, offendens pedibus, cursu, quo poterat, iter accelerare; statimque ut cominùs accessit, visum coram omnibus ejus imploratu consequi meruit. Quo facto, omnes in admirationem versi, & quodammodo stupore mentis perculsi, insuper etiam nimio & inedicibili gaudio oppleti. Curritur ad episcopum, qui tunc haud procul equitabat, sed propter populi frequentiam, qui gaudenti exultatione importunè confluebat, parva spatii intercapedine secesserat; & cùm nonnulli cursu cucurrissent rapidissimo, qui supremus nunciârat, primus pandere opinabatur: cùm subitò venerabilis Folco pontifex permaximâ repletus lætitiâ, in ingenti devotionis ac religionis munere ymnum TE DEUM LAUDAMUS ab omni clero digna gratulatione officiosissimè jubet decantari.

D

quidam amissam gradiendi facultatem, altera usum manuum recuperant.

12 Illis itaque hoc ordine modulationem promentibus, non minor fit è diverso ab utroque sexu laus magnificentiæ Omnipotentis; & licèt sonus diversus, intentio tamen par erat exultantis populi: necdum enim jubilatio hujus admirationis ab ore finierat, ecce quidam homo gressum, à quo multis diebus frustratus fuerat, cum integra incolumitate palàm omnibus locupleta dationis largitione percepit. Indidem verò cùm paulisper transirent, mulier quædam manuum sanitate potita est. Quod cernens cohors circumstans, innumeras Domino persolvit grates, quòd tali modo voluit commendare pretiosissimam sui Præsulis suffragationem *t*.

t

Tu quicunque libens librum perlegeris istum,
Rotfridi *u* clemens, dic, miserere Deus;
Ut merces maneat scriptori vita perennis
Almi pontificis Remigii meritis. Amen.

u

E

ANNOTATA.

a *Omnes has epochas apprimè convenire, ostendi in Commentario prævio num.* 309.

b *Lege* Nordalbingorum, *de quorum gente ac sedibus consule, si lubet, Henscheninm nostrum ad diem* 3 *Februarii in S. Anschario archiepiscopo Hamburgensi, eorumdem apostolo. Aliàs* Dani *dicuntur, hicque ponuntur pro Normannis, qui eo tempore Gallias graviter afflixerunt, uti in Commentario prævio num.* 307 *dictum est.*

c *Adi eumdem Commentarium prævium num.* 310, *ubi notas illas exposui.*

d *Gallicè* Espernay: *vide ibidem num.* 308. *Rationem autem, cur Hincmarus Sparnacum, non in urbem Remensem, sacrum corpus intulerit, Flodoardus lib.* 1, *cap.* 21 *eam assignat,* quia civitas Remorum tunc temporis non habebat in ambitu sui murum. *Nam, ut ibidem lib.* 2, *cap.* 19 *in Ebone, Hincmari proximo decessore, ait:* Cupiens ergò præfatus pontifex Ebo domum ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, diuturna penè lapsabundam vetustate, reparare, . . . petiit à præmisso imperatore Ludovico (*cognomento Pio*) ad renovandam & amplificandam eandem basilicam murum civitatis sibi concedi. Quod idem princeps quietissima pace fruens, & imperii præclarissima potestate subnixus, nullas barbarorum metuens incursiones, nequaquam refutavit, sed benignissimè ob amorem Dei & ipsius almæ Genitricis honorem concessit *&c.*

F

e *Hincmarum obiisse Sparnaci anno* 882, *die* 7 *Decembris, dixi in Commentario num.* 311.

f *Gallicè* Orbais, *monasterium est Ordinis Benedictini in diœcesi Suessionensi, cujus situm dedi ibidem num.* 312.

g *Hinc liquet, auctorem* (*fortè* Rotfridum *dictum*) *rei gestæ contemporaneum fuisse.*

h *A Flodoardo aliisque passim* Fulco *vocatur, isque anno* 883 *suffectus Hincmaro, ejusdemque anni mense Martio exeunte, archiepiscopus consecratus fuisse dicitur tom.* 9 *Galliæ Christianæ antiquæ col.* 45.

i *Hos quoque characteres expositi in Commen-*

ta-

A *tario prævio num.* 313 *& ſequenti. Ceterùm fortè eo tempore minùs metuendum Remis erat à Normannis, neque enim jam tunc muri civitatis, quos laudatus Fulco, teſte Flodoardo lib.* 4, *cap.* 8, *tempore præſulatus ſui reſtituit, perfecti eſſe potuêre.*

k *Per* diem Reſurrectionis Dominicæ *non Paſcha, ſed* diem Dominicam, *ſive primam hebdomadæ deſignari, jam obſervavi loco mox citato, & ipſa temporis ratio docet.*

l Horam tertiam *eccleſiaſticam intellige, quæ noſtro numerandi modo horæ diei nonæ matutinæ ferè reſpondet, ducto diei initio à media nocte.*

m *Hanc vocem uncis incluſam adjeci, quia ſenſûs integritas exigebat.*

n *Hanc quoque voculam ad perficiendam phraſim appoſui.*

o *Adi Annotata ad Vitam brevem lit.* p.

p *Ita correxi, cùm in apographo noſtro certè mendosè legeretur :* diu moram.

q *Loquitur de Moyſe : lege Exodi caput* 32.

r *Scilicet Clodoveum.*

ſ *Ut imperfectam periodum expleas, paucis additis, ſic lege :* Super candelabrum poſuit, ut, quanti apud ſe foret meriti, oſtenderet torpeſcentibus *&c.*

B t *In apographo noſtro perperam legitur,* ſuffragationis. *Plura autem in eodem non leguntur, præter ſubjectos verſiculos ; ut neſciam, utrùm auctor hìc deſierit, an (quod veriſimilius apparet) Prumienſis codicis ſcriptor auctoris Opuſculum extrema parte mutilaverit. Ut ut ſit, cetera dabimus ex Flodoardo.*

u *Suſpicionem meam de Rotfrido vide in Commentario prævio num.* 31.

TRANSLATIONES

Auctore Flodoardo,

Ex Hiſtoria eccleſiæ Remenſis lib. 1, *cap.* 21 *&* 22.

C

Sancti corpus primò Sparnaci, deinde Orbaci ſecuritatis ergò depoſitum

a

b

c

Fulco, Hincmari ſucceſſor, ad civitatem Remenſem

ACcidit *a* autem poſtea, peccatorum meritis exigentibus, ut Dominicæ Incarnationis anno DCCCLXXXII ſub rege Karolomanno, prædicto domno Hincmaro archiepiſcopo fatagente, transferretur venerabile pignus corporis hujus ſacratiſſimi patris & domni noſtri Remigii (propter infeſtationem paganorum) ad villam ipſius jam ſuprà taxatam, nomine Sparnacum ; quia civitas Remorum tunc temporis non habebat in ambitu ſui murum *b*. Cujus obtentu totius tunc pagi, ad quem delatum munus hoc habetur amantiſſimum, proviſa probatur ſalus à pervaſione barbarorum vel incurſu prædonum. Poſt Hincmari denique pontificis obitum deſiderabilis hic ſacrorum theſaurus membrorum ad Orbacenſe perducitur monaſterium. Hìc quoque beatiſſimi hujus Patroni noſtri ſuffragiis omnis commoditas aëris circumquaque degentibus attribuitur incolis cum inſolita fertilitate telluris *c*.

2 Poſt deceſſum verò ſæpe dicti præſulis Hincmari cùm pontificatûs ſubiiſſet honorem Fulco, ſui primo præſulatus anno referre decrevit alma beatiſſimi hujus noſtri Patris oſſa. Quod ubi aggreditur, perveniente jam eo cum coëpiſcopis & cleri plurimis ad locum, ubi pignus ſervabatur pretioſum, cùm eſſet magna cæli ſerenitas, ſed fervens admodùm ſiccitas, ſubitò ſe tantus effudit imber, ut totiùs hujus ſuperficiem terræ videretur ubertim irrigâſſe. In craſtinum verò, dum ſacra referre promovent munera, cuncta clara, cuncta jocunda, cuncta mundanæ ſpeciei redduntur amœna ; proſperoque progreſſu confluentibus undique populis, ad vicum deveniunt Calmiciacum, in quo nonnulla Pater hic eximius, adhuc carne ſeptus dinoſcitur exhibuiſſe magnalia. A. FLODOARDO.

3 Hìc membra veneranda in eccleſia deponentes, ejus nomine dedicata, noctis quiete feſſa levant corpora. Poſt requiei ſubſidium jam terras ſolis illuſtrante jubare, voces undique Deum benedicentium concrepant, atque laudantium, quòd eis Paſtorem, Patronum ac protectorem redderet corporaliter proprium, quem ſemper apud divinam Clementiam interceſſorem & aſſiduum ſe habere confidant advocatum. Præfatus interea præſul, cœleſtium ſacramentis myſteriorum ritè celebratis, imminentis juga cum laudibus ſcandit montis, comitantibus undique ſecùs populorum ſtipatus catervis. Hìc ubi pro populi delictis & iræ mitigatione cœleſtis ad Dominum fudiſſet orationem, paululùmque proceſſiſſent, adhuc clarificare Chriſtus, mirificare atque glorificare diſponens hunc beatiſſimum Patrem noſtrum in terris, quem magnificare cum angelis elegerat in cœlis, quanti ſit apud ſe meriti, concurrenti propalare decernit multitudini. *ſolemniter refert.*

b

4 Accedit itaque mulier cœca, nomine Doda, manu ſibi greſſus regentis innixa ; quæ mox ut cominus approperat, viſum ſibi reſtitui coram omnibus impetrat. Quod præſul audiens, hymnum laudis Dei, cum populo, magnò repletus concelebrat gaudio. Necdum finierant odas exultatione cælum replentes, & ecce fruſtratus quidam multis greſſu diebus cum integra procedit incolumitate lætabundus. Tranſiêre cum laudibus inde pauliſper ; & mulier quædam manuum potita ſanitate ſuccedit *d*. Duplicant ergò, triplicantque comitantia gratiarum actiones agmina. Tremefacti proximi quique mirabilium magnitudine, tantiſper à tantæ deliberant ſecedere ſanctitatis ſublimitate. Nec vox reciproca laudantium defecerat ab ore, dum quidam puer, Grimoldus nomine, diu lumine privatus, os quoque miſerabiliter à rectitudinis loco diſtortus, inviſaque deformitate turpatus, à parentibus obviàm delatus, priſtinum, quem dudum amiſerat, eſt viſum conſequutus, & in propriam ſanctiſſimi Patris hujus opitulatione mirabiliter eſt effigiem reſtitutus. *Per viam duo cæci, tres capti membris*

d

F

5 Interjecto velut unius horæ ſpatio, puer alius à contractione corporis, ejuſdem Patroni ſuffragiis feliciter eſt erectus. Cohors igitur devota, melodiis Davidica nequaquam ſufficiens reboare carmina, maximo cordis affectu permota, inter laudum voces, eliciente gaudio, lacrymis ora rigare profuſis, & ſuſpiria ſingultuſque formare pro canticis. Concurrentium quoque nimia ſtipatio plæbium, ſacri muneris gerulum deoſculari cupientium loculum, importunitate valida vehentium cœpit figere greſſum. Mirorum ſiquidem, quæ gerebantur, percrebreſcebat opinio, certatimque tam fani, quàm diverſis calamitatibus attriti, properare ſtudebant, cupientes intueri magnalia, quæ Dominus omnipotens in Sancti ſui clarificatione miſi- *divinitus curantur, & glorificante propterea Deum populo,*

A. FLODOARDO.

tiplicare propoſuerat. Pro magno namque ſibi damno quiſque reputabat, immò delictum deputabat, non modò, ſi non procederet, verùm ſi poſtremus accederet. Approperantes autem cives obviàm, dum grata deferri cernunt munera, terræ ſe proſternentes, ſoli deoſculantur terga *e*; ſuſpicienteſque, ubi contemplantur loculum, pretioſæ divini diadematis gemmæ baiulum, multas inter eximia gaudia lacrymas fundunt; obſecrantes, ne ampliùs ejuſdem Patris affici cenſeantur abſentiâ, quin perpetuâ mereantur gratulari præſentiâ.

e

plurimi alii variis languoribus

6 Pater interea beatiſſimus filiorum devotioni præclaris favens nutibus, addit adhuc divinis plebem ſuam multipliciter exhilarare mirabilibus. Etenim dum clerus cum ſacerdotibus pſalmis, hymnis & canticis intonant ſpiritalibus, populus etiam jubilationis immenſæ reboat vocibus, ut mirabilem Deum in Sanctis ſuis jocundioribus adhuc præconarentur animis; priſtinam multitudo languentium ſoſpitatem manifeſtè conſpicitur recuperare, levatis pluribus varia peſte corporibus; adeóque per ſingula pœnè momenta cæleſtia pandebantur miracula, ut ad hæc locorum

B

vel temporum vix enumeranda cenſeri valerent interſtitia. Tunc igitur Oſanna quædam mulier, cum admiratione gaudentium, celeri meruit proſperitate recipere viſum. Et poſt puſillum claudus quidam felici munere conſequitur greſſum. Deodata quædam, patefactis aurium januis, adipiſcitur auditum. Quidam, nomine Teuto, deſiderabili potitur illuminationis dono: item quædam mulier eodem gaviſa lætatur beneficio. Similiter Auſoldus quoque lumine, quod nimio flagrabat aſſequi deſiderio, fido ceu credidit animo, Patris hujus piiſſimo perfruitur ſuffragio. Quidam Gerbertus paralyſis eſt à diſſolutione ſanatus: quidam quoque alius ejuſdem muneris exultat hîc largitate perfunctus.

morbiſque ac infirmitatibus correpti

7 Cúmque certatim quique ſtudio piæ devotionis obviàm ſtuderent occurrere, ac non modò benigni cordis intentionem, quin etiam rerum temporalium exhibitionem, prout cuique facultas ſuppetebat, afferrent; mulier quædam paupercula, de civitate properans in occurſum, manu cereum ferebat, qui accenſus nunquam fuerat. Mirabile dictu! ſubitò cælitus nutu divino cereus in manu gerentis eſt illuminatus; ipſumque dum per totam defert illa viam, Dei confitendo miraculum, nequaquam ſuperni luminis amittit ille beneficium, donec mirifici pignera Patris in ſtationis propriæ perferrentur domum, hîcque à Pontifice ſolemnia celebrarentur Miſſarum. Tunc femina cereum, lumine flagrantem mirabili, baſilicæ tradit cuſtodi, qui ob ſupernæ gratiæ, quod contigerat, gaudium luminaria, quæcunque per eccleſiam videbantur ardere, mandat extingui, lumineque divinitus hoc dato rurſus accendi: hujus verò partem cerei cælo dati miraculi decernit in teſtimonium reſervari.

C

circa ſacrum corpus mirabiliter ſanantur:

f

8 Rotgardis quædam femina de pago Caſtricio *f* gradiendi carens officio, priſtinæ gaudet cum incolumitatis dono; ut quæ plauſtro devehente fuerat adducta, propriis poſtmodum pedibus remeare valeret ad ſua. Præterea mulier quædam, ſecum parvulam ſex annorum ferè defert filiam; nomine Vulflidem; quæ dum quadam die cum coævis luderet, ab aliqua tranſeunte fortè muliere percuſſa fuerat in capite. Quo ictu læſa, ita ut ejus retrò reflexum inhærere cervici videretur occipitium, nec in aliam ca-

put reclinare partem valeret; cibi verò nullam, niſi liquidam, ſumere poſſet ſuſtentationem: quæ integrum ſub tali fermè labore duxerat anni curriculum. Quam mater affectu diligens tenero, deque ſalutis ipſius ſollicita recuperatione, ſtuduit obviam deducere. Dumque cominus ob denſitatem multitudinis non valet accedere, procurat aliquantulùm vulgus antecedere. Mox in via, per quam iter erat agendum, ſeſe proſternens ſimul cum ſobole, fulta valida fide preces ad Dominum devota dirigit mente. Necdum ab oratione ceſsârat, & ecce, ipſius cœpit vociferari filia. Quam genitrix ut maternis conſoletur blanditiis, ſurgens intuita, caput ejus ab inflexione videt ad propriam rectitudinis lineam remeâſſe. Tunc nimia hilaritate repleta, ſed & de prolis ſanitate confiſa, perluſtrans vulneris locum, cernit ſanguine madidum, nervoſque diu contractos, acti funes, extendi productos. Sic accepta miſericordiæ, quam quæſierat, benedictione, domum læta cum gratiarum revertitur actione.

D

Coram eodem in eccleſiam illato mulier diro malo,

9 Hac igitur dignitate clarificationis & rerum geſtarum admiratione cohors ſtipata, votoque gratulationis, arreptum toto fervoris iter anniſu cum canticis hymniſque percurrere ſatagebat. Præceſſerat equidem præſul, ſed reverſus cleri comitantibus choris, pretioſiſſimum propriis theſaurum ſumit humeris; & ſic ad ipſius propriam domum Patris cum magna perfert gloria jubilationis. Aſt ubi pervenitur in eccleſiam, quæ competere viſa ſunt, ritè diſpoſitis, inchoata jam Victimæ ſpiritalis immolatione, mulier quædam de pago Trecaſſino *g* membrorum omnium agitatione mulctata, veniens coram altari ruit in pavimento; ibique miſerabiliter diu vexata, hujus piiſſimi Conſolatoris miſeratione ſurgit incolumis effecta. Quæ ſuper eventu tantæ conſulta calamitatis, necem ſe propriæ confitetur perpetrâſſe matris. Miſſarum denique ſolemnibus ex more peractis, ſua quique repetunt, reverſuri manè in craſtinum, ad hoc tutelæ ſuæ præſidium in civitatem perferendum.

g

alteraque, dum ad illud ægrè pergit, paralyſi liberantur.

10 Manè jam facto, dum ad condictum ſtudioſè contenditur, Erluidis quædam mulier, haud procul ab urbe degens, ad tantæ proceſſionis ſpectaculum diſponebat exire, quatinus optatæ ſoſpitatis uti mereretur munere. Quæ quia jam quinquennium languore preſſa, partem corporis dextram præmortuam penéque geſtabat inutilem, niſu, quo poterat accedere, &

F

ad viſendum ſacri hujus muneris loculum, ſeſe molitur promovere. Cúmque tali conamine jam ferè medium peragrâſſet itineris hujus ſpatium, non valens ultrà procedere, gravi corruit confecta labore. Meditatur domum redire; ſed nequit hoc ullatenus adimplere. Quæ poſtquam hac aliquamdiu jacuit hæſitatione, demum reſumpto moliminis auſu, tentat, an valeat adhuc aliquantulùm propinquare. Moxque divina miſerante clementia, vigor ægris additur niſibus, viribuſque cum ſalubritate receptis, libera feſtinans celeritate, nimiaque tripudians hilaritate, quò decreverat ægrota ſe trahere, agili cœpit inceſſu gaudens approperare. Infirmitatis etiam ſuæ ſolamen manu ferens baculum, iter peragit deſtinatum; non ut ejus ampliùs egeret auxilio, ſed ut id in hujus datæ ſibi ſanitatis oſtenderet teſtimonio. Pervenienſque, quò deſideraverat, lætabunda devotas Interventori ſuo rependit gratias; hîcque perlatum dimittens bacillum, priſcæ calamitatis ſuæ ſolatium, alacris jam,

A jam, nec opis hujus indiga, repetit iter emensum, referens læta quæsitum divinæ consolationis suffragium. A. FLODOARDO.

Dum intra urbem in ecclesiam cathedralem transfertur, sanantur plurimi:

11 Adveniens pontifex cleri magnatumque stipatus agmine, Victimâ salutis oblatâ, vestibus albis indutus, cum choris psallentium gratissimum deducit ad mœnia civitatis thesaurum. Illis autem feliciter eò progredientibus & gratanter ad destinatum locum tendentibus, omnipotens Deus in hujus Carissimi sui glorificatione fontem suæ benignitatis ac largitatis abundè est dignatus effundere; ut vix lingua quælibet effari valeat, quæ hoc tunc itinere per ipsa penè momentanea gesta probantur horarum interstitia. Nam tantam Dominus hîc operatus est hac die miraculorum magnitudinem, ut viri quatuor, feminæ verò novem, visum; viri quoque duo gressum recipere mererentur. Cum hujus igitur præclaræ gratulationis admiratione in civitatem ad ecclesiam Dei Genitricis prosperrima pervenitur exultatione: sicque lucerna hæc lucens & ardens æternaliter in altaris sistitur crepidine. Dum præsul igitur ad sacrandum vivifici munus accedit mysterii, quis tam ferreum pectus, tam lapideum cor gessit, qui non gemitus ederet, pectus tunderet, lacrymas funderet, dum tam stupenda divinorum dona charismatum conspiceret? Quis etenim queat enumerare mirorum copiam, cælitus hîc ea die profusam? Nemo revera, qui prævaleat expedire sermone, quot ægrotantes sanati, quot titubantes erecti, quot ipsa die diversis hîc sunt cladibus absoluti.

B

tempestas subitò exorta sedatur:

12 Post expleta mysticorum discedentes sacra, maturabant quique repetere sua: sed inter abscedendum minax oriri territatio, nubes teterrimæ terribilesque consurgere, truculenta polum caligine claudere, micare fulgura, concrepare tonitrua, grandoque solum verberare cœpit non minima. Quo terrore perculsi rediere plurimi, clementiam deprecantes Altissimi, quatinus hujus intercessione Patris beatissimi mererentur ab his imminentibus periculis erui. Mirum in modum perturbatio, quæ terrorem incusserat, immutari, nubium rarescere tenebrositas, cessare fulgura, mitigari tonitrua, cunctaque sedari cœpit ac dissipari tempestas, & ex truci conversa in exoptabilem pluviam grandine, telluris ubertim superficies, quæ nimio solis exusta fervebat ardore, perfusa fecunda * salubriter refovetur humore. Sicque manifestè dignosci datur indignationis ad horam concitata permotio, salutis immutata subsidio. Denique benignissimi Patris hujus solatio totius diræ pestis nostris videtur finibus eliminata corruptio: salubris aër, pluvia data congruens; timor etiam, qui regnum pervaserat, hostilis in spem paulatim securitatis tranquillitate vertitur pacis.

* *an* fecundo?

C

eodem die quidam mutus, surdus, pedibus ac manibus debilis

13 Hâc eâdem præfata scilicet illationis sacri corporis in urbem die, tingui fervida jam solis Oceano rota petente, quidam Nivolus nomine, de villa, quæ vocatur Dominica, Remorum montis in latere sita, surdus & mutus, manibus quoque per annos novem debilis ac pedibus, qualicumque valuit per totam diem conamine, ab ipsius surgentis auroræ lumine per quinque fermè passuum repens millia, vix ad ipsius ædis sepulchri limina, quasi decimâ tandem pervenit horâ. Qui dum veniens, sacrum corpus ibidem non adesse, comperisset, templique fores, seris diligenter obfirmatis, clausas perspiceret, cadens in faciem super terram, quadam præsumptionis importunitate, sanctitatis aures clandestino cœpit clamore pulsare; tam magno se conquerens labore fatigatum; nec sibi fore permissum videre saltem loculum sacri pignoris baiulum, qui tamen ejus sibi posse subvenire celsum nequaquam diffideret præsidium.

apud suburbanam Sancti ecclesiam, corpore inde jam ablato, fit incolumis.

14 Talia denique dum tacita secum volutat mente, salutis vigor ipsius per membra quæque sensim cœpit irrepere, priscasque simul stupet omnium se vires sensuum recuperare. Cúmque rumor hujuscemodi operationis, quibusdam nunciantibus, aures percelleret plurimorum, certatim quique procurrunt, admiranda Dei magnalia lætantes aspiciunt; ovanter hominem ad locum venerandi sepulchri perducunt, campanas pulsant, lætabundis Deo laudes vocibus intonant. Hujus miraculi permoti famâ quàm plurimi, domum petunt ecclesiæ, videre cupientes magnalia Dei. Videntes, ut audierant, divinarum signa virtutum, manibus gratanter in cælum porrectis, benedicunt Dominum. Quod divinæ benignitatis miraculum valdè tunc profuisse dinoscitur ad eorum solatium, qui se corporaliter deferi tanto querebantur *h* Patrono: quibus tamen spiritaliter se non deesse tali patratæ pietatis declaravit indicio.

h E

In ecclesia quoque, in qua corpus jacebat, varii sanati sunt,

15 In ecclesia quoque beatæ Dei Genitricis, ubi venerabile Patris hujus servabatur pignus, nonnulli diversis ægroti sunt interim curati languoribus. Nam quidam nomine Natalis de Burdenaco, mulier etiam quædam dicta Teutberga, item mulier altera, nomine Gonthildis, hujus patrocinio Patris visum recipere meruerunt. Alia quædam quoque mulier unius oculi visum in eadem domo recuperavit amissum. Quædam præterea puella, cognomine Flotgildis, ex villa, quæ vocatur Caucella secus Libram rivulum sita, quatuor circitèr ætatis annos gerens, lubricando prolapsa, utrumque sibi genu debilitaverat, ita clauda facta, ut omnino nec gressum figere, nec pedibus valeret insistere. Quam parentes ejus, quamvis pauperes, de sospitate tamen ipsius solliciti, per diversas deferre Sanctorum curaverunt ecclesias. Ast ubi jam per duodenum ferè annorum spatium tali vexaretur languoris acerbitate, nec remedium posset doloris invenire; comperiens de relatione sacri corporis, operumque miraculis, quo valuit nisu, repere cœpit, nec se carpento permittit imponi, sed tractu (prout valet) illud agere gestit iter.

F

inter quos puella, ex utroque genu clauda.

16 Ad templum verò perveniens, quo pretiosum salutis audierat munus inesse, fusis Domini clementiam votis pro sui flagitat liberatione; sed & propriis fertur pavimentum lacrymis humectâsse. Quæ postquam per tres ita dies egisset, dum denuò precibus incumberet, divina sibi gratia superveniente, vim medicinæ vix valens ferre, magnis cœpit vocibus strepere & ejulatus acerbos edere. Sicque nodis nervorum resolutis, omnique poplitum contractione relaxata, unius horæ fermè spatio, viribus exhausta, jacuit quasi mortua. Sed qui contulit absolutionis opem, roboris addidit quoque vigorem: moxque ceu de gravi evigilans somno, ubi supernum sibi sentit obvenisse beneficium, pigneris almi petit loculum, cujus gratiâ sibi contigisse non hæsitabat remedium. Dehinc gratias hîc agens, ibidemque degere gratifica decernens

A. FLODOARDO.

cernens & precibus crebris insistens, debitas Medicatori suo celebrat excubias, ac salutaris quotidie libaminis offert oblationes.

Ab Heriveo refertur ad ecclesiam suam, quo tempore sanatur contractus,

17 Fuit autem Remis in præfata Dei Genitricis ecclesia corpus illud sacratissimum beatissimi patroni nostri Remigii, dum præmemoratus antistes domnus Fulco præsulatûs fungitur officio; scilicet usque ad episcopatum venerabilis Herivei *i* archiepiscopi, qui, cessante Nordmannorum persecutione, per solam Dei clementiam pace recuperata *k*, munus idem supernum propria sepulturæ ipsius referre decrevit intra mœnia *l*. Quod dum, convocatis quibusdam regni proceribus *m* agere maturaret, accumulare Dominus ejus non distulit clarificationem, suorum repetentis ossium sedem. Contigit enim, dum magnâ populi confluentis stiparetur catervâ, postquam sunt urbem egressi, quidam claudus & ariditate nervorum poplitumque contractus, Abraham nomine, qui scabellulis hærens per terram se tantummodò trahebat, ut poterat; ubi secus urbem veniens iter ad Sancti basilicam inchoâsset intendere, divinâ tactus potentiâ, compagum duritiâ resolutâ, cœpit ad salutis extendi remedia.

quem auctor multis annis post vidit incolumem.

B

18 Quem, sospitate recepta, pluribus vidimus annis incolumem, erectum gradientem, collataque sibi prosperitate gaudentem. In eo verò loco, ubi hoc salutis accidit donum, posita deinceps extat columna, cruce præfixa, glorificationis hujus continens monimenta *n*. Sed & tam priùs creberrimè, quàm postea, clarissimis sæpe multiplicibusque miraculis ejus sepulchri decoratur ecclesia, quæ nequaquam litteris habentur comprehensa; sunt namque multimoda.

n

ANNOTATA.

a *Quia in præmisso Opusculo translatio per Fulconem facta non perducitur usque ad finem in apographo nostro, Flodoardus verò, cui istud præluxit, tam hanc, quàm posteriorem, ab Heriveo, Fulconis successore, institutam, integras dedit, necesse erit aliqua ex jam dictis repetere.*

b *Qua de causa muris tunc destituta esset Remorum civitas, dixi suprà in Annotatis ad lit.* d.

C

c *Pro hisce omnibus consule Annotata ad præmissum Opusculum Rotfridi vel anonymi ubi etiam alia, quæ inobservata hîc præteribo, illustrata reperies.*

d *Hactenus relata habemus in eodem Opusculo, ex cujus fortè integriori exemplari etiam sequentia hausit Flodoardus.*

e *Per* terga soli *designatur* terra.

f Castricium *etiam memoratur in quodam instrumento inter edita à Pithœo è bibliotheca sua tom.* 2, *pag.* 378; & comes Castricensis *in Chronico Flodoardi. Plura de eodem pago non reperi, nisi quòd Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum ad vocem* Castrensis pagus *observet, hunc ab aliquibus credi etiam* Castricium *&* Castricensem *dictum esse, situmque prope Mosomagensem; sed nunc tam* Castrensis, *quàm* Castricensis *pagi nomen exoleviſse, illumque confusum cum Reitestensi, sive Retelensi, vulgo* le Reteloi, *qui Campaniæ Septemtrionalis pars est.*

g Trecassinus, *aliàs etiam* Tricassinus *pagus in Campania est, cujus caput est urbs* Trecæ, *Gallicè* Troyes.

h *Nimirum cœnobitæ San-Remigiani, in quorum ecclesia, tunc extra urbem Remensem sita,* D *ejusdem sancti Francorum Apostoli venerabile corpus semper quieverat, antequam ab Hincmaro Sparnacum deferretur, & ad quam, cessante tandem Normannorum metu, ab Heriveo archipræsule postea reductum fuisse, mox videbimus.*

i *Fulconi, viro optimè de ecclesia suâ regnoque merito, fœdè trucidato, suffectus est Heriveus, aliàs Hervæus dictus, teste eodem Flodoardo lib.* 4, *cap.* 10 *&* 11. *Eadem illam Galliæ Christianæ continuatores tom* 9, *col.* 47 *ad annum* 900, *diem* 17 *Junii; consecrationem autem Herivei ad diem* 6 *Julii ejusdem anni reposuerunt.*

k *Hæc intellige non de inita cum Normannis pace, sed de tranquillitate, quâ Campania, cessantibus tunc ibidem eorumdem irruptionibus metuque, fruebatur.*

l *Id est, ad vetus sepulcrum suum in dicata nomini suo ecclesia, quæ tamen extra urbis mœnia sita erat.*

m *Idem auctor eadem narrans lib.* 4, *cap.* 12 *in laudato Heriveo, scribit, etiam Carolum Franciæ regem, nempe cognomento* Simplicem, *& Richardum principem seu ducem Burgundiæ, ibidem tunc adfuisse, aliaque nonnulla adjicit, quæ videri possunt in Commentario prævio data num.* 316 *& sequentibus.* E

n *Hanc inscriptionem suo tempore, ac fortè etiam nunc, exstantem recitavit Marlotus tom.* 1 *Historiæ Remensis lib.* 4, *cap.* 6, *ex eoque ego recensui in Commentario prævio num.* 318, *ubi ex eadem simul ac ex Flodoardo probavi, eamdem translationem die* 29 *Decembris anno quidem Incarnationis Domini, qui à die* 25 *Martii ordiatur,* 901, *sed secundum nostrum annos nunc à Kalendis Januarii numerandi modum, anno* 900 *contigisse.*

DEDICATIO ECCLESIÆ ET TRANSLATIO CORPORIS S. REMIGII

Facta à S. Leone IX Papa, Auctore Anselmo monacho Remensi synchrono, ex Mabillonii Actis Sanctorum Sæc. VI *parte* I. F

PROLOGUS

Auctor ab abbate suo jussus scribere, hoc Opusculum a

DIlectis in Christo fratribus sub B. Remigii tutela Deo militantibus subsequentis auctor *a* Opusculi magnam incircumscriptæ dulcedinis multitudinem, quam timentibus se repromisit Deus. Cùm vita nostra super terram tentatio sit, quia vetustatis deprimitur pondere, ad novitatis gaudium suspendi debemus in caritatis celsitudine, quam Deus commendavit in nobis in Unigeniti Filii sui humilitate. Quapropter ex imperio Domini abbatis Herimari *b* seriem dedicationis hujus sanctissimi Patris ecclesiæ *b*

A siæ silentio non patiar obliterari : sed quoniam à beatæ recordationis Papa nono Leone, Deo auctore facta est, eo magis dignam litteris tradam pro modulo ingenioli mei. Unde in primis paucis prælibabo. quorum industriâ constructa fuerit anterior ecclesia, & ex cujus causa jam præ vetustate ruinam minitantis hæc, quæ nunc, Deo propitiante, subsistit, sumpsitque exordia.

fratribus suis modestè commendat.

2 Additur etiam, ut, quia ex hujus dedicationis occasione à ministris diaboli multa excitata sunt scandala, & postea ex synodo, ab eodem Papa ibidem celebrata, multa provenerunt utilia. Deinde in fine hujus Opusculi subjungam, quæ per pretiosum Francorum patronum Remigium aut visu aut auditu didici post ipsam dedicationem facta miracula. Vos autem, fratres, quos sinceræ devotionis fervor unanimiter in domo habitare facit divina *c*, ... hoc quantulumcumque obsequium fraternâ excipite benevolentiâ; nec in eis tantùm venusti cultique sermonis gratiam considerabitis: unde non vos pigeat hoc aliquando legere; quia, licèt aurea & argentea vasa in domo Dei vestri habeatis plurima, ex quibus hauritis grandiloquia & dulcissima sancti Spiritus pocula; tamen interdum hæc, quamvis de fictili vase, vos recreare poterit aqua.

c

B

ANNOTATA.

a *Auctor hic est Anselmus, Remigiani monasterii Remis monachus, rerum gestarum oculatus testis, qui Itinerarium S. Leonis IX summi pontificis, à Mabillonio aliisque typis vulgatum, conscripsit; ex quo Itinerario hæc excerpsimus. Adi Commentarium prævium num.* 322.

b *Herimarus, de quo hîc, infrà sæpe recurret; is ipse enim est, qui cœptam* S. Remigii *novam basilicam perfecit, & à S. Leone IX Romano Pontifice consecrari obtinuit.*

c *Hæc lacuna etiam est in editione Mabilloniana; phrasis tamen perfecta est.*

CAPUT I.

C *Nova S. Remigii basilica ab abbatibus Airardo & Theodorico cœpta, perficitur ab Herimaro: S. Bruno episcopus Tullensis, designatus summus Pontifex, spondet, sese illam dedicaturum, cujus rei gratiâ deinde Româ in Galliam revertitur.*

Ecclesiam ab Hincmaro archiepiscopo olim ædificatam

BAsilica igitur glorioſi confeſſoris Chriſti Remigii corpore inſignita, quæ uſque adhæc moderna perduravit tempora, Remenſium quondam archiepiſcoporum ſtudio inchoata, & à venerabilis memoriæ Hincmaro, eorum ſucceſſore, conſummata, anno Incarnati Verbi octingenteſimo quinquageſimo ſecundo ab ipſo eſt dedicata *a*. Quæ quidem non adeò operoſi æ-

a

dificii ſolidata eſt munitione, quoniam barbaræ nationes per id temporis hanc infeſtantes provinciam, frequenti incurſione præfatos præſules ab hujuſmodi præpediebant intentione; unde intra centum quinquaginta & duos annos tantâ eſt attrita vetuſtate, ut jam ad caſum propinquans, reparationem ſui videretur exigere. Anno verò Dominicæ Incarnationis milleſimo quinto, poſt reparationem autem monaſticæ religionis, per Hugonem pſeudo-epiſcopum inibi factam, ſexageſimo ſecundo *b*, ab Arnulfo archipræſule eidem loco ordinatus eſt Airardus abbas, poſt Hincmarum, præcipuæ bonitatis virum & in cœnobiali * ſtrenuum, ordine ſextus *c*.

A. Anselmo.

b

* *adde* inſtituto

c

Airardus abbas reſtaurans moritur: interea S. Remigius

2 Qui Airardus cùm ſagaci intenderet animo, plures Dominici gregis paſtores ſua ætate per Gallias enituiſſe, qui eccleſias ſuas ex vetuſtate in potiorem ſtatum ſtuduerant reformare, deliberavit & ipſe operam adhibere in ejus, quæ ſibi commiſſa erat, renovatione. Quapropter viris, qui architecturæ periti ferebantur, aſcitis, futuri templi fabricam ex quadris lapidibus erigere cœpit à fundamentis, multo quidem operoſiorem illis, quam * prænotatum eſt in Gallico regno renovatas, & ambitioſiorem; ideóque ſibi & illius ævi hominibus inconſummabilem. Nam ubi per viginti & octo ferè annos *d* paſtorale officium adminiſtravit, ſenio confectus, cœptoque operi finem non imponens, vitâ deceſſit. Hujus ergò tempore ad B. Remigii tumulum divina virtus ſe plurimis declaravit miraculis, quorum duo quædam, quæ ego puer conſpexi, huic narrationi ingerere operæ pretium duxi. Debet enim dilectio veſtra veniam dare, ſi præter ea, quæ promiſit Prologus, aliqua interferam, quæ tamen ſi ſciatis, non ſit inutile.

* *lege* quas

E

d

claret miraculis, inter quæ duos contractos

e

3 In villa S. Dionyſii martyris, quæ dicitur Curtis-ſuperior *e*, erat quidam mendicus occulto Dei judicio tantæ calamitatis infortunio preſſus, ut pedes illi ambulandi ſubſidium denegarent, & calcanei ejus retrò inflexi natibus quaſi naturaliter inhærerent. Unde, ſicut aliis contractis mos eſt, non valens ſeſe per terram ſcabellis ad mendicandum trahere, vehiculo quodam per ſancta loca, tam petendæ ſtipis quàm recuperandæ ſalutis gratiâ, à ſuo circumducebatur fratre. Qua de re factum eſt, ut etiam ad

F

ſæpe memorandi protectoris noſtri Remigii baſilicam deduceretur, & in hora, quâ ſacra Miſſarum ſollemnia celebrabantur, ante ſanctum altare ab eodem germano ſuo deportaretur. Cúmque jam à miniſtris illud incorruptum perciperetur Epulum, ab illo miſerationum indefi-cienti fonte ſalutis manavit donum. Calcanei à poſterioribus, quibus impacti erant, in momento cœperunt avelli, eiſque ad congruum divino nutu redeuntibus ordinem, ad indicium miraculi inde effluxerunt ſanguinum rivi: quæ Dei magnalia fratres, qui aderant, conſiderantes, ſignis pulſatis, operatrici Majeſtati devotas concinunt laudes.

in eadem eccleſia ſuo tempore ſubitò ſanatos auctor memorat.

4 Accreſcit devotioni devotio, & Omnipotentis virtus dilecti ſui Remigii, merita reciproco declarat miraculo. Poſtquam enim ſuper pedes paullatim firmatos idem conſtitit pauper, ecce ſcabellulis trahens ſeſe contractus adveniebat alter, qui, comperta Dominici operis novitate ſuper invalido, ingreſſus eſt properanter, ut & ipſe mereretur perfrui recuperatæ ſanitatis emolumento. Nec diutius caſſa ſpes properan-

A. ANSELMO.

tis exſtitit ; ſed antequam ad Sancti perveniat ſepulcrum, optata ſalus adfuit ; nervi ſub genibus, qui jam dudum retracti dirigi nequierant, extenduntur, officio pedum diu inſueto, qui acclinis advenerat, ſe ſuperna gratia erigente, nititur, & ante ſacros illius artus, per cujus interventum ſibi ſalus proveniebat, gratias acturus ingreditur. Hæc videns fratrum conventus, divinas ingeminat laudes, &, qui in vicino poſiti ea audiunt, ad tam jocundum ſpectaculum confluunt alacres. Duos inopes paullò antè corruptionis humanæ miſeriâ, licèt diſpari, compeditos, illic expeditos aſpiciunt ; indeque Deum in Sanctis ſuis mirabilem collaudantes, ad ſua læti redeunt. Eorum autem unus, qui majori exemtus erat infortunio, Interceſſoris ſui amore agglutinatus præcipuo, uſque ad mortem in monaſterii obſequiis perſeveravit ; alter verò piſtoribus ſolatium aliquanto tempore exhibens, tandem diſceſſit.

Theodoricus abbas Airardi ſucceſſor reſtaurationem eccleſiæ f

5 His igitur omiſſis, ut ad propoſitæ narrationis ſeriem redeamus, abbâti Airardo, ut præfatum eſt, vitâ exemto ſucceſſit Theodoricus, à Widone *f* Remenſi archiepiſcopo ibidem ordinatus. Qui cùm plurima eccleſiaſticæ utilitati profutura decerneret diſponere, deliberavit reparationi eccleſiæ ſuæ, quam ſuus prædeceſſor inceperat, manum perfectionis imponere. Verùm, quia grave nimis & inexplebile ſibi illud erat incœptum, deliberatio quoque ſua, ſi id intenderet implerè, videbatur non habitura effectum. Quocirca eorum, qui inter ſibi commiſſos prudentiores habebantur, & ſeniorum Remenſis provinciæ conſilio uſus, difficulter aggreſſus eſt inchoatum diruere opus : quo pænè diruto, & fundamentis quibuſdam relictis, quæ architectis viſa ſunt neceſſaria fore futuris ædificiis, divinam domum cœpit faciliori quidem ſtructura, ſed non indecentiore, conſtruere, ut aſpectum adhibentibus facile eſt cernere. Quâ incœptâ feliciter anno quinto ſuæ ordinationis, accenſi ſunt plures Catholici viri fervore divinæ religionis, ut pro facinorum ſuorum abolitione parentumque ſuorum, quorum corpora ibi humata erant, requie, pro poſſe ad id opus condigna ſubſidia ſtuderent ſuppeditare.

B

aliter promovet ; cui interim mortuo

6 Nonnulli etiam de eccleſiaſtica familia ſuum auxilium promtâ impenderunt benevolentiâ, ſuiſque plauſtris & bobus tantis incœptis competentia advexerunt onera ; ſicque fundamentis, in quibus locis non erant, locatis, & columnis ex diruto priori ædificio competenter diſpoſitis, arcus ſuper eas diligenter voluti conſurgere, & baſilicæ fabrica inter manus artificum cœpit clareſcere. Tunc jam veſtibulorum parietibus undique erectis, & interioris templi faſtigiis altiùs elevatis, vetuſta eccleſia ab Hincmaro archiepiſcopo, ut dictum eſt, antiquitus dedicata, eſt everſa funditus, & vilis interim tecti coopertoriolum fabricatum ſuper chorum fratrum, ubi abſque inquietudine ventorum & pluviarum divinis poſſent vacare laudibus. Supra ſepulcrum verò B. Remigii crypta conſtructa eſt, licèt parva, ideóque toto * corpori ſuo incongrua, pulcrè tamen columnis & arcubus fulta. Præfatus namque abbas aſſiduus hortator aſſiſtens, conabatur ſummopere, quatinus idem opus ad ſummam perfectionis conſurgeret ſuæ vitæ tempore, maximoque æſtuabat deſiderio, ut Papa Romano, ſi quo modo valeret, in Gallias evocato, illud conſecrari faceret Apoſtolica benedictione. Quod licèt ex affectu piæ voluntatis proceſſerit, divina tamen diſpoſitio hoc differens, ejus ſucceſſori peragendum reſervavit. Nam morte immatura præventus diem clauſit extremum, mœroris maximi ſe diligentibus relinquens infortunium, expletis in regimine monaſterii annis undecim & menſibus octo *g* ; qui cùm deducta à proavis polleret generoſitate, morum etiam vigebat eximia nobilitate, ſibi reverentiam exhibentibus ſe præcipua humilians lenitate, ſubditos ſuos, & maximè ſanctæ religionis amatores, devota excolens devotione, quibuſque magnis & minimis affabilis ; ideóque quàm plurimis Francorum proceribus amabilis, honorem eccleſiæ ſibi creditæ pro poſſe exaltavit & exaltare voluit.

C

* toti

D

g

ſuffectus Herimarus, eamdem perficit, & à S. Brunone

7 Sed quoniam occaſio mortis interveniens effectum piæ voluntatis abſtulit, ejuſdem loci præpoſitum, Herimarum *h* nomine, adhuc vivens * ſibi ſucceſſorem delegit : ipſum quippe, quod habuerat in deſiderio, credidit, adimpleturum ſtrenuè, qui ſibi adjutor & cooperator exſtiterat ante omnes in præfati operis exſecutione, maximaque ſuppeditârat ſubſidia ex reditu villarum, ſuæ commiſſarum providentiæ. Hic ergò loco defuncti patris ſubrogatus fratrum pœnè omnium unanimi ſententia, ordinatu memorati Widonis Remorum archipræſulis, non diu paſſus eſt, interruptum pendere memorabile cœptum ſui anteceſſoris ; ſed primò quidem dexteram baſilicæ crucem, maxima ex parte jam inchoatam, & ſiniſtram, nihil adhuc præter fundamenta habentem, cum cocleis *i*, quibus ad ſuperiora eſſet aſcenſus, fecit ædificari. Cryptam autem, quæ ſuper B. Remigii ſepulcrum conſtructa fuerat, quia, ut ſuperiùs relatum eſt, quæ parvitate ſui alterius operis incongrua videbatur, dirui, & aliam eminentiorem fecit reſtitui. Deinde trabibus de ſaltu juxta Orbacis monaſterium *k* ſito advectis, faſtigia ejuſdem conſequuntur templi, ſicque decentiſſima domus tota apparuit in partibus ſuis.

h

* *Marlot* juvenem

E

i

k

epiſcopo Tullenſi, ad ſummum Pontificatum per imperatorem deſignato,

8 Quapropter idem abbas Herimarus cum quibuſque ſapientibus Remenſis provinciæ prudenti cœpit tractare conſilio, quatinus eamdem Apoſtolica faciens * conſecrari benedictione, ut ſcilicet prædeceſſoris ſui devoto ſatisfaceret deſiderio ; cui ut facultas non deeſſet optata peragendi, oportunitatem temporis obtulit dignatio divinæ diſpoſitionis. Defuncto ſiquidem Papa Damaſo, qui in civitate Brixenorum, quæ eſt in provincia Hyſtriæ, fuerat epiſcopus, & in Apoſtolica ſede inthronizatus, triginta ſolummodò ibi vixerat diebus *l* ; Romani, legatione de ejus obitu ad imperatorem Henricum *m* directa, petierunt, ut Eccleſiæ Paſtore viduatæ ab eo ſubrogaretur alius. Qui ſuper hoc negotio epiſcoporum & optimatum imperii ſui quærens conſilium invenit, inter ceteros domnum Brunonem *n*, Tullenſem præſulem, ad idem officium ſubeundum eſſe idoneum ; utpote qui ætatis maturitate, morumque & ſcientiæ claritudine videbatur conſpicuus, ſibique ſanguinis affinitate proximus. Unde Apoſtolicæ dignitatis ei adjudicata ſunt inſignia, juſſuſque ab auguſto, ut ad hæc ſecundùm eccleſiaſticas ſanctiones ſuſcipienda Romana inviſeret mœnia ; ſed quia ſollemnia imminebant Nativitatis Dominicæ, hæc cum clero, cujus fuerat paſtor, diſpoſuit celebrare, eiſque celebratis, quò erat præceptum, abire.

* faceret

F

l

m

n

9 Hujus itaque Pontificis notitiam in colloquio, à præfato imperatore & Francorum rege *o* de

o

petit, ut, ſi in Galliam redeat, eccleſiam conſeeret; quod hic pollicitus,

de pacis & amicitiæ confirmandæ gratia non ante multum tempus habito, memoratus abbas Herimarus fuerat conſecutus, à quo etiam promiſſum acceperat, quòd in proximo Quadrageſimali jejunio B. Remigii ſepulcrum abſque equi ſolatio foret expetiturus; quia cùm eorumdem regum aliquando familiaria ab invicem perferens mandata, per contiguam regionem tranſierit, ipſius Sancti locum orationis gratiâ inviſere neglexerit. Quod idem abbas ſagaciter recolens animo, ſua dirigens ſcripta, illi ſuggerit, ut, quoniam pro delegato ſibi Apoſtolici primatus officio Romam ire diſponit, ſi quando ad cognatos fines certo Eccleſiæ revocetur emolumento, non fiat irrita Francorum Apoſtolo ab eo facta promiſſio. Mittit verò in munere vas ad bibendum idoneum, intùs & exteriùs auro decentiſſimè decoratum, inſinuans ei de ipſius Sancti eccleſia dedicanda ſuum cum petitione deſiderium. Ad hæc idem epiſcopus benignè refert, quia, etſi alia nulla ſe revocet Eccleſiæ utilitas, vel pro ſolo amore S. Remigii reverſurum ad Gallias, & ejus baſilicam dedicaturum, ſi divina annuerit benignitas.

B *Romam adit & ordinatur Pontifex: inde Gallias repetit,*

10 Celebratis ergò in ſede civitatis Leuchorum *p* duobus Dominicæ Nativitatis diebus, in tertio, clero ſuo valefaciens, iter capere Romam ducens aggreditur. Quò perveniens cum favore totius populi honorabiliter accipitur, Apoſtolicæque dignitatis infulis inſignitur in Hypapanti Domini, in Cathedra B. Petri inthronizatur, & Leo Papa Romano more nuncupatur *q*... Aliquanto autem temporis interlabente curriculo; Gallicum reviſere ſolum, tam B. Remigio facta promiſſio, quàm orthodoxæ fidei, in illis partibus adeò tepefactæ, perſuadet intentio. Unde à Romanis expetitâ licentiâ, per quaſdam Latii urbes iter agens, in eis multa diſponit eccleſiaſticæ honeſtati congrua, tandemque adit imperatorem Henricum in regione commorantem Saxonica *r*. Interea memoratus abbas, deſiderii ſui compotem ſe futurum, ex ipſius Papæ certus pollicitatione, regi Francorum *ſ*, Laudunum venienti, occurrit in Pentecoſtes ſollemnitate, ejuſque conſilium & favorem expetit de præfato templo Apoſtolica conſecrando benedictione, monens & poſtulans, ut his agendis ſuam præſentiam exhibeat, & epiſcopos regnique ſui principes ſecum intereſſe faciat. Cui idem rex ad præſens * mente benigna annuit, ſeque, niſi alicujus impedimenti interceſſerit caſus, tantæ feſtivitati affuturum, aſſerit.

p

q

r

ſ

C * *al.* preces

eccleſiam S. Remigii Remis dedicaturus & habiturus ſynodum,

11 Ex quo promiſſo abbas lætificatus revertitur, indeque Papæ Coloniam-Agrippinam cum imperatore advenienti in Apoſtolorum Petri & Pauli natalitio fit obvius, à quo adventus ſui ad Remenſe ſolum, gerendarumque ibi rerum tempus & ordinem inveſtigat diligentiùs. Ille verò ſibi notificans pandit, quomodò priùs deliberâſſet, ut octava die ab ipſius Sancti feſtivitate, quæ in Kalendis Octobris habetur celeberrima, illò veniret, & ipſius monaſterium dedicans, poſtea ibidem ex epiſcopis Galliæ congregatam ſynodum celebraret. Quâ ſententiâ mutatâ, ad eumdem locum in ſollemnitate S. Michaëlis archangeli *t* ſe venturum, & in eccleſia B. Mariæ Remis Miſſarum ſacra in eadem die memorat celebraturum; feſtum verò glorioſi patris Remigii, pretioſi corporis ejus elevationi, & ſubſequentem baſilicæ conſecrationi, ceteros deinde tres ſynodi deputat celebrationi.

t

12 Quibus auditis, ad ſuum cœnobium re-

diit abbas, ſuaque ſcripta per Franciam eique contiguas direxit provincias, invitans ſanctæ Eccleſiæ fideles, ut ad tanti gaudii participationem concurrant mente promtiſſima, tam pro amore & veneratione ejuſdem Patroni, quàm ut benedictione muniri mererentur Apoſtolica. Ceterùm Papa Coloniâ digreſſus, Tullum in Exaltatione Dominicæ Crucis *u* venit, indeque circumjacentium regionum epiſcopis & abbatibus litteris ſuæ auctoritatis mandari præcepit, ut in præfixa die ſibi occurrerent ad ſynodum celebrandam in baſilica præfati Francorum Apoſtoli; ut, per quem orthodoxæ fidei initiati ſunt rudimentis, in ejus præſentia conſequerentur reparationem tepefactæ in ſe divinæ religionis. Hujuſmodi mandatis gratulatur pia fidelium devotio, præparans ſe ſtudiosè ad implendum, quod ex Apoſtolicæ dignitatis ſibi promulgatur edicto.

A. ANSELMO. *ad quam epiſcopos & abbates convocat.*

u

Quidam ſibi malè conſcii conantur regi Galliæ perſuadere,

13 Venenatus autem ſerpens, qui ab exordio mundi ad humani generis inhiat præcipitium, tam ſalutari propoſito commenti ſui nititur opponere obſtaculum. Ad complendam enim perfidiæ ſuæ voluntatem quoſdam potentes laïcos excitat, qui inceſtis conjugiis operam dando, & aliorum criminum nefariis uſibus ſe implicando violatores erant honeſtatis eccleſiaſticæ; ideóque verebantur reatuum ſuorum latebras in lucem prodere. Sed & nonnullos epiſcopos & abbates illis adjungit, qui in ovile Dominicum aliunde, non per oſtium, irruperant, & in eccleſiis ſuis Catholicorum Patrum ſanctionibus contraria quædam pullulare permiſerant, quæ conditæ ſynodi examinatione reſecanda manifeſtari metuebant. Ut enim ſcriptum eſt: " Omnis, qui malè agit, odit lucem "; & ideò peccatis ſuis magìs magísque occultationis adhibet obnubilationem. Tantæ itaque perverſitatis viri, incentoris ſui callida ſuggeſtione inſtructi, regi Francorum ſuggerunt, regni ſui decus adnihilari, ſi in eo Romani Pontificis auctoritatem dominari permitteret; vel ſi eidem, ut decreverat, occurrens, præſentiæ ſuæ favorem ad cogendum concilium exhiberet. Addunt etiam, quòd nullus anteceſſorum ejus id reperiatur aliquando conceſſiſſe, ut ob ſimilem cauſam in Franciæ urbes ingreſſus pateret alicui Papæ *x*: his verò agendis pacis & tranquillitatis congrua ſunt tempora, regni autem ejus ſtatus ſit in perturbatione non modica, quibuſdam viris potentibus dominationis ejus jugum detrectantibus, terraſque & caſtella quælibet ab ipſius ditione abalienantibus.

E

x

F

ut utrumque impediat; ſed Pontifex cœptis inſiſtit,

14 Quapropter regiæ dignitati ferunt congruere, utilitati reipublicæ ſuâ ſapientiâ conſulere, potiùs, quàm ſynodis intendere; principes ſuos & totius exercitus ſui potentiam commovere in rebelles; ipſos etiam epiſcopos & abbates, penes quos maxima pars facultatum regni eſt, cenſent, immunes hujus expeditionis eſſe non debere. Ante alios abbatem S. Remigii; quem, quaſi de rerum ſuarum abundantia præſumentem, pro vanæ gloriæ amore ad monaſterium ſuum conſecrandum, calumniabantur, Romanæ urbis Pontificem evocâſſe. Hac igitur verſipelli perſuaſione rex emollitus & ab honeſto propoſito ad ſeductionis devia flexus, Papæ per Silvanectenſem mandat epiſcopum *y*, ſe ſuoſque pontifices cum abbatibus cogi ad comprimendam pervicaciam ſibi reſiſtentium, ideóque non poſſe occurrere ei in præfixo termino ad peragendum concilium. Unde adventum ſuum in Franciam in aliud tempus differat, quo, abſolutis

y

A. ANSELMO. hujuſmodi negotiis, eum debito cum honore ſuſcipiat. Ad hæc Papa remandat, promiſſionem beato factam Remigio nequire ſe irritam facere, ſed ad baſilicam ejus dedicandam procul dubio venturum, ubi, ſi qui divinæ religionis amatores convenerint, cum eis ſynodi rationem habiturum.

& S. Remigii abbas, obtentâ à rege licentiâ omnia ad eam rem parat.

15 Cujus mandati ad regem relatione perlata, ipſe tamen iter in rebelles aggreditur, coacta in unum ingenti exercitus ſui militia. Sed & epiſcopis & pleriſque abbatibus contra voluntatem ſuam illò euntibus, illis etiam perverſis eccleſiarum rectoribus ad id negotium ultrò ſe ingerentibus, qui ut ſummi Paſtoris vicarium, actus eorum examinare venientem, poſſent effugere, eamdem expeditionem exitiali techna elaboraverant ſtruere. Adducitur cum eis & memoratus abbas S. Remigii, mœſtus admodùm & gemens, quaſi non eſſet viſurus effectum deſiderii ſui. Sed divinæ conſolationis ejus mœrori non defuit potentia: vix enim unius diei & dimidii itinere confecto, indulta eſt ei redeundi licentia. Qui reverſus celerrimè, Romanum Antiſtitem, adhuc Tulli remorantem expetit, eumque pro regiis mandatis jam diu conceptum propoſitum non permutâſſe cognoſcens, gratulabundus ad monaſterium rediit, inſtanter præparare ſatagens, quæ tanti Patris confluentiumque filiorum ſanctæ Eccleſiæ forent neceſſaria conventui. Jam quippe dierum propè erat terminus, qui ſupradictæ diſpoſitionis completioni fuerat attributus.

ANNOTATA.

a *Vide dicta in Vita per Hincmarum num.* 133.

b *Hiſtoriam Hugonis, quem pater ſuus Heribertus comes, nondum expleti quinquennii puerum, poſt Seulfi mortem archiepiſcopum Remenſem eligi & à ſummo Pontifice confirmari curavit; & adverſus quem alii Artoldum vel Artaldum ordinaverunt, pluribus exponit Flodoardus lib.* 4, *& Galliæ Chriſtianæ continuatores tom.* 9, *col.* 51 *& ſequentibus. Quod huc ſpectat, Hugo ille apud ſcriptores poſtremò laudatos col.* 226 *dicitur abbatiâ Remigianâ, quam velut archiepiſcopus tenebat, ceſſiſſe anno* 945, *advocatoque, ut diſciplinam monaſticam in ea reſtitueret, Erchembaldo abbate Floriacenſi, Hincmarum II eidem præfeciſſe abbatem. De anno tamen vide dicenda ad litteram ſequentem.*

B

C

c *De Arnulfo conſuli poteſt Gallia Chriſtiana à col.* 59; *de Airardo col.* 227 *& ſequenti, ubi hic in ſerie abbatum recenſetur loco vigeſimo ſecundo; Hincmarus autem II loco decimo ſeptimo. Verùm nunc calculos pauliſper examinemus. Anſelmus ab anno Chriſti* 852, *quo Hincmarus archiepiſcopus eccleſiam Remigianam dedicavit, uſque ad annum* 1005 *numerat annos* 152, *quot revera anni completi inter utrumque terminum intercedere debuerunt. Idem auctor ait, præcitatum annum Chriſti* 1005 *fuiſſe ſexageſimum ſecundum poſt reſtitutionem diſciplinæ monaſticæ per Hugonem archiepiſcopum. Subtrahamus ergò annos* 62 *ab eodem anno Chriſti* 1005, *ſupererit annus Chriſti* 943, *cui prædicta reſtitutio innectenda erit. Quapropter neſcio, quanta auctoritatis ſit codex ille Remigianus, ex quo Mabillonius tom.* 3 *Annalium pag.* 455 *eamdem reſtitutionem anno* 945 *illigavit. Conſule laudatam Galliam Chriſtianam col.* 228, *ubi etiam aliæ ejuſmodi difficultates circa annos abbatum infrà nominandorum obſervantur.* D

d *Conſonat Airardi epitaphium, quod apud Marlotum tom.* 1, *pag.* 351 *ſic habet:*

Octonis, quoque bis denis, hic rexit ovile.

Porrò ſi annos 28 *etiam completos addamus anno Chriſti* 1005, *tantummodò perveniemus ad annum* 1033: *nihilominus tam Marlotus ibidem, quàm Mabillonius tom.* 4 *Annal. pag.* 408, *ejuſdem Airardi obitum ad annum* 1036 *retulerunt. Adi laudatam Galliam Chriſtianam.*

e *Mabillonius hîc in margine annotavit, hanc villam Gallicè dici* Conſevreu. *Eccleſia autem S. Dionyſii martyris, ad quam illa pertinebat, videtur fuiſſe ea, qua hodieque Remis floret ejuſdem nominis abbatia Ordinis S. Auguſtini.*

f Wido, *aliàs* Guido I, *è familia Caſtellionea, vulgo* de Chaſtillon, *in Opere ſæpe laudato dicitur epiſcopatum iniiſſe anno* 1033.

g *Ex epitaphio illius apud Marlotum tom.* 1, *pag.* 351 *obiit poſt* undenos annos *regiminis die* 6 *Octobris. Marlotus adjecit annum* 1048, *initium prælaturæ illius ducens ab anno* 1037. *Vide tamen dicta ſuperiùs ad lit.* d *de anno emortuali Airardi, ejuſdem Theodorici deceſſoris.* E

h *Herimarus in epitaphio ſuo apud Marlotum pag.* 352 *ſcribitur abbatiam Remigianam rexiſſe*

Mille, trecentenis decurſibus hebdomadarum
Appoſitis ſeptem.

Præfuit ergò annis viginti quinque, ut rectè notavit Marlotus ibidem; qui cùm inſuper dicat, eumdem anno 1071 *die* 7 *Septembris mortuum eſſe; præfecturæ ipſius initium repetendum erit ab anno* 1046, *dicenduſque erit Theodoricus (ſi hic verè obierit anno* 1048) *biennio vixiſſe, poſtquam prælaturam ſuam in gratiam Herimari abdicaverat, vel eumdem ſibi collegam ſucceſſoremve conſtituerat.*

i *Id eſt,* ſcalis; *nam, ut habet Iſidorus lib.* 15 *Orig. cap.* 2: Cochleæ ſunt altæ & rotundæ turres, & dictæ COCHLEÆ, quaſi CYCLEÆ, quòd in eis tamquam per circulum orbemque conſcendatur.

k *De hoc monaſterio dixi aliqua in Commentario prævio num.* 312.

l *Damaſus II, antea Brixinenſis ſeu Sabionenſis epiſcopus, Poppo dictus, Clementi II in Pontificatum ſucceſſit anno* 1048, *eodemque anno obiit, dies tantùm viginti tres, non triginta, ut Anſelmus hîc aſſerit, ſedis ſuæ numerans, nimirum à die* 17 *Julii, quo conſecratus fuit, uſque ad* 8 *Auguſti, quo mortuus eſt. Porrò Brixinum, quod hîc dicitur eſſe* in provincia Hyſtriæ, *ſive* Iſtriæ, *Rhætiæ civitas eſt in comitatu Tiroli, quapropter exponendus hîc eſt Anſelmus de provincia eccleſiaſtica, latiorique modo accepta.* F

m *Id eſt hujus nominis III.*

n *S. Leonis IX ante Pontificatum epiſcopi Tullenſis, nomine Brunonis, geſta data ſunt in Opere noſtro ad diem* 19 *Aprilis. Deſignatus autem ille Pontifex ab Henrico imperatore fuit anno* 1048 *in comitiis Wormacienſibus.*

o *Erat is Henricus I.*

p *Id eſt,* Tulli, *Gallicè* Toul, *quòd Leucorum civitas eſt, & cui ipſe præerat epiſcopus.*

q *S. Bruno Romæ electus quidem à clero populoque eſt Pontifex in Hypapante Domini, ſive die* 2 *Februarii anni* 1049, *ſed primùm inthronizatus die* 12 *ejuſdem menſis, prout videri poteſt apud nos loco mox citato. Apud Mabillonium*

ſequuntur

A *ſequuntur hîc pauca de primis geſtis ejus Romæ, quæ velut ad argumentum noſtrum nihil facientia hîc prætermiſi.*

r *De hoc itinere, quod eodem anno* 1049 *inſtituit, geſtiſque in eo, conſule, ſi lubet Henſchenium noſtrum in Commentario prævio § 2, Vitamque, auctore Wiberto ejus archidiacono, ibidem datam, lib.* 2, *cap.* 3.

ſ *Henrico I, ut mox dictum eſt.*

t *Id eſt, feſto Apparitionis Michaëlis archangeli in monte Gargano, quod celebratur die* 29 *Septembris.*

u *Memoria Exaltationis ſanctæ Crucis, quando ab imperatore Heraclio è Perſide recepta fuit, recolitur die* 14 *Septembris.*

x *Hoc à malevolis iſtis falsò allegari, notat Longuevallius noſter tom.* 7 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag.* 311.

y *Erat is Frollandus I, qui Remenſi ſynodo, à S. Leone tunc, ut infrà videbimus, habitæ interfuit. Eſt verò Silvanectum, vulgo* Senlis, *Galliæ civitas in provincia Inſulæ Franciæ, epiſcopalem ſedem habens, Remenſi metropolitæ ſuffraganeam.*

B

CAPUT II.

S. Leonis IX Papæ ſolemnis apud Remos adventus: S. Remigii corpus ab illo tranſlatum; dedicata eccleſia, aliaque geſta ibidem: ejuſdem erga S. Remigium devotio, etiam miraculo probata.

S. Leo ſolemniſſimè deducitur ad monaſterium S. Remigii, *a*

DEnique domnus Papa à Leuchorum urbe digreſſus, iter ad Remenſem ducens urbem arripuit, & in oportunis locis ſingulis quibuſque noctibus manſione accepta, in vigilia feſtivitatis S. Michaëlis ad Curmolenſem villam *a* venit; cui præfatus abbas ibidem obvius factus, quæcumque neceſſarius expetiit uſus, illi omnique comitatui ejus affluenter ſuppeditavit. Die verò ſequenti ad ſanctum pervenit Remigium, archiepiſcopis tribus comitatus, Trevirenſi videlicet, Lugdunenſi, Veſontionenſi *b*, aliiſque viris honorabilibus, inter quos erat Johannes epiſcopus Portuenſis, & Petrus Eccleſiæ Romanæ diaconus, & ipſius urbis præfectus. Hîc protinus conglobatur in unum tota fratrum congregatio, & cum eis * abbatum, monachorum, clericorum, qui jam ex multis confluxerant partibus innumeroſa * concio; ex quibus omnibus in atrio baſilicæ diſponitur decentiſſima proceſſio, epiſcopis tribus Silvanectenſi videlicet, Andegavenſi, Nivernenſi *c*, longè digeſtos ordines antecedentibus, textumque Evangelii cum aqua benedicta & aromatum odore ferentibus. Sic ergò diſpoſiti Papam advenientem ſuſcipiunt, cui eccleſiam introeunti Reſponſorium LÆTENTUR CÆLI cum digna modulatione concinunt, & dum ante altare ſanctæ Crucis orat, aliud Reſponſorium, SUMMÆ TRINITATI videlicet, concinentes finiunt.

C

b

* *al.* è cunctis

* *al.* numeroſa

c

17 Progreſſo autem eo uſque ad altare S. Chriſtophori, & ante venerandi Francorum Apoſtoli ſepulcrum orationem explente, iterum hymnum TE DEUM LAUDAMUS conſona vocum jubilant vociferatione. Qui tamen in ſede ſibi decenter apparata paullulùm reſidens, adſtantes lætificavit benedictione Apoſtolica; & exinde egreſſus, ab eiſdem pſallentium choris cum divinis laudibus deducitur uſque ad civitatis mœnia. Cui Remenſis clerus cum archiepiſcopo ſuo *d* aliiſque quibuſdam obviàm procedens epiſcopis, perſpicuæ proceſſionis numeroſos diſponit ordines in atrio S. Dionyſii martyris *e*, ubi ad tanti Pontificis ſuſceptionem competentia concinens cantica, uſque ad eccleſiam S. Mariæ illum comitatur cum maximæ jubilationis gloria. Illic verò ante ſanctæ Crucis, & ejuſdem Dei Genitricis altaria completa oratione, in archiepiſcopali aliquantulùm reſedit ſede, archipræſule Remenſi ad ejus dexteram, Trevirenſi autem reſidente ad ſiniſtram. Deinde miniſtris altaris præparatis, quibuſque pro officiorum congruentia, & ipſe ſacerdotalibus redimitus inſignibus proceſſit ad Miſſarum celebranda ſolemnia. Quibus expletis, & adſtante populo Apoſtolica benedictione munito, prædicto Remorum archiepiſcopo ſibi ſuiſque neceſſarios ſumtus ſuppeditante, refectionem percepit in majori palatio juxta eccleſiam ſito.

A. ANSELMO. *& poſt fuſas ibi preces ad baſilicam B. M. intra civitatem;*

d

e

E

18 Die autem ſubſequenti, metuens, ne præpediretur frequentiâ circumfluentium populorum, duobus tantùm comitatus capellanis, dum nocturnæ à fratribus explerentur vigiliæ, ad ſanctum remeavit Remigium, factoque ſibi balneo, lotus eſt & tonſus, utpote qui imminentem tanti Patris ſollemnitatem in craſtino celebraturus transferre diſponebat tam pretioſæ gemmæ venerabile pignus: & præparata ſibi quadam domo contigua eccleſiæ, illic ſecretum remorandi expetiit; quia metuebat ad publicum procedere. Ad ſepulcrum enim Sancti quaſi ex toto orbe excita tanta hominum confluebat numeroſitas, ut introeuntibus ſpatioſi templi vix ſufficeret capacitas. Advolabant enim tam ex vicinis, quàm ex longinquis regionibus promiſcui ſexus innumerabiles, effundebat aſpera Francia ad honorem glorioſi Apoſtoli ſui villanos *f*, opidanos & cives; ſed & Gallia pænè ex omnibus ſuis partibus huc tranſmittebat populorum millia *g*. Inter quos accelerabant epiſcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, generoſa agmina. Ignobilis nobili, aut inops cedere neſciebat diviti, ſed omnes una conglobatim concurrebant intentione devota, buſtoque cæleſtem margaritam continenti dulcia imprimentes oſcula, oblationum ſuarum quiſque pro poſſe offerebant donaria. Qui verò conſtipatorum violentiâ repulſi propiùs accedere non valebant, heu! quantùm gementes, ſe deſiderii ſui effectu privari, de longè projectis muneribus, quæ attulerant, quaſi lapidibus, Sancti ſepulcrum pia devotione obruebant.

poſtridie redit ad S. Remigium, innumerabili populi multitudine

f

g

F

19 Eſt autem ante fores ipſius baſilicæ quoddam ſpatioſum atrium, in quo, quotiens denſitatem ſui perpeti non poterat, frequentia tantorum ſe explicabat cœtuum, eò ducta aviditate cernendi ipſum B. Petri vicarium: poſt beati enim Remigii captatum ſuffragium ad hujus ſummopere inhiabat aſpectum; qui ut magnanimo deſiderantium ſatisfaceret effectui, eminentius ſolarium domûs, in qua remorabatur, petens, unde & adſtantes contueri, & ab eiſdem conſpici, & loquens poſſit audiri, Apoſtolica benedictione eos lætificavit, hiſque recedentibus, & aliis ſub-

concurrente ad ſolemnitatem & ſanctum Pontificem,

A. ANSELMO. * *al.* aliud

inde atque aliis illud * atrium catervatim replentibus, ter in eadem die ſuæ exhortationis monita impertiens ſalubria, liquidò patefecit, quæ vitanda, quæque ad ſalutem animarum ſuarum ſibi forent expetibilia. In eadem denique domo ſacra myſteria ſibi fecit celebrari, quia non dabatur uſpiam locus oportunus eccleſiam introeundi, nec ipſi fratres præ importunitate plebium ſolitum illic penſum divini valebant perſolvere Officii.

noctuque eum cereis extra eccleſiam excubante.

20 Adveniente interea nocte, nec tamen confluentium rareſcente, ſed magis magiſque crebreſcente copia, domnus Papa metuens, ne in ſacris vigiliis Deo famulantes importunitate plebis præpedirentur exſequi divinæ ſervitutis ſollemnia, tum etiam, ne ſibi pretioſi corporis ipſius Sancti transferendi, eccleſiæque dedicandæ inhiberetur copia, delegatis clericis ſuis ejuſdem loci memorato abbati ſpatioſitatem templi præcepit penitus evacuari, obſeratiſque diligenter foribus, omnibus intercludi facultatem introeundi. Præcepit etiam ex ſua parte hoc populo annunciari, ut ad horam ſecederent, & abſque ulla ſui impetus inquietudine ſollemnes
B illius noctis excubias cum digna devotione à Deo militantibus celebrari ſinerent; ſe procul dubio die ſubſequenti eorum deſideriis promittit ſatisfacturum & theſaurum deſiderabilem, quem quærebant, illorum conſpectibus expoſiturum; ſi verò mandatis detrectarent annuere, infecto negotio, propter quod adveniſſet, receſſurum fore. Quod cùm tandem maxima difficultate fuiſſet obtentum, pleraque tamen numeroſitas populorum, cum copioſis luminaribus deforis excubans, ejuſdem pollicitationis præſtolaretur effectum, cereorum ubertate, quaſi multiplici ſiderum ſplendore interiùs irradiatâ eccleſiâ, Deo ſervientium chori in canticis ſpiritualibus decentiſſimè illius noctis exegerunt ſpatia.

Tertia die Pontifex, excluſo adhuc populo, eccleſiam ingreſſus,

21 Manè autem facto, ſuſceptus eſt à domno Papa intra eccleſiam ſanctus martyr Cornelius *h*, quem cum aliis Sanctorum pigneribus Compendienſes clerici illò detulerant pro multis violentiis, quas eccleſia ſua patiebatur à quibuſdam malefactoribus. Circa horam deinde tertiam *i* redimitus idem Apoſtolicus infulis ſacerdotalibus ad glorioſi patris Remigii ſepulcrum procedit cum thymiamateriis *k* & crucibus, ſociatis ſibi archiepiſcopis quatuor, Remenſi videlicet, Treverenſi, Lugdunenſi, Veſontionenſi, cum quibuſdam aliis, ſed & ipſius loci abbate, domnoque Hugone *l* venerabili patre cœnobii Cluniacenſis, & illius Ordinis plurimis; cum quibus letaniâ *m* factâ, & ſuper ſanctum corpus non modicâ thymiamatum accensâ fragrantiâ, cecinit Reſponſorium DIRIGATUR ORATIO MEA; quo cum verſu expleto, feretrum Sancti, ut præparatis inſtrumentis aptatum ad ferendum redderetur habile, à ſuo loco paullulùm removit, & antiphonam CONFESSOR DOMINI REMIGI decantavit.

h
i
k
C
l
m

Sancti corpus ſuis humeris defert & exponit,

22 At ubi competenter, prout res exigebat, diſpoſitum fuit, ipſe ante alios cum præfatis archiepiſcopis & abbatibus, ſuppoſitis humeris, illud devotè lacrymans extulit & Reſponſorium ISTE EST DE SUBLIMIBUS inchoavit, cujus vocem ſubſequentes chori pſallentium ovantes erumpunt in jubilationis tripudium, præque alacritate cordis, ô quantorum ora manantium rigavit redundantia fletuum! quantorum mentes ad tanti Patris captanda ſuffragia ſunt compunctæ in ſuſpiria beatorum gemituum! Tradens autem domnus Papa eumdem pretioſum theſaurum ſe ultrò ingerentium votis, ab inquietudine turbarum feceſſit in oratorium ſanctæ Trinitatis, quod ad Meridianam plagam infra ambitum ipſius eccleſiæ decenter conſtructum erat Harduini *n* cujuſdam loci illius cœnobitæ ſtudio, continens Dominicum ſepulcrum, eleganter imaginatum inſtar illius Jeroſolymitani, in quo noſtra requievit ſalvatio. Hoc igitur Treverenſem archiepiſcopum in ſui præſentia eadem die conſecrare fecit ex conſenſu præfati Remorum archipræſulis, multorum ibi Sanctorum collatis reliquiis. D

n

quod, intromiſſo populo, fertur ad civitatem,

23 Denique monaſterii foribus patefactis, ubi illa cæleſtis gemma deſiderantium populorum eſt expoſita obtutibus, tum verò cerneres promiſcuum vulgus præ nimia exultatione manibus plaudere, innumeros in divinas laudes gratulabunda vociferatione erumpere, potentes, impotentes, nobiles, ignobiles, quemque pro ſuis viribus ſummopere niti, ut tam optata gaudia propiùs mereretur contingere. Magna fide, magno procul dubio remuneranda præmio, quæ ne tanti reddatur expers emolumenti, nec imminentis mortis revocatur periculo! Quidam enim præ nimia ſui deſiderii feſtinatione præcipites, dum inter conſtipatos cuneos corruunt, E non valentes conſurgere, ſuffocati & conculcati intereunt. Rapitur & jactatur potiùs, quàm portatur, pretioſi corporis theca, tot millium undique propellente frequentia, velut navis æquoreorum fluctuum hàc & illàc agitata violentiâ: nunc hi, nunc illi extorquendo ſibi felicia vindicant dona; & ut paucis multa concludantur, nec longis ambagibus legentium deficiat intentio, toto interſtitio, quod civitatem & caſtellum ipſius Sancti interjacet, tam jocunda agitatur contentio.

ubi in baſilica B. M. V. eo die nocteque honoratum
o

24 Adeſt Remenſis clerus cum civium multitudine, Apoſtolum ſuum ad propriæ urbis mœnia elaborat evehere, quem vix ab hujuſcemodi impetus denſitate avulſum ſanctæ Dei Genitricis infert eccleſiæ *o*, ut, cui vivens in corpore dignis laboribus vitæ præſentis multa comparaverat commoda, Catholicæque religionis competentia addiderat inſignia, huic vel unius noctis morulâ exſultationem ſimul & ſanctificationem ſuorum offium exhiberet præſentiâ. Collocato ergò eo ſuper ſanctæ Crucis altare, archiepiſcopus Veſontionenſis ad altare B. Mariæ procedens, Miſſarum ſollemnia cum eodem clero de ipſius glorioſi Patris celebravit feſtivitate. His autem expletis, dum concurrentium devotio magis & magis agglomeratur, diei interea elapſo curriculo, nox ſubſequitur, cujus tamen caligine baſilicæ illius adyta nullo modo fiunt obſcura. Tot gratulabundi conventus ſuum quodammodò diem præferentia undique micant luminaria. Monachi ibidem circa Patronum ſuum lætis invigilant excubiis & matutinalem explent curſum cum duodecim Lectionibus & Reſponſoriis ſuis. F

poſtridie per urbis circuitum ſolemniſſimè defertur.

25 Poſt quos eaſdem vigilias ſollemniter peragendas canonici ſuſcipiunt, & cum novem Lectionibus matutinorum Officia conſummantes, uſque ad lucem protrahunt. Qui, facto manè, Primam, Tertiam, Miſſamque cum Sexta Hora ante ſolita decantantes tempora, venerabile corpus cum divinis laudibus efferunt à beatæ Dei Genitricis eccleſia. Quod in circuitu civitatis cum jocunditate deportantes, congruas ſtationes per præfixa faciunt ſpatia. Cúmque ad eum locum ventum eſſet, ubi quondam fuerat porta,

porta, antiquo PATENS nuncupata vocabulo, per quam idem Sanctus hoſtem humani generis, in eadem urbe viſibilibus ignium debacchantem exterminiis, adhuc in carne vivens, orationibus expulit *p*; illic eoſdem pretioſos artus deponunt, & ipſius miraculi memoriam digna devotione & canticis ſpiritualibus agunt. Ad cujus facti memoriale ibidem baſilica moderno eſt conſtructa tempore, quam quidam ſervus Dei, Conſtantius nomine, ſuis impenſis eleganter compoſuit *q*, & Dei famulos ad ejus obſequium, quot potuit, dum viveret, aggregavit, & in honore S. Mariæ Magdalenæ ſanctique Remigii conſecrari fecit.

Interim Pontifex, clauſis foribus, eccleſiam S. Remigii conſecrat,

26 Cùm igitur agitur illa circuitio extra civitatis mœnia, domnus Papa, convocatis epiſcopis intra dedicandi monaſterii abdita, ſingulis ſingula ad conſecrandum delegavit altaria; Remenſem verò archiepiſcopum ternam circuitionem, cum crucibus & Sanctorum reliquiis ſecundùm eccleſiaſticum ordinem, exteriùs conſtituit agere, ibique conſecrationis officium adimplere: ipſe verò cum ſibi neceſſariis remanens interiùs, divini tabernaculi ſanctificationem ſtrenuè diligenterque exſequitur. Poſtquam igitur eò deventum eſt, ubi ſecundùm orthodoxorum Patrum decreta pignora Sanctorum & ſacra quæque debent intra dedicatam eccleſiam recipi, præfati canonici, ut dictum eſt, deportato corpore B. Remigii per gyrum urbis & caſtelli, eique adjacentis municipii, pervenerunt cum eo uſque ad portas monaſterii, ubi tot millium excreverat frequentia, ut præ eorum denſitate eidem glorioſo Patri domum ſibi præparatam introëundi intercluderetur licentia. Ipſe namque Papa eaſdem januas vetuerat reſerari, ne impetus cum eodem Sancto irruentium & ſibi diſcrimini, & impedimento cœptæ dedicationis foret conſummationi. Quocirca aliquod diverticulum, quo valeat intromitti, perquiritur, tandemque vix à turbarum inquietudine abſtractus, per feneſtram, quæ eſt ſuper ſanctæ Trinitatis oratorium, demittitur.

ejuſque corpus per feneſtram intromiſſum in altari deponit;

27 Quem domnus Apoſtolicus cum maxima devotione & canticis ſpiritualibus receptum, non ad præſens in proprio loco repoſuit, ſed ſuper principale altare, quod in honore apoſtolorum Petri & Pauli, Clementiſque & Chriſtophori martyrum & B. Remigii conſecrârat, collocavit; & cujus rei gratiâ hoc facere decreverit, dignam memoriâ rationis ſententiam ſubintulit: videlicet ut evidens & conſpicuus omnibus appareret oculis in celebranda ſynodo, in qua ſi quis erroneus aliquid frivolum vel eccleſiaſticæ religioni adverſum adſerere præſumeret, erga hunc Vir Dei illius virtutis potentiam per ſui corporis præſentiam exhiberet, quam adhuc in mundo vivens erga Arianum hæreticum exhibuit, cui in conventu epiſcoporum Catholicæ fidei lucem nebuloſi dogmatis umbrâ obnubilare molienti, ad adventum ſuum divina virtute officium vocis extorſit: ſed paullò pòſt cum humili ſatisfactione reatum ſuum agnoſcentem, animæ corporiſque eumdem ſanitate donatum ad filios adoptionis tranſtulit *r*. Quæ perorantis Papæ intentio, ex ſuperno inſtinctu procedens, effectu nullo modo caruit, velut hoc Opuſculum ſuo loco declarabit *ſ*.

Miſſam celebrat, concionatur, annuum feſtum inſtituit,

28 Hac ergò de cauſa ſic locato B. Remigii corpore, univerſis * agminibus epiſcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, per choros decentiſſimè diſpoſitis, Miſſarum ſollemnia idem Pontifex ex Dedicationis celebravit feſtivitate; lectoque Evangelio, pulpitum conſcendens, exhortationis ſermonem fecit ad circumſtantem populum, qui plurimus, monaſterii (ut dictum eſt) foribus obſeratis, per feneſtras irrumpendo ſibi fecerat aditum. Ad quem multa ex ipſius templi ſanctificatione concionatus utilia, diem illam celebrem eſſe præcepit per Remenſis epiſcopii confinia, anathematis pœnâ damnans illos omnes, qui ad eumdem locum hujus ſollemnitatis gratiâ per ſingulos annos confluentibus, vel inde redeuntibus, alicujus impedimenti irrogarent incommoda. A. ANSELMO.

privilegium altari conſtituit, populum dimittit, ſynodum indicit.

29 Conſtituit etiam, ut ad altare, quod, ut præfatum eſt, in honore apoſtolorum Petri & Pauli, Clementis & Chriſtophori martyrum, glorioſique confeſſoris Remigii conſecraverat, non indiſcretè à quibuſque, ſicut hactenus, ſacroſancta myſteria agerentur; ſed ſecundùm morem Romanæ Eccleſiæ ſeptem tantummodò ſacerdotes, qui in illa Congregatione digniores haberentur, ad hoc officium deputarentur, ſoli Remenſi archiepiſcopo, ipſiuſque cœnobii abbati, ibidem Miſſas agendi poteſtate collata, & cui idem abbas daret licentiam, certè interdum rationis exigente gratia; necnon clero Remenſi bis in anno, feriâ ſcilicet ſecundâ Paſchalis feſti, & vigilia Aſcenſionis Dominicæ, quando ſollemnes illic ſtationes ex antiqua faciunt traditione. Hæc decreta ne aliquando irrita fierent antiquitate temporis, litteris mandari *t*, eaſque ſignari ſigillo ſuæ præcepit auctoritatis. Deinde memoratum populum ſecundùm inſtitutionis ejus verba publicam de peccatis ſuis confeſſionem agentem, abſolvit, explicitiſque divinis Officiis, Apoſtolica benedictione ſanctificans, illum dimiſit. Pontifices autem, cœnobiorumque rectores & ceteros ſacri Ordinis miniſtros, qui ibi aderant, ad eumdem locum craſtino juſſit reverti, ut cum illis haberet rationem, quam condixerat, ſynodi *u*....

S. Leo in Italiam reverſurus, omnibus valedicit,

30 Hujuſmodi ergò ordine beati patris Remigii devotus Romanæ Sedis Pontifex quartam celebravit tranſlationem *x*, & feliciter ſexto Nonas Octobris conſummavit divinæ domus ſanctificationem; quam etiam, ut declaratum eſt, trium dierum continuatione inſignivit celebratione ſynodi, milleſimo & quadrageſimo nono anno feliciſſimæ Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quapropter, ut deliberaverat, ex divina diſpoſitione compos effectus deſiderii ſui, die ſubſequenti poſt expletionem ſynodicam venit in capitulum * fratrum, ſeque eis innotuit ſuum velle accelerare reditum. Unde ſpiritualibus illos demulcens colloquiis, ſocietatem eorum & devotè petiit & accepit, ſuamque eis humiliter petentibus ipſe largitus eſt, & proſtratos ad publicam confeſſionem abſolvit, & ex ordine omnes deoſculatos Apoſtolica benedictione ſanctificavit.

& corpus S. Remigii ſuis humeris ad locum ſuum refert, inſignis ejuſdem amator.

31 Poſt hæc egreſſus, epiſcopos & abbates, ceteroſque eccleſiaſtici ordinis, qui nondum receſſerant, convocavit, & cum eis eccleſiam ingreſſus, Miſſarum ſollemnia celebrari fecit. Quibus expletis, ad Sancti ſepulcrum, quod, ut dictum eſt, ſuper altare S. Chriſtophori poſt baſilicæ dedicationem collocaverat, cum humili devotione acceſſit, ibique oratione completa, illud ſuppoſitis humeris devotè inde extulit, & in ſtatione ſibi decenter apparata cum divinis laudibus repoſuit: ubi iterum atque iterum cum lacrymis ſe proſternens, tandem in viam ſuam exiit, & uſque ad caſtelli aditum comitatus cum canticis ſpiritualibus à fratribus & innumeroſo * con-

A
p
q
B
r
ſ
C
t
u
x
E
F
* *Ms.* Capitolium
* *al.* numeroſis
* *al.* numeroſo

A. ANSELMO. conventu populi, omnibus valedicens receſſit. Recedens autem inde, ad ſui laboris recompenſationem retulit fructum magnæ mercedis, in arcano ſcilicet devoti pectoris ignem præcipuæ dilectionis, quo ab illo tempore erga eumdem glorioſum patrem Remigium magnopere dinoſcitur flagrâſſe; ut idem ipſe fatetur in quadam epiſtola, directa poſtmodùm epiſcopis Franciæ, quam ſuo loco in ſubſequentibus curabimus ponere *y*.

y

32 Ex qua gratia etiam alterius gratiæ adeptus eſt emolumentum, cùm ei divina virtus de quibuſdam, qui ei impedimentum advenienti in Gallias conati erant inferre, ultionem præſtitit, per ipſius Sancti, cui fuerat famulatus, meritum. Nam, ut multos prætermittamus, qui ei fuêre contrarii, Gibuinus *z* Laudunenſis epiſcopus & Hugo de Braina-caſtello *aa*, qui inter ejus derogatores quaſi ſigniferi exſtiterunt, eodem anno ignominioſa morte vitam finierunt. Ille enim, quia exitialem technam, ut Apoſtolicam devitaret præſentiam, regi ſuggeſſit, & hanc maxima parte cleri ſui devotè expetente, ipſe à ſua ſede longè aufugit; nec Dominici Corporis viatico à malitia ſua ſanctificatus, nec ab eodem clero ſuo conſolatione viſitationis in extremis refocillatus, divino judicio extra fines epiſcopii ſui ſolus obiit, quaſi peregrinus. Alter verò, quia caput Miniſtri Chriſti ſe abſciſſurum, fuerat minitatus, ore ſacrilego, quo impia verba protulerat, hoſtilis gladii abſciſione eſt mutilatus.

Qui S. Leoni hîc adverſati fuerant, divinitus puniuntur.

z

aa

B

33 Dignum eſt ad poſterorum memoriam aliud miraculum ſupradictis addere, quod divina potentia in manibus hujus Pontificis operata eſt ex ea, quâ erga Patronum noſtrum flagrabat devotione. Anno enim ſecundo poſt expletionem eorum, quæ præmiſſa ſunt, cùm Romæ moraretur, caſu accidente per pincernæ incuriam, vas illud fractum eſt, quod ſibi datum eſſe à præfato abbate Herimaro, in primordiis hujus Opuſculi memoratum eſt *bb*. Quod ubi pro certo agnovit, aliquantùm graviter tulit: licèt enim multa haberet pluris pretii, præ ceteris tamen illud diligebat, quia in initio Apoſtolatus ſui ex parte S. Remigii ſibi miſſum aſſerebat; ideóque ad bibendum ſupra cetera, quæ erant in obſequio ejus, illi delectabilius eſſe ſolebat. Dum ergò cum ſpiritualibus quibuſdam viris, qui ei præſentes erant, placido, ut ſemper erat, vultu de eodem damno conquereretur, & aurifex peritus reficiendi hujuſmodi fracturam ab eo perquiri præciperetur; quidam eorum alludentes, ſeria & alacri reſponſione dixerunt, quòd Sanctus hic, in cujus illud tantopere amplectebatur devotione, tanti eſſet apud Deum meriti, ut ei idem vas integrum ſua reformaret interceſſione. At ille, nihil ſe indè diffidere, cum ſpirituali jocunditate reſpondens, ejuſque virtutes multiplici ſermone exaggerans, vas fractum ſibi deferri præcepit.

Cyathus eidem Pontifici ab abbate S. Remigii donatus,

bb

C

34 Quo delato, avulſam inde particulam ſuo loco repoſuit, & quaſi aurifici ad reficiendum reſervaretur, ſignum tamen Crucis, ut fertur, ei cautè imprimens, recondi juſſit. Quod in craſtino, velut causâ reficiendi, coràm delatum, ita operatione divina integrum eſt inventum, ut nullum in eo fracturæ poſſet reperiri veſtigium. Hoc itaque videns venerabilis Papa, Dei omnipotentiam collaudavit, & hujus miraculi novitatem meritis B. Remigii adſcripſit, per cujus interventum fidei ejus efficacia id obtinere meruit. Ne autem ex hac relatione arguamur mendacii, ideóque frivolum habeatur hujus ſcripti memoriale, proferimus tres idoneos teſtes, quorum judicio * id nobis poſtmodùm contigit agnoſcere: Hugonem videlicet Nivernenſem epiſcopum, & Hugonem Remenſis eccleſiæ diaconum, & quemdam clericum, Aylenardi quondam Lugdunenſis archiepiſcopi capellanum, nomine Benedictum: quorum duo primi concilio ab eodem Papa, ut moris illi erat, quintodecimo die poſt Dominicam Reſurrectionem Romæ habito interfuerunt; &, quod retulimus, ab his, qui præſentes viderunt, id verè factum eſſe, didicerunt; tertius verò cum domino ſuo præſens interfuit; &, quod videndo comperit, nobis poſt aliquot annos ſciſcitantibus indicavit *cc*.

poſtea caſu fractus, mirabiliter integer inventus.

D

* *al.* indicio

cc

35 Vir denique venerabilis ſæpe dictum Apoſtolum noſtrum eo magis ferventi excolens dilectione, eumque ſummoperè deſiderans honorare & illius monaſterium ſua auctoritate nobilitare, epiſtolam ejus laude refertam direxit ſanctæ Eccleſiæ filiis in Francia conſtitutis, quâ decrevit, apud eos haberi celebrem ipſius Sancti feſtivitatem, quæ recolitur Kalendas Octobris. Plurima etiam ad eccleſiaſticam utilitatem pertinentia, quæ in præfata ſynodo, in ejus baſilica habita, tractaverat, juſſit apud eos capitulatim digeri, & inter orthodoxos canones numerari; cujus Epiſtolæ textum, quia ordo narrationis videtur exigere, huic Operi dignum judicavimus inſerere *dd*.

Idem S. Leo annuum Sancti feſtum in Gallia indicit.

E

dd

ANNOTATA.

a *Vicum eſſe Gallicè dictum* Courmeloy, *notat hîc Mabillonius.*

b *Trevirenſis archiepiſcopus erat tunc Eberhardus, Lugdunenſis Helinardus, Veſontionenſis Hugo I.*

c *Andegavo, vulgò* Angers, *Galliæ civitati tunc præerat epiſcopus Euſebius Bruno; Nivernо, vernaculè* Nevers, *item in Gallia, Joannes d'Eſtampes. De Silvanectenſi vide Annotata ad cap. 1 lit. y.*

d *Guidone, ut dictum eſt ſuprà ad lit. f.*

e *Notat hîc Mabillonius ex Flodoardi lib. 2, cap. 15, ibi fuiſſe ſepulturam canonicorum Remenſium, additque, Gervaſium archiepiſcopum Remenſem eamdem baſilicam, poſitis in ea canonicis Regularibus S. Auguſtini, anno 1067 erexiſſe in abbatiam, quæ hactenus perſeverat.*

F

f *Id eſt, ex villis & vicis.*

g *Exteras nationes addit Anſelmus in Vita ejuſdem S. Leonis Papæ, ſic inquiens:* Non eſt dictu facile, quanta multitudo à finibus terræ, Hiſpanorum, Britannorum, Francorum *, Anglorum, advenerit, ejus inviſere præſentiam. In qua frequentia adfuit etiam non modicus cœtus pontificum. *Plura vide in hoc meo Commentario prævio num.* 326.

* *al.* Scottorum

h *Eſt hic S. Cornelius Papa martyr, qui colitur die* 14 *Septembris, ubi geſta ejus illuſtravi, & de hac ipſa ſacri ejuſdem corporis è Compendienſi monaſterio ad Remigianam baſilicam tranſlatione memini § 13.*

i *Eccleſiaſticam intellige, quæ vulgari noſtræ nonæ matutinæ correſpondet.*

k *Id eſt,* turibulis.

l *S. Hugo abbas Cluniacenſis colitur die* 29 *Aprilis, in cujus Vitis ibidem apud nos datis tom.* 3 *ejuſdem menſis, pag.* 652, *num.* 25, *& pag.* 656 *num.* 4 *de hac ipſius Remis præſentia agitur.*

m Lętania *vel* Litania *hîc, ut ſæpe alias ſur-*

A *ſurpatur pro ſupplicatione, ſeu ſupplicibus precibus ibidem fuſis.*

n *Mabillonius hîc ait, hunc floruiſſe ſub Ludovico Pio imperatore, lectoremque remittit ad Flodoardi lib.* 2, *cap.* 19, *& Marlotum tom.* 1, *lib.* 3, *cap.* 2. *Verùm utroque loco agitur de* Raduino, *non de* Harduino. *Ne verò hîc in textu apud Mabillonium* Harduinus *pro* Raduino *per errorem irrepſiſſe videatur, facit, quòd etiam Cardinalis Baronius tom.* XI *Annalium ad annum Chriſti* 1049 *in vetuſto ſuo Remenſi apographo Anſelmi* Harduinum *legerit.*

o *Eſt hæc, ut jam aliàs dixi, eccleſia Cathedralis Remenſis, in qua* S. Remigius *longo annorum ſpatio vivens ſederat epiſcopus.*

p *Lege Vitam ab Hincmaro ſcriptam num.* 34 *& ſequenti.*

q *Vide, quæ de hac eccleſia pluribus dixi in Commentario prævio à num.* 252.

r *Adi Vitam, auctore Hincmaro, num.* 101 *& ſequenti.*

ſ *Res contigit ibidem in ſynodo die ſecundo, dum ſcilicet Hugo archiepiſcopus Veſontionenſis Hugonem Lingonenſem antiſtitem, graviter accuſatum, non rectè defendere conatus, obmutuit. Adi Commentarium prævium num.* 330 *& ſequenti, ubi hæc recenſui, hîc prætermiſſurus, quia ad ſynodum propriè pertinent.*

t *Hanc S. Leonis Bullam in Commentario prævio à num.* 333 *dedi ex recenſione Mabillonii, qui ſequentem annotationem ibidem adjecit.* Porrò idem Pontifex ſimile privilegium conceſſit altari majoris eccleſiæ Colonienſis, ubi ſeptem illi presbyteri appellantur CARDINALES; quod & à Remigianis noſtris obſervatur. Hæc autem rerum diſpoſitio, à Pontifice ordinata, hodieque in baſilica Remigiana ſervatur religiosè. *De Colonienſi eccleſia id etiam teſtatur Wibertus ipſius S. Leonis archidiaconus apud nos in Vita cap.* 3, *num.* 12 *ſic ſcribens:* Suſcipiturque à totius gentis nobiliſſimo atque reverendiſſimo archiepiſcopo Herimanno apud Coloniam; cujus petitu conceſſit domnus Papa hoc privilegium ſedi eccleſiæ Colonienſis, ut ad altare S. Petri ſeptem presbyteri cardinales quotidie divinum celebrarent officium in ſandaliis.

u *Hîc ſubditur ſynodus ſequenti triduo à ſancto Pontifice in Remigiana eccleſia, & coram* S. Remigii *corpore publicè expoſito celebrata, quam velut argumento, quod tacto, extraneam, hîc præſcidi. Legi ea poteſt apud Mabillonium ibidem & apud Labbeum tom.* 9 *Conciliorum à col.* 1036. *Tandem poſtquam dixerat Anſelmus, S. Leonem tertio die ſynodum ſolviſſe, progreditur verbis, quæ ſubjicio.*

x *Cùm hanc tranſlationem tantummodo* quartam *dicat, ſolemniores dumtaxat intelligit; nam alioquin ſeptima eſſet. Prima contigit eodem, quo* S. Remigius *obiit ſeculo, quando, ampliatâ eccleſiâ, corpus ejus in decentiorem cryptam tranſlatum fuiſſe dicitur in Vita prolixiori num.* 120. *Secunda facta eſt ab Hincmaro anno* 852, *quæ in eadem Vita legitur num.* 133 *& ſequenti. Tertiam & quartam expoſui in Commentario prævio num.* 308 *& ſequentibus, dum ſcilicet Sancti corpus ab eodem Hincmaro Sparnacum, & poſt hujus mortem Orbacum, delatum fuit. Quintam inſtituit Fulco, Hincmari ſucceſſor, qui illud Orbaco Remos in eccleſiam cathedralem advexit; ac ſextam denique Heriveus, qui priſtinæ ſuæ eccleſiæ ſolemniter reſtituit. Adi eumdem Commentarium num.* 313 *& ſequentibus.*

y *Epiſtolam illam dedi in Commentario prævio num.* 337 *& ſequenti.* A. ANSELMO.

z *Gebuinus etiam ſcribitur tom.* 9 *Galliæ Chriſtianæ col.* 523, *iſque videtur unus fuiſſe ex illis,* qui, *ut Anſelmus præmiſit,* in ovile Dominicum aliunde, non per oſtium irruperant, & in eccleſiis ſuis Catholicorum patrum ſanctionibus contraria quædam pullulare permiſerant, quæ condictæ ſynodi examinatione reſecanda manifeſtari metuebant.

aa *Quapropter hic laicus ſibi malè metuerit ab adventu ſancti Pontificis, palàm fit ex eodem Anſelmo, quo teſte, hic in eadem ſynodo Remenſi* excommunicavit etiam ... Hugonem de Braina, quia legitimam uxorem dimiſerat, & aliam ſibi in matrimonio ſociaverat.

bb *Nimirum ſuprà num.* 9.

cc *Idem reſtituti ſcyphi miraculum, ſed cum adjunctis paulò variantibus narrat Wibertus ejuſdem S. Leonis archidiaconus in Vita illius in Opere noſtro data tom.* 2 *Aprilis, pag.* 660, *num.* 16, *ubi Hugonem Chryſopolitanum, id eſt, Veſontionenſem archiepiſcopum, teſtem oculatum ſic laudat:* Hujus rei adeſt teſtis congruus, venerandus Hugo jam dictus, Chryſopoleos archiepiſcopus, qui cum lacrymis ſe præſentem adfuiſſe teſtatur, & devoto furto ſe illud vas ſancto viro abſtuliſſe, lætatur. *Henſchenius in Annotatis ibidem pro eodem facto laudat etiam B. Deſiderium abbatem Caſinenſem, qui poſtea Pontifex factus, Victor III dictus eſt, & S. Brunonem epiſcopum Signinum. Quod ad materiam calicis attinet, Anſelmus num.* 9 *laudatus tantùm ait, illum* intùs & exteriùs auro decentiſſimè decoratum *fuiſſe; Wibertus,* ſcyphum pretioſi marmoris, *ſuſpicante Henſchenio pro* marmoris *fortè legendum* materiæ; *denique B. Deſiderius,* poculum lignarium; *S. Bruno* ſcyphum ligneum *appellant.*

dd *Vide Epiſtolam hanc in Commentario prævio datam à num.* 337.

APPENDIX

De aliquot miraculis.

Sanctus tertiò apparens archiepiſcopo Moguntino

IN Commentario prævio num. 27 *monui, in inſigni noſtro codice, ex quo Hincmarianam* S. Remigii *Vitam edidi, duo capitula extra locum ſuum ejuſdem Sancti elogio, per Hincmarum pariter compoſito, inſerta legi, quæ tamen hujus auctoris eſſe non poſſunt, ideóque ad Appendicem rejicienda mihi viſa ſunt. Primum caput hunc titulum præfert:* Qualiter archiepiſcopum Magontiæ verberavit, & res ſuas recuperavit. *Flodoardus, ex quo iſta narratio accepta eſt, lib.* 1, *cap.* 20 *ſic habet:* Noſtris olim diebus quidam Warnerius, pagi Vormacenſis comes, res S. Remigii præmiſſas, in Voſago ſitas invadens, hominibus ſuis diſtribuerat. Veniens autem B. Remigius ad Herigarium Moguntiæ præſulem, in ſomnis ei viſus eſt præcipiens, ut iret ad Conradum regem, commonens eum jubere ſibi ſubjectis, quatinus dimitterent terram ſuæ ditionis. Qui conſurgens à ſomno, licèt miratus de viſione, regi tamen omiſit indicare. Rurſus poſt aliquot dies apparens ei S. Remigius, redarguit eum, quare mandata non adimplêſſet illius, admo-

Ex editis.

monens iterum, ne differat, quin regi jussa denuntiet.

jubet, ut apud Conradum regem curet res suas restitui,

2 Item, ceu priùs, ille visum reputans inane, neglexit perficere jussionem. Tertiò hunc jam cum flagello Sanctus adiens, ipsius increpavit contumaciam, quemque per brachium comprehendens, lecto visus est extraxisse. Sicque flagello, quod tenebat, eum verberans, acriter cæsum dimisit & humiliatum. Non ampliùs enim jam temnere jussa præsumens, regem mox adit, secretum petit, vestem deponit, lividum corpus ostendit, & dicta vel acta fideliter ex ordine pandit. Accidit autem, ut eadem die legatus domni nostri Herivei, nomine Tendoïnus, ab eodem seniore (*id est domino*) suo pro ipsis rebus repetendis ad regem cum muneribus deveniret, atque horam, quâ regi præsentari posset, extrà stans expectaret. Cúmque rem gestam rex admiratus requiri præcepisset, si quis illic inter suos fortè nostris è partibus inveniretur; ille pro hac eadem re foris sustinens reperitur adesse; regi nunciatur, eo jubente, coràm deducitur, & ei res, quæ propalata fuerat, aperitur.

B *quod tandem facit & impetrat.*

3 Ille gratias agens, pro rebus ipsis se missum retegit, res, rege reddente, recipit, & eodem favente, præfato pontifici Herigario tutandas ad fidelitatem S. Remigii committit. Posteaque domnus præsul Heriveus, dum advixit, ex iisdem rebus annuatim debitum sine contradictione censum recepit. *Eadem ac iisdem penè semper verbis in Ms. codice nostro, veluti Hincmari essent, leguntur, cautè tamen omisso Herivei archipræsulis nomine, qui cùm Hincmaro post Fulconem successerit, ista ab eodem Hincmaro scribi non potuisse, manifestum est. Hoc ipsum nihilominus patet ex Harigario aliàs Herigero & Conrado in eodem codice etiam nominatis, quorum hic Germaniæ regnum, ille archiepiscopatum Moguntinum non nisi seculo* x *obtinuerunt: & Conradus quidem primùm ab anno* 912 *usque ad* 919, *intra quod annorum spatium ista contigisse debuerunt, vivente Flodoardo, ex quo eadem descripsi.*

Alter injustus hujusmodi rerum possessor

4 *Multis etiam annis seriùs accidit, quod in eodem codice nostro tamquam ab Hincmaro traditum ibidem sequitur, sed ex Flodoardo denuò acceptum est, ex quo propterea ego hîc describo.* Easdem res domnus Artaldus episcopus dudum Conrado duci commiserat; quas ille Ragenbaldo cuidam suorum delegaverat. Qui Ragenbaldus earundem rerum colonos valdè affligebat. Ipsi verò pro afflictione sua sæpe ad S. Remigium clamabant, Remis venientes, & ipsius Patroni sui patrocinia requirentes. Pro qua re nuper anno præterito cum rege Ottone & præfato duce locuti sumus, quando Aquis ad eundem regem missi fuimus. Sed ut idem Ragenbaldus ab ipsarum rerum direptione desisteret, impetrare nequivimus. Unde contigit horno (*id est*, hoc anno) ut, dum quodam sabbato eosdem colonos ad opus quoddam peragendum congregatos haberet, præciperetque presbytero, ne signa vespertinalia usque prope noctem pulsaret, operique implendo insisteret, percuteretur percussore invisо.

vexatorque, divinitus percussus exspirat:

5 Qui dum requireret, quis eum percussisset, omnesque, se vidisse, negarent, furiis exagitatus sensum amisit, graviterque vexatus spiritum exhalavit. Quo comperto, dux Conradus nimiùm territus, ad S. Remigium venit, eique res ipsas reddidit, quas præmissus præsul Artaldus Hincmaro abbati ac cæteris monachis ad supplementum victûs attribuit. *Hactenus Flodoardus. Porrò personæ hîc nominatæ ad seculum* x *pertinent, nimirum Otto sui nominis primus, qui anno* 936 *Henrico Aucupi in Germaniæ regnum successit, ac deinde anno* 962 *Romæ coronatus imperator est. Conradus autem fuit Lotharingiæ dux, qui anno* 952 *pro eodem Ottone militavit in Italia, cum eoque adversùs Hungaros fortiter pugnans occisus est anno* 955. *Eodem tempore archiepiscopatum Remensem tenebat Artaldus, & Remigiano monasterio abbas præerat Hincmarus II, cui ejusque monachis ille tom.* 9 *Galliæ Christianæ col.* 55 *&* 226 *dicitur anno* 952 *reddidisse* abbatiam quamdam nomine Cossam in Vosago positam, *quo nomine possessionem* S. Remigii, *de qua Flodoardus hîc loquitur, indicari, certum videtur, quia tam Flodoardus in eadem Historia, quàm Hincmarus in Vita num.* 88 *tradunt*, S. Remigium *magnam partem silvæ in Vosago pretio comparâsse, adesque necessarias, quarum una* Cossa *vocabatur, constituisse.* D

circa quæ pauca observantur. E

6 *Ut verò lector intelligat, quid sibi velit Flodoardus, dum ait, Ragenbaldum cùm quodam Sabbato*, S. Remigii *colonos operari cogeret, vetuisse presbytero, ne vespertinalia signa solito tempore pulsaret, observandum est, eum fuisse in variis regionibus morem, ut ex reverentia diei Dominicæ Sabbato post solis occasum à servili opere vacarent. Exemplum habes apud S. Gregorium Turonensem lib.* 3 *de Miraculis S. Martini cap.* 31, *ubi de quadam muliere paralytica dicitur:* Cui hæc fuit causa, ut ista perferret; quia die Sabbati post solis occasum, qui nocti Dominicæ adjacebat, panem voluit conformare. *Aliud exemplum habes ibidem cap.* 56. *Igitur Ragenbaldus, quo diutius operas detineret, prohibuit presbytero loci, ne eo die cessationem ab opere pulsu aeris Campani consueto tempore indiceret, sed differret penè usque in noctem. Porrò in sæpe dicto codice nostro Ragenbaldus tantùm & Conradus dux nominantur, omissis rege Ottone, Artaldo præsule & Hincmaro abbate, ex quorum duobus primis manifestiùs patebat, narrationem istam Hincmari archiepiscopi esse non posse.*

Item alter ecclesiæ S. Remigii violator

7 *In eodem codice nostro sequitur ibidem & aliud sub hoc titulo:* Quòd sensum & vitam perdidit, qui in ejus ecclesia vinum vendebat; *quod similiter certè Hincmari non est, sed Flodoardi, cujus verbis ex eodem cap.* 20 *illud accipe.* In Vulfiniaco Rivo, pago Laudunensi, habetur oratorium in honore S. Remigii dedicatum: in quo dum Rodulfus rex Heribertum comitem persequeretur, qui episcopatum Remensem à rege sibi commendatum tenebat, homines ipsius villæ res suas propter hostiles incursus recondere studuerunt. At dum rex præfatus ad obsidendam Remensem venisset urbem, & in Culmissiaco metatus esset, exercitus ejus vicinas occupavit villas. Quidam verò illorum, qui in prænotata villa, scilicet Vulfiniaco Rivo, metatum habebant, vinum, quod in ecclesia timoris causâ reconditum fuerat, invadit; & quasi tabernam constituens in eadem ecclesia, paribus suis illud vendere cœpit. Hæc dum ageret, percussus morbo repentè sensum amisit, ore sibi ad aurem usque penè retorto; diuque cruciatus tormento vitam finivit. Quod cernentes cæteri, eidem loco sacro debitam deinceps exhibentes reverentiam, ab hujusmodi sese cohibuêre præsumptione.

dira morte pœnas luit.

8 *Rodulfus, aliàs Radulfus, de quo hîc, Richardi Burgundiæ ducis filius, adversùs Carolum Simplicem Francorum rex anno* 923 *creatus, consen-*

A *ſenſit, ut Hugo, Heriberti Veromanduorum comitis, cujus etiam operâ regnum obtinuerat, quinquennis filius, Remenſis epiſcopus fieret, ipſumque epiſcopatum eidem Heriberto interim regendum commiſit. Poſtea verò exorta inter illos ſimultate, Rodulfus civitatem Remenſem obſedit, cepitque, & Artaldum jam ſuprà laudatum Remenſibus præſulem ordinari fecit. Obſidionem hanc Flodoardus in Chronico anno Chriſti 931 illigavit. Ut autem hæc temporibus Hincmari archiepiſcopi poſteriora ſunt, ſic ſynchrona ſunt Flodoardo, qui ab eodem comite Heriberto eccleſiâ Colmiſiaci ſeu Culmiſſiaci, quam regebat, ſe injuſtè privatum, aliaque paſſum fuiſſe conqueritur lib. 3 Hiſtoriæ cap. 20 & 28. Hactenus de capitulis, quæ ex Flodoardo accepta nonnemo elogio* S. Remigii *Hincmariano ineptè inſeruit.*

Sævientepeſte, vicarii Remenſes litteris

9 *Coronidis loco addo litteras, quas vicarii eccleſiæ Remenſis tempore diræ penéque univerſalis peſtis anno* 1349 *ad epiſcopos reliquumque clerum provinciæ Remenſis encyclicas dedêre, quaſquè Marlotus tom.* 2 *Hiſtoriæ Remenſis lib.* 4, *cap.* 12 *excudit, ſic præfatus:* Deo quoque propitio, tot malis per Gallias ſævientibus, Remigii virtus mirabiliter effulſit in ferè innumeros variis

B morbis detentos & afflictos, quò ſe rebus pænè deſperatis verum tutelarem ac Franciæ Alexicacon eſſe comprobaret: quod vicarii generales Remenſis archiepiſcopatûs, non ſparſis vulgi rumoribus, ſed fideli teſtium narratione, ac debita, ut moris eſt, inquiſitione, ſufficienter cognitum poſteritati reliquerunt hac charta, quam ex tabulario depromſimus. "Vicarii reverendi in „Chriſto patris ac dom. dom. Johannis, Dei „gratiâ Remenſis archiepiſcopi, à ſuis civitate, „diœceſi & provincia Remenſi notoriè nunc ab„ſentis, omnibus & ſingulis reverendis in Chri„ſto patribus dictæ Remenſis provinciæ ſuffra„ganeis, ac eorum vicariis & officialibus, ab„batibus, præpoſitis, decanis, prioribus, pre„sbyteris, curatis, ceteriſque eccleſiarum re„ctoribus & perſonis eccleſiaſticis, ad quos præ„ſentes litteræ pervenerint, cum omni devotio„ne & debita reverentia ſalutem.„

per Remenſem provinciam datis docent, per S. Remigii patrocinium

10 "Vos, qui ſub humana religione fidei Ca„tholicæ militatis, jucunda mente ſuſcipite, „quod læti referimus, pſallite, & gratias agite „ſupplici corde ſummæ Trinitati, quòd beatus „Franciæ Apoſtolus, lucerna matutina, qui re„gem Francorum cum ſuis ſatellitibus perduxit „primus ad fidem Catholicam, dictumque re„gem, & plures in regno ejus ſucceſſores reges „ſancto chriſmate miſſo cælitus conſecravit, S. „Remigius, antequam natus, Ciliniæ matri diu „ſterili, ut Præcurſor Domini, ad parandam „illi plebem perfectam, per Montanum mona„chum divino oraculo ex nomine nuntiatus &c. „Hunc quoque beatum Franciæ Apoſtolum præ„elegit Dominus ac diademate ſuæ gloriæ excel„lentiſſimè decoravit, ipſumque inter homines „adhuc carne ſeptum miraculorum innumerabi„lium dono illuſtrans, nunc in cæleſti patria in„ter Sanctorum agmina non deſiit pervigil & in„tentus, ſollicitudinis & miraculorum operator „eminere, ut nomen Domini in dicto Sancto „ejus exaltetur laudibus populorum.

Ex EDITIS.

tum alios variis malis, tum plurimos ea lue liberatos;

11 „Nonnullis languidis reddidit ſanitatem, „ſurdis auditum, cœcis viſum, greſſum contra„ctis reſtituit, obſeſſis à dæmone libertatem, „vitam defunctis, & ab epidimiali clade jam „pridem communiter invaleſcente, ac etiam „modernis temporibus recurrentes ad eum cum „devotis orationibus incolumes præſervavit & „præſervat, & dicta infirmitate epidimiali his „temporibus nonnulli infecti, etiam quamplu„res in extremis laborantes & in mortis articu„lo conſtituti, mediantibus orationibus per me„rita dicti beatiſſimi Confeſſoris, à gibbis & bo„chiis (*peſtiferos carbunculos intelligo*) & ab a„cerbis febribus liberantur, & reſtituuntur pti„ſtinæ ſanitati. Noviſſimè mulier quædam, au„ditis S. Remigii miraculis, viſione privata, ad „dicti Sancti tumulum veniens, claritatem re„cuperavit; infantuli quoque à matrum uberi„bus mortui, ad ipſius ſepulcrum deportati, „vitam recuperantes, munus ſacri baptiſmatis, „divina favente gratia, receperunt &c.

E

ideóque ad ejuſdem opem invocandam hortantur.

12 „Vobis omnibus & ſingulis ſuper præmiſ„ſis diligenter informati, per tabelliones publi„cos, & aliàs competenter præmiſſa intiman„tes, vos & veſtrûm quemlibet exhortamur, „ut in ſermonibus & ad divina officia audien„da convenientibus clericis & laicis præmiſſa di„ligenter publicetis & publicari faciatis, taliter, „quòd Chriſti fideles ſciant & valeant in ſuis in„firmitatibus recurrere ad præfatum Interceſſo„rem, Medicum, Paſtorem & Patronum. In „cujus rei teſtimonium præſentibus litteris ſigil„lum curiæ, quo utimur in hac parte, duxi„mus apponendum. Datum per dom. Johannem „de Goinguelies Officialem, & magiſtrum Re„migium de Ambonayo canonicum Remenſem, „vicarios dicti reverendi patris anno Dom. M„CCCXLIX, Sabbato ante feſtum Nativitatis B. „Virginis.„

F

AUCTORE C. S.

DE S. VULGISO CONFESSORE, FORTE PRESBYTERO,

IN VICO TROISNES, IN PROVINCIA INSULÆ FRANCIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus Sancti martyrologis vix noti : corpus in Firmitate-Milonis : reliquiæ alibi : Vita Latina edenda : altera Gallica : ætas & presbyteratus.

FORTE SEC. VI. *Sanctus hic martyrologis parùm notus*

QUàm parùm notus hic Sanctus *ſit, vel hinc, lector, intelliges, quòd à duobus tantummodo martyrologis, iiſque Gallis annuntietur, atque inter hos nec de die cultûs ejuſdem obitûſve, nec de laurea quidem conveniat. Horum primus Andreas Sauſſayus illum cum titulo* martyris *ad diem* XXIV *Septembris in Martyrologio ſuo Gallicano annuntiavit his verbis :* Ipſo die, S. Vulgiſi martyris, qui Dei charitate plenus pro ejus veritate & juſtitia ſic certavit, ut occumbens felici agone palmam laureamque retulerit immarceſſibilem. Colitur præcipuè in oppido, cui nomen eſt de Firmitate Milonis, ubi pignora ejus ſacra pretioſa habentur. *Alter martyrologus eſt Claudius Caſtellanus, qui in Martyrologio Univerſali ad Kalendas Octobris eumdem velut* confeſſorem *Gallicè ſic paucis memoravit :* In Troênes apud Firmitatem Milonis S. Vulgiſus confeſſor. *In Opere noſtro ad præcitatum diem Septembris hac de cauſa ſolùm memoratus eſt inter Prætermiſſos dilatuſque ad Kalendas Octobris, ac promiſſum fore, ut hoc die ſimul examinaretur, an* Vulgiſus *ille diſtinctus eſſe videatur à S. Vulgiſo, epiſcopo & abbate Lobienſi, de quo Bollandus noſter Commentarium hiſtoricum ad diem* IV *Februarii dedit.*

C *antiquum cultum habet*

2 *Diverſos Sanctos eſſe, facilè conſtabit, poſtquam hodierni* Vulgiſi *cultum & qualiacumque Acta expoſuero. Quod ad lauream attinet, ſi quid de eodem Sancto exploratum habeatur, confeſſor fuiſſe dicendus eſt ; nec aſſequi potui, cur Sauſſayus illum* martyrem *appellaverit, niſi fortè quòd, cùm de illo nîl ſciret præter cultum ſacri corporis, hoc antiqui cujuſdam martyris potiùs, quàm confeſſoris, eſſe opinatus ſit. De martyrii ejuſdem tempore modoque Sauſſayum nihil ſciviſſe, ſatis indicat elogium, quod dedit, cuilibet martyri, quocumque tempore & ſub quovis tyranno paſſo facilè accommodandum. De martyrio illius nihil etiam nôrunt Firmitatis-Milonis incolæ, imò illud ab eis adverſus laudatum Sauſſayum expreſiè negatur in compendioſa Vita Gallica, eorumdem incolarum nomine epiſcopo Sueſſionenſi à P. Sconin dicata, de qua mox plura dicemus. Diem cultûs illius eſſe Kalendas Octobris conſtat ex eadem Vita, in qua ſic legitur :* Animam ſuam placidè reddidit in manus Creatoris ſui die 1 Octobris, quo ipſius feſtum colitur. *Denique locum obitûs, ſepulturæ & antiquioris cultus indicavit Caſtellanus, dum illum annuntiavit* in Troênes ; *Sauſſayus autem præcipuum ejuſdem cultus locum rectè dixit* Firmitatem-Milonis, *ubi Sancti corpus jam ab aliquot ſeculis honoratum fuit.*

E

3 *Eſt autem Firmitas-Milonis, Gallicè* la Ferté Milon, *urbs Galliæ in provincia Inſulæ Franciæ & in diœceſi Sueſſionenſi, ad Urcam fluvium, vulgo* l'Ourque *vocitatum, qui ipſam interfluit, ſitaque ferè media inter Sueſſiones ad Septemtrionem & Meldas ad Meridiem, teſte Baudrando in Lexico geographico. Ad hujus urbis caſtrum è prima ſepultura ſua antiquitus tranſlatum traditur* S. Vulgiſi *corpus, ibidemque in ſacello S. Sebaſtiani depoſitum & lipſanothecæ argenteæ incluſum. Fundatus quoque ibidem eſt prioratus nomine* S. Vulgiſi, *& canonicis Regularibus monaſterii Sueſſionenſis S. Joannis in Vineis traditus. Nicolaus Belfort, ejuſdem monaſterii religioſus canonicus, dictique prioratûs aliquando miniſter, in notitiis infrà laudandis ſeculo* XVI *decrepito ad propoſitum noſtrum annotavit ſequentia :* Memorata porrò caſtri prædicti eccleſia thecam divi Vulgiſi elegantiſſimam huc uſque ſervavit coram altari dependentem, quæ ſingulo quoque anno in feriis Paſchalibus magno cum honore & ſupplicatione publica deferri ſolet extra urbem ad capellam Dominæ noſtræ de Burgo appellatam, quam venerabiles patres Burgfontani Carthuſienſes poſſident.

in Firmitate-Milonis, ubi corpus ejus

F

4 *Vocem* huc uſque *non ultra initia regni Henrici IV Galliæ regis extende : nam ſub illo ob civilia bella eccleſiam iſtam ſeu ſacellum deſtructum fuiſſe, idem, qui tunc vivebat, Belfortius verbis, quæ ſubdo, deinde deploravit.* Denique *(inquit)* ut nihil eorum, quæ huc ſpectant, omittamus, nuperrimè, heu dolor, eccleſia illa ſolo adæquata eſt à militibus, qui caſtri prædicti obſidionem menſe Januario anni MDXCIV ſuſtinuêre ; à quibus corpus beati Viri in caſtri ipſius turre quadam, ut accepi, aliquamdiu ſervatum, poſtea ipſo caſtro à parte urbis diruto, in parochiali urbis eccleſia repoſitum eſt. Faxit Deus ; ut pro ſua dignitate condigno loco deinceps reponatur. *Conſentit ferè ſcriptor Vitæ Gallicæ poſt medium ſeculum* XVII *editæ, ex qua ſimul diſcimus, ſacrum* Vulgiſi *corpus in eadem Firmitatis-Milonis parochiali eccleſia digno in honore dein-*

honorificè ſervatur,

A *deinceps permanſiſſe. Hæc de primario cultûs ejus loco breviter dicta ſint, infrà partim latiùs examinanda.*

& Sueſſionibus in abbatia S. Joannis in Vineis, cultus item fuit

5 *Ratione prædicti prioratus monaſterio S. Joannis in Vineis apud Sueſſiones donati, etiam ad hoc monaſterium cultus* S. Vulgiſi *propagatus fuit, teſte ſcriptore Vitæ Gallicæ, in qua legitur :* Ab illo tempore Religioſi S. Joannis in Vineis in Breviario ſuo ſemper celebrârunt memoriam Sancti noſtri, eique inſeruerunt lectionem unam, quæ compendium ejus vitæ complectitur. *Conſonat Belfortius, qui in Notitiis ſuis aliqua* ex Proprio feſtorum eccleſiæ (*ut inquit*) noſtræ *adjungit. Alterum cultûs ſive obitûs ejuſdem locum dixi à Caſtellano aſſignari* Troênes, *qui in Vita edenda vocatur* Orcizus, *in Vita verò Gallica* Troiſnes, *& à Belfortio Latina terminatione* Troyna. *Ego Vitam Gallicam, utpote in ipſo penè loco ſcriptam ſequendam putavi. In hac ſitus ejus verbis Gallicis ſic traditur :* Prope Firmitatem-Milonis parvus vicus (*Gallicè* village) eſt, nomine Troiſnes, in declivi montis ſat alti poſitus, ad cujus radices fluvius Urca (*Gallicè* Ourq) labitur. Olim locus hic ſolitudo ſilveſtris erat, undique cinctus ſilva Rhetia (*indigenis* la foreſt de Retz *dicta*) quæ nunc quoque eidem proxima eſt.

B

in Troiſnes, ubi ſepulcrum ejus vacuum

6 *Hoc in loco* S. Vulgiſus *noſter eremiticam vitam duxiſſe, obiiſſeque, ac juxta cellam ſuam ibidem ſepultus fuiſſe creditur, & in eccleſia S. Petri, ſive hæc ibi jam tum antè exſtiterit, ſive poſtmodum ædificata ſit, ab indigenis accoliſque digna in veneratione habitus, donec ad Firmitatem-Milonis tranſlatus fuit. Manſit tamen in Troiſnes primæ illius ſepulturæ memoria, de qua oculati teſtis Belfortii verba juverit audiviſſe.* Beati hujus Viri corpus procul dubio ſepultum credi debet in oppiduli illius, quod nemori Rhetio contiguum Troynam vocamus, cœmeterio, tum temporis divi Petri nuncupato. Nam ad uſque hunc diem ibi in eccleſia, quæ ex parochialibus noſtris (*ſcilicet abbatiæ S. Joannis in Vineis*) una eſt, cernitur ante ſummum altare paulò ſupra terram elevata illius effigies lapidea, magna ſanè & pulchra, ſacrarum veſtium etiam materiali adumbratione ipſum indubiè ſacerdotem fuiſſe referens. *Vitæ Gallicè ſcriptor clariùs loquens, dicit, eſſe* tumbam ſaxeam quatuor parvis columnis innixam ; *ſubditque :* Hæc tumba eſt ante princeps altare eccleſiæ, ſpectaturque in eadem effigies ejus ſolido opere anaglyphico facta.

C

cum monumento eidem impoſito viſitur,

7 Cubat ipſe exporrectus, capillitio admodùm brevi, tonſurâ ſacerdotali inſignitus, & ſacerdotalibus veſtimentis indutus, calicemque in manibus geſtans. Infra pedes viſuntur effigies duarum vaccarum, quas è flumine ſalvas eduxit. *Si tamen eidem biographo credimus,* S. Vulgiſi *corpus in hac tumba numquam jacuit, ſed illa dumtaxat in perpetuum monumentum ſuper locum ſepulturæ ejuſdem poſita fuit, quando illud hinc ad caſtrum Firmitatis-Milonis tranſlatum eſt. Addit etiam prodigium, quod ſua ætate eodem in loco contigiſſe debitéque probatum eſſe aſſeverat, ita inquiens :* Non putamus prætereundum ſilentio aliud miraculum, quod ætate noſtra ad iſtam tumbam accidit, quodque in his partibus non eſt fas in dubium revocari. Anno MDCXI quidam foſſores, quorum nomina in proceſſu hac ſuper re confecto recenſentur, juſſi ſunt prope Sancti noſtri tumbam ſepulcrum cavare in ſepulturam ejuſdem loci nobilis viri, domini de Billy. Hi boni viri videre voluerunt, quid ſub tumba illa lateret ; cúmque à nemine obſervarentur, auſi ſunt ſub eadem fodere : ſed vix aliquid terræ egeſſerant, quin ſuaviſſimus inde ac gratiſſimus odor eruperit, qui totam eccleſiam perfudit, & ab omnibus, qui illuc accurrerunt, ut experimento ſuo tantum prodigium probarent, perceptus fuit. AUCTORE C. S.

& ex quo anno 1611 ſuaviſſimus odor erupiſſe dicitur.

8 Foſſores, qui damnabili curioſitate ſua prodigii cauſa fuerant, tanto horrore ſunt perculſi, ut deinceps langueſcentem miſeramque vitam duxerint uſque ad mortem, quam tribus quatuorve menſibus pòſt obierunt ; ſive hæc ex nimio, quo correpti fuerant, terrore naturaliter ſecuta ſit, ſive pœna fuerit neglecti honoris reverentiæque tam ſacro loco debitæ. *Hactenus ille, qui cùm hæc tam confidenter ſcripſerit ad epiſcopum Sueſſionenſem, in cujus diœceſi vicus Troiſnes ſitus eſt, ſcripſeritque eo tempore ac loco, ubi, ſi falſa venditâſſet, facilè poterat convinci ; cúmque præterea etiam proceſſum, ut vocant, verbalem laudaverit, non poſſumus de rei veritate meritò ambigere. Eodem rurſum biographo teſte, poſt tranſlatum ad Firmitatem-Milonis* S. Vulgiſi *corpus, ex eodem nihil in Troiſnes relictum eſt præter unum dentem, huncque quidam Lotharingi, dum anno* 1652 *cum exercitu ſuo illac tranſirent, ingreſſi eccleſiam, abſtulerunt & in Lotharingiam aſportârunt, aſſerentes,* S. Vulgiſum *ibi quoque in magna veneratione haberi. Duas item inſignes ejuſdem Sancti reliquias eodem ſeculo* XVII *ex Firmitate-Milonis ad civitatem Sueſſionenſem tranſlatas fuiſſe, dicemus infrà ; interim hæc ſufficiant pro ſtabiliendo cultu* Vulgiſi *tam parùm noti martyrologis, & pro notitia locorum, in quibus colitur. Itaque ad ejuſdem Acta progredior.*

E

Vita Latina, quam edemus, ſcripta eſt poſt corporis tranſlationem ;

9 *Unicum illius Vitæ Latinæ exemplar habemus ex Ms. Nicolai Belfortii, jam aliquoties laudati, qui unde & à quo eamdem acceperit, in Additione ſic expoſuit :* Hæc ſunt, quæ pauca de beati hujus Viri vita deſcripſit rogatus à me dominus Joannes Caron (*Ordinis S. Dominici*) doctor Sorbonicus, ad noſque attulit ſecunda Februarii die anni MDXCI, quando videlicet peractis apud Firmitatem-Milonis ſacri Adventûs tempore concionibus, rediit in hanc urbem Sueſſionenſem. *In fronte verò notatur exemplar noſtrum deſcriptum* ex vetuſtiſſimo (*fortè addendum* Lectionario) eccleſiæ ipſius nomini ſacræ apud Firmitatem Milonis, ubi ejus ſacrum corpus argenteâ thecâ reconditum uſque ad annum MDXCIV requievit. *Auctor Vitæ, uti in ejuſmodi Lectionariis aſſolet, anonymus eſt, ſcripſitque poſt tranſlationem corporis è prima ſua ſepultura ad Firmitatem-Milonis, quam Vita Gallica ſeculo* VIII *quidem affixit, ſed quæ ex infrà diſputandis fortè primùm contigit ſeculo* IX *aut etiam ſeriùs : quod tempus valde remotum eſt ab ipſius Sancti ætate, ſi hic, ut traditur, diſcipulus fuerit S. Remigii, Francorum apoſtoli, circa annum* 533 *defuncti. Ceterùm ex hac Vita Latina colligi nequit, an ea ex vetuſtiori aliqua, an ex ſola traditione compoſita fuerit. Pauca, quæ continet, mox examinabimus.*

F

habemus & aliam Gallicam recentiorem.

10 *Vita Gallica, cujus jam crebrò memini, inſcripta eſt* Vita S. Vulgiſi (*Gallicè* ſaint Vulgis) presbyteri & confeſſoris, patroni Firmitatis-Milonis ; *dedicataque eſt nomine incolarum ejuſdem civitatis illuſtriſſimo domino Carolo Bourlon, epiſcopo Sueſſionenſi, qui tom.* 9 *Galliæ Chriſtianæ auctæ col.* 381 *eam ſedem tenuiſſe dicitur ab anno* 1656 *uſque ad* 1685, *intra quos annos eadem Vita, quæ nec annum nec locum editionis præ-*

AUCTORE C. S.

fert, proinde debuit excusa fuisse. Auctor ejus verisimiliter fuit idem, qui dedicationi subscriptus legitur P. Sconin, *aliunde mihi planè ignotus. Quisquis tamen ejusdem Vitæ auctor sit, is in Sancti gestis sic consentit Latino biographo, ut tamen diversam ab hoc secutus Vitam esse videatur. Nam non modò in paucis adjunctis variat, sed etiam apertè negat,* Vulgisi *parentum nomina sciri, quæ in Vita Latina nostra (fortè confidentiùs, quàm veritas patiebatur) exprimuntur. Id quoque peculiare habet Vita Gallica, quòd ad cultum attinentia, quorum aliqua Latino scriptore priora sunt, in ea latiùs exponantur; utinam tamen semper æquè accuratè, quàm asseveranter, maximè ubi agitur de tempore auctoreque primæ translationis sacri corporis, donatore lipsanothecæ argenteæ, & fundatoribus prioratûs* S. Vulgisi *in castro Firmitatis-Milonis, de quibus sequenti § loquemur.*

ex quibus & Belfortii annotationibus pauca de Sancto novimus.

B

11 *De cultu etiam aliqua observavit Nicolaus Belfortius in Additione ad Vitam Latinam, ubi post verba num.* 9 *data sic prosecutus est:* Cæterùm quoniam aliqua deesse (*in eadem Vita*) manifestum est ex Proprio festorum ecclesiæ nostræ, quod magna ex parte nuper est à nobis elaboratum, dum in ipso divi Vulgisi prioratu (*in castro Firmitatis-Milonis*) ex obedientia manerem, operæ pretium duxi hoc loco nonnulla addere, tum ex dicto Proprio, tum quæ aliàs mihi explorata & cognita sunt; ne videlicet pereant ob bellorum civilium tempestatem *&c. Sequuntur ibidem, quæ suprà ferè retuli, ideo hîc non repetenda; ac denique ad fidem dictis faciendam,* Atque hæc quidem (*inquit*) omnia partim reipsa vidi, partim legi in memorato veteri Antiphonario, alicubi seorsum à præcedenti Historia (*nimirum Vitâ Latinâ edendâ*) quæ præfatus doctor (*Joannes Caron*) ob studia suis concionibus necessaria festinans, sigillatim videre non potuit. *Præter geminam illam Vitam, Latinam & Gallicam, paucaque Belfortii annotationes nihil prorsus habemus pro Sancti gestis enarrandis; tantumque de illo est etiam apud neotericos scriptores silentium, ut mirer, Sanctum, cultu certè satis clarum, ceteris velut ignotum præteritum fuisse.*

Creditur fuisse à S. Remigio baptizatus ejusque discipulus,

12 *Videamus ergo, quid de eodem ex duabus Vitis habeamus. Ambæ consentiunt,* S. Vulgisum *è nobilibus parentibus natum, à magno Francorum apostolo, S. Remigio Remorum præsule, baptizatum fuisse, & post exactam pueritiam ab eodem eruditum, in matura ætate sacerdotio initiatum, atque in societatem laborum suorum adscitum esse, donec cum ejusdem sancti episcopi bona venia solitariam vitam aggressus fuit. Parentes illius, quorum nominà biographus Gallicus nesciri, verisimiliter rectiùs, asserit, in Vita Latina vocantur* Palatinus & Christina, *quorum nobilitas, æquè ac vocabula, incerta mihi est. Diuturnus S. Remigii episcopatus, teste S. Gregorio Turonensi in libro de Gloria confessorum cap.* 79 *ultra annos septuaginta productus, facilè permittit, ut is baptizatum à se puerum ad sacerdotium promovere & in apostolico munere socium sibi adoptare potuerit; ut tamen id ita factum esse credamus, testimonio magis idoneo opus est, quàm sit biographi Latini, tanto, ut dictum est, tempore posterioris, Gallicique, qui post medium seculum* XVII *scripsit.*

(vout etiam legitur in schedula membranacea

13 *Primum & unicum profert idem Gallicus pro hac assertione monumentum, quod repertum esse ait apud ipsum Sancti corpus, dum ejusdem lipsanotheca argentea anno* 1643 *ab illustrissimo domino Simone le Gras, episcopo Suessionensi, diœcesim suam lustrante, aperta inspectaque fuit. Est autem scriptum in scheda membranacea* litteris Gothicis, *sed* optimè (*ut inquit*) formatis, *quod sic habet:* Corpus sancti Vulgisi filioli & discipuli S. Remigii Rhemensis archiepiscopi. *Nescio, an hanc schedam biographus ipse viderit; sed vellem illam æri inciśam exhibuisset, ut de antiquitate characterum judicare liceret. In re tam ancipiti saltem suspicari licet, schedam illam antiquiorem non esse, ipsâ lipsanothecâ, in qua inventa fuit, sed eodem, quo ipsa, tempore factam; nisi etiam in aliqua sacri corporis inspectione deinde addita fuerit. Lipsanothecam autem illam idem Gallus biographus scribit quidem, opus esse seculi* VIII *adulti; verùm ex dicendis dubium erit, an vetustior sit seculo* XII. *Ponamus tamen paulisper, opus esse seculi* VIII, *sic saltem duobus seculis posterius erit S. Remigio, & aliunde dubium manebit, an scheda ejusdem ætatis sit cum theca.*

D

in ejusdem lipsanotheca reperta, sed incertæ mihi ætatis,

14 *Itaque ex inscriptione mihi tam incertæ ætatis pro tempore, quo* S. Vulgisus *vixisse credendus sit, nihil certi ausim affirmare. Aliunde quoque nihil mihi suppetit pro eodem S. Remigii Remensis discipulis annumerando. Latinus* S. Vulgisi *biographus non est antiquior translatione corporis ad Firmitatem-Milonis; primigenia simul ac prolixa laudati sancti Remorum episcopi Vita, à synchrono vel coævo scripta, dudum desideratur; ejusdem Vitæ compendium à celebri Fortunato presbytero, postea episcopo Pictaviensi compositum, multò contractius est, quàm ut S. Remigii discipulos in eo requiras; quique post hos ejusdem sancti præsulis gesta scripserunt, Hincmarus Remensis episcopus seculo* IX *& Flodoardus seculo* X, *nullam de* Vulgiso *mentionem fecerunt. Non tamen horum silentium vim argumenti negativi habet; cùm Hincmarus nullos, Flodoardus quidem multos, sed non omnes, S. Remigii discipulos commemoraverint; & ambo insuper ab illius ætate vixerint longè remoti. Contrà quoque nihil alibi legi, quòd traditioni de* S. Vulgiso *Remigianis discipulis accensendo adversetur.*

E

cui tamen aliunde nihil refragatur.

15 *Verum est, illum à Saussayo* martyrem *dici, quod cum biographorum dictis non congruit; sed donec quis rationem asserti produxerit, non debet ei cedere communis indigenarum traditio. Non magis scio, cur Castellanus eumdem seculo* VIII *adscripserit, nisi forsàn hic legerit, translationem corporis ejus seculo* VIII *contigisse, cetraque, quæ de ipso legebantur, suspecta habens, idem seculum in margine annuntiationis illius annotaverit, quo certum de ejusdem cultu testimonium se habere putabat. Sed & hæc ratio certè nihil probat. Nulla quoque suspicio hîc esse potest, Castellanum (nisi fortè ex solo lapsu memoriæ) hodiernum* Vulgisum *cum cognomine sancto episcopo & abbate Lobiensi, qui seculo* VIII *feliciter obiit, confusum fuisse; cùm Castellanus ipsemet Lobiensem, velut à nostro diversum, ad diem* IV *Februarii, quo ille colitur, annotatis loco & seculo emortualibus, rectè consignaverit. Quam ob rem in re dubia malui aliquid indigenarum traditioni concedere, sanctumque* Vulgisum, *velut dubium S. Remigii Remensis discipulum, cum cautione adverbii* fortè, *seculo* VI *adscripsi. Pro presbyteratu ejusdem confirmando, negandove nullum pariter occurrit mihi aliunde argumentum; quapropter nec hunc adversum traditionem in utraque Vita expressam inficiari possum. Cetera biographorum asserta in Annotatis ad Vitam expendemus.*

F

§ II.

A

§ II. Tempus translationis corporis obscurum : prioratus S. Vulgisi fundatus : lipsanotheca pretiosa : reliquiæ ex eadem exemptæ : Sanctus hic diversus à cognomine Lobiensi.

Corpus S. Vulgisi è vico Troisnes translatum fuit

Dixi suprà, ex traditione haberi, S. Vulgisum, *quocumque demum is tempore vixerit, eremiticam vitam in vico Troisnes egisse, ibidemque jacuisse humatum in ecclesia S. Petri, sive hæc ante illius obitum extiterit, sive post primùm condita auctave fuerit. Hinc translatum esse ad Firmitatem-Milonis, ambo biographi consentiunt, quibus accedens Belfortius in suis Notitiis Mss. hæc ait :* Cujus loci *(sepulturæ in Troisnes)* dignitas & gloria, dictu mirum, quàm latè percrebuerit post beati Viri transitum, quando ad

B

eum propter miraculorum frequentiam ex omni circùm regione ingens fidelium multitudo confluereret, adeóque jam multi essent, qui de asportando in suas ecclesias Vulgisi corpore decernerent. Sed cùm hoc resciviſſet Milo, qui tum in illis partibus erat potentissimus, gloriam suam alteri nolens dare, transferendum curavit IIII Idus Novembris in castrum suum apud Firmitatem-Milonis, collocandum ibi in ecclesia S. Sebastiani, quam etiam honestissimè ditatam reliquit. *Hæc ipse ex veteri Antiphonario ejusdem ecclesiæ, ex quo simili monumento etiam diem translationis, quem alibi non legi, forsitan didicit. Quod de miraculis populique ad Sancti sepulcrum concursu præmisit, etsi nonnihil exaggeratum esse possit, satis verisimile est ; quia solent ista hujusmodi translationibus occasionem dare.*

ad Firmitatem-Milonis, cujus translationis tempus

C

17 *Accipe etiam verba biographi Latini ex Vita edenda.* Postquam verò spiritum cœlo reddidit, corpus ejus honorificè ab incolis loci illius & à viris religiosis conditum atque digna veneratione humatum est. Postea multo transacto tempore, Dei nutu ad locum, in quo nunc digno honore colitur, est translatum. Ædificata est autem in loco, quo nunc reliquiæ corporis ejus requiescunt, basilica cum summa reverentia à B. excellenti viro Milone & ab ejus venerabili conjuge, ubi quotidie debita cum veneratione servitur, & juxta ritum ecclesiastici ordinis honoratur. *Ex hisce manifestè liquet, hanc Vitam post translationem sacri corporis scriptam esse ; sed dubitari potest primò, an Milo, ecclesiæ conditor, etiam auctor fuerit translationis, an verò is sacrum pignus eò antè delatum in ecclesia à se condita reposuerit. Dubitari potest secundò, an scriptoris tempore facta jam fuerit dicta pretiosa Sancti lipsanotheca, de qua non meminit.*

in sola Vita Gallica assignatur annus 720,

18 *Belfortius mox laudatus translationem Miloni tribuit, sed silet auctorem ecclesiæ, ad quam illam ab eo factam dicit : similiter tacet donatorem ejusdem lipsanothecæ, quam verbis num. 3 recitatis memoravit. At verò biographus Gallus, ambobus junior, apertiùs loquitur, sed cum adjunctis minimè probandis. Ex illius sententia, quam velut certam enuntiat, idem Milo, castri Firmitatis-Milonis & ecclesiæ sive sacelli S. Sebastiani conditor, corpus* S. Vulgisi *illuc transtulit anno 720, idemque lipsanothecam argenteam atque insuper effigiem capitis illius, sive hermam, ex eodem metallo suis expensis confici curavit ; deinde autem Hugo, Philippi I Galliæ regis frater, eamdem lipsanothecam magnificè exornavit, fundavitque ibidem prioratum* S. Vulgisi, *& Suessionensi monasterio S. Joannis in Vineis donavit. Negari meritò nequit, Firmitatem-Milonis à Milone aliquo vocabulum accepisse : ut enim Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum docet,* Firmitates *veteribus Francis dicebantur loca naturâ arteque munita & muris vel mœnibus cincta, qualia sunt castella & arces, quæ recentiores* fortalitia *appellârunt.*

AUCTORE C. S.

& auctor Milo conditor Firmitatis :

19 *Hujus generis multa loca reperiuntur in Gallia,* Firmitas *dicta, quæ partim à conditoribus dominisque suis, partim à fluviis, quibus adjacent, cognominantur. Exempla habes apud laudatum Valesium ad vocem* Firmitas. *Verùm quòd Milo, hujus Firmitatis ad Urcam conditor vel dominus, seculo* VIII *vixerit, atque anno* 720 S. Vulgisi *translationem ad castrum suum, ceteraque prædicta fieri curaverit, post diligentem impensam operam nescio, quo argumento nitatur. Non possum equidem affirmare, an, quod aliis quoque sæpe contingit, amor patriarum antiquitatum scriptorem illum ad eam opinionem impulerit ; verumtamen longè diversam Firmitatis ad Urcam ætatem statuit Andreas du Chesne, in Antiquitatibus civitatum &c Franciæ pag.* 392 *scribens, illam à Milone conditam, regnante Ludovico VI, cognomento Crasso, ut haberet, ubi se in civilibus bellis adversus hostiles incursus tutaretur. Regnavit autem Ludovicus VI ab anno* 1108 *usque ad* 1137,

E

id est, quatuor seculis seriùs, quàm scriptor Vitæ Gallicæ, Milonem Firmitatis conditorem auctoremque translationis vixisse affirmavit. Demus tamen, Firmitatem-Milonis antiquiorem esse, quàm credidit Chesneus ; redibit quæstio de tempore translationis S. Vulgisi, *cujus ne seculum quidem, nedum annum signârunt Latinus biographus & Belfortius scriptor domesticus, imò verisimillimè domestici ambo.*

quod nobis non probatur.

20 *Cùm igitur pro anno* 720 *nullum testem laudet biographus Gallicus, vereor ne ex levibus conjecturis potiùs, quàm ex solida ratione aut monumento antiquo in eodem designando processerit ; suntque nonnulla, quæ hanc suspicionem non inanem relinquunt. Eodem teste, ac consentiente Belfortio, nec refragante biographo Latino, jam exstabat in castro Firmitatis-Milonis sacellum S. Sebastiano sacrum, quando contigit translatio. Hujus verò martyris cultus in Galliis primùm celebris evasit seculo* IX, *quando ejusdem corporis pars, concedente Eugenio II Papa, anno* 826 *ex Romana Urbe allata est, & in Suessionensi S. Medardi monasterio deposita plurimis miraculis mox cœpit inclarescere ; uti latiùs videri potest in Opere nostro tom.* 2 *Januarii pag.* 261 *& sequenti. Hinc suspicor, dominum Firmitatis-Milonis, quæ in diœcesi Suessionensi est, ea re piè motum ejusdem sancti martyris nomine sacellum in castro suo exstruxisse, impetrataque è Suessionensibus reliquiis portione ditâsse. Si hæc mea suspicio vera sit, sæpe dicta tranlatio non erit seculo* IX *antiquior, ac forsan etiam recentior ; quod etiam ex dicendis de lipsanotheca & fundatione prioratûs verisimilitudinem aliquam accipiet.*

In eodem castro fundatus fuit prioratus,

21 *De prioratu sequentia habet Vita Gallica sermone vernaculo.* Fundatus ille prioratûs est anno MCX ab Hugone Magno vel Albo, filio Franciæ, Philippi I regis fratre. Hic princeps erat comes

AUCTORE C. S.

comes Veromanduorum & dominus Firmitatis-Milonis, ubi ordinariè morabatur. Anno MXCVI profectus fuerat in Palæſtinam cum Godefrido Bullionio. Fundavit hunc prioratum, ut poſteris monumentum pietatis ſuæ relinqueret, annueretque Hilgoto, Sueſſionenſi epiſcopo & monaſterii S. Genovefæ Pariſiis Religioſo... Non licuit tamen huic, interim defuncto, fundationem factam videre, ſed ejuſdem ſucceſſor Liſiardus eumdem prioratum fundavit nomine Hugonis Magni & Helvindis uxoris ejus, eorumdemque filii Guilielmi Flandriæ comitis, atque hujus conjugis Sibillæ. Ad illorum preces hic epiſcopus facellum arcis Firmitatis S. Vulgiſo dedicavit, & prioratum illius canonicis Regularibus S. Joannis in Vineis apud Sueſſiones dedit ea lege, ut tres quatuorve ex illis ſemper habitarent in caſtro ad prioratûs officia obeunda, prout latiùs dicitur in inſtrumento fundationis. Prioratûs *nomine, phraſi Gallica* prieuré, *venire hîc videtur, ut nunc loquimur*, beneficium, *vel curatum, quod officium parochi annexum habet, vel ſimplex, ad cetera tantummodo officia divina certo in loco celebranda inſtitutum, conceſſumque*

B *monaſterio, ut ejuſdem ſuperior è ſubditis ſuis miniſtros eidem ſufficiat, qualem ſuprà vidimus fuiſſe Nicolaum Belfortium.*

22 *Porrò etſi certa ſit prioratûs S. Vulgiſi fun-*

cujus fundator ibidem dicitur fuiſſe Hugo Magnus,

datio, non propterea admitti poſſunt adjuncta omnia, quæ Gallus biographus, tamquam è genuinis fundationis litteris accepta, confidenter obtruſit. Notus eſt Hugo cognomento Magnus, *Philippi I regis Galliæ frater, & per uxorem ſuam Adelaidem comes Veromanduorum, qui cum principibus cruce ſignatis ad Terram ſanctam bis profectus, in ſecunda expeditione Tharſis in Cilicia obiit anno* 1102, *quemadmodum ex Roberto de Monte tradunt hiſtorici. Ex hujus anno emortuali liquet, prioratum, de quo agimus, vel citiùs, quàm anno* 1110, *vel ab alio Hugone inſtitutum eſſe. Illum citato anno* 1110 *priorem eſſe, colligitur ex Galliæ Chriſtianæ auctæ tomo* 9, *col.* 457, *ubi inter abbates S. Joannis in Vineis tertio loco legitur:* Petrus I... occurrit in charta Hugonis epiſcopi (*Sueſſionenſis*) donationem capellæ S. Vulgiſii in caſtro de Firmitate Milonis confirmantis anno MC, quam poſtea comprobavit Liſiardus epiſcopus anno MCX. *Conformiter ad*

C *hæc ibidem col.* 354 *in epiſcopis Sueſſionenſibus dicitur Hugo I, Hilgoti poſt Henricum ſucceſſor, anno* 1100 bona S. Johannis *confirmâſſe; ac rurſum col.* 355 *in Liſiardo, quarto Hilgoti ſucceſſore legere eſt:* Bona S. Johannis in Vineis confirmavit anno MCX, epiſcopatûs 2.

Philippi I regis frater, cum adjunctis fabulo-ſis;

23 *Jam ergò ab anno* 1100 *fundata fuit capella ſeu prioratus* S. Vulgiſi *in Firmitate-Milonis, eratque juris monaſterii Sueſſionenſis S. Joannis, quo tempore vivebat laudatus Hugo comes, & in Gallia morabatur, eo reverſus è prima expeditione ſua ſacra ante finem ſeculi* XI, *ita ut Hugo ille prioratûm tunc fundare potuerit. Sed ſunt nimirum alia, quæ hanc opinionem prorſus evertunt, coguntque alium fundatorem quærere. Hugonis Veromanduorum comitis tempore nullus fuit Flandriæ comes Guilielmus, nulla Flandriæ comitiſſa Sibilla. Idem Hugo uxorem unicam, nomine Adelaidem, non Helvindem, habuiſſe legitur apud Sammarthanos fratres in Hiſtoria genealogica regiæ domus Franciæ tom.* 2, *pag.* 665 *& ſequentibus. Ex eorumdem liberis duo tantùm mares ibidem recenſentur, Radulphus ſcilicet, qui in comitatum Veromandnenſem ſucceſſit, & Simon epiſcopus Noviomenſis; è filiabus verò nulla* Sibilla *nominatur, nulla comiti Flandriæ nupta fuit, ut mirum ſit, unde iſta acceperit biographus. Apud alios quoque non reperi, Hugonem Magnum etiam Firmitatis-Milonis dominum fuiſſe, ſed eodem ferè tempore florentem alterum Hugonem, in quem cetera quadrant.* D

ſed ejuſdem fundator videtur fuiſſe Hugo Albus,

24 *Cheſneus ſuprà num.* 19 *laudatus ſcribit, Firmitatem-Milonis antiquitus pertinuiſſe* ad Hugonem Album (*Gallicè* Hugues ou Hues de Blanc) anno MCX fundatorem prioratûs Vulgiſi (*Gallicè* de Voulgis) in eodem loco. *Plura de illo non addidit Cheſneus, ſed haud dubiè is ipſe eſt Hugo, quem biographus Gallicus fratrem Philippi I regis Franciæ perperam credens, &* Magnum *&* Album *appellavit. Plus luminis affert reverendiſſimus Hugo, epiſcopus Ptolemaidis & abbas Stivagienſis tomo* 2 *Annalium Ordinis Præmonſtratenſis col.* 1039 *&* 1041 *docens, abbatiam Vivarienſem, poſtea à mutato ſitu* Vallem Serenam *dictam*, ab Hugone Albo, dynaſta Firmitatis-Milonis anno MCXXI *vel fundatam vel Præmonſtratenſibus traditam fuiſſe. Hunc in finem laudat chartam donationis, cujus copiam ex authentica ait ſe vidiſſe, exhibetque ibidem inter Probationes col.* DCXLV *&* ſequenti; *mihi ſanè peropportunè, niſi quòd ibi, ex typotheta forſan vitio,* Hugo Abbas *pro* Hugo Albus *corruptè legatur. Eſt illa charta Liſiardi epiſcopi Sueſſionenſis, donationem Hugonis confirmantis, à quo ſcilicet Liſiardo etiam fundationem donationemque prioratûs* S. Vulgiſi *confirmatam fuiſſe, dictum ſuperiùs eſt.* E

Firmitatis-Milonis dominus ſub finem ſeculi XI *&* ſec. XII.

25 *In illa porrò charta ſic loquitur epiſcopus:* Ego Lyſiardus Sueſſorum epiſcopus notum facio, quòd Hugo Abbas (*legendum eſt* Albus) dominus de Firmitate Milonis, Helvidis uxor illius, aſſenſu filii ſui Willelmi & uxoris ejus Sybillæ ad petitionem domni Norberti, viri religioſi, eccleſiam Vivarienſem... Henrico abbati & fratribus ſuis per manus noſtras cum juſtitia reddiderunt &c. *Signata autem legitur hoc modo:* Acta ſunt hæc anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo vigeſimo primo; *pro quo tamen legendum videri* MCXXIV, *vel* MCXXVI *cenſent continuatores Galliæ Chriſtianæ tom.* 9, *col.* 485 *&* ſequenti, *qui ibidem conſuli poſſunt; nam meâ hîc nîl intereſt, quo præcisè anno illa ſignata ſit. At cùm eadem perſonæ omnes velut eo tempore viventes, circa quod prioratus* S. Vulgiſi *fundatus eſſe in Vita Gallica dicitur, ibidem nominentur, vix dubito, quin ejuſdem prioratus fundatio eidem Miloni attribuenda ſit; quippe qui eodem tempore florens, Firmitatis-Milonis dynaſta fuit, habuitque uxorem* Helvindem *ſeu* Helvidem, *filium* Willelmum *&* Sibillam *nurum. Verùm nec Hugo ille fuit Philippi I regis Galliæ frater, nec Willelmus & Sibilla comites Flandriæ fuerunt, uti Gallicus biographus malè aſſeruerat.* F

Lipſanotheca argentea multo recentiùs facta videtur,

26 *Superſunt inſuper aliqua de pretioſa Sancti lipſonatheca obſervanda. In eadem Vita Gallica dicitur illa à primo ſacri corporis tranſlatore Milone jam inde ab anno* 720 *compoſita fuiſſe, cujus utriuſque aſſerti probationem ſuprà requiſivi; certinſque judicium ſuper lipſanotheca vetuſtate dare poterunt antiquæ rei argentariæ periti æſtimatores, ſi thecam ipſam oculis ſuis examinent. De ornatu, quem deinde eidem additum ait auctor, hæc ſubdit:* In hujus rei (*fundati prioratus*) memoriam Hugo Magnus duas minores effigies ex argento inaurato, unam S. Joannis Baptiſtæ, alteram S. Vulgiſi in habitu ſacerdotali, hinc atque

A que illinc ad lipſanothecæ extremitates juſſit apponi. Fecit inſuper ſuum ſcutum gentilitium, id eſt, tria liliaj aurea in area cærulea in eadem cælari, eamque innumeris liliis argenteis auro oblitis ex omni parte decorari. Uxor quoque ipſius Helvindis tam hanc, quàm & alteram (*de qua vide num.* 18) magno pretioſorum lapillorum numero ditavit. *Si verè Hugo aliquis ſæpe dicti prioratus fundator, ejuſque uxor Helvidis eam thecam ſic ornaverint, fuit is non Hugo Magnus, Philippi I regis frater, ſed alter ille Hugo Albus, Firmitatis-Milonis dominus, ut ex præmiſſis ſatis patere exiſtimo.*

quàm ſeculo VIII, *ut habet Vita Gallica:*

27 *Scutum Francicum certè indicat regii ſanguinis principem, eaque ratione ad Hugonem Magnum potiùs, quàm ad iſtum alterum pertineret. Nihilominus veriſimilius apparet, neutrius eſſe, quòd utroque recentior ſit trium liliorum in ſcuto Francico uſus, cujus initium ad ſeculum* XIV *ſolet referri. Ceterùm fateor, neſcire me, cujus regis aut regii principis munificentiæ pretioſus hic ornatus, vel etiam ipſa lipſanotheca adſcribenda ſit. Dixi*, vel ipſa etiam lipſanotheca; *quia vereor, ne ſcriptor minimè accuratus ornatum illum poſtea additum crediderit, eo quod eamdem ſeculo* VIII *compoſitam putaret, videretque, tantam antiquitatem cum recentiori illo opere non poſſe conciliari. Modò audiamus illum reliqua ad Sancti cultum ſpectantia proſequentem. Poſt ea, quæ de ſacra ejuſdem veneratione in abbatia S. Joannis in Vineis apud Sueſſiones num.* 5 *jam retuli, ad prioratum caſtri Firmitatis-Milonis regreditur verbis, quæ ſubjicio.*

prioratus deinde auctus redditibus.

28 Atque hæc fuit prima hujus beneficii fundatio. Elapſo deinde tempore aliquo, Eleonora, Hugonis Magni neptis, Bellimontii, Veromanduorum & Valeſii comitiſſa, parentum ſuorum inſiſtens veſtigiis, eamdem variis redditibus auxit, pendendis è poſſeſſionibus ſuis, per teſtamentum ſuum anno MCXCIV, præſente regina, Adela, uxore (*id eſt, viduâ*) Ludovici Junioris (*ſive hujus nominis* VII) & matre Philippi Auguſti. Has omnes donationes Carolus Valeſii comes, Philippi Pulchri frater, poſtea confirmavit ſuis litteris, datis die VIII Decembris anni MCCXCI. *Eleonora hîc laudata fuit revera Hugonis Magni è filio ſuo Radulpho I, Veromanduorum ac Valeſii comite, neptis, quam Sammarthani fratres in præcitato Opere pag.* 674 *& ſequentibus Matthæo Bellimontii comiti quartis nuptiis jugatam fuiſſe ſcribunt, laudantque piam ejus in exſtruendis dotandiſque monaſteriis munificentiam, ac nominatim chartam in favorem abbatiæ Vallis-Serenæ, vulgo* Val-Sery *in diœceſi Sueſſionenſi, eodem anno* 1194 *factam. Ceteræ quoque perſonæ principes à biographo nominatæ temporibus congruunt, ut inficiari nequeam, Eleonoram prioratui quoque* S. Vulgiſi *in caſtro Firmitatis-Milonis bene feciſſe.*

B

Anno 1643 *aliquæ reliquiæ è theca exemptæ ſunt,*

29 *Certiorem fidem merentur, quæ de cultu ſua ætate ab illuſtriſſimis dominis Sueſſionenſis eccleſiæ epiſcopis, Simone II, cognomento le Gras, & hujus proximo ſucceſſore Carolo III Bourlon, ſacris illis reliquiis exhibito annotavit.* Exemplo (*inquit*, defuncti illuſtriſſimi domini le Gras, Sueſſionenſis epiſcopi, reſuſcitata videtur in populo devotio, *quam ſcilicet prælaudati principes S.* Vulgiſo *exhibuerant.* Hic præſul diœceſim ſuam anno MDCXLIII obiens, ad Firmitatem-Milonis advenit. Ibi lipſanothecam Sancti noſtri aperuit coram omnibus civibus & aliquot medicis, quos ad inſpicienda ejus oſſa juſſerat adeſſe. In illa corpus ejus totum invenit. Medici poſt conſideratas omnes ejuſdem partes judicârunt, Sanctum admodùm proceri validique corporis fuiſſe, fatiſque apparere, eumdem uſque in extremam ſenectam vixiſſe. Inventa quoque tunc in theca ſchedula membranacea eſt his vocibus litteris Gothicis, ſed (quod certius antiquitatis argumentum eſt) perfectiſſimè exaratis inſcripta: CORPUS SANCTI VULGISI FILIOLI ET DISCIPULI S. REMIGII RHEMENSIS ARCHIEPISCOPI.

AUCTORE C. S.

quarum pars ibi relicta, pars Sueſſiones delata

30 Inventus in ea præterea eſt proceſſus verbalis anni MDXLV de tranſlatione neceſſariæ reparationis causâ tunc facta ad civitatem Sueſſionenſem. Signatus proceſſus eſt à POIGNANT, MOINTHOILE, aliiſque adminiſtris Firmitatis-Milonis. Idem illuſtriſſimus antiſtes Sueſſionenſis teſtatus aſtantibus eſt, has eſſe è præcipuis ſuæ diœceſis reliquiis, inſinuavitque deſiderium ſuum aliquam ex eiſdem portionem auferendi. Neque auſi ſunt pietati præſulis refragari, iſque ambas Sancti mandibulas, atque unam è coſtis ejus, unumque os S. Sebaſtiani, antiqui patroni ſacelli arcis, exemit. Hoc os cum mandibula ſuperiore S. Vulgiſi reliquit eccleſiæ Firmitatis-Milonis, ubi deinde incluſa ſunt thecæ argenteæ, factæ in modum angeli, eadem ſuper capite ſuo geſtantis. Alteram mandibulam coſtamque apportavit Sueſſiones, quò ſimul ac advenit, generalem ſupplicationem indixit, in qua ambas reliquias in magna argentea pelvi circumtulit.

E

& in veneratione deinceps habita.

31 Deinde earumdem unam donavit abbatiæ S. Mariæ Sueſſionenſi (*quæ Benedictinarum virginum eſt*) alteram ſervavit ſibi, quam illius Succeſſor (*Carolus III*) de Bourlon lipſanothecæ incluſit, ita probans, ſe non minùs in deceſſorum ſuorum pietatem erga hunc Sanctum noſtrum, quàm in eorumdem dignitatem ſucceſſiſſe. *Demum Opuſculum ſuum ſic concluſit:* Non putamus neceſſe eſſe Firmitatis-Milonis incolas ad majorum principumque ſuorum exempla in S. VULGISI cultu imitanda exhortari; ſponte enim ſua ſatis eò propenſi ſunt, frequenteſque gratiæ, quas per ejuſdem patrocinium à Deo obtinuerunt obtinentque in dies, abunde docuerunt, quantus hic Sanctus in cælo ſit, quantúmque mereatur honorari in terris.

Sanctus hic diſtinguendus à cognomine Lobienſi.

F

32 *Plura de* S. Vulgiſo *non habeo, ſolúmque ſupereſt, ut, quod initio Commentarii promiſi, ex hactenus dictis obſervemus, hunc longè diverſum eſſe à S. Ulgiſo ſive Wlgiſo, de quo egit Bollandus noſter ad diem* IV *Februarii. Hic enim Ulgiſus floruit ſeculo* VIII, *fuitque epiſcopus & abbas Lobienſis in Belgio, in provinciâ Leodienſis Hannoniæque confinibus, ubi & in Lobienſi eccleſia ſepultus elevatuſque honorificè jacuit uſque ad annum* 1409, *quo ob everſum Lobienſe oppidum tranſlatus eſt Binchium in Hannonia, ubi hodieque colitur. Contrà verò* Vulgiſus *hodiernus, quidquid ſit de ætate, quâ floruit, creditur presbyter tantùm, non epiſcopus nec abbas fuiſſe, & in vico Troiſnes in diœceſi Sueſſionenſi vitam anachoreticam agens mortuus ac ſepultus, atque hinc ad Firmitatem-Milonis tranſlatus, ibidemque in pretioſa theca argentea antiquitus depoſitus, jamque per aliquot ſecula honoratus; ut adeo duobus iſtis Sanctis præter ſimilitudinem nominis nihil ſit commune. Nunc Vitam qualemcumque & exiguæ auctoritatis ſubjicio.*

A. ANONYMO.

VITA

Auctore anonymo,

Ex Ms. Nicolai Belfortii, canonici Regularis monaſterii Sueſſionenſis S. Joannis in Vineis.

Sancti parentes, baptiſmus, educatio;

EXimius confeſſor Vulgiſus ex proſapia Francorum ortus, affinitate pariter & generoſitate pollens, ac non mediocriter inter ſuos refulgens, in pago Rhemenſi eſt genitus, patre nomine Palatino, admodùm præcellentiſſimo, matre verò Chriſtina, ſecundum natales hujuſcemodi generationis nihilo minùs ingenua *a*. Pulchritudine autem & formatione corporis adeò elegans extitit, ut ferè nullus in confinio illo ei comparandus cerneretur *b*. Educatus autem cum intentione ſedula, ita ut excellere videretur ætatis ſuæ annos, oblatus eſt à ſanctis parentibus ſanctiſſimo pontifici Remigio *c*, qui tunc temporis pro ſua eximia probitate & virtute præcipuus apud Francorum proceres habebatur. Ille cum omni gaudio ſuſceptum Infantulum ſacri baptiſmatis lavachro pertinxit, commendavitque attentiùs prædictis parentibus, ut tranſcenſis puerilibus annis, denuo ſibi præſentaretur, & ſecundum inſtitutionem ſacræ religionis literarum ſcientiâ inſtrueretur. Nutriebatur itaque Parvulus meritis apud Deum excelſus, qui teneros ſtudens annos maturitate vincere, infantiles ſenſus animi induſtriâ temperare ſatagebat.

a

b

B

c

promotio ad ſacros ordines & familiaritas cum S. Remigio,

2 Cùm jam tempus adeſſet, ut, expletâ infantiâ, juxta condictum præſentari deberet, ad B. Remigium deductus eſt. Quem Vir ſanctus ſumma cum diligentia literarum ſcientiâ imbui juſſit, & ſecundum eccleſiaſtici ordinis normam erudire cœpit. Qui in cunctis ſibi injunctis officiis ita ſe reddebat idoneum, ut mirabilis eſſet ipſius erga priores ſuos obedientia, erga coætaneos fraternitatis amor, & nihilo minùs in cunctis actibus humilitatis cuſtodia. Tranſactis pueritiæ atque adoleſcentiæ annis, cùm ſpecialiter omni gratia abundaret, promovit eum B. Remigius ad ſui laboris auxilium *d*, in omnibuſque operibus ſuis comitem ac ſocium decrevit: qui viciſſim tanti patris juſſionibus mirè obtemperabat, eloquio facundus, actione gratus, animi robore ſtrenuus, longanimitate ac patientiâ firmiſſimus, charitate ac pietate ornatus, ſancta & juſta ubique rimans & aſſequens; mala verò & improba ſolerter vitans & fugiens. Tantâ denique pollebat gratiâ, ut à cunctis unicè amaretur, honoraretur, ac veluti patronus locupletiſſimus rore cæleſtis gratiæ perfuſus haberetur.

C

d

vita ſolitaria,

3 Poſt aliquod tempus ex regni cæleſtis amore, quo acriter ardebat, & labentis hujus ſeculi odio decrevit, benedictione à magiſtro accepta, locum adire Orcizum *e* vocatum, ibique oratorium ædificare, in quo vigiliis & orationibus ſedulò intendere poſſet. Ibi ergò dum ex lignis de monte, qui Vex *f* vocatur, exciſis grandi labore, ut ædiculam exſtrueret, eique boves duo eſſent, qui poſt advectas lignorum ſarcinas ſolebant paſcere in irriguis pratis quæque virentia, bonorum omnium invidus diabolus, cupiens ſancti Viri fruſtrare laborem, boves in ima aquarum demerſit. Quo comperto, Vir ſanctus graviter conſternatus eſt, quod videlicet ſpem omnem ſui laboris amiſſam crederet; verumtamen ad amnem veniens, Chriſti confiſus juvamine, imperat, de profundo ut exeant, & ſibi juxta morem conſuetum auxilium præſtent. Ad cujus juſſionem mox de gurgite prodierunt ſani, acſi numquam læſionem ullam ſuſcepiſſent *g*; ſicque more ſolito agente cuſtode illorum, quæ antea faciebat, lignorum congerie aggregata, prædicta ſacra ædes ad perfectum uſque apicem deducta fuit.

D

e

f

g

obitus, ſepultura, tranſlatio & cultus.

4 His virtutum inſigniis decoratus cœpit beatus Confeſſor magis ac magis mortalem hanc vitam contemnere atque ad inenarrabilem illam beatæ patriæ manſionem omnimodis anhelare. Quare omnipotentis Creatoris benignitate & gratiâ viribus corporis deſtitutus cognovit, ſe ex hoc mundo jam reſolvi, ut ſumeret immortalia gaudia, quoniam mortalia contempſiſſet. Poſtquam verò ſpiritum cælo reddidit, corpus ejus honorificè ab incolis loci illius & à viris religioſis conditum atque digna veneratione humatum eſt. Pòſtea multo tranſacto tempore, Dei nutu ad locum, in quo nunc digno honore colitur, eſt tranſlatum *h*. Ædificata eſt autem in loco, quo nunc reliquiæ corporis ejus requieſcunt, baſilica cum ſumma reverentia à B. *i* excellenti viro Milone & ab ejus venerabili conjuge; ubi quotidie debita cum veneratione ſervitur, & juxta ritum eccleſiaſtici ordinis honoratur. Cujus patrocinio fulti mereamur ante ſummi Regis conſpectum de præteritis malis remiſſionem, præſentium emendationem & à futuris cautelam, ipſo præſtante, qui eumdem B. Vulgiſum heredem ſui regni factum inter proceres cæleſtis aulæ ſublimavit: cui laus eſt & jubilatio, decus & imperium per immarceſſibilia ſeculorum ſecula. Amen.

E

h

i

ANNOTATA.

a *Veriſimile eſt, quæcumque hîc de Sancti parentibus ac nobilitate dicuntur, ſolâ ſcriptoris, non admodùm antiqui, conjecturâ fulciri. Vocabulum* Palatinus *officii potiùs eſt, quàm proprium viri. In Vita Gallica negatur, parentum illius nomina innotuiſſe.*

b *Hæc quoque aliaque ejuſmodi ſequentia benignæ anonymi de Sancto exiſtimationi tribuenda cenſeo.*

c *De hoc ſancto Francorum apoſtolo actum apud nos eſt hoc ipſo die. Adi Commentarium prævium num.* 12 *& ſequentibus.*

d *Illum à S. Remigio ad presbyteratum promotum fuiſſe, ſcribit biographus Gallicus.*

e *Ab aliis locus ille* Troiſnes, Troënes *&* Troyna *appellatur, de quo vide dicta in Commentario num.* 5 *&* 6.

f *Ex ſuprà dictis vicus Troiſnes in declivi montis poſitus eſt, proximuſque ſilvæ Rhetiæ, Gallicè* Retz; *an verò mons iſte re vera* Vex *vocitetur, neſcio.*

g *Eadem ferè narrantur in Vita Gallica, ſed pro bobus duæ vaccæ ſubſtituuntur, eæque non dicuntur fuiſſe ad obſequium Sancti, ſed à pauperculo quodam illuc ad paſcendum adductæ; neque à cacodæmone in fluvium Urcam præcipitatæ, ſed, quia*

F

A *quia hic è ripis ſuis egreſſus fuerat, in eum ſponte illapſe. Pro neutra narratione auſim ſpondere.*

h *Nempe ad Firmitatem-Milanis, uti in Commentario pluribus dictum eſt.*

i *Non capio, quid per hanc litteram* B. *hîc indicetur. De Milone ejuſque conjuge vide dicta in eodem Commentario.* AUCTORE C. S.

DE B. VIRILO ABBATE CONF.

IN MONASTERIO LEGERENSI S. SALVATORIS

IN NAVARRA.

SYLLOGE. J. S.

B. Virilus abbas ab aliquot martyrologis memoratus,

MEmoriam B. Virili *abbatis ad hunc diem annuntiant martyrologi Benedictini Menardus & Bucelinus, quibus conſentit Martyrologium Hiſpanicum. Primus ſic habet:* In regno Navarræ,

B S. Virili abbatis. *In Annotatis hæc addit:* Fuit ſanctus Virilus abbas ſancti Salvatoris Legerenſis in Navarra: quod monaſterium diſtat à Pampelone quarto & vigeſimo milliario. Ferunt, illum vixiſſe circa annum octingenteſimum quadrageſimum ſub rege Inigo Ximeno Ariſta. Ejus corpus eſt in eodem monaſterio, in capſa, in qua hæc Gotthicis litteris inſcripta reperiuntur: HIC JACET CORPUS BEATI VIRILI ABBATIS LEGERENSIS. Illius Acta admiranda habentur. Ejus feſtum celebratur in eodem monaſterio Calendis Octobris, auctore Dom. Antonio d'Yepez Centur. 4 Chron. Gener. Ordin. S. Benedicti. *Hactenus Menardus, qui omnia videtur hauſiſſe ex ſolo Yepeſio, & ſuas addidiſſe conjecturas. Bucelini verba non recitabo, quandoquidem & illi præluxerit Menardus cum Yepeſio, uti nec Matyrologi Hiſpani, cùm ex Yepeſio omnia profluxerint, quæ rectè aſſeruerunt de* B. Virilo. *Quare ſola Yepeſii verba conſideranda ſunt & conferenda cum aſſertis Menardi, qui Hiſpanum Ordinis ſui hiſtoricum non rectè ubique expreſſit.*

colitur in monaſterio Legerenſi loco que vicino:

C 2 *Laudatus Yepeſius tom.* 4 *cap.* 3 *prolixè agit de monaſterio S. Salvatoris Legerenſis, & fol.* 84 *catalogum abbatum ejuſdem monaſterii recitat. In hoc catalogo non reperitur* B. Virilus, *ſed primus nominatur* Fortunius, *cujus principium auctor figit anno* 832. *Quapropter, ſi* B. Virilus *fuit abbas Legerenſis, vetuſtior eſt, quàm credidit Menardus, aut junior. Yepeſius poſt datum catalogum ait,* B. Virilum *multò antiquiorem credi, quàm omnes ibidem recenſitos. Addit tamen:* Non conſtat certò, quo tempore floruerit Vir ille ſanctus. Verumtamen, ut dixi, admodùm veriſimile eſt, abbatem fuiſſe ante tempora regis Inici Ariſtæ. *Sic ille ſine ullo argumento adjuncto, ut maluerim de tempore, quo Beatus floruit, nihil ſtatuere, quàm vagam & incertam ſequi conjecturam. De feſtivitate Beati, quam die* 1 *Octobris aſſerunt martyrologi, conſentit Yepeſius, aitque eam celebrari magna cum ſolemnitate in monaſterio Legerenſi, & præterea in vico* Thermas, *qui uno milliari diſtat à monaſterio, ubi ait eſſe in medio ſilvæ fontem,* S. Virili *dictum. De corpore Beati ſervato in monaſterio, & de inſcriptione ſuperiùs data, ſimiliter* E *conſentit, aſſeritque fol.* 82 *totum ibidem ſervari corpus.*

geſta ejus ferè ignota & ætas.

3 *Ignotam ſibi eſſe Vitam* B. Virili, *teſtatur Yepeſius, aitque, ea de cauſa ſe narrare noluiſſe* prodigia magna, *quæ de eodem referuntur. Quare lector ſtudioſus verba Menardi,* Illius Acta admiranda habentur, *illo ſenſu intelligat, quòd aliqua de miraculis ejus narrentur, aut etiam conſcripta fuerint. Nam id ſolum voluit Yepeſius: geſta verò in vita non fuiſſe ſcripta innuit. Prudentius de Sandoval in Catalogo epiſcoporum Pampelonenſium fol.* 18 *pag.* 2 *inſinuat, ſanctos mores* Virili *abbatis ſatis notos fuiſſe in Hiſpania, Sanctumque accerſitum fuiſſe à rege Froila aut Froilano, filio Alphonſi Catholici, ad inſtaurandum monaſterium S. Juliani de Samos in Gallicia, idque à Sancto peractum; ſed eumdem reverſum eſſe ad monaſterium ſuum Legerenſe, ibique obiiſſe. At nullum allegat documentum: nec intelligo, qua ratione id factum adeo latere potuiſſet Yepeſium, ut ætatem quoque* B. Virili *ignoraret. Nec modò laudatum Ordinis ſui hiſtoriographum latuit; ſed & alios recentiores, ac nominatim Antonium de Heredia Hiſpanum, qui in Sanctis Ordinis Benedictini ad* 1 *Octobris de* B. Virilo *agit ex Yepeſio, Menardo & Bucelino, ſed de dicta monaſterii S. Juliani inſtauratione tacet.* F *Itaque illam ego confirmare nequeo; ſed potiùs fundamento carentem invenio. Etenim Yepeſius ad annum* 759 *cap.* 3 *refert fundationem cœnobii S. Juliani Samonenſis aut de Samos per Froilam regem. At primum monaſterii abbatem non* Virilum, *ſed* Argericum *vocat, eumque omnino alium, ut ibidem inveniet ſtudioſus lector, aut etiam apud Mabillonium in Annalibus Benedictinis ad annum* 759 *tom.* 2 *pag.* 196.

AUCTORE J. S.

DE S. SULINO ABBATE CONF.

IN VICO SUI NOMINIS, DIOECESIS MACLOVIENSIS,

IN ARMORICA.

SYLLOGE

De cultu & geſtis.

SEC. VI AUT VII. *Hodie S. Salinus cultus Maclovii, alio die in diœceſi Leonenſi,* B

Ui geſta Sanctorum Britanniæ Armoricæ illuſtrârunt, Albertus Le Grand, & Guido Alexius Lobineau, ad hunc præcipuè diem referunt S. Sulinum, *quem Gallicè vocant* S. Suliau, *& hoc ipſo eum coli in diœceſi Maclovienſi rectè obſervant. Etenim in Officiis propriis eccleſiæ Maclovienſis, quæ ſeculo præterito impreſſa habemus, ad* I *Octobris de* S. Sulino *habetur Officium novem lectionum, ex quibus tres ſunt de geſtis Sancti, & cum oratione propria, quæ ita ſonat:* Sit, Domine, quæſumus, beatus Sulinus, confeſſor tuus atque abbas, cuſtos actuum noſtrorum, & mala opera ac deſideria maligna, quæ noſtra fragilitas ſuperare non poteſt, ejus pia interceſſione, tua benignitate annuente, vincantur. Per Dominum *&c. Ante orationem hæc leguntur*: Feſta Octobris. Die I fit feſtum ſancti Sulini abbatis & confeſſoris. *Similiter ad* I *Octobris habentur aliæ lectiones de* S. Sulino, *quæ Majoribus noſtris communicatæ fuerunt ex vetuſtiore Ms. De ejus cultu & de hoc die pro eccleſia Maclovienſi conſentiunt ſcriptores memorati. Ambo tamen addunt, ejus Officium haberi in Breviario diœceſis Leonenſis ad* XXIX *Julii. Et revera in Kalendario, quod* ex veteri Breviario Leonenſi *ſcriptum, & huc olim miſſum fuit, ad* XXIX *Julii hæc invenio verba:* Suliani conf. 9. l., *id eſt, novem lectionum.*

annuntiatus alio à Caſtellano: locus, ubi ſepultus & cultus.

2 *Quapropter morari nos non debet Caſtellanus, qui* S. Sulinum *annuntiat ad* VIII *Novembris, non alia de cauſa, opinor, quàm quòd eum illo die obiiſſe legerit. An verò ille obitûs dies videatur certus, inferiùs inquiram. Interim audiamus verba Caſtellani Latinè reddita.* Prope Solidor, *inquit*, in diœceſi Maclovienſi, S. Sulivi abbatis, filii Brocquemari principis Gallenſium. *Omnia hîc modicè mutata, ut alium annuntiari ſuſpicarer, niſi ultima verba eumdem planè inſinuarent. Nam pro nomine Gallico* Suliau, *quo alii utuntur, ipſe dixit* Suillac, *poſtea tamen in indice annotans, eumdem eſſe cum* Suliau. *Pro Latino nomine* Sulinus, *maluit* Sulivum *dicere. Pro* prope Solidor *in indice dixit* prope Maclovium. *Apud Blavium in tabula Aremoricæ vicus, ubi eſt eccleſia parœcialis* S. Sulini, *vocatur* S. Suliac. *Albertus le Grand de Sancti ſepultura in fine ſcribit, & locum diſtinctiùs explicat. Verba Gallica Latinè reddo:* Corpus ipſius, *inquit*, ſepultum fuit in eccleſia ejus abbatiali, nunc parœciali & prioratu, qui vocatur Sanctus Sulinus ad fluvium Rance (*vulgò* Saint Suliau ſur Rance) diſtans Maclovio duobus milliaribus Gallicis, Dolâ quinque, Dinantio tribus, Caſtro-novo (*Chaſteau-neuf*) medio. *Hæc ille de loco, qui datis verbis abundè demonſtratus eſt. De cultu ſubjungit:* Multa miracula operatus eſt Deus ad ſepulcrum ejus, qui piè inviſitur, à peregrinis: hi verò ibidem ejus Sancti patrocinio ingentes obtinent favores. *Addit Lobineau, ſaxeum Sancti ſepulcrum etiamnum oſtendi in parte inferiore eccleſiæ, & ſupra illud nihil figuræ expreſſum præter magnam crucem.*

E *Ex Breviario Ms. datur*

3 *Ut lector habeat compendium illorum, quæ de geſtis* S. Sulini *narrantur, huc transfero lectiones ex Ms. Breviario huc miſſas.* B. Sulinus Brochmaum regis Galenſium adhùc puer, à B. Guimarcho presbytero litteris & moribus eſt imbutus. Mortuo autem patre ſuo, mare tranſiens, pervenit ad locum, qui dicitur Letau, juxta fluvium, qui dicitur Rentio (*Gallicè* Rance) ibique in loco deſerto & nemoroſo tuguriolum collocavit. Cúmque ceſpitem incultum excoleret, ut herbis & oleribus ſibi victum præpararet, quidquid ibi ſevit & plantavit, turba ferarum devoravit. Unde conqueſtus Vir Dei principi regionis, tale reſponſum accepit ab eo: Si vis ſegetem tuam cuſtodire, ſtude eam ſepiendo munire. Qui domum reverſus, agellum baculo ſuo circuivit, & per quatuor partes agelli ſui ſingulas figens virgas, ipſum circum ſepem reliquit. Venientes ibidem feræ more ſolito ad paſtum, ut putabant, ſibi paratum, mox ut tactum baculi Viri Dei tetigerunt, rigeſcere adeo cœperunt, ut in eodem ſtantes loco, nec ad paſtum attingere, nec ad reditum pedem movere poſſent. Princeps verò hoc audiens, miraculi ſtupore percuſſus, confeſtim ad Virum Dei properavit, & pedibus advolutus veniam poſtulavit. At Vir Dei, oratione facta, & animalia abſolvit, & principem cum multis aliis baptizavit.

F

Actorum compendium,

4 Eo tempore B. Samſon Dolenſis archiepiſcopus, auditâ S. Sulini famâ, circumventus à clericis, qui invidiæ valetudine laborabant, cœpit aliquantulùm indignari, quare Vir Dei in epiſcopatu ſuo abſque authoritate illius vel baptiſare vel prædicare præſumeret, oleumque ſibi dari prohibuit, & eum à prædicatione ceſſare præcepit. At Vir Dei advenientium neceſſitate compulſus, metuens, ne ſine baptiſmate aliquis deperiret, quod humana poteſtas denegârat, à Deo ſibi dari poſtulavit. Qui, oratione peracta, invenit ſuper altare calicem oleo puriſſimo repletum. Hoc igitur miraculum ut ad aures pervenit Samſonis, timens vir Deo devotus, ne ira Dei ſuper eum veniret, eò quòd ſervum ejus Sulinum exacerbare præſumpſiſſet, unà cum clericis & fidelibus ad eum uſque properans, poſtulavit veniam de commiſſo, omnimodis emendaturus de reliquo. Ad quorum adventum nimi-

ùm

A ùm gaudens Vir Dei, veniam poſtulatus tribuit, ad menſam invitavit, & abundanter hoſpites ſuos refecit. Unus verò ex prandentibus, cùm carnem ſibi appoſitam edere nollet, eam in ſinu ſuo cadere permiſit, quæ caro in colubrum verſa eſt. Quod videntes cæteri, miſero homini condolentes, B. Sulinum, ad genua ejus provoluti, pro ipſo deprecantur. Quo ſerpente ad orationem Viri Dei fugato, omnes ibidem aſſiſtentes benedicunt Dominum, & ejus famulum S. Sulinum: qui poſtea tactus levi febricula, cognovit per ſpiritum horam vocationis ſuæ: & ſeſe Deo commendans, poſt percepta Sacramenta, in hymnis & laudibus migravit ad Chriſtum. *Hactenus lectiones Officii Ms.*

5 *Ab iis notabiliter differunt impreſſa. Quapropter & has recitabo.* Sulinus, Brochmail regis in majori Britannia filius, ſub Guimarcho presbitero religioſiſſimo tam ſacris quàm profanis litteris operam dedit. Cùm autem in tenera adhuc ætate conſtitutus ſe totum Deo dedicâſſet, velletque cum eodem Guimarcho in monaſterio manſionem eligere, pater ejus fratreſque à religione eum avertere cupientes, & tandem ſe fruſtra laborare cernentes, in ſancto propoſito permanere paſſi ſunt. Habitaverunt ergo ſimul Guimarchus & Sulinus, in divinis ſe laudibus occupantes uſque ad mortem patris. Inde quibuſdam annis elapſis, vidua fratris ejus in illius amorem exarſit, voluitque eum ſibi in matrimonium conjungere. Quo tantum facinus renuente, mulier ſpiritu nequitiæ exagitata, in tantam rabiem prorupit, ut, quoſcumque de familia Viri ſancti inveniebat, affligeret; ita ut à monaſterio pro fratrum conſervatione abierit, & in inſula quadam ſeptem continuos annos vixerit: unde tandem Guimarchi imperio ad ſuos reverſus, cùm malignam illam mulierem effugere non poſſet, transfretare diſpoſuit. Itaque ſe ventis & mari committens, ad locum quendam in minori Britannia, cui nomen Letau, prope fluvium Rentium, appulit. Ibi pedem fixit, & tuguriolum conſtruens, à principe religionis illius terras quaſdam ſepiendi licentiam accepit. Cùm autem multis polleret virtutibus, plurimi, inter quos ipſemet princeps, ad eum convenientes, ab errore paganorum ad Chriſtianiſmum converſi, baptizati ſunt. Miraculis in vita pluribus claruit, quibus nomen ſuum illuſtre reddidit, ac tandem levi febricula tactus, plenus dierum in Chriſto quievit ſexto Idus Novembris. Cujus corpus honorificè ſepultum eſt in eccleſia ejus nomini dicata. *Huc uſque Officium impreſſum.*

aliud ex impreſſo.

B

C

6 *Habes, lector ſtudioſe, traditionem eccleſiæ Maclovienſis de geſtis* S. Sulini. *Vitam magis prolixam ſcripſit Albertus le Grand à pag.* 475, *& in fine plura laudat documenta, ex quibus eam compoſuit, ſed ea nec meliora videntur, quàm quæ recitavi, nec alia fèrè ex iis produxit. Mihi non lubet multa hîc inquirere, cùm tam Sanctus ipſe, quàm perſonæ pleraque, in allegatis documentis nominatæ, admodùm ſint obſcuræ in hiſtoria, ut fruſtra palpandum eſſet in tenebris. Quapropter breviter ſolùm ad præcipua capita annotabo, quid laudati Le Grand & Lobineau addiderint. Primò ambo conſentiunt,* S. Sulinum *fuiſſe filium regis aut principis Cambriæ aut Walliæ, ut modò frequentiùs vocatur, qui ſuprà* Galenſium *aut* Gallenſium *rex dicitur à nomine* Galles, *quo Galli Cambriam exprimunt. Primus principem illum vocat* Brocmail, *alter* Bromail. *Primus duos fratres* S. Sulino *tribuit, alter tres,* Maian, Jacob & Chanaam. *Primus totam vitam* S. Sulini *ad ordinem chronologicum revocat. Natum dicit anno* 530 *æræ Chriſtianæ, defunctum anno* 606, *ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſexto. Alter omnem chronotaxim prætermittit, quòd minùs ſit promptus, opinor, ad aſſerendum incerta.*

Ex iis aliiſque ſimilibus documentis gemina Sancti Vita ſcripta;

AUCTORE J. S.

7 *Monachum factum* S. Sulinum *ſub Guimarcho abbate, ambo biographi conſentiunt, uti & de civitate* Meibot, *in qua dicunt fuiſſe Guimarchi monaſterium. Addunt ambo, multa feciſſe Sancti patrem, ut Juvenem, quem inſcio patre ad monaſterium abiiſſe aſſerunt, ex eo retraheret; ſed tantam fuiſſe Tironis conſtantiam, ut ejus deſiderio tandem acquieſceret genitor. Tum ambo rurſum affirmant, ſed contra Maclovienſis Breviarii data verba,* S. Sulinum *ex abbatia Guimarchi receſſiſſe ad prioratum eidem ſubjectum, ſitumque in inſula fluvii ſive freti* Menai, *ne, mutata patris voluntate, à monaſterio abſtraheretur. Septennium habitationi in illa inſula tribuitur; ſed in Breviario Maclovienſi ſeptennium iſtud habitationis in inſula ponitur poſt mortem patris ejus, & ob perſecutionem mulieris, ut videri poteſt. Addunt biographi, inſulam illam etiamnum à* S. Sulino *vocari* Enès-Sulian, *ſive* inſulam Sulini, *nimirum idiomate Armoricano, quo* Enès *dicitur inſula. An id verum ſit, inquirendum relinquo iis, qui loco propinquiores ſunt. Laudati biographi porrò affirmant, poſt ſeptennium ex inſula revocatum fuiſſe* Sulinum *ab abbate Guimarcho, qui cupiebat Romam proficiſci. At id iter Sanctus abbati diſſuaſiſſe aſſeritur: imò & prodigio magis mirabili quàm credibili illud deſiderium Guimarcho exemptum à Sancto, addidit Albertus le Grand, qui eumdem non diu poſt obiiſſe dicit, mortemque ejus figit anno* 558.

in qua alia addita, alia mutata,

E

8 *Mox uterque Vitæ ſcriptor aſſerit,* Sulinum *pro Guimarcho abbatem electum, qui ex arbitraria prioris chronotaxi tunc habebat annos ætatis viginti & octo. Eodem rurſum aſſerente, poſt ſex regiminis ſui annos amiſit patrem anno* 564, *& biennio poſt fratrem, qui in principatum paternum ſucceſſerat. Hujus ſupererat vidua, quæ nuptias cum* Sulino *contrahere voluit, ut habet etiam Maclovienſe Breviarium, & nolentem perſequi cœpit. Hinc rurſum ad inſulam jam dictam fugiſſe Sanctum, ait primus biographus, conſentiente Officio Maclovienſi: alter ait, eum fugiſſe Bullæum. At uterque conſentit, Sanctum deinde transfretâſſe in Armoricam, & veniſſe ad locum deſertum prope fluvium Rentium, vulgò* Rance, *ubi uſque ad finem vitæ habitavit. Hæc habitatio multò certior eſt, quàm ſit cauſa transfretationis, imò etiam quàm ſint omnia de Sancti genere & geſtis in Cambria huc uſque à biographis relata, de quibus ſolùm pauca in Ms. Breviario ſunt aſſerta. Albertus eum priùs perducit ad S. Maclovium, ſed ex mera conjectura, opinor; ſicut & quindecim eidem ab initio ſocios tribuit. Narrat deinde aſſertum in Ms. Breviario miraculum de feris ad tactum lineæ, quam Sanctus duxiſſe dicitur, immotis: ſed id prætermittere maluit Lobineau. Res de ſe non eſt incredibilis; ſed nequit certa videri, cùm non habeatur ex monumento ſatis vetuſto.*

alia etiam à ſecundo biographo

F

9 *Quod legitur in dicto Breviario de indignatione S. Samſonis contra* S. Sulinum, *omiſit uterque biographus, unà cum miraculo de oleo divinitus ſubminiſtrato. Hoc ſanè miraculum mihi probabile non videtur, non modò quia caret idoneo teſtimonio, ſed vel maximè, quia contrarium eſt ordini hierarchico Eccleſiæ. Dubitari etiam poteſt,*

prætermiſſa. Pleraque ſunt incerta.

AUCTORE J. S.

an S. Sulinus *eodem tempore in Armorica habitaverit cum S. Samsone, in cujus Vita, ad* XXVIII *Julii apud nos data, de* S. Sulino *nulla prorsus fit mentio. Verumtamen uterque biographus asserit,* Sulinum *à S. Samsone invisum fuisse, imò & sanctum episcopum aliquot diebus apud eum mansisse. Primus etiam asserit prodigium de serpente ex carne, ut habet Officium, nato & per Sanctum fugato; sed pro carne panem substituit. Non est quidem admodùm verisimile, carnem à Sancto Monacho propositam fuisse episcopo ejusque clericis. At res tota nihilo est probabilior: eaque haud dubiè de causa Lobineau totum maluit abscindere prodigium, sicut reliqua abscidit miracula. Fateor lubens, omnia esse incerta & parùm probabilia. At si certa tantùm* S. Sulini *gesta referre voluisset laudatus scriptor, potuisset paucis verbis totam conscribere Vitam: neque enim multò certiora credo, quæ asserendo narravit de omnibus Sancti gestis, exceptâ forsan patriâ & habitatione Sancti in Armorica.*

& aliqua minùs probabilia.

B

10 *Tale rursum est, quod uterque biographus ante mortem Sancti narrat, videlicet duos monachos ad Sanctum missos fuisse ex monasterio Cambriæ, cui priùs præfuisse asseritur, ut docerent, defunctam esse fratris ejus viduam, eumque ad redeundum in Cambriam invitarent: de quibus nihil est in Officiis superiùs recitatis. Nam omnia illa, quæ asseruntur de persecutione adversus Sanctum concitata per viduam fratris ejus, non minùs suspecta videntur, imò & reliqua, quæ de stirpe ejus asserta sunt, non multò probabiliora sunt, quàm abscissa per Lobineau prodigia. Etenim non minùs familiare quibusdam fuit, maximè in Anglia, Scotia & Hibernia, Sanctos parùm cognitos regum aut principum filios dicere, quàm fictitiis exornare miraculis. Tempus, quo obiit Sanctus, quamvis annum* 606 *figat Albertus le Grand, incertum est, quia non innotuerunt personæ, in gestis ejus commemoratæ, excepto tantùm S. Samsone, de cujus extrema ætate multùm dissentiunt scriptores: alii enim seculo* VI *circa annum* 565 *obiisse Samsonem volunt cum Sollerio nostro; alii usque ad seculum* VII *mortem ejus differunt. Præterea dubitare possumus, utrùm revera cum S. Samsone vixerit* S. Sulinus, *an verò ob propinquitatem locorum, in quibus vixerunt, petita non sit conjectura de invisо per S. Samsonem* Sulino. *Quapropter ætatem Sancti latè fixi seculo* VI *aut* VII. *In Officio impresso dicitur obiisse die* VIII *Novembris. At id quoque incertum censeo, cùm Le Grand asserat, Sanctum obiisse die* 1 *Octobris, fortè ex simili documento; & huic diei cultus faveat.*

D

E

DE B. EURIELA VIRGINE
IN ARMORICA.

SEC. VII.

DE B. Euriela *virgine nihil invenio præter pauca, quæ tradit Lobineau in Sanctis Britanniæ Armoricæ. De ea scribit pag.* 157. *Verba ejus Gallica reddo Latinè:* S. Euriela erat soror S. Judicaëlis regis Armoricæ. Nulla nobis superfunt Acta, quibus doceamur singularia vitæ ejus gesta. Nomen ejus scriptum est in genealogia S. Judicaëlis, & sanctitas ejus confirmata cultu vetusto, quo honoratur in provincia. Prope Tremeur & prioratum S. Georgii, non longè admodùm à Dinantio, cernitur ecclesia parœcialis diœcesis Dolensis, cui nomen est S. Eurielæ: & Kalendarium antiquum ecclesiæ S. Mevenni festivitatem hujus Sanctæ annuntiat die 1 Octobris. Virginem vocat & sororem sancti regis Judicaëlis: solemnitatem verò reducit ad simplicem commemorationem. *Verba laudati Kalendarii hæc sunt post annuntiatum S. Remigii festum:* Item. Eurielæ virginis, sororis S. Judicaëlis, commemoratio. *Laudatus scriptor in Historia Britanniæ Armoricæ item meminit de* S. Euriela, *S. Judicaëlis sorore; sed nihil addit modò datis: neque alia ego addenda habeo.*

C

DE S. BAVONE, ALIAS ALLOYNO, CONF.

F

GANDAVI IN FLANDRIA.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti memoria in Fastis sacris: Acta edenda.

ANNO CIRCITER DCLIV. *Sanctus, Gandensium patronus,*

INter Sanctos, quos plures colit Gandavum, sæpiùs per decursum memoranda, & quamquam notissima ac celeberrima sit, paulò latiùs describenda Flandriæ civitas, primus & præcipuus est S. Alloinus *seu notiore nomine deinceps appellandus* S. Bavo. *Is quippe, ex quo civitas ista, ab inanium deorum cultu ad unius verique Dei fidem perducta est, primus ipsam omnium, quos novi sacris Fastis inscriptos, morte sua honoravit, sacro corpore ditavit, illustravit post obitum miraculis. Is vivens ac mortuus tot in ipsam contulit beneficia, ut meritò Gandenses* Bavoni *potissimùm acceptum referant, quòd exiguum priùs castrum ad eam amplitudinem, quâ hodieque*

AUCTORE J. P.

A *que conſpicitur, excreverit, utque* Bavonem *ab initio primarium ſuum patronum agnoverint & coluerint, colantque etiam hac noſtra ætate. Sed hæc quoque alibi declaranda venient; præſens § unicè deſtinatus eſt dandæ notitiæ veterum auctorum, qui Sancti geſta ſcriptis mandârunt, ac deſignandis Martyrologiis, quibus nomen ipſius inſcriptum reperitur & à quibus exordior.*

multis antiquis, non tamen Bedæ

2 *Ex claſſicis, ut vocant, martyrologis præiverunt Wandelbertus & Rhabanus, ſed hic* Babonem *ſcripſit ac perperam epiſcopum dixit. Wandelbertus ſic canit ad primam diem menſis Octobris:*

Francos, qui primus docuit, domuitque feroces,
Remigius proprio Octimbrem præſignat honore
Germanuſque ſimul doctrinâ inſignis & actu....
Hos virtute Bavo & ſancto comitatur honore.

Rhabanus hæc habet ad eumdem diem: In Galliis civitate Antiſiodorenſe, depoſitio S. Germani epiſcopi. Rhemis civitate Remedii epiſcopi. Adratis * civitate B. Vedaſti epiſcopi. Ganda monaſterio S. Babonis epiſcopi, quorum omnium converſationes & geſta miraculis plena, conſcripta habentur. *Duos iſtos martyrologos eodem ſeculo, nono ſcilicet, quo ambo floruêre, ſubſecutus eſt Uſuardus, in cujus puro textu apud Sollerium legitur:* In portu Ganda, ſancti Bavonis confeſſoris. *Fuerunt, qui pro antiquiore* S. Bavonis *notitia etiam ad venerabilem Bedam lectores ſuos remitterent; at quando ipſimet non noverant Bedæ Martyrologium, putabantque illud eſſe, quod ſub nomine Bedæ circumlatum fuit, quodque nullo pacto à Beda, ſed à neſcio quo, ex Adone aliiſque compilatum eſt, uti probârunt majores noſtri. Habes Bedæ Martyrologium excuſum apud nos ante tom.* 2 *Martii, ubi tamen in genuino textu nihil reperire eſt de* S. Bavone.

B * Attrebatis

& Adonis

3 *Plures fuêre & ſunt etiam nonnulli hodiedum opinantes,* S. Bavonem *ab Adone fuiſſe Martyrologio inſcriptum. Mabillonius in Obſervationibus præviis ad Vitam ex veterrimo, ut vocat, apographo Adoniano hanc profert annuntiationem:* Kalend. Octob. in pago Ganto natale S. Bavonis conf., cujus geſta habentur. *Similem ex ſuis codicibus adducit Dominicus Georgius & Adonis à Roſweydo editi atque à ſe illuſtrati textui ſubjicit his verbis:* In portu Ganto natalis ſancti Bavonis confeſſoris, cujus geſta habentur. *In Adnotationibus verò ad S. Vedaſtum; nam & hujus & S. Remigii tranſlationem, itemque natalem S. Piati, apud Moſandrum ac Roſweydum prætermiſſos, ipſe adjicit ex iiſdem codicibus, ad S. Vedaſtum, inquam, ſic pronuntiat:* Moſander & Roſweidus in Appendicem Vedaſtum unà cum Bavone ablegârunt. Moſander veniâ dignus eſt, à qua (*dicere voluit, opinor,* at culpâ) non ſolvendus Roſweidus, cui fortè præ oculis fuêre apographa Hieronymiana, & vetuſtiora Uſuardi apographa. *Codices Mabillonii ac Georgii nobis non ſat probari, verè eſſe Adonianos, jam aliquoties dictum eſt: ad argumentum verò, quod ad arguendum Roſweydum deſumit Georgius ab Hieronymianis & Uſuardinis apographis reſponſum nuper tom.* VIII *Septembris in S. Fraterno epiſcopo Antiſſiodorenſi.*

C

genuinis,

4 *Statue tamen, Roſweydum conſulere potuiſſe ac debuiſſe, imò revera conſuluiſſe apographa Hieronymiana ac Uſuardina, ut diſpiceret, utrùm eſſet retinenda tamquam genuina, an rejicienda, ut ſpuria, annuntiatio SS. Vedaſti &* Bavonis, *reperta in aliquibus ſed minùs puris Adonianis codicibus. Quid hinc colligere debuit vel potuit? Annuntiatio per Roſweydum in Appendicem ablegata, eſt hæc:* Eodem die ſanctorum Vedaſti epiſcopi & Bavonis confeſſoris. *Uſuardus purus apud Sollerium non memorat hoc die S. Vedaſtum;* S. Bavonem *non habent Martyrologia S. Hieronymi nomine inſignita, editaque à Florentinio. Nec Vedaſtus nec* Bavo *legitur hodie in vetuſtiſſimo Hieronymiano aut Gellonenſi, quorum primum inſeruit Acherius tom.* 3 *Spicilegii, alterum tom.* 13. *Neuter ſimiliter in Autiſſiodorenſi, Morbacenſi, Corbeienſi apud Martenium & Durandum tom.* 3 *Anecdotorum: neuter in contractis Hieronymianis apud nos tom.* VII *Junii, præterquam in Auguſtano, ubi ſolus diverſo charactere comparet* S. Bavo *hoc modo:* Apud Gantum S. Bavonis. *En præcipua jam recenſuimus Hieronymiana & Uſuardina apographa. In nullis tamen ſimul comparent, nedum ita conjunguntur, ſicut in Adoniana Roſweidi annuntiatione; ut vel ex iſto capite* E *conjectare potuiſſet Roſweydus, hanc ſuam, jam antè à Moſandro rejectam, verè eſſe ſpuriam & ablegandam ad Appendicem: utque, non minùs quàm Moſander, veniâ dignus ſit Roſweydus, ſiquidem veniâ egeat, qui culpâ caret ac perperam arguitur.*

Martyrologiis & Kalendariis inſcriptus eſt.

5 *Porrò* S. Bavo *non tantùm in Uſuardo puro annuntiatur, verùm etiam in variis ejus Auctariis, ſed in unis longiore, in aliis breviore elogio, ut videre licet apud Sollerium noſtrum hoc die. In Barberiniano autem Bedæ Auctario ante tom.* 2 *Martii iſta ſignantur:* Et alibi Vedaſti, Bavonis, Pietonis: *in Fuldenſi Martyrologio apud Dominicum Georgium:* Eodem die natalis ſanctorum Piatonis atque Bavonis: *ibidem in Kalendario Vaticano ex codice* 3806: Canda ſancti Bavonis: *& in Kalendario Corbeienſi apud Martenium:* Calendis Octobris, Nobiliaco monaſterio S. Vedaſti; Remis S. Remigii, Germani, Bavonis, Piati: *denique ne enumerandis ac recitandis plurimorum recentiorum Faſtis ſacris tempus teramus, in Hagiologio Franco-Gallico & in Romano Martyrologio hodierno iiſdem planè verbis, quibus in Uſuardo puro.*

Vita ſcripta ab anonymo, monacho veriſimiliter Gandenſi,

6 *Primigenia* S. Bavonis *Vita admodùm nota fuit antiquis ſcriptoribus; at ex quo Theodoricus abbas Trudonopolitanus ſub initium ſeculi* XII *alteram concinnavit, ad tenebras illa damnata eſt uſque adeo, ut vix ullus ejus deinceps mentionem fecerit, donec ſeculo proximè elapſo per Mabillonium luci reddita & ab eruditis in pretio haberi cœpta eſt. Auctoris nomen, patria, conditio hactenus non innotuerunt; veriſimilius nihil conjectari poteſt, quàm quòd fuerit monachus ſæpius laudandi cœnobii Gandenſis. Nam primò ea, quæ alibi geſſit Sanctus, paucis perſtringit, totuſque eſt in narrandis iis, quæ patravit ille in dicto cœnobio. Secundò innuit idem auctor, ſcripſiſſe ſe, jubente vel rogante cujuſdam congregationis prælato vel monachorum abbate, quem ſic alloquitur in Prologo:* Pater ſancte, ... coëgiſti, quantum valet imperita lingua, ut eloquentiſſimorum virorum omnium imitetur veſtigia. Tibi, pater, quidquid ars mea cogitaverit, aut invenire valuerit, patefacere curabo .... voluntatem tuam explere cupimus. Mihi Dominus ſervorum ſuorum ultimo præſtet de veſtra ſemper converſatione gaudere & cum grege vobis commiſſo & cum ſancto Bavone ... regna cælorum promereri. *Vir itaque ille,*

AUCTORE J. P.

ille, cui Opus ſuum dedicat noſter, vel erat abbas Gandenſis cœnobii, qui Geſta Sancti volebat conſcribi & ad poſterorum notitiam ſervari, vel alterius congregationis prælatus, qui Geſta eadem ſibi ſuiſque ſubditis diſtinctiùs declarari deſiderabat. Utroque caſu veriſimillimum eſt, id juſſum vel rogatum fuiſſe monachum Gandenſem, utpote de re propiùs ac pleniùs inſtructum.

quem alii ſeculo 7, alii 8 vixiſſe tradunt,

7 *Valdè antiquum eſſe auctorem, agnoſcunt omnes, non tamen eamdem ætatem ipſi attribuunt omnes. Primus editor Mabillonius* ferè coævum *vocat. Hiſtoriæ Litterariæ Franciæ auctores Benedictini* non omninò æqualem, *cenſent*, ſed non valdè remotum à tempore, quo vivebat Sanctus. *Guilielmus Cave part. 2 Scriptorum eccleſiaſticorum pag.* 132 *ſcripſiſſe, ait,* circa annum DCLXX, *qui fuit decimus ſextus vel ſeptimus à* S. Bavonis *obitu. Bailletus denique* centum annos *dicto obitu poſteriorem facit. Sed ſicut hic nullum ſententiæ ſuæ fundamentum allegat, ſic Cavo nullum fuiſſe autumo præter rationes repertas in Obſervationibus præviis apud Mabillonium, atque iſtis verbis expreſſas:* Auctor anonymus non multo poſt S.
B Bavonis mortem vixiſſe videtur. Expendenda ſunt verba, quibus Vitam à ſe ſcriptam concludit. "Si omnia,„ inquit, "quæ de ejus geſtis com„perimus, vellemus proſequi, dies (ut opinor) „antequam ſermo ceſſaret.„ Quæ verba teſtem quaſi oculatum præ ſe ferunt. Ado ſeculi IX auctor S. Bavonis geſta à ſe lecta teſtatur in hunc modum &c.; *verba dedi ſuperiùs, ubi dixi non probari nobis, eſſe genuina Adonis. Pergit Mabillonius:* Scriptor Miraculorum S. Bavonis in lib. 1 num. IV LIBRUM GESTORUM S. Bavonis laudat. Denique Othelboldus Gandenſis abbas ineunte ſæculo XI, in Epiſtola poſtea referenda eumdem LIBRUM VITÆ commendat.

certè admodùm antiqua eſt; nota Rabano,

8 *Secunda pars argumentationis, ſi nempe in adductis ſcriptorum veterum teſtimoniis ſermo ſit de hac Vita noſtra, quod probabiliſſimum eſt, valet ad oſtendendum, auctorem ejus fuiſſe valdè antiquum, ſcripſiſſeque ante medium ſeculum nonum; Adoni enim ſubſtituimus Rhabanum, qui in Martyrologio ſuo ante medium iſtud ſeculum compoſito,* Geſta S. Bavonis conſcripta *commemorat. At verbis biographi noſtri prima parte argumentationis contentis eam vim attribuere nolim, quam ipſis attribuit Mabillonius; cùm is rem a-*
C *liquam* comperiſſe *rectè dicatur, qui illam etiam longo pòſt tempore ex authenticis monumentis ſeu ſcriptis didicit. Hinc fortaſſe iſtud Mabillonii argumentum neglexerunt Hiſtoriæ litterariæ Franciæ auctores, ſuamque de ætate biographi ſententiam ſtabilire conati ſunt ſequentibus rationibus:* Quoniam non citat ſcriptum anterius, ac ceteroquin exactiſſimè nominat perſonas omnes, de quibus loquendi ſe offert occaſio, oſtendit, ſe ſcripſiſſe ex relatu teſtium oculatorum ac proin triginta aut triginta quinque annis poſt mortem S. Bavonis. *Equidem neque horum, neque Mabillonii ſententiæ repugno; ſed rationes, quibus eam firmatam exiſtimant, lectorum judicio committens, maximum pro antiquitate Vitæ pondus deſumo à teſtimoniis Rhabani & aliorum veterum, de ea loquentium, prout fieri ſolet de antiquis monumentis.*

& ab altero anonymo ante annum 980

9 *His jungi poteſt alter anonymus noſter, qui prioris Lucubrationem verſibus reddidit, & ſeculo decimo poſterior non eſt, fortè etiam anterior. Id colligimus ex num. 7, ubi leguntur iſta de S. Landoalde:*

Ille quidem ſanctis exiſtens pervigil actis, D
Uſque diem mortis non declinavit ab ipſis
Munere divino miracula multa patrando,
Cujus membra loco pauſant feliciter illo,
Qui CURTIS HIEMIS priſco ſtat nomine dictus,
Bavonis fuit hîc quondam poſſeſſio ſancti.

De S. Landoaldo archipresbytero ac Sociis actum eſt apud nos ad diem XIX *Martii, dataque Hiſtoria tranſlationis reliquiarum ex Wintershove Gandavum, auctore monacho Gandenſi coævo. Eſt autem* Wintershove, *Latinè nonnullis* Wintershovium *aut* Wintershovum, *mox laudatis monacho Gandenſi & anonymo poëtæ* Curtis hiemis; *nam* hiems *Belgicè* Winter *&* curtis, *(quæ vox paſſim villam ſeu vicum ſonat)* hoeve *dicitur; eſt, inquam, vicus inter civitates Tungros & Haſletum in ditione Leodienſi: ubi dictus S. Landoaldus mortuus ac ſepultus eſt, miraculiſque claruit uſque ad annum* 980, *quo ſacra ejus lipſana à Gandenſibus monachis, ex donatione procul dubio* S. Bavonis *olim facta, loci dominis, inde tranſlata ſunt Gandavum, uti ex Hiſtoria tranſ-*
lationis certò conſtat. Atqui indicat poëta, mem- E
bra S. Landoaldi pausâſſe etiam tum Wintershovii, cùm ſcriberet, ſcripſit igitur ante annum 980.

verſu quadamtenus Leonino, quod metri genus

10 *Erit fortaſſe, cui dubium incidat de tanta Poëmatis antiquitate ex ſtructura carminum, quibus pro majori parte conſtat, quæque Leonina ſunt, vel Leoninis affinia: præſertim ubi iſta legerit apud Cangium in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis:* Leonini verſus, ſic fortè nuncupati, quòd inventi fuerint à quodam Leone poëta, qui circa tempora Ludovici VII vel Philippi Auguſti regum Franciæ vixit. .. Quæ eſt etiam ſententia Stephani Paſchaſii lib. VII Diſquiſit. Francicar. cap. 2. *Juxta eam quippe ſententiam genus iſtud metri inventum fuiſſet dumtaxat ſeculo* 12. *Non eſt ad manum Opus memorati Stephani Paſchaſii: putem tamen, ipſum diſputâſſe ſolùm de origine nominis, idque acceptum fuiſſe à Cangio de prima carminis hujuſcemodi adinventione. Certè in Dictionario Gallico, quod Trivoltianum inſcribitur, ad vocem* Leonin *leguntur iſta Gallicè:* Cenſet Paſchaſius, nomen iſtud proficiſci à quodam Leonino vel Leonio, qui plura hujuſcemodi carmina ſimiliter deſinentia compoſuit. . . Erat is religioſus S. Victoris, qui florebat anno F
MCLIV ſub Ludovico VII. *Eſto tamen, attribuerit famoſus ille ſcriptor Leonino vel Leonio ipſam metri iſtius adinventionem. Contrarium cenſent, probantque hodierni eruditi.*

tunc uſurpatum fuiſſe

11 *Papebrochius in Paralipomenis ad Conatum in Catalogos Pontificum pag.* 87 *affert exemplum ex ſigillo Victoris ſecundi Pontificis, anno* 1057 *defuncti, in quo iſtud Hexametrum legebatur:*

Tu pro me navem liquiſti, ſuſcipe clavem.

Plura adducunt alii. At ne longior ſim, Marbodus ex archidiacono Andegavenſi anno 1096 *epiſcopus Redonenſis, mortuuſque circa* 1123, *proin Leone ſeu Leonino aut Leonio vetuſtior, paſſim iſto verſuum genere luſit in ſuis Poëmatis, ut videre eſt in ampla eorum collectione facta editaque per Antonium Beaugendre Pariſiis anno* 1708. *Præterea etiamſi gratis admittatur, verſus hujuſmodi rhythmicos ad majorem perfectionem adductos fuiſſe tantùm ſeculo* 12, *auctore potiſſimùm Leone vel Leonio, ut vel idcirco* Leonini *cœperint appellari, Acta S. Pelagii martyris apud nos excuſa tom.*

A *tom.* V *Junii pag.* 209 *invictè probant, metrum, quo usus est biographus noster, adhibitum fuisse seculo* 10. *En priora auctoris Sanctum alloquentis carmina :*

Inclyte Pellagi, martyr fortissime Christi,
Et bone regnantis miles per secula Regis,
Respice Hroswitham miti pietate misellam,
Me tibi subjectam miti pietate famellam.

Sic iisdem modis ac numeris absolvitur tota lucubratio.

probatur 12 *Ætatem Hroswithæ aliis Roswidæ, monialis in Gandersheimensi ducatûs nunc Brunsvicensis monasterio, discimus ex alio ipsius Opusculo similiter rhythmico de gestis Ottonis primi imperatoris, quod exstat apud Henricum Meibomium juniorem tom.* 1 *Rerum Germanicarum à pag.* 709. *In prima Præfatione ad Gerbergam abbatissam se vocat* Hroswith Gandersheimensem ultimam ultimarum, *in altera Ottonem secundum imperatorem, cui poëma offert, ita alloquitur :*

Vilem ne spernas vilis textum monialis,
Quem præsentari (si digneris reminisci)
Ipse tui claris jussisti nuper ocellis.

Atque hinc clarum fit, scripsisse ipsam ante an-
B *num* 983, *quo vivere desiit Otto secundus : & sic dubium omne, quod oriri poterat de antiquitate biographi nostri ex structura versuum, evanescit, statque argumentum, quod desumpsimus ex verbis ipsius de corpore S. Landoaldi sua ætate servato Wintershovii, & ex quibus concludimus, ipsum scripsisse ante annum* 980.

fideliter exposita. 13 *Nihil observo de qualitate seu natura ac valore Poëmatis, secundùm artem spectati ; nôrunt eruditi, ingenia seculorum istorum ad sublimiorem illam venustioremque poësim minùs fuisse exculta. Id universim de Opere isto dici potest, auctorem, demptis præfatione, allocutione ad* S. Bavonem, *iis, quæ inseruit de S. Landoaldo & paucis, quæ designabo in hoc Commentario vel Annotatis, strictè ac fideliter inhæsisse vestigiis biographi vetustioris, atque ita passim servâsse non tantùm rerum, sed & adjunctorum ordinem ac symmetriam, ut vix inter utrumque Opus sit aliud discrimen, quàm vocum & styli. Utrumque tamen typis committam, tum quòd Poëma, quantùm scio, numquam juris publici factum sit, tum quòd ex ipso judicari possit, alterum esse vetustissimum, primigenium ac sine notabili corruptione vel interpolatione ad hæc nostra tempora conservatum.*

C

Eamdem Theodoricus abbas, exeunte seculo XI, 14 *Primigenium illud Opus præ oculis etiam habuit tertius noster biographus, Theodoricus abbas Trudonopolitanus, de cujus vita, meritis & doctrina sat ampla exstat relatio apud nos tom.* 1 *Julii in Commentario prævio ad Vitam S. Rumoldi Mechlinienſium patroni : unde pauca delibo, tum ut ætatem ejus mox noveris, tum ut, quo loco & qua occasione scripserit, conjectes :* Hic priùs ad S. Trudonis monasticam vitam professus, sed ob frequentes contentiones abbatum, quibus omnia perturbabantur, pessum eunte monastica disciplina, Gandam ad monasterium S. Petri se receperat, ut ibi in pace & quiete Domino deserviret. Sed inde anno MXCVIII ab episcopo Leodiensi eductus, monasterio S. Trudonis abbas consecratus est. *Desumpta sunt ista & in compendium contracta ex Chronico Trudonensi, quod apud nos Ms. servatur & auctorem habuit Rudolphum abbatem, anno* 1108 *Theoderici eodem in monasterio successorem. Hinc sicut manifestum fit, quo tempore floruerit Theodoricus,*

ita vix dubium, quin Vitam S. Bavonis *reformandam susceperit ad finem vergente seculo undecimo, cùm Gandæ in monasterio S. Petri moraretur, in gratiam monachorum* S. Bavonis, *qui, ut à nonnullis conjicitur, priore Vita non contenti, ipsum, eleganter scribendi famâ celebrem, eò impulerunt.* AUCTORE J. P.

meliore stylo reddidit, sed multis erroribus conspersit. 15 *Hoc Theodoricus, utpote vir nec indoctus, nec Latini sermonis imperitus, exsecutus est eo successu, quem innuebam suprà. Antiquior Vita, stylo obscuriore & minùs ornato exarata, negligi cœpit, latebris occultari, obliterari : sola Theodorici lucubratio contrectari manibus oculisque ; sola hujus auctoritas allegari à succedentibus gestorum Sancti nostri scriptoribus. Successus iste tenuit usque ad medium ferè seculum decimum septimum ; cùm tandem ipsius additiones & interpolationes ad historicam ac chronologicam crisim expendi cœperunt, & pluribus scatere mendis ac erroribus deprehensæ sunt. Primam & præcipuam huc operam contulit Henschenius in Commentario prævio ad Acta S. Amandi episcopi tom.* 1 *Februarii pag.* 834 *& seq., ubi multos hujuscemodi errores denotavit ; & quoniam Vitam vetustiorem omnino deperditam credebat, indoluit. Plura non addo,* E *quia per decursum hujus Commentarii frequens veniet occasio impugnandi Theodoricum ac producendi recentiorum, super ejus erroribus Henschenio assentientium, argumenta : ex quibus & ex ipsomet Theodorici Opere, quod tertio loco excudam ; judicabit lector, an satis exacta sit sententia asserentium, quòd satis exactè secutus sit anonymum vetustiorem, & ab hoc differat solo stylo.*

Compendium Vitæ & miracula 16 *Quarto loco venit Opusculum, quod* ex Ms. S. Bavonis vetustissimo *desumptum notatur &* Miracula S. Bavonis tribus libris comprehensa *inscribitur : quamquam libro primo comprehendantur præsertim Gandæ situs & initia ; compendium Vitæ* S. Bavonis *& brevis Historia monasterii Gandensis cum reliquiarum translationibus à Sancti obitu usque ad medium seculum decimum ; libris verò duobus sequentibus ea tantùm miracula, quæ translationem dicto seculo factam subsecutâ sunt. Hujus quoque Opusculi, pro majori saltem parte, primus editor fuit Mabillonius ex Ms. codice abbatiæ S. Cornelii Compendiensis seculo* 2 *Benedictino pag.* 406, *ubi auctorem dicit monachum anonymum, qui seculo decimo vixit. Monachum se fuisse, significat auctor in Præfatione ;* F *ad seculum verò decimum ipsum retulit Mabillonius, quia, ut ait in Observationibus prævis,* paullò post Normannorum cladem vixisse ex initio libri 2 apparet. *Ad rationis hujus intelligentiam pauca, quæ postmodum fusiùs explanabimus, prænotanda. Seculo nono Gandenses monachi propter incursiones Normannorum in Gallias aufugerunt cum corpore* S. Bavonis *ac sacra supellectile, exsularunt, donec seculo decimo, rebus pacatioribus, Gandavum redierunt, & corpus Sancti, quoniam monasterium à barbaris destructum fuerat, in ecclesia novi castelli deposuerunt. Interim, hortante Transmaro Noviomensium & Tornacensium episcopo, monasterium instauravit Arnulphus Flandriæ comes, atque in illud transmigrârunt monachi cum corpore* S. Bavonis, *quod eo usque integrum conservatum fuisse publicè probavit S. Gerardus, tunc abbas monasterii.*

seculo 10 *facta, tertius anonymus* 17 *His narratis, transit anonymus auctor ad librum secundum, cujus illud præludium est :* Mira Dei cunctipotentis opera, quibus dilectissimi

AUCTORE J. P.

simi sui athletæ Bavonis dignatus est mundo innotescere merita, multorum revera profectui accommoda, stilo quoquo modo cupientes signare officio, non fore remur ab re, si priusquam, quæ in loco, quo nunc requiescit, moderno tempore sunt exhibita, magnificum quoddam ac proinde sui novitate proficuum, antequam eo loci ejus transferrentur reliquiæ, in novo castello manifestatum, memoriæ commendemus miraculum. *Ex isto præludio liquet, quod monui suprà, referri tantùm ab auctore miracula, quæ translationem, seu relationem sacri corporis post exsilium monachorum sæculo decimo factam, subsecuta sunt. Nam primum miraculum, quod tamquam vetustius præmittit, patratum asserit in novo castello, puta, eo in loco, quo monachi ab exsilio reversi sacrum corpus deposuerant; donec instauratum fuit monasterium: reliqua verò post monasterii restaurationem, sive circa tempora, quibus ipse scribebat, ut insinuat particulis* moderno tempore.

eodem sæculo 10 scripsisse

18 *Attamen ex solo isto præludio non ita fortè cuilibet apparebit, vixisse auctorem sæculo decimo, sicut apparuit Mabillonio. Etenim juxta ipsummet Mabillonium reliquiæ* S. Bavonis *reductæ sunt Gandavum anno 939; post hunc igitur annum miraculum primum patratum est in novo castello: quoniam autem idem miraculum ita discreverit auctor ab iis, quæ* moderno tempore exhibita *affirmat, videri posset, illud præmisisse, tamquam dudum ante sua tempora patratum, ac proin etiam verisimilius videri, non vixisse ipsum eodem sæculo decimo. Quidquid sit, nec mihi apparet satis convincens Mabillonii ratio: si pro sæculo decimo decertandum sit, malim pro argumento seu potiùs pro conjectura afferre auctoris scribendi modum & ordinem; qui licèt breviter & quoad stylum asperè; satis tamen accuratè libro primo tradidit historiam rerum ejusdem sæculi, ad reliquias* S. Bavonis *& monasterium Gandense pertinentium, sistensque in exhibitione reliquiarum medio circitèr isto sæculo facta per S. Gerardum abbatem, quasi nihil deinceps contigisset relatu dignum, mox progressus est ad miracula,* moderno tempore exhibita.

B

creditur. Quatuor ista Opuscula typis mandabimus.

C

19 *Constat tamen, sæculo proximè sequenti bis, videlicet annis* 1010 *&* 1058, *similem, sed longè majori apparatu institutam fuisse corporis Sancti nostri exhibitionem ad probandam ejus veritatem ac integritatem, & utramque evidentioribus, quàm ipse passim retulit, illustratam esse miraculis, quæ, ut meritò credi potest, silens non præteriisset, si scripsisset seriùs. Instrumenta, unde ista constent, servamus in Gloriam posthumam, ubi proprius erit de iis loquendi locus. Ejusdem Gloriæ posthumæ partem quoque constituent anonymi monachi tres libri miraculorum, sed hîc aliqualem auctoris notitiam præmittere visum est, quia Vitæ* S. Bavonis *compendium, quod libro primo inseruit, identidem usui veniet in hoc prævio Commentario. Porrò Vitam vetustiorem, de qua primo loco egimus, Commentario subnectemus ex apographo nostro, quod desumptum notatur* ex Ms. S. Audomari vetustissimo & collatum cum Ms. S. Bavonis vetustissimo, *quodque insuper contulimus cum editione Mabillonii ex Mss. Corbeiensi & Conchensi. Vetustiorem sequetur Vita metrica ex solo Ms. vetustissimo* S. Bavonis; *denique Vita per Theodoricum abbatem reformata & interpolata ex Surio & duobus codicibus Mss. Singulas verò necessariis annotatis elucidabimus, ubi scilicet id sufficienter præstitum non fuerit in Commentario.*

D

§ II. Illustres natales: consanguinei genere & sanctitate conspicui.

Illustri stirpe natum esse, testantur omnes;

DE *Sancti nostri natalibus perquam honorificè loquuntur scriptores omnes tam veteres quàm recentiores, & ita quidem illi, ut dubium nullum esse queat, quin illustrissima ac potentissima stirpe editus sit, & postmodum honoris ac dignitatis gradu, potentiæque amplitudine inter principes excelluerit. Postremum testimonio nititur, quod nullam exceptionem admittit, S. Livini episcopi & martyris coævi, in epitaphio hos versus ad* S. Bavonem *tum defunctum dirigentis.*

Qui patriæ rector, spes gentis, gloria regni,
Magnorum primus, qui modò magnus eras,
Non quia magnus eras, te gloria magna beatum
Sed contempta decus gloria magna facit.

E

Verùm sicut S. Livinus ita alii, quò temporibus proximiores exstiterunt, eò minus dilucidè ac distinctè dictos natales exposuerunt. Anonymus biographus S. Bavonis *Historiam orditur, imò quidquid huc spectat usque ad contractum matrimonium paucis his verbis concludit:* Igitur Allowinus, quod nomen sacro accepit Baptismate, quem vulgus BAVONEM nominat, genere nobili, parentibus inclytis, Hasbanense editus ducatu, uxori junctus est, filiæ videlicet Adilionis comitis, de qua genuit *&c. Nihil explicatius suggerit anonymus alter in Vita metrica, sic canens:*

Bina magnorum de nobilitate parentum
Constat progenitus Domini vir BAVO beatus,
Et quia divitiis pollebant undique magnis,
Sic etiam Sanctis micuerunt fedulò factis.

Othelboldus S. Gertrudis consobrinum dicit;

F

21 *Othelboldus in epistola ad Otginam Flandriæ comitissam, Balduini Barbati conjugem, duo adjicit, quibus* S. Bavonis *in sæculo conditionem seu statum indigitat, & viam pandit, quâ propiùs ad stirpis notitiam perducamur. Verba hæc sunt:* Primus & præcipuus patriæ nostræ patronus S. Alowinus, cognomento Bavo *, nobilissimus atque ditissimus Hasbanensis pagi comes, beatissimæ Gertrudis virginis consobrinus, prædicatione beati pontificis Amandi, imò Dei * omnipotentis inspiratione, tota mentis devotione conversus, relinquens cognationem & patriam, Christum * ipsumque consulem * Gandavum secutus, dum studuit relinquere terrena, meruit obtinere cælestia. Sed hæc plenius liber vitæ ejus refert. *Ita ille apud Miræum tom.* 1 *Diplomatum Belgii pag.* 348 *editionis secundæ, & in Ms. nostro apographo Gandensi, exceptis iis, quæ notavi in margine & uno ac altero nullius momenti discrimine. Scripsit autem hanc epistolam Othelboldus circa annum* 1030, *quando Gandensi monasterio* S. Bavonis *ipse præerat abbas, & vetustiora documenta, quæ Normannorum, ut antè diximus, furori subducta, istic servabantur, consulere potuit, indeque addiscere assertam*

* *Ms.* Sanctus Bavo, cognomento Allowinus
* *ibid.* Domini
* *ibid. deest* Christum
* *ibid.* præsulem

AUCTORE J. P.

A *fertam* S. Bavonis *cum S. Gertrude ſanguinis cognationem. Nam Vita* S. Bavonis, *ad quam appellat; niſi diverſa ſit à noſtra, quam primigeniam opinamur, meminit S. Gertrudis num.* 28, *ſed de memorata ſanguinis cognatione altum ſilet. Credendùm igitur, quòd Othelboldus ad Vitam iſtam remiſerit pro pleniori notitia converſionis* S. Bavonis *egregiorumque deinde reliquæ vitæ geſtorum, non autem pro confirmatione cognationis ipſius cum S. Gertrude; quam ex aliis documentis acceperat, & de qua pluribus agam, poſtquam Theodoricum S. Trudonis abbatem de Sancti natalibus diſſerentem audierimus.*

Theodoricus Francorum principum genus;

22 *Floruit is eodem ſeculo, quo Othelboldus, ſed magis provecto, & Vitam* S. Bavonis *primigeniam, in Gandenſi S. Petri monaſterio expolivit, prout fusè expoſuimus præcedente §. Verba huc ſpectantia hæc ſunt:* Glorioſus Dei athleta Allowinus, cognomento Bavo, ante ſecularia tempora præelectus & prædeſtinatus à Deo, Francorum principum genus & Auſtraſiorum ducum heres, in * Gallia Belgica, pago Hasbanienſi, loco haud obſcuro natus & altus eſt, Pelagio, qui beatum Gregorium præceſſit * univerſalem Pontificatum adminiſtrante, Juſtino minore in ſceptris agente, Franciæ monarchiam Clodoveo gubernante. Pater ejus Eilolphus, mater Adelthrudis dicta eſt. *Notata in margine deſignant præcipua diſcrimina inter editionem Surii, ex qua textum deſumpſi, & codices noſtros Mss. Nunc ſingula Othelboldi ac Theodorici abbatum aſſerta paulò enucleatiùs examinemus.* Conſobrini, *quales appellat SS. Gertrudem &* Bavonem *Othelboldus, ſtricto ſenſu accepti, ii ſunt juxta aliquos, qui ex duabus ſororibus editi ſunt, atque in hac ſententia dicendum eſſet, ſorores fuiſſe B. Ittam ſeu Idubergam B. Pippini de Landis conjugem, ex quibus nata eſt S. Gertrudis, & matrem* S. Bavonis, *cui Adeltrudi nomen tribuit Theodoricus. Verùm ſecundùm alios* conſobrini *generaliter ſumuntur pro quibuſlibet fratrum ac ſororum liberis: & in iſta ſententia dici potuiſſet* S. Bavo *conſobrinus S. Gertrudis, ſive ex B. Ittæ ſive ex ipſiusmet B. Pippini ſorore aut fratre natus fuiſſet. Nihilominus utrolibet modo accipiatur vox iſta, deſignat certè conſanguineos in ſecundo gradu.*

* *Mss. deeſt* in

* *ibid.* præfedit.

B

C

alii B. Pippini in tertio gradu conſanguineum.

23 *Attamen auctor Officii* S. Bavonis *Gandenſis, quod typis prodiit anno* 1572, *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad primam Octobris ac Sanderus in Hagiologio Flandriæ pag.* 47, *ſive quòd Othelboldi Epiſtolam non conſuluerint, ſeu quòd vocem* conſobrinus *latiore ſignificatione ab ipſo uſurpatam crediderint, ſeu denique quòd ejus teſtimonio minùs deferendum cenſuerint quàm Theodorici abbatis calculis, cum tanta ſanguinis propinquitate non facilè componendis; illi, inquam, inter SS. Gertrudem &* Bavonem *ponunt majorem conſanguinitatis diſtantiam. Carolomannum B. Pippini patrem & Eilolphum ſeu Agilulphum* S. Bavonis *patrem faciunt patrueles, id eſt, duorum fratrum filios, proindeque Pippinum &* Bavonem *in tertio tantùm gradu conſanguineos, Gertrudem verò Pippini filiam & eumdem* Bavonem *tantùm in quarto. Verba deſcribo ex lectione* 4 *prædicti Officii Gandenſis:* Agilulphus Hasbaniæ comes ex regia Auſtraſiorum principum ſtirpe procreatus, ac Carolomanni patris Pippini ab Lauda *, quem primum vocant Brabantiæ ducem, frater patruelis, filium præclaræ indolis Alloynum, cognomento Bavonem, reliquit. *Eadem penè ad verbum legun-*

* *l.* Landa

tur apud laudatos Molanum & Sanderum. Sed an ſolido aliquo fundamento nitantur, non docent, nec ego ex antiquis monumentis ſimile quid elicere potui.

Ad hæc nonnulla obſervantur.

24 *Suſpicor* S. Bavonis *genealogiam eo modo diſpoſitam fuiſſe in Gandenſi veteri Officio & aliorum Opuſculis, ut veriſimiliores fierent Theodorici abbatis in Vita* Bavonis *notæ chronologicæ, juxta quas natus eſſet Sanctus anno* 578; *cùm tamen Gertrudis lucem non aſpexerit ante* 626, *ita ut ille hanc anteceſſiſſet annis ferè quinquaginta, quale ætatis diſcrimen difficulter admittetur in conſobrinis propriè dictis, duarum nempe ſororum, vel etiam fratrum & ſororum liberis. At hujuſmodi diſcrimen ætatis nihil difficultatis habet, dum* Bavo *natus anno* 578, *& Pippinus, ut ad diem* XXI *Februarii dictum eſt, circà* 580 *mundo editus, ſtatuuntur in æquali gradu patruelium filii; Gertrudis, uno gradu remotior à* Bavone. *Sed an eò recurrere operæ pretium ſit, judicabitur, dum Theodorici notas chronologicas attentiùs conſideraverimus. Ceterùm in utraque jam propoſita ſententia de ſanguinis cognatione* Bavonem *inter & Gertrudem, aut hujus patrem Pippinum, intelligimus, cur dicatur à Theodorico* Francorum principum genus *vel, ut alii explicant,* regia Auſtraſiorum ſtirpe procreatus: *quia nempe ex Pippino de Landis & Itta, quorum alterutri, & fortè utrique ſanguinis vinculo conjunctus erat, reges Francorum ſecundæ ſtirpis profluxerunt; puta per S. Beggam, alteram ipſorum filiam & S. Gertrudis ſororem, ex qua ejuſque marito Anſegiſo prognatus eſt Pippinus Herſtallius, pater Caroli Martelli, avus Pippini Brevis, Francorum regis, proavus Caroli Magni. Eadem haud dubiè de cauſa auctor Florarii noſtri Ms. Sanctum* de ſtirpe Karolidarum *appellavit, dicens ad primam Octobris:* In portu Gandenſi depoſitio Bavonis de ſtirpe Karolidarum.

E

Stante Othelboldi teſtimonio, ſequitur, Sanctum

25 *Adjeci autem, fortè utrique ſanguinis vinculo conjunctum fuiſſe, Pippino ſcilicet & Ittæ, quia licèt omnino certum eſſet, quòd mater* S. Bavonis *fuerit ſoror B. Ittæ, ut primaria ac propria vocis* conſobrini, *ab Othelboldo adhibitæ, ſignificatio exigit, nihil obſtaret, quominus etiam Agilulphus, Sancti pater, fuiſſet conſanguineus B. Pippini. Si porrò conſtaret, matrem* S. Bavonis *Aldetrudem fuiſſe ſororem B. Ittæ, matris S. Gertrudis, fuſior hîc de materno Sancti genere & ortu notitia dari poſſet ex iis, quæ protulit Henſchenius ad diem* VIII *Maii agens de B. Iduberga ſive Itta. Illic num.* 4 *primùm ex Vita S. Gertrudis ſeculo* XI *vel* XII *exarata recitat verba ſequentia:* Venerabilis Itta extitit ex clariſſima nobilitate Aquitaniæ oriunda, ſicut ex poſſeſſionum ejus traditione ad nos facta, indubitatè cognoſcimus. Quas quidem per multa tempora, quamdiu pax viguit, eccleſia Nivellenſis tenuit, multamque pecuniam inde per annos ſingulos exactores ejus referre ſolebant. *Poſterioribus verbis indigitat auctor eccleſiam, quam ipſa B. Itta Nivellæ, oppido Brabantiæ exſtruxit unà cum nobiliſſimo monaſterio, ubi poſt mariti B. Pippini obitum vitam religioſam amplexa eſt & Gertrudem filiam præfecit abbatiſſam. Iſtic ambæ poſt vitam piiſſimè peractam ſepultæ ſunt & uſque ad hæc noſtra tempora magna veneratione coluntur ſimul cum B. Pippino, cujus corpus deinde eô tranſlatum depoſitumque eſt juxta tumulum S. Gertrudis filiæ ſuæ. Plura de BB. Pippino & Itta videre poterit curioſus lector in Opere noſtro ad dictos dies* XXI *Februarii &* VIII *Maii; item ad*

F

AUCTORE J. P.

diem XVII *Martii, ubi de S. Gertrude actum eſt. Nos interim videamus, quid in rem, de qua agimus, ulteriùs producat Henſchenius.*

propinquos habuiſſe homines ſeculi VII,

26 *Citat ſecundo loco Vitam S. Modoaldi epiſcopi Trevirenſis, ineunte ſeculo* 12 *conſcriptam, auctore Stephano abbate Leodienſi ad S. Jacobum, & illuſtratam ab ipſomet Henſchenio ad diem* XII *menſis Maii. In ea hæc leguntur num.* 5 : Vir venerandæ memoriæ Modoaldus, gemina ingenuitate non mediocriter inſignitus, ex inclyta Aquitanorum proſapia, lunâ pulchriùs, ſole ſplendidiùs ad honorem Dei & Eccleſiæ refulſit. *Iſta num.* 6 : Sicut ex fideli antiquorum traditione, in quibus eſt ſapientia, compertum eſt, fuit ſoror ejus (*Modoaldi*) Itta nomine, ... quæ quidem matrimonio juncta clariſſimo duci Pippino ... divinâ providentiâ in omni pietatis ſtudio ſibi unanimem ſortiri meruit thori legalis conſortem. *Poſt hæc ordo texitur bene longus primùm liberorum, qui ex pio iſto conjugio procreati ſunt, Grimoaldi, Gertrudis & Beggæ, dein ex Begga deſcendentium poſterorum, principum, regum, imperatorum uſque ad Lotharium Ludovici Pii filium, adjectis ſingulorum elogiis. Demum alteram S. Modoaldi ſororem prodit Stephanus abbas num.* 27, *nomine* Severam, *quam ſanctus frater parthenoni S. Symphoriani, à ſe Treviris exſtructo, abbatiſſam præeſſe voluit, quamque ſimiliter laudatus auctor inſigni elogio exornat. Elogium iſtud cum aliis ſanctitatis & cultûs apud Trevirenſes teſtimoniis recuſum eſt tom.* V *Julii ad diem menſis* XX, *quo memoria S. Severæ variis Martyrologiis inſcribitur.*

B

genere & ſanctitate illuſtriſſimos. Sunt, qui S. Adiliam

27 *Si vera ſint ea, quæ ex citatis hactenus auctoribus produximus, quæque ex eorumdem, Othelboldi præſertim, verbis ſtrictè ſumptis concluſimus,* S. Bavo *propinquos habuerit non tantùm eos, qui præ ceteris genere & potentiâ claruerunt, verùm etiam eos, qui ſeculo ſeptimo vitæ ſanctimoniâ excelluerunt; B. Pippinum de Landis ducem & Auſtraſiorum regum Majorem domûs potentiſſimum, ejus conjugem B. Ittam; S. Severam, S. Modoaldum atque illas quidem materteras, hunc avunculum; conſobrinas SS. Gertrudem & Beggam, cujus poſterioris Acta illuſtranda venient die* XVII *Decembris. His addunt nonnulli ſanctam ſororem, nomine Adiliam, de qua Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad* XXV *Maii & Majores noſtri in Prætermiſſis ejuſdem diei, ut ſequitur:* ADILIÆ, SORORIS S. BAVONIS AD VIII KALENDAS JUNII nomen reperit Molanus in bibliotheca præpoſituræ S. Bavonis Gandenſis (*dum antiqua inſpiceret Miſſalia.*) Quibus lectis, aſſerit, ſe non dubitâſſe, quin B. Bavonis eccleſia olim S. Adiliæ memoriam in divino Officio celebraverit. Ceterùm quo loco quieſcat & quæ ejus fuerit vita, nuſquam reperire potuit; niſi ſit S. Adilia Orpienſis, quam dubitationem, ex quarumdam eccleſiarum Martyrologiis conceptam, ad ultimum diem Junii de S. Adilia acturus Molanus, à ſe proponendam pollicetur. Molanum ſequuntur Ferrarius, Sauſſayus & Fiſen in Floribus eccleſiæ Leodienſis; ſed nihil lucis affundunt: nec nos modò afferre poſſumus. Si quid certi aſſequamur, poterit indicari ad Vitam S. Adiliæ Orpienſis XXX Junii, ad Vitam S. Bavonis 1 Octobris.

C

S. Bavonis ſororem dicant.

28 *Idem Molanus ibidem ad* XXX *Junii, cùm retuliſſet, quæ noverat de S. Adilia virgine Orpienſi, iſtam clauſulam ſubnexuit.* Legitur hac die in quarumdam eccleſiarum Martyrologiis (*notat ad marginem* Lovanii ad S. Gertrudem, Bronii ad S. Gerardum) IPSO DIE SANCTÆ ADILIÆ VIRGINIS, SORORIS SANCTI BAVONIS. Unde Orpienſis ſancta Adilia videri poſſet Hasbana, ſoror beati Bavonis. Cæterùm Orpium eſt diœceſis Namurcenſis in ducatu Brabantiæ, ibique in Officio de Adilia nulla ingeritur Bavonis mentio. *Egit & Papebrochius noſter de Orpienſi Adilia tom.* V *Junii ad diem menſis ultimum, nec præteriit Molani ad allegata Martyrologia obſervationem, imò poſtquam obiter monuiſſet,* S. Bavonem *in Hasbania natum, multorumque fundorum fuiſſe divitem, addidit:* Abeſt autem Trudonopolis (*Hasbanienſis tractûs caput*) ſolùm tribus leucis Orpio, quod potuit Adiliæ Allodium fuiſſe: quare non contemnenda videtur eccleſiarum prædictarum traditio de tali germanitate. *Nec ego contemnendam exiſtimo.*

D

ſed de hac & aliis ſilent veteres.

29 *Verùm dum ignoramus, quàm ætatem præ ſe ferant, quámve auctoritatem & fidem mereantur Martyrologia iſta, dum nihil occurrit aliunde, quo roborentur eorum aſſerta, dumque frequenti admodùm experientia docemur, quàm levibus ex conjecturis natæ ſint ſæpe hujuſcemodi traditiones, quid ulteriùs ſtatuamus? Liberum eſto igitur cuilibet ſentire, quod voluerit tam de hac Sancti ſorore, quàm de ceteris nominatim adductis ſeu propinquis ſeu conſanguineis, per anonymum Vitæ antiquioris ſcriptorem ſilentio præteritis. Probabiliſſimum quidem haberi poteſt Othelboldi teſtimonium de cognatione* Bavonem *inter & Gertrudem, non tamen hiſtoricè certum, quandoquidem auctor iſte tribus ampliùs ſeculis Sancto poſterior ſit. Hinc veriſimiliter ac prudenter meo judicio auctor hodierni Officii eccleſiæ cathedralis Gandenſis, non modò Othelboldi aſſertum non attigit, verùm etiam reſcidit ea, quæ de Sancti cognatis adſtruebantur in Officio veteri. Nudè ſecutus eſt Vitam antiquiorem, ſicque exorſus lectionem quartam* : Bavo parentibus inclytis in Hasbania, Brabantiæ Leodienſis tractu, circa finem Seculi ſexti natus.

E

§ III. Patria, tempus natale incertum, nomen baptiſmale, cognomen ejuſque interpretatio.

F

Natus eſt in Hasbania,

NAtum *eſſe Sanctum noſtrum in Hasbania, ſententia eſt recepta ab omnibus, ſed quis Hasbaniæ locus tanti Viri ortu illuſtratus fuerit, nemo hactenus ex vetuſtis monumentis eruere valuit.* Allowinus, *inquit anonymus Vitæ antiquioris auctor*, quem vulgus Bavonem nominat. ... Hasbanienſe editus *eſt* ducatu. *Theodoricus verò S. Trudonis abbas*: Allowinus, cognomento Bavo, ... in Gallia Belgica pago Hasbanienſi loco haud obſcuro natus & altus eſt. *Nihil opus eſt plurium teſtimonia producere. Porrò* Hasbania, *priſcis* Hasbanium, Hasbanienſis pagus, *indigenis* Haspengaw, *Belgii tractus eſt in ditione epiſcopi Leodienſis inter Brabantiam, Moſam & Leodium urbem extenſus, cujus caput eſt Fanum S. Trudonis, ſeu Trudonopolis. Extendebatur autem olim regio iſta uti obſervat Baudrandus,* Lovanium uſque, unde nunc ejus pars Occidentalis ſub Brabantia cenſetur. *Sanè non mediocris amplitudinis fuiſſe Hasbanienſem pagum, inde colligas, quòd ſeculo 9 quatuor comitatus contineret.*

A *neret. Id liquet ex diviſione regni Lotharii regis inter hujus patruos Ludovicum regem & Carolum Calvum imperatorem anno* 870 *facta, in ea quippe Carolo adſcribuntur* In Hasbanio comitatus IV, *ut legere eſt apud Cheſneum tom. 2 Scriptorum Hiſtoriæ Francorum pag.* 455.

cujus comes vel dux fuit,

31 *His quatuor comitatibus & fortè aliis vicinarum provinciarum ducem præfuiſſe, oſtendit Henſchenius ad diem* XX *Februarii ex Actis S. Eucherii ſeculo* 8 *Aurelianenſis epiſcopi per auctorem coævum conſcriptis. Hinc veriſimiliter anonymus noſter Hasbaniam non* comitatum *ſed* ducatum *appellavit, atque inde dubium oriri poteſt, an comes tantùm fuerit* Bavo, *an etiam dux. Anonymus noſter neutrum ipſi titulum tribuit. Othelboldus* nobiliſſimum atque ditiſſimum Hasbanienſis pagi comitem *dicit. Ceteri paſſim ſcriptores tam ipſum, quàm Agilulphum patrem* Hasbaniæ comites *nuncupant; ſed eo ſenſu, nî fallar, ut illos totius Hasbaniæ comitatum ſive dominatum obtinuiſſe crediderint, ipſiſque tamquam ducibus ſuis ſubjectos fuiſſe alios, ſi qui fuerint id temporis in Hasbania peculiarium comitatuum domini. Hujuſcemodi ſenſum admittunt certè tum Othelboldi verba, tum iſta auctoris Miraculorum num.* B 7 *dicentis:* Bavo, inter nobiles Hasbanienſis pagi nobilior *&c: quin & eumdem planè exigit S. Livini carmen in* S. Bavonis *epitaphio:*

Qui patriæ rector, ſpes gentis, gloria regni,
MAGNORUM PRIMUS.

anno incerto; non ut aliqui

32 *Certum eſt, claruiſſe* Bavonem *ſeculo ſancto Belgii, id eſt, Chriſti ſeptimo; verùm tam obſcura ſunt & implexa, quæ de tempore nativitatis ejus hactenus prodierunt, ut non modò non ſit poſſibile annum determinare ſed & planè dubium ſit, an is dicto ſeculo ſeptimo, an præcedenti innecti debeat. Nihil, quo pedem figas ſuggerit anonymus, nihil ceteri, qui vetuſtiores ſunt Theodorico abbate. Hîc demum primus, quem novi, ad Sancti nativitatem notas chronologicas, & ad geſta quædam ac mortem ipſius annos ad longum expreſſos confidenter adjecit, ſicque in errores conjecit, quotquot ferè deinceps Acta* S. Bavonis *pertractârunt uſque ad medium ſeculum decimum ſeptimum: cùm tandem ſagacioris criticæ homines Theodorici calculos penitiùs introſpicere & cum aliis fide dignis documentis conferre cœperunt, erroneoſque deprehenderunt univerſos, qui ex antiquiore Vita deſumpti non ſunt. De ſingulis ſpeciatim nonnulla annotabimus, prout ordo rerum ac temporum poſtulabit. Ordiamur à notis chronologicis, quas pro anno natali dignoſcendo obtruſit Theodoricus.* C

ex mendoſis Theodorici notis

33 In Gallia Belgica, *inquit*, pago Hasbanienſi, loco haud obſcuro (*Bavo*) natus & altus eſt, Pelagio, qui beatum Gregorium præceſſit, univerſalem Pontificatum adminiſtrante, Juſtino Minore in ſceptris agente, Franciæ monarchiam Clodoveo gubernante. *Non exagitabo hîc varias chronologorum opiniones ſuper initio Pontificatûs Pelagii II Papæ, ac fine imperii ſeu vitæ Juſtini Junioris. Mittam nominatim ſententiam Pagii, obitum Juſtini figentis die* V *Octobris anni* 578, *ordinationem verò Pelagii Pontificis* XXX *Novembris anni ejuſdem, in qua ſicut & in Papebrochii ſententia, ordinationem Pelagii ſequenti tantùm anno innectentis, verum eſſe nequit, natum eſſe* Bavonem, *Juſtino imperium & Pelagio Eccleſiam gubernante. Admittam igitur tantiſper, veriorem eſſe opinionem Labbei, initium Pelagii collocantis menſe Novembri anno* 577, *obitum Juſtini menſe Octobri* 578, *vel etiam Cointii obitum Juſtini differentis in* 579, *ita ut naſci potuerit* S. Bavo *circa* 578 *& eatenus conciliari notæ Theodorici abbatis. Sed mox aliud occurrit offendiculum in fine ejuſdem periodi:* Franciæ monarchiam Clodoveo gubernante: *quo nomine Francorum regem non habemus ab anno* 511, *Clodovei I ultimo, uſque ad annum* 638, *quo Dagoberto patri in regna Neuſtriæ ſucceſſit Clodoveus II. Hinc Surius notavit in margine, locum hunc mendoſum videri; in ipſo vero textu uncis incluſit:* fortè Clotario. *Nec ſic tamen mendum ſuſtulit, ut omnia rectè componi queant. Nam Clotarius ſecundus, qui hîc deſignari deberet, cùm primus jam inde vivere deſiiſſet ab anno* 561, *Clotarius, inquam, ſecundus natus eſt tantùm anno* 584, *Juſtino imperatore tum dudum è vivis ſublato.*

collegerunt, 578

34 *Aliam viam ingreditur Cointius. Theodorici textui reſtituendum cenſet Childebertum, pro quo Clodoveus ſeu Chlodoveus per errorem irrepſerat: cauſam autem errandi librario factam ſuſpicatur à litteris initialibus* Ch, *quæ in Childeberto, Chlotario & Chlodoveo eædem ſunt. Novimus ſanè, quàm ſæpe corrupta fuerint antiqua documenta per imperitiam & incuriam deſcribentium, idque hîc contingere potuiſſe, facilè perſpicimus, maximè ſi pars iſta textûs ſic expreſſa fuit in autographo, prout ipſam paulò pòſt exprimit Cointius:* Franciæ monarchiam Ch. gubernante. *Ad hæc fatemur, neminem Chlodoveo veriſimiliùs ſubſtitui poſſe quàm Childebertum, ſi verum ſit, quòd contendit ex Theodorico Cointius, natum eſſe* S. Bavonem *anno* 578, *vivente adhuc Juſtino & Eccleſiæ præſidente Pelagio II. Nam dicto anno revera Auſtraſiæ regnum, in quo natus eſt* Bavo, *obtinebat Childebertus II: quamquam titulus monarchæ, quem verba iſta:* Franciæ monarchiam gubernante *involvunt, nec Childeberto nec alteri illius temporis Francorum regi conveniat, cùm tunc ſumma rerum Francicarum penes unum non fuerit. Nævum hunc etiam diluit Cointius, dicens:* Theodoricus autem & alii recentiores, quia ſcripſerunt, cùm omnis Francia ſub unius eſſet poteſtate, ſecarique in plura regna jam pridem deſiiſſet, impropriè monarcham Franciæ nuncupârunt quemlibet regem Francorum, ejuſque ditionem ſimiliter Franciæ monarchiam appellârunt, ſuperiori obſervatione neglecta penitus & antiquata. F

aut inter 584 *&* 590;

35 *Mabillonius in Notis ad Vitam* S. Bavonis, *apertè pronuntiat, Theodorici calculum ubique mendoſum eſſe, & recitato ejus textui ſubdit:* Meliùs dicas, Bavonem, Pelagio ſummo Pontifice, Mauricio Auguſto, Chlothario Franciæ rege, ortum eſſe in pago Hasbanienſi. *Cathedram S. Petri occupavit Pelagius II ad annum uſque* 590; *Mauritius imperare cœpit anno* 582, *ad Chlotarium verò, natum menſibus dumtaxat quatuor, patris Chilperici regnum devolutum eſt* 584. *Inter hunc ergo &* 590 *figenda erit* S. Bavonis *nativitas, ſecundùm Mabillonii calculum, quem ſecutus Bailletus ſignavit eam circa* 589. *Verùm cùm meritò repudiet Mabillonius Theodorici calculum, nec apud antiquiores Theodorico quidquam deprehendamus, quod ſuadeat ortum Sancti collocare ſub Pelagii potiùs, quàm ſub ſucceſſoris Pontificatu, malumus inhærere ſenſui Henſchenii noſtri, qui prior Theodoricianos calculos rejecit tom.* 1 *Februarii, octo annos vulgato ante Annales Cointii,* § 13 *Commentarii prævii ad Acta S. Amandi epiſcopi Trajectenſis, ubi monet,*

AUCTORE J. P.

E

AUCTORE J. P.

plura atque enormia menda *latere in Theodoriciana* S. Bavonis *Vita, ac nonnulla ſpeciatim refellit, ut jam dictum.*

ſed veriſimiliùs initio

36 *Dein tom. 2 Martii in Commentario item prævio ad Acta S. Gertrudis Nivellenſis § 2, ita diſſerit Henſchenius*: Theodoricus abbas S. Trudonis in Vita S. Bavonis, ad Kalendas Octobris illuſtranda, ſcribit, S. Bavonis animam felicem in ipſa exitus ſui hora apparuiſſe longè manenti in monaſterio Nivellenſi ſanctæ virgini Gertrudi, ut mitteret linteamina condendo funeri neceſſaria. Verùm quia Theodoricus mortem S. Bavonis aſſerit contigiſſe anno DCXXXI, quo ſolùm anno aut ſequente nata eſt S. Gertrudis, res ſuſpecta foret, niſi aliunde conſtaret, Theodoricum in annis Chriſti & certis imperatoribus ac Pontificibus adjungendis planè aberrâſſe. Certè ad Vitam S. Amandi VI Februarii § XIII, oſtendimus, S. Bavonem mortuum eſſe anno DCLVII & conſequenter natum eſſe ſub initium iſtius ſeculi VII, non verò anno DLXXVIII, ut ex Theodorico deducit Carolus le Cointe in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum. *Aberrâſſe Theodoricum, dum mortem* S. Bavonis *ſignavit anno 631 probabimus & nos infrà; an verò iſto præciſe anno ſignanda ſit, quo tunc ſignandam putavit Henſchenius, ſimul diſquiremus.*

B

ſeculi ſeptimi.

37 *Quod autem huc modò ſpectat, judicium Henſchenii*, S. Bavonis *nativitatem ſtatuentis ſub initium ſeculi* VII, *præplacet ceteris omnibus, quia quo ſeriùs ſtatui poteſt Sancti nativitas, ſalva reliqua geſtorum chronotaxi, eò veriſimiliùs ſaltem fit, fuiſſe conſobrinum S. Gertrudis, ut aſſerit Othelboldus, cujus teſtimonium contemnendum non eſt, dum vel ſilent alii vel manifeſti erroris convincuntur. Nata eſt S. Gertrudis, non anno 631 vel ſequente, ut in mox citatis verbis tradidit Henſchenius, ſed 626 ut ipſe poſtmodum corrigendum voluit, cùm Diatribam Dagobertinam innovavit ac ſtabilivit in Exegeſi præliminari ad tom. III Aprilis num. 38. Proin credibiliùs ſit, ſtricti nominis conſobrinos fuiſſe S. Gertrudem, natam anno 626, &* S. Bavonem, *ſi hic natus ſit poſt 600, quàm ſi natus credatur ante 590, ut ſequitur ex Mabillonii notis chronologicis, vel anno 578, ut contendit Cointius. Salvari denique reliquam geſtorum chronotaxim, etiamſi mundo editus ſit* annis *aliquot poſt Chriſti ſexcenteſimum, docebit exhibenda per decurſum eorum ſeries. Reſtat, ut de Sancti nominibus pauca prænotemus.*

C

Nomen Sancto Alloinus, cognomen Bavo;

38 *Duplex ipſi fuit, primum, quod ſcribitur* Allowinus, Allouinus, *&* Adloïnus, *alterum* Bavo. *Utrumque exprimit anonymus biographus in Prologo.* De viro Dei Allowino, ſancto videlicet Bavone . . . voluntatem veſtram explere cupimus: *& quomodo ipſi inditum ſit docet num. 4:* Allowinus, quod nomen ſacro accepit Baptiſmate, quem vulgus Bavonem nominat. *Hoc ſecundum fuiſſe dumtaxat cognomentum, tradunt etiam Othelboldus, Theodoricus & qui eos ſecuti ſunt alii: at idem Sancto tam generaliter & conſtanter ad hæc uſque tempora adhæſit, ut dubitem, an umquam ad noſtram notitiam perventurum fuiſſet nomen baptiſmale, niſi hoc uſus fuiſſet laudatus anonymus, quem ducem habuerunt ceteri.* Bavonem *tantùm nominat S. Livinus tam in Epiſtola ad Floribertum abbatem, quàm in Epitaphio, quod illo rogante compoſuit. Nec alterius nominis mentio eſt in vetuſtiſſimis Martyrologiis Rabani, Uſuardi ac Wandelberti, vel in antiquis principum diplomatis.*

odioſa poſtremi interpretatio, à Bailleto data,

39 *Bailletus cenſet, vocabulum* Bavo *fuiſſe ſcomma ſeu cognomentum ludicrum (Gallicè* ſobriquet*) vel nomen militare; credo, quia ex Gloſſariis didicerat, quòd voces iſti nomini affines & medio ævo uſurpatæ paſſim vitium ſonent.* Bavoſus, babaſus, baburrus *ſtultum & ineptum denotabat, à* bava, *id eſt, Saliva, quæ fluit ex ore, ut ſtultis, garrulis, imò & furioſis ſæpe accidit: atque inde fortaſſe dimanârunt voces Gallicæ* bavard, babillard, *garrulus, ineptè loquax. Hinc ſi rectè Bailleti mentem aſſequar,* Bavo *cognomentum Sancto inditum fuiſſet, ſeu quòd ineptè garrire conſueviſſet, ſeu quòd in ira vel in pugna furioſo eſſet ſimilis. Sed nolim temere Bailleto aſſentiri, maximè quando ipſemet anonymus biographus fundamentum præbet, ut minùs odioſum vocis etymon reperiamus. Num.* 28 *ita habet in apographis Mss. Gandenſi, Corbeienſi ac Sangermanenſi:* Beatus Alloinus, qui ex ortu nativitatis ſuæ à dilectione vocatus eſt Bavo, ex hac luce *migravit. Conſonat Ms. Audomarenſe, præterquam quòd habeat* ac dilectione.

ex Vitæ primæ correctiore textu

40 *Mabillonius in Notis ad Vitam fatetur, legi in Corbeienſi ac Sangermanenſi codicibus* à dilectione, *attamen in editione ſua Conchenſem ſecutus eſt,* qui melioris, *inquit,* notæ videtur, *atque ita habet:* Allowinus, qui ex ortu nativitatis ſuæ Adhilec vocatus eſt, Bavo, de hac luce *migravit.* Ita ut, *ſic pergit in Notis,* ADHILEC pro à DILECTIONE legatur, & nomen BAVO interpunctione utrimque claudatur, quaſi ADHILEC Allowini adventicium fuerit agnomen. Aliàs certè quæ inter ADHILEC ſive DILECTIONEM & BAVONEM nominis affinitas? An fortè ADHILEC hodiernus eſt Hasbaniæ vicus Hellich appellatus? *Eſto ſanè; viſus ſit Mabillonio notæ melioris codex Conchenſis: hoc tamen loco corruptum eſſe, mihi apparet manifeſtum: nec aliter ſentire poſſem, etiamſi in pluribus quàm in iſto uno legeretur* Adhilec. *Primò quia nec Othelboldus, nec Theodoricus aliuſve recentiorum mentionem ullam faciunt agnominis* Adhilec, *apertè tamen dicunt,* Bavo *fuiſſe Sancti cognomentum. Secundò quia non video, quem ſenſum faciat in Lectione Mabilloniana vocabulum* Bavo, *utrimque interpunctione clauſum. Tertiò quia in lectione quatuor reliquorum codicum haud difficulter aſſequor auctoris mentem, & aliqualem ſaltem affinitatem inter* dilectionem *&* Bavonem, *quam quærit Mabillonius.*

E

F

refellitur, & melior ac honeſtior aſſignatur.

41 *Mentem auctoris ſic interpretor:* Allowinus, qui ex ortu nativitatis ſuæ, *id eſt,* ab infantia *vocatus eſt* Bavo à dilectione *ſeu amore, quo in amabilem & forte unicum filium ferebantur parentes &c: ita ut* Bavo, *vel* Babo *ut ſcribit Rabanus, blandimentum ſeu amoris ſignificationem involveret.* Babe *certè apud modernos Anglos, quorum lingua originem ducit à veteri Saxonica,* infantem *ſonat, quo modo apud Gallos* poupon, *quæ abblandientis vox eſt, tribuique ſolet parvulis venuſtulis. Iidem Galli quandoque infantem compellant* petit babouin *& ordinariè blandiendi vel jocandi gratiâ. Infantem quoque vocant Arabes* babus, *Syro-phœnices* βάβιον; *Germanis* Bube *& Italis* bambino *puerulus eſt. Hæc ſufficient, opinor, ut prudens lector diſpiciat, noſtram cognomenti etymologiam longè probabiliorem eſſe, quàm Bailleti, ut, inquam, judicet, veriſimile non eſſe, quod cognomentum* Bavo *ſcomma ſit aut nomen militare, utpote Sancto inditum ab infantia & ex dilectionis affectu, ut mihi indubium ſit*

ex

A *ex verbis biographi. Nihilominus ut id magis fiat evidens, corollarii loco ſint verſiculi ex Vita metrica :*

Inter quos meritis excellens oppidò magnis
Fulget MELLIFLUO vocitatus NOMINE BAVO.

§ IV. S. Adeltrudis legitima Sancti filia, an eadem cum Adeltrude 19 Maii culta ? Patrem à vitiis avocat.

Ex legitimo matrimonio habuit filiam Agletrudem,

DE *infantia aut pueritia* S. Bavonis *nihil nos docuit biographus anonymus, nihil poëta, nihil Theodoricus aliuſve. Mox ab iis, quæ de ipſius natalibus jam protulimus, tranſiliunt ad nuptias contractas cum filia cujuſdam comitis nomine Adilionis*, per id tempus, *quod unus addit Theodoricus*, famoſi, *ceterà nobis ignoti. Ex iſta conjuge, cujus ne nomen quidem produnt, Filiam procreavit, inſigni laude ab omnibus celebratam, & ea propter à recentioribus nonnullis in ſacros Faſtos relatam.* Uxori junctus *eſt* (*verba ſunt anonymi noſtri*) filiæ videlicet Adilionis comitis, de qua genuit Agglethrudem, prolem dignam Deo, virginem Chriſti, cui in primis annorum crepundiis vox ſummo miſſa perſultavit throno Altiſſimi : Crede, inquiens ; creata majorum quoque proſapiâ, verbo Dei ſolius parentes procreabis, qui utrumque fecit hominem. *Haud inconcinnè verſibus eadem expreſſit poëta :*

B Cùm jam dulciſonæ ſplenderet flore juventæ,
Cujuſdam comitis ſe junxerat Adilionis
Natæ, quæ tanti conjux effecta Mariti
Mox Agletrudem concepit ventre puellam,
Quæ tantùm Domino placuit dilecta ſuperno,
Ut recubans annis inter cunabula primis
Perſultare throno voeem perpenderet alto :
Crede mihi celſa majorum ſtirpe creata,
Numquam carnalem debes tu gignere prolem,
Sed ſolo lætos verbo generabis alumnos.
Ordine quæ tali nôrunt contingere cuncti :
C Nam pòſt terrenum dedignans ducere ſponſum,
Exiſtit Regis thalamo conjuncta perennis.

ſeu Adeltrudem, à biographis plurimùm laudatam,

43 *Non multùm quoque ab anonymi ſenſu hîc deflexit Theodoricus abbas, inquiens :* Decurſu temporis filia eis naſcitur Aglethrudis, & ipſa à Deo præelecta & virginitatis centeſimo fructu, ut pòſt patuit, remuneranda. Denique primo ætatis ſuæ tyrocinio inter ipſa crepundia, quæ qualiſve futura, quomodo victura, qua lege virginitatem ſuam eſſet conſervatura, angelus Domini certâ ei præſcripſit regulâ. Nec defuit prudenti adoleſcentulæ Omnipotentis dextera, quæ membra animaret juvenilia & elevaret ad ſummæ perfectionis faſtigia in tantum, ut in principio converſationis novellæ, ipſis quoque parentibus propoſitum fieret imitabile. *Hæc ad longum deſcripſi, quia inde videntur profluxiſſe, quæcumque de ſancta hac Virgine ſcriptis annotârunt hiſtorici alii ac martyrologi & quia eadem occaſione hîc de ipſa paulò fuſiùs agere ſtatutum eſt, uti promiſerant olim Majores noſtri in Prætermiſſis diei* XXV *Februarii, ubi iſta habentur.* "S. Angli-„trudis virgo, filia S. Bavonis confeſſoris,„ hoc die in Ms. Florario SS. refertur totidem verbis.

Vita metrica S. Bavonis Aglethrudem vocat, alia Adeltrudem. De ea agemus XIX Martii, vel ad diem ipſius S. Bavonis 1 Octobris. *Cur dubitanter remiſerint ad diem* XIX *Martii patebit ex dicendis, ſimulque pleniùs videbitur, quod obſervant de nominis diverſitate.* AUCTORE J. P.

& variis ſacris Faſtis

44 *Inter auctaria Martyrologii Uſuardini apud Sollerium noſtrum codex Bruxellenſis ſic ipſam annuntiat ad dictum diem* XXV *Februarii :* Item Aldetrudis virginis, filiæ ſancti Bovonis. *Greveni editio habet* Bavonis, *cetera congruit. Sed utrobique monet Sollerius, legendum* Vincentii comitis, *exiſtimans nimirum, pertinere annuntiationem ad S. Aldetrudem, virginem abbatiſſam Malbodii, SS. Vincentii & Waldetrudis filiam, cujus Acta illuſtrata ſunt apud nos ad ipſum diem* XXV *Februarii, quo revera pluribus Faſtis ſacris inſcripta eſt, coliturque Officio eccleſiaſtico in eccleſiis collegiatis canonicarum Malbodienſium ac Montenſium. Probabile admodùm eſt Sollerii judicium, quominus tamen omnino certum dicam, cohibet utcumque primò auctor Florarii, qui eodem die* XXV *Februarii commemorat noſtram* S. Bavonis *Filiam, verbis ſuprà allatis, & Aldetrudem Malbodienſem abbatiſſam ſequentibus :* Item E ſanctæ Aldetrudis virginis, filiæ ſanctæ Waldetrudis. *Secundò auctor codicis Bruxellenſis, qui mox dicto die noſtram refert, & Malbodienſem* XXVIII *Januarii. At mirè hallucinatus eſt auctor Martyrologii Germanici, communiter Caniſio adſcripti, dum ex duabus unam conflavit, & huic patrem unius ac matrem alterius attribuit, dicens* XXV *Februarii :* Item S. Aldetrudis virginis, filiæ S. Bavonis & Waldetrudis.

inſcriptam. Adeltrudis, quæ cum aliis ex Hasbania Gandavum

45 *De una noſtra agunt alii ad dies alios ; Bucelinus ad* XXVII *Junii in Menologio Benedictino, & Arturus in Gynæceo ad 2 Octobris ; ambo* Agletrudem *vocant, & ille* ſanctimonialem, *hic* virginem Ordinis Benedictini : *at neuter indicat, cur iſto potiùs die ipſam referat, quàm altero. Credo, ipſos pro mero ſuo arbitrio diem elegiſſe, quia à Wione & Menardo poſita eſt in Appendice Sanctorum, quorum dies feſtus aut obitûs ignoratur, ut ſequitur :* S. Aglethrudis virgo ſanctimonialis apud Gandavum, filia S. Bavonis Hasbaniæ comitis. *Addit Wion :* Vitâ ſanctiſſimè actâ, ad Sponſum tranſiit circa annum Domini DCLXX. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, nullum Sanctæ diem proprium aſſignat ; at ejus meminit ad* XIX *Martii, dum agit de SS. Landoaldo archipresbytero, Amantio diacono, Adriano, Juliano, Vinciana & Adeltrude ; quorum ſacræ exuviæ anno* 980 *Gandavum tranſlatæ ſunt ex Wintershoven, pago Hasbaniæ inter civitates Tungros & Haſletum. Relato quippe geſtorum compendio, occaſione Adeltrudis poſtremo loco nominatæ ſubdit :* Quidam aſſerunt, hanc eſſe filiam S. Bavonis, quam Theodoricus abbas aſſerit ad ſummæ perfectionis faſtigia elevatam. F

tranſlata eſt ſeculò 10, *coliturque* 19 *Maii,*

46 *De iiſdem Sanctis ad eumdem diem egerunt Majores noſtri, ipſoſque annuntiârunt* Wintershovii, *ubi primùm culti ſunt, &* Gandavi, *quò dein tranſlati fuerunt. Tum num.* 1 *Commentarii prævii pauca de ſingulorum cultu præfati, mox data Molani verba protulerunt, rem tamen æquè ac ipſe non deciſam relinquentes, in margine hoc poſtulatum poſuêre :* An Adeltrudis filia S. Bavonis ? *Et profectò quæſtio eſt difficilis judicatu. Si ſtandum ſit Actis S. Landoaldi ac Sociorum datis* XIX *Martii, veriſimile non eſt, Adeltrudem iſtam fuiſſe* S. Bavonis *filiam, quandoquidem illa dicatur cum S. Landoaldo veniſſe Româ in Belgium: verba*

AUCTORE J. P.

verba videntur clara : Beatus verò Amandus officium ſuſceptum ſtrenuè implevit & circumcircà poſitis (Vacceiam, id eſt Vaſconiam & Danubium ultra pertentans) verbum Domini annuntiavit, donec vires ſuas ad opus tam arduum videns non ſufficere, Romam deliberavit iteratò adire. Romanum univerſalem Pontificatum Martinus Papa tum adminiſtrabat. Cui beatus Amandus votum ſuum, cujus obtentu venerat, aperuit : & ut ſibi ad id opus peragendum ſuppetiæ mitterentur, popoſcit. Deſtinati ſunt ei plures, quorum nomina exciderunt, adjutores ; inter quos S. Landoaldus archipresbyter, Amantius diaconus : quos etiam comitatæ ſunt ſanctæ feminæ Vinciana & Adeltrudis cum aliis viris & mulieribus ſeptem.

& in Actis, tertio poſt obit. XI ſeculo

47 *Dixi*, ſi ſtandum ſit Actis, *quia in re dubia & aliunde non comprobata, non eſſe grande piaculum, recedere ab illorum auctoritate, facilè concedet, quiſquis & modum & tempus, quo ſcripta ſunt, conſideraverit. Scripta ſunt provecto ſeculo* X *juſſu Nodgeri epiſcopi Leodienſis per Harigerum, tunc hujus diſcipulum ac poſtea abbatem Lobienſem, atque ad Womarum monaſterii* S. Bavonis *Gandenſis abbatem deſtinata anno* 980, *quem expreſsè ſignat Nodgerus in Prologo ſeu epiſtola ipſis prævia ; proinde Sanctorum obitu poſteriora ſunt ſeculis circiter tribus. Ad hæc fatetur Nodgerus in eadem epiſtola, Geſta Sanctorum ex prædeceſſorum incuria deperiiſſe ; Harigerus autem ipſe cap.* 2, *ubi memorat, ſacra corpora propter incurſum Normannorum terræ fuiſſe demandata, apertè prodit, quàm debilibus Opuſculo ſuo conficiendo inſtructus fuerit adjumentis, dicens :* Huic repoſitioni interfuit quidam Frangerus, homo noſtra ætate ſeniſſimus, qui & ante infeſtationem paganorum * novem annis villæ ejuſdem (*Wintershovii*) extiterat procurator & villicus. Hildebrandus quoque presbyter, quem propria manu ante paucos annos tumulavit Sarabentus æquè presbyter, hujus notitiæ relator fideliſſimus, qui & hæc, quæ præmiſimus, ab eodem Frangero commemorabat, multis adſtantibus ſe audîſſe, & libellum de vita eorum pariter vidiſſe (quem, quia antiquaria manu commemorat ſcriptum, & à ſtillicidio ceræ penè infuſum, lectorem ejus non ignoramus fuiſſe perrarum) at verò quæ hactenus paucis perſtrinximus verbis, illinc ſe delibâſſe, nuperrimè verò incurſione Hungrorum propter incuriam cuſtodum cum aliis rebus eumdem libellum deflagrâſſe.

B

** al.* Hungarorum

C

mendosè conſcriptis, dicitur

48 *Vetuſtior itaque Vitæ libellus flammis abſumptus fuerat ab anno circitèr* 954, *quo paſſim figitur indicata hîc Hungarorum incurſio, jamque effluxerant anni* 25, *quando, jubente Nodgero, novum Opus componendum ſuſcepit Harigerus ; adjutus nimirum iis, quæ Hildebrandus aut Sarabentus partim audiverat ex Frangero ſene, partim ex veteri Vitæ libello,* à ſtillicidio ceræ penè infuſo, *ac proin lectu admodùm difficili, & abhinc annis minimùm* 25 *combuſto delibaverat, & vel chartæ commiſerat, vel fortè memoriâ tantùm retinuerat. Quàm facilè autem auctores, talibus dumtaxat adjumentis inſtructi, in errores prolabantur, non eſt, quòd moneam ; at in plures tam chronologicos quàm hiſtoricos prolapſum eſſe Harigerum in Vita SS. Landoaldi ſociorumque oſtenderunt noſtri Majores in ſuis ad Vitam Annotatis. Idcirco mirum non foret, ſi etiam à vero aberrâſſet auctor in aſſignandis S. Landoaldo Româ in Belgium proficiſcenti comitibus. Errori anſam præbere potuit facta, elapſis aliquot ab Hungarorum incurſione annis, ſacrorum corporum elevatio, quam narrat Harigerus eodem cap.* 2 *Vitæ ipſorum, & ubi hæc habet :* Invenerunt autem plures thecas : ſed una erat, in qua S. Landoaldus archipresbyter, & diaconus ſuus pariter tegebantur Amantius. Aderat & lapis ad capita eorum, nominibus ipſorum inſculptus. Aliæ continebant SS. Adeltrudem & Vincianam, quod indicabat crucicula quædam argentea, pectori S. Vincianæ ſuperinventa.

D

Româ in Belgium veniſſe,

49 *Ferebat communis opinio, S. Landoaldum cum S. Vinciana, quam ejus ſororem fuiſſe tradunt, S. Amantio ac aliis viris & mulieribus Româ in Belgium veniſſe : quoniam verò S. Adeltrudis corpus eodem loco repertum ſit, quo trium nominatorum corpora, conjectari potuit fuiſſe ipſam ſimiliter Romanam S. Landoaldi ſociam, & ſecundùm conjecturam iſtam id confidenter affirmari ab Harigero. Sociam fuiſſe S. Landoaldi, non inficiabor ; at veriſimilius mihi eſt, non alio ſenſu fuiſſe, quàm quòd eidem Sancto cum aliis comitibus in Hasbaniam adventanti ſe junxerit, ipſorum labores apoſtolicos ope, potentia, auctoritate ſua ſublevaverit promoveritque & communem cum ipſis ſepulturam habere voluerit. Ut ita ſentiam, facit primò ſilentium vetuſtiorum Harigero ; ſecundò nomen ipſum Adeltrudis, quod Belgicum eſt, non Latinum : tertiò quia conſtat,* S. Bavoni, *Hasbaniæ domino, filiam fuiſſe ſimili nomine vocatam & vitæ ſanctimoniâ illuſtrem ſub idem tempus, quo in Hasbaniam advenit S. Landoaldus : quartò denique quia Wintershovium, ubi omnes ſepulti fuerunt, pars erat dominii ejuſdem* S. Bavonis.

E

probabilius S. Bavonis filia eſt,

50 *Hinc, donec afferatur auctoritas major quàm Harigeri, ulteriùs concludo, mihi veriſimillimum eſſe, corpus S. Adeltrudis, quod ſeculo decimo Wintershovii cum ceteris terrâ elevatum fuit, non fuiſſe Romanæ mulieris, ſed ipſiuſmet filiæ* S. Bavonis *& per conſequens ad hanc unam pertinere quidquid de antiquo cultu S. Adeltrudis, de ejus cùm S. Landoaldo & ſociis inventionibus, elevationibus ac tranſlationibus, communibuſque miraculis dictum eſt in Opere noſtro ad diem* XIX *Martii. Fuiſſe porrò S. Adeltrudem, ſeu Aldetrudem vel Agletrudem virginem Ordinis Benedictini aut Sanctimonialem, nuſquam comperi apud antiquos, quapropter id aſſerentibus recentioribus probandum incumbit. Nunc eò redeamus, unde divertimus.*

F

cujus operâ à vitiis, in juventute

51 *Laudatæ hactenus ſanctæ virgini meritò attribui poſſe initia converſionis* S. Bavonis, *habemus ex verbis biographorum noſtrorum ſuprà recitatis ; Poëta anonymus & Theodoricus abbas id de ambobus virginis parentibus æqualiter intelligendum dederunt, & ita quidem Theodoricus, acſi exemplo dumtaxat ſuo ipſos ad perfectiorem vitam ſtimulaverit :* Ut principio converſationis novellæ ipſis quoque parentibus propoſitum fieret imitabile. *Paulò plus conjectandum præbet poëta, ſic angelum cum ipſa loquentem inducens :*

Numquam carnalem debes tu gignere prolem,
Sed ſolo lætos verbo generabis alumnos.

Quaſi dicat : Tu parentes à recto tramite devios, & per vitam diſſolutiorem cælo mortuos, tuis adhortationibus ad frugem reduces ac Chriſto Deo ſuo generabis ſeu ad vitam ſuſcitabis. Idem ipſum indicat biographus primus : Verbo Dei ſolius parentes procreabis, *ſed mox oſtendit, id potiſſimùm ſpectare ad* Bavonem *patrem ipſius, addens :* Tempore quippe ſuæ juventutis beatus Bavo a-

A ctibus pravis ſeculi exercebat voluntatem, conſtans erat in turpibus, incenſus obſcenis laterum flexionibus. Sed Chriſto auxiliante, hoc juge ipſius vitium citò verſum eſt in bonitatem.

contractis, abductus eſt.

52 *Poſt hæc pergit in hunc modum anonymus:* Ab illo etiam tempore legis judicia non contempſit, ſed & omnium materiem ſcelerum evitavit. Affinibus ſuis non nocuit, ſed pauperibus latiùs manum porrexit. Amicitiarum fidem non renuit; ſed appetivit; nec tam fortunam excoluit, quàm virtutes imitatus eſt. Miſericordiâ ſublevavit etiam oppreſſos, indeſinenter recolens in omni cultu pietatis, maximè Deum in hoc ſibi propitium fore peccatorum ſuorum, ſi omnes injuſtè oppreſſos ſublevandos eſſe fatageret. *Dein refert idem auctor obitum conjugis* S. Bavonis, *hujuſque, ſpretis ſecundis nuptiis, acceſſum ad S. Amandum, ut perfectè ad Deum converſus,* pro peccatis maximis & minimis pœnitentiam *ageret. Similia habent poëta & Theodoricus (exceptis iis, quæ tradiderat ille de peccatis à Sancto in juventute commiſſis) atque ita deſcribunt ejus vivendi modum, ut ex iis aliud nihil intelligas, quàm quòd totum tempus, à quo filiæ verbis & exemplis ad meliorem vitam traductus eſt uſque ad uxoris obitum, in virtutum piorumque operum exercitatione tranſegerit.*

B

Vitia tamen iſta

53 *Hæc annotanda cenſui, ne paulatim altiores radices agat opinio quorumdam recentiorum, aſſerentium, quòd Sanctus juventutis vitiis conſtans inhæſerit uſque ad uxoris obitum. Opinionem hanc amplexus eſt auctor novi Officii Gandenſis cathedralis atque ita expoſuit lectione* IV: Corruptis in juventute moribus fuit, & adeo ſe illicitis amoribus dedit, ut nec ſubſequens matrimonium eos refrenaverit. Donec tandem, uxore mortua, hortationibus ſancti Amandi cor obdurati hujus peccatoris Deus tetigit, emollivit & ad novæ vitæ propoſitum permovit. *Hæc ille, in capite monens, deſumptas eſſe lectiones* ex Actis & Annal. Bened.; *Acta apud Mabillonium citat ſimiliter Bailletus, eademque tradit Gallicè, quæ Latinè jam dedi ex Officio.*

plus æquo à nonnullis

54 *Mihi quidem ſeu Actorum verba ſpectem ſeu ordinem, quo diſpoſita ſunt, nihil prorſus ſuggeritur, ut vel per conjecturas ſimile quid inde elicere poſſim. Imò ſi conjecturas formare opus ſit, malim adoptare eas, quas formavit Theodoricus abbas. Is quippe narratis virtutibus ac piis operibus, quibus* S. Bavo, *poſtquam, ſtimulante filia, aliam vivendi normam ſuſceperat, ſeſe exercuit in conjugio, ſubjungit:* Animo ſic florenti mundus & omnis gloria ejus aruerat, domus ingens, ampla poſſeſſio penitus viluerat. Jam ſtivam aratri teneret, jamque libero greſſu ad Antoniorum & Macariorum eremum evaderet; niſi cura conjugis & parvæ Adelthrudis * pedem ejus retineret. Vivebat tamen monachum laïcus & inter officioſam populi multitudinem nunquam eum deſerebat illa, quam animo conceperat, ſolitaria eremus. *Porrò ſicut nullum planè fundamentum reperio adſtruendæ novæ opinioni jam propoſitæ, ita non video, quo jure vel juſtitia affricetur Sancto noſtro à nonnullis odioſus titulus* prædonis.

C

* *al.* Aglethrudis

exaggerata ſunt.

55 *Eorum Dux fuit Harigerus, ſub finem ſeculi* 10 *abbas Lobienſis in Actis S. Amandi epiſcopi apud nos tom.* 1 *Februarii pag.* 856, *dicens:* S. Bavonem ex Hasbania prædonem convertit (*S. Amandus*) & trans flumen factâ cellulâ pœnitentem incluſit. *Vitiis, præſertim carnis, addictum fuiſſe, teſtatur biographus prior, verùm nec ipſe nec alius quidquam illi attribuit, ex quo meritus ſit nomen* prædonis. *Idem biographus declarans pia opera à Sancto facta, quo tempore uxor ipſius adhuc viveret, ait quidem:* Miſericordiâ ſublevavit etiam oppreſſos, indeſinenter recolens in omni cultu pietatis, maximè Deum in hoc ſibi propitium fore peccatorum ſuorum, ſi omnes injuſtè oppreſſos ſublevandos eſſe, fatageret. *Sed quis inde prudens concludat: Sublevavit eos, quos ipſe antea injuſtè oppreſſerat, maximè cum dicatur ſublevâſſe ex miſericordia? Demus tamen, verum eſſe; iniquiorem fuiſſe in juventute erga ſubditos & proximos; vel ſic temere aſſeretur, ex prædone converſum fuiſſe à S. Amando, quandoquidem dum primùm hunc adiit* S. Bavo, *jam dudum à vitiis abſtinuiſſet; & ſi cui in juventute iniquus exſtiterat abunde compensâſſet, ut mihi ſaltem perſuaſum eſt ex biographorum teſtimoniis.*

AUCTORE J. P.

§ V. Tempus, quo Sanctus perfectè ſe convertit, perperàm à variis aſſignari oſtenditur.

E

Tempus perfectæ converſionis S. Bavonis

ADducta ſuperiori § biographorum teſtimonia dubium nobis non relinquunt, quin S. Bavo *Adeltrudem vel Agletrudem filiam ducem & auctorem habuerit, ut à vita diſſolutiore ſeu prava vitiorum conſuetudine, tempore juventutis contracta diſcederet, ac prima converſionis fundamenta, vitæque ſanctioris jaceret ſemina. Quapropter dum ſcriptores paſſim alii, de Agletrude ſilentes, converſionem ipſius uni S. Amando epiſcopo adſcribunt, id non aliter accipiendum arbitramur, quàm de converſione completiore & perfectiore; quando Sanctus, conjuge è vivis ſublata, & filia ad eam ætatem provecta, quâ ſe reſque ſuas ipſa ſine ulteriori Parentis præſidio regeret, decrevit tandem, quod diu animo conceperat, ad effectum perducere; mundo, inquam, prorſus valedicere, ſeque Dei ſolius ſervitio mancipare. Hoc autem ut circumſpectiùs ſecuriúſque exſequeretur, moderatorem præelegit S. Amandum; ad hunc ſe contulit; illi propoſitum ſuum pandit, vitæ anteactæ rationem reddidit, omnes conſcientiæ anfractus aperuit, animæque nævos patefecit; ab illo conſilium, auxilium, ac de præteritis noxis pœnitentiam ſibi imponendam flagitavit; illo denique ductore præſtitit, quæcumque de hac perfectiore converſione fusè referuntur à biographis.*

F

ab anonymo non ſignatum, Theodoricus,

57 *Contigiſſe eam converſionem, dum S. Amandus verſabatur Gandavi, teſtantur iidem biographi, & admittunt recentiores omnes, ſed hos inter ingens diſcrimen eſt in deſignanda ejus epocha. Vetuſtior anonymus, ubi illam narrat, nullam adjicit notam temporis; per decurſum tamen, nominatim ubi tractat de Sancti obitu, eos offert characteres chronologicos, ex quibus ſi minùs determinatum annum, ſaltem propinquum converſioni tempus aſſequi valeamus. Characteres hoſce non obſervârunt plerique recentiores uſque ad proximè elapſum ſeculum, ſeu quòd carerent Vita illa vetuſtiore, ſeu potiùs quòd fucum ipſis fecerit recepta iſtis temporibus nec ſatis ſuſpecta auctoritas Theodorici abbatis S. Trudonis. Nam is retinuit quidem dictos anonymi characteres chronologicos, ſed infelici auſu annos adſcripſit iiſdem neutiquam conſentaneos, ſicque effecit, ut incautiores poſteri à vera chronologia longè deflexerint. Præ-*

AUCTORE J. P.

cipua errorum ſemina latent apud Theodoricum in Vita S. Bavonis *per Surium edita cap.* 16 *&* 24. *Primo loco poſt expoſitam* S. Bavonis *converſionem ; & fusè deducta, quæ ipſam ſubſecuta ſunt, geſta, dicit, illum precibus inſtitiſſe apud S. Amandum & Florbertum, abbatem Gandenſis monaſterii, ut arcta ſpecu includeretur, idque exſecutioni mandatum fuiſſe* quinto Idus Novembris, qui erat annus ſexcenteſimus viceſimus nonus Dominicæ Incarnationis. *Secundo loco obiiſſe illum tradit :* Calendarum Octobrium die primo, anno à converſione ſua quadraginta dies minùs de tertio, Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo triceſimo primo, Heraclio Romanum imperium, Martino univerſalem adminiſtrante Pontificatum.

auctor chronici

58 *Anni tam expreſsè ſignati, quamquam adjunctis notis, prout patet in Martino Papa, qui Sedem Apoſtolicam non aſcendit ante annum* 649, *& aliis poſtmodum proferendis, minimè conſoni, fundamentum præbuêre, nî fallar, ut in chronico Bavoniano geſta tum S. Amandi apud Gandavenſes, tum Sancti noſtri hoc ordine diſtributi ſint apud Antonium Sanderum Rerum Gandavenſium lib.* 4 *cap.* 3 : Anno verò Domini noſtri Jeſu Chriſti DCVIII S. Amandus . . . per Gallias

B

prædicationis gratiâ clareſcens, inque dicto caſtro Ganda primò verbum Dei prædicans, contrivit idolum Mercurii, & aram ejus ſubvertit, & ibidem eccleſiam conſtruxit. . . . Anno verò Domini DCXI eccleſia Gandæ ab incredulis deſtruitur. Anno Domini DCXIII eccleſia Gandæ auctoritate Aicharii Noviomenſis epiſcopi & Dagoberti regis Francorum per B. Amandum reformatur. Eodem tempore inſignis pater Aloinus, qui & Bavo . . . S. Amandum in dicto caſtro Gandæ adiit . . . præclarumque hoc inter cætera monaſterium apud Gandam ad Scaldis & Legiæ confluentiam, eodem B. Amando promotore, in honorem B. Petri apoſtoli magnificè exſtruxit egregiéque dotavit, quod ab eo poſtea S. BAVONIS nominatum eſt, excrevitque in magnum monaſterium.

monaſterii Gandenſis, Sigebertus

59 Anno DCXVI eccleſia Ganda dedicatur Idibus Novembris in honorem S. Petri apoſtoli à S. Amando epiſcopo, qui clericos Deo ſervientes ibidem primò inſtituit & S. Bavonem, omnibus ſuis pro Deo erogatis, tonſura clericali inſignivit. Anno DCXVIII S. Amandus in eccleſia Gandâ, quam opibus præcipuè B. Bavonis fundaverat, amotis clericis ſecularibus ſimul viventibus . . . catervam monachorum inſtituti ſancti

C

Benedicti aggregavit ac collocavit, quibus abbatem honorabilem virum nomine Florbertum ... præfecit. Anno Domini DCXXIX ſanctus Bavo per ſanctum Amandum & venerabilem virum abbatem Florbertum converſus, . . . quinto Idus Novembris ſolitariè recluditur. Anno Domini DCXXXI . . . in cœnobio Gandæ die primo Kalendarum Octobrium animam corpore exutam in manus Creatoris ſui, lætantibus angelorum choris, efflavit. *Idem planè rerum ac temporum ordo ſervatur in brevi Chronico noſtro Gandenſi Ms. cui is titulus præfixus eſt :* Sequitur quaſi continentia aſſerum Paſchalium, hujus eccleſiæ Gandenſis, & totum ego Oliverius correxi diligenter cum Chronicis anno Domini MCCCCXXXVII : *ſed & juxta eumdem ferè ordinem epochas ſuas fixerunt ſcriptores alii. Sigebertus Gemblacenſis in Chronico ad annum* 614 : Allowinus etiam, qui & Bavo, per eum (*S. Amandum*) ex prædone (*revoca in memoriam dicta num.* 53, 54 *&* 55) converſus & Gandavi ſolitariè recluſus, ſanctitatis exemplum erat omnibus. *Proximè autem ante annum* 631 : Obiit ſanctus Bavo. *Hoc ipſum habet etiam Albericus in Chronico ad annum* 630.

D

& alii vitioſis calculis determinârunt,

60 *In Brevi Chronico Elnonenſi S. Amandi, quod productum ad annum uſque* 1223, *editum eſt à Martenio & Durando tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1391, *ſic habetur ad annum* 616 : Dedicatio eccleſiæ S. Petri in GANT à S. Amando ; *ſic autem ad annum* 629 : S. Bavo convertitur & à B. Amando Baptizatur. *Ibidem col.* 1411 *in Lobienſi Chronico, quod à variis continuatum eſt uſque ad* 1641, *ſic ſcribitur ad annum* 629 : Obiit S. Bavo. *Col.* 1454 *Chronicum Tornacenſe S. Martini, quod deſinit anno* 1099 *hæc habet ad annum* 631 : Obiit S. Bavo, qui & Allowinus dictus eſt. *Poſtremum hunc annum haud dubiè etiam indicatum voluit Trithemius de Viris illuſtribus lib.* 3 *cap.* 63, *quamvis calami vel typi mendo poſitus ſit milleſimus pro ſexcenteſimo, ut ſequitur :* Moritur (*S. Bavo*) anno Domini milleſimo trigeſimo primo, prima die menſis Octobris. *Eidem anno* 631 *Sancti obitum illigârunt auctor Officii veteris Gandenſis, Molanus in Natalibus & in chronica Recapitulatione Sanctorum Belgii, Sanderus in Hagiologio Flandriæ & alii : at quia Sigebertus videbatur ipſum retuliſſe ad* 630, *hunc quoque ſignârunt alii, ut Meyerus in Chronicis Flandriæ, alii hunc vel ſequentem, quos inter Baronius in Annotatis ad Martyrologium Romanum & Miræus in Faſtis Belgicis. Denique Theodorici abbatis & Sigeberti auctoritas tam generaliter hîc admiſſa fuit, ut neminem hactenus repererim ſcriptorem ad annum uſque* 1640, *qui dictum obitum diſtulerit ultra annum trigeſimum primum.*

E

ut probatur primò

61 *Sed poſt annum* 1640 *tam evidentia ex antiquis & fide dignioribus eruta ſunt in contrarium teſtimonia, ut omnis cùm Theodorici tum reliquorum mox allatorum ſcriptorum auctoritas penitus deciderit, & eorum calculi non minùs generaliter fuerint repudiati, quàm antè fuerant recepti. Primus & præcipuus, qui calculos iſtos operosè diſcuſſit, & adductis documentis ac rationibus convulſit, fuit Henſchenius noſter tom.* 1 *Februarii in Commentario prævio ad Acta S. Amandi. Contendit autem iſtic Henſchenius, S. Amandum ad Gandenſes non perveniſſe ante annum* 629, *idque probat §* 10 *Commentarii prævii ex Vitis illius, quas ibidem quinque numero excudit, ac præ ceteris ex ea, quam à Baudemundo S. Amandi diſcipulo ac dein abbate Blandinienſis cœnobii exaratam primo loco exhibuit. Quæſtionem primùm inſtituit huc non pertinentem de anno natali S. Amandi ; dein ex dicto æquali biographo textus aliquot adducit, unde certò conſtet, ubi locorum deguerit idem Sanctus uſque ad annum* 626 *vel* 627.

F

ex ſerie

62 *Textus hîc neceſſarios deſcribo :* Amandus igitur ſanctiſſimus atque religioſiſſimus Aquitaniæ partibus haud procul à maris Oceani litore ex Chriſtianis atque inclytis parentibus editus puer eſt. . . . Sed cùm jam adoleſcentiam tranſiens, in robur migravit virile . . . . patriam parenteſque relinquens, ad Ogiam inſulam . . . . portum monaſterii petiit ; ibique à fratribus ſpiritualibus magno receptus aſt gaudio . . . . Deinde . . . . cœpit pater ejus blandis eum ſermonibus irretire, ut quantociùs de monaſterio egrederetur & rurſus ſecularem aſſumeret habitum . . . . relicto ſolo parentibuſque, Turonis ad ſepulchrum ſanctiſſimi petiit Martini . . . . Cúmque ab oratione (*ibidem fuſa*) ſurrexiſſet, ſtatim comam capitis

A tis sui abscidit, adeptusque clericatûs honorem, omnem gratiam transcendit in clero. Post hæc verò ab abbate ipsius loci & à fratribus benedictione percepta, civitatem Biturîcas ad sanctum petiit Austregisilum, qui tunc in Dei rebus magnificus atque insignis habebatur, ... ab eo & ab ejus archidiacono, sanctissimo videlicet Sulpitio, ... clementissimè susceptus *est, qui illi* cellulam... construi fecerunt, in qua ... tribus fermè militans lustris à vino & sicera omnino abstinuit. *Hactenus cap.* 1 *Vitæ S. Amandi Baudemundus, cujus aliorumque biographorum verbis stabilit Henschenius chronologiam à nativitate ejusdem Sancti usque ad annum Christi* 627, *ut videre est citato loco.*

63 *Ad præsens institutum sufficit, quòd ex iis* chronologica *textibus clarè pateat, S. Amandum ex parentum domo rectà perrexisse in Ogiam, insulam in finibus Pictonum è regione Rupellæ positam, & Reaco insulæ, vulgò S. Martini, propinquam: hîc commoratum esse, donec ut à parentum molestiis se liberum præstaret, Turones adiit, atque inde non aliò divertisse, quàm ad Bituricensem civitatem, ubi episcopatum gerebat S. Austregisilus, quod & expressè notant ceteri S. Amandi biographi,* B *in aliis pariter, quoad gestorum seriem Baudemundo consoni, præter anonymum Aquitanum, secundo loco datum, qui S. Amandi ex Ogia in Turonensem civitatem secessum silentio præteriit, ipsumque ex Ogia rectà deduxit Bituricas, fortasse quòd mora apud Turonenses admodum brevis fuerit. Quidquid sit, locus non est ullus vel suspicandi, quòd ad illud usque tempus S. Amandus Gandavum se contulerit, id est, usque ad annum* 612, *ante quem S. Austregisilus Bituricensem cathedram non ascendit, ut dilucidè monstravit Henschenius citato tom.* 1 *Februarii, repetiitque tom.* v *Maii ad diem mensis* xx, *S. Austregisili memoriæ consecratum, utque admiserunt eruditi passim omnes, Cointius, Mabillonius, Pagius, Dionysius Sammarthanus &c. Atqui S. Amandus Bituricis in cella sibi à S. Austregisilo constructa vixit* tribus fermè lustris *juxta Baudemundum; juxta anonymum Aquitanum* annis quindecim; *juxta Milonem in Vita metrica* quindenis annis; *juxta alios duos biographos* annis ferè quindecim; *igitur dato etiam, quòd primo anno episcopatûs S. Austregisili Bituricas venerit S. Amandus, non deseruit civitatem illam nisi anno* 627, *ut sentit Henschenius,* C *vel saltem* 626, *quæ opinio est aliorum, annos quindecim incompletos numerantium. Sed leve istud discrimen nihil officit fini, quem hæc referendo intendimus.*

64 *Admittunt enim omnes, S. Amandum ex* gestorum S. Amandi *Bituricensi cella Romam profectum esse, hinc reducem in Gallias ordinatum fuisse episcopum, ac tum primùm prædicâsse gentibus Euangelium, utpote quæ dilucidè etiam tradit Baudemundus, post verba ex ipso postremò recitata mox inquiens:* His ita gestis, ... incidit cogitatio, ut ad limina apostolorum Petri & Pauli properare deberet .... Romam pervenit ... ibique ... diebus ecclesiarum Dei circuibat loca, nocte verò ad sancti Petri revertebatur ecclesiam. *Donec tandem ab apparente illi S. Petro monitus est*, ut in Gallias ad prædicationem exercendam reverti deberet ... feliciter remeavit in Gallias. Cùm interim paucis pòst transactis diebus coactus à rege ac sacerdotibus episcopus ordinatus est. Acceptoque pontificatûs honore, gentibus verbum euangelizare cœpit Domini. *Henschenius, qui iter Romanum fixerat anno* 627, *episcopa-*

lem S. Amandi ordinationem distulit in annum circitèr 628, *tantum ratus exigi temporis intervallum, ut Sanctus & iter istud perficeret & reversus regi ac episcopis sic innotesceret, ut ad episcopalem dignitatem cogeretur.* AUCTORE J. P.

65 *At alii laudati eruditi omnia peracta opi-* episcopi, ex qua plures alii *nantur eodem anno, quo juxta ipsos Bituricis Romam peregrinatus est, puta* 626: *quia nempe ejus ordinatio in variis Martyrologiis adscribitur septimo Kalendas Novembris, sive diei* XXVI *Octobris, isque dies incidebat in Dominicam dicto anno* 626. *Utri rectiùs statuerint, non disquiro, nec reliquam prosequor gestorum S. Amandi seriem, per eosdem scriptores operosè discussam. Sufficiat hîc notâsse, neminem eorum eruditorum, quomodocumque gesta S. Amandi, consecratione episcopali posteriora, volverit ordinaveritque, tempus invenisse ante annum* 631 *ad figenda monasterii Gandavensis, postea à* S. Bavone *appellati, primordia. Quid enim, his positis ac tam evidenter probatis rectæ chronologiæ fundamentis, ultrà requiri queat, ut mox quivis deprehendat in Theodoriciana* S. Bavonis *Vita, in Chronico Bavoniano, & aliis, quæ iis congruunt scriptorum assertis, tot errores latere, quot de gestis SS. Amandi &* Bavonis E *usque ad annum* 631 *epochæ adstruuntur?*

66 *Erronea igitur sunt, quæ adstruit chroni-* eorundem errores palàm fiant; *sta, anno* 608 *à S. Amando Gandavi prædicatum fuisse Euangelium; anno* 611 *ecclesiam, quam ibidem erexerat, fuisse eversam ab incredulis; anno* 613 *eamdem esse restauratam auctoritate* Aicharii Noviomensis episcopi & Dagoberti regis Francorum; *qui posterior error de novo se prodit ex adjunctis episcopo & rege; Aicharii quippe seu Acharii episcopatûs initium passim non statuitur ante annum* 621; *Dagobertus certè rex Austrasiæ non fuit ante* 622, *nec monarcha ante* 628. *Erronea rursum sunt, quæ idem ad eumdem annum habet de adventu* S. Bavonis *ad S. Amandum Gandavi commorantem; de dedicatione ecclesiæ Gandavensis, similiter signata in Elnonensi Chronico ad annum* 616; *de amotis inde clericis ac substitutis monachis ad* 616; *quæ omnia posteriora sunt anno* 626, *& pleraque etiam anno* 631; *quale etiam est, quod tam ipse quàm Theodoricus factum esse affirmant anno* 629 *de inclusione* S. Bavonis *in cella monasterii Gandavensis per S. Amandum & Florbertum abbatem monasterii, quo non existebat monasterium, nedum abbas præerat Florbertus, ipsi tantùm præpositus quinquennio circitèr postquam illud conditum esset; juxta ipsiusmet chronistæ Bavoniani calculos.* F

67 *Tot erroribus addi & ex digesta jam vera* secundò ex Gestis *S. Amandi chronologia refutari posset is, quem consequenter commiserunt Theodoricus, & chronista Gandensis, adoptârunt que omnes, quos novi, scriptores ante seculum decimum septimum, signantes obitum* S. Bavonis *anno* 630 *vel* 631. *Verùm error iste solidiùs etiam nec minùs evidenter refutabitur ex nota chronologica, quam subministrant biographi nostri, quamque retinuerunt Theodoricus, chronista Bavonianus, & auctor Officii veteris ecclesiæ cathedralis Gandensis, non advertentes, quantùm ea adversaretur calculis suis de Sancti obitu. Nota ista his verbis comprehenditur apud vetustiorem anonymum num.* 28: Sanctam animam carne solutam die primo mensis Octobris reddidit (S. Bavo) omnipotenti Domino; ... statimque virgini beatissimæ Gerthrudi cum aliis virginibus secum commorantibus, longiùs à se positis, spiritus ipsius apparens, ju-

AUCTORE J. P.

bet sibi vestimenta mitti ad sepeliendum corpus suum. *Istis versibus apud poëtam nostrum num.* 45.

Exsufflans animam carnali fasce solutam
Perpetuò celsis victuram tradidit astris;
Moxque Dei famulæ Geretrudi nomine dictæ
Spiritus apparens suggessit talia, dicens:
Ne tu, virgo, meis, quæ polles actibus almis,
Mittere condendis tardes velamina membris.

Paucioribus his apud Theodoricum: Apparuit autem felix ejus anima in ipsa exitûs sui hora longè manenti sanctæ virgini Gertrudi, petens, ut mitteret linteamina, condendo funeri necessaria. *Illis denique apud Chronistam:* Apparuit autem felix ipsius anima in ejus egressu salutari beatissimæ Gertrudi virgini, abbatissæ Nivellensis cœnobii, jubens sibi vestimenta ad sepeliendum corpus suum transmitti.

S. Gertrudis virginis

68 *Vivebat igitur inter virgines Deo sacras S. Gertrudis, ut prioris anonymi verba judicare nos sinunt, vel ut expressè asserit chronista, jam tum abbatissa præerat Nivellensi cœnobio, cùm* S. Bavo *obiit, atque hinc studiosus lector, in memoriam revocans dicta superiùs de nativitate ejusdem Sanctæ, facilè apprehendere incipiet errorem, quem refellendum suscipimus. Gertrudis namque, ut sequitur ex computo Henschenii in Exegesi præliminari ad tom.* III *Aprilis, nata est tantùm anno circitèr* 626, *eaque hodiedum communior sententia est eruditorum adversùs nonnullos, & hos inter fuerat olim ipsemet Henschenius, qui nativitatem illam differunt in annum* 631 *vel sequentem & juxta quos proin nata esset sub idem tempus, quo defunctum esse* S. Bavonem *tradit cum sectatoribus suis Theodoricus. Sed his missis, insistamus communiori nunc sententiæ figamusque nativitatem* 626; *quinquennis fuerit dumtaxat* 631, *quando juxta Theodoricum, Chronistam Bavonianum & alios mortuus est* S. Bavo. *Hæc autem componi non posse cum ipsorummet ac biographorum nostrorum textibus num. præcedente allatis perspicuum est. Prosequamur ergo paucis S. Gertrudis chronotaxim, donec eam cum virginibus habitantem seu abbatissam Nivellensis cœnobii reperiamus.*

C *chronologicè deductis,*

69 *Gertrudis in aula parentum degit usque ad obitum genitoris sui B. Pippini de Landis; quando numerabat ætatis annum decimum quartum: prout omnes intelligunt sequentia biographi ipsius coævi verba apud nos tom.* 2 *Martii pag.* 594: Post annos verò quatuordecim cùm pater ejus Pippinus de hac luce migrâsset, matrem (*B. Ittam seu Idubergam*) in viduitate secuta est, eique in obsequio atque in Dei mandatis sobriè & castè serviebat. *Pertigimus itaque ad annum* 640, *cui ob alia etiam argumenta Pippini mortem innectunt Henschenius in memorata Exegesi, Valesius, Cointius, Mabillonius & recentiores passim reliqui, excepto Pagio, qui anno præcedenti innectendam censet. Vixit cum filia Gertrude aliquanto tempore vidua Pippini Itta, priusquam, auctore S. Amando Nivellensis cœnobii fundamenta jaceret, eidemque filiam abbatissam præficeret. Audiamus denuo hunc facientia coævi S. Gertrudis biographi verba:* Cúmque quotidie supradicta materfamilias (*B. Itta*) tam de se quàm de sua orphana filia, quid esset factura, cogitaret: adveniens vir Dei Amandus episcopus .... rogabat, ut monasterium .... construeret: quæ statim ut intellexit ignotæ rei novitatem ad salutem animarum pertinentem, sacrum velamen accepit & semet ipsam Deo tradidit, & omnia, quæ habebat. D

cui abbatissæ

70 *Interserit hîc auctor nonnulla de persecutionibus & injuriis, quas ob sanctum institutum pia mater cum filia Gertrude perpessa est ac tum prosequitur:* Ut violatores animarum filiam suam ad illecebras hujus mundi ac voluptates per vim non raperent, ferrum tonsoris arripuit & capillos sanctæ puellæ adinstar coronæ abscidit. .. Deinde misericors Deus ... adversarios ad pacis concordiam revocavit. Cessârunt jurgia ... Mater ... filiam ... Gertrudem sacerdotibus Domini tradidit ad accipiendum sacrum velamen cum sodalibus suis & sancto gregi cœnobitarum, Christo ordinante, præesse constituit. *In annum posterioris hujus facti, nempe consecrationis vel sacri velaminis impositionis, non inquisivit Henschenius ad diem* XVII *Martii, monuit tamen, apud Molanum in Additionibus Usuardinis & in Indiculo ac Natalibus Sanctorum Belgii referri ejus memoriam ex proprio Nivellensi Martyrologio ad diem secundum Decembris his verbis:* Nivellæ consecratio S. Gertrudis virginis. *Eodem die inscribitur similiter Florario nostro Ms. Sanctorum, eodemque factam esse tradit Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis.* E

Nivellensis parthenonis

71 *Diei mensis annum adjunxit Fisenus* sexcentesimum quadragesimum septimum; *ob eam verisimillimè causam, ob quam ad dictum annum hæc notat Cointius in Annalibus num.* 3: Hoc anno Gertrudis virgo, Grimoaldi soror, Nivellæ benedicta est in abbatissam quarto Nonas Decembres die Dominico, littera Dominicali G, ut Bucherius & Malebrancus observârunt. *Illud ipsum argumentum adhibuit Mabillonius, ut consecrationem S. Gertrudis referret ad annum* 647, *estque hæc etiam Labbei ac aliorum communissima hodiedum sententia. Porrò si cui hujus sententiæ fundamentum, desumptum à die consecrationis notato in prælaudatis Fastis, sat solidum non appareat, ut omnino certam faciat, cùm sæpe contingat, Sanctorum natalitia, ordinationes, consecrationes & hujusmodi ecclesiasticas cæremonias alio die Fastis annotata reperiri, quàm quo verè facta sunt, consideret is, nihil quoque solidæ saltem rationis afferri posse, quod citiùs consecrationem collocare nos cogat; esse autem, ne id faciamus, argumentum omnino probabile, sepositа etiam qualicumque Fastorum auctoritate.* F

moriens apparait Sanctas.

72 *Argumentum illud deducimus ab ætate S. Gertrudis; quæ cùm anno circitèr* 626 *nata tantùm sit, anno* 647 *numerabat à nativitate vigesimum vel vigesimum primum. Admodum verisimile autem est, ipsam hac ætate minorem consecratam non fuisse Nivellensis parthenonis abbatissam. Fallar, nisi hoc idem intelligendum præbeat coævus ipsius biographus cap.* 2, *ubi referens, quòd S. Gertrudis sibi in dicto parthenone postmodum substituerit abbatissam Vulfedrudem neptem suam, non frustra addit:* Tunc ET IPSA sacrata puella Vulfedrudis vigesimum ætatis annum habebat: quæ ex antiquo Francorum genere & ipsa edita fuit. *Quasi dicat Vulfedrudem, eodem, quo S. Gertrudem, genere prognatam, tunc eamdem quoque circitèr ætatem habuisse, quam habuerat S. Gertrudis, cùm sacrum velum accepit & consecrata est abbatissa. Addi posset confirmationis gratiâ, quòd S. Amandus verisimillimè esset episcopus Trajectensis, dum Nivellam, tunc Trajectensi sedi subditam, ad B. Ittam venit, quæ Henschenii sententia est fundata in Actis S. Modoaldi,*

A *di, excusis apud nos ad diem* XII *mensis Maii: ubi legitur de B. Itta:* Secundum vitans matrimonium . . . à S. Amando Trajectensi episcopo sacrum velum sanctæque religionis habitum suscepit. *At S. Amandus tribus tantùm annis, id est,* 647 *& duobus sequentibus, ut mox dicam, sedem istam occupavit, igitur illo temporis intervallo facta sunt, quæ narrantur de B. Itta & S. Gertrude. Sed hæc ultrà morari nos non debent, quibus sufficienter probatum est,* S. Bavonem *vixisse ad annum certè* 647, *cùm mox ob obitu apparuerit S. Gertrudi, jam sanctimoniali sive abbatissæ.*

§ VI. Chronologica gestorum Sancti distributio à Cointio & Pagio adstructa refellitur.

Cointii chronologica gestorum distributio

B *Positis fundamentis, quibus constet,* S. Bavonem *diutius in vivis superstitem fuisse, quàm scripserant Theodoricus abbas, Chronista Bavonianus, horumque assecla usque ad medium ferè seculum decimum septimum, & de quibus convenit inter recentiores eruditos, discutienda nunc venit quæstio, quam iidem eruditi movent super anno perfectæ ipsius conversionis seu accessûs ad S. Amandum, & reliqua serie chronologica usque ad felicem Sancti nostri obitum; de iis quippe inter ipsos controvertitur. Cointius dictam seriem in hunc modum disposuit.* S. Bavo, *mortua uxore, nuntium mundo remisit, Gandavum perrexit & à S. Amando clericatûs ordinem suscepit sub annum* 631, *cùm esset* paulò major quinquagenario, *nempe nativitatem ejus fixerat Cointius anno* 578. *Dein multis annis adhæsit comes assiduus S. Amando & in eremum secedens, factus est anachoreta* 639. *Gandavum reversus anno* 647, *cellulam in monasterio sibi exstructam inhabitavit* quatuor ferè menses. *Denique ergastulo inclusus* quinto Idus Novembris, ibique secundo pòst anno vitam clausit Calendarum Octobrium die primo.

improbatur, 74 *Ita ille sparsim ad annos hîc expressos, ad quos præcipua Sancti gesta recitat ex Vita per Theodoricum conscripta & ad annum* 649, *quo electionem S. Amandi ad episcopatum Trajectensem*
C *statuit atque his præmissis:* Amandus . . . . exequias sancti Bavonis, hoc anno Kalendis Octobribus mortui celebravit. Ultimum fuit operum apud Gandam gestorum ante susceptum episcopatum Trajectensem, *his, inquam, præmissis, mortem ac sepulturam* S. Bavonis *describit verbis ejusdem Theodorici. Sic quidem errores chronologicos in Vita Theodoriciana & Bavoniano Chronico cubantes eatenus correxit, quatenus manifestè adversabantur apparitioni* S. Bavonis *S. Gertrudi abbatissæ, ab ipsomet Theodorico & ab aliis assertæ, sed in reliqua rerum dispositione chronologica neminem, quem novi, eruditum sectatorem nactus est præter Pagium, qui annum mortis à Cointio signatum aliam tamen ob causam admisit, sed reliqua diverso prorsus ordine digessit.*

quia non congruit Vitæ vetustiori ab ipso non visæ. 75 *Anno* 649 *determinatè affixit obitum Cointius, quia secundùm calculos Bavoniani Chronici vivere desiit Sanctus anno decimo tertio Florberti abbatis, cujus initium ipse retulerat ad* 636; *præcedentia verò vitæ gesta ordinavit, prout temporum intervalla in eodem Chronico servata, collataque cum Vita Theodoriciana exigere videbantur, quamquam annos in utrisque notatos constanter deserat propter dicta de SS. Amando & Gertrude, propter quæ Henschenius antè non modò annos, verùm etiam temporum intervalla neglexerat in Commentariis ad Acta SS. Amandi & Gertrudis præviis, sicque propiùs accesserat ad epocham conversionis* S. Bavonis, *quam postea confecerunt alii ex Vita anonymi nostri vetustioris, ab Henschenio & Cointio non visa. Illorum præcipui sunt Mabillonius & Pagius, verba autem, quibus nituntur, præcipua ista sunt:* Igitur sanctissimus atque religiosissimus vir Domini Bavo post pœnitentiæ confessionem, quam à beato Amando pontifice perceperat, annis tribus præter quadraginta dierum abstinentiam, quam explevit, Domino annuente, sagaci studio, mirifico affectu in hoc seculo propter regnum Dei * militavit. AUCTORE J. P.

* *al.* cælorum

Pagius ex textu vetustioris Vitæ,

76 *Ista periodo indicari putant laudati Mabillonius & Pagius totum, quod fluxit temporis spatium à* S. Bavonis *conversione usque ad felicem obitum; proinde everti longam illam annorum seriem, quam inter utrumque statuit Bavonianus chronista, quamque ex collatione hujus cum Vita Theodoriciana modo suprà exposito distribuerat Cointius. Sed diversimodè videntur intellexisse verba. Mabillonius enim in Annalibus ad annum* 650 *ita scribit:* Post annos tres à confessione Amando facta, postque quadraginta dierum abstinentiam sanctus Bavo rigidissimæ pœnitentiæ præmium in cælo consecutus est: *quibus, si sensum satis assequor, innuit tribus annis completis addendos dies quadraginta. Pagius contra existimat triennio completo defuisse dies quadraginta, ac opinionem suam firmat testimonio Theodorici, cujus textum à Surio vel à librario vitiatum & vix explicabilem dixerat Mabillonius, & quem ipse Pagius addita una voce, per librarium omissa, conformem contendit textui anonymi vetustioris.* E

collato cum verbis

77 *Textus Theodorici hic est:* Facta est (*S. Bavonis*) in æternitatis honorem glorioſa assumptio Kalendarum Octobrium die primo anno à conversione sua quadraginta dies minus de tertio. *Corrigit autem ipsum Pagius adjecta voce* secundo, *legitque* anno secundo à conversione sua *&c. ita ut sensus sit, desideratos fuisse dies quadraginta ad complendum triennium. Hanc fuisse mentem Theodorici persuasum est & mihi, præsertim cùm eumdem sensum admittant verba anonymi vetustioris: sed an, his positis, sequatur, quod vult Pagius, nunc dispiciendum. Præmittantur ad faciliorem intelligentiam ipsamet ejus verba.* Hæc ultima sententia quoad Bavonis mortis annum (*Christi* 649 *à Cointio allata superiùs de causa notatum*) ex collatione anonymi cum Theodorico abbate certa redditur; & ex collatione utriusque constat, sanctum Virum die nona mensis Novembris anni sexcentesimi quadragesimi sexti, qui præcessit pontificatum sancti Amandi in sede Trajectensi, conversum esse: die nona mensis Novembris seu quinto Idus Novembris anni sexcentesimi quadragesimi octavi reclusum esse, annoque sexcentesimo quadragesimo nono, mensis Octobris die prima spiritum Deo reddidisse. *Hîc confert Pagius modo suprà dicto correctum Theodorici textum cum textu anonymi, unde concludatur, obiisse* S. Bavonem *non expleto triennio post conversionem.* F

Theodorici pro arbitrio expositis

78 *Tum probaturus præmissa de determinatis annis conversionis, inclusionis, ac mortis addu-*
cit *alterum Theodorici textum, qui sic habet:* Ac-

AUCTORE J. P.

cerſito dehinc (*poſt varia nempe mirabilis pœnitentiæ opera*) ſancto pontifice Amando, & venerabili abbate Floreberto, non modò pedum, ſed & totius macerati corpuſculi integram recluſionem obſecrat & vix aliquando impetrat. . . . Data die evocato clero & populo, cum crucibus & thymiamateriis, univerſoque eccleſiaſtico apparatu ad recluſionis cellulam convenitur & ſancti pontificis manibus hoſtia Chriſti Bavo, teſte eccleſia, ſepelitur magis, quàm recluditur quinto Idus Novembris. *Poſt hæc ſubſumit Pagius:* Ad rem, quæ novo exemplo, clero populoque congregato, ſolemni ceremonia, feſtivoque ritu peracta, alius dies quàm Dominicus delectus non eſt, ut illius temporis mos ferebat. Quare cùm anno DCXLVIII dies V Idus Novembris, ſeu dies nonus ejuſdem menſis in Dominicam inciderit, eâdem S. Bavo ex præcipuis Hasbaniæ proceribus unus, recluſus eſt & poſt annum, diebus quadraginta exceptis, non verò poſt biennium, ut volunt Henſchenius & Cointius citati, die prima Octobris anni DCXLIX ad cæleſtem vitam tranſiit, ideoque converſio ejus contigit die nona menſis Novembris anni DCXLVI & uno eodemque die converſus & recluſus fuit,
B commodéque cecidit, ut anno DCXLVIII idem dies cum Dominica concurrerit.

mutatis 79 *Verum eſt, quòd, verbis anonymi ac Theodorici ad mentem Pagii acceptis, ſtatui poſſit* S. Bavonis *converſio die* IX *Novembris. Sed miror, virum eruditum adeo confidenter affirmare ex utriuſque textus collatione certam fieri ſententiam ſuam, figentis obitum anno* DCXLIX. *Nihil profectò eò conducens habet anonymus præter ſpatium temporis converſionem & obitum ac hujus diem, ſignatum* I *Octobris. Cetera igitur emendicanda ſunt à Theodorico, auctore nimirum, qui, judice Pagio,* rerum tam à Bavone, quàm ab Amando, eorumque coævis geſtarum chronologiam plurimùm perturbavit, *& cujus computum paſſim rejicit idem Pagius. Theodoricus Sancti recluſionem expreſsè collocat* quinto Idus Novembris, qui erat annus ſexcenteſimus vigeſimus nonus Dominicæ Incarnationis : *Pagius eodem menſis die, ſed anno* 648. *Theodoricus mortem alligat anno* Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo triceſimo primo, *biennio ferè poſt recluſionem : Pagius anno* 649, *non uno poſt illam completo ; atque hîc quidem corrigit Henſchenium & Cointium ;*
C *quaſi verò biennium ferè, quod & ipſi ſtatuunt inter recluſionem ac mortem, non deprompſiſſent ex Theodorico & Bavoniano Chroniſta, nec in hos primùm cadere debuiſſet, ſiqua facienda erat, correctio.*

& correctis, ſuam chronotaxim 80 *Itaque ex Theodorici computo nihil non correctum ſeu potiùs pro arbitrio immutatum ad firmandam ſententiam ſuam retinuit Pagius præter diem recluſionis, ad quam, ſi tanto apparatu peracta ſit, credi poteſt electum fuiſſe diem Dominicum. At quis revelavit Pagio, Theodoricum, qui in omnibus ex anonymo non deſumptis notis chronologicis aberravit, falſum non eſſe, dum recluſionem affixit* quinto Idus Novembris, *vel ſaltem à librario notam hanc non fuiſſe corruptam ? Dixi,* ſi tanto apparatu peracta ſit recluſio, *quia cùm nec de die, nec de recluſione per S. Amandum facta meminerit noſter anonymus, dubitari poteſt, an convocatio illa cleri & populi, ceteræque relatæ cæremoniæ non ſint totidem commenta & ad rei ſplendorem augendum adjecta per Theodoricum ornamenta, ſicque dubitari etiam, an electus fuerit ad recluſionem Dominicus dies, in quo ad determinandos annos conſiſtit omne robur argumenti à Pagio formati : imò admodùm veriſimile mihi eſt, ne ipſum quidem S. Amandum anno* 648 *Gandavi verſatum eſſe, aut interfuiſſe, ſi tum facta eſſet, recluſioni. Is enim, ut ad diem* VI *Februarii probatum eſt ab Henſchenio admiſſumque à Pagio & aliis nunc communiter, S. Joanni Agno,* XXV *Julii anni* 646 *defuncto, ſucceſſor datus eſt in Trajectenſi ſede epiſcopali. Hanc autem diœceſim per triennium ferè, quod terminatur paſſim annis* 647 *& duobus ſequentibus, tanto ſtudio ac labore excoluit, ut niſi alius meliorque teſtis producatur, non facilè crediturus ſim, ipſum excurriſſe interea Gandavum. Legantur Baudemundi coævi & aliorum S. Amandi biographorum verba, quæ citat Henſchenius* § XI *Commentarii prævii, de cura ipſius epiſcopali, dum Trajectenſem diœceſim percurreret.* D

certam dicit, non probat. Nihilo plus 81 *Denique omnibus ritè perpenſis, debilius invenio illud Theodorico fultum Pagii argumentum, quàm ut* controverſiam, quæ inter eruditos de anno mortis Bavonis verſatur, tandem dirimat, *ut perſuaſum voluit auctor ille, certamve reddat ſententiam de affigenda eadem morte anno* 649. *Sed numquid non ſuſpicari licet, ipſimet tam certam non fuiſſe, quàm confidenter pronuntiaverit ? Etenim non contentus priore illo argumento, ſubjunxit aliud, quod primo intuitu ſpeciem aliquam auctoritatis præ ſe fert, ſed attentiùs conſideratum revera nullam habet. Demus & illud integrum. Poſt verba num.* 78 *citata mox pergit :* Sed ſive diei converſionis tantùm, vel ejuſdem & feriæ primæ ſimul in hac recluſione ratio habita fuerit, hæc alio anno peracta non eſt, quàm jam à nobis memorato (*Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo octavo.*) Ex quinque enim auctoribus Vitæ S. Amandi, quorum ſcripta repræſentat Henſchenius citatus, duo de ſancti Bavonis converſione per ſanctum Amandum operata non loquuntur ; alii tres, nempe Milo monachus Elnonenſis lib. 2 cap. 3 num. 12 : Philippus abbas Bonæ-ſpei cap. 3 num. 30, & Harigerus abbas Lobienſis cap. 43 num. 7, de ea verba faciunt, & poſtea, narratis aliquibus aliis ſancti Amandi geſtis, de hujus ad epiſcopatum Trajectenſem evectione differunt. Quamobrem cùm anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo hanc ſedem adeptus ſit, anno, qui iſtum anteceſſit, ſanctum Virum ad pœnitentiam adduxerat. E

effecit argumento 82 *Vis argumenti pendet à modo, quem in rebus narrandis ſervârunt laudati tres biographi S. Amandi ; an videlicet ſingula geſta ſecundùm ordinem temporis, quo contigêre, retulerint, nec ne : ſi ſic, admiſſis nonnullis à Pagio antecedenter poſitis, valet ratiocinium ; ſin' minùs, nihil evincit. Ad hoc prævie attendendum fuerat, ne, ſi talis ordo temporum ſervatus non ſit, uti ſervatum non fuiſſe, mox fatebitur Pagius, ſimili ratiocinio, ex iiſdem auctoribus deſumpto, concutiatur totum ipſius ſyſtema Bavonianum. Producamus exemplum. Laudati tres biographi poſtquam citatis locis de converſione* S. Bavonis *verba fecerunt, narrant nonnulla alia S. Amandi geſta ; dein Milo lib.* 3 *cap.* 2 *&* 3 ; *Philippus abbas cap.* 4 ; *Harigerus cap.* 44, *apud Henſchenium num.* 10, *de S. Amandi exſilio propter reprehenſum Dagobertum regem, deque Baptiſmo per ipſum collato Dagoberti filio S. Sigiberto diſſerunt.* F

ex Actis S. Amandi deſumpto. 83 *Utatur modò quis Pagii ratiocinio & iiſdem ad materiam accommodatis verbis inferat :* Quamobrem cùm anno ſexcenteſimo vigeſimo octa-

VO

A vo exeunte, aut ſequentis initio in exſilium miſſus ſit (*Amandus*) anno ſexcenteſimo trigeſimo S. Sigibertum baptizaverit (*quæ ipſius Pagii & aliorum hodieque ſententia eſt*) ante dictos annos ſanctum Virum ad pœnitentiam perduxerat : ergo nec anno DCXLVI converſus eſt S. Bavo ; nec recluſus DCXLVIII ; nec DCXLIX mortuus. *Quid reponat, ut elabatur Pagius ? Priorem ſequelam, ſuæ chronologiæ tam apertè adverſantem, non admittet ; dicat igitur, fidendum non eſſe ordini ab ipſis ſervato, indeve calculum deducendum, quia, ut ipſe monet ad annum 632 num. 4*, tardiùs ſcripsêre (*Baudemundo S. Amandi biographo coævo*, qui plurima omiſit) SÆPEQUE *res* PRÆPOSTERE narravêre. *Hoc, inquam, dicat, ſed ſimul ſecundi argumenti ſui, ab ordine per eoſdem in rebus narrandis ſervato, unicè petiti debilitatem agnoſcat. Nobis quidem nihilo magis aptum apparet ad controverſiam dirimendam, aut certam reddendam Pagii ſententiam, quàm primum ejuſdem argumentum, quod quàm infirmum ſit, ſatis oſtenſum opinamur. Procedimus ad alios.*

B § VII. Examinatur Mabillonii Henſcheniique ſententia de anno converſionis & mortis Sancti, iſque anno circiter 654 mortuus ſtatuitur.

Mabillonius ſtatuens

Mabillonius Seculo 2 Benedictino pag. 403 in Annotatis ad Acta S. Bavonis *vetuſtiora, ita opinionem ſuam expoſuit :* Annum, quo S. Bavo ad Superos migravit, non facile eſt definire. Si in numeris lapſus non eſt auctor ſive librarius, Bavo POST POENITENTIÆ CONFESSIONEM, QUAM À S. AMANDO PONTIFICE PERCEPERAT, ANNIS TRIBUS PRÆTER QUADRAGINTA DIERUM ABSTINENTIAM ſuperſtes fuit : ſuprà num. 15. Ad meliorem frugem adeoque ad pœnitentiam adductus eſt, dum Amandus, Trajectenſi cathedræ impoſitus, Hasbanienſem pagum, Trajectenſibus contiguum, Bavonis natale ſolum prædicatione illuſtrabat. Amandus ſedem Trajectenſem anno DCXLVII iniiſſe videtur : poſt triennium deſeruit, & ſuos Gandenſes reC viſens, Bavonem ſecum adduxit, eumque monachum factum ad inſulam, Chavelaus dictam, Euangelii diſſeminandi gratiâ anno DCLI comitem habuit. Bavo deinde variis monaſteriis perluſtratis, Gandam rediit, ibique recluſus vixit uſque ad obitum, qui anno DCLIII contigiſſe videtur. *Hæc Mabillonius, qui cùm poſtea videatur vacillâſſe, pauca ad ejus iſtam opinionem obſervanda differimus, donec propoſuerimus, quo pacto geſta eadem ordinaverit in Annalibus.*

converſionem S. Bavonis,

85 *Sancti noſtri converſionem ſeu primum à morte uxoris acceſſum ad S. Amandum narrat anno 647, mortem anno 650* poſt annos tres à confeſſione S. Amando facta, poſtque quadraginta dierum abſtinentiam ; *prout interpretatur anonymi vetuſtioris ſenſum. Non affirmat tamen Mabillonius, iſtis determinatè annis factam eſſe converſionem ; nec ſi affirmaret, placeret opinio : quia cùm juxta antè dicta S. Amandus S. Joanni Agno, die* XXV *Julii anni* 646 *defuncto, in epiſcopali cathedra Trajectenſi ſucceſſerit, eamque tenuerit ferè triennio, quod terminatur paſſim annis* 647 *& duobus ſequentibus, nec interea temporis veriſimiliter Gandavum excurrerit S. Amandus, ſequeretur etiam veriſimillimè, converſionem iſtam contigiſſe, quo tempore S. Amandus verſabatur in diœceſi ſua Trajectenſi, maximè ſi exeunte anno* 646 *vel initio ſequentis epiſcopatum illum ſuſceperit, ut contendit Pagius. Sed illud ipſum ſibi perſuaſum fuiſſe, apertiùs indicat Mabillonius verbis primo loco datis, ad quæ redeo.*

AUCTORE J. P.

dum S. Amandus erat Trajectenſis epiſcopus,

86 Ad meliorem, *inquit*, frugem, adeoque ad pœnitentiam adductus eſt (*Bavo*) dum Amandus Trajectenſi cathedræ impoſitus . . . Hasbanienſem pagum . . . prædicatione illuſtrabat . . . ad ſuos Gandenſes revertens (*Amandus*) Bavonem ſecum adduxit. *Equidem non percipio, quid moverit, ut ad iſtum modum ſcriberet auctor, qui tam vetuſtiorem biographum, quàm Theodoricum alioſque de SS. Amando &* Bavone *agentes præ oculis habuit. Nam quòd à vita licentiore ad frugem meliorem adductus ſit, acceptum retulit exemplis Agletrudis filiæ ſuæ, prout ex biographis clarè oſtendimus* § IV ; *quod autem, ut mox infert Mabillonius, S. Amandus, cùm eſſet Trajectenſium epiſcopus, ad pœnitentiam adduxerit* Bavonem, *non dicunt biographi, quamquam id aliquo ſenſu verum eſſe poſſit : ſed quòd Trajectenſes deſerens,* E *ſuoſque Gandenſes reviſens,* Bavonem *ſecum adduxerit, minimè componi poteſt cum eorumdem biographorum teſtimoniis. Anonymus noſter vetuſtior, expoſitis virtutibus, quibus* Bavo *exemplo filiæ ſtimulatus ſe exercuerat, memorat obitum uxoris ipſius, & ſtatim addit :* Inſpirante Domini miſericordia ad viam converſionis Amandum ſanctiſſimum pontificem expetiit. *Tum refert, quid apud Amandum egerit, quo pacto ejus exhortationem exceperit, facultates ſuas in loca pia ac pauperes erogaverit,* atque ad memoratum pontificem, qui morabatur in caſtro, cujus vocabulum eſt Gandavum, repedaverit. *Unde haud difficulter intelligas, dum hæc agerentur, Amandum degiſſe Gandavi, quò ſecum non adduxit* Bavonem, *ſed ubi primò venientem, ac deinde revertentem excepit.*

pugnat cum biographis, ſi perfectam converſionem

87 *Id ipſum tam clarè explicat anonymus poëta, ut dubium ſupereſſe non poſſit :*

Nam poſtquam primæ deflevit funera nuptæ,
Ulteriùs nullum penitus repetivit amorem,
Sed ſua celſithrono contradens omnia Chriſto,
Mox ad pontificem ſanctum properavit Amandum, F
Quem tunc Gandavo conſtat conſidere caſtro.

En primum aditum ; de reditu poſt bonorum diſtributionem ſic habet :

Tunc veniens omni reſolutus compede ſecli,
Præcidiſſe comam ſanctum ſibi poſcit Amandum
In caſtro, de quo ſuprà memoravimus, ipſo.

Mitto Theodoricum & chroniſtam Bavonianum, qui tam primum, quàm ſecundum, poſtquam de bonis diſpoſuiſſet, Bavonis *ad S. Amandum acceſſum Gandavi collocant : recitata teſtimonia ſufficiunt, ut credam, perfectam Sancti noſtri converſionem (per quam intelligo exſecutionem propoſiti, quod conceperat, valedicendi ſeculo, quamprimùm liber eſſet, & à qua procul dubio inchoandum eſt triennium ferè, quod dein fluxiſſe uſque ad obitum tradunt biographi) ut credam, inquam, iſtam converſionem peractam eſſe, dum*

S,

AUCTORE J. P.

S. Amandus Gandavi morabatur, non autem, dum episcopatum Trajectensem gubernabat. Nihilominus verum esse existimo, quod S. Amandus Trajectensis adhuc episcopus suis prædicationibus S. Bavonem *ad pœnitentiam adduxerit eo sensu, quòd ille in Hasbaniensi pago verbum Dei prædicans, hunc, jam tum filiæ exemplis ad meliorem frugem deductum, ad virtùtem ampliùs inflammaverit, animoque ipsius desiderium propositumque injecerit, ut, siquando liber foret, rebus mundanis nuntium remitteret, ac de peccatis per asperiora pœnitentiæ opera Deo plenius satisfaceret.*

intellexit. Hanc tamen

88 *Hanc libertatem nactus est per obitum uxoris & ætatem sat provectam Agletrudis filiæ, sed postquam S. Amandus, relicto Trajectensium episcopatu, Gandavum redierat, ad quem proin potiùs quàm ad alium profectus est, exsecuturus propositum. Non alio modo accipienda arbitror hæc verba Othelboldi ad Otginam Flandriæ comitissam:* S. Alowinus, cognomento Bavo .... prædicatione beati Amandi pontificis, imò Dei omnipotentis inspiratione, tota mentis devotione conversus, Christum, ipsumque consulem * Gandavum secutus, dum studuit relinquere terrena, meruit obtinere cælestia. *Propter jam deducta ex verbis scriptorum vetustiorum, naturaliore, quantùm mihi apparet, sensu acceptis, vix ambigendum ulteriùs opinor, quin* S. Bavonis *conversio, à biographis memorata, statuenda sit post abdicatum à S. Amando episcopatum Trajectensem, prout statuit Henschenius in Commentario prævio ad diem* VI *Februarii, ubi abdicationem istam innexuit anno* 650. *Hanc de anno abdicationis sententiam contra Cointium propugnavit Pagius in Critica ad annos* 649 *&* 650, *probantque vel sequuntur saltem recentiores plerique. Fuit hæc & Mabillonii sententia in Annotatis ad Vitam* S. Bavonis, *ubi ait:* Amandus sedem Trajectensem anno DCXLVII iniisse videtur: post triennium deseruit.

* *al.* præsulem

B

probabiliter innectit anno 650; mortem 653;

89 *Porrò cùm idem auctor ibidem addat, quòd videatur obitus* S. Bavonis *contigisse anno* 653, *triennio scilicet à conversione eidem perinde anno* 650 *affixit tam conversionem* Bavonis *quàm Amandi abdicationem. Eò quoque reduci debet computus Castellani in Martyrologio Universali, auctoris Martyrologii Parisiensis, scriptorum Historiæ litterariæ Franciæ & aliorum, obitum* Bavonis *circa* 653 *signantium; qui computus tamen absolutè sustineri potest; dummodo corrigatur id, quod displicet in systemate Mabillonii, dicentis:* Amandus *relinquens Trajectum,* & Gandavenses suos revisens, Bavonem secum adduxit. *Dummodo nempe abdicatio S. Amandi statuatur primis mensibus anni* 650 *& profectio* S. Bavonis *ad Amandum Gandavi morantem posterioribus ejusdem anni mensibus, quando perfectè ad Deum conversus est. Rebus enim ita dispositis, reperitur spatium temporis, primò, quod datur episcopatui Trajectensi S. Amandi; secundò, quod videtur absolutè dandum inter abdicationem S. Amandi, & conversionem perfectam* S. Bavonis; *tertiò, quod fluxisse dicitur inter hujus conversionem & obitum. Nam cùm S. Joannes Agnus episcopus Trajectensis obierit anno* 646, *sat verisimile est, illi substitutum fuisse S. Amandum anno sequenti non multùm provecto, à quo termino usque ad primos menses anni* 650 *habes triennium episcopatûs Trajectensis S. Amandi; à posterioribus autem mensibus ejusdem anni* 650 *usque ad* 1 *Octobris* 653 *ferè triennium, quod fluxit inter conversionem & obitum* S. Bavonis.

C

D

Henschenius non minùs probabiliter

90 *Verùm dum nihil etiam cogit abdicationem unius & alterius conversionem tam exiguo temporis intervallo ab invicem dividere, vel obitum* S. Bavonis *statuere determinato anno* 653; *non est improbabilis opinio Henschenii, differentis conversionem in annum* 651. *Præcipua ejus ratio videtur fuisse, quòd S. Amandus eodem anno, quo abdicavit episcopatum, Romam abiisse credatur, ut ratam haberet abdicationem S. Martinus Papa, qui eam ipsi per litteras anno* 649 *dissuaserat. Iter illud Romanum S. Amandi ipso anno abdicationis statuit etiam Cointius, sed hanc differt in annum* 652, *quo eodem utrumque refert similiter Mabillonius in Annalibus, sic deserens calculum suum in Annotatis ad Vitas tam* S. Bavonis *Seculo* 2 *Benedictino pag.* 403, *quàm S. Remacli pag.* 490, *ubi ait:* Amandus anno circà DCL Trajectensem pontificatum abdicavit: *& clarissimè pag.* 716 *ad Vitam S. Amandi:* Johanni Agno successit Amandus anno circà DCXLVII, cùm anno regiminis Trajectensis tertio inviserit Martinum Pontificem Romanum; *itaque non seriùs quàm* 650.

conversionem affigit anno 651,

E

91 *At cùm hic auctor tum in Seculo* 2 *Benedictino tum in Annalibus Sancti nostri conversionem conjunxerit cum S. Amandi episcopatu; Cointius verò tam conversionem quàm mortem* S. Bavonis *præponendam crediderit dicto episcopatui, iter illud in ipsorum calculis de* S. Bavone *nihil moræ vel immutationis afferre debuit. Contrà Henschenius, qui rectiùs conversionem & episcopatui & abdicationi postposuerat, haud improbabiliter eam similiter postposuit Romano itineri S. Amandi: quandoquidem sic faciliùs intelligantur ea, quæ narrant biographi; nimirum quòd* S. Bavo, *defuncta conjuge, profectus sit ad S. Amandum Gandavi commorantem, ejus consilio bona pauperibus & locis piis erogaverit, redierit ad sanctum episcopum, eumdemque, accepto clericatûs ordine, secutus sit prædicantem gentibus verbum Dei. Ad hoc quippe majus temporis spatium exigitur, quàm quod videtur fluxisse inter abdicationem S. Amandi ejusdemque profectionem Romanam, eodem anno* 650 *institutam. Porrò putat Henschenius nec sine verisimilitudine, S. Amandi Romæ moram non fuisse admodum brevem, laudat diploma ibidem ipsi concessum, signatum mense Januario, anno igitur, ut consequenter concludit,* 651, *ante quem proinde non contigit* S. Bavonis *conversio. Hactenus non improbabiliter Henschenius in Commentario prævio ad Acta S. Amandi §§* 12 *&* 13.

F

sed obitum malè affixit anno 657, *quia non vidit*

92 *At stantibus iis, quæ cum eruditis nunc passim omnibus deduximus suprà ex textu tam vetustioris biographi nostri, quam Theodorici abbatis de triennio tantùm medio inter conversionem & obitum* S. Bavonis, *teneri nequit, quod tradit Henschenius eodem §* 13, *obiisse Sanctum nostrum anno* 657, *ad quem ab anno* 651 *medii sunt anni sex. Nec mirum videri debet, sic tum censuisse Henschenium, qui, ut ibidem fatetur, non viderat Vitam Sancti ab anonymo nostro conscriptam: textum verò Theodorici vel alio sensu intellexit, prout contigit Cointio, vel tam obscurum aut vitiatum reperit, ut vix explicari posse judicaret, quæ Mabillonii mens fuit. Adderem, quòd forsan nostro modo intellectum testimonium Theodorici, in notis chronologicis penè ubique labentis, tanti non æstimârit Henschenius, ut juxtà ipsum calculos suos dirigendos crederet; nisi adverterem, quòd hîc saltem Chronico Bavoniano, alioqui non minùs vitioso, non nihil auctoritatis detulerit, in-*

A *inquiens :* Die prima Kalendarum Octobris anno DCLVII angelorum præsentiâ delectatus (*S. Bavo*) spiritum efflavit , à S. Amando dein sepultus & quidem secundùm Chronicon Bavonianum anno abbatis Floreberti XIII , cujus initium retulimus ad annum DCXLIV.

vitam vetustiorem , ex qua figendas erat 654.

93 *Eo autem argumento usus est verisimiliter Henschenius , quia signata* S. Bavonis *conversione anno 651 , aliud monumentum non occurrebat , cujus auctoritate annum mortis determinaret , aliter opinaturus , si ad manum habuisset Vitam ab anonymo conscriptam. Nos itaque servatis usque ad annum 651 Henschenii calculis , de S. Amandi primordiis in episcopatu Trajectensi , ejusdem abdicatione , itinere Romano , redituque in Belgium ac de perfecta conversione* S. Bavonis, *hujus obitum signamus circa annum 654 ; non improbantes idcirco sententiam eorum , qui signârunt uno anno citiùs , dummodo serventur ea , quæ num.* 89 *proposuimus.*

§ VIII. Gesta Sancti à nativitate usque ad medium seculum septimum chronologicè ordinari facilia : fundatio cœnobii Gandensis : an hæc & Gandæ amplitudo Sancto possit attribui ?

B

Ab initio seculi 7 , quo Sancti nativitatem

QUemadmodum *Sancti nostri mortem annis circitèr 23 seriùs collocandam censemus , quàm collocârint Theodoricus abbas , chronista Bavonianus , & qui eos secuti sunt usque ad medium ferè seculum* XVII : *ita nativitatem ejus annis multis amovendam arbitramur ab epocha , quam ex ejusdem Theodorici notis chronologicis , vitiosis quidem , sed pro arbitrio mutatis & emendatis fixerunt nonnulli , nominatim Cointius. Causam , cur sic cogitemus , unam præmisimus* § V , *quia videlicet S. Gertrudis Nivellensis abbatissa , nata sub annum 626 , fuit , teste Othelboldo , consobrina* S. Bavonis , *quod minùs verisimile apparet , si natus hic sit anno 578 , ut placuit Cointio. Causam alteram desumimus ab ætate , quam habuisset Sanctus , cùm triennio ante mortem* adeptus *est* venerandi pontificis Amandi manibus clericatûs honorem , *in nostra & aliorum sententia non ante annum Christi 650 vel 651 , qua in opinione Cointii de anno natali fuisset senex septuagenario major , nec hoc verisimile nobis est.*

C

figendam opinamur , gesta ejus facilè

95 *Accedit , quòd neque vetustus anonymus noster nec poëta in gestis referendis ullum verbum proferant , unde vel suspicio oriri queat , Sanctum fuisse ætate multùm provectum , dum vivere desiit. Contrà pœnæ ac supplicia , quæ ultimo triennio ad eluendas anteactæ vitæ noxas de se sumpsit , tam dura & atrocia fuisse narrantur , ut iis sustinendis impar fuisset vir quinquagenarius , nisi omnino fortis ac robustus ; utque ab iis senex septuagenario major per SS. Amandi & Florberti prudentiam cohibendus fuisset , etiamsi sacro ardore abreptus contra ætatis rationem suscipere tentâsset. Istis de causis nihil pensi habentes erroneas Theodorici notas chronologicas , planè assentimur Henschenio , putamusque , natum esse* S. Bavonem *initio seculi 7 , id est , tot circitèr annis seriùs , quot ab epocha per Theodoricum expressa removimus ejusdem Sancti nostri obitum , annis videlicet circitèr viginti tribus. Neque in hac nostra chronotaxi minus annorum spatium ad Sancti gesta à nativitate usque ad obitum disponenda occurret quàm in calculis Theodoricianis.*

AUCTORE J. P.

distribuuntur usque ad medium idem seculum :

96 *Nam sicut ab anno 578 , quem ex Theodorico natalem fecit Cointius , usque ad 631 , quem mortualem expressè signavit Theodoricus , reperiuntur anni 52 vel 53 , sic totidem numerabuntur ab initio seculi 7 , usque ad 653 vel 654. Imo cùm juxta anonymi nostri ac Theodorici textus perfectiorem Sancti pœnitentiam ad triennium dumtaxat contrahamus , tantum annorum spatium ceteris disponendis absolutè necessarium non est. Ponamus enim , natum esse anno 606 , uxorem duxisse 624 vel sequenti , ex ea tum filiam procreâsse Agletrudem. Hæc anno 642 annos numeraverit septemdecim , abundè sufficientes ut suis verbis & exemplis , aspirante divina gratia , patrem* Bavonem *à licentiore vivendi norma avocaret. Supersunt anni circitèr quinque usque ad Trajectensem S. Amandi episcopatum , quem terminamus annis 647 & duobus sequentibus , & cujus triennii decursu* S. Bavo *dicti præsulis prædicationibus ad altiorem virtutis gradum aspirare cœpit , statuitque mundana omnia derelinquere , atque hoc suum propositum tandem executioni dedit anno 650 vel 651 , ætatis suæ quadragesimo quarto vel quinto.*

E

perperam à nonnullis dicitur

97 *At verò dum loquor de Sancti gestis à nativitate sua usque ad medium usque seculum septimum , generaliori isto asserto solùm comprehendo ea , quæ narrantur à biographis nostris ; non illa , quæ , nescio , unde accepta , traduntur ab aliis , qualia leguntur in veteri Officio ecclesiæ cathedralis Gandensis , & hîc describo ex lectione quarta :* Juvenis (*S. Bavo*) sub imperatore Mauricio magna cum laude militavit. Ac deinde Francorum Austrasiorumque regum , quibus cognatione jungebatur , in mutuas cædes proruentium , bellis diu agitatis , cùm post Brunichildis tristem exitum summa rerum ad regem Clotarium devoluta fuisset , multorum nobilitate ac rerum gestarum gloriâ præstantium militum , ad sanctioris vitæ propositum se transferentium , exemplum secutus est : contemptisque opibus & honoribus seculi , atque à beato Amando Tungrorum episcopo Christi gloriam pleniùs edoctus , deinceps certa animi deliberatione soli Christo crucifixo militare ipse quoque statuit. *Dein lectione quinta :* Et licet Mauricius imperator lege lata prohibuisset , ne quis ex seculari militia ad monasticam vitam transiret , in proposito tamen , Clotharii Dagobertique regum favore suffultus , & ab Gregorio Magno Pontif. Roman. adversus Mauricii edictum pium militum institutum excusante defendenteque animatus , constanter perstitit.

F

militâsse sub imperatore

98 *Hæc , etiam à Molano & aliis adoptata , nos Sancti gestis non comprehendimus , sed tamquam spuria & ab otioso ingenio excogitata rejicimus , non adeo , quia chronotaxi nostræ minimè congruunt , cui certè , si ista vera esse probarentur , renuntiandum esset , quàm quia primò non tantùm biographi nostri , anonymus noster vetustior & poëta ceterique fide digni scriptores de iis altum silent , verùm etiam ipsemet Theodoricus abbas , qui profectò si de iis novisset quidquam , silentio non erat præteriturus. Secundò quia cum nulla , qualemcumque elegeris , chronologia componi queunt. Cum nostra componi non posse mox liquet ; Mauritius enim imperator occisus est anno 602 , quando* S. Bavo *vix natus erat. Cum nulla autem com-*

AUCTORE J. P.

componi poſſe, prodit totus hiſtoriæ contextus: quaſi verò eodem tempore Mauritius imperium, S. Gregorius Magnus Pontificatum, Dagobertus Auſtraſiæ, Clotarius Franciæ regnum tenuerint & S. Amandus Tungrenſem ſeu Trajectenſem epiſcopatum. Annum interempti Mauritii jam aſſignavi; S. Gregorius Magnus in cælum tranſlatus eſt anno 604; *Dagobertus rex Auſtraſiæ factus* 622, *mortuo Clotario anno* 628, *Franciæ monarchiam adeptus* 630, *mortuuſque* 638, *Amandus denique Trajectenſem epiſcopatum adiit tantùm circa* 646 *vel* 647.

99 *Præterea etiamſi tantiſper admitteremus cum Cointio, natum eſſe* S. Bavonem *anno* 578, *daremuſque, militâſſe ſub ſignis Mauritii, quid hujus, anno* 602 *defuncti, lex afferre potuit moræ vel impedimenti, quominus monaſticam vitam amplecteretur? Nam juxta lectionem quartam deinde Auſtraſiorum Francorumque regum bellis interfuit uſque ad mortem Brunichildis & Clotarii monarchiam, id eſt, uſque ad annum* 614, *quando Mauritiana lex vel dudum ceſſaverat, vel* Bavonem, *nobilem Francum, & ab imperatoria militia tunc abſolutum, obligare non potuit. Eadem lectione quinta ſubjungitur aliud, quod nec à vero quidem alienum, nec chronologiæ noſtræ adverſum, ſed quod accommodo ſenſu accipiendum eſt. Comprehenditur illud verbis ſequentibus:* Pecuniam autem & theſauros ſuos in pauperes diſtribuens (*Bavo*) ceteras terras ac prædia, quæ in Brabantinorum agro alibique plurima poſſidebat, in pios uſus contulit, præclarumque inter cetera monaſterium apud Gandam ad Schaldis & Legiæ confluentiam, eodem divo Amando promotore, in honorem D. Petri apoſtoli magnificè extruxit, egregiéque dotavit, quod ab eo poſtmodùm denominatum eſt. *Deſcripta illa ſunt ex Bavoniano Chronico apud Sanderum Rerum Gandavenſium lib.* 4 *cap.* 3, *ſed, ut jam monui, accommodo ſenſu accipienda: ne ſcilicet ad eumdem annum referantur converſio* S. Bavonis *& primordia monaſterii Bavoniani, vel, ut verba præ ſe ferunt, hujus primordia illius converſione poſteriora reputentur; contrà quàm cenſent Henſchenius, Mabillonius, Pagius & eruditi hodiedum communiter.*

Mauritio. Fundatio cœnobii Gandenſis,

B

100 *Fundatur autem horum ſententia in Actis tam S. Amandi, quàm* S. Bavonis. *Baudemundus biographus S. Amandi ſynchronus cap.* 3 *apud nos tom.* VI *Februarii pag.* 850 *& ſeq. narrat primò, quòd S. Amandus munitus auctoritate Dagoberti regis, & Aicharii epiſcopi Noviomenſis ac Tornacenſis Gandavum adierit verbum Dei prædicaturus, tum relatis laboribus ac difficultatibus, quas offendit ibidem plurimas, de fructu tandem obtento hæc ſubdit*: At ubi hoc miraculum (*de homine mortuo ad vitam revocato*) longè latéque divulgatum eſt, ſtatim incolæ regionis illius curſu celeri ad eum cucurrerunt, & ut eos faceret Chriſtianos, humiliter poſtulabant. Fana etiam, quæ antè adorare conſuerant, propriis deſtruentes manibus, ad virum Dei unanimiter pervenerunt. Nam ubi fana deſtruebantur, vir domini Amandus tam ex munificentia regis, quàm ex collatione religioſorum virorum religioſarumque fæminarum, ſtatim monaſteria aut eccleſias conſtruebat: verbique ſacri pabulo populum reficiens, omnium corda mandatis cæleſtibus illuminabat. *Hactenus Baudemundus, quem de monaſteriis hîc agentem ſub Dagoberto rege conſtructis, interpretantur recentiores mox laudati de Blandinienſi & Bavoniano Gandenſibus, idque non modò admittit Cointius, verùm etiam ex inſtituto probat ad annum* 631.

quod ante converſionem Sancti

C

D

101 *Adhæc chroniſtæ, cùm Blandinienſis apud Sanderum ſuprà citato libro cap.* 1, *tum Bavonianus cap.* 3, *Theodoricus abbas, licèt cetera multùm aberrent à vera chronologia, eatenus tamen adſtipulantur dictæ neotericorum interpretationi, quatenus utriuſque monaſterii ſeu eccleſiæ exordia ſtatuunt ſub rege Dagoberto & Aicharo epiſcopo, quorum neuter in vivis ſuperſtes fuit uſque ad converſionem* S. Bavonis. *Accedit auctor Hiſtoriæ tranſlationis S. Wandregiſili abbatis apud nos tom.* V *Julii pag.* 293 *& ſeq., ubi cœnobium Blandinienſe non ſolùm collocat ſub dictis rege & epiſcopo, ſed de Bavoniano ſic loquitur, ut mox intelligas, exſtitiſſe ante Sancti noſtri converſionem:* Deo etiam annuente, *inquit*, clericorum monaſterium in eodem pago Gandavo conſtructum eſt à beato Amando: ubi die noctuque laus à fidelibus decantatur ſub ejuſdem ſanctiſſimi patris & abbatis Florberti regimonio. Quo audito, Arnolphus * Bavo, præclarus confeſſor Domini mox futurus, pleniſſima devotione ante oratorium Domini ſe proſternens, comam capitis ſui abſcidi deprecatus eſt, adeptuſque venerandi pontificis manibus clericatûs honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum. *Igitur, ut præfert textus auctoris hujus, exſtabat jam tum illud monaſterium, imò abbatem habebat Florbertum, quando converſus eſt* Bavo.

à S. Amando exſtructum fuiſſe

* Allowinus

E

102 *Præ oculis porrò habuit laudatus auctor biographum* S. Bavonis *vetuſtiorem, eumque magna ex parte deſcripſit, eo præſertim loco, ex quo evidenter pateat, dictum cœnobium exſtitiſſe ſaltem, cùm Sanctus ſe totum Deo conſecravit. Sic enim ſcribit noſter ille vetuſtior:* In eodem monasterio beatus confeſſor Bavo pleniſſima devotione ante oraculum templi Domini ſe proſternens, comam capitis ſui abſcidere * deprecatus eſt, & adeptus venerandi pontificis Amandi manibus clericatûs honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum. *Auctor Vitæ metricæ, qui priorem anonymum paſſim fideliter ſecutus eſt, præcedentia ab illo dicta de monaſterii conſtructione ſic exponit, ut non minùs evidenter liqueat, exſtitiſſe illud antequam* S. Bavo *prima vice ſe Gandavum contulerit. Demus etiam ex ipſo verſus aliquot, omiſſis non neceſſariis.*

oſtenditur, etiam Bavoni attribuenda;

* *Mabil.* abſcidi

Nam poſtquam primæ deflevit funera nuptæ
Mox ad pontificem ſanctum properavit Amandum,
Quem tunc Gandavo conſtat conſidere caſtro,
Zelo divini cupiens perfringere * verbi
Illic falſorum, quæ ſtabant, fana deorum,
Cælica gentili quoque tradere dogmata plebi:
Atque * locans inibi celſi fundamina templi
Principis eccleſiæ Petri ſacravit honore.
Cœnobiumque loco ſtruitur reverenter in ipſo,
Incipit & multus mox illuc creſcere clerus,
Qui Domino laudes perſultet * nocte dieque.
Illuc adveniens, ut dixi, Bavo beatus
Præſulis almifici pedibus proſtratus Amandi *&c.*

* *l.* cupientem frangere

* *l.* Quique

* *fortè* perſolvat

Inde pergit decantare S. Bavonis *geſta à primo Gandavum adventu uſque ad felicem obitum; ita quidem ut nec ipſe, ſicut nec vetuſtior anonymus noſter, nec ullus biographorum S. Amandi, vel unico verbo innuat, ſæpe dicti monaſterii primordia ſtricto modo adſcribi poſſe Sancto noſtro. At accommodo ſenſu adſcribi ipſi poſſe ejuſdem fundationem, imò debere, aliunde diſcimus; ex teſtimonio nimirum ſcriptoris, qui nemine inferior ætate*

A *ætate eſt, omnibus verò præſtat auctoritate, S. Livini martyris, ſic in Epitaphio* S. Bavonem *alloquentis:*

Quam tu FUNDASTI, quæ te tenet, inclyte BAVO,
Eccleſiam meritis protege, Sancte, tuis.

quia fundos ſuſtentationi neceſſarios

103 *Dubium eſſe nequit, quin ſermo hîc ſit de eccleſia monaſterii Gandavenſis in caſtro exſtructa, primùm S. Petro Apoſtolorum principi dicata, poſteaque* S. Bavonis *nomine inſignita; in ea quippe ſepultus fuit, jacebatque, cùm ſcripſit S. Livinus, qui juxta communem omnium ſententiam annis tantùm tribus illi ſupervixit. Quapropter* S. Bavonem *eccleſiæ ac monaſterii auctorem ſeu conditorem dici debere cenſemus, quia ſeculo valedicens, bona plurima utrique, tunc humili veriſimiliter, multis indigenti, ac fortè de neceſſariis minùs inſtructo, contulit: eccleſiæ quidem ad augmentum, ornatum & majorem conſtantemque futuris temporibus divini cultus ſplendorem; monaſterio ſimiliter ad amplificationem & honeſtam monachorum tum temporis illic degentium, pluriumque pòſt admittendorum ſuſtentationem. Enimvero rectè ac meritò dicitur quis fundâſſe domum religioſam, cui, licèt antè exiſteret & inhabitata eſſet, impoſterum alendæ & colendæ fundos vel reditus annuos attribuit.*

B

concеſſit; initia cœnobii ſtatuuntur circa 631:

104 *Hic ſenſus congruit S. Livini teſtimonio, & ad hunc eumdem accommodanda ſunt, quæ de exſtructo & dotato per Sanctum noſtrum monaſterio traduntur in Bavoniano Chronico & Officio veteri eccleſiæ cathedralis Gandenſis. Sic diverſo modo & utroque vero monaſterii conſtructio tribuitur ab unis S. Amando, ab aliis* S. Bavoni. *Eam quatenus ad S. Amandum ſpectat, figunt Henſchenius, Mabillonius, Pagius & reliqui paſſim, uno circitèr anno, poſtquam ſanctus epiſcopus ab exſilio revocatus S. Sigibertum baptizavit; quando ſcilicet benevolum Dagoberti regis animum nactus & ejuſdem auctoritate nec non Aicharii Tornacenſis favore munitus in caſtro Gandavenſi hujuſque vicinia verbum Dei gentilibus annuntiavit. Baptizatus eſt autem S. Sigibertus, Dagoberti regis filius, ſub annum 630; atque idcirco laudati auctores initia monaſterii referunt ad 631; hos inter Henſchenius quidem tom. 1 Februarii initia iſta fixerat 636, ſed ſecundum opinionem ſuam priorem de anno baptizati Sigiberti, quam cùm mutaverit, ſimul deſeruiſſe etiam cenſendus eſt ſententiam de initiis Bavoniani monaſterii, ut non ſemel jam obſervavi in aliis, viderique poteſt in Exegeſi præliminari ad tom.* III *Aprilis.*

C

adduntur pauca de nomine ejus ac ſitu

105 *Facta ſunt porrò fundamenta eccleſiæ ac monaſterii in loco, qui à vetuſtiore noſtro anonymo* Caſtrum Gandavum *nuncupatur, ab aliis* Caſtrum Ganda, *& ab aliis* Gandavum *aut* Ganda pagus, *ad Scaldis & Legiæ fluviorum confluentes, ubi nunc exſtat arx, quam Carolus Quintus imperator ſeculo decimo ſexto exſtruendam curavit. Sed & ipſum monaſterium à loci vocabulo* Ganda monaſterium *aut* Gandavum cœnobium *dictum reperitur in antiquis monumentis. Exempla habemus in Commentario prævio ad Acta S. Amandi § 5. Auctor Vitæ S. Livini epiſcopi martyris, de cujus ætate & auctoritate diſputari poterit ad diem* XII *menſis Novembris de Sancto ſuo iſta refert:* Cùm plurima perluſtrâſſet loca, convenit cum diſcipulis ſuis ad quoddam cœnobium

* *al.* avito

à vico * vocabulo Gandavum nominatum. *Ludovicus Pius imperator in diplomate eodem § citato:* Einhardus abbas ex monaſterio, quod dicitur Ganda, quod ſitum eſt in pago Brachbantenſe. *Ibidem Chronicon de Geſtis Normannorum ad annum* 880: Normani . . . menſe Novembrio in Gandavo monaſterio ſedem ad hiemandum ſtatuunt. *Sed etiam ante hæc tempora, & poſt ea communiter* S. Bavonis monaſterium *nuncupatum fuit, ut pluribus oſtendetur, cùm de gloria Sancti poſthuma agendum veniet. Unum tamen, quod ibidem ex eodem Chronico ſe offert, exemplum adſcribo:* Anno DCCCL Northmanni . . . in oppido Gandavo venientes ſancti Bavonis monaſterium incendunt.

AUCTORE J. P.

& de origine civitatis, quæ ſuam amplitudinem

106 Gandavum *autem &* Ganda *vocabulum deinceps ad noſtra uſque tempora conſtanter adhæſit civitati, quæ ab ipſo caſtro originem aſſumpſit, quæque, ut obſervat Mabillonius, haud dubiè etiam ſuam amplitudinem & incrementum* S. Bavoni *accepta referre debet. Is quippe ſuis bonis monaſterium illud locupletavit, ut pluribus quàm antè alendis ſufficeret, exemplis ſuis vivens, & miraculis poſt mortem tam illuſtre reddidit, ut eò confluerent plures, qui ibidem monaſticam vitam amplecterentur. Teſtem habemus ſcriptorem miraculorum, qui ait num.* 9. Hujus tamen loci religio, quantum ſubinde conciverit augmenti, hinc datur intelligi, quia recens & quaſi adhuc calens pii Patroni (*Bavonis*) memoria miraculorum quotidiana hanc ad altiora ſemper provexerunt* incitamenta. Fertur enim, quòd ad ſexagenarium numerum ultraque pervenerint, qui ſe poſt ſancti Amandi diſceſſionem ad exemplum tanti Viri (*Bavonis*) regularibus ſtudiis mancipârint. *At neque dubitamus, quin alii innumeri omniſque generis & conditionis homines ibidem lapſu temporis prope monaſterium fixerint domicilia, maximè ut à monachis ſanctitate ac ſcientiâ præſtantibus veræ fidei documenta atque euangelica præcepta perciperent, &* S. Bavonis *in eorum eccleſia conditi patrocinio propiùs gauderent. Poſtremum confirmat idem miraculorum ſcriptor num. 6, ubi cùm de loci ſitu, amœnitate, fluviorumque præſertim commoditate diſſeruiſſet, ſubdit:* Unde tam hujus provectionis gratiâ, quàm ob præſentiſſima ſancti Bavonis merita eſt idem locus populoſo commeatu frequentiſſimus.

E

* *provexit.*

adſcribere poteſt S. Bavoni.

107 *Itaque ſicut certum nobis eſt, laboribus S. Amandi iſtic plantatam cultamque fuiſſe Chriſti fidem, ita non dubium, quin opibus potiſſimùm ac patrocinio* S. Bavonis *excreverit Gandavum ad eam gloriam ac ſplendorem, quibus jam dudum floruit floretque hodiedum, civitas nobiliſſima, amplitudine ſua maximis urbibus non ſolùm Belgii, ſed totius ferè Europæ æquiparanda, epiſcopalis ac Flandriæ primaria, de cujus ſitu, incrementis, ac ornamentis ſubinde in ſequentibus plura dicendi recurret occaſio. Hîc obiter notamus, quòd ea civitas, quæ nunc Flandriæ caput eſt, olim ad vetus Brachbantum pertinuerit, ut liquet ex ſuperiùs allegato diplomate Ludovici Pii imperatoris, ubi dicitur ſita in* Brachbantenſi pago *ſeu tractu. Flandria quippe tunc minùs latè quàm nunc patebat, aliique erant veteris Brachbanti limites, quàm nunc Brabantiæ. De hiſce differentem vide ſis Henſchenium in ſæpe citato Commentario prævio ad Acta S. Amandi.*

F

AUCTORE J. P.

§ IX. Difficultas una atque altera de poſtremis Sancti geſtis examinatur ac ſolvitur.

Triennium à converſione ad mortem Sancti:

Difficultas iſta oritur ex ſpatio temporis, quod in vetuſtioribus Actis medium ſtatuitur inter S. Bavonis *converſionem & obitum, quodque nimis arctum non nullis viſum eſt, quàm ut caperet omnia, quæ ab eodem interim geſta narrantur. Ea difficultate non laborârunt, quotquot mox memorata Acta non habuerunt. Hinc alii Chronicon Bavonianum ſine ſcrupulo ſecuti, inter converſionem & mortem repererunt annos octodecim. Alii, licèt notas chronologicas & annos præſertim determinatè pro utraque aſſignatos in iſto Chronico & Actis à Theodorico compoſitis repudiârint, ſpatium tamen idem temporis medium retinuerunt, ut fecit Cointius, converſionem referens ad annum 631, mortem ad 649. Alii nec ipſum temporis ſpatium curantes, tot annos ſtatuerunt medios, quot pro ſua tum ſententia exigi videbantur, ut fecit Henſchenius, qui nec habens Acta vetuſtiora, nec aliunde quidquam offendens, quod converſioni mortem tam propinquam fuiſſe ſuaderet, hanc ab illa ſeparavit ſexennio.*

B

in Vita notatum, quidam nimis arctum,

109 *At Mabillonius in editis à ſe primùm Actis vetuſtioribus ſeculo 2 Benedictino pag. 402 legens hæc verba:* Operæ pretium eſt & illud inſerere lectioni, qualiter beatus vir. . . Bavo de hac vita migraverit. Igitur ſanctiſſimus atque religioſiſſimus vir Domini Bavo poſt pœnitentiæ confeſſionem, quam à B. Amando pontifice perceperat, annis tribus præter quadraginta dierum abſtinentiam, quam implevit, Domino annuente ſagaci ſtudio mirificoque effectu in hoc ſeculo propter regnum cælorum militavit. *Hæc, inquam, legens, interpretatus eſt de triennio circiter, quod fluxerit converſionem inter & mortem Sancti. Tum in Annotatis monens, ita conſtanter legi in Mss. exemplaribus, ſubdit:* Quamquam non facilè intelligitur, quo modo in ſpatio tam brevi S. Bavo tot res geſtas expleverit. *Hæc ſimiliſve obſervatio tantum valuit apud Bailletum, ut ad diem 1 Octobris agens de Sancto, ſuſpectum habuerit biographum ſcripſeritque Gallicè:* Ne ſcitur quidem, quot annis duraverit ejus pœnitentia poſt converſionem; nec multum veriſimilitudinis habet, quod reperitur in Hiſtoria vitæ ipſius, fuiſſe tantùm (*pœnitentiam*) annorum trium & dierum quadraginta: *imò ut tacitè ſaltem eidem biographo fidem negaverit, dum converſionem ſignavit circa annum 643, mortem circa 653, ſicque pœnitentiæ attribuit annos decem, ſi minùs pro mero arbitrio, certè non adducto teſtimonio, aut alio argumento; & vel idcirco poſt editam Vitam vetuſtiorem ſententia iſta vix ullum fecit progreſſum.*

C

alii ſufficiens tempus arbitrantur,

110 *Mabillonio viſum eſt quidem non facile intellectu, quo modo in ſpatio tam brevi tot res geſtas* S. Bavo *expleverit, non tamen impoſſibile intellectu aut creditu: quandoquidem poſtea in Annalibus tom. 1 pag. 412, ſepoſita quaſi omni dubitatione, affirmaverit:* Poſt annos tres à confeſſione Amando facta, poſtque quadraginta dierum abſtinentiam ſanctus Bavo rigidiſſimæ pœnitentiæ præmium in cælo conſecutus eſt. *Triennio ſimiliter dictam pœnitentiam non hæſitanter circumſcribunt Jacobus Longueval Societatis Jeſu ſacerdos tom. 3 Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag. 579;* D *auctor Officii novi eccleſiæ cathedralis Gandenſis Lectione ſexta, & Antonius Pagius in Critica Baronii ad annum 631, quem auctorem ultimo loco nomino; quia, quamvis ipſe verba anonymi, cum textu Theodorici abbatis collata, intellexerit de triennio non completo, ut vidimus ſuprà, contendit tamen, intra iſtud ſpatium temporis facilè patrari potuiſſe, quæcumque narrat anonymus & aliqua inſuper, quæ prætermittit, illudque compendioſa eorumdem commemoratione à ſe demonſtratum exiſtimat. Idem ipſum ad conciliandam biographo fidem tentabimus hîc, ſed paulò fuſiùs, & ad lectoris captum accommodatiùs.*

ut fieri interim potuerim, quæ narrantur.

111 *Nihil intereſt quæſtionis hujus, utra verior ſit ſententia de determinato anno converſionis; an Pagii, qui ſtetit pro 646, an noſtra, quibus viſum eſt probabilius, differre in 650 vel 651. Statuamus ergo certum pro incerto; ponamus, inquam, S. Amandum Româ rediiſſe anno 651, eodemque ab ipſo primùm Gandavi exceptum fuiſſe* S. Bavonem, *& diſtributis in pauperes ac monaſteria bonis, clericatûs ordinem ſuſcepiſſe. Sed hîc, antequam progrediamur ex duobus incertis* E *eligendum eſt etiam certum; utrùm nempe triennio pœnitentiæ Sancti noſtri annumerandum ſit intervallum temporis dictæ diſtributioni bonorum impenſum, an verò excludendum, ut triennium numerare cœperit biographus à ſuſceptione clericatûs, quod poſtremum non caret veriſimilitudine. Si primum elegeris, dicam cum Mabillonio textum biographi intelligendum de tribus annis & diebus quadraginta, nam oppoſitum non eſt certum. Si admiſeris ſecundum, admittam cum Pagio textum ſic intellectum, ut, ad complendos annos tres, deſiderati fuerint quadraginta dies, & utrovis ſenſu geſta* S. Bavonis *poſt clericatûs ſuſceptionem exordiar à menſe Novembri anni 651. Nam in ſenſu priore ſufficere poterunt ad bonorum diſtributionem dies octoginta, in poſteriore nihil facit ad præſens inſtitutum, ſeu plures dies ſeu pauciores impenſi fuerint. Itaque à menſe Novembri anni 651 uſque ad Octobrem 654 ſpatium habeo liberum ad ordinanda Sancti geſta, de quibus agitur; quod nunc aggredior.*

Enumerantur geſta, quæ converſionis F

112 *Collato clericatûs ordine* S. Bavoni, vir domini Amandus . . . perrexit prædicare verbum Dei, quem beatus Bavo proſecutus eſt, ut prædicatione ejus paſceretur. *Hoc primum eſt, quod refert anonymus, nihil ſuggerens, unde ſtatuas, longone an brevi tempore in comitatu prædicantis epiſcopi Sanctus perſtiterit. Alterum illud eſt:* Igitur vir Dei Bavo ſupraſcriptum pontificem ſibi licentiam dare petiit, monaſteria circumire Chriſti athletarum, ut vitam monachorum & converſationem cœnobitarum poſſet agnoſcere. *Inde excurrit auctor in laudem virtutum* S. Bavonis, *nihil denuo adjiciens, ex quo percipias, quot vel quæ monaſteria perluſtraverit, aut quantum temporis in eo poſuerit. Duo jam relata Pagius primo converſionis anno peracta arbitratur; quoniam gentes, quibus Amandus Chriſtum prædicavit, non procul aberant Gandavo, ſicut nec monaſteria, quæ luſtravit* Bavo. *Indiguiſſe autem id temporis verbi Dei prædicatione gentes Gandavo vicinas conjicit idem Pagius ex lib. 2 cap. 2 Vitæ S. Eligii, ubi S. Audoënus ejus auctor* loquens de Tornacenſibus, Flandrenſibus, Gandenſibus & Corturiacenſibus affirmat, quòd tempore S. Eligii, Noviomagenſis epiſcopi anno DCXL renunciati, "incolæ ejuſdem regionis magna „ adhuc ex parte gentilitatis errore detinebantur, „ &

A ,,& variis ſuperſtitionibus ſatis dediti erant, qui-
,,que velut agreſtes feræ nulliuſpiam ſalutare
,,verbum recipere poterant.,, *Non procul abfuiſſe cœnobia, deducit Pagius ex Theodorico, qui anonymi verba ſuo modo referens, expreſsè ait, Sanctum* conſenſu ſui Amandi loca Sanctorum & VICINOS cœnobitas *circumviſſe: unde concludas, ab itineribus faciendis impedimentum non veniſſe, quominus uno anno perficerentur omnia.*

primo anno 113 *Perfici potuiſſe omnia aſſentior Pagio: verùm cùm de reperiendo tempore ſufficiente diſputetur, non video, cur abſolutè ad ea opus fuerit annus integer, curve huic inſeri nequeat unum aut alterum aſſertum, quod reſervat Pagius in annum ſecundum: Ambo iſta aſſerta, quæ ſilens præteriit tam anonymus vetuſtior quàm poëta biographus, leguntur in Vita Theodoriciana poſt narratam cœnobiorum viſitationem, ut ſequitur.* Capta igitur temporis & loci opportunitate, ſaltum, quem Beilam nuncupant, ingreſſus eſt, ubi repentè in remotiori devexæ vallis latere annoſa fagus oculis ejus offertur, cujus concavitatis pedum non minùs ſex ſpatioſa altitudo, in modum fornicis camerata & quæ hominem erectum poſſet in alvo ſuſtinere. Hoc quaſi habitaculum ab
B angelis Dei ſibi reputans præparatum, ingreditur tanta cum jucunditate, velut ſi totius orbis delicias anguſto ſecum clauſiſſet in pariete. PER ALIQUOT DIES OCCULTUS, latere non potuit, & cùm à populo frequentaretur, infelicem ſe eſſe judicans, nocturno ſilentio iterum loco cedit. Eſt uſque hodie eandem miræ magnitudinis fagum videre, quæ in æternam hujus Sancti Dei memoriam adhuc continet antiquum altare, ubi & presbyter parochiæ frequenter eccleſiam convocat & communicat. Nec deſiſtit arbor, contra morem tam annoſa, adhuc florere & germinare, in qua latuit flos ille, de quo dicitur; Florete flores quaſi lilium. Quorum florum amœnitate delectata, in epithalamio ſuo loquitur ſancta Eccleſia: Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo.

contingere potuiſſe, 114 Igitur inde digreſſus, longa rurſus per diſpendia aliam requirit eremum athleta Dei Allowinus, Medmedung nomine, à ſua Ganda diſtantem duorum tantummodo milliariorum itinere. Locus in denſiſſimum nemus ſylveſcens, vaſta & penè inacceſſibili palude diſtentus, pomorum quoque, quæ gignit, ſaltus, & nucum ferax, præterea amnis leni murmure præterfluens,
C facilè habitationem ſuadent. Ingreditur cum farculo, humum ſarrit, cellulam permodicam erigit & in ea ſe quaſi ſepelit. Cibos ſaltus miniſtrabat, amnis potum. Veſtimenta ipſe detulerat ſecum, ſagum & cilicium, quæ non frigus arcerent, ſed nuditatem prohiberent, non mollitiem ſuaderent, ſed carnem domarent. Sic aliquandiu ignotus cùm manſiſſet, iterumque fama vulgante, ulteriùs poſſe latere deſperaret... ad locum profeſſionis ſuæ ſtatuit redire (*ad Gandenſe cœnobium*) Reverſus itaque *&c. Ubi puncta ſignavi, inſerta ſunt apud Theodoricum nonnulla ad præſentem quæſtionem non ſpectantia, & ſicut poſt videbitur, præpoſterè adſtructa: dubium etiam eſt, an hîc rerum geſtarum ordo inverſus non ſit. Quandoquidem auctor miraculorum, Theodorico antiquior, num.* 41 *retegere ſe velle dicat opera Sancti poſt obitum* primò quæ in loco, qui vocatur Medmedunc, quo PRIMUM dicitur poſt converſionem habitâſſe, exercuit ac piè precantibus miſericorditer indulſit. *Sed neque hoc morari nos debet.*

AUCTORE J. P. *putamus.* 115 Eſt autem iſdem ſacer locus (*pergit auctor miraculorum*) ut neſcientibus loquamur, ſecretè manere volentibus habilis, ſilveſtribus pomis ceteriſque frugibus plenus, piſcium copiis abundans, & ut paucis concludatur, omnibus heremum inhabitare cupientibus aptiſſimus, quem idem Dilectus Dei PAUCIS INCOLUIT MORULIS, ſanctaque ſua inhabitatione ſanctificavit: at poſt mortem miraculis inſignibus mirificavit. *Habitatio igitur in Beila* per aliquot dies *tantùm duravit, altera in Medmedunc* paucis *dumtaxat* morulis. *Proinde nihil impedit, quominus alterutra vel etiam utraque anno primo attribuatur, & ſecundi initio ſtatuatur* S. Bavonis *ad Gandavenſe cœnobium reditus, quem, ceteris omiſſis, anonymus vetuſtior & poëta ſtatim ſubjungunt viſitationi aliorum monaſteriorum. Quamquam neque illud neceſſarium videri debeat, cùm reliqua, quæ narrant anonymi noſtri vetuſtior & poëta reſiduum fermè biennium abſolutè non exigant, ut brevis eorum commonſtrabit enumeratio.*

Difficultas, quæ in reliquorum E 116 *Rediit Gandavum Sanctus, locum petiit in cœnobio, aſſenſum obtinuit; cellâ incluſus eſt; quæ dum ipſi conſtruebatur, mortuum ſuſcitavit. Vidit deinde hominem, quem olim venum dederat, illi ſupplex factus eſt, ab illoque tamquam reus tractari voluit: id ille precibus victus & coactus implevit:* Vinxit ſcilicet manus Viri Dei & caput totondit, lignoque pedes ſtrinxit & cuſtodiæ illum publicæ mancipavit: ubi uſque in proximum exitûs diem Vir Domini retruſus, vinctis pedibus perſtitit.... Ita verò quatuor ferè menſibus in hac auſteritate Deo militans, ſiceram & vinum nullo modo guſtavit. *Ita anonymus, cujus narrationem tantiſper interrumpo, ut conſideremus, quàm exiguo tempore peragi potuerint hactenus enumerata Sancti geſta: cùm tamen perveniſſe videatur auctor uſque ad vitæ* S. Bavonis *poſtremos quatuor menſes. Nam, eodem teſte, in dicta cuſtodia* uſque in proximum exitûs diem perſtitit: *numquid non uſque ad mortem? Sic intellexit & expoſuit poëta:*

In qua continuo precibus fervore vacando
Uſque propinquantis perſiſtit tempora mortis.

Idem autem biographus vetuſtior mox ita loquitur, acſi tantùm perſtitiſſet ibidem Sanctus quatuor ferè menſibus, proindeque poſt breve illud temporis ſpatium obiiſſet.

F *geſtorum diſtributione occurrit,* 117 *Verùm his ita acceptis majorem longè difficultatem invenio, ut credam, iſto temporis ſpatio peracta eſſe, quæ deinde ſequuntur, quàm ut intelligam, omnia Sancti geſta à converſione uſque ad mortem contingere potuiſſe intra triennium. Etenim ſcribente biographo vetuſtiore & exponente etiam poëta, Sanctus poſitus* in hac retruſione obedientiæ normam non reliquit; ſed abbatem ſibi prælatum magnopere popoſcit, ut ita eum retruderet ſuper pavimentum, ut ſiquando ad omnipotentis Dei laudes dicendas aſſiſteret dextrâ levâque pavimenti ita circumceptus foret, ne declinandi facultatem in ullam partem haberet; ſed diebus ac noctibus, quaſi in agone ſuſpenſus, Deum adoraret.... quod & factum eſt. *Poſt hæc juſſit famulum afferre lapidem, qui* detulit laterem grandem: cui Vir Dei ait: Adhuc majorem perquire. Tandemque lapidem inventum, qui vix duorum manibus vehi poterat, detulit.... Quem Vir Dei... dum ad laudes Dei dicendas aſſiſteret, ipſum humeris portabat. *Sequuntur varii conatus dæmonis, ut Sanctum ex iſto loco eliceret; ſed hic* contra eum... quoti-

AUCTORE J. P.

die certare non desiit & opus cœptum indesinenter faciens, manum in aratrum positam non retraxit. *Hæc autem, ut mittam, quòd dein una ac altera cœlesti visione recreatus fuerit, imminentem mortem abbati ac fratribus prænuntiaverit, presbyterum ex Turholtensi monasterio accersi jusserit, hæc, inquam, sic narrantur, ut plus quàm quatuor menses iis impensum videatur.*

& quam evitavit Pagius, recurrens

118 *Difficultatem haud dubiè advertit Pagius, hinc biographos nostros antiquiores deserens, ad Theodoricum confugit, ac denuo hujus calculos pro arbitrio immutans & corrigens, gesta universa hoc ordine distribuit. Primo anno clero adscriptus* S. Bavo *S. Amandum verbum Dei prædicantem comitatus est, & monasteria perlustravit; secundo commoratus est in Beila & Medmedunc, Gandam rediit, cippo pedes suos, à famulo nempe olim suo, constringi voluit, in eoque statu vixit per quatuor ferè menses, usque dum* v *Idus Novembris ad totam vitam reclusus est: adeo ut non obierit, finitis istis quatuor ferè mensibus, sed anno ferè integro postea superstes, fecerit, quæ deinde memorantur. Non obiisse Sanctum finitis istis mensibus clarè significat Theodoricus, dicens:* Itaque quatuor ferè menses in hoc retrusus carcerali agone, cùm quotidie penè moreretur, pœnam pro deliciis habebat. . . . Accersito dehinc sancto pontifice Amando & venerabili abbate Floreberto, non modò pedum, sed & totius macerati corpusculi integram reclusionem.... impetrat. Arctam specum medio domûs æquore ad capacitatem erecti hominis effoderat, quæ introgressum non nisi stantem sustineret, & quasi crucifixi corporis suspensum vultum in neutram partem deflecti permitteret; . . . . ad reclusionis cellulam convenitur.... Bavo... sepelitur magis quàm recluditur. *Post hæc tribuit Sancto Theodoricus duos adhuc vitæ annos ferè integros, quos ad unum non completum contrahit Pagius, quia nempe si servatis duobus istis annis addantur quatuor ferè menses, sufficiens ex triennio, quo omnia peragi debuerunt, non relinquitur temporis spatium prioribus post conversionem gestis.*

ad Theodoricum pro arbitrio immutatum,

119 *Hoc pacto, fateor, verisimilis sit Pagiana rerum gestarum series; sed si fundamentum quæras, non aliud invenies, quàm beneplacitum distribuentis, notasque chronologicas, à Theodorico traditas, hinc adoptantis, illinc repudiantis vel corrigentis, & eo ipso quidem loco, ubi Theodoricus videtur contradicere antiquioribus nostris biographis. Hi etenim, ut suprà observavi, sat clarè aiunt, Sanctum perstitisse usque ad vitæ exitum eadem in custodia, in quam retrudi voluit à servo olim suo. Contrà Theodoricus non minùs clarè indicat, Sanctum post quatuor ferè menses transiisse ad specum in medio cœnobio effossam, ibidemque inclusum permansisse ad mortem usque, id est juxta ipsum, ad biennium ferè integrum. Ambigere hîc non licet, quin vetustiorum testimonium longè præferendum sit, præsertim si per levem verborum aliquot expositionem rerum series æquè verisimilis fieri possit, quàm in Pagiana distributione, accersita ex Theodorico immutato, ubi lubitum fuit, & correcto. Faciamus periculum, & antè dicta resumamus.*

diluitur,

120 *Primo post conversionem suam anno* S. Bavo *comitatus est S. Amandum prædicantem, invisit vicina cœnobia, eremum Medmedunc* paucis incoluit morulis. *Si postremum hoc nimium appareat, moram in Medmedunc & alteram* per aliquot dies *in Beila statuamus initio anni secundi, ita ut tertio vel quarto secundi anni mense, reversus sit Gandavum, in monasterio cellam petierit, & dum ea construeretur, mortuum suscitaverit. Neque hæc longum tempus requirunt, neque aliud usque ad occursum servi olim venditi. Contigerit iste occursus medio circitèr eodem anno secundo, tum volens incluſus sit à servo custodiâ, in qua perstitit ad mortem usque. Sed hîc tandem se offert exponendus biographus in his verbis:* Ita verò quatuor ferè mensibus in hac austeritate Deo militans, siceram & vinum nullo modo gustavit. *Ista autem verba, ut difficultas tollatur, non possunt eo sensu accipi; quòd illic diutiùs non permanserit, seu quòd finito tantillo tempore è vita migraverit (nec re ipsa sensum illum vox ulla postulat) sed quòd, cùm ibidem per quatuor ferè menses sic vixisset, ad majorem etiam austeritatem anhelans, arctiùs cum abbatis sui consensu recludi voluerit, prout dein narrat idem biographus.*

expositis & collatis

121 *Sed, inquis, re sic expósita, exsurget difficultas nova. Nam teste eodem biographo, servus à Sancto coactus* custodiæ illum publicæ mancipavit, *in qua verisimile non est, facta esse, quæ deinde narrantur. Quis enim credat, quòd rogatus abbas voluerit Sanctum arctiùs recludere in custodia publica, vel permiserit Virum tam illustrem tamque bene de monasterio meritum, licèt volentem & desiderantem, attamen* obedientiæ normam non *relinquentem, tali loco ad mortem usque persistere? Nec mihi id verisimile est, si probari queat, auctoris mentem fuisse per* custodiam *designare carcerem, in quem fures ac latrones conjici solebant: prout putavêre nonnulli & ipse forsan Theodoricus, ut vel idcirco scripserit, Sanctum ex isto loco post quatuor ferè menses transmigrâsse in alium, eumque in monasterio positum. Sed salvo meliore judicio, per* custodiam publicam *non intelligo, nisi locum seu cellam monasterii, in quam retrudi sic voluit; ut solent in carcerem fures ac latrones, & ibidem ad eum modum tractari, iisque suppliciorum instrumentis affligi & constringi, ut ipse latronis potiùs quàm pœnitentis, locus publici carceris potiùs quam cellæ speciem præ se ferret.*

vetustiorum biographorum verbis.

122 *Ut ita intelligam verba sua, ansam præbet auctor ipsemet, dum eumdem locum, quem* custodiam publicam *nuncupaverat, in sequentibus vocat modò* reclusionem, *modò* cellam. *Succurrit & poëta, qui postquam ea, quæ cum servo egerat* S. Bavo, *declarâsset atque hisce versibus concluſisset:*

Tunc vir præfatus, nimis instigante, coactus,
Ipsius plagis corpus torquebat amaris,
Detondensque comam capitis turpabat honestam,
Artibus & vinctis, cippo pedibusque retrusis
Fecerat, artaret gravis ut custodia Sanctum:
In qua continuo precibus fervore vacando
Usque propinquantis persistit tempora mortis.

Qui, inquam, post hæc de strictiore reclusione ita concinit:

Incipit ingentem seu nil reputare laborem,
Ac magis anguſtos gestit sibi nectere nervos,
In directa pedem qui constringant properantem,
Nec quicquam gressum permittant ire retrorsum,

Ten-

A Tendere qui dudum decrevit in anteriora.
Nam cùm ſub minimæ reſideret domate CELLÆ,
Quâ manſit ſolus VELUT ARCTO CARCERE clauſus,
Noluit in proprii ſe voti lege teneri;
Sed manet, almorum ſicut mos cœnobiorum,
Quidquid ut illorum prælatus cenſet agendum
Subditus...
Nec vult privari ſe jure monaſteriali....
Cernuus abbatem prælatum poſcere temptat,
Abſtruxiſſe LOCO ſe vellet arctiùs ILLO
IN QUO tam ſtricta RESIDERE SOLEBAT habena.

Hæc tam perſpicua ſunt, ut ſupervacanea ſit ulterior explanatio.

Quapropter alteram quæſtionem hac occaſione incidentem expedio.

Difficultas alia à Mabillonio

123 *Movet eam Mabillonius & non diſſolutam dimittit in Annotatis ad Vitam:* Cur, *inquiens*, is, qui recluſus erat, CUSTODIÆ PUBLICÆ mancipari optat? Certè Theodoricus abbas id factum ante Bavonis recluſionem refert. *Per* cuſtodiam publicam *Mabillonius intellexit* carcerem *& hanc quidem vocem uſurpavit in Annalibus; ſed eſto tantiſper, fuerit* carcer publicus: *eſto ſimiliter verum tantiſper, quod prætexit utrobique Mabillonius*, S. Bavonem, *ſcribente biographo vetuſtiore, fuiſſe recluſum, priuſquam à ſervo cuſtodiæ publicæ manciparetur: vel ſic etiam facilis eſt ad quæſtionem reſponſio. Optavit id nimirum ad magis ſe deprimendum, & ampliùs ſatisfaciendum pro delictis. Nam recluſi, ut Deo ſibique vacarent, peculiari cella concludebantur, inde tota vitâ ſuâ non exituri, niſi id exigeret utilitas communis, vel alia quævis neceſſitas: non autem inſtar latronum habebantur, non cippo ſeu nervo pedes ſtringebantur, non ad eum modum tractabantur, quo tractari voluit à ſervo Sanctus noſter. Hic igitur jam tum recluſus per feneſtram* (*nam juxta deſcriptionem apud Cangium in Gloſſario ad vocem* Recluſorium *tres habebant hujuſcemodi cellæ*, unam contra chorum, per quam Corpus Chriſti accipiat *recluſus*; alteram: in oppoſito, per quam victum recipiat; tertiam, unde lucem habeat) *per feneſtram, inquam, ſeu viſu ſeu auditu deprehenderit ſervum ſuum, & impetratâ abbatis veniâ, ita tractari voluerit: quid tum? à duro vivendi inſtituto tranſierit ad durius & ignominioſius. Nihil ego hîc inconveniens reperio, nihil extra ordinem in Homine, qui pœnas pro delictis habebat.*

B

mota vario reſponſo

124 *Attamen quod prætexit Mabillonius, quodque tantiſper nos gratis admiſimus, recluſum fuiſſe Sanctum, priuſquam cuſtodiæ publicæ manciparetur, nobis non probatur eſſe verum: nec reperimus, à Theodorico recluſionem poſtponi publicæ cuſtodiæ, quam ſimiliter non poſtponit anonymus vetuſtior. Hic poſt relatam* quatuor ferè menſium *incluſionem in cuſtodia, expreſsè dicit*, in hac retruſione *poſitum Sanctum rogâſſe*, ut *abbas* eum ſic retruderet ſuper pavimentum .... ne declinandi facultatem in ullam partem haberet .... quod & factum eſt. *Theodoricus præmiſſis ſimiliter iis, quæ à ſervo perpeti voluerat Sanctus, ſubdit, quòd* quatuor ferè menſes in hoc retruſus carcerali agone *à S. Amando & Florberto abbate petiverit & impetraverit recluſionem in arcta ſpecu*, quæ introgreſſum non niſi ſtantem ſuſtineret & quaſi crucifixi corporis ſuſpenſum vultum in neutram partem deflecti permitteret. *Numquid non utrobique res eadem deſignatur, idemque ſervatur ordo? Diſcrimen eſt, fateor, in adjunctis. Apud anonymum Sanctus loco non mutatur, & hoc credibilius eſſe nobis, monuimus ſuprà; apud Theodoricum ex uno loco transfertur in alium. Anonymus ſolius meminit Abbatis, Sanctum arctiùs recludentis. Theodoricus adjungit S. Amandum epiſcopum, clerum & populum*, cum crucibus & thymiamateriis univerſoque eccleſiaſtico apparatu: *Sed demus hæc vera eſſe, & ab anonymo brevitatis ergò prætermiſſa, nec adjecta fuiſſe* (*de quo ſuprà etiam dubitari poſſe diximus*) *à Theodorico ad rei ſplendorem augendum ornamenta, certè nec rem ipſam, nec tempus immutant.*

AUCTORE J. P.

& vocem expoſitione

125 *Veriſimiliter viſus eſt Mabillonio anonymus noſter recluſionem Sancti præmiſiſſe retruſioni in cuſtodiam; quia is num.* 14. *apud nos, cùm dixiſſet, Sanctum, Gandam reverſum, ab abbate & fratribus cœnobii cellam poſtulâſſe, iſta ſubjecit:* Quam petiit cellulam .... impetravit: in qua retruſus, Deum piis & indefeſſis precibus invocabat. *Vox* retruſus *revera nonnumquam* incluſum *ſeu* recluſum *ſonat; at ſicut* incluſus *&* recluſus *non ſemper involvunt incluſionem pro tota vita, de qua hîc quæſtio eſt, ita nec* retruſus, *niſi adjuncta hoc indicent. Sæpenumerò* retruſus *valet* abditum *ſive ſemotum ab hominum commercio, & ea ſignificatione vocem ab auctore uſurpatam opinor, ut ſenſus ſit, quòd Sanctus in cellula ſolitarius frequens precibus vacaret. Sanè in contextu nihil adjicitur, quod ſtrictam incluſionem denotet, nec talem intellexit poëta noſter, qui de ea omnino ſilens, auctoris textum iſtis verſibus complexus eſt:*

E

Hunc * adiens *, aliquam petiit ſibi tradere cellam, * abbatem * Bavo
Qua Domino puras omni ſtrepituque remotas
Poſſet ferre preces...
Bavo ſed aſſenſum potuit cùm noſcere fratrum,
Chriſto multiplices ſtuduit perſolvere grates
Et ſibi conceſſam pergens inviſere cellam,
Tanto ſe Domini conſtrinxerat in famulatu,
Ut quos exemplum fratres poſuit ſibi primum,
Ejus poſt ſemet victos fervore viderent.

F

diſſolvitur.

126 *Ultimi verſus ſatis produnt, tunc à Sancto non fuiſſe ſuſceptam vivendi normam, ab ea diverſam, quam profitebantur fratres reliqui, quos primùm imitabatur & pòſt fervore ſuo in exercitiis cœnobitici inſtituti ſuperabat. Idem poëta poſtmodum daturus, quæ de ſervo per Sanctum olim venumdato narrat ſequenti exordio anonymus vetuſtior:* Quadam denique die proſpexit quendam virum ad ſe venientem, *ſic vertit:*

Fortè die quadam vir venerat obvius illi.

Ineptè, ſi vox retruſus *ſemper ſumenda ſit pro ſtrictè recluſo ſeu cellâ numquam egreſſuro. Denique Theodoricus ipſe, qui anonymum præ oculis habuit, dictam vocem alio ſenſu accepit, cùm, ubi cellam à Sancto impetratam ſcribit, nihil memoret de incluſione, ac dein hiſtoriam de ſervo in hunc modum exordiatur:* Quadam die habitaculo egreſſum (*Bavonem*) obvium contigit habere ſervulum.

§ X.

AUCTORE J. P.

§ X. Quo in ſtatu fuerit cœnobium, poſtea Bavonis dictum, cum eò primùm advenit Sanctus, huncque priùs clericum extitiſſe, quàm monachum.

Præmiſſis paucis de ſtatu cœnobii,

DUm ſuperioribus §§ inquirebam in annum converſionis S. Bavonis *& in ſpatium temporis, quod fluxit illam inter & obitum ipſius, dumque meliori, quo poteram, modo & ſcriptis veterum præſertim biographorum conformiori ordine diſponebam geſta ejus à converſione ad obitum, volens, ne filum interrumperem, præterii quæſtionem, quam diſſimulare quidem non eſt æquum, ſed liquidò ac determinatè diſſolvere perdifficile. Utrùm ſcilicet* S. Bavo *ab initio converſionis profeſſus ſit monachum, an clericum. Dictum ſuperiùs eſt, primordia monaſterii, à S. Amando in caſtro Gandavo erecti, communi nunc eruditorum conſenſu referri ad annum Chriſti circitèr 631. Huic ac Blandinienſi cœnobio, ſub idem tempus conſtructo, S. Amandus abbatem præfecit Florbertum poſt annos octo, ut cenſent plerique; certè annis multis ante converſionem* S. Bavonis, *ut hodiedum admittunt omnes, contrà ac ſcribit Theodoricus abbas, qui Florberti præfecturam refert poſt* S. Bavonis *converſionem.*

B

dum eò primùm advenit Sanctus,

128 *Non evolvam hìc multùm agitatam controverſiam de primis monaſterii Bavoniani incolis, quos multi recentiores, ejuſdem potiſſimùm Theodorici abbatis teſtimoniis nixi, volunt fuiſſe clericos & his poſtea monachos ſucceſſiſſe, quibus Florbertus abbas præfectus ſit: alii autem contendunt, ab ipſis primordiis fuiſſe monachos. Pro priori opinione præ ceteris pugnat Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum 631 num. 5 & ſeqq.: pro poſteriori Mabillonius in Præfatione ad Sæculum 2 Benedictinum num. 28 & ſeq.; atque iterum in Annalibus Benedictinis ad annum 631 lib. 12 num. 19 & ſeq., quos conſulat lector curioſus. Nobis ſufficienter probatum eſt, tum ſaltem monachos ibidem exſtitiſſe, cùm ad S. Amandum iſtuc advenit* S. Bavo. *Ea porrò, quæ adventum iſtum præceſſerunt, S. Amandum potiùs reſpiciunt, quàm* S. Bavonem, *atque eapropter dictam controverſiam attingam dumtaxat, ubi connexa fuerit cum hac noſtra quæſtione.*

C

recitantur veterum verba, unde elicit

129 *Videamus ergo, quid de prima Sancti noſtri profeſſione tradant antiqui. Biographus noſter vetuſtior num. 9 ait:* Deo etiam annuente, clericorum cœnobium in ipſo caſtro honorificè eſt conſtructum. . . His expletis, in eodem monaſterio beatus confeſſor Bavo pleniſſima devotione ante oraculum templi Domini ſe proſternens, comam capitis ſui abſcidere * deprecatus eſt, & adeptus venerandi pontificis Amandi manibus clericatûs honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum.

Poëta noſter:

Cœnobiumque loco ſtruitur reverenter in ipſo,
Incipit & multus mox illuc creſcere clerus...
Tunc veniens * omni reſolutus compede ſecli,
Præcidiſſe comam ſanctum ſibi poſcit Amandum

* *Mabil.* abſcidi

* Bavo

In caſtro, de quo ſuprà memoravimus, ipſo,

D

Sanctorum gradui dignus ſic aſſociari.

Scriptor Miraculorum num. 8: Suſcepit autem in eodem Gandavo, in quo nunc requieſcit, à beato Amando tonſuram clericatûs inſrefragabili deliberatione delegatus. *Theodoricus abbas:* Ibi ante aram beati Petri apoſtoli militiam Chriſti profeſſum, barbâ & capillo tonſum aſſumit in clericatum. *Chroniſta Bavonianus:* S. Bavonem, omnibus ſuis pro Deo priùs erogatis, tonſura clericali inſignivit *S. Amandus* in eccleſia Ganda, *ut præmittitur. Hæc omnia, judice Mabillonio, exponenda ſunt de ſtatu monaſtico.*

Mabillonius, mox factum eſſe monachum:

130 *Sententiam ſuam ut ſtabiliat, varia primùm adducit exempla, quibus evincat,* clericorum *vocabulo à veteribus ſcriptoribus non rarò deſignatos fuiſſe monachos; deinde addit, ex hujus rei ignorantia Theodoricum abbatem incidiſſe ac pertraxiſſe alios in errorem, dum ex vetuſtioris anonymi verbis malè intellectis tradidit, clericos Gandæ monaſterio primitus fuiſſe impoſitos, poſtea ſucceſſiſſe monachos; ac demum recitans textum anonymi num. præcedente datum, ad poſtrema verba:* Meruit fieri conſors Apoſtolorum *ſubjicit:* Quod præcipuè convenit monachis, quos apoſtolicæ vitæ imitatores S. Bernardus aliique permulti appellant. Mentem ſuam auctor in conſequentibus clariùs exprimit: "Dimiſit comam „capitis, & invenit coronam gloriæ: reliquit „veſtimenta ſecularia & ſuſcepit ſtolam candi„dam: reliquit pompam hujus mundi & indu„tus eſt loricam fidei.„ Quibus verbis ſcriptor iſte religioſas veſtes ac tonſuram ſatis exprimit. *Nunc reſpondeo ad ſingula. Monachos apud antiquos ſcriptores nonnumquam veniſſe nomine clericorum, non inficior, maximè quando gradu aliquo eccleſiaſtico inſigniti erant, & ſic monachi ſimul & clerici: uti aliàs dictum eſt. Item monachos exſtitiſſe Candavi tunc, quando eò advenit* Bavo, *mihi ſat probatum eſſe, jam dixi: at ex iis, quæ obſervat Mabillonius, non ita probatum eſt, quòd Sanctus dum* clericatûs honorem *adeptus eſt, ſtatum monaſticum profeſſus ſit.*

E

rationes ipſi contrariæ proponuntur;

131 *Nam etiam clericis convenire imitatores eſſe vitæ apoſtolicæ, nemo, credo, vocabit in dubium.* Comam capitis dimittere *ſimiliter clericorum erat, uti & relinquere veſtimenta ſecularia & pompam hujus mundi; ſanè tum quoque clerici & habitu & moribus diſtinguebantur à laicis, taleſque induebant, quales decebant homines, qui ſe totos divino cultui mancipaverant. Quid porrò eſt in toto anonymi contextu, quod non æquè propriè aptari queat clerico, quàm monacho, quodque cogat* clericatûs honorem *minùs propriè accipere pro tonſura ac profeſſione monaſtica. Ubi clericatûs honorem adeptus dicitur, ſolius S. Amandi epiſcopi fit mentio, nulla abbatis, nulla fratrum ſeu monachorum, nulla regulæ aut diſciplinæ regularis, nulla vel exiguæ in monaſterio commorationis, quâ iis imbui potuiſſet Vir nuper à ſeculo abductus, ſed mox dicitur ſecutus S. Amandum verbum Dei gentibus prædicantem. Urget Mabillonius, inquiens:* Nec aliam quæras cauſam, cur S. Bavo, qui ſtatim atque in monachum attonſus eſt, Amando prædicationis ſocium ſe adjunxerat, "per ſupraſcriptum ponti„ficem ſibi licentiam dari petiit, monaſteria cir„cuire Chriſti Athletarum, quatinus vitam mo„nachorum & converſationem cœnobitarum poſ„ſet agnoſcere.„ Nimirum monachus cùm eſ-

F

ſet,

A ſet, monachorum perfectiorum mores rimari atque æmulari votis omnibus optabat.

reſpondetur ad argumentum aliud, & ex Actis,

132 *Ego cauſam quærenti, cur* S. Bavo, *qui ſtatim atque* in clericum *attonſus eſt, S. Amando ſocium ſe prædicationis adjunxerat, dictam licentiam petierit, haud minùs veriſimiliter reſponſurum me, exiſtimo : Nimirum clericus cùm eſſet & ad perfectius vitæ inſtitutum aſpiraret, deſiderium concepit amplectendi vitam monaſticam, circuivit monaſteria, tum ut ex iis eligeret unum, quod propoſito ſuo eſſet convenientius, tum ut cœnobitarum vivendi normam, diſciplinam regularem & mores ante electionem agnoſceret. Sed, obſecro, ſi antè fuit, cujus erat monaſterii monachus ? Gandavenſis, inquis, Ordinis S. Benedicti, in quo tonſuram acceperat, & depoſuerat veſtem ſecularem. At juxta Regulam S. Benedicti ad monachatum ſuſcipiendus probabatur per annum integrum.* Prædicentur ei omnia dura & aſpera, per quæ itur ad Deum (*verba ſunt cap.* 58 *de* Diſciplina ſuſcipiendorum fratrum) Si promiſerit de ſtabilitatis ſuæ perſeverantia, poſt duorum menſium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem. . . . Si adhuc ſteterit . . . poſt

B ſex menſium circuitum legatur ei Regula, ut ſciat, ad quod ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem Regula. Et ſi habita ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire & cuncta ſibi imperata ſervare, tunc ſuſcipiatur in congregatione, ſciens ſe jam ſub lege Regulæ conſtitutum ; quòd ei ex illa die non liceat egredi de monaſterio. *Attamen* S. Bavo, *fatente Mabillonio, in Annalibus ad annum* 647, *lib.* 13 *num.* 43 *erogatis in pauperes facultatibus,* ad S. Amandum denuo rediit, in caſtro Gandavo tunc commorantem. Mox clericatûs honore ab eodem inſignitus eſt, *id eſt, ut ipſe interpretatur, monachus factus eſt, & ut antè loquitur,* ſtatim atque in monachum attonſus eſt, Amando prædicationis ſocium ſe adjunxit.

collatis cum Regula S. Benedicti, concluditur,

133 *Dic, per me licet, in Regula diſpenſatum fuiſſe cum Viro de fratribus optimè merito ; ſed quid cauſæ fuit, cur poſt evolutum circitèr annum, dum Sanctus Gandavum rediit, & à Florberto abbate petiit ſibi cellulam,* in qua familiariter Domini miſericordiam pro facinoribus ſuis deprecaretur ; *idem abbas, ut pergit narrare anonymus vetuſtior, priuſquam aſſentiretur,* juxta

C præceptum pii patris Benedicti, ejuſdem fratribus monaſterii ipſius patefecit preces, convocataque omni congregatione, ut, ſi fortè juniori revelatum fuiſſet, quod placitum eſſet Omnipotenti, cum omni aviditate ſuſciperet & compleret id, quòd ſcriptum eſt : Omnia fac cum conſilio & poſt factum non pœnitebis ? *Uſuſne eâ cautelâ Florbertus ad exquirendum, num eſſet conſultum cellam concedere fratri ejuſdem monaſterii profeſſo, qui ibidem ab ipſo fundatore Amando in monachum attonſus fuerat, qui illic, ut exigebat Regula S. Benedicti, ſtabilitatem promiſerat ? Mihi quidem id minùs veriſimile apparet, præſertim cùm juxta eamdem S. Benedicti Regulam tales cærimoniæ adhibendæ non eſſent, niſi in negotiis magni momenti, prout ſat clarè docetur cap.* 3, *ex quo pleraque mox recitata verba deprompſit anonymus :* Quotiens aliqua (*hoc eſt capitis initium*) PRÆCIPUA agenda ſunt in monaſterio, convocet abbas omnem congregationem & dicat ipſe, unde agitur. . . . Ideo autem omnes ad conſilium vocari diximus, quia ſæpe juniori Dominus revelat, quod melius eſt. . . . Si qua verò minora agenda ſunt in monaſterii utilitatibus, ſeniorum tantùm utatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt : Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis. AUCTORE J. P.

priùs fuiſſe clericum tantùm,

134 *Quaſi verò tanti momenti negotium eſſet concedere cellam redeunti ad proprium ſuum monaſterium monacho, qui cum abbatis ac fratrum conſenſu peregrè profectus fuerat ; nam ſi monachus erat* S. Bavo *cùm ſecutus fuit S. Amandum, id ſine illorum conſenſu factum eſſe, credi non poteſt. Quare multò veriſimilius eſt, Sanctum non fuiſſe monachum, dum ſecutus eſt S. Amandum, ſed tum primùm, quando Gandavum rediit, petiiſſe admitti ad profeſſionem vitæ monaſticæ. Tunc autem meritò judicare potuit Abbas, ſat gravis eſſe momenti negotium, ut ſine prævia fratrum omnium convocatione & conſultatione peragendum non eſſet. Accedebat, quòd quæſtio eſſet non de qualiſcumque hominis, ſed de clerici admiſſione. Nam de ſacerdotum & clericorum admiſſione peculiaris lex præſcribitur cap.* 60 *Regulæ Benedictinæ, & talis quidem, ut nulla illic fiat mentio annui tyrocinii ſeu novitiatûs,* quia, *ut obſervat Hugo Menardus in Notis ad Concordiam Regularum pag.* 1000, olim eo non indigebant, quippe qui viri maturi & gravitate conſpicui eſſent. Et eorum ingenia & mores hoſpitalitatis tempore, aut duorum vel ſex ad ſummum menſium ſpatio ſatis explorari poterant. E

poſtea monachum. Antè dicta de ſtatu

135 *Præterea eodem cap.* 60 *de ſacerdote in monaſterium ſuſcepto dicitur* : Concedatur tamen ei poſt abbatem ſtare. *Ad quæ Menardus* : Ac proinde ante præpoſitum & decanos, ſi non ſint ſacerdotes : *de clerico verò dicit ibidem Regula :* loco mediocri conlocetur, *puta, nec inter ſupremos nec inter infimos, & hîc nova erat deliberandi materia, cùm ageretur de clerico, cui tot ex titulis obſtrictum erat monaſterium. Ceterùm ex iis, quæ jam recitavi ex vetuſtiori anonymo, contulique cum Regula Benedictina, mox perſpiciet ſtudioſus lector, qua ratione ductus aſſeruerim ſuprà, mihi ſat probatum eſſe, quòd monachi exſtiterint in Caſtro Gandavenſi, cùm illuc adveniret* S. Bavo. *Aliam ad id confirmandum ex eodem anonymo rationem adjicit Mabillonius locis citatis, quam aſſignabo in Annotatis. Sed ego alteram adjicio ex Vita metrica, quam veriſimiliter non vidit Mabillonius, & ex qua perſpicuum fieri exiſtimo, exſtitiſſe illic monachos diu ante* S. Bavonis *adventum, certè ab ipſo tempore, quo cœnobio datus eſt abbas Florbertus. Nam ubi loquitur anonymus vetuſtior* : Ergo Adloinus vir Dei reverſus ad ſupraſcriptum Caſtrum Gandavum ad venerabilem virum Florbertum abbatem, quem almus pontifex Amandus ibidem conſtituit ſuper gregem CLERICORUM rectorem, petiit *&c., ita canit Poëta :* F

Ille * ſed almorum diſcurrens quæque locorum, * Bavo
Rurſum Gandavum properabat viſere caſtrum,
Nomine Florbertus quidam quo forſitan abbas
Exſtitit à ſancto MONACHIS prælatus Amando.

Diu autem ante S. Bavonis *adventum illic abbas exſtitit Florbertus, ergo etiam monachi.*

cœnobii confirmantur ; & argumenta,

136 *Sed hinc novum formabis pro Mabillonio argumentum. Dices enim, eos ipſos, quos anonymus* clericos *appellat, vocari à poëta* monachos, *inde ergo patere, quid aliis etiam locis intelligendum ſit, ubi idem anonymus ait, conſtructum eſ-*

AUCTORE J. P.

se clericorum cœnobium, *scilicet* monachorum, *& à S. Amando* Bavoni *collatum fuisse* clericatûs honorem, *nimirum* monasticæ professionis. *Admittam assertum primum, non item sequelæ partem ultimam. Nam etiamsi ex admisso primo asserto sequeretur per voces* clericorum cœnobium *accipiendum esse* cœnobium monachorum, *rationes, quas in contrarium attuli, prohiberent, quo minùs admitterem, per* clericatûs honorem *accipiendam esse* monasticam professionem. *Verùm si quis voluerit sustinere oppositam Mabillonio sententiam, nec ad primam sequelæ partem admittendam cogetur. Dicet quippe, verum esse, eosdem homines tam ab anonymo vetustiore quàm à poëta designatos fuisse, id est, eos qui, cùm essent clerici, sub Florberto abbate facti sunt monachi. At cùm agerent iidem auctores de tempore, quo facta est ista immutatio in cœnobio, dicet, per anonymum denominatos fuisse homines illos à statu, à quo transierant; per poëtam à statu, ad quem transierant. Atque ita ulteriùs concludet, voces* clericorum *&* clericatus *ubique ab anonymo usurpatas fuisse in propria ac ordinaria sua*

B *significatione, locumque ipsius, quo potissimùm nititur Mabillonius sic evolvet:* Florbertus constitutus est rector clericorum, qui sub ipso fiebant monachi.

quæ inde formari possent,

137 *Addet denique, conjici non debere ex allato versu, quòd putaverit poëta, per clericos ubique ab anonymo intellectos fuisse monachos, ideoque voci* clericis, *quam non admittebat metrum, substituerit* monachis; *quandoquidem ipsemet poëta memorans cœnobii exordia, sic scribat:*

Cœnobiumque loco struitur reverenter in ipso,
Incipit & multus mox illuc crescere CLERUS
Qui Domino laudes persultet * nocte dieque.

* *fortè* persolvat

ubi tamen ipsi, de metri elegantia haud multùm sollicito, facilis erat correctio vel explicatio, dicendo:

Incipit & MONACHUS mox illuc crescere multus.

vel:

C Incipiunt MONACHI moxque illuc crescere multi.

At verò, dum hujuscemodi responsa suggero adversùs opinionem Mabillonii de primis monasterii incolis, nolo existimes, mihi omnino probatam esse oppositam, nixam testimonio potissimùm Theodorici abbatis, scriptoris non sufficientis auctoritatis, ut in opinionum diversitate me ad unius electionem determinet. Id feci in illum dumtaxat finem, ut indicarem, Mabillonii argumenta etiam talia mihi non esse, quæ Theodorici testimonium tam evidenter erroneum probent, ut meritò concludat Mabillonius: Ex his manifestum est, monachos non clericos seculares in Ganda monasterio . . . ab initio exstitisse. *Ubi tamen idem Mabillonius, tamquam per modum auctarii, mox subjungit sequens qualecumque argumentum:* Quod satis superque verisimile reddit Amandi ipsius monastica professio. Nempe monachus monachos haud dubiè in locis à se erectis instituit, Benedictinus Benedictinos. *Sed neque hîc de responso laborabit Mabillonii adversarius. Esto, inquiet, fuerit monachus Benedictinus S. Amandus: certius est, tunc fuisse episcopum, atque hinc verisimilius fit, quòd aliquibus saltem à se erectis locis instituerit clericos non monachos: ut ex isto capite æque dubium maneat, utrùm in Gandensi cœnobio instituerit clericos simul habitantes, an monachos.* D

prævenitur.

138 *Si tamen clerici illic primò instituti sint, deinde monachi, non credo factam esse immutationem ex causa, quam nonnulli tradiderunt: quòd nempe S. Amandus clericos amoverit, quia vivebant licentiùs. Neque enim sine veterum & fide dignorum scriptorum testimoniis ausim asserere, illos tantillo temporis spatio, annorum circitèr octo, usque adeo à prima vivendi norma degenerâsse sub disciplina, sub oculis sanctissimi antistitis. Quapropter cùm Theodoricus ipse duplici loco de immutatione loquens, neutro causam ullam prodat, si absolutè admittenda sit isto temporis spatio facta, malim dicere, ortam esse ex pietate clericorum, qui indies adhortationibus & exemplis S. Amandi in via virtutis proficientes, ultrò petierint dari sibi Regulam monasticam ac præfici abbatem, & ad hunc sensum aptavi responsa ad Mabillonii argumenta. Ex quæstionibus præcedentibus exsurgere posset quæstio altera, eaque solutu nequaquam facilior; ad quem scilicet clericatûs seu ordinis ecclesiastici gradum ascenderit Sanctus noster. Nullam mihi verisimilitudinem habet, quod tradit Rabanus aut fortè hujus interpolator in Martyrologio, episcopum nempe fuisse* S. Bavonem. *Minùs alienum est à verisimilitudine assertum B. Alcuini, qui B. Rabano vetustior medio circitèr seculo,* venerandum Sacerdotem *appellat istis versibus apud Andream du Chesne seu Quercetanum col.* 1726:

E

Hæc loca sanctificet venerandus Bavo sacerdos,
Discipulus vitâ patris condignus Amandi.

A verisimilitudine, inquam, id minùs alienum est, si per sacerdotem *intelligat presbyterum seu secundi ordinis sacerdotem. Nec tamen, licèt Alcuini auctoritas magna sit, isti opinioni ausim subscribere. Nam sicut credibile mihi non apparet, quòd, si* S. Bavo *consecratus fuisset episcopus, id unus dumtaxat memorâsset Rabanus, ita non possum mihi satis persuadere, quòd, si fuisset sacerdos, id nullus præter Alcuinum in tanta multitudine scriptorum veterum, quos hactenus laudavimus & deinceps laudaturi sumus, litteris prodidisset.* F

§ XI. Veterum quorumdam de Sancto elogia.

Veterum aliquot de Sancto elogia subduntur:

QUoniam *præsenti Commentario secundùm institutum nostrum pertractanda dumtaxat suscepimus ea* S. Bavonis *gesta, quæ à biographis vel non satis dilucidè, vel etiam diversimodè relata sunt, sicque occasionem dederunt variis recentiorum conjecturis, opinionibus, disputationibus, quæ fusiore discussione indigebant, atque id modò sufficienter præstitum arbitramur; mittimus alia, ab iisdem biographis sat clarè exposita, vel saltem in Annotatis declaratu facilia; & veterum quorumdam de eodem Sancto elogia, hactenus laudata aut ex parte recitata, nunc integra exhibemus. Ceteris præmittimus Versus sive Epistolam S. Livini ad sæpe memoratum Florbertum abbatem cum* S. Bavonis *Epitaphio, à Jacobo Usserio editam in Sylloge Epistolarum Hibernicarum, & inde à Mabillonio Seculo 2 Benedictino, nobis verò descriptam ex Ms. Corsendoncano.*

A *S. Livini episcopi martyris*

140 VERSUS * S. LIVINI EPISCOPI MARTYRIS

Ad Florbertum abbatem monasterii S. Bavonis.

Audeo mira loqui, solem sine lumine vidi
Est sine luce dies hîc * sine pace quies.
Hos postquam populos conspexi luce serena,
Sol mihi non luxit, nox fuit una mihi.
Impia barbarico gens exagitata tumultu;
Hîc Bracbanta furit, meque cruenta ferit.
Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?
Pax est, quod porto, cur mihi bella moves?
Sed quâ tu spiras, feritas sors læta triumphi
Atque dabit palmam gloria martyrii.
Cui credam, novi; nec spe frustrabor inani;
Qui spondet Deus est, quis dubitare potest?
Attamen est aliquid, mœstæ solatia menti
Quod dat, nec penitus me premit atra dies.
Ganda parat gremium, quo me fovet ubere læto,
Invitat, mulcet, nutrit, amat, refovet.

ad Florbertum abbatem

141 Hîc est Florbertus, quem virtus flore perornat,
B Cui probitas floret, flos probitate viget.
Forma gregis, decus ecclesiæ, concordia fratrum,
Ipse suis medicus, & medicina sibi.
Quid referam pietatis opus, quòd * me peregrinum
Obsequiis lætis dum fovet, addit onus.
Sufficeret fratrum fratrem dixisse Livinum,
Pontificis nomen prægravat, & Domini.
Egressus patriam, pompæ mortalis honorem
Sprevi, devovi: spes Deus una mihi.
Attamen inveniet, quod Christo sedulus offert,
Quòd sic sum pauper, hoc sibi nil minuet.
Plus aliquid præstat absenti munere largo,
Præsens continuis me fovet obsequiis.
Hæc quoque dum scribo, properans agitator aselli
Munere nos solito, pondere lassus adit.
Ruris delitias affert, cum lacte butyrum,
Ovaque caseoli plena canistra premunt.

epistola versibus conscripta

142 Hospita quid restas? Effer jam sedula gressum,
Collige divitias, quæ modò pauper eras.
Fervet olus siccum, sed nunc condire licebit:
C Ollula dura priùs, uncta suavis erit.
Holtam villa gravis, quæ nescis reddere fructum,
Urticas, lappas, cur bene culta refers?
Hoc est, quo recreor, quod habet paupercula tantùm
Hospita, quod mittit vel mihi Ganda boni.
Et pius ille pater cum donis mollia verba
Mittit, & ad studium sollicitat precibus:
Ac titulo MAGNUM jubet insignire BAVONEM,
Atque leves elegos esse decus tumulo.
Nec reputat fisso cùm stridet fistula ligno,
Quòd soleat raucum reddere quassa sonum.
Exigui rivi, pauper quam vena ministrat,
Lasso vix tenues unda ministrat aquas *
Sic ego, qui quondam, studio florente, videbar
Esse poëta, modò curro pedester equo.
Et qui Castalio dicebar fonte, madentem
Dictæo versu posse movere lyram,
Carmine nunc lacero dictant mihi verba Camœnæ

* *Mabil.* quo

* *Usser.* opem. *Mabil. fortè* opes

Mensque dolens, lætis apta nec est modulis.

AUCTORE J. P. *cum Epitaphio S. Bavonis*

143 Non sum, qui fueram, festivo carmine lætus:
Qualiter esse queam, tela cruenta videns?
Nec, quid agam, novi; mentis tumor * iste procacis
Quem, rogo, non lædat, par dare nolle pari?
Officio certare pari si nempe recuso,
Pecco, quòd magnis reddere parva moror.
Magna mihi præstat, supplex qui parvula poscit,
Et tamen invenior tardus ad officium.
Accingar studio, quamvis non viribus æquis:
Est non posse leve, non renuisse bonum.
Ergo tibi titulum scribens, SANCTISSIME BAVO,
Qui volo, quod nequeo, quod valeo, facio.
QUI PATRIÆ RECTOR, SPES GENTIS, GLORIA REGNI
MAGNORUM PRIMUS QUI MODO MAGNUS ERAS.
NON QUIA MAGNUS ERAS, TE GLORIA MAGNA BEATUM
SED CONTEMPTA DEUS GLORIA MAGNA FACIT.
PRO CHRISTO PAUPER, DESPECTUS, VILIS, EGENSQUE,
ES * CHRISTI FAMULIS NUNC CAPUT ATQUE DECUS.
DEFUNCTUM REVOCANS, QUI MORTI JURA TULISTI,
MONSTRAS QUIPPE TIBI JURA PATERE POLI.
QUAM TU FUNDASTI, QUÆ TE TENET, INCLITE BAVO,
ECCLESIAM MERITIS PROTEGE, SANCTE, TUIS.
Hæc, FLORBERTE pater, LIVINUS carmina mittens,
Inscriptum lateri munus habere dedi:
Ut cùm vastatus fiet locus ille ruina
Carmina conservet obrutus ista lapis.

E

* *Usser.* Et

in qua auctor martyrium suum prædicit,

144 *Hoc, seu ætatem spectes, seu auctoris dignitatem ac sanctitatem, pretiosissimum antiquitatis monumentum hunc visum est integrum transferre, quia, licèt plura contineat ad* S. Bavonem *minùs pertinentia; tamen totum compositum est occasione Epitaphii, quod à S. Livino petierat Florbertus: quoniam verò dederimus integrum, non abs re fuerit aliquot illi observationes subjicere; sed breves & ad dies mox memorandos amplius elucidandas. Ac primò quidem in eo elucet eximia S. Livini humilitas, se pontificem ac dominum à Florberto appellari grave onus reputantis; secundò Apostolicus verbi Dei disseminandi ardor, ex quo relicta patria, & commisso alteri in Hibernia episcopatu, spretisque commodis ac honoribus ad regionem se contulit, cujus nec soli sterilitate, nec effera id temporis incolarum indole absterritus est, quominus istic perduraret usque ad martyrium. Hoc autem martyrium tam clarè & asseveranter atque iis cum adjunctis prædicit, ut non possit clariùs vel asseverantiùs, nec dubium appareat, quin spiritu prophetico fuerit præditus. Eodem spiritu in postremis versibus censeri potest prænuntiâsse devastandum olim monasterium, nam id contigisse suo loco videbimus, & sub ejus ruinis reperiendum laterem sive lapidem, cui Epitaphium* S. Bavonis *inscribi curaverat.*

F

AUCTORE J. P. *& Bavonem ac Florbertum plurimùm laudat.*

145 *Tertiò in versibus elucet singularis, quam habuit idem S. Livinus, existimatio de virtutibus ac sanctimonia Florberti abbatis, cujus obitus variis sacris Fastis inscriptus est ad diem* 1 *Novembris. Quartò observari posset, quàm luculentum testimonium præbeat S. Livinus de eximia* Bavonis *sanctitate, de insigni ejus ante conversionem in seculo potentia, de fundata ejus facultatibus Gandensi ecclesia, sed ista jam locum habuerunt in præcedentibus §§. Scriptos esse versus non diu post* S. Bavonis *obitum, liquet ex re illis contenta & persona petentis ac potissimùm ex morte auctoris. Livinum quippe martyrio coronatum tradunt triennio circitèr post Sancti nostri è vita excessum. Denique* Holtam, *ubi tunc morabatur ac post martyrium sepultus est S. Livinus, vicus erat veteris Brachbanti, qui hodie vulgò* Hauthem *appellatur & Flandriæ tribuitur, distans Gandavo tertio milliario.*

De S. Bavone etiam honorificè

146 *Honorificè quoque de* S. Bavone *scripsit ejusdem S. Livini biographus, qui, quòd se Bonifacium appellaverit, nonnullis creditus est S. Bonifacius archiepiscopus Moguntinus: sed perperam, ut solidis argumentis evincunt Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam S. Livini,*
B *insertam Seculo 2 Benedictino, pag. 455 & seq.; ac Papebrochius in Analectis de S. Bonifacio archiepiscopo Moguntino tom. 1 mensis Junii pag. 494. Verùm hi duo scriptores eatenus consentientes, multùm dissentiunt in judicio super ætate dicti biographi. Mabillonius S. Livino coævum & S. Bonifacio Moguntino antiquiorem facit. Papebrochius adductis nec paucis nec levibus rationibus retrahit ad seculum 12 vel 13. Nos, cùm ista materia, sicubi resumenda vel elucidanda sit, propriè spectet ad diem* XII *Novembris, verba biographi, relicto lectoribus de eorum veritate judicio, hìc subnectimus & ideo dumtaxat aliorum seculo 12 aut 13 vetustiorum scriptorum elogiis præmittimus, quia cum jam datis de S. Livino utcumque connexa sunt.*

scribit biographus S. Livini;

147 Cùm verò (*inquit auctor*) plurima (*S. Livinus*) perlustrâsset loca, divini germinis semina spargendo, dæmonia ab obsessis corporibus pellendo, multorum ægrotantium corpora sanando, convenit cum discipulis suis ad quoddam cœnobium avito vocabulo GANDAVUM nominatum, quod B. Amandus pontifex exstirpatis gentilium fanis, fecit fundari, quod & ipse dedicavit ad honorem S. Petri apostoli & omnium apostolorum, congregatis ibidem cultoribus,
C quibus præposuit abbatem nomine Florbertum sanctæ religionis rectorem, dignis moribus compositum & totius honestatis exemplis refertum à quo etiam & à ceteris fratribus monasticæ caritatis officio susceptus est. Ibi quoque invenit magnificæ sanctitatis virum & egregium confessorem Christi BAVONEM recentiva morte in Domino pausantem & in monasterio S. Petri sanctorumque Apostolorum à beato pontifice Amando & abbate Florberto & devotis fratribus condigno honore humatum atque glorioſis miraculis coruscantem. In eodem quoque loco per dies triginta commoratus est, & ad sepulcrum S. BAVONIS suas preces Missarumque celebrationes Domino Deo pervigil immolabat. *Hactenus auctor iste in editione Mabillonii & in apographis nostris Mss., cum aliquali quidem lectionis diversitate, sed non tanta, ut rem narratam immutet vel annotationibus indigeat.*

148 *Præclarum quoque Sancto nostro Elogium contexuit Milo monachus ac sacerdos Elnonensis monasterii in Vita S. Amandi, composita carmine Heroico ante medium seculum nonum, ut probavit Henschenius in Commentario prævio ad Acta S. Amandi tom. 1 Februarii pag. 842, ubi descriptis S. Amandi laboribus apostolicis, ceterisque gestis apud Gandavenses, ista sequuntur pag. 880:*

item Milo Elnonensis monachus

Hæc quoque castra suo post commendavit amico,
Festinans alias ad partes belliger ire,
Fortis ubi populi ductor non deforet illis.
Bavo beate Dei, te præsens pagina signat:
A duce tu Domini quondam conductus Amando,
Spreviſti mundum, calcâsti labile seclum,
Sumens arma crucis, propero pede bella petîsti
Ac multum spolium truculento ab hoste tulisti:
Inter quæ prædam, quam gaudens abstulit, atque
In regno proprio cupiit, si fortè fuisset
Possibile, ignifluis concludere carceris antris:
Sanctas tu lacrymas fundens, pia vota, precesque
Belligerando boans bellis, Benedicte, beatis
F Salvâsti & Regi summo tua dona dedisti.

149 Quod loquor, agnoscis; quoniam tua gesta canuntur. *in Vita S. Amandi*
Scilicet ille hostis, cùm telum missile vibrans
Impositum plaustro jecit, prostravit & unum
Ex famulis, canibusque feris venatio facta.
Sed tamen incassum sua tunc tentamina fudit:
Tramite nam reduci quia post orando reductum
A mortis tenebris revocâsti in luce bubulcum
Multimodis aliis cum Sanctis artibus usus,
Hoc uno didicit vicendum te fore numquam.
O quàm magnificus fuerat tibi, Sancte, magister,
Qualibus ac signis præceptor fulsit Amandus
Ille tuus! quæ te talem fecere ministrum!
Namque tuis gestis doctorem cernimus almum,
Egregium, pulchrum, mirandum, glorificandum.
Est mihi dulce tuæ textum percurrere Vitæ;
Sed retrahit complenda meum modulatio gressum.
Ne tamen hi versus tibi sint sine fœnore fusi,
Redde vicem precibusque tuis me, quæso, gubernans,
F Obtineas veniam mihimet miserando reatûs,
Atque tuo Regi junctus per secla valeto.

150 Tuque locus felix, regio fulgentior auro, *carmine exarata*
Illustrata pio Justorum lumine, salve:
Plebsque decora satis, multo collecta labore
Patribus à geminis, dignum est, ut amando sequaris,
Quos tibi Cunctipotens dulces pietate Patronos
Attribuit, talesque dedit miseratus amicos.
Et si te noster migrans huc corpore Amandus
Deseruit, meritis, si credis, ubique gubernat.
Nos quoque dum precibus sacris meritisque tuetur,
Te memorans etiam, portas tibi pandit Olympi.
Plaudite dulcisonos tantis Pastoribus hymnos;
Ne ingratum reliquis gregibus videaris ovile.

Gar-

A Carmina commiſcens chartis, currente camœna,
Vobiſcum recinam, præbens inſignia amoris
Erga illos monimenta mei ſine fine manentis,
Quos quia conſpicuos virtutum penna levavit
Sidereum ad regnum, vobis properantibus illuc
Poſſe patere piæ monſtrârunt oſtia vitæ.
Aſt ego delictis, ut ſetis horridus hircus,
Tegminis & nitidi candenti vellere nudus,
Sæva trahor miſeræ miſerandus ad atria mortis.
Tendite, poſco, manus & me de fauce vorantis
Tollite....

Victoria hîc prima parte verſuum præ ceteris Sancti geſtis decantata, ea eſt, quam retulit, dum hominem blaſphemum repentina morte punitum, ſuis precibus revocavit ad vitam, ac dæmoni ſurripuit, ut fusè deſcribunt biographi noſtri; hos ubi legeris, clariora fient, quæ alioqui obſcura videri poterant.

151 *Philippus Harvengius, vulgo ab Eleëmoſyna dictus, ſeculo 12 abbas monaſterii Bonæ-Spei Ordinis Præmonſtratenſis prope Binchium in Hannonia, in Vita ejuſdem S. Amandi eleganti ſtylo deſcripta & ab Henſchenio ad VI Februarii quarto loco excuſa, memoriam* S. Bavonis *celebrat pag. 863 verbis ſequentibus :* Sub illius (*Florberti abbatis*) felici magiſterio, B. Bavo ſecretum votivæ recluſionis intravit, poſtquam à vanitate ſeculi B. Amandi prædicatione converſus eſt, & eccleſiaſtico ritu benedictionis gratiâ tonſuratus. In qua vigiliis, jejuniis, orationibus convenienter intentus, ſeipſum Deo Patri hoſtiam vivam, ſanctam, beneplacentem, juxta inſtitutionem viri Dei ſatagebat fideliter exhibere. *Non præteriit etiam* S. Bavonem *auctor anonymus Epitomes Hiſtoriæ tranſlationis & elevationis S. Amandi eodem tomo per Henſchenium edita pag. 894, ubi ſancti epiſcopi ſanctos diſcipulos enumerans ac in ſingulorum laudem breviter diſcurrens, iſta tradit de noſtro :* Juxta ſeculi etiam dignitatem nobilis ALLOUINUS, qui S. BAVO eſt omnium vocibus appellatus, ex paganorum ritu ad Dei cultum per pontificem prædictum converſus & in via præceptorum ſalubriter introductus, per divinæ inſpirationis gratiam in tantum celſitudinis apicem conſcendere meruit, ut etiam mortuum ab inferni faucibus revocaret, & palam omnibus vitæ reconſignatum exhiberet. *Hallucinatum eſſe auctorem hunc, dum credidit,* S. Bavonem *converſum eſſe ad Deum* ex paganorum ritu, *notâſſe ſatis eſt. Plura ſunt his illuſtria de Sancto noſtro à veteribus relicta teſtimonia, ſed quibus recitandis ſuperſedemus, quia vel præcedentibus §§ exhibita ſunt, vel ex aliis manifeſtè deſumpta.*

ac plures alii.

B

C

VITA

A. ANONYMO

Auctore anonymo,

Ex Ms. S. Audomari vetuſtiſſimo cum Ms. S. Bavonis item vetuſtiſſimo & editione Mabillonii collato.

PROLOGUS.

VIlem & infimum cunctis poſcere videris populis, meque indoctum quæris nitere virum per Schytias gentes & Parthias patrias. Nam liberalium omnium artium & humanarum doctrinarum matrem fuiſſe Athenas legimus : ubi antiquitus veteris floruit ſcientia linguæ Latinæ ſub Piſiſtrato *a* auctore, & unde noſtræ artes fuſæ ſunt pænè omnes. Non, inquam, me Heſperia, nec Roma aut Auſonia* tenuit, genuit vel aluit; nec Tytirus *b* docuit, nec fultus ſum Ariſtotelis argumentis, Varronis, Democriti, Platonis, Demoſthenis & ceterorum doctorum. Inops ingenii ſum, verborumque flumine ſiccus. Prorſus multùm me fateor inertem. Me etiam pondus inertiæ premit & in imis volvit; quando ſcientiâ vacuus*, hæc utcumque fragili audeo conſcribere ſtilo.

Auctor imperitiam ſuam excuſans,

a

* *Mabil.* Auſonius

b

* *al.* fatuus

2 Nobis egregii exemplo * ſint dicta doctoris Hieronymi ſacerdotis, quibus refragari * valemus detrahentium laqueos. Me ovantem fateor eſſe, Pater ſancte, qui meum pigrum perdurare animum minimè paſſus es, nec malitioſo corde exultare, nec ſe inquiſitionibus ſtimulare malivolis, ſed coëgiſti, quantùm valet imperita lingua, ut omnium eloquentiſſimorum virorum imitetur veſtigia. Tibi, pater, quidquid ars mea cogitaverit aut invenire valuerit, patefacere curabo. Nec putes, ignaviam hinc inflari * noſtram : verè non eſt in viſceribus tepitudinis meæ aliqua extollendi calamitas, ſed prorſus jacet ad ima * humilitas, eò quòd ſcientiæ nobis non manet ſublimitas. Individua dilectione & charitate mihi conjuncta eſt ſanctitas veſtra. Quid tantùm verbis vobis * de veſtris oportunitatibus loquar? Igitur de viro Dei Allowino, ſancto videlicet Bavone, quod expetendum judicâſtis, ut valemus, voluntatem veſtram explere cupimus. Mihi Dominus ſervorum ſuorum ultimo præſtet de veſtra ſemper converſatione gaudere & cum grege vobis commiſſo, & cum ſancto Bavone, qui Allowinus nomine alio vocatur, regna cælorum promereri *c*.

ex obedientia ſe ſcripſiſſe indicat.

* *Mabil.* exempla

* *ibid.* refragare

* *ibid.* inflammari

* *ibid. deeſt* ad ima

F

* *ibid. deeſt* vobis

c

ANNOTATA.

a *Mabillonius legit* Piſcitrato ; *auctor noſter haud dubiè deſignatum voluit Piſiſtratum tyrannum, qui, ſeculis ante Chriſtum quinque circitèr & medio, eloquentiâ clarus, bibliothecam publicam, ſive ut loquitur Aulus Gellius lib. 6 cap. 17*, libros Athenis diſciplinarum liberalium ad legendum præbendos primus poſuiſſe dicitur.

b *Auctor iſte, cujus nomen fortè corruptum, ignotus nobis eſt : Ariſtoteles & reliqui ſat celebres.*

A. ANONYMO.

c *Huic prologo mox in Mss. ſubditur ſequens titulus :* Incipit ſancti Bavonis confeſſoris Vita, cujus feſta celebrantur inclyta Kal. Octob. in Gandavo caſtro.

PARS I.

Illuſtris Sancti proſapia, conjugium, morum immutatio, acceſſus ad S. Amandum.

Alterum auctoris præludium.

BOnorum parvulorum indoles non tam dignitate generis, quàm moribus clareſcere ſolet, Domino approbante, qui dixit: Nolite parvulis prohibere, quin veniant ad me : & Sapientia dicente : Relinquite infantiam & vivite & per vias prudentiæ ambulate. Ergo ſi munda & recta ſunt opera pueri, ex ſtudiis ejus intelligi poteſt, ut ait quidam : Quomodo invenies eum in ſenectute, quem non cognoviſti in juventute ? Et iterum : Excipe doctrinam & invenies ſapientiam : non enim omnibus expediunt omnia. Nemo poteſt quicquam accipere, niſi ei fuerit datum de cælo. Omnes enim peccaverunt & egent gloriâ Dei. Et non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Felices ſunt, quorum Deus ſpes eſt, & quorum deſideria dignanter inflammat, & ad perfectionem roborat, quia non poterit diſſolvi, quod ex Deo eſt, ut ait ipſe : Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Qui enim adhæret ſancto viro aſſiduitate operis, illius ſuſcipit exempla, quibus accendatur ad amorem veritatis. Valdè eſt laudabile bonum eſſe cum bonis ; ſed multo magis eſt laudabile, bonum eſſe cum malis. Sancta enim Eccleſia in carnalibus ampla eſt, in ſpiritualibus autem anguſta. Et ideo non ſolùm malorum mores, ſed etiam conſortia fugienda ſunt. Si fueris namque ſocius converſationis bonorum, eris & conſors virtutum eorum. Non longo faſtidio tendam, quæ de Viro Dei narrare cupio : quia civitas in monte poſita latere non poteſt : neque candelabrum ob aliud accenditur, niſi ut luceat in domo *a*.

a

Sancti natales, juventus, nuptiæ;

4 Igitur Adlowinus, quod nomen ſacro accepit Baptiſmate, quem vulgus Bavonem nominat, genere nobili, parentibus inclytis, Hasbanienſe editus ducatu *b*, uxori junctus eſt, filiæ videlicet Adilionis comitis *c*, de qua genuit Aglethrudem *d*, prolem dignam Deo, virginem Chriſti, cui in primis annorum crepundiis vox ſummo miſſa perſultavit throno Altiſſimi : Crede, inquiens, creata majorum quoque proſapiâ, verbo Dei ſolius parentes procreabis, qui utrumque fecit hominem. Tempore quippe ſuæ juventutis beatus Bavo actibus * pravis ſeculi exercebat voluntatem, conſtans erat in turpibus, incenſus obſcenis laterum flexionibus *e* : ſed Chriſto auxiliante, hoc juge ipſius vitium citò verſum eſt in bonitatem.

b

c

d

* *Mabil.* operibus

e

morum immutatio, opera miſericordiæ.

5 Ab illo etiam tempore legis judicia non contempſit ; ſed & omnium materiem ſcelerum evitavit. Affinibus ſuis * non nocuit ; ſed pauperibus latiùs manum porrexit. Amicitiarum fidem non renuit ; ſed appetivit ; nec tam fortunam excoluit, quàm virtutes imitatus eſt. Miſericordiâ ſublevavit etiam oppreſſos, indeſinenter recolens in omni cultu pietatis, maximè Deum in hoc ſibi propitium fore peccatorum ſuorum, ſi omnes injuſtè oppreſſos ſublevandos eſſe *, ſatageret [ab eo, cui dicit propheta : Cùm ceciderit juſtus, non collidetur ; quia Dominus ſubponet manum ſuam] *f*.

* *ibid.* affines ſuos

D

* *ibid.* ſublevare

f

Mortua uxore, adit S. Amandum,

6 Eodem quoque tempore conjux ejus obiit, filia videlicet Adilionis comitis, de qua genuerat Aggletrudem, ut prælatum * eſt. Quæ poſtquam migravit de hac luce *g*, aliam noluit ducere uxorem ; ſed inſpirante Domini miſericordia, ad viam converſionis Amandum, ſanctiſſimum pontificem, expetivit, cum lachrimis veniam poſtulans, pedibus quoque ejus * provolvitur, cum compunctione ſua confeſſus facinora, & de contrariis ſibimet eum paſſionibus alloquitur, pro peccatis maximis & minimis pœnitentiam acturus. Deinde vir Domini Amandus animarum ſollicitudinem gerens, quas ad regna cæleſtia ſecum ducere feſtinabat, verba Scripturarum ei protulit, quibus lucraretur Domino, ita dicens : Vitia prudenter ſunt tollenda, ſubtiliter occulta ſcrutanda, & apertè cognita leniter aliquando arguenda, & aliquando vehementer increpanda.

* *Mabil.* addit

g

* *Mab.* beati pontificis

à quo inſtruitur ;

7 Nota facio tibi verba Domini, quibus vitam comprehendas æternam. Dominus dixit : "Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cælis. [Item : Omnia, quæ petieritis credentes, accipietis. „ Et illud : "Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo & tunc veniens, offeres munus tuum. „ Item : "Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. „ Item dicit : "Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia, quæ ventura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.] Et omnis, qui reliquerit domos aut agros, aut patrem aut matrem, fratres aut ſorores, filios aut filias propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. „ [Item dicit ; Non egent, qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent. "Et : Non veni vocare juſtos ſed peccatores in pœnitentiam. „ Item : "Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus ; & veni, ſequere me. „

E

F

facultates in pia opera diſtribuit ;

8 Auditis ergo his * divinis Adlowinus vir Dei, quæ ſanctus Amandus ei ſecundùm euangelicam nuntiaverat diſciplinam, inſpirante Deo, ſeculi hujus divitias reputans velut umbram prætereuntem aut fœnum areſcens, facultates prædiorum ſuorum ad loca Sanctorum legaliter diſtribuit & pauperibus erogavit, atque ad memoratum pontificem, qui morabatur in caſtro, cujus vocabulum eſt Gandavum *h*, repedavit : [quod videlicet caſtrum juxta Scaldim, ubi idem amnis Scaldis Legiam flumen recipit, ſitum eſt.] In eo etiam caſtro indiderat olim antiquitas ſimulachra nefanda & idola, quæ pro deo illic à populo colebantur. Ibidem verò conſiſtens præfatus Dei pontifex, pro nomine Chriſti omnia fana deſtruxit, idola contrivit, & ad ſanctam Chriſtianitatem omnes revocavit.

* *Mab.* addit verbis

h

Gandavi ſeculo renuntiat ;

9 Baſilicam autem ibi in honore beati Petri apoſtoli fecit conſtrui, quam, reliquiis inſertis, altiſſimo Domino conſecravit cum magno honore ; in qua virtutes multas poſtea Dominus noſter Jheſus Chriſtus fecit, cæcis viſum, claudis greſſum, paralyticis ſoliditatem, infirmantibus ſani-

A ſanitatem indulgens. Deo etiam annuente, clericorum cœnobium in ipſo caſtro honorificè eſt conſtructum *i*, ubi die noctuque laus à fidelibus Deo decantatur. His expletis, in eodem monaſterio beatus confeſſor Bavo pleniſſima devotione ante oraculum templi Domini ſe proſternens, comam capitis ſui abſcidere * deprecatus eſt; & adeptus venerandi pontificis Amandi manibus clericatûs *k* honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum. Dimiſit comam capitis, & invenit coronam gloriæ; reliquit veſtimenta ſæcularia & ſuſcepit ſtolam candidam; reliquit pompam hujus mundi & indutus eſt loricam fidei. Quapropter & dignus factus eſt conſortio angelorum.

i

* *ibid.* abſcidi

k

S. Amando fidem prædicanti

10 Deinde vir Domini Amandus, [commendato ac relicto caſtro] perrexit gentibus prædicare verbum Dei, quem beatus Bavo proſecutus eſt, ut prædicatione ejus paſceretur. Ardebat autem nimiùm animo, ut potaret & hauriret juſtitiam: tantam enim menti ejus Deus inſpiraverat ubertatem, ut ſemetipſum magna laceratione corporis cum alacritate caſtigaret mentis. Nimirum ſibi impoſuit vulnera, medens morbos animæ, ut bene agens, ſecurus poſſet eſſe in die judicii. * Circumſpexit infirmitatem ſuam quotidie, ne de acceptis virtutibus ſuperbiret. Quia plerúmque cor rectorum, quamvis magna ex parte proficiat mens *, tamen interdum actibus laborat carnalibus. Ideoque neceſſe eſt, ut recurrant ſæpiſſimè ad fluenta ſacræ Scripturæ. Quia ſicut eſcis caro, ita & divinis eloquiis homo interior nutritur.

B

* *al.* Domini

* *Mabil.* animus

comes & auditor aſſiſtit;

11 Propterea & hæc, quæ ſubſequuntur, fidei documenta beatus Amandus prædicare non ceſſabat, audientibus turbis & ſancto Bavone, ita diſputans: Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter oret. Nam * quid eſt vita præſens, niſi vapor ad modicum parens? Apprehendite vitam æternam, ad quam vocati eſtis, & gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Apprehendite arma militiæ *, loricam fidei & reſiſtite laqueis diaboli per potentiam Dei. Nihil fortius eo, qui vicit * diabolum, & nihil infirmius eo, qui carne ſuperatur. Vita hominis tentatio eſt; unde diaboli ſagittæ ſunt reſtringendæ vigiliarum, jejuniorum, hoſpitalitatis & eleëmoſynarum officio. Virtus igitur præcipua eſt, natum in carne non carnaliter vivere: & unde caro atteritur, inde incrementum virtutum ſpiritualium ſurgit. *

* *ibid.* et illud

* *ibid.* juſtitiæ

* *ibid.* vincit

C

12 Igitur vir Dei Bavo ſuperſcriptum * pontificem ſibi licentiam dare petiit, monaſteria circumire Chriſti athletarum, ut * vitam monachorum & converſationem cœnobitarum poſſet agnoſcere; tantumque ardorem & cordis conpunctionem Dominus ei largiri dignatus eſt *, ut vitâ bonorum cœnobitarum non eſſet contentus; ſed magis ac magis ſemetipſum erigeret in Dei famulatu & gemitu & lachrimis in afflictione & vigiliis, in jejuniis & orationibus frequenter poſitus, vitam Sanctorum exerceret, nec ullo modo daret ſuo corpori requiem, inediis, nuditate, frigore, ſiti & multis tribulationibus ſeipſum macerans. Vitam nimirum cupiebat finiri ſuam, ubi comam capitis abſcidit, & arma militiæ & pompam ſæculi dimiſit. *l*

* *ibid.* ſurgere *monaſteria perluſtrat.*

* *ibid.* ſuprſcriptum

* *ibid.* quatinus

* *ibid.* largitus eſt

l

ANNOTATA.

a *Totum illud præludium*, quòd nihil hiſtoricæ veritatis contineat, *ſuppreſſit Mabillonius.*

b *De his omnibus actum eſt in Commentario prævio: de nobili genere & parentibus ac cognatis num.* 20 *& ſeqq.; de loco & tempore nativitatis num.* 30 *& ſeqq.; de nominibus Sancto inditis num.* 38 *& ſequentibus.* A. ANONYMO.

c *De comite iſto ejuſve filia*, S. Bavonis *conjuge, nihil ulteriùs comperimus.*

d *Alii* Agletrudem, Adeltrudem & Aldetrudem *ſcribunt. De hac quoque pluribus actum eſt in Commentario prævio à num.* 42 *uſque ad* 52.

e *Hæc à recentioribus plùs æquo exaggerata eſſe, oſtendimus in dicto Commentario num.* 53 *& duobus ſequentibus.*

f *Unci tam hîc quàm alibi infrà poſiti denotant, verba, quæ illis includuntur, deeſſe in editione Mabilloniana.*

g *Sanctus, filiæ Agletrudis verbis & exemplis ad frugem deductus, ut diximus in Comment. num.* 51 *&* 56, *mortua uxore, perfectam anteactæ vitæ pœnitentiam acturus, ſeque totum Deo conſecraturus, ad S. Amandum Gandavum profectus eſt circa annum* 650 *aut* 651, *ut diſcuſſis prævie & refutatis aliorum opinionibus, ſtatuimus ibid. num.* 89 *& ſeqq.; unde conjicere licet, non diu ante ſignatos annos obiiſſe conjugem.* E

h *De caſtri Gandavenſis ſitu, ac civitatis amplitudine quædam prænotavimus in Commentario num.* 105 *& ſeqq.*

i *S. Amandus duo monaſteria cum ſuis eccleſiis excitavit, alterum in ipſo caſtro Gandenſi, alterum in monte Blandinio: utrumque S. Petro apoſtolo ſacrum. Primum, quod deinde* S. Bavonis *nomen induerat, non exſtat ampliùs; ſecundum, quod S. Petri nomen retinuit, hodieque ampliſſimum ac nobiliſſimum cernitur, civitatis muris incluſum. Mabillonius Annalium lib.* 12 *ad annum* 631 *exiſtimat, hîc à biographo noſtro non obſcurè laudari ambo iſta monaſteria: Blandinienſe initio numeri per hæc verba:* Baſilicam autem ibi in honore beati Petri apoſtoli fecit conſtrui: *Bavonianum per ea, quibus hanc annotationem ſubjicimus. Verùm dum attentiùs conſidero contextum, id mihi non tam clarum videtur. Etenim ſub finem numeri præcedentis dicit biographus, quòd* in eo etiam caſtro *idola colerentur, quòd* ibidem *conſiſtens S. Amandus fana deſtruxerit, idola contriverit, ac pergens ait:* Baſilicam autem IBI . . . conſtrui fecit: *demum addit, Deo* etiam *annuente, conſtructum eſſe clericorum cœnobium* in ipſo caſtro: *quæ mihi ſic connexa videntur, ut de uno potiùs quàm de duplici loco dicta ſint, id eſt, de baſilica & monaſterio ſolius caſtri Gandenſis potiùs, quàm de baſilica monaſterii in Blandinio monte poſiti & de cœnobio tantùm Gandenſis caſtri. Idem Mabillonius ibidem contendit, vocabulo* clericorum *deſignari monachos, negant alii, qua ſuper quæſtione mentem noſtram aperuimus in Comment. num.* 136 *& ſeqq.* F

k *De ſignificatione vocis hujus fusè diſputatum eſt in Comment. à num.* 129 *uſque ad* 138.

l *Nulla eſt partium ſectio in Mss. & editione Mabillonii; nos faciendam judicavimus, ut locus eſſet Annotatis.*

A. ANONYMO.

PARS II.

Sanctus cellæ ſe includit, mortuum ad vitam revocat, mira edit pœnitentiæ ultrò ſuſceptæ exempla.

Gaudavum reverſus, locum poſtulat in monaſterio; *a*

ERgo Adloinus vir Dei reverſus ad ſupraſcriptum caſtrum Gandavum ad venerabilem virum Florbertum abbatem, quem almus pontifex Amandus ibidem conſtituit ſuper gregem clericorum rectorem *a*, petiit eum ſibimet humiliter cellulam, in qua familiariter Domini miſericordiam pro facinoribus ſuis deprecaretur, largiri. Ut verò pius pater monaſterii audivit ejus petitionem, cum gaudio eam ſuſcepit: & juxta præceptum pii patris Benedicti ejuſdem fratribus monaſterii ipſius patefecit preces: convocataque omni congregatione, ut ſi forſitan juniori revelatum fuiſſet, quod placitum eſſet Omnipotenti, cum omni aviditate cordis ſuſciperet, & compleret id, quod ſcriptum eſt: Omnia fac cum conſilio & poſt factum non pœnitebis. *b*

B

cellâ includitur; *c*

14 Igitur petitione Adloïni audita, fratres, narrante monaſterii abbate, animo gratanti ſuſceperunt eam; ſicque quam petiit ab eis cellulam, largiente Deo, impetravit: in qua retruſus *c*, Deum piis & indefeſſis precibus invocabat, ſecundùm id, quod ſcriptum eſt *: "Quæ-
„rite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.
„[Omnis enim, qui petit, accipit, &, qui
„quærit, invenit, & pulſanti aperietur.„] Iſte Vir Dei non aurum vel argentum ſeu gemmas precioſas, ſive ornamenta hujus ſæculi quæſivit, quas poſt converſionem pro nihilo reputavit; ſed Dei cæli ardor eum erexit in vigiliis, in jejuniis, gemitu, inediis & pauperum eleëmoſynis ſuprà quàm ſcribi poſſit. In afflictione igitur corporis poſitus tot cæleſtia inſtrumenta animo exercebat, quot miſericordia Altiſſimi ejus cordi ingerebat.

b *ibid.* quia ſcriptum eſt

C

hominem, qui ipſi maledixerat, *d*

15 Die verò quadam hujus temporis fratres ipſius monaſterii ad obedientiam ſunt directi *, ut cellam viri Dei Bavonis conſtruerent *d*. Laborare igitur cœperunt manibus & ædificium fabricare. Prædicti verò abbatis Florberti homines * cùm vehiculis cœmentum miniſtrarent, ex ipſis quidam nomine Adinus * ſuper plauſtrum unum ſedit, quem egreſſi de vico canes circumdederunt, ac cœperunt ei inſiſtere fortiter. Hic autem captus laqueis diaboli, repletuſque invidiâ, virum Dei Bavonem non erubuit blaſphemare: ſed omni beſtia cruentior diabolus, in omnibus confuſus nihil quidem ei nociturus *, ſi Virum Dei non blaſphemaret, tantò eum impugnare ſtuduit ſubjectum ſibi, quantò ipſum perſpexit ad famulatum priſtinum redìſſe. Videns enim cruentus, idola ſua in templum Dei mutari, frendens rugienſque, quæſivit, quem devoraret.

ibid. egreſſi

d *i.e.* ſubditi *vel* clientes

* *al.* Attinus *&* Adhinus

* *Mabil.* nociturus

& ſubita morte punitus fuerat;

16 Animalia itaque cum vehiculo ſuper hominem prædictum projecit: qui oppreſſus hoc pondere, exhalavit ſpiritum vitæ. Videns eum turba jam mortuum, cum fletu corpus ejus in navi deduxerunt ad memoratum caſtrum Gandavum, ut tumularetur illic, ſicut mos eſt mortuos ſepelire. Videns verò vir Domini Bavo eum jam mortuum, ingemuit *e* dolore nimio cum lachrimis, ſibi pectus tundens, ac reputans ſibi culpam, eò quòd accepiſſet mortem in labore ſuo, ad cellulam ſuam ipſius defuncti corpuſculum deferri juſſit; protinuſque Vir Domini orationi incubuit, cum fletu magno his verbis Domini miſericordiam exorans: Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jheſu Chriſti, qui non ſolùm peccata dimittis, ſed etiam juſtificas peccatores, & reis non tantùm pœnam relaxas, ſed donas & præmia; fragilitati meæ hæc adjumenta concede, & effectum cæleſte * benignus inſpira miſerationum tuarum, ut inveniar auxilio tuo ſancto adjutus.

D

e

* cæleſtem

precibus ſuis ad vitam revocat.

17 Qui Lazarum quatriduanum fœtidum de monumento ſuſcitâſti, proſit nobis indignis miſericordia tua, ut hi, qui in tua pietate confidunt, citiùs exaudiantur; largitate donorum tuorum renova ſpirtum gratiæ tuæ ſalutarem ſuper iſtud corpus defuncti famuli tui, reddens ei ſpiraculum vitæ, Sanctificator & Conditor generis humani, qui cum Filio tuo æterna charitate regnas: ut tuæ myſterio curationis efficiaris honorandus ab omnibus ſervis tuis, pandaſque præſentiam tuam, ut in tua miſericordia exultemus, & in tua gloria lætemur, præſta: qui vivis & regnas Deus cum Filio & Spiritu ſancto per cuncta ſecula ſeculorum, Amen. Oratione igitur completa, quaſi poſt horarum ſpatium trium mortuus ille, jubente Deo, animam recepit, quam exhalaverat, & ſanus effectus ſtetit ſuper pedes ſuos, ac pòſt per multa curricula annorum vixit incolumis.

E

Sancti virtutes

* *Mab.* illum ſequi

18 Hæc itaque tanta miracula in Dei Milite admirando, chariſſimi, ſatagamus in hoc agone præſentis vitæ illius exempla ſequi *, ut etiam cum eo mereamur à Deo cum electis illius æterna gaudia percipere in cælis. Nihil in hac vita præſenti conſolationis ſeculi honoriſque quærere debemus, ſed gaudere abjectione paupertatis; non ſolùm abjicere facultates hujus mundi, ſed etiam de cordibus voluptates eradicare. Ad memoriam etiam redeat, quòd vir Domini Bavo pro nomine Chriſti multas facultates dimiſit; quatenus in cæleſti regno centuplum recipere, inſuper & vitam æternam: cujus precibus mortuum Dominus ſuſcitavit. Quanti ad eum venerunt, tantis ſua munera commendavit. Pinguiſſimâ enim gratiâ humilitatis fervorem in omnibus inflammabat charitatis, ut oleum lumen abundare facit.

F

imitandæ proponuntur,

19 Omnes ergo ſuas pro Chriſto erogavit poſſeſſiones, non damni gratiâ, ſed etiam lucri adinventione: quia ille nunquam deficit, qui bono exemplo proficit, & cujus humilitas multorum ſuperbiam confundit. Vir autem Domini Adloinus cæleſti deſiderio afflatus, magis ac magis cotidie in Dei famulatu creſcebat, &, ut ita dicam, non panis inediâ videbatur ei ſatis affligi; ſed quantò magis proficiebat in bonitate, tantò etiam ampliùs ſe ſimul lamentis, jejuniis, vigiliis & orationibus affligebat: jugi quoque lachrimarum inundatione faciem rigabat, ut verbum Veritatis conſummaret dicentis: Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.

& mira pœnitentiæ

20 Quadam denique die proſpexit quendam virum ad ſe venientem, regreſſum de exilio, quem olim ſub ſeculi habitu degens, venundaverat: quo viſo, innumeris ſe lamentis tradidit, eò

A eò quòd in eo tantum ſcelus perpetraverit. Tunc demum ad eum converſus, ejuſque genibus provolutus, inquit: Ego enim te vinctum loris venundavi *f*; quæſo, ne memineris injuriæ, quam tibi irrogavi, atque precem, quam poſtulo, ne digneris abnuere. Rogo, ut propter ſcelus in te commiſſum corpus meum flagellis cedas, caputque meum more latronum decalves, & me vinctum pedibus ac manibus, ut dignus ſum, in cuſtodiam trudas. Forſitan enim divina pietas, ſi hæc feceris, veniam mihi præſtabit. Tunc memoratus vir pedibus ſancti Bavonis provolutus, dicit ſe hoc nullo modo audere facere in Dominum ſuum.

f

21 Sed Vir Domini, ut erat eloquentiſſimus, quandoque illi perſuaſit facere, quæ popoſcerat. Diu ergo tandem ejus precibus devictus, coactus & renitens, quod ſibi juſſerat, implevit *g*: vinxit ſcilicet manus Viri Dei & caput totondit, lignoque pedes * ſtrinxit, ac cuſtodiæ illum publicæ mancipavit *h*: ubi uſque in proximum exitûs diem Vir Domini retruſus, vinctis pedibus perſtitit, diebus ac noctibus flere non deſinens actus ſæculi, quos quaſi molem ſarcinæ ante oculos mentis ponere conſueverat. Qui Domini Famulus, tot virtutibus plenus, non ſemetipſum exaltabat intumeſcens, ſed magis ac magis humiliabatur. Hordeaceo pane tantùm, cinere mixto, contentus, atque potu aquæ, quam ad menſuram bibebat. Ita verò quatuor ferè menſibus *i* in hac auſteritate Deo militans, ſiceram & vinum nullo modo guſtavit. Ibidem cilicio tectus & cinere, juxta morem Prophetæ, in nervo pedem ſuum poſuerat. Stratum quoque ejus erat nuda humus, in qua parumper per diem quieſcere ſolebat. Viliſſimum autem cilicium ſuper ſtratum ejus expanſum erat, cinis deſuper * & capiti illius lapis ſubpoſitus, cùm dormiret. Sic ergo ſua membra damnaverat, quæ olim ſeculi delectatio inquinavit. Magis autem odoramenta virtutum Deo laudabiliter offerre ſtuduit poſt converſionem, quàm in ſuis tabeſcere iniquitatibus, memorans præceptum Apoſtoli, qui dixit: "Ubi abundavit delictum, ſuperabundet * „& gratia.„ Et iterum: "Fuiſtis aliquando to„nebræ, nunc autem lux in Domino.„

ultrò ſuſceptæ

g

* *Mab. addit.* ejus

h

B

i

* *Mab. addit.* adſperſus

* *ibid.* ſuperabundavit

22 Vir itaque ſanctiſſimus Domini Adloinus in hac retruſione poſitus, auſteritatem atque inediam libenter ſuſtinuit. Nam in hac retruſione obedientiæ normam non reliquit *k*, ſed abbatem ſibi prælatum magnopere popoſcit, ut ita eum retruderet ſuper pavimentum, ut, ſi quando ad omnipotentis Dei laudes dicendas aſſiſteret, dextrâ levâque pavimenti ita circumſeptus foret, ne * declinandi facultatem in nullam * partem haberet; ſed diebus ac noctibus, quaſi in agone ſuſpenſus, ad * Deum adoraret, ad æthera tendens, & alta ſuſpiria trahens: quod & factum eſt. Tunc Vir Domini magis ac magis ingemiſcens, jamque * cæleſtem patriam anhelans, miniſtro ſibi parenti præcepit, ut lapidem ſibi adferret. At ille juſſionem implens, detulit laterem grandem. Cui Vir Dei ait: Adhuc majorem perquire. Tandemque lapidem inventum, qui vix duorum manibus vehi poterat *l*, detulit Viro Dei. Quem Vir Dei gaudio magno repletus, ſuſcepit, & dum ad laudes Dei dicendas aſſiſteret, ipſum humeris portabat.

exempla declarantur.

k

* *ibid.* ut nec
* *al.* ullam
* *Mab. deeſt* ad

* *ibid. addit.* ad

l

ANNOTATA.

A. ANONYMO.

a *Adi Commentarium prævium num.* 135 *& ſeqq.*

b *Redi ad eumdem Comment. num.* 133.

c *Ad hanc vocem, quam veriſimiliter Mabillonius de recluſione ſtrictè dicta perperam interpretatus eſt, nonnulla obſervavimus num.* 125 *& ſeq. Commentarii.*

d *Mabillonius in Præfatione ad Sæculum* 2 *Benedictinum num.* 28 *hanc periodum adducit, ut probet, cœnobium id temporis à monachis inhabitatum fuiſſe. Alia idem confirmantia argumenta habes in Commentario noſtro num.* 133 *&* 135.

e *Mabillonius legit:* Quem denique ut vir Domini Bavo agnovit exſtinctum, ingemuit.

f *Idem Mabillonius, qui paulò ſuperiùs ſcripſerat etiam* venundaverat, *hîc habet* venumdedi.

g *Idem Vitæ editor habet:* diu ergo coactus & renitens, tandem ejus precibus devictus, quod ſibi juſſerat, implevit. *Plures lectiones variantes, quæ præſertim conſiſtunt in vocum tranſpoſitione, apud eumdem occurrunt, ſed quia paſſim ſenſum non mutant, inobſervatas prætereo.*

h *Quid nomine* publicæ cuſtodiæ *hîc intelligendum credamus, indicavimus in Comment. num.* 121 *&* 122: *ac difficultatem, ex ſtricta vocum interpretatione motam à Mabillonio, ſolvimus num.* 123.

i *Verba iſta, ut veriſimilior fiat ſequentium geſtorum diſtributio, accommodo ſenſu accipienda eſſe, monuimus in Commentario prævio, quem conſule à num.* 116 *uſque ad* 121.

k *Mabillonius:* Nec in hac afflictione obedientiæ normam reliquit.

l Hic lapis, *ut notatur in Collectaneis noſtris,* adhuc religiosè ſervatur & viſitur in parochia de Mendonck; *cujus loci, poſtea ſemel ac iterum memorandi, eccleſia* S. Bavoni *ſacra eſt, teſte Sandero.*

PARS III.

Sancti in dæmonem fortitudo, viſiones cæleſtes, felix obitus, apparitio, miracula, ſepultura.

F

Dæmonum terriculamenta ſpernit;

SEd antiquus hoſtis, humani generis inimicus, qui humanum genus temptare non deſinit, maximèque contra electos vim ſuæ nequitiæ exercet, quia quantùm illos proficere cernit, tanto deteriùs invidiæ facibus accenditur, prædictum Virum Dei ex eadem cella moliebatur ejicere diverſis minis ac nefandis imaginibus * eamdem cellam replere ſimulabat. Beſtiarum enim, volucrum & ſerpentium diverſo genere geſtiebat ei formidinem ingerere, ut ſaltem ita egrederetur. Sed fortiſſimus Vir * Domini athleta, quantò ſibi antiquum hoſtem attentiùs vidit inſiſtere, tantò fortiùs contra eum agonem ſuſcipiens, quotidie certare non deſiit. At verò maligni ſpiritus nihil ſuam induſtriam profeciſſe cernen-

* *ibid. addit.* quibus

* *ibid. deeſt* Vir

A. ANONYMO

nentes, confusi recesserunt; nihilque Viro Dei amplius ingerere audentes, evanuerunt. Tunc præfatus Vir Domini magnas omnipotenti Deo gratias referens, non hoc suis viribus deputavit, sed misericordiæ Domini, qui ubique in se sperantibus dignatur adesse. Opus ergo cœptum indesinenter faciens, manum in aratrum * positam non retraxit, neque retrò respexit; quia recoluit, à beatissimo Amando hunc eùangelicum sermonem sibi prædicatum esse *: "Qui autem per„ severaverit usque in finem, hic salvus erit.„

* *ibid.* in aratro

* *ibid.* nuntiatum fuisse

24 Appropinquante verò remunerationis ejus die, indesinenter vir Domini Adloinus in confessione Dei perduravit. Cùm verò se paululùm sopori dedisset, angelum Domini in specie columbæ super se venientem conspexit; quem hoc visu perterritum statim divinæ consolationis gratia refovet, atque totam cellulam, in qua ibidem * Vir Dei erat, inæstimabilis suavitatis fragrantia replet; ut palàm daretur intelligi, angelum lucis ac suavitatis illuc adveniisse. Nec immeritò ei angelus lucis * in specie columbæ ostenditur, quia simplicitatem columbæ gerebat in corde, licèt astutiam serpentis non desereret in tentationibus. Liquet enim, quia super Redemptorem humani generis ad fluenta Jordanis Spiritus sanctus in specie columbæ demonstratus est, ubi Paterna vox auditur super Filium suum dilectum, in quo ei bene complacuit. Ubi & Pater in voce, Filius in homine, Spiritus sanctus in columba, totaque Trinitas simul manifestè declarata est. Sine dubio etiam beato viro Bavoni ipsa Trinitas angelum in specie columbæ ostendit; quia ipse eandem Trinitatem intrinsecus fixam in corde gerebat, certus sine dubio, quia neque mors, neque vita, neque ulla creatura posset eum separare à dilectione, quam habebat in Christo.

cælestibus visionibus

* *ibid.* idem

* *ibid.* pacis

B

25 Sed ut tanti Viri præcedentium meritorum opinio longè latéque crebresceret, qui * sicut civitas in monte posita latere non potuit, quadam die super se vexillum sanctæ Crucis de cælo descendisse vidit, ut tantò ei fides de remuneratione augeretur, quantò magis ac magis cælestibus obtutibus dignus foret, & tantò securior aperiret pulsanti Domino * ostium, quantò cognovisset, indicia sibi certa fuisse * ostensa. Sed Vir Domini nihil dubitans, nihil hæsitans, cum ineffabili gaudio dissolvi concupivit & ad Christum pergere. Illud tamen indesinenter aiebat: Domine, non mea voluntas, sed tua fiat.

fruitur; * *ibid.* quia

* *ibid.* Dominus

* *ibid. addit.* à Domino

26 Audenter inquio, licèt ei ratio temporis non præstiterit martyrium, gloriâ tamen martyris non carebit; quia voto atque virtute potuit esse martyr & voluit. In semetipso verò sponte susceptit omnes pœnas atque supplicia, quibus plerúmque humana cedit infirmitas, & à confessione Domini non recessit, immobilis perseverans in opere mandatorum Domini, ita ut ulceribus congaudens & cruciatibus, quælibet inter tormenta rideret. Sed quanquam gladio persecutoris minimè truncaretur, implevit tamen sine cruore martyrium. Quas ille pro spe æternitatis humanorum dolorum non pertulit passiones, [fame, vigiliis, nuditate, jejuniis, obprobriis invidorum, infectationibus improborum, curâ infirmantium, sollicitudine periclitantium?] Quo enim ille dolente non doluit? Quo scandalizante, non ustus est? Quo pereunte non gemuit? Præter quotidiana illius adversùm humanæ spiritalisque nequitiæ diversa certamina, dum in eo variis tentationibus appetito exuperat * fortitudo vincendi, patientia expectandi, & æquanimitas sustinendi, veluti Domino sibi semper ingeminante: Gaude & exulta, quoniam merces tua copiosa est in cælis.

virtute & voto martyr dici potest;

* *ibid.* exuberat

D

27 Operæ præcium est & illud inferere lectioni huic, qualiter beatus Adloinus, qui ex ortu nativitatis suæ ac dilectione vocatus est Bavo *a*, de hac luce migraverit. Igitur sanctissimus atque religiosissimus vir Domini Bavo post confessionem pœnitentiæ, quam à beato Amando pontifice perceperat, annis tribus præter quadraginta dierum abstinentiam *b*, quam explevit, Domino annuente, sagaci studio mirificoque affectu in hoc seculo propter regnum Dei * militavit. Plenus namque virtutibus & sanctitate intellexit Vir Deo plenus, ultimum sibi appropinquare diem. Qua de re nuntiavit abbati & fratribus sui monasterii, dissolutionem sui corporis imminere, ac quendam presbyterum fidelem, longè à se positum, nomine Domlinum *, evocari voluit Turholtensis monasterii *c*; quia cupiebat ejus perfruí colloquiis. Multum namque itineris spatium erat atque vastæ solitudinis densorum lignorum saltus occupaverat iter, quod erat inter cellam beati Viri & monasterium Turholtense, in quo presbyter præfatus morabatur.

mortem præmuntiat, ad eamque se

a

b

* *al.* cælorum

* *al.* Deolinum

c

E

28 Tandemque accersito ministro ad memoratum presbyterum ire præcepit. At ille obedientiam non renuens, & viam, quâ pergeret, minimè sciens, cœpit iter agere nescius sibi injunctum *d*. Sed, angelo Domini comitante, ad eundem presbyterum sub omni celeritate pervenit, & per vastam solitudinem tramite rectissimo utrique ad Virum Dei incredibili festinatione pervenerunt. Quo viso, Vir beatissimus magno repletus est gaudio, eique præcepit, ut curam gereret funeris sui. Cúmque cælesti patriæ indesinenter anhelaret, & à colloquiis divinis non cessaret, oculisque ac manibus in cælum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxaret, Corpore & Sanguine Redemptoris nostri se muniens *e*, sanctam animam carne solutam die primo mensis Octobris *f* reddidit omnipotenti Domino, poli * aulâ cum ineffabili triumpho exceptus: statimque virgini beatissimæ Gerthrudi *g* cum aliis virginibus secum commorantibus, longiùs à se positis, spiritus ipsius apparens jubet sibi vestimenta mitti ad sepeliendum corpus suum; quod & factum est.

parat; obit; apparet S. Gertrudi;

d

e

f

* *Mab.* in poli

g

F

29 Cúmque funeris illius officium expleretur, mulier quædam, quæ multo jam tempore à dæmonio vexabatur, glebam * sancti Viri tetigit, & statim sana facta est. Alius namque * freneticus malè à dæmonio vexabatur, qui ut pervenit ad Viri Dei sepulchrum, Domino annuente, pristinam recepit sanitatem, acsi nullam antiqui hostis pertulisset læsionem. Multa quidem & alia sunt, quæ per eum Dominus operari dignatus est, quæ nobis incognita sunt & Deo nota. Quòd si omnia, quæ de ejus virtutibus * comperimus, vellemus prosequi, dies, ut opinor, antequam sermo cessaret *h* [finiretur.] Pauca de pluribus dixisse sufficiat, ne studiosis lectoribus, & ad alia properantibus fastidium ingerere videamur. Sepultus namque est Vir Dei cum magnifico honore in loco, qui dicitur Gandavum castrum, cujus nunc cœnobium apertè vocatur Ganda: ubi multa fidelibus præstantur orationum ejus beneficia & laudatur ab omnibus nomen Domini Jhesu Christi, cui est cum æterno * Patre & Spiritu sancto virtus, honor, gloria, & im-

claret miraculis; sepelitur.

* *i. e.* corpus

* *ibid.* quoque

* *al.* gestis

h

* *ibid.* coæterno

po-

perĭum, laus & poteſtas per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Mabillonii horum verborum lectionem dedi & improbavi in Commentario prævio num.* 40 *&* 41.

b *Hæc operosè diſcuſſa ſunt & elucidata in Commentario.*

c Turholtum, *aliàs* Thoraltum, Thorolrum, *vulgò* Thorout, *antiquum Flandriæ oppidum eſt, pagi ſeu comitatûs cognominis caput, diſtanſque Brugis tertio circitèr milliario, quarto Oſtendâ, quinto Ipris & Cortraco, Gandâ denique quarto. De monaſterio Thoroltenſi, jam dudum exſtincto, egit Henſchenius tom.* 1 *Februarii* § v *Commentarii prævii ad Acta S. Anſcharii Hamburgenſis, illiuſque initia haud improbabiliter S. Amando adſcribi poſſe cenſuit. Id ipſum repetiit ibidem in Commentario prævio ad Acta S. Amandi* § IV, *addiditque de Domlino, hîc memorato presbytero, pluribus agendum hoc die, quo Sanderus ipſum conjungit* S. Bavoni. *Domlinum revera inſeruit Sanderus Hagiologio ſuo & libro ſecundo de Sanctis Flandriæ, ſed à titulo* Beati *ac* Sancti *abſtinuit, nec ullum præbuit cultus publici indicium. Elogium autem qualecumque texuit partim ex Vita per Theodoricum concinnata, partim ex veteris Officii Gandenſis lectione quarta pro ſecunda die infra Octavam* S. Bavonis, *unde mox aliqua recitabimus.*

d *Plenior eſt ſenſus apud Mabillonium :* Cœpit iter agere neſcius, perficere volens officium ſibi injunctum.

e *Theodoricus id miniſterio Domlini presbyteri factum ſignificat, dicens :* Hunc *(Domlinum)* Vir Domini inter loquendum ſecretum habuit, curam funeris ſui ut haberet, injunxit, ejus poſtremùm officio communicavit. *Auctor Officii Gandenſis ad lit.* c *citati, hac potiſſimùm de cauſa Domlinum arceſſitum ſignificat :* Cúmque etiam Domlini presbyteri Torallenſis *, viri religioſiſſimi & familiaris quondam ſui, præſentiam in extremis optaret, ut ab eo præſertim, ſicut antè conſueverat, ſacræ Euchariſtiæ viaticum acciperet, mox ille ad eum per vaſtas ſolitudines, angelo ducatum præſtante, advenit. *Non eſt incredibile, Viaticum ex Domlini manibus à Sancto fuiſſe ſuſceptum ; ſed cùm certè Gandavi non deeſſet hnic muneri adminiſtrando presbyterorum copia, neque illud aſſerat biographus vetuſtior, malim cauſam præcipuam deſumere ex verbis ejuſdem biographi ;* quia cupiebat ejus perfrui colloquiis : *quia ſcilicet Sanctus Domlinum, cujus erga ſe fidem & amorem jam dudum expertus fuerat, cujuſque virtutem ac pietatem vitæque ſanctimoniam perſpectam habebat, in ſupremo agone hortatorem, conſolatorem & adjutorem deſiderabat : atque hinc gaudium* Bavonis *ad conſpectum amiciſſimi presbyteri. At ubi & quando orta eſt coaluitque tanta Sanctum inter & Domlinum conjunctio animarum, unde tanta illius de hujus virtute ac fide experientia ? Erunt fortè, quibus id contigiſſe videbitur, quando Sanctus varia monaſteria perluſtrabat, priuſquam Gandavi cellam peteret. Neque hoc incredibile eſt. Attamen quia perluſtrandis monaſteriis tempus diuturnum non impendit Sanctus, uti diximus in Commentario prævio, non minùs veriſimile eſt, quòd Domlinum monachum & presbyterum habuerit familiarem & religioſæ vitæ quadamtenus moderatorem in ipſo Gandenſi cœnobio, unde ille fortè non diu ante ſupremum* S. Bavonis *morbum miſſus ſit rector Turholtenſis cœnobii. Imò, quandoquidem ad conjecturas redacti ſimus, quid ſi Domlinus Sancto in Hasbania adhuc degenti, ſed filiæ Agletrudis operâ ad frugem deducto, non tantùm amicitiâ conjunctus, verùm etiam, ut erat ille princeps potentiſſimus, domeſticus fuerit Sacrorum præfectus, ſive, ut aiunt, ſacellanus, qui Principem ſuum mundo valedicentem ſecutus ſit Gandavum & vel hîc, vel dum Sanctus monaſteria perluſtrabat, Turholti vitam monaſticam amplexus ſit ? Sanè huic conjecturæ aliquam ſaltem veriſimilitudinis ſpeciem ſubminiſtrat auctor, ubi Domlinum* presbyterum *Sancto* fidelem *ſignificat, cui idem Sanctus* præcepit, ut curam gereret funeris ſui.

* Toraltenſis

f *Anno circitèr* 654, *de quo fusè diſputatum eſt in Commentario.*

g *De ſancta hac Nivellenſis parthenonis abbatiſſa, BB. Pippini & Itæ filia, ac* S. Bavonis, *teſte Othelboldo, conſobrina, tam frequens & amplus ſermo factus eſt in Commentario, ut nihil elucidationis adjiciendum putem.*

h *Ex iſta periodo ætatem biographi conjectavit Mabillonius. Vide Comment. num.* 8 *& ſeq.*

A. ANONYMO.

VITA METRICA

Auctore anonymo.

Ex Ms. Vetuſtiſſimo S. Bavonis.

PROLOGUS.

Auctor gentilium poëtarum deliria arguens,

FErtur apud priſcos mos hic viguiſſe poëtas,
Quælibet ut nullo componere carmina pacto
Vellent, ora priùs nî fons tinxiſſet equinus *a*,
Numen Pieridum *b* ſperantes affore promptum ;
Jugiter & celſæ repetentes culmina Cirræ *c*,
Hanc propter cauſam biberant Eliconis *d* ad undam.
Error quos ideo pervertit pectore cæco,
Ingenii venam cæleſti munere miſſam
Auctori quoniam non aſcripſêre ſuperno ;
Sed non ſenſatis rebus ſua quæque ſacrantes,
Ex his auxilium credebant ſumere certum,
Quîs ratione patet, quòd nulla eſſentia conſtet,
Sola ſed illuſa ſint nomina mente reperta.

lumen à Deo petendum docet,

2 At nos egregii retinentes dogmata Pauli,
Talia qui ſancto profundit verba palato :
Omnia, quæ facitis, ſint conſignata Tonantis
Nomine, curemus toto conamine ſenſûs,
Quò non ingratos umquam Deus inveniat nos ;
Et cùm carminibus ſcribendis invigilamus,
Ejus ſuffragium * noſcamus crebrò * petendum ;
Ut dum noſtra manus primordia conſecrat ejus,
Captivi nullo teneamur fortè meandro,
Sed per directum gradientes ſedulò * callem,
Lato cunctorum potiamur fine laborum.

A. ANONYMO

Tractandas quoque res nunquam ſumamus inanes :
Jupiter ut fœdo corruperit omnia ſtupro,
Herculeo vel quot ſtrati ſint enſe gigantes;
Seu mundus quali quateretur turbine belli
* Grajugenæ raptum propter mulieris * ineptum.
3 Verùm quanta Deus decernit ſigna benignus
& memoratis veræ fidei initiis Per mandatorum memores monſtrare ſuorum,
Climata qui mundi perpendens inſcia veri
Cuncta profanarum cultu ſordeſcere verum,
Cenſuerat celſo ſeſe demittere cælo,
Dignatuſque ſacro naſci de ventre Mariæ,
Enituit ſimilis ſolo ſine crimine nobis.
Tunc per Judaicos ſpargens cæleſtia fines
Munera, biſſenos delegerat inde clientes,
Quos poſt egregium, devicta morte, triumphum
Miſerat, ut ſancti per dulcia pabula verbi
Cunctos inſtruerent & ab omni ſorde piarent:
Concedens, ſignis illos clareſcere miris,
B Inter virtutes, ut, quas fecêre frequentes,
Quiviſſent etiam defunctis reddere vitam.
4 Hi mox ut totos orbis petiêre receſſus,
ac progreſſibus, S. Bavonis, cujus Acta Innumeram vitæ plebem fecêre ſupernæ
Hæredem, tali plenam fervore fidei *
Et *, cùm tormentis ſcirent ſua corpora diris
Affligenda, mori cuperent pro nomine Chriſti.
* Ut Ille ſed Eccleſiam * tribuit cùm creſcere tantam,
* Hoſtes ut proprios concederet eſſe miniſtros,
Tunc confeſſorum ſplendebat vita piorum,
Quos licèt haud gladii feritas tetigiſſet iniqui,
Martyrii dignam non amisêre coronam,
Jugiter in ſemet qui carnem mortificabant,
Ejus quò libitus quirent compeſcere pravos:
* Inter quos meritis excellens oppidò * magnis
Fulget mellifluo vocitatus nomine Bavo;
Cujus ſcribendam nunc audeo ſumere Vitam
e Carmine verſifico, ſed ruſticitate repleto *e*.
Hinc & quò lætam poſſim contingere metam,
Ipſius meritis ſim jutus, poſtulo, ſanctis.
5 Bavo beate, Deo nimiùm dilecte ſupremo,
ſcripturus eſt, opem invocat. Poſtulo ſubmiſſis te per ſuſpiria votis,
Ut tua nutantem regat interceſſio greſſum:
Sum nîl quippe meis confidere viribus auſus,
C Sed quod tu meritis Dominum rogitabis opimis,
Annuit extemplò vultu præſtare ſuperno.
Scimus nempe, tibi quòd nîl modulatio noſtri
Conferat, æterno quia ſemper ſplendidus ævo
Vivis, & illius numquam conſiſtis egenus.
At ſi virtutum Dominus dat ſigna tuarum
Inclyta per noſtrum fieri manifeſta laborem,
Plurima turba tuæ ſanctæ fiat æmula vitæ
* *fortè fulferit* Olim judicii cùm fulget & * hora ſuperni
Obvia ſit Regi gaudens ſimul arjete tali.

ANNOTATA.

a *Aganippe deſignatur fons Bœotiæ, qui juxta poëtarum fabulas Pegaſi, equi alati, ungulâ formatus eſt, & potus facundiam præſtat.*

b *Id eſt, Muſarum, fabuloſorum numinum, quibus memoratus fons ſacer erat.*

c *Cirrha oppidum eſt in radicibus Parnaſſi montis.*

d *Helicon mons eſt prope Parnaſſum, juxta quem eſt fons Aganippe.*

e *Sincerè hæc dicta credimus; ſed veriſſimè etiam dicta eſſe, manifeſtat tam verſuum obſcurorum ac malè tornatorum frequentia, quàm crebra ſyllabarum productarum correptio, & productio correptarum. Specimina aliquot exhibui adjectis aſteriſcis; Sed deinceps hujuſcemodi vitia lectoribus obſervanda relinquam.* D

PARS I.

Sancti parentes, nuptiæ, converſio, acceſſus ad S. Amandum, miraculum ſuſcitati mortui, vita duriſſima.

S. Bavonis parentes, & SS. Amandi B Ina magnorum de nobilitate parentum,
Conſtat progenitus Domini vir Bavo beatus,
Et quia divitiis pollebant undique magnis,
Sic etiam ſanctis micuerunt ſedulò factis *a*. *a*
Commemorare ſenes ſoliti ſunt denique plures,
Quòd præſul ſanctus Romam veniſſet Amandus *b*, *b*
Et quoniam gentes per Gallica rura manentes
Vidit adhuc multos ritus ſervare nefandos
Semen divini cupiens ibi ſpargere verbi,
Solamen grandi poſcebat adeſſe labori.
Tunc quidam juvenis, Landmoldus *c* nomine dictus, *c*
Degebat Romæ meritorum plenus honore,
Mox ſublimatus cum culmine pontificatûs,
Eſt cum doctiloquo procedere juſſus Amando, * *i. e.* cooperator *ac Landoaldi geſta aliquot.*
Ipſi quò dignus quiret conſtare ſynergus. *
7 Hunc aſt cernentes geminæ procul ire ſorores *d*, *d*
Non paſſæ talem quoquo modo linquere fratrem
Certant extremos illo cum viſere fines.
Ille quidem ſanctis exiſtens pervigil actis,
Uſque diem mortis non declinavit ab ipſis,
Munere divino miracula multa patrando: F
Cujus membra loco pauſant fæliciter illo,
Qui CURTIS HIEMIS priſco ſtat nomine dictus *e*. *e*
Bavonis fuit hîc quondam poſſeſſio ſancti:
Ejus at una ſoror caſtè vivendo per ævum
Æternis Chriſti meruit complexibus uti.
Aſt referunt, aliam præclaro poſtea nexam
Conjuge fælici Bavonem gignere fructu *f*. *f*
S. Bavonis nuptiæ; S. Agletrudis filia; 8 Hic à primævis creſcens feliciter annis,
Cùm jam dulciſonæ ſplenderet flore juventæ,
Cujuſdam comitis ſe junxerat Adilionis
Natæ, quæ tanti conjunx effecta Mariti,
Mox Aglethrudem concepit ventre puellam,
Quæ tantùm Domino placuit dilecta ſuperno,
Ut recubans annis inter cunabula primis,
Perſultare throno vocem perpenderet alto:
Crede mihi, celſa majorum ſtirpe creata,
Numquam carnalem debes tu gignere prolem;
Sed ſolo lætos verbo generabis alumnos.
Ordine qua tali nôrunt contingere cuncti:
Nam pòſt, terrenum dedignans ducere ſponſum,
Exiſtit Regis thalamo conjuncta perennis *g*. *g*
egregia virtus, 9 Bavo ſed egregius mundi velamine tectus,
Quam-

A Quamvis immenſæ rideret copia pompæ,
Non tamen actorum caruit probitate piorum,
Numquam judicium ſolitus contempnere legum;
Abſtinuitque mali genitrice cupidine cuncti,
Nec ſuetus cives ſecum nocuiſſe morantes:
Sumptibus immenſis ſemper ſubvenit egenis:
Semper amicitiæ repetens quoque fœdera ſanctæ,
Fortunæ varium voluit ſuperare colorem,
Solæ quæſitor verus virtutis & auctor,
Et numquam preſſis ſuccurrere deſtitit ullis:
Sic fidens Domini tutamina certa mereri,
Si miſeris gratum ſtuduiſſet ferre ſolamen:
De quo Davidicæ cecinerunt organa cordæ;
Cùm quivis juſtus ſperatur fortè caſurus,
Non conlidetur, pietas quia magna tuetur.
10 Et* quondam magnæ cùm cœperit indolis arbor
& in virtute conſtantia. Ex proprio tenuem producere germine ſtirpem,
**l.* Ut Molliter imprimis licèt inpellentibus auſtris,
Cedat & amici moveatur flamine venti,
B Se tamen admiſſo dureſcere ſubare cortex
Paulatim gaudet, ventiſque reſiſtere temptat:
Donec in ingentem ſe tollunt culmina molem.
Tunc hærens ſolidâ terræ radice refixa,
Undique pervalido ruat etſi grandine turbo,
Atque polo nubes cælum demiſerit omnes,
Perpetuò ſtabilem retinet ſecura quietem,
Sic Vir magnificus cæleſti fonte refectus,
Per mundi fluctus juvenili corpore degens,
Germen præfatis virtutum nutriit actis,
Donec creſcendo frueretur robore tanto,
Expers illarum quò poſſet ſiſtere rerum,
Quæ vel nolenti fore cauſa ſolent pereundi,
Virtutique locum præbent deſerta peramplum. *h*
11 Nam poſtquam primæ deflevit funera nuptæ,
Mortua uxore, S. Amandum Gandæ prædicantem Ulteriùs nullum penitus repetivit amorem,
Sed ſua celſithrono contradens omnia Chriſto,
Mox ad pontificem ſanctum properavit Amandum,
Quem tunc Gandavo conſtat conſidere caſtro,
i Zelo divini cupiens *i* perfringere verbi,
C Illic falſorum quæ ſtabant fana deorum:
Cælica gentili quoque tradere dogmata plebi:
Atque locans inibi celſi fundamina templi,
Nec non reliquiis Sanctorum ritè repoſtis,
Principis Eccleſiæ Petri ſacravit honore.
In quo viſa Dei ſunt plurima ſigna ſuperni.
Conſtat, nam cæcis ibi lumina reddita multis:
Claudi directum meruerunt ſumere greſſum;
Et quos multiplices lacerabant undique peſtes,
Optata ſeſe cernunt gaudere ſalute.
Cœnobiumque loco ſtruitur reverenter in ipſo,
Incipit & multus mox illùc creſcere clerus,
** fortè* perſolvat Qui Domino laudes perſultet * nocte dieque.
12 Illuc adveniens, ut dixi, Bavo beatus,
adit, & inſtructus bona Præſulis almifici pedibus proſtratus Amandi,
Deſtitit haud illi devota mente fateri,
Quæ fuerat fragilis paſſus temptamina carnis,
Declaratque pium, tenuit quod pectore, votum:
Scilicet ut mundi deſideret exonerari
Rebus, & æternæ nanciſci præmia palmæ.
Qui præſul gratam curans præbere medelam,
Ex Euangelicis deprompſit dogmata dictis,
Inſinuans, uti deberet tramite quali,
Ex toto quisquis mundana negotia linquens,
Inchoat anguſtum cæli procedere callem.
13 Ille ſed his monitis humili ſub pectore fixis,
diſtribuit, & comam deponens, Virtutis tantæ ferveſcere cœpit amore,
Ut quicquid rerum poſſedit jure parentum,
Omne monaſteriis mox conferret fabricandis.
Multiplicem luxum ſpernens quoque divitiarum,
Tamquam decidui florentia germina fœni,
Ex hoc innumeros ditari fecit egenos.
Tunc veniens omni reſolutus compede ſæcli,
Præcidiſſe comam ſanctum ſibi poſcit Amandum,
In caſtro, de quo ſuprà memoravimus, ipſo,
Sanctorum gradui dignus ſic aſſociari.
14 O venerande Pater, quali te laude decenter
Deo ſe conſecrat. Noſtrî permodicæ poterunt reboare camenæ;
Interiùs verbo quoniam dum tangeris almo,
Inſtar apoſtolicæ tendis contingere vitæ,
Illorum conſors ullo dubio ſine factus,
Uno qui Regi parent ſermone vocanti, E
Cunctis temporibus pro tali merce beandus:
Diſtrahis ereptam quia terræ pulvere gemmam,
Summis & æterni lætus diademata regni.
Necnon quantò magis cenſum ſparſiſſe videris,
Tantò plùs cernis tua fœnora multiplicari.
Ac citò labentes mundi dum tempnis honores,
Angelicos inter proceres ſociabere ſemper.
O quæ cæleſtes tenuit jubilatio cives,
Eſt dum viſa tuæ fœlix converſio vitæ!
Arriſit cunctus, quia gaudens, ordo novenus,
Cùm te Paſtoris humero conſidere mitis
Vidit & ad proprias gratanter pergere caulas.
Tu, cùm judicio nubes rutilare ſuperno
Cœperit & Chriſti majeſtas fulſerit orbi,
Unâ præcelsâ proprio cum Rege cathedrâ
Bis ſenis tribubus debes reſidere timendus.
15 Exin mox alias præſul properavit ad oras,
S. Amandum ſequitur, Cœpta miniſterii curans impleret ut almi:
Sed pede veloci conatur eum comitari
Bavo, cæleſtis captus dulcedine roris.
Nam magis ut veræ guſtabat pabula vitæ,
Tanto plùs ſiquidem delectabatur in iſdem.
Conſtitit & talis illi compunctio cordis,
Jugiter ut teneros lacerans affligeret artus;
Lætitiâ vultum fineret tamen eſſe decorum. F
Ac zabuli cautus ſemper præviderat actus,
Qui juſtis ſolitus laqueorum flectere nexus,
Cùm perpendit eos nimia virtute coruſcos,
Temptat eis aliquem mentis conferre tumorem,
Ut dum plus juſto ſe forſan cordis in imo
Extollunt, magnam cogantur habere ruinam.
16 Huic igitur fraudi Vir ſanctus reſtitit omni
avidus verbi Dei auditor: Tempore, dumque ſibi deſpectus paruit ipſi,
Prudens præroſum ſic declinaverat hamum:
Se ſolitus ſanctis Scripturæ paſcere rivis,
Hanc ſententiolam tenuit non immemor umquam;
Tædia namque cibi ſicut ſunt noxia carni,
Protinus immenſam mortis gignentia pœnam,
Sic animæ grandem gignit pro certo dolorem,
Si de divinis faſtidit veſcier eſcis;
Et quæ, dum faciat, carnis dulcedo tepeſcit
In ſtomacho, magnum generans onerando laborem.
Aſt incorporeæ quæ proſunt mentibus eſcæ,

A. ANONYMO

A. ANONYMO.

Tanto magis dulcem noſcuntur habere ſaporem,
Affuerit quanto comedenti copia major.
17 Has necnon alias animæ tractando medelas
perluſtratis cœnobiis, Gandavum redit, Pontifici Bavo devotus ſupplicat almo,
Permiſiſſet eum quò denique cœnobiorum
Cellas exempli causâ quæsîſſe ſequendi.
Annuit his precibus Domini vir lætus Amandus.
Ille ſed almorum diſcurrens quæque locorum,
Rurſum Gandavum properabat viſere caſtrum,
Nomine Florbertus quidam quo forſitan abbas
Exſtitit à ſancto monachis prælatus Amando,
Quando præfatum decrevit linquere caſtrum.
18 Hunc adiens, aliquam petiit ſibi tradere cellam,
cellam in monaſterio petit Quâ Domino puras omni ſtrepituque remotas
Poſſet ferre preces. Verbis quibus ille receptis,
Fratribus & cunctis ſancto de more vocatis,
Ut præcepta pii patris oſtendunt Benedicti,
Indicat, inſignis Vir quod rogitaret ab ipſis.
B Aſt illi placido mox ſuggeſsêre reſponſo,
Gratia quod cordi tranſmiſit Flaminis almi;
Dicentes, animo ſe ſuſcepiſſe benigno,
Incaſſaretur ne fortè petitio tanta.
19 Bavo ſed aſſenſum potuit cùm noſcere fratrum,
& obtinet; Chriſto multiplices ſtuduit perſolvere grates;
Et ſibi conceſſam pergens inviſere cellam,
Tantùm ſe Domini conſtrinxerat in famulatu,
Ut quos exemplum fratres poſuit ſibi primum,
Ejus pòſt ſemet victos fervore viderent.
Ex hoc ergo Viri virtus mirabilis extat,
Hoc quòd converſæ primo jam tempore vitæ
Perficeret, quod non niſi conſuetudine longa
Addiſcunt alii, qui ſe ſubmittere tali
Ardenter normæ Chriſti conantur amore.
20 Sed tam ſancta Viri nos ut quod * geſta beati
dum cella exſtruitur, homini maledico, Verborum ſolâ juvat extenuare loquelâ,
** forte* utquid Cùm Deus indiciis demonſtrârit manifeſtis,
Eſſet magna ſui quàm converſatio Servi,
Nec vellet modii lumen ſub tegmine poni?
Quadam namque die ſignum clareſcere tale
C Contigit, ut mentes hominum percelleret omnes,
Illis ingentem nimis infundendo ſtuporem.
Fratres prædicti dum quodam tempore caſtri
Irent ad manuum pariter fortaſſe laborem,
Juxta quod ſanctam conſtat ſancire rubricam,
Bavoni cellam decernunt ædificandam:
Porrò viros quoſdam Florbertus ibi retinebat,
Cauſâ cementi quos juſſit adeſſe ferendi:
Affuit his unus ſimul, appellatus Atinus,
Occupat hunc talis ſubitò veſania mentis,
Sanctum criminibus quò collaceraret acerbis;
Sed ſe temptanti confeſtim traditur hoſti.
21 Nam cùm cemento junxiſſent plauſtra ferendo,
ſubita morte punito, ſuis Ipſe ſuper reſidens, pergebat concitus illuc,
Quò ſibi materiam præfatam ferre ſolebant.
Sed mox inſidiis pravi deterritus hoſtis,
Corruit & membris carpenti turbine tritis,
Amiſit propriæ citiùs ſpiramina vitæ.
Denique propterea zabuli fraus ſtruxerat iſta,
Senſit, delubris quia funditus undique ruptis,
Ex toto ſeſe confuſum pellier orbe;
Nomine ſub Chriſti ſed jam loca cuncta teneri.

Verùm nîl hominem tunc prævaluiſſet in ipſum, D
Si tam magna Viro non ferret jurgia tanto.
At qui præſentes fuerant, cœpere dolentes
Eventu tali nimio terrore teneri:
Et flentes, manibus tollunt miſerabile corpus,
Quod coramque Viri cella poſuere beati;
Qui precibus Domino directis, poplite flexo,
Magno non antè lacrymarum deſtitit imbre,
Quàm ſua divinas oratio tangeret aures.
22 Priſtina tunc gelidis redeunt vegetamina membris, *precibus vitam impetrat:*
Et tam ſe vitam gaudent ſpirare priorem,
Quàm contrita ſuum retinent reparata vigorem;
Poſtea qui plures vitæ tranſegerat annos,
Teſtis ut egregii mereretur ſiſtere facti.
Quis non perpendat, fido quoque pectore credat,
Bavonem, tanta ſigni virtute patrata,
Inſtar apoſtolicæ perfectum ducere vitæ?
Quis valeat dignè ſcrutari ſingula, Chriſte,
Quæ tu per proprios monſtras miracula Sanctos? E
Ecce Vir almifluus mordaci dente petitus,
Providus immotam tenet inter crimina mentem:
Sed tu, qui miti nos dicto præmonuiſti,
Ultio præcipiens tibimet ſervetur ut omnis,
Haud ſine vindicta fore deſinis impia verba.
Rurſus pro membris prædura morte ſolutis
Cùm tibimet Famuli dilectio ſupplicat almi,
Annuis & barathro clementer ſubtrahis imo,
Quem pro nequitia rapuit ſententia juſta.
De te veridici cecinerunt dicta prophetæ,
Omnia judicio ſoleas quia pendere vero,
Quæque nitent operum forſan miranda tuorum,
Extant innumera numquam pietate remota.
23 Nunc igitur vigili conemur mente teneri, *à ſervo olim vendito*
Hic Vir, qui tanto meruit clareſcere ſigno,
Quàm vilem propriis ſemet præberet ocellis,
Rexerit & mitem qualis ſententia mentem.
Hanc nam ſollicitus curat perpendere quiſquis,
Non miratur cum tali virtute coruſcum;
Hæc etenim verbis Scripturæ traditur almis,
Præcellat certè quoniam miracula quæque;
Emicuitque foris ideo virtute decorus, F
Extitit interiùs, quia grandi robore fultus.
Fortè die quadam Vir venerat obvius illi,
Secedens illis, fuerat quibus exul in oris.
24 Hunc recolit captum ſe quondam tradere venum, *inſtar latronis volens*
Eſſet adhuc hujus dum mundi compede ſtrictus:
Quem cernens, non ſe lachrymarum fonte rigare
Ceſſat, & immenſis precibus compellere fuſis
Illi *, quæ fecit, ſibi quò mala cuncta relaxet; * illum
Nec ſine ſingultu deprompſit talia verba:
Haud timui vinclis te dudum ſtringere duris,
Exiliumque pati longum vendendo coëgi:
Nunc è diverſo facias, quod poſcere gliſco;
Scilicet ut duris ſtudeas cruciare flagellis
Corpus, flagitium tibi quod commiſerat illud;
Turpiter atque meos rogito detonde capillos,
Quod ſolet immites ſignum dampnare latrones,

Ac

A Ac me prævalida totum ſtringente catena,
Aſpera peccantes cuſtodia mancipet artus;
Forſitan æternam queo ſic evadere pœnam.
Et mihimet pacto Dominus miſerebitur iſto.
25 Ille ſed alloquiis nimiùm ſtupefactus in iſtis,
tractatur & cuſtodiâ includitur, Inclytus expetiit quod Vir, multùm renuebat,
Illius & pedibus cœpit rogitare volutus,
Cogeret in Dominum ſcelus haud committere tantum,
Qui tamen eloquii fuerat quia nobilis arte,
Perſtiterat cœpta prece, nec ceſſavit ab iſta,
Quàm, quæ prælata fuerant, cognôſſet agenda.
Tunc vir præfatus, nimis inſtigante, coactus,
Ipſius plagis corpus torquebat amaris,
Detondenſque comam capitis turpabat honeſtam,
Artubus & vinctis, cippo pedibuſque retruſis
Fecerat, artaret gravis ut cuſtodia Sanctum.
26 In qua continuo precibus fervore vacando
in qua ad mortem uſque Uſque propinquantis perſiſtit tempora mortis,
Non incredibiles oculis emittere fletus
Deſiſtens, operis propter commiſſa prioris:
Quæ velut ingentem coram ſe ponere molem
B Suetus erat; quævis ut non elatio mentis
Subrepſiſſet ei per temptamenta maligni,
Nec ſumens aliquem, niſi quem dant hordea, panem,
Vini luxuriam pœnitus diffugerat omnem,
Conabatur aquâ potando vivere ſolâ,
Quam ſub menſura decrevit tollere certa;
Cilicio vili recubans per tempora ſomni,
Qui niſi per primi non ceſſit puncta diei.
27 Denique nocturnis conſtabat pervigil horis;
duriſſimam vitam agit. Et cùm vel modicæ conceſſit membra quieti,
Gaudebat lapidem capiti ſubponere durum,
Sic damnare ſuos tractabat corporis artus,
k Delicioſarum quæ dudum dindima *k* rerum
Veſtibant nitidum gemmis auroque coruſcum,
Ac pauſare thoris qui ſueverat ebore fultis,
Acelinis cineri nuda tellure quieſcit;
Parvo quæſitis dedignans veſcier eſcis,
Nunc tantùm panis fruitur ſolamine vilis,
Qui quoque conditi ſatis inter pocula vini,
Immenſo patulas mulcebat aromate nares,
Nunc ſolius aquæ guſtum decernit amaræ,
Incendens pura contriti cordis in ara,
Suaſerat inlecebras carnis quas dira voluptas,
C Unde nimis ſuavem Chriſto depromit odorem,
Quæ mittunt ipſi vincentem thura Sabei.
Sed quoniam tenero ſi fultus quis malè talo,
Tendat adire locum longinquo calle remotum,
Nec velit ab cœpto paulùm deſiſtere curſu,
Ut, quod reſtiterit, meliùs tranſcurrere poſſit,
Evenit, ut penitus gravior labor opprimat artus;
Suadeo, Muſa, tuo modicùm requieſcere cantu,
Ut dum crebrò ſtudes vires reparare priores,
Poſſis reſtantem meliùs tranſcurrere callem.

ANNOTATA.

a *In Annotatis ad Vitæ vetuſtioris partem* 1 *lit.* b *pro horum elucidatione remiſi ad Commentarium prævium adſcriptis numeris, in quibus ea pertractabantur. Idem ſervavi per decurſum ejuſdem Vitæ vetuſtioris; quoniam verò in hac Vita eadem ferè res geſtæ eodemque ordine memorantur, quo in iſta, brevitatis gratiâ, quæ illic annotata ſunt, hîc non repetam.* A. ANONYMO

b *De S. Amando actum eſt tom.* 1 *Februarii ad diem menſis* 6; *& quæ hîc inſerit poëta de ejus Romam profectione ac reditu in Gallias, ibidem elucidata ſunt* § 12 *Commentarii prævii.*

c Landoaldus *verum nomen eſt. De ipſo ac Sociis Amantio, Adriano, Juliano, Vinciana & Adeltrude etiam Actum eſt apud nos tom.* 3 *Martii ad diem* 19.

d *Una ex Sororibus S. Landoaldi creditur fuiſſe nominata mox Vinciana, alteram nullibi nominatam reperi.*

e *Ex verbis iſtis videtur ſequi, Vitam hanc metricam ſcriptam fuiſſe ante annum* 980, *quo S. Landoaldi & ſociorum ſacra lipſana inde Gandavum tranſlata ſunt. Conſule Commentarium noſtrum num.* 9, *ubi loci, hîc* Curtis hiemis, *vulgò* Wintershove *dicti, notitiam dedimus.*

f *Si ſatis percipio ſenſum, indicat auctor, alteram S. Landoaldi ſororem fuiſſe matrem* S. Bavonis. *Sed fefellit hominem, quam allegat, traditio; nam S. Amandi cum S. Landoaldo hujuſque ſororibus, ſi tamen hæ illorum ſociis annumerandæ ſint, Româ in Belgium non venerunt ante annum* 650, *qui fuit tertius vel quartus ante obitum* S. Bavonis. *Hujuſcemodi erroribus deinceps ſeſe non expoſuit auctor; quia paſſim ſecutus eſt Vitam vetuſtiorem, quam hoc loco interpolavit.* E

g *Hîc poëta, neſcio, an de induſtria, an ex inadvertentia, pauca omiſit, quæ habentur in Vita vetuſtiori de vitiis à* S. Bavone *contractis in juventute; attamen ſimile quid intelligendum præbet paulò ſuperiùs, ubi parentum converſioni allaboraturam ſignificat S. Agletrudem, & iterum inferiùs num.* 12, *ubi* S. Bavonis *pœnitentis ad S. Amandum acceſſum enarrat. Vide Commentarium prævium num.* 51.

h *Comparatio, toto hoc numero contenta, poëticum ornamentum eſt ab auctore interpoſitum, ſed, ut liquet, nihil hiſtoriæ addit vel detrahit.*

i *Vitioſa conſtructio, utcumque emendabitur legendo:* cupientem frangere *& infrà:* Quique locans.

k Dindimus *ſeu* Dindymus, *plurali numero* Dindyma, *mons eſt Phrygiæ, ad cujus celſitudinem fortè alludens poëta, res, quæ inter delicias excellentiſſimæ ſunt, vocavit* delicioſarum rerum Dindyma: *ut ſenſus ſit, quòd Sanctus tam aſperè tractaret corpus, quod olim in ſummis deliciis verſabatur. Voce* Dindymum *uſi ſunt alii pro templo vel myſterio. Exempla habes apud Cangium in Gloſſario.* F

PARS II.

Sanctus novos cruciatus Sponte ſuſcipit, dæmonis tentationes ſuperat, ad cælum aſpirat, mortem ſuam prænuntiat, obit, apparet S. Gertrudi, miraculis claret, ſepelitur.

DOnant ex ſignis alii præconia Sanctis,
Quòd vel debilibus nôrunt ſuccurrere membris,
Sanctus, quod miram in viro olim tam opulento, Seu

A. ANONYMO.

Seu ſanant animas barathri ſqualore reductas,
Aures voce precis ſola pulſando Tonantis.
Nos verò, cunctis his in Bavone relictis,
In quibus & certè conſtat clariſſimus eſſe,
Illud mirari delectat laude frequenti,
Luxu tantarum vallatus delitiarum,
Qualiter auſteræ juga diſtrictiſſima vitæ
Tam ſubitò ſibimet gaudens imponere poſſet.
Exſtat & exempli præclarum dogma ſequendi,
Sicut ſtella recens latè ſua lumina ſpargens,
Ut quis aſperior Chriſti doctrina videtur,
Quæ ſæcli vanas ſancit contemnere pompas,
Cùm cernunt alii, quia parent promptiùs illi,
Incipiant mundi ſpoliari rebus & ipſi,
Suave jugum proprio lætantes tollere collo,
Atque foramen acûs poſſit penetrare camelus.
Hæc eſt nempe Dei miranda potentia ſummi,
Exigit hinc juges pia per præconia laudes,
Cujus opus ſemper licèt inſcrutabile conſtet,
Eſt tamen in ſolis animabus cura medendis.

29 Poſt hæc norma Virum non continet iſta beatum,

relata ſuperiùs aſperitate non contentus

B

Sed ſicut quivis cùm caræ menibus urbis
Appropiat, callem quantò reſtare minorem
Proſpexit, tantò citiùs feſtinat eundo,
Ignoratque gravem jam ſe ſufferre laborem
Præ deſiderio, quo fervet pectore toto;
Sic Bavo vitæ cæleſtis plenus amore
Cernit, quanto viam regni gradiendo peractam,
Optato ſeſe bravio viciniùs eſſe,
Incipit ingentem ceu nîl reputare laborem,
Ac magis anguſtos geſtit ſibi nectere nervos,
In directa pedem qui conſtringant properantem,
Nec quicquam greſſum permittant ire retrorſum,
Tendere qui dudum decrevit in anteriora;

* *i. e.* tecto

Nam cùm ſub minimæ reſideret domate * cellæ,
Quâ manſit ſolus velut arcto carcere clauſus,
Noluit in proprii ſe voti lege teneri;
Sed manet, almorum ſicut mos cœnobiorum,
Quicquid ut illorum prælatus cenſet agendum,
Subditus; hoc capiat mox pectore quiſque fideli.

30 Tali quippe modo dum vitæ culmina miro

arctiùs recludi poſtulat,

Viciſſet cunctos heremi deſerta colentes,
Non vult privari ſe jure monaſteriali,
Semper ad hoc vigilem cupiens prætendere mentem,

* *l.* permiſſio

Omnia, quæ faciat, patris ut promiſſio * firmet:
Et quia perſpiceret, quia nîl ſe nempe gravarent,
Suevit quîs, omnes, priùs inſudare, labores,
Cernuus abbatem prælatum poſcere temptat,

* *l.* abſtruſiſſe

Abſtruxiſſe * loco ſe vellet ut arctiùs illo,
In quo tam ſtrictâ reſidere ſolebat habenâ,
Ut quando precibus ſupplex inſtaret agendis,
Undique ſic ſeptus circùm foret atque recluſus,
Quatinus in neutram quiret ſe vertere partem,
Liberiorque preces fudiſſet ſpiritus almas:
Dum nocet haud quævis vel parva vagatio carnis;
Quod mox abbatis complevit cura benigni.

31 Bavo ſed ignorans tantos ſentire labores,

& novos cruciatus ſuſcipit:

Tollere majoris quæſivit pondera faſcis:
Tractat namque ſuo mox præcepiſſe miniſtro,
Quò ſibi ferre petram curaret concitus unam.
Obſequitur, laterem depromens, haud mora, grandem:
Majorem rurſus tamen eſt perquirere juſſus.
Tunc vadens tantum fertur depromere ſaxum,
Quod fortaſſe viri vix poſſent ferre gemelli.
Hoc Vir mirandus aſtare ſolebat onuſtus,
Pſallens divinas quotiens perſolveret odas,
Vel cùm ſancta precum deferret liba ſuarum;
Neſcivit certè, factis quibus inſinuare,
Cæleſtis vitæ quanto ferveret amore.

32 Humani generis ſed perverſiſſimus hoſtis,

hinc invidiâ ſtimulatus dæmon,

Appetit inſidiis qui Sanctos ſedulò multis,
Tunc quoque majoris verſans molimina mentis,
Cùm virtus nitidos facit excellentiùs illos,
Qui licèt invalidum nôrit fore machinamentum,
Quod parat, & cautas minùs id contingere mentes,
Attamen invidiæ quia languet peſtifer igne,
Haud valet incepto pravi deſiſtere cœpto.
Hic cernens meriti Bavonem culmine tanti
Præclarum, priſcæ molitur fraudis in arte,
Poſſit eum cellâ propellere qualiter illâ.

E

Cujus ut effectum voti retinere cupitum
Quiret, in innumeras ſe geſtit vertere formas,
Impugnando Virum non uniformiter almum.

33 Nunc equidem ſævus quaſi ſibilat Hydrus *,

variis terriculamentis ipſum tentat;

Monſtret ut anguinum ſe propinare venenum:
Nunc veſanorum frendens ex ore leonum,
Omnibus ipſum ſe declarat certiùs eſſe,
De quo jam Petri tuba perſultaverat almi,
Iret quòd, ſicut vigilans rapidus leo, circùm
Perquirens aliquos immani fauce vorandos.
Nunc ululando lupos imitari certat avaros,
Extans ut gregibus ſemper ferus inſidiator:
Nec non tam volucrum varia quàm voce ferarum
Perſurit, ut cella Sanctum detrudat ab ipſa.
Sed ſedem firmæ poſuit qui culmine petræ,
Concutiat validus templi licèt infima ventus,
Fluminis atque ruant immenſa volumina valdè,
Roboris à proprii nequit haud fundamine velli.

* mutilum carmen

34 Unde Vir eximius tanta feritate probatus;

ſed ejus conſtantiâ vincitur

Continet immobilem per tot diſcrimina mentem;
In Chriſto quia ſpem virtutis collocat omnem:

F

Quo ſine qui fabricæ ſtudium donare ſtruendæ
Cœperit, ut tenerâ nimiùm confiſus arenâ,
Si venti ſpirant modicùm, vel flumen inundet,
Mox cernet magnâ diſpergi tecta ruinâ:
In fundamenti quia non ſtat robore firmi.
Cernens ergo Virum Chriſti munimine tutum
Dæmon, & inde minas auſum contempnere tantas,
Ac tam multiplices contra temptaminis artes
Oratûs clypeum crebrò retinere paratum,
Abſcedit fugiens, & ſicut cera liqueſcens,
Quando per ignitum fuerit tepefacta calorem.

35 Quid veſane furis, cur non aliquando quieſcis?

& confunditur.

In te Sanctorum ſemper veſtigia calcant,
Tu tamen haud animo ceſſas præſtare * ſuperbo.

* *l.* perſtare

His decus egregium telis olim monachorum
Vexatus validè ſatis eſt Antonius à te:
Ornat eum claris ſed gratia celſa triumphis,
Te verò victum grandis confuſio dampnat;
Nunc autem jaculis Bavo ſtimulatus in ipſis,

Non

A Non cedens temet redivivum ſternère gaudet,
Ut toties terra jaceas proſtratus in ima,
Audes erecto quotiens conſurgère collo.
Gloria ſit Regi tam cautè cuncta paranti,
Propterea qui te Sanctos permittit adire,
* figas Quælibet ut diris non fingas * vulnera telis,
Sed ſucceſcat eis præclara corona probatis.
36 Poſt hac nempe Viri propiaverat exitus almi;
Sanctus cæleſtibus Unde vigil curat, quò cœpto tramite perſtet,
Quique gubernando manus injeciſſet aratro,
Non ultrà vultum teneat poſt terga retortum:
Oſtia cumque domûs Judex pulſare ſupernus,
Ut fur, veniſſet, vigilans aperire valeret:
Qui dum ſub primi cujuſdam luce diei
Optaret modico corpus concedere ſomno,
Angelus aſtriferis nituit demiſſus ab aſtris
Inſtar ad innocuæ tectum penetrando columbæ,
Cujus in adventu magno terrore repletur,
Donec mox Domini meruit pietate foveri,
Intima qui cellæ tali reſperſit odore,
Quo poſſet ſuavem mellis ſuperare ſaporem.
Unde patet, certum lucis radiare miniſtrum,
* ſerpentis Id nec perverſi phantaſma fuiſſe chelydri. *
B 37 Hoc non immerito placuit contingere Chriſto,
viſionibus Quàm foret ut ſimplex hominis devotio ſemper,
Ex ſigno tali notum voluiſſet haberi:
Haud illum quamvis aſtutia liquerit anguis,
Cùm ſtaret contra perverſi machinamenta,
Hoſtis quîs ipſum conabatur dare peſſum,
Quatenus indiciis quoque pareret manifeſtis,
Spiritui ſancto quàm carum pectus in illo
a Degeret *a*, mentes qui ſolùm viſitat illas,
Omni nequitiæ quæ certant felle carere,
Innocuoque piæ gradiuntur tramite vitæ.
O confeſſorum clariſſima gemma ſacrorum!
Eſt quàm dulce tuæ ſcrutari culmina vitæ,
Exornat meriti temet columen quia tanti,
Ut priùs iſtius quàm vitæ terminus artus
Solverit, æternæ merearis pignus habere,
Rarò mortali quod Chriſtus præſtitit ulli.
recreatus, 38 Nam quamvis multos præſtent inſignia claros
Geſta, tamen propians illorum meta dierum
Turbat eos, grandis pœnâ cruciando timoris,
C Dum nimis occurſus horrent ſufferre malignos,
Ac ſua dum trutinâ penſantur facta ſuperna,
Quiddam judicii metuunt examine veri
Compertum fieri, quòd non vigilantia cauti
Pectoris inſpiceret, meliúſque incude pararet.
Rerum Cunctipotens, ex his ſecurus ut eſſes,
Tale tibi cælo ſolamen miſit ab alto,
Ut qui tam duros voluiſti ſumere nervos,
Illius intuitu poſſes ejus quoque nutu
Omnibus à pravis liberari tempore mortis,
Expectans animo cæleſtia præmia læto.
Ut Servum dono Deus exhilaraverat iſto,
Alterius ſigni quoque ſublimavit honore.
Denique vexillum Crucis almæ ſe ſuper ipſum
Cælitus emiſſum vidit veniſſe coruſcum.
ad cælum aſpirat, 39 Egerat hoc almi pia diſpenſatio Chriſti,
Certior ut tantò fieret ſpes fixa Beato
De non perdenda grandis mercede laboris,
Dignaretur eum cæleſtis viſio quantò
Irradians toties clementer lætificare:
Unde pias Domino niſu perſolvere toto

Grates haud ceſſat, cupidò quoque pectore fervet, A. ANONYMO.
Ejus terrenos quò linquat ſpiritus artus,
Chriſti præſentem queat ac mox cernere vultum.
Sueverat his mitem tamen appellare Tonantem:
Haud nunc, Chriſte, meum fieri deſidero votum,
Sed tua diſpenſans numquam diſtorta voluntas,
Quidquid decernit, fiat hoc, quo mens mea geſtit.
O miræ Sanctum virtutis ſtemmate * comptum! * *i. e.* coronâ
Huic dignum noſtræ quid poſſunt ferre camenæ,
Qui merito nitidæ ſuperat decus omne loquelæ?
40 Regis ad aſpectum nam ſcit ſe fervere totum, *paratus tamen plura pati,*
Non ſed adhuc grandem trepidat ſufferre laborem.
Sic ſic conſilio nôrit placitum fore ſummo,
Eccleſiæ ſummis æquandus jure columnis. E
Nempe dabant illæ ſicut medicamina ſanctæ
Doctrinæ verbo multorum corda lucrando;
Iſte Vir exemplis ita plures corrigit almis;
Qui, licèt infeſtus gladiator fortè deeſſet,
Finiſſetque ſuam non fuſo ſanguine vitam,
Martyrii certè non eſt privatus honore.
Qualiter hic pœnas metuens horreſceret ullas,
Sponte ſua furvo qui ſemet clauſerat antro,
In quo conſtanter ſtuduit tam durâ ſubire,
Quîs fugerent alii vel ſub tortore teneri?
Huic ſi carnifices inſtarent fortè cruenti,
Supplicium mox ſe prior admiſiſſet in omne,
Inter quod riſum magis ac profundere fletus
Mallet, & inſulſos lictores redderet omnes.
41 Sed ratio quamvis privaret temporis iſtis, *virtute ac voto martyr,*
Defuit haud claræ tamen illi gloria palmæ,
Cùm tenuit votis, quod non impleverat actis:
Non timet ac tantos cum corpore ferre dolores,
Ut non æternæ careat dulcedine vitæ,
Permittitque famem corpus ſentire frequentem, F
Undique ſcabroſis nimio præ frigore membris;
Ducit ac inſomnes per plurima tempora noctes.
Duriùs invidiæ laceratus ſedulò dente,
Fortis falſiloquæ patitur convitia linguæ.
Condolet adverſo rerum de turbine fractis,
Uritur ac propter patientes ſcandala quoſque,
Multa gemens, ſi quem cognoviſſet pereuntem.
Quòd ſit martyrii dubitet quis dignus honori?
Dum non viſibilem contra quoque dimicat hoſtem,
Mens non per modicum torquetur ſancta dolorem.
42 Nunc igitur ſummi faveat clementia Chriſti, *mortem ſuam fratribus prænuntiat,*
Cor mihi cæleſtis luſtrans aſpergine roris,
Ut quocumque modo valeam perſtringere ſtilo,
Ordine quò vitâ Bavo migraverit iſtâ,
Atque ſit ætherea cæli lætatus in aula.

A. ANONYMO

Namque nihil fatuæ poterit scintillula venæ
Cordis thesauro cæci proferre pusillo,
Illius mihimet pietas nì gratis inundet,
Viscera qui terræ scit fœcundare petrosæ,
Donans frugiferis illam pubescere spicis,
Præcipit & sterilem flumen producere rupem.
Ergo diem metæ longè præsciverat antè
Vir sanctus propriæ, toti fratrumque catervæ
Ociùs accitæ præsago dixerat ore,
Solvendi sibi jam consistere corporis horam.
43 Extitit insignis quidam tunc atque fidelis
optata Domini, procul dissiti, Præsbyter, hic fuerat clarus, nomenque tenebat
Domlin, cœnobium qui Turholtense vocatum
Strenuus officium rexit celebrando sacratum:
Ex cujus salubri cupiens sermone levari,
b Illum post *b* propriùm direxit Bavo ministrum
Qui mox almifico certat parere Patrono:
Sed quia per densos asperrima semita saltus
c Oppidò difficilem præbebat cuique callem *c*,
Atque monasterium vidit procul esse remotum,
B In quo Domlinus mansisset præsbyter almus,
* oris Nescivit, se quis forsan concederet horis *.
44 Tunc Deus omnipotens cunctis ostendere quærens,
sed ab angelo adducti, præsentiâ fruitur, Ornaret meriti Bavonem gloria quanti,
Quisque sibi notus soli fuerat satis intus,
Virtutum famâ fieret quoque cognitus extrà,
* *l.* operâ Angelici ductûs ope * missum dirigentis
Mox ut presbyterum veniat citus ad memoratum
Quicum magnifici ferret mandata Magistri,
Haud mora festinum compellit pergere secum,
Sicque simul Christi fulti virtute superni,
Certant Athletam properanter visere fortem;
Valdè per adventum qui lætificatus eorum,
Funeris ut curam propriam retinere benignam
Non cunctaretur, devota mente precatur.
45 Et cùm continuis jam noctibus atque diebus
obit; apparet S. Gertrudi, Cælestis patriæ nimio ferveret amore,
Se quoque colloquiis crebrò depasceret almis;
C Luminibusque suis in cæli culmina fixis,
Oratu sancto cessaret tempore nullo:
Tempore quo justæ nox sub moderamine libræ
Vindicat æstivas sibi damna patrata per horas *d*,
d October primi rutilat quoque luce diei,
Intulit alma sibi sacra cùm mysteria Christi,
Exsufflans animam carnali fasce solutam,
Perpetuò celsis victuram tradidit astris;
Moxque Dei famulæ Geretrudi nomine dictæ
Spiritus apparens suggessit talia, dicens:
Ne tu, virgo, meis, quæ polles actibus almis,
Mittere condendis tardes velamina membris,
Aptari sancto valeant ut more sepulchro.
46 Haud retinente mora mox his obtemperat illa,
mox illustratus Promtiùs obsequiis præbens famulamina tantis;
Quìs cùm divinos deferrent ritè canores,
Mira Deus turbæ donavit signa patere:

D

Quatinus haud dubius hominum consisteret ullus,
In cælis animam Sancti pausare beatam.
Cujus virtutes corpus quòd gignere tales,
Contigit, illic nam foret ut tunc fœmina quædam,
Quæ proprii tota sensûs ratione relicta
Dæmonis immitem doluit sufferre furorem;
Hæc ut almifluum valuit propiare sepulchrum,
Confestim sævo procul abscedente tyranno,
Pristinæ restitui meruit sanata saluti.
47 Alter item morbo nimiùm vexatus in ipso, *miraculis. sepelitur in Gandavi monasterio.*
Attigit ut loculum sanctissima membra gerentem,
Sic mox à Domini meruit pietate levari,
Acsi nulla priùs quateret vesania mentem.
Hæc tantùm modico placuit farcire libello,
Latiùs unde Viro fierent præconia tanto.
Plura tamen stili possent sermone notari,
Ni premerent aliquem fastidia fortè legentem.
Funeris exsequiis sed post hæc rite peractis,
Confessor Christi fortitur jura sepulchri,
Omni cœnobio cum laude locatus in illo, E
Structum Gandavo quod Amando præsule castro
Principis Ecclesiæ Petri præfulget honore,
In quo mirificis fulget per secula gestis.
Subveniens omni citiùs se digna petenti;
Nec tam difficile quid ibi fit fortè petitum,
Frustratum quo se doleat cor quodque fidele.
48 Aurea gemma polo, rutilans, ô Bavo, supremo *Submissa auctoris*
Exaudire precum gemitus dignare mearum,
Pectore devoto quìs te nunc flebilis oro,
Cures suffragio quò me fulcire benigno,
Ut non judicii damnet sententia magni,
Occiderat sub qua quondam temerarius Oza;
Tangere cùm sanctam Domini præsumeret arcam.
Nam nimis offensâ vereor percellier ipsâ,
Percurrens operum quia splendida gesta tuorum,
Nil tam condigni verbis expandere quivi,
Quàm magis ingenii detrivi migmate * crassi * *i. e.* mixturâ
Immenso lucem meriti fulgore nitentem,
Convenit altiloquæ cui vix modulatio linguæ.
49 Exsistens Jesus in parvis semper amicus, *ad Sanctum oratio.*
Despicit illorum mitis pia munera nunquam:
Ut Pharisæorum dum quondam turba virorum F
Offerret templo certatim dona sacrato,
Monstravit viduæ duo parva minuta placere
Præ cunctis sibimet, dicens, quia maxima ferret,
Quæ quamvis modicum, tamen illud tradere totum
Pectore disposuit fido, sibi nilque reliquit:
Sic ego bina tibi tenuis modulamine stili
Composui metrico perparva volumina Bavo,
Poscens, ut pro me Christum dignere rogare,
Ne præsumptorem reprobet me sicut ineptum;
Sed quia, quod potui, modicis pro viribus egi,
Illud clementi curet pietate tueri,
Ut sit laus illi, qui cum Patre jure perenni
Ac sancto trinus cum Pneumate regnat & unus.

ANNO-

A

ANNOTATA.

a *Deeſt fortaſſe* ut, *ſenſuſque eſt*; Ut, qui mentes illas ſolùm viſitat *&c.*

b *Hoc barbariſmo patriam ſuam prodit poëta: Flandri quippe frequenter particulas* poſt *&* ad *eadem voce vulgari* naer *exprimunt.*

c *Niſi error ſit librarii, auctor, ut verſum compleret, ex voce* cuique *dactylum fabricavit.*

d *Id eſt, cùm ſol eſt in Libra, ſigno Zodiaci, & noctes increſcunt, ſeu decreſcunt dies.*

VITA TERTIA

Per Theodoricum abbatem

ex Surio & duobus codicibus Mss.

B

PROLOGUS.

Bavonem, vineæ Dei

POſtquam Dominus & Salvator noſter vineam, quam de Ægypto in manu valida & brachio extento tranſtulit, ſecus arborem vivificæ Crucis tranſplantavit, virgâque petrâ percuſsâ, hoc eſt, lanceâ latere Crucifixi Domini perforato, ſanguine martyrii & aquâ baptiſmi eam irrigavit; radices plantatæ terram impleverunt, extenſis uſque ad mare palmitibus & uſque ad flumen propaginibus: quarum folium viride non defluet & in tempore ſiccitatis non areſcet: fructus verò non deficiet, quia ſecus decurſus aquarum plantatæ, irrigantur fonte ſalutari, in vitam æternam ſaliente. Hac ſummi Patrisfamilias vineâ longè latéque diffusâ, cùm operuiſſet montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei, nec ullus jam terrarum angulus eſſet, qui non ſub umbra Domini requieſcere feſtinaret, Perſes cum Schyta & pellitorum turba populorum ſtridentia & anhelantia verba in Crucis fregerunt melos. Præterea quotquot prædeſtinati erant vitæ æternæ, ut boni palmites crevêre & fructificavêre.

C

electum palmitem, lectoribus

2 Ex hac igitur ſua vinea omnipotens Deus unum electum ſuum palmitem ad nos uſque extendit, qui ſcilicet tanto vernat flore, tanto fructu exuberat, ut credatur de corpore vitis illius eſſe, qui dicit: " Ego ſum vitis ve-„ ra; vos palmites„ nec dubitetur ad illam veræ repromiſſionis terram pertinere, cujus botrum à duobus viris rectè portatum vetus commemorat Hiſtoria. Cujus felicem extenſionem & fructum, perfectis etiam viris deſiderabilem, de quo ſecurè canimus: " Vineæ florentes odo-„ rem dederunt: „ quoddam quaſi ſpeculum oculis veſtris proponimus, ut cum in umbra ejus requieveritis, in ſpeculo quoque internam veſtram faciem adſpiciatis, pulchritudinem imitemini, & ut uberiùs dicam, perfecti perfecto conformemini: dumque dulcem ejus odorem hauritis, ipſi quoque Chriſti bonus odor futuri, in ſupernam contemplationem animum extendatis.

3 Etenim ad veram beatitudinem anhelanti, cui non ſufficiat in exemplum beatus athleta Dei Bavo, qui lenocinia malè blandientis mundi tam conſtanti calcavit animo, ut nudus credatur evolâſſe de ſeculo? Habet in eo miles, quod imitetur; monachus, quod veneretur habet; certè Chriſtianus omnis normam, quam ſequatur: qui eo minùs inter quotidiana certamina trepidabunt, ſi beati Viri triumphum præ oculis ſemper habuerint poſitum. Nunc quia inter grammaticos rudis miles militare ingredior *a*, grammaticæ inprimis excuſatum me volo: argumentoſam ſcilicet loquacitatem & verborum nodoſitatem ne requiratis: quia & nemus in templo Domini plantari prohibetur & ego nihil me judicavi in vobis ſcire, niſi Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum.

A. THEODORICO ABBATE. *imitandum propoſiturus auctor,*

a

ſtyli tenuitatem excuſat.

4 Incongruum verò putavi, ut deſcripturus Militem, regulis vincirer Donati *b*, Ariſtotelicis ut parerem argumentis; quia & argumentum ſeculare periit, ubi Virgo Deum peperit: & ſtultitia eſt apud Deum ſapientia hujus mundi. Unde in Euangelio puſillus Zachæus viſurus Dominum ſycomorum, quæ ficus fatua dicitur, aſcendit: quia qui mundi ſtultitiam eligunt humiliter, ipſam Dei ſapientiam contemplantur ſubtiliter: tuncque prudenter ſycomorum aſcendimus, ſi ad eam, quæ divinitus præcipitur, ſtultitiam aſpiramus. Sed quia ſtultum eſt ante hiſtoriam effluere, obtrectantium, quos nullos futuros non putamus *c*, meras nænias & caninam facundiam non curamus magnopere: adversùs quos nos facilè tuebuntur & fratrum, quorum me, ut hoc auderem, coëgit imperioſa auctoritas & ſemper imperterrita obediens charitas. Nam quia plumbifiſtula ſæpe uſibus hominum aquæ miniſtrat fluenta, non abs re viſum eſt eis, ſi relinquentes aliis argenteum eloquium, ipſi de plumbo noſtro biberent, præſertim cùm & Moyſi Jethro aliquid utile locutus ſit.

b

c

ANNOTATA.

a *Ex verbis iſtis deducunt Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptores, hanc Vitam primum fuiſſe opus à Theodorico compoſitum.*

b *Sic habent Mss. codices noſtri, meliùs quàm editio Surii, in qua legitur:* Regulis vincerer donati. *Eſt autem hic Ælius Donatus ſeculo quarto inſignis grammaticus, præceptor S. Hieronymi Eccleſiæ doctoris.*

c *An & quos in hoc Opere obtrectatores habuerit Theodoricus, incompertum nobis eſt; ſed quàm juſtè hujus temporis criticorum cenſuram ſubierit, oſtenſum eſt in Commentario prævio.*

E

F

PARS I.

Sancti patria, parentes, conjugium, vitæ perfectioris propoſitum, virtutum ſub S. Amando magiſtro exercitium.

Patria, genus, parentes,

GLorioſus Dei athleta Allowinus, cognomento Bavo, ante ſecularia tempora præelectus & prædeſtinatus à Deo, Francorum principum genus & Auſtraſiorum ducum heres, in * Gallia Belgica pago Hasbanienſi loco haud obſcuro natus & altus eſt, *a* Pelagio, qui beatum

** Mss. deeſt* in

a

A. THEODORICO ABBATE

tum Gregorium præceſſit *, univerſalem Pontificatum adminiſtrante, Juſtino minore in ſceptris agente, Franciæ monarchiam Clodoveo *b* gubernante. Pater ejus Eilolphus *c*, mater Adelthrudis dicta eſt, religionis tam caſti amatores, ita continenter limen eccleſiæ calcantes, ut exemplum vetus de Abraham & Sara putares. Ingenti nobilitate, clara domo, ampla poſſeſſione ditati, ſolas divitias æſtimavêre cultum Dei.

* *Mſs.* præfedit

b *c*

nuptiæ, proles;

6 Tali igitur ſtirpe generatus, cùm adoleviſſet Allowinus, uxorem ducit, nobiliſſimis æquè ortam natalibus, filiam ſcilicet Adilionis, per idem tempus famoſi comitis. Decurſu temporis filia eis naſcitur Agletrudis, & ipſa à Deo præelecta, & virginitatis centeſimo fructu, ut pòſt patuit, remuneranda. Denique primo ætatis ſuæ tyrocinio inter ipſa crepundia, quæ qualiſve futura, quomodo victura, qua lege virginitatem ſuam eſſet conſervatura, angelus Domini certâ ei præſcripſit regulâ. Nec defuit prudenti adoleſcentulæ Omnipotentis dextera, quæ membra animaret juvenilia, & elevaret ad ſummæ perfectionis faſtigia in tantum, ut in principio converſationis novellæ ipſis quoque parentibus propoſitum fieret imitabile.

B

virtutes in conjugio,

d

7 Cœpit exinde beatus Bavo animum ad ſuperna inflectere, mundi deliciarum tædere, balteum militarem rariùs cingere, [edicta principum minùs obſervare] *d* circi frequentiam declinare, non ſcenæ ſpectaculo, non theatri luxuriæ locum dare, adversùs ſpiritalia nequitiæ verbi Dei gladium ſumere, juſtitiam pro thorace indui, æquitatem ſemper habere in manibus pro ſcuto inexpugnabili, levia & quotidiana peccata amariſſimis lachrymis diluere, prioris vitæ pœnitere, eccleſiæ frequens adeſſe: ſemper de Deo ſtudebat aliquid aut audire aut interrogare: de virtute in virtutem aſcenſiones in corde diſponere, jejunia cum fructu eleemoſynarum frequentare, ſic unicuique virtuti, ac ſi cæteras non haberet, egregiè ſtudere. Animo ſic florenti mundus & omnis gloria ejus aruerat, domus ingens, ampla poſſeſſio penitus viluerat. Jam ſtivam aratri teneret, jamque libero greſſu ad Antoniorum & Macariorum eremum evaderet, niſi cura conjugis & parvæ Adelthrudis * pedem ejus retineret. Vivebat tamen monachum laïcus, & inter officioſam populi multitudinem numquam eum deſerebat illa, quam animo conceperat, ſolitaria eremus.

* *al.* Aglethrudis

C

& poſt uxoris obitum

e

8 Interea conjunx, quæ & ipſa viriliter in mandatis Domini militabat, decurſu vitæ præſentis ſtudio de habitatione tenebroſi Cedar *e* ad bravium ſupernæ remunerationis aſſciſcitur, & ne malitia mutaret mentem ejus de præſenti ſæculo nequam eripitur. Cujus funus viduus Maritus ita proſecutus eſt, ut propè ipſe moreretur; ita ſe convertit ad Dominum, ut ejus mortem optâſſe videretur. Tum verò, afflante Spiritu ſancto, navigium maris hujus ſeculi totis velis ingreſſus, quod diu animo deliberaverat, præſentialiter exercere non ceſſat, ſecunda recuſans matrimonia; ut eum intelligeres non diu voluiſſe ſervire officio conjugali, quod nunquam aſſumpſiſſet, niſi causâ procreandæ ſobolis *f*.

f

* exſolutus *vitæ perfectioris propoſitum.*

9 Magno quaſi expletus * onere, totum ſe ad Dei cultum convertere, nihil præter cælum cogitare, & quaſi ſe relictum gemens, in ſuo corde clamare: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? illudque apoſtolicum intra ſe revolvens: Qui volunt divites fieri incidunt in tentationes & laqueum diaboli: quidquid donativi regum largitio contulerat, in ſtipem pauperum transferebat, dans exemplum, quomodo camelus intrare poſſit in foramen acûs; quomodo animal tortuoſum, depoſitâ gibbi farcinâ, aſſumat ſibi pennas columbæ & requieſcat in ramis arboris, quæ de ſinapis ſemente ſuccreſcit.

D

Gandæ ſitus & origo;

10 Ea tempeſtate beatus Amandus, vir apoſtolicus, totus ex virtutibus factus, florebat: qui non veritus pro nomine Jeſu contumelias pati, quo ampliùs gentilium audivit debacchari furorem, Gandam acceſſit, caſtrum ſcilicet ſuper duo flumina Scaldem & Legiam conſtitutum, ipſaque ſua nota antiquitate id temporis celebre & famoſum genus hominum, eò ſuperſtitioſius, quò animo ferocius: eóque inſcium ſuæ in Chriſto redemptionis, quo hactenus ignarum Chriſtianæ religionis. Tradunt hunc locum Caium * Cæſarem, Galliâ diuturno bello domitâ, condidiſſe, & ex nomine ſuo Gandam nomen ei indidiſſe *g*. Nam cùm in citeriorem Hyberniam, quæ nunc Anglia nuncupatur, arma pararet, illic putavit hiemandum vel propter ſitûs oportunitatem, aquâ videlicet ac pabulo exercitui ſatis ſuperque habilem, vel propter maris, cui breviſſimus tranſitus eſt, vicinitatem, ſex non ampliùs milliariis diſtantem *h*. Volunt autem alii nihilominus & Ermenricum regem, quem ſedecim Arctoiæ * gentes perdomuiſſe Jordanis *i* chronographus commemorat, illuc quoque adveniſſe, ibique regnâſſe. Quid horum dicatur veriùs, dicentium arbitrio relinquamus *k*. Nos verò antiquitatem loci ex eo rectè colligimus, quòd pleraque vidimus ibi reperta indicia, utpotè muri & vaſculorum cocti lateres. Præterea, quod mirum forſitan legenti videbitur, ferrea diverſi ſexus & ætatis calceamenta, multaque id genus, quæ nos facilè in aſſenſum antiquitatis cogunt.

* *Mſs.* Gagium

g

h

E

* *l.* Arctoas, *i. e.* Septentrionales

i

k

S. Amandi iter Romam, reditus in Galliam;

11 Huc reſpectu omnia miſerantis Dei vir ſanctus cùm veniſſet, & locum, in quo totius penè orbis dæmonia, quaſi in ſentinam, confluxerant, verbo veritatis expugnaret, parùm ſe videns perficere, (nam & publicè contumeliâ affectus & proturbatus eſt) cùm jam manus ejus eſſent graves, ſanctum Papam Martinum *l* adiit, multaque de infructuoſo in infructuoſam gentem ſuo labore conqueſtus, iterum ab eo in opus Euangelii animatur, datis ei ſuppetiis venerabili archipresbytero Landoaldo & Amantio diacono *m*. Emenſis igitur Alpibus, Galliam ingreſſi ſunt: cúmque videret Amandus meſſem quidem multam, operarios verò paucos, Landoaldum Trajecti reliquit, ubi & per novem annos vices pontificis (nam Johannes epiſcopus *n* nuperrimè obierat) adminiſtravit, uſque ad tempus S. Remacli *o*.

l

F

m

n

o

& apud Gandenſes labores apoſtolici;

12 Ipſe verò tota Spiritum ſanctum mente concipiens, Gandam rurſus aggreditur, egreſſa auctoritate à rege Dagoberto & Aichario Noviomenſium epiſcopo, ut qui nollet fidei conſentire, cogeretur *p*. Nec defuit paleſtrizanti * militi ſuo omnipotentis Dei dextera, quæ tetigit gentilium corda & aſſumpſit in partem hereditatis ſuæ plebem, diu fanatico illuſam errore. Tandem baptizato populo, ſanctæ crucis erecto vexillo, ara Mercurii deſtruitur, luci ſucciduntur, fana omnia diruuntur, eccleſia erigitur, conſummatur & in honore B. Petri apoſtoli ſollemniter conſecratur. Sic plantata vinea Domini Sabaoth, clericos inprimis, monachos ſub-

p

* *Surius* certanti

A subinde, qui redderent fructum in tempore suo, induxit *q*, & expostulata episcopali auctoritate, Papa etiam Martino in ipsum consentiente, locum perpetua donavit libertate. Sed ne digressio, quam non inutiliter assumpsimus, onerosa fiat studiosis lectoribus, nunc ad plenariam beati Bavonis conversionem stilum vertamus.

q

13 Igitur B. Amandi famâ quodam quasi odore; odore, inquam, sicut agri pleni, cui benedixit Dominus, longè latéque diffusâ, sanctus Allowinus aporia *r* seculari non ultrà se sustinens accidiari *s*, certissimum animæ suæ capit consilium. Nihil cunctatus, longa viarum per dispendia Gandam advenit, Amandum invenit, prioris vitæ culpam fatetur, de culpa pœnitentiam pollicetur. Consilium super anima sua requirere, ejus magisteriali * ungue scabrosam vitam polire, postremò totum se illi ait velle dedere. Quem vir sanctus devotè suscipiens, & velut inventæ ovi congaudens, Euangelicam statim ingreditur prædicationem, de contemptu mundi, de appetitu cæli, de tentatione diaboli, de consolatione Dei, & de omnibus, quæ pertinent ad summæ beatitudinis perfectionem, diligenter erudit novellum adhuc Tirunculum, perfectum postea Christi Militem futurum.

S. Bavonis perfecta conversio;

r

s

* *Sur.* magisterii

B

14 Et quoniam antequam incipias, consulto, at ubi consulueris, maturè opus est facto; ille statim velut campus Domini repletus ubertate & collis accinctus exultatione in valle animi portans granum frumenti, clamans & hymnum dicens, domum redit ex consulto magistri & rursus accingitur in opus Dei. Facta sollemniter donatione, omnes possessiones suas ad loca Sanctorum contradere, peculiare, quod nullum vel rarum ex priori erogatione remanserat, in usus pauperum iterum contradere, nihil sibi ex omnibus reservare, postremò sibimet ipsi renuntiare, & crucem Christi lætis humeris portare. Laudent alii Pompeios, Metellos & Marios, triumphali largitione auram popularem venantes, mihi videtur pauper pro Christo Bavo plùs laudandus, qui omnem gloriam suam habens ab intus, in triumphato seculo præcones habuit Sanctorum ecclesias & mendicantium catervulas. Quid enim hac virtute mirabilius? Quid hac constantia robustius? Virum nobilis familiæ & senatorum genus tam obfirmato animo pompam seculi & divitias, in quibus totus educatus fuerat, calcâsse, ut tum demum se æstimaret verè divitem, cùm pro Christo assumpsisset spontaneam paupertatem? Alii pecunias mittant & de superfluis suis æra in Euangelicum corbanan *t* projiciant, teste Veritate, nemo plus misit, quàm qui de omnibus nihil sibi retinuit.

bonorum in pias res distributio;

C

t

15 Omnibus ergo depositis & prudenter ordinatis, columba Christi Bavo, assumpto ramo veræ innocentiæ, & quasi relicto corvis seculari cadavere, ad suum spiritualem revertitur Noë: & cujus pedes jam non habebant requiem in salo seculi, arcæ ostium sibi petit aperiri. Receptus digna cum reverentia & requisitus iterum super intentione sua, clericum, ait, se velle vivere, ut semel alligatus sub jugo regulæ, pedem ulteriùs non liceret retrahere; sed spontaneè assumptam necessitatem verteret in bene vivendi voluntatem. Gavisus sanctus Amandus, multa priùs machinamenta diaboli prudenter prætendere: gravem esse ascensum, quem vellet arripere, de casu timere, inceptum quidem facilem, finem verò prædicabat esse difficilem. Ubi videt eum nihil cunctari; sed ad omnia sustinenda paratissimi esse animi, gratias agens Deo, qui quos prædestinavit à principio, hos etiam eligit in novissimo, quasi carissimum amplexatus filium, inducit in divini scholam servitii, quam primam omnium constat eum rexisse in ecclesia Gandensi. Ibi ante aram beati Petri apostoli militiam Christi professum, barbâ & capillo tonsum assumit in clericatum & plantat in domo Domini cedrum libani, redolentem sanctarum virtutum odore inæstimabili & crescentem robore imputribili.

Susceptio clericatûs,

A. THEODORICO ABBATE.

16 Denique statim ut ingressus est sanctitatis viam, firmis gressibus ire in magistri sententiam, & quasi navim corporis optato jam in littore collocâsset, omnium bonorum, quas olim collegerat, merces exponere, humilitatem ostendere, patientiam exercere, charitatis latum mandatum ex præcepto Dei extendere usque ad inimicum; solus ipse omnibus servire, gloriam virtute superare, & ab his diligi *, quos videbatur præcedere. Creber in oratione, jugis in legis Dei meditatione, paratus omni petenti de reddenda ratione: ut ex diversis virtutibus unum hominem compactum putares. Nec facilè docebat, quod non didicerat: sed quocumque divini sator germinis ibat Amandus, illuc studens subsequi & indivisibiliter adhærens magistri lateri, ardebat sanctæ prædicationis adipe repleri. Et quia flumen Dei repletum est aquis, cùm Spiritus sancti gratia rivos ejus inebriaret ac multiplicaret genimina, in stillicidiis tanti magistri lætabatur germinans cor Discipuli, & pinguescebant speciosa deserti ad germinandum germen Domini.

virtutes, magistro S. Amando,

* dirigi

E

17 Accendebatur planè in eo ignis ille Euangelicus, quem Jesus veniens in terram fidelium mittere, voluit vehementer ardere, quo repleti discipuli in via dicebant securâ conscientiâ: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? Quoties verò lassos artus & confecta jejuniis membra modico sopore reficeret, nudo recubans in cespite, Christum æstimabat secum jacere, castigans delicati corporis carnem & redigens in spiritûs servitutem. Populares auras & peccatoris oleum, velut spiritum nequam, fugere, clauso ostio labiorum, in cubiculo pectoris Deum Patrem sine intermissione orare; numquam à bono opere, semper intentum spiritûs arcum, relaxare; quotidie diabolum in pugnam provocare. Dicant alii, quod æstimant; mihi videtur inter tot cruces positus athleta Dei Bavo, meritò computandus in illo admirabili calatho *, qui & lilio confessionis & rosâ decoratur martyrii.

postea exercitæ.

F

* *al.* catalogo

ANNOTATA.

a *Pro his vide Annotata ad partem primam Vitæ vetustioris lit.* a, *memineriſque deinceps me inobservata præteriturum, quæcumque ex præcedentibus Annotatis sufficienter intelligi possunt. Studium erit potissimum in designandis & corrigendis iis, quæ Theodoricus ad Vitam vetustiorem sæpe, sed rarò sine erroribus, adjecit.*

b *Notæ istæ chronologicæ per Theodoricum ineptè adjectæ sunt, uti probavimus in Commentario prævio num.* 33 *& seqq. Nullus quippe Clodoveus rex vel monarcha Francorum, quando Pelagius secundus Pontificatum tenuit, vel Justinus Junior imperium, imò valde dubium est, an, vivente Justino, Pontifex fuerit Pelagius. Præterea uterque dudum*

A. THEODORICO ABBATE.

dudum obierat, quandò S. Bavo *natus eſt, ut colligi debet ex dictis ibidem num.* 95 *& ſeq.*

c *Alii patrem Sancti vocant* Agilulfum *vel* Agilulphum. *At nec ejus nec matris nomen exprimunt biographi, aliive Theodorico vetuſtiores.*

d *Uncis incluſa prætermiſit Surius, fortè quòd contextui non ſatis congrua viderentur. Equidem accommodè intelligi poſſe opinor, eo vel ſimili ſenſu, ut Sanctus minùs rigidè uteretur jure ſuo in ſubditos, minúſque ſtrictè obſervaret privilegia ſibi ex principum edictis ſeu diplomatis conceſſa.*

e Cedar, *quæ vox ab Hebræa origine, nigrum vel fuſcum ſonat, fuit ſecundus filius Iſmaëlis, indeque poſteri ipſius* Cedræi *dicti ſunt, & pars Arabiæ deſertæ, quam inhabitârunt, etiam* Cedar *appellata.* Κηδὰρ *autem, teſte Suida, eſt* quidam obſcurus locus.

f *Hanc cauſam non didicit Theodoricus ex Vita vetuſtiore, in qua num.* 4 *alia prorſus idea ſuggeritur de* Bavonis *vivendi norma, quo uſque, cooperante Aglethrude, ad frugem deductus eſt.*

g *His conſonat Chronicum Gandenſe à Sandero allegatum lib.* 4 *Rerum Gandavenſium pag.* 339, B *ubi iſta leguntur:* Anno XLVII ante Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti à Cajo Julio Cæſare Romanorum conſtructum nobile & famoſum caſtrum ſuper flumina Scaldis & Legiæ, ubi idem Scaldis Legiam recipit, cui à nomine ſuo Cajo Ganda nomen impoſitum eſt. *Sed quantam hæc fidem ſibi vindicent, videbitur mox ad lit.* k.

h *Sic in vetuſtiſſimo codice noſtro pergameno, notato* ✠ *Ms.* 74: *in altero autem, item pergameno, notatoque* ✠ *Ms.* 14, *non habentur poſtremæ voces:* Sex non ampliùs milliariis diſtantem; *at in Suriana editione ſenſus aliter tortus eſt & obſcurior;* Vel propter maris brèviſſimum tranſitum in inſulam, ſex non ampliùs milliariis diſtantem.

i *Id eſt* Jornandes, *ſeculo* 6 *epiſcopus Ravennas, qui Getarum ſive Gothorum res geſtas deſcripſit; De* Ermenrico *autem ſeu* Ermanarico, *circa tempora Conſtantini Magni, Gothorum rege potentiſſimo egit cap.* 23 *& ſeq., genteſque ab illo domitas enumeravit.*

k *Ex iſta clauſula ſuſpicor, Theodoricum præ oculis habuiſſe libros miraculorum, cujus auctor ſic ſcribit lib.* 1 *num.* 6: C Ferunt autem, Agrippam, quondam Romanorum ducem, in eo caſtrum condidiſſe, Gandavumque appellâſſe. At alii Herminricum regem in eo arcem imperii ſibi tradunt inſtituiſſe. Quorum quid ſit verius, illorum qui hæc dicunt, arbitrio relinquimus. *Porrò utriuſque auctoris exemplum hîc ſequar & an unus veriùs Agrippæ quàm alius Julio Cæſari Gandenſis caſtri conſtructionen adſcribat, non diſquiram. Videat curioſus lector Sanderum lib.* 1 *Rerum Gandavenſium cap.* 5, *ubi etiam refert alias de civitatis origine & etymo opiniones, ſed poſtquam monuiſſet, eas inter eſſe fabuloſas, & fide non dignas, denique abſtruſa eſſe & obſcura urbis initia.*

l *S. Martinus Pontifex factus anno* 649 *& in exſilium miſſus* 653. *Acta ejus examinanda venient ad diem* 12 *Novembris, quo colitur.*

m *De iſtis Sanctis jam actum ad diem* 19 *Martii.*

n *Etiam de hoc Joanne Agno actum ad diem* 25 *Julii, ipſius mors fixa eſt anno* 646; *in ſede autem Trajectenſi ſucceſſorem habuit S. Amandum uſque ad annum circiter* 650, *circa quem S. Amandus Romam profectus eſt ad S. Martinum. Unde evidens fit Theodorici & aliorum ſæpe correctus in Opere noſtro error, ſcribentium, quòd S. Landoaldus per novem annos defuncti Joannis vices adminiſtraverit.* D

o *S. Remaclus, cujus geſta illuſtrata ſunt ad diem* 3 *Septembris, S. Amando abdicanti ſubſtitutus eſt in ſede Trajectenſi, quam & ipſe, cum tenuiſſet annis decem, abdicavit circa* 660 *aut* 661 *atque hinc denuo evidens fit mox memoratus error.*

p *Omnia rurſus permiſcet Theodoricus. Quaſi verò narrata hîc de Dagoberto rege, de Aichario Noviomenſium ac Tornacenſium epiſcopo, & paulò inferiùs de everſione idolorum ac reliqua ad converſionem Gandavenſium ſpectantia, Romano S. Amandi ad S. Martinum itinere poſteriora ſint; cum conſtet, Dagobertum & Aicharium dudum vivere deſiiſſe, dudumque Gandavi fidem plantatam ac conſtructam fuiſſe monaſterium, antequam S. Martinus ad Pontificatum evectus ſit.*

q *De tempore & loco conſtructæ eccleſiæ cum monaſterio non nulla diximus in Commentario prævio num.* 104 *& ſeqq. De profeſſione autem primorum monaſterii incolarum diſſeruimus ibid. num.* 135. E

r Aporia *Græcè conſilii inopiam ſignificat, hîc ſumi poteſt pro fluctuatione animi.*

ſ Accidiari, *cui Surius* retardari *ſubſtituit, uſurpatur pro* triſtari, anxiari, tædio affici.

t *Ita Surius: in uno Mss. noſtrorum* in Euangelico corbanan, *in alio* carbonan.

PARS II.

Vita ſolitaria, habitatio inter monachos Gandenſes, mortui reſuſcitati miraculum, mira humilitas, incredibiles ſe cruciandi modi, relata de dæmone victoria.

F

Sancti, perluſtratis monaſteriis

ET enim de virtute in virtutem proficiens, & novum aliquid quotidie de Deo audire, videre & agere geſtiens, conſenſu ſui Amandi, loca ſanctorum & vicinos cœnobitas iterum accingitur circuire; ſi fortè contingeret aliquid antè inexpertum vel intentatum inveſtigare, ad quod agendum meritò ſe haberet animare *. Denique licèt pro morum & converſationis honeſtate jam requieſceret inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, nihil tamen ſatisfactum æſtimare, ſi quis quid boni poſſet agere, ad quod agendum ipſe non valebat aſpirare. Nam quia juxta Salomonem, qui addit ſcientiam, addit dolorem, omne, quod de Scripturis ſanctis percipiebat, dolor illi de retrò diebus erat, reputans, omne illud tempus in vacuum ſe cucurriſſe, quod ſine pœnitentia ſibi videbatur quaſi perdidiſſe. Tum verò pellem carnis extendere in ligno tympani, quotidiana Deo hoſtia fieri & velut opes magni ingenii virtutum flores undecumque colligere & in alveario melliti cordis comportare; nulli eorum, quos aiunt anachoritas, inferior cùm eſſet, eremum acſi paradiſum Dei concupiſcere, illos

* *Surius* animare deberet

illos solummodo reputans cum Deo habitare, quibus contigisset hominum frequentiam declinare.

solitudo in Beila

19 Apta * temporis & loci opportunitate saltum, quem Beilam nuncupant, ingressus *, repente in remotiori devexæ vallis latere annosa tagus oculis ejus offertur, cujus concavitas * pedum non minùs sex spatiosa, altitudo in modum fornicis camerata & quæ hominem erectum posset in alvum * sustinere. Hoc quasi habitaculum ab angelis Dei sibi reputans præparatum, ingreditur tanta cum jocunditate, velut si totius orbis delicias angusto secum clausisset in pariete *a*. Per aliquot dies occultus, latere non potuit, & cùm à populo frequentaretur, infelicem esse se judicans, nocturno silentio iterum loco cedit. Est usque hodie eandem miræ magnitudinis fagum videre, quæ in æternam hujus Sancti Dei memoriam adhuc continet in se antiquum altare, ubi & presbyter parochiæ frequenter ecclesiam convocat & communicat. Nec desistit arbor contra morem tam annosa adhuc florere & germinare, in qua latuit flos ille, de quo dicitur: Florete flores quasi lilium. Quorum florum amœnitate delectata, in epithalamio suo loquitur sancta Ecclesia: Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo.

* Sur. Capta igitur
* *ibid. addit* est, ubi
* *ibid.* concavitatis
* *ibid.* alvo

a

B

& in Medmedung;

20 Igitur inde digressus, longa rursus per dispendia aliam requirit eremum athleta Dei Alowinus, Medmedung nomine, à sua Ganda distantem duorum tantummodo milliariorum itinere. Locus in densissimum nemus silvescens, vasta & penè inaccessibili palude distentus, pomorum quoque, quòd * gignit saltus, & nucum ferax; præterea amnis levi murmure præterfluens, facilè habitationem suadent. Ingreditur cum sarculo, humum sarrit, cellulam permodicam erigit & in ea se quasi sepelit. Cibos saltus ministrabat, amnis potum *b*. Vestimenta ipse detulerat secum, sagum & cilicium, quæ non frigus arcerent, sed nuditatem prohiberent, non mollitiem suaderent, sed carnem domarent. Sic aliquamdiu ignotus cùm mansisset, iterumque fama vulgante, ulteriùs posse latere desperaret, comperto, quòd beatus Amandus monachos in Gandensi ecclesia substituisset & venerabilem virum Florbertum in abbatem ordinâsset *c* (nam quia ipse incumbebat prædicationi, necesse visum fuit constituere, qui provideret novellæ adhuc plantationi) tum verò magno se æstimans quasi donatum munere, ad locum professionis suæ statuit redire, ibique, qui supererat, reliquum vitæ cursum percurrere.

* Sur. quæ

b

c

C

reditus Gandavum, & habitatio inter monachos;

21 Reversus, quasi angelus Dei, ut verè erat, recipitur; receptus, hospitio inducitur; inductus honoratur; nec ullum antè habuere gaudium capitalius, quàm quòd talis Vir in contubernio eorum est receptus. Dehinc abbatem in colloquium evocat, reditus sui causam explicat, familiarem sibi cellulam ad commanendum petit & impetrat. Quis enim non modò monachorum, sed & clericorum Bavonis non desideraret contubernium? Viva vox, manus liberalis, vultus gravis, humilitas inæstimabilis, jucunditas irreprehensibilis, & nescio quæ extra hominem hominis habitudo, desiderabilem eum fecerat omni bene viventi in Domino.

mortui precibus ipsius
* *ibid.* obtemperanter

22 Cùm autem sive ex amicitia particulari, sive ex Regulæ præcepto obedientiali * fratres accingerentur in ædificanda cellula Viri Dei, ad declarandum electi sui meritum omnipotens virtus tale ostendit miraculum. Laica persona Attinus, fabulum & lapides carricaturus *d*, plaustro vehebatur; sed latratu canum impediebatur. Cúmque gravius urgeretur & longiori mora teneretur, ore procaci murmurare, & nescio cujus susurrii maledicta in sanctum Virum evomere: permissus diabolus, qui dolebat, fana dirui & ecclesias Sanctorum erigi, hominem veliculo proturbatum, mole desuper ponderis & jumentorum incursu reliquit mortuum. Evocatur populus, cadaver conclamatum navi imponitur non sine miseratione, & in domum suam perducto aliud nil erat, quod cogitarent, nisi de sepulchro.

A. THEODORICO ABBATE.

d

23 Ubi id Bavoni nunciatum est; tum verò dolere, tristari & ingemiscere; & velut si in sanguine virorum fortium ad hauriendam aquam de cisterna Bethleemitica misisset, reatum suum accusare, sibi defuncti sanguinem imputare; & totis ad Deum conversus visceribus, Eia, ait, Domine, cur recepturus animam ejus, celâsti me? Jubet dehinc, cadaver ad se inferri, & clauso ostio ceteros amoveri: ipse solus super exanimem extendi, & accenso igne Spiritus sancti in cordis altari, lacrymarum ligna ubertim subjicere, se ipsum in holocaustum imponere, & adipes pacificorum Deo adolere, appendens scilicet thymiama orationis in auro precioso fidei, quâ sciebat omnia possibilia credenti. Vix trium horarum spatium interceserat, orationem necdum terminaverat, cùm mors non * legem pati coacta, revomit *, quem rapuerat. Attinus surgit & ambulat; fit strepitus populi; omnis ætas, omnis sexus concutitur novitate miraculi & in ore omnium sonat laus Dei. Mirum spectaculum & ad roborandos nascentis ecclesiæ filios congruum, qui in hujus resurrectione speciali, cogebantur non hæsitare de sua & omnium resurrectione generali.

ad vitam revocatio;

E

* *ibid. deest* non
* *ibid.* restituit

24 Erat etiam in sancto Viro prædicabile illud intueri, quòd, cùm in ejus laudem omnis vox, omnis consonaret lingua, tanta se objecit humilitate, ut resuscitati statum, suum reputaret casum, si vel levis ventus auræ popularis intraret ad tangendam radicem humilitatis. Cujus enim mentem, cujus animum ad tam mirificæ virtutis insigne non concuteret turbo favorabilis procellæ, nisi qui domum suam constituisset in fundamine petræ? Petra autem erat Christus: in cujus summo cacumine cùm requiesceret Vir sanctus, firma niti radice, nihil de se præsumere, totum, quod erat, ejus gratiæ attribuere, & cùm exaltaretur extra se, in se tamen humiliari usquequaque. Qui merita Sanctorum ponderant ex virtute miraculorum, vel istius æstimatione miraculi concedant, nostrum Bavonem Sanctis omnibus jure comparari: in prophetis Eliæ parem, Eliseo æqualem; in Apostolis Petro non inferiorem, Johanne concedant non minorem, quem jure Sanctis omnibus in unius resuscitatione mortui comparandum æstimamus. Illi plures suscitaverunt, iste unum. Ipsi, quot * illius fæcis cogebat necessitas; iste, quot * hujus temporis expetebat humilitas. Etenim si ad hominis respicimus meritum, & qui plantat & qui rigat, nihil sunt absque eo, qui dat Deus incrementum. Rursus si miracula velimus de numero pensare, poterat utique multorum cadavera orando suscitare, qui innumeras usque hodie animas, pondere peccatorum mortuas, & quatriduano in fœtore sepultas, amoto desperationis lapide, non cessat vivificare & Auctori suo sanctis precibus reconsignare.

mira ejusdem humilitas.

F

* *ibid.* quod

Nam

A. THEODORICO ABBATE.

Nam quid à Deo obtinere non poſſet, qui verum Spiritus ſancti habitaculum factus fuerat? Quid Patrem non exoraret, qui, carne ſuperata, Deus ipſe in adoptionem filiorum Dei tranſierat, dicente Pſalmiſta: Ego dixi, Dii eſtis vos & filii Excelſi omnes?

A ſervo

25 Ad alia ut tranſeamus, quadam die habitaculo egreſſum, obvium contigit habere ſervulum, quem aliquando, neglecta re familiari, cauſâ ſupplicii ad nundinas venalem juſſerat exponi. Quem ut vidit, acſi ipſum Chriſtum in mortem vendidiſſet, amariſſimas lacrymas fundere, rapto curſu & fiducia pedibus ejus ſe proſternere, fateri culpam, excuſare ignorantiam & petere veniam: illudque recogitans, ſanguine ſanguinem lavari, forcipem & flagellum in manibus ejus ponere, ut vindicaret in venditorem Chriſtiani ſanguinis, ſacris verbis obſecrare. Servus è contra recuſare, peccatum *e* ex corde, quod in ſe erat, donare libenter, & numquam ei ſe ſerviturum ſpondere, contumeliam quondam & adhuc Domini, aiebat, numquam poſſe ſuaderi. Ille verò, ut qui numquam ceſſaret deſiderare paſſionibus Chriſti communicare, non * deſiſtere, quin * mirâ eloquentiâ expugnaret nolentis animum & cogeret magis, quàm peteret, in ſuum ſupplicium.

e

B

* *al.* noluit
* *al.* dum

volens inſtar latronis

26 Quid multa? Vincitur manus, ligatur pedes *f*, totum corpus in ſublime levatur, pœnâ crudeliſſimâ afficitur & quaſi in pilam, cùm nil niſi Deo gratias ageret, contunditur; poſtremò in morem latronum totum caput detundetur. Hæc tua ſunt, Jeſu bone, opera, hic tuus eſt ignitus amor, quo ardentes omnes electi tui, ipſam quamvis raram peccatorum rubiginem decoquunt fornace tribulationis, aurum mundum futuri in die tremendæ examinationis. Tunc in libro dexteræ tuæ invenietur Carmen & Væ: Carmen videlicet electorum, qui triumphato ſeculo laudabunt viventem in ſecula ſeculorum: Væ miſerorum, quorum mors in mortem peſſima, quorum quotidianum & omni maſſa ferrea gravius peccatum, ne una quidem abluit lacrimula, ne una extinguit fructualis * eleemoſyna, nedum ſpontanea pro Chriſto ſupplicia. Itaque in hujus noſtræ infirmitatis conſideratione libet cum Apoſtolo exclamare: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et quia imperfectum noſtrum viderunt oculi tui, Domine, dicamus, quod ſequitur ex conſolatione: Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.

f

* *Sur.* fructuoſa

C

tractatur; * *ibid.* athleta

27 Tandem glorioſus Dei agonitheta * Alowinus de hoc ſuo eculeo depoſitus, confracta & excruciata membra jubet recipi in illa ſua nobili nova cellula, quæ in fundationis ſuæ principio honorata eſt revivificati hominis miraculo & in conſummatione venerabili & verè prædicabili ſupplicio. Dehinc paulatim ſpiritum cùm recepiſſet, quaſi necdum ad purum argenti ſui ſcoriam excoxiſſet, nihilque ſatisfactum ſperans, adhuc jubet admoveri nervum, quem vulgò cippum, & in eo venerabiles illos pedes artari, qui in Sion ſpecula conſtituti, ſuperni regni pacem euangelizare poterant in populo Dei. Quid de hujus ſancti Viri factis alii æſtiment, ignoro; ego plùs ſtupeo Bavonem libenter vapulantem, quàm mortuum vivificantem; plùs admiror ſponte cippatum *, quàm totius populi favore celebratum. Itaque quatuor ferè menſes in hoc retruſus carcerali agone, cùm quotidi penè moreretur, pœnam pro delitiis habebat. Feſsâ licèt linguâ, numquam laudem Dei tacebat. Nimirum ſanctiſſimi corpuſculi lutum, igne deſuper Spiritûs ſancti in teſtam induruerat; ideoque mirum in modum, cùm cruciaretur, fortior fiebat, ut putares eum cum Apoſtolo dicere: Quando enim infirmor, tunc fortior ſum & potens: conſideranſque, quo curſu felicitas evolet, quæ ante humanos oculos quaſi permanens pollet, complebat eas, quæ deerant, paſſiones Chriſti in carne ſua, vulneratuſque mentem interna charitate, æſtuabat deſiderio contemplationis ſupernæ.

* *ibid.* cippo conſtrictum

D

arctiùs recluditur

28 Acceſſito dehinc ſancto pontifice Amando & venerabili abbate Florberto, non modò pedum, ſed & totius macerati corpuſculi integram recluſionem obſecrat & vix aliquando impetrat. Artam ſpecum medio domûs æquore ad capacitatem erecti hominis effoderat, quæ introgreſſum non niſi ſtantem ſuſtineret, & quaſi crucifixi corporis ſuſpenſum vultum in neutram partem deflecti permitteret. Eam orationis crucem ſibi præparaverat; in ea inter canonicas horas ſuſpendi magis, quàm ſtare elegerat: nec facilè labor, licèt difficillimus, poterat * diſſuaderi; quia menti, totum jam ſeculum in Chriſto triumphanti, nil poterat laborioſum videri. Data die evocato clero & populo, cum crucibus & thymiamateriis, univerſoque eccleſiaſtico apparatu ad recluſionis cellulam convenitur, & ſancti pontificis manibus hoſtia Chriſti Bavo, teſte eccleſia, ſepelitur magis, quàm recluditur, quinto Idus Novembris, qui erat annus ſexcenteſimus viceſimus nonus *g* Dominicæ Incarnationis. Sepelitur, inquam, ſeculo vivus Deo, cui quia indeſinenter adhæſerat, vitam certè ſuam ſurſum abſconderat.

* *al. deeſt* poterat

E

g

incredibilibus penè modis

29 Recluſus ergo non ſine lacrymis & multorum admiratione, qui viderent in confecto & penè carioſo corpuſculo tantum vigoris ineſſe: tum verò demum in ſummæ quietis portum reputans ſe conſtituiſſe ſuum navigium, tantò ad Auctorem ſuum ſuſpirare acriùs, quantò licebat remoto ſecuriùs. Juxta magnum oratorem, vereor, ne officium putetur ambitio, & quod illius exemplo facimus, qui ait: Laudate Dominum in Sanctis ejus; appetitu gloriæ videamur facere, nec rerum veritatem, ſed officioſam verboſitatem inſinuare. Animadverte, quæſo, prudens lector, in Milite Regem laudari & in Sanctis Deum honorari: & quia cùm ſit bonum, regis ſecretum celare, gloriam tamen Dei honorificum eſt annuntiare. Verùm qui nos calumniabitur, verba quaſi multiplicare, patet liquidò, quàm non erubeſcat electis Dei derogare: quibus tanto fuit facilius, non modò carnem domare, ſed penitus expugnatam in virum perfectum mutare, quantò incorporatiùs unum facti erant cum Omnipotente, qui genus mortalitatis Adæ veniens in filiationem Dei formare, dicebat: Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum, & confidite, quia ego vici mundum.

F

ſe cruciat

30 Quidquid dixero, certè minus eſt: nam etſi omnia corporis mei membra lingua eſſent, nihil utique dignum de hoc invictiſſimo Dei Athleta pronuntiarent: cujus cibus panis infermentatus medietatem * cinis, potus aqua non niſi ad menſuram ſumptâ: vigiliæ ſemper uſque ad defectionem, ſomnus vix pertingebat uſque ad refectionem, ut magis eum aliquid meditari, quàm dormire putares: lectiſternia humus & cinis inſperſus: dicebat enim, Chriſtianum non debere in delitiis jacere, cujus gloria fœnum, cujus

* *al.* medietas

A cujus finis quotidie festinaret in cineris interitum : defesso capiti lapis orarium *b* : tegumentum erat illud sanctissimum cilicium : continentia talis, ut penè mensuram excederet, patientia talis, quæ numquam tribulationibus cederet, sciens illud Isaiæ : Qui ablactati estis à lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem. Habensque thesaurum in vase fictili, donec mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptivum hoc vestiretur incorruptione ; numquam de superveniente carnis molestia dolere, sed semper ad sperandum in Deum se animare, dicens spiritui : Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : lacrymas tam largo fonte fundere, ut putares in eo completum illud Prophetæ : Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

de aliorum interim bono & commodo sollicitus ;

31 Velut adeps à carne separatus, & caritati incorporatus, optimam hanc hominum sibi injunxerat provinciam, discordantes in pacem conciliare ; pace Deum videri, pace ad cælestia, prædicans, transiri : sal terræ cùm esset, infatuatorum stultitiam defricare, animorum quotidie putredines resecare, & pœnitentiali medicamento non cessabat curare. Confluebat autem ad eum tota penè vicinia, nobilis & ignotus, mixtum genus integros dies & noctes excubabant præ foribus. Nunquam sine egeno mensula, nunquam sine hospite fuit ejus cellula *i*. Præter ea, quæ extrinsecus erant instantia, quotidiana ejus sollicitudo omnium ecclesiarum, super quas ita invigilabat, ita se afficiebat, tanquam si solus ipse pro eis debitor esset respondere. Quo autem dolente, non doluit ? quo frigente, non alsit ? quo patiente, non pertulit, quo egente, non eguit ? Brevi ut concludam sermone : cum omni fortuna prælium conseruit nimis acre, tristi, ne opprimeret, iocunda, ne corrumperet. Infrà non substitit, ultrà non est progressus ; medium firmis occupavit viribus. Verè felix, verè dignissimum omnipotentis Dei domicilium tot tantisque virtutum odoramentis repletum.

B

i

novum se cruciandi genus aggreditur ;

32 Qui cùm supremi operis jam teneret fastigium, & quod perfectis viris sufficere posset, in divinæ scalæ ascendisset gradum ; quasi nil cœpisset, aliud exquirit tormentum, tantùm scilicet prædicabile, quantùm novum & mirabile. Lapidem jubet deferri, quem manibus libratum, cùm non sufficeret ei, quod volebat, ponderi, alterum pro eo, duorum qui esset hominum onus, præcepit importari. Hunc inter frequens genuflectendum & semper orandum *k* brachiis tenebat, in eo non modò se lassabat ; sed penè mortificabat. Nec poterat in lapidis onere sancta manus deficere, quam sustinebat lapis angularis, qui facit utraque unum. Tum verò si quis objiceret, cur se ipsum excruciaret, non bonam esse virtutem, quæ modum excederet ; prudenter respondebat : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Audenter dico, qui se ita quotidiano afficiebat martyrio, si Deciana aut Diocletiana habuissent tempora, sponte omnia prævenissent tormenta : non rogos, non eculeum, non certè bestias refugisset aut gladium. Nec carebit gloriâ Martyris, qui in confessione Deitatis aërias potestates fortiter debellavit, & scuto protectus justitiæ, imperterritum latus opposuit monstris spiritualis nequitiæ. Quas autem cruces non pertulit, quos ignes non pertransiit, cujus tota vita super terram militia fuit ? Quam ita exercuit, ut, cùm quotidie moreretur, fiducialiter tamen ad Deum diceret : Proba me, Domine, & tenta me ; ure renes meos & cor meum.

C

k

A. THEODORICO ABBATE.

dæmonem tentantem

33 Nec defuit tentatio, quam statim in ipso principio viriliter debellavit & vicit in Domino. Nam tortuosus ille serpens, cujus sunt mille mæandri, videns & ingemiscens, de se triumphari, bona Dei permissione, sed mala sua fretus voluntate, animatur jam senem & emeritum Christi Militem in pugnam evocare. Cellulam quasi quidam turbo aggreditur, furores jaculatur, stygios minatur ignes, Ille nihil moveri, nihilque penitus terreri, scutum veritatis opponere. Nam diaboli nihil dubitabat hanc technam esse. Pedem in publicum exponere si liceret, aut spiritum homo adhuc tenere si posset, incunctanter exiret, duellum prior ipse moveret, ac manum consereret : tanta mentis constantia, tanta erat ejus ad Deum fiducia. Aiebat enim : Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat callidus persecutor. Ad hanc vocem turbo ille cùm cessisset, rursus exercitus iniquitatis adest : modò canis, modò lupus, iterum leo vel ursus, totum * postremò diabolus ; serpentinos insimul & ferales agebat motus.

E

* totus

superat.

34 Bavo de intro filium iniquitatis irridere & grandi cum fiducia subsannando dicere : Increpet in te Deus, satan, & increpet in te, qui elegit Jerusalem. Nec mora : legio evanuit, nec ultra civitatem in monte positam impugnare ausa fuit. Tua sunt hæc, Christe, opera, tua virtus & magnalia, cujus viæ justitia & veritas omnia eloquia. Hæc tua est fidelis illa promissio, quam in nascentis Ecclesiæ primordio Apostolis & per Apostolos omnibus militiam tuam professis donativum insigne dedisti languores scilicet in nomine tuo ut curarent & dæmonia imperterrito pede calcarent. Quis autem liberiùs caput diaboli conculcavit ? Quis impugnantem se filium iniquitatis fortiùs expugnavit ? Nec tamen in eo gaudere voluit *, quòd spiritus nequam sibi subjicerentur, sed potiùs summa niti ope, ut nomen suum in cælis conscriberetur.

* *al. deest* voluit

ANNOTATA.

F

a *De isto* S. Bavonis *in eremum secessu ac mora silent anonymi nostri, & omnes, quos vidi, Theodorico vetustiores. Sed neque saltûs seu loci* Beila *nuncupati, & seculo* 12 *sat celebris, ut sequentia auctoris verba significant, apud recentiores notitiam distinctiorem reperire valui. Copia autem locorum in Flandria, quorum nomina affinia sunt* Beilæ, *prohibet quominus ausim alterum præ altero eligere. Sic apud Sanderum diligentem & accuratum Flandriæ descriptorem, præter* Bellam *aliàs* Balliolum *oppidum, invenio vicos* Bellam ad Scaldim, Bellam ad Teneram, Bellem, Belleghem, Balegem *&c.*

b *Hanc commorationem Sancti in Medmedung, à vestustiore anonymo & poëta prætermissam, refert quoque auctor miraculorum ; verba dedimus in Commentario prævio num.* 114. *De hodierno autem loci statu sermo recurret in Gloria posthuma.*

c *Primordia monasterii Gandensis communi eruditorum consensu referri ad annum* 631, *& illi post annos octo, id est, circa* 639 *à S. Amando datum fuisse abbatem Florbertum, dictum est*

A. THEODORICO ABBATE.

in Commentario prævio ; atque hinc rursum se sponte prodit error Theodorici, ita scribentis, acsi Florbertus abbas fuisset constitutus eo tantùm tempore, quo degebat S. Bavo *in Medmedung secundum calculos nostros post annum 650 vel 651.*

d *Verbum à* carro *compositum est, significans aliquando* carro seu curru vehere, *aliquando*, onus carro imponere. *Surius sensum mutavit hoc modo :* Sabulum & lapides plaustro advehens, latratu canum impediebatur.

e *Ita in uno Ms, à quo paululùm differt aliud, sic legit Surius :* Peccatum ex corde, quod in se erat, condonare libenter, ei nunquam serviturum spondere in contumeliam sui quondam & adhuc Domini, nec id unquam aiebat sibi posse persuaderi.

f *Aliàs* Vinciuntur manus, ligantur pedes.

g *Qui Commentarium prævium legerit, monendus non est, errorem hîc latere annorum facilè viginti trium, ac multa rei narratæ adjuncta, quæ hoc & præcedenti numero continentur, nobis esse dubia vel non satis probata.*

h Orarium, *quod in varia significatione acceptum reperitur, hîc positum credo pro* pulvinari, *etiam nunc Gallis* oreiller.

B i *Hæc & reliqua eodem num. contenta cùm legerem & cum antè narratis conferrem, non potui non suspicari, meras esse nimiúmque exaggeratas ac malè cohærentes meditationes auctoris, putantis, ut insinuat præcedente numero, nihil de Sancto dici posse satis honorificum, ac proin fas esse adstruere, quidquid laudabile est, sive illud traditum sit, sive non sit traditum ab antiquioribus. Certè priores biographi post narratam reclusionem, nihil tradunt hujuscemodi, nec mihi videntur ista congruere iis, quæ ipsemet antè adstruxerat Theodoricus. Nam paulò superiùs describens cellulam seu locum reclusionis, aiebat,* artam *fuisse* specum, *quam* medio domûs æquore ad capacitatem erecti hominis effoderat *&* quæ introgressum non nisi stantem sustineret, *ac Sanctum in ea* sepultum fuisse magis, quàm reclusum. *Hîc tamen dicit,* nunquam sine egeno *fuisse ejus* mensulam, nunquam sine hospite cellulam. *Dicit hîc, Sancto fuisse sollicitudinem omnium ecclesiarum, ad eum confluxisse totam penè viciniam, omne genus hominum integros dies & noctes excubuisse præ foribus ejus, Hominis nimirum, qui, eodem suprà testante Theodorico,*

C reclusus .... in summæ quietis portum reputans se constituisse suum navigium, tantò ad Auctorem suum suspirabat acriùs, quantò licebat *(ab hominum societate)* remoto securiùs.

k *Verba mutavit Surius :* Inter frequentes genuflexiones & perpetuas preces.

PARS III.

Visiones cæleſtes, ægritudo, mors, apparitio, ſepultura, miraculorum multitudo.

Ad cælum aspirans,

HActenus per scopulos tribulationis & sirtes quotidiani martyrii oratio de Milite Dei pernavigaverit ; nunc secundis velis portus intrandus & ad terram illam festinandum, de qua scriptum est : Justi autem hæreditabunt terram ; & : Credo videre bona Domini in terra viventium : quam sanctissimi agonis sui mercedem glorioſus Dei athleta Allowinus in perpetuam recepit hæreditatem ; ad quam possidendam cùm videret jam imminere vocationem suam, incessanter se affligere, animamque fontem vivum sitientem, & ad visionem Conditoris sui infatigabili desiderio anhelantem, his verbis consolari quotidie : Expecta Dominum ; viriliter age : confortare & sustine Dominum. In hac exhortatione cùm afflictum & penè exossatum corpus modico indulsisset sopori, meruit dulcissima Dei bonitate consolari. D

36 Angelus enim in specie columbæ affuit *cæleſtibus viſionibus* & super Filium notæ simplicitatis tam familiariter requievit, ut videretur dicere : Super quem requiescam, nisi super humilem & trementem sermones Dei ? Liquefactum statim & penè perterritum Amici pectus iterum blandè refovet, ac totam cellulam totâ miri odoris fragrantiâ replet, ut raptum se æstimans, paradisi deliciis interesse cogitaret ; & quasi jam laborum securus : Ecce hæreditas Domini. Non mihi nunc per Scripturarum prata ingenii ducendus est rivulus, quid innocentiæ, quid simplicitatis columba videatur habere : cur in ea Spiritus sanctus super baptizatum Christum legatur requievisse, aut cur in ea angelus electis Dei soleat apparere. Dives est ad loquendum materia & sanctarum Scripturarum testimoniis abundè trita, de quorum fonte, etsi minùs nobis suppeteret, possemus mutuari. Sed ad alia festinanti hoc solum sufficiat dixisse, meritò super eum angelum in columba venisse, qui columbina plenus erat simplicitate ; meritò illum odorem divinum hausisse, qui securâ conscientiâ poterat dicere : Christi bonus odor sumus in omni loco. Cùm verò recessisset visio, in se rediens & vigilanti animo causam discutiens, velut si addidisset oleum flammæ, majori adhuc sancti Spiritus accendi amore ; non dies, non noctes vacare & deinceps in cælum clamare : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ; habitavi cum habitantibus Cedar ! E

37 Subsequitur de thesauris Dei glorioſum *recreatur ;* miraculum, per quod, qui desiderabat dissolvi & cum Christo esse, clementer consolaretur, & qui hactenus studuerat lucernam sanctitatis abscondere sub modio humilitatis, in tota summi Regis republica mirabiliter manifestaretur. Medio in centro sol æstuabat ; populus, qui convenerat, præsens intuebatur : cùm ecce gloria Domini de loco sancto suo super Justi sui caput descendit, & in figura vivificæ Crucis Militem suum illustravit & coronavit : cui ille tanta statim occurrit cum jucunditate, velut si non dubitans, hoc suum verum corollarium esse, obviis manibus illud videretur excipere & dicere : Mea hæc merces, mea retributio. Crucifixo militavi ; Crucis gloriam recognosco. Raram aut nullam cunctis retrò diebus visus est * admisisse lætitiam, omni deinceps proturbato mœrore, securus jam de sua remuneratione, quotidie gratulari & dicere : Me autem oportet gloriari in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Jure ergo in Crucis desuper descensione est mirabiliter glorificatus, qui crucifixi Filii Dei militiam professus, cùm, triumphato jam seculo, diceret cum Apostolo, Mihi mundus crucifixus est & ego mundo, meruit audire à Domino ; Gaude & exulta, Bavo, quia merces tua copiosa est in cælo. F

* *Sur. omisit* est

38 Festinabat interim tempus, quo palmes Domi-

æger ad mortem se parat;

Dominicæ putationis purgaretur, & flos, qui apparuerat, ad componendum ſummi capitis ſertum colligeretur, cùm ecce glorioſus Dei Athleta lectum ægritudinis incidit, quam tam longè antè prævidit & prædixit. Ingraveſcebat ſenſim languor & purpuream paradiſi violam, auſtro flante, gelidus repercutiebat pallor; orare tamen & laſſo anhelitu dura inter ſuſpiria non ætati, non parcere infirmitati, monachos & plebem, quæ frequens aderat, caſtigato ſermone hortari; lætus ipſe ceteros ſuper ſe plorantes conſolari. Intelligeres, eum non emori, ſed migrare & quaſi præſentem Chriſtum intueretur, diſſolvi deſiderare. Familiarem habebat Domlinum Turholtenſis eccleſiæ presbyterum, quem cùm deſideraret ad colloquendum, non facilis
a erat ad habendum *a*. Iter prolixum, vaſta ſolitudo, nemus denſiſſimum non facilem præſtabant tranſitum. Vocatus famulus & ad requirendum eum feſtinare juſſus, imperium non recuſat, & incipit velle ire, quò neſciebat. Nihil cunctanti, ſed de Magiſtri fide præſumenti, adeſt derepentè angelus Domini, iter oſtendit; ipſe comitatur; Turholt uſque deducit *, &, expoſito negotio, presbyterum aſſumit & recomitatur. Hunc Vir Domini inter loquendum ſecretum habuit, curam ſui funeris ut haberet, injunxit, ejus poſtremùm officio communicavit. Felix presbyterium, felix homo ille, cujus manus pretioſiſſimum Dei margaritum meruerunt attrectare.

* *al.* deducitur

B

moritur;

39 Et jam ſecuris divinæ vocationis admoveri ad radicem ſanctiſſimæ arboris, cùm ecce manibus & toto corpore in cælum extenſis, concives ſuos recognoſcit angelos, eorumque dulci delectatus præſentia *b*, vale, ait, ſervorum Dei eccleſia: Chriſtus adeſt; egredere in occurſum ejus anima mea. In hæc verba ſpiritum de hujus fæcis luto cùm efflâſſet, monachorum ſtatim turba ſuper eum irruit & ſanctiſſimum corpus deoſculando, publicum luctum prior incipit. Aderat in præſentiarum ſanctus epiſcopus A-
c mandus *c* & venerabilis abbas Florbertus, qui & ipſi cellulam ingreſſi, cernunt mirabilia Dei in martyrio Militis ſui. Quid enim vivens ſpiritus ejus egerit, corpus mortuum loquebatur; in quo tota caro ita depaſta videbatur, ut pelli adhærerent oſſa, & circa dentes tantummodò relicta labia. Quis interim non fleret humana compaſſione, aut quis non gauderet ſpirituali
C exultatione? Tranſlatum verò funus ſacerdotum Chriſti manibus, multo cum ſtudio cervicem feretro ſubjicientibus, mediâ eccleſiâ beati Petri apoſtoli ad pernoctandum locatur. Tota convenerat vicinia; omne rus, omnis circà eccleſia miniſtros & ſacerdotes miſerant; nec parvo reputabat ſe fruſtratum munere, cui non contigiſſet huic ſanctæ depoſitioni intereſſe. Erat interea illud miſerabile intueri pauperum turbam, tunc verè, Patre amiſſo, orphanam, veſtes & ſolatia, quæ de manibus ejus acceperant, oſtendere, & totam eccleſiam inconſolabili luctu replere.

apparet S. Gertrudi;

40 Apparuit autem felix ejus anima in ipſa exitus ſui hora longè manenti ſanctæ virgini Gertrudi, petens, ut mitteret linteamina, condendo funeri neceſſaria. Diſcite nunc divites ſeculi, quorum cadavera putreſcunt in ſerico & gemmis: diſcite, quod doleatis, & tandem incipite bene contemnere, quod malè amatis. Vos tegit byſſus & purpura: pauper pro Chriſto Bavo nec in funere habet, niſi aliunde petita linteamina. Vos in auro ſepulti, extructo ſub marmore putreſcitis: Bavo in humili loco vix habet, ubi caput reclinet cum Filio Hominis: & ecce verſa vice, vos potentes tormenta premunt potenter, illum humilem humilis Deus remunerat clementer. Vos ex prophetica comminatione propter contritionem ſpiritûs ululatis in interitum; ille ex divina conſolatione ridet & dicit: Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum: nobile veſtrum paludamentum verſum eſt in confuſionem, & * reverentiam pauperis ſui triſtem ſaccum ſcidit Deus & circumdedit lætitiam: locus veſter fumigavit & non eſt inventus: ejus memoria apud Deum & homines eſt in benedictionibus.

A. THEODORICO ABBATE.

* *forte* & in reverentiam

ſepelitur Gandavi,

41 Expletis igitur, quæ neceſſaria erant funeri, cum lampadibus & cereis & pſallentium choris in locum agonis ſui, hoc eſt, in recluſionis ſuæ cellulam reportatur, ibique ex officio ſancti epiſcopi Amandi iterum ſepelitur *d*, non jam ad jejunandum, ſed pane angelorum ſatiandum; non ad ſitiendum, ſed fonte vivo potendum; non ad plorandum, ſed euangelico riſu ridendum; ad nullam prorſus hujus corruptionis afflictionem ſuſtinendam, ſed ad perpetuæ conſolationis ſtolam percipiendam. Felix patria, felix pagus, felix præ ceteris Gandenſis procinctus, non ut olim idolorum ſuperſtitionibus ſordidis & antiquorum tyrannorum vanis monumentis, ſed cultu omnipotentis Regis & protectione hujus invictiſſimi cæleſtis curiæ Militis! Glorioſa dicta ſunt de te, in cujus ſinu requieſcit vas electionis & gratiæ; vas, quod omnipotens Figulus de communis terræ maſſa ſibi compoſuit ad honorem, & omnibus ſanctæ Eccleſiæ domum inhabitantibus ad utilitatem. De hoc certè vaſe filii deſolatorum credendo guſtaverunt & adipiſcendo fontem ſalutis biberunt: alienigenæ, Tyrus & populus Æthiopum, vitale hinc hauſerunt antidotum: nemo non accepit, qui peteret, niſi quem pigra fides ab accipiendo retraheret: & cùm jam terrarum nullus ſit angulus, cui ſua hinc non fluxerit ſalus, in valle tua, Ganda, fluit ſpecialiùs, te irrigat uberiùs, tibique ſapit abundantiùs, quæ ſola penes te retines, quod in communi toti orbi prodeſt.

d

cui urbi patrocinatur:

42 Tu ſcilicet hujus ſalutiferi vaſis conſervatrix, & miraculorum Dei in eo meruiſti fieri penè quotidiana contemplatrix; tibi poſſidius *e* medetur corporum vulnera & reſuſcitat animarum funera; tu conſervandum recepiſti & reconſignabis in die Domini. O vallis in ſummi montis ſita vertice & repleta pinguiſſima Dei ubertate! Non deficiet ex te cæleſtis frumenti granum, in qua eſt habitatio lætantium: etenim Dominus in te habitabit in finem & finibus tuis ponet pacem; ſeras portarum tuarum confortabit, & benedicet filiis tuis. Facta eſt autem hujus pretioſiſſimi vaſis ab omnipotente Artifice poſt multarum tribulationum excoctiones piiſſima purgatio & in æternitatis honorem glorioſa aſſumptio Kalendarum Octobrium die primo, anno à converſione ſua quadraginta dies minùs de tertio *f*, Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo tricenſimo primo *g*, Heraclio Romanum imperium, Martino univerſalem adminiſtrante Pontificatum *h*, regnante autem Domino noſtro Jeſu Chriſto cum Patre & Spiritu ſancto per immortalia ſecula ſeculorum. Amen *i*.

e

F

f

g

h

i

claret

43 Præceſſere ſtatim ipſam beatæ ſepulturæ clauſulam glorioſa miracula & ex vaſo miſericordiæ propinata ſunt pocula, quæ non deficient

A. THEODORICO ABBATE.

in ſecula, non ab oculis præſentium, non à cordibus abſentium, tantùm cum fide invocantium. Pauca pono de pluribus, duo tantummodo de innumerabilibus, quæ ad declaranda Sancti ſui merita Dei oſtendit gratia. Hoſtilis invidia, cujus opus ſemper injuſtum, voluntas nunquam bona; invidia, inquam, quæ fœminam & hominem de paradiſo projecit exulem, nunc quoque hominem cum fœmina mulctabat pœnâ miſerâ. Stridor gravis, furor indomabilis, ſpuma continua, habitudo lachrymabilis, vita faſtidioſa, notis & amicis omnibus nimis odioſa. Quid agerent, quò ſe verterent? Nulla ſpes, nulla conſolatio: qui mederetur huic ſupplicio, inveniebatur nuſquam gentium; ſolius enim Dei ſalus eſt hominum. Sed cùm, fama vulgante, nec miſeros lateret de tanti Patris funere, opportunum rati auxilium ſperare Domini, duris ligatos nexibus, virorum tractos manibus, ad hoc divinum propitiatorium inutiles, ut victimas tamen dirigunt. Orabat non lingua, ſed neceſſitas; non vox invocantium ſed pœna pereuntium; ignari & ſenſûs & ſcientiæ, tormentis ſuis provocabant Fontem miſericordiæ. Subvenit fi-
B des populi clamantis: Sancte Bavo, ſubveni, qui vivificâſti membra mortua, malè viventes iſtos libera.

miraculis.

44 Fracti ad ſacrum funus, ut orarent, vixque coacti, feretrum ut contingerent (mirabile miraculum!) ſtatim fugit dæmonium & emundata vaſcula, Dei loquuntur magnalia. Clamor in altum tollitur, nomen Domini benedicitur, de cujus munificentia mors Sanctorum eſt precioſa. Hæc ſignorum initia, hæc humandum funus ſanctitatis ejus præiere indicia, idcirco maximè prædicabilia, quia Salvatori noſtro (ſalva pace legentium) quodammodo convenientia. In Chriſti enim morte etſi omnium peccatorum generaliter, Evæ tamen & Adam facta eſt ereptio ſpecialiter. In hujus funere, licèt de Chriſti munere, facta eſt liberatio maris & fœminæ. Utrique per dæmonium naturæ amiſere pontificium: utrique per ſalutaris mortis precium vitæ recepere beneficium. Servum autem Domino, creaturam Creatori cum reſpectu comparo: nam verba Veritatis vera ſint, neceſſe eſt, quæ ait: Qui in me crediderit, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet. Ille quidem potens, non ex accidenti, ſed ex proprio. Bavo potens, non ex
C proprio, ſed ex donante Domino; in quo quia credidit, in eo quoque cuncta potuit. Ac per hoc pedem capiti, membrum compono corpori, & in ſalvante cuncta Domino non injuriâ ſervum prædico. Reſpectus enim talis eſt, ut ad ſubſtantiam ſpecies, ad univerſale ſingularitas: quorum alterum præcedit ex convenienti velut poteſtate, alterum ſubeſt ex conſequenti velut neceſſitate.

Epilogus, in quo auctor

45 Multa quidem præter hæc ſunt, quæ in hoc ſuo nobili membro Omnipotens non ceſſat quotidie operari; quæ ſi deberent per nos omnia annotari, dies antè nos deficeret, antè laſſa manus importabili ſub faſce ſuccumberet. Pauca tamen aggredi cùm vellemus & modulum noſtrum metiremur, illud in cauſa fuit, ne progrederemur, quòd lingua diu tacendo quaſi æruginata, & necdum loquendi uſu elimata, ad quædam alia intendebatur dicenda, in quibus quodam veluti præludio exercitata, tandem per angelum calculo de altari contingeretur, ac demum ad tam divinum opus præſumendum circumcideretur. Quòd ſi quis calumniabitur, materiam viribus non æquam nos aſſumpſiſſe, nec D diu, ut decebat, verſâſſe; licèt in Prologo ſatisfecerimus, adhuc tamen id reſponſum volumus, eloquentiam nos non jactâſſe, ſed Ægyptiorum abominationes Deo noſtro immolâſſe. Ovem quippe, animal ſimplex & mundum, quod Ægyptius abominatur edendum, Iſraëlites Deo ſuo offert, quoties quis ſuperbam non eructuat * loquacitatem, ſed humilem profitetur * eructat ſimplicitatem. Id præter ad ſilentium noſtrum vel maxima cauſa accedit torcular grave, quo præter ſolitum Eccleſia ſancta non modò graviter premitur, ſed importabiliter confringitur, ut neceſſe fuerit, Jeſum pro peccatis noſtris dormientem excitare & dicere: Præceptor, ſalva nos: perimus.

miſerum Eccleſiæ ſtatum deplorat.

46 Quis enim ſiccis oculis pertranſeat regna (ſignum deſolationis) inter ſe diviſa, populorum quaſi maris commotiones, lapidum ſanctuarii in capite omnium platearum diſperſiones? Diſperſi ſunt heu lapides ſanctuarii: quia, qui dicebantur epiſcopi, confractis & venundatis ovilibus Chriſti, commiſſas oves oppoſuerunt lupis & in fugam verſi ſunt, non paſtores, ſed mercenarii. In exemplum ſunt eccleſiæ, manu eorum combuſtæ, altaria ſanguine humano cru- E entata; monachorum examina, pars captivata, pars proturbata *k*, jus & lex omnia confuſa. *k*
Et quia quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium, cùm inebriati fuerint ſanguine aliorum, alterutrum tendunt: invicem, quod dictu nefas eſt, epiſcopi ſupplantant & ſupplantantur, captivant & captivantur; ut liquidò pateat, quia ſuorummet manibus ira Dei detæviens in reos ulciſcitur. Ipſa Romanæ dignitatis virgo prævaricata, abiit retrò, & in diebus noſtris fractæ ſunt mammæ pubertatis ejus. Non eſt dux neque ſacerdos, neque locus ſacrificii. Hierusalem calcatur à gentibus, quia, qui faciat bonum, eſt nullus. Miſeri Iſraëlitæ, in quorum comparatione Nabuchodonoſor ſervus Dei ſcribitur! Quibus autem inter tot mala vix aut nullo modo vivere licet, quomodo dicere aut ſcribere aliquid libet? Quod ſolum reſtat, Sanctos Dei patres & patronos nobis paremus, quorum felici remigio mare hujus ſeculi enavigemus, & qui pro reatu jam mergimur, ex beneficio Omnipotentis manu relevemur, quæ verbo ventos ſedare & tranquillitatem nutu poteſt imperare. Ad quod ob- F tinendum beatus Bavo medius conſtituatur. Bavo in corde, Bavo ſemper ſit in ore, ipſe defenſor & patronus, ipſe apud omnipotentem Judicem interceſſor ſit continuus: qui me hæc cum devotione ſcribentem, te, Chriſtiane, intueatur cum fide legentem.

ANNOTATA.

a *Surius mutavit:* Non facilè potuit haberi. *De Turholtenſi porro eccleſia ac Domlino presbytero conſuli poſſunt Annotata ad partem tertiam Vitæ primæ litt.* c *&* e.

b *Morienti apparuiſſe angelos, non habent vetuſtiores biographi, hæc igitur & alia hujuſmodi, auctoris fidei relinquenda ſunt.*

c *Neque S. Amandi hîc ulla mentio fit apud vetuſtiores.*

d *Anonymus vetuſtior locum primæ ſepulturæ tantùm latè figit in* caſtro *Gandavenſi; poëta* in cœnobio; *Theodoricus determinatè* in cellula reclusionis, *ſed an ſolido nixus teſtimonio, dubium mihi*

AUGTORE J. P.

GLORIA POSTHUMA.

§ I. Cultus ab ipſo obitu, ac ſeculo 8, corporis elevatio ejuſque annua feſtivitas, monaſterii Gandenſis reſtauratio, privilegiorum ejus confirmatio atque à S. Bavone nominatio; quid hujus Miſſa.

Cultus ab obitu miraculis

SÆpe numero accidit nobis Acta Sanctorum elucidantibus ſeu gloriam eorum poſthumam pertractantibus, ut vel de cultûs initio invenien-
E *do, vel de locis, ubi coluntur, deſignandis, vel de ejuſdem cultus non interrupta continuatione ac perſeverantia comprobanda laboremus. Hîc hujuſcemodi curâ ac labore immunes nos faciunt documenta & teſtimonia veterum tantâ quidem copiâ, quantam rarò admodùm nanciſci nobis contingit. Sanè nemo prudens dubitaverit, quin ipſa obitûs* S. Bavonis *epocha ſit ſimul epocha inchoati cultus. Eam quippe de ejus, inter vivos degentis, miraculis ac prodigiis confirmata ſanctitate opinionem conceperant fideles, eam in jam demortui apud Deum gratia ac favore fiduciam, ut necdum ſepulti invocârint ac præſens experti ſint ipſius auxilium. Patuit in energumena, quæ, dum funeris officium celebraretur, ad attactum ſacri corporis dæmonio liberata eſt, uti teſtatur anonymus noſter vetuſtior in Vita num. 29; ubi & alterum ejuſdem generis miraculum ſpeciatim declarat, & generatim affirmat plurium miraculorum beneficiorumque, opem ipſius invocantibus præſtitorum, ad ſua uſque tempora continuationem.*

& teſtimoniis S. Livini

2 *Alterum habemus illudque certiſſimum ac luculentiſſimum inſignis brevî poſt obitum cultûs teſtimonium, in Epiſtola metrica S. Livini epiſcopi martyris & in Epitaphio, eidem Epiſtolæ ad tumulum* S. Bavonis *exornandum inſerto, miſſis ad Florbertum abbatem Gandenſem & ſuprà excuſis num. 140 & ſeqq. Commentarii prævii. Etenim idem ſanctus martyr non ultra triennium, ut communis eſt ſcriptorum aſſertio, poſt* S. Bavonem *in vivis ſuperſtes, hunc non modò vocat in Epiſtola* Magnum & ſanctiſſimum, *ſed &* Patronum *eccleſiæ invocat diſertis verbis, dicens:*

Quam tu fundâſti, quæ te tenet, inclyte Bavo,
Eccleſiam meritis protege, Sancte, tuis.

Hinc meritò ſuſpicari licet, vel ab iſto tempore Sanctum etiam ab aliis honorari cœpiſſe tamquam peculiarem loci Patronum, ipſamque eccleſiam, priùs S. Petri Apoſtolorum principis patrocinio & nomini dicatam, inſigniri ſaltem ab aliquibus nomine S. Bavonis. *Certè lapſu temporis, procul dubio propter præſens & conſtans miſeris, ad ſepulcrum undequaque confluentibus, præſtitum auxilium, tam eccleſiam quàm ipſum monaſterium, vix alio, quàm* S. Bavonis *nomine veniſſe, docebunt ſequentia.*

ac hujus biographi confirmatur.

3 *S. Livini erga* S. Bavonem *venerationem ac proin hujus id temporis celebritatem cultûs magnopere commendat Bonifacius, S. Livini biographus,*

A *mihi eſt; quia S. Livinus, qui tribus tantùm annis* S. Bavoni *ſuperſtes fuit, haud obſcurè ſignificat, jacuiſſe Sanctum in ipſa cœnobii eccleſia, dum ejus Epitaphium conſcriberet, dicens:*

Quam tu fundâſti, quæ te tenet, inclyte Bavo,
Eccleſiam meritis protege, Sancte, tuis.

e *Vox iſta, quæ apud Surium inſtar nominis proprii expreſſa eſt, non habetur in codice noſtro, notato P Ms.* 14; *nec intelligo, quid vel quem per ipſam deſignare voluerit auctor. Fortaſſe mendum librarii eſt, legendumque* poſſidenti.

f *Expoſita ſunt iſta in Commentario prævio num.* 77.

g *Imò* 23 *circitèr annis ſeriùs, id eſt circa* 654, *ut probatum eſt in Commentario.*

h *Heraclius, Phocæ ſucceſſor, imperium tenuit ab anno* 610 *uſque ad* 641; *eo igitur tempore, quo mortem* S. Bavonis *ſtatuit Theodoricus, ſicque priores duæ notæ chronologiæ (quamquam ambæ erroneæ) conſpirant: at cum illis componi nequit tertia, quandoquidem, uti jam plùs ſemel dictum eſt, S. Martinus Pontificatum adeptus non ſit ante* 649. *Hinc Surius exiſtimans,*
B *ſolam hanc tertiam notam eſſe erroneam, notavit in margine* fortè Honorio *legendum eſſe, qui revera Pontifex erat anno* 631. *Verùm in noſtra chronotaxi, quâ mors* S. Bavonis *ſtatuitur circa* 654, *vel in aliorum, quâ innectitur anno* 653, *retinendus eſt Martinus, qui Pontifex fuit uſque ad* 655, *atque ita Theodoricus errans in anno mortis, Pontificem, qui mortis tempore Eccleſiæ Dei præerat, rectè, ſed fortè inſcius, ſignavit. Imò niſi plurium aliorum errorum convictus eſſet idem auctor, ſecunda hîc ejus nota chronologica, quâ* S. Bavonis *obitum connectit cum imperio Heraclii, excuſari ſive explicari poſſet, dicendo, quòd per* Heraclium *intelligendus non ſit Heraclius, Phocæ imperatoris ſucceſſor, ſed hujus Heraclii nepos Conſtans imperator, qui imperium tenuit ab anno* 641 *uſque ad* 668, *& à vetuſtis ſcriptoribus Theophane ac Nicephoro nominatus fuit* Heraclius. *Vide pagium in Critica ad annos* 630 *num.* 9 *&* 641 *num.* 6.

i *Sic terminatur Opus Theodorici in noſtris codicibus; in ſola Surii editione, omiſsâ clauſula:* Regnante autem Domino *&c, ſubduntur ſequentia.*

k *Scripſit iſta Theodoricus exeunte ſeculo undecimo, dum degebat Gandavi ut oſtendi § 1 Commentarii prævii, poſtquam nimirum ipſemet in ſuo S. Trudonis monaſterio expertus fuerat ea,*
C *quæ hîc narrat de monachorum calamitatibus, ut fuſiùs videri poteſt in Chronico dicti monaſterii apud Acherium tom.* 7 *Spicilegii. Alia porrò, quæ idem Theodoricus hîc commemorat de miſerando ſub iſta tempora Eccleſiæ ſtatu, ſimiliter fuſiùs explicata reperiuntur apud hiſtoricos & chronologos paſſim obvios.*



AUCTORE J. P.

dum ait, Livinum in monaſterio Gandenſi, ubi magnificæ ſanctitatis virum & egregium confeſſorem Chriſti Bavonem, recentiva morte in Domino pauſantem, condigno honore humatum, atque glorioſis miraculis coruſcantem *invenit, per dies triginta commoratum eſſe &* ad ſepulcrum S. Bavonis ſuas preces Miſſarumque celebrationes Domino Deo *immolâſſe. Textum integrum, præmiſſis aliorum de auctoris ætate ac ſtatu ſententiis, dedi num.* 147 *Commentarii prævii. Livino jungunt ſcriptores Belgii alterum cultûs Sancti noſtri promotorem, Eligium ejuſdem ſeculi ſeptimi epiſcopum ſanctitate percelebrem. De eo ſic Molanus in Natalibus ad primam Octobris:* Sed & Eligius præſul non modò ſancti Bavonis reliquias viſitavit, verùm etiam eaſdem è terra honorificè elevavit Calendis Auguſti. *Sanderus item lib.* 1 *de Sanctis Flandriæ:* Divus autem Eligius Noviomenſium Tornacenſiumque epiſcopus, & ipſe non infimus Flandrorum apoſtolus, non modò religiosè viſitavit defuncti B. Bavonis reliquias, ſed illas etiam è terra honorificè elevandas omnino eſſe exiſtimavit. *Ita illi, ſed multum abeſt, ut tam ſolidè probent aſſerta de S. Eligio, quàm de S. Livino.*

B

Corpus à S. Eligio elevatum traditur;

4 *Idem Sanderus Rerum Gandenſium lib.* 4 *cap.* 4 *abbatum Bavoniani monaſterii ſeriem & res geſtas exhibens, ſub Wilfrido abbate quarto elevationem collocat, ut ſequitur:* Anno DCLXXX elevatio ſanctiſſimi egregii confeſſoris Chriſti Bavonis, multis miraculorum ſignis longè latéque per eum patratis, celebrata eſt magnificè in cœnobio Gandenſi à B. Eligio Noviomenſi epiſcopo & Wilfrido abbate Kalend. Auguſti. *Non citat hîc, quod ſubinde aliis locis facit, Chronicon ſuum Bavonianum, ex eo tamen deſumptas eſſe notas chronologicas exiſtimo; quia eædem occurrunt in Ms. noſtro, quod* Chronicon Gandenſis urbis, eccleſiæ & Sanctorum *inſcribitur & ad quod ita præludit auctor:* Sequitur quaſi continentia aſſerum Paſchalium hujus eccleſiæ Gandenſis, & totum ego Oliverus correxi diligenter cum Chronicis anno Domini MCCCCXXXVII. *Porrò hoc Oliveri Opuſculo uſus hactenus non ſum, quia quantamcumque correctionem pollicitus ſit, nihilo meliora dedit, quam Sanderi Chronicum Bavonianum, cujus chronotaxim, ab initio uſque ad* S. Bavonis *obitum & ultrà vitioſam, ſervavit, & iſta demum adjecit:* Elevatio corporis beati Bavonis à ſancto Eligio Noviomenſi ſeu Tornacenſi epiſcopi * in Calendis Auguſti tempore Wilfridi abbatis celebrata anno DCLXXX. *Hinc, inquam, exiſtimo, Sanderum ſua etiam hauſiſſe ex Bavoniano Chronico; ſed miror, hîc ſaltem ab eodem Sandero obſervatum non fuiſſe manifeſtum in notis chronologicis errorem: quandoquidem ipſemet in Hagiologio Flandriæ pag.* 53 *S. Eligii mortem ſignaverit anno* 660, *quam nunc paſſim anno* 659 *innectunt eruditi, ante quem proinde contigiſſe debuit elevatio, ut S. Eligio adſcribi valeat.*

C

* *l.* epiſcopo

nonnullorum contra hanc traditionem

5 *Mabillonius in notis ad Vitam* S. Bavonis *vetuſtiorem inobſervatum præterit errorem iſtum chronologicum, aliamque allegat rationem, ob quam tacitè innuit, ſuſpectam ſibi eſſe corporis elevationem à Sandero memoratam, inquiens:* In Chronico Bavoniano apud Sanderum corpus ipſius (*S. Bavonis*) à S. Eligio levatum è terra fertur: quod ſi ita eſt, mirum, cur iſtius Vitæ ſcriptor id vel ignoraverit, vel omiſerit. *Quod* mirum *dixit Mabillonius, eadem ex causa* incredibile *pronuntiavit Bailletus, ſic arguens:* Voluntur, à S. Eligio epiſcopo Noviomenſi & Tornacenſi, in cujus diœceſi erat Gandavum civitas, corpus S. Bavonis uno aut altero anno poſt hujus obitum fuiſſe elevatum, eámque cærimoniam peractam eſſe die prima Auguſti. At credibile non eſt, quòd eam circumſtantiam, ſi ſat certa eſſet, ignoraturus vel prætermiſſurus fuiſſet Vitæ autor. Verum eſt, celebrari Gandavi die prima Auguſti feſtum elevationis ipſius ſeu tranſlationis; ſed ejus, quæ facta eſt anno MX per Eremboldum abbatem. *Mirum ſanè videri deberet, dictam corporis elevationem, quæ vix aut ne vix quidem latere potuiſſet biographum noſtrum, ſilentio ſuppreſſam fuiſſe; ſi is auctor intendiſſet omnia & ſingula ſpeciatim ac ordinatè declarare, quæ ad ſua uſque tempora facta noverat. Verùm id illi propoſitum non fuiſſe, prodit loco non uno & in ipſo quidem Operis exordio, ubi de Sancti geſtis à nativitate uſque ad nuptias nihil tradit, nihil explicat, quamvis ſufficienter ſignificet, multa ſibi nota fuiſſe, dum generatim dicit, Sanctum in juventute ſua licentiorem vitam duxiſſe.*

D

difficultas

6 *At in fine Operis, unicè videtur ſtudniſſe auctor, ut ea dumtaxat litteris conſignaret, quæ ſpeciali quodam prodigio illuſtrata fuerant uſque ad Sancti ſepulturam, ultra quam non procedit; plura interim à ſe omiſſa fuiſſe, atteſtans iis ipſis verbis, ex quibus collegit Mabillonius, illum vixiſſe non diu poſt mortem* S. Bavonis. Si omnia, *inquit*, quæ de ejus virtutibus * comperimus, vellemus proſequi, dies, ut opinor, antequam ſermo ceſſaret, finiretur. Pauca de pluribus dixiſſe ſufficiat. *Cùm igitur non videatur voluiſſe completam ordinatamque omnium ac ſingulorum factorum hiſtoriam contexere, aut narrationem extendere ultra Sancti ſepulturam, cùmque ipſe teſtetur, plura ſe omiſiſſe, non adeo mirandum exiſtimo, quòd de nota ſibi quidem, ſed nullo prodigio illuſtrata corporis elevatione, nihil tradidiſſet. Profectò ſi talem, qualem mox dicebam, voluiſſet ſcribere hiſtoriam, eamque extendere ad ſua uſque tempora, numquid non mirum eſſet, quòd nihil annotâſſet de illuſtri epitaphio, quod ad* S. Bavonis *tumulum exornandum carmine compoſuit S. Livinus epiſcopus & martyr in Belgio celeberrimus? Mihi quidem nec credibile eſt, id ignoratum fuiſſe à biographo; ab eodem tamen omiſſum eſſe, vel ipſi Bailleto certum eſſe debet.*

E

* *al.* geſtis

F

diſſolvitur.

7 *Quod addit Bailletus, feſtum Gandavi celebrari ſolitum die prima menſis Auguſti, non eſſe tranſlationis vel elevationis, de qua hîc diſputamus, ſed ejus, quæ facta eſt anno* 1010, *magis confidenter quàm probabiliter aſſertum eſt. Certè in Hiſtoria miraculorum, cujus notitiam dedimus in Commentario prævio, quamque ipſemet Bailletus in Tabula critica ad diem* 1 *Octobris ab anonymo ſeculi decimi conſcriptam eſſe, non hæſitanter aſſerit, docemur, diem primam menſis Auguſti jam tum memoriæ* S. Bavonis *conſecratam fuiſſe. Ita legitur lib.* 3 *apud Mabillonium num.* 4, *apud nos* 44: Duo nepotes inter ſe rixantes, correptis armis, alter * alterum oppreſſit; in ſe itaque reverſus parricidium * expavit, epiſcopum adit, ac more chriſtianæ remiſſionis peregrinando pœnitentiam accepit. Cúmque jam nonum expleret annum, iteratò patrocinia quæſivit Apoſtolorum. Alpes ut tranſcenderat, ſanctos Apoſtolos ſibi in viſu agnoverat, à quibus eſt admonitus, ne reſiduum viæ caſſo labore perderet: Remeans, inquiunt, memoriam ſancti Bavonis viſita, quæ eſt apud Med-

* *Mab. deeſt* alter
* *ibid.* fratricidium

A Medmedung annua. Surrexit credulus quidem viſioni, ſed ignarus loci, Gandavum repedavit, ſibi juſſa innotuit. Et quoniam devenit IN IPSA SOLEMNIA SANCTI, ſcilicet KALENDARUM AUGUSTI, ceteris illò pergentibus comitatur. *Fateor, verba non adeo clara ſunt, ut abſolutè auſim affirmare, ſermonem eſſe de feſtivitate, quæ quotannis recolebatur Gandavi; cùm etiam intelligi queant de feſtivitate in Medmedung, quo vir ille mittebatur ad memoriam* S. Bavonis *annuam & vel idcirco textum integrum deſcripſi.*

Annua elevationis feſtivitas

8 *Mabillonius de feſtivitate Gandavi celebrari ſolita intellexit, cùm notaverit in margine:* Tranſlationis dies eſt. *Ego utroque loco feſtum fuiſſe, opinor: ut autem credam, fuiſſe Gandavi, facit auctor Hiſtoriæ tranſlationis ſeu potiùs detectionis reliquiarum* S. Bavonis, *factæ anno* 1010, *qui* inſignia ſancti patris Bavonis, noſtris, *ut inquit*, temporibus acta, *deſcripturus, ſic loquitur:* Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, decimo, regnante rege Rodberto, marchiſo Balduino procurante abbatiam ſancti Petri, ſanctique Bavonis, dómno etiam Eremboldo eam regente, ob quandam infamiam eliminandam, viſum eſt

B eidem patri pios ſancti Bavonis detegere cineres; quod in ipſis Kalendis Auguſti, quæ ſunt ſolemnia ſancti Patris, aggreſſus eſt opus. *Equidem poſtrema hæc verba ita accipienda exiſtimo, ut indicet auctor, diem iſtum jam antè ſolemnem fuiſſe, ideoque eumdem potiùs quàm alium ab abbate electum ad detegendas ac publicè exhibendas Sancti reliquias, quia erat ſolemnis propter elevationem, olim à S. Eligio peractam, & quia eo die major erat ex locis adjacentibus populorum ad feſtivitatem venientium concurſus, coram quibus reliquiarum veritatem probaret.*

colitur 1 Auguſti; datur ejus hiſtoria

9 *Quidquid ſit; nimis leve eſt Bailleti argumentum, ut evertat longam Gandenſium poſſeſſionem, quâ diem primam Auguſti ſolemni Officio quotannis celebrare conſueverunt primariò in memoriam Elevationis per S. Eligium inſtitutæ. Officium iſtud in libello, quem de propriis Gandenſis cathedralis anno* 1572 *impreſſum habemus, hanc præfert rubricam:* In Elevatione S. Bavonis, quæ celebratur Calendis Auguſti, *legendumque præſcribitur, ut in die Depoſitionis* 1 *Octobris, exceptis Invitatorio, aliquot Antiphonis ac Reſponſoriis & lectionibus ſecundi ac tertii Nocturni.*

C *In ſecundo Nocturno is ordo ſervatur, ut prima lectio complectatur tantùm hiſtoriam elevationis, ſæpe dicto die per S. Eligium inſtitutæ; ſecunda tranſlationis anni* 1010; *tertia tranſlationis, quæ ſimili ferè de cauſa facta eſt* 1058 *die* x *Maii. Unde rurſum conjicias, quòd ſicut ad tranſlationem anni* 1010 *electus fuit dies primæ elevationis jam tum feſto annuo celebrari ſolitæ, ita ad eumdem remiſſa ſit commemoratio tranſlationis anni* 1058, *quamvis die* x *Maii peractæ. Hujus ſicut & alterius tranſlationis hiſtoriam ſuis locis exhibebimus, hîc deſcribimus, quæ habet Officium de elevatione.*

ex veteri Officio,

10 LECTIO QUARTA. Defuncto & eccleſiaſtico more ſepulto D. Bavone, ſenſim Deus cœpit magis magiſque memoriam ejus hominibus, innumeris per eum editis miraculis, mirificè commendare, quantique apud ſe meriti in cælo & dignitatis eſſet, oſtendere. Quibus rebus motus tandem venerabilis abbas Wilfridus, exiſtimavit, minimè convenire, ut tam ſacrum Bavonis corpus diutiùs in terra abſconditum & inhonoratum remaneret. Æquum eſſe enim, quos Deus ſe honorare, atque in pretio habere, quoſque nobis ad æterna pariter & temporalia ab eo beneficia conſequenda magnopere utiles & neceſſarios eſſe, palàm declarat, eos nos quoque mortales, quibus poſſimus, honoribus & laudibus proſequamur. Itaque relato negotio ad beatum Eligium Noviomenſem ac Tornacenſem epiſcopum, eoque hujus rei gratiâ ad Gandenſem eccleſiam illico properante, prædicti ſacri corporis honorifica è terris elevatio facta eſt anno ſexcenteſimo octogeſimo Calendis Auguſti, poſt annum circitèr quinquageſimum quàm è vita deceſſerat. AUCTORE J. P.

in notis tamen chronologicis mendoſo;

11 *Advertet mox ſtudioſus lector, auctorem hujus Officii adoptâſſe errores, quos ſuprà deteximus in Chronicis rerum Gandenſium Oliveri & Bavoniano, ac inſuper adjeciſſe tertium errorem, dum quinquaginta circitèr annorum intervallum poſuit inter mortem* S. Bavonis *& corporis elevationem. Sed & ſimul perſpiciet idem lector, poſtremum hunc errorem profluxiſſe eodem ex fonte, ex quo promanârunt alii, nempe ex imperitorum interpolatorum temeritate, quâ mortem & elevationem certis temporum epochis diſtinctam non reperientes in antiquis documentis, ipſi determinatis annis fixerunt, non ſatis capaces, qui diſpicerent,* E *annos iſtos componi non poſſe cum ceteris adjunctis ac veritate hiſtorica & chronologica. Hinc, inquam, error ille profluxit. Nam cùm Officii auctor mortem Sancti communiſſimo olim anachroniſmo ſignatam reperiret anno* 631, *corporis elevationem* 680, *conſequenti errore inter utramque poſuit quinquaginta circitèr annorum ſpatium, quod juxta rectam chronologiam non potuit eſſe amplius, quàm annorum circitèr quinque; ſi nempe corporis elevatio S. Eligio, qui anno* 659 *vivere deſiit, attribuenda ſit. Hanc conditionem addo, quia licèt ex una parte rationes Mabillonii & Bailleti ſufficientes non ſint, ut elevationem S. Eligio abjudicem, ex altera tamen nec ſatis antiquis ſolidiſve teſtimoniis inſtructus ſum, quorum auctoritate ſuffultus ipſam eidem indubitanter aſſeram.*

& commemoratio ex ſacris

12 *Ad* 1 *Auguſti, ut in Prætermiſſis ejuſdem diei monuimus, memoria* S. Bavonis *inſcripta quidem eſt variis Martyrologiis, ſed nec inde majorem certitudinem haurire valemus, tum quòd antiqua non ſint, tum quia non in omnibus idem titulus adſcribitur, in aliis enim dicitur* tranſlatio *tantùm, in aliis* elevatio, *in aliis* elevatio *ſimul &* tranſlatio. *Ex ſingulis unum profero. Inter Auctaria Uſuardini Martyrologii apud Sollerium codex Bruxellenſis habet:* In Gandavo tranſlatio corporis ſancti Bavonis confeſſoris. *Editiones Molani ibidem:* Gandavi elevatio ſancti Bavonis pii confeſſoris. *In Martyrologio monaſtico Benedictino apud Wionem lib.* 3 *Ligni vitæ:* Gandavi elevatio & tranſlatio ſancti Bavonis pii confeſſoris. *Hîc in Annotatis obſervat Wion:* Elevatio facta eſt per S. Eligium epiſcopum: Tranſlatio verò per Eremboldum abbatem anno Domini MX. *Ceterùm ſi Sandero ſeu potiùs Bavoniano Chronico, quo ille veriſimillimè uſus eſt, credimus, eo ipſo ſeculo ſeptimo non Gandavi tantùm, verùm etiam in Medmedung, loco aliquoties nominato,* S. Bavo *inſignem cultum obtinuit, eccleſiam, inquam, ſuo nomini conſecratam habuit.*

F

faſtis; cultus ſeculo 8.

13 *Etenim laudatus auctor lib.* 4 *Rerum Gandenſium cap.* 4 *hæc tradit:* Anno DCXCIII Childeſa ſancta dedit ad eccleſiam S. Bavonis in Megmedonck res ſuas in Furſito, in Henninga, & Hamma & d'Anceliaria. *Eccleſiam dicti loci etiam*

AUCTORE J. P.

etiam hodie ſacram eſſe S. Bavoni, *infrà videbimus. Plura porrò ad ſeculum ſeptimum pertinentia chartis annotata nacti non ſumus; unum dumtaxat pro ſeculo octavo teſtimonium relictum nobis eſt à B. Alcuino, aliàs Flacco Albino, abbate in Gallia, cujus Acta apud nos illuſtrata ſunt ad diem* XIX *Maii, obituſque fixus anno* 804. *Conſtat autem teſtimonium illud duobus verſibus hexametris, datis ſuprà in Commentario prævio num.* 138, *quos ille, ut apparet, compoſuit pro inſcriptione cujuſdam aræ aut Baſilicæ* S. Bavoni *erectæ, quique proin, ſeu auctorem ſpectes ſeu materiam, ſatis declarant, eo non minùs ſeculo, quàm præcedenti, viguiſſe Sancti cultum.*

Monaſterium Gandenſe anno 813 *combuſtum*

14 *Pro notitia rerum* S. Bavonis *& Gandenſis cœnobii ſeculis nono ac decimo præcipua adjumenta ſuppeditat anonymus, de quo egimus* § 1 *Commentarii prævii, auctor trium librorum de Sancti Miraculis. Verùm cùm is nec omnia tradiderit, nec ſatis diſtinctè expoſuerit, viſum eſt, antequam ipſius Opuſculum excudamus, quæcumque ad propoſitum noſtrum tam ab ipſo quàm aliis relata ſunt, ordine, quantùm licebit, chronologico percurrere. Dictus itaque anonymus relationis ſuæ num.* XI *eccleſiam Gandenſem fidelium liberalitate, ad quam frequentibus* S. Bavonis *miraculis excitabantur, magnificè exſtructam exornatamque, miſerabili incendio deſtructam fuiſſe ait, rurſuſque erectam eorumdem fidelium ſubſidio. At nec tempus definit, nec perſonas nominat, nec quæ habent alii, rerum adjuncta declarat. Sanderus lib.* 4 *Rerum Gandenſium cap.* 3 *& annum deſignat & totum cum eccleſia cœnobium tum deflagrâſſe ſignificat, veriſimillimè ex Gandenſi Chronico. ſic habet:* Anno Domini DCCCXIII totum cœnobium Gandenſe caſuali incendio deſtruitur. *Conſonat Oliverus ex ſuis Chronicis:* Deſtructio hujus cœnobii inteſtino incendio tempore Briddonis abbatis totaliter concremati anno DCCCXIII. *Verùm, quod nec Oliverus, nec anonymus noſter annotârunt, dat rurſum Sanderus ibidem cap.* 4 *dicens:* In ejus autem (*Wenebaldi abbatis*) anno DCCCIX defuncti locum venit Briddo, qui obiit DCCCXVI undecimo Kal. Martii, poſt cujus mortem facta eſt fratrum diſperſio in Angliam uſque ad creatum Eynardum in abbatem.

B

C

Eginhardus abbas reſtaurat & reliquiis ditat;

15 *Pergit dein Sanderus ejuſdem Eynardi, quem alii* Einhardum & Eginhartum *nominant, geſta aliquot adjunctis chronologicis characteribus deſcribere:* Eynardus, capellanus Ludovici piiſſimi imperatoris & antè Caroli Magni imperatoris cancellarius, fit anno DCCCXXVI abbas Gandenſis cœnobii. Is ſtatim cœnobium incendio deformatum reſtituit, vagoſque monachos in unum reduxit, & anno DCCCXXVIII reliquias SS. Marcellini & Petri allatas ad ſuam eccleſiam Gandavenſem tranſmiſit V Non. Julii. Impetravit etiam à Ludovico imperatore approbationem privilegiorum cœnobii Gandenſis, quæ antea pater ejus Carolus ei conceſſerat & alia privilegia nova. *Eadem de ſuſcepti per Eginhardum Bavonianæ abbatiæ regiminis initio & miſſis illuc SS. Marcellini ac Petri reliquiis tradit Meyerus in Annalibus & Chronicis Flandriæ. At ſicut Sanderus non edicit, ſe illa reperiſſe in Bavoniano Chronico, ita nec indicat Meyerus, unde acceperit. Undecumque tamen acceperint, rectè ſignati ſunt dies & annus adventûs reliquiarum ad cœnobium Gandenſe: ut videre eſt in Opere noſtro tom.* 1 *Junii, ubi ad diem* 2 *menſis de SS. Marcellino presbytero, Petro exorciſta & aliis ſanctis martyribus actum, multaque in laudem Eginhardi adducta ſunt.*

D

ejuſque privilegia

16 *Non ita accuratè ſignatus eſt annus ſuſcepti regiminis ab Eginhardo, ut patet ex ipſo diplomate Ludovici Pii ſuper approbatione privilegiorum laudata à Sandero, quod datum ſcribitur anno imperii noſtri ſexto, Indictione* XII, *id eſt anno Chriſti* 819, *quo proin jam tum abbas erat Eginhardus. Diploma iſtud prout à Miræo tom.* 1 *Operum Diplomaticorum pag.* 18 *ſecundæ editionis vulgatum eſt, huc transfero.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris noſtri Jesu Christi. Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator auguſtus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejuſque in eiſdem locis ſibi famulantes, beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco noverit omnium fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, noſtrorumque præſentium ſcilicet ac futurorum ſolertia, quòd vir venerabilis Einhardus, ex monaſterio, quod dicitur Ganda, quod ſitum eſt in pago Brachbatenſe, conſtructum in honore S. Petri principis Apoſtolorum, ubi etiam S. Bavo confeſſor Chriſti corpore quieſcit, detulit obtutibus noſtris auctoritatem immunitatis domini & genitoris noſtri Caroli, bonæ memoriæ præſtantiſſimi imperatoris, in qua continebatur inſertum, qualiter ipſe ob amorem Dei, tranquillitatemque fratrum in eodem monaſterio degentium, ſemper pro pleniſſima defenſione & immunitatis tuitione habuiſſet.

E

renovat & confirmat Ludovicus Pius imperator

17 Pro firmitatis namque ſtudio poſtulavit nobis prædictus Einhardus abbas, ut paternæ auctoritati, firmitatis gratiâ, noſtram quoque ſuperadderemus auctoritatem. Cujus petitioni libenter aſſenſum præbuimus, & hanc noſtram auctoritatem erga prædictum monaſterium, ejuſque rectores, immunitatis atque tuitionis gratiâ fieri decrevimus: per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus judex publicus vel quiſlibet ex judiciaria poteſtate, in eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memorati monaſterii, quod moderno tempore in quibuſlibet pagis ac territoriis infra ditionem noſtri imperii juſtè ac legaliter poſſidet, vel quæ deinceps in ipſius ſancti loci commodum voluerit divina pietas augeri, ad cauſſas audiendas vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quàm & ſervos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redhibitiones aût illicitas occaſiones requirendas, noſtris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſuprà memorata ſunt, penitus exigere præſumat.

F

diplomate anni 819, *quod cum aliis*

18 Sed liceat memorato abbati ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti monaſterii tum omnes fredos conceſſos, ſicut in præcepto domini & genitoris noſtri continetur, ſub immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine poſſidere, & noſtro fideliter parere imperio, quatenus ipſos ſervos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & conjuge proleque noſtra, atque ſtabilitate totius imperii noſtri, à Deo nobis conceſſi atque conſervandi, jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem & à fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris veriùs certiùſque credatur & diligentiùs conſervetur, manu

A manu propria ſubterfirmavimus & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Data Idibus Aprilis anno, Chriſto propitio, imperii noſtri ſexto, Indictione XII. Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. ſignum Ludovici ſereniſſimi imperatoris.

ſervatur Gandavi in epiſcopali palatio.

19 *Diplomati ſubjicitur hoc editoris monitum:* Iſtud Ludovici Pii, ut & Caroli Calvi, itemque Othonis II imperatorum Diplomata in favorem Gandenſis ſeu Bavonici monaſterii conceſſa hodieque integra cum ſigillis ſuis, Gandavi in palatio epiſcopali adſervantur, quæ pro ſua humanitate reverendiſſimus D. Antonius Trieſtius, epiſcopus Gandenſis, nobis exhibuit ac communicavit. Integra, inquam, adſervantur, utpote à Normannis (quod rarum in Belgicæ monaſteriis) numquam violata, ut narrat. Ingruente namque Normannorum in Belgicam irruptione, monachi Gandenſes cum Sanctorum pignoribus ac diplomatibus primò Audomaropolim, inde Laudunum Clavatum, Laon, Picardiæ urbem, ſe contulerunt declinandæ tempeſtati. Quo in tractu annis plus minùs centum perſtiterunt, & rebus ſedatis, Gandavum ad vetus ſuum monaſterium poſtliminio redierunt.

B *Hæc ille, potiſſimùm ut conſtet de fide & auctoritate hujus ac aliorum documentorum. Quæ adjungit de Normannorum irruptione, monachorum fuga &c, mox latiùs explicata exhibebimus.*

Eodem ſeculo monaſterium de S. Bavonis nomine vocabatur.

20 *In iſto porrò diplomate advertimus, quòd monaſterium, licèt corpus* S. Bavonis *illic quieſcentis memoretur tamquam pretioſiſſimum ejus cimelium, ſolo S. Petri, primi patroni, nomine veniat, ſed in aliis ejuſdem ſeculi* IX *diplomatis videbimus, aliquando SS. Petri & Bavonis, aliquando etiam ſolius* S. Bavonis *titulo inſignitum fuiſſe. Hoc uno titulo utitur Eginhardus locis pluribus. In hiſtoria tranſlationis SS. Marcellini & Petri tom.* I *Junii pag.* 185: Ego, *inquit*, tunc temporis juxta Scaldim fluvium in monaſterio S. Bavonis eram. *Rurſum ibidem pag.* 201: Alter libellus mihi oblatus eſt de monaſterio S. Bavonis: *& paulò inferiùs:* Venerunt reliquiæ ſanctorum Chriſti martyrum Marcellini & Petri ad monaſterium S. Bavonis. *Idem in Epiſtola, apud Cheſnium tom.* 2 *Scriptorum Francorum ordine duodecima:* Cenſum noſtrum recipiat (*Willibaldus presbyter*) ab hominibus noſtris tam apud S. Bavonem, quàm in Blandinio monaſterio.

C *Memorabile eſt, quod habet Eginhardus Epiſtolâ* 24: Notum tibi facimus, quia cerâ indigemus ad ſervitium noſtrum & hoc in iſtis locis recuperare non poſſumus, quia parvus proventus mellis fuit per hos duos annos in iſtis regionibus. Ideo volumus, ut tractes atque conſideres eum N, qualiter ſi fieri poteſt, unam ſoumatam * nobis faciatis ſimul cum vaſallis noſtris, qui ad nos de illis partibus poſt Missam sancti Bavonis revertuntur.

* *fortè* onus unius equi

Miſſa S. Bavonis quid olim

21 *Vocis* Miſſa *ad iſtum modum uſurpatæ plura exempla ex antiquis ſcriptis profert Cangius in Gloſſario. Sumitur autem paſſim pro feſto ejus Sancti, cujus nomen adjungitur. Hinc conjicies feſtivitatem* S. Bavonis *fuiſſe jam tum ſeculo* IX *percelebrem; nec ſolùm apud Belgas noſtros, ſed & apud exteras nationes: quandoquidem homines, qui Gandavum veriſimillimè ad dictam feſtivitatem peregrè profecti fuerant, juberentur in reditu ad regionem, ubi ceræ erat inopia, afferre inde ſoumatam unam, id eſt, ni fallar, tantum ceræ, quantum unus equus geſtare poſſet. Vox* Miſſa *etiam hodie eſt uſitatiſſima apud Belgas ad ſignificandam unam & alteram anni feſtivitatem. Sic feſtum Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti vulgò dicitur* Kerſtmis, *id eſt*, Chriſti Miſſa; *feſtum purificatæ beatiſſimæ Mariæ Virginis* Lichtmis *dicitur, id eſt*, Miſſa luminum. *Plures hujuſmodi feſtorum appellationes, quantum novi, non retinuit lingua Belgica. Vulgatiſſimæ quidem ſunt voces* Kermis & Baefmis; *ſed eæ nunc latiorem ſignificationem nactæ ſunt.* Kermis *ſeu potiùs* Kerckmis, *latinè* Miſſa eccleſiæ, *olim uſurpabatur ad deſignandum diem anniverſarium dedicati templi: nunc autem etiam nundinæ & epulæ lautiores, quocumque anni tempore inſtituantur,* Kermis *dicuntur; quia nempe præſertim circa feſtum dedicati templi nundinæ celebrari & eò advenientes peregrini ab amicis lautè excipi conſueverunt.*

AUCTORE J. P.

& quid nunc ſignificet.

22 *Similiter* Baefmis, *latinè* Bavonis Miſſa, *cujus primarius uſus fuit deſignare feſtum præcipuum* S. Bavonis, *nunc tam à Gandenſibus, quàm ab omnibus paſſim Flandris, Brabantis, aliiſque qui Belgico idiomate utuntur, adhibetur ad indicandum initium anni ſcholaſtici, ſeu menſem Octobrem: quia hoc menſe circa feſtum* S. Bavonis *ſcholaſticæ exercitationes reſumuntur poſt aliquot hebdomadarum ferias, ſive vacationem à ſtudiis; & hæc quoque vacatio, nomine ab aliis diſtincto,* E *dicitur* Baefmis vacantie, *id eſt, vacatio ad* Miſſam S. Bavonis *ſeu prævia feſto* S. Bavonis. *Præterea vocis* Baefmis *uſus non infrequens eſt, dum ſermo inſtituitur de affectione aëris, dum videlicet lætioribus anni partibus aër eſt ſolito procelloſior, tum dicunt eſſe* Baefmis weder, *quibus verbis intelligunt tempeſtatem, qualis eſt menſe Octobri poſt feſtum* S. Bavonis. *Atque hinc denuo conjicias, quàm celebre & olim fuerit & nunc ſit per univerſum Belgium Sancti noſtri nomen: at quàm ſublimem de ipſomet opinionem conceperint homines, docet carmen, quod, licèt à quo vel quando conſcriptum, ignorem, huc transfero ex laudatis Sandero & Molano:*

Antè perit mundus, redeat quàm Bavo ſecundus.

§ II. Reliquiæ Audomaropolim ac deinde Laudunum à monachis Gandenſibus ob metum Normannorum fugientibus transferuntur: an hi in hujus ſuburbano S. Vincentii monaſterio commorati ſint; quæ ſit Nigella, in qua habitârunt, & an in ea aliquæ fuerint S. Bavonis reliquiæ. F

Anno 846 *monachi cum reliquiis Audomaropolim*

PAcem & tranquillitatem, *quam reſtaurato Gandenſi cœnobio, & revocatis illuc monachis conciliaverat Eginhardus, eodem ſeculo nono nova perturbavit procella, imminens ſcilicet Normannorum irruptio ex Miræo ſuperiùs indicata. Sanderus quem, quòd Bavonianum Chronicum citet, aliis neotericis ſcriptoribus præmitto, materiam hanc pertractat Rerum Gandenſium lib.* 4 *cap.* 3: Anno, *inquit*, DCCCXLVI Hericus abbas

AUCTORE J. P.

bas Gandenſis incurſiones Normannorum & Danorum metuens, corpus S. Bavonis cum aliis multis reliquiis ad S. Audomarum, quaſi ad tutum locum, tranſportari fecit, & ipſe unà cum ſuis monachis eò fugit, tanquam ad tutiorem & munitiorem locum. *Eadem penè tradit, ſed nomen abbatis aliter exprimit cap.* 4, *dicens:* Eynkericus ſucceſſit Eynardo. Hic propter incurſiones Normannorum, corpora SS. Bavonis & Pharahildis cum aliis reliquiis Sanctorum tranſtulit ad caſtrum S. Audomari. Obiit DCCCLII Id. Julii. *Hîc lectorem remittit Sanderus ad Locrium in Chronico Belgico, fortaſſe propter addita de S. Pharailde, cujus Acta illuſtrata ſunt* IV *Januarii. At cùm Locrius ipſe auctorem ſuum agnoſcat Meyerum, hujus verba damus ex Chronicis Flandriæ:* DCCCXLVI. Corpora ſanctorum Bavonis & Pharahildis Enkericus abbas Gandenſis ac Frangerus prætor metu Normannorum tranſportaverunt ad caſtrum Fani Audomari, Sithiu tunc dictum. *Loci* Sithiu *ac Sithienſis celebris abbatiæ, nunc* S. Bertini *appellatæ, Audomaropoli civitate Arteſiæ in Belgio, ampla notitia data eſt tom.* 2 *Septembris in S. Bertino, & tom.* 3 *ejuſdem menſis in S. Audomaro, quos conſule.*

B

fugiunt ob metum Normannorum, à quibus

24 *Auctor anonymus Chronici de Geſtis Normannorum in Francia apud Cheſnium tom.* 2 *Scriptorum pag.* 525 *cauſam allegat, cur ad iſtum potiùs quàm ad alium locum delatæ fuerint tum* S. Bavonis *tum aliorum, quos ſimul enumerat, Sanctorum reliquiæ:* Anno, *inquit*, Domini DCCCXLVI pyratæ Danorum Freſiam adeuntes, provincias & eccleſias vaſtaverunt, & populum in eis occiderunt. Quod audientes Flandrenſes vicinarumque urbium pontifices & abbates cum Sanctorum ſuorum reliquiis ad ſanctum venerunt Audomarum, quia muro valido & turribus atrium ejus divinâ providentiâ munitum erat. Iſti ſunt Sancti, qui propter perſecutionem illam pervenerunt ad idem caſtrum. Sancti Bavo, Wandregiſilus, Ausbertus, Vulfrannus, Waſuulphus, Piatus, Bainus, Winnocus, Auſtreberta virgo; & quadraginta annis eorum aliqui ibi permanſerunt. Eodem anno Northmanni Friſiam adeuntes, recepto pro libitu cenſu, pugnando quoque victores effecti provinciâ potiuntur. *Hæc, quæ ferè eadem leguntur in Hiſtoriis Normannorum, ab eodem Cheſnio editis pag.* 2, *omnino confirmant ea, quæ mox recitavimus ex Sandero & Meyero, atque ſimul declarant, quæ, ſuppreſsâ loci notitiâ, de prima hac tranſlatione tradit num.* 12 *anonymus noſter auctor Miraculorum* S. Bavonis *verbis ſequentibus:* Incolæ loci hujus (*monaſterii Gandenſis*) tam calamitoſæ vaſtationis irruptionem metuentes, inclyta ſanctiſſimi Patris (*Bavonis*) membra tuto in loco cuſtodienda depoſuerunt. *Sed erravit auctor Chronici Normannici, dum* S. Bavoni *& aliis junxit SS. Wandregiſilum & Anſbertum, quorum corpora nec iſto anno, nec Fontannellâ Audomaropolim tranſlata fuêre, ut oſtenſum eſt ad diem* XXII *Julii* § 4 *Commentarii prævii ad Acta S. Wandregiſili.*

C

paulò poſt deſtructum eſt monaſterium,

25 *Id, quod veriti fuerant Gandenſes monachi, evenit non multis pòſt annis:* Anno *enim* DCCCLI Normanni & Dani barbara crudelitate Gandavum cum cœnobiis Gandenſi, Blandinienſi ac Trunchinienſi, ferro & igni vaſtaverunt: *ut refert Sanderus & cum ipſo Meyerus ac Locrius, teſtanturque varii chroniſtæ antiquiores. Horum unum tamquam Bedæ continuatorem laudat deſcribitque mox memoratus anonymus, qui ſeculo* 10 *Miracula* S. Bavonis *collegit, quemque & nos deſcribimus:* In Chronica poſt Bedam ſcriptum hoc modo eſt: "Anno ab Incarnatione „Domini noſtri Octingenteſimo quinquageſimo „primo piratæ Danorum cum ducentis quadra„ginta duabus navibus Freſiam & Batavos po„pulantur. Sed & uſque ad monaſterium ſancti „Petri & ſancti Bavonis, quod Gandavum di„citur, debacchantes, idem monaſterium in„cendunt. Venienteſque urbem Rotomum uſ„que ad Belvacum pedeſtri gradu perveniunt.„ *Conſonat ad eumdem annum annaliſta Bertinianus apud Cheſnium tom.* 3 *Scriptorum pag.* 205 Pyratæ Danorum Freſiam & Batavos populantur. Sed & uſque ad monaſterium ſancti Bavonis, quod Gant dicitur, debacchantes, idem monaſterium incendunt. Venienteſque *&c. ut ſuprà. Nec diſſonat chroniſta de Geſtis Normannorum apud eumdem tom.* 2 *pag.* 525, *niſi quòd hîc ſignetur annus* 850 *veriſimillimè errore librarii:* Anno Domini DCCCL. Northmanni Freſiam & Batavos populantur, & in oppido Gandavo venientes, ſancti Bavonis monaſterium incendunt. Deinde Rotomum *&c.*

D

E

anno 853 *Audomaropoli Laudunum,*

26 Taſradus, aliis Tafridus, *ſic pergit Sanderus cap.* 4, ſucceſſit Eynkerico (*abbati anno* 852 *Audomaropoli, ut ſequitur ex præmiſſis, defuncto.*) Hic anno DCCCLIII cum ſuis monachis & corporibus Sanctorum ac reliquiis ex Caſtro D. Audomari terrore Normannorum Laudunum Clavatum, Galliæ civitatem transfugit; cùm animadverteret, ſe cum ſuis ne quidem in S. Audomaro tutum fore: & tandem anno DCCCLXVII obiit Lauduni XII Kalend. Aprilis, apud Nigellam ibidem ſepultus. *Conſonant denuo Meyerus & Locrius. Sufficient prioris verba:* Taſradus Gandenſis abba corpora divorum Bavonis & Pharahildis ex caſtro divi Audomari terrore Normannorum Laudunum tranſtulit. *Nituntur etiam iſta teſtimonio ſæpe dicti ſcriptoris Miraculorum* S. Bavonis, *quatenus ſcilicet ſpectant ad reliquias Laudunum tranſlatas: nam quod ſpectat ad reliqua, licèt ſignificet, priùs ſacras reliquias metu Normannorum tuto in loco depoſitas fuiſſe, ut ſuprà oſtendimus, locum tamen non nominat, imò narrationem ſuam ſic diſponit, acſi reliquiæ rectà Gandavo Laudunum delatæ fuiſſent. Nunc textum ipſius audiamus:* Deinde etiam inſanias Danorum, qui ſupervenire parabant, metuentes, ipſius Sancti Dei reliquias cum aliis plurimorum Sanctorum Laudunenſium ad opinatiſſimum & * montem regium inibi ſervandas tranſtulerunt. Theſaurum quoque cum vario ſancti loci ornamento ſecum deliteſcendo aſportaverunt: quidam etiam propter locum venerabilem ſervandum ſubſtiterunt. *Poſtrema verba ſat clarè deſignat Gandenſe monaſterium, ubi ſi ſubſtiterint aliqui monachi, id factum non eſt tum primùm, quando ſacra lipſana Laudunum, ſed quando Audomaropolim ante monaſterii devaſtationem tranſportata ſunt.*

F

* & *abundat*

in cujus ſuburbano S. Vincentii monaſterio

27 *Eſt porrò Laudunum, vulgò* Laon, *civitas munita Galliæ in provincia Inſulæ Franciæ & in limite Picardiæ, cujus pars olim exſtitit; ſita in excelſo monte, qui hîc* regius *appellatur, quia aliquando reges iſtic ſedem ſuam fixerunt. Locum, ubi tunc depoſitæ ſint ſacræ reliquiæ, ac ſubſtiterint monachi, nec ſcriptor Miraculorum definit, nec ſat clarè ſignat Sanderus ſeu Bavonianus chroniſta. Mabillonius tamen tom.* 3 *Annalium pag.* 12 *eum extra civitatem ſtatuit, ſic ſcribens:* Incenſo,

A censo, ut præmissum est, S. Bavonis Gandensi monasterio, monachi Laudunum, quod veteres Lugdunum Clavatum vocant, cum corpore sancti Bavonis & sacra supellectile se recipiunt ad suburbanum sancti Vincentii monasterium, aliàs sancti Christophori appellatum, ubi per multum temporis hospitati, non nisi sæculo insequente ad propria postliminio redierunt. *Ibidem pag.* 446 *ad annum* 939, *narraturus monachorum* S. Bavonis *cum sacro thesauro suo reditum ad Gandense cœnobium, ita præfatur:* Eversо ante annos octoginta Gandensi sancti Bavonis monasterio, ingens eo loci solitudo, vepres ac spinæ ibidem exortæ: monachi extorres cum Sanctorum reliquiis palabundi, primùm quidem Lauduni apud sanctum Vincentium per annos ferè triginta constiterunt; deinde canonicis ibidem à Didone episcopo institutis, ad Nigellam Briegii pagi (nam Nigellense Picardiæ necdum conditum erat) se contulerunt, ubi Radulphus eorum abbas sepultus est, qui tamen Lauduni obierat anno octingentesimo octogesimo secundo. Post hunc electus Elias apud sanctum Vincentium humatus.

B 28 *Quod ait auctor iste de institutis in Vincentiano monasterio canonicis à Didone episcopo, verum esse probatur ex Charta Didonis, ab ipso Mabillonio edita lib.* 6 *de Re diplomatica pag.* 553, *scriptaque, ut notatur in fine*, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXXVI: *sed nullum hîc verbum de monachis Gandensibus. Idem Mabillonius in Annalibus ad annum* 886 *recitatis aliquot Chartæ verbis, unde constet, dicto anno introductos fuisse canonicos in S. Vincentii monasterium, mox addit:* Persistebant nihilominùs in eadem sancti Vincentii ecclesia monachi cœnobii sancti Bavonis Gandavensis, ut patet ex his, quæ superiùs diximus de Radulpho eorum abbate ibidem electo, cujus successor Helias itidem eo loci postea electus est. *Locum, ubi ante annum* 886 *de Radulfo ejusve electione se egisse indicat, magno labore ac diligentia quæsivi, nec inveni. Hinc fit, ut mentem ejus non assequar, nec textum hunc cum iis, quæ scripsit postmodum ad annum* 939, *quæque primo loco recitavi, componere valeam. Nam hîc ad annum* 886 *dicit, Gandenses, introductis ad S. Vincentium canonicis, nihilominus illic perstitisse, igitur usque & ultra annum* 886. *Postea autem scribit Mabillonius ad annum* 939, *Gandenses, institutis ad S. Vincentium monachis, se contulisse ad Nigellam & hîc quidem sepultum esse Radulfum, qui Lauduni obierat* anno octingentesimo octogesimo secundo, *quarto nimirum antequam canonici ad S. Vincentium constituti sunt.*

ipsos commoratos esse,

C 29 *Præterea Radulfus, ut est apud Sanderum, Tasrado, qui vivere desiit anno* 867, *suffectus est abbas. Quid autem produxisse credam Mabillonium, cùm de Radulfo ejusve electione ageret, unde pateat, Gandenses perstitisse in S. Vincentii monasterio usque vel ultra annum* 886; *præsertim, dum ex Sandero clarè eruo, eosdem Gandenses degisse in Nigellensi monasterio jam ante annum* 882, *nec ullam in eodem Sandero vocem deprehendo, quâ certus reddar, Gandenses monachos umquam commoratos esse in Vincentiano cœnobio? Uno dumtaxat loco recurrit mentio hujus cœnobii apud Sanderum his verbis:* Elias abbas, à fratribus (*Gandensibus*) post hunc (*Radulfum*) electus, obiit DCCCXCV quarto Id. Decemb. Lauduni in ecclesia S. Vincentii sepultus.

scribit Mabillonius.

Sed quis inde concludat, Eliam ejusque decessores cum monachis suis in S. Vincentii monasterio habitâsse, dum, quæ ibidem præcedunt, oppositum suadent, ut ostendimus?

AUCTORE J. P.

30 *Mabillonius Seculo* 5 *Benedictino in Observationibus præviis ad Vitam S. Gerardi abbatis Bronienſis pag.* 250, *locum affert ex Chronico Ms. sancti Vincentii Laudunensis, qui seorsum spectatus magis favet commorationi Gandensium in prædicto cœnobio. Est autem hic:* Anno Domini DCCCXCV Elias XIX abbas sancti Bavonis Gandensis cœnobii Lauduni, in cœnobio obiit sancti Vincentii nunc appellato, IV Idus Decembris, & ibidem cum monachorum mærore sepelitur. Monachi verò pastore destituti, & in miseria magna, utpote in extraneis constituti, nullam celebraverunt electionem; sed per diversa loca vagantes, miserabiliter fuerunt dispersi per multa annorum curricula, usque ad tempus Gerardi abbatis, genere & sanctitate venerabilis viri, qui præfato monasterio sancti Bavonis per Transmarum Noviomensem vel Tornacensem episcopum & Arnulfum Magnum Flandriæ comitem anno CMXXXVII in abbatem ordinatus est. *Prioribus verbis huc potissimùm spectantibus indicatur, Eliam non tantùm sepultum fuisse in cœnobio S. Vincentii, ut est apud Sanderum, sed in eodem loco defunctum & sepultum esse cum mœrore monachorum, utique suorum Gandensium ibidem commorantium. Sed quo tempore & à quo laudatum Chronicum confectum sit, quave proin auctoritate polleat, subticet Mabillonius.*

sed Chronicum Laudunense, quod ipse citat, quodque videtur

E

31 *Ad hæc Lucas Acherius, Mabillonii collega, in Notis & Observationibus ad Opera Guiberti abbatis B. Mariæ de Novigento pag.* 648 *dat Summarium Historiæ monasterii & abbatum S. Vincentii Laudunensis, collectæ ex veteribus schedis per Emilianum de la Bigne Ordinis sui sacerdotem; at nusquam meminit ejusdem Chronici. Primùm loci hanc notitiam subministrat.* Lauduno Clavato quasi insidet sancti Vincentii monasterium. Uno fermè lapide distans ab eadem urbe, situm est in monte, quem inter & ipsam urbem (in monte itidem collocatam) vallis interjacet. *Dein*, Fundatur, *inquit*, ut conjectura est, à Bruna Clodovei I regis Francorum filia... Adeo siquidem tenebris obvoluta sunt illius monasterii primordia, adeo altum silentium apud historicos ac veterum monumentorum penuria tanta, ut vix conjecturis possit inniti. *Tum interpositis paucis de Bruna, quæ fortè Brunichildis fuerit, Sigeberti I conjux, generatim subdit:* Post fundationem institutionemque monachorum variis est labefacta cladibus abbatia sancti Vincentii: quam & diversis clerici incoluêre temporibus, ac tandem anno salutis DCCCCXLVII Roricius .... episcopus Laudunensis .... monachos .... substituit, eisque Mecalmum præfecit abbatem. *Ab hoc Mecalmo seu Melchalmo Acherius post Emilianum de la Bigne abbatum seriem exhibet, nihil commemorans de ejus decessoribus, eumque secuti sunt Sammarthani fratres in Gallia Christiana. Idem fecerunt scriptores Galliæ Christianæ auctæ tom.* 9, *ubi lugentes, quòd ob prostrati monasterii veteris ruinas nihil de primis ejus per tria quatuorve secula præpositis certum ac definitum afferre liceat, unum quidem & alterum nominant, quos tamquam abbates posuit in Collectario suo generali Johannes à Guisia; at simul indicant, hunc scriptorem seculi decimi quarti tantùm, nec admodum accuratum,*

non novisse vel neglexisse alii,

F

AUCTORE J. P.

parùm aut nihil reſcire certóve tradere potuiſſe de rebus ab ætate ſua adeo remotis; aſſeruiſſe, ſed non probâſſe documentis.

non habet ſufficientem

32 *Revertamur modò ad citatum à Mabillonio Chronicum Ms. S. Vincentii Laudunenſis. Ejus auctor tam diſertè Eliæ peregrini abbatis obitum, annum, diem ac ſepulturam in dicto monaſterio annotat, ut veriſimile non ſit, hinc ipſum Operis ſui exordium duxiſſe: præmiſerit certò alia de iſto monaſterio vetuſtiora. Quid porrò cauſæ eſſe dicam, cur de la Bigne, Acherius aliique citati illud Chronicum ne nominârint quidem, ubi res ejuſdem monaſterii pertractarent ac de penuria documentorum conquererentur? Imò ſi ab obitu Eliæ inchoatum ſit Chronicum, cur ſaltem hoc ipſum non indicârunt? Cogimur ſuſpicari, Chronici auctorem nec ſatis antiquum nec ſatis accuratum inventum eſſe, cujus aſſerta, vetuſtis teſtimoniis deſtituta, fidem facerent, talem ſcilicet, qualem ſcriptores Galliæ Chriſtianæ auctæ judicârunt eſſe Johannem à Guiſia. Suſpicamur, inquam, Chronicum fuiſſe conflatum ab homine poſteriorum ſeculorum, qui in gratiam ſui monaſterii corraſerit ex ſcriptis extraneorum quæcumque & qualicumque modo ad idem pertinerent, eaque pro arbitrio auxerit vel expoſuerit. Inde factum, ut, quæ in Bavoniano Chronico referuntur de ſepultura Eliæ, ſic expoſita ſint in Laudunenſi, ut etiam intelligantur de morte obita in Vincentiano monaſterio, & ſepultura peracta à monachis Gandenſibus ibidem habitantibus.*

B

auctoritatem, ut fidem faciat.

33 *Verùm etiam iſta expoſitio adverſatur ſententiæ Mabillonii in Annalibus Benedictinis ad annum 939, ubi ait, Gandenſes monachos, everſo cœnobio ſuo Gandenſi extorres cum Sanctorum reliquiis palabundos, primum Lauduni apud S. Vincentium* per annos ferè triginta *conſtitiſſe; dein, canonicis ibidem à Didone epiſcopo inſtitutis (anno 886) ad Nigellam monaſterium Briegii pagi ſe contuliſſe. Nam ſi mox poſt everſum anno 851 monaſterium ſuum, ut ad dictum annum ſimiliter inſinuat Mabillonius, Gandenſes ſe Laudunum ad S. Vincentium contulerint, non tantùm* triginta ferè *ſed pluſquam quadraginta annis ibidem conſtiterint, cùm anno duntaxat 895 inde abierint, ut verba Chronici Laudunenſis exigunt. Quapropter dum tam infirmis fundamentis nititur Gandenſium monachorum in cœnobio S. Vincentii habitatio; dum iis ſaltem in locis, quos reperire potui, ſibi tam parùm conſtat præcipuus ejus aſſertor Mabillonius, equidem donec meliora afferantur, illam ut non ſatis probatam habebo, & ordinem rerum, quem dat Sanderi Chronicon, ſequar, additis elucidationis gratiâ brevibus obſervationibus.*

C

Nigella, in qua habitârunt monachi, melius, quàm in Picardia,

34 *Anno 853 Taſradus abbas cum monachis & reliquiis Audomaropoli Laudunum transfugit; ubi anno 867 obiit, quando jam tum monachi cum reliquiis Nigellenſe monaſterium incolebant. Id erno primùm ex eo, quòd* apud Nigellam *ſepultus ſit Taſradus. Secundò & clariùs ex eo, quòd Taſradi ſucceſſor Radulfus apud eumdem Sanderum dicatur electus à fratribus in Nigellenſi monaſterio degentibus. Verba, quæ ſubdo, nullum patiuntur dubium:* Radulfus ſucceſſit Taſrado, à fratribus Gandenſis cœnobii abbas electus, quia dicti fratres in prædicta Nigella causâ diſperſionis degebant. Obiit is DCCCLXXXII Lauduni, & in monaſterio de Nigella ſepultus VI Id. Auguſti. *Sed ubinam jam aliquoties nominatus locus* de Nigella *ſitus eſt? Unum dumtaxat eo nomine ponunt in Notitia Galliarum Valeſius, & in Geographia Baudrandus, qui illum ſic deſcribit:* Nigella, Neſle, *oppidum* Galliæ in Picardia provincia ad Ingonum amnem 2 leucis diſtat ab Hamo in Occaſum, eſtque ferè medium inter Noviodunum ad Meridiem & Peronam ad Septentrionem. *Hunc in Sanderi Opere deſignatum putârunt Mabillonius in Notis ad lib.* 1 *Miraculorum & Pagius in Critica ad annum* 851.

D

ſtatuitur in Bria,

35 *Alterum deſignant Sammarthani tom.* 4 *Galliæ Chriſtianæ inter Galliæ abbatias his verbis:* Nigella Abſcondita (*vulgò* Neſle la repoſte) Ord. S. Benedicti, diœceſis Trecenſis in Bria non longè à Villanoxa. *De eodem loco ſeu abbatia agit Nicolaus Deſguerrois in Opere cui titulus:* Sanctitas Chriſtiana diœceſis ac civitatis Trecenſis *ad annum* 514, *circa quem abbatia iſta, totius diœceſis antiquiſſima, exſtructa creditur. Locum ſe adiiſſe teſtatur anno* 1632 *& quæcumque ſcribit, vel oculis conſpexiſſe vel audiviſſe ex monachis. Mox autem declarat, abbatiam iſtam cognominari* abſconditam, *quia in convalle duorum montium ita abſconditur, ut propter arbores & loci profunditatem non conſpiciatur niſi in deſcenſu, quamvis habeat turrim ingentem. Pro hoc loco, ut apud Sanderum indicato, ſtat Mabillonius in Annalibus, qui ut ſententiam mutaret, non videtur aliam rationem habuiſſe (certè aliam non allegavit) quàm quòd apud Sanderum Nigella dicatur monaſterium, & Nigellenſe Picardiæ necdum conditum eſſet, dum hæc facta ſunt.*

E

ubi aliquæ Sancti reliquiæ eſſe creduntur,

36 *Mabillonii ſecunda ſententia mihi etiam probabilior eſt tum ob allatam rationem, tum quia locus ob ſitum ſuum aptiſſimus erat, in quo tutò lateret cum reliquo theſauro corpus* S. Bavonis, *quod potiſſimùm intendebant Gandenſes monachi. Huc accedit (idque fortiſſimum videri poterit argumentum) quòd in monaſterio de Nigella abſcondita anno* 1624 *die* XXVII *menſis Maii facta ſit reliquiarum inſpectio, cujus Acta Latinè exarata & à Præpoſito monaſterii ſubſignata laudatus Desguerrois ſe teſtatur præ oculis habuiſſe, dum ſcriberet. Ex iis autem Actis Gallicè recenſet reliquias, & has inter:* Des os de S. Babon (ou Bavon) *quæ verba Latinè ſonant:* Oſſa, *ſeu ex* oſſibus aliqua S. Babonis (vel Bavonis) *quæque de alio non videntur intelligi quàm de Sancto noſtro. Neque obeſt, quòd, ſicut poſtmodum probabitur, ſacrum corpus circa annum 939 ex Gallia Gandavum monachi retulerint integrum, ipſaque ſigilla,* antiquâ manu *thecæ* infixa, *inventa ſint* integerrima, *prout teſtatur ſcriptor Miraculorum* S. Bavonis: *nam oſſa iſta, poſtquam corpus relatum fuit Gandavum, tranſmitti potuerunt ad Nigellam abſconditam, ſive quòd id rogaverint loci monachi, ſive quòd Gandenſes id ſponte fecerint in gratiarum actionem pro tam diuturna hoſpitalitate: quandoquidem ſecundùm ea, quæ traduntur apud Sanderum ad annum 939, ſacræ reliquiæ ex quo Lauduno aſportatæ fuerunt, alio loco quàm in Nigellenſi cœnobio depoſitæ non fuerint, donec referrentur Gandavum. Verba apud Sanderum ſic habent:* Anno CMXXXIX S. Bavo cum aliis Sanctorum pignoribus & reliquiis de Lauduno ad monaſterium de Nigella tranſlatus, ad arcem oppidi fui . . . reportatur.

F

dubitandique ratione non una

37 *Atque hæc ſunt, quæ Mabillonii ſecundam ſententiam longè probabiliorem faciunt. Verumtamen, ne quid diſſimulem, ratio eſt non una, quæ retinet, quò minùs omne dubium de ejus veritate deponam; quominus, inquam, dubitem, an umquam ſacræ reliquiæ, poſtquam Landuno depoſi-*

A *tæ fuerunt, aliò deportatæ fuerint, quàm Gandavum. Prima ratio eſt, quòd ſcriptor Miraculorum nullam Nigellæ ſeu Nigellenſis monaſterii mentionem faciat. Altera ratio eſt, quòd Meyerus in Chronicis, auctor Officii Gandenſis in Lectionibus propriis, Miræus in Faſtis Belgicis, Sanderus ipſe in Sanctis Flandriæ clarè affirment, corpus* S. Bavonis *Lauduno Gandavum relatum fuiſſe, alúmque fileant de Nigella. Audiatur Meyerus:* DCCCCXL Arnulfus (*comes Flandriæ*) cum Gerardo Cellenſi, abba Gandenſi, corpora divorum Bavonis & Pharahildis Lauduno Gandavum retulit. *Ratio denique tertia eſt, quòd apud Sanderum de Rebus Gandenſibus, unde, ni fallar, omne ſententiæ ſuæ fundamentum accepit Mabillonius æquè ac Pagius, tribus quidem locis ſermo recurrat de Nigella; ſed uno dumtaxat poſteriori tamquam diſtincta ſeu remota à Laudunenſi civitate. Priori verò loco ſic memoratur Nigella, ut mox intelligas, eſſe partem Laudunenſis civitatis:* Obiit (*Taſradus abbas*) Lauduni XII Kalend. Aprilis, apud Nigellam ibidem (*numquid non Lauduni?*) ſepultus. *Ad eumdem ſenſum reducitur locus ſecundus, ubi dicitur Radulfus poſt*
B *Taſradum electus à fratribus Gandenſibus* in prædicta Nigella *degentibus, obiiſſe* Lauduni & in monaſterio de Nigella ſepultus.

adductâ, Monachorum Gandavum,

38 *His omnibus conſideratis, quid vetat dubitare, an locus tertius corruptus non ſit, poſitumque* de Lauduno *pro* Laudunum, *ut ſenſus fuerit:* Anno DCCCCXXXIX S. Bavo, ... Laudunum ad monaſterium de Nigella tranſlatus, *Gandavum* reportatur? *Sanè ſimilibus mendis obnoxium non eſſe Bavonianum Sanderi Chronicum, nemo dixerit. Præterea ſi per Nigellam apud Sanderum denotetur Nigella abſcondita in Briegio pago, quæ Lauduno diſtat viginti quinque circitèr milliaribus Gallicis, non facilè cauſam reperimus, cur monachis Gandenſibus illic degentibus, abbates Taſradus, Radulfus & Elias Lauduni ſubſtiterint, ubi omnes diem obiiſſe traduntur. Nullum, fateor, invenio etiam Lauduni veſtigium loci, cui* Nigella *vel* de Nigella *nomen fuerit: at ſufficiunt profectò ſecula octo integra & ampliùs, ut tam nominis quàm loci memoria deperierit. Quod ſpectat ad reliquias, quæ, teſte*
C *Nicolao Deſguerrois, ſervari creduntur in Nigellæ abſconditæ theſauro, eæ quidem fortiſſimum argumentum videri poterunt pro Mabillonio contra Pagium; ſed quamdiu incertum manebit, an Sancti noſtri corpus, poſtquam Laudunum pervenit, aliò tranſlatum fuerit, quàm Gandavum, credi poterit alia de cauſa conceſſas iſti monaſterio dictas reliquias; imò dubitari, an ſint* S. Bavonis *reliquiæ. Nam cùm inſpectio reliquiarum dicti monaſterii facta ſit tantùm anno* 1624, *aſſeratque Deſguerrois, plurium Sanctorum ac Sanctarum reliquiis annexa nomina in Actis viſitationis omiſſa fuiſſe, quia ob antiquitatem & iniquitatem temporum legi nequiverant, mirum non eſſet, ſi & illud nomen ſaltem ex parte detritum fuiſſet, & ex reſiduis litteris per conjecturam adjutam qualicumque traditione de ſervato illic aliquando* S. Bavonis *corpore, factum* S. Babonis *vel* Bavonis, *ubi legendum erat* S. Baboleni, *qui fuit abbas S. Mauri prope Pariſios, vel* S. Bovini, *qui fuit epiſcopus Trecenſis, aut affine nomen alterius Sancti, cujus revera erant reliquiæ. Nunc rerum ſeriem tantiſper interruptam proſequamur.*

39 *Mortuus eſt ſecundum antè dicta Radulfus anno* 882; Elias *verò* abbas, *ita demùm apud Sanderum*, à fratribus poſt hunc electus, obiit DCCCXCV quarto Id. Decemb. Lauduni in eccleſia S. Vincentii ſepultus. Poſt cujus obitum magna exſtitit diſperſio monachorum, quæ plus quàm XL annis duravit. *Rationem, cur Elias ſepultus non fuerit apud Nigellam ſive in monaſterio de Nigella, ſicut deceſſores Taſradus & Radulfus, non aliam fuiſſe ſuſpicor, quàm quia canonici per Didonem epiſcopum Laudunenſem anno* 886, *quarto poſt Radulfi obitum, introducti in monaſterium S. Vincentii, id pro antiquo jure eccleſiæ ſuæ exegerint. Erat quippe iſti eccleſiæ ex antiquo annexum jus, ut illic ſepelirentur Laudunenſes epiſcopi, canonici, clerici, nobileſque etiam laici, prout liquet ex Chartis ſeculi* X *Roriconis epiſcopi Laudunenſis & Lotharii regis Francorum apud Acherium in Notis & Obſervationibus ad Opera Guiberti abbatis pag.* 649. *Quod autem poſt Eliæ obitum magna vel major, quàm antè fuerit, monachorum diſperſio uſque ad finem exſilii, putem proceſſiſſe ex rerum anguſtia, quâ tractu temporis premebantur in Nigellenſi monaſterio (hoc pro ſuo judicio collocabit lector vel in Briegio pago vel in Laudunenſi civitate) & ob quam nonnulli hoſpitabantur in vicinis monaſteriis, ut remanentibus apud Nigellam animo & voto uniti, unum ſemper gregem conſtituerent: nam aliàs,* quantum licebat, *vivebant ſemper ſimul & in commune.*

AUCTORE J. P. *aucta diſperſione, vivendi*

E

ratio propoſitur.

40 *Poſtremum diſertè aſſeritur in compendioſa exſilii narratione, quam proximè citatis ex Sandero verbis ſubnexam huc transfero:* Nam eo tempore à die adventûs Normannorum tanta fuit in Flandria calamitas, ut monachi S. Bavonis tos propemodum centum annos exulare, perque diverſas civitates & regiones peregrinari cogerentur, (*nempe ex Flandria Audomaropolim in Arteſia; Audomaropoli Laudunum in Picardia, nunc in Inſula Franciæ, & hinc fortè ad Nigellenſem abbatiam in Bria, tractu Campaniæ,*) Semper tamen corpus D. Bavonis aliorumque Sanctorum, ceu theſaurum longè omnium pretioſiſſimum, ſecum diligentiſſimè ac religioſiſſimè circumferentes, eorum præſentiæ fiduciâ ſe tantis in miſeriis conſolabantur: & quanquam huc illuc incerti oberrare cogerentur, ſimul tamen ſemper & in commune, quantùm licebat, vivebant, ſub uniuſque capitis obedientia ſeſe humiliter continebant; ac, ſimul atque abbas ex humanis exceſſerat, alium ſtatim in ejus locum, nihil obſtante exilio, eligebant. *Nullus tamen poſt Eliam abbas notus nobis eſt uſque ad S. Gerardum Cellenſem, de quo mox § ſequente, ubi ſimul videbimus, quis interim Gandavi fuerit rerum ſtatus.*

F

AUCTORE J. P.

§ III. Monasterii Bavoniani, dum Normanni in Flandriam irrumperent, diuque post horum discessum, miserrimus status: quo anno id restauratum, monachique in Galliis exsules Gandavum cum reliquiis S. Bavonis sint reversi; particularum ex his & ex iis S. Pharaildis Arnulpho comiti concessarum duplex translatio. Monasterii Gandensis reformatio, ejusque attributa Ordini S. Benedicti possessio. Bona monachis ablata, quando &, quibus adnitentibus, iis fuerint restituta.

B

Possessiones monachorum S. Bavonis

POst incensum anno 851 S. Bavonis *Gandense monasterium, nihil eò spectans apud veteres occurrit usque ad* 864, *quo Carolus Calvus Francorum rex prædia olim eidem collata diplomate confirmavit. Ex hoc monumento hactenus nobis conservato, ac per Miræum publici juris facto tom.* 1 *Diplomatum pag.* 26, *perspicimus tum ejusdem regis Caroli, tum Reinhelmi, aliis* Raginelmi *&* Rainelmi, *Tornacensium ac Noviomensium episcopi, curam, ut bona monasterii, quantùm tot inter turbas fieri posset, sarta tecta remanerent. Rex quippe jam antè monasterio rectorem præfecerat Adelmum comitem, aliàs quidem nobis ignotum, sed verisimiliter satis potentem, pium ac justum, qui ejus bona contra injustos invasores defenderet, ac* S. Bavoni *redituisque ab exsilio monachis conservaret. Episcopus verò unà cum laudato comite apud regem effecit, ut præsens diploma concederet.* In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Karolus gratiâ Dei rex. Si

C

erga loca divinis cultibus mancipata, propter amorem Dei, eique in eisdem locis famulantes, beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus.

Carolus Calvus diplomate confirmat,

42 Idcirco noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria, quia vir venerabilis, Noviomensium sive Tornacensium ecclesiarum præsul Reinhelmus, curam ministerii sui gerens, nec non etiam carissimus fidelis noster Adelmus comes, qui & largitu nostro rector monasterii S. Petri & S. Bavonis, quod vocatur Gand, super fluvium Schald siti, pari devotione ad nostram accedentes magnificentiam, innotuerunt canonicos ipsius cœnobii domini ac genitoris nostri Ludovici glorioſi imperatoris, ceterorumque prædecessorum nostrorum regum, ex villis suorum usibus delegatis, confirmationis quondam habuisse præcepta, sed nimia infestatione paganorum, nostrisque præpedientibus peccatis, eadem deperisse ignique cremata fuisse. Unde humiliter nostram deposcentes serenitatem, petierunt denuo memoratis sanctis fratribus nostra benignitate idem renovari, ac restitui confirmationis præceptum, quo irrefragabiliter, nulloque inhibente, villis ac rebus ipsius abbatiæ, suorum scilicet usibus à priscis temporibus delegatis liberiùs deinceps uti valerent. *Subduntur hîc villarum seu prædiorum nomina, deinde formulæ, quibus eorum possessio monasterio confirmatur, quæque legi possunt apud citatum Miræum; totum porrò diploma sive præceptum ita clauditur:* Ut autem hæc nostræ renovationis atque confirmationis auctoritas majorem in Dei nomine per supervenientia tempora obtineat vigorem, manu propria hac sub charta confirmavimus, annulique nostri impressione assignari jussimus. Signum Karoli glorioſissimi regis. Datum v Idus Octobris, Indictione xii Anno xxv regnante Karolo glorioſissimo rege. Actum apud Pettingehem villam in Dei nomine feliciter. Amen.

D

43 Pettingehem, *nunc* Peteghem, *duplex est isto nomine vicus in Flandria: alter Gandavo Cortracum versùs tertio circitèr milliario dissitus; alter prope Aldenardam ad Scaldim fluvium situs. Hunc secundum in diplomate designari dicitur in Notis apud Miræum, quæ & sententia est Meyeri in Annalibus Flandriæ ad annum* 865, *ubi notandum ait,* regum antiquitus & principum fuisse domum. *Sanderus tom.* 2 *Flandriæ illustratæ pag.* 589 *agens de eodem loco,* Peteghem, *inquit,* ad primum ab Aldenarda lapidem, ultimo quanquam hîc loco memoretur, nobilitate tamen cæteros & primatu superare pagos videtur, vel ob id solùm, quòd ab auctore non uno antiquum regum fuisse domicilium perhibeatur. *Aliud est in diplomate observatu dignum, nempe ad vocem* canonicos, *ad quam apud Miræum ista subjiciuntur:* Nota canonicos, non monachos anno DCCCLXIV in S. Bavonis monasterio resedisse. *Non diffitentur id Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom.* 5 *col.* 177; *at statim observant:* Fortasse tamen per vocem CANONICOS intelligendi sunt monachi, ut per vocem CLERICOS intelligendos esse suprà demonstravimus; vel etiam Adelmus comes, errantibus monachis cum suo abbate, præfecturam adeptus, ad cultum divinum conservandum canonicos adhibuit ad tempus.

in quo duo notatu digna

E

occurrentia discutiuntur.

44 *Fateor, si nulli ex iis monachis, qui, abbate ceterisque fratribus in Galliam profugientibus, Gandavi* propter locum venerabilem servandum substiterunt, *ut suprà vidimus, in vivis superstites fuerint anno* 864, *vel etiam illi antè in Galliam profugerint, omnino verisimile est, ab Adelmo istic ad cultum divinum conservandum adhibitos fuisse ad tempus presbyteros seculares. Sed verisimile mihi non est, hos presbyteros intellectos fuisse in diplomate per vocem* canonicos. *Etenim ii, qui* canonici *vocantur, in diplomate dicuntur, à Ludovico Pio ac decessoribus regibus bonorum ad cœnobium pertinentium* confirmationis quondam habuisse præcepta, *quod minùs convenit presbyteris, istic nuper adhiberi cœptis. Quapropter planè existimo, intelligendos esse monachos, quales certè erant Ludovici Pii decessorumque regum temporibus, appellatosque fuisse in diplomate primùm* canonicos, *dein semel ac iterum* sanctos fratres, *quia secundùm Canones, id est, secundùm regulas instituti sui, simul religiosè ac fraternè vivebant, etiam tum in Gallia exsules vel etiam Gandavi, si ex iis, qui substiterant, aliqui*

F

A *aliqui erant ſuperſtites. Verùm neque his ſeu monachis ſeu presbyteris ſecularibus ad cultum divinum conſervandum Gandavi commorantibus, pax fuit aut quies à Normannis.*

Monaſterium Gandenſe, cujus, ſævientibus Normannis,

45 *Hi quippe, referente ſcriptore Miraculorum* S. Bavonis, *vaſtata urbe Morinorum, omnique terra Menapiorum,* Scaldim fluvium intrant & omnem terram Bracbantiſiorum incendio & ferro delent & incendiis & devaſtationibus inhiantes, ſanguinemque humanum ſitientes, ad interitum & perditionem regni menſe Novembrio in Gandavo monaſterio ſedem ſibi ad hiemandum ſtatuunt anno ab Incarnatione Domini octingenteſimo octogeſimo. Tunc quoque Tornacum civitatem & omnia monaſteria ſupra Scaldim ferro & igne devaſtant, & poſt multam humani generis interfectionem Gandavum redière. *Hæc omnia penè ad verbum & plura de Normannorum crudelitate leguntur etiam in Chronico de ipſorum geſtis ad annos* 880 *&* 881 *apud Cheſnium tom.* 2 *Scriptorum Hiſtoriæ Francorum. Frequens ille barbarorum omnia devaſtantium incurſus ac recurſus cauſa fuit, ut difficilior facta ſit, & diutiùs dilata monaſterii reſtauratio; quandoquidem ea bona ac prædia, quæ ad illud pertinebant,*

B *quæque, ut colligere eſt ex Caroli Calvi diplomate, primum illorum furorem evaſerant, poſtea procul dubio eamdem ſortem ſubierint, quam ipſum antea monaſterium & tota ſucceſſu temporis regio circumjacens. Atque ita ſublata ſunt præcipua, quæ ſupererant, reſtaurando monaſterio ſubſidia.*

poſtquè horum diſceſſum

46 *Nec facilior reddita eſt inſtauratio poſt barbarorum diſceſſum; nam his abeuntibus, ipſimet potentiores regionis incolæ monaſterii fundos, terras & poſſeſſiones, prout cuique congruere videbatur, invaſerunt ac uſurpârunt. Hoc teſtatur Othelboldus abbas* S. Bavonis *in Epiſtola ad Otginam Flandriæ comitiſſam conſcripta anno* 1030, *id eſt, ſeculo non integro poſt reſtauratum monaſterium. Parte prima Epiſtolæ recenſet Sanctorum corpora & reliquias, quibus tunc ornabatur monaſterium; parte altera enumerat bona, quæ tum poſſidebat & olim poſſederat: atque hanc ita orditur:* Nunc domina noſtra dulciſſima, quoniam ſatis vobis factum eſt de corporibus & reliquiis Sanctorum, animadvertat, ſi placet, veſtra pietas, qualis quantuſque hic locus olim fuerit & ad qualem nunc dilapſus inopiam; & tamen caput regionis, primatum tenens ceterarum civi-

C tatum & ab antiquis Gandavum vocitatus caſtrum, ubi ſanctus pontifex Amandus poſt gentilium converſionem templum Domino in honore beati Apoſtolorum principis Petri reliquiis maximis conſtruxit inſertis, atque monachorum ibi catervam inſtituens, privilegiis Apoſtolicis & regum præceptis decentiſſimè corroboravit: ubi etiam inſignis pater Bavo omnium virtutum perfectione probatiſſimè conſummatus, ut antè prælibavimus à Deo omnipotente ſublimiter eſt exaltatus.

difficillima ita fuerat reſtauratio,

47 Cúmque meritis ipſius & virtutum ſignis idem locus quotidie oblationibus fidelium augeretur & creſceret, poſt plurima annorum curricula, peccatis Chriſtianorum exigentibus, Nortmanni ipſum locum adeunt, vaſtant, incendunt & omnia diripiunt; ſolummodò Sanctorum corporibus, maximis fidelium laboribus, ad montem regium Laudunenſem fugâ dilapſis. Cúmque inibi propter metum ipſorum Danorum, quoniam omnia occupaverant, diutiùs morarentur (*monachi Gandenſes*) hereditas eorum verſa eſt ad alienos, & domeſtici atque extranei diripuerunt ea. Sed & proavus ſenioris noſtri (*Balduini comitis*) Magnus Arnulfus maximas inde abſtrahens partes, Satellitibus ſuis, ſecundùm quod unicuique eorum erat contiguum, diſtribuit. *Hinc procedit Othelboldus ad enumerationem bonorum, quæ olim ſic monaſterio abſtracta fuerant & quorum aliqua necdum ſuo tempore erant reſtituta, ac dein comitiſſæ patrocinium implorat. Legi iſta poſſunt apud Miræum tom.* 1 *Diplomatum, ubi integra Othelboldi Epiſtola excuſa eſt pag.* 348 *& ſeqq.. Poſtrema verba abundè nos docent, quàm miſero ſtatu eſſent tempore, de quo hîc agimus, bona monaſterii, quámque difficilis proin ejuſdem inſtauratio.*

tandem, hortante Tranſmaro epiſcopo,

48 *Res demum tentata eſt & completa feliciter, auctore ſeu hortatore potiſſimùm Tranſmaro Noviomenſium ac Tornacenſium epiſcopo, cui ſuberat Gandenſis eccleſia,* quique, *verba ſunt ſcriptoris Miraculorum* S. Bavonis, quoniam erat ſanctorum locorum cultor, Chriſtianæque religionis avidiſſimus informator, venerabilem locum (*Gandenſe monaſterium*) ſuæ quippe diœceſios extiterat, ex intimo indoluit priſtini vigoris auctoritate denudatum, inſtituitque omnimodis inſtaurandum. *Initium epiſcopatûs Tranſmari indicat Frodoardus in Chronico:* Anno DCCCCXXXVII ... Walberto ... Noviomagenſium præſule defuncto, ſucceſſit Tranſmarus, monaſterii ſancti Vedaſti præpoſitus. *Epocham firmant bina diplomata, alterum Ludovici Tranſmarini, Francorum regis, apud Mabillonium de Re Diplomatica lib.* 6 *pag.* 568, *in quo comparet ut vivens adhuc Walbertus anno* 936; *alterum Arnulphi Magni, Flandriæ comitis, editum à Miræo tom.* 1 *Operum Diplomaticorum ſecundæ editionis pag.* 39, *ſignatumque anno* 937, *in quo aſſerit Arnulfus, varia prædia ſe reddere ſeu donare Blandinienſi monaſterio, conſilio habito cum Tranſmaro epiſcopo.*

Arnulpho autem comite,

49 *Ad eumdem annum* 937 *referunt primordia reſtaurati monaſterii Gandenſis Sanderus ſive Chroniſta Bavonianus, Oliverus in Ms. Chronico Gandenſi & Meyerus tam in Chronicis quàm Annalibus Flandriæ, unde ſimul & ex diplomate Arnulphi colligas, Tranſmaro, utprimùm epiſcopus factus eſt, nihil magis cordi fuiſſe, quàm ut loca ſacra priſtinæ dignitati ac ſplendori reſtituerentur. Ut autem præ ceteris curaret hujus monaſterii inſtaurationem, excitavit veriſimillimè deſiderium recipiendi hâc viâ in ſuam diœceſim cor-*

F *pus* S. Bavonis *& aliorum Sanctorum lipſana, quæ jam ſeculo penè integro in Galliis delituerant. Erat ſanè opus inceptu difficillimum, nam teſte ſcriptore Miraculorum,* ut totus circumjacens pagus, ita & Gandenſis cœnobii locus videbatur ſimilior deſerto vacuatus cultoribus... ipſæ murorum reliquiæ, quæ ſuperera ntcombuſtioni, ſuccreſcentibus tribulis & denſis operiebantur vepribus... & diuturna deſolatio plurimo eguit ſupplemento. *Hinc priùs antiſtes recurrit ad ſuprà memoratum Arnulphum comitem.* Mandavit, *inquit ſcriptor idem,* litteris, ut in ſcriptis ejus reperimus, ſuper hoc negotio Arnulfo marchiſo, ad quem idem locus ex regio pertinebat beneficio, ſe ſcilicet ſcalam velle erigere, per quam uterque levi volatu cælum poſſet conſcendere. Quid multa? His litteris frequentibusque collationum exhortationibus ad ea, quæ voluit, benevolentiam marchiſii inflexit, cœpitque idem locus tam utrorumque adjutorio, quámque aliorum fidelium collaboratu ad priſtinum redintegrari.

50 *Arnul-*

AUCTORE J. P. *aliisque adlaborantibus,*

50 *Arnulphus comes hîc à noſtro ſcriptore* marchiſus *appellatur ad eum ſenſum, quo jam defunctus à Lothario rege in diplomate anni 967 apud Miræum pag.* 46 *dicitur* Venerabilis comes Arnulfus, noſter videlicet conſanguineus & regni noſtri marchio nobiliſſimus. *Iis porrò, qui cum Arnulpho & Tranſmaro ad monaſterii reſtaurationem operam contuliſſe memorantur, accenſendus haud dubiè eſt ſenex, qui, referente eodem ſcriptore noſtro, in Britannia inſula ad mortem ægrotans, in viſione monitus eſt Gandavum proficiſci, moxque ſanatus ſe illuc contulit &* quamdiu ſupervixit, devotus reparator exſtitit. *Sed nec minimam partem in dicta inſtauratione habuiſſe S. Gerardum Cellenſem, in ſequentibus docebimur; in ejus tamen laudes non ultrà excurremus hîc, quàm neceſſe ſit, utpote cujus Acta illuſtranda venient hoc ipſo menſe ad diem* III.

anno DCCCCXXXVII

51 *Audiamus modò, quæ de inſtauratione tradant ſupra laudati ſcriptores Belgæ. Apud Sanderum lib.* 4 *cap.* 3 *iſta habemus:* Anno DCCCCXXXVII. Arnulphus Magnus, comes Flandriæ, hortatu venerabilis viri Tranſmari, Noviomenſis epiſcopi, cœnobium Gandenſe, tunc dirutum & deſerto ſimile reſtauravit & in melius reformavit: qui in eo virum illuſtrem S. Gerardum, Bronienſem abbatem, conſtituit, dicti Gandenſis cœnobii vigeſimum rectorem, virum eximiæ virtutis, qualem omnia illa tempora poſtulabant. *In Oliveri Gandenſi Chronico hæc notantur:* Reſtauratio hujus Gandenſis cœnobii ab Arnulpho Magno, Flandrenſium comite, hortatu Tranſmari Noviomenſis ſeu Tornacenſis epiſcopi facta tempore ſancti Gerardi abbatis hujus cœnobii antedicti anno Domini DCCCCXXXVII. *In Meyeri denique utroque Opere:* DCCCCXXXVII Magnus hortatu Tranſmari epiſcopi Noviomagenſis Gandenſe cœnobium, Normannica rabie everſum, reædificavit, ſolitos ritus ac cæremonias inſtauravit, Gerardumque Cellenſem, magnum virtute virum abbam ibi conſtituit.

B

feliciter reſtauratur.

52 *Pleraque huc uſque memorata fiunt indubia ex diplomate regis Lotharii apud Miræum pag.* 42, *cujus proin, quamvis anno tantùm* 954 *dati, pars prior hîc locum poſtulat:* In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Lotharius divina annuente gratia rex Francorum. Quandoquidem nos fidelium noſtrorum petitionibus ac præcipuè ad religionem & reſtaurationem ſanctæ Eccleſiæ pertinentibus, aſſenſum præbere dignum dignoſcitur, notum fieri volumus omnibus fidelibus noſtris, tam præſentibus quàm futuris, qualiter fidelis noſter Arnulphus comes, ac filius ejus Balduinus, noſtram adierunt clementiam ſupplicantes de quodam monaſterio in vico Gandavo poſito, ubi Legia & Scaldis fluvius confluunt, in honore S. Petri conſtructo (in quo etiam S. BAVO corpore quieſcit, à cujus quoque tempore, aliorumque religioſorum virorum religio & regularis ordo ibidem ſervatus fuiſſe memoratur) noſtra auctoritate voluntatis ſuæ devotionem confirmari. Erat ergo idem locus multis temporibus tam incurſione paganorum, quàm incurſione & * negligentiâ incolentium deſertus & in ſolitudinem redactus & penè inhabitabilis effectus: ita ut nihil quidquam divini officii Deo inibi perſolveretur. Pia verò admonitione memorabilis viri Gerardi abbatis placuit eis eumdem reſtaurare *&c.*

C

* *al. deſunt* incurſione &

53 *Non ita convenit inter ſcriptores Belgas de tempore, quo monachi in Galliis exſules cum ſacris reliquiis Gandavum redierint. Sanderus, aut qui ipſi præiit Bavonianus Chroniſta, reditum hunc differt in annum* 939 *dicens:* Anno DCCCCXXXIX S. Bavo cum aliis Sanctorum pignoribus & reliquiis de Lauduno ad monaſterium de Nigella tranſlatus, ad arcem opidi ſui cum ſeptem monachis ad eccleſiam, in novo caſtello conſtructam, reportatur XIII Kalend. Octob., quia cœnobium Gandæ nondum plenè reſtauratum fuerat. *Meyerus & Oliverus in annum ſequentem, ille his verbis:* DCCCCXL Arnulphus cum Gerardo Cellenſi abba Gandenſi corpora divorum Bavonis & Pharahildis Lauduno Gandavum retulit: *hic iſtis:* Reportatio corporum ſanctorum Bavonis & Pharahildis de monte Lauduno ad hoc Gandenſe cœnobium per ſanctum Gerardum abbatem ſupradictum. *Annum non ſignat ſcriptor Miraculorum, reditum tamen eo modo deſcribit, ut aliquanto citiùs contigiſſe intelligas:* Igitur poſt Northmannicæ, *inquit*, infeſtationis repauſationem optabili quandoque regione tranquillitatis quiete compoſita, metuentes aliquorſum alicujus incurſionis inquietudinem, hi videlicet, qui Lugduno * transfugerant cum ſanctis reliquiis & monaſteriali ſuppellectile, utpote in extraneis conſtituti, Gandavum quantociùs, ſublatis ſecum ſancti Patris pignoribus, maturabant reverti. Et quoniam eotenus, ut totus circumjacens pagus, ita & Gandenſis cœnobii locus penè videbatur ſimilior deſerto vacuatus cultoribus, in novo ædificatâ caſtello eccleſiâ, illò ea introduxerunt cuſtodienda.

D

* *l.* Laudunum

E

Gandavum ex Galliis

54 *Hæc manifeſtè inſinuant, tempore reditûs vix aut ne vix quidem inchoatam fuiſſe cœnobii inſtaurationem, & revera idem auctor, Tranſmari epiſcopi ad eam conatus & molimina iſtis præmiſſis tantùm narrare aggreditur. Stante igitur hujus ſcriptoris auctoritate, quâ meliorem aut certiorem non habemus, differri nequit monachorum reditus in annum* 939, *quo cœnobii ædificatio juxta ipſos ſcriptores Belgas multùm provecta fuiſſe debuit; nedum in annum* 940, *quo ad eam perfectionem deducta fuit, ut in ipſo cœnobio juxta eoſdem depoſitæ fuerint* S. Bavonis *aliorumque Sanctorum reliquiæ. Attamen cùm ſcriptor Miraculorum non ubique ſtrictè obſervet rerum narratarum ſeriem, fortè loci tam miſerè deſtructi ac deſerti imaginem propoſuit potiùs, ut oſtenderet, quàm difficile negotium ſuſceperit Tranſmarus epiſcopus, quàm ut lectori exhiberet ſtatum, quo locum invenerunt monachi. Certè ratio ſatis veriſimilis non occurrit, cur monachi, majori fortè ex parte tunc Galli vel ſaltem peregrini, eò ſe contuliſſent, niſi affulſiſſet ſpes certa brevi ſecuturæ reſtaurationis. Neque enim credibile eſt, inter eos ſuperſtites fuiſſe plures, ne dicam aliquos, qui Gandenſe monaſterium incoluerant ante annos circiter nonaginta, id eſt, ante annum Chriſti* 846, *ita ut antiquæ habitationis amor ipſos ſolus attraxerit ſine certa fiducia iſtic obtinendi locum, in quo, non ut antè in extraneis conſtituti ſeu ut hoſpites haberentur, ſed ut in proprio fundo habitarent, ac ſacrum theſaurum decenter & ſecurè deponerent. At hujuſmodi fiduciam ipſos habere potuiſſe non invenimus ante annum* 937, *igitur nec putamus, ante eumdem iter ſuſcepiſſe.*

F

cum reliquiis S. Bavonis redierint,

55 *Equidem totum hoc negotium iſto ordine peractum eſſe, conjicio. Anno* 937 *Tranſmarus epiſcopus, juvante S. Gerardo Cellenſi, Arnulphum comitem induxit, ut & reſtauraret monaſterium & revocaret ſimul cum ſacro theſauro monachos exſules, ſeu eos, qui in Gallia exſulibus acceſſerant & ſucceſſerant: ad hoc nempe præſertim*

Quo anno monachi exſules

A *tim induxit, ut corporum* S. Bavonis *ac aliorum Sanctorum præsentia tum comitem in pio proposito contineret, tum fideles alios ad opus celeriùs perficiendum animaret. Missus est statim ab Arnulpho & Transmaro ad monachos nuntius, ipsemet fortasse Gerardus Cellensis, qui ipsis destinatus erat abbas, cujusque viri sanctitate celeberrimi vel litterarum ab alio allatarum testimonio certi de restauratione, securique de favore ac præsidio comitis, viæ se commiserunt. Advenêre Gandavum eodem anno 937 vel initio sequentis, cùm scilicet novi ædificii structura, si inchoata fuit, eò perducta non erat, quin supereſſent prioris vastitatis indicia. Itaque sacræ reliquiæ depositæ interim sunt in ecclesia novi castri, quod tunc* novum *appellabatur habito respectu ad vetus illud, in quo cœnobium* S. Bavonis *erectum fuit.*

easque ex ecclesia S. Pharaildis

56 *De dictæ ecclesiæ primordiis hæc tradit Meyerus in Annalibus & Chronicis:* DCCCCXII Gandavi juxta novam arcem templum divæ Pharahildis exstrui cœptum. *De eadem ecclesia agit Gramayus in Gandavo suo & Sanderus tom.* 1 *Flandriæ illustratæ, ubi cap.* 2 *lib.* 2 *Rerum Gandavensium tum ecclesiæ S. Pharahildis tum arcis seu Petræ comitis, vulgò* het Graven Casteel, *effigiem exhibet; & lib.* 3 *cap.* 9, *seu cap.* 2 *lib.* 5

B *ejusdem Operis de Rebus Gandensibus seorsum impressi,* Collegiata B. Pharahildis ecclesia, *inquit,* quæ nuper consensu principum ad parochialem D. Nicolai migravit, adnitente Flandrorum comite Arnulfo, juxta novam arcem comitis ejusdem, à Balduino Ferreo, ut Gramaius arbitratur, conditam, anno DCCCCXII strui cœpit, ac receptaculum profugi à clade Normannica cœnobii Bavoniani fuit. *Sed de eodem loco mox redibit sermo. Perducto demum cœnobii Bavoniani ædificio ad eam perfectionem, ut in eo sacer thesaurus dignè collocari, & commodè habitare possent monachi, statuta est & solemniter peracta transmigratio die* XXX *Septembris anni* 940.

in restauratum Bavonianum

57 *Transmigrationem sic narrat scriptor Miraculorum:* Cùm sacer locus tantis talibusque indies augmentationis efferretur auspiciis, ut quivis facilè posset advertere, omnipotentissima illum dignatione Dei illustrari, præcaventes quique tam monachorum, quámque clericorum devoti, tantillitatem angustioris oratorii (*ecclesiæ novi castri*) tanti Patris non congruere dignitati, illuc ejus sacrosanctas reliquias statuerunt transferendas, dispositisque, quæ ad opus erant, id

* *fortè* idem est * pridie Kalendas Octobris, quo ejusdem depositionis sancta celebratur vigilia, deliberaverunt efficere. Huic negotio intererat, & magna pars extiterat Gerardus abbas. Sed quoniam falsi rumoris vulgaverat opinio, quasi isdem erga Sancti pignora aliqua intendisset fraudis molimina, inter iter agendum posito in contiguo eidem monasterio campo sancto feretro, ad propellendam siniſtri rumoris infamiam, sublato pallio, cunctis, qui aderant, sigilla antiquâ manu infixa monstravit integerrima. Quantum ibi lætitiæ, quantæ pii cordis amore profusæ sunt lacrymæ, ex sese quilibet valet conjicere. Quis unquam sanum sapiens non gaudio & dulcedinis animum expleret affectu, cernens specialis totius provinciæ Patroni membra, devia peccantium incolarum meritis exiliata, placato demum Deo, propriæ ædis revisere septa? Illata itaque nuper reædificatæ ecclesiæ celebri sunt, quo hodieque cernuntur, sublimata repositorio, prosequentibus cunctis laudes in honore majestatis Patris & Filii & Spiritus sancti.

58 *Annus & pauca rei gestæ adjuncta, quæ filens præteriit auctor iste, dantur apud Sanderum lib.* 4 *cap.* 4 *suprà memorati Operis separatim impressi, quo passim utor:* Anno DCCCCXL aliquibus SS. Bavonis & Pharahildis reliquiis in ecclesia prædicta novi Castelli, super ripam fluminis Legiæ sita, ad instantiam & devotam supplicationem Arnulfi comitis Flandriæ, relictis tali conditione, quòd clerus præfatæ ecclesiæ cum supradictis eorum reliquiis annuam peregrinationem dicto cœnobio Gandensi venerabiliter persolveret; SS. Bavonis & Pharahildis corpora cum aliis Sanctorum pignoribus à sancto Gerardo abbate Gandensi de supradicta novi Castelli ecclesia cum innumerabili multitudine populorum ad cœnobium Gandense reportantur & cum ingenti lætitia ibidem decenter collocantur. AUCTORE J. P. *monasterium retulerint.*

Particulæ reliquiarum SS. Bavonis & Pharahildis

59 *Concessas fuisse ecclesiæ novi Castri reliquias* SS. Bavonis *& Pharahildis, nequaquam dubito; attamen istic relictas fuisse, priusquam sacra corpora inde ad restauratam cœnobii Bavoniani ecclesiam transferrentur, ut ordo narratæ rei insinuat, nolim asserere. Etenim scriptor miraculorum non obscurè significat, feretrum, id est lipsanothecam* S. Bavonis, *cùm jam in ecclesiam Bavonianam introferendum esset, in contiguo campo fuisse detectum, publicéque adstanti multitudini ostensum, iisdem sigillis, & integris adhuc & illæsis, munitum, quibus olim fuerat, dum metu Normannorum in Gallias delatum est. Quid enim roboris habuisset, quidvè fiduciæ afferre potuisset ista integerrimorum sigillorum ostensio, si his illæsis, antè aperiri potuisset theca, indeque desumi corporis particulæ ad novum castrum relinquendæ, aliisve donandæ ecclesiis? Credo equidem Arnulpho comiti promissas fuisse reliquias pro sua novi castri ecclesia, sed promissionem adimpletam esse tantùm, postquam publica ostensione sigillorum probatum esset, thecam eo statu fuisse conservatam, quo erat, dum in Gallias delata fuerat.*

E

Arnulpho comiti concessæ

60 *Idem Sanderus lib.* 5 *cap.* 2 *ex quo pauca superiùs descripsi de primordiis ecclesiæ S. Pharahildis, iteratò agit de iisdem reliquiis, simulque docet, quæ fuerit particula corporis* S. Bavonis *illi concessa. Caput istud secundum ferè integrum, subjectis brevibus Annotatis, recuderunt Majores nostri ad diem* IV *Januarii, quo colitur S. Pharahildis virgo. Verùm cùm illic relata non minùs respiciant* S. Bavonem, *quàm S. Pharahildem, operæ pretium fuerit, etiam huc transferre præcipua. Post verba data superiùs num.* 56 *ita prosequitur:* Unde (*ex ecclesia S. Pharahildis*) cùm ad antiquas sedes (*restauratum cœnobium*) circa annum DCCCCXL monachi redirent cum sacris Divorum lipsanis, Arnulfus marchio (verba sunt Chronici Bavonensis) ecclesiam suam in novo castello ædificatam, cernens tantis pignoribus viduari, impetravit à B. Gerardo ARTICULUM S. Bavonis & reliquias B. Pharahildis, ea videlicet lege, ut ecclesiæ clerus annuam peregrinationem ad D. Bavonis persolveret, quod multis seculis factitatum fuit. Fuit hæc ecclesia domesticorum comitis & incolarum atrii palatini ab antiquo curialis, & ad servandas eorundem præcipuè Divorum reliquias in ea clericos cum Præposito, in canonicale collegium haud multò pòst evectos, idem Arnulphus marchio instituit.

F

in novam ecclesiam anno 1073 transferuntur.

61 *Post hæc trina memoratur reliquiarum translatio, primaque facta anno* 1173, *altera* 1336, *tertia* 1073. *Causam non affert Sanderus, cur ratio temporum in relatione servata non fuerit;*

AUCTORE J. P.

agnovit tamen, tranſlationem, quæ facta notatur anno 1173, *eamdem eſſe, quæ facta eſt anno* 1073, *idque certum ſit ex præſulibus, qui tranſlationi præſentes adſcribuntur, ut in Annotatis monuerunt etiam Majores noſtri. Quare ne longior ſim, quàm neceſſe ſit, verba, quæ primo loco iſtic adducuntur, prætermitto, & quæ poſtremo loco ponuntur, ſubſtituo:* Aliam quoque tranſlationem earundem reliquiarum anno MLXXIII factam narrat idem Chronicon (*Bavonenſe*) *in hæc verba:* Anno MLXXIII portiones reliquiarum S. Bavonis, ſanctæque Pharahildis, à S. Gerardo abbate cœnobii Gandenſis Arnulpho Magno Flandrenſium comiti gratioſè dudum conceſſæ, in eccleſia novi caſtelli, ſuper ripam fluminis Legiæ in fiſco Gandenſis cœnobii ſita, & in præfatorum SS. Bavonis & Pharahildis honorem olim fundata, tranſlatæ ſunt per Radbodum Noviomenſem epiſcopum, præſentibus Sigero Gandenſi & Folcardo Blandinienſi abbatibus.

ac deinde anno 1336 *in novam lipſanothecam.*

62 *Nunc ſubdo ea, quæ ibidem præponuntur de ſecunda tranſlatione:* Anno etiam MCCCXXXVI portiones reliquiarum S. Bavonis & Pharahildis in eccleſia novi caſtelli, nunc Comitis Caſtellani nominati, in novo portu Gandenſi ſuper ripam fluminis Legiæ ſita, & in honore Sanctorum prædictorum olim fundata, tranſlatæ ſunt de veteri ſcrinio in novum per venerabilem patrem dominum Andream epiſcopum Tornacenſem, poſtea S. R. E. Cardinalem, præſente venerabili viro magiſtro de Portali, archidiacono Tornacenſi ac pluribus aliis venerabilibus presbyteris diverſæ dignitatis, ejuſdem Tornacenſis eccleſiæ canonicis, nec non religioſis etiam perſonis, D. Henrico de Muda Priore, & Balduino Borluyt Præpoſito Gandenſis cœnobii, reverenter eò directis à venerabili viro D. Gerelino Borluyt, prædicti cœnobii abbate; qui prædictæ tranſlationi intereſſe, à domino Martino ſupradictæ eccleſiæ præpoſito & ejuſdem eccleſiæ canonicis diligenter requiſitus fuerat; ſed præ nimia infirmitate ſua ibidem adeſſe non valuit.

B

Eccleſia S. Bavoni æquè ac S. Pharaildi ſacra.

63 *Ordinem temporis, hactenus ſtudioſè ſervatum, hîc pauliſper deſerui, digreſſuſque ſum ad facta ſeculis undecimo & decimoquarto, ea potiſſimùm de cauſa, ut ex utraque tranſlationum narratione lector adverteret, dictam novi caſtelli eccleſiam, ſeculo decimo erectam ac ſæpe nominatis reliquiis locupletatam, ab initio æquè ſacram fuiſſe* S. Bavoni *quàm S. Pharahildi, in quorum*

C

honorem *ſine ulla diſtinctione* fundata *memoratur. Temporis quidem decurſu ſolius S. Pharahildis nomine appellata fuit, ſed id factum eſt veriſimillimè, quia erat altera, quæ lapſu etiam temporis nomine ſolius* S. Bavonis *inſigniri cœpit, eccleſia nimirum Bavoniani monaſterii. Idem contigit hodiernæ eccleſiæ cathedrali. Hæc enim anno* 941 *per Tranſmarum epiſcopum Tornacenſem dedicata fuit Deiparæ Virgini, SS. Joanni Baptiſtæ,* Bavoni *& Vedaſto, eorumque olim titulum geſſit, ut ſcribit Sanderus lib.* 5 *cap.* 1; *ſed S. Joannes Baptiſta aliorum patronorum nomen paulatim obſcuravit;* cùm præſertim B. Bavonis omnis appellatio ad vicinum monaſterium, denuo jam tum erectum, tranſiret, *ut tradit idem lib.* 1 *de Sanctis Flandriæ pag.* 28; *poſtea tamen eadem eccleſia* S. Bavonis *titulum reſumpſit, hodieque penè ſolum retinet, quod alibi probandum ſervo, ne rurſus extra præſcriptos limites evager. Redeo ad monaſterium.*

64 *Apud ſæpe laudatum Sanderum lib.* 4 *Rerum Gandavenſium cap.* 3 *&* 4 *res monaſterii præcipuæ ordine quodam chronologico proponuntur & iſta notantur primùm cap.* 3: Anno DCCCCXLVI cœnobium Gandenſe cum congratulatione fratrum à S. Gerardo abbate reformatur & in melius exaltatur. *Dein cap.* 4 *eadem repetuntur, ſed mutata voce una & altera:* Cœnobium Gandenſe cum congregatione fratrum à S. Gerardo abbate reædificatur & in melius exaltatur. *Duplici hæc ſenſu accipi poſſunt & veriſimiliter debent utroque: primo ſcilicet, quòd ædificium erectum anno* 940 *ſufficeret quidem capiendis paucis monachis, qui ex Galliis Gandavum adducti fuerant, non tamen aliis, qui interim majore numero ad monaſticam profeſſionem ſe obtulerant, & idcirco illi tunc novum augmentum acceſſerit. Secundò, quòd Gerardus abbas, omnibus tunc ritè compoſitis, induxerit in cœnobium ſtrictiorem diſciplinam, & monachos ad præſcriptum Regulæ S. Benedicti vivere docuerit.* Anno DCCCCXLVII, *ſic pergitur ibidem cap.* 4, Tranſmarus epiſcopus ad rogatum Arnulfi comitis Flandriæ eccleſiam S. Petri in caſtro Ganda ſuper Scaldim & Legiam ſitam, quæ dicitur cœnobium Gandæ, privilegiavit & liberam fecit.

Monaſterii Gandenſis reformatio, ejuſque poſſeſſio monachis

65 *Exin nihil occurrit uſque ad annum* 954, *quo Lotharius rex Francorum Gandenſe* S. Bavonis *monaſterium, ad preces Arnulphi comitis ac filii ejus Balduini* monachis inibi Domino ſecundùm Regulam S. Benedicti militantibus..., ſervandum & in perpetuum poſſidendum *&c auctoritate ſua confirmat. Partem priorem diplomatis dedi num.* 52, *reliquam videat curioſus lector apud Miræum tom.* 1 *pag.* 43 *operum Diplomaticorum. Ad annum* 956 *referuntur nonnulla apud Sanderum, quæ memoriæ Arnulphi comitis, monaſterii reſtauratoris, & fautoris hucuſque inſignis, minùs honorifica ſunt; ſed temerè ac imprudenter, ut equidem reor, à vetuſtioribus & imperitis chronologis in hoc tempus dilata. Sunt autem hæc:* Anno DCCCCLVI Arnulfus comes Flandriæ, multa cœnobio Gandenſi detraxit, quæ ſuæ diviſit nobilitati. *Quod de uno Gandenſi hîc aſſeritur, id de pluribus monaſteriis adſtruitur apud Meyerum in Chronicis & Annalibus, ſed hic auctor pauca inſeruit & adjecit, quibus id ſuſpectum ſibi eſſe inſinuaret, ut ſequitur:* DCCCCLVI... Arnulphus comes, ſi quid credimus monaſteriorum Chronicis, multa cœnobiis detraxit, quæ ſuæ diviſit nobilitati, ut cœnobio Gandenſi *&c. Subduntur mox, uti etiam apud Sanderum, longa ſerie poſſeſſiones Gandenſibus ſic ablatæ, ſed Meyerus, paucis interpoſitis, ita concludit:* Eamdem ferè Bertiniani canunt cantilenam, quamquam illis penè omnia ante obitum reſtituerit *Arnulphus. Quod ait Meyerus de Bertinianis, ulteriùs non diſquiro; at id ipſum de Gandenſibus dici debere omnino perſuaſum habeo.*

Ordinis S. Benedicti in perpetuum confirmata. Quædam memoriæ

E

F

66 *Verum eſt, abſtulit olim Arnulphus & inter ſuos diſtribuit bona ad Gandenſe monaſterium pertinentia, imò eadem bona abſtulit, quæ recenſentur apud Sanderum & Meyerum; teſtatur hoc Othelboldus abbas in citata ſuperiùs, circa annum* 1030 *ſcripta epiſtola ad Otginam Flandriæ comitiſſam; & eatenus rectè ſcripſerunt chroniſtæ, quibus uſi ſunt Sanderus ac Meyerus. At quandonam bona iſta abſtulit & in ſuos milites ſeu nobiles diſtribuit Arnulphus? Tum nempe, cùm Gandenſes monachi, ut clarè ſignificat Othelboldus, Laudunum aufugerant,* cumque inibi propter metum ipſorum Danorum, quoniam omnia

Arnulphi comitis minùs honorifica refelluntur,

A mnia occupaverant, diutius morarentur, *id eſt, ante annum 937, circa quem idem Arnulphus, deprecante Tranſmaro Tornacenſi epiſcopo, monachos Gandavum revocavit, reſtauravit ipſis monaſterium, reſtituit procul dubio, quæ ipſe abſtulerat, & quæ conceſſerat aliis, quantum fieri potuit, reſtituenda curavit, nec deinceps ipſis beneficus eſſe umquam deſiit. Hinc patet chroniſtarum imperitia & imprudentia, qui dum Othelboldum vel hujuſmodi vetuſtum auctorem deſcriberent, non diſtinxerunt tempora, & quæ facta fuerant ante annum 937, retulerunt ad annum 956, quo jam dudum reſtituta fuerunt omnia & novis beneficiis aucta: ſicque cauſa fuerunt, ut poſteri iſta legentes apud ipſos ad annum 956, nec quidquam de reſtitutione poſt hunc annum facta reperientes, ſiniſtram & planè injurioſam memoriæ Arnulphi comitis opinionem retinuerint.*

iſque probatur beneficus fuiſſe monachis Gandenſibus, quibus etiam bona aliqua,

67 *Beneficum porrò fuiſſe Gandenſibus monachis ad mortem uſque Arnulphum, denuo perſuadet mihi diploma Lotharii Francorum regis apud Miræum tom. 1 pag. 46. In eo quippe rex anno 967, petentibus Balduino comite Cameracenſi & Womaro Gandenſi abbate, varia Bavoniano monaſterio prædia confirmans, ſemel iterum* B *ac tertiò Arnulphi comitis, tunc defuncti, memoriam renovat ut viri venerabilis & reſtauratoris monaſterii, ac quartò demùm hâc clauſulâ:* Quieto itaque jure cuncta, quæ poſſident (*abbas & monachi Bavoniani*) & quæ, Deo auxiliatore, acquiſituri vel adepturi ſunt, uſibus eorum deſerviant, quatenus abſque penuria & infeſtatione cujuſquam tam pro anima venerabilis Arnulphi ceterorumque ſuorum benefactorum, quàm etiam pro totius regni quiete & utilitate, divinis laudibus incumbentes, divinam clementiam exorent. *Hæc profectò Arnulphum exhibent, ut monaſterio ad mortem uſque beneficentiſſimum largitorem, nequaquam, ut hominem, à quo paucis antè annis ablata fuiſſent, nec umquam reſtituta plurima ejuſdem monaſterii bona.*

quæ Arnulphus ante obitum reſtituere non potuerat,

68 *Non omnia quidem bona, quæ monachis in Gallia exſulantibus ſubtracta fuerant, reſtituta ſunt Gandenſi monaſterio, vivente Arnulpho: verùm id hujus culpæ attribui non debet; quandoquidem non ſolus ipſe bona olim ſubtraxiſſet vel inter ſuos diviſiſſet. Nam teſte Othelboldo,* hereditas eorum (*in Gallia exſulantium*) verſa eſt ad alienos, & domeſtici atque extranei diripuerunt ea.... Sed & comites provinciarum & epiſcopi ſinguli eorum obtinuerunt partes ſuas, unuſquiſque in locis ſuis, uſque ad tempora piæ memoriæ prædeceſſoris noſtri, domini videlicet abbatis Odwini, qui adiens piiſſimum imperatorem Ottonem, quaſdam imperio ſuo contiguas villas impetravit, quibuſdam, ut erant ibi injuſtè direptæ, morte ipſius interveniente, remanentibus. *Cenſendum itaque, quòd bona, quæ vivente Arnulpho, & diu poſt ejus obitum uſque ad tempora Othelboldi reſtituta non fuerunt, olim ab aliis direpta fuiſſent, quos Arnulphus, utpote extraneos, ad reſtitutionem inducere vel cogere nequiverat.*

C

auctoritate imperatoria reſtituuntur,

69 *Interpoſita eſt ſubinde auctoritas imperatoris Ottonis I & Ottonis II, ac impetrata reſtitutio aliquot ſaltem bonorum, quæ ipſorum ditioni ſuberant. Indubium hoc fit ex diplomate Ottonis II, reſtitutionem patris ſui auctoritate factam confirmantis anno 974, primo ſcilicet ab illius morte. Exſtat illud apud Miræum tom. 1 pag. 49 & ſic habet:* In nomine Domini Dei æterni ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, ſuperna largiente clementia Otto imperator auguſtus.... Notum eſſe volumus omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum induſtriæ, qualiter venerabilis Womarus, abbas cœnobii S. confeſſoris Chriſti BAVONIS, domini genitoris noſtri Othonis, bonæ memoriæ præcellentiſſimi imperatoris, excellentiam adierit, ejus benigniſſimam interpellans ſerenitatem, ſuper aliquibus rebus, infra regni noſtri terminos conſtitutis, prædicto cœnobio S. BAVONIS aliquamdiu injuſtè præreptis, qui continuo more ſibi conſuetæ pietatis, ejus libentiſſimè aſſenſum præbuit juſtæ petitioni, conſtituens & imperans, præfato loco & fratribus eaſdem res cum omni integritate reſtitui, quas etiam antea ſæpe fratribus ejuſdem loci, pro hoc æquè eum adeuntibus, benignè reddiderat: ſed humani debiti ſorte præventus, ad meliora, uti credimus, tranſmigrans, nullum ſuper hoc imperialis auctoritatis ſcriptum ediderat. Quapropter .... res ipſas diu ſibi ablatas omni cum integritate eis reſtituentes, noſtræ auctoritatis immunitate ac tuitione confirmamus. *Poſt hæc exprimuntur bonorum ſic redditorum nomina, ſolitiſque in hujuſcemodi cauſa formulis clauditur diploma cum hac ſubſcriptione:* ſignum domini Ottonis invictiſſimi imperatoris; *& nota temporis:* Datum XII Kalen. Febr. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIV *&c.* E

AUCTORE J. P.

pluriumque aliorum poſſeſſio confirmatur:

70 *Biennio pòſt eorumdem & plurium aliorum bonorum poſſeſſionem Gandenſibus confirmavit dictus imperator novo diplomate, quod videri poteſt apud laudatum Miræum pag. 344; ſed ex quo ſicut etiam ex præcedente clarum fit, Othelboldum, ut ut temporibus propinquum, non ſatis accuratè locutum fuiſſe, cùm diceret in epiſtola ſua generatim, bona apud invaſores permanſiſſe* uſque ad tempora ... abbatis Odwini, qui adiens piiſſimum imperatorem Ottonem, quaſdam imperio ſuo contiguas villas impetravit. *Nam in utroque diplomate nominatim comparet* Womarus, *ut abbas id temporis Bavoniani monaſterii, qui Womarus, aliis Wolmarus, juxta catalogos abbatum dicti monaſterii munere iſto functus eſt uſque ad annum 982. Succeſſerat is Hugoni abbati anno 965, ut eſt apud Sanderum; annno 967 bonorum quorumdam confirmationem obtinuit à Lothario Francorum rege, ut ſuperiùs viſum eſt, annis 974 & 976 diplomata accepit ab Ottone II imperatore, ut mox probavimus; anno 980, quo* in cœnobio S. Bavonis ædificatur novum templum cum choro, *ut legitur apud Sanderum, corpora SS. Landoaldi ac Sociorum ex Wintershove, vico Hasbaniæ, Gandavum transferri, eademque ſolemniter elevari curavit anno 982, quo demùm mortuus eſt.* F

ut horum bonorum reſtitutio ad tempus

71 *Poſtrema hæc, quæ de tranſlatione & elevatione ſacrorum corporum referuntur apud Sanderum, fusè deſcribit, & alia quædam ex antè dictis teſtimonio ſuo confirmat auctor coævus monachus Gandenſis, apud nos excuſus tom. III Aprilis ad diem menſis XIX; ex quo proin nonnulla huc transfero. Caput 1 Hiſtoriæ ſuæ orditur his verbis:* Regnante in perpetuum Domino noſtro Jeſu Chriſto ac ſecula cuncta moderante, anno utique ſacratiſſimæ ipſius Incarnationis nongenteſimo octogeſimo, Indictione VIII, temporibus quoque domni Ottonis Junioris illuſtriſſimi imperatoris cùm multa loco noſtro antiquitus à perfidis ablata animo benigniſſimo reſtituiſſet, ac proinde pro fraternitate cœnobii caſtri Gandavi deſideranter adeptus fuiſſet Curtem hiemis nuncupatam,

AUCTORE J. P.

cupatam, quam palatinus quidam clericus illius, ipso ignorante, invaserat, sine ulla dilatione, postquam resciverat, potenti imperio restituebat. Deinde fratres unanimes, cùm de S. Landoaldi archisacerdotis ac Sociorum ejus reliquiis comperissemus, assiduis cœpimus rogitare precibus dominum abbatem, tunc autem præpositum & satis solicitum loci nostri procuratorem, ne diu differret, quin corpora Sanctorum prælibatorum, qui eatenus in negligentia & sine debito presbyterorum obsequio erant eo loci constituti, ad locum nostrum cum honore debito transferre satageret. Cùm autem hoc post plurimas obsecrationes, Deo favente, obtinuissemus, missi sunt à domno abbate nostro Vomaro fratres cum domno Præposito, domnus scilicet decanus Trudgandus ad prædictum locum & alii duo fratres Robertus & Filioldus *&c. Sub finem cap.* 2, *quo narrat reliquiarum in monasterio* S. Bavonis *depositionem & solemnem elevationem postea factam, ita rursus idem auctor :* Facta est autem hæc sacratissima translatio (*id est*, elevatio) Deo & hominibus placidissima, atque sanctis angelis per omnia gratissima, Idibus Junii à Lindulpho, venerabilissimo viro, Noviomæ civitatis episcopo .... anno incarnati Verbi nongentesimo octogesimo secundo, Indictione decima, tertio quoque anno ad nos adventûs glorioſissimorum Sanctorum nostrorum.

B

Odwini abbatis peperam differatur.

72 *Ex hisce denuò liquet, non accuratè locutum fuisse Othelboldum, dum restitutionem bonorum distulit ad tempora Odwini, qui certè Gandensem abbatiam non rexit ante dictum annum* 982 *Womari abbatis ultimum. Huic quippe succesſit Wido, qui sponte cedens tandem Odwino locum fecit. De Odwino autem nihil, quod ad hanc abbatiam spectet, litteris proditum reperio præter ista apud Sanderum :* Odwinus mortuus DCCCCXCII, XVI Kal. Julii. Sub hoc inchoatum est DCCCCLXXXV in majori excellentia majus ædificium ecclesiæ & chori Gandensis cœnobii Kalend. Aprilis. Post illum venit Eremboldus, *à quo* reliquiæ SS. Pancratii & Barbaræ cum plurimis aliorum Sanctorum reliquiis de urbe Roma... ad cœnobium Gandense sunt delatæ. *Hic Eremboldus, qui abbatiam moderatus est ad annum usque* 1017, *publicè ac solemniter corpus* S. Bavonis *populo spectandum exhibuit anno* 1010.

C

Verùm cùm hìc Gloriam posthumam non ultra seculum X *producere decreverimus, facti hujus Historiam servamus in* § *sequentem. Quamquam autem ad idem seculum decimum etiam spectet Opusculum de Miraculis* S. Bavonis, *quod sæpe memoravimus, cujusque sufficientem notitiam dedimus* § 1 *Commentarii prævii num.* 16 *& seqq ; illud tamen debitis annotatis elucidatum, non hìc, sed ad calcem tantummodò hujus gloriæ posthumæ, ne inchoatum in hanc commentarium interrumpamus, visum est subnectere.*

§ IV. Cultus S. Bavonis seculo XI, translationes, miracula.

Privilegia monasterio Gandensi ab Ottone concessa.

EUmdem *hoc seculo undecimo, quem habuit præcedenti, cursum tenuit fidelium erga* Bavonem *miraculis etiam approbata veneratio, ac principum in ejus monasterium ecclesiamque benevolentia & favor. Anno* 1003 *S. Henricus imperator possessiones & privilegia monasterio concessa ab Ottone decessore, auctoritate sua confirmavit, rogante suprà memorato Eremboldo abbate. Diploma ipsius, quod exhibet Miræus tom.* 1 *Diplomatum pag.* 337, *tale habet exordium :* Henricus divina favente Clementia rex. Si ea, quæ fideles nostri .... Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet & futurorum industria, quòd vir venerabilis Eremboldus abba ex monasterio Gandensi, quod est situm, ubi Scaldis fluvius Legiæ fluvio jungitur, constructum à B. Amando pontifice in honore S. Petri principis Apostolorum, ubi etiam insignis Bavo confessor Christi corpore quiescit, obtulit nobis auctoritatem immunitatis domini antecessoris nostri, scilicet Ottonis invictissimi imperatoris. In qua continebatur insertum, qualiter ipse ob amorem Dei & præmium æternæ retributionis, proprietates rerum, quorumdam tyrannica invasione injustè præreptas, eidem monasterio restituerit, hocque suæ confirmationis scripto roboraverit, & quòd gratiam fraternæ societatis in eodem monasterio sibi concessam habuerit, vel qualiter omnium exactiones teloneorum indulserit.

D

E

diplomate à sancto Henrico confirmatur.

74 Pro firmitatis namque studio rogavit nos prædictus Eremboldus abba eadem renovari, scilicet, ut tantæ firmitatis gratiâ nostram quoque superadderemus auctoritatem. Cujus petitioni libenter assensum annuentes, decrevimus regiæ dignitatis præceptum fieri, videlicet ut idem monasterium res suas quietè possideat, quarum hæc sunt vocabula. *Post locorum enumerationem & solitas confirmationis formulas sequitur :* Ut autem hujus revocationis & confirmationis auctoritas majorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavi, annulique impressione assignari jussi. Signum domini Henrici regis invictissimi. Egilbertus cancellarius, vice Wulligisi archicapellani, recognovit. Data Nonis Februarii anno Dominicæ Incarnationis millesimo tertio, anno secundo domini Henrici regis I. Actum in Aquisgrano palatio feliciter. *S. Henricus, cujus Acta illustrata sunt ad diem* XIV *Julii, Ottoni III mense Januario anni* 1002 *defuncto, in regnum Germaniæ succesſit, & anno* 1014 *coronatus est imperator ejus nominis secundus.*

Corpora SS. Livini & Brixii infantis Gandavum

F

75 *Eodem anno* MIII, VII Kal. Maii inchoavit opus occidentale Gandensis cœnobii *Eremboldus abbas, ut legimus apud Sanderum, & paucis interjectis :* Anno MVII ad cœnobium Gandense abbas corpora SS. Levini & Brixii infantis cum multis miraculorum insignibus statim à cæsaris Henrici discessu transtulit ab Holthem ad Gandense cœnobium, maxima populi multitudine obviàm sibi concurrente. *Idem refertur apud Meyerum in chronicis, sed ad annum* 1008. *Dicitur autem translatio hæc facta* statim à cæsaris Henrici discessu ; *quia is, ut fertur, bellum gerens in Flandria adversùs Balduïnum comitem, cognomento Barbatum seu Pulchrobarbum, corpus S. Livini, quod in Holthem vico ad tertium milliarium à Gandavensi civitate dissito multis miraculis coruscabat, secum auferre paulò antè cogitaverat. Horum discussio spectat ad diem* XII *Novembris, S. Livino sacrum ; sed ad Sanctum etiam nostrum pertinet prodigium, quod in dicta translatione contigit. Hujus Historiam seculo undecimo exeunte aut ineunte sequenti conscriptam esse, colligit Mabillonius, exhibetque parte* 1 *Seculi* VI *Benedictini pag.* 65 *& seqq.*

76 *Nar-*

A *transferuntur, ſiquæ miraculum, quod*

76 *Narrat itaque anonymus auctor ibidem num.* 7, *quòd, cùm ſacra lipſana Gandavum uſque perlata eſſent, depoſita fuerint in monte, qui inde dictus eſt* Mons ſancti Livini: *tum ſic proſequitur:* Præcucurrit citiùs fama nuntios ad cœnobium ſancti Bavonis, & qui aderant, fratres ornaverunt faciem templi & domum Domini ad ſuſceptionem tanti hoſpitis ſuperventuri. Exibat enim obviàm innumerabilis populorum multitudo, & diverſus clericorum & monachorum feſtivus occurrit ordo. Interea ut obviarent proceſſioni, dum ſcrinium Sancti (*Livini*) de terra levare conati ſunt, mirum in modum, ut montem immobilem, adhærere monti mirati ſunt. Diſcurrens itaque per populos ſpargitur hæc mirabilis fama, cunctorum impleverat ora hæc res memoriæ digna, ſanctum Dei martyrem non poſſe levari de terra. Congregatus eſt univerſus Gandenſium populus, quaſi vir unus, ad cernendum hoc cæleſte prodigium, commota eſt tota regio .... abbatem maximè & monachos conturbavit ſollicitudo mentis & pavor. Verumtamen ſalutari conſilio uſi, diſponunt excubias ad feretrum Sancti, & ad monaſterium regreſſi

B præveniebant in confeſſione & ſatisfactione faciem Domini. Nobiliorem ergo & Deo digniorem meditantur acturi proceſſionem, ut vel tali modo placatum invenirent magnum Dei martyrem. Jejunabant, flebant, orabant, totamque noctem illam in laudem Dei vigilabant, & ſequenti die Miſſarum ſollemnia celebrabant, & celebrantes quàm humiliter communicabant.

ad S. Bavonem quoque pertinet,

77 Ita igitur purificati in Domino, ſancta ſanctorum humiliter adeunt, DOMINUM ET PATRICIUM PATRIÆ SANCTUM BAVONEM MAGNUM TOTIUS FLANDRIÆ PATRONUM aſſumunt, ſanctum Landoaldum archipræſulem & corpora ſanctarum Vincianæ & Landradæ ſuſcipiunt & cum omni reverentia & religione obviàm amico Dei tali proceſſione exeunt. Quid in hac proceſſione virtutis & gaudii fuerit, quid ſalutis & felicitatis in populo contigerit, nullus explicabit. Verùm cùm ad montem illum pervenerat ordo hujus proceſſionis, protinus ſanctus martyr elevatus eſt de terris, obviàm ſibi venientibus Sanctis, quaſi acturus eis gratiam ſalutationis & devotæ viſitationis .... Stabant omnes ad hoc ſpectaculum nimis attoniti, & clamantes in excelſo corde & voce ſupplici: Adjuva nos, Chriſte Fili Dei vivi .... Incipiente abbate, TE DEUM LAUDAMUS, regreditur cum gaudio tam felix Sanctorum proceſſio, & omnis populus, cæleſti potitus beneficio, comitatur, clamitans in excelſo: KYRIE ELEISON. Adducunt ergo ad ſuum hoſpitium, Gandenſe ſcilicet cœnobium, ſanctum Dei martyrem ... Relosantur digna cum reverentia Sanctorum corpora in ſanctuario ... Facta eſt hæc tranſlatio, Henrico Romanorum imperatore, Roberto Francorum rege, Balduino marchione, Eremboldo Gandenſium abbate, milleſimo ſeptimo anno Incarnationis Dominicæ, cujus regnum poteſtas & imperium nullo clauditur fine. *In Meyeri Chronicis dicitur ipſemet Balduinus tranſlationi adfuiſſe:* Ea in tranſlatione adfuit comes Barbatus, hortatuque Oginæ uxoris reddidit cœnobitis, quæcumque ſua in ditione per belli tempeſtatem amiſiſſent.

cujus dum etiam fit tranſlatio, quæ

78 *At paulò pòſt apud eumdem Meyerum notantur, quæ Sancti noſtri gloriam poſthumam propiùs attingunt:* MX Gandavi facta eſt tranſlatio corporis divi Bavonis, in qua coram Eremboldo abba, Faſtrardo advocato & Lantberto ſenatore Menſunindis adoleſcentula paralytica, patriâ Andoverpenſis, ſanitatem recepit. *Signatur hæc quoque tranſlatio in laudati aliquoties Oliveri Chronico Gandenſi paucis iſtis verbis:* Prima tranſlatio corporis beatiſſimi Bavonis confeſſoris à præfato Eremboldo, dicti cœnobii abbate facta anno MX. *Prima vocatur tranſlatio, nempe ex quo tempore ſacrum corpus à S. Gerardo depoſitum fuit in reſtaurato monaſterio. Fuſiùs eadem deſcribitur in relatione hiſtorica, cujus jam dudum notitiam dedit Henſchenius tom.* I *Aprilis ad diem* X *in S. Macario pag.* 874, *ubi obiter percurrens Geſta Eremboldi abbatis, iſta obſervat:* Anno MX ipſis Kalendis Auguſti curavit detegi & oſtendi corpus S. Bavonis; ac dein anno ſequenti MXI excepit peregrinum hoſpitem, S. Macarium epiſcopum; quem proximo anno MXII ſanctiſſimè mortuum IV Idus Aprilis, honorificè ſepelivit in crypta B. Mariæ ante altare S. Pauli: cúmque mox miraculis plurimis coruſcarent dicti Sancti, curavit ea, diligenter ab aliquo è ſuis monachis conſcribi, quæ ex vetuſtiſſimo Ms. nacti ſumus. Auctor in Hiſtoria detecti corporis S. Bavonis ita loquitur: "Verâ o- E
„ bedientiâ coactus inſignia ſancti patris Bavo-
„ nis noſtris temporibus acta, ut aliquo modo
„ lucidiùs enuclearem, aggreſſus ſum."

AUCTORE J. P.

ex anonymo, præmiſſo ejus prologo,

79 *Poſtrema verba apertiùs auctoris ætatem produnt, quàm ut elucidatione egeant, quapropter ad ipſiuſmet hiſtoriæ, quæ, ut ſignatur in margine apographi noſtri, exſtat* VII libro S. Bavonis poſt Vitam S. Livini, *ad deſcriptionem procedo, ſubjuncturus dein, quæ annotatu digna videbuntur.* PROLOGUS. Qui ſeſe ceteris animalibus præſtare ſtudent, ſumma decet ope niti, ne vitam cum ſilentio tranſeant, veluti pecora, quæ natura finxit prona, atque ventri obedientia. Unde ego præcordiali amore fratrum devictus, ac verâ obedientiâ coactus, inſignia ſancti patris noſtri Bavonis noſtris temporibus acta ut aliquo modo lucidiùs enuclearem aggreſſus ſum, quæſtumque maximum in animum induxi meum, quàm maximè ſervire commodis eorum, qui ſemper mea ex eorum comparavi. De accuratione verò elucubratæ dictionis non ſatago, nec mihi pudor eſt, ſi diſputatio incomptæ o- F
rationis offendat ſectatores inanium verborum, quæ fortè probabitur in rebus. Et ſi affectionem compoſitionis, velut loquendi peritus, implere potuiſſem; ea tamen mihi viſa eſt compoſitio perornata, quæ affectiones animi quadam perſpicuitate proferret, non quæ illecebris deſerviret aurium. Illa ſiquidem judicata Latinitas videtur, quæ proprietate viſitatorum * verborum * *l.* uſitatorum
res intelligibiles enuntiat, non quæ falerata elo- * *an* Phaleratâ eloquia * verſutis luxuriat: dum non res pro ver- quentiâ?
bis, ſed pro rebus enuntiandis verba ſunt inſtituta. Sed jam, quæ utcumque proferenda ſunt, adgrediar.

deſcribitur,

80 Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo decimo, regnante rege Rodberto, marchiſo Balduino procurante abbatiam ſancti Petri, ſanctique Bavonis, domno etiam Eremboldo eam regente, ob quandam infamiam eliminandam, viſum eſt eidem patri, pios ſancti Bavonis detegere cineres: quod in ipſis Kalendis Auguſti, quæ ſunt ſolemnia ſancti Patris, aggreſſus eſt opus, accitis circum circà poſitis, quorum incdicibilis erat numerus. Inter quæ multitudinis frequentia erant ſummæ reverentiæ viri, ſcilicet Adhelbertus ſenior, fundator ſancti cœnobii

AUCTORE J. P.

Gandenſis, ac rector monaſterii ſanctæ Mariæ; Faſtradus quoque advocatus, ac Landbertus, qui curæ præſidali tunc præerat. Horum intuitu fabrili anniſu Sancti aperitur theca: cujus membra omnino integra contuentes, quid gaudii mentes intuentium pertemptaverit, judicent audientes. Sed quoniam à cunctis intueri non potuit, deliberatum eſt ad montem, agnomento Crucis deferri, ut liberiùs videretur ab omnibus. Verùm in eundo quid acciderit miraculi, pandam in propatulo.

puella membris contracta, atque altera ſurda ſanantur.

81 Puella quædam, Meinſwindis dicta, Andwerpis adulta, toto corpore contracta, ſic erat debilitata, ut, nî fulciretur, ſupina aut certè adclinis jacuerit. Quæ evectionem ſancti Patris opperiens, ante fores eccleſiæ immobilis jacuit. Cùmque ſacroſancta eveherentur membra, luminibus tantùm erectis, cetera membra immobilia exiſtentia, ſic anniſu, quo valuit, Sancto ſuſpiravit: Eia, inquit, ſancte Bavo, ecce comitantibus cunctis ſola ſubſiſtam? Et hæc effata, cùm in mediis foribus eccleſiæ media pars geſtatorii ſacroſancti c neris exteriùs, media interiùs, remorantibus turbis, exiſteret, & illa ſaniſſima ſurrexit, ac præiens Sanctum glorificabat exultans. Quæ actenus penes nos manet, & fine tenus permanere deliberat teſtis tantæ glorificationis. Ipſo in itinere alia aurium officio multata, cùm ſtaret attonita, & videret quidem, nec audiret, quæ gerebantur, ſubitanea ſanguinis effuſio erupit, & audire promeruit.

B

Duo juvenes, alter in feſto S. Bavonis,

82 In pago Flandrenſi, in portu ſcilicet Brugenſi, erat juvenis, nomine Thietboldus. Hic toto corpore diſſolutus, conamine miſerabili genibus & brachiis ſe repens ſuſtinuit. Huic cornu de collo pendebat, ut per plateas & domos, ne à canibus dilaniaretur, ſonitu auditus protegeretur. Hic à memorabili matrona, nomine Imma, cum qua jam per annos decem hoſpitabatur, cum aliis, Gandavum adeuntibus, vehiculi evectione perlatus eſt. Qui eo die, quo advenit, quoniam feſtivus illuxit Sancto, intuentibus nobis, oratum accubuit, & ſanus ſurrexit. Et cùm inopinatè vigere cœpiſſet viribus, cuidam ejuſdem emporii conducticius inſtitori ſua quæque tranſmarina pervolans hactenus prævidet, ſanctumque ſui Protectorem quotannis adit, gratias agit, ac redit.

C

alter ad tumulum, ſanitatem conſequuntur.

83 Alter erat adoleſcens, vocabulo Folbertus. Hic paraliſi percuſſus, à renibus & deorſum membra pedetenus habebat præmortua: & ſic ſemivivus degens, curriculo annorum octo bacillis comportatus, pedum regebat officia. Sed cupiens proprii ſtatus recuperare ſanitatem, ad ſepulchrum Sancti acceſſit. Ubi orandi devotione corruens dentium ſtridoribus fremere cœpit. Quem dum circumſtantes intuerentur, rurſus paleſcere cœpit & ſudare, nomenque Sancti ingeminando iterare. Factâ verò morâ in tali anxietate, lingua diuturna muta reſolvitur, aures ad audiendum laxantur, membra ſibi diù cohærentia reſolvuntur, ipſe baſibus mirificè ſolidatis, proprio anniſu lætabundus ſuper pedes ſtetit, reliquo vitæ ſpacio in eadem, quam acceperat, ſoſpitate perdurans. *Hîc deſinit is, qui nobis ex Gandenſi codice apographum procuravit, adjectâ ad marginem hâc notâ:* Sequebantur tria folia alba. Inde ſubjungebatur Vita Macarii. *De his monuit etiam lectorem Henſchenius die* x *Aprilis, addiditque, tria folia pura relicta fuiſſe, ut ſcilicet, quæ dein patrarentur miracula, poſſent ſubjungi.*

Reliquiarum detegendarum, publicéque

84 *Credibile id quidem eſt, ſed neque dubium mihi eſt, quin mutila ſit auctoris lucubratio, quoad detecti corporis hiſtoriam. Hæc enim, ubi iter inſtitutum dicitur ad deferendas in montem ſanctæ Crucis ſacras reliquias, abrumpitur, ut narrentur miracula, nec reſumitur, ut edoceamur, quid in ipſo monte vel poſtea geſtum ſit. Hoc autem à ſe litteris etiam commiſſum fuiſſe, abundè declarat auctor in Vita S. Macarii, quam idem ipſe conſcripſit, quamque ſic orditus eſt:* Quo ſacra S. Bavonis detecta ſunt membra [tempore] ac ordine ſuprà memorato repoſita, adiit hoc Gandenſe cœnobium *S. Macarius. Defectus iſte utcumque ſuppletur in Officiis propriis Patronorum eccleſiæ cathedralis Gandenſis prelo editis anno* 1661: *ubi ad diem* 1 *Auguſti in feſto elevationis & tranſlationis* S. Bavonis *iſta habentur lectione* v: Exorta eſt in populo controverſia; an corpus ſancti Bavonis Lauduno fideliter relatum, vel poſt reditum ex monaſterio furtim ſublatum eſſet. Eremboldus verò abbas ad erroris illius refutationem & reſtaurationem venerationis in Sanctum, convocatis undique in teſtes graviſſimis viris, coram omni populo loculum aperuit, & corpus ſancti Bavonis integrè repertum, ac in vicinum montem delatum, & in editiore loco publicè ſpectandum exhibuit. Deinde peracta ſolemnitate, oſſa cineresque ſacros, in aliam præſtantiorem thecam religioſiſſimè tranſpoſitos, ad eccleſiam ſancti Bavonis honorificè retulit anno Domini milleſimo decimo.

E

anno MX exponendarum quæ fuerit cauſa,

85 *Ratio, cur Eremboldus abbas ſacrum corpus detexerit ac publicè expoſuerit, generatim tantùm allegata à vetuſtiore ſcriptore* ad eliminandam quandam infamiam, *eodem modo, quo in data lectione Officii, declaratur in Hiſtoria alterius ſimilis reliquiarum expoſitionis factæ anno* 1058, *ut ſequitur:* Tempore Eremboldi abbatis palàm facta eſt prima beatiſſimi Patroni tranſlatio, quam fieri perſuaſit quorumdam invidia, dicentium beatum Bavonem furto ſublatum aut à Lauduno numquam reportatum. Hæc autem objectio falſa probata eſt argumento veritatis. *Reliqua dabuntur ſuo loco. Cæterùm ad jam recitatam tranſlationis Hiſtoriam duo potiſſimùm quæri poſſunt. Primum, qua de cauſa die* 1 *Auguſti dicantur eſſe* ſolemnia S. Bavonis. *Sed quæſtionem iſtam diſſolvimus initio Gloriæ poſthumæ, ſimulque improbavimus opinionem Bailleti, aſſerentis, diem* 1 *Auguſti in Gandenſi eccleſia feſtivum eſſe propter hanc tranſlationem factam anno* 1010.

F

& quis ſit Adhelbertus, qui

86 *Secundum, quis fuerit Adhelbertus ille, quem auctor noſter inſignit titulo* fundatoris ſancti cœnobii Gandenſis ac rectoris monaſterii ſanctæ Mariæ. *Equidem eum eſſe conjicio, qui ab aliis* Albertus *&* Aſcelinus de Truncinis *nuncupatur, fuitque Præpoſitus monaſterii B. Mariæ Virginis Truncinii prope Gandavum: eum ipſum, de quo citiùs, quàm par ſit, iſta leguntur apud Meyerum in Chronicis* DCCCCLXXVII Albertus, alio dictus nomine Aſcelinus, filius Balduini comitis Flandriæ, epiſcopus Pariſiorum, idem antiſtes Truncinienſis moritur, ſucceſſore Waltero. *Eumdem annum Alberto emortualem ſignat quoque Sanderus lib.* 4 *cap.* 6 *Gandavi ſeorſum editi, ſed citiùs quàm par ſit, uti contendunt quoque & ex Balderici Chronico Cameracenſi probant Colvenerius in Notis, Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum* 995 *& auctores Galliæ Chriſtianæ auctæ in Pariſienſibus epiſcopis.*

87 *Nam, teſte Balderico lib.* 1 *cap.* 110, *mortuo circa annum* 995 *Rothardo Cameracenſium*

cœnobii Gandenſis fundator in recitata

ſium epiſcopo, quidam Azelinus nomine de Truncinis villa, Balduini Flandrenſium comitis de concubina filius, poſtea tamen Pariſiorum epiſcopus, *ad Cameracenſem ſedem aſpiravit, ſed repulſam tulit. Eodem auctore Balderico ibidem cap.* 122, *cùm Erluinus Rothardi ſucceſſor poſtremo morbo laboraret (obiiſſe ſcribitur anno* 1012) Azelinus quem poſt Rothardi deceſſum... epiſcopatui inhiâſſe prædiximus, *denuo Cameracenſem epiſcopatum poſtulavit, ſed fruſtra. Demum verò circa annum* 1016 *Pariſienſem cathedram adeptus Aſcelinus, ut laudati Galliæ Chriſtianæ auctores conficiunt ex his codicibus, in quorum nonnullis* Albertus *vocatur, & in Thuano nominatim* Adalbertus. *Poſtremo etiam nomine appellatur in Epitaphio, quod olim legebatur in eccleſia Blandinienſis abbatiæ juxta Gandavum, ubi ſepultus fuit:*

Pauſant membrorum paſtoris Pariſiorum
Hoc dat Adalberto ſumma Trias tumulo
Hunc ſic Balduinus generârat marchio divus
Filius Arnulphi, par patre de parili.

B *&c.*

tranſlationis Hiſtoria nominatur.

88 *Iidem Galliæ Chriſtianæ auctores, apud quos integrum Epitaphium legere eſt, patrem ipſi fuiſſe conjiciunt Balduinum Juniorem, ſeu ejus nominis tertium, Arnulphi ſcilicet primi cognomento Magni filium, anno* 961 *defunctum. Hæc autem opinio noſtræ etiam conjecturæ eſt magis conſona, quandoquidem auctor tranſlationis anno* 1010 *vel paulo ſeriùs, Adhelbertum ſuum appellet* ſeniorem. *Cur verò eumdem* cœnobii Gandenſis fundatorem *ſcripſerit, non niſi per conjecturam rurſus, quamquam ſat veriſimilem, aſſequi valemus. Eremboldus abbas ſecundùm antè dicta anno* 1003 inchoavit opus Occidentale Gandenſis cœnobii; *ad illud veriſimiliter Adelbertus, vir potens, bona plurima contulerit, & quoniam adhuc viveret, dum noſter tranſlationem & miracula deſcripſit, viſus fuerit iſto titulo exornandus.*

S. Macarius ægrotans, S. Bavone, aliiſque

C 89 *Memorata ſuperiùs Vita S. Macarii opportunam materiam ſubminiſtrat, quâ Gloriam S.* Bavonis *proſequamur. Ejus auctor monachus Gandenſis æqualis & plurium, quæ narrat teſtis oculatus, idemque, qui tranſlationem* S. Bavonis *anno* 1010 *factam litteris commiſit, relato S. Macarii Gandavum ad* S. Bavonis *monaſterium adventu, ita pergit:* Qui benignè ſatiſque hoſpitaliter ſuſceptus ob devotionem ſanctæ converſationis, fraternæ ſocietati eſt admiſſus. Cujus benedictionibus & nos & circumcirca degentes per dies jocundati, gaudio gratulabamur non modico. Quem etiam apud nos ævo intermino poſſidere peroptantes, diatim perſuadebamus: ſed quoniam id animo non ſedit, imò magis patriam reviſere libuit, cum maximo dolore permiſſus eſt abire. Tunc ſocia fides certos ſodalium ambiguoſque ſecrevit vultus: ſiquidem à ſuis relinquitur, uno tantùm contentus comite. Cúmque portus commigrâſſet viciniæ, pedum inflatione corripitur, ac lectulo detinetur, & cùm per dies aliquot languor ingraveſceret, de vita deſperatur. Ad monaſterium itur, ut reveheretur. Itur, ac revehitur, peneſque nos aliquamdiu jacuit exanimi ſimilior.

Sanctis ipſi apparentibus, ſanatur, poſtque

90 Et ecce intempeſtæ noctis cujuſdam ſilentio, non gravatus quidem ſomno, S. Bavonem videt ſibi aſſiſtere, hiſque verbis compellare: Surge, ait, monaſterium ingredere, & quæ videris, innoteſce. Qui, ut ſibi videbatur, ſurrexit, monaſterium intravit, & ante ſanctum altare ſedentes utriuſque ſexus reperit Sanctos. Ex quorum confeſſione, ut ſibi videbatur, S. Bavo ſe ſubrigens, extenſa manu eum tenuit & extra limen templi eduxit, ponéque altare S. Petri à S. Amando olim dicatum, ſtare præcepit. Ubi dum operiretur, eoſdem Sanctos ſibi cum cereis ad hoc ipſum altare approximare videt, quos ob nimiæ claritudinis fulgorem vix intueri valebat. Horum admonitu roboratur, & ut de reliquo ſanus perſiſtat, certioratur. Ex quorum collegio S. Landoaldum cognovit infulatum, qui more Miſſarum ſolennia celebrans, ſe cum ceteris benedici promeruit. Qui ſtatim manè faniſſimus ſurrexit, quæ viderat, innotuit, & per indicium ſanitatis certos nos reddidit viſionis: ſicque nobiſcum per ſpatia quinque menſium commoratus, patriam iteratò deliberavit adire. AUCTORE J. P.

moritur; hujus acta a quo ſcripta.

91 *Sed peſte correptus, uti pluribus exponit auctor, in ipſo Gandenſi monaſterio obiit S. Macarius* anno Dominicæ Incarnationis milleſimo duodecimo & Chriſto ſcilicet diſponente, ſanctique Petri Apoſtolorum principis, cujus honore ac nomine iſdem viget locus, ſimulque pii protectoris noſtri Bavonis intervenientibus meritis, ut in loco, in quo manere recuſavit oratus, maneret glorificandus. *Ita ille, qui, paucis interpoſitis, procedit ad miracula S. Macarii ſubſecuta & ubi relaturus eſt omnium poſtremum, expreſsè ſignat annum, quo ſcripſit, dicens:* Anno præſenti, qui eſt Dominicæ Incarnationis milleſimus quartus decimus *&c. In iis autem, quæ præcedunt, luculenter docet, quanta ſolemnitate quantoque populorum affluxu id temporis celebraretur* S. Bavonis *feſtivitas. Num.* 4 *agens de puella cæca, meritis S. Macarii viſui reſtituta, obſervat, eam iſtuc optatò adveniſſe,* quoniam ſolemnitas S. Bavonis in proximo erat ventura, ex omni gente convolantibus turbis. *Rurſum num.* 9: Celebritas ſancti Bavonis, *inquit,* quotannis feſtiva occurrit. Ab incolis inſtitorum cujuſvis nationis, ceteriſque quaquaverſum gentibus evehuntur mercimonia. *Eodem ſeculo undecimo, ſed magis provecto, Acta S. Macarii fuſiùs deſcribenda ſuſcepit alter Gandenſis monachus, nec quidquam prætermiſit eorum, quæ ex priore jam protuli ſpectantia ad Sanctum noſtrum, uti videre eſt dicto tom.* 1 *Aprilis pag.* 886 *& ſeqq., unum tamen locum,* F *ubi de hujus feſto clariùs loquitur, iſtis ſubjungo: exſtat is pag.* 889 *ac ſic habet:* Kalendæ erant Octobris, celebris utique dies ex feſtivitate S. Bavonis: confluebant multi plùs ſolito ex diverſis regionibus Gandavum, alii oratum, alii mercatum, plerique curioſitate nundinarum. *&c.*

Brunonis cujuſdam ac Balduini comitis Flandriæ

92 *Ad eumdem annum* 1012 *refertur apud Sanderum obitus S. Macarii & mox ſubduntur ſequentia:* Quidam nomine Bruno dedit ſancto Bavoni novem marcas auri & pondus XVIII denariorum continens, duos calices auri, patinas quinque marcas habentes, duas caſulas, duas cappas & duo pallia in refrigerium animæ ſuæ. *Ad annum* 1019 *ſignatur obitus Eremboldi abbatis, ſub quo facta ſunt, quæ hactenus protulimus ab anno* 1003; *huic ſtatuitur ſucceſſor Othelboldus, in præmiſſis ſæpe laudatus occaſione epiſtolæ ipſius ad Otginam Flandriæ comitiſſam, in qua enumerat corpora Sanctorum in eccleſia cœnobii ſui aſſervata, &* S. Bavonem primum ac præcipuum patriæ noſtræ patronum *appellat. Sub hujus regimine, anno ſcilicet* 1030: Comes Balduinus,

AUCTORE J. P.

duinus, qui dictus est Barbatus, congregatis marchisiæ suæ Sanctorum corporibus, BAVONIS, Wandregisili, Amandi, Vedasti, Bertini, Winnoci cum aliis innumerabilibus Sanctorum reliquiis, præsente Hugone Noviomensi episcopo cum aliis pluribus episcopis & abbatibus, congregatis totius regni sui primatibus apud Aldenardam, pacem ab omni populo conjuratam firmari fecit; *ut tradit continuator Chronici Sigeberti Gemblacensis ab Autberto Mireo editi, cum aliis, quorum testimonia attulimus tom.* VI *Septembris ad diem mensis* XXI *in Commentario prævio ad Acta S. Gerulphi martyris Trunchinii in Flandria, quia illi inter nominatos plureſque alios Sanctos etiam Gerulphum recensent, & ejus quidem, utpote in Flandria nati ac passi, corpori in supplicationibus publicis principem locum concessum fuisse affirmant. Adeat curiosus lector dictum tomum nostrum pag.* 257, *ubi & de causa indicti hujus à Balduino conventus quædam observata reperiet.*

In monasterium S. Bavonis beneficentia.

B

93 *Othelboldus abbas* obiit, *sic apud Sanderum*, MXXXIV Nonis Decembris. Post illum fuit Lidwinus Atrebatensis, qui MXXXVI resignavit abbatiam. Successit Rumoldus Bergensis, qui MXXXVIII deponitur & in sequente anno Folbertus ordinatur. *De gestis in abbatia biennio præsulatûs Lidwini nihil quoque alibi notatum invenio, sed ad Rumoldi tempora spectant, quæ ibidem statim subjunguntur.* Anno MXXXVII Balduinus Pius, comes Flandriæ eum Adela uxore cœnobio D. Bavonis Gandensis multò amplissimas assignavit possessiones. *Balduinus V comes Flandriæ, à cultu divino ac morum præstantia* Pius *cognominatus, ab Insulensi Flandriæ civitate, quam præ ceteris dilexit ac ornavit, dictus etiam* Insulanus, *filius erat laudati num. præcedente Balduini IV, cognomento Barbati seu Pulchrobarbi: Adela verò, illius uxor, Roberti Francorum regis filia. At quæ bona, quasve possessiones illi Bavoniano cœnobio contulerint, ignoramus; sicut & causam, cur à prælatura depositus fuerit Rumoldus, & substitutus abbas Folbertus sive Fulbertus.*

Reliquiarum iterum fit translatio;

C

94 *De posteriore sic pergitur apud Sanderum:* Anno MLXVI Folbertus hic secundam translationem S. Bavonis fecit VII Idus Martii. *Sanderi textum secuti sunt Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom.* 5 *in Abbatibus cœnobii* S. Bavonis: *sed error est, nî fallar, tam in anno quàm in die translationis. Certè in relatione nostra Ms. translationis expressè signatur annus* millesimus quinquagesimus octavus, *dies verò* VI Idus Maii. *Quoad annum consonat Oliverus in Chronico Gandensi Ms., ubi ista leguntur:* Secunda translatio corporis beatissimi Bavonis, hujus Gandensis cœnobii piissimi protectoris à Balduino Noviomensi seu Tornacensi episcopo, tempore Folberti, hujus dicti cœnobii abbatis anno MLVIII. *Meyerus item in Chronicis & Annalibus Flandriæ:* MLVIII Balduinus episc. Noviomagensis in Gandensi cœnobio transtulit corpus divi Bavonis. *Auctor denique Officii in festo Elevationis ac Translationis* S. Bavonis *ad diem* 1 *Augusti recitandi, lectione 6 sic habens:* Anno Domini millesimo quinquagesimo octavo, sub Balduino Noviomensi episcopo & Floriberto * abbate, reliquiæ in aliam rursus capsulam sunt translatæ. *Diem autem translationis in Ms. nostra relatione notatum confirmant Auctaria Martyrologii Usuardini apud Sollerium nostrum. Nam* VI *Idus seu die* X *mensis Maii ita legitur in codice*

* *al.* Folberto

Bruxellensi: In Gandavo sancti Bavonis; *sic in Greveni editione:* Translatio sancti Bavonis confessoris.

D

95 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis nec hujus translationis meminit, nec ejus, quam anno* 1010 *factam esse, suprà ostendimus. Non adeo mirabar silentium ipsius de translatione anni* 1010; *quandoquidem nec mentio ejus fit apud Sanderum, quo plurimùm usus est pro rebus Gandensibus: at, cur hîc siluerit, non statim assequebar: donec tandem in dictis Annalibus ad annum* 1058 *num.* 26 *in hæc verba incidi:* Hoc ipso anno è vivis abiit Kalendis Aprilis Wichardus Gandæ seu sancti Bavonis abbas, cujus Epitaphium Sanderus refert, post eum Everlinus locum rexit, & post annos decem Folcardus. *In his, quam quærebam, mox causam deprehendi. Consuluit quidem Sanderum Mabillonius pro rebus Bavoniani monasterii ad hæc tempora pertinentibus, sed loco non suo. Sanderus Gandavi seorsum impressi lib.* 4 *cap.* 2 *seriem exhibet Vitasque abbatum Blandinienſium; cap.* 4 *lib. ejusdem abbatum* S. Bavonis. *Idem facit in Auctario ad tom.* 1 *Flandriæ illustratæ; pag.* 40 *recenset Blandinienses abbates, & pag.* 53 *Bavonianos. Primum locum per inadvertentiam arripuit Mabillonius, & quem istic anno* 1058 *obiisse legit Wichardum abbatem, pro Bavoniano assumpsit, qui* S. Bavonis *monasterio non præfuit, sicut nec Everlinus nec Folcardus, quos Wichardus in Blandinienſi successores habuit. Hinc factum, opinor, ut de errore suo nihil suspicatus, ultrà progressus non sit Mabillonius, sicque neo Folbertum, tunc reverà* S. Bavonis *abbatem, noverit, nec quam curavit ipse Sancti nostri translationem.*

hujus, quæ à Mabillonio non memoratur.

E

96 *Relationem hujus Ms. nacti sumus* ex parvo Ms. Gandensi, *sed quanti valoris sit, nescimus, cùm nullam temporis, quo scripta sit, vel auctoris notam præ se ferat. Præludium, quo docet auctor, olim anno* 1010 *factam esse translationem propter invidiam quorumdam* dicentium, beatum Bavonem furto sublatum aut à Lauduno numquam reportatum *fuisse dedi, num.* 85, *ipsa verò his verbis concepta est.* Anno postea Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo octavo, Folberto sancti Bavonis abbate, recaluit invidia, proruens in vitium primæ & ejusdem falsitatis, quasi res jamjam probata, sepulta esset in sepulchro oblivionis. Abbati præfato de fratrum ac amicorum consilio visum est, ut in die apostolorum Petri & Pauli mendacium propulsetur: ita ut aperiendo feretrum, reliquiasque omnibus ad visum porrigendo veritas ipsa palpetur. In re tam magni ponderis comitis Balduini consilium & auxilii gratiam expostulat, qui malitiæ consilio circumventus, abbatem à precum effectu removet. Abbas igitur non sine dolore rediens, episcopo Balduino mandat, quosdam terræ primates advocat. Hi omnes non sine confratribus sexto Idus Maii in unum convocati, nil melius dicunt, quàm quòd feretri apertio mendacii infamiam excludat. Feretrum ingenio fabrili aperitur, thesaurus, quem invidia furto deputaverat, per episcopum omnibus ostenditur: tripudium exinde habitum explicare lingua non valet: & ut hoc gaudium fiat manifestius, ad montem sanctæ Crucis, quo antea deportatus fuerat Sanctus, iterum deportatur, ut quasi ad duplicis testimonii argumentum ibidem denuo demonstretur.

traditur ex Ms. Gandensi

F

97 Ecce in ipso ecclesiæ egressu mulier quædam

relatio,

A dam de familia ſancti Bavonis intra conculcantium pedes ſcabellis repens, humi hærebat; quæ contra pedes dum in nullas partes declinare poſſet, Sanctum piè inclamabat. Vir autem Dei lacrymoſæ petitioni adeſſe non dedignatur. Mulier claudicationis hactenus miniſtra, tibiarum reſoluta internodio, ſequitur Sanctum, partim cantans, partim lacrymans, bene inclamans: Sana ſum. Feretro igitur ad ſanctæ Crucis, modò ſancti Pancratii, montem delato, prædicator divini verbi populum paſcit & reficit dè Dei ejuſque Confeſſoris magnificentia. Reliquiarum verò gaza ad majus teſtimonium circumſtantibus dum laxatur, cælum aperitur, cæloque aperto, ſignum ſanctæ Crucis ſupra feretrum demonſtratur.

ad quam nonnullis

98 *Relationem hanc ſequuntur aliquot miracula ſeu prodigia* S. Bavonis *patrocinio adſcripta, de quibus agam, poſtquam nonnulla ad ipſam obſervavero. Balduinus comes iſtic memoratus, ipſe eſt, qui anno* 1038 *cum regia conjuge Adela monaſterio Bavoniano munificus fuit, agnominatus* Pius *&* Inſulanus, *quique dein anno* 1067 *in eodem monaſterio cum Philippo Francorum rege, Adela hujus amita, uxore ſua, filioque Balduino Montenſi ac optimatibus adſtitit elevationi S. Macarii, eodem anno vitâ functus. Fortaſſe hîc duriore, quàm promerunt, phraſi* malitiæ conſilio circumventus *dicitur, non alia de cauſa, quàm quòd veritatem reliquiarum* S. Bavonis *anno* 1010 *ſatis probatam miraculiſque confirmatam, & hanc tranſlationem in eumdem finem minùs neceſſariam judicaverit, atque idcirco ipſi intereſſe non voluerit. Balduinus alter in relatione nominatus fuit epiſcopus Noviomenſis ſimul & Tornacenſis ab anno circitèr* 1044 *uſque ad* 1068.

B

obſervatis,

99 *Mons autem, ad quem ad publicam reliquiarum exhibitionem faciendam delatum eſt feretrum, in relatione factæ ejuſmodi exhibitionis anno* 1010, *vocatur* Mons agnomento Crucis; *hîc* Sanctæ Crucis, modò ſancti Pancratii; *in Hiſtoria mox dictæ elevationis S. Macarii anno* 1067 *apud nos tom.* 1 *Aprilis pag.* 891 Mons S. Pancratii *tantùm & hæc Annotatio ſubjicitur ex libello Flandrico de Vita S. Macarii compoſito per R. D. Joannem Schatteman, paſtorem in Laerne, loco in extremis territorii Teneramundani finibus ſito duabus leucis à civitate Gandenſi:* Colitur S. Pancratius XII Maii, cujus reliquias anno DCCCCLXXXV Eremboldus, poſtea abbas, Româ attulit: has autem in hoc monte depoſitas credo, ut inde ſacra tranſlationis pompa ad monaſterium inchoaretur, & ex tunc iſtud nomen manſiſſe monti. Eſt autem mons urbi proximus, centum circitèr paſſibus diſtans à via publica Teneramundam ducente: ubi in hodiernum uſque diem (*editus eſt libellus anno* 1641) viſitur altare ſemirutum, reponendis (*S. Macarii*) ſacris reliquiis deſtinatum, interim dum coram iis populo quotannis ſupplicabundo prædicaretur: quod poſt monaſterii deſtructionem fieri deſitum. Conſtat autem ex inſtrumentis, quibus locus incolendus traditur, exinde vocatum eſſe Montem S. Macarii. *Hæc de loco, ubi exhibitæ fuerunt reliquiæ* S. Bavonis.

C

tria patrocinio S. Bavonis

100 *De prodigio apparentis ſupra feretrum ſigni ſanctæ Crucis ſilent alii, ſed & ipſe relationis noſtræ auctor ea ſilens præteriit, quæ ex aliis veriſimiliter documentis inſerta ſunt Officio Gandenſi ad diem* 1 *Auguſti de tranſlatis tunc in novam capſulam* S. Bavonis *reliquiis*, cui exornandæ (*ut ibidem ſequitur*) Bruno quidam, religione & opibus præſtans, novem cum dimidia marcas obtulit præter multa alia pretioſa munera & duodecim auri libras, aurificis induſtriæ laborique impenſas. *Hanc Brunonis piam liberalitatem Sanderus, ut antè vidimus, retulit ad annum* 1012, *fortè minùs accuratè, quàm auctor Officii. Tranſlationis porrò relationi, ſicut antè obſervabam, ſubnectuntur in Ms. apographo aliquot miracula ſeu prodigia Sancti noſtri patrocinio attributa. Verùm ea inter duo ſunt, utcumque mirabilia quidem, non talia tamen, ut naturaliter fieri nequiverint, ac primum præterea iis veſtitum eſt adjunctis, quibus elucidandis viam non inveniam. Quare, miſſis iſtis, cetera deſcribo.* AUCTORE J. P.

attributa miracula

101 In ipſa ſancti Macharii elevatione quidam contractus utroque pede à primordio nativitatis, contulit ſe ad merita ſanctiſſimi Bavonis, ubi corruens coram clero & populo tam * ardentiùs non ſine lacrymis orabat, quantò præ aliis diuturni languoris anguſtiâ laborabat. Cùm enim eccleſia aureo fulgore illuſtratur, contractus ab humo elevatur: miraculum inibi viſum à circumſtantibus in nonnullis locis ſeminatur. Plures enim aderant, qui & hunc viderunt priùs repentem, multoque tempore poſtmodum liberè gradientem. *Elevatio S. Macarii, curante Sigero abbate, Folberti aliquoties nominati ſucceſſore, ſolemniter peracta eſt à Balduino Noviomenſium ac Lietberto Cameracenſium epiſcopis anno* MLXVII *die* IX *menſis Maii; quando ſimul facta eſt eccleſiæ dedicatio, ut pluribus docet ſecundus S. Macarii biographus tom.* 1 *Aprilis pag.* 890 *& ſeq., ac paucis his verbis Oliverus in Chronico:* Elevatio ſancti Macharii archiepiſcopi, & dedicatio hujus Gandenſis eccleſiæ, antiquo opere dejecto & in meliorem ſtatum reædificatæ à Balduino Noviomenſi ſeu Tornacenſi, & Lethberto Cameracenſi ſeu Atrebatenſi epiſcopis in Chriſti nomine omnium honore Sanctorum tempore Sigeri hujus cœnobii abbatis anno MLXVII. *Dictum diem* IX *menſis Maii ad hæc noſtra uſque tempora, ſed ſub ſolo titulo Elevationis S. Macarii in eccleſia cathedrali Gandenſi celebrant Officio duplici majore ſecundæ claſſis.* * tantò

recenſentur, quorum ultimum contigit

102 *Secundum, quod ex Ms. noſtro huc tranſfero miraculum ſeu beneficium nullam præfert temporis notam.* Lambertus de Cramham, homo in Deum durus, in proximum iniquus, in caput ſuum extulit calcaneum. Nam ſancti Bavonis capite cenſum unum captivans, ſibi ſubjugavit, ſibi uſurpavit: timenſque, ne pedem fugitivum faceret, quaſi furem compedivit. Compeditus autem ſæpius clamabat; Domine miſerere, non ſum tuus, Domine, ſancti Bavonis ſum. Sanctus Bavo, cujus ſum ex capite, iram colliget ſuper te. Hæc & his ſimilia cum fletu iterabat. Sed, quod pejus eſt, voces cum lacrymis ſubjacent deriſionis ſcurrilitati. Sed quis in Domino confidens poſt tergum projicitur? Claro die compes laxatur: captivus fugam meditatur, & clàm egrediens cum tota compede, ad monaſterium ſancti accurrit Bavonis, totumque ſuum accidens ad notitiam fratribus porrigit. *Hîc, ſicut in aliis documentis apud Cangium in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, capite cenſus *vocatur homo, qui pro capite ſuo annuatim cenſum perſolvebat eccleſiæ ſeu alteri domino, cui obſtrictus erat.* E F

103 *Tertium ſic habet:* Dum campanarium eccleſiæ ſancti Bavonis ædificaretur, Lambertus carpen-

AUCTORE J. P. *post prælaturam Sigeri abbatis, de cujus*

carpentarius (*faber lignarius*) pro virium suarum modulo satis officiosum se exhibebat. Sed cum de tecto in campanarium se daret, bipennam, cui inniteretur sustentatus, ligno infixit. Bipennâ autem à ligno elapsâ, fallitur miser & labitur: & à tam alto elapsus, ad terram usque decidit, vitâ non privatus mirabiliter. In ipso enim lapsu, quamvis instar rotæ volveretur, Bavonem in auxilium vocat, nec mora, ad funem ibidem pendentem manus applicat, sicque aliquantulum ab infortunio relevatus, terram duriter occupat; ejus gratiâ salvatus, quem invocavit. *Factum hoc, in quo non immeritò* S. Bavonis *auxilium agnoverunt, referendum videtur ad annum circitèr* 1138, *quando* inchoatum est Occidentale opus majoris turris Gandensis cœnobii prima die Martii, *ut legitur apud Sanderum: igitur diu post prælaturam Sigeri abbatis, qui eâ sponte absolutus est anno* 1073, *postquam alteram ecclesiam, in eodem Gandensi Castro sitam, Sancto nostro dedicandam curaverat, ut ibidem additur:* Anno MLXXII ecclesia parœcialis in castro Gandensi sita, quæ vulgariter appellatur ecclesia sancti Christi, dedicata est in honore sanctæ Crucis sanctique Bavonis à Radbodo Noviomensi episcopo, abbate Sigero hoc promovente.

B

successoribus pauca subdantur.

104 *Idem Radbodus, hujus nominis secundus, Noviomensis ac Tornacensis episcopus, sequenti anno, cùm necdum prælaturam abdicâsset Sigerus abbas, transtulit reliquias SS.* Bavonis *& Pharahildis in ecclesiam novi castelli, quæ utrique consecrata olim fuerat, sed postea solius* S. *Pharahildis nomen retinuit, prout diximus § præcedenti hujus Gloriæ posthumæ num.* 63. *Sigerum excepit Stephanus de Egmundis, abbas Bavoniani monasterii, &* anno MLXXIV, *Sanderum rursus describo*, reliquias diversorum Sanctorum transtulit cum fratribus suis in ecclesiam parœcialem sanctæ Crucis sanctique Bavonis supradictam, inibique in novo scrinio ad hoc præparato decenter collocavit. Postea MLXXVI ipse deponitur & succedit Wichmannus, qui anno MXCII deponitur & Adelardus introducitur. Sub hoc (*Wichmanno videlicet & anno* MLXXXIII, *ut notat Oliverus in Chronico*) transtatio prima facta reliquiarum S. Levini, Pancratii & Barbaræ. Obiit Adelardus MXCIX Non. Martii. Sub hoc ecclesia S. Jacobi MXCIII in Gandavo fundari cœpit. *Adelardo successor datus est Wulfricus, qui apud Sanderum absque ulla gestorum declaratione obiisse dicitur anno* 1131, XI *Kal. Julii.*

C

§ V. Cultus Sancti à seculo duodecimo usque ad decimum quintum, ejusque monasterii seculo decimo sexto vicissitudines.

Pauca de Sancti cultu à seculo XII

DUbium non *est, quin seculis* XII, XIII, XIV, *&* XV *idem in Gandensi cœnobio* S. Bavoni *ejusque sacris exuviis delatus sit honos, ea habita in ipsius patrocinio fiducia, eademque servata in festivitatibus solemnitas, quæ seculis præcedentibus. At longè ista quàm hæc steriliorem campum aperiunt exornandæ Sancti nostri Gloriæ posthumæ; sive quòd omnia posterioribus seculis sic ordinario cursu fluxerint, ut pauca admodum annotanda nacti sint auctores, seu quòd minùs studiosi ac diligentes fuerint, ut singula ad posterorum notitiam transmitterent. Dixi autem* exornandæ Sancti nostri Gloriæ posthumæ, *ad quam, sicut antè monui, pertinere non puto abbatum successiones gestorumque historias; aliorum Sanctorum in ecclesia* S. Bavonis *elevationes ac translationes; bona, privilegia, prærogativas eidem ecclesiæ aut cœnobio vel abbatibus concessa per summos Pontifices, imperatores, reges, principesque tam ecclesiasticos quàm seculares sine peculiari mentione cultûs aut venerationis erga Sanctum aut ejus reliquias, similia denique, quæ ad ipsum referri nequeunt, nisi in quantum cum ecclesia cœnobium ejus tamquam fundatoris ac præcipui patroni nomine insignitum fuit, quibusque alioqui explanandis ac dilatandis amplam materiam subministrarent Belgii scriptores, nominatim Sanderus in Gandavo suo & Miræus in Opere diplomatico.*

D

106 *Hæc itaque missa facio & pauca illa propiùs ad ipsum Sanctum pertinentia exhibeo. Pro seculis duodecimo ac decimo tertio nihil hujuscemodi se offert: pro decimo quarto primùm illud, quod jam dedimus ex Sandero § tertio Gloriæ posthumæ num.* 62 *de translatis in novam thecam reliquiis* SS. Bavonis *& Pharahildis anno* 1336 *in ecclesia collegiata S. Pharahildis; secundò, quod tradit idem auctor his verbis lib.* 4 *cap.* 4. Joannes secundus, dictus de Moro, fit abbas. Is anno MCCCXXXV indulgentias salutares in festivitatibus SS. Bavonis, Livini, Macarii & Landoaldi in prædicto cœnobio Gandensi acquirendas, à Papa Clemente gratiosè impetravit: *istis verò in Chronico Oliverus*: Indulgentiæ huic Gandensi cœnobio in festivitatibus sanctorum Bavonis, Macharii, Landoaldi & Livini ad instantiam & devotam supplicationem Joannis abbatis secundi à Domino Clemente Papa VI concessæ fuerunt anno MCCCXXXV. *Pro decimo quinto seculo rursum nihil; pro initio decimi sexti pauca apud Sanderum, unde intelligas, quàm pretiosè ornata tunc esset* S. Bavonis *lipsanotheca. Agitur de Ægidio Boele Teneramundano, abbate Bavoniani monasterii ab anno* 1507 *usque ad* 1517 *& inter alia memorantur ista:* Auro etiam decoravit feretrum S. Bavonis & sancti Macarii argento. *At dum hinc progredimur propiúsque accedimus ad nostram ætatem, magno numero se offerunt rerum vices ac permutationes spectantes tum ad cœnobium* S. Bavonis *tum ad ejusdem Sancti nostri sacra lipsana: de utrisque nunc acturi sumus: res monasterii breviter, quantùm per materiæ ubertatem licebit, permittetque propositi nostri ratio, expediemus; de reliquiis verò, utpote ad Gloriam posthumam Sancti nostri propiùs spectantibus nonnihil prolixiùs disseremus.*

usque ad seculum XV *se offerunt, post quod*

E

F

ejus monasterium seculo XVI,

107 *Laudatus igitur Ægidius Boele duos dumtaxat in abbatiali dignitate successores habuit, anno* 1517 *Levinum Hugenoys & post hujus obitum anno* 1535 *Lucam Munich: & sub hujus quidem initiis, anno videlicet* 1536, *sanctissimus Dominus Paulus III Pontifex Maximus, rogante serenissimo Carolo V imperatore & Flandriæ comite, abbatiam convertit in collegium canonicorum secularium. Rationes ab imperatore sibi expositas præmittit Pontifex in Bulla, quam integram excusam habes apud Miræum tom.* 2 *Diplomatum pag.* 1051: Quòd licèt monasterium S. Bavonis,

A vonis, ſitum juxta oppidum Gandenſe Ordinis S. Benedicti Tornacenſis diœceſis, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectum, olim per præfatum S. Bavonem, Hasbaniæ comitem, fundatum, & ſucceſſu temporis per comites Flandriæ, ipſius Caroli imperatoris & comitis prædeceſſores dotatum, notabile & inſigne ... *eſſe dignoſcatur* ... cùm tamen dictum oppidum (quod ortum natalibus ipſius Caroli V imperatoris dedit) plurimùm inſigne & famoſum *ſit* dictique comitatus principale ac præcipuum, ac in eodem oppido unum aliud etiam opulentum monaſterium ejuſdem Ordinis ſub invocatione S. Petri dicatum, & nullæ cathedralis aut collegiata ſecularis exiſtat præter unam tantùm vetuſtam & depauperatam ſub invocatione S. Pharaildis, ... ut ad præſens non ſit ibidem canonicus, qui ex fructibus ſuæ præbendæ ſe decenter ſuſtentare poſſit....

poſtulante Carolo V imperatore,

108 Præfatus Carolus imperator nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in dicto monaſterio S. Bavonis nomen & titulum monaſterii ac dignitatem abbatialem & conventualem nec non Ordinem prædictum, ac omnem ſtatum & omnem

B dependentiam regularem, nec non ſingula officia ac monachales portiones hujuſmodi perpetuò ſupprimere & extinguere, ac illius eccleſiam prædictam in ſecularem & collegiatam, ut præfertur, erigere & inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Sic fore ut*, feliciori, *ſicut præmittitur*, ſtatui eccleſiæ monaſterii S. Bavonis hujuſmodi conſuleretur, & tam illa, quàm oppidum ipſum magis decoraretur, & venuſtiora redderentur, divinuſque cultus in eadem eccleſia & ad illam Chriſti fidelium devotio cum illorum ſpirituali conſolatione & animarum ſalute non parùm augeretur.

à Pontifice Romano in canonicorum ſecularium

109 *Deinde dicit Pontifex, petitioni ſe annuere, ſervatis ſervandis, ſtatuitque inter alia, ut ſuppreſſæ deinceps dignitati abbatiali ſubſtituatur præpoſitura; prioratui decanatus; præpoſituræ regulari cantoria; theſaurariæ regulari ſecularis; præpoſituræ in Papingloo ſcholaſtria, & præter has dignitates ſint viginti quatuor canonicatus ac totidem præbendæ pro totidem canonicis, qui cum præpoſito, decano &c capitulum ipſius eccleſiæ conſtituant:* ita ut ipſi abbas & monachi nunc regulares, de cætero præpoſitus, decanus, cantor, theſaurarius, ſcholaſticus & canonici ſæculares ipſius eccleſiæ exiſtant, & pro talibus habeantur

C & reputentur; ac de cætero habitum regularem dicti Ordinis geſtare & illius regularia inſtituta, diffinitiones, ritus & mores, etiam quoad divinorum celebrationem, jejunia, victum & ciborum uſum ac indumentorum & alia quæcumque, ad quæ dicti Ordinis ſeu profeſſionis occaſione tenebantur, in futurum obſervare minimè teneantur. *Denique dignitates & canonicatus ſic ordinat:* Et præſentium vigore modernus abbas loco ſuppreſſæ abbatialis dignitatis præpoſituram ſæcularem & modernus prior decanatum, & modernus præpoſitus cantoriam, & modernus theſaurarius regularis theſaurariam ſæcularem; nec non modernus præpoſitus in Papingloo ſcholaſtriam erectos, & ſinguli monachi præfati unum ex canonicatibus & unam ex præbendis erectis hujuſmodi abſque alia proviſione, eis de illis facienda, retinere poſſint. *Reliqua Bullæ videantur apud Miræum loco citato, uti & Acta ſecularizationis ibidem pag.* 1290 *& ſeqq.*

110 *Lucas itaque Munich, poſtremus abbas, factus eſt tum primus collegii canonicorum præpoſitus cum ea juriſdictione, poteſtate, auctoritate ac præeminentia, etiam quoad pontificalium uſum & exercitium, ac ſolemnis benedictionis elargitionem, quam abbas antè habere conſueverat, ut expreſſis verbis ſancitum fuerat in prædicta Bulla Pontificia; ſe tamen ipſe etiam poſtea abbatem ſcripſit. At eccleſia monaſterii deinceps appellari cœpit collegiata* S. Bavonis *Gandenſis, retento nempe Patrono monaſterii, ex cujus bonis collegium canonicorum ſecularium fundatum fuit. Utrumque liquet ex titulo, quem, teſte Sandero, tunc ille ſibi adſcripſit:* Lucas permiſſione divina abbas collegiatæ eccleſiæ S. Bavonis Gandenſis, Tornacenſis diœceſis, Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjectæ. *Sanderi teſtimonium certum facit Lucas ipſe in teſtamento ſuo, quod condidit anno* 1560, *& ex quo ſimul diſcimus, ipſum ad uſque vitæ finem (obiit anno* 1560) *uſum fuiſſe eodem titulo. Teſtamentum iſtud publici juris fecit Cornelius Paulus Hoynck van Papendrecht, archipresbyter Mechlinienſis, inter Analecta Belgica tom.* 1 *pag.* 177, *ejuſque iſtud eſt initium:* In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Cùm nihil certius ſit ipſa morte, & horâ ejuſdem nihil incertius; Nos Lucas Munich, humilis abbas eccleſiæ ſancti Bavonis Gandenſis *&c.*

AUCTORE J. P. *collegium convertitur,*

E

quod deinde è loco monaſterii

111 *Sed cum Lucæ obitu omnino exſtinctus eſt abbatis titulus. In mox memoratis Analectis ſub initium tomi* 1 *Jacobus Yetzweirtius verſus aliquot proximo ejus ſucceſſori ita inſcribit:* Illuſtriſſimo dno D. Viglio Aytæ à Zuichem præpoſito D. Bavonis *&c. Idem ipſe Viglius, ut mittam plura aliorum exempla, teſtamentum ſuum anno* 1577 *ſic orditur ibidem pag.* 197: In Dei nomine. Amen. Ego Viglius, dictus Zuichemus ab Ayta, presbyter & utriuſque juris doctor, præpoſitus cathedralis eccleſiæ ſancti Bavonis Gandavenſis *&c. Nova tamen ibidem facta erat immutatio, priuſquam Lucas ſuum teſtamentum conderet, & altera rurſum, priuſquam ſuum conficeret Viglius. Primam ſic paucis proponit Sanderus:* Anno MDXL die XII Maii tranſlatum eſt capitulum ex monaſterio olim S. Bavonis ad eccleſiam olim parochialem S. Joannis mutata priùs invocatione ſancti Joannis in invocationem S. Bavonis. *Paulò latiùs Joannes Baptiſta Ludovicus de Caſtillion, tunc præpoſitus inſignis eccleſiæ collegiatæ S. Pharaildis ad ſanctum Nicolaum Gandavi, poſtea epiſcopus Brugenſis in ſacra Belgii Chronologia anno* 1719 *typis vulgata pag.* 50: Triennio ſic ſtetit hoc canonicorum collegium in antiquo illo ſancti Bavonis loco, ad Scaldis & Liſæ confluentes ſito, qui cùm Carolo V videretur arci ad cuſtodiam urbis excitandæ commodus, inde tranſlatum eſt hoc collegium ad parochialem S. Joannis Baptiſtæ baſilicam Gandenſem, titulo ſancti Joannis in titulum ſancti Bavonis mutato, per Alexandrum Cardinalem de Farneſio, Domini noſtri Papæ & Apoſtolicæ Sedis legatum à latere, juxta literas ab eo datas MDXL quinto Idus Maii & juxta literas Caroli quinti imperatoris, datas Brugis eodem anno MDXL die X Julii.

F

arci exſtruendæ deſtinato

112 *Allegatæ litteræ Alexandri Farneſii Cardinalis exſtant apud Miræum tom.* 2 *pag.* 1055; *& ſic habent:* Alexander miſeratione divina S. Laurentii in Damaſo diaconus Cardinalis de Farneſia nuncupatus, S. R. Eccleſiæ vice-cancellarius, ad Hiſpaniæ & Franciæ regna, nec non quæcumque alia loca & provincias, ad quæ nos declinare contigerit, Domini noſtri Papæ &

AUCTORE J. P.

Apoſtolicæ Sedis de latere legatus, ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis ab Apoſtolica Sede nunciaturæ officio, imperatorum & regum votis, præſertim ſuorum dominiorum pacem, ac ſubditorum publicam & evidentem utilitatem concernentibus, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sanè pro parte devotiſſimi dictæ Sedis filii, Caroli Romanorum imperatoris ſemper Auguſti & Hiſpaniarum regis Catholici, nobis nuper exhibita petitio continebat: Quòd nuper ipſe ad civium oppidi Gandavi, Tornacenſis diœceſis, ſub debitis fidelitate & obedientia animos continendos, ac inter eos & totam patriam & comitatum Flandriæ, cujus ipſe Carolus etiam comes exiſtit, pacem & tranquillitatem perpetuò fovendam & conſervandam, aliiſque neceſſariis & urgentiſſimis cauſis, animum ſuum moventibus, impulſus, unam munitam arcem ſeu fortalitium in collegiata eccleſia S. Bavonis ipſius oppidi, loco ad id congruentiori conſtituere & ædificare incepit.

in S. Joannis eccleſiam, B

113 Et quia (ſicut eadem expoſitio ſubjungebat) pro arce ſeu fortalitio hujuſmodi perficiendo totam dictam eccleſiam, ſeu ejus majorem partem demoliri oportet, à nobis inſtanter petiit, ut collegiatam præfatam in totum ſupprimere, nec non ad parochialem eccleſiam ſancti Joannis ejuſdem oppidi, ad quam ipſe Carolus imperator ſingularem gerit devotionis affectum, & in qua Baptiſmatis ſacramentum ſuſcepit, tranſferre, & etiam ab ipſa parochiali eccleſia invocationem S. Joannis delere, illamque in collegiatam eccleſiam ſub invocatione dicti S. Bavonis erigere, aliáſque in præmiſſis opportunè providere dignaremur. Nos igitur ad infraſcripta per dictæ Sedis litteras (quas juxta indultum nobis in eis conceſſum inferere non tenemur) ſufficienti facultate muniti, precibus ipſius Caroli imperatoris in hac parte inclinati, auctoritate Apoſtolica nobis conceſſa & commiſſa, qua fungimur in hac parte, tenore præſentium collegiatam eccleſiam S. Bavonis, nec non in dicta parochiali eccleſia invocationem S. Joannis perpetuò ſupprimimus; eandemque parochialem in collegiatam eccleſiam ſub invocatione dicti S. Bavonis cum capitulo, clauſtro & aliis collegialibus inſigniis perpetuò erigimus & inſtituimus.

C *nuntii Apoſtolici conceſſione,*

114 Ac eandem de novo erectam collegiatam S. Bavonis abbatiam ſeu præpoſituram principalem, nec non reliquas dignitates, canonicatus & præbendas, capellanias & beneficia dictæ demoliendæ eccleſiæ cum anniverſariis, fundationibus, proviſionibus, collationibus, patronatu & funeralibus, ac aliis juribus, juriſdictionibus, cenſibus, fructibus, redditibus & proventibus, nec non tam perſonalibus quàm realibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, præeminentiis, honoribus, franchiſiis & gratiis, lampadibuſque, Sanctorum corporibus, reliquiis, reliquiariis, campanis, libris, calicibus, crucibus, ornamentis, feretris, clenodiis, aliiſque mobilibus & immobilibus ac ſe moventibus bonis transferimus, illaque omnia eidem de novo erectæ collegiatæ eccleſiæ perpetuò applicamus & appropriamus. Ac eidem Carolo imperatori collegiatam eccleſiam præfatam pro dicta arce ſeu fortalitio conſtruenda, ſeu partem ex ea neceſſariam abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo demoliendi licentiam & facultatem concedimus.

115 Nec non reverendo patri epiſcopo Tornacenſi ſeu ejus ſuffraganeo, aut cuicumque alii prælato vel in eccleſiaſtica poteſtate conſtitutæ perſonæ tranſlationem ipſam cum ſolemnitatibus & ceremoniis in ſimilibus neceſſariis & opportunis, ac adhiberi ſolitis, faciendi poteſtatem impartimur; non obſtantibus Apoſtolicis, ac provincialibus & ſynodalibus conſtitutionibus & ordinationibus ſtatutiſque & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum in dicto oppido Gandavi anno à Nativitate Domini MDXL quinto Idus Maii, Pontificatûs ſanctiſſimi Domini noſtri Pauli divinâ providentiâ Papæ tertii anno ſexto. *Eodem anno* 1540 *Paulus Pontifex latâ Bullâ tertio Nonas Decembris geſta hîc per Alexandrum Cardinalem omnia & ſingula approbavit, confirmavit & innovavit. Bullam iſtam legeſis apud Miræum ibidem pag.* 1059, *litteræ autem Cardinalis legati, quæ illi penè integræ inſertæ ſunt, hîc deſcribendæ videbantur, quia inde liquet, in eo tranſlationis negotio non minimam habitam fuiſſe rationem honoris & gloriæ Sancti noſtri.*

accedenteque Pontificis Romani approbatione, tranſfertur,

hæcque eccleſia, mutato titulo, S. Bavonis dicta eſt, E

116 *Cum enim eccleſia antiqui monaſterii & nuper canonicorum collegii, cujus ut fundator & primarius patronus tot ſeculis agnitus & cultus fuiſſet* S. Bavo, *tum deſtruenda eſſet, proindèque extinguendus ibidem Sancti ejuſdem honor & gloria, ex litteris diſcimus, expreſsè ſtatutum fuiſſe, ut eccleſia parochialis, ad quam cum ſacro ejus corpore & aliis Sanctorum lipſanis tranſmigraturum erat canonicorum collegium, non modò collegiata fieret, ſed deinceps* S. Bavonis *nomen & patrocinium aſſumeret, ſuppreſſo nomine antiquì patroni S. Joannis Baptiſtæ. Decretum iſtud repetitur ſimiliter in Bulla Pontificia, ſervatumque fuit in inſtrumentis & actis publicis. Exemplum habes in ſuprà citato teſtamento Lucæ Munich abbatis ſeu præpoſiti, qui anno* 1560, *à tranſlatione vigeſimo, ſe ſcripſit abbatem* collegiatæ eccleſiæ S. Bavonis Gandenſis. *Idem ſervatum eſt, poſtquam eadem eccleſia in cathedralem evecta eſt, ut rurſum liquet ex teſtamento Viglii ab Ayta, qui anno* 1577 *ſeſe præpoſitum* cathedralis eccleſiæ ſancti Bavonis Gandavenſis *nuncupavit. Plura exempla afferre ſupervacaneum ſit: ſufficiet dixiſſe, uſum iſtum denominandi ipſam ſub invocatione Sancti noſtri ita invaluiſſe, ut noſtra ætate eccleſia cathedralis* S. Bavonis *per totum certè Belgium celeberrima ſit ac omnibus notiſſima, ſed reperiantur plures, qui ignorent, olim dedicatam fuiſſe S. Joanni Baptiſtæ.*

F

factaque cathedralis, epiſcopatu Gandenſi

117 *Cathedralis porrò facta eſt in novorum epiſcopatuum per Belgium erectione, cùm ſcilicet Paulus IV Pontifex Maximus ad preces Philippi II Hiſpaniarum regis, & Belgarum domini, Mechliniæ, Cameraci & Ultrajecti archiepiſcopatus inſtituit; epiſcopatus autem Antverpiæ, Gandavi, Brugis, Ipris, Buſcoduci & Ruræmundæ, Mechlinienſi archiepiſcopo & totius Belgii primati ſuffraganeos; Harlemi item, Daventriæ, Leovardiæ, Groeningæ ac Middelburgi Ultrajectino archiepiſcopo ſubjectos; ac denique Audomaropoli & Namurci, qui cum Tornacenſi & Atrebatenſi antiquis epiſcopatibus metropolitam haberent Cameracenſem antiſtitem. Bullam præfati Pontificis ſuper generali hac epiſcopatuum inſtitutione ac diviſione anno* 1559, *quarto Idus Maii datam, typis vulgârunt Miræus tom.* 1 *pag.* 472, *& Arnoldus Havenſius, Cartuſiæ Gandenſis Prior, in Opere, quod de iſta materia conſcripſit, ediditque anno* 1609 *ſub hoc titulo:* Commentarius de erectione novo-

A novorum episcopatuum in Belgio, *quos consulat curiosus lector.*

cum multis aliis per Belgium erectis.

118 *Pro peculiari autem erectione Gandavensi videri potest Bulla Pii IV Pontificis, quâ erectionem à Paulo decessore factam confirmat, diœcesis limites definit, dotem episcopo designat, aliaque eò spectantia disponit & ordinat. Data illa est anno* 1561 *septimo Idus Augusti, editaque tom.* 5 *Galliæ Christianæ auctæ inter Instrumenta col.* 340. *Inserta quoque est Litteris Francisci Richardot episcopi Atrebatensis, quibus ipsam tamquam judex & exsecutor delegatus, uti videre est apud Miræum tom.* 2 *pag.* 1066, *promulgavit anno* 1568, *quo tandem eoœm consecratus fuit, ac sedis suæ possessionem adiit primus Gandensium antistes Cornelius Jansenius Hulstensis Flander, sacræ theologiæ doctor, vir eruditione, scriptis ac pietate clarissimus. De eo ac successoribus episcopis, qui plura novisse desiderat, adeat mox laudatum Miræi tomum* 2 *pag.* 1076; *Joannis Baptistæ Ludovici de Castillion Sacræ Belgii Chronologiæ partem* 2 *pag.* 509, *& tomum* 5 *Galliæ Christianæ auctæ col.* 161, *ubi ordinata serie exhibentur præcipua singulorum gesta ac laudum præconia usque ad annum* 1716, *quo episcopatum tenebat, tenueratque ab anno* 1695 *illustrissimus D. Philippus Everardus Vander Noot, patruus hodierni illustrissimi D. Maximiliani Antonii vander Noot.*

B

§ VI. Corpus S. Bavonis anno MDLXVI ab hæreticorum furore feliciter servatur, postea, iisdem iteratò sævientibus, amittitur.

Corpus S. Bavonis anno 1566 *ab hæreticorum furore*

C *Orpus Sancti nostri cum reliquo sacro thesauro secundùm dicta § præcedente sub annum* 1540 *ex veteris monasterii ecclesia, quæ ante triennium facta fuerat collegiata, delatum fuit ad aliam, priùs parochialem, dein etiam collegiatam, nunc cathedralem* S. Bavonis. *Hîc servatum & ingenti, qua hactenus semper, in veneratione habitum est usque ad annum* 1566, *quando propter imminentes hæreticorum tumultus deportatum fuit ad novam aream, à Carolo cæsare exstructam eo loco, quo olim steterat monasterium. Prudenti sanè consilio; quandoquidem hoc ipso anno, mense Augusto Calviniani, uti aliarum Belgii civitatum, ita quoque Gandavenses Catholicorum ecclesias violârint ac diripuerint, continuata ad tertium usque diem sacrarum rerum spoliatione, ut tradit Famianus Strada Decade prima de Bello Belgico lib.* 5 *pag.* 262 *& de ecclesia* S. Bavonis *speciatim Sanderus lib.* 4 *cap.* 4 *Rerum Gandensium:* Anno MDLXVI die XXII Augusti sectarii sectæ Calvinisticæ infra undecimam & duodecimam noctis intrârunt ecclesiam S. Bavonis Gandensis & fregerunt omnes imagines & altaria dictæ ecclesiæ, occasione quorum de præcedenti ecclesia corpora sanctorum Bavonis, Livini, Chrysogoni, Adriani, Landoaldi, Macarii, Idæ, Barbaræ, Vincianæ, Landradæ & Pharahildis translata fuerunt in castrum novum, extructum tempore Caroli V imperatoris in dominio S. Bavonis & ibi fuerunt usque ad septimum Octobris anno MDLXVII, excepto B. Levini corpore, quod allatum fuit eodem anno in Junio pridie translationis ejusdem, & collocata fuerunt cum omni reverentia in ecclesia collegiata S. Bavonis, ad quam spectant. AUCTORE J. P.

in castro Gandensi servatur, postea que, ut epistola

120. *Post hæc transilit Sanderus ad annum* 1577, *quo obiisse dicit die* VIII *Maii Viglium ab Ayta capituli præpositum, & res tam monasterii quàm ecclesiæ* S. Bavonis *eò usque chronologicè deductas claudit his verbis:* Ita hactenus Chronicon & ejus additamentum, quod mihi tradidit R. D. Gerardus de Nebra, ecclesiæ cathedralis Gandavensis canonicus, vir legum, præsertim sacrarum, cognitione ac virtute conspicuus. *Idem auctor lib.* 5 *cap.* 1 *sermonem resumit de ecclesia cathedrali, & ad dicti capitis calcem excudit litteras, quas dominus Georgius Chamberlainus, nomine episcopi Gandensis & canonicorum* S. Bavonis, *quorum fuit decanus, dedit ad serenissimum principem Albertum Austriæ archiducem de reliquiis in eadem conservatis, & in quibus hunc sic primò alloquitur;* De sacro dictæ ecclesiæ thesauro Breviarium religiosa & digna Austriaco nomine devotione petiisti: cui obtemperantes, damus serenissimæ Celsitudini vestræ nomina Sanctorum, quorum reliquiæ in ecclesia quondam regulari, nunc cathedrali civitatis vestræ Gandavensis, religiosè asservantur: plures habuimus, quas sacrilegæ manus, temporum calamitate subnixæ & avaritiâ armatæ surripuerunt. *Hinc, paucis interpositis, procedit ad enumerationem sacrorum corporum, tunc illic exstantium, singulisque annectit singulorum Sanctorum elogium seu Vitæ compendium, isto ordine:* Corpus sancti Macarii; corpus sancti Landoaldi; corpus sancti Brixii; corpus sanctæ Vincianæ; corpus sanctæ Pharahildis; corpus sanctæ Landradæ. *Sed his subnectit:* Corpora sanctorum Bavonis, qui feretro aureo ante iconoclastiam clausus erat & Livini, & magna pars corporis sanctæ Barbaræ hæreticorum furore sunt sublata. E

ad Albertum archiducem innuit, amittitur; illud scilicet,

121 *Ad hæc, fateor, obstupui; magisque cùm studiosè perlegens reliquam catalogi partem, quà minores Sanctorum reliquiæ, ossa vel ossium fragmenta continentur, ne nomen quidem trium illorum Sanctorum reperirem, atque inde concludere cogerer, sacris eorum lipsanis anno* 1566, *teste Sandero, tam feliciter hæreticorum furori subductis, deinde ita spoliatam fuisse cathedralem, ut nihil eorum notatu dignum supereset ante annum* 1621, *quo extremum diem clausit serenissimus archidux Austriæ & Belgarum princeps Albertus. Adii itaque primùm & curiosè pervolvi alios, quos habemus, rerum Belgicarum scriptores, ut quo tempore tantum dicta ecclesiæ damnum illatum fuisset, & quo pacto, salvis aliis plerisque corporibus ac reliquiis, duo primariorum patronorum* Bavonis & Livini *corpora deperiissent, ediscerem. Traduni in Gandenses Catholicorum ecclesias iteratò sævitum fuisse ab hæreticis, pulsum fuisse clerum, & ut tradit etiam Sanderus in Fastis consularibus Gandensibus, multa istic detestanda ac luctuosa contigisse anno* 1578, *sed quæ reliquiæ deperditæ, quæ vel quomodo servatæ, non declarant, quamquam pronum sit judicare de ista clade sermonem haberi in citatis ad archiducem litteris.* F

quidquid adversetur Rayssius, ex documentis authenticis,

122 *Interim Rayssius in Hierogazophylacio suo Belgico, quod edidit Duaci anno* 1628, *multis sanè annis postquam scriptæ fuerint litteræ istæ & uno saltem postquam eas juris publici fecit, ita exhibet pag.* 85 *& seqq. sacrum thesaurum ecclesiæ* S. Bavonis, *acsi etiam tum in eo servarentur corpora*

AUCTORE J. P.

pora SS. Bavonis *& Livini; quandoquidem ſic ordiatur:* In S. Bavonis cathedrali eccleſia civitatis Gandavenſis horum Sanctorum corpora reconduntur: S. Bavonis Gandavenſium patroni, ſanctiſſimi & celeberrimi confeſſoris, *ac poſtea immiſceat ſequentia:* S. Livini epiſcopi & martyris *corpus ſcilicet reconditur. Hæc dum componere non poteram cum litteris ad Albertum archiducem, conſulendos duxi ipſos Gandenſes, roganduſque, ut, ſi quæ ad rem iſtam elucidandam haberent documenta, nobiſcum communicare, ac hodiernum* S. Bavonis *reliquiarum ſtatum (nam poſtea aliquas eos obtinuiſſe noveram) edocere me dignarentur. Ad illud negotium uſus ſum operâ R. P. Petri Van Royen, Societatis noſtræ ſacerdotis, inſignis bibliothecæ Gandenſis collegii præfecti & in ſeminario epiſcopali ſacræ theologiæ profeſſoris, qui & antè operam ſuam officiosè mihi addixerat, præſtiteratque & hac occaſione etiam præſtitit officioſiſſimè. Obtinuit quippe à reverendo ac ampliſſimo domino Petro Van Damme eccleſiæ cathedralis exemptæ* S. Bavonis *canonico ac theſaurario, archiviſta ac ſecretario capituli, notarioque apoſtolico, ut ex Actis capitularibus dictæ eccleſiæ varia ad propoſitum noſtrum conducentia deſcripſerit, propriiſque obſervationibus illuſtraverit & cum aliis inſtrumentis, ſimiliter valdè utilibus nobis tranſmitti benigniſſimè curaverit.*

B

123 *Exordium ducit laudatus ampliſſimus dominus ab aſſerta apud Sanderum conſervatione ſacrarum reliquiarum in prima calamitate, quam ab hæreticis paſſa eſt eccleſia* S. Bavonis *anno* 1566. Quòd, *inquit*, feretra *cum incluſis* reliquiis Sanctorum, notanter feretrum ſancti Bavonis, evaſerint furorem Calviniſtarum, quando anno MDLXVI menſe Auguſto invaſerunt templum ſancti Bavonis, & altaria everterunt, imagineſque fregerunt, eſt evidens. Nam ob metum iconoclaſtarum tempeſtivè per capitulum tranſlata erant ad novum caſtrum & capitaneo ejuſdem in cuſtodiam tradita. In Actis enim capitularibus anni MDLXVII die XVII Septembris in capitulo extraordinario fit enumeratio feretrorum &c in novo caſtro exiſtentium. Acta ſic ſonant: "Declaravit dominus Adrianus de Meyer, quòd cum dominis Goethals & Eraſmo, juxta dominorum commiſſionem ipſis heſterna die in ſacriſtia factam, fuiſſet in novo caſtro ad ibidem videndum deliberari ſeu conſignari per D. de la Mollier, capitaneum dicti caſtri, clenodia, jocalia & reliquias ejuſdem eccleſiæ ad manus nobiliſſimi Dñi Alonſii de Vulloa, communiter appellati mgro del campo militum Hiſpanorum, qui jam cuſtodiam dicti caſtri deinceps eſſet habiturus, & eadem in ſuam cuſtodiam & fidem recepit.

quibus etiam aſſerta corporis

C

in caſtro ſervatio, deindeque

124 "Quam quidem commiſſionem dicti domini inſequentes, hodie datæ præſentium in capitulo ad hoc convocato retulerunt, prædictorum jocalium conſignationem in eorum præſentia fuiſſe factam, præſentibus ibidem tam deputatis ex parte ſenatûs cameræ Flandriæ, quam magiſtratûs oppidi Gandenſis: addentes iidem commiſſarii, quòd coram dicto mgro del campo, mediis eorum juramentis, declarârunt ex certa eorum ſcientia, eadem clenodia ibidem viſitata & inventerizata ſpectâſſe & ſpectare ad eccleſiam ſancti Bavonis, prout hîc inferuntur. Videlicet primò feretrum ſancti Bavonis, laminis aureis & argenteis contectum: feretrum ſanctæ Barbaræ argentatum: feretrum divæ Pharaildis aliquali-ter deargentatum: item ſeptem alia feretra lignea *, quibus recluduntur reliquiæ ſanctorum Landoaldi, Macharii, Griſogoni, Adriani & ſanctarum Landradæ, Vincianæ & Idæ: item duæ arculæ ſeu ciſtæ, in quibus reconduntur aliquot reliquiæ undecim millium Virginum: item duo baculi argentati, quibus utuntur cantores in feſtis ſolemnioribus, & alius baculus deargentatus, quando defertur in majoribus feſtis proceſſionaliter..."

D

* *fortè* lignea

125 *Cetera omittens dictus ampliſſimus dominus monet, non recenſeri in inſtrumento feretrum S. Livini, quia, quod etiam obſervavit Sanderus ſuprà, relatum illud fuerat menſe Junio ejuſdem anni* 1567 *ad eccleſiam* S. Bavonis: *idque ſimiliter probat ex Actis capitularibus. Verba dari poterunt ad diem* XII *Novembris, quo de S. Livino agendum erit.* Reliqua, *ſic pergit idem reverendus ac ampliſſimus dominus*, in inventario ſuperiùs nominata, die VII Octobris MDLXVII relata ſunt ad eccleſiam ſancti Bavonis, ut patet ex Actis de VIII Octobris in capitulo extraordinario, ubi dicitur: "In hoc capitulo extraordinariè convocato propoſuit D. Clemens, de reliquiis, heſterna die extra caſtrum delatis, honeſtè ac tutè alibi reponendum *: placuitque dominis, eas reliquias & feretra, quæ retro magnum altare ſolent collocari, reponendas eſſe ſuper doxale, ſic ut aliqualiter videri poſſint, alia verò feretra precioſiora, videlicet Bavonis, Barbaræ deferenda eſſe ad chorum, utque fiat Miſſa ſub ritu duplicis majoris, ex quo eſt Octava Bavonis, cantando Miſſam, quæ cantatur XII Maii de tranſlatione Sanctorum cum pulſu debito."

ex illo facta deductio probatur,

E

* reponendis

126 *Poſt hæc, quibus ſolidiſſimè probantur aſſerta apud Sanderum de conſervatis anno* 1566 *&* 1567 *ſacris lipſanis, procedit ſæpe laudatus ampliſſimus dominus ad annum* 1578, *oſtenditque, ſimiliter certiora eſſe, quàm optandum foret, ea, quæ in litteris ad ſereniſſimum archiducem Albertum referuntur de ſublatis dein* SS. Bavonis *ac Livini corporibus & S. Barbaræ reliquiis, vanamque eſſe ſpem, quam præ ſe ferunt verba Arnoldi Rayſſii.* Verùm, inquit, alterum & longè triſtiorem furorem Calviniſtarum ſenſit eccleſia ſancti Bavonis anno MDLXXVIII, quando corpora ſanctorum Bavonis & Livini & magna pars corporis ſanctæ Barbaræ hæreticorum furore ſunt ſublata & perdita. *Hîc citat primò librum, cui Flandricè conſcripto titulus eſt:* Res Gandavenſes ſeu Chronica tumultuum & hæreſium in & circa civitatem Gandavenſem *ab anno* 1566 *uſque ad* 1584. *In duas is partes diviſus eſt & hæc habet Flandricè part.* 2 *pag.* 8: XXII (*Februarii* 1578) templo extulerunt thecas reliquiarum Bavonis, S. Livini, S. Barbaræ, & capitis S. Joannis Baptiſtæ cum aliis cimeliis, eas contemptim plauſtro imponentes, nec quidquam in eccleſia reliqui facientes præter thuribulum argenteum & calices aliquot ad Miſſam celebrandam, atque hæc quidem in rerum inventarum indicem relata.

anno 1578 *primò fuiſſe ſub ſpecioſo*

F

127 *Ad horum intelligentiam notandum, quòd, uti refert ex regiſtro conventus ſui Gandenſis P. Bernardus de Jonge in Belgio Dominicano ſeu Hiſtoria Ordinis Prædicatorum in Belgio pag.* 54, *cùm id temporis Hiſpani milites hiſce regionibus exceſſiſſent, ii, penes quos erat ſumma rerum Belgicarum poteſtas, milites adverſæ partis intromiſerint, &* paulò pòſt (*verba ſunt ex regiſtro deſcripta*) ſub prætextu ſatisfaciendi militibus

prætextu ſublatum, ac deinde

A litibus pro communi patriæ salute (sic enim loquebantur) conductis, primò manus sacrilegas in thesauros ecclesiæ *miserint*, idque per certos commissarios, ut vocant, à magistratu ad hoc deputatos, ac ne res tam nefaria speciosо careret titulo, recepta sunt ecclesiæ prædictæ donaria seu clenodia, sub æstimatione auri-fabrorum atque ponderis pretio, cum promissione restitutionis eorum aut etiam majorum, postquam excitatæ procellæ conquiescerent.

à capitulo quâcumque etiam adhibitâ

128 *Hâc eâdem viâ, hac fraude in hæreticorum manus devenerunt corpora* SS. Bavonis *& Livini ossaque S. Barbaræ, utpote pretiosioribus inclusa thecis, quàm aliæ reliquiæ cathedralis ecclesiæ, uti manifestant ea, quæ verbis ex libello Flandrico desumptis statim subjungit reverendus atque amplissimus D. van Damme, quem pergo describere:* Et in Actis capitularibus, *sic ille*, die ultima Februarii MDLXXVIII sub matutinis habentur sequentia: "Deputati fuerunt domini thesaurarius, „ Zelandre, receptor fabricæ Vale, nec non duo „ magistri fabricæ secularis. domicellus Petrus „ Courtewiele & Henricus Soete, ut se conferant „ ad domum civicam, visuri desumi ac deponi
B „ aurum & argentum à preciosis mobilibus & jo„ calibus hujus ecclesiæ, paucis abhinc diebus „ ab hac ecclesia ex parte magistratûs eò depor„ tatis & translatis, nec non ad Sanctorum reli„ quias & pignora recuperandum, & ab iis, qui „ abstulerunt, recipiendum." Eadem die ultima Februarii MDLXXVIII capitulo ordinario convocato "domini thesaurarius & Zelandre ante „ finem hujus capituli cum aliis condeputatis „ reversi ex domo civica, retulerunt capitulo se „ fuisse præsentes, ubi argentum & argentum „ deauratum desumptum fuit à clenodiis hujus „ ecclesiæ & postea ponderatum juxta inventa„ rium desuper confectum & signatum per San„ ders. Cujus ut copiam authenticam ego con„ ficiam mihi à capitulo injunctum fuit, eum„ que postea in feretro capituli reponi curem. „ Declarantes, se ulteriùs intellexisse ab octode„ cim viris, feretra sanctorum Livini & Bavo„ nis adhuc esse intacta; reliquias in dictis cle„ nodiis inventas reportârunt, & capitulum do„ mino Adriano Vale fabricæ receptori reveren„ ter custodiendas tradidit."

diligentiâ, recuperari non potuisse, constat.

C 129 Deinde die XX Martii MDLXXVIII in capitulo ordinario inter alia habetur: "Quando„ quidem capitulum intelligat, ex parte magi„ stratûs seu octodecim virorum deputatos esse „ Bussardum van Hembyze, Nicolaum Sersan„ ders & Livinum d'Herdde ad agendum super „ restitutione feretrorum sanctorum Livini, Ba„ vonis & Barbaræ, quibus aurum & argentum „ ablatum & detractum esse fertur: Ideo ex par„ te capituli commissi sunt domini archipresby„ ter Zelandre & Vale, ad recuperandum sacras „ reliquias dictorum Divorum, & quæcumque „ factu necessaria in præmissis cum iisdem depu„ tatis agendum." A die XX Martii usque ad XXIII Augusti nulla ampliùs fit mentio de feretris aut reliquiis, qua die post Acta in registro annotatum est. "Hìc notandum, collegium nostrum fuisse „ dispersum die XXIV (*an mensis excidit?*) anni „ Domini MDLXXVIII; quando (proh dolor!) ec„ clesiâ nostrâ in hac civitate primariâ, collegio „ nostro ademptâ, imagines in eadem dejectæ, „ altaria eversa &c, utrobique fuere violenta hæ„ reticorum improborum & perditorum homi„ num manu." Ab hoc tempore usque ad annum MDLXXXIV capitulum fuit dispersum & non habentur resolutiones capitulares. Post reconciliationem civitatis Gandavensis cum rege Hispaniæ & religionem Catholicam restitutam canonici à suo exilio reversi, cœperunt agere de recuperandis reliquiis, deputaveruntque in eum finem ad magistratum, feceruntque informationes & perquisitiones multas; sed (ut patet ex Actis) omnia in vanum; & ex reliquiis Sanctorum Livini, Bavonis & Barbaræ nihil recuperaverunt.

AUCTORE J. P.

§ VII. Reliquiæ S. Bavonis anno MDXCIV Gandavi adhuc superstites, aliis aliunde, præsertimque Aldenardâ, acceptis augentur.

Exiguæ S. Bavonis reliquiæ anno 1594 Gandæ

R*Elata præcedente § ex litteris ad archiducem Albertum & confirmata ex documentis ad nos transmissis per laudatum jam sæpe amplissimum dominum Van Damme concludere nos coëgerant, initio seculi* XVII *vel nullas vel certè minùs notabiles* S. Bavonis *reliquias exstitisse in ecclesia cathedrali Gandavensi, maximè cùm earum nulla fieret mentio in elencho dictis litteris inserto. Attamen paucas saltem sive exiguas ibidem exstitisse anno* 1594, *ac tunc alias etiam, verisimiliter non magis notabiles, iis accessisse, docet nos idem amplissimus dominus verbis sequentibus: "In „ Actis capitularibus* XXIII *Septembris* MDXCIV *habetur:* „ Exhibuit D. Decanus capitulo quasdam reliquias S. Bavonis, repertas in feretro quodam sancti Laurentii ecclesiæ parochialis superioris Enamensis, idque de scitu & licentia decani Christianitatis districtus illius; attento, quòd hìc paucæ admodum ejusdem sancti ecclesiæ Patroni supererent, domini, cum gratiarum actione easdem recipientes, concluserunt, conficiendam capsulam, cui eædem populo proponendæ includi possent. *Quo pacto priores illæ hæreticorum furorem evaserint, aut quâ viâ vel tempore Einhamum pervenerint aliæ, incompertum nobis est. Fuit porrò* Einhamum, *aliis* Enamum, Eenhamum *&* Eenamia *oppidum olim & castrum munitum, nunc vicus est cum insigni abbatia Ordinis S. Benedicti, situs ad Scaldim fluvium prope Aldenardam Flandriæ oppidum, ejusque ecclesia parochialis patronum habet S. Laurentium. Plura vide apud Sanderum tom.* 2 *Flandriæ illustratæ pag.* 514.

F

superstites, Aldenardâ præsertim acceptis augentur,

131 *Post conscriptas ad archiducem litteras auctæ sunt paulatim Sancti nostri reliquiæ in cathedrali Gandensi accessione aliarum partium. Ac primò quidem anno* 1637, *quando tres earumdem partes in mox nominato Aldenardensi oppido acceptæ & Gandavum delatæ sunt, ut notârunt Majores nostri in Commentario prævio ad Acta S. Macarii Antiocheni tom.* 1 *Aprilis pag.* 895. *Hoc ipsi noverant ex libello, quem de Vita ejusdem S. Macarii Flandricè composuit & anno* 1640 *typis vulgavit D. Joannes Schatteman pastor in Laerne, loco Gandensis diœcesis, & cujus ipsamet verba ex Flandricis Latina facio:* Cùm mirabili casu reliquiæ S. Bavonis confessoris repertæ essent in templo S. Mariæ Virginis Pamelensi intra Aldenardense oppidum, venerabiles domini cathedralis ecclesiæ S. Bavonis Gandensis

AUCTORE J. P.

fis beneficio admodum R. D. Hugonis d'Engien, abbatis Einhamenſis & prædictæ Pamelenſis eccleſiæ patroni, tres partes prænominatarum reliquiarum S. Bavonis impetrârunt, quas omni veneratione acceptantes, die XXIX Martii anno MDCXXXVII ſolemniter exceperunt. *His additur, quòd poſtero die reverendiſſimus dominus D. Antonius Trieſt, Gandenſium epiſcopus, in gratiarum actionem donaverit mag. Nicolao Outſchoorn duas inſignes partes ex corpore S. Macarii, alteram pro eccleſia Einhamenſis abbatiæ, alteram pro Pamelenſi eccleſia, in qua hæc pars, ab Aldenardenſibus maximo apparatu excepta, collocata fuit in ara principe juxta reliquias* S. Bavonis.

& an ova, quibus erant incluſæ, pro ſacrarum reliquiarum

quæ quando Aldenardam pervenerint,

132 *Iſthæc legenti deſiderium inceſſit diſcendi plura, quanto ſcilicet tempore reliquiæ* S. Bavonis *Aldenardæ delituiſſent, & quo tandem caſu fuiſſent inventæ. Deſiderio rurſus, quantum valuit, ſatisfecit ita reſcribens ampliſſimus D. van Damme:* Reliquiæ ſancti Bavonis videntur perveniſſe ad eccleſiam parochialem Pamelenſem Aldenardæ circa annum MCCCCXXII. Sic enim videntur ſignificare chartulæ inventæ in ovis ſtruthionum, de quibus fit mentio in originali conſultatione doctorum Duacenorum, cujus hîc inſeritur copia: CASUS. "In „ eccleſia parochiali B. Mariæ Pamelenſis in ci- „ vitate Aldenardenſi duo fuêre ova ſtruthionum „ ab immemorabili tempore altaribus impoſita „ feſtis majoribus, nec non ante turbas per dia- „ conum & ſubdiaconum in proceſſionibus cir- „ cumferri ſolita: quorum unicum caſu modo „ fractum, & reliquiæ in eo incluſæ inventæ „ ſunt cum chartulis adjunctis & inſcriptione, „ utpote hac, DE SANCTO BAVONE, & rurſus „ aliâ: ANNO MCCCCXXII, quod occaſionem „ dedit aperiendi aliud, in quo ſimiles reliquiæ „ & inſcriptiones inventæ. Quæritur, an iſtæ re- „ liquiæ pro veris debeant & poſſint haberi.

B

an pro veris reliquiis haberi debeant,

133 „ Viſo hoc caſu, & bene examinato, „ infraſcriptis videbatur, reliquias iſtas, de „ quibus quæritur, pro veris haberi poſſe „ & debere: cùm à ducentis & ampliùs annis „ pro talibus habitæ ſint; proinde nec inter „ novas reliquias recenſendas, de quibus „ Conc. Trid. ſeſſ. XXV ſtatuit, novas reliqui- „ as non eſſe recipiendas, niſi recognoſcente „ & approbante epiſcopo. Conſentit Azorius „ part. I Inſtit. moral. L. IX, c. VIII, q. VIII „ dicens: Si aliquæ reliquiæ denuo inventæ a- „ licujus, qui jam pridem fuerit Sanctorum „ catalogo adſcriptus, coli poſſunt etiam pu- „ blicè, priùs tamen eas recognoſcente & ap- „ probante epiſcopo. Ita viſum & delibera- „ tum, ſalvo meliori judicio, hac die IX Octo- „ bris MDCXXXV Duaci. Et erat ſignatum. Ge- „ orgius Colvenerius S. Theol. doctor & regius „ ordinariuſque profeſſor; Franciſcus Sylvius S. „ Th. D. & regius ordinariuſque prof.; Theo- „ dorus van Couverden S. Th. D. & regius or- „ dinariuſque profeſſor; Valentinus Randour S. „ Theol. doct. & regius ordinariuſque profeſ.„ Viſa hac reſolutione epiſcopus Gandavenſis vo- luit eſſe informatus de cultu: & in illum finem dedit commiſſionem decano Chriſtianitatis diſtri- ctûs Aldenardenſis, & paſtori Pamelenſi, ut de- ſuper caperent informationes &c; prout ex ſub- junctâ copia, cujus originale in archivio capituli aſſervatur, clariùs patebit.

C

134 *Quod laudat inſtrumentum, Flandricè rurſum exaratum eſt, nec ſtrictam facilè admittit verſionem Latinam, quapropter ejus ſenſum hîc exhibuiſſe ſufficiat. Die XXII Auguſti 1636 Petrus Ramaert presbyter; Joannes Moreels presbyter; Georgius Rombaut; Guilielmus Voet; Georgius vande Woeſtynen; Judocus vanden Hende filius Andreæ; Simon Dilbael; Joannes Robyns ſenior; Joannes de Bie; Ludovicus vanden Perre; Jacobus van Heelant & Daniel van Coppenol, ſeniores & honoratiores Pamelenſes, ſiſterunt ſe dominis Ludovico vanden Berghe, decano Chriſtianitatis Aldenardenſis ac Nicolao Outhoorn, parocho Pamelenſi, & coram iis, tamquam deputatis reverendiſſimi domini epiſcopi Gandavenſis, rogati affirmârunt, propriæque manus ſubſcriptione teſtati ſunt, quòd duo ova ſtruthionum, argento contecta, & ad eccleſiam Pamelenſem pertinentia, ab antiquis temporibus fuerint habita & honorata ut ſacræ reliquiæ, ſeu ſacrarum reliquiarum thecæ; altaribus impoſita, & in publicis proceſſionibus ſive ſupplicationibus per diaconum, ſubdiaconum aut ſaltem per homines veſte pluviali indutos geſtata ac circumlata, atque iſta ſe ſuis ipſos oculis conſpexiſſe.*

thecis antiquitus honorata fuerint, examinato,

E

135 *Poſt omnium ſubſcriptiones ſequitur teſtimonium ipſorummet deputatorum epiſcopi, dictis die & anno declarantium & affirmantium, quòd eadem, quæ ſuprà nominati, etiam coram ſe teſtatus ſit dominus Sebaſtianus van Opſtalle, annos natus circitèr octoginta ſex, vir honoratus ac pius, qui à juventute ſua habitaverat cum domino parocho Pamelenſi, fratre ſuo, quòd, inquam, iſta teſtatus ille ſit cùm ſe diſponeret ad felicem mortem, quam obiit tertio pòſt die. Totum denique inſtrumentum clauditur ſubſcriptionibus Ludovici vanden Berghe & N. P. Outhoorn. Tum ſic pergit reverendus ac ampliſſimus dominus canonicus van Damme:* Reliqua circa modum, quo reliquiæ S. Bavonis Aldenardæ inventæ ſint, & quomodo ad eccleſiam cathedralem Gandavenſem pervenerint, aliunde patent ex copia authentica, quam paſtor Pamelenſis anno MDCCXL confecit ex Memoria, ipſi à decano diſtrictûs Aldenardenſis exhibita, cujus copia hîc adjungitur. *Dictæ Memoriæ ſeu totius rei geſtæ Deſcriptioni titulus iſte præfigitur:* Introductio SS. reliquiarum S. Macharii epiſcopi & confeſſoris ad eccleſiam parochialem B. Mariæ Pamelenſis in civitate Aldenardenſi. *Sed prior ejus pars, quam ſolam à notario apoſtolico deſcriptam nobis tranſmiſit idem ampliſſimus dominus, potiſſimùm ſpectat ad reliquias* S. Bavonis.

F

modus etiam, quo inventæ,

136 *Sic habet:* Mirabilis ſanè Deus in Sanctis ſuis, quod licèt diverſimodè poſſet demonſtrari; attamen, ut ad oculum patet, in occaſione prætactæ introductionis poteſt oſtendi: caſus ſequitur: In prædicta eccleſia parochiali, duo ibidem fuêre ova ſtruthionum, circulis argenteis circumcincta, & in proceſſionibus circumferri ſolita; quorum unum (ita diſponente Deo) caſu fractum, theſaurum incluſum patefecit, & ſacculum ex byſſino fulvo contectum in lucem edidit, cui certæ reliquiæ incluſæ cum memoriali quodam hujus tenoris: DE SANCTO BAVONE; quod cauſam dedit aperiendi aliud ovum, cui ſimilis ſacculus magnitudine & colore uno, ex eodem byſſino cum chartula quadam tenoris hujus: ANNO DOMINI MILLESIMO QUADRINGENTESIMO DUODECIMO. Inde ſanè orta eſt concertatio inter cathedralem eccleſiam D. Bavonis in civitate Gandavenſi & præfatam eccleſiam parochialem Pamelenſem, quæ tandem

dem

A dem dirempta eſt his conditionibus; utpote quòd præpoſitus, decanus & capitulum antedictæ cathedralis eccleſiæ reciperent è manibus paſtoris Pamelenſis tres notabiles partes reliquiarum D. Bavonis, & ejuſdem loco eidem paſtori traderent partem notabilem reliquiarum S. Macharii, qui ſanè contractus ita initus inter deputatos cathedralis eccleſiæ & paſtorem Pamelenſem in præſentia R. admodùm dñi Hugonis d'Enghien, abbatis monaſterii exempti S. Salvatoris Eenamenſis D. Benedicti, tamquam patroni prædictæ eccleſiæ parochialis, idque decimo nono Februarii anni trigeſimi ſeptimi ſupra milleſimum ſexcenteſimum.

traditæque deinde Gandenſibus

137 Traditio autem facta eſt in hunc modum: Magiſter Nicolaus Authoren S. T. Baccalaureus, paſtor Pamelenſis, habens deputatum penes ſe ex parte prædicti abbatis nobilem & venerabilem virum Petrum Erneſtum Garnier, præpoſitum Eenamenſem, diſceſſit XXIX Martii prædicti anni rhedâ vectus cum reliquiis D. Bavonis thecæ benè ornatæ incluſis, quam confici curaverat ad recipiendum Gandavi reliquias D. Macharii, eaſdemque detulit in comitatu duo-
B rum notabilium ad monaſterium fratrum Minorum Recollectorum in civitate Gandavenſi, & paulò pòſt tradidit perilluſtri ac Rmo domino Antonio Trieſt epiſcopo Gandavenſi, nec non venerabilibus viris ac dominis DD. decano & capitulo eccleſiæ cathedralis D. Bavonis Gandenſis, qui eaſdem ſummo concurſu populi deferri curârunt per patres Recollectas, capitulo proceſſionaliter præcedente, & Rmo Domino ſubſequente in habitu, uſque ad ingreſſum eccleſiæ prædictæ cathedralis, ubi proceſſione non nihil ſubſiſtente, prædictus reverendiſſimus dominus & reverendus dominus decanus prædictæ eccleſiæ humeris ſuis prætactas reliquias, thecæ ornatæ incluſas, detulerunt uſque ad ſummum altare, illique impoſuerunt, choro interim incipiente & perficiente cantu ſolemni TE DEUM LAUDAMUS, & illo finito, collecta cantata à Rmo domino, quâ abſolutâ, tubiçines civitatis Gandenſis tubis ſuis ſtatim accinebant, prout & fecerunt in receptione apud patres Recollectas, campanis interim majoribus in turri in ſignum lætitiæ ſonantibus.

C

fuerint, ex ſcriptore contemporaneo proponitur,

138 Quo ſanè peracto, ſequenti die, qui erat trigeſimus Martii, idem paſtor cum ſuis comitibus receperunt partem notabilem reliquiarum S. Macharii pro ſua eccleſia, & alteram pro eccleſia abbatiali Eenamenſi, è manibus perilluſtris ac Rmi domini epiſcopi prædicti in præſentia nobilium ac venerabilium virorum .... * de Giſtellis, decani & canonici, nec non .... * van de Woeſtyne, theſaurarii & canonici prædictæ eccleſiæ cathedralis D. Bavonis, Aldenardam devehendam, atque in eccleſia B. Mariæ Pamelenſi collocandam, quod factum eſt hoc modo & ordine, ut ſequitur *&c. &c. Hìc deſinit apographum noſtrum: ſed is, qui confecit, monet, infrà haberi:* Hæc ad majorem Dei gloriam, & honorem S. Macharii ep. & confeſ., patroni particularis verſus mortalitatem, ex Memoria, à decano diſtrictus noſtri Aldenardenſis mihi exhibita, de verbo ad verbum deſcripſi hac IV Maii MDCCXL & in veritatem concordantiæ ſubſigno (& erat ſignatum) A. Tollenaers, hujus parochialis eccleſiæ ultra XXV annos paſtor, S. T. B. F. *Demùm ſubditur:* Concordat cum ſuo originali, quod atteſtor P. Van Damme nots Aplicus.

* Franciſci
* Maximiliani

AUCTORE J. P. *qui quamquam in nonnullis quæ*

139 *Nolim inficiari, relationem, ex qua fragmentum iſtud deſumptum eſt, exaratam fuiſſe non diu poſtquam reliquiæ* S. Bavonis *Aldenardâ Gandavum, & S. Macarii reliquiæ Gandavo Aldenardam deportatæ fuiſſent, & ab homine, qui ipſis tranſlationibus fortè præſens adſtiterit, quique illam depoſuerit, apud decanum Chriſtianitatis diſtrictûs Aldenardenſis, ut poſteris conſtaret, unde & quomodo reliquias præſertim S. Macarii nacta eſſet eccleſia Pamelenſis. Nam quæ de tranſlationibus earumque adjunctis annotavit, ſatis accurata ſunt. Attamen non videtur tam probè inſtructus fuiſſe de adjunctis inventionis reliquiarum* S. Bavonis. *Certè quæ tradit de chartulis juxta reliquias repertis non congruunt Expoſitioni casûs, doctoribus ſacræ Theologiæ univerſitatis Duacenæ factæ* IX Octobris MDCXXXV per ipſum dominum Outshoorn *parochum Pamelenſem, ut expreſsè aſſeritur in laudato inſtrumento Flandrico anni* 1636 *ſuper auditione teſtium de cultu antiquo. Nam in Expoſitione casûs dicitur chartulis inſcriptum fuiſſe:* Anno MCCCCXXII; *in fragmento Relationis:* Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo. *Rurſus in Expoſitione casûs dicuntur in utroque ovo inventæ fuiſſe* E *binæ chartulæ, quarum una Sancti nomen contineret, altera annum; at in fragmento Relationis dicitur una tantùm in ſingulis ovis reperta chartula, ita ut prioris ovi caſu confracti chartula ſolum Sanctum indicaret, alterius annum dumtaxat*

reliquiarum S. Bavonis inventionem ſpectant,

140 *Primum diſcrimen, quamquam non leve ſit, attribui poteſt librariis, qui annum, notis arithmeticis ſignatum, vocibus negligenter expoſuerint, vel contrà. At ſecundum tale eſt, ut ab alterutro auctore erratum fuiſſe, cenſendum ſit. Longè major probabilitas & auctoritas ſtat pro veritate Expoſitionis casûs. Nam primò minùs cautè proceſſiſſent ii, qui olim reliquias ovis incluſerunt, ſi uni dumtaxat nomen Sancti adſcripſiſſent; cùm illo perdito vel furtim ablato, numquam ſciri potuiſſet, cujus Sancti reliquiæ laterent in altero, ſicut revera videtur ignoratum id fuiſſe, uſque dum unum caſu frangeretur & nomen Sancti proderet chartula. Secundò quia inventionis adjuncta nemo melius noviſſe debuit, quàm* F *is, qui caſum expoſuit Pamelenſis eccleſiæ parochus, quique ſine ingenti temeritate ac fraude aſſerere non potuiſſet, binas in ſingulis ovis repertas fuiſſe chartulas, niſi id certò ſibi conſtitiſſet; talis enim adjunctorum immutatio caſum ipſum notabiliter immutâſſet, ſaltem pro reliquiis in eo ovo contentis, in quo nomen Sancti repertum non fuiſſet.*

adjunctis erret, in modo tamen,

141 *At virum honoratum, ſacerdotem, loci parochum, qui, ut tota rei hiſtoria indicat, non niſi ex pia ac laudabili cautione casûs diſſolutionem expetiit à doctoribus Duacenis, quemque ipſum illuſtriſſimus Gandenſium epiſcopus ſuum deputatum eſſe voluit in excipiendis aliorum teſtimoniis de antiquo reliquiarum cultu; talem, inquam, virum nefas ſit ſuſpectum habere de temeritate ac fraude ſine teſtimonio omni exceptione majore. Hujuſcemodi autem teſtimonium præbere nequit Memoria ſeu relatio, cujus fragmentum protuli; utpote inſtrumentum ſine nota temporis & certè poſterius Expoſitione casûs, ſine nomine auctoris, ſine auctoritate alia, quàm parochi alterius, qui teſtatur, ſe illud anno* 1740, *id eſt, ſeculo integro poſt rem peractam, de verbo ad verbum deſcripſiſſe, & notarii Apoſtolici, qui, facta collatione, noſtrum fragmenti apographum*

AUCTORE J. P.

illi concordare, ſivè ex illo fideliter deſumptum eſſe profitetur. Præterea hujus auctor videtur tantùm commemorâſſe inventionem reliquiarum S. Bavonis, *ut viam ſterneret ad enarrationem adventûs reliquiarum S. Macarii ad Pamelenſem eccleſiam, quem ex inſtituto deſcribendum ſuſceperat, ut liquet ex titulo & clauſula, proin mirum non eſt, ſicubi de adjunctis inventionis minùs inſtructus vel ſollicitus aberraverit. In ceteris tamen ſatis accuratum fuiſſe, patebit ex ſequenti inſtrumento.*

quo eas Gandenſibus traditas, narrat,

142 Antonius Trieſt, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Gandavenſis, præpoſitus, decanus & capitulum eccleſiæ cathedralis ſancti Bavonis Gandavenſis, omnibus & ſingulis præſentes viſuris, lecturis aut legi audituris ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus, quòd, cùm de conſenſu R̄di domini Hugonis d'Enghien, exempti monaſterii S. Salvatoris Eenamenſis abbatis, à domino Nicolao Outshorn, paſtore Pamelenſi oppidi Aldenardenſis hujus diœceſis Gandavenſis, tria oſſa ſacra corporis ſancti Bavonis patroni noſtri, ab immemorabili tempore in eccleſia Pamelenſi, B quæ eſt de præfati domini abbatis patronatu, cultui fidelium expoſita & in proceſſionibus circumferri ſolita, die vigeſima nona menſis Martii hujus anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſeptimi, eadem die, quæ erat Dominica Paſſionis ex eccleſia fratrum Minorum Recollectorum hujus civitatis Gandavenſis, quò per R. dominum Petrum Erneſtum Garnier, præpoſitum antedictî monaſterii Eenamenſis & præfatum D. paſtorem Aldenardâ allata fuerant, eadem ad eccleſiam noſtram tranſtuliſſemus, nos gratitudinis ergô partem oſſis ſacri corporis S. Macharii epiſcopi & confeſſoris, in eccleſia noſtra aſſervati, ex capſa ejuſdem Sancti nobis deſumptam, nobiſque capitulariter congregatis, domino Petro Erneſto Garnier, ejuſdem abbatiæ præpoſito dediſſe, quatenus eamdem ad præfati domini abbatis Eenamenſis manus conſignare & cujuſlibet fidelis venerationi adversùs peſtis luem ibidem exponi valeret.

accuratus eſſe oſtenditur.

143 Atque ut perpetuis futuris temporibus de horum omnium veritate conſtaret, præſentes dedimus, ſigillis noſtris munitas, Gandavi in loco C capitulari anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, menſis Martii die trigeſima (& erat ſignatum) Antonius epiſcopus Gandenſis; & ſuper plicam: De mandato R̄mi ac RR. DD. Guyart cum ſigno manuali. Et appendebant ſigilla duo cum caudis pergamenis, impreſſa in cera rubra, primum R̄mi D. Trieſt, & alterum præfati capituli ſancti Bavonis. Facta collatione cum originali, hæc copia de verbo ad verbum concordat; quod atteſtor (*ſignatum*) P. van Damme p̄br not̄s Aplic̄us. *In margine harum litterarum iſta notavit ſæpiſſimè laudatus dominus canonicus van Damme* Originale aſſervatur in abbatia Eenamenſi in feretro reliquiarum S. Macharii. *Hinc eruitur, cur in iis ſermo non fiat de reliquiis S. Macarii, datis eodem tempore D. Outshoorn pro Pamelenſi S. Mariæ eccleſia, pro qua haud dubiè etiam ſimiles ſeorſum confectæ fuerunt.*

D

§ VIII. Cultus hodiernus S. Bavonis Gandavi, ejuſque reliquiarum ſeculo præterito ac præſenti ſtatus.

Reliquiarum S. Bavonis

PRo hoc etiam § *plurima ſubminiſtrat in ſuis documentis laudatus Dominus Canonicus.* Omnibus, *inquit*, peractis, quæ in dicta Memoria (*vide num.* 136, 137, & 138) enarrantur, die XXIX Septembris MDCXXXVIII in capitulo extraordinario, "præſide R̄mo dn̄o, poſt ſummum Sacrum „ clauſa fuit ſolemniter capſula reliquiarum ſan„ cti Bavonis, in qua incluſa eſt cuculla ejuſdem „ Sancti, extracta ex capſa reliquiarum ſanctæ „ Pharaildis, item unum os parvum cum den„ te, extractis ex vitro rotundo, quod in pro„ ceſſionibus circumferri ſolebat; item alia tria „ oſſa ejuſdem Sancti, ex eccleſia Pamelenſi Al„ denardæ.„ Ultra prænominatas reliquias, capſulæ argenteæ incluſas, anno MDCXLIX capitulum cathedrale Brugenſe dono dedit capitulo cathedrali ſancti Bavonis Gandavenſi dentem e- E juſdem ſancti Bavonis.

ſeculo XVII,

145 Extat in archivio ſimplex copia illius donationis tenoris ſequentis: "Decanus & capi„ tulum eccleſiæ cathedralis ſancti Donatiani „ Brugenſis notum facimus, quòd rotunda pixis „ eburnea unà cum minori capſula quadrata ex „ cupro deaurato fuerit hodierna die inter alias „ reliquias reperta in capſa ſeu feretro S. Ma„ chuti in eccleſia noſtra prædicta aſſervato, & „ per R̄mum dn̄um Trieſt, pridem Brugenſem, „ nunc Gandavenſem epiſcopum, ex prævia „ noſtra reſolutione aperto; quódque in eadem „ minori capſula quadrata fuerit repertus dens, „ byſſo involutus, cum hac inſcriptione: DENS „ S. BAVONIS, quem ſacrum dentem ad inſtanti„ am præfati R̄mi dn̄i epiſcopi, nec non RR. DD. „ Præpoſiti, decani & capituli eccleſiæ cathe„ dralis S. Bavonis Gandavenſis, eidem eccleſiæ „ cathedrali S. Bavonis gratitudinis ergô & in fir„ mamentum mutuæ confraternitatis donavimus „ & donamus per præſentes. In quorum fidem „ præſentes ſigillo noſtro ac ſecretarii ſignaturâ F „ muniri fecimus anno MDCXLIX, menſis Octo„ bris die decima quinta. Signatum de mandato „ adm RR. DD. decani & capituli eccleſiæ ca„ thedralis Brugenſis p̄torum, H. Waghenaers „ ſecret.„ Ultra prædicta acta donationis in Actis capitularibus ad diem ſecundum Maii in capitulo extraordinario ſub juramento leguntur ſequentia: "Declaravit D. decanus, ſe à R̄mo „ dn̄o accepiſſe dentem ſancti Bavonis, eccle„ ſiæ huic datum à RR. DD. decano & capitu„ lo eccleſiæ cathedralis S. Donatiani Brugenſis, „ nec non partem notabilem reliquiarum ejuſ„ dem S. Donatiani per ſupradictum capitulum „ donatam ill̄mo domino, quam ipſe huic ec„ cleſiæ largitus eſt, & DD. cum gratiarum a„ ctione eaſdem acceptârunt &c.„

XVIII *inchoato*

146 Denique anno MDCCXIX prædictis reliquiis acceſſit alius dens ſancti Bavonis, ut patet ex litteris ab ill̄mo ac R̄mo dn̄o Philippo Erardo deſuper datis, quarum copia authentica his adjungitur. "Philippus Erardus vander Noot „ Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Ga„ davenſis, omnibus has viſuris ſalutem in Do„ mino. Notum facimus & teſtamur per præ-

ſen-

A „ ſentes, quòd nos aperuerimus capſulam plum-
„ beam debitè clauſam & ſigillatam ſigillo illm̄i
„ ac R̄mi dn̄i Jacobi Boonen, quondam epiſco-
„ pi Gandavenſis, & antehac deſumptam ex
„ majori altari chori eccleſiæ noſtræ cathedralis
„ ſancti Bavonis, ac in eadem invenerimus jux-
„ ta litteras ejuſdem, dictæ capſulæ incluſas
„ cum tribus granis thuris juxta Pontificale Ro-
„ manum, reliquias ſeu quatuor dentes, videli-
„ cet SS. Bavonis, Stephani & Remigii confeſ-
„ ſorum & martyris, idque ſine ſigno diſtinctio-
„ nis, panno ſerico rubri coloris involutas cum
„ inſcriptione in parrameno, dum præfatus il-
„ luſtriſſimus D. Jacobus Boonen XI Februarii
„ MDCXVII dictum altare conſecravit. Cui ca-
„ pſulæ eaſdem reliquias & dentes cum iiſdem
„ litteris, inſcriptione & granis thuris denuo in-
„ cluſimus, eamque ſigillo noſtro, in cera ru-
„ bra Hiſpanica impreſſo, munivimus, & ſigil-
„ lavimus cum facultate eamdem thecæ argen-
„ teæ ejuſdem eccleſiæ cathedralis, in qua re-
„ conditæ ſunt aliæ reliquiæ S. Bavonis, impo-
„ nendi, ac ſimul publicæ fidelium veneration
„ cum aliis exponendi ad majorem omnipotentis
B „ Dei gloriam & honorem & ejuſdem S. Bavo-
„ nis venerationem & cultum. Datum Gandavi
„ in palatio epiſcopali ſub ſigillo & ſignatura no-
„ ſtris anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo
„ decimo nono menſis Octobris die vigeſima ſe-
„ ptima. (ſignatum) P. E. epiſcopus Ganda-
„ venſis. (& inferiùs) De mandato illm̄i ac R̄mi
„ dn̄i mei epiſcopi præfati J. B. du Cheſne ſe-
„ cret. Concordat cum ſuo originali, quod atte-
„ ſtor (*ſignatum*) P. Van Damme nōts Aplicus.„

& uſque nunc 147 Status autem hodiernus reliquiarum ſancti Bavonis in eccleſia cathedrali Gandavenſi eſt talis: In magno feretro argenteo cum inſcriptione S. BAVONIS CONFESSORIS hodie adhuc ſunt eædem reliquiæ, quas illuſtriſſimus ac reverendiſſimus D. Antonius Trieſt epiſcopus Gandavenſis anno MDCXXXVIII illi impoſuit, nempe: Cuculla S. Bavonis, unum os parvum cum dente, & tria oſſa ejuſdem Sancti allata ex eccleſia Pamelenſi Aldenardæ, quibus anno MDCCXIX acceſſit capſula plumbea continens quatuor dentes SS. Bavonis, Stephani & Remigii confeſſorum & martyris, ſine tamen ſigno diſtinctionis. In vitro rotundo, quod in proceſſionibus circumferri ſolet, ex quo anno MDCXXXVIII os parvum cum dente extracta dicuntur, repoſitus eſt dens ſancti Bavonis, quem capitulum cathedrale Brugenſe gratitudinis ergô capitulo cathedrali Gandavenſi donavit anno MDCXLIX.

C

jam provecto ſtatus, 148 Magnum feretrum argenteum, continens reliquias S. Bavonis & tria alia feretra argentea, ejuſdem formæ & magnitudinis, continentia reliquias aliorum Sanctorum, exponuntur in choro in ſummo altari venerationi fidelium in omnibus feſtis ſolemnioribus, ſeu feſtis, in quibus eſt officium epiſcopi. Feretrum reliquiarum S. Bavonis exponitur ſolum, ut ſuprà, diebus infra Octavam & die octava depoſitionis ejuſdem Sancti. Vitrum rotundum continens dentem S. Bavonis, circumfertur in proceſſionibus 1 die Auguſti, quando celebratur feſtum elevationis, & 1 Octobris, feſto depoſitionis ſancti Bavonis, quando epiſcopus non facit officium. *Hactenus Reverendus ac ampliſſimus dominus Van Damme, qui deinde nos inſtruit, adjectis etiam documentis, de ſacro oſſe Sancti noſtri olim per dominos canonicos Gandenſis eccleſiæ conceſſo eccleſiæ Harlemenſi in Hollandia: ſed his utemur, poſtquam abſolverimus ea, quæ dicenda reſtant de reliquiis & hodierno cultu* S. Bavonis *in Gandenſi civitate.*

AUCTORE J. P.

149 *Egimus ſuprà de reliquiis* SS. Bavonis *ac Pharaildis ſeculo decimo conceſſis eccleſiæ collegiatæ, quæ in utriuſque honorem condita fuit, ac deinde ſolius S. Pharahildis nomine appellari conſuevit, binaſque earumdem reliquiarum tranſlationes, alteram ſeculo undecimo, alteram decimo quarto factas, dedimus ex Sandero. Memorantur quoque eædem reliquiæ in Officio S. Pharahildis, quo utitur cathedralis eccleſia Gandenſis ad diem* IV *Januarii, quamquam anno* 1661, *quo impreſſum eſt recentius noſtrum Officii exemplar, jam penè ab integro ſeculo deperditæ eſſent dictæ S. Pharaildis reliquiæ, & veriſimiliter etiam* S. Bavonis. *Primum planè affirmat illuſtriſſimus de Caſtillion in ſacra Belgii Chronologia, quam, tum præpoſitus eccleſiæ collegiatæ S. Pharaildis, compoſuit & vulgavit typis Gandavenſibus anno* 1719: *ubi res dictæ eccleſiæ multò fuſiùs pertractans quàm cujuſvis alterius, de capſa reliquiarum S. Pharaildis in hunc modum loquitur pag.* 73. Hæc atque aliæ argenteæ & deauratæ capſæ, in quibus ingentes Sanctorum reliquiæ reconditæ erant, & pretioſa mobilia, tumultuante Belgio anno MDLXVI circa XX diem Auguſti, ſacrilegæ Calviniſtarum & iconomachorum manus furripuerunt, atque adeo patronæ reliquiis ſpoliatum capitulum remanſit, donec Carolus Muſius Gandavenſis epiſcopus anno MDCXI ad petitionem capituli illud novâ particulâ, ex cathedrali deſumptâ, donavit. *cui pauca de reliquiis S. Pharaildis*

E

& S. Bavonis notata ſuperadduntur. 150 *Dixi autem, quòd cum prioribus S. Pharaildis etiam veriſimiliter deperierint reliquiæ* S. Bavonis, *primò quia illuſtriſſimi verba utcumque indicant, omnes generatim Sanctorum dictæ eccleſiæ lipſanothecas ab hæreticis fuiſſe ſurreptas. Secundò quia reliquiæ* SS. Bavonis *& Pharaildis, de quibus ſermo hîc eſt, eâdem thecâ continebantur anno* 1336, *quo, ſi rectè ſcribat Sanderus ex Chronico ſuo, poſtrema facta eſt illarum tranſlatio. Verba repeto:* Anno etiam MCCCXXXVI portiones reliquiarum S. Bavonis & Pharaildis in eccleſia novi Caſtelli ... tranſlatæ ſunt de veteri ſcrinio in novum per venerabilem patrem dominum Andream epiſcopum Tornacenſem *&c. Si, inquam, rectè ſcribat Sanderus; nam laudatus de Caſtillion pag.* 72 *ex autographo exhibet litteras ipſiuſmet Andreæ epiſcopi, in quibus tranſlatio figitur* anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſeptimo ſeptima die menſis Octobris, *ac de ſolis S. Pharaildis oſſibus fit mentio, ut ſequitur:* Oſſa beatiſſimæ Pharaildis virginis Chriſti, de quadam antiqua capſa in hanc novam capſam ſeu thecam tranſtulimus ſeu tranſmutavimus. *Particulæ* de veteri ſcrinio in novum *&* de antiqua capſa in novam *dubium non relinquunt, quin utrobique de eadem tranſlatione agatur, & alterutro loco annus mendosè ſignatus fuerit, veriſimiliùs in Sanderi Chronico, ubi poſitus vel deſcriptus fuerit annus* MCCCXXXVI *pro* MCCCXXXVII. *Ratio autem, cur in litteris epiſcopi Tornacenſis ſola memoretur S. Pharaildis, fuit fortaſſe, quia pro reliquiis* S. Bavonis, *quamvis eadem in capſa reconditis, ſeparatæ etiam litteræ confectæ fuêre, quæ unà cum reliquiis deperierint.*

F

Feſtivitas S. Bavonis apud Gandenſes duplex. 151 *De annuis feſtivitatibus Sancti noſtri apud Gandenſes jam multa noviſſe potuit lector ex antè dictis.* Directorium horarum canonicarum, complectens Officia propria &c Exemptæ cathedralis eccleſiæ S. Bavonis Gandavenſis pro

AUCTORE J. P.

anno Domini MDCCLXI *hodiernum festivitates istas celebrandi ritum declarat contractis istorum verborum notis. Ad primam Octobris:* Depositio S. Bavonis confessoris duplex præcipuum primæ classis. Officium illustrissimi domini episcopi: *Iisdemque omnino ad primam Augusti, quâ recolitur festum Elevationis ac Translationis ejusdem Sancti. Hoc tamen discrimen est inter utramque festivitatem: Depositio celebratur per octavam, non item Elevatio. Bina habemus Propria dictæ cathedralis ecclesiæ Gandavensis, quibus inserta sunt pro utraque festivitate Officia. Primum impressum est Gandavi anno 1572, alterum, sed immutatum & in meliorem ordinem redactum, Antverpiæ 1661.*

Officium ecclesiasticum vetus,

152 *In priore Officium, die prima Octobris & per Octavam legendum, omnia pene habet propria, puta antiphonas, hymnos, versus & responsoria, ac pleraque ex Actis desumpta, vel iis accommodata. Lectiones festi pro primo Nocturno acceptæ sunt ex Libro Sapientiæ:* Justus si. *Secundi Nocturni sunt compendium Vitæ* S. Bavonis *usque ad supremum morbum. Tertii de Homilia S. Gregorii Papæ super Euangelio:* Si quis venit ad me, &

B non odit patrem, *ut in Communi unius martyris. Per Octavam verò primi Nocturni lectiones sumendæ notantur de Scriptura occurrente; secundi obitum Sancti complectuntur & translationes reliquiarum, aliaque ad Gloriam posthumam spectantia, ac pleniùs hîc à nobis discussa. In tertio denique Nocturno sit prosecutio dictæ Homiliæ S. Gregorii Papæ. Oratio hæc est:* Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam sancti Bavonis confessoris tui exempla nos provocent; quatenus cujus solemnia agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum nostrum. *Ad diem primam Augusti idem, paucis exceptis, Officium præscribitur, quod prima Octobris; & lectiones secundi Nocturni historiam exhibent Elevationis ac Translationum reliquiarum. Tertii Nocturni deprompta sunt ex Homilia venerabilis Bedæ presbyteri super Euangelio:* Ecce nos reliquimus omnia.

ejusque in novum, è quo unus,

153 *In recentiùs impresso Proprio, quo etiam nunc utitur cathedralis ecclesia Gandavensis, & cujus exemplar, curante R. P. Petro van Royen, dono nobis transmisit, Officium diei primæ Octobris pleraque etiam habet propria & ex Actis Sancti desumpta vel iis accommodata, quamvis diversa sint ab iis, quæ in vetustiori leguntur seu potiùs alio modo & ordine disposita. Excipe nonnulla, quæ huc transfero:*

C

Ad Vesperas HYMNUS.

Bavonem meritis tollat honoribus
Gandavum, celebri nobilis urbs Viro,
Cujus vita sacris inclyta moribus
Ad Christum populos vocat.
Bavonem socio fœdere concinat,
Quo quondam emicuit vindice civitas
*periclis Harlemum, mediis tuta periclis *,
Nec præsente cadens malo.
Bavo Christiferis ignibus æstuans,
Tu nobis speculum formaque præmicas,
Exemplo celebri dum præis & sacros
Virtutum stimulos moves.
Te Patrone, piis gressibus asseclæ
Ad Christum sequimur: tu tibi deditos
Constanti famulos auxilio fove,
Rebus Tutor in asperis.
Quidquid præcipiti styx vomit alveo,
His, te dante, procul finibus exulet:
Virtus adveniat, labis & inscia
Vitæ candida puritas.
Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter, D
Quam mundi trepidans incola poplite
Inflexo celebrat, cujus in omnia
Perstat gloria secula. Amen.

Inserta his versibus de Harlemo civitate explicabuntur sequenti §.

alterque hymnus, aliaque nonnulla

154 Ad Magnificat ANTIPHONA. Bavo pater & patrone, prece blanda Jesum mone, ut nos servos eruat & tuto portu statuat. Ad Matutinum

HYMNUS.

Annuo nobis revoluta cursu
Festa lux salve: tibi nunc vacamus,
Ritè solventes veneranda magno
Festa Bavoni.
Ille post tedas thalami jugalis,
Et datam bellis viridem juventam
Tyro jam Christi nova bella, cælo
Auspice, cœpit.
Sæculo major, vitiisque sæcli,
Dona fortunæ patriosque census,
Fœnus immensum liquidò daturis
Credidit astris.
Inde ne mentem memorem bonorum E
Ventus inflaret popularis auræ,
Exteras longè generosus Exul,
Fugit in oras.
Flandra quà Scaldis vada concolori
Perluit vitro, sociasque Lisæ
Excipit lymphas, viridante ripa,
Constitit Hospes.
Hîc cavæ primùm penetrale fagi,
Mox larem cellæ tenuis subivit,
Lapsa quò crebro gemitu piare
Tempora posset.
Egit hîc luces dapis indigentes;
Noctis insomnes vigilavit horas,
Semper intentus super astra certo
Tendere cursu.
Laus sit excelso superûm Parenti,
Qui suum ditat meritis Bavonem;
Concinant sparsæ per utrumque solem
Carmina gentes. Amen.

producuntur, per illustrissimum dominum Antonium Triest F

155 *Lectiones primi Nocturni ex Libro Ecclesiastici:* Beatus vir. *Secundi ex Actis Sancti, conscriptis per Theodoricum abbatem. Tertii ex Homilia sancti Bernardi abbatis super Euangelio:* Ecce nos reliquimus omnia. *Infra Octavam primi Nocturni lectiones de Scriptura occurrente: secundi reliqua Sancti gesta, miracula & cultûs historiam continent; tertii assignantur ex dicta Homilia S. Bernardi. Oratio ubique eadem est, ut sequitur:* Deus, qui beatum Bavonem confessorem tuum, calcato mundo, crucifixo Filio tuo militare tribuisti: da nobis, quæsumus, ejus patrocinio ab omnibus hostibus protegi, & post peractam feliciter hujus vitæ militiam, æternâ glorià coronari. Per eumdem. *Ad diem primam Augusti ista Oratio legitur:* Deus, qui nos beati Bavonis confessoris tui meritis & intercessione lætificas: concede propitius, ut, qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum. *In secundi Nocturni lectionibus compendiosa fit narratio primæ Elevationis, translationum sacri corporis & aliquot miraculorum. Reliqua sumenda notantur ex Officio diei Depositionis, exceptis octavo Responsorio & Antiphona ad* Benedictus, *quæ etiam propria sunt Sancto. Per annum verò pro commemoratione communi de* S. Bavone, *ut ecclesiæ patrono, ponitur hæc Antiphona* ad Benedictus: Sancte Bavo, pater bone, tu pro nobis in agone

A ne cum cæleſti concione apud Deum advoca. Ad Magnificat *eadem, quæ in primis Veſperis Depoſitionis. Oratio diei primæ Auguſti proximè recitata.*


Gandenſium epiſcopum immutatio, cujus munificentiâ

156 *Porrò hanc Officiorum immutationem ſeu correctionem ſub annum* 1639 *faciendam curavit illuſtriſſimus ac reverendiſſimus dominus Antonius Trieſt, Gandavenſium epiſcopus: vir tum aliis innumeris titulis tum præſertim munifica in pauperes & in eccleſias Dei pietate celebratiſſimus, cultûſque* S. Bavonis *fautor & propagator egregius. Is videlicet, qui ſecundùm ante dicta reliquiis ejuſdem Sancti, Brugis & Aldenardâ acceptis, cathedralem ſuam eccleſiam locupletavit; qui ære ſuo ejuſdem cathedralis* S. Bavonis fabricam ſplendidè auxit & ditavit, *ut habet inſcriptio elegantis mauſolei, ipſi ibidem in choro erecti; qui eidem* S. Bavonis *eccleſiæ amplius exornandæ grandem pecuniæ ſummam reliquit, unde etiam hoc noſtro ſeculo princeps altare ex marmore admodum magnificè exſtructum eſt: quo epiſcopatum tenente, & procul dubio ad ſumptus concurrente, anno* 1631, *qui tunc credebatur à morte* S. Bavonis *eſſe milleſimus, celebratum fuit*

B *jubileum, ſic memoratum à Sandero lib.* 1 *Hagiologii Flandriæ pag.* 34: Cùm anno MDCXXXI ab obitu S. Bavonis millenarius eſſet elapſus, clerus eccleſiæ cathedralis Gandavenſis incredibili ſolemnitate celebravit jubilæum in honorem ejuſdem Sancti. Eccleſia princeps periſtromatis, aulæis, tapetibus pretioſiſſimis ornata fuit, & variæ ad populum habitæ conciones, aliaque plura venerationis & reverentiæ in optimum Patronum noſtrum pro majore Dei optimi maximi gloria edita ſunt argumenta.

AUCTORE J. P. *varia eccleſiæ S. Bavonis, de qua quædam ex Sandero,*

157 *De ſæpe dicta cathedrali* S. Bavonis *eccleſia, prout ſuo tempore exiſtebat, Sanderus, ex quo ejuſdem delineatio lectorum oculis hîc ſubjicitur, Gandavi ſui ſeorſum impreſſi lib.* 5 *cap.* 1 *iſta tradidit:* Eximia prorſus auguſtaque ejus fabrica eſt, ſplendidiſſimis quibuſvis Europæ baſilicis comparanda, & ſi antrorſum ad triginta fortè pedes protendatur, antèferenda etiam. Nuſquam arcta, humilis, obſcura: ſed vitrorum fulgore lucida, lætum introëuntibus aſpectum præbet. Eam anno DCCCCXLI Tranſmarus epiſcopus legitur dedicâſſe. Cryptam amplitudine, ſacellis, columnarum ſerie nulli toto Belgio ſecundam Balduinus & Arnulphus comites inſtruxêre: alii id gentis Vilaniæ ſeu à Gandavo, in Belgio, ut prioribus libris oſtendimus, nobiliſſimæ opus aſſerunt. Quidquid ſit; Gerardus Vilanus à Gandavo, qui uxorem habuit Eliſabetham, comitis S. Pauli filiam, ingente ſumptu reſtauravit, ibidem conditus. Chorum alta concameratione, auguſtâ ſacellorum coronâ, ſenatus anno MCCXXVIII, alii, ut Varnewicus, MCCLXXIV erexit. Pronaon ſtupenda mole ſub ævum Caroli cæſaris adjectum. Fundamenta turris jacta MCCCCLXII vigeſimâ ſextâ Maii pridie Dominicæ Aſcenſionis per abbatem Blandinienſem, hujus olim eccleſiæ patronum, Nicolao vander Zickele & Joanne Huyſſe coſſ. Eidem impoſita crux anno MDXXXV.... Ornamenta verò nunc hujus ædis, cui hæreticus furor injuriam intulerat, varia ſunt, ſacraque ſupellex, tum cleri tum populi donatione, ſumptuoſa. Altare marmoreum in choro etiam Patronos eccleſiæ eleganter ſculptos exhibet; mox illi Rubeniana imago inſerenda, aliaque decora addenda ſunt. E



ornamenta acceſsére,

158 *Hæc Sanderus circa* 1627, *quibus pro pleniori notitia hodierni* S. Bavonis *templi adjicit ſequentia illuſtriſſimus de Caſtillion part.* 1 *pag.* 5[illegible] *Chronologiæ ſacræ Belgii, editæ anno* 1719. Præter

AUCTORE J. P.

insignem ac eximiam structuram illud (*templum*) splendidissimum reddunt marmorea sacella, portis ut plurimum æreis instructa; picturæ à celebrioribus Belgii penicillis, ac demum altare majus marmoreum, quod nunc exstruitur sumptuosissimum, & quod jam ferè ad apicem perductum est; præter quod in circuitu chori alia tredecim conspiciuntur, inferiùs autem quatuordecim ornata magnificè. In inferiori sive subterranea ecclesia, quam cryptam vocant, decem sunt altaria. *Hisce ornamentis ecclesiæ cathedralis* S. Bavonis, *anno* 1745 *ex concretis summæ pecuniariæ, quam laudatus suprà illustrissimus ac reverendissimus dominus Antonius Triest, Gandensium episcopus, ecclesiæ* S. Bavonis *ampliùs exornandæ reliquit, annorum plurium proventibus cathedra concionatoria è marmore candido affabrè constructa accessit.*

hodieque accedunt.

159 *Accedit etiam nunc, quod ceteris ornamentis cedere minimè debebit, elegantissimæ structuræ futurum opus, cujus notitiam, datis hoc ipso anno* 1763, *quo hæc scribuntur, Gandavo litteris, laudatus suprà R. P. Petrus van Royen, Societatis nostræ sacerdos, viso schemate, quod ipsi, ut scribit, amplissimus dominus van Eersel archidiaconus & canonicus* S. Bavonis, *operisque, quod in dicta cathedrali ecclesia modò exstruitur, director exhibuit, quodque à celeberrimo architecto simul & sculptore sereniſſimi comitis Palatini domino Petro Verschaffelt delineatum est, officiosissimè, ut promiserat, subministravit; est autem hæc:* Dejecto veteri odæo, quod chorum ab anteriori templo separabat, jam nunc exurgit aliud bifariàm ita sectum, ut templum ingredientibus liberum præbeat aræ principis prospectum. Altare hoc majus ab illustri artifice D. N. Verbruggen olim elaboratum splendorem etiam à novo opere non mediocrem recipit: nam supra plinthidem è polito fusco marmore, quæ graduum, quibus ad chorum ascenditur, altitudinem adæquat, utrimque è candido nigroque marmore ara minor extruitur, stipantibus eam marmoreis coloris itidem albi columnis ad altitudinem pedum $16\frac{2}{3}$, toto opere altitudinem pedum 25 vix non excedente; atque ad eam formam totus, quantus est, chori ambitus ac transversa templi navis continuo labore exornabitur. Hæc, *addit idem R. P. Petrus van Royen*, humanissimè explicare mihi dignatus est prælaudatus amplissimus dominus archidiaconus.

B C

§ IX. Cultus S. Bavonis Harlemi in Hollandia ecclesiaque ipsi ibidem extructa.

Occasio,

Absolutis iis, quæ annotanda videbantur de reliquiis & cultu S. Bavonis *in civitate Gandavensi, properamus ad civitates & loca alia, in quibus specialem venerationem nactus est idem Sanctus; in quibus, inquam, vel reliquiæ ejus honorantur, vel ædes sacræ ipsi dicatæ sunt, vel in Officio divino ipsius fit memoria. Reliquis præmittimus Harlemum, civitatem Hollandiæ amplam & elegantem, Amstelodamo tribus, Lugduni Batavorum quinque dissitam milliaribus. Harlemenses quippe, priusquam in ipsos dominari cœpit hæresis, vix cedebant Gandavensibus in veneratione erga* S. Bavonem, *imò, si annuas festivitates spectes, etiam hos superabant. Quo tempore cultus iste illic inchoatus sit, litteris proditum non reperio. At occasio sic generatim proponitur in lectione quarta Officii, quod, ut infrà dicetur, ibidem recitari consuevit die* x *Maii:* Cùm sancti Bavonis confessoris religiosa veneratio populo Harlemensi ex commerciis cum populo Gandensi feliciter innotuisset, ejusdem glorioſa apparitio ante aliquot annorum centurias facta utrumque populum ad communionem pietatis sub illius patrocinio induxit & sociavit. Harlemensibus siquidem summè afflictis & sancti Bavonis tutelæ sese devoventibus, eundem apparuisse, civesque ab imminentibus periculis liberâsse, veneranda majorum traditio perhibet. Cujus rei sacram perennemque memoriam confirmat solennis illa basilica, quam clerus populusque Harlemensis ope Alberti Bavari, vigesimi tertii Hollandiæ comitis, eximiâ structurâ, maximisque sumptibus, toto & ampliùs seculo fabricatam, Patrono suo erexit. Testatur id ipsum sacra cleri populique Harlemensis fraternitas, sub sancti Bavonis invocatione & patrocinio ab aliquot sæculis in honorem Dei omnipotentis instituta.

D

progressus

161 *Cultûs progressus aliquantò uberiùs deducitur in Officio, quod die octava depositionis recitari consuevit à clero tam Gandavensi quàm Harlemensi. Lectio quarta sic habet:* Harlemi quoque in Hollandia ante multas annorum centurias cultus sancti Bavonis miraculosè propagatus est. Cùm enim cives Harlemenses, summâ angustiâ pressi, se ejus patrocinio devovissent, illustri apparitione & tutelâ suâ civitatem ab imminentibus periculis liberâsse traditur. Unde postea sacrorum beneficiorum memoriam devota ac religiosa animorum gratitudine recolentes clerus & populus eundem in Patronum ac Tutelarem susceperunt, erectaque solemni basilica, statuam ejus cum armatura ac paludamento, principum habitu, dextera manu gladium erectum, sinistra verò falconem tenentem (eo modo, quo apparuisse creditur) delineantes, passim posuerunt. LECTIO V. Ex amplitudine miraculi ac religiosi cultus sancto Bavoni ab Harlemensibus consecrati, Albertus Bavariæ dux & vigesimus tertius Hollandiæ comes piè commotus, illustrem basilicam eximiâ ac sumptuosâ architecturâ, à civibus jam diu inchoatam, sua liberalitate ac studio insigniter promovit. Impetravit enim à Bonifacio nono, Sixto quarto & Innocentio octavo, successivè Romanis Pontificibus, plenarias, sanctæ Mariæ Angelorum de Portiuncula nuncupatas, indulgentias; quibus Christi fideles pœnitentes & communicantes & sancti Bavonis basilicam visitantes, ad liberalem eleemosynam pro fabrica complenda invitavit: quæ toto & ampliùs sæculo fabrefacta, tandem anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo perfecta est. Clerus quoque Gandensis se Harlemensibus sub sancti Bavonis patrocinio confœderans, insignem partem sacri corporis ejus, scilicet junctura brachii cum mutua bonorum operum communicatione invicem perpetuò impertienda, aliisque nonnullis conditionibus, ecclesiæ Harlemensi donavit. Quas reliquias clerus Harlemensis grataner acceptas ac deinde argenteæ thecæ anno Domini millesimo quingentesimò reverenter inclusas, maxima religione custodivit. Sacrum quoque translationis festum, annua solemnitate deinceps celebrandum, ab Ultrajectensi episcopo obtinuit ac religiosè observavit.

E F

A *ac diuturnitas cultûs S. Bavonis apud Harlemenſes,*

162 *Sextam lectionem, quæ res poſtea geſtas exhibet, dabo, cùm nonnulla ad præcedentium elucidationem conducentia, attulero. Particulæ, quibus, dicitur* apparitio ante aliquot annorum centurias facta, *&* ante multas annorum centurias cultus ſancti Bavonis propagatus, *antiquitatem ſanè indicant, ſed non definitam. Si tamen memorata Sancti apparitio non diu contigerit, antequam eccleſiæ Harlemenſis jacta ſint fundamenta, ſigi iſta latè poterit ante medium ſeculum decimum quartum; cùm eccleſiæ, anno* 1472 *ad perfectionem perductæ, impenſum fuerit totum amplius ſeculum. At quod refertur de indulgentiis, quas à ſummis Pontificibus Sixto & Innocentio impetravit Albertus, Bavariæ dux & Hollandiæ comes, mortuus anno* 1404, *quo eodem etiam vivere deſiit Bonifacius nonus Pontifex maximus, intelligendum dumtaxat de innovatione & confirmatione indulgentiarum, à Bonifacio olim conceſſarum, prout clarum fit ex ætate Sixti IV ac Innocentii VIII Pontificum, & diſtinctiùs exponitur parte* 2 *Bataviæ ſacræ pag.* 290, *ubi ſimul ipſius eccleſiæ exhibetur deſcriptio, quam huc transfero.*

à quibus Sancto exſtructum templum

B 163 Illuſtre imprimis templum, quod D. Bavoni ſacrum. Templum, ut refert Hadr. Junius, auguſtum & architectorum judicio celeberrimum, pulcherrimumque opus, firmiſſimis innixum columnis, fornice laqueata ex inteſtina materia, quod ſpatioſo & quadrato imminet foro; juvante & promovente tantæ molis opus Alberto Bavaro, qui à Papa Bonifacio, ejus nominis IX, obtinuerat indulgentias Papales ad promovendam perficiendamque ædis ſacræ ſtructuram. Similes indulgentias conceſſit Papa Clemens V. Bullas haſce renovavit, confirmavit ac ſtabilivit cum ſupplemento errorum, qui incidere potuerunt, Sixtus IV Pontifex anno MCCCCLXXII, & poſt eum Innocentius VIII Pontifex anno MCCCCXC, quibus gazophylacium magnis ditatum theſauris. Sic templum hoc conſummatum fuiſſe, refert Montanus. Anno MDXVI è ligno turrim ædificare cœperunt faſtigiatam, loricatam, ſurgente in altum gradu ad ſummum uſque verticem, quam ad juſtam altitudinem perductam plumbo ſuperinducto inveſtiverunt ſtructores. Suggeſtum concionatorium erectum ſublime & operoſum anno MCCCCXXXII.

ejuſdem reliquiis Gandenſes donant,

C 164 *De reliquiis* S. Bavonis *à Gandenſibus dictæ eccleſiæ conceſſis & de conditionibus donationi adjectis paulò etiam explicatiùs agit die* x *Maii Officium Harlemenſe lectione* v, *quam ſimiliter ſubjicio:* Abſolutâ autem baſilicæ fabricâ, clerus populuſque Harlemenſis, Patroni ſui glorioſam memoriam cum beneficiorum fructu conſervare ſtudentes, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo quingenteſimo ab abbate monaſterii ſancti Bavonis juxta Gandavum, piâ inſtantiâ inſignem partem reliquiarum ejus, ſcilicet juncturam brachii, obtinuerunt. Acceſſit piorum operum ac meritorum, divinæ gratiæ auxilio implendorum, tam ex parte Religioſorum ejuſdem monaſterii, quàm cleri populique Harlemenſis, in fraternitatem ſancti Bavonis conſcripti, mutua ac perpetua communio. Harlemenſes inſuper in gratiarum actionem, jugemque pietatis memoriam, cereum unius libræ in Gandenſi eccleſia ſancti Bavonis Kalendis Octobris ſub Offertorium ſummæ Miſſæ, per certum nuncium quotannis offerendum, pio voto promiſerunt. Dies quoque feſtivas depoſitionis Kalendis Octobris, item elevationis Kalendis Auguſti, nec non tranſlationis & commemorationis illius ſexta Idus Maii occurrentes, annua ſolemnitate colendas pari pietate voverunt. AUCTORE J. P.

quod ex binis

165 *At longè ampliorem tam conceſſionis, quàm conditionum conceſſioni adjectarum notitiam nobis ſubminiſtravit ſæpe laudatus Reverendus ac ampliſſimus D. van Damme miſſis apographis duorum inſtrumentorum, quæ Mss. ſervantur in archivo ſeu tabulario capituli Gandenſis cathedralis eccleſiæ. Primum ſunt litteræ Petri Quicke, epiſcopi Tornacenſis, Raphaëli de Bourgogne, abbati Gandenſis monaſterii* S. Bavonis *ac ſimul epiſcopo Roſenſi (civitas eſt Dalmatiæ Turcis ſubjecta) licentiam facientis donandi reliquias Harlemenſi eccleſiæ, & ſic habent:* Petrus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Tornacenſis venerabili in Chriſto patri ac domino Raphaëli, eâdem gratiâ epiſcopo Roſenſi nec non abbati inſignis eccleſiæ ac monaſterii S. Bavonis juxta Gandavum, ſalutem ac ſinceram in Domino dilectionem. Ut aliquam partem reliquiarum S. Bavonis confeſſoris, cujus corpus in dicta eccleſia ac monaſterio requieſcere dignoſcitur, eccleſiæ parochiali de Herlem Trajectenſis diœceſis, quæ in honorem ejuſdem S. Bavonis fundata & erecta exiſtit, donare & concedere valeatis, ita ut ipſa pars reliquiarum ad eandem eccleſiam transferatur, quò magis ad ipſam eccleſiam populus devotionis causâ confluat, præfataque eccleſia exinde ſuſcipiat incrementa, vobis tenore præſentium licentiam pariter & auctoritatem concedimus & impartimur. Datum Gandavi ſub ſigillo noſtro anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono, menſis Februarii die vigeſima octava. In plica ſcriptum erat: Per dñum epiſcopum Bourgne p. no. cum certo ſigno manuali, & appendebat ſigillum ex cera rubra, ſemi ex parte fractum, & ex cauda pergamena. E

inſtrumentis authenticis cum donationis

166 *Alterum inſtrumentum eſt apographum litterarum, quibus moderatores utriuſque ordinis, civilis & eccleſiaſtici Harlemenſis, profitentur & declarant, quidquid in gratiarum actionem tam pro abbate & monachis Gandenſibus, quàm in honorem Sancti deinceps facturi ſint. Sic ſonant:* Quia Rdūs in Chriſto pater & dominus Raphaël, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ epiſcopus Roſenſis, abbas inſignis eccleſiæ & monaſterii S. Bavonis juxta Gandavum, ad inſtantiam rdi patris ac domini magiſtri Nicolai de Ruyter archidiaconi Bruxellenſis in eccleſia Cameracenſi, præpoſiti Lovanienſis & eccleſiæ noſtræ parochialis Herlemenſis, eccleſiam noſtram præfatam in honorem S. Bavonis fundatam & erectam cum reliquiis S. Bavonis patroni noſtri dono ſpecialis gratiæ decoravit, ac etiam idem R. P. & D. nos ad participationem operum virtuoſorum & meritorum, quæ apud præfatum monaſterium perpetuò futuris temporibus adimplebuntur, & ſicut benignè accepit: Nos ſcultetus, burgimagiſtri & proconſules oppidi Herlemenſis, magiſter Hugo de Aſſeldelff, vicecuratus eccleſiæ Herlemenſis prædictæ, decanus & confratres fraternitatis S. Bavonis in eccleſia antedicta, in recompenſam gratioſæ & ſpecialis donationis & benignæ receptionis antedictorum, eumdem R. P. & D. epiſcopum & abbatem memoratum, religioſos dominos Ægidium priorem & omnes fratres monaſterii antedicti ſucceſſoreſque eorum ad fraternitatem noſtram in parochiali eccleſia antedicta, in Miſſis, exequiis & aliis virtuoſis operibus & exercitiis ſpiritualibus recipimus, ipſosque eorum participes efficimus. F

167 In-

AUCTORE J. P. *etiam conditionibus innoteſcit;*

167 Inſuper bona fide pro nobis & ſucceſſoribus noſtris dies obitûs & tranſlationis ejuſdem ſancti Bavonis, patroni noſtri, ſingulis annis ſolemnes & feſtivos, nec non etiam pro fratribus dicti monaſterii Miſſam de Requiem ac ſolemne anniverſarium quolibet anno futuris perpetuis temporibus celebrare, cantare & obſervare promittimus, & cùm dies obitûs R. P. noſtri Raphaëlis epiſcopi & abbatis memorati, ſuorumque ſucceſſorum nobis inſinuatus fuerit, exequias ſolemnes in noſtra fraternitate obſervare & tenere. Deinde etiam promittimus, nos noſtroſque ſucceſſores in perpetuum obligamus, candelam unam ponderis unius libræ coram feretro ſancti Bavonis prima die menſis Octobris per certum nuncium noſtrum ad Offertorium majoris Miſſæ offerre, ſeu offerri facere & eam ibidem dimittere. Et ſi feretrum ſeu receptaculum reliquiarum glorioſiſſimi confeſſoris Bavonis patroni noſtri per nos fieri ſeu conſtrui contingat, in hujuſcemodi feretri ſeu receptaculi circumferentia non aliter legibilibus litteris ſculpi, ſcribi ſeu depingi faciemus, quàm in hac verborum forma: "In hoc feretro continetur
B „ pars brachii, ſcilicet junctura brachii, glorio-
„ ſiſſimi confeſſoris Chriſti Bavonis, quam à R.
„ in Chriſto P. & D. Raphaële epiſcopo & ab-
„ bate monaſterii ejuſdem S. Bavonis juxta Gan-
„ davum Ordinis S. Benedicti, Tornacenſis diœ-
„ ceſis, multis precibus anno à nativitate Domi-
„ ni milleſimo quingenteſimo cum ſumma devoti-
„ one & ſpeciali gratia accepimus. In quorum omnium fidem, atteſtationem & teſtimonium nos facultas *, Burgimagiſtri, proconſules oppidi Herlemenſis, vicecuratus eccleſiæ parochialis oppidi prædicti, decanus & confratres fraternitatis S. Bavonis in eccleſia præfata, ſigillis oppidi prædicti & curæ Harlemenſis præſentes litteras communivimus & roboravimus anno Domini milleſimo quingenteſimo menſis Aprilis die decima quinta. Et appendebant duo ſigilla ex cauda parcamena, unum civitatis ſeu oppidi Harlemenſis, aliud, cui impreſſa erat imago S. Bavonis, in ſiniſtra falconem, in dextra verò gladium geſtantis, cujus inſcriptio erat: Sigillum curæ Harlemenſis.

* *fortè* ſcultetus, *ut ſuprà, i. e.* prætor

168 *Is, qui initio litterarum dicitur ab abbate & monachis Gandenſibus impetrâſſe reliquias, D. Nicolaus de Ruyter, erat eccleſiæ* S. Bavonis *Harlemenſis, tunc parochialis tantùm & epiſcopatui Ultrajectino ſubjectæ, primarius rector ſive præpoſitus: non comparet tamen inter eos, quorum nomine & auctoritate exaratæ ſunt litteræ, quia cùm præpoſitus dictæ eccleſiæ eſſet ſimul à Sacris principi ſeu comiti, & hunc comitari ſoleret, regebat eccleſiam ſuam per vice-curatum & quatuor ſacellanos. Hinc ut præcipua tum præſens Ordinis eccleſiaſtici perſona nominatur in litteris vice-curatus. Idem D. Nicolaus de Ruyter, ut liquet ex litteris, erat id temporis Lovanii ad S. Petrum præpoſitus, & archidiaconus Bruxellis, civitate tunc Cameracenſis diœceſis; ſed poſtea anno* 1501 *ad epiſcopatum Atrebatenſem promotus eſt.*

propoſita autem ab iis, qui eorum poſtremum ſcripsére
C

169 *Quod in in litteris proponebatur de conſtruendo feretro ſeu theca reponendis in Harlemenſi eccleſia* S. Bavonis *reliquiis, non videtur diu dilatum fuiſſe, imò ſi ſtricto ſenſu accipienda ſunt verba lectionis quintæ in Officio diei octavæ depoſitionis, eodem anno, quo obtentæ ſunt, exſecutioni mandatum eſt:* Reliquias clerus Harlemenſis, *verba repeto*, gratanter acceptas, ac deinde argenteæ thecæ anno Domini milleſimo quingenteſimo reverenter incluſas, maxima religione cuſtodivit. *Sed & magnificè ac ſumptuosè id exſecutioni mandatum fuiſſe, colligimus ex Batavia ſacra ſuperiùs, ubi iſta leguntur:* Bavoni imprimis, ſub cujus nomine Deo hoc (*Harlemenſe*) conſecratum templum, hîc honor habitus, ut ſtatua erecta ſit ex argento magni pretii, quæ pendebat ſelibras IX ponderis Colonienſis, cujus & oſſa argentea in ciſta condita & veneration illic habita, donec iconoclaſtarum furori, ut ſub Bavone diximus, ſubducta, Coloniam devecta fuêre. *De* S. Bavone *ſeorſum egerat auctor part.* 1 *pag.* 26 *& ſeq., ubi ea, quæ mox dedimus ex Officio diei octavæ & pauca de tranſlatis Coloniam reliquiis deſcripſerat. Hæc & nos, ſervata temporum ſerie, mox recitabimus.*

lipſanotheca, allatis reliquiis, mox exſtructa eſt,

D

Sanctique cultus Harlemi increvit, qua urbe in epiſcopatum

170 *Ad eum porrò ſplendoris apicem aſcendit cultus Sancti noſtri apud Harlemenſes poſt acceptas reliquias, ut non modò illic prima die Octobris recoleretur feſtum depoſitionis Officio duplici primæ claſſis tamquam patroni titularis, cum Octava, & prima Auguſti feſtum elevationis ac tranſlationis ritu duplici majori, verùm etiam die* X *Maii, quâ de* S. Bavone *nihil notatur in Gandenſi Proprio, celebraretur ritu quoque duplici majori feſtum tranſlationis & commemorationis, prout ſtatutum fuerat in litteris anni* 1500. *Denique ne vel ex iſta parte Gandavo cederet Harlemum, eodem tempore, quo Gandavenſis eccleſia primùm parochialis, deinde collegiata* S. Bavonis, *in cathedralem evecta eſt, ſimiliter cathedralis facta Harlemenſis* S. Bavonis *eccleſia, & inſtitutum ibidem canonicorum collegium.*

E

erectâ, collegiata ibidem ejus eccleſia

171 *Bullam Pauli IV Pontificis datam Romæ anno* 1559, *ſuper generali novorum in Belgio epiſcopatuum erectione, aſſignavi ſuprà, cùm agerem de erectione Gandavenſis epiſcopatûs; peculiarem verò Pii IV Pontificis, quâ anno* 1560 *deceſſoris ſui erectionem confirmans, Harlemenſem epiſcopatum archiepiſcopatus Ultrajectini primum ſuffraganeum ſtatuit, cathedram epiſcopalem in eccleſia* S. Bavonis *collocat, hîc collegium canonicorum inſtituit &c, habes apud Miræum parte* 1 *diplomatum ſecundæ editionis pag.* 797, *& in Batavia ſacra part.* 2 *pag.* 284, *ubi inſuper pag.* 291 *exſtat ejuſdem Pontificis Breve Apoſtolicum, miſſum anno* 1561 *ad D. Nicolaum Nieulant, aliàs à Nova-terra, à Philippo Hiſpaniarum rege deſignatum primum Harlemenſium epiſcopum. Brevis Apoſtolici initium tale eſt:* Pius Papa IV. Venerabilis frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper poſtquam fel. rec. Paulus Papa IV, prædeceſſor noſter, ex certis cauſis tunc expreſſis, parochialem eccleſiam ſancti Bavonis, Harlemenſem eccleſiam, olim Trajectenſis diœceſis, in cathedralem eccleſiam erexerat, Nos ... te ... illi in epiſcopum præfecimus &c.
F

ad cathedralem evehitur, ex qua

172 *Erectio epiſcopatuum, & nonnulla ad Harlemenſem ſpectantia, etiam inſerta ſunt Officiis propriis Sancti noſtri. Lectio ſexta Gandavenſis & Harlemenſis die Octava depoſitionis hæc eſt:* Cùm autem circa annum Domini milleſimum quingenteſimum quinquageſimum hæreſis Calviniana, ex Galliis in Belgium delapſa, Catholicæ fidei ac religionis interitum minaretur, Paulus Quartus Romanorum Pontifex, poſtulante Philippo ſecundo Hiſpaniarum rege ac Belgicarum ditionum, poſt patrem Carolum Quintum imperatorem, hereditario principe, ad conſervandum Catholicæ fidei ac religionis ſtatum,

A ſtatum, tres archiepiſcopatus & quindecim epiſcopatus in Belgio inſtituit. Inter ceteras civitates & eccleſias, Gandavenſem & Harlemenſem, utramque ſancti Bavonis in cathedrales erexit. Ex eo tempore ſancti Bavonis cultus inter utrumque clerum religiosè obſervatus, tantam animorum unionem peperit, ut communicatis officiis, nec non renovata veteri utriuſque collegii fraternitate, canonici cathedralium Gandavenſis & Harlemenſis ſe invicem fratres appellaverint. *Harlemenſi Officio pauca adduntur de tranſlatis Coloniam Agrippinam Sancti noſtri reliquiis; ſed cùm eadem plenius memorentur lectione ſexta Officii Harlemenſis die* x *Maii, omiſſis iſtis, hanc deſcribo.*

Coloniam Agrippinam S. Bavonis reliquiæ,

173 At cùm poſt erectam à Paulo quarto Harlemi in eccleſia ſancti Bavonis cathedram epiſcopalem, hæreſeon factiones impiiſſimis tumultibus totum undique Belgium infeſtarent, inter alia loca Harlemenſis civitas, à milite Geuſio occupata, ac poſtea etiam cathedralis eccleſia, deſtructis per iconoclaſtas altaribus, profanata fuit. Sacræ autem glorioſiſſimi Confeſſoris reliquiæ, diligenter eo tempore cuſtodi-

B tæ, & ex cathedrali eccleſia reverenter acceptæ, Coloniam Agrippinam devectæ ſunt. Deinde verò, ſedatis nonnihil tumultibus, Harlemum fideliter relatæ, ſummaque totius cleri cathedralis exultatione receptæ ſunt. In cujus beneficii perpetuam memoriam feſtum tranſlationis ac commemorationis, ex voto majorum pro acceptis reliquiis primitus indictum, ac temporis injuriâ collapſum, ab eo tempore deinceps ad impetrandam ſancti Bavonis opem celebrari juſſum ac priſtino cultui reſtitutum eſt.

tumultuantibus hæreticis, transferuntur,

174 *Hæreticis tumultibus Harlemi initium dedit annus* 1566: Hoc ipſo namque anno (*verba ſunt auctoris Bataviæ ſacræ part.* 2 *pag.* 293) XXI Julii in pago Overveen extra muros Harlemenſes in montibus arenoſis prima concio Dominica die Calviniano ritu habita eſt à Joanne Arnoldi ſportulario, ex opificio ſuo dicto Mandemaeker, Alcmariano, confluentibus eò c c c ferè hominibus, inter eos viris quinquaginta. Virus hinc & in ipſam urbem ſerpſit, Religioſis & ſacerdotibus nonnullis idem haurientibus. Et

C quoniam iconomachia, quæ jam pleriſque locis ſævierat, & Harlemum invaſura non vano timore credebatur, eccleſia cathedralis (juſſu magiſtratûs, eccleſiaſtici an ſecularis dubium eſt) die XXIII Auguſti clauſa eſt, totoque trimeſtri clauſa remanſit, non ante diem VII Septembris (*veriſimillimè* Decembris) recluſa. *An eodem anno, ſicut Gandavi factum eſſe ſuprà vidimus, reliquiæ* S. Bavonis *tutiore loco reconditæ fuerint, an vel ex tunc Coloniam tranſlatæ necne, incompertum mihi eſt. Sedem epiſcopalem id temporis tenebat antè nominatus D. Nicolaus à Nova-terra, qui ob turbas & corporis infirmitates epiſcopatu ceſſit anno* 1569.

indeque, tranquillitate utcumque reſtituta, revehuntur;

175 *Haud pacatiora, imò multò turbulentiora tempora nactus eſt Godefridus à Mierlo, Nicolai ſucceſſor, Harlemenſiumque epiſcopus ſecundus & ultimus. Nam anno* 1572, *qui erat alter à conſecratione ſua, tragœdiam conſpexit, in mox data lectione memoratam, atque iſtis verbis deſcriptam à Famiano Strada Decade prima de Bello Belgico pag.* 443. Harlemum, nobilis Hollandiæ urbs, quò bellum deportaverat Federicus (*Toletanus, ducis Albani filius*) Amſtelodami ſidæ urbis opportunitate invitatus, non modò oblatam ab eo ſuperbè veniam rejecit, ſed re-

cepto novo partium præſidio, & ut omnem reconciliationis ſpem ſibi præcideret, exuta palàm veteri religione, fractis ſacris imaginibus, ac violatis direptiſque templis, octo menſium obſidionem tulit, pari hoſtium vitæque contemptu. *Denique poſt plura obſeſſorum tam in religionem Catholicam quàm in Hiſpanos odii indicia, quæ ibidem legi poſſunt, civitas, fame exhauſta, Federici victoris arbitrio ceſſit anno* 1573. Hîc prima ſacrorum cura fuit, *inquit Theodorus Schrevelus, citatus part.* 2 *Bataviæ ſacræ pag.* 313, V Auguſti templum D. Bavoni ſacrum expiârunt & ſacrârunt per epiſcopum Amerledum, qui Sacrum coram Toletano peregit, poſt recitatum Euangelium, ad ſervandas Eccleſiæ Catholicæ immunitates accepto Sacramento. *Tunc etiam procul dubio relatæ Coloniâ Agrippinâ* S. Bavonis *reliquiæ, prout habetur in lectione Officii.*

at, novis turbis religione penitus ſubverſâ

176 *Pax qualiſcumque & quies fuit Harlemi uſque ad annum* 1578, *quando nova eaque ferociſſima exorta tempeſtas, quæ religionem Catholicam penitus ſubvertit:* Ipſo enim feſto SS. Sacramenti, *inquit auctor Bataviæ ſacræ pag.* 314, anni MDLXXVIII, quæ * tunc in diem XXIX Maii incidebat, urbe Aurangiæ principis copiis dedita, ſæviſſima ſtrages in cathedrali eccleſia edita eſt, à ſcriptoribus noſtratibus NONA HARLEMENSIS dicta, eò quod ſub verſum illum Nonarum: "Juſtus es, Domine, & re-„ctum judicium tuum„ proruptio in eccleſiam iſtam ejuſque myſtas ea die facta fuerit. Cæſis aliis, "Epiſcopus Godefridus à Mierloo„ inquit Theod. Schrevelus, "qui eo tempore adhuc „concionem habuerat, miraculosè ſervatus à „quæſitore ſeu latrunculatore in cella ſubterra-„nea, cui cum aliis militibus fidis ſibi, circiter „L florenos pro honorario dedit, pretium re-„demptionis.„ Dec. die IV violata templa Harlemi omnia ac monaſteria diruta. Fugâ feliciter elapſus Godefridus epiſcopus Monaſterium apud Weſtphalos ſe recepit. *Reliqua ejus geſta ſic breviter referuntur tom.* 1 *Diplomatum Mirai pag.* 803: Deinde Daventriam, Sede vacante anno MDLXXXVIII evocatus, cathedralem eccleſiam impiè profanatam reconciliavit, atque è vivis exemptus die XXVIII Julii ejuſdem anni MDLXXXVIII, ibidem tumulatus fuit. Poſt hæc occupata per hæreticos urbe ac diœceſi Harlemenſi, nullus ultrà nominatus fuit hujus Sedis epiſcopus.

* quod

E

F

quid iis acciderit, ignoratur, S. Bavonem tamen,

177 *Studioſè perſcrutatus ſum omnes, quaſcumque nanciſci potui, rerum Harlemenſium, præſertim ſacrarum, hiſtorias aut relationes, ultimis tumultibus poſteriores, ut quid reliquiis* S. Bavonis *Harlemenſibus tunc obtigiſſet, ediſcerem, ſalvæne eſſent videlicet & hæreticorum manibus ſubductæ, an deperditæ aut diſperſæ. Sed fruſtra. In omnibus æquè altum de iis ſilentium, quàm in lectionibus Officiorum, licèt hæ, ut mox patebit, etiam ſeriùs compoſitæ ſint ac diſertè memorent tranſlationem reliquiarum Coloniam, earumque Harlemum relationem non diu ante poſtremas turbas. Si etiam tunc conſervatæ fuerint, crediderim, conſultius judicatum fuiſſe id typis non vulgare, nedum propalare, ubi hodiedum lateant & à fidelibus honorentur. Quidquid ſit, clerus Harlemenſis Romano-Catholicus Patronum ſuum, quamvis minore apparatu & ſplendore, æquali tamen pietate & affectu colere annuaſque feſtivitates ejus eccleſiaſtico Officio celebrare perrexit. Id nobis compertum eſt ex Officiis propriis ſeculo*

AUCTORE J. P.

proximè elapſo, & variis Directoriis hoc currente ſeculo impreſſis.

ejuſque feſtivitates clerus Harlemenſis

178 *Anno* 1618 *illuſtriſſimus ac reverendiſſimus dominus Philippus Rovenius, tunc per Belgium fœderatum vicarius Apoſtolicus, poſtea etiam archiepiſcopus Philippenſis, in litteris ad clerum Harlemenſem ſic ſtatuit:* Feſtum S. Bavonis, utpote patroni Harlemenſis, ab antiquo ſolemniſſimè hîc obſervari ſolitum, moneantur fideles religiosè celebrare, ad quod conceſſis quadraginta dierum indulgentiis eoſdem invitamus; non tamen intendentes quemquam ad mortale peccatum circa illius obſervationem conſtringere. In reliquis feſtis ſervetur moderatio jam paſſim recepta. *Sic ille part.* 2 *Batavia ſacra pag.* 87. *Idem archiepiſcopus ibidem pag.* 102 *in Conſtitutione anni* 1628 *mandat:* Feſtum S. Bavonis, utpote patroni Harlemenſis, ab antiquo ſolemniſſimè hîc celebrari ſolitum, ordinamus deinceps eſſe celebrandum Dominicâ proximâ poſt feſtum S. Michaëlis, ad quod conceſſis quadraginta dierum indulgentiis fideles invitamus. In reliquis feſtis ac jejuniis ſervetur conſuetudo ac moderatio hactenus paſſim hîc recepta. *Eodem denique curante & approbante*, Officia Sanctorum archiepiſcopatûs Ultrajectenſis & epiſcopatuum ſuffraganeorum, Harlemenſis, Daventrienſis, Leovardienſis, Groeningenſis & Middelburgenſis, digeſta ad normam Breviarii Romani, *Coloniæ edita ſunt anno* 1640.

B

Officiis eccleſiaſticis, miſſaque

179 *Illa inter pro Harlemenſi ſeorſum epiſcopatu tria dantur propria de* S. Bavone, *diebus ac ritu ſupraſcriptis recitanda; & pro diebus quidem* 1 *Octobris ac per Octavam alio Officio non impeditis, uti &* 1 *Auguſti, ſi pauciſſima excipias, eadem ſunt Officia, quæ exſtant in Proprio cathedralis eccleſiæ Gandavenſis, quæque paulò antè, concurrente utriuſque eccleſiæ canonicorum collegio compoſita, edi curaverat illuſtriſſimus ac reverendiſſimus D. Antonius Trieſt epiſcopus Gandavenſis: prout ipſe teſtatur in litteris ſuis anni* 1639, *Gandavenſi Proprio præfixis*, Nos, *inquiens*, pro officii noſtri debito & in ſanctos tutelares affectu de conſilio operaque nonnullorum RR. DD. tam eccleſiæ noſtræ cathedralis Gandavenſis, quàm ſimilis eccleſiæ cathedralis Harlemenſis canonicorum, in perpetuam ſocietatem & confraternitatem nuper aſſumptorum, certa ab incertis ſeparari & propiùs quàm umquam antea, Officia iſta ad formam dicti Breviarii Romani reduci curavimus. *Die autem* x *Maii Officium deſumitur Harlemi ex aliis feſtivitatibus præter lectiones ſecundi Nocturni, quæ hîc etiam propriæ ſunt & ſuperiùs recitatæ, ubi id exigebat ſeries hiſtoriæ.*

C

de eo propriis celebrare perrexit.

180 *Habent præterea Harlemenſes Miſſam de Sancto propriam, ad calcem Officiorum excuſam, primamque inter feſta Octobris, ut ſequitur:* Introitus. Gaudeamus omnes in Domino &c. Oratio. Deus, qui beatum Bavonem *&c, ut in Officio Gandavenſi ejuſdem diei.* Epistola. Quæ mihi fuerunt lucra *&c.* Graduale. Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Vers. Vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum ſæculi. Alleluia, alleluia. Vers. O remedium ſalutis in via, beate Bavo: tuis nos precibus Deo reconcilia. Eſto nobis Patronus in cæli curia, ubi juſti ſtabunt cum fiducia. Alleluia. Euangelium. Dixit Simon Petrus ad Jeſum: ecce nos reliquimus omnia. Credo. Offertorium. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini mei Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Secreta. Fons totius miſericordiæ, Deus, reſpice ad munera noſtra, quæ in beati Bavonis confeſſoris tui ſolennitate præclaræ Majeſtati tuæ offerimus: ejuſque intercedentibus meritis, concede, ut oblationes munerum fiant præſidia devotorum. Per Dominum. Communio. Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis & vitam æternam poſſidebitis. Postcommunio. Omnipotens ſempiterne Deus, Pater totius conſolationis & pacis: præſta familiæ tuæ, in ſolennitate ſancti Bavonis ad laudem tui nominis congregatæ, per unigeniti Filii tui corpus & ſanguinem pignus redemptionis æternæ. Per Dominum. *Eadem Miſſa præſcribitur in aliis Sancti Feſtivitatibus, ſed in his prima oratio ea eſt, quam dedimus ex Officio Gandavenſi diei* 1 *Auguſti, ad diem tamen* x *Maii his vocibus:* Beati Bavonis confeſſoris tui *addunt Harlemenſes* Patroni noſtri. *Eâdem oratione utuntur Harlemenſes per annum pro commemoratione communi de ſancto Patrono ſuo in Veſperis & Laudibus cum Antiphonis antè deſcriptis ex Gandavenſi Proprio.*

D

E

§ X. Reliquæ eccleſiæ S. Bavoni dedicatæ, ſacris ejus lipſanis ditatæ, cultuive addictæ.

Eccleſiæ aliæ variis locis,

Cetera eccleſiæ S. Bavoni *ſacra hoc ordine enumerantur apud Sanderum ad calcem cap.* 4 *lib.* 4: Eccleſia una de Ardenburch, Mendonck, Vinderhoute, Zinghem, Vlierſele, Caneghem; Wilrick in Brabantia & Bouchoute: *alio ac paulò diſtinctiore etiam recenſentur in Proprio Officiorum de Sanctis eccleſiæ cathedralis Gandenſis lect.* 5 *diei quartæ infra Octavam* S. Bavonis: Anno Domini nongenteſimo ſexageſimo in Rodenburch, celebri olim ac vetuſto Flandriæ oppido (nunc Erdenburch nominatur) prima eccleſia in honorem divi Bavonis confeſſoris dedicata eſt. Nec procul inde alia poſtmodum in terra de Ooſtburch juxta mare. Alia item poſtèa ad Legiam fluvium in territorio Cortracenſi, à qua pagus ipſe Vivia D. Bavonis vulgo dicitur. Eſt & eccleſia parochialis de Zynghem haud procul Aldenardâ, nec non eccleſia de Vlierſele B. Bavonis patrocinio ac nomini conſecrata. Mendonck item, Vinderhout, Caneghem, eccleſiæ nequaquam incelebres; atque in Brabantia eccleſiæ de Wilrick & Bochoute, ut aliæ omnes hîc prætereantur, B. Bavonem patronum ac protectorem agnoſcunt.

F

videlicet in Flandria Ardenburgi, Ooſtburgi,

182 *Locus, qui in utroque textu præit, & illic* Ardenburch, *hîc* Rodenburch *vocitatur, unus idemque eſt, atque his verbis deſcribitur à Baudrando:* Ardenburgum, oppidulum Flandriæ ſub poteſtate provinciarum unitarum ab anno MDCIV. Unâ leucâ diſtat à Clauſulis (*aliàs* Sluſa, *vulgò* Sluys) in Ortum & paulo minùs à Middelburgo oppidulo, olimque erat totius hujus tractus primaria urbs ... vocatur etiam Rodeburgus. *Buzelinus lib.* 1 *Annalium*, Urbium mater, *inquit*, in eo tractu fuit Rodenburgus, quam hodie Ardenburgum nominant. *Latiorem ejus notitiam exhibet Sanderus Flandriæ illuſtratæ*

tom.

A *tom.* 1 *pag.* 299, *ubi ſimiliter monet, fuiſſe olim* caput maritimarum Flandriæ urbium, *ac deinde addit, Templum* divi Bavonis *anno* DCCCCXL *dicatum, & etiam Deiparæ, cui par tota hæc Flandriæ ora non habet, occaſione miraculorum ibi frequentium ſuperbo opere exædificatum anno* MCCXCVI, collegio canonicorum per Michaëlem (*Tornacenſium*) epiſcop. auctum & donariis regum & principum, voti gratiâ confluentium, refertum reſplenduiſſe. *Collegii canonicorum inſtitutionem referunt etiam ad annum* 1296 *Meyerus in Annalibus aliique, quos tamen omnes corrigit in nomine epiſcopi Joannes Couſin lib.* 4 *Hiſtoriæ Tornacenſis, probans, Michaëlem epiſcopum vivere deſiiſſe anno* 1291, *proindeque dictam inſtitutionem collocandam fuiſſe ſub Joanne de Waſonia, Michaëlis ſucceſſore. Eſt & aliud, quod in Sanderi verbis corrigendum quidem, ſed quod ſoli putem adſcribendum typothetæ, qui pro anno* 960 *poſuerit* 940; *quandoquidem apud eumdem Sanderum in Gandavo ſeparato lib.* 4 *cap.* 4 *prima dedicatio ſacræ ædis Ardenburgenſis ſeu Rodenburgenſis* in honore B. Bavonis egregii confeſſoris *expreſsè ſignetur anno* 960, *ſicut in lectione Officii. Locus alter in Officio* Ooſtburch *appellatus, aliàs* Ooſtburgum, caſtrum munitum eſt Belgii, *inquit Baudrandus*, in comitatu Flandriæ, prope Cadſandiam inſulam, & vix unâ leucâ à Clauſulis diſtans in Ortum ſub dominio provinciarum Belgii uniti. *Plura rurſum de eo præbet Sanderus in Flandria illuſtrata, ſed non meminit eccleſiæ* S. Bavoni *ſacræ.*

B

in Vivia S. Bavonis,

183 *Idem Sanderus tom.* 2 *pag.* 423 *agens de rebus Cortracenſibus tertii loci in Officio nominati mentionem facit, ſimul & familiæ, quæ à nomine* S. Bavonis *antiquitus dicta fuerit, ut ſequitur:* Duæ hîc Viviæ, una S. Eligii, quam Vivium caſtellum vocat Malebrancus, altera S. Bavonis, utraque ad Legiam fluvium, utraque amœna, aquis irrigua, & per æſtatem paſcuis florida. Cæterùm in antiquis Flandriæ reſcriptis non infrequens eſt memoria familiæ S. BAVONIS (quod ego tamen genus à dominio & cœnobio S. Bavonis in portu Ganda ortum & originem habere credo) legitur ad annum MCCLXII Machelinus de S. Bavone & Agata ejus uxor, qui vendiderunt legitimè eccleſiæ S. Bavonis Gandenſis duas partes decimæ parochiæ de Wtberghen de conſenſu Guidonis comitis Flandrenſis & Machtildis ejus uxoris, Betuniæ & Teneramundæ dominæ, à quibus dicta decima tenebatur in feodum. In eadem Eliſabeth de S. Bavone ad annum MCCLXIX nupta fuit Henrico de Voirde. Alius Machelinus de S. Bavone in manus venit cum Margareta filia Jacobi de Raveſcot. Frequentes geſſêre magiſtratus apud Gandenſes, præſertim cum triginta novem viri remp. illam moderarentur circa annum MCCLXXVI, cùm Godefridus, filius domini Mathiæ à S. Bavone Gandavi ſenator fuit. *De* Vivia S. Bavonis *iteratò agit ibidem pag.* 436, *dicens*, Vivia S. Bavonis, alius à Vivia S. Eligii pagus etiam ad Legiam ſitus, loco cumprimis per æſtatem amœno: 500 continet bonaria, etiam ſub dominatu baronis Anglomonaſterienſis, & tutela eccleſiaſtica abbatis S. Martini Tornacenſis. D. Bavo, uti pago, ſic & eccleſiæ nomen facit.

C

in Zinghem, Vlierſele, Mendonck,

184 Zynghem *ſeu* Zinghem *in tabula geographica Aldenardenſis caſtellaniæ apud Sanderum laudato tom.* 2 *pag.* 582 Singghem *ſcribitur, poniturque uno circiter & medio Aldenardâ milliario; ſed idem Sanderus pag.* 584 *obſervans, eo jus eccleſiæ patronatum eſſe penes epiſcopum Gandavenſem, dicit,* Deiparæ Virgini eſſe inſcriptam, *veriſimillimè ſimul ac Sancto noſtro; quoniam ipſemet* S. Bavoni *ſacram aſſeruit ſuprà.* Vlierſele *in tabula ditionis Aloſtanæ ibidem pag.* 507 *ſtatuitur duobus paulò minùs Aloſto milliariis; & pag.* 508 *dicitur ejus toparchia & eccleſiæ patronatus ſpectare ad Gandenſem epiſcopum.* De Mendonck, *al.* Medmedunc, *ſermo jam fuit loco non uno; nominatim verò in Commentario prævio num.* 114 *& ſeq., ubi protulimus verba Theodorici abbatis in Vita Sancti noſtri & anonymi auctoris ſeculi* X *in Miraculis* S. Bavonis, *ſitum loci, quem à Sancto inhabitatum fuiſſe tradunt, deſcribentium; dein num.* 7 *hujus Gloriæ poſthumæ, ubi de hiſce verbis dicti anonymi:* Memoriam ſancti Bavonis viſita, quæ eſt apud Medmedunc annua, *diſſeruimus. Iſtis tamen adjicimus, quæ habet Sanderus tom.* 1 *Flandriæ illuſtratæ pag.* 175 *& ſeq.:* Mendonck eccleſiam habet beato Bavoni ſacram, cujus patronatus ſpectat ad epiſcopum Gandavenſem, ſicut & dominium temporale ejuſdem loci. Quamvis autèm vicus hic ſit non tantæ magnitudinis, utpote centum & quinquaginta tantùm bonaria terræ continens, & octodecim nuper familiis inhabitatus, clari tamen nominis eſt & antiquus & titulum comitatûs adeptus. Ex majorum traditione oſtenditur locus, ubi B. Levinus (*imò* S. Bavo *ſeu* Alloinus *haud dubiè*) pœnitentiam egit. Paſcua habet lautâ, & vicinus hic tractus omnis à pinguibus vitulis, qui toto Belgio pretium habent, commendatur.

D

E

Vinderhoute, Caneghem, binique

185 *Pag.* 178 *opportunè notitiam ſubminiſtrat Sanderus loci, qui mox ſequitur in lectione Officii:* Vinderhoute pagus in Caſtellania Audenburgenſi ad primum ab urbe Gandavo lapidem ſitus; interſecat illum foſſa nova, quæ Gandavo Brugas fluit. Domum habet ſplendidam, quam ante annos plus minus centum ædificavit Levinus Pottelsbergius, Caroli quinti Cæſaris quæſtor, vir egregius & apud eundem principem gratioſus. Eſt dominium jam penes familiam de Wouters, alibi etiam ſimili jure potientem. Eccleſia ſacra eſt D. Bavoni, Gandenſium patrono: & paſtorale in ea munus confertur per Gandavenſem antiſtitem. Continet in circuitu trecenta bonaria, paſcuis etiam felix. *Poſtremum denique in Flandria notatum locum ſic declarat Sanderus tom.* 2 *pag.* 434, *ubi agit de rebus Cortracenſis Caſtellaniæ:* Caneghem in pago Menapiſco ſitum fuit, ut habet diploma per Arnulfum marchionem Flandriæ donatum abbatiæ Bavonenſi. Ad ſexcenta terræ bonaria protenditur. Titulum loci vel in loco ſibi vendicat vir indole generoſa & animi rectus ... è familia Dhaniorum. Eccleſia S. Bavoni inſcripta eſt, & habet ejus patronatum Gandavenſis epiſcopus in quantum Bavoniani abbatis ſucceſſor.

F

in Brabantiæ vicis S. Bavoni ſacræ,

186 *Duo, quæ ſuperſunt loca, vici ſunt in Brabantia ſiti, & ambo quidem in agro ac epiſcopatu Antverpienſi;* Wilryck *in decanatu Antverpienſi, unò ferè ab urbe milliario;* Bouchoute *in Lirano decanatu, ab eadem urbe Antverpienſi ſecundo circiter milliario Brabantino. At utriuſque eccleſiæ* S. Bavoni *ſacræ patronatum habet epiſcopus Gandavenſis, ut ſucceſſor abbatis Bavoniani monaſterii. Præter jam enumeratas plures eſſe in Belgio noſtro eccleſias, ejuſdem Sancti nomini conſecratas, credo aſſerenti auctori Gandenſis Officii; ſed in ſingulas indagare, rem magis injucundam*

AUCTORE J. P.

AUCTORE J. P.

dam ac difficilem judicavi, quàm utilem. Unam casu reperi apud Sanderum tom. 1 Flandriæ illustratæ pag. 215 ubi Brugensem episcopatum in suos decanatus distinctum exhibens, sub ipsusmet civitatis decanatu statuit paræciam S. Bavonis *& ibidem pag. 290, ubi ejus situm indigitat, dicens:* Altera suburbani Brugensis parte templa sunt D. Bavonis & Michaëlis.

aliæ ejus reliquiis ditatæ, Brugensis nempe,

187 *Vix dubium quoque est, quin per idem Belgium in ecclesiis, aliorum Sanctorum titulo insignitis, exstent altaria peculiari* S. Bavonis *cultui erecta, iis præsertim in locis, in quibus vel reliquiæ ipsius servantur, vel annuum de ipso Officium recitatur, & de quibus nunc tandem agendum restat. Ordimur ab ea, quam statim memoravimus, Brugensi civitate in Flandria percelebri ac episcopali. In catalogo reliquiarum ecclesiæ cathedralis S. Donatiani Brugensis, quem dat proximè laudatus Sanderus pag. 214 & seq., recensentur* Duo dentes sancti Bavonis & barba ejus. *Sed hîc obiter notandum, quòd, postquam ista scripsit Sanderus, imò postquam prodiit in lucem Flandria illustrata (edita est anno 1641) decanus & collegium canonicorum ecclesiæ cathedralis*

B

Brugensis anno 1649 dentem unum S. Bavonis *dono dederint ecclesiæ cathedrali Gandavensi; unde conficias, verisimiliter unum etiam tantùm hodieque servari in Brugensi cathedrali. Verisimiliter, inquam, non certò; quia in instrumento donationis dens Gandensibus concessus sic memoratur, ut videri possit casu repertus in S. Machuti lipsanotheca Brugensi, & solus ac sejunctus à reliquiis* S. Bavonis *aliis, quas recenset Sanderus.*

quæ olim ritu ecclesiastico coluit,

188 *In eadem porrò ecclesia Brugensi antiquitus cultum habuit* S. Bavo, *& retinet ad hæc nostra tempora. Antiquitatem probat Breviarium, Parisiis impressum anno 1520 cum ista inscriptione:* Breviarium ad usum insignis ecclesiæ sancti Donatiani Brugensis, dyocesis Tornacensis; *cùm nempe dicta ecclesia nondum in cathedralem erecta fuisset; nam Brugensibus proprius episcopus datus est tantùm post annos circiter quadraginta. In Kalendario, quòd Breviario præmittitur, Officium præscribitur de SS. Remigio, Germano, Vedasto &* Bavone; *sed ad ipsam diem 1 Octobris additur S. Piatus & sic disponitur Officium ut sua pra cæteris Sanctis habeat propria* S. Bavo. *In secundis vesperis diei* xxx *Septembris post Orationem de S. Hieronymo*

C

sequitur commemoratio de S. Bavone *cum Antiphona:* Sancte Bavo confessor eximie, ora pro nobis ad Dominum Jesum Christum, ut, qui solemnitatis tuæ gaudia læti præcinimus, ab omni pondere viciorum interventu tuo semper allevari possumus. *Vers.* Justum deduxit; *Oratio* Deus, qui nos *&c, ut in communi confessoris non pontificis; dein subditur commemoratio de aliis simul quatuor Sanctis.*

hodieque etiamnum Sanctum colit,

189 *In Matutino rursum tres primi Nocturni lectiones soli propriæ sunt Sancto nostro, descriptæ ex ea parte Vitæ per Theodoricum abbatem compositæ, in qua narratur supremus ejus morbus & felix obitus. In Laudibus denique ac Vesperis secrsum ab aliis habet Antiphonam, Vers. & Orationem. Antiphona in Laudibus hæc est:* Prælia-

* conflictu

tor Domini Bavo invictissimus, omnium virtutum perfectione probatissimus, consummatus hodie de præsentis seculi conflicta* triumphans, ad ætheream poli migravit aulam. *Ista in secundis Vesperis:* Reconditum est cum omni reverentia corpus beati Bavonis in loco, qui nunc apertè Ganda dicitur, ubi plurima præstantur fidelibus beneficia: laus hinc continua Trinitati sit & gloria. *Ista olim. Nunc autem in Officiis propriis Sanctorum ecclesiæ cathedralis S. Donatiani Brugensis, redactis ad normam Breviarii Romani, ad diem 1 Octobris totum Officium recitandum præscribitur de* S. Bavone *ritu semiduplici cum commemoratione & 1x lectione de S. Piato tantùm. Lectiones verò secundi Nocturni Sancto nostro propriæ desumptæ notantur ex Mabillònio, Molano & Lippeloo; tertii Nocturni de Homilia S. Bernardi abbatis super Euangelio:* Ecce nos reliquimus omnia: *Oratio eadem est, quæ in Gandensi Officio.*

D

Tornacensis, quæ quondam

190 *Tornacensis quoque sanctissimæ Mariæ Virginis cathedralis in Belgio ecclesia sacris* S. Bavonis *lipsanis ditata est, fuitque verisimiliter à multis seculis; quandoquidem olim Gandavum civitas diœcesis ipsius partem constituerit, & per Tornacenses episcopos passim peractæ sint Gandavi translationes ac elevationes reliquiarum, ut ex antè dictis constat. Tornacenses autem reliquias sic indicat Arnoldus Raysius in Hierogazophylacio Belgico pag. 314:* Ossicula duo S. Bavonis confessoris, Gandavensium patroni tutelaris. *Moris fuisse antiqui, ut etiam in hac diœcesi* S. Bavonis *memoria celebraretur quotannis in Officio divino, docet nos Tornacensis ecclesiæ Breviarium, Parisiis anno 1508 impressum, in quo ad diem 1 Octobris, sacrum S. Piato ejusdem ecclesiæ patrono, in primis Vesperis ac in Laudibus præscribitur commemoratio Sanctorum, quorum nomina continet sequens Oratio:* Confessorum tuorum, Domine, pariterque pontificum Remigii, Germani, Vedasti, Bavonis, Trudonis atque Wasnulphi glorioſa confessio nobis piæ devotionis augmentum conferat, qui in tuo nomine confidentes, meruerunt honorari.

E

idem præstitit,

191 *Sed ad secundas Vesperas subjungitur hæc Rubrica:* Et fiet commemoratio de sancto Bavone, ubi dies ejus celebratur.... In crastino fiet totum de sancto Bavone de communi, ubi dies ejus celebris fuerit; in aliis locis nihil inde fiet. Sed fient omnia de S. Piato. *His subnectitur compendium Vitæ, acceptum ex Theodorico abbate & distinctum in lectiones novem, reliqua Officii sumenda notantur de Communi. Præterea Litaniis Majoribus, quæ ibidem Completorio subjunguntur, inserta quoque est* S. Bavonis *invocatio. Ita olim, cùm Gandensis, Brugensis, aliaque ecclesiæ annexæ essent Tornacensi episcopatui; at post separationem dictarum ecclesiarum à Tornacensi, facta est hîc procul dubio etiam mutatio in Sanctorum Officiis. Certè nec in Kalendario, quod præfixum est Proprio Tornacensi anni 1626, nec in Proprio ejusdem ecclesiæ ac diœcesis anni 1712, ullibi comparet* S. Bavo.

F

ac Bronienſis;

192 *Laudatus Raysius enumerans pag. 124 & tribus sequentibus reliquias, quibus nobilitatur Bronium seu S. Gerardi Bronienſe monasterium Ordinis S. Benedicti in Namurcensi Belgii comitatu ac diœcesi, eas inter aliquas collocat* de corpore S. Bavonis inclyti confessoris. *Facilè potest concipi, quo tempore & per quem eò istæ delatæ fuerint; nempe per S. Gerardum ipsum, qui, ut ad diem tertium hujus mensis plenius probabimus, seculo decimo Bronienſis cœnobii auctor fuit, & uti jam ostendimus, restaurati Gandensis monasterii abbas in novam ecclesiam* S. Bavonis *sacra lipsana transtulit sub annum 940, imò dein aliquot Sanctorum reliquias Gandavo Bronium detulit, uti testatur biographus S. Gerardi expressis verbis: Prater* CETERA à Gandavo istuc (*Bronium*

à

A *à S. Gerardo*) delatum ejuſdem beati abbatis Wandregiſili brachium *&c: veroſimillimum enim hinc fit, inter* cetera *generatim dumtaxat hîc memorata Sanctorum lipſana, contenta fuiſſe ea, quæ* de corpore S. Bavonis *Rayſſius annuntiat.*

item aliæ, quæ licèt Sancti reliquiis careant, eum tamen

193 *Plura etiam de reliquiis dicenda non occurrunt, pauca reſtant de Officiis eccleſiaſticis: ſed vel ex his (neque enim omnium peculiarium locorum Breviaria antiqua ſeu Kalendaria aut Propria ad manum ſunt) conjicimus, raras fuiſſe per totum Belgium eccleſias, in quibus annua olim* S. Bavonis *memoria celebrata non fuerit. Celebratam fuiſſe in Morinenſi diœceſi, cujus caput & epiſcopalis ſedes erat Teruanna, ampla olim, ſed nunc exciſa civitas, & quæ una diœceſis adeo latè ſeſe extendebat, ut modò diviſa ſit in tres epiſcopatus, Audomarenſem in eadem Arteſia provincia, Bolonienſem in Picardia & Iprenſem in Flandria, in ea, inquam, celebratam fuiſſe annuam* S. Bavonis *memoriam, conſtat ex Breviario Morinenſis eccleſiæ, in cujus partis Hiemalis (hanc ſolam habemus) typis Antverpienſibus anno* 1542 *editæ Kalendario ponitur Officium de SS. Remigio, Germano, Vedaſto,* Bavone *& Piato ad primam diem Octobris. Ordinem Officii*

B *colligimus ex Breviario Audomarenſis eccleſiæ, quod Pariſiis excuſum eſt anno* 1518 *& in cujus Kalendario iidem Sancti annuntiantur atque in parte æſtiva ad dictum diem ea eſt Officii diſpoſitio, ut tres primi Nocturni lectiones propriæ ſint* S. Bavoni. *Hujus pariter ac Remigii & aliorum Sanctorum commemoratio notatur in vetuſto admodùm Atrebatenſi Breviario, uti & in altero, quod pro Arraoſiana Arteſiæ ac Atrebatenſis diœceſis abbatia impreſſum eſt anno* 1538, *nec non in Bruxellenſi collegiatæ S. Gudulæ anni* 1516, *quo hæc eccleſia ſubdita adhuc erat epiſcopatui Cameracenſi.*

cultu eccleſiaſtico ſaltem olim honorârunt.

194 *Idem ſit in Ultrajectenſibus ad Rhenum Breviariis annorum* 1508 *&* 1518; *idem in variis archiepiſcopalis eccleſiæ Colonienſis, inter quæ unum eſt editionis Venetæ anni* 1498; *at in eo, quod ceteris recentius eſt, editumque ſub annum* 1618 *lectionem ſextam propriam habet* S. Bavo. *Idem rurſus in Tungrenſi & Trajectenſi ad Moſam valdè antiquis; idem in Miſſali eccleſiæ Leodienſis Pariſiis excuſo anno* 1509 *ac in Breviariis annorum* 1514 *&* 1520: *in propriis autem Sanctorum dictæ eccleſiæ ac diœceſis, quæ ad formam Breviarii Romani redacta, typis vulgata*

C *ſunt anno* 1633, *ac in Breviario Leodienſi anni* 1636, *ea facta eſt immutatio, ut commemoratio diei* 1 *Octobris, quæ ſe antè extendebat ad SS. Germanum, Vedaſtum,* Bavonem, *Piatum & Waſnulphum, reſtricta tunc fuerit ad ſolos* Bavonem *& Piatum. Idem denique in Antverpienſi ſanctiſſimæ Mariæ Virginis Breviario, quod typis prodiit Venetiis anno* 1496. *Verùm poſtquam Antverpienſis eccleſia ad cathedralem evecta eſt, etiam hîc facta eſt immutatio. Nunc enim relicta die prima Octobris Officio S. Remigii epiſcopi, diei tertiæ affixum eſt Officium ſolius* S. Bavonis *ritu ſemiduplicis recitandum. Totum ſit de Communi confeſſoris non pontificis, exceptis Oratione, quæ in noſtro Antverpienſi Sanctorum Proprio eadem eſt, quæ in Gandenſi; lectionibus primi Nocturni, quæ ſunt de Scriptura occurrente; ſecundi Nocturni, quæ præcipua Sancti geſta complectuntur; ac tertii, quæ deſumptæ ſunt ex Homilia S. Bernardi abbatis ſuper Euangelio :* Ecce nos reliquimus omnia.

D

MIRACULA

S. BAVONIS

TRIBUS LIBRIS COMPREHENSA,

Auctore anonymo,

Ex Ms. S. Bavonis vetuſtiſſimo.

PROLOGUS.

Auctor non gloriæ cupiditate,

E

CHriſtiani negotii eſt, quemque ſuis profectibus ardenter inſiſtere & lucro ſuæ ſalutis diatim *a*, quantùm prævalet, adjicere. Etenim utilitati nîl præſtantius excogitari, nîl quæſtuoſius poterit experiri; cùm brevi tempore & terminali ſudore illud bonum adquiritur, quod nec interpolatione ſubripi, nec fine valeat mutilari. Hoc itaque cùm ſui conſideratione ſit omnimodis inæſtimabile; æſtimatur tamen diverſa contingentium poſſibilitate: quoniam hæc varietas exterioris habitudinis nîl eo præjudicat adipiſcendo, tantùm ne quovis exorbitet bonæ voluntatis intentio. Nam ut materialis abſque fundamento vacillat maceria *b*, ſic ſine diſpoſitione rectæ intentionis moralis infatuatur convenientia. Reſpondeat ergo neceſſe eſt ſupernæ mercedi, quicquid à quoquam adhibetur laboris & ſtudii. Hæc cùm ita ſint, faceſſat propriæ laudis exitiabilis titillatio, ſopiatur pruriens nocivæ adulationis ſerpedo, totum illius committatur *c* recompenſationi, cujus muneris eſt totius exuberatio boni. Nunc ad hæc referenda veniamus, quorum gratiâ hæc pauca prælibavimus.

a

b

c

ſed aliorum impulſu ſcribere ſe, aſſerens,

2 Rogatus, immò compulſus, ut quædam inſignium miraculorum glorioſiſſimi patris Bavonis litteris mandarem, conſcius propriæ fragilitatis & inſcientiæ, coactus ſum, ut omnimodis detrectarem. Et ecce, mihi vis charitatis, omnia ſperantis, obtenditur, inexcuſabile jugum ſanctæ obeditionis imponitur *d*, uberrimus elemoſinarum fructus promittitur, ſi multorum profutura profectibus meo relatu pandantur. Contrà ſi in negando perſiſterem, obruti talenti damnatione percellendum, gaudiis ſupernæ admiſſionis fruſtrandum, quippe meo ſilentio tantorum obnoxium detrimentis, quantorum poteram prodeſſe in referendo emolumentis.

d

F

eloquentiæ tenuitatem excuſat,

3 His tam hortationibus quàm terroribus, fateor, victus ſuccubui, ut mallem ſcientiæ tenuitate, quàm mentis obſtinatione periclitari. Ergo nihil hîc adipatæ locutionis, nihil Rhetoricæ declamationis expectandum; quia his artibus me fateor uſquequaque ignarum. Suſcipiant alii copioſam variæ excuſationis ſuppellectilem; videlicet quòd veritas nativâ vivacitate contenta, non quærat altrinſecam colorum adhibitionem, & quòd Chriſtianæ fidei rudimenta non ab oratoribus ſed à piſcatoribus & idiotis ſint promulgata, & quòd regnum Dei magis virtutis quàm ſermonis conſtet efficaciâ, aliaque perplura in id rationis cadentia: mihi facilis apologiæ patet occaſio, ſcilicet cui nullius eruditionis

A. ANONYMO.

tionis favet exercitatio. Verùm ſicut temere nihil eſt præſumendum, ſic de Dei miſericordia nunquam deſperandum, cui cùm nihil omnino ſit impoſſibile, tamen magnificentiùs plerúmque in minimis vim ſuæ exerit potentiæ.

lectorumque benevolentiam poſtulat.

4 Quocirca ſit in nobis boni operis ſincera deliberatio, ab illo ſine dubio veniet effectualis conſummatio. Cæterùm precor, ut, qui hæc qualiacumque ad legendum dignatus aſſumpſerit, ſiquidem ea recitatione digna judicaverit, vice recompenſationis opem mihi ſuæ ferat interceſſionis. Sin autem præſumptionis faſtui vel arrogantiæ typo aſſcribendum putaverit, tantò accuratiùs pro me orandum meminerit, quantò copioſiori flagitiorum mole me preſſum conjecerit. Sicque non omnis excludetur utilitas, dum veræ compaſſionis faverit opportunitas, mediante ea caritate, quæ Deus eſt, qui ſubſtantiali Unitate & perſonali Trinitate vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Id eſt*, indies.

B b *Mabillonius, qui hoc Opuſculum, pro majori ſaltem parte, uti in Commentario prævio num. 16 dictum eſt, primus edidit, hîc legit* materia, *ſed noſtra lectio, ut conſideranti patebit, Mabillonianâ veroſimillimè præſtat.*

c *Meliùs, quàm apud Mabillonium* commutetur.

d *Auctor, ut in Commentario prævio num. 16 inſinuatum eſt, monachum ſe fuiſſe, hîc ſignificat.*

LIBER I.

Gandæ ſitus & initia, monaſterii Gandenſis hiſtoria, compendium vitæ S. Bavonis, ejuſque reliquiarum uſque ad medium ſeculum decimum tranſlationes.

Brevis Gandæ deſcriptio,

a

C Licèt auctoritate ſacri eloquii non propter locum gentem, ſed ob gentis gratiam locus credatur divinitus eligi *a*; non tamen præpoſterum debet videri, ſi priuſquam amantiſſimi patris Bavonis miracula ſtilo, prout poſſumus, commendemus, de loco conſervandis ejus reliquiis ſupernè prædeſtinato pauca commemoremus. Hic autem Galliæ Flandriæque confinio propè contiguus Septentrionalem plagam versùs

b ſex miliariis ab Oceani diſtat litoribus *b*. Virenti quoque ſpatioſa ſpectabilitate conſpicuus, delectabiliter irrigatur & cingitur geminis amnibus

c *c*, qui, neſcio, utrùm plus amœnitatis, quàm utilitatis, ſui commoditate conferant incolis. Sunt enim & piſcium capturâ uberes & mercium convectione feraces. Unde tam hujus provectionis gratiâ, quàm ob præſentiſſima ſancti Bavonis merita eſt idem locus populoſo commeatu frequentiſſimus.

cujus incolæ idolis addicti

6 Ferunt autem Agrippam, quondam Romanorum ducem, in eo caſtrum condidiſſe, Gandavumque appellâſſe. At alii Herminricum regem in eo arcem imperii ſibi tradunt inſtituiſſe. Quorum quid ſit verius, illorum, qui hæc D dicunt, judicio relinquimus *d*. Nam ſæpius incenſis ſeu caſuali provectu ſeu hoſtili feritate autenticis bibliothecis, non ſatis innitimur certitudine hujus indaginis. Quotidiana tamen intuentibus ſuppetunt experimenta, non à mediocribus, ſed magnificis & primoribus viris ejuſdem loci ſortita primordia. Ruinarum quippe veſtigia, & ſub his variarum ſpecierum repertæ qualitates opulentiſſimos atque potentiſſimos ejuſdem ſtructuræ loquuntur auctores *e*. Erant itaque præfati loci habitatores à religione Chriſtiana pœnitus abhorrentes, & præ inſita ſibi auſteritate ſanctis prædicatoribus ferè inacceſſibiles *f*: manſitque hujus inextricabilis obſtinatio erroris uſque ad tempora Dagoberti regis *g*, cùm ſupernæ pietatis reſpectu advenit miſeris optabile tempus miſerendi, ut eſſent ab inflictæ ſibi cæcitatis errore miſericorditer eruendi.

ad Chriſtum convertuntur à S. Amando.

7 Claruit ea tempeſtate vir, Dei gratia jucundiſſimè prædítus ac per hoc dignè vocatus Amandus, qui prædicationis optentu diverſas regiones pervagatus, multiplices ſui agonis fructus naviter eſt Domino lucratus. Cúmque his ſanctis ſtudiis operoſiùs inſiſtens, divertiſſet ad E prædictum locum, ut fortis athleta non priùs deſtitit, quàm opus cœptum duceret ad effectum *h*. Denique abrenuntiantes à paganiſmo abluti atque mundati ſunt expiali Baptiſmo. Summoto cauterio tractualis *i* & actualis prævaricationis, uncti ſunt oleo ſaluberrimæ exultationis. His ita, Chriſto aſpirante, peractis, cœpit fama tanti viri uſquequaque crebreſcere fælicibus incrementis. Unde certatim ad eum diverſæ ætatis, ſexûs & dignitatis confluebat frequentia, affectans in ſpirituali exercitio eximii patris componi diſciplina. Inter quos ſanctus Allowinus, qui & Bavo, inter nobiles Hasbanienſis pagi nobilior *k*, afflatus cæleſti deſiderio, ejus ſe, ut pòſt patuit, medullata devotione contulit imbuendum magiſterio. Qui mox ut ſemina divini verbi ſedula mente percepit, non ea paſſus eſt dampnoſâ ſegnitiâ præfocari, ſed ad inſtar bonæ terræ fructuoſiori fenore ea multiplicavit.

cui ſe adjungit S. Bavo,

8 Nam quod alii deputant perfectionis faſtigio, ipſe primæ converſionis aggreſſus eſt initio. Omnibus abrogatis facultatibus, ſpretis dignitatibus, prædia ſua legitimâ donatione tradidit, diſciplinis profutura monaſterialibus, pecuniarios quæſtus ſuos ſeu progenitorum exaggeratos ſudoribus propria manu diſperſit egentibus. Sic exoneratus letali faſce mundialium cupiditatum, nudus & exertus ad boni Jeſu confugit auxilium *l*. Suſcepit autem in eodem Gandavo, quo nunc F requieſcit, à beato Amando tonſuram clericatûs irrefragabili deliberatione delegatus *m*. Cujus verò abhinc diſtrictionis, cujuſve rigoris in ſeipſo ob Dei ſervitium in macerando fuerit, vel quos impetus antiqui hoſtis ſenſerit, ſuſtinuerit, evicerit, vel ad quod culmen virtutum ſub atteſtatione miraculorum conſcenderit, liber geſtorum ejus *n* ſcire volentes ſatis luculenter inſtruit. Verùm poſt multiplices vitæ præſentis agones ſpiritus mercede ſua fruiturus perpetim cælo ſuſcipitur, corpus more humanitatis terræ commendatur.

ejuſque exemplo multò deinde plures.

9 Hujus tamen loci religio, quantum ſubinde conciverit augmenti, hinc datur intelligi, quia recens & quaſi adhuc calens pii Patroni memoria & miraculorum quotidiana hanc ad altiora ſemper provexerunt incitamenta *o*. Fertur enim, quòd ad ſexagenarium numerum ultróque * pervene-

o

* ultràque

venerint, qui se post sancti Amandi discessionem ad exemplum tanti Viri regularibus studiis mancipârint. Libet igitur, antequam ea, quæ nostris temporibus gesta sunt, contingamus, unum ejus referre beneficium, unde ejus miræ condescensionis, singularisque benignitatis sumatur indicium *p*. Sunt enim plurima priorum nostrorum, quod eorum pace dixerimus, prætermissa negligentiâ, & eotenus oblivioni mandata, ut notitiæ nostræ celentur, acsi funditus infecta.

p

Singulare S. Bavonis in furem beneficium.

10 Cùm igitur isdem sacer locus in omni floreret opulentia *q*, contigit tempore cujusdam præcipuæ festivitatis, ut inter ceteros, qui tunc copiosissimi erant, ecclesiæ apparatus aureus calix post peracta Missarum solemnia supra sanctum altare relinqueretur absque custodibus. Quidam autem negotiatorum introgressus est oratum, quem vis tempestatis tali perculerat naufragio, ut pessumdatis rebus undecumque adquisitis, ostiatim emendicato se committeret stipendio. Cumque sæpius miseris propitiam sancti Bavonis expetiisset memoriam, licèt ingentem tamen, fide plenam, est exorsus audaciam. Nam præfatum calicem cernens incautiùs destitutum, orationi attentiùs incubuit in hunc modum: Precor, inquit, tuam, sancte Bavo, inæstimabilem clementiam, ut tuo dulci more, hoc est, misericorditer suscipias intentionem meam; optimè quippe, meque ipso multò limpidiùs eam nôsti, quia inseparabiliter conjungeris omnia scienti. Placeat ergo tibi aliquantulum relevare meam necessitudinem, ut me, dum advivo, habeas tui servitii debitorem. Liceat mihi nunc hinc tuâ conniventiâ sumere, quod postmodum te libeat multiplicatum recipere. His dictis, fideli temeritate se præsumens exauditum, non solùm veniale, sed etiam compendiosum aggressus est furtum: assensumque tam facilem sanctissimi Patris tenens vice pignoris, efficaciter est absolutus compede calamitatis *r*. Nec multò pòst ad monasterium veniens, singula, prout patrata erant, patefecit, vota sua largissimè solvit, multosque suæ alacritatis complices efficiens, cum gratiosa sospitate ad propria remeavit.

q

r

Monasterium Gandense exustum restauratur.

11 His & similibus beneficiis eximii Patris in inmensum crevit opinio, & loco, in quo requiescit, totius profectus augmentatio. Nam ejusdem ecclesia ex studiis & oblationibus fidelium variis est redituum speciebus tam ornatûs quàm sustentationis gratiâ redimita; plumbo quoque sumptuoso conamine cooperta. Sed ô! Nihil in humanis rebus sic salva integritate continuum, ut non aliqua parte hebetetur infortuniorum. Nam hæc omnia, quæ prædiximus, exterioris abundantiæ commoda unius luminaris incautè tractati consumpsit negligentia. Emissâ namque flammâ per contiguos velorum tractus, quippe quæ solempnis obtentu festivitatis erant expansa, favillatenus intùs & extrà cuncta sunt depasta. Verùm iterum, Deo miserante, & collaborante sudore fidelium, ad pristini vigoris sunt adintegrata statum *s*. Sicque mansit diuturni spatio temporis usque ad tempestatem Northmannicæ infestationis.

C

s

Barbarorum metu reliquiæ S. Bavonis aliò transferuntur.

12 Cujus immanitas adeo instar turbinis excrevit, ut pœnè totius partes Occidentis rapinis, incendiis cædibusque consumpserit *t*. Præfati verò incolæ loci hujus tam calamitosæ vastationis irruptionem metuentes, inclyta sanctissimi Patris membra tuto in loco custodienda deposuerunt. Deinde etiam insanias Danorum, qui

t

supervenire parabant, metuentes, ipsius Sancti Dei reliquias cum aliis plurimorum Sanctorum Laudunensium ad opinatissimum & * montem regium inibi servanda * transtulerunt. Thesaurum quoque cum vario sancti loci ornamento secum delitescendo asportaverunt: quidam etiam propter locum venerabilem servandum substiterunt *u*.

A. ANONYMO * & *abundat* * servandas

u

Caroli regis munificentia in monasterium Gandense;

13 His etiam diebus Karolus rex, qui Ludovico Pio imperatori successerat, antequam Romanum imperium per benedictionem Joannis Papæ susciperet, sancto Bavoni & fratribus ibidem morantibus ecclesiam Fasleiam dictam & medietatem ad eandem pertinentium vinearum *x*, insuper & villas duas Coloniam *y* & Nielam summa devotione visus est condonâsse *z*, & quoniam populi, qui tunc videbantur Christiani, peccatis, ut credimus, subripientibus * Deum in multis offenderant, traditi sunt barbaris & iniquis graviter feriendi paganis, sicut in Chronica post Bedam *aa* scriptum hoc modo est.

x

y

z

* *an* subrepentibus?

aa

hoc incenditur à Northmannis longè,

14 "Anno ab Incarnatione Domini nostri octingentesimo quinquagesimo primo piratæ „Danorum cum ducentis quadraginta duabus „navibus Fresiam *bb* & Batavos populantur. Sed „& usque ad monasterium sancti Petri & sancti „Bavonis, quod Gandavum dicitur, debac„chantes, idem monasterium incendunt. Ve„nientesque urbem Rotomum *cc*, usque ad Belva„cum *dd* pedestri gradu perveniunt *ee*.„Item post pauca: "Post obitum, inquit, Ludovici piissimi „augusti excidiosa inter Francos orta dissensio est *ff*. „His denique inter se discordantibus, Northman„ni ultra mare positi, audientes discordiam, na„vali evectione cum infinita multitudine mare „transito, Taruennam *gg* urbem Morinorum *hh* „mense Julio igne & gladio vastaverunt, omnem„que terram Menapiorum *ii* perambulando ferro „& igne vastant *kk*.

bb

E

cc

dd *ee*

ff

gg *hh*

ii

kk

latèque ferro & igne

15 „Post hæc Scaldim fluvium intrant & o„mnem terram Bracbantisiorum incendio & ferro „delent.„Itemque: "Sed Northmanni incendiis & „devastationibus inhiantes, sanguinemque huma„num sitientes, ad interitum & perditionem re„gni mense Novembrio in Gandavo monasterio „sedem sibi ad hiemandum statuunt anno ab In„carnatione Domini octingentesimo octogesimo. „Tunc quoque Tornacum civitatem & omnia „monasteria supra Scaldim ferro & igne deva„stant, interfectis accolis terræ atque captivatis *ll*. Sed qui hoc plenius nôsse desiderat, librum ipsum, de quo suprà diximus, legat *mm*. Nos propter auctoritatis testimonia ista pauca posuimus; longum enim est universa mala commemorare.

ll

F

mm

grassantibus,

16 Igitur clàm post multam humani generis interfectionem Gandavum redière, suisque ibi reparatis navibus, terrâ marique iter facientes, Mosam ingressi sunt, & famosissimum Aquisgrani palatium igne cremaverunt, & monasteria, civitates Treviris nobilissimam & Coloniam Agrippinam cum habitatoribus interfectis igne cremaverunt *nn*. Verùm his interim inlætabilibus tali proventu posthabitis, qualiter denuo locum, ab initio sancto suo servitio delegatum, superna respexit dignatio, succingimur enodare.

nn

quorum metu cessante, tandem Transmare

17 Igitur post Northmannicæ infestationis repausationem optabili quandoque regione tranquillitatis quiete composita, metuentes aliquorsum alicujus incursionis inquietudinem, hi videlicet, qui Lugduno *oo* transfugerant cum sanctis reli-

oo

A. ANONYMO reliquiis & monaſteriali ſuppellectili, utpote in extraneis conſtituti, Gandavum quantocius, ſublatis ſecum ſancti Patris pignoribus, maturabant reverti. Et quòniam eotenus, ut totus circumjacens pagus, ita & Gandenſis cœnobii locus penè videbatur ſimilior deſerto vacuatus cultoribus, in novo ædificatâ caſtello eccleſiâ, *pp* illò ea introduxerunt cuſtodienda *pp*. At verò interdiu, quia ſæpe dictus locus negligebatur cultu totius venerationis, ipſæ murorum reliquiæ, quæ ſupererant combuſtioni, ſuccreſcentibus tribulis & denſis operiebantur vepribus: manſitque inibi tam miſerabilis exhauſtio deſolationis, uſquequo defluente cum curriculis temporum ſtatu multorum, ſucceſſit poſt nonnullos Novi- *qq* omagenſi ſedi Traſmarus epiſcopus *qq*; quique, quoniam erat ſanctorum locorum cultor Chriſtianæque religionis avidiſſimus informator, venerabilem locum (ſuæ quippe diœceſeos extiterat) ex intimo indoluit priſtini vigoris auctoritate denudatum, inſtituitque omnimodis inſtaurandum.

adhortante, aliiſque allaborantibus, reſtaurari incipit, *rr*

18 Et quia diuturna deſolatio plurimo eguit ſupplemento, mandavit litteris, ut in ſcriptis ejus reperimus, ſuper hoc negotio Arnulfo Marchiſo *rr*, ad quem idem locus ex regio pertinebat beneficio, ſe ſcilicet ſcalam velle erigere, per quam uterque levi volatu cælum poſſet conſcendere. Quid multa? his litteris frequentibuſque collationum exhortationibus ad ea, quæ voluit, benevolentiam marchiſi inflexit; cœpitque idem locus tam utrorumque adjutorio, quámque aliorum fidelium collaboratu ad priſtinum redintegrari. Et hæc omnia divino indicio definita, ſucciduiſque temporibus ita eventura tam evidentibus viſionibus, quámque angelicis ſunt prædicata manifeſtationibus: quæ ne intacta præteriiſſe videamur, pauca colligentes è pluribus, moderata brevitate utcumque hîc inſerere dignum duximus.

inque illud, miraculis

19 Paucis ergo, ut præmiſimus, poſt Northmannicam incurſionem ſenex quidam ſimplicis vitæ haud procul à ſancto loco habitavit; & quia piſcatoriæ artis erat, nocte quadam excitus ſomno, ut miſſa levaret retia, ibat. Ante locum oratorii tunc penè dirutum ut venit; tres viros in veſtibus albis decontra adſtantes reperit, attonituſque novitate viſionis, paulò pòſt reſumpta ſpe, quia eos quaſi invicem ſermocinantes vidit, fixo greſſu, ad ea, quæ loquebantur, aurem accommodat. Tunc eorum unus: Heu, inquit, quàm grave Dei noſtri diſpendium ſervitii, quòd hic locus, olim ſibi famulantibus aptus, nunc tam miſerabiliter ſqualet incultus! Ad hæc alter, qui & auctoritate & habitûs ſplendore ceteris videbatur præſtare: Facillimè, ait, illum divina reparabit dignatio; cùm ſincera fidelium faverit deprecatio. Et adjecit: Quamvis hoc paulò ſit futurum tardiùs, tamen digniſſimè reſtaurabitur iſte locus. Et ut de reliquis fias certior, omnis illi priſtini decoris redintegrabitur honor. Dixit & ſummiſſis pariter vultibus tres, qui videbantur, viventem in ſæcula adoraverunt, & nuſquam comparuerunt. Is autem, cui hæc videre data ſunt, à cujuſque ore decerpta ſunt, talis erat religionis, tantæque ſeveritatis, ut cuilibet fideli facilè de his non detur dubitari.

nonnullis diebus,

20 Sub eodem ferè tempore alius in inſula Britannica habitabat ſenex, ſed nimia invalitudine ad extrema perductus. Huic quidam per viſionem claro ſub habitu aſtitit, & ſi priſtinam recipere ſoſpitatem vellet, ad Gandavum, quondam firmiſſimum caſtrum, iret, & in reſtaurando, ammonuit, ut pro poſſe laboraret. Votum ut fecit, convaluit, mare ſine mora tranſivit, & ad locum ut pervenit, quamdiu ſupervixit, devotus reparator extitit. D

jam perfectum

21 Et ut percurramus cœpta, cùm ſacer locus tantis talibuſque indies augmentationis efferretur auſpiciis, ut quivis facilè poſſet advertere omnipotentiſſima illum dignatione Dei illuſtrari, præcaventes quique tam monachorum, quámque clericorum devoti, tantillitatem anguſtioris oratorii tanti Patris non congruere dignitati, illuc ejus ſacroſanctas reliquias ſtatuerunt transferendas; diſpoſitiſque, quæ ad opus erant, id eſt * pridie Kalendas Octobris, quo ejuſdem depoſitionis ſancta celebratur vigilia, deliberaverunt efficere *ſſ*. Huic negotio intererat, & magna pars extiterat Gerardus abbas *tt*. Sed quoniam falſi rumoris vulgaverat opinio, quaſi iſdem erga Sancti pignora aliqua intendiſſet fraudis molimina, inter iter agendum poſito in contiguo eidem monaſterio campo ſancto feretro, ad propellendam ſiniſtri rumoris infamiam, ſublato pallio, cunctis, qui aderant, ſigilla antiquâ manu infixa monſtravit integerrima. ** fortè* idem *ſſ tt*

reliquiæ S. Bavonis denuò tranſferuntur.

22 Quantum ibi lætitiæ, quantæ pii cordis amore profuſæ ſunt lacrymæ, ex ſeſe quilibet valet conjicere. Quis unquam ſanum ſapiens non gaudio & dulcedinis animum expleret affectu, cernens ſpecialis totius provinciæ Patroni membra, devia peccantium incolarum meritis exiliata, placato demum Deo, propriæ ædis reviſere ſepta? Illata itaque nuper reædificatæ eccleſiæ celebri ſunt, quo hodieque cernuntur, ſublimata repoſitorio, proſequentibus cunctis laudes in honore majeſtatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Et ut conſtaret cunctis, quàm placitum id Deo conſiſteret, effecêre ſubſequentia miraculorum inſignia. Quæ etiam quia nefas eſt præteriſſe, proprioque noſcuntur indigere epilogo, determinato iſtius libelli tenore, ſequenti commodiùs titulentur exordio. E

ANNOTATA.

a *Machab.* 2 ℣. 19. Verùm non propter locum, gentem; ſed propter gentem, locum Deus elegit.

b *Guicciardinus ſub initium Deſcriptionis Belgii duas eſſe aſſerit in uſu apud Belgas leucarum ſpecies præcipuas, alteram majorum, alteram minorum leucarum; quarum hæc duo, illa verò tria milliaria Italica complectatur; quapropter ſi hîc per* milliaria ſex, *quibus Ganda Septemtrionalem plagam verſus à littore maritimo abeſſe dicitur, non milliaria Italica, ut certè fieri non poteſt, ſed leucæ Belgicæ, eæque minores intelligantur, duodecim milliariorum Italicorum Gandavi à littore maritimo ſcriptor noſter facit diſtantiam, quæ eum diſtantia, quam Gandavum inter & oſtium ſive aggerem Gandenſem, vulgò* 't Sas van Gend, *quod eſt littus maritimum Gandavo maximè vicinum, Baudrandus ex Marchantio, aliique ſtatuunt, apprimè congruit, ſi nempe leucæ quatuor, quibus hi illam determiñant, pro leucis majoribus Belgicis accipiantur.* F

c *Scaldi ſcilicet & Lisâ, inter quos duos amnes tantùm, ut apud Gramayum in Antiquitatibus Flandriæ tractatu de Gandavo cap.* 12 *videre licet, Gandenſes habitabant ſeculo* 10, *quo auctor hujus Opuſculi de miraculis* S. Bavonis, *ut*

A *ut ex Commentarii prævii num.* 18 *&* 19 *facile eſt colligere, veroſimillimè floruit.*

d *Cùm admodum obſcurum ſit, imò fortè nulla ratione certò definiri queat, cui regi aut principi caſtri Gandenſis conſtructio adſcribenda ſit, id hîc non diſquiremus, quod nec in Annotatis poſt partem* 1 *Vitæ tertiæ ad litteras* g, i *&* k *diſquiſivimus, quamquam non minùs ibidem, quàm hîc, ſubjecta materia diſquiſitioni hujuſmodi foret opportuna. Videat interim curioſus lector, quæ ibidem ad citatas litteras annotavimus.*

e *Sanè non dubito, quin ætate hujus ſcriptoris varia fuerint Gandæ ſub ædificiorum ruinis inventa antiquitatis monumenta, ſed an hinc eſt conſequens, caſtrum Gandenſe ab iis fuiſſe conditum, quos hæc monumenta ſpectabant? Certè Sanderus lib.* 1 *Rerum Gandavenſium cap.* 3 *ex numiſmatis, aliiſque antiquitatis Romanæ monumentis prope Gandavum, etiam ætate ſua effoſſis, tantummodò concludit, Romanos in caſtro Gandenſi per aliquot ſecula fuiſſe dominatos. En ejus verba:* In hoc autem loco (*caſtro Gandenſi*) per aliquot ſæcula dominatos fuiſſe Romanos, vel ex eo conſtat, quòd in hunc uſque diem
B ager Gandavo vicinus varia Cæſarum, uti Neronis, Gordiani, Traiani ac aliorum uſque ad Conſtantinum, numiſmata aliaque Romanæ potentiæ monumenta effodiat.

f *His conſonat Vita S. Amandi ad* 6 *Februarii apud nos edita, quam Baudemundus ejus diſcipulus conſcripſit, quæque cap.* 3 *ſic habet:* Cujus loci (*Gandavi*) habitatores antiquitas diaboli eò circumquaque laqueis vehementer irretivit, ut incolæ terræ illius, relicto Deo, arbores & ligna pro Deo colerent, atque fana vel idola adorarent. Propter ferocitatem enim gentis illius, vel ob terræ infœcunditatem, omnes ſacerdotes à prædicatione loci illius ſe ſubtraxerant, & nemo audebat in eodem loco verbum annuntiare Domini. *Nonnullis deinde interpoſitis, hæc, quæ gentis illius tunc temporis ſævitiam atque barbariem magis arguunt, proximè ſequuntur:* Vix enim quis dignè enarrare ſufficiet, quantas ibidem (*Gandavi Amandus*) pro Chriſti nomine perpeſſus ſit injurias, & quàm frequenter ab incolis loci illius cæſus ſit nec non & à mulieribus vel à ruſticis non abſque injuria ſit repulſus,
C verùm etiam & in flumen ſæpe præcipitatus. *Videſis etiam Commentarium prævium num.* 112.

g *Illius ſcilicet nominis primi, qui anno Chriſti* 622 *rex Auſtraſiæ creatus, anno Chriſti* 638, *ut nunc inter recentiores ſatis convenit, Clotario II patri ſuo in regnum Neuſtriæ & Burgundiæ ſucceſſit, factuſque eſt Francorum monarcha; ſub eo quippe, à quo etiam, teſte Baudemundo ad litteram præcedentem laudato, in exſilium pulſus fuit, S. Amandus floruit.*

h *Certum id quidem eſt ex num.* 8 *primævæ Vitæ* S. Bavonis *jam traditæ, non tamen ad amuſſim conſonat Vita S. Amandi à laudato Baudemundo conſcripta, quia is verbis ultimo loco ad litteram* f *recitatis ad propoſitum præſens dumtaxat ſubjungit:* Quæ omnia vir ſanctus (*Amandus*) pro nihilo deputans, verbum Domini non deſtitit monêre, memorans illam ſancti evangelii ſententiam, quæ ait: Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Comites etiam illius, qui eum fuerant germana caritate ſecuti, ob inediam vel ſterilitatem loci ad propria remeantes, eum ibidem ſolum reliquerunt. Ipſe verò in prædicationis permanens officio, alimentum propriis acquirebat manibus. Sanè captivos innumeros redimens, ſacro baptiſmate emundabat, & ut in operibus bonis perſiſterent, fideliter hortabatur. A. ANONYMO

i *Id eſt, originalis prævaricationis ſive peccati, quod hîc verbo Latinis inuſitato* tractuale *dicitur, utpote quod à protoparente noſtro Adamo contraximus.*

k *De Hasbanienſi pago videſis Commentarium prævium num.* 30.

l *Concordant hæc cum iis, quæ in primigenia* S. Bavonis *Vita jam tradita, num.* 8 *narrantur.*

m *An ex his verbis ſequatur,* S. Bavonem *factum eſſe monachum, diſcuſſum eſt in Commentario prævio num.* 129 *&* ſeqq.

n *Vita nempe primigenia Sancti noſtri, ab auctore anonymo conſcripta, aut certè hæc ab altero anonymo verſibus reddita, quam etiam jam dedimus; neque enim huic ſcriptori, utpote qui ex Commentarii prævii num.* 18 *&* 19 *ſeculo* x *floruiſſe colligitur, præluxiſſe potuit lucubratio Theodorici abbatis Trudonopolitani, qui juxta Commentarii prævii num.* 14 *Vitam* S. Bavonis *litteris dumtaxat conſignavit, ſeculo* XI *exeunte.* E

o *Ex his verbis & ex periodo ultima num.* 5 *libri hujus concluditur in Commentario prævio ad num.* 106 *&* 107, *civitatem Gandenſem* S. Bavoni *amplitudinem ſuam poſſe adſcribere.*

p *Ex adjunctis liquet hîc agi de miraculo, ſi tamen miraculum id vocitandum ſit, diu ante ætatem auctoris patrato.*

q *Ante Normannorum ſcilicet in Flandriam aliaſque vicinas regiones irruptionem.*

r *Fides quidem & ſimplicitas hominis efficere potuit, ut furtum non malo animo factum Sancto fuerit non ingratum, ſed an propterea* Bavoni, *etſi id non impedierit, ſubſecuta proſpera negotiatoris fortuna ſingularis beneficii nomine prodigiosè collati certò debet adſcribi?*

ſ *De hoc eccleſiæ* S. Bavonis, *imò totius cum eccleſia cœnobii incendio, ejuſdemque deinde facta reſtauratione, vide Gloriam poſthumam num.* 14 *&* 15.

t *Quanta fuerit infeſtationis hujus Normannorum immanitas, quámque longè latéque illi per Occidentales præcipuè Galliarum provincias,* F *aliaſque Europæ regiones ferro & igne graſſati ſint, curioſus lector inveniet in Chronico de Geſtis Normannorum in Francia à Cheſnio tom.* 2 *Scriptorum Hiſtoriæ Francorum pag.* 524 *edito, & à pag. prima præſertim uſque ad* 37 *Scriptorum antiquorum Hiſtoriæ Normannorum, quos idem Cheſnius tomo ſeparato vulgavit.*

u *Omnia, quæ hoc numero de tranſlatis metu Normannorum* S. Bavonis *reliquiis, adjunctiſque ad tranſlationem illam pertinentibus narrantur, in Gloria poſthuma num.* 23 *&* ſeqq. *fusè, dilucidéque, adjectâ etiam temporum notâ, exponuntur.*

x *Diploma Caroli Calvi Francorum regis, anno* 864 *in favorem monaſterii Gandenſis* S. Bavonis *conceſſum, ex Miræo, qui primus illud tom.* 1 *Diplomatum capite* 19 *typis vulgavit, num.* 41 *&* 42 *Gloriæ poſthumæ jam etiam dedimus, ſed pro villarum ſeu prædiorum nominibus, quorum poſſeſſio monaſterio* S. Bavonis *laudato diplomate confirmatur, ad eumdem Miræum remiſimus: apud hunc itaque inter villas ſeu prædia, quæ* S. Bavoni *confirmantur,* Faſleia, *de qua hîc Miraculorum* S. Bavonis *ſcriptor, in dicto* di-

A. ANONYMO.

diplomate ſic recenſetur : In pago quoque , *id eſt , agro ſeu territorio* , Sueſſonico , in villa VAESLEY , medietatem vinearum , & eccleſia , quæ ibi noſcitur eſſe ſita ; *Miræus in annotatis addit :* VAESLEI , fortè Walez prope Sueſſionenſem urbem , *ſed alii pagi , interque eos* Valleany & Velly *non procul ab urbe Sueſſionenſi viciſſim diſſiti occurrunt , qui , ſi non magis , ſaltem æquè propè nominis affinitate ad* Vaeſley *ſeu* Faſleiam *accedunt ; utut ſit , ex memorato diplomate ſaltem innoteſcit* Vaeſley *ſeu* Faſleiam *in territorio ſeu agro Sueſſionenſi ſitam fuiſſe.*

y *Hæc villa , ſeu pagus , in citato ad litteram præcedentem Caroli Calvi diplomate territorio Cameracenſi adſcribitur , ſed in tabulis geographicis territorii Cameracenſis , nec nomen* Coloniæ , *nec huic affine reperire potui.*

z *Hæc villa , ſeu pagus , non nominatur in citato ſæpe diplomate Caroli Calvi , qui veroſimiliter , etiam hîc Faſleiam & Coloniam monaſterio* S. Bavonis *condonâſſe , perperam aſſeritur , cùm Carolus Calvus bona illa de novo non donârit , ſed eorumdem dumtaxat poſſeſſionem monaſterio Gandenſi in perpetuum memorato diplomate , uti illud inſpicienti*
B *patebit , confirmârit.*

aa *De Chronica à quodam Bedæ continuatore conſcripta , hîc ſermo eſt : vide Gloriam poſthumam num.* 25.

bb *Per* Freſiam *ſeu* Friſiam *hîc fortè ex parte etiam intelligitur illa Flandriæ pars , quæ hodie fœderatis Belgii Ordinibus paret , quæque olim cum Ganda ſive territorio Gandenſi Friſiæ maritimæ nomen habuit. Vide Sanderum lib.* 1 *Rerum Gandenſium cap.* IV.

cc *Rotomagus ſive Rothomagus urbs Galliæ , ad Sequanam fluvium cum portu , Normanniæ provinciæ caput.*

dd *Duæ ſunt in Gallia hujus nominis urbes , altera in Occitania ſuperiori , altera in provincia Inſulæ Franciæ ; de hac ultima , quæ Rothomago in Occidentem* 16 *tantùm leucis diſtat , haud dubiè hîc ſermo eſt.*

ee *Ea , quæ hoc numero huc uſque narrantur , confirmata vide in Gloria poſthuma num.* 25.

ff *Nithardus , qui juſſu Caroli Calvi Francorum regis , hiſtoriam anni* 840 , *quò vitâ functus eſt Ludovicus Pius , & duorum inſequentium , ut ipſemet in ſua præfatione teſtatur , litteris conſig-*
C *gnavit , totam diſſenſionis hujus cauſam lib.* 2 *conjicit in Lotharii imperatoris ambitionem , qui totam patris ſui Ludovici Pii defuncti hæreditatem ad ſe pertrahere , fratreſque ſuos Ludovicum & Carolum ſibi ſubjicere , quà vi , quà fraude contendebat.*

gg *Urbs quondam extitit in comitatu Arteſiæ , ſed expugnata à Carolo V imperatore , ſoloque æquata , reædificata deinde numquam fuit.*

hh *Populi , quorum civitas primaria erat Teruanna mox memorata , quique eum ex parte terrarum tractum incolebant , qui modò diœceſim Bolonienſem in Picardia , Audomarenſem in Arteſia & Iprenſem in Flandria complectitur.*

ii *Populi , qui Cæſaris ævo utramque Rheni ripam incoluerunt , deinde verò ſedibus inter Moſam & Scaldim tranſlatis , partem Flandriæ Orientalem , ut Ortelius cenſet , veroſimillimè etiam habitârunt. Vide Cellarium lib.* 2 *Geographiæ antiquæ pag.* 228 *& ſeqq. Ex iis porrò , quæ Sanderus tom.* 1 *Flandriæ illuſtratæ pag.* 4 *ſcribit , videntur etiam Menapii , trajecto Scaldi , eam Flandriæ partem , ubi nunc Waſiana ditio eſt , ſcriptoris noſtri ævo dinque antè inhabitâſſe ,* D *fineſque ſuos uſque ad Morinos extendiſſe.*

kk *Scriptor , noſter ſeu potiùs continuator ille Bedæ , quem is deſcribit , hîc in narrando rerum geſtarum ordinem ſervare non videtur : etenim hac ultima periodo Normannorum in Morinorum Menapiorumque terram irruptionem , quæ non diu , ut narrandi modus innuit , poſt mortem Ludovici Pii imperatoris anno* 840 *defuncti accidit , alteri eorumdem Normannorum in Friſiam Bataviamque irruptioni ſubjungit , quæ , ut ipſemet ſcribit , anno tantùm* 851 *contigit.*

ll *Videſis Gloriam poſthumam num.* 45.

mm *Chronicum ſcilicet poſt Bedam , ſive lucubrationem , quam veluti Bedæ continuationem num.* 13 *ſub finem laudat.*

nn *Eadem ferè omnia in Chronico de Normannorum geſtis ad annum* 881 *&* 882 *apud Cheſnium tom.* 2 *Scriptorum Hiſtoriæ Francorum curioſus lector inveniet , uti etiam in nonnullis aliis Opuſculis de geſtis Normannorum , quæ eorumdem Hiſtoriæ à ſe editæ laudatus Cheſnius inſeruit.*

oo *Id eſt ,* Lugdunum , Clavatum *ſcilicet , ſive* Laudunum. *Videſis Gloriam poſthumam num.* 27. E

pp *Expoſita hæc ſunt num.* 53 *& duobus ſequentibus Gloriæ poſthumæ.*

qq *Epocham Noviomenſium ac Tornacenſium epiſcopatûs à Tranſmaro initi videſis in Gloria poſthuma num.* 48.

rr *Quo ſenſu Arnulphus , Flandriæ comes , hîc* marchiſus *appelletur , aperit num.* 50 *Gloriæ poſthumæ.*

ſſ *Videſis Gloriam poſthumam num.* 56 , 57 *&* 58.

tt *Cellenſis nempe , cœnobii Bronienſis in comitatu Namurcenſi conditor , cujus Acta ad diem ſequentem illuſtrabimus.*

LIBER II.

Varia Miracula à S. Bavone ſeculo decimo patrata. F

Reliquiis S. Bavonis in novo caſtello quieſcentibus ,

MIra Dei cunctipotentis opera , quibus dilectiſſimi ſui athletæ Bavonis dignatus eſt mundo innoteſcere merita , multorum revera profectui accommoda , ſtlli quoquo modo cupientes ſignare officio , non fore remur ab re , ſi priuſquam ea , quæ in loco , quo nunc requieſcit , moderno tempore ſunt exhibita , magnificum quoddam , ac proinde ſui novitate proficuum , antequam eò loci ejus transferrentur reliquiæ , in novo caſtello manifeſtatum , memoriæ commendemus miraculum *a*.

a coriarius in Sanctum irreverens

24 In territorio memorati caſtri erant commorantes laïci , qui ex officio agnominabantur coriarii. Horum unus cupiditate quæſtûs ſabbato ultra morem chriſtianæ religionis *b* illectus , operi ceteris inſtabat diutiùs. Sed hunc collega redarguens : Cur , inquit , non das honorem Deo ſanctoque Bavoni in proximo quieſcenti ? Quis ſit , ait , ſanctus Bavo , non ignoro ; verùm , hoc ut defuerit mihi , quid præſtabit ? Infanda necdum finivit verba , & , viſu mirabile !

b

con-

A contractus toto corpore ruit. Fit concurſus civium, eumdemque velut informe deferunt monſtrum, ſancti Patris invocantes auxilium. Aliquantulùm ſimillimus mortuo jacuit, & intuentibus turbis ſanus ſurrexit.

ſecundò ac tertiò divinitus punitur,

25 Sed ô nihil umquam tutum apud inimicum! Qui miſer, ut convaluit, hoc ſe injuſtè paſſum dixit. Iterumque luendo pœnam, rotatur, ut globus, per terram. Nam complicatis brachiis, inter coxalia genua hærebat malis, retróque curvatis cruribus, calcaneo tenus pedes fixi erant natibus &, quod viſu dolor fuit, nihil hominis præter animam habuit. Itaque ejus miſeriæ ſuccenſentes qui aderant ſui, æternaliter ipſum ſervitio deputabant Sancti. Ecce autem crura & brachia contracti cœperunt divelli & denuo coram cunctis ſurrexit ſanus. Cúmque vellet abire, comperit, ſe potiùs Sancto perpetualiter deſervire. Deſpexit, & ſe acturum, abnegavit. Mirabile dictu! Tertiò torquendus humi eſt advolutus. Adſtantes verò uſque ſolis obitum tali ſpectabili miraculo fatigati, ad ſua ſunt quique regreſſi. Reſpectu clementiſſimi Patris tertiò perfectiſſimè ſanatus, præcedentes ſumma cum

B alacritate eſt proſecutus.

iiſque in monaſterium reædificatum tranſlatis,

26 Hujus itaque merito beneficii cœpit eximii Patris non ſolùm apud finitimos, verùm latè terrarum orbe honor & reverentia haberi, quique antea abutebatur * contemptui, quovis gentium, ad quos ejus fama potuit efferri, amando timeri. Grata quippe omnipotentis Dei clementia, ut cœpit, Sanctum ſuum multipliciter indies mirificavit. Nam quantis qualibuſque poſteaquam ad locum ſupernè ſibi deſtinatum ejus tranſlatæ ſunt reliquiæ, ſignis effulſerit, ſubjecti ſermonis veritate conſtabit.

* habebatur

carceri alter incluſus, invocato Sancto, liberatur.

27 Sæcularis quidam non longè à ſancto loco deguit *, potens quidem poſſeſſionibus, ſed poſſeſſa procurare minùs idoneus. Huic bona ſua furtim contigit deperire. Perquirens itaque furti reum, juvenem deprehendit innoxium: cui cruciatus inferens culpæ, tandem carcerali deputavit cuſtodiæ. Et quoniam juris erat Sancti *c*, indeſinenter ſolamen exorabat ſalvationis. Nec omiſit Sanctus, quin ſalvaretur innoxius. Sub ipſa quidem nocte animadvertit, obſtacula carceris ſibi cedere, ſed catenatum non poſſe abire. Tandem ſibi conſulens, fugâ uſus, utcumque pedetentim oratorium adiit catenatus; preces fudit & de pedibus catena cecidit: lætus ſurrexit, & pro ereptione munia gratiarum rependit.

* degit

c

C

Oblatio expretio venditi adoleſcentis prodigiosè reſpuitur.

28 Adoleſcens quidam familiæ ſancti Confeſſoris *d* tempore coactus, à quodam ſua ſponte eſt venditus, ut poſſet habere neceſſaria victûs. Ut autem venditor rediens, ſummæ reverentiæ ad locum devenit, oratum intravit: ad ſepulchrum acceſſit, nummum illius venditionis deponere voluit. Sed mirum commemoratu! Nec nummum deponere, nec digitos valuit extendere. Stabat itaque cum oblatione attonitus, admiratus rei novitatem. Ad mentem ut rediit, ſibi conſcius venditionem expavit: in partem feceſſit, nummum officioſo ſudamine quæſitum protulit, ſicque denuo ad altare venit, manum ut diſpoſuit, redintegrare promeruit.

d

Hydropiſi laborans ſanatur.

29 Inſula eſt maritima, cui nomen Walachra *e*: in hac quædam matrona, ſuprà nominati ſancti Bavonis ex familia, hydropis morbo vehementer eſt afflicta, adeo ut, diſtento crurum tenus ſinu, morboſo vix ſpiraret anhelitu. Cúmque lecto decubans, operiret exitum, cælitus inſpirata, Patronique ſui ſaluberrimè rememorata, ſe Gandavum duci feſtino præcepit acceleratu, & in ipſa ſolemnia Sancti devenit. Aliquamdiu reſtitit, & ſine ſua læſione ſub ventriculo foramen reperit, ex quo totius morbi ſanies guttatim decucurrit. Hæc ipſa priùs quidem ſterilis, recepta autem ſanitate, fœcundatur filiis.

A. ANONYMO.

e

Feſtum S. Bavonis non celebrans punitur.

30 Cum eiſdem inſulanis habitavit ancilla ſancti Landeberti martyris *f*. Hæc mandatum accepit, ut ſolemnia ſancti Patris feſtiva ſanctè procuraret. Quod irritum ducens, hortum cominus ſitum intrabat; herbas quaſdam impune colligere putabat. Aneti itaque quiddam ut contigit, manui adhæſit. Rumore itaque facti multitudo mirantium adfuit, cunctiſque ſtupentibus mirabile viſu extitit, non ſolùm illatam martyris vindictam, immò cunctis deinceps non celebrantibus feſtum timendam. Quia verò opinatiſſima ſancti Bavonis depoſitio inſtabat, eò loci cum cæteris ire maturabat. Venit quidem & in prima noctis vigilia digiti volæ infixi cœperunt erumpere, & ſeſe contracti nervi extendere: itaque præ gaudio pſallentium choros interrupit, Deo gratias egit, cava etiam ungularum loca mirantibus intuenda præmonſtravit & ſana receſſit.

f

E

Cæca viſum recipit.

31 Quædam cæca, manibus ſuorum adducta, in ipſa tantæ venerationis devenit ſolemnia. Cúmque ob frequentiam confluentium ſibi comperiſſet inacceſſibile Sancti repoſitorium, apud pedes in cryptam ire perrexit oratum. Orationi incubuit, & ſomno, ut fit, depreſſa obdormivit, ſanctumque Bavonem ſibi adſiſtere agnovit. Quo ſomno excita, clarè vidit omnia. Fama facti confluentes aſſcivit, ſibique congratulantibus, ad ſua repedavit.

Languidus viribus priſtinis reſtituitur.

32 Juvenis quidam circa maritimos furto agebat vitam. Hic correptus languore devenit ad extrema vitæ. Conſulens autem ſibi, emendationem ſcelerum devovit Deo ſanctoque Bavoni. Nox ut ſupervenit, eum ſomnus ſubrepſit. Benigni itaque, ut eſt, vultûs ſibi apparuit Sanctus; quem ut agnovit, equidem inhorruit. Ades, inquit, animo & omittens timorem, quæ dico, trade memoriæ. Viſita cœnobium Gandæ, & prout ſpopondiſti, vota perſolve. Surrexit anniſu, quo valuit, Gandavum adiit, vota perfecit & ſanus abſceſſit.

Mutus linguæ uſu,

F

33 Apud urbem Treveris matrona extitit perliberalis. Huic erat novem annorum puerulus, ſed toto intellectuali affamine mutus. Itaque gratiâ medendi deliberavit ferramentum ſectionis adhibere linguæ. Deliberationi conſuluit Sanctus, & ne cruciaretur, admonuit, infantulus. Vota precum præmonuit fieri, ſeque ſuper ſalute gaudendam pueri. Paruit mater edicto & medelam ſenſit in filio.

captivus libertate donatur.

g

34 Quidam ex familia ejuſdem ſancti Confeſſoris *g* ab inſidiis captus, immò facultate ſpoliatus, cuſtodiæ eſt mancipatus. Cúmque frequentaretur à ſuis, erat enim famæ præclaræ nobilitatis, extra regionem eſt exiliatus & in carcere retruſus, ibique multa incommoditatis paſſus. Sed Dei auxilio fretus, ac ſancta fide coopertus, ſpeque evadendi animatus, indeſinenter præſentem ſibi adeſſe popoſcit ſanctum Bavonem. Et ecce intempeſtæ noctis conticinio lux ſibi emicuit nutu divino. Catenæ de collo & compedes de pedibus ſunt ſolutæ. Hinc lætus ſurrexit, & clauſtra carceralia divinitus aperta invenit, ſicque per immenſa viarum ſpatia, pervenit ad propria.

A. ANONYMO *Varii in S. Bavonem*

35 Gens eſt Freſionum tam lata quàm valida, licèt fide permodica; inter quas hereditariam ſanctus Bavo poſſederat terram, uſui fratrum, ſcilicet veſtiariis, neceſſariam: quam quidam Freſo *h*, utpote infidelis naturæ homo, invaſerat, ſibique injuſtè quamdam partem uſurpaverat. Cúmque à procuratore commoneretur, ne vim inferret Sancto, publicitus non impune defendit ſacramento: ſed mox ut dejeravit, mortem obiit. Dominus autem, ut Dilecti ſui manifeſtaret ſanctitatem, etiam in corpore mortuo oſtendit vindictam, quod, juxta morem tumulatum, viſum eſt multimodo ebullire vermium. Hanc itaque vindictam ſui perhorrentes, Sancto accelerant votum, reſtituentes injuſtè dejeratum. Et ut peregerunt, vermes non comparuerunt.

injurii

36 Alius etiam ejuſdem ſtirpis infidelitatis Freſo partem, alendis gregibus aptam, ipſius fundi ſibi tenuit in beneficio. Aliquamdiu cenſum præſtantiſſimè ſolvit: ſed oblivionis incuria ſurripiente, debitum duxit neglectum. Hoc procurator Sancti ut agnovit, eumdem caſtigatiùs admonuit: Nec clam te eſt, ait, & hanc partem fundi juris eſſe Sancti *i*. Sed ſi tibi hæ res cordi ſunt ævo intermino poſſidere, ut pridem, debita ſolve. Cujus monita annullavit *k*, & orſus infanda, reſpondit: Ego, inquiens, objecta lege judiciaria revincam & mihi poſteriſque meis hanc hæreditariam æternaliter faciam. Sic miſer loquebatur & terram pede proturbans, hoc blaſphemum eructavit: Hujus, inquiens, terræ partem tantùm habebit ſanctus Bavo. Quod ut exſibilavit, falcem fenoream colle excutiens, & dextram porrectam humo infigere volens (ſiquidem jam florulenta prata ſecabat) quod dictu dolor eſt, manu ſua ſibi caput amputavit.

morte

37 In confinio Gandenſi pratum ejuſdem Sancti alius uſurpavit ſibi. Hoc cum ſuis ſecare animoſus intravit, præmonens pauxillum obſonii ſibi deferri. Interque obſonia allata ſunt & ova: unum ut præſumpſit in ejus gutture verſatum, Dei judicio corruit & cum prato vita caruit. Ejuſdem vici perverſus quidam in hæreditate obſtabat Sancto, quam coërcitus quia reddere diſtulit, fluxu ventris exinanitus, etiam inteſtina effudit. Matrona præclaræ nobilitatis, ſed familiæ ſancti Confeſſoris, capitalem cenſum perſolvere erubuit *l*, Gandavum adiit, ac, ſubſtituto pro ſe mancipio, jam quaſi libera receſſit *m*. Simili modo alia opum ſuarum numeroſitate fatigata, famulis ac famulabus ſubrogatis eſt redempta *n*. Nec multo pòſt ob deſpectum multata, ad tantam devenit penuriam, ut oſtiatim ſtipendii peteret alimoniam. Quædam etiam libertatem pretiis aſſecuta ſub breviſſimo ſpatio defungitur vitâ *o*.

vel aliter

38 Mancipium Sancti ſe minùs excoluit, capitalemque cenſum annuatim retinuit *p*. Ultioni addictum diu perduravit cæcum. Itaque conſulens ſibi, retentum reſtituit, & viſum recepit. Perverſus quidam in ipſo portu Gandenſi quosdam familiarum Sancti vanis ſpebus ſibi defendit *q*. Cúmque projectiùs Sanctum Dei verbis adnullaret inſolentioribus, eoſdemque catenis acclamaret innectendos, domi* ſe recepit, largiterque pranſus, dormitum abiit. Ut ſe locavit, ſenſu funditus caruit: cœpit inſoleſcere, ac taurinos mugitus ingeminare. Tandem comprehenſus, arctiſſimè eſt conſtrictus. Sic ergo divino examine, qui ſe alios ligare deliberavit, prior in foveam decidit. Sed à ſuis reductus ad Sanctum, non multo pòſt ſibi ſenſit propiciatum.

** al. domum*

39 Tres itidem germani in ipſo portu cuidam ſancti Confeſſoris feminæ *r* auſu improbo vim intulêre. Itaque ſecum abducunt, acſi famulam æternaliter poſſeſſuri. Cúmque Schaldim fluvium tranſmeâſſent, unus in flumen decidit, ſicque vitâ deceſſit. Alius ipſo in itinere correptus, abſque dilatione eſt defunctus. Tertius novitate prodigii exterritus, pœnituit & ultionem evaſit. Simili modo tres alii quemdam familiarum *ſ* Sancti hæreditate propria deſtituit. Verùm ille fide plenus Sanctum adiit, ultionem expetiit; domum ut rediit, inſimul morte præreptos reperit defunctos.

prodigiosè

r

ſ

plectuntur.

40 Eques lepuſculum inſequens, conculcabat ſata. Super quo famulus Sancti dolens, Eia, inquit, ſancte Bavo, cur non defendis agrum tuum? Dicto citiùs eques corruit & coxam fregit. Lepuſculus offendens, guttur illiſit. Hæc de miraculis Sancti injuriarum ſuarum vindicantis pauca perſtrinximus, quibus omiſſis, operibus pietatis ſtilum imponemus.

ANNOTATA.

a *Liquet ex hoc præludio à ſcriptore noſtro tantùm referri ea miracula, quæ tranſlationem ſeu relationem corporis* S. Bavonis *poſt exſilium monachorum Gandenſium ſeculo decimo factam, ſubſecuta ſunt. Mabillonius ex eodem præludio, ſed minùs rectè, etiam concludit ſcriptorem noſtrum ſeculo* x *floruiſſe. Vide Commentarium prævium num.* 16, 17, 18 *&* 19.

b *Hinc Mabillonius Seculo ſecundo Benedictino pag.* 411 *in annotatis rectè colligit, quòd tunc temporis religio fuerit, poſt veſperas Dominicam proximè antecedentes labori manuum operam dare.*

c *Id eſt ex familia Sancti; quondam autem ii juris ſeu ex familia alicujus Sancti eſſe dicebantur, qui vel ex propria voluntate, vel ex obligatione generi, à quo oriundi erant, annexa, ſervitio iſtius Sancti ſeu potiùs templi vel monaſterii, quod ab eodem Sancto nominabatur, erant obnoxii, aut ſaltem ad cenſum annuum eidem ſolvendum tenebantur. Apud Martenium tom.* 3 *Anecdot. col.* 1128 *&* 1131 *in triplicem claſſem hujuſcemodi familia diſtinguitur, in miniſterialem ſcilicet, ſervilem & cenſualem. Cenſualis ſolis cenſibus ſolvendis, ſervilis ſervitiis inſuper præſtandis erat obſtricta; quod verò ad miniſterialem attinet, videtur iis, qui ex hac claſſe erant, quique ab eccleſiis vel monaſteriis, ut apparet, ſtipendia merebant, id potiſſimùm præ ceteris oneribus incubuiſſe, ut monaſterii vel eccleſiæ, cujus miniſteriales erant, præpoſito illud præcipiente, ad bellum proficiſci deberent. Vide Cangium in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis ad vocabula* familia, cenſualis, ſervilis & miniſterialis.

d *Vide annotata ad litteram præcedentem.*

e *Seu* Walachria, *inſula comitatûs ſive provinciæ Zelandiæ præcipua, quæ Meridiem verſus Flandriam ſpectat, ab eaque haud procul abeſt.*

f *Servitio ſcilicet hujus ſancti Martyris addicta, ſive ex ejus familia eo ſenſu, quem ad litteram* c *mox expoſui.*

g *Videſis iterum annotata ad litteram* c.

h *Fortè hìc ſermo eſt de Friſone è Friſia maritima, de qua vide Annotata poſt lib.* 1 *ad litt.* cc.

A i *Id eſt, pertinere ad monaſterium vel eccleſiam* S. Bavonis, *utpote vel ab ipſomet Sancto, dum in vivis erat, vel in ejus ſaltem gratiam eidem monaſterio vel eccleſiæ ab alio collatam.*

k *Id eſt, nihili fecit, vel contempſit.*

l *Erat haud dubiè hæc mulier in illa familiæ* S. Bavonis *claſſe, in qua qui erant, cenſum annuum eccleſiæ vel monaſterio ejuſdem Sancti ſolvere tenebantur,* cenſualeſque *Sancti* homines *dicebantur, aut etiam* capitales, *ſi cenſus, quem debebant,* de capite *ſolvendus erat, quod mulieri, de qua hîc, certiſſimè congruit; narratur enim perſolvere erubuiſſe* capitalem cenſum, *ad quem ſolvendum non quidem ex eo tenebatur, quòd ſub conditione cenſus hujuſcemodi pendendi* (præclaræ *enim* nobilitatis *fuiſſe, dicitur*) *manumiſſa aliquando fuiſſet, ſicque è mancipio facta libera; ſed ex eo, quòd vel ſponte* S. Bavonis cenſualem *ſeu* capitalem *ſe conſtituiſſet, id eſt, ad cenſum* S. Bavoni *ſolvendum ſe obligâſſet, vel obligationem illam à parentibus ſuis, licet liberis contraxiſſet. Vide Cangium in Gloſſario ad vocabula* cenſuales *&* capitales homines, *& hîc Annotata ad litteram* c.

m *In alio Ms. additur:* Ipſo autem in itineB re immaniſſimo corripitur languore; humi advoluta defunctæ jacuit ſimillima, revehitur à ſuis, & quod deliquit, ingemiſcendo pœnituit. Quæ donavit ſe ſancto Confeſſori * & reſtituta eſt ſanitati. Donavit ſe ſancto Confeſſori, *id eſt, ad cenſum annuum eccleſiæ vel monaſterio Sancti illius pendendum, ſervitiumve præſtandum ſeſe ipſam, non jam ſui loco mancipium, obſtrinxit.*

n *Id eſt, famulis ac ancillis, qui ipſius loco* S. Bavoni *inſervirent, ſubſtitutis, liberata eſt ab onere ſervitii per ſemet ipſam præſtandi, aut certè cenſus annui ſolvendi.*

o *An omnia, quæ hîc pro pœnis à* S. Bavone, *injurias ſibi illatas ulciſcente, inflictis obtrudantur, vindictâ divinitus immiſsâ re ipsa evenerint, fides ſit penes auctorem.*

p *Erat nempe ex illa familiæ* S. Bavonis *claſſe, in qua qui erant, & ad ſervitium præſtandum, & ad cenſum annuum ſolvendum tenebantur. Vide hîc Annotata ad litteram* c.

q *Id eſt veroſimillimè, quoſdam ex iis, qui ſervitio Sancti erant addicti, ſibi ad famulatum vana ſpe aſſeruit aut uſurpavit.*

r *Id eſt, feminæ ex familia ſancti Confeſſoris eo*
C *ſenſu, quem ad litt.* c *expoſui.*

ſ *Videſis iterum Annotata ad litteram* c.

LIBER III.

Miraculorum S. Bavonis continuatio.

S. Bavo locum, in quo converſus primùm habitavit,

PRoprium creditur Sanctorum, quantò duriùs injuſtè vindicant illata, tantò præſentialiùs præbeant juſtè poſtulata. Nec fas eſt credi, animoſitatem Sanctorum ſic velle iraſci, ut nequeant placari: cùm ex perſona Domini ſcriptum ſit: Quem diligit, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit *a*. Sed correctionis emendationiſque causâ illatas puniunt injurias, ut, quos vident, non poſſe corripi

a

verbis, ſaltem attriti pœnis, reſipiſcant à malis *b*. Verùm quia hactenus ſuperior pagina vindicantis utcumque peroraverat mira, reſtat pietatis, quæ occurrunt memoriæ, retegat opera, primò quæ in loco, qui vocatur Medmedunc *c*, quo primùm dicitur poſt converſionem habitâſſe, exercuit ac piè precantibus miſericorditer indulſit.

A. ANONYMO.

b

c

miraculis illuſtrans.

42 Eſt autem iſdem ſacer locus, ut neſcientibus loquamur, ſecretè manere volentibus habilis, ſilveſtribus pomis ceteriſque frugibus plenus, piſcium copiis abundans, &, ut paucis concludatur, omnibus heremum inhabitare cupientibus aptiſſimus; quem idem dilectus Dei paucis incoluit morulis, ſanctaque ſua inhabitatione ſanctificavit: at poſt mortem miraculis inſignibus mirificavit. Unde non inconſultum, vel minimæ remur fidei, angelicam inibi oſtenſam enodare viſionem.

ſeni ſibi devoto appareret,

43 Senex quidam in confinio ipſius villulæ manens, hoc oratoriolum miro excoluit affectu, quod, tunc vetuſtate penè conſumptum, reſtaurare tractans, à circùm circà poſitis auxilii ſupplementa exorabat. Dehinc operarios conduxit, certiſque diebus operi inſiſtere maturavit. Sed & amnis in proximo fluens *d* capturas piſcium opulenter adminiſtrabat; & ut ita dicam, viritim convivia exhibebat. Accidit autem die quadam, ſe cum ſuis poſt laborem ſub divo quieſcere, & ecce odor tantæ ſuavitatis de ipſo oratoriolo effumavit, acſi nares quieſcentium ambroſius liquor occuparet, vel domata fuiſſent aromatibus delibuta. Mira res! Poſt ſolis obitum cùm ſe locarent cubitum, quidam, ſacræ religionis prætendens habitum, huic ſeni apparuit, &, inibi quid ageret, perquiſivit. Hic ille horrore perculſus ac penitus elinguis nihil quidem retulit, ſed ut ſibi proximus reſponderet, tactu lateris admonuit. Vir autem angelicus; Minimè, inquit, verearis, ad inquiſita reſponde, cui ſcilicet laboris operam impendis. Ego, inquit, hoc oratoriolum ferè dirutum ſancto Bavoni reædificare inſiſto. Et ille benigni Salvatoris replicans dicta: Amen, inquit, dico tibi, non perdes mercedem tuam. Quo dicto, unde venerat, regreditur, & ecce, campanula deſuper appendens, abſque humano attactu inſonuit & ipſe ab oculis mirantium evanuit.

d

E

parricidæ pœnitentis miſereatur

44 Duo nepotes inter ſe rixantes, correptis armis, alter alterum oppreſſit; in ſe itaque reverſus parricidium expavit. Epiſcopum adit, ac more Chriſtianæ remiſſionis peregrinando pœnitentiam accepit. Cúmque jam nonum expleret annum, iteratò patrocinia quæſivit Apoſtolorum. Alpes ut tranſcenderat, ſanctos Apoſtolos ſibi in viſu agnoverat, à quibus eſt admonitus, ne reſiduum viæ caſſo labore perderet: Remeans, inquiunt, memoriam ſancti Bavonis viſita, quæ eſt apud Medmedunc annua. Surrexit credulus quidem viſioni, ſed ignarus loci, Gandavum repedavit, ſibi juſſa innotuit. Et quoniam devenit in ipſa ſolemnia Sancti, ſcilicet Kalendarum Auguſti *e*, ceteris illò pergentibus, comitatur. Cúmque jam docti dulciſonas inaltarent * voces, & ipſe ſtaret orationi intentus, virtute divina, quibus erat conſtrictus, ferrei crepuerunt circuli, deinde in terram prolapſi, coram cunctis minutatim ſunt diſrupti, qui delictorum vinculis ſolutus, ad ſua rediit lætus *f*.

F

e

* *i. e.* in altum levarent

f

45 Servus item ejuſdem ſancti Confeſſoris *g*

g

A. ANONYMO *ac languidum sanat.*

per novem menses distentus nimio languore inflationis, ut ad eumdem locum pergeret, visu est admonitus. Locum adiit, opem petiit, & leniùs habuit. Claudus quidam de longinquo Gandavum adductus, sic claudicabat pede, ut non incederet absque baculi sustentatione. Aliquamdiu demorari instituit, & apud ipsum castrum hiemavit. Die autem quadam cùm divino adstaret officio, ad terram ruit subitò; cúmque adstantes casui deputarent, eique succurrere vellent, per se sanus surrexit, ac pro adepta salute sancto Confessori cum cæteris gratias egit.

Sanctus variis Gandavi est beneficus.

46 In Kalendis Octobris, quæ sunt solemnia sancti Patris, beati Amandi famulus toto corpore dissipatus, ad hoc ipsum Gandavi castri cœnobium navi est delatus: teste populo, debilium membrorum meruit sospitatem. Famulus sancti Bavonis advocato suo *h* accusatus, xxx solidos reddere est coactus. Die statuto Sanctum suum supplici devotione oravit, ut eumdem virum erga se inveniret mitiorem. Ivit itaque, ut solveret debitum; sed jam dictum advocatum reperit defunctum; sicque lætus facti, medietatem debiti obtulit sancto propitiatori Bavoni. Paupercula ipsius capitalem censum *i* non valens reddere, debebat enim XII denarios, solamen quæsivit in prece: ut ostium domûs exivit, prona oravit; surrexit & coràm XII denarios reperit: tulit ac debitum solvit. Puella, eatenus Gandavo commorata, per annorum curricula extitit gibbosa, omnique virtute corporis invalida; cúmque sellâ gestatoriâ ostiatim mendicaret, obtentu salutis venit ad limina sancti Confessoris, oravit & sanitatem indepta domum pedes rediit.

h

B

i

Candela reliquiis Sancti accensa, in aqua non extinguitur.

47 Comes quidam ejusdem Gandavi portus reliquias Sancti obtinuit, & secum navi asportavit. Ob reverentiam itaque candela jugiter exarsit in nocte *k*. Casu contigit, &, cunctis dormientibus, in sentinam decidit. Pernox in aqua effulsit, & cum admiratione omnium tantæ venerationi exhibuit obsequium.

k

Mater pueri in aquam lapsi,

48 Farnewic nomen est villæ *l*, super ripam Scaldi fluminis sitæ; inibi honestæ vitæ habitavit femina, parvulum habens filium. Hic die quadam more ludentium parvulorum secus ripam fluminis discurrebat: alii siquidem pueruli hunc perduxêre secum. Cúmque non bene creditæ vicinæ commigraret ripæ, in flumen fundotenus est dilapsus. Quod factum mater ut agnovit, anhela accurrit & exstinctum credidit, quem unda sublatum jam longiùs traxerit. Et quia humanum deerat solamen, ungulis ora cruentavit, pugnis pectus fœdavit, ac Væ ingeminando multoties acclamavit. Tandem ad se reversa, manus extendit, oculos cælis infixit, & electi Patris suffragia petiit. Nec mora, puer de profundo rediit, & juxta littus enatare cœpit. Quem mater deprehensum, incolumem ac vivum reportavit domum. Hæc non multò pòst memoriæ tanti Patris dignas oblationes solvit, gratias egit & ad sua remeavit.

l

C

piscator,

49 Cætarii ad balenas capiendas mare sunt ingressi; aspecta autem immani bellua, certatim circumdant. Sed illa inter manus elapsa multoties, tandem imo resedit. Sortè autem exiit, ut sancti Patris famulus eidem ferrum infigeret: qui graviter suspirans; Eia, inquit, sancte Bavo, hoc gratiæ mihi appone, ut compos voti persolvam tuis vota præmii. Oravit & de profundo piscis rediit; ut vidit, gratulabundus prosiliit, ac ferrum constanter infixit. Ad littus ut rediit, pinnulas cœnobio Sancti transmisit.

D

uxor pauperis, aliique

50 Pauper quidam sancto Confessori jugabiles offerens tauros, summissus se præsentialiter intulit & in hunc modum pietatis opera conjugi suæ exhibita retulit. Conjux, inquit, mea diebus numerosis lectulo detenta, jamque morti vicina, Sanctum Domini per se expetituram, hosque ei vitulos devovit oblatura. Fateor, ut agnovi certioratus & ipse consensi. Nec mora suffragium experitur infirma. Hinc vice sua ecce coràm vota persolvo.

patrocinio S. Bavonis voti fiunt compotes.

51 Apud Morinos, hominum in confinio maris extremos, vir erat habens infantulum invalitudine præreptum. Cúmque de vita desperaret, mater sanioris consilii illum monuit, ut eumdem Sancto devoveret, dummodo ei recuperationem impertiret; quod ut fecit, puer oscitavit, oculos aperuit, & amissam penè vitam recepit. Alius itidem ætate quidem adultior, languore ingravescente, in margine resedit vitæ. Cúmque membra quieti daret, videt se in visu propter altare sancti Confessoris astare, & cum cæteris servire. Ad se itaque reversus, votum fecit, obsequium spopondit & redintegrationem sine mora percepit *m*.

E

m

Infidelis in promissis punitur.

52 Prædives quidam, cùm haberet infantulum, Sancto devovit monachum. Sed, ut puer adolevit, patrem voti pœnituit. Die autem quadam cognatis suis convivium opulenter apparavit, & ipse puer jam duodennis ministravit: cúmque inter dulcia pocula læti coronarent vina, pro retentione ipsius pueri patrem laudabant. Sed casu contigit, jus * carnium adstare decontra. Offenso itaque pede, puer in eo cecidit, & mox defunctus obiit. Sicque pater perfidiæ pœnas luit.

* *Mabil.* vas

Puellæ periculosè laboranti sanitas,

n

53 In partibus Taruennæ *n* matrona extitit perliberalis magnæque honestitudinis. Hæc die quadam quid actura, maris confinia adiit, comitante unica spei suæ filia, virgineis tum matura sub annis, tumque nubilis. Quæ puella, validissima insperatò prærepta invalitudine, solotenus prosternitur, atque à præsentibus ut defuncta defletur. Mater autem pro ereptione hæc apud se oravit: Bavo dilecte Deo, miserere precantis famulæ & paulisper huc dilabere, Christi solamen deferens. Sentiat corpus gravatæ filiæ levamen tuæ indulgentiæ, ut solvat votorum preces apud te, quæ jacet exanimis penes me. Præmissa itaque prece, surrexit, ac pone filiam terræ expositam resedit. Nec mora oculos aperuit, & paulò antè elinguis loqui cœpit. Sicque surrexit & domum pedes rediit, incolumis Gandavum adiit, & sancti Patris virtutem sibi propitiabilem innotuit.

F

aliisque alia beneficia conferuntur.

o *p*

54 Piratæ Danorum sedibus suis non contenti, Walachram *o* petentes cuncta devastant *p*. Inibi erat sancti Confessoris famula, totius abundantiæ subsidiis accumulata; Danos supervenisse, ut agnovit, in terram ruit, & Sancti sui solamen quæsivit. Nutu divino non modò evasit, immò cunctam substantiam suam salvavit. Altera ejusdem Sancti familiæ à piratis quidem capta, sed misericorditer est liberata. Classi namque cum præda præsentata, & quia nobilis erat persona, custodiæ est deputata, navi scilicet victuali. Inter transtra latuit quatriduana, &, suffragantibus Sancti meritis, ad portum ut applicuerunt, à nemine agnita discessit secura. Item de portu Gandensi captus est quidam Sancti

&

A & Rotomo adductus *q*, & inſperatè à ſuis agnitus, ſine dilatione redemptus, Sancti ſui meritis ad ſua eſt remiſſus. Hæc qualiſcumque * faſtidii vitatores ut ſufficiant affectatæ brevitati, caſtigatiùs, quàm ſe copia ſuggerebat, perſtrinximus.

q * *al.* qualiacumque

ANNOTATA.

a *Epiſt. ad Hebræos cap.* 12 ℣. 6.

b *Erit fortaſſe non nemo, qui vel hinc fidem non ubique indubiam adhibeat ſcriptori noſtro, dum libro ſecundo mortem, quam variis, qui* S. Bavoni *utcumque erant injurii, obveniſſe narrat, vindictæ cælitus immiſſæ adſcribit.*

c *Pro loci hujus notitia adi Commentarium prævium num.* 114 *& ſeq., uti etiam Gloriam poſthumam num.* 7 *ac præcipuè num.* 184.

d *Veroſimillimè amnis, nomine* Moera, *hîc intelligitur; pagum enim nunc* Mendonck, *olim* Medmedunc, *ad amnem illum tertio circitèr ab urbe Gandenſi lapide Septemtrionem verſus Scaldim inter & aquæductum ſeu canalem, qui Gandavo ad aggerem Gandenſem, vulgò* 't Sas van Gend *ducit, tom.* 1 *Flandriæ illuſtratæ pag.* 166 *&* 167 *in tabula geographica Caſtellaniæ ſeu territorii Audenburgenſis ſitum notat Sanderus, qui etiam eodem ejuſdem Operis tomo pag.* 81 *ſequentem memorati amnis Moeræ notitiam ſuggerit:* Moera, *inquit*, à Moerbeka, ditionis Waſiæ pago, per Winkelam & Dorizelam ad nos derivatur; amnis eſt inter obſitos paludibus, & cæno, uligineque campos cis Jani petram, vulgo S. Jan ſteen, equorum mercatu nobile olim municipium, natus; ubi, invento alibi parato, productior factus alveo, demum ſe ſecans hinc Durmæ fluvio Waſiano miſcetur, inde verſus Axellam oceanum petit, rectoque flexu & fluxu ſupra angulum Ambacti veteris, inde Winckele nomen indeptum, influit aquæductum Novi vocabulo ſignari ſolitum. *Aquæductus ille ſive canalis, qui, ut ex dictis ſequitur, Gandavum inter & oſtium ſeu aggerem Gandenſem, vulgò* 't Sas van Gend *interjacet, medio circitèr ſeculo decimo ſexto dumtaxat foſſus eſt, ut ætate ſcriptoris noſtri certiſſimè non extiterit.*

B

e *De qua* S. Bavonis *feſtivitate hîc agatur: videſis in Gloria poſthuma num.* 7 *&* 8.

f *In Tranſlatione* 1 *&* 11 *S. Joannis, abbatis Reomaënſis tom.* 2 *Januarii à Bollando noſtro typis edita pag.* 864, *num.* 6 *ſimile miraculum refertur, ad quod Petrus Roverius, Societatis noſtræ ſacerdos in illuſtrationibus Hiſtoriæ monaſterii ejuſdem S. Joannis Reomaënſis annotatione* 71 *ſequentia obſervat:* Graviſſimis, *inquit*, ſceleribus non olim tantùm, ſed ad tempora etiam Caroli Magni id pœnitentiæ imponebant epiſcopi, & presbyteri pœnitentiarii, ut nuda membra circulis ferreis arctiſſimè revincirent; cujus ponderis ac tormenti liberationem cùm rei per varia Sanctorum monumenta expoſcerent, ſi fortè ea contingeret, perinde ſe animi nexibus, ac corporis vinculis abſolutos, ut hic auctor loquitur, exiſtimabant. *Hoc pœnitentiæ genus ætate Caroli Magni ſapientioribus diſplicuit, inque ejuſdem principis Capitularibus libro primo capite* LXXIX, *ſanctione edita, improbatur; verùm*

C

laudatus Roverius, ubi ſeſe, quamdiu obſervata fuerit hæc Caroli Magni ſanctio, non ſatis compertum habere, faſſus eſt, mox miraculo, quod hîc relato per ſcriptorem noſtrum viciſſim abſimile non eſt, ex lib. 2 *Miraculorum S. Germani cap.* 14, *ut apud Aimoinum exſtat, adducto, onuſtos ferro pœnitentes rurſum Galliæ provincias, regnante Carolo Calvo, circa annum* DCCCLXI *eſſe pervagatos, affirmat; imò ex miraculo, quod à ſcriptore noſtro, cùm is miracula, ut ex Commentarii prævii num.* 17 *pronum eſt colligere, ſeculo* X *anteriora non attingat, memoriæ hîc eſt proditum, certiſſimè conſequitur, ut diu etiam poſt Caroli Calvi ætatem, utpote ante annum* 880 *jam defuncti, conſuetudo illa à Carolo Magno improbata viguerit; iique, quibus ob admiſſa graviora ſcelera ab epiſcopis presbyteriſve pœnitentiariis, ut nuda membra ferreis circulis arctiſſimè revincirent, erat injunctum, ad varia loca ſacra peregrinarentur, ſperantes expectanteſque fore, ut alicubi ferreis circulis, quibus erant conſtricti, miraculo diſruptis, criminum veniam à Deo ſibi impertitam, intelligerent.*

A. ANONYMO.

g *E familia nempè Sancti eo ſenſu, quem in Annotatis lib.* 2 *ſubjunctis ad litteram* C *expoſui, quique hîc ſemper, dum de famulo aut ancilla Sancti alicujus ſermo eſt, debet intelligi, quod propterea deinceps non notabo.*

E

h Advocati *eccleſiarum monaſteriorumve erant, qui jura, bona & facultates eccleſiarum monaſteriorumve tuebantur, quique eo munere onerabantur, ut eſſent, qui in publicis judiciis earum eorumve cauſas defenderent, & actoris vel rei partes agerent. Vide Cangium in Gloſſario ad vocabulum* advocati, *ubi etiam varias in officium Advocatorum illorum introductas mutationes exponit.*

i *Vide Annotata lib.* 2 *ſubnexa ad litt.* C *&* I.

k *Scilicet hic comes reliquiis* S. Bavonis *eum exhibebat honorem, qui in collectione canonum tom.* 9 *Spicilegii Acheriani præſcribitur, ubi pag.* 55 *dicitur:* Reliquiæ Sanctorum venerandæ ſunt. Si poteſt fieri, candela ardeat per ſingulas noctes; ſi verò paupertas loci non ſinit, non nocet eis.

l *Villa illa veroſimiliter ſita fuerit haud procul à pratis de* Vaernewyck, *quæ Sanderus tom.* 1 *Flandriæ illuſtratæ pag.* 166 *Aldenardam inter & Gandavum ad ſiniſtram Scaldis ripam in tabula geographica Caſtellaniæ Audenburgenſis collocat.*

F

m *Ea, quæ hoc numero & præcedenti narrantur, Mabillonius prætermiſit, addiditque ad marginem, conſultò id eſſe factum; pro miraculis fortè non habuerit.*

n *De hac urbe vide Annotata lib.* 1 *ſubjuncta ad litt.* hh.

o *Id eſt, Walachriam, de qua vide poſt lib.* 2 *Annotata ad lit.* e.

p *Cùm ſcriptor noſter (vide Commentarium prævium num.* 17) *miracula ſeculo* X, *quo floruit, anteriora non narret, liquet, hîc agi de Normannorum in Walachriam irruptione, quæ vel ſeculo decimo aut certè paulò ſeriùs contigerit.*

q *Id eſt, Rothomagum. Vide Annotata poſt lib.* 1 *ad litt.* dd.

AUCTORE J. S.

DE S. WASNULPHO CONFESSORE

CONDATI IN HANNONIA.

SYLLOGE.

SEC. VII VEL VIII. *Sancti memoria in Martyrologiis,*

DE S. Wasnulpho, *qui Condati in Hannonia ut patronus hac die colitur, non meminerunt antiquissima Martyrologia, nec ea, quæ sæculo* IX *&* X *fuerunt concinnata. Pauciſſima etiam sunt, quæ de gestis Sancti referuntur, eaque partim minùs certa. De vetusto tamen* S. Wasnulphi *cultu nullum potest esse dubium. Memoria Sancti ad hunc diem celebratur in aliquot Usuardini Martyrologii codicibus auctis. In Aquicinctino, quem sæculi* XIII *credidit Sollerius, ita legitur:* Et depositio sancti Wasnulphi confessoris. *Sic* Wasnulphi confessoris *meminerunt editiones Lubeco-Colonienſis & Greveni. In solo codice Bruxellensi ut martyr annuntiatur his verbis:* Item sancti Wasnulphi martyris. *In hisce omissus est locus, ubi Sanctus obiit & colitur. At locum addidit Molanus in editione Usuardi, & aliquod etiam elogium. Nam in una editione sic habet:* Item in cœmeterio (*civitatis Hannoniæ, quæ dicitur*) Condatum nomine, sancti Wasnulphi confessoris, qui de Scotia insula veniens in saltum Cerasia *, in loco, qui nunc vocatur Cella, multis diebus vitam laudabiliter duxit. Postea verò ad monasterium Dei Genitricis Mariæ, Condatúm nomine, perveniens, ibi Domino servivit usque ad obitum. *Idem in alia editione:* Condato sancti Wasnulphi confessoris.

* *fortè* Teoracia

2 *Auctor Florarii Ms. hoc die translationem ponit contra aliorum consensum, & ita habet:* Eodem die translatio sancti Wasnulphi confessoris, qui de Scotia insula marina in saltum Teracie (*veniens*) in loco, qui nunc vocatur Cella, multis diebus vitam laudabilem duxit. Postea verò ductu angelico ad monasterium Dei Genitricis, Condatum nomine, perveniens ibi Domino servivit usque ad obitum, qui celebratur pridie Kalendas Decembris. *Ad hunc verò diem* XXX *Novembris breviter habet:* In monasterio, Condatum nomine, sancti Wasnulphi episcopi & confessoris. *Martyrologi Benedictini, Menardus, Wion, Dorganius, Bucelinus, annuntiant sanctum* Wasnulphum, *ut ex episcopo monachum. Wion in Annotatis addit:* Erat natione Scotus, vitamque monasticam duxit primùm apud monachos S. Gisleni, ex quò secedens, angelico ductu ad monasterium S. Mariæ Condati pervenit, & ibi usque ad obitum suum Domino militavit. Floruit anno DCXL. *Eadem ferè asserit Bucelinus. Hos secutus est Sanssayus in Martyrologio Gallicano, nonnulla tamen addens ex conjecturis.* Ipso die, *inquit*, in Hannonia, Condato oppido, S. Wanulphi *, qui genere Scotus, dignitate episcopus, monachus professione, ut in peregrino solo ignotus Deo serviret, eo loco virtutum cultor extitit. Multisque ad pœnitentiam suo hortatu & exemplo perductis, civis cælorum effectus est. Tumulatus fuit eo loco, ubi nunc extat canonicorum collegium, ejus invocatione insigne: qui patroni sui miraculis clari corpus asservant multâ Religionis instantiâ.

in aliquibus ut monachi ex episcopo:

* *pro* Wasnulphi

obiit Condati & miraculis claruit.

3 *Joannes Wilson in Martyrologio Anglicano* S. Wasnulphum *annuntiat Condati ut* eremitam. *Thomas Dempsterus in Menologio Scotico sic habet:* Condati in Hannonia Wasnulphi episcopi, qui vitam suam Deiparæ Virgini penitus consecravit. *David Camerarius Sanctum retulit ad* XI *Augusti, ut ibidem apud nos dictum in Prætermissis, & aliquid particulare de eo addidit, ita scribens:* Sanctus Vasnulphus episcopus & confessor, & sancti Livini in prædicatione socius. *Scribunt plusçula de* S. Wasnulpho *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii & Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis, qui ambo laudant Chronicon Cameracense & Atrebatense Balderici episcopi, qui floruit sæculo* XI *&* XII. *Hujus itaque verba præmitto:* Apud villam quoque Condatum olim regalis & dives in honore sanctæ Mariæ abbatia fuerat puellarum. Nunc autem est monasterium, præ inopia, paucorum canonicorum. Ubi sanè sanctus vir Dei Wasnulphus, genere Scotus, cursu peregrinationis consummato, sepultus, cum patribus in pace obdormivit, suisque meritis omnem locum illustravit miraculis. *Hæc præcipua sunt, quæ de* S. Wasnulpho *qualiscumque antiquitas nobis reliquit.*

Acta non exstant.

4 *Nam Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, aut potiùs Petrus Louvius, qui ex schedis Molani Opus istud posthumum concinnavit*, ex informatione, quam Condati *accepit Molanus, clarè insinuat, non exstare Sancti Acta, ideoque in Officio legi lectiones de communi confessoris Pontificis. Molanus quoque in Indiculo Sanctorum Belgii pag.* 73 *illud ipsum satis innuit, de* S. Wasnulpho *scribens sequentia:* Sanctus Wasnulphus Condati quievit, Hannoniæ oppido. De eo missa mihi Historia, facit eum archiepiscopum Eboracensem temporibus Eugenii Papæ, Ordinis Cistercienſis. Sed tota ea Historia est de Wilhelmo episcopo Eboracensi in Legendario Sanctorum Angliæ: quem eumdem Wasnulphum dicere Condatensem, multis de causis perabsurdum videtur. Vincentii Madelgarii Historia habet, eum Condato Altum Montem venisse ad Vincentium. Ideoque assentior nostratibus nonnullis Martyrologiis, in quibus sic legitur: Eodem die sancti Wasnulphi confessoris, qui de Scotia insula Marina veniens in saltum Terasciæ, in loco, qui nunc vocatur Cella, multis diebus vitam laudabilem duxit. Postea verò ductu angelico ad monasterium Dei Genitricis Mariæ, Condatum nomine, perveniens,

A niens, ibi usque ad obitum Domino servivit. Festum Calendis Octobris. *Ita Molanus, cujus observatio de* Wasnulpho *distinguendo à S. Willelmo Eboracensi certissima est, cùm facilè quatuor seculis sit vetustior, laudatusque sit à Balderico, antequam natus erat S. Willelmus, de quo apud nos ad* VIII *Junii actum.*

S. Wasnulphus patriâ Scotus,

5 *Nunc singula capita paululùm expendamus, ut certiora à minùs compertis separemus. Patriâ* S. Wasnulphum *fuisse Scotum, post Baldericum recentiores passim consentiunt, nec ulla est ratio, quâ id negare aut in dubium vocare possimus. Nomen ab omnibus antiquioribus scribitur* Wasnulphus *aut* Wasnulfus, *Gallicè* Wasnon, *aut pro hodierno scribendi more* Vânon. *Igitur non intelligo, unde Castellanus acceperit nomen Latinum* Basanulfus, *quod notat in margine: neque probare possum observationem illam, etiamsi eam videam à Sollerio nostro adoptatam in annotatione marginali. Episcopatus* S. Wasnulphi *non tam certus mihi videtur, quàm nomen & patria, quòd de eo fileant vetustiores, Baldericus nimirum, Anonymus auctor Vitæ S. Vincentii, & qui Sanctum adjecerunt Martyrologio Usuardino. Auctor Florarii, qui floruit seculo* XV *in præcipuo elogio episcopatum siluit, in breviori asseruit, isque primus ex scriptoribus mihi notis* Wasnulphum *dixit episcopum.*

B

à recentioribus creditur fuisse episcopus, sed vetustiores

6 *Molanus aut Louvius conjecturam suam de episcopatu in Natalibus Sanctorum Belgii ita proponit:* Annumerandus autem videtur titularibus episcopis, qui ad paganorum conversionem huc tempore Vincentii comitis venerunt. Testatur enim Vincentii Historia (*sive Vita apud nos data ad* XIV *Julii*) beatum Wasnulphum sæpiùs ex Condato ad eum in Altum-montem venisse. *At non video, quid asserta in Vita S. Vincentii, licèt vera crederemus, prodesse valeant ad episcopatum* S. Wasnulpho *asserendum. Neque enim in illa Vita vocatur* episcopus, *& locus habitationis Condatum minimè favet ejusmodi conjecturæ. Si enim Sanctus patriâ suâ erat egressus ad fidem prædicandam, videtur potiùs habitaturus fuisse in loco aliquo, ubi plures convertendi erant gentiles, quàm videntur seculo* VII, *quo florebat S. Vincentius Madelgarius, fuisse circa Condatum, quod erat satis vicinum Cameraco, ut credere possimus, paucos aut nullos ibi seculo* VII *superfuisse gentiles, præsertim cùm etiam propinquius sit Tornaco, & hæc civitas à seculo* IV, *altera à sequenti egregios habuisset episcopos. De fide per* S. Wasnulphum *prædicata nullus quoque ex vetustioribus loquitur. Unicus Camerarius* Wasnulphum *facit S. Livini in prædicatione socium, quod verisimiliter ex conjectura solùm asseruit.*

C

ejus episcopatui minimè favent.

7 *Ipse locus Vitæ S. Vincentii, qui memoratur, episcopatui parùm videtur favorabilis. Partem huc transfero. Memorantur multi Sancti, qui solebant, ut vult auctor, venire ad monasterium Altimontense, in Hannonia ad Sabim fluvium situm, ut inviserent S. Vincentium illius fundatorem. Recensitis aliis quibusdam, ita num.* 15 *pergit auctor:* Aderat siquidem frequens visitator & divinorum relator B. Amandus Elnonensis: in qua nimirum collatione & relatione thesauros sibi cælestes recondebat S. Wasnulphus Condatensis. Nec rari interveniebant consolatores S. Ursmarus, & post eum S. Erminus episcopi ecclesiæ Laubacensis *&c. Si quis rectè ad modum loquendi, quo utitur scriptor, attendere voluerit, facilè perspiciet,* S. Wasnulphum *ut auditorem & aliorum discipulum in iis congressibus magis memorari, quàm ut doctorem aut magistrum. Itaque tam auctor hujus Vitæ quàm Baldericus ejus episcopatui parùm favent. Id vidit, opinor, Molanus, qui verbis num.* 4 *productis episcopatui videtur refragari. Nolim tamen contendere, ejusmodi hæc esse argumenta, ut contrariam sententiam reddant certam. Castellanus* Chorepiscopum *vocat. Hoc quoque certum facere nequeo. Ceterùm recentiores passim* S. Wasnulphum *dicunt* episcopum, *imò &* archiepiscopum *vocatum infrà videbimus, fortè ex Historia ad Molanum missa.* AUCTORE J. S.

Obiit Condati: aliqui volunt, eum antea vixisse

8 *De loco, ubi Sanctus vitam finivit, nullum est dubium. Qualis olim fuerit, vidimus ex Balderico. Eum ulteriùs illustrat Miræus his verbis:* Est autem Condatum, vulgò Condet seu Condé, ut pronuntiamus, Hannoniæ oppidum, ad Scaldis & Hainæ confluentem situm, olim Borboniæ, nunc gentis Croyæ.... In hoc oppido est collegium XXIV canonicorum, qui S. Wasnulfi patroni sui corpus religiosè adservant. *De corpore plura dicam inferiùs. Priùs enim inquirendum est in locum, ubi* S. Wasnulphus *habitâsse dicitur, antequam veniret Condatum. Ex aliquot locis allegatis videtur venisse* in saltum Therasciæ *vel* Teroaciæ, *licèt* Cerasia *vocetur in Usuardo Molani, sed mendosè, quantùm apparet. Pagus ille comitatui Hannoniæ adjacet ad Meridiem, & modò Picardiæ facit partem Orientalem, vulgò vocatur* la Tierasce. *De eo satis prolixè agit Valesius in Notitia Galliarum pag.* 549. *At simul Sanctus dicitur degisse* in loco, qui nunc vocatur Cella. *Per Cellam autem potiùs videtur designari locus in Hannonia, quàm in* Teroacia. *Certè monasterium S. Gisleni in Hannonia, quod etiamnum floret,* Cella *vocabatur eo tempore, & Cellense monasterium passim vocatur in Annalibus Mabillonii. Sic* Cellam *exposuit Wion num.* 2 *laudatus. Sic explicat Buccelinus in Menologio Benedictino ad hunc diem, ubi de* S. Wasnulpho *hæc scribit:* In monasterio Condatensi sancti Wasnulphi episcopi & confessoris. Hic Scotus patriâ, dignitate episcopus, sponte propria exul, in Belgium delatus, omni honore & mundi gloria cucullum potiùs æstimavit, exambiit & meruit. Monasticam proin vitam in divi Gisleni monasterio professus: inde postea secedens ductu angelico ad monasterium Dei Genitricis Mariæ Condatense devenit, ibique gratanter susceptus, in ejusdem magnæ Matris & Filii ejus cultu devotissimo vitam sanctissimè exegit *&c.* E F

in monasterio S. Gisleni, quod non æquè certum.

9 *Per* Cellam *designari monasterium S. Gisleni, aut locum, in quo illud conditum est, omnino existimo. Nam Baldericus lib.* 2 *cap.* 40 *eodem nomine utitur, dum agit* de Cella sancti Gislani, *illudque monasterium ponit* in loco videlicet, quem dicunt Cellam. *Quapropter scriptores, qui dicunt, Sanctum venisse* in saltum Teraciæ *aut Teoraciæ, aut errâsse censendi sunt, dum Cellam in eo saltu aut pago collocârunt, aut pagum Teoraciensem confudisse cum Hainoensi, in quo est* Cella. *Sic Anso abbas in Vita S. Ursmari, data apud nos ad* XVIII *Aprilis, num.* 1 *utrumque pagum sic exprimit, ut unum credidisse videri possit. Præterea ipsa S.* Wasnulphi *habitatio in Cella mihi certa non videtur, cùm asserta non sit à Balderico, & recentiores solùm habeat auctores. Rursum mihi apparet incertum, an in monasterio S. Gisleni habitaverit* S. Wasnulphus: *nam potuit in Cella habitare, priusquam*

AUCTORE J. S.

quam ibi conditum erat monaſterium, idque omnino mihi videretur dicendum, ſi ætatem Sancti rectè crederem à pleriſque enuntiatam. Si verò junior fuit, quàm plerique credunt, potuit in Cella ſeu in monaſterio S. Giſleni vitam ducere monaſticam, indeque Condatum mitti, ut moniales ibidem in vita regulari dirigeret, & adminiſtratione Sacramentorum in via virtutis ſuſtentaret. Incerta profero, quia certa non habeo. Tamen non credidero cum Bucelino, Sanctum ex monaſterio virorum ſeceſſiſſe ad monaſterium feminarum, ut ſibi ſoli cum feminis viveret; ſed feminarum curam eidem fuiſſe demandatam, ideoque Condatum ſeceſſiſſe, facilius crederem, ſi id in vetuſtis utcumque documentis reperirem. Nunc verò cùm ſolùm ex Balderico conſtet, Sanctum ibidem vixiſſe & ſepultum eſſe, non niſi pro conjectura incerta curam illam de monialibus tradere poſſumus.

Obiit ſeculo 7 aut 8.

10 *De ætate Sancti aut de tempore mortis nihil dixit auctor Florarii Ms., qui aliàs frequenter tempora exprimit, & non rarò multùm aberrando. Nihil quoque ea de re attulit Baldericus, aut alius ſcriptor utcumque vetuſtus præter auctorem Vitæ S. Vincentii, jam laudatum num. 7, qui* S. Waſnulphum *conjunxit cum SS. Amando, Vincentio, aliiſque plurimis Belgii Sanctis, qui ſeculo* VII *floruerunt, & partim etiam ſeculo* VIII. *Ex illo autem loco Miræus de ætate* S. Waſnulphi *hæc ſcribit:* Floruit anno DCLI, temporibus S. Vincentii Hannoniæ comitis, qui plurimos ex Scotia & Hibernia advenas fovit. *Laudatus modò Bucelinus ait:* Claruit Vir apoſtolicus anno DCXLI: *ſic & Wion. Caſtellanus mortem ejus in margine figit* circa annum DCC. *Verùm de familiaritate inter S. Vincentium Madelgarium & S.* Waſnulphum *ex Vita memorata S. Vincentii certò non conſtat. Nam Anonymus ille auctor multos Sanctos S. Vincentio familiares fecit, & ex his aliquos certò juniores, quàm ut cum eo agere potuerint. Hinc Sollerius noſter, ubi id obſervaverat, in Commentario prævio num. 46 dixit:* Sanctos propè omnes colligere voluiſſe videtur Anonymus, quos eo ſeculo in Belgio floruiſſe intellexerat. *Quapropter ex illa Vita non fit certum,* S. Waſnulphum *S. Vincentio fuiſſe planè contemporaneum: potuit enim junior eſſe, quemadmodum de aliis nonnullis ibi recenſitis oſtendit Sollerius. Hac de cauſa mortem* S. Waſnulphi *latè figendam credidi* ſeculo VII vel VIII. *Cùm enim S. Vincentius obierit circa annum 677, ſi junior fuerit* S. Waſnulphus, *uſque ad ſeculum* VIII *ſupereſſe potuit. Longiùs verò aberrâſſe Anonymum, non credidero, cùm in aliis ad integrum ſeculum non aberraverit.*

Sancti cultus Condati & in aliis eccleſiis:

11 *De cultu* S. Waſnulphi *obſervat Molanus vel Louvius, natalem Condati hac die celebrari. De Officio addit:* In Antiphonis nihil proprium habet, niſi fortaſſis quòd ad ſepulcrum ejus ægri veniant & ſanentur. *De alia feſtivitate ait Molanus:* Quieſcit in Condato Hannoniæ oppido, ubi præter natalem celebratur Tranſlatio, quarto Iduum Januarii, *ſicut annotatum eſt apud nos ad* x *Januarii in Prætermiſſis. In aliis quoque eccleſiis olim facta eſt Commemoratio de* S. Waſnulpho *& pluribus ſimul Sanctis. Anonymus, qui S. Piato epiſcopatum vindicare conatus eſt, & frequenter ad hunc diem allegatus eſt in S. Piato, pag.* 45 *ex Cameracenſi Breviario orationem producit, quâ ſimul commemorantur SS. Remigius, Vedaſtus, Germanus, Bavo, Piatus &* Waſnulphus: *alias verò ex Leodienſi Miſſali, in quibus conjunguntur* Germanus, Vedaſtus, Bavo, Piatus *atque* Waſnulphus: *& rurſum aliam ex Miſſali Leuſenſi (oppidum eſt in Hannonia) ubi inter ſex Sanctos mox dictos recenſetur* S. Waſnulphus. *Hæc ſufficiant ad exemplum, ne quis exiſtimet, in ſola eccleſia Condatenſi Sanctum fuiſſe in honore habitum. Sic abbatia Lætienſis in Hannonia in theſauro reliquiarum, qui planè inſignis eſt, aliquid numerat* de S. Waſnulpho confeſſore, *teſte Rayſſio pag.* 281.

varia de corpore Sancti,

12 *Inter corpora, quæ anno* 848 *metu Normannorum Audomaropolim fuerunt tranſlata, numeratur etiam corpus* S. Waſnulphi. *Verba data ſunt in S. Piato num.* 44. *At relatum fuit Condatum, ubi etiamnum ſervatur, ſic tamen, ut in eadem theca habeatur cum aliis ejuſdem eccleſiæ reliquiis, quòd ſacrilegis hæreticorum manibus anno* 1580 *ex thecis ſuis fuerint effuſæ, & ſic poſt fugam ſceleratorum à Catholicis inventæ. Hoc refert Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 322, *ubi recitat litteras Ludovici de Berlaymont archiepiſcopi Cameracenſis, qui reliquias* S. Waſnulphi *& unius ex Sanctis innocentibus cum aliis anno* 1586 *novâ arcâ recluſit. In iiſdem litteris, quæ integræ apud Rayſſium videri poſſunt, & alia quædam ad propoſitum noſtrum teſtatur laudatus archiepiſcopus. Quapropter totam archiepiſcopi relationem huc ex litteris transfero, omiſſis ſolùm brevitatis gratiâ initio & fine litterarum, quæ plurimas recenſent perſonas præſentes. Datæ ſunt* anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, die vigeſima ſeptima menſis Martii.

quod aliquando in incendio illæſum, anno 1586 novâ thecâ recluſum,

13 *Sic autem habent:* Notum facimus, quòd die datæ præſentium in eccleſia collegiata beatæ Mariæ opidi Condatenſis, noſtræ Cameracenſis diœceſis, præſentatis nobis per dilectos noſtros decanum & capitulum dictæ eccleſiæ, & per nos humiliter ac cum devotione, prout decuit, receptis reliquiis ſanctis, videlicet beati Waſnulphi archiepiſcopi & confeſſoris ac cujuſdam ſancti Innocentis aliorumque Sanctorum & Sanctarum, dudum de anno Domini milleſimo trecenteſimo, die xv menſis Octobris, poſt horribile incendium, (ex quo ipſa eccleſia in totum demolita & combuſta extiterat) illæſis & integris miraculosè, fama publica atteſtante, in cineribus juxta ſummum altare, pro tunc demolitum, inventis: ac poſtmodùm de anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, die Veneris, vigeſima tertia menſis Julii, per reverendum patrem fratrem Hugonem Dognenſem epiſcopum, de permiſſu & licentia reverendiſſimi domini Joannis de Burgundia, tunc epiſcopi Cameracenſis, in quibuſdam capſa ferrata & feretris ligneis conferatis, adhibitis cæremoniis & ſollemnitatibus ſolitis, decenter & honeſtè recluſis & reconditis. Nos, accepto priùs fide dignorum virorum teſtimonio, qui ipſas reliquias ſanctas ad terram retro dictum ſummum altare proſtratas cum litteris dicti Joannis à Burgundia, (quas in capſa & feretro infraſcriptis cum aliis noſtris incluſimus) poſt diſceſſum & fugam hæreticorum Tornacenſium & aliorum, qui ipſam eccleſiam Condatenſem invaſerant & diripuerant, anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo invenerant, in ſimilibus capſula & feretro novis, priùs per nos conſecratis, adhibitis cæremoniis & ſollemnitatibus ſolitis, decenter & honeſtè recluſimus ſeu recondidimus. *Hæc facta Condati anno* 1586, *præſentibus multis ibi recenſitis.*

14 *Phi-*

A *in ara principe modò quieſcit, & ſæpiùs circumfertur.*

14 *Philippus Braſſeur presbyter anno* 1644 *edidit Opuſculum metricum de Sanctis Hannoniæ, quod* Panegyricum *inſcripſit. De Condato autem & ibi culto* S. Waſnulpho *pag.* 40 *ſic canit:*

Criſpinium excipiat parvo diſjuncta meatu
Urbs Condatenſis, ſacro quam pignore ditat,
Chriſtiparæ recubans alma Genitricis in æde,
Waſnulphus, Scoticæ titularis epiſcopus oræ:
Qua tamen (ut Chriſto potiori fœnore lucrum
Penderet) Hannoniam verſus feceſſit, in amplos
Templuti ſaltus, ubi nunc Theoracia ſylva;
Inde ſed angelico ductu delatus in urbem
Nomine Condatum, ſanctæ Genitricis in æde
Subſtitit & ſacro vitam finivit agone.
Hunc verò duplici de nomine clerus honorat,
Vel quia, poſthabito patriæ telluris amore, AUCTORE J. S.
Munus Euangelicum dicta vigilanter in urbe
Geſſerit, affines populos lucratus olympo;
Vel quia Condato, Genitrice præunte Maria,
Tutor adeſt, urbemque iſtam defendere novit
Adverſus tonitru, tempeſtateſque ſonoras,
Fulminaque & diros irati ſyderis æſtus.
Corporis exuvias portatilis urna regeſtas
Continet, atque modò ſuper ara principe templi
Sublimi viſenda loco eſt: ſed & ipſa quotannis
Portari reverenter amat de principe templo
Per vicos urbis, per & urbis compita paſſim,
Prænitet Octobris dum lux primaria menſis.

Addit auctor, in eadem theca cum corpore S. Waſnulphi *eſſe corpus S. Winebaudi, ut ſaltem creditur, & unius ex Innocentibus. Deinde in Kalendario metrico ad* 1 *Octobris natalem* S. Waſnulphi, *ad* x *Januarii Tranſlationem breviter memorat.*

B E

DE SS. MICHAELE ET SOCIIS TRIGINTA SEX MONACHIS ET MARTYRIBUS PROPE SEBASTOPOLIM IN ARMENIA.

SYLLOGE CRITICO-HISTORICA.

C. B.

ANNO FORTE DCCLXXXII VEL DCCLXXXVIII. *Memoria in Faſtis ſacris,* C

Triginta ſeptem hoſce Sanctos monachos & martyres Menologio Baſiliano, Menæis Græcorum excuſis, Synaxario Sirmondi Ms. & Vitis Sanctorum per Maximum Cytheræum editis ad hunc diem inſertos, Galeſinius quoque Martyrologio à ſe concinnato, ac Catalogo ſuo generali Sanctorum Ferrarius inſcripſit. Baronius verò, quamquam ſanctos illos Monachos martyrio coronatos in Annalibus eccleſiaſticis ex Menologio Baſiliano memoret, eorum tamen in Martyrologio Romano notationibus à ſe illuſtrato propterea fortè non meminit, quod in Menologio Græcorum, quod è Græco Latinum Sirletus reddidit, non annuntientur: at, cùm plures alii Græcorum Sancti, de quorum ſanctitate nemo dubitat, in Menologio Sirletiano non annuntientur, Baronii exemplum hìc imitari, viſum non eſt, laudatiſque jam hagiologis adhærens locum SS. Michaëli *& Sociis martyribus in Actis noſtris concedo, quos etiam Dorgainus, Wionus ac Bucelinus in Faſtis ſacris, quos typis vulgârunt, Sanctis ſui Ordinis, Benedictini ſcilicet, accenſuerunt, in quo tamen tribus hiſce hagiologis aſſentiri nequeo; Bucelinum verò præcipuè carpendum, propterea cenſeo, quod, cùm præfatus eſt, eos dumtaxat Sanctos ſe traditurum, de quibus, quod Ordinis S. Benedicti fuerint, veterum monumentorum fide conſtat,* S. Michaëlem *nihilominus ejuſque ſocios monachos inter ſanctos Benedictinos Menologio ſuo inſcribat, de quibus, quòd Ordinis S. Benedicti fuerint, veterum monumentorum fide non conſtare, vel ex eo liquet, quod Mabillonius, quamquam pro Sanctis Ordini ſuo Benedictino aſſerendis non parùm alioquin ſollicitus,* Michaëlem *tamen ejuſque Socios ſanctis Benedictinis nuſpiam annumeret, licèt etiam procul omni dubio ſacros Dorgaini, Wionii ac Bucelini Faſtos præ oculis habuerit, adeoque rationum momenta, quibus laudati illi tres hagiologi, Sanctos noſtros Ordini ſuo ut adſcriberent, adduci potuêre, examinare valuerit.* F

2 *Atque hæc de Sanctorum in Faſtis ſacris memoria; Elogium ex Menæis, dilucidatione etiam, ubi opus eſt, addita, nunc ſubjungo Latinè à me ſic redditum:* Sancti illi, Conſtantino & Irene imperantibus, cohabitabant in monaſterio Zobe nominato, prope Sebaſtopolim. Alim autem Agarenorum (*Menologium Baſilianum* Saracenorum) ameras (*provinciæ urbiſve præfectus*) expeditione bellica in regionem illam ſuſcepta, Sanctos cepit: ipſi autem (*ameradi volenti, prout Menologium Baſilianum & Synaxarium Sirmondi indicat, ut Chriſtum abnegarent*) reſtiterunt beati ii Patres, virtute Chriſti roborati, ſtanſque in medio Michaël, ſanctiſſimus hegumenus, (*abbas ſive monaſterii præſes*) ac ſuos inſtruens (*ad conſtantiam adhortans, ut iterum* *elogium ex Menæis,*

AUCTORE C. B.

Menologium Basilianum & Synaxarium Sirmondi innuit) omnes ad mortem pro Christo obeundam adduxit, ac primùm illi (*Discipuli Michaëlis*) porrecta cervice, obtruncati sunt, deinde verò & sanctissimus Michaël. *Elogio huic duo insuper versiculi præmittuntur, quos, addita interpretatione Latina, hìc pariter exhibeo:*

Τμηθεὶς Μιχαὴλ συν᾽ μαθηταῖς τρὶς δέκα
χορῷ συνήφθη τῶν μοναχομαρτύρων.

Michaël cum discipulis triginta capite truncatus, sive capite à corpore sejuncto, choro conjungitur monachorum martyrum.

numerus, à Baronio perperam

3 *Versiculorum auctor frigidè admodum hìc ludit in verbis* τέμνειν, *abscindere, dividere, sejungere, &* συνάπτειν, *copulare, conjungere, significatione inter se pugnantibus; numerum verò Discipulorum* Michaëlis *hegumeni sive abbatis per triginta, neglecto supra decadas excessu, rotundè tantùm exprimit; nam & Elogio & versiculis huc jam transcriptis annuntiatio præfigitur, in qua* S. Michaëli *Discipuli non tantùm triginta, sed triginta sex attribuuntur: en illam:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τῶν ἁγίων μαρτύρων, Μιχαὴλ ἐκ τῆς μονῆς Ζώβης, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ϛ᾽ ἁγίων Μοναχῶν, τῶν μαρτυρησάντων ἐν τῇ ἐνορίᾳ Σεβαστοπόλεως. Eodem die, sanctorum martyrum Michaëlis ex monasterio Zobes, sanctorumque Monachorum triginta sex, sociorum ejus, qui prope Sebastopolim martyrium subierunt. *Menologium Basilianum, tum prout apud Ughellum tom. 6 Italiæ sacræ insertum exstat, tum prout studio & operâ Eminentissimi Cardinalis Annibalis Albani typis recentioribus est excusum,* Michaëli *Socios triginta sex pariter adjungit, quod & Synaxarium Sirmondi facit, ut dubium non sit, quin adducti versiculi numerum Discipulorum* S. Michaëlis *justo minorem exhibeant, qui à vero longiùs etiamnum aberraret, si standum foret Sanctorum nostrorum Elogio, prout illud ex Menologio Basiliano Annalibus suis ecclesiasticis Baronius inseruit; etenim in eo* S. Michaël *cum Sociis sexaginta sex martyrium subiisse, narratur.*

assignatus, uti etiam ex Elogio vitiato,

4 *Verùm cùm apud omnes sensatos minùs valere debeat unum illud Sanctorum nostrorum Elogium à Baronio productum, in quo sexaginta sex Socii* S. Michaëli, *quàm ceteri Fasti sacri mox laudati, in quibus triginta sex dumtaxat attribuuntur, plures ego Socios quàm triginta sex* S. Michaëli *attribuendos non censeo, suspicorque Baronium præ manibus habuisse codicem Menologii Basiliani corruptum, in quo notæ arithmeticæ Græcæ ξϛ᾽, 66, pro notis item arithmeticis Græcis λϛ᾽, 36, mendosè exaratæ erant. Suspicio hæc ex eo augetur, quòd idem illud Elogium à Baronio productum Sanctos nostros, Constantino & Irene imperantibus, floruisse, non prodat, quod tamen tabulæ omnes Græcæ, si unum Menologium Basilianum, prout apud Ughellum exstat, exceperis, num.* 1 *citatæ faciunt, ut vel ex eo Baronianum Sanctorum nostrorum Elogium interpolationis suspectum haberi meritò queat, uti & illud jam memoratum, quod apud Ughellum priori semestri Menologii Basiliani parti inscribitur, quodque cum Elogio Baroniano in eo quidem discrepat, quod Constantini saltem meminerit, in eo tamen convenit, quod Irenes, quemadmodum & illud, nomen omittat.*

quale & Ughellianum est,

5 *Verùm, ne quis, etiamsi Elogium Baronianum jam suspectum habeat, in dubium etiamnum fortè vocet, an non saltem illæ ipsæ Græcæ tabulæ, quibus Constantini ac Irenes nomen inscribitur, interpolatæ potiùs sint, quàm Sanctorum nostrorum Elogium apud Ughellum, in quo solus Constantinus, omisso Irenes nomine, memoratur, juverit ex Præfatione, quam Menologium Basilianum typis recentioribus excusum præfert, verba huc transcribere, quibus, ut, quid de Menologio Basiliano, prout apud Ughellum exstat, universim sentiendum sit, cognoscamus, opportunè ad rem nostram dicitur:* Quam verò Petri Arcudii nomine Ughellus vulgavit priorem semestrem Menologii partem, à cl. v. Josepho Simonio Assemano sacrosanctæ basilicæ Vaticanæ presbytero beneficiato, qui eosdem codices Orientales in bibliotheca Clementino-vaticana recensuit, castigatam novaque propemodum interpretatione donatam edimus: à Græco enim textu quàm longissimè distabat, quemadmodum facta collatione perspicuum redditur: multa siquidem ab interprete perperam adjecta, vel prætermissa; quædam alio prorsus, quàm textus patitur, sensu exposita; corrupta alicubi Sanctorum etiam nomina; ubique demum paraphrasim potiùs, quàm fidelem versionem cernere est: adeò ut genuinum Arcudii viri Græcè Latinéque doctissimi fœtum esse, eruditi vix crederent, nisi Ughellus id affirmaret. *Quibus sanè verbis omnino mihi persuadeo, inter ea, quæ ab Arcudio hìc perperam prætermissa dicuntur, Irenes nomen meritò posse recensèri, ut proinde non dubitem, quin Basilianum Sanctorum nostrorum Elogium apud Ughellum exstans interpolatione ab Arcudio vitiatum sit.*

tempus martyrii, quod certò

6 *Nomen autem Irenes, ut opinor, Arcudius hìc omisit, solumque Constantini, siquidem utrumque in exemplari Græco, quod Latinè vertebat, fuerit signatum, propterea retinuit, quòd illud pugnaret, hoc verò optimè conveniret cum opinione Baronii, à quo Sanctorum nostrorum martyrium ad annum* 16 *Constantini Copronymi, Christi* 756, *adeoque ad tempus Constantini & Irenes imperio annis ampliùs* 20 *anterius referri, conspiciebat. Verùm Baronio, viro licèt eruditissimo, qui procul omni dubio, modò genuinum Menologii Basiliani exemplar, in quo & Constantini & Irenes nomina signarentur, præ oculis habuisset, aliter fuisset facturus, tantùm hìc ab Arcudio tribui non debebat, præsertim cùm fundamentum, cui innixus id idem Baronius feciisse videtur, admodum infirmum sit. Etenim* S. Michaëlis *ejusque Sociorum martyrium unicè propterea (neque enim aliud, ob quod id faciat, occurrit) anno* 16 *Constantini Copronymi, Christi* 756 *innectit, quòd in Basiliano Elogio Sancti nostri à Saracenorum amera, nomine Alim, martyrio coronati legantur; at ex hoc pro anno, quo Sancti nostri coronati sunt, determinando nihil sanè meritò poterat concludere: vel enim per Saracenorum Ameram designari supremum eorum principem, perperàm opinatus est, vel, ut debuit, (vide Cangium in Glossario mediæ & infimæ Græcitatis ad vocem* Αμηρᾶς) *provinciæ tantùm urbisve præfectum: utriusvis opinionis vir eruditissimus fuerit, dubium mihi non apparet, quin propterea, quòd principem, nomine Alim, qui sive supremum sive subordinatum in Saracenos imperium, Constantino & Irene imperantibus, obtinuerit, nec apud Theophanem, nec apud alios scriptores inveniret, Sanctorum nostrorum martyrium referendum duxerit non ad annum aliquem Constantini & Irenes imperii, sed ad annum* 16 *Constantini Copronymi, quo tunc regnante, dux quidam apud Saracenos floruit, quem laudatus Baronius, citato etiam pro se Theophane, Halim nominat, quem-*

A *quemque in Theodorum patriarcham Antiochenum duriſſimo exſilio ſæviiſſe, ſcribit, ac proinde aptum judicavit, cui Sanctorum noſtrorum necem pariter imputaret.*

cum Conſtantini & Irenes imperio, ex variis verò

7 *Verùm præterquam quòd Saracenorum dux, qui Theodorum patriarcham Antiochenum in exſilium pepulit, a Theophane, quem ego quidem habeo præ oculis, non Halim, ſed Salem, Græcè* Σαλὴμ *nominetur, veriſimile admodum eſt, Conſtantino & Irene imperantibus, plures exſtitiſſe Saracenorum ameradas, id eſt, provinciarum urbiumve præfectos, qui, quamquam id ex hiſtoriographis, utpote omnia ducum nomina, qui eo tempore, de quo ſcribunt, floruêre, non ſemper enumerantibus, minimè innoteſcat, nomine tamen Alim ſive Halim, genti illi ſcilicet admodum communi, fuerint appellati, quique Sanctis noſtris hoſtilis invaſionis occaſione necem potuerint inferre, ut propterea ad Halim ſive Salem, qui, Conſtantino Copronymo imperante floruit, recurrendum non fuerit, vimque omnem amittat argumentum, quo illæ Græcorum tabulæ, quibus in Sanctorum noſtrorum elogio Irenes nomen inſcriptum eſt, interpolationis poſſent haberi ſuſpectæ.*

B *Quapropter iis innixus pro indubio habeo, ſi quid tamen pro indubio haberi queat, quod ſola Menæorum ſimiliumve monumentorum Græcorum fide ſcitur; pro indubio, inquam, habeo, Sanctos noſtros martyrio coronatos eſſe, Conſtantino & Irene imperantibus, id eſt, illo temporis intervallo, quod intercedit inter Septembrem anni 780 & Octobrem anni 790, intra quos terminos Pagius aliique ſcriptores omnes decennium, quod Conſtantini & Irenes imperio Theophanes attribuit, unanimi conſenſu includunt. Atque ita quidem, Baronio confutato, longè certiori, at ſimul etiam ſpatioſiori temporis intervallo affixum eſt Sanctorum noſtrorum martyrium; ut autem id arctiori etiam affigatur, Saracenorum, Conſtantino & Irene imperantibus, in imperium Romanum irruptiones, quoniam earum una, ut ex Elogio num. 2 recitato liquet, Sanctis noſtris opportunitatem martyrii obtulit, examinari, neceſſe eſt, ut cum anno irruptionis, cujus occaſione Sanctos noſtros fuiſſe interfectos veroſimiliùs eſſe deprehendemus, annus ſimul martyrii, ſi non certus, ſaltem etiam veroſimilior innoteſcat.*

Saracenorum apud Abul-pharajum, Elmacinum

C 8 *Inter irruptiones, quibus Saraceni Conſtantini & Irenes imperium afflixerunt, memorabilior illa eſt, quam Aaron Rashidus, filius Mahadis ſive Almodhii, ſupremi Saracenorum principis, jubente patre, ſuſcepit, quamque Gregorius Abul-pharajus, in compendioſa Dynaſtiarum Hiſtoria ad annum Hegiræ 165, qui à 28 Auguſti anni Chriſti 781 uſque ad 17 Auguſti anni 782 excurrit, in hunc modum deſcribit:* Anno centeſimo ſexageſimo quinto miſit Almodhius filium ſuum Alrashidum ad bellum Græcis inferendum; qui progreſſus eſt, donec ad ſinum Conſtantinopolitanum perveniret. Erat tunc temporis Græcorum Domina Irene Leonis imperatoris uxor, quòd ſcil. filius ipſius minorennis eſſet, cùm periiſſet pater ejus, cùm ipſe adhuc in gremio (matris) eſſet. Metuens ergò fœmina à Moſlemiis, (Saracenis) pacem à Rashido petiit, de qua inter ipſos convenit pecuniæ ſummâ numerandâ, utque pararentur ipſi viæ duces, & rerum venalium fora per viam (diſponenda) ſiquidem eò venerat per viam anguſtam, & periculoſam, cujus ab altera parte fuit mons lubricus, ab altera fluvius Sagaris: in quibus cùm ipſi annuiſſet (fuit autem tributi ſumma ſeptuaginta aureorum millia, quotannis pendenda) ab ipſa receſſit; quod ſi animo prudenti fuiſſet, facilè Moſlemios à reditu impedire, eoſque internecioni dare potuiſſet. *Eamdem Saracenorum in Romanas ditiones irruptionem refert Elmacinus lib. 2 Hiſtoriæ Saracenorum ad annum Hegiræ 164, ideoque veroſimiliter Pagius hanc innexuit anno Chriſti 781, qui à 1 Januarii uſque ad 27 Auguſti cum anno Hegiræ 164 congruit. Aſt veriſimile mihi non apparet, Saracenos, qui prima vice, quâ, Conſtantino & Irene primo anno jam imperantibus, menſe Junio aut etiam ſeriùs, adeóque, ut ex num. præcedenti fas eſt colligere, anno 781 Romani imperii fines invadere tentârant, magna clade, ut refert Theophanes, fuerant repulſi, uno alterove menſe poſt cladem illam acceptam, quod tamen, ut conſideranti patebit, in Elmacini ſententia adſtruendum eſt, expeditionem talem, qualem ex Abul-pharajo jam huc tranſcripſimus, ſuſcepiſſe. Quare hîc non Elmacino, ſed Abul-pharajo aſſentior, qui illam anno Hegiræ 165 illigans, minimè obſtat, quò minùs, ut exigi videtur, in annum Chriſti 782 differatur.*

AUCTORE C. B.

& Theophanem E 9 *Porrò Theophanes duas inſuper alias expeditiones, Conſtantino & Irene imperantibus, à Saracenis in Romanum imperium ſuſceptas commemorat, alteram maritimam, quæ anno Chriſti 790 contigit; terreſtrem alteram. Terreſtrem, quam Pagius aliique cum anno Chriſti 788 conjungunt, his verbis deſcribit:* Hoc anno menſe Septembri acies Arabum (*Saracenorum*) ad prædandum comparatæ in Romaniam irruptionem fecerunt, & in Orientalium thema ad locum, cui nomen Copidnadus, penetrârunt. Romanorum autem duces, collectis in unum copiis, bello cum eis decertantes fuſi ſunt. Ex quo perierunt plurimi, nec non ex exulum turmis non pauci: Diogeneſque Orientalium turmarcha vir ſtrenuus, & Opſicii duces cecidêre. *Maritimam verò illis:* Interea Arabum (*Saracenorum*) claſſis in Cyprum expeditionem ſuſcepit: quod cùm imperatrix (*Irene*) præſenſiſſet, collectas pariter Romanas omnes naves in eos inſtruxit. Cùm autem ambo duces Myram perveniſſent, ſuperato Chelidoniorum promontorio in Ataliæ ſinum claſſem immiſerunt. Arabes porrò Cypro ſolventes, tranquillitate exorta, in mari oberrabant. Cúmque terram proſpicere cœpiſſent, extemplò eos adnavigantes claſſis præfecti conſpexerunt: quare claſſe ad prælium inſtructa, bellum commiſerunt. *Subdit deinde Theophili Cybyrrhæotarum ducis in fide conſtantiam, qui in expeditione illa à Saracenis captus, ad Aaronem eorumdem imperatorem ductus eſt, cúmque nec minis nec promiſſis à fide Chriſti poſſet avelli, gladio tandem percuſſus martyrii palmam obtinuit.*

F

relatis expeditionibus cum anno Chriſti

10 *Plures fortè alii Chriſtiani in eadem Saracenorum expeditione mortem pro Chriſto fortiſſimè oppetierunt; at inter eos fuiſſe* S. Michaëlem *ejuſque Socios, non opinor; etenim hi in laudatis ſæpe Græcorum tabulis martyrium paſſi dicuntur prope Sebaſtopolim; nulla autem civitas, quæ Sebaſtopolis nominetur, ſeſe offert vel in Cypro vel in regionibus Cypro adjacentibus, in cujus accolas Saraceni igne ferrove ſævire tunc potuerint. Cellarius quidem in Geographia antiqua ex Ptolomæo, Strabone, Stephano aliiſque antiquis geographis aſſignat inſulæ Eleuſæ oppidum, nomine Sebaſten, quod non admodum procul à Cypro eſt diſſitum, quodque adeò tunc Saracenorum feritati potuit eſſe expoſitum. Aſt oppidum illud, qualecumque fue-*

AUCTORE C. B.

fuerit, nec apud geographos antiquos à laudato Cellario citatos, nec apud alios quoscumque scriptores Sebastopolim *nominari invenio: ut nihil hinc habeatur, ob quod Sanctorum nostrorum martyrium maritimæ huic Saracenorum expeditioni meritò attribuatur. Neque est, quòd dicas, civitatem quamcumque, quæ* Sebaste *dicitur, indiscriminatim apud geographos* Sebastopoleos *etiam nomine venire, aut contrà; illud enim à vero alienum esse, mox dicemus, cùm de Sanctorum nostrorum palæstra erit agendum. Inquirendum nunc ulteriùs est, cui ex memoratis reliquis Saracenorum expeditionibus* S. Michaëlis *ejusque Sociorum martyrium optimè conveniat.*

782 *vel* 788 *verosimilius congruit.*

11 *Expeditioni, cujus sub finem num.* 8 *breviter memini, quamque Saraceni, anno primo imperii Constantini & Irenes, mense Junio susceperunt, verosimillimè non convenit, cùm tunc cum dedecore à Romani imperii finibus, clade accepta, fuerint prohibiti. Quare necesse est, ut alterutri ex duabus reliquis conveniat: utri verò, pro certo nequeo edicere, ut definitum dumtaxat sit, Sanctos nostros verosimiliter vel anno* 782 *in memorabiliori illa Saracenorum expeditione, quam num.* 8 *exposui, vel anno* 788 *in terrestri eorumdem expeditione, quam ex Theophane num.* 9 *pariter exhibui, martyrium subiisse. At erit fortasse etiam, qui* S. Michaëlem *ejusque Socios, neque cùm Saraceni anno* 782, *neque cùm anno* 788 *in Romanum imperium expeditionem susciperent, martyrium passos esse, idcirco contendat, quòd in priori illa expeditione eas dumtaxat provincias, quæ inter flumen Sagarim, Mediterraneum mare Ægeumque interjacent, pervagati sint; in posteriori verò Anatolicum Thema tantùm, sive eam Romani imperii divisionem, in qua secundum Constantinum Porphyrogenitum de Thematibus lib.* 1 *Phrygia Salutaris ac Pacatiana, Lycaonia, Pamphylia, Pisidia & Lycia continentur, à quibus omnibus regionibus Armenia, in qua Martyrum nostrorum palæstram infrà statuimus, nimis distat, quàm ut in eam Saraceni irrumpere tunc potuerint. Verùm quid nî præcipua Saracenorum exercitûs parte vèl ad Sagarim vel in Orientalium themate sub duce primario occupata, pars altera, ex copiis velitaribus levisve armaturæ militibus potissimùm constans, sub ducibus inferioribus in Armeniam, licèt nonnihil dissitam, ad prædas agendas viresque inimici distrahendas irrumpere potuerit? Quòd si id displiceat, negari saltem non potest, Armeniam invadere Saracenos tunc potuisse, cùm expeditionem anni sive* 782 *sive* 788 *suscipientes, iter instituerent per Mesopotamiam ac Cappadociam, quæ duæ provinciæ Armeniam habent conterminam, ut credibile semper maneat, Saracenorum in Armeniam irruptionem, de qua Sanctorum nostrorum in Fastis Græcorum sacris Elogium, vel anno* 782 *vel* 788 *accidisse, adeoque* Michaëlem *ejusque Socios martyrii palmam alterutro anno fuisse consecutos. Nunc ad locum, in quo Sancti nostri glorioſum pro fide certamen inierunt, determinandum progredior.*

Ubi & quæ fuerit

12 *In Elencho Sanctorum diei huic præfixo* S. Michaëlem *ejusque Socios triginta sex Menologii Basiliani interpretis, Galesinii, Ferrarii ac Arcudii exemplo deceptus prope Sebastam signavi; postea verò, in titulo scilicet hujus Sylloges, prope* Sebastopolim. *Re quippe meliùs examinata, deprehendi* Σεβαστόπολιν, *prope quam civitatem in Græcorum tabulis Sancti nostri, irruptione à Saracenis facta, decertâsse dicuntur, non etiam* Sebastam *sive* Sebastiam, *sed* Sebastopolim *unicè esse appellandam, prout eam rectè appellavit Baronius. Cùm enim Myrinam à medii ævi scriptoribus, iisve antiquioribus,* Sebastopolim *nominari, nuspiam inveniam, Saracenos autem, Constantino & Irene imperantibus, vel in Colchidem, utpote quæ à regionibus, quas tunc invadebant, spatio multùm longiori, quàm Armenia, de qua num. præcedenti, sit dissita, vel in partes Samariæ vicinas, utpote quæ ab iis tunc pacifica possessione tenerentur, hostiliter irrupisse, verosimile non appareat, consequens est, ut per* Sebastopolim, *in cujus viciniam Saracenos irrupisse, Sanctorum nostrorum Elogium prodit, nec Myrina, civitas olim Æolidos, quæ &* Sebastopolim, *teste Plinio, se vocavit; nec Samaria, sicubi fortè & hæc* Sebastopolis *nominetur, nec tandem etiam* Sebastopolis, *Plinio & Ptolomæo urbs Colchidis, designetur. Ex quo, cùm præter has civitates & Sebasten num.* 10 *memoratam, quæ omnes* Sebastopoleos *nomine, Sebastopoli Colchidis tantùm exceptâ, de qua tamen hîc etiam non agi, jam vidimus, dubitanter tantùm appellari queunt, in Armenia insuper occurrat civitas, quæ certò Sebastopolis appelletur, ulteriùs consequitur, ut hæc ipsa in Sanctorum nostrorum Elogio verosimillimè designetur, eorumque fuerit Martyrii palæstra.*

martyrii palæstra.

13 *Hæc autem civitas tum à Plinio ceteriſque antiquis, tum à medii ævi geographis solo* Sebastopolis *nomine constantissimè appellatur, ut dubium mihi non sit, quin indiscriminatim nunc* Sebasta, *nunc* Sebastopolis *nequeat appellari: id enim tunc fortè fieri dumtaxat posset, si unus saltem probæ notæ auctor exemplo suo id docuisset, quod ego post longum diligensque examen comperire non potui. Et verò, si civitas illa indiscriminatim sic vocaretur, foret id perquàm incongruum: cùm enim in Armenia alia insuper civitas, quæ in Notitiis Græcorum episcopatuum ad calcem Codini de Officiis caput est Armeniæ primæ, interque metropolitanas ecclesias locum undecimum servat, ac pro prima suffraganea* Sebastopolim *habet, nomine* Sebasta *sive* Sebastia *constantissimè vicissim nuncupata, inveniatur, si* Sebastopolis *nomine* Sebastes, *aut* Sebaste *nomine* Sebastopoleos *indiscriminatim vocitetur, ex solo* Sebastes *aut* Sebastopoleos *nomine sine distinctionis nota, quam à scriptoribus tamen nuspiam adhiberi video, intelligi non poterit, an ab iis de* Sebasta *aut* Sebastopoli, *quæ metropolitana sit ecclesia, an verò de* Sebasta *aut* Sebastopoli, *quæ tantùm sit suffraganea, sermo instituatur. Quamquam autem nihil hinc, quod prorsus certum sit, pro* Sebastopoleos *aut* Sebastes *appellatione possit erui, liquet saltem* Sebastopolim *solo* Sebastopoleos *nomine,* Sebasten *verò solo* Sebastes *aptiùs appellari; imò cùm Sancti nostri in annuntiatione, quæ Elogio Menæorum præmittitur, alibique* ἐν τῇ χώρᾳ Σεβαστοπόλεως, *id est,* in vicinia Sebastopolis *martyrio coronati indicentur, dubium etiam non videtur, quin Græco textui accommodatiùs* prope Sebastopolim, *quàm prope* Sebasten *annuntientur.*

A

AUCTORE J. S.

DE B. THOMA ARCHIEPISCOPO CONFESSORE MEDIOLANI IN INSUBRIA.

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA.

§ I. Qualiſcumque Beati veneratio probata.

CIRCA DCCLXXXIII. *B. Thomam in Martyrologio Mediolanenſi memoratum,*

Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, nullibi memoravit B. Thomam, *archiepiſcopum Mediolanenſem, nec ullum eidem texuit elogium in Catalogo Sanctorum Italiæ. In indice tamen hujus Operis* Thomam *Sanctis aut Beatis annumeravit his verbis:* Thomas epiſcopus Mediolanenſis, XXVIII Septembris. *Ad hunc diem aliàs quoque relatus fuit, ut videbimus. Verùm Petrus Paulus Boſca, qui Martyrologium Mediolanenſe anno 1695 edidit,* B. Thomam *ad hunc diem cum titulo* Sancti *commemoravit, ita ſcribens:* Mediolani ſancti Thomæ ejuſdem urbis epiſcopi & confeſſoris, qui ritus Ambroſianos, adjuvante ſancto Eugenio epiſcopo, conſtantiſſimè defendit. *Multos ad aſſerendum* B. Thomæ *cultum eccleſiaſticum, aut ſua de eo aſſerta, allegat ſcriptores, quos ferè omnes conſului, quòd multi nullo* Beati *aut* Sancti *titulo* B. Thomam *honoraverint, ideoque nonnullam de legitimo ejus cultu dubitationem mihi injecerint. At qualecumque iſtud dubium mihi prorſus exemi perſcrutando ſcriptores à Boſca allegatos. Nec ſolùm perſpexi, hoc tempore coli* B. Thomam, *ſed etiam cultum fuiſſe immemorabili tempore ante celebre Urbani VIII de cultu Sanctorum decretum: quod ex ſolis Boſcæ verbis minùs perſpicere poteram.*

B

2 *Præcipua ratio dubitandi de* B. Thomæ *cultu erat* Tabula archiepiſcoporum ſanctæ eccleſiæ Mediolanenſis, ex decreto concilii provincialis IV edita, & multis deinde partibus aucta, *quæ hoc ipſo titulo Mediolani impreſſa eſt anno* 1584, *& compoſita, opinor, à Galeſinio, qui certè ſubſcripſit pro archiepiſcopo. In hac tabula plurimis archiepiſcopis datus eſt* Sancti *aut* Beati *titulus; non item* Thomæ, *de quo ibidem hæc leguntur:* Thomas Craſſus, Mediolanenſis, pietatis ſtudio deditus, religionis causâ Hieroſolymam peregrinatus: inde reverſus, Hadriano Pontifice, Cal. Novembris archiepiſcopus factus, Ambroſiani Officii libros, quos Carolus Magnus inflammandos cenſuit, Eugenii epiſcopi ſtudio mirificè defendit. Carolum Magnum, Italiæ regem, coronâ ferreâ coronavit; Gliſſam Pipini regis filiam Mediolani ſolemniter baptizavit. Sedit annis XXVIII. Obiit Cal. Oct. Sepultus in baſilica S. Laurentii. B. Thomæ *geſta aut certè, quæ eidem tribuuntur, hîc perſtricta ſunt, ſed nullus ei datus Sanctitatis titulus; & id imitati ſunt Ughellus tom.* 4 *Italiæ ſacræ in Catalogo antiſtitum Mediolanenſium, & Papebrochius noſter in eorumdem Chronotaxi ante tomum* VII *Maii, ſicut & alii plures, quos recenſere non eſt neceſſe. Ipſe Puricellus in Vita B. Laurentii Littæ, archiepiſcopi Mediolanenſis, in qua tam hujus quàm* B. Thomæ *cultum ſatis probavit, à* Sancti *&* Beati *titulis abſtinet, dum ſuis utitur verbis.*

multi ſine Sanctitatis titulo laudaverunt.

C

3 *Quapropter tantò diligentiùs ex memorato Puricelli Opere omnia colligam, quibus legitimus Beati cultus aſſeritur. Erat Joannes Petrus Puricellus archipresbyter eccleſiæ S. Laurentii, in qua ſervatur corpus* B. Thomæ, *& in qua Officio eccleſiaſtico colitur. Vita autem B. Laurentii, quam allegabimus, impreſſa eſt anno* 1653. *Primò cap.* 26 *num.* 19 *oſtendit, corpus* B. Thomæ *diu ante iſtud tempus reliquiis Sanctorum annumeratum fuiſſe, ipſumque* Thomam *titulo* Sancti *honoratum. Nam allegat tabulam pergamenam, quæ olim pependerat in eccleſia ad inſtruendum populum de indulgentiis & reliquiis Sanctorum ejuſdem eccleſiæ. Ad commendandam illius tabulæ vetuſtatem ait:* Inſcripti autem in ea characteres vetuſtate ipſa teneiſque ſic abſumpti jam ſunt, ut multi nullo modo legi poſſint, reliqui verò ægrè tantùm ac difficulter. *Deinde ex ea tabula recitat hæc verba:* Item circa dictam eccleſiam eſt capella S. Petri, in qua eſt omni die indulgentia annorum quadraginta octo, & totidem quadragenarum, per totum annum: & ibi jacet corpus ſancti Thomæ archiepiſcopi Mediolani. *Num.* 23 *ait:* Libellum ego quoque Italicum habeo, typis Mediolanenſibus anno MDXV impreſſum, quo Sanctorum reliquiæ, in hac ſancti Laurentii baſilica jacentes, ... enumerantur. *In his autem quarto loco numeratur* Sanctus Thomas epiſcopus, *qui ex aliorum conſenſu nequit exiſtimari alius, quàm de quo agimus.*

At corpus B. Thomæ

E

F

4 *Rurſum cap.* 32 *num.* 2 *adducit librum Italicum Caroli à Baſilica Petri, epiſcopi poſtea Novarienſis, de aliquot eccleſiis Mediolanenſibus, dicatum S. Carolo Borromæo, & editum anno* 1576. *Agens ille de eccleſia S. Laurentii, enumerat capellas in circuitu poſitas, & inter has capellam S. Petri,* in cujus altari, *inquit Italicè,* eſt corpus ſancti archiepiſcopi noſtri Thomæ. Hic baptizavit Gliſſam, filiam Pipini regis; quando quidem, cùm filium & filiam baptizandos curare propoſuiſſet, voluit, ut ille baptizaretur à Papa, hæc ab archiepiſcopo Mediolanenſi. *Conſentit Paulus Morigi de corpore* ſancti Thomæ, *ut vocat, ſervato in altari dicto, & de baptizata per eumdem Gliſſa Pipini filia, nimirum in Hiſtoria Mediolanenſi, quam laudat Puricellus num.* 3. *Idem de corpore* B. Thomæ, *quem* Sanctum *conſtanter vocat, repetit Morigius in Sanctuario Mediolanenſi, ubi nonnulla addit Italicè, quæ reddo Latinè.* In altari S. Petri

ab immemorabili tempore reliquiis Sanctorum

AUCTORE J. S.

tri depositum habetur corpus sancti Thomæ, nobilis Mediolanensis ex familia Crassa, & Mediolanensis archiepiscopi. Hic fuit egregius defensor Officii Ambrosiani, & baptizavit Glissam, filiam Pippini regis Italiæ. *Idem Morigius in tertio Opere ibidem laudato* B. Thomam *sanctis archiepiscopis adnumerat. Addit Puricellus num.* 4 *Joannem Petrum Glussianum, qui in Opere Italico, quod edidit anno* 1593, de septem stationalibus *Mediolani ecclesiis*, corpus sancti Thomæ *in altari jam frequenter dicto servari dicit. Consentit Joannes Baptista Villa, qui eodem ferè modo loquitur, & allegatur à Puricello num.* 5.

annumeratum fuit, & ipse Sancti titulo honoratus:

5 *Mox laudatus Puricellus pergit ad visitationes reliquiarum, quas fecerunt S. Carolus Borromæus anno* 1581 *ejusque successor Federicus Borromæus anno* 1608, *ambo archiepiscopi Mediolanenses & S. R. E. Cardinales. In Actis posterioris inter reliquias numeratur* corpus sancti Thomæ, archiepiscopi Mediolani. *In Actis visitationis S. Caroli ita scriptum de altari S. Petri testatur Puricellus num.* 8: In hoc altari reconditum est corpus sancti Thomæ, archiepiscopi Mediolani. *Tum addit decretum, post visitationem à S. Carolo factam de* S. Thomæ *corpore, quod sic habet:* Corpus quoque divi Thomæ archiepiscopi, intra terram prope altare S. Petri depositum, ibi dimitti posse sub custodia scholarium sancti Gottardi, cum capitulo. *Subjungit Puricellus suis verbis:* Quæ quidem obiter à me, sed eo lubentiùs, superaddita sint, ut ejus archiepiscopi Thomæ (nimirum Crassi) sanctitas testimonio etiam sancti Caroli & Federici archiepiscoporum innotesceret. *Castellionæus, qui Vitam* B. Thomæ *scripsit Italicè, laudatus apud Puricellum cap.* 33 *num.* 22, *observat, non commendari Scholaribus & capitulo aliorum corpora, quàm Sanctorum, & sic testimonio S. Caroli cultum* B. Thomæ *confirmat, eumque ab eodem* Sanctum *vocari observat.*

B

miraculum quoque factum in ablatione unius ex ossibus.

6 *Idem porrò Castellionæus, apud Puricellum num.* 21 *laudatus, observat, sacellum istud S. Petri Scholaribus Confraternitatis S. Gothardi commendatum sive traditum fuisse, ut istud instaurarent & exornarent, illoque uterentur pro celebratione Missarum & pro aliis Confraternitatis suæ Officiis. Occasione instaurationis prædictæ anno* 1567, *die* x *Junii, inventum est corpus* B. Thomæ *in theca marmorea. Apertâ hac thecâ, capellanus Confraternitatis Scholarium ex ea sumpsit os, & in oratorio cum aliis reliquiis deposuit. Verùm, ubi domum abierat, gravissima correptus est febri. Subita hac castigatione attonitus & ambiguus hæsit. Tandem curavit, se conduci ad memoratum oratorium, sumpsitque sacrum illud lipsanum, & recluse rursum thecæ restituit. Quo facto, confestim eo ipso momento sanus fuit, omnique febri & inde enato corporis stupore liberatus. Hæc eo modo, sed paulò prolixiùs enarrat Castellionæus, qui & nomen illius sacerdotis ait fuisse* Hieronymum Messaglia, *& ætatem quadraginta annorum. Quæ hactenus produxi, probant manifestissimè, titulo* Sancti *à plurimis honoratum fuisse* B. Thomam, *& corpus ejusdem à tempore immemorabili sacris reliquiis fuisse annumeratum. Hæc jam utcumque sufficerent ad eum cum titulo* Beati *inserendum Operi nostro.*

C

Prædicta confirmantur documentis seculi 14 *& 15,*

7 *Verumtamen certiora etiam profert Puricellus, partim ex Castellionæo, partim aliunde. Nam cap.* 33 *num.* 23 *testatur, sibi esse codicem Ambrosianum,* & in ejus calce Calendarium, anno Christi millesimo trecentesimo octuagesimo primo consignatum. *Ex hoc autem Kalendario ad* x *Septembris hæc producit verba:* Sancti Thomæ archiepiscopi. Jacet ad sanctum Laurentium. *Itaque jam seculo* XIV Thomas *Kalendario adscriptus fuit cum titulo* Sancti. *Tum ex Castellionæo producit inscriptionem, quæ inventa est in arca marmorea, in qua Beati corpus inventum est anno* 1567, *quando Scholares confraternitatis S. Gothardi sacellum S. Petri exornârunt, ut modò dictum. Inscriptio autem, quæ priorem ejusdem corporis inventionem docet, hæc est:* Inventio sancti Thomæ, archiepiscopi Mediolani, decimo Junii, millesimo quadrigentesimo nonogesimo septimo.

D

& accedit annuum Officium in ecclesia S. Laurentii.

8 *Demum omnia de cultu confirmantur per annuam Beati festivitatem, quæ celebratur in ecclesia S. Laurentii die* 1 *Octobris, ut testatur Puricellus ejusdem ecclesiæ archipresbyter, non* XXVIII *Septembris, ut scripserant Castellionæus & Joannes Franciscus Besozzo, inferiùs sæpius memorandus. In Kalendario Missalis, anno* 1560 *impressi, dies festus* B. Thomæ *etiam indicatur ad* XXVIII *Septembris, ut observat Bosca in Annotatis ad Martyrologium. Fortè illo die olim celebrata est festivitas, eaque deinde ad Kalendas Octobris translata. Puricellus quoque observat, in illo Missali festivitatem* B. Thomæ *annuntiari, sed illam à se non inventam in aliis Breviariis aut Missalibus, sicut etiam non habetur in Missali Mediolanensi, quod in Museo nostro habemus impressum anno* 1522. *At id factum existimo, quòd festum istud in unica S. Laurentii ecclesia celebratur. Ceterùm Castellionæus apud Puricellum num.* 22 *asserit, Beati festum in illa ecclesia celebrari ex vetusta consuetudine; mandatumque decreto S. Caroli Borromæi, ut illa consuetudo observaretur. Hæc sufficiant de legitimo* Thomæ *cultu, quem tamen* Beatum *malui vocare, quàm* Sanctum, *quòd in unica colitur ecclesia.*

E

§ II. Tempus episcopatûs investigatur.

Pausa de gestis Beati scripta, eaque partim incerta.

DE *gestis* B. Thomæ *pauca narrantur, pauciora sunt certa. Qualemcumque Beati Vitam Italicè scripsit Joannes Antonius Castellionæus, sed eam non habemus. Ætas autem Castellionæi, qui floruit & scripsit seculo* XVII, *facit, ut libellum illum minùs necessarium credam, cùm omnia ex vetustis colligere debuerit, sicut alii fecerunt, si quid rectè scripsit. Historiam Pontificum Mediolanensium Italicè scripsit Joannes Franciscus Besutius (Besozzo) eaque aucta est, & sic anno* 1623 *recusa. In hac* B. Thomas *inter antistites Mediolanenses ponitur quinquagesimus, & prolixius habet elogium, quàm alii plerique præcedentes & proximè sequentes. At multa in illo elogio sunt incerta, & nonnulla ne probabilia quidem. Tale ferè est elogium, sed multò brevius, quod concinnavit Ughellus tom.* 4 *Italiæ sacræ. Hæc duo elogia, quæ in plerisque assertis consona sunt, breviter examinabimus, unà cum chronotaxi, quam etiam Papebrochius noster examinandam suscepit in Exegesi de episcopis Mediolanensibus ante tomum* VII *Maii.*

F

10 *Ordiamur à chronotaxi, quæ lucem factis præbere solet. Tres Catalogi vetusti antistitum Mediola-*

Sediſſe dicitur annos 28, *ſed hoc minùs certum:*

diolanenſium, quorum unus editus eſt à Mabillonio in Muſeo Italico tom. 1 *pag.* 109, *alter à Papebrochio noſtro in Exegeſi jam dicta, tertius à Muratorio tom.* 4 *Scriptorum Italiæ, iiſdem planè verbis annos & dies epiſcopatûs* B. Thomæ *recenſent. Nam omnes ſic habent:* Thomas epiſcopus ſedit annis XXVIII, diebus V. Obiit V Kal. Octob., ſepultus ad S. Laurentium. *De annis & diebus, ut dixi, omnes tres conſentiunt, uti & de die obitûs. At in Papebrochiano malè legitur,* ſepultus ad S. Ambroſium; *cùm ex antè diſputatis omnino liqueat, in eccleſia S. Laurentii ſepultum fuiſſe* Thomam, *ut habent duo alii catalogi. Non additur in illis catalogis, à quo anno tempus epiſcopatûs ſit inchoandum, ut minimè mirum ſit, de eo diſſentire recentiores. Magis miror, tempus viginti octo annorum à quibuſdam adeò contractum, ut nec mediam partem retinuerint. Ripamontius Hiſtoriæ Mediolan. lib.* 9 *pag.* 580 ſeptimo pontificatûs anno *mortuum aſſerit. Ughellus* anno 12 ſui pontificatus, & circa annum Salutis 783. *Beſutius retinuit annos viginti octo epiſcopatûs, cúmque in margine notet electum anno* 765, *eos finire debuit anno* 793. *Caſtellionæus, apud Puricellum cap.* 33 *num.* 24 *laudatus, viginti & octo epiſcopatûs annos aſſerit, & obitum Beati figit anno* 798, *die* 1 *Octobris. Sic & laudatus ibidem num.* 19 *Donatus Boſſius viginti & octo illos epiſcopatûs annos admittit, & addit menſes quatuor, cúmque creatum dicat* anno Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo nono, *ſaltem uſque ad annum* 797 *facit viventem.*

B

obiit circa annum 783,

11 *Verùm Puricellus in Opere de Monumentis baſilicæ ac monaſterii Ambroſiani num.* 14 *vetuſtum produxit inſtrumentum, ex quo liquet, anno undecimo Caroli Magni, regnantis in Italia & quarto Pipini ejus filii, id eſt, anno æræ Chriſtianæ* 784, *archiepiſcopum Mediolanenſem fuiſſe Petrum, qui* B. Thomæ *ſucceſſit. Vidit hoc Ughellus, eaque de cauſa mortem* B. Thomæ *fixit circa annum* 783. *Papebrochius noſter, eodem inductus argumento, mortem* Thomæ *figendam cenſuit ipſo anno* 783. *Nequit certè hæc epocha longè à vera abeſſe: nam anno* 781 *ad finem decurrente baptizavit Giſelam Caroli Magni filiam, ut videbimus. Defunctus igitur eſt inter annos* 781 *&* 784. *Præterea Papebrochius mendum ſuſpicatur irrepſiſſe in numeros, quibus ſediſſe dicitur in vetuſtis catalogis, cenſetque pro* XXVIII *legendum* XXIV, *minùs ſaltem recedens à numero in catalogis fixo, quàm Ughellus. Conjectura illa Papebrochii certè veriſimilis eſt, nec tamen ex veriſimili conjectura res certa fieri poteſt. Hinc nolim certò affirmare, annos tantùm viginti quatuor ſediſſe* B. Thomam. *Neque enim præcedentium epiſcoporum anni tam certis argumentis indicati ſunt, ut indubitatum ſit,* B. Thomam *ipſo anno* 759, *quo initium epiſcopatûs ponit Papebrochius, promotum fuiſſe.*

C

ſed initium epiſcopatûs minùs certum: obiit die 27 *Septembris.*

12 *Puricellus in Vita Laurentii cap.* 33 *num.* 25 *annos epiſcopatûs viginti octo retinere vult, & epiſcopum creatum ſuſpicatur, circa annum* 756: *dicere etiam potuiſſet* circa annum 755. *Cùm enim obiiſſe dicatur* V Kal. Octobris, *ſive die* XXVII *Septembris, non eſt probabile, eum vixiſſe uſque ad illum diem anni* 784. *Itaque, retento obitûs die, cujus mutandi nulla eſt ratio, certò non obiit poſt annum* 783, *& creatus non eſt poſt* 755, *ſi ſedit annos viginti & octo, dies quinque. Nequeo improbare opinionem Papebrochii, cùm omnes anni, qui Mediolanenſibus epiſcopis ab initio S. Benedicti uſque ad finem* B. Thomæ *tribuuntur in antiquis catalogis, plures ſint, quàm fluere potuerunt inter annum* 680, *quo vivebat S. Manſuetus, S. Benedicti deceſſor, & annum* 783, *poſt quem non ſuperfuit* B. Thomas. *Hac de cauſa neceſſariò reſcindendi ſunt aliquot anni, & tres in Benedicto abſcidit Papebrochius, quatuor in* Thoma. *Verùm non omnino conſtat, an anni* B. Thomæ *potiùs, quàm deceſſorum, ſint minuendi. Hinc de annis, quibus ſedit, nihil certi ſtatuere volo. Alii ex recentioribus volunt, Beatum obiiſſe hoc die* 1 *Octobris, alii die* XXVIII *Septembris; ſed nihil rationis allegant, quo cogamur recedere à die* XXVII *Septembris in antiquis catalogis aſſerto.*

AUCTORE J. S.

§ III. Examinantur aſſerta de geſtis B. Thomæ.

Nonnulla de Beato ſolùm à recentioribus aſſerta, Carolum Magnum & Pipinum

PLerique *recentiores* B. Thomæ *cognomentum* Craſſi *attribuunt, nec tamen id cognomen invenio in vetuſtis catalogis, aut etiam apud ſcriptores paulò magis ab ævo noſtro remotos. Quapropter Mediolanenſibus ipſis inquirendum relinquo, an rectè vocetur* Craſſus: *nam* Thomam *ſolummodo apud vetuſtos nominatum reperio. Tabula archiepiſcoporum & Beſutius aſſerunt,* B. Thomam *ante epiſcopatum religionis causâ Hieroſolymam fuiſſe peregrinatum. Hoc vetuſtis teſtimoniis confirmare nequeo, nec tamen negare intendo, cùm fortè inventum fuerit in documentis mihi ignotis. At epiſcopatum certò non accepit ab Adriano Papa, qui Pontificatum orſus eſt anno* 772, *ſed multò citiùs. Admitti etiam difficulter poſſunt, quæ ſubjungit Ughellus, ita ſcribens:* Hic Modoëtiæ coronavit Carolum Magnum ferreo diademate, conſecravitque in regem Longobardorum anno DCCLXXIV: anno verò DCCLXXXI ejuſdem Caroli Magni filium Pipinum regni diademate inſignivit. *Eadem tamen affirmavit Sigonius lib.* 4 *de Regno Italiæ, ut nequeam mirari, pleriſque ſcriptoribus Mediolanenſibus placuiſſe opinionem de coronato per* B. Thomam *Carolo Magno coronâ ferreâ, uti & filio ejus Pipino.*

E

coronâ ferreâ redimitos à B. Thoma, aſſeruit Sigonius;

14 *Verùm Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 774 *num.* 30 *eam opinionem utcumque refellit ex ſilentio maximè ſcriptorum antiquorum. Fontaninus prolixam compoſuit Diſſertationem de Corona ferrea, in qua cap.* 3 *&* 4 *opinionem Sigonii nititur defendere, & tam Carolum Magnum, quàm filium ejus Pipinum, coronâ ferreâ per* B. Thomam *redimitos contendit. Verba Sigonii de Carolo Magno adſcribam, ut videat æquus lector, ſcriptores Mediolanenſes, ſi erraverint, ſaltem errâſſe poſt virum eruditione præſtantem,* Victo, *inquit,* captoque rege Deſiderio, & Longobardis omnibus in fidem ac deditionem acceptis, Carolus regnum Italicum ſibi jure victoriæ vindicavit. Quod ut novo præterea jure ſanciret, vetus, ut putabatur, Pontificis Gregorii decretum adhibuit. Quippe Modoëtiæ ſe per archiepiſcopum Mediolanenſem coronâ redimiri ferreâ voluit, atque, ut ita apud poſteros obſervaretur, inſtituit. *Tum cæremonias coronationis deſcribit, & ſubdit:* Hæc tum Thomas Mediolanenſis archiepiſcopus egit. Ex quo plurimum ei eccleſiæ ſplendoris accrevit. *Hæc ad annum* 774. *Deinde ad annum*

F

AUCTORE J. S.

781 *refert, Pipinum ab Hadriano Pontifice regem Italiæ inunctum, uti & fratrem ejus Ludovicum Aquitaniæ regem. Tum ſubjungit:* Quibus rebus actis, Papiam inde eſt reditum. Ibi à Thoma archiepiſcopo eadem opera renavata. Nam & Pipinum Modoëtiæ, exemplo jam à Carolo inſtituto, ferreâ coronâ donavit, & Giſlam filiam de eodem fonte (*Baptiſmi*) ritu Chriſtiano ablutam ſuſcepit. *Habes, lector, fontem, ex quo hauſerunt ſcriptores neoterici Mediolanenſes. Ex Sigonii quoque verbis malè intellectis & revera ambiguis, Giſelam, quæ erat filia Caroli Magni, filiam fecerunt Pipini.*

ſed Muratorius ſolidis argumentis probat,

15 *Muratorius tom.* 2 *Anecdotorum prolixam quoque ſcripſit Diſſertationem de Corona ferrea. In hac autem cap.* 5 *probare intendit, neque Carolum Magnum, neque Pipinum, neque ſucceſſores eorum Italiæ reges ex Francis, coronâ ferreâ redimitos fuiſſe. Diſputationem ſuam ſic ille orditur.* Exactis à regali throno Longobardis, & victo captoque Deſiderio rege, rerum in Italia potitus eſt Carolus Magnus .... Illum Modoëtiæ coronâ ferreâ ab archiepiſcopo Thoma redimitum, Carolus Sigonius ... tradit, ejuſque opinioni lubentiſſimè Zucchius ſubſcri-

B pſit. Eadem de Pipino Caroli filio, & Bernardo ac Lothario nepotibus narrant ambo laudati ſcriptores, &, ne quid diſſimulem, Gualvaneum (*Flamma ſeculi* XIV *ſcriptorem ex Ordine Prædicatorum*) quoque in Manip. Flor. cap. 126 & ſeq. eiſdem conſentientem invenio. Attamen ex ſolis conjecturis auctores iſta affirmâſſe tam certum eſt, quàm quod certiſſimum.... Sexcentos, ut ita dicam, Hiſtoriarum conditores legimus, partim Caroli Magni ejuſque ſucceſſorum æquales, partim ab eorum ætate parùm remotos.... Quis ergo non videt, in tot monimentis hanc regum coronandorum conſuetudinem præteriri non debuiſſe, ſi umquam invaluiſſet. Nihilominus, etſi minutiſſima quæque Caroli auguſti & reliquorum geſta ibidem recenſeantur, nullum tamen verbum de Modoëtienſi coronatione perinde occurrit, quaſi contemnendum & ſilentio obvolvendum decus illud fuiſſet. Contrà nemo ex his ſcriptoribus ſilentio præterit Romanam Caroli Magni coronationem, quam etiam inter præcipuas ejus laudes referendam eſſe quiſque agnoſcebat.

C

eam opinionem non eſſe probabilem.

16 *Addit auctoritatem Cointii, & ſic pergit:* Videat igitur Sigonius, quo ſe auctore tueatur, ubi Modoëtiæ coronatum affirmat Carolum. Nam quod eſt ad Pipinum ejus filium, non Modoëtiæ, ſed Romæ, Italiæ regem fuiſſe renuntiatum, ibique coronâ donatum ſcimus. *Pipinum Romæ coronatum fuiſſe, ſcripſit ipſe Sigonius, ſed iterum coronatum à* Thoma *archiepiſcopo, prorſus improbabiliter addidit. Hoc evincit Muratorius ex relato per multos Giſelæ baptiſmo, quocum Pipini coronationem conjunxit Sigonius. Nam, laudatis aliquot ſcriptoribus, qui Giſelæ baptiſmum referunt, & quibus alios mox addam, ita diſſerit:* Quod ſi Modoëtiæ coronam iterum Pipino contuliſſet Mediolanenſis archiepiſcopus, neque ignorare id auctores potuiſſent, & ſcribere debuiſſent, qui ſacram Giſelæ expiationem, quamquam longè minoris momenti rem, nequaquam omiſêre. *Poſt alia, quæ brevitatis causâ mitto, ſicut alia plura omiſi, ſic concludit:* Quod ſi veteres Hiſtorias ſedulò pervolvamus, à Romanis tantùm Pontificibus Francos reges Italico diademate cinctos intelligimus. Sigonii verò ſententiam, ubi veterum ſuffragiis ea ſit deſtituta, ſomno juſtiùs quàm D hiſtoriæ compares. Sanè Donatus Boſſius, Georgius Merula, Triſtanus Chalcus, aliique rerum Mediolanenſium diligentiſſimi ſcriptores, & in hujus urbis antiquitatibus verſatiſſimi, hanc Francorum in Italia regum coronationem prorſus omiſêre, quum revera nullæ eis tabulæ ſuppeterent, quibus tantam gloriam Inſubribus vendicarent. *Hactenus Muratorius; neque in Fontanini Diſſertatione vel minimum invenio argumentum, quod opponam. In Annotatis ad Sigonium anno* 1732 *Mediolani recuſum ſimiliter refellitur opinio Sigonii hîc refutata.*

Baptizata eſt a B. Thoma Giſla aut Giſela,

17 *Quod verò ſpectat ad baptiſmum Giſelæ Caroli Magni filiæ anno* 781 *à* Thoma *collatum; is indubitatus eſt, & certatim à rerum Francicarum ſcriptoribus aſſertus. Solùm allegabo ſcriptores, quos tom.* 5 *Scriptorum Franciæ edidit aut recudit Martinus Bouquet. Annales Francorum, qui Tiliani vulgò vocantur, pag.* 20 *ſic habent:* Et inde (*videlicet Româ ubi Pipinus & Ludovicus inuncti erant reges*) reverſus eſt (*Carolus Magnus*) Mediolanis civitate pervenit, & ibi baptizata eſt filia ejus Ghiſla ab archiepiſcopo, nomine Thoma, qui & ipſe eam de ſacro fonte ſuſcepit. *Alii Francorum Annales vetuſti* E *ibidem pag.* 42, *poſt reductum Carolum Româ Mediolanum, ſubdunt:* Et ibi baptizata eſt filia ejus domna Giſola ab archiepiſcopo, nomine Thoma, qui & ipſe eam à ſacro fonte manibus ſuſcepit. *Eginhardus in Vita Caroli ibidem pag.* 204: Rege verò Româ digreſſo, ac Mediolanum veniente, Thomas ejuſdem urbis epiſcopus baptizavit ibi filiam ejus, nomine Giſlam, & de ſacro fonte ſuſcepit. *Chronicon S. Dionyſii pag.* 236, *præmiſſo Caroli reditu Mediolanum, Gallicè habet, quæ reddo Latinè:* Thomas urbis archiepiſcopus baptizavit & de fonte levavit aliquam ejus filiam: fuit ejus pater ſpiritualis, & nomen ei dedit Gilla. *Impreſſum eſt Gallicè* Gille, *quod nolui mutare, eiſs fortè ſcriptum fuerit* Giſle.

Caroli Magni filia.

18 *Ado in Chronico ibidem pag* 319: Mediolani ab Thoma epiſcopo filia ejus Giſla baptizata & excepta eſt. *Annales Metenſes ibidem pag.* 343 *de Carolo Magno:* Inde reverſus, venit Mediolanum, ubi baptizata eſt filia ejus Giſla ab archiepiſcopo Thoma, quam ipſe epiſcopus de F ſacro fonte levavit. *Hiſce unicum addo Ptolomæum Lucenſem, omiſſis aliis pluribus, quia in laudem* B. Thomæ *aliquà addit. Is tom.* XI *Scriptorum Italiæ pag.* 986 *ita habet:* Et inde rediens (*Carolus*) de urbe venienſque Mediolanum, ibidem receptus eſt gloriosè à clero & populo, & ibidem filia ſua baptizata eſt, nomine Giſela, ab archiepiſcopo Mediolanenſi, nomine Thoma, viro venerabili, & ſanctitatis eximiæ. *Plures de re indubitata non adducam ſcriptores. Eginhardus inter filias Caroli Magni ex B. Hildegarde ultimam nominat Giſlam.*

Beatus ritus Ambroſianos dicitur defendiſſe.

19 *Accedimus ad aſſertam rituum Ambroſianorum defenſionem, de qua ſic habent verba num.* 2 *data:* Ambroſiani Officii libros, quos Carolus Magnus inflammandos cenſuit, Eugenii epiſcopi ſtudio mirificè defendit. *Hæc difficulter idoneis rationibus confirmari poterunt. Minùs mihi diſplicent verba Ughelli, qui de his ſolùm dicit:* Calluit quàm qui maximè ritus eccleſiaſticos, Ambroſianorum verò ſe præbuit defenſorem acerrimum. *Gualvaneus Flamma, cujus Opus editum tom.* XI *Scriptorum Italiæ, jam antea laudatus, in Manipulo Florum cap.* 124 *agit de Carolo*

A rolo Magno, & inter alia hæc de eo ſcribit: Officium Ambroſianum totis viribus annullare tentavit: Officium Gregorii (*id eſt, Romanum*) fontem omnium Officiorum eſſe determinavit. Unde tres ſcholas pro ipſo Officio addiſcendo ultra montes inſtituit: primam poſuit Metis, ſecundam Senonis *, tertiam Aurelianis. *Hæc vera eſſe poſſunt, nec tamen pluribus examinanda cenſeo. Inſtituit certè ſcholas, & inſtituendas curavit Carolus Magnus, imò & Officia divina corrigi & emendari voluit. Erat inſuper Eccleſiæ Romanæ addictiſſimus, & ſic deſiderare potuit, ut omnes adoptarent ritus Romanos: nec tamen invenio in ſcriptoribus coævis, voluiſſe aut laborâſſe Carolum, ut ritus Ambroſiani penitus abolerentur.*

* *alibi* Sueſſionibus

& nonnulli miraculo defenſos volunt.

20 *Ptolomæus Lucenſis, ejuſdem ferè ætatis cum Flamma, & ex eodem Ordine Prædicatorum, in Hiſtoria eccleſiaſtica lib.* XI *cap.* 7 *poſt aſſerta quædam de præſtitis à S. Gregorio pro Officio eccleſiaſtico, ad propoſitum noſtrum ſequentia ſcribit* (*ibidem pag.* 915:) Tradunt etiam Hiſtoriæ, quòd cùm magna eſſet diſceptio * inter fideles de Officio Ambroſii, favente Carolo Magno Officio beati Gregorii, ut infrà dicetur, in uno concilio tempore Adriani Papæ, ex quodam judicio habito definitum eſt, quòd Officium Gregorianum in Eccleſia prævaleret. Judicium autem tale fuit, quia epiſcopi congregati ibidem Miſſale Ambroſianum & Gregorianum ſtatuerunt poni ſuper altare ſancti Petri; clauſoque oſtio eccleſiæ ac aliquorum epiſcoporum firmato ſigillis, à Veſperis uſque mane dimiſerunt ſic. Cùmque hora matutinali intrâſſent eccleſiam, invenerunt Miſſale Gregorianum diſſolutum per folia, & per eccleſiam totam diſperſum, Ambroſiano Miſſali ſuper altare manente, ipſum ſolùm apertum invenerunt. Propter quod judicium judicaverunt, quòd Gregorii Officium diffunderetur per orbem, Ambroſiano in ſola Mediolanenſi eccleſia remanente. *Nihil de illo prodigio memorat Ptolomæus in loco ipſo, ubi maximè erat narrandum, ſi contigerat. Quapropter exiſtimo, totum iſtud profluxiſſe ex malè conſarcinata Hiſtoria Landulphi ſenioris, edita tom.* 4 *Scriptorum Italiæ, quæ non pauca habet prorſus ineptè conficta.*

* *fortè* diſceptatio

B

At Landulphus ſenior, C

21 *Muratorius in Prolegomenis ad memoratam Landulphi Hiſtoriam pag.* 49 *& ſeq. multa diſſerit ad propoſitum noſtrum de auctore ejuſque Opere, quod à quibuſdam citatum fuit, tamquam* Chronicon Datii, *etſi, ut pluribus probare nititur Muratorius, S. Datius, Mediolanenſis archiepiſcopus, nullum ſcripſerit Chronicon. Quæſtionem illam, quæ ſpectat ad S. Datium,* XIV *Januarii apud nos datum, hîc non attingam. Solùm ex Muratorio oſtendam, quàm exiguam in multis aliis, quàm nullam in hiſce fidem mereatur Landulphus. Voluit Muratorius, ut ipſe ait, lectores* præmunire contra calumnias, ignorantiam & dicacitatem ſcriptoris, *ut exarmaret* ejus alioqui fatuum venenum. *De ætate ejus ait:* Hiſtoricus iſte, cujus Chronicon ad annum ferè MLXXXV deductum eſt, vixit Gregorii VII P. M. temporibus, & certè ante annum MC à Chriſto nato floruit; *id eſt, tribus ſeculis poſt* B. Thomam. *Obſervat ſecundò, quòd fuerit* ipſe fortaſſe ſacerdos conjugatus, certè conjugati, ſive concubinarii cleri, patronus acerrimus. Quare nil mirum, *inquit*, ſi illius libros occupet cùm enormis maledicentia in Romanos Pontifices, tum in quoſcumque probos incontinentiæ infeſtos mira petulantia. *Et mox:* Quid? quod & Landulphum ignorantia non levis, & impudentia non vulgaris denigrat. *Utrumque continuò probat. Utrumque videbit lector eruditus, modò Hiſtoriam ipſam legerit. Hæc ſufficiunt ad minuendam in omnibus Landulphi fidem.*

AUCTORE J. S.

qui illa miracula nomine B. Thomæ ſcripſit,

22 *Audiamus & alia, ad rem noſtram propiùs ſpectantia.* Porrò, *inquit*, in aliis quoque non paucis locis vacillare videas Landulphi fidem. Quærimonia B. Benedicti archiepiſcopi Mediolanenſis ſuper Papienſis epiſcopi conſecratione, quæ heic habetur, jamque edita à me fuerat tom. 1 Anecdotor. cap. 5 Appendicis, oratio eſt eidem archiepiſcopo afficta, ut ibidem oſtendi cap. VII. Similes orationes aliis hominibus hic ſcriptor pro ſuo ingenio ſupponit, quò ſuas opiniones, quamquam interdum futiles, ſub alieno nomine venditet, ut nihil dicam de miraculis & viſionibus nimia facilitate in ſuorum gratiam ab ipſo commemoratis, ſive, ut rectiùs loquar, confictis. *Tetigit hoc loco Muratorius rem ipſam, de qua agimus. Nam Landulphus cap.* 10 *orditur narrationem de Officio Ambroſiano & ejus defenſore Eugenio epiſcopo, quam producit per quinque capita, tamquam ſermonem* B. Thomæ archiepiſcopi, *præfixo hoc titulo:* Sermo B. Thomæ archiepiſcopi Mediolani, qualiter Officium Ambroſianum per B. Eugenium ab Hadriano Papa & Carolo imperatore evidentiſſimis miraculis defenſum eſt. *At luce clarius eſt, relationem illam non eſſe* B. Thomæ, *quandoquidem producatur uſque ad tempora, quibus diu vivere deſierat* B. Thomas. *Æquè clarum eſt, puerilia potiùs eſſe figmenta, fabulaſque malè conſutas, quàm vera facta, quæ narrat Landulphus.*

nullam de his fidem meretur.

23 *Quòd omnia illa diu poſt mortem* B. Thomæ *conſcripta ſint, liquet ex capite* 14, *quod ad eamdem ſpectat relationem; & ſic tota illa relatio à ſeculo* XV *impreſſa eſt apud Mombritium tom.* 1 *fol.* 261 *ſub titulo,* Vita beati Eugenii epiſcopi. *Etenim caput* 14 *auctor his verbis inchoat,* Multis temporibus tranſactis *&c, ut referat, corpus Eugenii per revelationem fuiſſe inventum. Volunt autem Mediolanenſes, & nominatim Boſca, hunc eſſe Eugenium, qui Martyrologio Romano inſertus eſt ad* XXX *Decembris. Itaque ad illum diem cultus ejuſdem latiùs examinari poterit, imò & latiùs probari, totam illam relationem, quam* Vitam B. Eugenii *vocavit Mombritius, ex fabulis & ineptis figmentis imperitè conſarcinatam eſſe. De* B. Thoma *nihil ibidem dicitur, ſed omnia attribuuntur Euſebio. Quapropter ſatis mihi erit obſervâſſe, ex impuro illo fonte, quantùm hactenus colligere potui, profluxiſſe omnia, quæ de combuſtis per Carolum Magnum libris Ambroſianis, & de iis prodigio improbabiliter aſſerto defenſis, apud recentiores legitur. Nam, licèt non omnes ſua ex Landulpho tranſcripſerint; hic certè primus videtur auctor.*

E

F

Fortè cogitaverit Carolus Magnus de ritibus Romanis

24 *Hinc tamen nolim inferre, non cogitâſſe Carolum Magnum de ritu Eccleſiæ Romanæ ad alias eccleſias propagando, aut fortè etiam de eodem in omnes eccleſias inducendo. Ptolomæus Lucenſis lib.* 15 *cap.* 6 *ſcribit ſequentia de Carolo jam imperatore coronato;* Poſt hæc autem, ut referunt alia Geſta Gallicorum, quorum auctores ignoro, ſed legi, dum imperator feſtum ageret Reſurrectionis cum Papa Leone, & ſimul comederent, accidit, cantores Romanos Papæ & cantores imperatoris, qui erant Gallici, ſimul contendere, qui meliùs officiarent. Quod cùm perveniſſet ad im-

AUCTORE J. S.

imperatorem, fecit ſuos cantores ad ſe venire, quæſtionemque proponit eiſdem, ubi eſſet purior aqua, in fonte vel in rivis? qui reſponderunt, quòd in fonte. "Vos igitur, inquit, contra vos ſententiam tuliſtis; quia Officium beati „Gregorii, quod Romana tenet Eccleſia, eſt „fons Officiorum omnium aliarum eccleſiarum." Tunc cum beneplacito Leonis Papæ aſſumſit ſecum imperator ſereniſſimus cantores Romanos, & Antiphonarium beati Gregorii cum toto alio ejuſdem Officio, & ſecum in Franciam detulit. Inſtituitque ſcholas ad prædictum Officium addiſcendum, unam in Metis, aliamque in Sueſſione: tertiam tradunt apud Aureſianum. Mandavitque, reſecari levitatis melodias, quas Gallici & maximè Belgici faciebant in ſuo divino Officio. *His ſimilia leguntur apud vetuſtiores Gallos, ex quibus hauſit Italus ſcriptor. At illi factum citiùs narrant, nimirum ad annum* 787, *quo Romæ fuit rex Carolus.*

25 *Ex ejuſmodi conatibus Caroli videtur Landulphus occaſionem ſumpſiſſe plura confingendi de Officio & ritibus Ambroſianis: ſed jam defunctus erat* B. Thomas *ante annum* 787, *ut res tota minimè ad ipſum ſpectare videatur. De miraculis per Landulphum aſſertis dubitavit etiam Cardinalis Bona lib.* 1 *Rerum Liturgicarum cap.* 10, *ubi agit de Miſſa Ambroſiana, ejuſque ritibus peculiaribus, quos, cùm* de illis abolendis ageretur, miraculis approbatos fuiſſe, *ſcribit Joſephus Vicecomes lib.* 2 *de Ritibus Miſſæ.* Ad hæc autem probanda, *inquit Bona*, cùm multa ſibi ſuppetere teſtimonia aſſerat, nullum tamen profert, præter Galvaneum & Beroldum, quos inquit in inſtructiſſima bibliotheca Ambroſiana, & in tabulario eccleſiæ metropolitanæ Mss. aſſervari. Sed iſti ignoti ſcriptores ſunt, quorum auctoritas quanti ponderis ſit, aliis diſcutiendum relinquo. Neſcio enim, qua ætate vixerint, & quo nixi fundamento ea ſcripſerint, quæ Vicecomes ex illis refert. *Ita prudenter admodùm Bona. At Opera, quæ tunc erant inedita, deinde in lucem data ſunt, & ſic magis patuit, quàm fragili fundamento omnia illa nitantur. Si quis plura de his deſiderat, adeat Muratorium tom.* 4 *Antiquitatum Italiæ Diſſert.* 57, *quæ eſt de Ritibus Ambroſianæ eccleſiæ.*

in omnes eccleſias indicendis: ſed vacillant aſſerta de miraculis.

B

E

DIES SECUNDA OCTOBRIS.

SANCTI, QUI VI NONAS OCTOBRIS COLUNTUR.

C

S. Ancti Primus, Quirillus aut Cyrillus & Petinus, Antiochiæ, item SS. Pontius, Leo, Gaianus, Secundianus aut Secundarius, alter Secundianus, Plato aut Platio, & Leontius. } martyres.

SS. Eleutherius & Socii martyres, Nicomediæ in Bithynia.

S. Lizerius martyr Romanus, Venetiis in Italia.

S. Modeſtus levita M., Beneventi in Italia.

S. Diateria virgo, Mediolani in Inſubria.

S. Leudomerus vel Leodemirus epiſc. confeſ. Catalauni in Campania Galliæ.

S. Serenus presbyter confeſ., in prioratu Cellæ ſubtus Cantumerulam in Campania Galliæ.

S. Joannes epiſc. Comenſis confeſ., Comi in ducatu Mediolanenſi.

S. Leodegarius epiſcopus, S. Gerinus comes. } fratres mm. in Galliis.

S. Theophilus monachus confeſſor in Græcia.

S. Beregiſus abbas, Andaini in Sylva Arduennenſi.

B. Godefridus presb. Ordinis Ciſtercienſis, Villarii in Brabantia.

B. Berengarius ex Ordine Prædicatorum epiſcopus Ilerdenſis, in Hiſpania Tarraconenſi.

S. Thomas de Cantilupe, epiſc. Herefordienſis, apud Montem Flaſconis in Hetruria Pontificia.

F

PRÆ-

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

SAncti Melori *aut* Melarii *martyris ad hunc diem fit mentio in aliquot Kalendariis, & Lobineau in Sanctis Armoricæ* Melorum *refert ad hunc diem, &* Melarii *ibi fit mentio in Kalendario Leonensi. Vide dicta heri in Prætermissis, & Acta interim data ad* VII Januarii.

S. Ludgeri *Monasterienſis episcopi translatio memoratur in Florario nostro Ms. Vide Acta* S. Ludgeri *ad* XXVI Martii.

S. Scupilionis *presbyteri mentio fit ad hunc diem in vetusto Kalendario Corbeiensi, aut potiùs Atrebatensi, quod edidit Martenius tom. 3 Anecdotorum, his verbis:* Atrebatis depositio S. Scupilionis presbyteri. *Et mox sequitur:* Passio S. Leodegarii, *quæ revera contigit in territorio Atrebatensi. At non inveni,* Scubilionem *presbyterum aut in civitate aut in territorio Atrebatensi mortuum esse aut aliquando cultum, etiamsi Belgarum & Gallorum Hagiologia, Atrebatensisque ecclesiæ Breviaria & Officia propria hunc in finem sedulò pervolverim. Idem erit, opinor, de quo Grevenus ad sequentem diem sine loco meminit his verbis:* Scopilionis archipresbyteri & confessoris. *Unum novimus* Scubilionem *presbyterum, de quo unà cum S. Paterno Abrincensi episcopo actum est ad 16 Aprilis, eumque memoratum utroque loco suspicamur; cùm meritò* archipresbyter *vocari potuerit. At ignoramus, utrùm ille aliquando cultus fuerit Atrebatis, quod fieri debuisset, quia corpus* S. Scubilionis *metu Normannorum eò delatum fuisset sæculo* IX *aut* X, *ibique ad tempus depositum; an verò ex solo errore* Atrebatis *memoretur, quòd ibi memorandus esset S. Leodegarius, qui sequitur. Quidquid sit, videri possunt Acta SS. Paterni &* Scubilionis *ad* XVI Aprilis.

S. Ursmari & aliorum *translatio in novas capsas memoratur apud Molanum & Ferrarium Binchii. Acta* S. Ursmari *data sunt ad* XVIII Aprilis.

S. Saturius *eremita, cùm 28 Aprilis annuntietur à Ferrario ex Marieta, qui eum memorat propter S. Prudentium Turiasonensem, cujus magister fuisse asseritur, ibidem in Prætermissis remissus est ad hunc diem, quo insertus est Martyrologio Hispanico à Joanne Tamayo. Hic autem sic habet:* Numantiæ in Hispania ad Eremitorium S. Michaëlis, Depositio sacrorum pignorum B. Saturii eremitæ, sancti Prudentii epiſcopi Tyrasonensis magistri: qui cùm à juventute usque ad senectam, & ampliùs, in silentio eremi delituisset, & orationi, meditationi, & aliis austeritatis vacâsset exercitiis, demum virtutibus onustus ad Dominum Confessor inclytus permeavit. *Quàm vera hæc sint, ignoramus. Nam Acta quidem recitat martyrologus quasi vetusta, & epitaphium; sed omnia suspecta de suppositione. Interim fatetur,* Saturium *non fuisse ullis Martyrologiis insertum. Marieta de eo agit occasione S. Prudentii, sed cultum non asserit. Ferrarius solum allegat Marietam, & non rarò aliquos producit, qui cultu carent. Officio ecclesiastico coli* Saturium, *nemo asserit; idque sanè mirari possumus, si sepulcrum ejus frequentetur à populis circumjacentibus, ut asserit Tamayus. Quidquid autem sit de frequentatione sepulcri, nihil novimus de* Saturio, *nisi quæ leguntur in Actis S. Prudentii, illaque quàm sint certa, hîc non inquirimus. Adeat studiosus lector Acta S. Prudentii Turiasonensis & Prætermissos ad* XXVIII Aprilis.

S. Jacobus filius Alphæi *annuntiatur apud Ludolphum in Fastis Coptitarum ecclesiæ Alexandrinæ & Æthiopum Habessinorum. Unus est ex duodecim Apostolis, &, ut existimamus cum omnibus ferè Patribus, distinctus à Jacobo Fratre Domini & primi Hierosolymitanorum episcopo, qui in iisdem Fastis die 23 ejusdem mensis annuntiatur hoc modo:* Jacobus Frater Domini. *De utroque* Jacobo *actum est ad 1 Maii, ibique distinctio probata, quæ & ulteriùs confirmata est in Dissertatione particulari ante tomum 6 Septembris. Hæc igitur videri poterit, & Acta ad* I Maii.

S. Marculphi *abbatis meminit Martyrologium Ms. S. Vedasti. Acta* S. Marculphi *data sunt die* I Maii.

Eunochii monachi, discipuli S. Columbani, *meminit Ferrarius, eumque ponit* in Scotia, *citans Kalendarium Scotiæ, non aliud, quantùm existimare possum, quàm Menologium Scoticum Dempsteri. At Dempsterus non in Scotia, sed in Belgio* Eunochum *suum annuntiat his verbis:* Sithiu (*nomen est antiquum monasterii S. Bertini, quod etiamnum floret Audomaropoli in Artesia ad confinium Flandriæ*) Eunochi monachi, non S. Winoci socii, sed sancti Columbani discipuli. *At hæc non bene cohærent: nam S. Columbanus annis ferè viginti & quinque mortuus est ante conditum monasterium Sithiense aut S. Bertini, & postremos vitæ annos transegerat in Italia. Ut verbo dicam omnia,* Eunochius *ille ignotus est, & solùm ex corruptione nominis magis usitati, sive ipsius S. Winoci, sive unius ex ejus sociis, sive alterius Scoti aut Hiberni ortus videtur. Allegant Martyrologium Canisii, qui ad hunc diem nihil tale habet, ut gratis hic dies à Dempstero sit electus. Verùm 17 Junii Canisius, aliique eo die in Prætermissis laudati, habent quemdam* Enolich, *quem Bartius noster in S. Molingo, ad eumdem diem illustrato, conjicit ipsum esse* Molingum, *quòd corrupta fuerit prima nominis littera, & pro* Moling *scriptum fuerit* Eoling. *Videri possunt Prætermissi ad nomen* Enolich, *& initium Commentarii de* S. Molingo *ad* XVII Junii.

Enoch confessor *sequitur apud Ferrarium post* Eunochium, *illumque figit* in Hibernia; *dubitans tamen, an idem non sit, sed asserens distinctum ab* Enolicho. *Quæ allegat in Annotatis, non sunt ullius ponderis. Vellem pro tribus unum certò invenire possem. Hunc autem ubi invenerimus, certò dabimus. Interim vide mox assignata ad* XVII Junii.

S. Aloysii Gonzagæ S. J. *beatificatio memoratur in Ephemeridibus apud Balinghemium. Acta data sunt ad* XXI Junii.

S. Odranum, *quem à 16 Maii ad 2 Octobris remiserant decessores nostri, postea mutato consilio, dederunt ad 7 Julii, unà cum S. Medrano, ejus fratre, propterea quòd connexa essent, quæ ad utrumque hunc Sanctum spectantia ibi-*

A *dem deprompſerunt ex Actis S. Kierani, Sagirienſis epiſcopi, apud nos editis 5 Martii. Vide ergo dicta ad* VII Julii.

Annualis *presbyter*, diſcipulus S. Kiliani, *memoratur hodie apud Camerarium, & apud Dempſterum, ubi* Arnualis *ſcribitur, ibique ponitur* in Franconia: *nimirum quia S. Kilianus fidem in Franconia prædicavit. Memoratur etiam in impreſſo aliquo Sanctorum Hibernorum Catalogo, non tamen in omnibus, quos habemus. Laudatur ab omnibus Henricus Caniſius, ſeu potiùs Vita S. Kiliani apud Caniſium edita, & apud nos illuſtrata ad 8 Julii. In ea* Arnuvalis *presbyter revera commemoratur, tamquam unus ex illis, qui cum S. Kiliano profecti ſunt ad fidem prædicandam; indéque Trithemius lib 3 de Viris illuſtribus* Erwaldum, *ut vocat, fecit ſocium S. Kiliani in martyrio; ſed perperam. Nam neque ex illa Vita, neque aliunde innoteſcit, ubi prædicaverit, aut defunctus ſit: neque magis probari poteſt, an umquam cultu eccleſiaſtico ſit honoratus. Itaque videri poteſt Vita S. Kiliani, & obſervatio eodem die in Prætermiſſis data de variis nominibus, quibus ad plures dies reproductus fuit* VIII Julii.

S. Scariberga *hodie annuntiatur à Caſtellano,*
B *apud nos data ad* XVIII Julii.

S. Sigrandæ, *ſeu* Sigradæ, *matris S. Leodegarii memoria eſt in Mss. additionibus Cartuſiæ Bruxellenſis ad Grevenum. De hac ſancta Vidua actum eſt ad* IV Auguſti.

Inſtitutio ſanctiſſimi Roſarii beatiſſimæ Virginis Mariæ *annuntiatur in Martyrologio Hiſpanico, & ibi attribuitur S. Dominico. Spectat ad Opus particulare de beatiſſima Virgine; & interim videri poterunt diſputata de illa inſtitutione in S. Dominico ad* IV Auguſti.

S. Claræ *virginis tranſlatio* apud Aſſiſium *addita eſt pleriſque editionibus Uſuardi, celebraturque in Florario Ms., & in multis Martyrologiis neotericis, nominatim Franciſcanorum, qui eam feſtivitate colunt. At de ea tranſlatione actum eſt in S. Clara ad* XII Auguſti.

Hildeboldi *archiepiſcopi Colonienſis obitus memoratur in Florario Ms., ſed ſine titulo* Sancti *aut* Beati. *Vide dicta de* Hildeboldo *in Prætermiſſis ad* III Septembris.

S. Euſebius *Papa hodie memoratur in pluribus Faſtis vetuſtis, quemadmodùm jam dictum eſt in* S. Euſebio *ad* XXVI Septembris.

C SS. Cyprianus & Juſtina *MM. celebrantur in Faſtis Græcorum & Moſcorum, apud Latinos & in Opere noſtro ad* XXVI Septembris.

Angelorum cuſtodum *feſtum annuntiatur in hodierno Martyrologio Romano, & in aliis recentioribus. De eo actum eſt in S. Michaële & omnibus Angelis ad* XXIX Septembris.

Urbanus *Papa IV memoratur cum titulo* Beati *apud Henriquezium & Bucelinum. Conſule dicta in Prætermiſſis ad* XXX Septembris.

Nehemias, *de quo heri in Prætermiſſis ex Henriquezio, hodie ponitur apud Chalemotum. Vide dicta ad* I Octobris.

Agletrudis *virgo, filia S. Bavonis, annuntiatur hodie, ut* Sancta, *apud Arturum à Monaſterio. De ea mentio facta eſt in S. Bavone ad* I Octobris.

Dedicatio eccleſiæ S. Remigii *memoratur* Remis *in Florario Ms., apud Menardum & Ferrarium. De ea actum eſt in* S. Remigio *ad* I Octobris.

Colmeri *& duorum aliorum mentio fit in Florario Ms., ut* ſanctorum epiſcoporum & confeſſorum, *ſed ſine loco & ulteriori notitia. De* D
Colmero, *neſcio, quo, ita meminit Grevenus:* In Tuſcia, Colmeri epiſcopi & martyris. *At ignotus ille eſt in aliis Martyrologiis, nec nobis aliunde innotuit.*

Syſai *nomen ſequitur in laudato Florario, atque nobis incogniti.*

Gerici *ibidem tertium eſt nomen, itáque ſequitur, acſi epiſcopus diceretur & confeſſor. De* Gerico *tamen ſic habet Grevenus:* Item beatæ memoriæ Gerici, ducis Sabaudiæ & confeſſoris. *In Martyrologio Germanico & apud Ferrarium ſimiliter* dux *vocatur. Suſpicor, reproduci in Florario, & apud alios,* S. Goëricum *aut* Gericum *epiſcopum Metenſem, alio nomine* Abbonem *dictum; cùm &* ducis *titulum habuerit & epiſcopus fuerit. De* Goërico *Metenſi egimus ad 19 Septembris. Potuit tamen &* Goëricus *vel* Gericus *Senonenſis, de quo actum eſt ad 27 Auguſti, in Florario memorari, aut alius quiſpiam nobis hactenus ignotus. At inter duces Sabaudiæ nullum novimus* Gericum.

Et Theilandi abbatis & martyris *memoria ſubditur in Florario, & apud Grevenum* Thaylaidi abbatis & martyris. *Cùm tam hîc, quàm ad tres præcedentes, locus martyrii aut mortis omittatur, meritò ſuſpicamur, ipſis ſcriptoribus non ſatis cognitos fuiſſe, quos tamquam Sanctos annuntiant.* E

Godefridus Pachomius, *monachus Villarienſis in Brabantia, hodie cum titulo* Beati *memoratur in Menologiis Ciſtercienſibus ab Henriquezio & Chalemoto, uti & à Rayſſio in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii: ſed nullus eorum profert ulla publici cultus indicia. Præclara de hoc Godefrido apud Henriquezium relata legi poſſunt. De alio* Godefrido, *Villarienſi item monacho, cui titulum* Beati *vindicare poſſumus, ad hunc ipſum diem agemus.* Theobaldum *verò Claravallenſem, quem ſimiliter* Beatum *vocat Henriquez, defectu cultûs omittemus.*

Ludovicum de Utrera, *presbyterum Ordinis Minorum* Hiſpali in Hiſpania *more ſuo cum titulo* Beati *annuntiat Arturus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano, & alios nonnullos ſine ullis publici cultus indiciis. De* Ludovico *in Annotatis dicit:* Qui ob vitæ innocentiam atque aſperitatem, tum in vita, tum quoque in morte, dignus regno cæleſti ab omnibus habitus eſt, atque Sanctus veneratus. *Hinc conſului Waddingum, quem laudat, & qui* Ludovicum *breviter commendat ad annum 1259. At ſolùm agitur de morum ſanctitate & de opinione hominum, non de ulla veneratione publica.* F

Frumentius, *Ordinis Prædicatorum, occiſus à Tartaris, cum titulo* Beati *memoratur apud Lafonum in Anno Dominicano, ſed ſine indiciis cultus eccleſiaſtici.*

Catanæ, tranſlatio miraculoſæ imaginis beatiſſimæ Virginis Odigitriæ. *Annuntiatio eſt Octavii Caietani in Martyrologio Siculo.*

Pantaleonis *mentio videtur fieri in codice Epternacenſi apud Florentinium, & aliorum aliquot Martyrum: ſed Florentinius in Annotatis veriſimillimè exiſtimat, ex* Pontio & Leone, *qui in aliis leguntur, nomen conflatum, & ſic ex duobus unum factum.*

Beati epiſcopi *apud nos mentio fit in auctariis Bedæ ex Ms. Tornacenſi. Non deſunt Sancti, quibus nomen* Beatus. *Magis tamen credo, ex errore* Beatum *unico illi Ms. inſertum fuiſſe.*

Everelmum *anachoretam meritò inter antiquos Flandriæ* Sanctos *ab auctoribus numerari, lib. 2*

Rerum

A *Rerum Brugenſium cap.* 9 *Sanderus ſcribit.* Religioſiſſimum *Meyerus in Chronico Flandriæ ad annum* 1060; *tam antiquitate, quàm religione* Venerandum *Miræus de Canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini origine ad annum* 1048, Beatum *verò Gazetus in Hiſtoria eccleſiaſtica Belgii, & Rayſſius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii die* 2 *Octobris appellant, quamquam non eâdem apud omnes ratione nomen ejus inveniatur expreſſum; nonnulli enim* Everelinum *aut* Everelmum; Querelinum *aut* Quirinum *nuncupant alii. Vitam porrò anachoreticam duxit Brugis Flandrorum, ſepultuſque eſt in cœnobio Quercetano*, Eeckhout *indigenis dicto.* In ſignum ſanctimoniæ (*Cornelii Bartholomæi ejuſdem cœnobii S. Theologiæ profeſſoris in Mantiſſa ad Pondus ſanctuarii verba refero*) ſepulchrum ejus honoratum eſt antiquiſſimâ tumbâ lapideâ, cui ſuperſtructus imminet Auſtralis murus baſilicæ, ſupra tumbam verò in ipſo muro viſitur tabula ex albo lapide, exhibens imaginem Anachoretæ cum hac epigraphe: HIC JACET EVERELMUS ANACHORETA, QUI DUODECIM ANNOS HAC IN INSULA LUCI NOSTRI CONVERSATUS EST, ET OBIIT ANNO DOMINI MLX SECUNDA DIE OCTO-

B BRIS. Qui quàm bonæ vitæ & ſanctæ converſationis exſtiterit, teſtantur antiquæ chartæ prædicti loci, *inquit Rayſſius: itaque ea de re ad ampliſſimum dominum abbatem Quercetanum litteras dedimus, cujus quidem ea fuit humanitas, ut abbatiæ ſuæ monumenta diſcuſſerit; verùm ampliſſimus Præſul poſt inſtitutum diligens tum à ſe, tum à ſuis examen nihil invenit eorum, quibus* Everelmi *vel vita illuſtrari, vel cultus probari poſſet.*

Joanna, *neſcio, quæ comitiſſa, cum titulo* Beatæ *annuntiatur à Bucelino* in Hiſpania. *Eam ipſe Bucelinus non ſatis noverat, opinor, cùm accepta ſit ex Opere fabulis inquinato Alani de Rupe.*

Alexandra *virgo, ut* Sancta, *annuntiatur* in Ægypto *apud Arturum à Monaſterio in Gynæceo. Memoratur in Hiſtoria Lauſiaca Palladii cap.* 5, *& ab aliis hiſtoricis, non in Martyrologiis.*

Cyriacus & Hanna *mater ejus annuntiatur in Faſtis Æthiopum apud Ludolfum; ſed nobis ignoti ſunt.*

Ammon *aut* Amoun *anachoreta, qui in matrimonio virginitatem cum uxore conſervâſſe di-*

C *citur*, in Nitria *annuntiatur apud Caſtellanum, haud dubiè, quia* Admonius *quidam hodie memoratur in Faſtis Æthiopum apud Ludolfum. At minùs certum nobis videtur, an idem ſit ille* Admonius, *& malumus ſequi Græcorum Faſtos, qui de* Ammone *illo agunt die* IV Octobris.

Apollinaris *epiſcopi & martyris mentio eſt in Auctariis Uſuardi ex codice Hagenoyenſi; ſed ſine loco. Erit fortaſſe* S. Apollinaris *Valentinus, de quo agendum ad* V Octobris.

S. Pipia *diaconus Belnenſis hodie annuntiatur apud Sauſſayum; apud Caſtellanum die, quo coli aſſeritur,* VII Octobris.

S. Nuncius *confeſſor* Haſteriæ *in diœceſi Namurcenſi hac die coli dicitur apud Fiſenum in Hiſtoria Leodienſi pag.* 108. *At paſſim à Martyrologis Belgicis memoratur ad* X Octobris.

S. Cilinia *virgo hodie* Pariſiis *annuntiatur à Ferrario, & ab Arturo in Gynæceo. At Meldenſis eſt virgo, ibique colitur* XXI Octobris.

S. Bergæ, *unius ex Sociabus S. Urſulæ, feſtivitatem hac die celebrari* in monaſterio Moatis Regalis *in Gallia, ad quod corpus ejus tranſlatum fuit tempore S. Ludovici regis, ut relatum eſt tom.* 5 *Auguſti in S. Ludovico num.* 887, *teſtatur Chalemotus. At de S. Urſula & omnibus ejus Sociabus ſimul agemus ad* XXI Octobris. D

Ercus, *S. Patricii diſcipulus, & epiſcopus Slanenſis in Hibernia, occurrit in Vita S. Brigidæ virginis, & in Vita S. Patricii, ubi* Hercus *à Jocelino vocatus eſt. Vita S. Brigidæ, data* 1 *Februarii, cap.* XI *iter ejus cum S. Brigida refert, geſtaque in illo itinere. Ibidem autem in Annotatis lit.* d *Bollandus de* Erco *obſervavit ſequentia:* Hic eſt ille Ercus ſive Hercus, qui S. Patricio ad Leogarium venienti primus aſſurrexit contra regis mandatum: ac deinde baptizatus, poſtea epiſcopus Slanenſis eſt factus, & coli dicitur 2 Octobris, alibi 2 Novembris. Eſt Slania urbs, olim epiſcopalis, ad Boinum ſive Boandum flumen, ſupra Pontanam. *Quæ de aſſurgente* Erco *in adventu S. Patricii hîc dicit Bollandus, leguntur in Vita S. Patricii à Jocelino ſcripta, dataque ad* 17 *Martii, cap.* 5, *num.* 35, *ubi ſic loquitur Jocelinus:* Quidam autem Hercus nomine, filius Degha, qui multa de S. Patricio dixit, in conſpectu omnium aſſurgens, illum honorificè ſuſcepit. Sanctus præſul ipſum benedixit, vitamque ipſi æternam promiſit. Ipſe autem E in Deum credens baptiſmi gratiam percepit, & vitam virtutibus & ſignis inclytam ducens, poſtmodùm epiſcopus effectus, in civitate Slanæ ad cæleſtia migravit. *Video quidem, hæc verba multùm conducere ad laudem* Erci *vel* Herci; *ſed ſimul perſpicio, in neutra Vita titulo* Sancti *aut* Beati *honoratum eſſe* Ercum, *ut veriſimile ſit, eum cultu caruiſſe, dum Vitæ ſunt ſcriptæ. Illi ſanctitatis tituli in aliis quoque Vitis omiſſi ſunt, certè in illis, quas ego conſului. Attamen cultus* Erci *inſinuatur in Vita tertia S. Patricii apud Colganum num.* 38, *ſic tamen, ut neſciamus, an dictæ Vitæ tutò fidere poſſimus. Colganus ad Vitam* 2 *Notâ* 63 *aliqua laudat Martyrologia Hibernica; ſed ne his quidem omnem dubitationem ſublatam exiſtimo, quia & 2 Octobris & 2 Novembris memorari dicitur, & quia in recentioribus aliquot Sanctorum Hiberniæ Catalogis memoratur ſic, ut ſola Jocelini auctoritas, quæ non ſufficit, allegetur. Rogamus ergò eruditos Hibernos, ut, ſi certiora habeant cultus publici indicia, ea nobis communicare dignentur pro*

11 Novembris. F

Melianum, *tamquam patrem* S. Melori *aut* Melarii, *&* Sanctum *memorat Lobineau in Sanctis Britanniæ cum Meloro ad hunc diem. At nec in ullis Kalendariis ab eo productis nomen* Meliani *reperio, nec cultum aliter probat Lobineau, quàm dicendo, nomen* martyris *aliquot locis Meliano datum eſſe ob mortem violentam, quâ ſublatus eſt à fratre. Caſtellanus in indice Martyrologii Univerſalis eumdem memorat Gallico nomine* Meliau, *ex quo format Latinè* Meliavus; *atque patronum eſſe aliquot paræciarum, ac veriſimiliter eumdem cum eo, quem Gallicè* S. Millau *vocari aſſerit, & quem* 5 *Novembris annuntiat in diœceſi Trecorenſi. At necdum ſic omnis dubitatio de cultu* Meliani *ſublata eſt, quòd fortè* S. Melorus *aut* Melarius *iis nominibus deſignari potuit, aut certè alius Sanctus. Quare gratum nobis fuerit, ſi quis cultum* Meliani *evidentiùs probare valeat, ut de eo tutò agere poſſimus ad*

V Novembris.

S. Livini *M. mentio eſt in apographo noſtro Mar-*

A *Martyrologii Ms. S. Vedasti. Colitur* S. Livinus, *& legitur in Martyrologio Romano ad*

XII Novembris.

S. Maximi *episcopi Regiensis* Ostensio *memoratur in editionibus tribus Usuardi, videlicet in Lubeco-Colonienſi, Greveni & Molani, uti & in Martyrologio Germanico. Colitur* S. Maximus

XXVII Novembris.

Vulfadus, *aut, ut legitur impreſſum*, Wlphadus, *archiepiſcopus Bituricenſis, & hac die obiiſſe dicitur, &* Sanctus *vocatur in Patriarchio Bituricenſi cap.* 48, *apud Labbeum tom.* 2 *Bibliothecæ Mss. pag* 67. *Hinc cùm ad* 31 *Martii piis accenſeretur à Sauſſayo, ibidem in Prætermiſſis ad hunc diem remiſſus eſt, ut res examinaretur. At nomen modicè luxatum à Sauſſayo, ibi magis etiam vitio typothetæ corruptum eſt, impreſſumque* Vulfandus. *Quod modò ſpectat ad indicia ſanctitatis aut cultûs, quæ proferuntur in laudato Patriarchio, illa minimè videntur ſufficere. Nam hæc ſolùm affert auctor:* Iſte (*Wlphadus*) ut mea quidèm fert ſententia, apud ſanctum Laurentium Bituris in divorum pontificum Davidis & Aſclepii conditorio viſitur, venerationique ibidem habetur ſub appellatione ſancti Florentii; idque tum conjecturâ probabile eſt, tum quibuſdam etiam veſtigiis indicatur. Nam quum debeat ipſe, ut olim, nominari populari lingua (SAINT VULPHANT) nunc tamen per errorem, ut publica habet loquendi conſuetudo, vocatur SAINT FLORENT. *Hæc ſolùm conjectura pro cultu* Vulfadi *profertur, eaque certè nobis nequit ſufficere. Quin & parùm probabile videtur, nomen ita mutatum fuiſſe, ut pro* Saint Vulphant *vocetur* Saint Florent. *Caſtellanus exiſtimat, alium eſſe præſulem Bituricenſem, qui vulgari nomine* Saint Florend, *ut ipſe ſcribit, dicitur, eumque duobus ſeculis vetuſtiorem, quem Latinè* Volfolendum *vocat. An ea opinio ſit certa, examinari poterit ad diem, quo* Volfolendum *memorat,*

XII Decembris.

DE SS. PRIMO, QUIRILLO, AUT CYRILLO, ET PITINO MM.

B E

ANTIOCHIÆ.

ITEM DE SS. PONTIO, LEONE, GAIANO, SECUNDIANO AUT SECUNDARIO, ALTERO SECUNDIANO, PLATONE AUT PLATIONE ET LEONTIO MM.

C F

J. S.

EX MARTYROLOGIIS.

Tres ex his Martyribus annuntiati in Romano,

BAronius *in Martyrologio Romano tres Martyres hodie annuntiat, tamquam Antiochiæ paſſos, ita ſcribens:* Antiochiæ ſanctorum martyrum Primi, Cyrilli & Secundarii. *In Annotatis ſic habet:* De his agitur in vetuſtis manuſcriptis (*non Actis, ſed Martyrologiis*) ex quibus etiam Molanus hac die. *Si autem conſulamus Martyrologia Hieronymiana, ex quibus hi Martyres in alia tranſiverunt, aut multò plures videbuntur ſimul paſſi, aut non omnes erunt Antiocheni, ſed ultimus alio loco paſſus videbitur. Reſolutio hujus dubii minùs erit certa, quia præcipui martyrologi, qui ſeculo* IX *ex Hieronymianis hauſerunt, Antiochenos hos Martyres prorſus omiſerunt. Offerunt tamen ſe nonnulla indicia in Faſtis vetuſtis, plures Martyres, qui in Hieronymianis ſine loco videntur memorari, ad claſſem Antiochenam ſpectare, & ita ſaltem probabile fiet, multò plures ſimul eſſe paſſos; ſed in prolixioribus codicibus totam turmam per interpoſitionem S. Euſebii Papæ in duas partes diſtractam, ut die præcedente factum fuit, quemadmodum ibidem obſervavi; in contractioribus verò multa Martyrum nomina omiſſa, ut in his paſſim contingit. Ipſa ergo audiamus Martyrologia.*

omnes in Faſtis Hieronymianis,

2 *Hieronymiana apud Florentinium ita habent:* In Antiochia Primi. Quirilli. Pitini. *Et poſt S. Euſebium Romæ memoratum ſequitur:* Et alibi Ponti. Leonis. Gaiani. Secundiani. item Secundiani. Plationis. Leonti. *In Epternacenſi ſic habetur:* Antiochiæ Primi, Quirini, Epeſini. *Et poſt Euſebium:* Et alibi Pantaleonis, Gaiani, Secundiani, item Secundiani, Platonis, Leonti. *In Corbeienſi:* In Antiochia Primi, Quirilli, Pitini. *Deinde poſt Euſebium:* Et alibi, Leonis, Gaiani, Secundi, item Secundi, Platonis, Longi. *Si codices hi, quorum primo & Blumianus conſentit, ſoli eſſent conſulendi, neceſſariò dicendum eſſet,* Secundianum *aut* Secundarium, *non eſſe ex Martyribus Antiochenis, ſed pro eo duobus prioribus addendum* Pitinum, *aut* Epeſinum; *at nomen diverſimodè ſcribitur in apographis hodiernis: id etiam videntur exigere poſterioribus præpoſitæ voces,* Et alibi. *Huic conjecturæ favet etiam*

A *etiam Martyrologium Richenovienſe, quod ſimiliter priores à poſterioribus dividit, ex prioribus unum, ex poſterioribus plures omittens hoc modo:* In Antiochia, Primi, Quirilli. *Tum interponuntur Euſebius & Leodegarius, & ſubditur:* Et alibi, Pontii, Leonis, Gaiani, Secundiani, *omiſſis reliquis.*

ſed non tam diſtinctè, 3 *In codicibus Auguſtano, Labbeano & Gellonenſi miſcentur priores cum poſterioribus ſine loco aſſignato. In primo habetur:* Quirilli, Secundiani, Primi, ... Gaiani, Cleonti (*in aliis* Leonti.) *Alterum eoſdem ſic memorat:* Quirilli, Secundini, Primi, ... Gaiani, Leonti. *Tertium:* Quirilli, Secundiani, Primi, ... Greciani (*pro* Gaiani) Leonti. *In hiſce quidem poſteriores cum prioribus miſcentur, ut dixi, ſed inde efficax non habemus argumentum ad omnes Antiochiæ tribuendum, cùm eodem modo omnibus immiſceatur Euſebius Papa. In Martyrologio, quod mille ferè annorum credidit Martenius, ex omnibus tantùm tres memorantur hoc modo:* Quirilli, Secundiani, Primi, *ſed ſine loco. Hi ipſi leguntur in pluribus Auctariis Martyrologii Uſuardini apud Sollerium, nimirum in duobus codicibus Antverpienſibus & aliis duobus, ut ſequitur:* In Antio-
B chia, natale ſanctorum Primi, Quirilli & Secundiani. *In Bruxellenſi iiſdem verbis. In Florentino:* In Antiochia, ſanctorum martyrum Primi, Cirilli, Secundarii. *Accedunt quatuor editiones Uſuardi, in quibus hi tres ſimul Antiochiæ annuntiantur, videlicet Lubeco-Colonienſis, Belini, Greveni & Molani; ſed nomen ultimi in prima & tertia legitur* Secundiani, *in ſecunda & quarta* Secundarii. *In uno etiam auctо Bedæ codice legitur:* In Antiochia, Primi, Quirilli & Secundiani.

ut certum fiat, cum tribus Antiochiæ paſſis conjungendos alios, 4 *Ex allatis hactenus mecum perſpiciet ſtudioſus lector,* Secundianum *in Auctariis Uſuardi & Bedæ ſolùm diſertis verbis Antiochiæ tribui cœptum, poſtquam priùs in aliis codicibus ſine loco addito Antiochenis fuerat immixtus. Quapropter ambiguum videtur, utrùm omnes, quos recenſuimus, Antiochiæ ſint paſſi, an verò* Secundianus *cum poſterioribus paſſus ſit alio loco, eoque incognito, atque ita cum Sociis aliam Martyrum turmam conſtituat. At ex conſenſu vetuſtorum codicum omnino dicendum, omnes recenſitos ad hunc ſpectare diem, ſive omnes Antiochiæ coronati fuerint, ſive pars major alibi. Tres certò Antiochiæ tribuendi, qui apud Georgium in Martyrologio Ottoboniano rectè memorantur his verbis,* In Antiochia, Primi, Quirilli, Petini. *Hos enim vetuſtiſſimi codices unanimi conſenſu Antiochiæ tribuunt. Duorum priorum nomina apud antiquiores ſunt* Primus & Quirillus; *hic tamen apud recentiores etiam* Cirillus & Cyrillus *ſcribitur, quod idem eſt nomen. In* Pitini *nomine magis variat codex Epternacenſis, in quo* Epeſinus *vocatur. At id ob conſenſum aliorum pro mendo habendum, ſcribendumque* Pitinus.

AUCTORE J. S.

qui ſeptem fortè ſeorſum ſunt paſſi. 5 *De aliis, qui ſeptem enumerantur in codicibus Florentinii, conſentiente etiam Epternacenſi, niſi quòd duorum priorum nomina in unum fuerint confuſa, ambiguum relinquo, ſintne Antiochiæ paſſi, an in alio loco incognito. Nomina autem illorum ex collatione codicum ſic ponenda cenſui. Primus eſt* Pontus *aut potiùs* Pontius, *ſecundus* Leo. *Qui ambo ſunt in codicibus omnibus Florentinii, & diſertè etiam in codice Richenovienſi. Hinc dubitandum non videtur, quin vox* Pantaleonis, *quæ eſt in unico codice Epternacenſi, ex illis duabus ſit conflata. In codice Corbeienſi* E *apud Acherium omiſſus eſt* Pontius, *ſed fortè librarii aut typothetæ vitio, cùm Florentinius in Annotatis teſtetur, in ſuo Martyrologii Corbeienſis apographo pro* Pontio *legi* Portium. *Tertius in multis codicibus* Gaianus *nominatur, in unico Gellonenſi* Grecianus, *quod pro mendo habeo. Quartus apud vetuſtos* Secundianus *plerumque ſcribitur, quemadmodum & quintus alter* Secundianus: *in unico codice Corbeienſi uterque* Secundus *ſcribitur, veriſimiliter mendosè; & apud recentiores ſubinde* Secundarius: *ſed verum nomen videtur* Secundianus. *Sextus* Plato *aut* Platio, *ut in emendandis monet Florentinius. Septimus demum* Leontus *ſive* Leontius *in pleriſque vocatur, in ſolo Corbeienſi ſcribitur* Longus. *Duo ex his Martyribus ad ſequentem diem memorari videntur apud Wandelbertum in additis ſoluta oratione ad Martyrologium metricum, unà cum Euſebio Papa:* Et natale ſanctorum Euſebii, Ponti & Leonis.

C

DE S. ELEUTHERIO SOCIISQUE MARTYRIBUS

F

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA.

SYLLOGE.

C. B.

ANNO CCCIII. *Memoria in Faſtis ſacris, elogium*

Martyrologium Romanum parvum hodie Eleutherium *alioſque innumeros* Martyres *in hunc modum annuntiat:* Nicomediæ, Eleutherii & innumerabilium aliorum, quos iratus Diocletianus pro incenſo palatio, diverſis tormentis odio Chriſtiani nominis occidit. *Annuntiant & Ado, Notkerus & Uſuardus, quibus tamen, quidquid Baronius & Florentinius in annotatis ad Martyrologium Romanum & Hieronymianum ſecùs ſentiant, etiam venerabilem Bedam, cùm genuinum Bedæ Martyrologium ad hunc diem vacet, non niſi perperam adjunxeris. Idem de Apographis Hieronymianis quantùm ad ſecundam annuntiationis partem eſto judicium: Hæc etenim non innumerabilium aliorum cum* Eleutherio Martyrum, *ſed ſolius* Eleutherii, *omiſſo etiam tempore & genere martyrii, breviſſimè meminerunt; addunt tantùm* S. Eleutherii *geſta haberi; quod tamen adhuc Rabanus, quamquam Hieronymianorum exemplo, ſeu potiùs auctoritate ſolum* Eleutherium *ſine Sociis* Martyribus *commemoret, idcirco veroſimiliter ſilentio præteriit, quia*

AUCTOR E C. B. *ſancti noſtri* Eleutherii *martyris geſta, quæ ſuſpicaretur ea eſſe, quæ in Hieronymianis deſignantur, nuſpiam repererat. Certè ego hujuſmodi aliave* S. Eleutherii *geſta, quacumque etiam adhibitâ diligentiâ, reperire non potui, nec porro reperiri ullibi, exiſtimo, niſi geſta* S. Eleutherii, *quod fortè non nemini placebit, appellare velis Sanctorum noſtrorum elogium, quod pleriſque Martyrologiis ad præſentem diem inſcribitur. Id ab Adone concinnatum, totumque ad verbum ferè, iis dumtaxat exceptis, quæ ad* S. Eleutherium *in particulari pertinent, quæque unde Adoni innotuerint, fruſtrà inquiras, ex cap. 6 lib. 8 Euſebii à Rufino interpolati depromptum eſt, prout facillimè perſpiciet, quiſquis laudatum Rufini caput contulerit cum Adoniano Sanctorum noſtrorum elogio, quod huc vel propterea juverit tranſcripſiſſe.*

ex Adone 2 *En illud:* Apud Nicomediam, Natalis ſancti Eleutherii martyris ſub Diocletiano, cujus tempore contigit, aliquam partem palatii (*Diocletianæi Nicomediæ*) incendio conflagrari. Hoc imperator à Chriſtianis factum falſa ſuſpicione præſumpſit: ex quo inæſtimabili furore ſuccenſus, jubet omnes Chriſtianos acervatim collectos, alios quidem gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari. Horum primus, & qui omnes hortaretur pro Chriſto fortiter animas ponere, erat Eleutherius. Denique cùm aſſiſtentes miniſtri rogarent ſingulos, ſi fortè ſacrificaturi vellent dimitti, tam viri quàm mulieres, ne interrogari ſe quidem patiebantur, ſed ultrò vel flammis irruere, vel cædentibus gladiis certatim objectare cervices. Cúmque jam illis ipſis ſpectatoribus nimietas crudelitatis horreſceret, miniſtri ſcelerum partem populi naviculis injectam, in medium pelagus abducunt, ibique in ſententia fidei perſiſtentes, præcipitant in profundum. In tantum verò rabies crudelitatis apud eos exarſit, ut regios pueros (*miniſtros palatii, in quos jam antè ſævitum fuerat*) martyres effectos, cum ſecundum humanitatis ordinem fuiſſent ſepulturæ mandati, effoderent denuò, & corpora eorum projicerent in mare, dicentes: Ne fortè efficiantur dii Chriſtianorum. Verùm beatus Eleutherius, immaniſſimis tormentis diu excruciatus, cùm ipſe per ſingula tormenta validior redderetur, martyrium victoriæ ſuæ, ignibus velut aurum examinatus, complevit, cujus reliquias Chriſtiani furtim auferentes, Nicomediæ ſepulturâ venerabili repoſuerunt.

B

C

& Romano hodierno, à quibus 3 *Martyrologium Romanum hodiernum & Uſuardus eadem ferè compendio tradunt; hic tamen ab illo & ab Adone in eo diſcrepat, quòd incendii palatii Diocletianæi, cujus occaſione Sancti noſtri martyrio coronati ſunt, mentionem non faciat; illud verò in eo ſingulare eſt, quòd, contrà ac in reliquis omnibus Faſtis ſacris fieri obſervo,* S. Eleutherio *titulum* militis *attribuat. Quapropter cùm diſcrimine inter Uſuardum & Romanum hodiernum jam aſſignato, facile futurum ſit, ut ex uno quid de alio ſentiendum ſit, innoteſcat, ſola Romani hodierni verba ſubjungo, quæ hæc ſunt:* Nicomediæ ſancti Eleutherii militis & martyris cum aliis innumeris, qui, cùm Diocletiani regia incendio conflagrâſſet, falsò hujus criminis accuſati, jubente eodem ſæviſſimo imperatore, acervatim necati ſunt: quorum alii gladio obtruncabantur, & alii ignibus cremabantur, alii in mare præcipitabantur: ſed horum primus Eleutherius, cùm diu cruciatus, per ſingula tormenta validior redderetur, martyrium victoriæ ſuæ, ignibus velut aurum examinatus, complèvit. *Martyrologi recentiores multi Sanctos noſtros cum elogio non abſimili Martyrologiis à ſe contextis pariter inſeruerunt; ſed cùm nihil ſuppeditent, quod non vel ex Adone, Uſuardo, Romanove hodierno didicerint, illos hîc receneſre, operæ pretium non arbitror.*

D

& ab aliis martyrologis an generalis hodie 4 *Porrò Sollerius noſter in Uſuardo aſſerit, hîc veroſimiliter ſub una annuntiatione celebrari fortiſſimos illos athletas omnes, qui Nicomediæ occaſione famoſæ conflagrationis palatii Diocletianæi martyrio coronati ſunt. Sollerio conſonat Tillemontius: ait enim tom.* v *Monumentorum eccleſiaſticorum pag.* 25 *hodie* Martyrum *Nicomedienſium, qui occaſione incenſi palatii Diocletianæi paſſi ſunt, commemorationem generalem ab Uſuardo, Adone & Martyrologio Romano hodierno inſtitui. Id ſanè Ado verbis minimè dubiis luculentiſſimè inſinuat; at non item Uſuardus, Romanique hodierni auctor; ille enim omnes prorſus Chriſtianos Nicomediæ occaſione dicti incendii paſſos, hi verò ex Martyrologio Romano parvo, quod Adone, Uſuardo & Romano hodierno eſt antiquius, Adonem fortè corrigentes, innumeram dumtaxat eorum multitudinem* S. Eleutherio *adjungunt. Quapropter cùm per innumeram rerum perſonarumve multitudinem minùs importari queat, quàm totus earumdem numerus, certum undequaque mihi neutiquam eſt, hodie à Romano parvo, ac Uſuardo & Romano hodierno, Romanum parvum hîc veroſimiliter ſecutis, non tantùm ingentem* Martyrum *Nicomedienſium multitudinem, ſed & totum eorumdem numerum celebrari. Id enim ſi fieret, cùm inter Nicomedienſes* Martyres *etiam Anthimus, Nicomedienſis epiſcopus,* Eleutherio *utique illuſtrior, recenſeatur, mirum ſanè foret, à Romano parvo, quo plus aliquid adhuc faciunt Uſuardus & Romanum hodiernum, ſolius* Eleutherii, *veluti præcipui ceterorumque anteſignani nomen expreſsè memorari. Quòd enim Ado, licèt eorum omnium, qui Nicomediæ dicta jam ſæpiùs occaſione martyrium ſubiére, generalem commemorationem inſtituat, de* Eleutherio *tamen, veluti de perſona inter illos præſtantiori loquatur; id ex eo veroſimiliter ortum reor, quòd is martyrologus per* Eleutherium *innumerabileſque* Martyres, *quos à Romano parvo hodie annuntiari videbat, omnes omninò Chriſtianos occaſione ſæpiſſimè dicta Nicomediæ pro fide occiſos (quod tamen Romani parvi verba non exigebant) certiſſimè eſſe intelligendos, proptereaque* S. Eleutherio *ejuſque ſociis* Martyribus *quæcumque generatim apud Rufinum de* Martyribus *Nicomedienſibus Anthimum ſecutis ſcripta inveniebat, applicanda eſſe cenſuerit, non advertens, hanc opinionem ſuam cum dignitate Anthimi, Nicomedienſium epiſcopi minùs congruere, cujus cum præjudicio* primum & qui omnes hortaretur, Eleutherium *appellat.*

E

F

omnium martyrum Nicomedienſium 5 *At, inquiet non nemo, ſi hodie in Martyrologiis non omnes generatim Nicomedienſes* Martyres, *quinam ergò ex iis annuntiantur? Firmianus Lactantius libro de mortibus perſecutorum cap.* 15 *carnificinam à Diocletiano Nicomediæ poſt ſecundum palatii imperatorii incendium adversùm Chriſtianos exercitam eo modo deſcribit, ut fortiſſimos omnes illos athletas, qui in ea coronati ſunt, non uno eodemque die fuiſſe paſſos, ſatis innuat, anſamque præbeat eos in tres claſſes diverſas diſtribuendi, ad quarum priorem pertineant eunuchi aliique in ipſo Diocletiani palatio præcipuis muneribus perfuncti, in quos veluti excitati incendii magis ſuſpectos ſævitum primò fuiſſe, veriſimile*

A *ſimile admodum eſt; ad alteram verò presbyteri aliique Eccleſiæ miniſtri, quibus propterea accenſendus eſt Anthimus, Nicomedienſium epiſcopus, de quo Euſebius lib.* 8 *cap.* 6, *narrato Gorgonii & Dorothei aliorumque plurium, qui in palatio miniſtrabant, martyrio, ſic ſcribit:* Tunc etiam Anthimus, eccleſiæ Nicomedienſis epiſcopus, ob confeſſionem Chriſti in eadem urbe (*Nicomedienſi*) capite truncatus eſt; *ac tandem ad poſtremam promiſcua, eaque innumera populi multitudo, in quam ultimo tantùm loco fuerit ſævitum. Lactantium ipſum audiamus:* Furebat ergò, *inquit loco citato*, imperator jam non in domeſticos tantùm, ſed & in omnes .... potentiſſimi quondam eunuchi necati, per quos palatium & ipſe (*Diocletianus*) antè conſtabat. *En priorem Martyrum Nicomedienſium claſſem à Lactantio inſinuatam; ſecundam deſignat his verbis, quæ jam citatis proximè ſubjicit:* Comprehenſi presbyteri ac miniſtri & ſine ulla probatione ad confeſſionem damnati, cum omnibus ſuis ducebantur; *ac paucis deinde interjectis, poſtremam iſtis definit:* Nec minùs in ceterum populum perſecutio violenter incubuit. Nam judices per omnia templa diſperſi, univerſos ad ſacrificia co-

B gebant. Pleni carceres erant.

commemoratio fiat,

6 *Atque hic quidem ordo veroſimiliter eſt, quo Martyres Nicomedienſes poſt incenſum Diocletiani palatium, ut conſideranti patebit, martyrio fuiſſe affectos indigitat Lactantius, qui ſi illum ordini, quo verè coronati ſunt, exactè conformârit, non tantùm Nicomedienſes hoſce Martyres in tres claſſes diverſas rectè diſtributi, ſed & totidem ut minimùm diverſis diebus fuerint paſſi. Nunc ad rem venio. Solam poſteriorem Martyrum Nicomedienſium claſſem non eodem die, quo duæ priores, paſſam per* Eleutherium *alioſque innumeros* Martyres, *hodie in Martyrologiis annuntiatos, deſignari valdè ſuſpicor; ſic etenim à Romano parvo ſolum, expreſſo nomine,* Eleutherium *veluti præcipuum inter eos, quibuſcum martyrio coronatus eſt, rectiſſimè ſine ullo Anthimi Nicomedienſis eccleſiæ epiſcopi præjudicio conſignari poſſe, nemo non intelliget; neque enim eſt, cur quiſquam poſterioris illius claſſis Martyres eodem die, quo Anthimus, Nicomedienſium epiſcopus, paſſos eſſe, adeoque & in Martyrologiis annuntiari, ex eo fortè contendat, quòd Rufinus lib.* 8 *cap.* 6, *narrato Anthimi martyrio, mox ſubdat:* Hunc autem (*Anthimum*)

C tamquam verè bonum paſtorem viam martyrii præeuntem univerſa pænè gregis ſui multitudo proſequitur; *præterquam enim quòd Martyres, qui eodem die paſſi ſunt, non eodem ſemper die in Martyrologiis annuntientur, dici rectè poteſt, univerſa penè gregis multitudo paſtorem ſuum Anthimum in martyrio ſecuta, licèt non eodem die, quo ipſe, ſed uno tantùm, alterove pòſt aut etiam ſeriùs pro Chriſto ſanguinem effuderit.*

quodnam ſit tempus martyrii,

7 *Porrò quoniam ad tempus, quo Sancti noſtri martyrium ſubiêre, ſermo delapſus eſt, rei opportunitate adducor, ut nunc illud, quoad fieri poterit, quàm proximè determinem, licet interim martyrii Sanctorum noſtrorum nemo menſem, nemo diem pro certo aſſignet. Dies enim hodiernus, quo in Faſtis ſacris annuntiantur, veroſimiliter is non eſt, quo pro fide, fuſo ſanguine, decertârunt, ſed is, quem illi, ad quos pertinebat, pro arbitrio elegerunt. Etenim* Martyres *Nicomedienſes, occaſione ſæpiſſimè jam dicta à Diocletiano necati, quorum & Sancti noſtri pars magna fuêre, martyrium ſuum, ut ex Lactantii citati cap.* 14, 15 *&* 16 *apertè colligitur, eo omnes tempore conſummârunt, quod inter incendium palatii Diocletianæi & Diocletiani ex civitate Nicomedienſi Romam verſus profectionem intercedit; cùm autem illud incendium, ut iterum ex Lactantii citati cap.* 12, 13 *&* 14 *eruitur, anno* 303, *hieme nondum elapſa; profectio verò Diocletiani Romam verſus ante Octobrem ejuſdem anni inchoatum, neque enim Diocletiani feſtinatio (vide rurſus Lactantium cap.* 17) *ad vicennalia eo anno,* XX *Novembris Romæ celebranda differri eam tam diu permittit, veroſimillimè contigerit, conſequens eſt, Sanctos noſtros anno* 303 *ante menſem Octobrem martyrio eſſe coronatos; imò quinque adhuc circiter menſibus citiùs coronatos eſſe, ex Euſebio apparet. Hic enim lib.* 8 *cap.* 6, *narrato S. Anthimi, Nicomedienſis epiſcopi, univerſique penè ejus gregis martyrio, mox ſubjungit:* Et hæc quidem in ipſo perſecutionis exordio Nicomediæ geſta ſunt; *ex quibus verbis, cum perſecutio Dio-* E *cletiani, ut nunc omnes paſſim admittunt,* XXIII *Februarii, anno* 303 *initium ſumpſerit, veroſimile fit, S. Anthimum, univerſumque penè ejus gregem, adeóque & Sanctos noſtros vel ſub finem Martii, vel menſe Aprili, neque enim menſes poſteriores exordium perſecutionis Februario inchoatæ æquè rectè appelles, martyrium ſubiiſſe; id ipſum etiam ſuadet præceps Diocletiani poſt palatii incendium in Chriſtianis puniendis furor.*

& quis Eleutherius, quem ſolum nominant.

8 *Ceterùm Tillemontius in perſecutione Diocletiani art.* 9 *pag.* 25 *credit, S. Eleutherium, qui hodie in Eccleſiæ Latinæ Martyrologiis annuntiatur, illum eſſe potuiſſe Eleutherium, qui* IV *Auguſti ſacris pleriſque Græcorum Faſtis inſcribitur; idem in Vitis Sanctorum ad* 2 *Octobris cenſet Bailletus; at opinionem hanc, prout etiam jam antè Majoribus noſtris in S. Eleutherio, qui* IV *Auguſti colitur, eſt viſum, Acta noſtri & iſtius Eleutherii vel obiter inſpecta convellunt, ut neceſſe non ſit, illam pluribus confutare. Hinc porrò conſequens eſt, eam cujuſdam Eleutherii martyris eccleſiam, quæ, ut videre licet apud Cangium in Conſtantinopoli Chriſtiana lib.* 4 *pag.* 123, *Conſtantinopoli, & quidem unica dumtaxat exſtitit,* Eleutherii *noſtri non fuiſſe, quamquam etiam Eleutherii, qui* IV *Auguſti à Græcis colitur, revera fuiſſet, prout fuiſſe Janningus noſter, cui Tillemontius loco mox citato non repugnat, tom.* I *Junii, pag.* 395 *contendit; at contrà Papebrochius ad diem* XVIII *Aprilis, ac deinde Boſchius tom.* I *Auguſti pag.* 320 *S. Eleutherio epiſcopo & martyri, qui* XV *Decembris à Græcis, à Latinis verò* XVIII *Aprilis celebratur, memoratam eccleſiam rectè vindicârunt, idque peropportunè ad propoſitum noſtrum, cùm hinc certum fiat, dictam eccleſiam Conſtantinopolitanam* Eleutherio *noſtro, etiamſi, contrà ac dictum eſt, idem foret cum Eleutherio, qui* IV *Auguſti colitur, nequaquam poſſe attribui, quòd aliàs longiori operoſiorique examine fuiſſet indagandum.*

F

AUCTORE J. B.

DE S. LIZERIO MART. ROMAN.

VENETIIS IN ITALIA.

SYLLOGE.

Sancti cultus, ætas, martyrium.

SUB DIOCLETIANO. *S. Lizerius in monaſterio S. Zachariæ,*

Elebre nobilium Virginum Benedictinarum monaſterium, S. Zachariæ nuncupatum, illuſtrioribus ſuis ornamentis non immeritò annumerat notiſſima Venetorum civitas. Sanſovinus, eumque ſecutus Bozzonius à naſcentis Reipublicæ incunabulis fundatum ſcribunt. Dandulus in Chronico, Ughellus, Mabillonius, aliique ad initium ſeculi IX *ejus fundationem differunt ſub Angelo & Juſtiniano Venetorum ducibus; quibus Flaminius Cornelius ſenator Venetus nuper acceſſit. Quemadmodum verò ceteris hodiedum illius urbis monaſteriis (quod Ughellus & Mabillonius tradunt) pulchritudine, nobilitate & antiquitate præſtat, ita inſignibus Sanctorum reliquiis fuit identidem locupletatum; videlicet S. Zachariæ Prophetæ, parte ligni Crucis & indumentorum Chriſti & Matris ejus cum pluribus theſauris ab imperatore Leone Armeno Venetias miſſis; item S. Pancratii martyris & S. Sabinæ virginis, quas Benedictus III Pontifex ſummus ex Urbe anno* DCCCLV *Venetias profugus, ad ſedem ſuam regreſſus ſanctimonialibus dono miſit.* Sancti *quoque* Lizerii *corpus hùc Româ delatum eſſe, Sanutus, aliique paſſim rerum Venetarum prodidêre ſcriptores.*

B

ob delatas eò olim Româ reliquias,

2 *Tranſlationis hujus epocha in occulto eſt: præceſſiſſe tamen annum Domini* 998, *palàm fit ex Sanuto in Vitis ducum Venetorum ad hunc annum, ubi refert, imperatorem Ottonem III Ravennâ clàm appuliſſe Venetias, noctuque ab Urſeolo hujus nominis ſecundo Venetiarum duce ad S. Zachariæ deductum, ut reconditas ea in æde inſpiceret Sanctorum exuvias; quas deinde ſingillatim enumerans* S. Lizerii *corpus penultimo loco recenſet. Verba ejus, quia corrigenda ex parte, Latinè reddo.* Duxit (*Ottonem III*) dux noctu ad S. Zachariæ, ut Sanctorum corpora, quæ in illa æde erant, inſpiceret... Erant autem corpus S. Zachariæ Prophetæ, corpus S. Sabinæ, corpus S. Leonis Papæ, corpus S. Nerei Mart., corpus S. Achillei Mart., corpus S. Lizerii Mart., corpus S. Pancratii Mart. *Neque enim S. Zachariæ, cujus carent capite, neque SS. Nerei & Achillei (quorum reliquiæ alibi etiam reperiuntur, ut videre eſt tom.* III *Maii pag.* 6) *integra poſſident corpora, ſed partem dumtaxat; neque etiam corpus S. Leonis Pontificis, ſed eremitæ unà cum ſociis Gregorio & Theodoro ex inſula Cephalenia Venetias deportati. Ita eccleſiæ Venetæ illuſtrator Cornelius tom.* XI. *Conſule etiam, ſi lubet, Cuperum tom.* IV *Aug. pag.* 768.

C

Venetiis colitur:

3 S. Lizerium *in antiquioribus Martyrologiis fruſtra quæſiveris: è recentioribus Conſtantius Felicius ſuo illum Kalendario ad diem* 2 *Octobris inſeruit, ubi præter nomen Sancti & martyrium nihil invenias. Addit Topographia ſanctorum Chriſti Martyrum, quam Maurolycus Meſſanenſis abbas vulgavit, ſuoque annexuit Martyrologio,* S. Lizerii *corpus Venetiis in æde S. Zachariæ quieſcere. Cultum verò Sanctis debitum cùm* S. Lizerio, *tum Sanctis ceteris, quorum ibi quieſcunt corpora vel reliquiæ, exhibitum fuiſſe tom.* 5 *Theſauri hiſtoriarum Italiæ parte* 2 *pag.* 66 *legitur:* Corpora, quæ hìc homines venerantur, ſunt S. Zachariæ, S. Pancratii Martyris, S. Gregorii Nazianzeni (*an non potiùs eremitæ?*) S. Lizerii &c. *Cornelius quoque citatus univerſim pronuntiat,* "Sanctorum corpora ab immemorabili tempore ad aras eccleſiæ S. Zachariæ honorificè quieſcentia à Chriſti fidelibus coli, eiſque honores Sanctis debitos adhiberi. *Quibus eccleſiæ Venetæ accedunt Directoria anni* 1657 *&* 1683, *in quorum primo die* 2 *Octobris, in altero* 27 *ejuſdem menſis feſtum* S. Lizerii *martyris ritu ſemiduplici & Officio de communi Martyris celebrandum præcipitur. Quæ licèt ad vindicandum* Lizerio *ſanctitatis, martyriique titulum ſufficiant, exiguam tamen geſtorum ejus notitiam ingerunt.*

D

cujus paſſionem ſub Maximiano Herculio.

4 *Aliquantò notior eſt epocha martyrii, etſi nihil ſuppetat nobis certi, unde illius annum exactè determinemus. Si enim Ferrarium, de quo infrà, audiamus, paſſus eſt ſub Maximiano imperatore, puta Herculio. Alter enim Maximianus, cognomento* Armentarius, *Romam* S. Lizerii *palæſtram non viderat, niſi poſteaquam, coacto adverſus Maxentium exercitu, Italiam invaſit, Urbem fruſtra oppugnaturus, teſte Lactantio lib. de Mort. Perſecut. cap.* 27; *ſed nec umquam deinceps, ut reliqua ejus Vitæ ſeries aperit; cùm tamen* S. Lizerius *coram ipſo Maximiano iniiſſe tradatur Romæ pro fide certamen. Paſſuſne ſit in illa perſecutione diriſſima, quæ ſub Diocletiano circa ſeculi* IV *principium in Oriente cœpta, & à Maximiano in Occidente haud gravatè ſuſcepta, ad ejus abdicationem uſque producta eſt, an ante illam, non definio. Primum utcumque probabile reddit, ſi verum eſt, quod Ferrarius ait, paſſum nempe eſſe* S. Lizerium *tum temporis, quo indies cruciabantur Chriſtiani. Hactenus enim Diocletianus manus ſuas juſtorum ſanguine non inquinârat, ait Lactantius cap.* 9. *Maximianus verò Herculius, etſi naturâ ferox, quotidiana tamen, & adeò frequentia id ante tempus de Chriſtianis ſupplicia Romæ ſumpſiſſe non legitur.*

E

Ferrarius deſcripſit;

5 *De Sancti martyrio multa Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, quorum hæc ſumma eſt.* S. Lizerius *genere Hiſpanus Romæ ſub Maximiano ſtipendia meruit, habitus inter primos militiæ duces. Chriſtianorum pro fide indies morientium conſtantiam admiratus, accenditur cupiditate martyrii. Juſtinum itaque presbyterum adit, inſtruitur, ſacris undis expiatur. Mox ſua pauperibus erogat, hortaturque ad conſtantiam carceribus detentos. Audit hæc imperator: minas, blanditias, verbera incaſſum adhibet,* Lizerium, *dum reſipiſcat, car-*

F

A *carceri tradit. Interim certior fit eorum, quæ Romæ geruntur, in Hiſpania* S. Lizerii *pater: citus in urbem advolat, quà precibus, quà lacrymis filium exoraturus, imperatori ut pareat: negat ille, imperatoris ſe juſſa factlurum. Suſpenſo itaque dum venter inciditur, pater in terram ſemimortuus corruit: ſed oratione Filii excitatus ad Chriſtum convertitur, & unà cum Filio, clavis cerebro per aures infixis, martyrium complet. Quorum corpora à Chriſtianis ſepulta ſunt: corpus verò* S. Lizerii *Venetias delatum in æde S. Zachariæ quieſcit. Vera eſſe nonnulla & quidem præcipua narrationis hujus capita, nullus quidem dubito; at falſa veris non eſſe permixta, vadem ego me præbere non auſim.*

ſed certo martyrio

6 *Scribit enim Ferrarius, deprompta hæc eſſe ex monumentis eccleſiæ S. Zachariæ, & ex Sancti paſſione nuper Venetiis edita. Verùm utrùm monumenta illa ipſemet viderit, an aliena tantùm fide citaverit, ut dubitem, faciunt laudatus ſuprà illuſtriſſimus dominus Cornelius, atque Janningus noſter. Ille enim pag.* 322 *de* Lizerio *agens ita loquitur:* Lizerium Hiſpanum genere ſub Maximiano

B imperatore Romæ martyrium conſummâſſe, tradit Philippus Ferrarius, qui in Catalogo SS. Italiæ pluribus ejus vitam affert ex monumentis (ut ipſe ait) eccleſiæ S. Zachariæ, ubi corpus ejus delatum quieſcit, atque ex ejus paſſione Venetiis edita. *Acta* S. Lizerii *ſi in Archivio S. Zachariæ Dominus Cornelius vidiſſet, illa utique citâſſet præ Ferrario, nec uſus fuiſſet ejuſcemodi parentheſi, niſi de rei veritate dubitâſſet. Aſſerunt præterea ſanctimoniales (eodem teſte) varias aliorum Sanctorum penes ſe eſſe reliquias. Si documenta requiras, anno Domini* 1106 *incendio conſumpta dicuntur. Facilè & Acta* S. Lizerii, *ſi quæ fuerint, eadem flamma conſumpſerit. Vidit quoque Sanctorum in S. Zachariæ reliquias anno* 1686 *Janningus, de quibus (inquit in Itinerario)* Nihil ſcripto probare poſſunt, cauſantes incendium omnia conſumpſiſſe. Quod affirmant, ex nuda traditione affirmant &c. *Soliuſne* S. Lizerii *Acta, pereuntibus aliis omnibus, incendii flammas evaſêre?*

AUCTORE J. B.

7 *Quod ad* S. Lizerii *Paſſionem, quam Ferrarius ait nuper Venetiis editam, attinet, haud ſatis antiqua eſt, ut fidem per ſe certam & indubitatam mereatur, niſi fortè documentis antiquioribus, certioribuſque nitatur. Ex hac tamen pleraque Paſſionis adjuncta derivâſſe videtur Ferrarius, qui in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, ad diem* 2 *Octobris hunc ſcribit in modum:* Lizerii Mart. Ex Tabulis eccleſiæ Venetæ, ad quam corpus ex urbe Roma delatum, in ſacra æde S. Zachariæ conditum eſt. *Mox ſubdens:* Is genere Hiſpanus Romæ adoleſcens ſub Maximiano paſſus eſt, unà cum patre, prout in ejus Paſſione Venetiis nuper edita legimus. *ſed erit fortaſſe, cui opportunus ille anonymi patris ex Hiſpania in Urbem adventus, & quidquid huic ſuperſtruitur, fabuloſi quidpiam præ ſe ferre videatur. Neque etiam facilè dixero, quis ſit Juſtinus presbyter, à quo* Lizerius *inſtrui voluit & baptizari. Floruit quidem Romæ, ſeneſcente jam ſeculo tertio, Juſtinus presbyter (ut Acta docent S. Laurentii tom.* v *Septembris pag.* 471 *& ſeq.) inſtruendis, baptizandiſque infidelibus etiam militibus celeber; verùm is, ipſo non diſſentiente Ferrario, ſub Claudio II, qui circa annum* 268 *imperii clavum tenuit, martyrii palmam eſt conſecutus, atque adeò imperantis Maximiani tempora attigiſſe non potuit. Dicta ſint hæc non alia de cauſa, quàm ut de relatis à Ferrario variis martyrii adjunctis pro ſua prudentia lector ſententiam ferat.*

adjuncta non certa copulavit.

E

DE S. MODESTO LEVITA MARTYRE

BENEVENTI IN ITALIA.

C F

SYLLOGE CRITICO-HISTORICA.

C. B.

SUB INITIUM SECULI IV. *Memoria in Faſtis ſacris & cultus*

Marius de Vipera in Catalogo Sanctorum, quos eccleſia Beneventana duplici vel ſemiduplici ritu celebrat, S. Modeſtum *in ea Officio eccleſiaſtico ritus duplicis coli aſſerit, atque ad ſecundum diem Octobris cum titulo* levitæ ℣ martyris *commemorat; commemorat & ad eumdem diem codex Uſuardinus Vaticanus, ſignatus num.* 5949, *quem* novam collectionem ex Uſuardo, Adone & aliis factam pro eccleſia Beneventana, *Papebrochius appellat; at Martyrologium Romanum & Kalendarium primum, quod parti quartæ Sanctuarii ſui Capuani Michaël monachus inſeruit, quodque Sanctos Capuæ quondam cultos ex parte complectitur, cum eodem quidem* levitæ & martyris *titulo, ſed ad alium diem, ad* XII *ſcilicet Februarii eum annuntiant; Kalendarium Sanctorum, qui in particularibus eccleſiis Genuæ coluntur, pag.* 34, *ad* XII *Februarii* S. Modeſtum martyrem *etiam conſignat, ſed cùm eum titulo* Levitæ *non inſigniat, an de noſtro, an de alio* S. Modeſto *martyre ſermo ſit, incertum eſt. Ferrarius, Martyrologium Romanum ac Kalendarium Sanctuarii Capuani citatum cum Vipera & codice Uſuardino laudatis, quibus quoad diem, quo Sanctum noſtrum conſignant, Caſtellanus in Martyrologio ſuo univerſali conſonat, in concordiam quodammodò adducens, Catalogo Sanctorum Italiæ & ad diem* XII *Februarii, & ad* 2 *Octobris* S. Modeſtum *inſcribit, aitque in ſuis annotationibus priori die ejus inventionem ſive tranſlationem recoli, poſteriori autem natalem ab eccleſia Beneventana celebrari, ut hinc innoteſcat, cur non in omnibus ſacris Tabulis Sanctus noſter eodem die memoretur. Vincentius Ciarlanti in Memoriis hiſtoricis Samnii lib.* 3 *cap.* 13 *pag.* 186 *Sancti noſtri quoque meminit, ſed nihil notatu dignum ſuppeditat, quod non vel ex Ferrario vel ex Mario de Vipera jam dederimus aut poſt daturi ſimus. Porrò*

AUCTORE C. B.

cùm ex horum auctorum laudato mox asserto de tempore, quo Sanctus noster colitur, Majores nostri eum ad XII *Februarii inter Prætermissos retulerint, necesse est, ut de* S. Modesto *ad hunc secundum Octobris diem, alterutro enim de eo agendum erat, nunc agamus, quem ei natalem esse, elogium mox recitandum docebit.*

elogium

2 *Exstat illud locis num. præcedenti citatis apud Viperam & Ferrarium, quorum hic antiquas lectiones Breviarii ecclesiæ Beneventanæ, ille verò codicem Ms. signatum num.* 168 *bibliothecæ Beneventanæ laudat. Integrum hus ex Ferrario transcriptum accipe :* Modestus in Sardinia claris parentibus ortus, à puero in humanioribus litteris eruditus, æquales ingenii acumine & elegantiâ morum antecelluit. Adolescens omnibus virtutibus excultus, præcipuè humilis, castus, modestus, patiens, misericors & pius erat. Ad pietatis studium meditationem, orationem & divinarum Scripturarum lectionem adhibebat. Vitæ sanctitatis famâ pervulgatâ, plures ad eum, maximè verò luminibus orbati, quibus ille visum restituit, confluere cœperunt. Post cæcos, claudi, muti & diversi generis infirmi

B

catervatim accedentes, ad propria voti compotes remeabant. Dum etiam mortuus deferretur, ab iis, qui illum sequebantur, exoratus illum oratione & lacrymis ad vitam revocavit. Fertur autem cæcis quatuor lumen, & duobus defunctis vitam impetrâsse; mutos verò, surdos, claudos & dæmoniacos multò plures liberâsse. Factus diaconus in Diocletiani persecutione tentus, variéque tentatus, ut deos coleret, numquam nec blanditiis, nec minis de constantia dimoveri potuit, cúmque deos venerari jussus, illos malos dæmones appellârit, multis & diris affectus cruciatibus post equuleum & ignem intra ardentes thermas injectus martyrium consummavit VI Nonas, *id est*, 2 Octobris, *qui propterea, ut jam monui, Sancto nostro natalis est.*

fabulosa fides,

3 *Recitatum elogium ex incertis vulgi rumoribus populique traditione concinnatum videtur, quod satis apparet vel ex his ejus verbis :* Fertur autem cæcis quatuor lumen, & duobus defunctis vitam impetrâsse. *Ubi notanda est loquendi formula* fertur, *quâ auctor de re, quam scribit, incerto tantùm rumore instructus innuitur. Apud*

C

Marium Viperam, qui & in nonnullis aliis minoris momenti à Ferrario discrepat, tres mortuos à Sancto nostro ad vitam revocatos fuisse, paulò aliter, cum eadem tamen loquendi formula, sic lego : Fertur quoque (*S. Modestus*) mortuum, dum ad sepulturam deferretur, à comitantibus exoratus, oratione & lacrimis ad vitam revocâsse, ultra duos alios defunctos ab ipso aliàs resuscitatos. *At sive tres defuncti, ut apud Viperam, sive duo tantùm, ut fortè apud Ferrarium, à Sancto nostro resuscitati tradantur, parùm credibile mihi semper est recitatum ejus elogium; imò, etiamsi hoc idem foret, ut fortè est, cum Passione* S. Modesti, *quam, ut Petrus diaconus de Viris illustribus Cassinensibus cap.* 21 *testatur, Albericus Cassinensis monachus conscripsit, ea nihilominus omnia, præcipuè verò multiplicia illa miracula, quæ de Sancto nostro, antequam martyrio coronaretur, id perhibet, parvam admodum apud me fidem invenirent, utpote dumtaxat tradita ab auctore, qui ab ætate* S. Modesti *adeò remotus est, ut ea omnia, quæ de illo refert, nisi forsan ipsi, quod formula loquendi* fertur, *quam adhibet, verisimile non relinquit, antiquiora monumenta fide digna præluxerint, certò rescire non potuerit, tantúmque ex populari traditione, ut suprà indicavi, aliâve viâ ad certam fidem creandam ineptâ didicerit. Albericus enim, ut parte* I *tom.* 9 *Thesauri Antiquitatum Italiæ in annotatione ad cap.* 21 *laudati Petri diaconi signatur, seculo* XI *dumtaxat floruit, adeoque seculis ut minimum septem post* S. Modestum, *utpote sub initium seculi* IV *martyrio coronatum, ut ostendere aggredior.*

D

martyrium ad persecutionis Diocletianæ

4 *Laudatum sæpe elogium, cujus auctorem puto, ex antiquis monumentis tempus & locum, quo Sanctus noster martyrium passus est, discere facilius potuisse, quàm reliqua vitæ adjuncta martyrio anteriora ; laudatum, inquam, Elogium Sanctum nostrum in persecutione Diocletiani martyrium subiisse, affirmat ; unde, si quidem Elogium in hoc saltem etiam falsum non sit, consequens est, illud martyrium sub initium seculi* IV *contigisse. Quamquam enim ex narratione translationis Sancti nostri infrà hîc danda, in qua Elogii sæpe laudati, ut apud Viperam exstat, ultimis hisce verbis :* Post equuleum & ignem inter ardentes termas injectus martyrium consumpsit* sexto nonas Octobris, & ibidem à Christianis sepultus fuit : *proximè ab eodem auctore subjecta, statim ab ipso initio dicitur :* Corpus ipsius glorioſi Martyris (*Modesti*) fuit ex Urbe, *quo nomine per excellentiam Roma sæpissimè intelligitur*, Beneventum translatum ; *quamquam, inquam, ex narratione illa satis manifestum appareat*, S. Modestum *Romæ passum esse ; Romæ autem plures Christiani, ut ex Actis S. Sebastiani à Bollando ad* XX *Januarii editis apparet, anno* 285, *imperante jam Diocletiano, persecutione excitata, martyrio coronati sint ; cùm tamen per Diocletiani persecutionem universalis illa persecutio soleat intelligi, quæ, ut ex Firmiano Lactantio lib.* 2 *de mortibus persecutorum liquet, nuncque recentiores passim admittunt, anno* 303, XXIII *Februarii inchoata est, perque universum Romanum orbem edictis promulgatis grassata per decem continuos annos plebem Dei, ut loquitur Sulpicius Severus, depopulata est*, S. Modesti *martyrium non ad finem seculi* III, *sed ad initium* IV *verosimiliter referendum est.*

* consummavit

E

priores tres annos verosimiliter referendum,

5 *Atque illud quidem non aptiùs referri puto, quàm ad annum vel* 303, *quo persecutio Diocletiani inchoata est, vel ad alterutrum ex duobus sequentibus, cùm post illos in Italia reliquis persecutionis Diocletianæ annis in Christianos sævitum non fuerit, ut fas est colligere ex Eusebio, qui sub finem libri de martyribus Palæstinæ sic scribit :* Nam quæ ulteriùs sitæ sunt regiones, Italia videlicet tota, & Sicilia, Gallia quoque & quæcumque ad Occasum solis porriguntur, Hispania, Mauritania & Africa, cùm vix duobus primis persecutionis (*Diocletianæ scilicet, de qua ibidem agit*) annis integris furorem belli expertæ essent, divini Numinis præsentissimum auxilium & pacem brevi sunt consecutæ. *Atque hæc pro tempore determinando, quo Sanctus noster martyrium subiit, dicta sufficiant. Progredior nunc ad glorioſi corporis translationem, ejusque ex Mario Vipera relationem, pro qua in margine citat Archivium Monasterii & ecclesiæ* S. Modesti *in Ms. codice antiquo, ubi Acta (elogium suprà datum) & Translatio, ut ait, prædicta habentur.*

F

translatio, ejusque narratio,

6 *Est autem hæc :* Corpus ipsius glorioſi Martyris (*Modesti*) fuit ex Urbe Beneventum translatum quinto Nonas, *id est*, 3 Julii anni Domini DXCI. ex concessione Gregorii Magni summi Pon-

A Pontificis ad preces Arechi Beneventani ducis ſecundi, & fratrum monaſterii ſanctæ Mariæ ad Olivolam, Liniano hujus nominis ſecundo eccleſiam Beneventanam gubernante. Quod ab epiſcopo cum clero, à duce cum ſua militia, univerſoque populo cum omni gloriæ apparatu receptum, in eccleſia prædicta honorificè collocatum fuit, ibique * ſervandum, donec digna baſilica in ipſius honore fuiſſet excitata. Ann. Sal. DCXLIX Duda Parda nobiliſſima fœmina Benevent. auguſtum templum Martyri noſtro Modeſto dicavit prope eandem ædem ſanctæ Mariæ, & pridie Idus Februarii, quæ dies ejus natalis eſt in templo ei dicato, ipſius ſacrum corpus magna veneratione Ildebrandus epiſcopus Beneventanus tranſtulit, & ſub altare ei ſpecialiter excitato, perhonorificè tumulavit, Honorio Pap. primo, & Grimoaldo Duce quinto Beneventi regnante, qui dictam eccleſiam & monaſterium opibus & poſſeſſionibus copioſis ditavit, & illius abbatem præfecit Bentigradum patruum ſuum, & avunculum Rodualdi ducis.

* *fortè* ibi

7 *Si hîc per Rodualdum ducem intelligatur Rodualdus, quartus Beneventanorum dux, proximus Grimoaldi deceſſor, vocabulum* Patrui *vel* Avunculi *in impropria ſignificatione accipitur, ut utrumque ſignificet vel* fratrem patris *vel* fratrem matris; *cùm enim in propria ſignificatione aliud* fratrem patris, *aliud* fratrem matris *tantùm ſignificet, Grimoaldus autem & Rodualdus, quartus Beneventanorum dux, teſte Paulo diacono, fratres fuerint, fieri nequit, ut duorum iſtorum fratrum, quemadmodum conſideranti patebit, alter Bentigradum in* fratrem patris, *alter verò* in fratrem matris *habuerit, idque ſive fuerint, ſive non fuerint fratres ex eodem patre & eadem matre prognati. Sunt & alia quædam in recitatam tranſlationis Sancti noſtri hiſtoriam annotanda. Initium duco ab his verbis:* Pridie Idus, *id eſt*, XII, Februarii, quæ dies ejus (S. MODESTI) natalis eſt in templo ei dicato; *aſſeroque iis fortè ſignificari, die* XII *Februarii in templo Sancto noſtro dicato celebrari diem ejus, non natalem, ſive illum, quo, felici morte pro Chriſto obita, cælo primùm natus eſt, ſed tranſlationis, qui Sancti noſtri in templo ei dicato, in quod tunc primùm tranſlatus eſt, ea ferè ratione, natalis forſan hîc dicitur, quâ dies, quo Sancti* B *beato è vita exceſſu in cælum è terra primùm transferuntur, eorum in cælo natalis ſolet appellari. Citata verba idcirco ſic expono, quòd Ferrarius, cui Marius Vipera Sanctum noſtrum in Catalogo Sanct. eccl. Benevent. ad hunc diem annuntians, annuaque celebritate in Chronologia epiſcoporum eccleſiæ Beneventanæ coli aſſerens, minimè diſſonat, diſertè edicat, ejus natalem ab eccleſia Beneventana non* XII *Februarii, ſed* 2 *Octobris celebrari, qua revera martyrio coronatus eſt, uti ex jam dictis liquet.*

ejus occaſione

8 *Quod ſi tamen cuiquam hæc interpretatio diſpliceat, videat, an præſtet dicere, quòd in tranſlationis narratione erratum ſit, legendumque non* pridie Idus Februarii, *id eſt*, XII *illius menſis, ſed* ſexto Nonas Octobris, *id eſt*, 2 *hujus menſis. Id certè ſuſpicatus eſſe, quamquam ſuſpicionis ſuæ lectorem non moneat, ipſe Marius Vipera mihi videtur: nam, etiamſi* S. Modeſti *tranſlationem anno* 649 *factam in Sanctorum eccleſiæ Beneventanæ Catalogo ad* XII *Februarii retuliſſet, eum tamen in laudata epiſcoporum ejuſdem eccleſiæ Chronologia anno proximè ſequenti, poſtquam dictum catalogum ediderat, typis à ſe vulgata, in eccleſiam de novo exſtructam ab epiſcopo Beneventano tranſlatum, ſubque altari nomini ejus ſpecialiter dicato* 2 *Octobris tumulatum fuiſſe, ad annum* 649 *pag.* 27 *aſſerit. Licèt autem nullam aſſerti ſui rationem afferat, in eo fortè ſe fundat, quòd ille dies, quo in laudatis tranſlationis Actis tranſlatio facta aſſeritur*, S. Modeſti *natalis, qui, ut elogium num.* 2 *datum exhibet, ſecundus dies Octobris eſt, diſertè appelletur; fieri autem facilè potuerit, ut ſciolus quidam, qui codicem antiquum, quem in laudato Sanctorum catalogo citârat idem Vipera, conſcripſit, pro ſecundo Octobris die, qui in autographo ſignabatur*, XII *Februarii in apographo idcirco notârit, quòd illo die Sancti noſtri tranſlationem præcipuo quodam cultu celebrari cognoſceret. Quod ſi, ut fieri potuit, reipſa factum ſit, Sancti noſtri in cælo nativitas ſecundo Octobris die, pariterque in terris corporis tranſlatio contigit, ideóque in Hiſtoria tranſlationis non* pridie Idus Februarii, *ſed* ſexto Nonas Octobris *legendum erit, hæcque verba:* Quæ dies ejus (*Modeſti*) natalis eſt in templo ei dicato, *ſenſum non illum, quem num. præcedenti aſſignavi, ſed hunc magis naturalem & obvium ſortientur: Quæ dies eſt, quâ ejus natalis in templo ei dicato celebratur. Nec eſt, quòd opponas tranſlationem, cùm ea die* XII *Februarii tantùm celebretur, indubiè die* 2 *Octobris factam non eſſe; notum enim jam vulgo eſt, Sanctorum tranſlationes non iis ſemper diebus, quibus factæ ſunt, ſed etiam aliis pro libitu aſſumptis celebrari, quod tunc procul dubio locum obtinere poteſt, cùm eccleſia aliqua bis in anno Sanctum eumdem celebrat, ejuſque tranſlatio & nativitas, ut in* S. Modeſto *forſan fit, eodem die occurrit. Pergo nunc ad characteres chronologicos, qui in laudata tranſlationis narratione occurrunt, ut ex iis, prout vel concordant, vel diſcordant cum rebus, quæ narrantur, de narrationis fide ferri utcumque queat judicium.*

quædam obſervantur,

9 *Annus Chriſti* 591, *quo Sanctus noſter ex urbe, Româ ſcilicet, Beneventum tranſlatus notatur, cum Pontificatu Gregorii Magni & ducatu Beneventano Arechi, ſive, ut alii vocant, Arogis, ſecundi Beneventanorum ducis apprimè congruit. Nam Gregorius Magnus, ut apud Baronium in Annalibus, Papebrochium in Conatu chronico-hiſtorico ad Catalogum Romanorum Pontificum, alioſque videre licet, ab anno* 590 *uſque ad annum* 604 *S. Petri cathedram occupavit; Arechus verò, qui, teſte Paulo diacono lib.* 4 *cap.* 46, *annis* 50 *Beneventanis dux præfuit, vel ab anno* 588 *uſque ad annum* 638 *Beneventi ducatum tenuit, ſi, ut Herempertus in Catalogo ducum Beneventi (ſi tamen Heremperti ſit ille ducum catalogus) apertè tradit, Zotto, proximus Arechi deceſſor, ipſo anno* 568, *quo Longobardi, teſte Paulo diacono lib.* 2 *de geſtis Langobardorum cap.* 7, *Italiam ingreſſi ſunt, ducatum illum, quem, teſte iterum Paulo diacono lib.* 3 *cap.* 34, *annis* 20 *obtinuit, adminiſtrare ſit exorſus; vel ab anno* 591 *uſque ad annum* 641, *ſi ex Leonis Oſtienſis lib.* 1 *Chronici Caſſinenſis cap.* 48 *initium Beneventani ducatus à Zottone initi anno Chriſti* 571 *aſſigendum ſit. Priorem opinionem de tempore, quo Zotto ducatum Beneventanum inchoavit, confutat Antonius Caracciolus in Propylæis ad quatuor chronologos à ſe editos; poſteriorem verò, ad quam Bollandus tom.* 2 *Februarii pag.* 318 *&* 319 *proximè accedit, multis argumentis confirmat. Utramque in concor-*

differiturque de ducatu Beneventi Zottonis, qui non ſerius,

C F

diam

AUCTORE C. B.

E

AUCTORE C. B.

diam reducendi viam aperire conatur Camillus Peregrinus parte 1 libri 2 Hiſtoriæ, quam de principibus Langobardis conſcripſit, aſt ſive hæc, ſive illa vera ſit opinio, ſic equidem anno 591 Beneventanorum dux Arechus extiterit, quod ad præſens inſtitutum omnino requiritur.

quàm anno 571 ſigendus ex Gregorio Magno oſtenditur, quod etiam

10 *Aio interim, ſi non citiùs cum Bollando aliiſque, certè ſeriùs quàm anno 571 aut ad ſummum 572 ſtatui non poſſe initium ducatus Beneventani à Zottone initi, quod vel ſola S. Gregorii Papæ auctoritate perſpicuè oſtenditur. Hic enim epiſtolâ olim 32 lib. 2 Regeſt., nunc 46, in Operum ſcilicet S. Gregorii editione Pariſienſi anni 1705, ſcribens Joanni Epiſcopo Ravennati, Arigem ſive Arechum cum Ariulpho, illo veroſimiliter, qui, ut teſtatur Paulus diaconus lib. 4 cap. 17, Longobardorum apud Spoletum dux erat, ſe junxiſſe multaſque civitati Neapolitanæ ſtruxiſſe inſidias, ſignificat. Scripta autem notatur hæc epiſtola Indictione x: quare, cùm S. Gregorius Magnus ab anno 590, ut jam vidimus, ad annum uſque 604 ſederit, uſuſque in epiſtolis ſuis ſit Indictione Conſtantinopolitana ſive Græca, quæ à Kalendis Septembris initium deſumit, calculanti fiet perſpicuum, quòd annus Gregorii*

B *Indictione x notatus, vel annum Chriſti 591, ad menſem Septembrem jam provectum, vel 592 ad menſem Septembrem nondum provectum, procul dubio deſignet, ut alterutro anno laudata epiſtola exarata ſit; quapropter cùm Gregorius in ea de Arecho ſive Arige, veluti de duce, loquatur, ſequitur eum anno 591 aut certè 592 Beneventanorum ducem fuiſſe, adeoque Zottonem, qui 20 annis Beneventi ducatum tenuit, proximéque Arecho præceſſit, ſi non citiùs, certè non ſeriùs, quàm anno 571 aut 572 Beneventi ducatum iniiſſe, cùm annis 20, quibus is Beneventanis præfuit, ex 591 aut 592 ſubductis, retrocedatur ad annum 571 aut 572.*

ex translationis hiſtoria, ſed tunc tantùm, cùm error,

11 *Porrò cùm nihil occurrat, quod impedimento ſit, quò minùs initium ducatûs Zottonis, qui, ut ſuprà dictum eſt, 20 annis duravit, etiam anno 571 ad Julium nondum provecto ſtatuatur, hocque facto, Arechus anno 591 ante III menſis Julii, quo die & anno Sanctus noſter, Arecho duce Beneventano, in translationis hiſtoria tranſlatus indicatur, Beneventi ducatum tenere potuiſſe, rectè intelligatur, illam ſanè epocham,*

C *niſi ſtatui deberet anterior, ducatûs Zottonis initio tribuerem, laudatâ tranſlationis hiſtoriâ firmiter innixus, modò hæc iis, quæ complectitur, fidem ſat firmam ex auctoris ſui ſive ætate, ſive auctoritate aliiſque requiſitis conciliaret. Verùm præterquam quòd auctor ille æquè ac tempus, quo ſcripſit, in obſcuro ſint, hiſtoriæ illius fides nonnihil alinnde poteſt infirmari. Nolim tamen in hunc finem adduci ſuſpicionem, de qua num. 8 actum eſt: hæc etenim infirmiori fundamento innititur, quàm ut ob eam vel rei ipſi, circa quam verſatur, firmiter adhærendum, vel fidem aliis adjunctis denegandam putem. Certius aliquid quàm ſuſpicio occurrit, error ſcilicet apertiſſimè in laudata hiſtoria admiſſus, quo certè fit, ut de fide ejus nonnihil decedat; error verò ille in eo conſiſtit, quòd Pontificatum Honorii primi cum anno Chriſti 649 & cum ducatu Grimoaldi quinti Beneventanorum ducis conjungat; Pontificatum autem Honorii primi cum anno Chriſti 649 & cum ducatu Grimoaldi neutiquam poſſe conjungi, ex dicendis mox fiet perſpicuum.*

12 *Cùm enim Paulus diaconus ſæpe laudatus lib. 4 cap. 46 Arecho annos 50, Ajoni annum unum cum quinque menſibus, & Rodoaldo, præter quem & proximè præcedentem inter Arechum & Grimoaldum nullus Beneventi dominatus eſt, annos 5 in ducatu Beneventano attribuat, ſequitur inter initum ab Arecho & inter initum à Grimoaldo Beneventi ducatum annos 56 intercedere, cúmque anni 56 additi annis 591, quorum ultimo, ſi ſaltem non paulò citiùs, Beneventi ducatum regere Arechus veroſimiliter auſpicatus eſt, perducant ad annum 647, conſequens eſt, Grimoaldum ante annum illum haud iniviſſe Beneventi ducatum, huncque propterea convenire non poſſe in Honorii primi Pontificatum, utpote jam ante annum 640 ejuſdem Pontificis morte terminatum; etenim Honorius primus, ut ex laudatis ſuprà pro Pontificatu Gregorii Magni auctoribus aliiſque intelligitur, in Pontificem ordinatus eſt anno 626, dinque ante annum 640 è vivis exceſſit, unde etiam liquet ejus Pontificatum, quod eſt aliud meum aſſertum, cum anno Chriſti 649 perperam componi.*

qui in eam irrepſit,

ſoli librariorum oſcitantiæ foret

13 *Attamen, quòd nomen Honorii primi recitatæ tranſlationis hiſtoriæ cum aperto adeò in veram chronotaxim errore inſertum reperiatur, unicè fortè attribuendum eſt librariorum oſcitantiæ, qui, quamquam in autographo, quod habebant præ oculis, nomen Theodori primi haberetur, propterea tamen quòd vel nonnihil eſſet vetuſtate exeſum, vel ſaltem obſcuriùs, quàm ut rectè id legi poſſet, exprimeretur, illud Honorii primi feſtinanter poſuêre; ſanè ſi in laudata ſæpe tranſlationis hiſtoria Honorio primo Theodorus primus ſubſtituatur, nihil hæc ampliùs retinebit, (neque enim hîc moror ſuſpicionem num. 8 propoſitam) quod cum recta chronotaxi non congruat. Quippe, cùm Theodorus primus, ut iterum ex Baronio ac Papebrochio laudatis conſtat, ab anno 642 uſque ad 649 ſederit, eoque non citiùs, quàm poſt menſem Februarium, obierit, perſpicuum fiet antè jam dicta conſideranti, Beneventanum Grimoaldi ducatum, & annum 649, quo Sanctus noſter ex monaſterio ſanctæ Mariæ ad Olivolam in templum ſibi de novo exſtructum ac dedicatum XII Februarii tranſlatus traditur, cum Theodori primi Pontificatu, quod ſolum ad aſſerti mei poſterioris veritatem requiritur, rectiſſimè componi.*

E

adſcribendus, confirmari utcumque poſſet.

14 *Quapropter, ſi revera non errore auctoris, ſed librariorum dumtaxat oſcitantiâ, quod vero abſimile non eſt, nomen Honorii primi pro illo Theodori primi in laudata narratione ſit poſitum, præcipua ſublata eſt ratio, ob quam de veritate eorum, quæ perhibet, meritò poſſit ambigi, confirmaturque vel ex ea illorum opinio, qui initium ducatûs Zottonis non ſeriùs quàm in annum 571, Arechi verò non ſeriùs quàm in annum 591 differendum exiſtimant. Licèt enim Actorum tranſlationis auctor duplicem Sancti noſtri tranſlationem narret, alteram anno 591 factam, alteram anno 649, adeoque annis ut minimum 58 poſt priorem tranſlationem ſcripſerit, nihilominus is mihi videtur vel poſteriori tranſlationi ſuppar, vel certè, cùm characteres chronologicos, quod alioquin non facilè feciſſet, cum rebus, quas litteris mandat, apprimè congruentes adhibeat, tanto dumtaxat temporis intervallo ab ea fuiſſe remotus, ut impediri non potuerit, quò minùs dictæ poſterioris tranſlationis adjuncta ex iis ipſis, qui illam viderant, prioris verò ex iis, qui illam à parentibus ſuis incepta primùm traditione acceperant, audiendo didicerit, litteriſque ad poſterorum memoriam conſignârit.*

F

15 *Ceterùm præter perſonas notiores Gregorii Ma-*

Alia in personas minùs notas,

Magni & Honorii primi, Romanorum Pontificum, Arechi sive Arogis & Grimoaldi, Beneventanorum ducum, ac Rodualdi, Beneventanorum fortè etiam ducis, in laudata sæpissimè translationis narratione occurrentes, de quibus jam actum est, insuper occurrunt personæ minùs notæ Liniani secundi & Ildebrandi Beneventanæ ecclesiæ episcoporum, Dudæ Pardæ, feminæ Beneventanæ nobilissimæ, quæ Sancto nostro templum exstruxit, ac tandem Bentigradi, abbatis monasterii Beneventani S. Mariæ ad Olivolam; de quibus ego apud omnes Rerum Italicarum scriptores, quos quidem viderim, nihil prorsus, uti nec jam dictis plura, quæ ad S. Modesti *vel gloriam vel cultum pertineant, invenire potui, diligenti licèt examine instituto: laudatus tamen sæpe Marius de Vipera in episcoporum ecclesiæ Beneventanæ Chronologia Liniano II. inter Beneventanos episcopos locum* 30, *Ildebrando verò, quem anno Domini* 622 *floruisse, asserit,* 32 *tribuit, citatque pro Liniano quidem nihil aliud, quàm Acta translationis Sancti nostri, quæ ad sua usque tempora in monasterio* S. Modesti *in codice litteris Longobardicis Ms. servata fuisse, affirmat; pro Ildebrando autem ex bibliotheca Beneventana Fasciculi* 5 *scriptorum antiquorum num.* 15.

B 16 *Ad institutum nostrum non facit, quotus Beneventanorum episcopus Linianus, quotusve Ildebrandus exstiterit; ast cùm hunc laudatus Vipera anno* 622 *in episcopatu Beneventano jam sedisse, in Chronologia citata innuat, sedisseque adhuc anno* 649, S. Modesti *translationis Acta important, ad Actorum eorum veritatem requiritur, ut Ildebrandus in episcopatu Beneventano, quemadmodum calculanti patebit, annis ut minimùm* 27 *sederit: sederit autem adhuc, ut iterum calculanti patebit, longè pluribus, quadraginta nempe & uno, si modò vera sint ea, quæ Vipera affirmat, eum scilicet jam ab anno* 622 *Beneventanæ ecclesiæ antistitem exstitisse, proque successore primo habuisse S. Barbatum, de quo apud nos ad diem* XIX *Februarii actum est, probatumque, quòd anno dumtaxat* 663 *circa* XX *Martii ad episcopatum Beneventanum sit evectus: dixi,* Si modò vera sint ea, quæ Vipera affirmat: *dubitari etenim potest, an hic asserta sua non hauserit ex monumentis antiquis quidem, sed corruptis, quorum vitium non advertit, uti ipsi accidit in Actis translationis Sancti nostri, quibus deceptus, Honorium primum, quem, ut suprà vidimus, ante annum* 640 *vitâ functum esse, certissimè constat, in citata episcoporum ecclesiæ Beneventanæ Chronologia pag.* 27, *ad annum* 649 *adhuc inter vivos indubitanter collocat.* E

AUCTORE C. B. *quæ hic occurrunt, observata.*

DE S. DIATERIA VIRGINE *MEDIOLANI IN INSUBRIA.*

EX MARTYROLOGIO MEDIOLANENSI. J. B.

SECULO INCERTO. *Mediolani S. Diateriæ virginis*

Mediolanensem populum plurimis jam olim Sanctorum abundâsse exuviis, S. Ambrosii Mediolanensis episcopi, in Sermone pro festo SS. Nazarii & Celsi martyrum, testimonio compertum est; at illos non modò non veneratum esse, ùt par erat, sed ne memoriam quidem ferè sua ætate tenuisse, auctor est Carolus à Basilica Novariensis episcopus lib. 3 *de vita & rebus gestis S. Caroli Borromæi cap.* 6; *dum tandem sopitos suorum animos S. Carolus ad pristinum erga patronos suos amorem & venerationem, habitâ frequenti solemnique sacrarum reliquiarum translatione, revocare aggressus est. Obliteratis penè hujuscemodi Sanctis nefas fortè non fuerit* Diateriam *virginem accensere, saltem si rerum peculiariter ab ea gestarum ratio habeatur: quæ enim de ea litteris consignata leguntur, sunt oppidò pauca, & vix aliquid peculiare complectuntur. Meminit illius Paulus Morigia cùm Operæ, tum loco non uno; meminêre Ughellus tom.* 4 *Italiæ sacræ, Lancellottus abbas Historiæ Olivetanæ lib.* 2, *Petrus à Bosca in Martyrologio Mediolanensi, Portianæ ecclesiæ tabularia & Villam præterea citans, & in Diario Mediolanensi Carisius ad diem* 2 *Octobris.*

C 2 *In primis verò Morigia lib.* 2 *Historiæ Mediolanensis cap.* 8 *Sanctorum, quorum seu corpora, seu reliquias Mediolanum veneratur; cap. verò* 21 *eorum, quorum in S. Victoris ad corpus exuviæ delitescunt, catalogum texit; quod postremum alibi quoque, nempe lib. de Nobilitate Mediolanensi cap.* 16, *& rursum in Sanctuario præstitit: quibus quidem locis* S. Diateriam *virginem commemorat, at ea ratione, ut præter nudum nomen afferat nihil. Lancellottus autem lib.* 2 *cap.* 52 *Historiæ Olivetanæ scribit, in æde S. Victoris ad corpus multa Sanctorum corpora, alia ex toto, alia ex parte servari: & ex toto quidem omnino quatuordecim, inter quæ* S. Diateriæ *virginis corpus disertè exprimitur. Martyrio coronatam fuisse* S. Diateriam *tom.* 4 *Italiæ sacræ col.* 22 *Ughellus addit, natam Mediolani Carisius: quæ, quo derivata sint fonte, non exponunt. Quòd si Mediolani nata est, mirum utique est, Paulum Morigia lib.* 2 *cap.* 7 *Hist. Mediolanensis patriæ suæ Sanctos ex professo recensentem, eam civibus suis non adscripsisse. Neque hæc Petro Bosca Mediolanensi martyrologo explorata fuisse videntur, cùm* S. Diateriam *sequenti, quod cuilibet virgini sanctæ æquè applicari possit, celebravit elogio:* Mediolani in basilica Portiana sanctæ Diateriæ virginis, quæ lampadem perenni sanctorum operum oleo accensam ferens, venienti Sponso obviàm ivit. F

reliquiarum

translatio 26 *Julii celebratur.*

3 *Basilica porrò illa à Portio Oldani filio, conditore suo Portianæ nomen accepit, retinuitque, donec sub Maximiano imperatore martyrii lauream consecutus est S. Victor, in eaque à S. Materno sepultus; ex quo* S. Victoris *primùm, postmodum verò, quò à ceteris eidem Sancto dicatis ecclesiis secerneretur,* S. Victoris ad corpus *appellari cœpta est. Transisse quoque in nomen* S. Martini ad corpus *lib.* 1 *Historiæ patriæ Tristanus Calchus refert:* Quòd hujus sive pars sive membrum (*inquit Lancellottus*) inde non longè abesset ædes S. Martino sacra, in qua pro illis, quos ea regio continebat, jura curialia exercebantur. *Denique &* S. Victoris adusti *sortita est nomen, quòd, vacante in ea precibus S. Ambrosio, injectus ab*

AUCTORE J. B.

Arrianis ignis divinitus exſtinctus fuerit. Dirutâ hac veteri, novam, auguſtioremque S. Victori ædem Olivetanæ congregationis monachi anno 1550 (1560 *ſcribit Morigia*) *moliri cœperunt, in quam anno Domini* 1567 *S. Carolus Borromæus Mediolanenſium antiſtes, ùt multorum aliorum Sanctorum, ita &* S. Diateriæ *virginis examinatas agnitaſque reliquias tranſtulit ſolemni ritu, apparatuque magnifico. Tranſlationis hujus memoriam Mediolanenſes celebrant ſeptimo Calendas Auguſti. Acta qui cupit, Raphaëlem Monetam adeat libro, cui titulus, S. Satyri conf. tumulus illuſtratus, Face* 12: *ſed nihil habent de* S. Diateria *peculiare.* D

DE S. LEUDOMERO VEL LEODEMIRO EPISCOPO CONFESSORE

CATALAUNI IN CAMPANIA GALLIÆ.

C. S. COMMENTARIUS PRÆVIUS. E.

§ I. Sancti memoria in Martyrologiis ad geminos dies: cultus hoc die: Acta edenda: patria Lemovicenſis: diaconatus ſuſceptus & donatio facta eccleſiæ Catalaunenſi.

B

ANTE ANNUM DLXXXIX. *Hic ſanctus Epiſcopus in variis Martyrologiis*

Catalaunum, aliàs Catalauni, olim Galliæ Belgicæ, nunc Campaniæ Gallicæ urbs ampla, munita & epiſcopalis eſt ſub archiepiſcopo Remenſi, condita ad Matronam, vulgo la Marne, *flumen, Gallicè* Châlons, *vel* Châlons ſur Marne *dicta, ut diſtinguatur à Cabillono, Galliæ item civitate epiſcopali in ducatu Burgundiæ, quam vernaculâ linguâ etiam* Challon & Châlons ſur Saone *appellant. Ex Catalaunenſium ſanctis epiſcopis dedimus ad diem* XIX *Auguſti S. Elaphium; hodie celebrandus venit ejuſdem frater ac in ſede proximus ſucceſſor, qui ab aliis* Leudomirus, Leudomerus & Leodomirus *vocitatur. Hunc ad diem* XXX *Septembris, qui ei emortualis fuiſſe creditur, varia Martyrologia annuntiant. Martyrologium Bizunticenſe Ms. S. Pauli, inter Auctaria Uſuardina à Sollerio noſtro memoratum, eo die ſic habet,* Catalaunis, ſancti Leudomiri confeſſoris. *Sequitur ibidem Remenſe eccleſiæ SS. Timothei & Apollinaris, teſte P. Petro Franciſco Chiffletio* pervetuſtum, *quod, nonnihil corrupto Sancti vocabulo, ſed addita epiſcopali dignitate, ait:* Catalaunis, ſancti Ledomari epiſcopi & confeſſoris.

C

annuntiatur Catalauni ad diem 30 *Septembris,*

2 *Forſitan hoc idem eſt, quod Guilielmus Marlotus in Hiſtoria metropolis Remenſis tom.* 2, *pag.* 151 *etiam laudat,* Feſtumque ejus, *inquiens,* notatur XXX Septembris in Martyrologio Remenſi. *Hiſce incertæ mihi ætatis Martyrologiis addo noſtrum Florarium Ms. Sanctorum, anno* 1486 *ad calcem perductum, in quo ad præcitatum diem Septembris legitur:* Cathalanis, ſancti Leodomeri, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris. *Florario verbatim conſonat Uſuardi auctі editio Lubeco-Colonienſis, anno* 1490 *facta. Accedit Grevenus apud laudatum Sollerium, cujus verba hæc ſunt:* Leodomeri epiſcopi Cathalaunenſis & confeſſoris. *Denique Molanus ibidem ſic inquit:* Catalaunis, ſancti Leudomiri, ejuſdem civitatis epiſcopi & confeſſoris; de quo ita canit eccleſia:

Leudomire pater, filiis ſuccurre potenter,
Ut ſanè vivant, æternaque gaudia quærant.

Hæc Sollerius ex editione Molani Lovanienſi anni 1568; *nam in duabus aliis editionibus, unâ ſcilicet Lovanienſi anni* 1573, *& alterâ Antverpienſi anni* 1583 *eadem quidem leguntur; ſed paucis tamen vocibus mutatis; ac præſertim pro voce* filiis *correctiùs ad metrum ſubſtituta* famulis; *additurque in margine, verſus illos ex nono Reſponſorio Officii illius deſumptos eſſe.*

quo fortè olim cultum habuit.

3 *Eumdem diem ſervant Maurolycus & Galeſinius in Martyrologiis ſuis, & Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt. Hos etiam ſecutus eſt Caſtellanus in Martyrologio Univerſali, in quo cùm ad* XXX *Septembris dixiſſet,* Catalaunis in Campania, S. Leodemirus (*Gallicè* S. Lumié) epiſcopus; *deinde in Supplemento pro hiſce legendum monuit:* Catalaunis ad Matronam S. Leudomirus (*Gallicè* S. Lumiér) epiſcopus, cujus aliquæ reliquiæ ſunt Pariſiis. *Denique Martyrologium Pariſienſe, anno* 1727 *typis vulgatum, ejuſdem ſancti Præſulis memoriam eodem die ſic celebrat:* Catalauni, ſancti Leodemeri epiſcopi. *Tantus martyrologorum in eumdem Septembris diem conſenſus dubitare me facit, an non olim eo die cultum annuum habuerit: utut tamen id ſit, jam ſaltem à toto ſeculo Catalauni colitur die* 2 *Octobris, ad quem illum Andreas Sauſſayus in Martyrologio Gallicano rectè repoſuit cum ſequenti elogio ex ejuſdem Vita concinnato, quod ſubdo.* F

Sed Sauſſayus eumdem celebrat

4 Cathalauni, S. Leudomiri, epiſcopi & confeſſoris mirifici. Is S. Elaphii epiſcopi (*Catalaunenſis*) frater, invitus eidem defuncto ob clara virtutis teſtimonia electione cleri, petitione populi, Sigeberti regis juſſione ſubrogatus, hanc cathedram novo lumine illuſtravit. Eâ enim micuit ſanctitatis gloriâ, ut, cùm incruentum Sacrificium aliquando in baſilica S. Stephani celebraret, dum pro more benediceret populo, efformato ſigno Crucis, nonnullos energumenos à vexatione liberaverit; in hiſque puellam, venuſtate corporis æquè ac generis nobilitate inſignem, quam plerique ſacerdotes exorciſmis ſanare nullis potuerant. Luem etiam exitialem precibus ſuis à populo avertit. Mulierem cæcam, quæ meritis ejus confiſa opem ipſius implorabat, miſſo ſubdiacono, qui Chriſti charactere

A ctere palpebras ejus signaret, illuminavit. Tantæ enim humilitatis erat, ut ad vitandum laudis rumusculos ejusmodi divinæ virtutis opera non per se ederet, sed in his alieno ministerio uteretur.

die 2 Octobris, quo illum Officio colit

5 Mira præditus erat simplicitate & innocentiâ, adeò ut aves bestiæque in justitiæ ipsius indicium ei ad libitum obsequerentur. Ejusmodi meritorum significationibus clarus, anno ætatis suæ trigesimo quinto Vir, cui solus vita Christus erat, felici morte defunctus ad immortalitatem migravit. *Hæc Saussayus, quæ quanti valeant, suo loco videbimus.* S. Leudomeri *memoriam Catalauni celebrari die 2 Octobris, etiam diserte asserit Carolus Rapine Ordinis Minorum S. Francisci, quos Recollectos vocant, tam in Catalogo episcoporum Catalaunensium, quem anno* 1625 *Catalauni, apud suos sacræ Theologiæ tunc lector, Vitæ S. Memmii, primi ejusdem sedis episcopi, inseruit, ediditque, quàm in Annalibus ecclesiasticis dictæ diœcesis, quos, dum suorum guardianum Parisiis ageret, anno* 1636 *Gallicè typis vulgavit. In his pag.* 90 *sic ait:* Emortualis ejus dies fuit secundus mensis Octobris, ... quo die ecclesia Catalaunica festum e-
B jus celebrat. Usuardus (*interpolatus*) illius meminit in Martyrologio suo xxx Septembris. *Consentiunt Benedictini Galliæ Christianæ continuatores, tom* 9, *qui anno* 1751 *in lucem prodiit, in cujus col.* 862 *de* S. Leudomero *legitur:* Obiit ex Molano pridie Calendas Octobris; verumtamen colitur apud Catalaunenses VI Nonas Octobris.

in diœcesi Catalaunensi, probatur.

6 *Eumdem cultûs diem assignavit reverendus dominus Degyves, canonicus Regularis S. Augustini Congregationis Gallicanæ, in abbatia S. Memmii Catalauni sacræ Theologiæ professor, in litteris die* XV *Martii anni* 1640 *inde ad Majores meos Henschenium ac Papebrochium datis. Verba illius accipe:* Corpus ejus in abbatia Omnium Sanctorum in hac urbe quiescit, & colitur festus ejus dies secundo Octobris. *Addo denique & Carolum Cointium tom.* 2 *Annalium Francorum, ad annum* 584, *num.* 6, *ubi simul ritum Officii & ejusdem translationis causam sic memoravit:* Apud Molanum in additionibus ad Usuardum depositio S. Leudomiri episcopi & confessoris notatur pridie Kalendas Octobres; ejus tamen festum à Catalaunensibus celebratur sexto Nonas Octobres ritu semiduplici, eoque die extat
C elogium in Martyrologio Gallicano. Cur in illum usque diem solemnitas beati Pontificis differatur, hæc occurrit ratio, quòd pridie Kalendas Octobres natalis S. Hieronymi, & ipsis Kalendis Translatio S. Remigii ritu duplici coluntur in diœcesi Catalaunica. *Cùm itaque Sanctorum Acta dare soleamus diebus, quibus coluntur, de hoc quoque sancto Præsule hodie agendum censui; quidquid sit de cultu, quem fortè olim habuit, vel in ecclesia, ubi quiescit, forsan adhuc habet, die* XXX *Septembris, quo suprà dicta Martyrologia, præter Gallicanum Saussayi, eumdem annuntiant.*

Stephanus S. Urbani apud Catalaunos abbas

7 *Ad ejusdem Sancti gesta progrediamur. Stephanus S. Urbani in diœcesi Catalaunensi abbas in Epistola apologetica ad Rogerium Catalaunensem episcopum, quæ Passioni S. Urbani I Papæ martyris præfixa legitur, indicat, sibi ab eodem præsule injunctum fuisse, ut* S. Leudomeri *quoque Vitam conscriberet, seu potiùs expoliret. In apographo nostro, quod Papebrochius ex Cisterciensi codice propria manu descripsit, laudatus abbas Rogerium sic alloquitur:* Nec mihi quis hujus- AUCTORE C. S.
modi præsumptionem imputet; tu me coquitorem (*id est, scriptorem*) fecisti; tu me in hoc officio posuisti, cùm ante præcepti tui amicabilem violentiam nihil tale tentarem: nam & Sanctorum gesta conscribere, Memmii videlicet, Elasii & Leudomirii, ineliminato, tremebundo, retunso * stylo, violentus amplectendus monitor ingessisti. *Mabillonius tom.* 5 *Annalium pag.* 138 *pariter laudans codicem Cistercienſem, & post illum Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom.* 8, *pag.* 63 *admittunt quidem, ista Stephani dicta esse, sed incertum esse observant, an id, quantùm ad SS. Memmii, Elasii, seu Elaphii, &* Leudomeri *Acta pertinet, reipsa præstiterit.*

* retuso *vel* retonso

8 *Fateor, hoc ex verbis datis non posse evinci; attamen verisimilius mihi videtur, Stephanum ibidem loqui de Vitis jam tum à se scriptis, non tunc primùm scribendis. Etenim si illius mentem rectè assequar, is, postquam dixerat, sese ante Rogerii mandatum numquam tentâsse Sanctorum gesta conscribere, mox ut occurrat argumento, quod à SS. Memmii, Elaphii &* Leudomeri *Vitis adversus ipsum peti poterat; monuit, neque hasce à se cœptas fuisse sine ejusdem episcopi jussione: quæ ratiocinatio optima est, si de Vitis jam tum à se scriptis vel expolitis loquatur; si autem de scribendis, vim suam amittit. Utut sit,* canonicus Regularis Degyves *in epistola num.* 6 *laudata scripsit, se habere Vitas SS. Memmii, Elaphii &* Leudomeri, *auctore eodem Stephano abbate; sed earumdem initia non annotavit. Præ manibus etiam habeo litteras à Joanne Robin Societatis nostræ presbytero anno* 1681 *Catalauno ad Majores meos datas, in quibus dicitur ibidem exstare pervetustus codex, trium prædictorum Præsulum Vitas continens, quarum quæ* S. Leudomeri *est, sic incipit,* Postquam B. Elaphius migravit ad Dominum *&c.*

videtur scripsisse seu expolivisse Vitam illius,

E

9 *Hujus geminum exemplar habemus, unum* ex Ms. S. Victoris Parisiensis, *in quo lacunæ indicant, aliquot voces desiderari, sive quòd hæ in Parisiensi codice detritæ essent, sive quòd à describente non potuerint legi. Alterum plenius est, sed nullam loci notitiam præfert. Fortè hæc eadem Vita est, quam prælaudatus canonicus Degyves cum præfixo Stephani abbatis nomine reperit, vel eidem adscripsit. Si ex scribendi modo opinari liceat, hic certè tam affinis est stilo prædictæ Passionis S. Urbani, ut utraque eumdem auctorem facilè possit habere. Porrò tom.* 9 *Galliæ Christianæ col.* 872 *& sequentibus leguntur tres Rogerii sibi proximè succedentes, ab anno* 1008 *usque in* 1093 *Catalaunensem episcopatum tenuisse; columnâ verò* 924 *dicitur Stephanus B. Richardo, abbati S. Vitoni Virdunensis, anno* 1046 *in prælaturam monasterii S. Urbani Catalaunensis suffectus esse. Hinc statue, Vitam illam, si Stephani fœtus sit, primùm annis quadringentis ac quadraginta circiter scriptam fuisse post mortem* S. Leudomeri, *quam seculo* VI *decrepito contigisse, dicemus. Nihilominus verisimile est, Stephano (si tamen ejus auctor sit) scriptum aliquod vetustius, quod expolierit, præluxisse, ut verbis num.* 9 *datis indicare videtur.*

cujus fortè apographum habemus,

F

10 *Credibile est, eumdem biographum (quisquis hic demum sit) in Sancti gestis enarrandis aliqua amplificatione usum fuisse; sed si duo excipias, cetera non abhorrent à vero. Primum ac præcipuum ejus erratum est in chronologia, reposito episcopatûs* Leudomeri *initio sub Austrasiæ rege Sigeberto, & fine sub Clotario, quod utrumque infrà refutabo.*

in quo aliqua emendanda sunt.

AUCTORE C. S.

Alterum continet quamdam narrationem de ejuſdem imperio in aves, agrum ipſius vaſtantes, deque una harum, poſtquam jam comeſta fuerat, per ipſum vitæ reddita. Sauſſayus factum illud ſuperiùs num. 5 *paucis attingens, veriſimiliori phraſi expoſuit*, Mira, *inquiens*, præditus erat ſimplicitate & innocentiâ; adeò ut aves beſtiæque in juſtitiæ ipſius indicium ei ad libitum obſequerentur. *Si hoc tantùm dixiſſet biographus, haud difficulter apud me fidem inveniret; nam & aliquot alii Sancti feras ſibi obſequentes habuiſſe leguntur. Verùm ejus narratio hîc ejuſmodi eſt, ut mihi quidem meram fabellam ſapiat, quam forſitan ex aliquo vero facto incerta vulgi traditio commenta eſt, ac nimiùm credulus ſcriptor adoptavit. His præmiſſis Vitam, quâ aliam non habemus, ex laudato Ms. S. Victoris Pariſienſis dabo, ejuſdemque parvulas lacunas ex altero illo ignotæ bibliothecæ apographo ſupplebo.*

Sanctus Lemovici natus, fratrem ſuum S. Elaphium ſecutus eſt Catalaunum,

B

11 *Antequam id agamus, reliqua, quæ illuſtratione egent, de more percurramus.* S. Leudomero *patriam fuiſſe Lemovicum, quod Galliæ Aquitanicæ civitas eſt, vernaculè* Limoges *dicta, illumque claro ibi genere ortum ac S. Elaphii fratrem atque in epiſcopatu Catalaunenſi ſucceſſorem fuiſſe, biographo noſtro conſentit auctor compendii Vitæ ejuſdem S. Elaphii, quod Sollerius noſter tom.* III *Auguſti pag.* 747 *ex incerti loci Ms. excudit.* Elaphius *(inquit hic)* in urbe Lemovica claro genere natus patre Leone, fratrem habuit Leudomirum, qui & ipſe poſtea Catalaunenſem plebem ſanctiſſimè rexit. *Ad manus mihi eſt aliud ejuſdem compendii exemplar, ex Ms. S. Victoris Pariſienſis acceptum, editoque omnino conforme, niſi quòd pro voce* fratrem *habeat* filium, *manifeſto utique errore codicis vel ſcriptoris noſtri, cùm in eodem inferiùs ambo Sancti* fratres *appellentur. In eodem compendio dicitur S. Elaphius ob virtutum doctrinæque præſtantiam à Sigeberto Clotarii filio, magni Clodovei nepote, Auſtraſiæ rege, Lemovicis evocatus & Catalaunenſi ſedi tunc vacanti epiſcopus datus eſſe.*

ubi hîc epiſcopus erat, & cum eodem multa iſti donavit eccleſiæ

C

12 *Hic fratris epiſcopatus* S. Leudomerum, *eodem teſte, Catalaunum attraxit; magno ſanè ejuſdem eccleſiæ tam ſpirituali, quàm etiam temporali emolumento. Compendii auctorem denuò audiamus.* Tanti fratris amore & deſiderio ductus Leudomirus, relictâ patriâ, Cathalaunum perrexit. Multum autem eorum fraterna concordia Cathalaunenſi eccleſiæ profuit; cui etiam hereditaria prædia ſua, urbi Lemovicæ vicina, donârunt. *Donationes ab illis prædictæ eccleſiæ factas etiam agnoſcunt Galliæ Chriſtianæ continuatores tom.* 9, *col.* 862 *in S. Elaſio ſive Elaphio, ubi aiunt:* Ambo fratres Sigeberto cari facultates ampliſſimas, quas à parentibas acceperant, eccleſiæ Catalaunenſi tradiderunt: donationi verò ſubſcripſit Ægidius Remenſis archiepiſcopus. *Tempus & locum donationis docet Theodoricus Ruinartius in Notis ad lib.* 5, *cap.* 41 *Hiſtoriæ Francorum S. Gregorii Turonenſis.* Legimus, *inquit*, inſtrumentum B. Elafii epiſcopi de villis, quas S. Stephano dedit cum fratre ſuo Leudomiro diacono, "Actum in Catalauni civitate, in ec-„cleſia præfati martyris (*S. Stephani*) publicè „ſub die v Id. Junii, anno quarto Sigeberto re-„ge Francorum„: cui inſtrumento poſt donatores Ægidius Remenſis metropolitanus, & Beatus ſubſcripsêre.

anno 565, quo jam erat diaconus.

13 *Ibidem inter Addenda emendandaque col.* 1394 *poſtquam ex Ms. Breviario abbatiæ Omnium Sanctorum Catalaunenſis recitavit eadem, quæ ego mox ex Ms. S. Victoris Pariſienſis retuli, ex laudato inſtrumento hæc pauca denuò deſcripſit:* Ego, quamvis indignus, tamen Beatus vocor, hanc auctoritatem jubente Elafio venerabili epiſcopo unà cum conſenſu Leudomeri diaconi conſcripſi, ad vicem Ernoldi notarii. *Porrò anno quarto Sigeberti regis menſe Junio currebat annus æræ Chriſtianæ* 565, *quo tempore* Leudomerus *igitur jam erat initiatus diaconatu, quem Ægidius Remenſis archiepiſcopus, qui inſtrumento donationis ſubſcripſit, eidem contuliſſe fertur in Vita edenda; quod ultimum aliunde nequeo confirmare. Monuiſſe tamen hîc juverit, ſæpe laudatos Galliæ Chriſtianæ continuatores propter prædictum inſtrumentum, à Ruinartio citatum, ſtatuiſſe Ægidium anno* 565 *in Remenſi cathedra jam ſedîſſe; cùm Sammarthani fratres, aliique ejuſdem ſedis initium anno* 572 *innexuiſſent.*

D

§ II. Sancti in fratris epiſcopatum ſucceſſio & ſedis tempus: fabula de Brunichilde: prima ſepultura beneficiis illuſtrata: corporis tranſlatio: fabuloſa oculi integritas refutata.

E

Fratri in epiſcopatum ſucceſſit anno 580, *non* 587 *vel* 600;

TEmpus *ſuſcepti à* Leudomero *epiſcopatus pendet ab anno mortis ejuſdem deceſſoris S. Elaphii, quam Sollerius noſter tom.* 3 *Auguſti, pag.* 747, *num.* 1, *ab aliis anno* 587, *ab aliis etiam anno* 600 *affigi ſcribit; ipſe verò cum Jacobo Longuevallio tom* 3 *Hiſtoriæ eccleſiæ Gallicanæ pag.* 127, *cui jam præiverat Cointius in Annalibus Francorum, ad annum* 580 *repoſuit. Horum ſententiæ & ego adhæreo, quia S. Gregorius Turonenſis, qui tunc florebat, lib.* 5 *Hiſtoriæ, cap.* 41 *ejuſdem S. Elaphii obitum narrat inter ea, quæ dicto anno* 580 *contigerunt. Qui annum* 600 *aſſignant, convincuntur ex eodem Turonenſi, qui lib.* 9, *cap.* 41 *Felicem* S. Leudomeri *ſucceſſorem nominat inter epiſcopos, qui anno* 589 *cum Ætherio Lugdunenſi antiſtite ad Gundegiſilum Burdegalenſem ſcripsêre epiſtolam in cauſa ſeditioſæ Chrodieldis & monialium Pictavienſium, eidem adhærentium. Denique qui Elaphii mortem anno* 587 *conſignant*, S. Leudomeri *epiſcopatum ſine ulla ratione nimiùm contrahunt, ut liquet ex dictis de Felice.*

F

nec ſub Sigeberto, ſed ſub hujus filio Childeberto.

15 *Cùm nulla ex hiſce opinionibus conciliari poteſt ſcriptor Vitæ edendæ, ſecundùm quem* S. Leudomerus *à rege Sigeberto ad Catalaunenſem epiſcopatum promotus fuit. Non poteſt hic alius Sigebertus indicari, quàm Clotarii I filius, rex Auſtraſiæ, quem Gregorius Turonenſis lib.* 4 *Hiſt., cap.* 49 quarto decimo regni ſui anno, *id eſt, Chriſti* 575 *occiſum eſſe tradit. Occaſionem errori dediſſe potuit, quòd* Leudomeri *frater S. Elaphius ab eodem Sigeberto eam cathedram accepiſſet, quódque idem rex* Leudomerum *diaconum, vel fortè etiam presbyterum noviſſe magnique feciſſe potuerit. Pro Sigeberto igitur ſubſtituendus eſt hujus filius Childebertus, qui patri quinquennis ſucceſſit & ſub tutela matris ſuæ Brunichildis cœpit regnare. Haud minùs erravit biographus in tempore emortuali ejuſdem Sancti aſſignando,*

regnante

A regnante in Gallia Clothario; *nimirum hujus nominis II, qui non ante annum 613 regno Auſtraſiæ, totâque Francorum monarchiâ potitus eſt.*

Obiit ante annum 589, non anno 600 vel 626.

16 *Carolus Rapinus jam antè laudatus, in Annalibus eccleſiaſticis diœceſis Catalaunenſis initium epiſcopatûs illius rectè quidem ſub Childeberto minorenni conſtituit, ſed mortem nihilominus ſub Clothario II fixit, & ad annum uſque 626 diſtulit, in eoque Caſtellanum in Martyrologio Univerſali conſentientem habuit. Paulò maturiùs, ſed æquo tamen ſeriùs, nempe anno 600, mors ejuſdem ſignatur in Breviario Catalaunenſi apud Cointium tom. 2 Annalium, pag. 256, ubi utramque opinionem propter jam dicta meritò rejecit, maluitque mortem illius ad incertum annum referre, ſed non poſt Chriſti 589, quo Felicem jam ſediſſe diximus. Ante hunc annum ſine propiori definitione eam etiam conſignârunt Martyrologii Pariſienſis, anno 1727 editi, auctor, ac crebrò laudati Galliæ Chriſtianæ continuatores; neque ego aliquid certius hactenus reperi, quàm quòd* S. Leudomerus *eo anno jam habuerit ſucceſſorem. De ſuprema Sancti ætate malo credere biographo, ipſum anno vitæ ſuæ* ſeptuageſimo

B quinto *obiiſſe aſſerenti, quàm Sauſſayo num. 5, mortuum eſſe* trigeſimo quinto.

Fabula de Sancti pudicitia per Brunichildem tentata, & inflicto exſilio.

17 *Poſtulat hic locus, ut quæ de invicta ſancti Antiſtitis caſtitate per Brunichildem reginam fruſtra tentata feruntur, aliquid dicamus. Cointius ad annum 584, num. 6 ex quodam Breviario Catalaunenſi iſthæc recitat:* Evocatus à Brunichilde (*Leudomerus*) in interius cubiculum, quaſi de negotiis Eccleſiæ vel regni utilitati conducentibus collocuturus, de nefario opere, velut alter Joſeph ſollicitatus, caſto & ſevero intuitu laſcivientis reginæ improbitatem caſtigavit. Nec miraculo caruit tanta inter corruptos aulæ mores integritas; etenim poſt quadringentos & amplius annos ſanus & integer oculus, quo reginæ blanditias deſpexerat, in ſolemni corporis tranſlatione inventus eſt. *Scriptor Vitæ edendæ tam de tentatione, quàm de miraculo altiùs ſilet: ſed Rapinus in Annalibus Catalaunenſibus factum hoc paulò latiùs enarrat, additque,* Leudomerum *propterea ab impotente Brunichilde è ſede ſua pulſum, viginti annis exſulâſſe, donec à Clotario II, rerum in Auſtraſia potito, civitati ſuæ reſtitutus eſt, in qua &* anno *626 felici morte obierit. Tam diuturnum exſilium, revocationem per Clotarium, & tempus obitûs fabuloſa eſſe, hactenus dicta demonſtrant; quâ verò auctoritate nitatur iſte laſcivientis reginæ conatus, aptiùs mox docebo, ubi de prætenſa oculi integritate ſermo recurret.*

C

Prima ejuſdem ſepultura beneficiis clara: ex qua corpus ejus

18 *Facilius credam eidem Rapino, de prima ejuſdem ſepultura ſuo etiam tempore celebri Gallicè ſic proſequenti.* Corpora S. Leudomeri, & fratris ac deceſſoris illius S. Elaphii, primò ſepulta fuêre Catalauni in eccleſia parochiali S. Joannis, in qua hodieque viſuntur ſcrobes eorumdem primorum ſepulcrorum; atque illuc è tota regione pii peregrinantes accurrunt, adducentes infirmos pueros, maximè eos, qui, ut vernacula voce utar, SONT EN CHARTRE (*id eſt, tabeſcentes vel phthiſici*) & Deus ibidem prodigioſas curationes frequenter operatus eſt, ſic illuſtrans locum, in quo ſacra illa corpora aliquot ſeculis quieverunt. In eadem parœcia etiam ſervantur cathedræ, in quibus iidem duo ſancti Præſules, dum Sacris operabantur, reſederunt. *Eo in loco corpus* S. Leudomeri *conditum manſit uſque ad epiſcopatum Rogerii, qui illud inde ſublatum tranſtulit ad monaſterium Omnium Sanctorum, quod tunc erexerat fundaveratque.*

AUCTORE C. S.

Rogerius II epiſcopus in monaſterium Omnium Sanctorum

19 *Loci notitiam tempuſque fundationis ejuſdem accipe ex noviſſima Gallia Chriſtiana tom. 9, col.* 947. Rogerius II epiſcopus Catalaunenſis initio pontificatus ſui monaſterium illud fundavit in Inſula prope Catalaunum ſub patrocinio B. Mariæ Virginis omniumque Sanctorum; unde plerúmque dictum eſt ſive INSULA CATALAUNENSIS, ſive OMNES-SANCTI DE INSULA. Ibi verò piiſſimus fundator SERVOS DEI collocavit; deinde fundationem confirmari fategit anno MXLVII à Clemente II Papa; ipſe demum ratam habuit anno MLXII litteris, in quibus donationes ſuæ omnes recenſentur. *Dubitant ibidem laudati Operis ſcriptores, an per* ſervos Dei *monachi accipiendi ſint, an canonici Regulares, obſervantque ex S. Gregorii VII Papæ litteris, monaſterium iſtud ſaltem jam ante annum 1079 ab ejuſmodi canonicis inhabitatum fuiſſe, annoque 1644 congregationi Gallicanæ canonicorum Regularium attributum eſſe.*

tranſtulit: aliquot ejuſdem reliquiæ Remis & Pariſiis.

E 20 *Præmiſerant autem col. 873 in eodem Rogerio:* Anno MLXII, epiſcopatus ſui vigeſimo fundavit, ſeu potiùs fundationem confirmavit monaſterii Omnium Sanctorum, in quo repoſuit corpus S. Leudomeri deceſſoris ſui, & ipſe poſt obitum tumulari voluit. *Hoc ipſum etiam dicitur in ejuſdem Rogerii epitaphio Gallico recentiori, anno ſcilicet 1553 ſepulturæ addito, quod ibidem legeſis. Conſentit Rapinus in Annalibus, additque, ſacrum illud corpus thecæ incluſum in ejuſdem abbatiæ altari principe tunc depoſitum fuiſſe, in eoque etiam quieviſſe anno 1625, docet in Indiculo epiſcoporum Catalaunenſium, quem Vitæ S. Memmii inſertum eo anno ab ipſo editum dixi. Neque aliunde quidquam didici de eodem deinde ad alium locum tranſlato vel deperdito; ſed inſignes ejuſdem reliquias eccleſiæ S. Dionyſii Remenſi ignoto mihi tempore donatas fuiſſe, habemus ex Marloto in Hiſtoria metropolis Remenſis tom. 2, pag. 151, ubi inter cetera Sanctorum pignora, quibus hæc eccleſia ditata eſt, numerat* brachium S. Leudomeri, ſeu Leudomiri, epiſcopi Catalaunenſis, in brachio laminis argenteis cooperto. *Aliquas item illius reliquias aſſervari Pariſiis, aſſerit Caſtellanus num. 3 relatus.*

F

Referuntur quorumdam aſſerta de unius oculi integritate

21 *Supereſt, ut agamus de prodigioſa oculi integritate, quam velut præmium illius caſti ſeverique intuitus, quo Brunichildis laſciviam caſtigâſſe dicitur, divinitus ipſi collatam, quidam affirmârunt. Verba Breviarii Catalaunenſis jam dedi ex Cointio ſuprà num. 17: hîc addo Rapinum, auctores ſuos laudantem. In Annalibus pag. 91 & ſequenti Gallicè hæc ait.* Ejus animâ in cælum tranſlatâ, ejuſdem corpus Deus inſigni miraculo illuſtravit in terra; videlicet quòd oculus, quo tam ſeverè reſpexerat Brunichildem, ejuſque impudicitiam damnaverat, ab omni corruptione immunis ſervatus ſit. Poſtquam enim caſtum illud corpus mandatum terræ fuerat, omnique carne in cinerem redacta deſtitutum, oculus ille priſtinam ſuam venuſtatem ac vivacitatem plùs quàm naturalem ſervavit; cúmque poſt quadringentos & triginta vel quadraginta elapſos annos Rogerius II Catalaunenſis antiſtes XLIV (*Galliæ Chriſtianæ continuatores eumdem* XLV *numerant*) ſacrum corpus è terra levaret, ut ad monaſterium Omnium Sanctorum tranſferretur; quamvis omnis caro (ut dictum eſt) conſumpta eſſet) oculus iſte nihilominus ſanus

AUCTORE C. S.

& integer repertus fuit, & cum ossibus in theca inclusus & super principe altari dictæ abbatiæ collocatus.

in translatione deprehensa, & Galliæ Christianæ continuatorum

22 *Mox, ut fidem certam faciat, testes suos sic subdit:* Hoc miraculum, cujus ipsemet oculatus testis fuit, tradidit Joannes ejusdem monasterii abbas. Thomas Cantipratanus lib. 2, cap. 30; Joannes l'Espagnol, doctor & magnus Prior S. Remigii Remensis in Historia S. Walburgis, & Legendarium Ms. abbatiæ Omnium Sanctorum. *Hactenus Rapinus, qui tamen vel sic non apud omnes fidem invenit. Galliæ Christianæ continuatores in* S. Leudomero *judicium suum his verbis exponunt:* Sepultus est cum fratre suo (*S. Elaphio*) in ecclesia S. Joannis. Quum autem sub Rogerio II episcopo transferretur in basilicam Omnium Sanctorum, oculus ejus integer ac sanus, reliquis artubus consumtis, inventus esse dicitur. Fabellam autem inde natam credimus, quòd Leudomerus vernaculè dicatur LUMIER; nomen verò LUMIER propriè idem sit ac nomen LUMIERE, Latinè LUMEN; lumina denique OCULOS significent. *Mitior est censura Cointii, verba Breviarii Catalaunensis superiùs data, & Rapini asserta ita accipientis.*

B *ac Cointii super his judicia.*

23 Nos (*inquit*) à neotericis arbitramur excogitata, quæ de Brunichilde Leudomirum ad lasciviam provocante circumferuntur. Quamvis autem ita sentiamus de Brunichilde, non ideo negamus, oculum beati Pontificis integrum ac sanum sub Rogerio secundo episcopo inventum fuisse, maximè cùm Rapinæus præter authores recentiores oculatum testem producat Joannem, Omnium Sanctorum monasterio apud Catalaunos præpositum abbatem; hujus miraculi gloriam libenter prædicamus; sed aliam ab ea, quam scriptores hactenus protulerunt, causam præcessisse, contendimus. *Ita ille: at mihi neutra censura placet. Non prima, quia, licèt verum sit, maximè affines esse voces Gallicas* Lumier *&* Lumiere, *& hanc Latinè* Lumen *dici, ac denique* lumina *etiam pro* oculis *usurpari, non satis verisimile mihi videtur, ex sola ista nominis affinitate atque æquivocatione hanc fabellam ortam esse. Primæ parti Cointianæ censuræ libens assentior, sed non secundæ; quia prodigiosa oculi integritas non meliori nititur testimonio, quàm causa à Rapino asserta; quod ostendere aggredior.*

Eadem historia recensetur ex Thoma Cantipratano, C

24 *Rapinus, qui seculo* XVII *floruit, certè non potuit istud inventi oculi miraculum ex ipsomet Joanne Omnium Sanctorum abbate addiscere, si hic translationi, in qua illud primùm apparuit, oculatus testis adstiterit. Nec dubium est, quin hîc secutus fuerit Thomam Cantipratanum, quem ex auctoribus primo loco laudavit. Hunc ergò audiamus. Cantipratanus loco apud Rapinum citato, id est, lib. 2 de Apibus, cap. 30, num.* 33, *cui titulus est,* De oculo beati Ludovici Cathalonensis episcopi incorrupto, *hæc scribit:* S. Ludovicus Cathalaunensium episcopus fuit vir corpore venustissimus & pudicus. Quem ut vidit quædam Galliarum regina, oculos conjecit in eum, & opportuno loco vocatum ad concubitum invitavit. Quam ille torvo vultu & oculo indignanti despiciens, verbis mirificis confutavit.

qui ceteris scriptoribus hîc præivisse videtur:

25 Cujus oculus post mortem, etiam in sicco cadavere, extingui vel caligari non poterat, ut mihi & multis aliis audientibus magister Joannes de Firmitate, abbas quondam Regularium canonicorum in eadem civitate, qui ipsum oculum quasi cristallum lucidissimum vidit, postmodùm enarravit: interfuerat enim elevationi corporis dicti Sancti, quod annis plusquam quadringentis in terra jacuerat. Et justè quidem oculus etiam in mortuo corpore extingui non poterat, qui contra mortificantem hostem in fragili vasculo vividus permanebat. Et verè meritò extinsecus caligari non debuit, qui venenum corruptionis intrinsecè recipere non curavit. *Hic ergò primus ac præcipuus auctor est, qui Rapino præluxit: nam Joannes l'Espagnol Vitam S. Walburgis primùm anno* 1614 *edidit, Legendarium verò Ms. abbatiæ Omnium Sanctorum Cantipratano verisimillimè antiquius non est, cùm hoc Rapinus postremo loco reponat. Nunc videamus, quanti valeat illa Cantipratani narratio.* D

verùm hujus narrationem

26 *Primum, quod hîc animadvertendum venit, est nomen* Ludovicus, *non* Leudomirus; *Ludovicus autem nullus, nisi post Cantipratani tempora in episcoporum Catalaunensium serie occurrit. Advertit hoc Cantipratani Operis editor Georgius Colvenerius, ac propterea ibidem in Notis observavit sequentia:* Ludovicum aliquem in catalogo episcoporum Cathalaunensium apud Democharem aut alibi non invenio, sed S. LEUDOMIRUM XVIII illius sedis episcopum, quomodo hîc legendum existimo, vel LEUDOMIRUS, ut legit Molanus in additionibus ad Usuardum xxx Septembris . . . . Certè nomen LEUDOMIRI vel LUDOMIRI facilè à scriptore mutari potuit, ut fieri solet, in nomen notius LUDOVICI. *Sit ita: nam nec ego* Ludovicum *aliquem in novissima Gallia Christiana inter episcopos Catalaunenses reperio ante seculum* XV, *de quo certè sermo esse non potuit Cantipratano, qui initio seculi* XIII *natus est, neque Sanctum, de quo agimus,* Ludomicum *ac* Ludovicum *nominatum fuisse, credo Rapino, adversùs ceteros omnes, verisimillimè ex hoc solo Cantipratani loco, id asserenti.* E

tam suspectam

27 Joannes de Firmitate, abbas quondam Regularium canonicorum in eadem civitate *Catalaunensi, à Cantipratano laudatus, haud dubiè Rapino est Joannes abbas Omnium Sanctorum, nimirum quia circa medium seculum* XI, *quo translatio facta est, istud unicum Catalauni erat canonicorum Regularium monasterium. Sed importunè hîc rursum accidit, quòd ab initio fundationis ejusdem usque in seculum* XVII *inchoatum nullus nomine* Joannes *eidem abbas præfuisse legatur in catalogo, quem dederunt sæpe laudati Galliæ Christianæ scriptores. At fuerit sanè tunc aliquis sive in hoc, sive in alio monasterio, quod Cantipratanus non expressit, istius nominis abbas, supereſt alterum argumentum à tempore pariter petitum. Jacobus Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum tom.* 1, *col.* 250 *& sequenti docet, Thomam Cantipratanum anno* 1201 *in lucem editum esse, librum de Apibus anno* 1256 *inchoâsse, ac denique qui illius vitam longissimè protrahunt, hos ejusdem mortem usque in annum* 1280 *differre.* F

atque incredibilem faciunt

28 *Porrò sæpe dicta translatio seriùs figi nequit, quàm anno* 1065, *post quem Rogerius II, ejusdem translationis auctor, non superfuit in vivis. Inter hunc autem annum annumque* 1201, *Thomæ Cantipratani natalem, cùm anni omnino centum ac triginta quinque interfluxerint, oporteret, Joannem illum abbatem annis centum & quinquaginta majorem fuisse, dum ista narravit Cantipratano; quod quàm non verisimile sit, cuique considerandum relinquo. Itaque vel fabulosa sunt hæc,*

A *hæc, vel de alio Sancto dicta; vel, si ad* S. Leudomerum *spectent, accipienda sunt de alia ejusdem corporis translatione multò seriùs facta. Jam monui, nullum* Ludovicum *inter Catalaunenses episcopos reperiri, nisi post tempora Cantipratani: frustra item inter alios sanctos Ludovicos quæsivi, ad quem ea possent referri; utque de* S. Ludomero *vel* Ludomiro *accipiantur, præter qualemcumque nominis similitudinem, suadent episcopatus Catalaunensis &* Sancti *titulus* Ludovico *suo à Cantipratano asserti.*

adjuncta personarum ac temporum,

29 *Nullam denique* S. Leudomeri *translationem vel elevationem factam legi, præter eam, quam circa medium seculum* XI *curavit prælaudatus Rogerius, de eademque se loqui, Cantipratanus satis indicat, dum ait, Joannem interfuisse* elevationi corporis dicti Sancti, quod annis plusquam quadringentis in terra jacuerat. *Etenim ab anno* 588, *circa quem* Leudomerum *obiisse diximus, usque ad medium seculum* XI *quatuor secula cum dimidio circiter numerantur. Contrà verò vel Cantipratanus loquitur de prima quidem Sancti translatione, sed post Rogerii tempora facta, vel de secunda aliqua posteriori. Si primum, numeranda ad minimum erant quinque secula cum*

B *dimidio, ut Joannes eidem adstitisse potuerit; si secundum, vix duo secula reperias inter utramque translationem intercessisse.*

ut nullo modo admitti posse videatur.

30 *Tandem ex hactenus disputatis duo statuo. Primum est, Thomam Cantipratanum fuisse primum, qui heroïcam* S. Leudomiri *castimoniam à Brunichilde frustra tentatam, seculo septimo jam multùm provecto, postquam id contigisset; atque ejusdem sancti Antistitis oculi prodigiosam integritatem totis duobus seculis, postquam hæc tempore prædictæ translationis deprehensa fuisset; Cantipratanum inquam, primum esse, qui ista scriptis mandavit. Alterum est, tam vitiosum ejusdem testimonium pro neutra tutò posse admitti. Ceterùm anceps hæreo, an hæc fabulosa narratio ex mala fide Joannis de Firmitate, an ex ipsius Cantipratani errore orta fuerit. Cantipratano sine ulteriori examine etiam credidit noster Theophilus Raynaudus, qui in Triade Patriarcharum eadem breviter narrat de* oculo Ludovici Catalaunensis episcopi, *verbis, quæ habes apud nos tom.* 2 *Junii, pag.* 497, *num* 41, *occasione S. Rosselinæ virginis Carthusianæ, cujus oculos ejusmodi*

C *mirabili integritate conspicuos post illius obitum repertos esse, ibidem melius probatur. Jam dixi suprà, scriptorem Vitæ edendæ nec de lascivientis reginæ improbitate, nec de oculi prodigio meminisse. Et de posteriori quidem siluisse potuit, fortè quòd scripserit ante translationem, cujus nulla apud ipsum mentio exstat: sed quod ad primum attinet, non video, meliorem hujus silentii causam posse assignari, quàm quòd ista fabula tunc nondum nata esset. Modò qualemcumque Vitam accipe.*

VITA

Auctore fortè Stephano abbate S. Urbani.

Ex Ms. S. Victoris Parisiensis, collato cum alio Ms.

Mortuo S. Elaphio, S. Leudomerus a

POstquam B. Elaphius migravit ad Dominum *a*, & culmen veri honoris adeptus est in regione vivorum, populi Catalaunicæ urbis pastorem non habentes pulsabant Deum orationibus, levabant ad cœlum corda cum manibus, precantes, ut divina clementia eos benignè respiceret, & talem in messem suam operarium mitteret, qui eos suo exemplo ad bene agendum informaret & doctrinæ cœlestis imbre perfunderet, ut ejus cultu & magisterio fructus æternæ *b* salutis ferre prævalerent. Videbatur autem eis, quòd vota sua salubriter audirentur, si cathedra viduata B. Leudomiro *c* instauraretur. Illum dignum moribus modestumque, doctrinâ eruditum, alloquio affabilem, vitæ totius institutione spectabilem, cultorem pauperum, orphanorum patrem, decumbentium visitatorem, debilium ministratorem, justum, pium, hospitalem, & quidquid popularis gratia aliquoties etiam sine judicio personæ cuilibet affectata depingit; felices se futuros, si tantæ bonitatis Successor perdito nutritori succederet. Unde & vota Deo faciebant, quatinus cordibus principum ac regis inspiraret, ut tali urbem honore insignirent, [tamque robusta *d*] interiùs exteriúsque turre muniret.

b

E *c*

d

populo expetitus datur episcopus.

2 Itaque pius Deus eorum desideria videns, vidit, respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum: unde & viscera tantæ pietatis scribentur in generatione altera [& populus novus] laudabit Dominum. Igitur [Sigebertus rex *e*] susceptis pignoribus dilectæ virginis Eulaliæ, & audita morte B. Elaphii antistitis *f*, mœrore perculsus, debitas tanto viro, tam fideliter regno servienti, lachrymas fudit; deinde petitione primorum civitatis ammonitus de restauratione episcopatûs, ut hoc dignum officio quæ-

e

F *f*

rerent & offerrent, edixit. Cumque ex nomine Leudomirum præsentâssent, ille personam cognoscens, utpote sæpe cum fratre Elaphio palatium frequentantem, laudans Hominem, approbans electionem, annuit voluntati, & in concione civium præcepit super hæc sensa requiri. Populus audiens, quod volebat, in laudem Leudomiri, in favorem principis exclamat, ac de exauditione felicitateque sua Deum laudat. Ductus itaque ante regis præsentiam, obtentu populi sanctam perpessus violentiam, suscepit pastorale ministerium, ad quod se prædicabat indignum; invitus, coactus, divinæ prudentiæ obediendum esse, devictus.

Patriâ erat Lemovicensis, & diaconus;

3 Solempni tripudio plebs [jocunda] resultat; coronantur ecclesiæ, suscipitur cum omnimodis honoris obsequiis, ac favente Deo saluti hominum, in sede pontificali resedit, civitatisque longa expectatione conquievit. Fuit autem

A. FORTE STEPHAN.

tem Lemovicinæ urbis *g* indigena ſpectabilis [genere] facultatis multimodæ, affinium ornatus multitudine; ſed hæc omnia vilipendens, ac velut infima araneæ munimenta diſrumpens, à cordis oculis, qui à recto itinere impediebantur, abjecit, & gratam Deo [peregrinationem] aſſumpſit. Clericus factus Ægidii archiepiſcopi *h* conſecratione, oſtendit, Deum ſibi cooperari, cælibatu converſationis ſinceræ, & ſemper præficiens, ſæpe ſe in ea, quæ antè erant, extendens [in ordine] diaconi eo tempore præminebat, quo gladium amaritudinis tam immenſæ de morte ſancti fratris Elaphii in corde ſuſcepit. Erat Vir ſanctus fervens in orationibus, & tam pro ſe, quàm pro populo limina Sanctorum frequenter extergebat *i*.

jam epiſcopus cæcam illuminat;

4 Cùm ergò quadam die ad eccleſiam S. Mariæ in ſuburbio ſitam ſolitæ orationis gratiâ, clericis quibuſdam comitantibus, properaret, vidit mulierem cæcam, pedibus offenſis baculo viam quærentem, & motus miſericordiâ ait ad Laudecium ſubdiaconum ſuum, quem ſciebat eſſe virum juſtum & ſanctum: [Vade] & mulieris iſtius oculis ſignum Dominicæ Crucis imprime, ut videamus, ſi fortè virtus divina ei dignetur ſubvenire. Qui pòſt ut ejus juſſa complevit, illa viſum recepit, & in laudem B. Leudomiri exclamans, ad hoc ſpectaculum multos [collimitaneos] excitavit, qui Deum benedicebant & ubique Sancti ſui merita diffundebant. Audiens ergò Sigibertus *k* ejus famam, eum familiariſſimum ſibi fecit, conſiliorum arcana ei primò committens; qui negotia viduarum, pupillorum & omnium injuſtè oppreſſorum, ut propria, ſuſcipiens, cœpit in virtutibus clareſcere, & cum medela verbi ad vitam, ſanitatem, læſiſque corporibus ſubvenire.

B

k

luem tollit;

5 Contigit itaque in caſtro, quod vocatur Marogillum, ſuper Maternum *l* fluvium ſitum, lues mortifera *m*, tanta atrocitate ſæviens, ut, qui arripiebatur, vix ad tridui perveniret ſpatia. Metuentibus omnibus, non jam audebant vivi adeſſe morientibus, fugiebant (& mors repentina fugientibus occurrebat) collapſi deſperati; nullus proximo ſolatium promittebat, timore mortis & in ſalute promoriens. Jacebant omnes in agonia quodammodo; corpulentos & pingues macri & languidi abſcondebant, eos præ multitudine & timore ſepelire non audentes: honorem enim ſepulturæ reddere timor ac multitudo prohibebat. Exhauriebantur familiæ pariter, patres parci in exequiis filiorum, veſtimenta ſibi conſepelienda ſervabant. Tandem ad B. Leudomirum confugiunt & cladis vehementiam ei aperiunt, & ut pro ipſius cladis ceſſatione Dominum deprecaretur, expoſcunt. Qui oravit, & pœnitentiam peccatoribus impoſuit, & ſtatim clades ipſa ceſſavit, ita quòd ſatis evidenter eis conſtiterit, quòd per ejus meritum lues, totam viciniam devaſtans, ceſſaverit: unde laudaverunt Dominum, per Sanctum ſuum mirabilia operantem.

l

m

C

à dæmone vexatos

6 Contigit & aliud memorabile, quod ad Sancti ſui gloriam Dominus dignatus eſt propalare. Sollicitudine quippe paſtorali villas peragrans dioceſis ſuæ, venit aliquando idem Sanctus ad poſſeſſionem, quæ Parta vocatur ex nomine. Cúmque fama adventûs ejus circumquaque ferretur in populos, confluebant turbæ, mixtis undique concurſibus, ut audirent, quid de cathedra Dei mandaret Præco ſanctus, & lætificarentur ac roborarentur ejus benedictionibus. Paratum itaque eſt, & Sacerdos Dei ad aram, verum pro ſe ac populo holocauſtum oblaturus, acceſſit. Implentur membra eccleſiæ, & ſtipantibus turbis, anguſta parietum brevitas accuſatur. Interea cùm à clericis carmina divina ederentur & miniſtris divinis ſerviretur, fumo quoque thuris baſilica aromatizaretur, quidam tam ex viris, quàm ex mulieribus, qui paſſione dæmonum per menſtruatos lunæ decurſus agitabantur, qui & Lunatici *n* ex conſuetudine appellantur, cœperunt primò quaſi indignando ſubmurmurare, paulatimque ferveſcendo, inſanas voces edere, & tamquam flagella paterentur, proclamare: Quid iſte odibilis ad nos venit, qui moleſtias nobis ingerit, quietem perturbat, iras accendit? Dicentes hæc: Quo hujus præſentiam fugiemus? quis nos contra eum tuebitur? ſed Miſsâ finitâ, & benedictione epiſcopali accepta, aquâ benedictâ ab Epiſcopo aſperguntur, & liberati ab eis ſani ad propria revertuntur; Deus benedicitur, & Sanctus laudatur.

D

n

& energumenam liberat.

7 Sub eodem ferè tempore puella quædam nobilis familiæ, pulchritudinis omnimodæ, à fœdiſſimo hoſte pervaſa, aliena ſibi, aliena hominibus, captivata inter proximos, voces non ſuas, voces belluinas, voces planè dæmoniacas cœpit delatrare. Anguſtiantur amici, congregant ſacerdotes, implorant gemitibus, ut divinis conjurationibus tyrannum expellerent. Cùm itaque exorciſmis impeteretur inimicus, repugnabat atrociter, verba injurioſa evomebat, & inſiſtentibus [ſibi] Dei miniſtris, tandem compellitur mendax verum dicere. Quid, inquit, mihi inſtatis, quid in vanum laboratis? Vobis quidem invictus obſtabo; ſed utinam Leudomiro obſiſtere prævaleam! Ipſe ſolus eſt, quem timeo; ipſe ſolus eſt, quem utinam numquam videam, captivatum audiam, ne me à vaſculo iſto gratiſſimo ipſe captivet. Veniente ergò ſancto Pontifice, dæmon effugit. Epiſcopus verò ſanam puellam erigens, parentibus gaudentibus & Deum laudantibus incolumem reddidit.

E

Fabuloſa de avibus narratio.

8 Habuit etiam B. Leudomirus culturam ab avibus, quæ ... *o* vocantur, ſæpe depaſtam, ad quas veniens, præcepit, ne quæ recederet, eaſque ad horreum in ſuburbio omnes adduxit & incluſit. Cuſtos autem horrei unam ex eis gulâ ſeductus exhauſit: quo manè comperto, Vir Dei dedit omnibus licentiam abeundi; & nulla receſſit. Qui guloſum increpans, plumas & oſſa afferri præcepit, & prece facta, avem ſuſcitavit, & eam ſocietati reſtituit aliarum. Tunc ei modo, quo poterant, gratias referentes, avolârunt, nec umquam pòſt agrum, quaſi ſibi vetitum, acceſſerunt.

o

F

Sanctus moritur & ſepelitur.

9 Conſueverat igitur Vir glorioſus anniverſariam ordinationis ſuæ commemorationem agere, hymnis Dei & laudibus vacare; religioſam quoque jocunditatem populo exhibere; quæ conſuetudo à modernis quoque diligitur; ſed utinam antiquum per omnia teneretur exemplum! Cùm autem omnipotenti Deo placuit, ut beatus iſte Sanctus prævaricatoris Adæ ineffugabile debitum ſolveret, & jam liber numerum angelicæ immorationis augeret, infirmitate corripitur: qua excreſcente, vas iſtud ſolubile frangitur, corporis terra terræ commendatur, animus felix, velut carbunculus, in diademate Regis cum cœlitibus & Sanctis componitur. Receſſit autem

à

A à corpore anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo quinto *p* prid. Cal. Octobris, plenus dierum, & ingreſſus eſt, ſicut juſtis promittitur, in abundantia ſepulchrum *q*, regnante in Gallia Clothario *r*, & imperante ſuper omnia Domino Jeſu Chriſto cum Patre Deo in unitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

p

q

r

10 Nonum Reſponſorium ejuſdem Sancti.

Sancti invocatio.

Leudomire pater, famulis ſuccurre potenter
Ut ſani vivant, æternaque munera quærant,
Omnes & nitidos facias conſcendere cælos:
Dæmonis inſidias calcent, peccamina vitent:
Virtutes habeant, virtutum præmia captent:
Omnes ut nitidos facias conſcendere cælos.
Gloria Patri &c.
Ora pro nobis, beate Leudomire;
Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ANNOTATA.

a *De S. Elaphio epiſcopo Catalaunenſi breviter egit Sollerius noſter tom.* 3 *Auguſti ad diem* 19, *pag.* 747, *ubi ejuſdem beatam mortem ad annum* 580 *repoſuit.*

B

b *Ita correxi ex apographo noſtro incerti loci; nam in Ms.* S. *Victoris non rectè legitur* alienæ.

c *Jam monui, hunc Sanctum ab aliis* Leudomerum, *ab aliis* Leudomirum *ac* Leodemerum *appellari: ego primum retinendum cenſui, quia ſic habet charta donationis ab ipſomet factæ, quam laudavi in Commentario prævio num.* 13.

d *Hæc uncis incluſa ſupplenda fuêre ex eodem Ms. incerti loci; de quo ſufficiat lectorem hîc ſemel monuiſſe, quoties ea ſigna recurrent.*

e *Sigebertus hic fuit Clotharii I filius, Auſtraſiæ rex; verùm huic jam inde ab anno* 575 *occiſo aliquot annos ſupervixit S. Elaphius; quam ob rem pro Sigeberto ſubſtituendus hîc eſt ejuſdem filius Childebertus. Adi Commentarium prævium num.* 14 *& ſequenti. In Ms., quod edo, pro* Sigeberto *relicta lacuna eſt; ſed paulò pòſt* Sigebertus *velut tum etiam vivens in eodem inducitur.*

f *In Elogio S. Elaphii dato ad diem* 19 *Auguſti dicitur ille miſſus in Hiſpaniam fuiſſe, ut reliquias S. Eulaliæ martyris Emeritenſis impetraret, & legatione ſua feliciter functus, dum in*

C *Gallias illa* ſacra pignora deportaret, *diem ſuum obiit. Cointius ad annum* 580, *num.* 3 *& Longuevallius in Hiſtoria eccleſiæ Gallicanæ ſcribunt, ejuſdem Sancti mortem obſtitiſſe, quo minùs S. Eulaliæ Emeritenſis reliquiis Gallia ditaretur. Res examinari poterit ad diem* 10 *Decembris, quo hæc S. Eulalia colitur. Gregorius Turonenſis lib.* 5, *cap.* 41 *tantùm ait:* Poſt hæc Elaſius Catalaunenſis epiſcopus propter cauſas Brunechildis reginæ in Hiſpanias in legatione directus, correptus à febre nimia, ſpiritum exhalavit, & exinde delatus mortuus ad civitatem ſuam, ſepultus eſt. *A Brunichilde, filii ſui, Childeberti Regis, tutelam agente S. Elaphius ſub finem vitæ ſuæ eò mitti potuit, non ſub Sigeberto, ut ſuprà dictum eſt. Pro Sigeberto igitur hîc & infrà ſubſtitue Childebertum.* A. FORTE STEPHAN.

g *Lemovicus, indigenis* Limoges, *Galliæ Aquitanicæ civitas eſt ad Vigennam fluvium, Lemovicenſis provinciæ caput, & epiſcopalis ſub archiepiſcopo Bituricenſi.*

h *Hic in tom.* 9 *Galliæ Chriſtianæ col.* 14 *numeratur decimus nonus archiepiſcopus Remenſis, atque idem eſt, quem num.* 12 *Commentarii prævii diximus ſubſcripſiſſe donationi, à SS. Elaphio epiſcopo &* Leudomero *tunc diacono factæ eccleſiæ Catalaunenſi.*

i *Id eſt*, terebat, *ſive* frequentabat.

k *Sigebertus rex Auſtraſiæ* S. Leudomerum *diaconum noviſſe potuit, non epiſcopum, ut ſuprà obſervavi.* E

l *Per* Maternum *fluvium deſignatur* Matrona, *vulgo* la Marne, *medio ævo etiam* Materna *dictus. Pro* Marogillo *Cointius legit* Marogilum caſtellum; *ſed utroque modo caſtrum vel caſtellum iſtud ignotum mihi eſt.*

m *Sæviiſſe hoc tempore in Gallia diram luem, docet S. Gregorius Turonenſis lib.* 5, *cap.* 35; *videtur tamen biographus amplificatione hîc uſus fuiſſe.*

n *S. Hieronymus in Euangelium S. Matthæi cap.* 4 *etiam docet, aliquos* Lunaticos *appellari, qui verè à dæmonibus ſtatis temporibus vexantur.*

o *Hæc vox deeſt in apographo S. Victoris, in altero autem tam dubiè ſcripta eſt, ut eam divinare non libeat. Sed parùm refert, cùm fabuloſa ſint, quæ de hiſce hîc dicuntur. Adi Commentarium prævium num.* 10.

p *Sauſſayus in Martyrologio Gallicano, certè perperam, legit* trigeſimo quinto.

q *Vide Commentarium prævium num.* 18 *& duobus ſequentibus.* F

r S. Leudomerum *diu ante Clotharii II monarchiam mortuum eſſe, dixi in eodem Commentario num.* 15 *& ſequenti.*

DE S. SERENO PRESB. CONF.

IN PRIORATU CELLÆ

SUBTUS CANTUMERULAM IN CAMPANIA GALLIÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. B.

Memoria in Uſuardo, aliiſque Faſtis ſacris, cultus, Acta qualia.

ANNO FORTE CIRCITER DCL. *Sancti memoria in Faſtis ſacris,*

USuardus *ad hunc diem ex privata haud dubiè notitia, cùm ea in re Adonem ſibi præeuntem non habuerit,* S. Serenum *pauciſſimis his verbis annuntiat:* Ipſo die, ſancti Sereni confeſſoris. *Uſuardum rectè ſecutus eſt Grevenus, hocque ipſum deinde etiam Petrus Caniſius in Martyrologio Germanico à ſe concinnato præſtitit. Nihilominus hæc annuntiatio à Molano Uſuardinis dumtaxat Additamentis accenſetur; à Martyrologio autem Romano hodierno prorſus omittitur,*

AUCTORE C. B.

sive quòd S. Serenus, *prout Sollerius noſter in Uſuardo à ſe illuſtrato jam ante me obſervavit, in Belino non reperius, ſive quòd ſatis cognitus non fuerit iis, qui Romanum hodiernum circa ultimos viginti ſeculi* XVI *annos reformârunt. Sanè, cùm hunc Sanctum ſolo nomine Uſuardus indigitet, ſcire illi ex ipſo ſolo non potuêre, an de noſtro, an de alio* S. Sereno *ſermo haberetur. Ex Maurolyco haud dubiè, quem, licèt jam anno* 1568 *typis vulgatum, præ oculis habuiſſe non videntur, diſtinctiorem Sancti noſtri notitiam acquiſiviſſent. Hic enim dum in Martyrologio ſuo Sanctum noſtrum ad hunc diem commemorat, non ſolùm ejus nomen exprimit, ſed & locum, in quo colitur, caſtrum ſcilicet Cantumerulæ, rectè aſſignat. Maurolycum Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum eſt ſecutus, qui tamen, omiſſa voce* Caſtri, *Sanctum noſtrum Cantumerulæ brevi hac annuntiatione attribuit :* Cantumerulæ S. Sereni confeſſoris. *At* caſtrum Cantumerulæ & Cantumerula, *quo nomine, ut mox videbimus, nunc abbatia canonicorum regularium S. Auguſtini, & parœcia cognominis inſignitur, eamdem locum deſignat. Porrò Sauſſayus in Corollario poſt partem* 2 *Martyrologii Gallicani pag.* 1212 *generaliori uſus loquendi modo, territorio ſeu diœceſi Trecenſi, in qua, ut videbimus, Abbatia Cantumerulenſis ſita eſt,* S. Serenum *adſcribit; qua in re Maurolyco ac Ferrario præſtare videtur; nam Sanctus noſter, non tantùm Cantumerulæ, ſed binis inſuper aliis diœceſis Trecenſis locis colitur; horum autem alterutro ſacrum etiam ejus corpus quieſcit; quare potiori jure attribuendus videtur aut, ut nos facimus, loco illi, qui non tantùm ejus cultu, ſed & ſacris exuviis lætatur, aut certè generatim territorio ſeu diœceſi Trecenſi, in qua tres ædes ſacræ (plures enim id facere, non comperio) venerari eum, conſuevêre.*

B

cultus tribus locis diverſis, quorum

2 *Utut ſit, tres illæ ædes ſacræ, quod ad rem noſtram magis facit, ſunt abbatiæ Cantumerulenſis & parœciæ cognominis baſilica, eccleſia Cellæ* S. Sereni *& eccleſia pagi, qui Fons Bettonis dicitur. Diſco id tum ex notitia, quam ſubnexam invenio Actis* S. Sereni, *quæ reverendus dominus Jacobus Couſinet, canonicus regularis S. Auguſtini, antiquis eccleſiæ Cantumerulenſis chartis ipſo in loco evolutis, ad Papebrochium noſtrum anno* 1682 *tranſmiſit; tum ex annotationibus, quas Nicolaus Deſguerrois in Opere, cui titulus :* Sanctitas Chriſtiana diœceſis ac civitatis Trecenſis *ad calcem Vitæ* S. Sereni *adjecit. Prioris verba Latina hæc ſunt :* Villa ſeu pagus, qui Cantumerula dicitur, loco eminenti ſitus in finibus Campaniæ ad Occidentem extitit aliàs caſtrum propugnaculis munitum. Hoc Henricus I comes Trecenſis palatinus canonicis regularibus ceſſit, & in abbatiam nomine ſancti Sereni erexit ac fundavit, approbante primùm Adriano Pontifice maximo hujus nominis quarto, confirmante poſtea, anno ſcilicet 1165 Alexandro tertio. Una eſt cœnobii & parochiæ baſilica. Subtus Cantumerulam verſus Orientem extat ſancti Sereni Cella Ordinis ſancti Benedicti, ubi corpus ejuſdem ſancti confeſſoris Sereni in capſula ſuper altare devotioni fidelium proponitur. Caput etiam ſancti Sebaſtiani ibi in ſacrario aſſervatur. Ad Occidentem verò in villa, quæ Fons Betonis dicitur, eccleſia eumdem ſanctum Serenum patronum habet. Feſtum ſancti Sereni ſub titulo Confessoris una eademque die, hæ tres tum eccleſiæ, tum parochiæ, ſecunda videlicet Octobris, ritu ſolemniori concelebrant. *Poſterioris verò, quæ ſunt Gallica, interpretatione hac Latina donavi :* In diœceſi noſtra (*Trecenſi*) tres ſunt eccleſiæ Deo ſub nomine S. Sereni dicatæ, 1 prioratus & eccleſia parochialis Cellæ, quæ reliquis eſt antiquior. 2 Abbatia & eccleſia Cantumerulæ. 3 Eccleſia parochialis Fontis-Bettonis. Feſtum ſancti Sereni celebratur 2 Octobris, idque cum ſolemnitate in memoratis locis, præſertim in eccleſia prioratûs Cellæ, ubi ejus reliquiæ capſæ incluſæ ſuper altari principe unà cum illis S. Sebaſtiani ſeparatim exiſtunt.

C

D

exacta notitia

3 *Sammarthani fratres cum laudato mox domino Couſinet ferè conſentiunt in iis, quæ de cœnobii Cantumerulenſis fundatione ac confirmatione commemorat. De illo enim tom.* 4 *Galliæ Chriſtianæ pag.* 214 *ſic ſcribunt :* Cantumerula diœceſis Trecenſis, Ord. S. Aug. fundatur ab Henrico I. Comite Palatino Campaniæ, cujus monaſterii privilegia Alexander III Papa diplomate confirmavit Pariſiis 1165. 18 Cal. Maii. *Quod verò pertinet ad approbationem fundationis memorati cœnobii, quam etiam laudatus dominus Couſinet, ab Adriano Pontifice maximo hujus nominis quarto factam, aſſerit; de ea nec apud Sammarthanos laudatos, nec apud quoſcumque alios ſcriptores mentionem invenio. At dubium mihi non eſt, quin is illam didicerit ex antiquis eccleſiæ Cantumerulenſis chartis, quales ſe evolviſſe, epiſtolâ ad Papebrochium noſtrum anno* 1682 *datâ ſignificat, qualeſque tunc ibi revera exſtitiſſe, veriſimillimum ſit ex iis, quæ in Opere num. præcedenti citato ad annum* 1180 *pag.* 307 *narrat laudatus Deſguerroiſius, ad quem propterea curioſum lectorem remitto. Certè interim Pontificatus Adriani quarti apprimè congruit cum tempore, quo Henricus I, Trecenſis comes floruit : his enim, teſte Petro Pitæo in comitum Trecenſium ſeu Campaniæ Genealogia, natus eſt anno* 1127, *defunctuſque anno* 1180; *ille verò, uti inter omnes eruditos convenit, Romæ in Cathedra S. Petri ſedit à menſe Decembri anni* 1154 *uſque ad Septembrem anni* 1159, *ut ex hoc capite non ſit, cur dubitetur, an Adriano quarto ſæpe laudatus dominus Couſinet rectè attribuat approbationem fundationis abbatiæ Cantumerulenſis, quam propterea ante annum* 1160 *fundatam eſſe, neceſſe eſt.*

E

F

traditur

4 *Porrò laudatus Deſguerroiſius ad annum* 1135 *pag.* 282 *& annum* 1180 *pag.* 307 *pro diſtinctiori abbatiæ Cantumerulenſis notitia opportunè ad propoſitum noſtrum inſinuat, ſitam eam eſſe in pago cognomini, qui muris incluſus, collique ſuperimpoſitus inter vicum, nomine Barbonnam, & Villanoxam, Galliæ in Campania oppidulum interjacet, à quo non niſi unicâ leucâ horariâ diſtat; ex quo fit conſequens, ut Cella* S. Sereni *ſubtus Cantumerulam quinque ferè leucæ horariæ quadrantibus ab eodem oppidulo diſtet. Etenim ad Orientem Villanoxæ, ut in tabulis Geographicis Blavianis notatum invenio, ſitum eſt cœnobium Cantumerulenſe, ab eoque etiam Orientem verſus, ut ex Collectaneis noſtris diſco, vix leucæ horariæ quadrante diſtat Cella* S. Sereni, *quam inter & Cantumerulam æquali utrimque diſtantia parva eccleſia juſſu* S. Sereni, *ut inquit Deſguerroiſius, ædificata conſpicitur; quare Cellam* S. Sereni *quinque ferè leucæ horariæ quadrantibus Villanoxâ diſtare, non poteſt non fieri conſideranti perſpicuum. Ceterùm licèt, ut jam dictum eſt, parvo admodum ſpatio ab abbatia Cantumerulenſi abſit prioratus Cellæ* S. Sereni, *non propterea tamen hic ab illa, ſed, ut iterum ex*

Cel-

A *Collectaneis noſtris diſco, à monaſterio Cellenſi prope Trecas Ordinis S. Benedicti, Gallicè* Montier-la-Celle, *dependet; ex quo factum fortè eſt, ut Caſtellanus, cùm nôſſet quidem, Cellam ſubtus Cantumerulam dependêre à memorato monaſterio Cellenſi, ſatis autem compertum non haberet, an hîc, an verò illic* S. Sereni *corpus aſſervaretur, illud ad hunc diem in Martyrologio ſuo Univerſali monaſterio Cellenſi prope Trecas, utpote quod prioratu Cellæ ſubtus Cantumerulam celebrius eſt ac nobilius, maluerit adſcribere.*

ſupplicationis quotannis fieri ſolitæ abrogatio,

5 *Utut ſit, certum eſt,* S. Sereni *corpus in monaſterio Cellenſi prope Trecas non honorari, imò Sanctum ipſum nullo cultu eccleſiaſtico ibidem vel affici, vel affectum umquam fuiſſe, licèt interim in locis num.* 2 *memoratis immemorabilem conſtantemque uſque ad finem ſaltem ſeculi præteriti cultum habuerit, in quem tamen nonnulla fortè ſubinde quantùm ad modum introducta fuerit mutatio. Talis fuit illa anni* 1502, *quam ſæpe laudatus Deſguerroiſius ad annum illum pag.* 413 *in hunc modum narrat:* Anno 1502, XXVII Aprilis epiſcopus noſter, (*Trecenſis, qui infrà nominatur,*) prout vigilantem paſtorem decet, plura

B epiſcopatus ſui loca viſitavit, atque in primis Prioratum Cellæ ſubtus Cantumerulam, cujus prior erat frater Joannes Truchot; ibi Officium divinum rectè continuabatur, dicebanturque quâlibet hebdomadâ Miſſæ quatuor. In Prioratu illo quieſcunt oſſa S. Sereni, parſque ſuperior capitis S. Sebaſtiani martyris, quæ reliquiæ eo tempore per plures vicos & pagos aliaque loca ſupplicantium ritu circumferri eleëmoſynas conquirendi causâ ſolebant, at R. Raguier (*epiſcopus Trecenſis*) id fieri juſta de cauſa vetuit. *Hæc ille, qui inſuper addit hanc ſuam relationem eſſe excerptam ex Diario viſitationis, quam in eccleſiis ſuæ diœceſeos memoratus antiſtes inſtituit. Aſt ego habeo præ oculis excerptum ex Actis ſeu Diario ejuſdem viſitationis, à Petro Chiffletio Societatis noſtræ ſacerdote ad Majores noſtros unà cum Actis* S. Sereni *tranſmiſſum, quod nullam vel ſupplicationis cum reliquiis SS. Sebaſtiani &* Sereni *fieri olim ſolitæ, ejuſve per R. D. Jacobum Raguier Trecenſem epiſcopum abrogatæ mentionem facit, hiſque Deſguerroiſianæ relationis verbis* parſque ſuperior capitis S. Sebaſtiani martyris *terminatur: at, cùm veroſimillimè etiam ſequentia ejuſdem relationis verba in autographo fuerint, ſoloque librariorum vitio in excerpto noſtro ſint omiſſa, dubium mihi non eſt, quin, ut narrat Deſguerroiſius, ſupplicatio cum reliquiis SS. Sebaſtiani ac* Sereni *per vicos & pagos quotannis fieri olim ſoluerit, eaque à R. D. Jacobo Raguier, Trecenſi epiſcopo ob abuſus veroſimiliter introductos fuerit abrogata.*

C

Officium eccleſiaſticum,

6 *Atque hæc quidem mutatio eſt, quæ in cultum Sancti noſtri certò eſt introducta; dubitari etiam poteſt, an pariter in Officium eccleſiaſticum, in ejus honorem olim concinnatum, mutatio quædam jam non ſit invecta; ſanè ſi id factum non-dum ſit, fieri jure merito poteſt: etenim Officium illud eccleſiaſticum conſtat* 39 *Lectionibus, quæ per Octavam, quâ Sanctus noſter in locis ſuprà memoratis honoratus olim utique fuit, ad Matutinas recitandæ proponuntur, novem ſcilicet primo & ultimo die, ſex Dominicâ infra Octavam, treſque ſingulis quinque diebus reliquis. Cùm autem Lectiones illæ omnes deprompta ut plurimùm ſint ex Actis* S. Sereni, *hæcque, ut ex dicendis pateſcet, fabulis quàm plurimis ſint fœdata, illas fortè aliquis, utpote ex his contextas, indignas meritò exiſtimet, quæ in Officio eccleſiaſtico Sancti noſtri,* AUCTORE C. B. *nulla correctione adhibita, locum retineant. Lectiones memoratas, additis etiam Antiphonis, Hymnis, Reſponſoriis & id genus aliis, quæ Officium eccleſiaſticum* S. Sereni *proprium in feſto & per Octavam recitandum conſtituunt, laudatus ſuprà Chiffletius ad Majores noſtros tranſmiſit; tranſmiſit &, Antiphonis, Hymnis &c omiſſis, ſolas Lectiones ex codice Ms. ſacrarum Lectionum prioratûs Cellæ* S. Sereni *deſcriptas, iiſque hunc titulum præfixit:* Vita S. Sereni presbyteri & confeſſoris. *Idem præſtitit ex Antiphonario eccleſiæ* S. Sereni *de Cantumerula ſæpe laudatus dominus Couſinet. Lectiones illæ ab utroque viro de Muſeo noſtro bene merito ſubmiſſæ ad verbum ferè inter ſe congruunt, at cum Actis, ex quibus concinnatæ ſunt, non ita conſentiunt, ut non ſubinde quædam diſcrepantia occurrat, hinc fortè orta, quod concinnator Officii* S. Sereni *nonnulla pro arbitrio ſuo partim addiderit, partim ſubſtraxerit.*

Acta, quæ primùm in miraculo,

7 *Acta illa duplicis ſunt generis, alia prolixiora, alia contractiora, utraque ab auctore anonymo conſcripta; hæc exſtant apud Sauſſayum eo loco, quem num.* 1 *citavi, nihilque continent,* E *quin & in ſæpe memoratis Lectionibus contineatur, non contrà; illa verò apud Deſguerroiſium ad annum* 638 *in capita* 17 *diviſa, ſubindeque diſcrepant ab iis, quæ Lectiones in Officio* S. Sereni *commemorant, plerúmque tamen in levioris tantùm momenti adjunctis, ſi ea præſertim non attenderis, quæ reliquias S. Sebaſtiani reſpiciunt, quæque gravioris momenti diſcrimen important. Acta enim apud Deſguerroiſium exſtantia, quæ deinceps brevitatis ergò ſolo Deſguerroiſii nomine ſubinde deſignabo, Prioratum Cellæ* S. Sereni *pretioſis S. Sebaſtiani reliquiis, quas ibidem veneratione fidelium revera aſſervari ex num.* 2 *conſtat, locupletatum olim tradunt occaſione tranſlationis corporis ejuſdem ſancti martyris, quod cùm Româ in Galliam Sueſſionas deferretur, iterque haberetur haud procul à memorato Prioratu, aſſiſtentis populi conſilio in loci illius eccleſiam illatum eſt, ibique ingenti populi concurſu honoratum, multiſque editis ſanationum miraculis clarum, aliquandiu ſubſtitit; Lectiones verò Officii* S. Sereni *inſinuant caput S. Sebaſtiani, quæ ſunt ſancti hujus martyris reliquiæ in Prioratu Cellæ exſtantes, ab ipſomet* S. Sereno, *qui illud Romæ à Joanne Pontifice monitu angeli acceperat, ad* F *Prioratum Cellæ ſubtus Cantumerulam delatum fuiſſe: Lectiones illas viciſſim brevitatis ergò Vitam* S. Sereni, *quam & edemus, deinceps ferè nominabo.*

quod affirmant, falſi idcirco ſuſpecta

8 *Deſguerroiſius ad annum* 638 *cap.* 16 *rem ſic narrat:* Dudum poſt hæc contigit, ut corpus S. Sebaſtiani inſignis martyris Româ in Galliam (ut ad annum 815 dicemus) Sueſſionas deferretur. Tranſlatio illa fiebat per Campaniam prope Prioratum Cellæ, ubi populo ſacras haſce reliquias in eccleſia quietis causâ viſum eſt deponere. Divinâ providentiâ, credimus, accidit, ut ſacrum hoc corpus moveri illinc, magna licèt hominum multitudo adlaboraret, foras aſportandum nequiret. Omnes ad orationem confugiebant, ut, quid ſibi faciendum foret, Deus aperire dignaretur: inter eos eccleſiaſticus reliquis cordatior ſanum hoc ſuggeſſit conſilium: Si mihi, inquit, amici mei, credere velitis, reliquias ſancti martyris in chorum illatas, altari principi S. SERENI imponetis; fortè à Deo id, quod poſtulatis, impetrabitis. Ipſi, hoc audito con-

AUCTORE C. B.

filio, sacrùm corpus illuc transferendum assumentes, tantæ id levitatis reperêre, ut nullius ferè ponderis esse, videretur. Quo in loco (Deo multiplicia beneficia omnibus sanctum locum visitantibus abundè conferente) dudum istud permansit, deindeque magna cum veneratione Suessionas translatum est, ubi nunc etiamnum existit; hincque est, quod cranium capitis S. Sebastiani in Prioratu Cellæ exstet. *Ultima hac periodo reliquiæ S. Sebastiani occasione translationis illius sancti martyris, quod verisimilius mihi est, ad Cellam* S. Sereni *devenisse, nuncque etiamnum existere, apertè perhibentur; at periodum illam in Vita edenda ad num.* 32, *ubi proprius erat eam apponendi locus, auctor anonymus omisit consequenter ad ea, quæ de allatis à* S. Sereno *S. Sebastiani Româ ad Prioratum Cellæ reliquiis antè indicârat; idem etiam anonymus prodigium corporis S. Sebastiani, loco moveri non valentis, verbis Desguerroisii mox recitatis relatum paulò aliter narrat, id scilicet accidisse, non post, uti Desguerroisius indicat, sed ante illatum in ecclesiam Cellæ ejusdem sancti martyris corpus.*

habentur, quòd illud omittat auctor Historiæ translationis

B

9 *Verùm ego insigne istud prodigium, neque prout Vita edenda, neque prout Desguerroisius affirmat, accidisse, credo; imò, licèt istud pro incredibili non habeam, simileque non semel in Actis nostris, & quidem adhuc novissimè ad diem præcedentem in Gloria posthuma S. Bavonis* § 4 *num.* 76 *occurrat, cùm tamen in sola Vitæ edendæ Desguerroisiique auctoritate fundetur, hæcque, ut ex dicendis amplius patescet, sit admodum infirma, ab eo fortè, quod res est, non multùm aberrâro, si meram illud, putamque fabellam esse, dixero, quam rude vulgus ineptè confinxerit pro causa, ob quam S. Sebastiani corpus Suessionas deferendum aliquamdiu in ecclesia* S. Sereni *olim substitisset. Sanè licèt Historia translationis S. Sebastiani, quam primò Bollandus ad* XX *Januarii, ac deinde Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Sæc.* 4 *part.* 1 *à pag.* 383 *typis vulgavit, corpus ejusdem sancti martyris, cùm Româ Suessionas deferretur, in Cellam* S. Sereni *fuisse illatum, ibique, etiam editis sanationum miraculis, aliquanto temporis spatio substitisse, commemoret, nusquam tamen indicat, illud vel antequam, vel postquam in Cellam* S. Sereni *esset illatum, loco moveri, plurimis etiam adnitentibus, non potuisse, donec vel in ecclesiam Cellæ deferendum, vel altari ejus principi imponendum decerneretur. Verba huc spectantia ex cap.* 8 *à num.* 36 *editionis Bollandianæ juverit transcripsisse.*

C

S. Sebastiani ad S. Medardi monasterium,

10 *Sunt autem hæc:* Perlatus cum honorifico agmine egregius martyr Domini (*S. Sebastianus*) in Cellam S. Sereni, mulier quædam clinica, terram semper prospiciens, nec aliquando se fursum erigere valens, in occursum illius ad ecclesiam se pertrahi fecit: quæ statim ut advenit, in directum sese extulit, & quasi nihil umquam gibbi perpessa fuisset, omnibus, qui aderant, suffragio martyris erecta apparuit sana. Fit admiratio & stupor his potissimùm, qui eam noverant ante hesternum. Quæ ita mira virtute absoluta, Deo Sanctoque gratias agens, recessit in propria. Inter frequentes ad sanctum (*Sebastianum*) concurrentes cuneos, quidam plebeius, surdus, mutus, mancus & claudus, martyri inibi est exhibitus: qui tres ante vivificum ipsius corpus ita explevit dies. Quarto succedente die, dum in precibus votivis perseveraret, repropitiari sibi experitur per Sancti obtentum. Nam & surdus auditum meruit, & mutus promptam loquelam edidit, ariditatem etiam mancus in viriditatem demutavit, & lubricum claudus gressum in solidum extendit. Hic in testimonium suæ reformationis, integram assecutus valetudinem, suis humeris Dei martyrem beatissimum ad Calno-munde (*Mabillonius* ad Calnomum) portavit vicum. *Quibus verosimiliter illustriora tantùm ac certiora ad reliquias S. Sebastiani in ecclesia Cellæ patrata miracula memorantur; hoc ipsum in laudata translationis S. Sebastiani Historia, cùm hujus auctor pauca se tantùm ad reliquias S. Sebastiani patrata miracula oratione inculta esse complexum, in Epilogo affirmet, verosimiliter etiam observatum puto quantùm ad miracula, quæ patrata fuêre in aliis quibuscumque locis, per quæ S. Sebastianus Româ Suessionas translatus est, hincque ab auctore illo insignissimum istud, præque aliis fortè omnibus memoratu dignum corporis S. Sebastiani, moveri loco non valentis, miraculum, si revera factum foret, silentio fuisse prætereundum, non nisi ægerrimè in animum induxero.*

D

cui tamen, si accidit, notum fuisset,

11 *Neque est, quod dicas, auctori, qui Historiam dictæ translationis litteris consignavit, insigne illud prodigium, etiamsi factum sit, fortè non innotuisse; cùm enim Rodoinum sibi prælucentem habuerit, uti in Epilogo his verbis indicat:* Superest hodie tenus in chartophylacio nostro schedula Rodoini ad memorabilem Hilduinum abbatem transmissa. In qua numerosa plurimùm capitulatione, virtutum ejus (*S. Sebastiani*) insignia breviata personaliter habentur inserta; quorum summa in conum redacta, surgit in millibus quatuor, centum septuaginta: *Rodoinus autem, quo potissimùm auctore atque impulsore, translatio S. Sebastiani facta est, tot miracula, quot verbis proximè citatis importantur, ad reliquias S. Sebastiani peracta posterorum memoriæ tradiderit, dubitandum non est, quin memoratum, quo de agimus, miraculum, cui ipsemet, utpote sacrum S. Sebastiani corpus ex Italia in Galliam Suessionas usque comitatus, oculatus testis interfuisset, ad posterorum memoriam, modò factum foret, pariter transmisisset, ut propterea in eadem illa hypothesi id ex illo Historiæ dictæ translationis auctor certissimè didicisset. Accedit, quòd idem auctor, ut ex Commentario prævio ad Acta S. Sebastiani* § VII *num.* 37 *apud Bollandum videre licet, translationi S. Sebastiani fuerit coævus, tuncque verosimiliter, aut certè non diu pòst, unus è monachis S. Medardi Suessionensibus, in quorum monasterium corpus S. Sebastiani, comitatum iis ipsis, qui hunc in itinere ex Italia Suessionas continuò præbuerant, etiam tunc præbentibus, fuit translatum, ut ex pluribus, qui præsentes adfuerant, sæpe memoratum miraculum, si accidisset, scire potuisset, verosimillimèque scivisset.*

E

F

utpote coævi ejusdem monasterii monacho,

12 *Porrò cùm Mabillonius tom.* 4 *Sanctorum Benedictinorum parte* 1 *Librum translationis S. Sebastiani sub initium seculi* X, *adeoque seculo ferè integro post rem gestam scriptum asserat, sicque ejus auctoritatem non parum infirmet, lubet nunc, ut, quæ hactenus ex Libro illo sive Historia disseruimus, firmiora constent, de nomine auctoris, deque tempore, quo scripsit, nonnulla proferre. Bollandus noster loco mox citato dubitat, an idem ille monachus, nomine Odil.., qui Ingranno abbati seu potiùs decano elucubratam à se SS. Tiburtii & aliorum translationis Narrationem dedicavit, Historiam translationis S. Sebastiani pariter non elucubrârit. Asserit id Mabillonius loco citato in Observationibus præviis ad Lib. translationis reliquiarum*

A *rum SS. Sebaſtiani & Gregorii, at non ita aſſeveranter, quin & ipſe dubitare videatur; Sanderus contrà in Bibliotheca Belgica pag.* 83 *lucubrationem illam ex codice monaſterii S. Vedaſti antiquo charactere, ut ait, exarato indubitanter attribuit Odilino, quem pauca verba, quæ ex illo citat, (modò ea Odilini ſint) monachum fuiſſe, uti etiam Odilo Mabillonii & Bollandi fuit, luculenter oſtendunt, adeò ut diſcrimen, quod inter utrumque nomen intercedit, impedire non debeat, quò minùs is, quem Odilini nomine Sanderus appellat, idem eſſe credatur cum illo, qui à Bollando & Mabillonio Odilo nuncupatur, quique fuit cœnobii S. Medardi Sueſſionenſis monachus.*

qui medio circitèr 13 *Utut ſit, lucubratio illa, ut apparet ex his Epilogi ejus verbis,* Totius orbis Romani principe (*Ludovico Pio imperatore*) vitâ exempto, epilogus tandem quoque thematis hujus ſtyli verecundia impellente ponendus eſt, *narrationi mortis Ludovici Pii imperatoris proximè ſubnexis, abſoluta eſt non diu poſt ejuſdem principis obitum, adeoque medio circitèr ſeculo* IX, *annis fortè circitèr viginti quinque elapſis poſt S. Sebaſtiani ex Italia in Galliam tranſlationem, anno* 826 *factam. Sanè Bollandus huic opinioni noſtræ non repugnat: ad diem enim jam citatum in Commentario prævio ad Acta S. Sebaſtiani num.* 37 *ſic ſcribit:* Hiſtoriam hu-

B jus Tranſlationis (*S. Sebaſtiani*) litteris commendavit, qui tum aderat, (*cùm nempe fieret illa tranſlatio*) monachus in cœnobio S. Medardi. *Mabillonius nihilominùs, ut jam monui, Odilini illud ſive Odilonis Opus ad initium ſeculi* X *refert; idcirco autem id facit, quòd ab auctore dedicatum ſit Ingranno monaſterii Medardenſis decano, qui, ut ex Frodoardi Chronico intellexit, anno* 932 *Lauduni epiſcopus ordinatus eſt. Verùm unde didicit Mabillonius, Ingrannum, cui Odilo ſive Odilinus ſuam de S. Sebaſtiani tranſlatione lucubrationem inſcripſit, eumdem certò eſſe cum Ingranno, qui anno* 932 *ad ſacras epiſcopatûs Laudunenſis infulas evectus eſt? Cùm à medio circitèr ſeculo nono, ut ex Galliæ Chriſt. auctæ tom.* IX *col.* 412 *&* 413 *intelligitur, uſque ad annum* 970 *abbatia S. Medardi abbates commendatarios habuerit, horumque loco decani regulares varii monaſterium illud tunc rexerint, quid nî ante Ingrannum, de quo Mabillonius & Frodoardus, alius florere potuerit Ingrannus, monaſterii S. Medardi viciſſim decanus, cui Opus ſuum Odilo dedicârit?*

C *Certè in memorata tranſlationis S. Sebaſtiani Hiſtoria plura occurrunt, quæ id apertè exigunt, uti etiam hanc citiùs, quàm ſub initium ſeculi* X *eſſe conſcriptam. Unum dumtaxat, ne prolixitate ab iis, quæ ad* S. Serenum *propiùs pertinent, nimiùm digrediar, hîc à me adductum, rem penitus dilucidabit.*

ſeculo nono 14 *Auctor ſæpe dictæ Hiſtoriæ Odilinus ſive Odilo apud Bollandum cap.* 18 *num.* 84 *ſic ſcribit:* Vidimus quoſdam nec ſpernendæ probitatis viros, qui Sueſſæ civitatis venturam, quam formidamus, ruinam ab his, qui audiêre, ſe proteſtantur percepiſſe. Turricula erat in eadem urbe Orientis occiduas ſpectans plagas: ſuper quam ſpiritus ambiguus cùm jam noctis tetras aurora cœpiſſet umbras ſpargere, terribilis ſententiæ ter ingeminatam profudit vocem, dicens: Væ, væ, væ tibi Sueſſio, Sodoma ut olim & Gomorra, validis ignium flammis concremanda, & in vacuos favillarum cineres redigenda! *Narrat deinde portenti hujus famam longè latéque fuiſſe vulgatam, ac ſubjungit:* Quam rem à multis, qui noſtris ſuperfuêre temporibus ſine ſuſpicione falſi conſono relatu audivi, eamque huic Operi annectendum ratum duxi, ad correctionem omnium eamdem urbem inhabitantium; *pauciſque interjectis, num.* 85 *ait:* Patres & prædeceſſores noſtri, qui nobis iſta narrabant, meritis & interventu hujus noſtri piiſſimi Protectoris (*S. Sebaſtiani*) deputabant, quod nequaquam hoc ſua tempeſtate impletum videbant. *Quæ ſanè nec cum iis adjunctis, quæ civitatem Sueſſionenſem, cùm ſcriberet, everſam nondum fuiſſe, innuunt, nec ad omnium, ut tamen ait, civitatem Sueſſionenſem incolentium correctionem ſcripturus Odilo fuiſſet, ſi poſt annum* 856, *quo Dani ſeu Nortmanni, ut in Chronico Turonenſi de Geſtis Normannorum apud Cheſnium legitur, ſatiſque aliunde conſtat,* Sanctum Quintinum & urbem Sueſſionis & Pariſius cum adjacenti terra deſtruxerunt combuſſeruntque, *tranſlationem S. Sebaſtiani litteris conſignâſſet, ut propterea neceſſe ſit, hanc ante annum* 856 *eſſe deſcriptam; ex quo fit inſuper conſequens, ut Ingrannus, cui dedicata eſt illa Odilini lucubratio, veroſimillimè non ſit ille Ingrannus, qui anno* 932 *Laudunenſis epiſcopus ordinatus eſt; ſic enim, cùm ad epiſcopatum Laudunenſem promotus eſt, aut ferè centenarius, aut etiam, quod adhuc minùs veroſimile apparet, centenario fuiſſet major, utpote ante annum* 856, *ante quem Odilo ex dictis memoratum Opus ſuum ipſi dedicârit, decani officio in Abbatia S. Medardi jam perfunctus, adeóque, cùm ad illud non pauciorum, quàm* 30 *veroſimiliter annorum vir acceſſiſſet, anno circitèr* 826 *natus.*

E

ſcripſit; commentitia deinde etiam 15 *Quòd ſi dictis hactenus fortè opponi queat, inter decanos Medardenſes ſeculi noni & decimi, quorum tamen catalogum inveniri non putem, non reperiri Ingrannum præter illum, qui anno* 932 *ad cathedram Laudunenſem evectus eſt, reſpondeo, Præfationem apud Mabillonium Hiſtoriæ tranſlationis S. Sebaſtiani præfixam, Odilini non eſſe, ſed ſcriptoris, qui poſteriori ævo illam ipſi affinxit. Id ſanè vel ex eo veroſimillimum fit, quòd laudata Hiſtoriæ tranſlationis Præfatio cum ejuſdem Epilogo pugnet; in illa enim hæc leguntur:* Sed mirari non deſino, quomodo tot immenſa ſidera, tam ingentia & cunctis ſæculis admiranda virtutum inſignia, quæ per hunc ſpeciali privilegio ſemper honorandum, excolendum ac venerandum martyrem ſuum (*Sebaſtianum*) Chriſtus operari dignatus eſt, inlaudabili ſilentio uſque ad hanc ſupprimi quiverint ætatem: maximè

F cùm notum ſit iſtius ſanctæ congregationis (*monaſterii S. Medardi*) alumnos animi ſapientiâ & faceta urbanitate ſemper fuiſſe profuſos. Niſi fortè id recipiamus, quod & ita eſſe, ratione non ſpernenda conjicitur, divina miracula ex aſſiduitate viluiſſe. Et dum hoc in loco continuâ ſignorum frequentiâ magis magiſque fruerentur, & miris ſemper mira ſuccederent, recentium copiâ delectati, præterita, quæ & numerum ipſum tranſgredi dicebant, litteris alligare inofficioſum, & minùs utile opinantes, torpenti ſtudio obmiſere: *in hoc verò iſta antè adhuc recitata:* Enimverò ſupereſt hodie tenus in Chartophylacio noſtro ſcedula Rodoini ad memorabilem Hilduinum abbatem tranſmiſſa, in qua numerosâ plurimùm capitulatione, virtutum ejus (*S. Sebaſtiani*) inſignia breviata perſonaliter habentur inſerta, quorum ſumma in conum redacta, ſurgit in millibus quatuor centum ſeptuaginta: *quæ ſanè pugnantia ſunt, ut conſideranti patebit. Quare, cùm veriſimile non ſit, Odilinum, ſive tranſlationis S. Sebaſtiani ſcriptorem, quiſcumque*

AUCTORE C. B.

eumque demum is ſit, tam parum ſibi conſtitiſſe, oportet, ut vel Præfatio vel Epilogus ipſius non ſit; quapropter, cùm id ob incommoda alioquin, ut ex dictis facile eſt colligere, oritura, de Præfatione dicendum appareat, nihil ex ea habetur pro ſcriptione Hiſtoriæ tranſlationis S. Sebaſtiani ad initium ſeculi decimi differenda.

tum ex iis, quæ narrant de Caroli & Pippini

16 *Atque ita quidem nemo Hiſtoriæ tranſlationis S. Sebaſtiani, ex tempore, quo conſcripta eſt, fidem auctoritatemve infirmet; idem de Vita Sancti noſtri ſeu Actis apud Deſguerroiſium exſtantibus, ad quorum ulteriorem diſcuſſionem nunc progredior, nullus dixerit: in his enim nihil occurrit, unde ſaltem ſeculum, quo conſcripta ſunt, non dicam certò, ſed vel veroſimiliter, uti in Hiſtoria tranſlationis S. Sebaſtiani ſit, determinari queat. Nihilominus, cùm, ut ex dictis liquet, mentionem faciant tranſlationis S. Sebaſtiani, conſequens eſt, ut ante annum 826, quo hæc facta eſt, exarata non ſint, imò multò ſeriùs exarata eſſe, veroſimillimum mihi faciunt ea, quæ mentioni dictæ tranſlationis, miraculoque corporis S. Sebaſtiani hærentis immobilis eam comitato, num. 33 proximè ſubnectunt. Sunt autem hæc:* Interea dum beati viri Sereni longè latéque

B

fama percrebreſceret, cœpêre nonnulli ejus ſæpe ſacra limina frequentare, ac meritis ipſius illic ſuorum criminum veniam poſtulare, ac tandem eam obtinere. Qui rumor tamdiu excrevit, donec ad aures glorioſorum regum, Karoli videlicet & fratris ejus Pippini omnino pervenerat. Qui propere conſurgentes unà cum matre ſua Bertha, inclyta ſcilicet regina, pervenerunt viſere Hominis Dei oratorium, ubi officioſiſſimè ſuſcepti ſunt à ſervitoribus ejuſdem loci. Ingredientes verò ſanctam baſilicam oraverunt de more Dominum, ut per ſanctum ſuum Serenum dignaretur eorum abſtergere crimina, atque genti Francorum cuncta concedere tempora proſpera pariter & pacifica.

cum matre Bertha ad oratorium S. Sereni acceſſu,

17 *Cùm enim recitata verba narrationis ordine importent, Bertham ejuſque filios Carolum & Pippinum poſt tranſlationem S. Sebaſtiani anno* 826 *peractam ad oratorium viri Dei* Sereni *acceſſiſſe, diu autem, ut unanimus eſt hiſtoricorum conſenſus, ante annum* 826, *anno ſcilicet* 783 *Bertha è vivis exceſſerit, uti etiam ejus filii, Carolus & Pippinus, hic nempe, ut Annaliſta Metenſis teſtatur, anno tertio à nativitate ſua, quæ anno* 759 *accidit, ille verò anno* 814, *manifeſti erroris convincitur Actorum ſive Vitæ* S. Sereni *auctor, in quem veroſimiliter ex eo lapſus eſt, quòd tanto temporis intervallo tum à tranſlatione S. Sebaſtiani, tum ab ætate Berthæ ejuſque filiorum fuerit remotus, ut quæ tum illam, tum hanc præceſſerint, quæve ſubſecuta ſint; diſtinctè non cognôrit, utque conſequenter Vitam Sancti noſtri non tantùm diu poſt ætatem Berthæ ejuſque filiorum, ſed & poſt tranſlationem S. Sebaſtiani conſcripſerit. Etſi autem in iis, quæ de Bertha ejuſque filiis narrat, à vero ordine & tempore, quo geſta ſunt, non deviaret, fides ejus nihilominus admodum vacillaret, dinque poſt tranſlationem S. Sebaſtiani ſcripſiſſe, cenſeretur ob errorem non minùs gravem, quem ibidem admittit. Ait enim Bertham ejuſque duos filios Carolum & Pippinum, baſilicam* S. Sereni *ingreſſos, Deum de more oraviſſe, ut per ſanctum* Serenum *crimina eorum dignaretur abſtergere: illud autem de Pippino, Berthæ filio, utpote, qui anno ætatis ſuæ tertio, ut mox dictum eſt, nondum expleto, vivere deſiit, dici unquam, ſalva veritate, non poteſt,*

C

idque ſive ad tempus tranſlationem S. Sebaſtiani

D

præcedens, ſive ad ſubſequens reſpiciatur.

de victoria ab iis de hoſtili exercitu,

18 *Idem eſto judicium de victoria, quam Carolum Magnum & Pippinum, reges & fratres, junctis viribus, imploratoque SS. Medardi &* Sereni *patrocinio, de numeroſo hoſtium exercitu retuliſſe, num.* 34 *affirmat. Quòd ſi contendas, pro Pippino legendum eſſe Carolomannum, qui etiam fuit Berthæ filius, poſtque patris Pippini obitum in Galliarum parte regnavit, tunc quidem fieri potuerit, ut hic aliquando (ante factam tamen, ut ex dictis facile eſt colligere, S. Sebaſtiani tranſlationem) cum Bertha & Carolo* S. Sereni *baſilicam ſupplex inviſerit, nondum tamen eam duorum regum fratrum victoriam in hiſtorica veritate ullibi fundatam invenias. Etenim Carolomannum & Carolum Magnum ante patris Pippini obitum, bellum, junctis viribus, geſſiſſe, nuſpiam comperio; Carolomannus autem à patris Pippini morte annos dumtaxat regnavit tres, menſes duos & dies decem, quo toto temporis ſpatio arma à Francis mota non lego, niſi in ſolum Hunaldum, Waifarii Aquitaniæ ducis nuper occiſi patrem, qui ducatum Aquitaniæ, quem ab annis ampliùs viginti, monaſtico habitu aſſumpto, filio ſuo regendum poſſidendumque tradiderat, ſibi denuo vindicare, nonnullis collectis copiis, moliebatur. Quapropter cùm Carolomannus ne quidem in hoc bello ſocia arma cum Carolo Magno, qui illud ſuſcipiebat, jungere voluerit, liquet, à vero prorſus alienum eſſe, quod ſæpe laudatus Vitæ ſive Actorum Sancti noſtri auctor num.* 34 *citato tradit, idque etiamſi ibidem Pippino Berthæ filio Carolomannus ſubſtituatur.*

junctis viribus, relatâ,

19 *Quod verò Carolomannus in memorato bello vires ſuas cum viribus Caroli jungere noluerit, docet nos Eginhardus in Vita Caroli Magni, & in Annalibus his verbis:* Hunoldus quidam regnum affectans provincialium animos ad nova molienda concitavit: contra quem, quia ipſi eadem provincia ſorte obvenerat, rex Carolus cum exercitu profectus eſt. Sed cùm fratris (*Carolomanni*) auxilium habere non poſſet (qui procerum ſuorum pravo conſilio, ne id faceret, impediebatur) colloquio tantummodò cum eo habito in loco, qui Duaſdives vocatur, fratre in regnum ſuum remeante, ipſe in Engoliſmam civitatem Aquitaniæ proficiſcitur; & inde contractis undique copiis, fugientem undique Hunoldum perſequitur. *Narrat deinde, quomodo Carolus Magnus, tradito ſibi in manus Hunoldo, bellum illud ſolus feliciter confecerit, adeò ut pateat, Carolomannum nec ſub initium, nec ſub finem illius Carolo fratri ſuppetias tuliſſe. Atque hæc quidem ſunt ad ſeculum* 8 *&* 9 *ſpectantia, in quibus auctor Vitæ ſive Actorum Sancti noſtri manifeſtè hallucinatus eſt; ubicumque verò in iis, quæ ad tempus ab ætate ejus dictis ſeculis duobus remotius referenda ſunt, ab aperta veritate deviat, non tam hallucinationis, quàm commenti arguendus eſt; tot enim dubia, tot mira, tot incredibilia illuc ſpectantia narrat hic auctor, ut ea ferè omnia non ex antiquis monumentis fide minùs dignis hauſiſſe, ſed pro mero ſuo arbitrio confinxiſſe, videatur.*

E

F

deque Dagoberti I in Metenſes bello, quod

20 *Hoc ut probem, initium duco ab Auſtraſiorum in Dagobertum rebellione, quam num.* 2 *his verbis inſinuat:* Eodem verò tempore orta eſt non parva ſeditio illis in partibus (*territorio Metenſi*) ab exercitu inclyti regis Dagoberti ob rebellionem terræ illius adverſus eum. Quibus victis captus eſt Vir Deo plenus (*S. Serenus*)

atque

A atque in captivitatem ductus. *Hæc ex Vita Ms. ſancti* Sereni *Cheſnius tom.* 1 *ſcriptorum Hiſtoriæ Francorum, ac ex illo deinde Martinus Bouquetus tom.* 3 *ſcriptorum Rerum Gallicarum inſcripſerunt, retuleruntque ad Dagobertum I, ad quem ſanè referenda ſunt, ſiquidem id, quod à biographo noſtro num.* 22 *narratur, veritati conſonet, ſcilicet quòd ſanctus* Serenus, *Pontifice, cui nomen erat Joannes, S. Petri cathedram occupante, ex urbe Roma, quò poſt bellum Metenſe captivitate jam abſolutus loca ſacra viſendi causâ ſe contulerat, in Galliam patriam ſuam regrediens, S. Eligium Noviomenſium ac Tornacenſium epiſcopum ſibi in Alpibus habuerit obvium; cùm enim hic ſanctus antiſtes circa annum* 660 *diem extremum clauſerit; vivente autem illo, nullus Pontifex, nomine Joannes, præter Joannem quartum, qui anno* 642 *è vivis exceſſit, cathedram S. Petri occupârit, ſequitur bellum Metenſe, ſi quod fuit, utpote geſtum, antequam* S. Serenus *Româ in Galliam, ſedente Joanne quarto, reverteretur, ante annum* 642 *accidiſſe, adeoque illud ejuſque adjuncta referenda eſſe ad Dagobertum I, cùm præter hunc rex nullus, nomine Dagobertus, ante annum* 642 *in Francia regnârit. At memoratum*

B *Metenſe bellum dubium mihi admodum, ne dicam, prorſus falſum, idcirco apparet, quòd tum apud Fredegarium, tum apud alios quoſcumque ſcriptores, qui res Dagoberti primi litteris conſignârunt, altiſſimum ſit de bello Metenſi ſilentium. Et ſanè, ſi Metenſes rebellionis causâ bello umquam à Dagoberto I laceſſendi fuêre, vel id factum eſt, cùm Dagobertus, patre Clotbario II adhuc in vivis ſuperſtite, ſolis Auſtraſiis imperabat, vel cùm, jam eo vitâ functo, Franciæ monarchiam tenebat.*

nec ante Clotarii II patris ſui obitum,

21 *Primum admittere non ſinit tum ſedes regni, quam tunc apud Metenſes, velati apud gentem ſibi amicam Dagobertus collocârat, tum Fredegarius, qui cap.* 58 *de Dagoberto primo, cùm ſolis Auſtraſiis dominaretur, nondumque Pariſios jam factus monarcha acceſſerat, veluti de principe numeris omnibus abſoluto, ſuiſque ſubditis prorſus omnibus amantiſſimo, in hunc modum ſcribit:* Uſque eodem tempore (*cùm Pariſios advenit*) ab initio, quo regnare cœperat, conſilio primitus beatiſſimi Arnulphi Mettenſis urbis pontificis, & Pippini Majoris-domûs uſus, tanta proſperitate regale regimen in Auſter regebat, ut

C à cunctis gentibus immenſo ordine laudem haberet. Timorem verò ſic fortem ſua concuſſerat utilitas, ut jam devotione arriperent ſuæ ſe tradere ditioni; ut etiam gentes, quæ circa limitem Avarorum & Sclavorum conſiſtunt, eum promptè expeterent, ut ille poſt tergum eorum iret feliciter, & Avaros & Sclavos, ceteraſque gentium nationes uſque manum publicam (*id eſt, ut Ruinartius in Fredegario à ſe edito obſervat*, imperium Romanum) ſuæ ditioni ſubjiciendum fiducialiter ſpondebat. Poſt diſceſſum beati Arnulphi, adhuc conſilio Pippini Majoris-domûs & Chuniberti pontificis urbis Coloniæ utens, & ab ipſo fortiter admonitus, tantæ proſperitatis & juſtitiæ amore complexus univerſas ſibi ſubditas gentes, uſque dum ad Pariſius, ut ſuprà memini, pervenit, regebat, ut nullus de Francorum regibus præcedentibus ſua laude fuiſſet præcellentior.

nec poſt geſſiſſe, potuit;

22 *Quæ omnia Metenſium in Dagobertum I, cum ſolis Auſtraſiis dominaretur, rebellionem veriſimilem non relinquunt; quod verò ad ſecundum attinet, ſcilicet an hæc, Dagoberto jam monarcha, acciderit, adſtruit id quidem Deſguerroiſius; dum in notis ad calcem Vitæ* S. Sereni *adjectis pro illa Metenſium in Dagobertum I rebellione anno Chriſti* 630 *affigenda Annales Francorum citat; verùm qui, qualeſve illi Annales ſint, non edicit. Ego equidem nullos omnino Francorum Annales invenio, in quibus vel minimum rebellionis Metenſium in Dagobertum I veſtigium ad annum* 630 *occurrat. Eadem eſt ratio de annis regni ejus poſterioribus; quamquam enim tunc, ut ex fine cap.* 68 *Fredegarii erui forſan poteſt, Auſtraſii, quorum pars Metenſes erant, averſo à Dagoberto animo fuiſſe videantur, numquam tamen eò devenêre, ut in apertam rebellionem, quæ fuerit armis compeſcenda, eruperint. Hiſce omnibus perpenſis, habebit pariter, quantùm opinor, eruditus lector non parum ſuſpecta, aut etiam fortè falſa, quæcumque de bello Metenſi Sancti noſtri biographus refert.*

AUCTORE C. B.

tum ex iis, quæ S. Sereni apud Boſonem captivitatem,

23 *Verùm hæc præcipua non ſunt, quibus hic fidem ſuam infirmat; alia enim deinde, non dicam dubia, ſed & prorſus incredibilia ſubjungit; narrat ſcilicet num.* 5 *&* 6 S. Serenum, *quem occaſione prætenſi belli Metenſis captum comes, nomine Boſo, emerat, paſcendiſque gregibus ſuis paſtorem deinde dederat, cum filio ejuſdem comitis* E *ſacras litteras didiciſſe, hunc que in finem tribus annis & medio monaſterium Nigellenſe, clam ipſo comite Boſone, quotidie frequentâſſe, armentis, quæ curæ ſuæ habebat commiſſa, inter lucos ſaltuſque ferarum agreſtium cuſtodiæ relictis, hæcque, quantumcúmque partibus diverſis eſſent diſperſa, ad Sanctum noſtrum è ludo litterario reverſum, buccinâ ſigno dato, undique, minantibus ea feris, accurrere ſoluiſſe. Num.* 9, 11, 12 *&* 13 *nihilo fide digniora proponit: ibi enim miram mirabilium eventuum proximè ſibi ſuccedentium inſolentiam repræſentat, qui quamquam ex hoc ſolo capite falſi eſſe certò non evincantur, jure meritiſſimo tamen figmenti ſimiliſve nævi ſiunt ſuſpecti, ſi, ut hîc fit, litteris tantùm mandati ſint ab auctore, qui aut fabulis aut etiam apertis falſitatibus ſcripta ſua commaculâſſe aliunde luculenter deprehenditur.*

reditum ex Italia, qub ierat, brevî ſuſcipiendum,

24 *Porrò num.* 15 *&* 16 *narrat*, S. Serenum, *peregrinatione ad limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ſuſceptâ, Romam, comitante angelo, feliciter adveniſſe, ibique annis ſeptem cum dimidio eſſe commoratum, cúmque tunc in patriam redire meditaretur, angelum Joanni Pontifici* F *Romano in ſomnis apparuiſſe, præcepiſſeque, ut* S. Serenum *presbyteratûs ordine initiaret, ſacriſque SS. Fabiani ac Sebaſtiani reliquiis donaret. Num. autem* 19 *ait, Joannem Pontificem, ut perquireret, an reliquiæ SS. Fabiani ac Sebaſtiani* Sereno *tradendæ forent, populo Romano jejunium indixiſſe, quod certè omnino incredibile eſt, cumque iis, quæ antè narrârat, neutiquam quadrat. Ut quid enim Joannes Pontifex jejunium illud indixiſſet, ſi hic, ut num.* 16 *biographus noſter narrârat, jam Dei voluntatem, quantùm ad reliquias SS. Fabiani ac Sebaſtiani* Sereno *dandas, ex angelo ſibi apparente didicerat, quamque Joanni, cùm ex ea jam* S. Serenum *presbyterum conſecrâſſet, dubiam adhuc fuiſſe fruſtra reponas?*

ſuſceptum, deindeque

25 *Valdè ego ſuſpicor, oblatam Joanni Pontifici angelicam illam apparitionem, indictumque ab eo populo Romano jejunium mera eſſe commenta, conficta ad ſimilitudinem (vide Odilinum in tranſlatione corporis S. Sebaſtiani apud Bollandum cap.* 6) *jejunii à clero Romano celebrati, caleſtiſque viſionis Joanni epiſcopo, qui Bollando noſtro*

Joan-

AUCTORE C. B. *Joannes Silvæ Candidæ epiſcopus fuiſſe videtur, tunc oblatæ, cùm ſacras S. Sebaſtiani reliquias in Galliam transferendas ex ejuſdem ſancti martyris tumulo eruturus anno 826 accederet. Commentis hiſce alia, quæ certiùs etiamnum commenta ſunt, atque ea quidem impia & in S. Eligium injurioſa, ſuperadduntur. Etenim, ut num. 22 & 23 biographus noſter, ſeu potiùs fabulator, pergit,* S. Serenus, *cùm è peregrinatione Romana Gallias repetit, ſub Alpium jugis aut ad Padum obvium ſibi habet S. Eligium Noviomenſium ac Tornacenſium epiſcopum, ſanctorum Apoſtolorum limina adeuntem, qui Sancto noſtro SS. Fabiani ac Sebaſtiani reliquias vi aufert, eaſque, in medio Padi alveo cimbâ, quâ ferebatur, ſtante immobili, reddere compulſus, evocato mox* S. Sereno, *reſtitutionem ſpondet; hic, quò ad illum perveniat, inſtar principis Apoſtolorum Petri ſuper aquas incedit, S. Eligius accedentem amplectitur, ſacriſque pignoribus* Sereno *reſtitutis, ejus ſe Cellam in reditu ex Italia aditurum, pollicetur.*

absolutum comitatu perhibent, perſpicuè oſtenduntur, hæque

B

26 *Verùm poſtea, ut num. 25 & 26 fabulator noſter iterum proſequitur, S. Eligius Româ incolumis revertitur, tranſit haud procul à Cella* S. Sereni, *eamque ſubire negligit, à Deo in pœnam promiſſionis non impletæ ſubitanea cæcitate percutitur. Hâc diu vexatus pergit ad* S. Serenum, *qui, dum ſancti antiſtitis ex Italia redituri anxiè præſtolatur, eum non longè abeſſe, ex nuntio intelligit, procurrit obviàm; ei Eligius ſe cæcitatem in pœnam admiſſi mendacii incurriſſe, fatetur, preces pro ſe fundi rogat; uſum oculorum,* Sereno *humi ſe proſternente, miſericordiamque divinam implorante, recuperat, inque eadem eremo cum Sancto noſtro per ſeſquiannum commoratur, poſt quod ipſi* Serenoque, *qui in eremo perſeverat, mortis horâ, ut à Deo poſtulârant, divinitus revelatâ, ad epiſcopatum ſuum revertitur. Quæ omnia cùm in Vita S. Eligii, quam S. Audoënus accuratiſſimè conſcripſit, neutiquam memorentur, ſintque adeò notatu digna, ut, ſi ſanctus ille biographus ea ſciviſſet, ſilentio utique non præteriiſſet; certiſſiméque ſciviſſet, ſi facta fuiſſent, indubitanter ego pro inanibus fabellis imperiti vulgi rumore ſparſis, ſive pro commentis ad* S. Serenum *ſupra S. Eligium efferendum ſtudio conflictis, habenda omnino cenſeo, pariterque quantum opinor, eruditus lector mecum habebit.*

nihilominus, etſi etiam S. Sereni ætatem incertam linquant,

C

27 *Ceterùm hæc poſtremò recenſita commenta S. Eligio adeò injuria, aliaque plura in Vita Sancti noſtri occurrentia, quorum partem priùs dedimus, duplex mihi dubium afferunt: primum eſt, an ætas Sancti noſtri, de quo Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum 650 agit, ſeculo ſeptimo, ut Vita edenda exigit, rectè aſſigi queat: alterum eſt, an illa* S. Sereni *Vita, tot ineptis fabellis conſpurcata, indigna prorſus non ſit, quæ in lucem emittatur. Etenim cùm nihil ſuppetat, quo ætas Sancti noſtri ſeculo ſeptimo aſſignatur, præter geſtum à Dagoberto I in Metenſes bellum,* Serenique *ex peregrinatione Romana, Joanne IV S. Petri cathedram occupante, in Galliam reditum; hic autem aquè ac illud, propterea quòd in ſola fabuloſa* S. Sereni *Vita fundamentum habeat, in dubium meritò revocari queat, conſequens eſt, ut in dubium pariter revocari non immeritò poſſit, an* S. Sereni *ætas ſeculo ſeptimo ſit locanda. Idem ferè in Annalibus laudatus Cointius jam ante me advertit: ait enim ad annum mox citatum num.* 38: Si Metenſes adverſus Dagobertum rebellâſſe, Serenumque inficiaris Romam iviſſe, neceſſe eſt, fatearis, ætatem D ſancti Sereni à te penitus ignorari. *Melius tamen, appoſita reſtrictione, dixiſſet: neceſſe eſt, fatearis, quo ſeculo ante ſeculum nonum* S. Sereni *ætas figenda ſit, à te penitus ignorari. Etenim* S. Serenum *nec poſt ſeculum nonum, nec ipſomet ſeculo nono floruiſſe, pronum eſt colligere ex ſæpe laudata tranſlationis S. Sebaſtiani Hiſtoria, in qua cùm cap. 6 ſanctiſſimi hujus martyris corpus, dum anno 826 ex Italia in Galliam tranſportabatur, in eccleſiam* S. Sereno *ſacram illatum perhibeatur, ſequitur Sanctum noſtrum nec poſt ſeculum nonum, imò, quod ſaltem etiam veriſimillimum eſt, nec ipſomet ſeculo nono floruiſſe, ut propterea ejus ætas ad ſeculum octavum aliudve anterius referenda ſit. Ego interim, ad quodcumque referatur aut ſpectet,* S. Serenum *qualicumque ejus Vita innixus ſeculo ſeptimo media ſui parte provecto Cointii exemplo dubitanter adſcripſi.*

in lucem emittenda, & logio

28 *Quod jam ad alterum attinet dubium de fabuloſa Sancti noſtri Vita; an ſcilicet prorſus indigna non ſit, quæ edatur; illam quidem tam vilipendit Camuzatus, ut nec* S. Sereni *in Promptuario ſacrarum antiquitatum diœceſis Tricaſſinæ meminerit, edendam tamen ego, utut luce indignam, eo fine cenſui, ut vel ex ſola ejus lectione prudens lector intelligat, quàm meritò à nobis fabuloſa, commentitiaque reputetur. Vitam illam ex codice Ms. ſacrarum Lectionum Prioratûs Cellæ, ut jam monui, depromptam, hîcque edendam, annotatis vel ulteriori fabellarum refutationi, vel alteri fini ſervituris, ſubinde illuſtrabimus, ubi id in hoc Commentario ſufficienter præſtitum non fuerit, præcipuéque aſſignabo, in quibus à Vitis ſive Actis, apud Deſguerroiſium & Sauſſayum exſtantibus, notabiliter diſcrepet. Ad hæc ut, quæ verba ſingulas conſtituant lectiones, quibus, uti num. 6 jam monui, Vita edenda conſtat, ſive potiùs, quæ ex Vita edenda decerpta ſunt, lectori facilè innoteſcat, hanc notis arithmeticis in numeros, quorum quilibet lectioni uni reſpondeat, de more diſtinguam; proque majori annotandorum commodo ac præciſione in capita tria diſtribuam. Ceterùm ſolœciſmi, loquendique formulæ cum Latini ſermonis puritate pugnantes in eadem Vita edenda ſubinde occurrunt, ſed res, quæ narrantur, tam parvi pretii ſunt, eaſque tam parum illi defectus obſcurant, ut horum in Annotandis admonêre lectorem, operæ pretium non duxerim. Præmitto interim hic etiamnum Elogium Florario noſtro Ms. ad diem 2 Octobris inſertum, in quo* S. Serenus, *quem nulla ibidem adjuncta præter diem, quo annuntiatur, Sanctum noſtrum eſſe, produnt, ob eximiam vitæ auſteritatem, caſtitatemque, poſtquam in hunc modum,* eodem die natale ſancti Sereni confeſſoris, *annuntiatus eſt, præcipuè commendatur.*

F

pariter commentitio præmiſſo, cenſui.

29 *En illud;* Hic Vir (*Serenus*) ſummæ ſanctitatis & continentiæ, qui pro interna cordis caſtitate nocturnis diurniſque precibus ac jejuniis inſiſtens, cùm vidiſſet orationum ſuarum obtinuiſſe vota, cunctoſque æſtus in corde ſuo concupiſcentiæ carnalis extinctos, majori zelo caſtitatis exarſit, & intenſioribus jejuniis & obſecrationibus incubare cœpit, ut mortificatio hujus paſſionis etiam ad ipſam carnis puritatem eatenus perveniret, ut ne quidem illo ſimplici ac naturali motu, qui etiam in parvulis ac lactentibus excitatur*, ulteriùs pulſaretur, credens multùm facilius Deum hos ſtimulos carnis indicatos poſſe evellere, quos rariùs humanæ artis induſtria ſolet quibuſdam

* *Quo de motu ergò hîc ſermo eſt?*

A dam poculis vel medicamentis ſeu ferri ſectione detrahere, cúmque cœptæ ſupplicationi ac lacrymis indefeſſus inſiſteret, adveniens angelus in viſione nocturna, ejuſque velut aperiens uterum, quamdam ignitam carnis ſtrumam de viſceribus ejus avellens atque projiciens, ſuiſque omnia, ut fuerant, locis reſtituens inteſtina, inquit: Ecce, inteſtina tuæ carnis abſciſa ſunt, & obtinuiſſe te noveris hodierno die perpetuam corporis puritatem, quam fideliter popoſciſti. *Quo ex fonte angelicam illam apparitionem, donumque caſtitatis in ea* S. Sereno, *extincto ab angelo in viſceribus ejus libidinis fomite, divinitus collatum, Florarii noſtri auctor hauſerit, penitus ignoro; nihil ſanè ſimile apud quoſcumque ſcriptores, qui de* S. Sereno *tractant, accuratiſſima licèt, diligentiſſimaque indagine adhibita, comperire potui; imò ipſamet Vita edenda utcumque ſit fabuloſa, & in laudes* S. Sereni *profuſa de memorata apparitione angelica, caſtitatiſque dono in ea Sancto noſtro divinitus conceſſo altùm ſilet, ut vel ideò prodigium iſtud commenti habeam ſuſpectum, proptereaque etiam ad hunc locum elogium recitatum rejecerim, veluti commentum novum Corollarii quodammodò vice aliis Vitæ edendæ commentis antè memoratis ſuperaddendum. Id autem mirum videri non debet; cùm enim Florarium noſtrum Ms. anno Chriſti* 1486 *(vide Papebrochium in patriarchis Hieroſolymitanis ante tom.* 3 *Maii pag.* [x] *) ſcriptum tantummodò ſit, adeoque ſeculis ut minimum ſex poſt* S. Serenum, *tantæ auctoritatis id eſſe, non debet, ut ob id ſolum miraculo, quod ad Sancti noſtri ætatem ſpectat, fides indubia ſit adhibenda.*

B

VITA
FABULOSA

Auctore anonymo,

Ex codice Ms. ſacrarum lectionum Prioratus Cellæ ſubtus Cantumerulam.

C

CAPUT I.

Clari Sancti natales, captivitas, pietas, humile officium, ſacrarum litterarum ſtudium, libertatis recuperatio.

Sanctus claro ſtemmate natus,

BEatus *a* athleta Chriſti Serenus claris ortus natalibus, patre videlicet Hadriano, matre verò Serena, fertur fuiſſe territorii urbis Metenſium indigena *b*, cujus magnificum nomen ſuam liquidò pandit ethymologiam; quia ſicut cælum, quando ſerenum eſt, vocatur clarum atque tranquillum, ita Vir ſanctus ac Deo dignus interpretatur clarus, mitis atque tranquillus, ſicuti & fuit *c*; qui etiam ab ipſis infantiæ rudimentis ita Domino Deo ſervire ſtuduit, ut in infantilibus membris videretur mens ineſſe perfectioris ætatis: cujus ſacra mens erga egentes ſic ſemper prompta erat, ut, quæcumque ex paterni maternique juris facultatibus arripere poterat, libenter eis pro Domino impertiri ſtuderet *d*, quamquam litterarum adhuc divinarum expers foret, ſicque creſceret, tenerè à parentibus educatus, venerabilis proles, non ſolùm ætate, verùm etiam ſereniſſima probitate *e*: talem ſanè volens ſibi eligere partem anguſto cum tramite, quæ nullo modo umquam auferretur ab eo, quam perenniter adeptus eſt.

a
b

c

A. ANONYMO.

d

e

orto bello, in captivitatem ducitur,

2 Eodem verò tempore orta eſt non parva ſeditio illis in partibus, ab exercitu inclyti regis Dagoberti, ob rebellionem terræ illius adverſus eum *f*. Quibus victis, captus eſt Vir Deo plenus atque in captivitatem ductus, quem, diſponente Deo, emit dux ac comes nobiliſſimus nomine Boſo quinque ſolidis *g*, qui tunc præerat cuidam parti Galliarum, quem diligenter ac tenere fovit; ſed non poſt multum temporis diu requiſitus eſt à matre atque repertus. Quo invento ſumma cum hilaritate cordis, præfata matrona voluit, quantumcumque placeret pretii, ut caram reciperet Sobolem, dare præfato comiti: quod ſine aliqua dilatione ab eo prorſus impetravit, gaviſa nimirum inde effecta. Quo comperto, Vir ſanctiſſimus nullo modo acquievit verbis propriæ matris in revertendo: malens pro Chriſto fore advena & exul, hæreſque fieri regni cæleſtis, quàm confidere in rebus parentum tranſitoriis atque caducis; complens illud Dominicum: "Qui amat patrem aut matrem „ plùs quàm me, non eſt me dignus *h*.„

f

g

E

h

quâ liberari, atque à Boſone,

3 Cui mater Serena moriens ac valdè lacrymans ſic ait: Fili mi, ſi diſpoſitum eſt ab omnipotente Deo, ut ſic remaneas, fiat voluntas ejus, quamvis finiam omnes dies vitæ meæ cum dolore; illius tamen fiat voluntas, ipſique te commendo, qui te, dum non eras, creavit, ut eſſes. Hæc dicens unum cum eo peregit menſem *i*, æſtimans eum ab hac intentione revocare, quod nullo modo facere quivit, ſicque oſculata eſt faciem ejus, flens diù multúmque ſuper collum & ejulans, triſtis ad patriam, unde venerat, rediit. Denique beato ac venerabili Viro apud Deum & homines ætate ſimul & opere magis ac magis ſemper in melius proficiente, ſoli Deo placere cupiens, poſtpoſitis terrenarum rerum curis, quibus plerúmque mortalium plurimi impediuntur, ſolummodò jugiter orabat, pro donis cæleſtibus deprecans Deum diebus ac noctibus, quatinus dignaretur dirigere clementer in ſacris ſervitiis omnes actus ejus *k*.

i

F

k

domino ſuo exaltari renuens, petit, obitque paſtoris

4 Erexit ergò ſe contra ſe, cuncta oblectamenta carnis ſpernens, ſcutumque ſumens fidei dominicæ protectionis, loricam juſtitiæ ac galeam ſalutis, quò poſſet omnia tela callidi inſidiatoris ignea penitus extinguere; cujus letiferas ſuaſiones, ut poſtmodum claruit, ſub pedibus, adjuvante Domino, prorſus contrivit, nec aliquo modo volens ei aditum concedere. Interea prædictus comes cernens in ſanctiſſimo Sereno donum Spiritus ſancti fervere, cœpit intra ſe occultè deliberare, qualiter poſſet eum poſt ſe ſúper cuncta, quæ habebat, omnino ſublimare. Unde ſalubri exquiſito conſilio, vocans eum ante ſe, his verbis allocutus eſt eum, dicens: Video ſanè in te ſpiritum Dei degere: idcirco volo te conſtituere primum in domo palatii mei, ut ſis ſecundus à me & quæcumque præceperis, ſine mora perficiantur. Cui beatiſſimus vir Domini Serenus hoc in primis dedit reſpon-

A. ANONYMO.

sum: Si inveni gratiam in oculis tuis, domine mi, ad nihil aliud me idoneum precor judices in iis, quæ temporaliter possidere videris, nisi ut committas mihi tantummodò omnia gregum tuorum armenta, quoniam aliarum sum omninò ignarus artium, sed in iis procul dubio scias me multum tibi gregis augmentum brevi sub tempore acquisiturum *l*.

l

officium, dumque interea ludum litterarium,

5 Videns autem comes constantiam beatissimi Viri largiter ac gaudenter tribuit ei omnia, quæ ad pastorale officium expediebant. Sicque abhinc effectus est pastor suarum pecudum, quas adeò sanctus Vir providè curavit, ut à morsibus ferarum omnes illæsæ intactæque permanerent. Quomodo verò vel quantis temporibus huic præfuit officio, sequentia declarabunt. Per idem autem tempus ad Nigellense monasterium ob sacrarum studium litterarum pergebat præfati comitis filius, cum quo clanculò simul ibat vir Domini Serenus, relictis inter lucos lustraque saltûs animalibus *m*, sub custodia tamen agrestium ferarum, ut in illis diebus videretur illud impleri agiographiæ: "Et bestiæ terræ pacificæ

m

n

,, erunt tibi *n*,, & illud: " Lupus & agnus vescen-

o

,, tur simul, leo & bos paleas comedent *o*.,, Cúmque ante didascalum per dies singulos uterque

B

discere, beatissimus Tyro, quæque audierat ab ore magistri profluere, ita sitiens epotabat, ut in brevi spatio videretur par fore suo præceptori, omniumque ex tunc suorum coævorum in arte Grammatica pleniter perfectus est magister effectus *p*.

p

relicto grege, clam frequentat,

6 Redeunte autem eo ab litterariæ exercitationis disciplina ad curam pastoralem, reboante voce buccinæ, quoquò locorum forent greges pecudum sibi commissi dispersi, nutu Dei ante eum à diversis partibus, minantibus feris *q*, humiliter conventabant. Rursum verò eo jubente, repedabant universa ad quæque densarum loca sylvarum armenta, donec ab ipso denuò revocarentur. Per tres siquidem annos & dimidium huic præfuit officio Vir Deo carus. In quibus quantæ fuit abstinentiæ, longum esset enarrare. O per omnia imitabilem Virum! mitem, pacificum, hilarem, misericordem, humilem, benignum, pudicum, sacris moribus decoratum, qui fideliter erogabat in eleemosynis egentium quidquid impensum sibi diurni victus habere potuisset. Omnibus omnia factus, ut cunctis pium

q

C

præberet exemplum.

incuriæ apud Bosonem insimulatur, qui

7 Interea omnium inventor malorum, adversarius scilicet humani generis diabolus, non ferens talem ac tantam sacri Viri conversationem, instigavit acerbè letifero ore quosdam nefarios homines contra eum, volens eum à suo removere proposito. Qui in tantam illicò conversi sunt amentiam, ut veluti canes rabidi insurgentes, eum convitiis ac malè nominatis verbis ante dominum suum lacessierint, illumque accusaverint, dicentes: Optime dux noster, ille maleficus, quem dicebas sperabasque tibi esse fidelem, cui nuper pecoris tui gregis curam commisisti, per tres annos ac menses sex nil aliud egit, quàm cum puerulo tuo ad scholas pergere, ibique cum tanta mentis aviditate, ipso plùs filio tuo ceterisque coævis, profiteri cernitur, ut omnes minores majoresque natu ejus prudentiam ac peritiam excessisse, mirentur. Ob id voluimus te certiorem facere, quòd ex iis, quæ ei quondam commiseras, armentis quædam à latronibus, quædam verò à feris ita penitus deleta sunt, ut nihil ultrà ad usum tuæ domus familiæque exinde percipias.

D

inde iratus, S. Serenum, salvum licèt gregem hic

8 Inde nimiùm ipse comes irâ commotus, cupiens per se veraciter scire, an ita se res haberent, constituit certum terminum, quo ad Virum Dei properaret. Quadam nempe die profectus est unà cum accusatoribus fallacibus, volens experiri hujusce rei veritatem, vocatoque beato Sereno ante se iis eum duriter increpavit verbis: Cur, inquit, ob hoc recepisti armentorum meorum providentiæ curam, ut ea in deserto dimitteres, otioque vacares? Cui beatissimus Vir constanti animo, confusis undique suis æmulis, sic ait: Noli, domine mi, super me in aliquo contristari, quoniam veluti superiùs tibi spopondi, recipies cum omni augmentatione absque mora cuncta, quæ mihi commendaveras armenta. Ad hoc ipse respondit: Si dictis facta compenses, gratiam, quam semper penes me habuisti, nullis liventibus linguis amittere poteris. Aliàs malè te disperdam. Cui sanctus Serenus ait: Sicut locutus es, ita fiat. Iis ita gestis, convenêre nonnulli ad beati Viri spectaculum, ut viderent, an impleret, quæ sponderat.

exhibeat, verberare vult; sed sitis

E

9 Qui dum resonaret de more suum pastoralem lituum, protinus delitescentes quique greges in profunditate lucorum, audita voce sui Custodis, ante eum simul majores cum parvulis more solito omnino confluxêre. Quibus visis, induratum est cor domini sui, non secùs ac olim novimus obtusum esse cor perfidi Pharaonis contra Moysen prophetam magni Dei. Quem sic compescere Vir Domini blando cœpit eloquio. Ecce, sicut promiseram superiùs, Domino faciente, cuncta, quæ mihi commiseras, armenta omni cum multiplicatione & augmentatione restituo tibi *r*. Quo audito, dominus ejus præmissæ promissionis oblitus jussit sibi verbera dari, quibus posset eum acriter cædere. Sed Dominus, cui semper devoto pectore puraque mente beatissimus famulabatur Serenus, volens depromere, quanti esset ipse meriti; cùm arripere voluisset dominus suus omni conamine scopas ad eum verberandum, confestim manus ejus cum lacerto ita arida exsanguisque effecta est, ut nullo modo eam valeret extendere. Quem eâdem horâ talis invasit sitis, ut diceret, se, nisi foret quis, qui ei poculum præberet aquæ, spiritum ocyùs amittere vitæ.

r

F

divinitus punitur, cui restinguendæ aqua deficiente,

10 Cumque ministri ejus hàc illácque discurrerent, potumque, unde sitis sua extingui posset, perquirerent ac nullatenus alicujus fontis vel putei venam valuissent reperire, tristes inde nimiùm effecti sunt. Quippe quia omnes laticum decursus procul ab eis essent præter unum fonticulum, qui nuncupatur Fons Danilus *f*, ad quem ob longitudinem spatii in tam brevi spatio temporis nemo illorum pervenire poterat. Dum hæc sanctissimus Dei Serenus cerneret, invocare hoc modo cœpit Domini majestatem, volens ei pro malo bonum reddere; expandit manus suas ad cælum & dixit.

f

precibus suis fontem Serenus excitat.

11 Tu Domine, conditor cæli & terræ, qui nullam habes indigentiam, & cui omne suum famulatur opus, imperium sequens jubentis, quem tartara contremiscunt, qui de sicca rupe quondam habundanter manare laticem fecisti, tuus ne deficeret populus, ne reminiscaris, quæso, iniquitatum nostrarum antiquarum, sed jube nunc nobis prodire hîc ad laudem & gloriam nominis

A nominis tui venam aquæ vivæ, quâ poſſit reviviſcere hoc aridum tui plaſmatis corpus. Hæc dicens præcepit uni taurorum cornu terram fodere, qui mox acſi rationale animal voci obedivit jubentis, atque cum omni impetu terram cornu percuſſit, cujus hyatum percuſſionis tanta aquarum largitas ſecuta eſt, ut in amnem maximum derivari videretur, ſed paulatim decreſcens, curſumque ſuum retrahens in ingentem verſus eſt fontem, qui hodie uſque permanet *t*.

t

eoque Boſonem refocillat, à quo propterea libertate,

12 Igitur beatiſſimus athleta Chriſti Serenus gratias inde agens largitori omnium bonorum Deo, plenum ſumpſit vaſculum aquæ hujus, hylari vultu porrigens comiti ſitibundo ac ſemivivo. Quâ hauſtâ, totum corpus ejus in propriam reverſum eſt valitudinem, moxque pedibus Beati provolutus ſic eum alloqui cœpit: Serene ſerve Dei altiſſimi, amodò ſis liber & abſolutus ab omni ſervitio terreni imperii noſtrique juris *u*, & ſervito Domino Jeſu Chriſto, qui me per te à morte debita revocare dignatus eſt. Qua libertate percepta, præcepit ei, ut, quantumcumque ſibi placeret ex parte ſylvarum loci

u

B illius, aliarumque terrarum acciperet, ut cellulam ad ſerviendum Deo conſtruere poſſet, & quæque neceſſaria eſſent humano uſui, inibi percipere quiviſſet.

locoque ad ædificandam Cellam donatur.

13 Quo audito, Vir ſanctiſſimus libenter obedivit ejus precationi, atque videntibus cunctis, qui illic aderant, ferramentum, quo ſolebat incidere ligna, jactavit continuò à loco, quo ſtabat, fermè milliarium unum. Quod cecidit ſuper quamdam quercum, per cujus foramen oleum manâſſe dicitur, ut patenter oſtenderet omnipotens Deus, quòd illic deberet conſtrui ſacra cellula beatiſſimi viri Sereni, ubi redundabat oleum, id eſt, donum vel unctio Spiritus ſancti. Quod poſtea res geſta cunctis manifeſtata

x

eſt *x*. Sicque factum eſt, ut omnes, qui illic aderant, gratias retulerint Deo. Quod cernens præfatus comes, gaudio magno repletus, dans oſculum ſanctiſſimo Viro, cum ſuis reverſus eſt

y

ad propria, atque comes *y* exinde cœpit haberi Vir ſanctiſſimus longè latéque inſignis valdéque famoſus. Igitur ſanctiſſimus, Vir dum cerneret ſe expeditum ac liberum ab omni humana ſervitute, totus illico ad Chriſti libertus converſus

C eſt ſervitium.

ANNOTATA.

a *Præ manibus etiam habeo Prologum in Vitam* S. Sereni *ex Legendario Ms. Prumienſi deſcriptum, atque ad Majores noſtros, adjecto etiam Vitæ, quam modò damus, initio, tranſmiſſum; hunc nihilominus hîc præmittere, viſum non eſt, quòd nihil omninò notatu dignum contineat, terminiſque adeò generalibus ſit conceptus, ut cuilibet Sancto, cujus Vita deſcribitur, ſolo mutato nomine, valeat applicari.*

b *In Actis apud Sauſſayum Sanctus noſter* ortu Metenſis *dicitur; non propterea tamen hæc pugnant cum Vita, quam edimus, quæque Sanctum* territorii urbis Metenſium indigenam *appellat; nam etiam territorii ſeu tractûs Metenſis incolæ ſeu indigenæ rectè Metenſes nuncupantur; imò olim Auſtraſiæ regnum, ut apud Baudrandum videre licet, à primaria ſua civitate Metenſi, in qua reges Auſtraſiæ ſedem habebant, regnum Metenſe dictum fuit, ut & populi illud incolentes Metenſium nomine veroſimillimè venerint: verùm an pariter territorii ſeu tractûs Metenſis no-*

mine regio civitati Metenſi circumjecta apud medii ævi ſcriptores alioſve anteriores umquam venit? Hoc equidem ego comperire non poſſum, poteſtque vel inde non parùm augeri ſuſpicio, quam de tempore minùs antiquo, quo Vita Sancti noſtri conſcripta eſt, in Commentario prævio loco non uno inſinuavi. A. ANONYMO.

c *Hæc alluſio ad nomen* Sereni *apud Sauſſayum omittitur.*

d *Vita apud Sauſſayum de paterni maternique juris facultatibus ex miſerationis affectu à* S. Sereno *ſublatis altùm ſilens, ejus adhuc pueri in pauperes pietatem ita commendat:* Charitate in pauperes ita jam enitebat, ut ſpecimina futuræ ſanctitatis admiranda exhiberet.

e *Pro his apud Sauſſayum legitur:* Creſcente ætate, cùm ingenuæ educationis tincturam jam imbibiſſet, divinarum litterarum ſtudium adjecit, ſcientiæque Sanctorum candidatus, nihil prætermiſit, quo ad Dei placita ſe componeret.

f *Quid de bello hoc Metenſi univerſim ſentiendum ſit, in Commentario prævio num.* 19, 20 *&* 21 *aperuimus; quod ſi tamen id reipſa contigiſſe,* E *admittendum foret, referri meliùs quàm ad initium regni Dagoberti I in Auſtraſia idcircò non poſſet, quòd nullus in Hiſtoriis Chroniciſque antiquis Francorum vir illuſtris, nomine Boſo, qui ætate Dagoberti I floruerit, cuique adeò Sancti noſtri captivitas convenire queat, uſpiam occurrat præter Boſonem, Audoleni filium, de quo Fredegarius in Chronico cap.* 54 *ad annum Clotharii II Francorum regis* 43, *qui cum anno Chriſti* 626, *Dagobertinique in Auſtraſia regni quarto concurrit, in hunc modum ſcribit:* Boſo, filius Audoleni, de pago Stampinſi juſſu Clotharii ab Arneberto duce interficitur, reputans ei ſtuprum cum Sighilde regina. *Quod ſi autem huic Boſoni Sancti noſtri captivitas attribuatur, cùm hæc, ut biographus noſter tradit, trium ampliùs annorum fuerit; Boſo verò ille, ut ex mox dictis liquet, anno Chriſti* 626 *interfectus vivere deſierit, conſequens eſt, ut* S. Sereni *captivitas, adeoque & bellum Metenſe debeat referri ad annum Chriſti* 623 *aut* 622, *quo Dagobertus I, ut recentiores omnes nunc paſſim admittunt, Auſtraſiæ regnum primò iniit. Accedit, quòd inter captivitatem* S. Sereni, *ſi hæc anno Chriſti* 622 *aut* 623 *affigatur, interque ejus ex urbe Romana reditum, qui ſub Pontificatu Joannis quarti anno Chriſti* 640 *ad finem vergente ordinati, biennioque fere poſt defuncti, contigit, nullo negotio inveniri queant anni ampliùs tres, quibus apud Boſonem (vide Vitam num.* 7) S. Serenus *captivus exſtitit, anni circiter octo, quibus (vide Vitam num.* 15) *Romæ peregrinatus eſt, totidemque etiam, quibus fortè, antequam Romam peteret, vitam ſolitariam in eremo duxit, adeò ut, cùm vel hinc Vita Sancti noſtri, niſi plura in Commentario prævio allegata obſtarent, veriſimilitudinem utcumque poſſet acquirere, bellum Metenſe in ea aſſertum non aptiùs quàm anno* 622 *vel* 623 *affigatur.*

g *Apud Deſguerroiſium cap.* 1 S. Serenus *non quinque ſolidis, ſed ſcutis totidem à Boſone emptus dicitur.*

h *Matth.* 10 ℣ 37.

i *Sauſſayus & Deſguerroiſius hîc in verbis quidem à ſe, & à biographo noſtro diſcrepant, in ſubſtantiam tamen rei narratæ apprimè conſentiunt.*

k *Hæc à Sauſſayo prætermittuntur.*

l *Sauſſayus iiſdem ferè paulò nitidiùs, com-*

A. ANONYMO

pendioſiúſque narratis ſubdit: Quod munus (*paſtoris gregum*) ideò affectabat, ut procul ab hominum turba & vitiorum contagio, in puritate mentis & innocentia vitæ Deo piè ſerviret. *Deſguerroiſius non multùm abſimilia ſubjungit.*

m *Per monaſterium Nigellenſe hîc intelligitur abbatia cognominis diœceſis Trecenſis, quæ* Nigella abſcondita *agnominatur: agunt de ea Sammarthani fratres tom.* 4 *Galliæ Chriſtianæ, ſitamque eſſe, aiunt, in Bria haud longè à Villanoxa; quapropter, cùm viciſſim à Villanoxa, ut in Commentario prævio num.* 4 *vidimus, non longè abſit prioratus Cellæ, perſpicuum eſt & ab hoc Nigellam abſconditam haud longè abeſſe, quod ſi adeò, quod facere nihil vetat, Nigellam verſus accipiatur illud annum fermè milliarium, quo ædes comitis Boſonis à prioratu Cellæ ſeu à Cella* S. Sereni *ut minimùm abfuiſſe, biographus noſter num.* 13 *innuit,* S. Serenus *Nigellam ſe conferre ex ædibus comitis Boſonis ſtudiorum causâ quotidie potuerit, non tamen tribus annis & medio clàm ipſo comite Boſone, deſertiſque armentis cuſtodiæ ſuæ demandatis, quod ideò in Commentario prævio num.* 22 *incredibile pronuntiamus. Porrò de monaſterio ſive abbatia Nigellenſi etiam Nicolaus Deſguerroiſius in Opere, quod in Commentario prævio num.* 2 *citavi, ad annum* 514 *agit, aitque ſe, cùm locum illum anno* 1632 *adiiſſet, ſcripturâ & traditione intellexiſſe, abbatiam illam totius Campaniæ eſſe antiquiſſimam, à Clodoveo I Francorum rege, ejuſque uxore S. Clothilde fundatam, idque probari ex tota eccleſiæ ſtructura, quæ eodem planè modo & ordine exſtructa eſt, quo eccleſia SS. Petri & Pauli Pariſiis, quæ nunc S. Genovevæ nuncupatur, quamque idem Clodoveus erexit. Quapropter cùm Clodoveus I Francorum rex ſub finem ſeculi quinti Catholicam fidem amplexus, ſub initium ſexti è vivis exceſſerit, conſequens eſt, ut Nigella circa idem tempus ſit fundata, poſſetque vel hinc concludi Sanctum noſtrum ante ſeculum ſextum non floruiſſe, ſi fidem aliquam mereretur noſter Biographus, dum monaſterium Nigellenſe à* S. Sereno *frequentatum, adeoque id ætate ejus exſtitiſſe, inſinuat.*

n *Jobi cap.* 5 ℣. 23.

C o *Iſaiæ cap.* 65 ℣. 25, *ſed pro* veſcentur *ibidem legitur* paſcentur.

p *Nonnulla hîc adduntur apud Deſguerroiſium, quæ, cùm levioris momenti ſint, huc non tranſcribo.*

q *Quid de hoc obſequio à feris* S. Sereno *præſtito ſentiamus, vide Commentarii prævii num.* 23.

r *Deſguerroiſius* S. Serenum *hîc comiti Boſoni dixiſſe, ait:* En, quod tibi promiſi, omnia nunc tibi in manus remitto, cùmque ſim liber, Deo ſoli vacaturus abeo. S. Serenus *hîc ſeſe meritò vocat liberum, ſi, ut Deſguerroiſius cap.* 2, *ipſaque Vita, quam edimus, num.* 2 *innuit, eum jam antè mater Serena à comite Boſone, lytro perſoluto, redemerat; verùm Sauſſayus, eademque Vita, quam edimus, num.* 12 *inſinuant, Sanctum noſtrum, cùm hîc Boſonem alloqueretur, libertati nondum fuiſſe reſtitutum.*

s *Nec ſitum, nec nomen fontis hujus uſpiam reperire potui.*

t *Dominus Couſinet in Commentario prævio ſæpe laudatus ad marginem Lectionum, quas, ut in Commentario prævio monui, ex Antiphonario eccleſiæ* S. Sereni *de Cantumerula ad Majores noſtros tranſmiſit, diſtinctè notavit, fontem illum, quem non nominat, hodieque exſtare; at non video, qua ratione probari queat, fontem ullum, qui etiamnum exſtet, relato hîc prodigio eſſe exortum; id ſanè ego, niſi potior quàm biographi noſtri adducatur auctoritas, numquam crediderò.* D

u *Hæc verba inſinuant, quod jam ad litteram* r *ſub finem notavi.*

x *Hinc collige, Cellam* S. Sereni, *quod ad litteram* m *jam monui, uno fermè milliario ut minimùm abfuiſſe ab ædibus comitis Boſonis. In Commentario prævio ad num.* 23 *curioſus lector inveniet, quid de illa prodigiorum catena num.* 9, 11, 12 *&* 13 *hîc contexta ſentiendum, arbitremur. Sauſſayus miracula num.* 9 *&* 13 *relata ſilentio prætermittit.*

y *Nomen* comes *procul dubio hîc redundat, ut ſenſus ſit, virum ſanctiſſimum,* Serenum *ſcilicet, non verò comitem Boſonem, haberi deinceps cœpiſſe* longè latéque inſignem, valdèque famoſum. *Certè apud Deſguerroiſium ſic legitur:* S. Serenus pro magno Dei amico deinceps fuit habitus, cui cælum in virtutibus & miraculis faveret. E

CAPUT II.

Sancti vita ſolitaria, peregrinatio & commoratio Romana, reditus in Galliam, varia miracula.

S. Serenus, vitâ ſolitariâ aliquam diu actâ, Romam

ET quamquam inter homines videretur degere ad tempus *a*, tamen ſacra mens ejus inter angelos in cæleſtibus verſabatur, complens illud Apoſtoli: "Noſtra autem converſatio in cælis „eſt *b*.„ Theoriam namque, id eſt, contemplationem Dei ſemper intra cubiculum cordis ſui bajulare ſtudens, reminiſcendo crebrò ac decantando quoſdam Pſalmographi verſiculos. "Quàm „dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, „concupiſcit & deficit anima mea in atria Domi„ni *c*.„ Et iterum: "Beati, qui habitant in domo „tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt „te. Quoniam melior eſt dies una in atriis tuis „ſuper millia *d*.„ Denique non plurimo peracto tempore *e*, cœpit intra ſe deliberare *f*, quomodo occultè poſſet Romam pergere, ambiens viſere Apoſtolorum Petri regni cæleſtis clavigeri Paulique doctoris egregii magnificas domus, ceteraque loca in honore aliorum Sanctorum illic conſtructa fideliter perluſtrare. Cupiebat nihilominùs omnimodè diſcere inſtitutionem monaſtici Ordinis ſive canonici, ſicuti poſtea rei probavit eventus. *a* *b* *c* F *d* *e* *f*

peregrinatur, dumque ibi ſeptennio ampliùs moratus, g

15 Paravit ſiquidem poſtmodùm iter parvo contentus comite, atque exiguo victu. Quo cœpto, angelum Domini meruit habere ductorem, donec ſoſpes & incolumis veniret, quò tenderet *g*. In quo etiam itinere quantùm ſacrum attenuavit corpus frigore, fame ac ſiti atque excubiis vigiliarum, longum eſt enarrare. Sicque omnino gaudens, auxiliante Domino Jeſu Chriſto, cui ſemper devotè ſerviebat, cœptam explevit viam, ubi ſanè diu multúmque commanens, ſeptem ſtrenuè peregit annos & dimidium, circuiens quæque loca Sanctorum, inveſti-

A ſtiganſque plurima geſta martyrum, ac choruſcantium virginum ſummo cum ſtudio ea deſcripſit, atque fideliter retinuit. Cetera verò, quæ illic geſſit, ſequentia declarabunt.

redire in patriam parat, Joannes Pontifex monitu angeli

16 Evoluto autem tempore, meditabatur de reverſione iſdem Famulus Domini, cupiens repedare ad patriam, unde venerat. Quadam verò nocte deſtinavit Dominus angelum ſuum in viſu Apoſtolico Joanni, qui tunc præerat Romanæ Eccleſiæ *h*, cui præcepit dicens: Diluculò matutinis ſurge & quære diligenter quemdam clericum nomine Serenum à partibus Galliarum huc directum, qui ab infantiæ rudimentis nullo modo ceſſat Deo fideliter ſervire, ſed nuper iſtuc veniens viſere quæque loca Sanctorum ac ſacras diſcere inſtitutiones, ubi jam peregit luſtrum unum ac dimidium *i*, deliberans nunc remeare ad patriam, quam olim dimiſerat. Quo reperto, promove eum ad presbyteratûs gradum, quia dignus eſt fungi ſacerdotio in domo Domini; cúmque ſanctificaveris eum oleo ſancto, accipe ſanctorum Fabiani necnon Sebaſtiani ſacras reliquias *k* cum capſellulis, quæ ſunt ſuper principale altare ſancti Petri cum carbunculo uno, ac libenter tribue ei omnia, quæ ejus expediunt itineri, & poſtea ſine eum cum gaudio ad propria reverti.

h

i

k

B

eum ad ſe arceſſit,

17 His dictis, angelus Domini nuſquam comparuit. Illuceſcente autem die, beatus Papa Joannes ſurgens de lecto, in quo jacebat, ſollicitus omninò de viſione angeli, miſit clericos & laicos ad cuncta loca Sanctorum, quæ ibi colebantur; qui eum ſtudioſè perquirerent. Cúmque diu multúmque ab his Sanctus Dei quæſitus tandem repertus eſt in quodam oratorio delitescens, pſalmis orationibuſque vacando. Qui decenter ductus eſt ante dominum Papam, à quo ſumma cum reverentia ſuſceptus eſt; quem his compellare cœpit verbis: Quare, frater, tamdiu latuiſti, inter nos manens nobis tot temporibus incognitus, ut non diceres ſecuriter illud, ad quod veneras peragendum, accipieſque à nobis cuncta neceſſaria; mane, precor, apud nos, quanto cupis tempore, donec perficientur ea, quæ à Domino de te juſſa ſunt. Statuto ſiquidem termino, quo fas eſt fidelibus clericis accedere ad percipiendum ſacri prebyteratus Ordinem, vocatus eſt famulus Chriſti Serenus ante dominum Papam, quem ita affatus eſt dicens.

C

presbyterum ordinat, donatumque

18 Novimus te, cariſſime Frater, præelectum eſſe à Domino Deo, ut ſis ei peculiaris ſacerdos ac devotus miniſter in templo ſancto ejus, quia dignus repertus es, ut fungaris officio ſacri ſacerdotii, offeraſque incenſum dignum in odorem ſuavitatis intra cubiculum tui pectoris ad interpellandum pro totius populi delictis. Unde, quæſo, hanc accipere benedictionem ne recuſes, ut cum ceteris de te illud Salomonis dicatur: "Dilectus Deo & hominibus, cujus me-

l

"moria in benedictione eſt *l*." Cui vir domini Serenus, ut erat mitiſſimus, hoc dedit reſponſum: Licèt, pater optime, ſcias me indignum ad tanti muneris donum ſuſcipiendum, fiat tamen voluntas piiſſimi Domini. Quo audito, ſanctus Dei præſul, omneſque, qui illic præſentes aderant, benedixerunt una voce Dominum, qui talem ſibi dignatus eſt eligere ſacerdotem. Tunc ductus honorificè ante altare, cœptum eſt more ſolito ſacrum officium conſecrationis, ſuper eumque feliciter peractum, ſic deinceps miniſter ingens effectus eſt in domo Domini.

19 Quibus ritè peractis, cœpit de reverſione Sanctus animo deliberare, poſtulans ſibi dari licentiam à ſacro Pontifice ad patriam remeandi propriam. Qui libenter aſſenſum ejus præbuit votis, danſque ei cuncta, quæ longitudine viarum expediebant præter ſacras reliquias ſanctorum martyrum Fabiani & Sebaſtiani, quæ promiſſæ ei per angelum fuerant. Quod cernens vir Domini Serenus, ſic ei infit: Verumtamen nullo modo ſcias, me hinc receſſurum, donec ſancti angeli compleatur juſſio. Unde vocato populo Romano indictum eſt jejunium, an deprecatio Viri Dei perfici deberetur *m*. Quo peracto, diſponente Domino, una voce clamatum eſt ab omnibus, impleri debere petitionem Hominis Dei. Recuperatis autem ſacris reliquiis, dantes invicem benigna oſcula aggreſſus eſt iter feliciter diu optatum.

A. ANONYMO. *SS. Fabiani ac Sebaſtiani reliquiis honorificè dimittit;*

m

hic in via orationibus, jejuniis, aliiſque

20 Proficiebat denique in eo exercitationis quotidianæ proceſſus ultra ſe ſemper aſcendens, ut meritis non ſolum vinceret ſæculum, ſed, edomito corpore, de ipſo potiùs triumpharet. Quis enim expediet, quàm fuerit in jejuniorum parcitate præcipuus, in vigiliarum delectatione propinquus, in orationis aſſiduitate laudabilis, in miſerationis opere ſingularis, ut & hoſtem, qui ſibi repugnabat, extingueret, &, unde ſolus ſe affligeret, cunctis ſpe maxima ſubveniret.

E

piis exercitiis vacat,

21 Erat enim ad obediendum promptus, ad vicia calcanda maturus, cui vivere Chriſtus fuit ſemper & mori lucrum. Namque non oculum voluptati, non aurem ludibriis, non animum accommodans lenitati, ſemper ſe regens anchorâ gravitatis. Nec aliud extra ſe reſpuendo prætulit, quàm Chriſtum, quem in corpore fidelis fortior bajulavit. His igitur ſtudiis occupatus in tantam vitæ claritatem pervenit, ut ejus devotum ſervitium mundi Dominus per miracula teſtaretur.

reliquias, quas Romæ acceperat, ſibi per obvium

n

o

22 Quadam verò die, antequam Alpes deveniret, pertranſiens quemdam fluvium, nomine Padum *n*; cui obviavit beatus antiſtes Eligius, vir Deo carus, Romam pergens, qui vi abſtulit ſacras reliquias ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani, quas à beato Joanne Papa acceperat *o*. Unde nimiùm triſtis coram omnibus teſtari Deum cœpit, non hinc ſe receſſurum, quo uſque ei redderentur prædictæ reliquiæ; quas quo ordine vel qualiter recuperare meruerit, cerneres, ſi illic eſſes, ſicuti in ſequentibus declarabitur. Interea athleta Chriſti Serenus lacrymoſis precibus cœpit exorare peregrinorum conſolatorem Dominum, ut eum in eadem anguſtia & tribulatione conſtitutum ſublevare dignaretur, quatinus cœptum iter lætus explere quantocyùs poſſet. Mira res & noſtris temporibus mirabiliter ſtupenda. Nondum enim ab oratione ceſſaverat, navicula, quâ fretum prædicti fluminis tranſire vellet jam dictus præſul Eligius, adeò undæ inhæſit æquoris, ut nec remige impingente, nec flatibus ventorum carbaſa exagitantibus, à loco, quo ſtabat, omninò nec in antea, nec in retro moveri nullo modo potuit.

F

S. Eligium ſurreptas prodigioſè recuperat,

23 Quod cernens ſanctus Dei pontifex ingenti pavore percuſſus, illico ſanctum Dei advocans Serenum, ſciens eum magni eſſe meriti, ſpopondit ei reddere capſulam cum reliquiis ſanctorum martyrum Fabiani & Sebaſtiani. Ipſe verò hæc audiens, magno repletus gaudio, veloci curſu ad eum uſque cucurrit. Cujus ſub pedibus ita ſe calcabile flumen ſupradictum

A. ANONYMO

præbuit, quemadmodum quondam altum mare beati Petri glorioſis greſſibus obedivit. Quem mox beatus Eligius humiliter amplexans, diuque oſculans, reddidit ei libenter ablata pignora, atque deinceps vinculo caritatis ambo ſimul ſociati omnipotentem glorificaverunt Dominum, qui greſſus hominum dirigit in ſalutem, ac ſemper piè protegit ſperantes in ſe. Beatus verò Eligius Romam pergens, ſanctus quoque Serenus cœptam exequens viam; tantummodò deprecatus eſt eum, ut per eum dignaretur reverti.

in patriam advenit, pietati totum ſe dedit,

24 Igitur devotus Domini Famulus citiſſimè juga Alpium tranſcendens atque fines Galliarum properè, favente Domino, incolumis adiens, donec tugurio receptus eſt proprio. In cujus adventu omnes finitimi regionis illius unanimiter lætati ſunt. Quique adeò poſtmodum videbatur à cunctis reverendus, ut operum ſuorum clareſcentibus meritis, nullus ejus voluntati conaretur reluctari. Cernebatur namque vultus ejus angelico veluti nitens aſpectu, & juxta Scripturam vultus indicabat mentem. Aderat enim morum temperantia, è qua lanx libratur. Circa exercitia Dominici cultus inerat illi animus devotiſſimus, amorque inexhauſtus. Jam verò verba, quæ diceret, ſale ſapientiæ divinæ condita cerneres, omnibusque communicare ſui fragrantiam odoris. Hæc omnia ſuper fundamentum fidei Catholicæ in pectore caſto collocaverat, Chriſtum adhibens ſtructuræ ſuæ fundamentum perpetuum, qui eſt vera petra, ſuper quam omnis ædificatio ſtabilita creſcit in templum ſanctum in Domino. Inerat ei interea circa peregrinos & exules magnus dilectionis fervor, ita ut, quibuſcumque poterat, alimoniam ſubminiſtraret, tegumentaque præberet.

B

Eligioque in Galliam pariter reverſo, obque fidem

25 Eodem verò anno peracto, revertente jam à Roma beato Eligio, pertranſiens fines Hominis Dei, ire ad eum, ut promiſerat, neglexit. Ob hoc invaſit eum ſubitanea cæcitas, quâ graviter diu preſſus, præparans ſumptus neceſſarios itineri, pergere ad ſanctum Dei Serenum, vîâ, quâ venerat, velociùs acceleravit. Præſtolabatur interea vir Dei Serenus cum omni ſollicitudine reditum beati præſulis, ignorans, quid ei acciderat. Cúmque his & hujuſcemodi anxiaretur angoribus, ecce, ſubitò legatus adveniens, ſanctum antiſtitem Eligium à finibus ſuis egreſſum illuc adventâſſe, denunciavit. Cui inquit S. Eligius: Vide, Frater cariſſime, qualiter ob crimen mendacii, quod tibi intuli, valida cæcitate ſum percuſſus. Unde, quæſo te, interpellare ne differas Deum pro me, quatinus tuis adjutus precibus, priſtinum merear recipere viſum.

C

non ſervatam, cæcitate percuſſo viſum reſtituit.

26 Tunc ſanctiſſimus Serenus proſternens ſe in oratione, tamdiu fudit preces ad Dominum, donec redditum eſt ſancto viro Eligio lumen amiſſum. Unde nimiùm pariter gratulantes, altiſſimo Domino maximas retulerunt laudes, ac deinde ad beati Viri cellulam cum ſuis pervenerunt alacres. Unde unum annum fecit & dimidium, deſignans, ut erat prudens, qualiter tabernaculum Domino Homo Dei fabricaret. Quo peracto, deprecati ſunt ambo Dominum, ut diem vocationis ſuæ ambo ſcirent, quod & impetrare meruerunt. Poſtmodum verò invicem ſe Domino commendantes, antiſtes ad ſuum ſoſpes rediit epiſcopatum, & agoniſta Dei Serenus intra palæſtram ſui exercitii habitavit ſolus *p*.

p

D

ANNOTATA.

a *Deſguerroiſius paulò explicatiùs ſic habet:* Quamquam inter homines vivere videretur, qui illum auxilii causâ inviſebant.

b *Ad Philipp.* 3 ℣. 20.

c *Pſalm.* 83 ℣. 2 & 3.

d *Pſalm. eodem* ℣. 5 & 11. *Textus illi pluresque alii videri poſſent ex Scriptura ſacra à biographo noſtro eo fine tantùm produci, ut Vitam* S. Sereni *ampliſicet, ſicque Lectionibus quolibet die Octavæ, quâ is colitur, in Officio eccleſiaſtico recitandis materiam ſufficientem inveniat; verùm in Actis apud Deſguerroiſium textus illi ferè omnes, nonnullique inſuper alii leguntur.*

e *Deſguerroiſius ait:* multo pòſt tempore, *ut ſaltem aliquot annorum ſpatium deſignare videatur, nihil autem obſtat, quò minùs illud, ut ex Annotatis cap. præcedenti ad litteram* f *fas eſt colligere, ſeptem aut octo annorum ſtatuatur, qui cum* plurimum tempus *dici non debeant, biographus noſter cum Deſguerroiſio hîc non pugnat.*

f *Deſguerroiſius Sanctum noſtrum inſpiratione divina ad iter Romanum excitatum ſcribit. Sauſſayus rem ſic narrat:* Verùm cùm tantæ ſuavitatis fulgoribus omnium in ſe oculos raperet, tum fugiendæ humanæ venerationis, tum exercendæ devotionis causâ, Romam perrexit, comite angelo, quem familiarem toto itinere habere meruit.

E

g *Comitatus ille* S. Sereno *ab angelo (ſub forma nempe viſibili, ut ſenſus exigit) Romam uſque præſtitus, incredibilis quidem ex ſe non eſt, ſed ut illum nemo prudens ſola biographi noſtri, Actorumve apud Deſguerroiſium exſtantium auctoritate certò crediderit, ſic per* parvum comitem, *cum quo iter ſuſcepiſſe dicitur,* adoleſcentem nondum adultum *quiſque intelliget.*

h *In Commentario prævio num.* 24 *ſenſa noſtra aperuimus de angelica illa apparitione Joanni Pontifici Romano oblata; hunc ſolus Sauſſayus nominis illius quartum rectè inſcribit.*

i *Luſtrum unum & medium commorationis Romanæ cum nupero illuc adventu non ſatis congruit; nihil ſimile habet Sauſſayus.*

F

k *Acta apud Deſguerroiſium exſtantia ferunt quidem, Joanni Pontifici divinitus injunctum fuiſſe, ut reliquias Sanctorum in altari S. Petri expoſitas* S. Sereno *in Galliam reverſuro donaret, ſed illas SS. Fabiani ac Sebaſtiani fuiſſe, nuſpiam edicunt; ſcilicet eorum ſcriptor (vide Commentarium prævium num.* 7 & 8) *perſuaſum ſibi, ut biographus noſter, non habebat, reliquias S. Sebaſtiani in prioratu Cellæ* S. Sereni *exſtantes, ab ipſomet* S. Sereno *illuc fuiſſe allatas. Et ſanè id ſaltem admodum eſſe dubium, argumento eſſe poteſt, quòd Eginhardus æquè ac ſcriptor Vitæ Ludovici Pii, ambo imperatori huic coævi, tranſlationem corporis S. Sebaſtiani ex Italia in Galliam anno* 826, *vivente eodem Ludovico Pio, factam ita pertractent, ut ſanctiſſimi hujus martyris reliquias tunc primùm eò fuiſſe allatas, inſinuare videantur; hincque ex parte profectum eſt, ut in Commentario prævio num.* 8 *veroſimilius mihi eſſe dixerim, occaſione corporis S. Sebaſtiani ex Italia Sueſſionas tranſlati prioratum Cellæ* S. Sereni, *in quo illud in tranſitu depoſitum aliquamdiu ſubſtitit, ſacris hujus fortiſſimi athletæ reliquiis eſſe locupletatum, ſive interim hæ, dum ſa-*

crum

A *crum iſtud pignus illic in tranſitu etiamnum quieſceret, fuerint obtentæ, ſive poſtea dumtaxat, cùm jam in monaſterium Sueſſionenſe S. Medardi eſſet illatum, monachorum ejuſdem cœnobii dono fuerint ſubmiſſæ, quod mihi credibilius apparet, quodque ſuſpicandi anſam præbent plurimæ illæ Galliarum eccleſiæ, quæ reliquiis ex corpore S. Sebaſtiani, cùm jam Sueſſionas eſſet delatum, excerptis fuêre nobilitatæ, uti Sauſſayus, ad 20 Januarii, narrata corporis S. Sebaſtiani in Galliam tranſlatione, his verbis teſtatur:* Ceterùm ex tam locuplete gazophylacio (*corpore S. Sebaſtiani*) decerpta pretioſa aliquot pignora plurimas regni Chriſtianiſſimi eccleſias nobilitârunt: quæ inclyti hujus martyris reliquiis decoratæ, magis quàm exquiſitâ quâlibet monilium congerie, aut ſtructuræ magnificentiâ meritò gloriantur. In quibus poſt Pariſienſem omnium clariſſimam, Trevirenſis quoque hoc ex decore præcipuè commendatur; deinde Senonenſis, Trecenſis, Bruxellana (*de hac vide Bollandum in Commentario prævio ad Acta S. Sebaſtiani num.* 43) aliæque cathedraticæ præter abbatiales & ceteras innumeras. *Ita ille, qui nihilominus in Corollario Martyrologii Gallicani pag.* 1215 *cum biographo noſtro in modo, quo ſacras S. Sebaſtiani*
B *reliquias ad prioratum Cellæ deveniſſe innuit, omnino conſentit,*

l *Eccleſiaſtici cap.* 45 ℣. 1.

m *Jejunii populo Romano ad Dei voluntatem inveſtigandam indicti Sauſſayus rectè non meminit. Videſis Commentarium prævium num.* 24 *&* 25.

n *Maximus, celeberrimuſque Italiæ fluvius, qui & Eridanus à poëtis dicitur; hunc in longum & latum Baudrandus aliique deſcribunt, quos propterea ſi lubet, curioſus lector conſulat.*

o *Deſguerroiſius ſcribit* S. Serenum *præ gaudio, quo ob reliquiarum poſſeſſionem efferebatur, eas S. Eligio ſibi ad Padum obvio monſtrâſſe, hocque in cauſa fuiſſe, cur ſanctus antiſtes eaſdem vi abſtulerit, cùm ſcilicet inimicitia quidem inter eos non intercederet, ſed S. Eligius, utpote ſumma virtute vir, ſacri theſauri deſiderio flagraret; quaſi verò fictum illud reliquiarum furtum, pio licèt utcumque deſiderio velatum, S. Eligio ceſſaret eſſe injurium.*

p *Omnia, quæ hîc num.* 22, 23, 25 *&* 26 *narrantur, pro commentitiis habemus. Adi,*
C *ſi lubet, Commentarium prævium num.* 24 *&* 25. *Sauſſayus ſolum reliquiarum furtum, miraculumque id proximè ſubſecutum commemorat, melius facturus, ſi alia commenta pariter omiſiſſet.*

CAPUT III.

Sancti morbus, obitus, ſepulturæ locus, miraculaque in eo patrata.

Dum Sanctus quotidie virtutes

QUis deinde ejus patientiam, quis puritatem, quis caritatem, quis zelum ſanctum, quis ingenii meditationem die noctuque in lege Domini poterit explicare? Aſſertor fidei, ornator eccleſiarum, prædicator gratiæ, extinctor jurgii, ſeminarium caſtitatis, norma diſciplinæ, morum ponderator, libra conſilii. Numquam de ore detractio, numquam mendacium, numquam maledictum contra qualemcumque perſonam proceſſit. Hic non ſolum non detraxit cuique, ſed nec detrahentem patienter audivit. Numquam etiam aliquem odio habuit. Et non ſolùm pro amicis, ſed etiam pro inimicis toto cordis affectu oravit. Non docuit verbis, quod non adimplevit exemplis. Nulla enim hora diei ſine divini eloquii meditatione tranſibat, ita ut rectè & veraciter dicere poſſet: "Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper *a*.,, A. ANONYMO.

a alacriùs exercet, morbo corripitur,

28 Cùm enim his & hujuſmodi agonibus inſudaret, & penè infatigabili intentione ſeſe avidus præliator hoſti protervo ad ſingulare quotidie certamen objiceret, finis cunctis inevitabilis oſtium corpuſculi ejus cœpit pulſare, ut anima Deo dilecta diutiſſimis revincta cathenis carceralibus, tandem libera ſervitutis rumperet vincula, & Regi ſuo occurreret in gaudium ejus ſuſcipienda, acerrima febri corpore prærepto, medullæ ejus igne perurebantur, & ſanguinis unda per membra ſingula ſiccabatur, ſpiritus tamen, infirmante carnis vigore, fortior reddebatur, & ad Dei faciem deprecandam, quò celerrimè ſoluto carnis vaſculo liberaretur, magis ac magis accendebatur, cupiens ſecundum Apoſtolum diſſolvi & eſſe cum Chriſto. E

moritur, ſepelitur in templo à ſe ædificato,

29 Divinitas autem fautrix bonarum precum, & rationabilium ſuſceptrix votorum, illius preces benignè ad ſe admiſit, & quod anxiè petebat, piè implevit. Denique reſolutione jam vicina, cœtibus populorum circum ſe aſtantibus, & quæ ventura erant ei, præſtolantibus, paulò pòſt futuram ſuam eis prædixit reſolutionem *b*, & prout poſſibilitas permiſit, ut ſui memores eſſent, fideliter admonuit, quibus ultimùm valedixit, ac poſtmodùm Domino Deo pretioſam & ſanctiſſimam reddidit animam; cujus corpori funebria impendentes obſequia, cum magna diligentia loculum præparaverunt, & in baſilicam, quam ante obitum ſuum ipſe præparaverat, terræ commendaverunt *c*. *b*

c miraculis inclareſcit; dumque diu pòſt

30 Quem locum Dominus Jeſus Chriſtus ad demonſtrandum, quem circa Famulum ſuum habuerit favorem, mirandorum operum conſuevit nobilitare; neque enim vel hujus Operis finit brevitas, vel ſtylo ſuppetit facultas enarrandi, quot infirmi poſt ejus exceſſum ad illius ſepulchrum receperunt ſanitatem vel debiles greſſum; ſed & dæmones ex obſeſſis corporibus propulſi, nec non plurima ſunt mortalibus per interceſſionem ſanctiſſimi Sereni à Chriſto Domino collata beneficia, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. F

non procul illinc corpus S. Sebaſtiani Sueſſionas fertur,

31 Poſt multum verò temporis accidit, ut beati Sebaſtiani martyris corpus in Sueſſionicam civitatem à Roma tranſportaretur. Cùm verò quadam die per fines hominis Dei Sereni tranſire vellet multiplex vulgus ſancti martyris ferens glorioſa pignora; actum eſt, ut credimus, ſuperna diſponente clementia, ut nullo modo à loco illo omnino ſacrum removeri corpus poſſet; unde à diverſis partibus infinita congregata eſt fidelium multitudo *d*. Tunc pariter unanimes Domini exorantes clementiam, ut eis revelare dignaretur, quid inde agere deberent. Inter quos clericorum quidam ſapientiſſimus dans eis ſalubre conſilium, hoc modo inquit. *d*

32 Si

A. ANONYMO. *moveri id loco non poteſt, niſi ad oratorium S. Sereni,*

32 Si meæ ſuggeſtioni aſſenſum præbere volueritis, portabitis ad Cellam beati Sereni ſanctos martyris artus, ubi caput ipſius ſancti martyris Sebaſtiani decenter reconditur, & forſan in hoc impetrare valebitis, quod fideliter petitis *e*. Qui protinus ejus verbis acquieſcentes, & ſacrum corpus ſancti Sebaſtiani ſine mora accipientes, cum tanta velocitate inde profecti ad oratorium ſancti Viri ſunt, acſi nullum pondus ſe ferre ſenſiſſent. Quo in loco juxta caput dicti pretioſi martyris Sebaſtiani diu commoratum eſt, oſtendens per iſta Dominus, ad laudem & gloriam ſui nominis locum illum frequentantibus pluriſima beneficia ſe collaturum.

e

ſicque hujus fama increbreſcente, illud etiam Francorum reges

33 Interea dum beati viri Sereni longè latéque fama percrebreſceret, cœpêre nonnulli ejus ſæpe ſacra limina frequentare, ac meritis ipſius illic ſuorum criminum veniam poſtulare, ac tandem eam obtinere. Qui rumor tamdiu excrevit, donec ad aures glorioſorum regum, Karoli videlicet ac fratris ejus Pipini, omnino pervenerat. Qui properè conſurgentes unà cum matre ſua Bertha, inclyta ſcilicet regina, perrexerunt viſere Hominis Dei oratorium, ubi officioſiſſimè ſuſcepti ſunt à ſervitoribus ejuſdem loci. Ingredientes verò ſanctam baſilicam, oraverunt de more Dominum, ut per ſanctum ſuum Serenum dignaretur eorum abſtergere crimina, atque genti Francorum cuncta concede-

B

re tempora proſpera pariter & pacifica *f*.

f

inviſunt, triumphantque de hoſtibus Sancti patrocinio,

34 Ubi verò longo conſiſtentes tempore rebus propriis ditaverunt beati Viri locum de Cella juxta Cantumerulam, ſeipſos ipſi commendantes, ac poſtmodùm cum magno gaudio ad proprias reverſi ſunt ſedes. Evolutis autem diebus aliquot, imminebat exercitui Francorum maximum prælium, cujus pavore undique concuſſi ac perterriti congregati ſunt præfati reges apud caſtrum almi Medardi *g* cum cuneo ſui exercitus; quem unanimiter deprecantes, ut pro eis Dominum efflagitare dignaretur, dederunt ei in appenſione præfatum beati Sereni locellum *h*, ut amborum precibus adjuti, mererentur de hoſtibus ſuis feliciter triumphare. Inito verò certamine, & hoſtes per ſuffragia Sanctorum fugati, & inclyti reges cum ſuis in gaudio ad propria ſunt reverſi, laudantes ac benedicentes unigenitum Dominum ac Salvatorem noſtrum.

g

h

C

cujus Acta elogio i

35 Sanctorum mortem in conſpectu Domini precioſam beatiſſimi Sereni compatris *i* præcipui, tum etiam confeſſoris egregii natalitia feſta commendant. Jure etenim ſacri ejuſdem de ſæculo tranſitus natalicium dixerim, quo mundani ſqualore emergens ergaſtuli, cœleſtis meruit conſcendere palatia regni, deque ſiniſtra tranſlatus in dexteram, jura mortis atrocia perenni immortalitate mutavit. Verè Beatus, verè omnipharia laude digniſſimus, cui propoſitum fuit ita militare in ſæculo, ut poſſet in perpetuum regnare cum Chriſto.

i

ab animi fortitudine,

36 Denique æterni Imperatoris victricia ſecutus beatiſſimus Serenus, atque inter athletas robuſtiſſimos, dato nomine, ſacramentis militaribus obligatus, non ſegnis in divina militia torpuit, non ſibi notam paſſus eſt deſertoris immitti. Non denique turpem meditatus fugam, adverſariis terga præbuit; quin potiùs viriliter cum hoſte congreſſus, diſciplinali ratione certaminis, non modò contrarios ictus clypeo fidei circumſpectus eluſit; verùm etiam infeſtos inimici impetus ingenti pondere inclytus præliator oppreſſit. Ita Deo ſe in omnibus protegente, victor emergens curru evectus æthereo ad cœleſte capitolium, nobilem erexit triumphum, palmâque immortalitatis pariter donatus & laureâ, ſydereos cœtus meritorum privilegio cumulavit.

D

à miraculorum copia & ſanctitate,

37 Ibi feliciter perpetuus, ac perpetuò felix ipſi conregnans Chriſto, cohabitat angelis, conſpaciatur archangelis, univerſis poſtremò Sanctorum omnium millibus conlætatur. Inde hodiernæ feſtivitatis mànavêre tripudia, inde Chriſtianæ plebis tanta tamque ſolemnia gaudia profluxerunt. Hinc clerus concinit, inde populus plaudit, pauper tripudiat, dives exultat. Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini, cujus munere ſanctus Serenus hic tantus, tam celebris, tam denique præcelſus emicuit, ut & ſanctitatis apice * ſecundus & miraculorum copiâ maximus quibuſque Sanctorum prædicetur meritò comparandus.

* *ad.* nulli

à continentia, patientia, caritate aliiſque virtutibus

38 Cujus enim continentiam ſingularis parſimoniæ non æquavit, cui virtute patientiæ impar fuit, quo fide inferior, ſpe minor extitit? quem denique ſummæ caritatis provectibus non tranſcendit? Quis ab eo egenus ſine convivio feſſus, ſine ſolatio deſtitutus, ſine præſidio aut quacumque debilitate corporis detentus abſque incolumitatis abſceſſit remedio? Re etenim vera ſic Chriſtus in famulo ſuo Sereno humilitatis, caritatis ac miſericordiæ cubile locavit gratiſſimum, ut, ſicut dictum eſt, nulli ſtatuerit juſtitiæ & ſanctitatis ferè ſecundum. Quanto principalium fulſerit ſplendore ſignorum confeſſor Dei Serenus replicare ſuperfluum judico, quæ tanta ſunt, ut ſui magnitudine multorum, imò omnium notitiam facilè vendicarent.

E

petito tandem hîc biographus claudit.

39 Qui ergò tanta potuit moribundus, credimus quidem, nec vana fide, multò potiora obtinere poterit immortalis. Si pugnans talia præſtitit, regnans cum Deo incomparabiliter meliora præſtabit. Hunc itaque votis, hunc debitæ ſervitutis frequentemus obſequiis. Nec torpet animus in officio, ſi non vult eſſe fruſtratus in voto, rogatus aderit, interpellatus favebit. Cuncta incommoda ſubmovens, commoda omnia providebit. Flectet precibus Judicem, pro reis & fragilibus interpellabit Auctorem. Obtinebit apud Deum veniam criminum atque impetrabit immortalitatis munere conſortia præmiorum, præſtante eodem Domino noſtro, cui laus perennis, gloria indeficiens, victoria immortalis nunc & in omnia ſæculorum ſæcula. Amen.

F

ANNOTATA.

a *Pſalmo* 18 ℣. 15.

b *Deſguerroiſius* S. Serenum *mortem ſuam proximè inſtantem adſtantibus prædixiſſe, non affirmat.*

c *Sauſſayus de ſepultura Sancti noſtri ſic ſcribit:* Sepultus autem fuit Vir beatus honorificentiſſimo funere in eccleſia, quam ipſe ponè Cellam ſuam ædificaverat, *ut per baſilicam ſive eccleſiam hîc veroſimillimè intelligatur parva illa eccleſia, quam* S. Serenus, *cùm viveret, æquali diſtantia, ut ad annum* 637 *Deſguerroiſius tradit, à Cantumerula & à Cella ſua exſtruendam curavit.*

d *De hoc miraculo, cujus Sauſſayus, cùm tranſlationem S. Sebaſtiani non attingat, meminiſſe, non debuit, actum eſt num.* 7 *& ſeqq. Commentarii prævii.*

e *Hic*

A e *Hîc innuitur, caput S. Sebaſtiani in prioratu Cellæ exſtitiſſe, antequam corpus ejuſdem ſanctiſſimi martyris Sueſſionas deferretur; qua de re vide Commentarium prævium num.* 7 *&* 8, *& Annotata cap. præcedenti ſubnexa ad litteram* i: *ibidem tamen dictis addi poteſt, apparere ex relatione Deſguerroiſii, num.* 5 *Commentarii prævii adducta, S. Fabiani reliquias, cùm in ea non nominentur, in prioratu Cellæ non exſtare; id autem, ſi has cum S. Sebaſtiani reliquiis, ut à biographo noſtro traditur,* Româ S. Serenus *attulerit, mirum videri poſſe, ſuſpicionemque ingerere, neutras hunc in Galliam tuliſſe. Porrò per caput S. Sebaſtiani, quod in prioratu Cellæ exſtare hîc dicitur, intelligendum non eſt integrum fortiſſimi illius athletæ caput; nam & aliæ inſuper eccleſiæ, ut apud Bollandum noſtrum ad* 20 *Januarii in Commentario prævio ad Acta S. Sebaſtiani num.* 21, 56, 57, 62 *&* 66, *& in Appendice folio* 1138 *&* 1140 *videre licet, vel capite S. Sebaſtiani martyris vel ejus ſaltem parte gloriantur: hincque in mox dicta Deſguerroiſii relatione ex Diario viſitationis, quæ anno* 1502 *in eccleſiis diœceſis Trecenſis inſtituta fuit, excerptâ, inque Commentario prævio num.* 5 *à nobis recitatâ non integrum S. Sebaſtiani caput, ſed pars dumtaxat capitis ſuperior in prioratu Cellæ quieſcere, rectè aſſeritur.* B

f *Quæ hoc & ſequenti numero de Carolo & Pippino hîc narrantur, refutata ſunt in Commentario prævio num.* 16, 17 *&* 18. A. ANONYMO.

g *Monaſterium ſcilicet S. Medardi prope Sueſſionas, quod etiam caſtrum S. Medardi nominatum invenitur.*

h *An ergò vult biographus, locum de Cella ſubtus Cantumerulam S. Medardo ad penſionem datum fuiſſe à regibus Carolo & Pippino? Deſguerroiſius tantùm ſcribit, duos illos reges miſiſſe, ut ſe commendarent Deo ſub invocatione SS. Medardi &* Sereni, *penſioniſque S. Medardo ſive ejus monaſterio aſſignatæ non meminit.*

i Compater, *ut Cangius in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis ad vocabulum* compater *ex Joanne de Janua ſcribit, in communi acceptione eſt,* Quaſi ſimul ejuſdem filii pater, qui filium alicujus baptizat vel Chriſtianum facit, vel ad baptiſmum vel ad confirmationem tenet: *ſed hîc* S. Serenus *veroſimiliter vocatur* compater *ratione S. Benedicti, quia ſicuti hic Sanctus eſt pater ſeu conditor inſtituti regularis, quod in prioratu Cellæ ſervandum eſt, ita* S. Serenus *ipſiuſmet loci prioratus Cellæ pater eſt ſeu conditor, adeoque ſimul cum S. Benedicto ejuſdem prioratus Cellæ quodammodò pater ſeu conditor exiſtit.* E

DE S. JOANNE EPISC. CONFES. COMI IN DUCATU MEDIOLANENSI.

SYLLOGE. J. B.

Sancti memoria & geſta.

SECULO VII. *Sancti hujus*

C S*Anctum* Joannem *hujus nominis ſecundum, ſublato è vivis S. Victorino, Comenſibus inſulis admotum fuiſſe, gregique ſuo Majorum ſuorum exemplo inſigni ſanctitate præluxiſſe, recentioris ævi ſcriptoribus in confeſſo eſt: cetera, quæ de illo traduntur, ferè in ambiguo ſunt. Duorum ſupra viginti Comenſium antiſtitum ſacris Faſtis adſcriptorum continuam ſeriem exhibent Benedictus Jovius lib.* 2 *Novocomenſis Hiſtoriæ, Ferrarius in Topographia nova ad Calendarium Romanum, Ughellus tom.* 5 *Italiæ ſacræ auctæ, quos inter* Joannes II *occurrit ordine* 18. *Primum in ea locum obtinet S. Felix; non quòd ante hunc nullus Comenſem eccleſiam moderatus antiſtes fuerit, ſed quòd antiquiorum præſulum nomina, geſtaque (ſi Jovio, Tattoque credimus) poſterorum memoriæ ſubtraxerit improbitas temporum, motæque in Chriſtianos Romanorum imperatorum edictis perſecutiones. Alterum in ea locum S. Provinus occupat; tertium verò S. Amantius. Hunc S. Felici ſuffectum eſſe in Notis Martyrologii Romani ad diem* VIII *Aprilis Baronius ſcribit: quod ſi ita eſt,* Joannes *hujus nominis ſecundus non* 18, *ſed* 17 *Novocomenſium epiſcopus dicendus eſt: verùm Eminentiſſimum Cardinalem ex antiquo Comenſis eccleſiæ hymno refutat Ughellus citatus.* *Ballarinus, Ughellus.*

2 *Ballarinus in Chronico Comenſi Italico parte* 2 S. Joannem *ſequenti celebrat encomio.* Decreta erat S. Victorino, priuſquam migraret è vita (ne quid contra veterem conſuetudinem faceret) futuri pontificis electio. Qua occaſione, divino nutu, ad gradum epiſcopalem evexit nobilem civem Comenſem, Chieſiâ oriundum proſapiâ JOANNEM dictum hujus nominis ſecundum. Deceſſoribus ſuis ſanctitate non ceſſit, quippe ſanctis eorum veſtigiis inſiſtens cæcis peccatoribus multum attulit lucis, commonſtrans illis cæli iter, peritique inſtar naucleri neque ſudoribus, neque laboribus parcens, ut ad deſideratum adduceret portum commiſſam ſibi naviculam. Obiit anno Domini DCLX die V menſis Octobris, Vitaliani I Pontificis tempore, ſub Conſtantino III imperatore, regnante in Italia Aritperto Longobardorum rege, ſepultuſque eſt in æde SS. Apoſtolorum, & adſcriptus ſanctis in cælo Pontificibus. *Eadem penè in ſerie Comenſium epiſcoporum Ughellus habet.* S. Joannes (*inquit*) hujus nominis ſecundus ex familia Chieſia Comenſis, ut arbitrantur nonnulli, Comenſi throno promotus eſt anno DCXLIV. Sedit annos XVI, vitamque liquit die V menſis Octobris, anno DCLX, ſepultuſque eſt in cathedrali. F

3 *Fuſiùs quoque in Annalibus Comenſibus de* S. Joanne *agit Aloyſius de Tattis ad annum* 644 *& ſeqq. ſtrictiùs verò in Sanctuario ſeu Martyrologio Novocomenſi, ad ſextum Nonas Octobris ita ſcribens:* Novocomi in eccleſia D. Abundii natalis S. Joannis ſecundi hujus nominis epiſcopi & confeſſoris, qui tempore Rotharis Longobardo- *Tattus & Novocomenſe Proprium.*

AUCTORE J. B.

rum regis & Arianæ hæreſeos aſſertoris multas inſectationes ſuſtinuit: è quibus tandem ereptus pro laboribus ſuis à Domino æternæ vitæ coronam recepit. *Citat in Notis eccleſiæ Novocomenſis Officia, Felicianum Ninguarda in Deſcriptione urbis eccleſiarum, ubi de baſilica S. Abundii, Robertum Ruſſcha Antiquitatum ſuæ familiæ lib. 1, Philippum Archintum, Lazarum Caraffinum Novocomenſem epiſcopum, alioſque, ſed quorum Opera ad manus noſtras non pervenerunt. Citari hîc audis eccleſiæ Novocomenſis Officia: rectè tamen, nullum de* S. Joanne *in eccleſia Comenſi recitari Officium, Ferrarius ſcripſit; quippe cujus Topographia, jam inde ab anno* 1609 *lucem aſpexerat, cùm citata à Tatto Officia ſeriùs in publicum prodierint, nempe ſub Lazaro Caraffino, qui à Melphienſi ad Novocomenſem ſedem tranſlatus fuit anno* 1626 *menſe Januario, teſte Ughello.*

4 *Neque Ferrarii Topographiâ ſolùm poſteriora ſunt Novocomenſis eccleſiæ Officia propria, verùm etiam Urbani VIII Pontificis decreto anni* 1634, *quo cautum eſt, ne quis Sanctorum Albo adſcribere quempiam audeat, niſi cui veneratio cultuſque publicus & quidem immemorabilis, id eſt, ad minimum ſecularis ſuffragetur. Illa enim anno* 1644 *&* 1650 *Comi ſunt edita, notante Tatto ad annum* 591 *in Annalibus Patriæ. Porrò decretum hoc à decennio latum ignorare non potuit Caraffinus: unde nefas eſt dubitare, quin vir doctus, & antiquitatis amantiſſimus, rerumque ad ſuam diœceſim ſpectantium peritiſſimus,* S. Joannis *immemorabilem apud ſuos cultum ritè ſibi probatum exploratumque habuerit; vel ex Benedicto Jovio (ut ut fortè auctores illo antiquiores deſiderentur) cujus Annales integro ſeculo Urbani præceſsêre decretum, deſinuntque in annum* 1532, *conſtantique traditione Comenſium. Colitur autem ejus memoria Officio duplici in eodem, in quo conditus eſt, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, nunc verò S. Abundii templo. Quare, ad vindicandum* Joanni *ſanctitatis titulum, pluribus haud opus eſſe exiſtimo.*

anni 1644 & 1650 meminerunt:

B

5 *Incerta eſſe pleraque alia, quæ de* Joanne *traduntur, initio diximus. Singulorum, quos citavimus, teſtimonia expendamus. Ballarini ſententia eſt, ut ex verbis ejus liquet, fuiſſe Comenſibus præſulibus in more poſitum, ut ſucceſſorem ſibi quiſque deligeret; viguiſſe hunc morem, donec Deodatus, urgente* Liutprando *Longobardorum rege* (Liutprandus *antiqua monumenta habent apud Muratorium in Annalibus Italiæ ad annum* 712) *Comenſium factus eſt epiſcopus* 23, *ut tradit in S. Flaviano* 2. *Ballarino ſubſcribit Ughellus. At Tattus* S. Joannem *non à Victorino, ſed à clero Comenſi promotum aſſerit. Addit Nicolaus Coletus in Notis ad Ughellum, poſt S. Abundium, quartum Comenſium epiſcopum, à deceſſore ſuo ad epiſcopalia munia deſignatum eſſe neminem. Ego verò Ballarini Ughellique aſſertum ex antiquioribus monumentis ægrè probatum iri credo. Etenim Benedictus Jovius ſanctos quidem Felicem, Provinum, Amantium ſibi, cùm viverent, ſucceſſorem deſignâſſe, verbis diſertiſſimis tradit lib. 2 Comenſis Hiſtoriæ: verùm id ſubſecutis in uſu fuiſſe epiſcopis, ne verbo quidem, unde extundi poſſit, inſinuat.*

quorum varia placita quoad electionem

C

6 S. Joannem *patriâ fuiſſe Comenſem, nobilique Chieſiorum proſapia oriundum, idem Ballarinus eſt auctor: nihil equidem Comenſium gloriæ, nihil Chieſiorum ſplendori detractum volo: vereor tamen, quod hoc loco Ballarinus ſcribit, ſolidè probari ut poſſit. Benedictus Jovius patriæ ſuæ epiſcopos referens, SS. Euſebium & Eutichium Comi natos fuiſſe, non præterit, neque id veriſimiliter in* S. Joanne *neglexiſſet, ſi & hunc popularem ſuum certò comperiſſet. Sanctorum quoque, quos Comum orbi dedit, lib. 1 de Nobilitate Comenſi Porcacchius texuit ſeriem, in qua Euſebii, Eutichiique fit mentio;* S. Joannis *epiſcopi nulla. Hinc fortè Ughello, cùm dixiſſet* S. Joannem *Comi ex Chieſia familia natum, mox adjicere viſum eſt,* ut arbitrantur nonnulli. *Audire denique juverit Aloyſium Tattum in Annalibus Patriæ ſuæ ad annum* 644 *ita loquentem:* Unde originem traxerit Joannes, haud ſcitur, quamvis recentiores Comenſem faciant, & in honore Chieſiam familiam habeant, quâ natum autumant. Punctum hoc aliis ſtabiliendum relinquimus, quia animus nobis non eſt, ſortis incertitudini veritatem exponere, quandoquidem nihil occurrerit ea de re proferendum, præter auctoritatem hiſtoricorum aliquot, quibus, utpote exiguæ fidei, probatio incumbit.

patriam,

D

7 *Multum quoque obſcuritatis habet annus ſuſcepti à* S. Joanne *Comenſis eccleſiæ regiminis. Tranſiit ad vitam cæleſtem Victorinus* S. Joannis *deceſſor, Ballarino teſte, anno Domini* 644 *die* v *Septembris, ſummum Pontificatum Theodoro I, Conſtantino verò III imperium Orientale adminiſtrantibus; multaque uſus eſt conſuetudine cum Gundeberto Longobardorum rege, Rotharis ſucceſſore; quod poſtremum etiam ſcribit Ughellus:* Cùm igitur decumanâ perſecutionum procellâ, quam ab Arrianis pro tuendo grege paſſus fuerat, ſtrenuè perfunctus fuiſſet, ſucceſſiſſetque Rothari Cundipertus rex egregiè pius, ab eo retulit Victorinus plura privilegia, atque immunitates in favorem ſuæ eccleſiæ. *Quæ quia ſibi non cohærent,* non ſatis conſtat, *inquit Tattus in Martyrologio ad* v *Septembris,* quo defunctus fuerit anno Victorinus, licèt plerique recentiores indubitanter aſſerant, ex hac miſeriarum valle ſublatum anno Dñi DCXLIV; quomodo accidere id potuit ſub Conſtantino III imperatore, qui triennio antè imperare pariter & vivere deſierat, nempe anno DCXLI. Quomodo cum Gundeberto Longobardorum rege intima uſus eſt conſuetudine, ab eoque multis condecoratus immunitatibus, ſi Gundebertus non, niſi anno DCLXI Italici regni habenas aſſumpſit? *Annus autem, quo Comenſem cathedram* Joannes *adiit, non minùs incertus eſt, quàm ille, quo obiit Victorinus.*

annum ſuſcepti epiſcopatus,

E

F

8 *Ballarino & Ughello Tattus ſuccedat. Scribit is,* S. Joannem *tempore Rotharis Longobardorum regis multas inſectationes ſuſtinuiſſe. De Rothari Carolus Sigonius de Regno Italiæ lib. 2 ita ſcribit:* Arialdo verò fine virili ſtirpe mortuo, Longobardi comitia creando regi habuerunt, ac Gundebergæ mariti regiſque optionem, ut antè Theodolindæ, dederunt. Illa Rotharim Harodum genere ducem Brixiæ accerſivit, ac maritum ſibi aſcitum Longobardis, ut ad regnum eveherent, auctor fuit.... Hic rex hæreſi Arriana, quam majore, quàm adhuc quiſquam alius, ope defendit, fuit imbutus, verùm ceteris virtutibus illo loco digniſſimus. *Sub hoc rege duo pleriſque Inſubriæ eccleſiis præfuêre antiſtites, alter Catholicus, Arrianus alter, ut Paulus diaconus Forojulienſis tradit, atque adeò etiam veriſimiliter Novocomo. Unde & turbas identidem in Catholicos ab Arrii ſequacibus fuiſſe motas, non abſurdè deducitur. Suadet id etiam S. Joannes Bergomenſium epiſcopus,* S. Joanni *noſtro ſynchronus*

geſta adverſus Arrianos,

&

A *& vicinus, aliquantò pòst (circa annum 683) Arrianorum furori litatus, si Sigonio credimus. Peculiare factum, quod referret, Tattus non habuit certæ fidei monumentis roboratum; nec referunt ceteri.*

emortualem 9 *Quo Christi anno fato cesserit* S. Joannes, *non una est auctorum opinio. Ceterarum ea apparet verisimilior, qua anno Domini 660 ejus obitum illigat, quamque Ballarinus, Ughellus & Tattus tradunt. Minùs Tatto probatur cujusdam recentioris (Roberti Rusca lib. 1 de Nobilitate suæ familiæ) assertio, secundùm quam anno 714* Joannes *obierit.* Joannem *enim hujus nominis secundum, inquit, Joannes tertius, Ottarianus, Benedictus, Flavianus, Deodatus exceperunt: horum autem postremus episcopalem sedem anno Domini 721 occupabat; in cujus rei testimonium profert datum illo anno Cumanæ ecclesiæ episcopo Adeodato à Liutprando Longobardorum rege privilegium; aitque, fieri quidem potuisse, ut tantilla annorum intercapedine præsules quatuor Comenses insulas susceperint, susceptasque posuerint: at parùm fore credibile, si quis pacato animo rem expendere voluerit; qua in re Tatto refragari nolim. Ceterùm Liutprandi diploma exstare ait (ubi de*

B Joanne) *in archivio episcopali Comensi, licèt pag.* 944 *illius dumtaxat compendium referat.*

annum 10 *Monet præterea Tattus, Robertum, sicut in* S. Joannis, *ita & in assignando Deodati emortuali anno hallucinatum esse: siquidem anno 781 in vivis esse desisse Deodatum, scripserit; eo videlicet tempore, quo, exciso Longobardorum regno, Carolus Magnus Franciæ rex potiebatur Italiâ: cùm tamen (quod uno omnes ore fatentur) post Deodatum quinque Novocomenses numerentur episcopi genere Longobardi, & à regibus Longobardis ad id muneris evecti, procul dubio cùm in ipsorum potestate erat Italia, non Caroli Magni tempore, quo Italiæ regno exciderant Longobardi, post captum anno 774 Ticini Desiderium. Vide Sigonium lib. 3 de Regno Italiæ, & Muratorium in Annalibus Italiæ ad hunc annum. Si verum est, quod lib. 1 cap. 4 de Nobilitate Mediolanensi Paulus Morigius scribit, nempe anno 635* Joanni *nostro alterum successisse Joannem hujus nominis tertium, ille ante medium seculi* VII *obiisse dicendus est; verùm circa medium ejusdem seculi Comensem cathedram etiamnum occupâsse Victorinum* Joannis *secundi decessorem, probabilius apparet, magisque receptum est. Vide Tattum in Victorino, & Acta nostra tom. 2 Sept. pag.* 541.

AUCTORE J. B.

& diem examinantur. 11 *Ballarinum num. 7 ex Tatto erroris arguimus, quòd Victorinum anno 644 sub Constantino III è vivis ereptum fuisse, scribat: fuit is Constantinus Heraclii imperatoris filius anno 641 (eodem, quo pater ejus obierat) atque adeo triennio ante assertam à Ballarino Victorini mortem, veneno à Martina Augusta propinato, ut creditum fuit, sublatus è medio, teste Baronio. At cùm Ballarinus etiam* Joannem *secundum sub Constantino III obiisse dicat, non de Constantino Heraclii filio, sed nepote, quem alii Constantem, alii Constantium, alii denique Constantinum appellârunt,* E *intelligendus videtur. Dies denique* S. Joanni *natalis non idem est omnibus, his 2 Octobris, illis 5 ejusdem mensis assignantibus. Postremum Ballarinus in* Joanne *secundo, & Ferdinandus Ughellus in serie Episcoporum Comensium num.* 18, *affirmant, sed omni auctoritate destituti, inquit Tattus, quibus hic traditionem opponit ecclesiæ Comensis, quæ sancti sui Præsulis memoriam semper secundo Octobris, non quinto recoluit, cui in tanta antiquiorum monumentorum penuria adhærere, tutius atque consultius arbitramur.*

DE SS. LEODEGARIO EPISCOPO ET GERINO COMITE FRATRIBUS MARTYRIBUS.

IN GALLIIS.

C F C. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Gerini memoria in Fastis sacris, cultus ecclesiasticus & an ei titulus Comitis conveniat.

ANNO DCLXXVI ET DCLXXVIII. *S. Gerinus, frater S. Leodegarii*

PAr simile illustrissimorum fratrum, qui in Gallia annis circitèr novemdecim antè eadem ferè de causa, & eodem verosimiliter auctore Ebroïno, impia & crudeli morte affecti sunt, produximus mense præcedenti ad diem XXVIII, *S. Annemundum episcopum Lugdunensem & Dalfinum ejusdem Lugdunensis civitatis præfectum. Hunc tamen* Sancti *titulo non distinximus, nec de ipso acturi eramus, nisi id exegissent gesta & martyrium S. Annemundi, cùm nec Fastis sacris inscriptum legerimus, nec alicubi speciali cultu honoratum. At* Gerinus *comes, qui variè à variis, ab aliis scilicet* Guerinus, Gairinus, & Garinus; *ab aliis verò* Girinus, Gaerinus & Gairoenus, *imò & Warinus seu* Varinus *scriptus invenitur, plus hîc aliquid requirit; nam & ejus gesta non modò cum gestis fratris sui* S. Leodegarii *similiter connexa sunt, sed & nomen ut sancti Martyris multis sacris Fastis ipsique hodierno Martyrologio Romano adscriptum est, & cultus non uno in loco specialis sufficienter confirmatus; quæ cùm non omnibus lectoribus nostris tam plenè cognita sint, multùm quippe abest, ut per ecclesiam tam celebris sit* S. Gerinus *comes, quàm* S. Leodegarius *episcopus, primùm exponenda & probanda suscipimus.*

2 *Initium ducimus ab Auctariis Usuardini Martyrologii, à Sollerio nostro editis. Istic ex codicibus*

AUCTORE C. B. *Usuardo auctore, variisque aliis*

dicibus Antverpiensi, Antverpiensi maximo, Ughelliano & antiquissima editione Lubecana Maxima datur hæc annuntiatio ad diem 2 Octobris: Eodem die sancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii, *quibus verbis ex Bruxellensi codice additur:* Quem Ebroïnus lapidibus obrutum interfecit. *Ex Hagenoyensi codice:* Ipsa die Gerini fratris sancti Leodegarii martyris, quem idem Ebroïnus ligatum ad stipitem lapidibus obrui præcepit. *Ex editione Lubeco-colonienſi:* Item sancti Garini martyris, fratris beati Leodegarii prædicti episcopi. *Ex Greveni editione:* Item sancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii episcopi, quem vilis apostata Ebroïnus de exilio reductum jussit lapidibus obrui. *Denique ex editionibus Bellini & Molani, sed iisdem verbis, quibus ex codicibus Antverpiensibus. Usuardinis auctariis jungo annuntiationem unam, quam ex vetustiori suo Vaticano codice Roswcydiani Adonis textui subjicit Dominicus Georgius, quæque, ubi de speciali* S. Gerini *cultu mox sermo erit, usui iterum est futura: est autem hæc:* Apud Verziacum castrum, sancti Girini martyris, fratris sancti Leodegarii episcopi.

B *Fastis sacris ad 2 Octobris inscribitur,*

3 *Martyrium* S. Gerini *celebrârunt etiam ad eumdem diem auctor Florarii nostri Ms. istis verbis;* Item sancti Gerini martyris, fratris beati Leodegarii, qui ab Ebroïno captus, pòst lapidibus obruitur. *Auctor Martyrologii Germanici:* Item sancti martyris Gerini, qui mo memorati sancti episcopi Leodegarii frater ab antedicto infami apostata Ebroïno ab exsilio evocatus & absque omni culpa lapidibus obrutus fuit. *Saussayus in Martyrologio Gallicano post prolixum elogium* S. Leodegarii, *in quo &* Gerini *martyrium exponit:* Ipso die natalis est præfati sancti Gairini, fratris sancti Leodegarii, celebris; cujus mors in Dei conspectu propter innocentiam pretiosa, ab Ecclesia pro martyrio censita est, hocque titulo ejus memoria priscis tabulis adscripta, sacris anniversariis honoratur. *Longum quoque utriusque Sancti elogium texuit Petrus de Natalibus lib. 9 cap. 13 sub isto titulo:* De sanctis Leodegario episcopo & Gerino mart. *& hâc clausulâ:* Passio horum Martyrum agitur VI Non. Octobris. *Mitto Galesinium, Maurolycum, aliosque recentiores, qui* S. Gerini *martyris memoriam recolunt in suis Fastis, ac demum hodierni Romani Martyrologii annuntiationem subnecto:* Item sancti Gerini martyris, fratris ejusdem beati Leodegarii, qui ibidem lapidibus obrutus est. *Verùm hæc in loco martyrii assignando, quod hîc notari convenit, satis exacta non est.*

C

4 *Nam, cùm proximè sequatur annuntiationem, quâ* S. Leodegarius in territorio Atrebatensi *necatus asseritur, ultimo suo membro importat,* S. Gerinum *in eodem Atrebatensi territorio lapidibus obrutum fuisse, quod vel à veritate alienum est, vel certè admodum dubium;* S. Gerinus *enim, ut ex Actis edendis pateſcet, eo in loco lapidibus est obrutus, ad quem Theodorico Francorum regi cum fratre suo* Leodegario *sistendus ab Ebroïno majore-domus fuerat arcessitus; est autem pèrquàm verisimile, hunc non alium fuisse, quàm civitatem Parisiensem aut quamdam è villis haud procul ab ea dissitis, in quibus Francorum reges versari frequenter solebant, tumque etiam Theodoricus, nisi fortè fuerit Parisiis, verosimiliter versabatur. Sanè nihil occurrit, unde appareat, quòd tunc sive ad conventum celebrandum, sive aliam ob causam in territorio Atrebatensi Theodoricus ex-*

licèt, uti locus, sic &

stiterit. Advertit hæc haud dubiè Castellanus; hincque in Additionibus & Correctionibus ad Martyrologium suum Universale S. Gerini *martyrium propè Parisios consignavit, quòd antè in ejusdem Supplemento ad territorium Atrebatense Martyrologii Romani Baroniani exemplo retulerat. At sancti* Gerini *palæstram generaliori loquendi modo in* Galliis *locare propterea malo, quòd, cùm omnino certum non sit, Theodoricum tunc, cùm* Gerinus *necaretur, Parisiis vel in hujus urbis vicinia exstitisse, certum etiam omnino non sit, an* S. Gerinus *prope Parisios, an in alia Galliarum parte martyrio fuerit coronatus.* D

dies martyrii incertus sit,

5 *Porrò ut locus, sic & dies martyrii* S. Gerini *incertus est: constat quidem ex Actis priori loco edendis,* S. Leodegarium *aliquanto temporis spatio post necem* Gerini, *quæ, ut pòst videbimus, anno 676 contigit, ad monasterium Fiscamnense fuisse abductum, in eoque per biennium ferè resedisse, antequam martyrio coronaretur, quod, ut postmodùm pariter videbimus, ad 2 Octobris anni 678 referendum est; quare etiam martyrium* S. Gerini *ad 2 Octobris anni 676, quo passus est, referendum erit, si illud temporis intervallum, quod inter ejus necem &* Leodegarii *ad monasterium Fiscamnense adventum intercedit, unà cum biennio ferè, quo ibidem is versatus est, duos annos integros, nullo etiam die vel deficiente vel redundante, perfectè constituat; ast cùm id incertum sit, nullaque ratione queat probari, pro incerto etiam habeo, an* S. Gerinus *2 die Octobris anni 676, an alio fuerit occisus, idque quamvis ejus nomen vix ad alium diem Fastis sacris inveniatur adscriptum; vulgo enim jam notum est Sanctorum Passiones, Translationes, Elevationes & similia, non iis semper diebus, quibus acciderunt, sed sæpe aliis pro arbitrio assumptis in Martyrologiis annuntiari, ut nec ad* XXV *Augusti* S. Gerini *martyrium referendum sit, etiamsi, teste Chiffletio in Dissertatione de annis Dagoberti cap. 16, in antiquis membranis legatur:* Lapidatio beati Gayreni est VIII Kalendas Septembris. *Id nihilominus movisse videtur Castellanum, ut in Additionibus & Correctionibus Martyrologii sui Universalis* S. Gerini lapidationem *ad* XXV *Augusti consignaret, quamvis eam jam antè retulisset ad 2 Octobris, qui dies ad memoriam* S. Gerini *celebrandam à martyrologis, qui eum post atatem Usuardi Fastis suis primò inscripserunt, non alia fortè de causa electus fuit, quàm quòd eo jam* S. Leodegarius *in Adonis & Usuardi Martyrologiis esset signatus, congruumque ducerent, ut duo illi Fratres, qui ab eodem Ebroïno eadem de causa injustè fuerant occisi, eodem etiam die memorarentur. Progredior nunc ad qualemcumque* S. Gerini *cultum probandum.* E F

habetque cultum

6 *Bailletus ad 2 Octobris, à quo Auctor Vitarum Sanctorum Augustodunensium anno 1713 Gallicè editarum, & Saussayus verbis num. 3 recitatis non dissentit,* S. Gerinum *publicè ab Ecclesia honorari, generatim quidem affirmat, sed locum, in quo is cultu ecclesiastico gaudeat, in particulari nullum assignat. Facit id D. Michaël Germanus Congregationis S. Mauri monachus in Historia parthenonis S. Mariæ Suessionensis anno 1675 à se conscripta: in ea enim, ubi pag. 294 mortem* Gerino *ab Ebroïno illatam narravit, mox subdit:* Honoratur (*Gerinus*) ut martyr in ecclesia S. Mariæ (*Suessionensi*) quæ ejus reliquias possidet. *Dionysius Sammarthanus Galliæ Christianæ auctæ tom. 2 col. 369 de Ebrolienſi,*

Or-

A *Ordinis S. Benedicti in diœceſi Claromontenſi cœnobio, quod vulgo* S. Leodegarii monaſterium *nuncupatur, ſic agit, ut* S. Gerinum *ſummo in honore ibidem etiam haberi, ſatis indicet; ait enim, ſacra* S. Leodegarii *pignora unà cum reliquiis* S. Gerini, *fratris ejuſdem* S. Leodegarii *epiſcopi Æduenſis*, in altari principe ibidem aſſervari, *adeoque ſacris Sanctorum reliquiis annumerari. Duobus hiſce ſcriptoribus Benedictinis accedit P. Petrus Franciſcus Chiffletius Societatis noſtræ ſacerdos, qui Majores noſtros de cultu, quo in Vergiacenſi ſeu Verziacenſi S. Viventii monaſterio, territorii Æduenſis ſeu Auguſtodunenſis ad radices montis Vergiaci ſito,* S. Gerinus *gaudet, ſequenti hac notitia ſubmiſſa edocuit:* In monaſterio S. Viventii Vergiacenſi, in una capſa cum reliquiis S. Renoberti Bajocenſis epiſcopi, & S. Zenonis ejuſdem diaconi aſſervantur quædam oſſa S. Guerini martyris cum hac inſcriptione: "Beatus Guerinus, cujus hîc ſunt ſa-„cra oſſa, frater fuit beati Leodegarii marty-„ris. Hunc tempore Theodorici regis Ebroï-„nus, qui tunc major-domus exiſtebat, ex in-„vidia, diabolo inſtigante, juſſit lapidibus occi-

B „di. Quod cùm factùm fuiſſet, à quibuſdam no-„bilibus & religioſis viris ſepultus eſt in monte „Vergiaco juxta mœnia caſtri„ *quod tunc ſcilicet, ſi modò jam erat conditum, cacumini montis illius erat impoſitum.* "Cujus orationibus à „Deo adjuvari devota mente poſcimus; & „quem in terris tamquam patronum ob hono-„rem martyrii veneramur, advocatum in cæ-„lis pium habeamus apud Patrem noſtrum, qui „vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. „Amen.„

eccleſiaſticum diverſis locis,

7 *Addit deinde laudatus Chiffletius:* In eccleſia S. Viventii ad quatuor angulorum templi commiſſuram verſus illam partem, quæ cacumen montis Vergiaci reſpicit, mauſolæum S. Guerini exiſtit, monumento plano ſine inſcriptione notatum, ſupra quod binis columnis ſuffultum ad trium circitèr pedum altitudinem lapis in formam crucis efformatus aſſurgit, ſub quo peregrini, qui dictam eccleſiam inviſunt, devotè genuflectendo tranſeunt. *Ex quibus omnibus certum eſt,* S. Gerinum, *ſi non in pluribus Galliarum locis, ſaltem in tribus jam memoratis cultum eccleſiaſticum diu habuiſſe, hodieque etiamnum veroſimillimè habere, ut à vero haud dubiè aberret Caſtellanus, dum in Supplemento Martyrologii ſui Univerſalis ad annuntiationem* S. Gerini *in margine annotat, ſanctum illum Martyrem nec in loco martyrii, nec alibi uſpiam cultum umquam habuiſſe; ſed hic martyrologus fortè dumtaxat vult, non reperiri,* S. Gerinum *ullibi umquam Officii eccleſiaſtici in ejus honorem concinnati recitatione, annuæve feſtivitatis celebritate fuiſſe honoratum, quod nec ego comperi, excuſſis etiam Breviariis, quibus Officium de* S. Leodegario, *unáque de fratre ejus* Gerino *inſertum fortè eſſe ſuſpicabar; puto tamen in iiſdem tribus memoratis locis in Officio eccleſiaſtico, quod ad 2 Octobris recitatur,* S. Gerini *ſaltem præſcribi commemorationem, uti etiam in monaſterio Maxentiano, cujus monachi aliquot corporis* S. Gerini, *æquè ac* S. Leodegarii, *particulas penes ſeſe etiamnum exiſtere contendunt, proque ſancto martyre ab immemorabili tempore* Gerinum *venerati ſunt, quod an etiam laudata num. 6 monaſteria fecerint, nunc indagemus.*

8 *Chiffletius num. 6 laudatus notitiæ à ſe miſſæ nihil ſubjecit vel præmiſit, quod vel inſcriptionis, quam oſſa* S. Gerini *præferunt, vel mauſolæi, quod in eccleſia S. Viventii Vergiacenſi in honorem ejuſdem ſancti Martyris erectum eſt, antiquitatem commendaret, ut ex Chiffletiana notitia tantùm habeamus,* S. Gerinum *ſeculo præcedenti, quo illa ad Deceſſores noſtros tranſmiſſa eſt, cultu eccleſiaſtico in monaſterio Vergiacenſi fuiſſe honoratum; at cultum* S. Gerini *apud monachos Vergiacenſes multò antiquiorem eſſe, probari interim utcumque poteſt ex annuntiatione* S. Gerini *à Dominico Georgio ex vetuſtiori ſuo Vaticano codice Roſweydiani Adonis textui ſubjecta, quam num. 2 adduximus, quâque* S. Gerinus apud Verziacum caſtrum *idcirco veroſimiliter annuntiatur, quòd tunc, cùm vetuſtior ille Dominici Georgii codex Vaticanus ſcriberetur,* S. Gerinus *in monaſterio Vergiacenſi cultu eccleſiaſtico jam gauderet, niſi fortè quis velit, in memorato codice Vaticano* S. Gerinum *propterea tantùm* apud Verziacum caſtrum *annuntiari, quòd ſacrum ejus corpus in monte Verziaco haud procul à caſtro cognomini aliquamdiu jacuerit ſepultum. Veroſimillimum ſanè id foret, ſi idem ille codex Vaticanus ante finem ſeculi noni, ſub quem aut etiam ſerius monaſterium Vergiacenſe tantùm eſt conditum, fuerit conſcriptus; neque enim ſic alia ſuppeteret veriſimilis ratio, ob quam in eo* S. Gerinus apud Verziacum caſtrum *annuntiaretur; verùm codex ille Vaticanus, quem ad certum ævum ipſe Dominicus Georgius non refert, tantæ vetuſtatis eſſe non videtur. Certè annuntiatio* S. Gerini, *quæ ei inſerta eſt, ad Roſweydianum Adonis textum non pertinet, & an illa etiam ad genuinum Adonem pertineat vel ex eo poteſt ambigi, quòd dubium admodum ſit, an ætate Adonis jam caſtrum Vergiacenſe exſtiterit. Adde, quòd inſcriptio num. 6 notitiæ Chiffletianæ inſerta, cùm de ejus vetuſtate non conſtet, indubitatam non faciat* S. Gerini *ſepulturam* in monte Vergiaco juxta mœnia caſtri, *adeoque dubium ſit, an propterea in Vaticano Georgii codice* apud Verziacum caſtrum S. Gerinus *annuntietur.*

& Sueſſionenſi, quæ certa eſt in Ebrolienſi, ex reliquiarum,

9 *Utut ſit, cùm jam à ſeculo decimo major pars corporis* S. Gerini, *ut pòſt videbimus, in monaſterio Ebrolienſi exſtiterit, ſacriſque Sanctorum reliquiis hæc fuerit accenſita, dubium ſaltem non apparet, quin* S. Gerinus *in eodem monaſterio longiſſimo abhinc tempore cultum eccleſiaſticum habuerit; quapropter veriſimile etiam fit, eumdem ſanctum Martyrem eodem honore in monaſteriis Vergiacenſi & Sueſſionenſi non uno abhinc ſeculo fuiſſe gaviſum, cum veriſimile, ut mox apparebit, etiam evadat, in iis ſacras* S. Gerini *reliquias à pluribus jam ſeculis exſtitiſſe. Sed antequam rem hanc pluribus pertractem, neceſſe eſt, ut de reliquiis* S. Gerini, *de iis* S. Leodegarii *infrà in particulari acturus, nonnulla hîc jam diſſeram, quò hactenus aſſerta firmiora ſubſiſtant. Laudatus enim dominus Germanus in Opere num. 6 cit. pag. 398, ab Ebrolienſibus in Arvernia monachis affirmari, aſſerit, quòd corpora* SS. Leodegarii & Gerini *in ipſorum eccleſia exiſtant, præter caput & alterum* S. Gerini *brachium, Meimacenſibus in diœceſi Lemovicenſi monachis donata; id autem cum iis, quæ de reliquiis ejuſdem ſancti Martyris etiam alibi exiſtentibus jam dicta ſunt, non ſatis rectè congruit.*

quarum nulla pars in monaſterio Meimacenſi exiſtit,

10 *Dico itaque in primis, non probari, caput & alterum* S. Gerini *brachium Meimacenſibus monachis umquam fuiſſe conceſſa, hîcque veroſimiliter D. Germanum in eo, quod ab Ebrolienſi-*

AUCTORE C. B. *cujus ſumma antiquitas in monaſteriis Vergiacenſi*

E

F

AUCTORE C. B.

bus generatim contendi affirmat, idcirco hallucinatum esse, quòd, cùm apud Mabillonium Seculo 2 Bened. pag. 706 legisset, Maxentienses in diœcesi Pictavienſi monachos majorem partem reliquiarum S. Leodegarii *cum corpore* S. Gerini, *ejus fratris, Ebrolienſibus dimisisse* præter caput & manus, *quæ Bernardus Guido Lutevensis episc. in Tract. de Sanctis Lemovic. num.* 40 *apud monasterium Maymacum Ordin. S. Bened. pia devotione coli affirmat, ad verba illa* præter caput & manus, *quorum etiam loco substituit* præter caput & brachium, *non satis attenderit, sicque hæc, ipsomet Bernardo Guidone non consulto, ad* S. Gerinum, *quod loquendi modus Mabillonii, utpote ambiguus, non impediebat, referenda duxerit; certè in Tract. cit., quem studiosus lector in Bibliotheca nova à Philippo Labbeo Societatis nostræ sacerdote edita tom.* 1 *ad pag.* 629 *inveniet,* caput & manus *non* S. Gerini, *sed* S. Leodegarii *apud Maymacum in monasterio pia devotione honorari, Bernardus Guido affirmat. En ejus verba:* S. Leodegarii Augustodunensis episcopi & martyris, quem Ebroïnus major domus regiæ decollavit & exoculavit, MANUS &

B CAPUT apud Maymacum in monasterio pia devotione venerantur, *quibus cùm de* S. Gerino *nil commemoret, verosimiliterque tamen ob subjectæ materiæ affinitatem commemorâsset, si in Meimacensi monasterio ejus aliquot reliquiæ cum* S. Leodegarii *reliquiis etiam exstitissent, persuasum mihi habeo, nec* caput *nec* brachium *aliudve* S. Gerini *membrum à Meimacensibus possideri, nisi fortè, quod mihi incompertum est, sacras illas exuvias post ætatem Bernardi Guidonis sæpe laudati obtinuerint.*

immemorabili in iis, ut,

11 *Quamquam autem nec* caput *nec* manus brachiumve S. Gerini *apud Meimacenses monachos existat, non est tamen, quod quisquam propterea existimet, integrum ejusdem sancti Martyris corpus cum capite, manibus ceterisque omnibus membris ab Ebrolienſibus possideri. Ex dictis enim num.* 6 *liquet, aliquas* S. Gerini *reliquias in monasteriis Vergiacensi & Suessionensi existere; imò verosimillimum etiam est, jam à pluribus seculis tum per sanctimoniales S. Mariæ Suessionenses, apud quas S. Sigrada, de qua ad* IV *Augusti apud nos actum est,* SS. Leodegarii & Gerini

C *mater, post mariti obitum, filiis matura jam ætate florentibus, religiosam vitam fuerat amplexa, tum per monachos Vergiacenses, in quorum vicinia* S. Gerinus, *ut notitia Chiffletiana num.* 6 *adducta præfert, à nobilibus religiosisque viris fuerat sepultus, partem aliquam reliquiarum* S. Gerini *petitam impetratamque fuisse; sed unde & quo determinato tempore, veterum monumentorum penuriâ me latet, ut locus hîc dumtaxat conjecturis esse queat; ne verò has, quas hîc facere non abre erit, pro parum aptis quis fortè habeat, nonnulla, quæ postmodùm fusiùs majori pro parte exponentur, paucis hîc ad clariorem jam dictorum ac porrò dicendorum intelligentiam prænotanda sunt.*

paucis prænotatis,

12 S. Leodegarius *jussu Ebroïni majoris-domus iniquè necatus, tot tantisque miraculis statim à morte inclaruit, ut eorum fama, quidquid etiam contrà niteretur Ebroïnus, longè latéque per universas Francorum provincias spargeretur, interemptoque deinde Ebroïno, in aulam Theodorici regis fuerit perlata. Hinc factum est, ut de sacro inclytissimi Martyris corpore ad locum honoratiorem transferendo fuerit cogitatum, illudque etiam reipsa non din pòst jussu Ansoaldi Pi-*

D *ctavienſis episcopi, statim ut huic sacer ille thesaurus, quem pariter Ermenarius Augustodunensis, & Vindicianus Atrebatensis, episcopi ecclesiæ suæ vindicare nitebantur, sorte ducta, obtigit, ab Audulfo abbate ad Maxentianum cœnobium in diœcesi Pictavienſi situm, plurimis in itinere patratis miraculis, fuerit translatum, inque ecclesia de novo exstructa postmodò tumulatum, in qua usque ad medium circitèr seculum nonum quievit. Tunc autem sacras illas exuvias monachi Maxentienses metu Normannorum, qui per varias Galliæ provincias, perque ipsum Pictavienſe solum ferro & igne grassabantur, huc illucque fugientes, primò quidem in Armoricam seu Britanniam minorem, deinde ad Arvernos, postea Autisiodorum detulerunt, tandemque ædificato in* Leodegarii *honorem monasterio Ebrolio in Arvernis, ibidem majorem earum, corporisque* Gerini *fratris partem reliquerunt, ut hinc liqueat corpus* S. Gerini, *aut saltem majorem ejusdem partem, apud monachos Maxentienses seculo nono exstitisse, utpote sacro illo thesauro jam à seculo septimo tunc, cùm in honorem* S. Leodegarii, *cujus corpus acceperant, novam ecclesiam ædificarent, eum in finem verosimillimè donatos, ut*

E *corpora duorum illorum illustrium fratrum,* Leodegarii *scilicet &* Gerini, *qui eadem de causa Ebroïni imperio injustè fuerant necati, in eadem etiam illa ecclesia, de novo exstruenda, summo honore sepelirent, sicque* S. Gerinus, *cujus corpus (vide num.* 6) *in monte Vergiaco minùs honorificè, fortéque præ metu Ebroïni clanculùm quodammodo fuerat inhumatum, tumulum omnibus spectabilem, clarissimoque Martyre dignum in solo Pictavienſi acquireret, in quo hunc honorem, utpote, cùm viveret, Pictavienſis comes, jure quodam suo videbatur reposcere.*

conjicitur, possessione saltem verisimilis evadit.

13 *Hisce prænotatis, non ineptè, quantùm opinor, quis conjici putabit, Sanctimoniales S. Mariæ Sueſſionenses tam famâ longè latéque vulgatâ, quâ* SS. Leodegarium *ejusque fratrem* Gerinum *ut glorioſos Christi martyres passim ab omnibus prædicari audiebant, quàm innumeris miraculis, quæ, dum prioris corpus ad solum Pictavienſe transferretur, in itinere acciderant, plurimùm excitas, sanctorum illorum Fratrum, quorum mater Sigrada vitam religiosam inter ipsas duxerat, fortéque etiam tunc ducebat, sacra*

F *corpora sibi ex parte communicari, jam tunc, cùm ad monasterium S. Maxentii primùm essent advecta, nondumque in novam ecclesiam illata, longioris moræ impatientes à monachis Maxentienſibus instantissimè postulâsse, postulatumque impetrâsse. Quod verò jam pertinet ad reliquias* S. Gerini *in monasterio Vergiacenſi existentes, nemo etiam, ut puto, pro inepta conjectura habebit, monachos Vergiacenses sub finem seculi noni, initiumve sequentis, monasterii sui, quod tunc primùm est conditum, sacris Sanctorum exuviis locupletandi, ut monachis ecclesias ædificantibus solemne erat, vehementer cupidos, animum præcipuè adjecisse, ut corporis* S. Gerini, *quod in monte monasterii sui olim inhumatum jacuisse, aut veterum monumentorum fide, aut certè populari traditione didicerant, ossa saltem aliquot acquirerent, huncque in finem apud monachos Maxentienses, qui tunc à patria, è qua S.* Gerini *aliorumque Sanctorum corpora secum asportârant, non adeo procul à Vergiacenſi cœnobio, in agro scilicet Autisiodorenſi aut in vicinia metu Normannorum exsulabant, plurimùm institisse, ab iisque voti sui compotes esse factos. Incerta*

hæc

A *hæc libuit proferre, dum certiora de modo & tempore, quibus reliquiæ* S. Gerini *ad ſanctimoniales S. Mariæ Sueſſionenſes, & ad monachos Vergiacenſes devenêre, comperire non potui; id autem ſi quo modo comperiri poſſet, certiſſimo foret immemorabilis* S. Gerini *in utroque illo monaſterio cultûs argumento; nunc verò id comperiri cùm nequeat, is ex dictis ſaltem veriſimilis evadit, imò pro veriſimillimo habeo, cùm etiam ſeorſum ab iis, quæ jam dicta ſunt, dubitandum non videatur, quin longiſſimo abhinc tempore mox memorati monachi & ſanctimoniales* S. Gerini *reliquias poſſederint.*

An S. Gerino titulus Comitis

14 *Ceterùm* S. Gerinum *in capite hujus Commentarii, & hoc ipſo §* Comitis *titulo non ſemel inſignivi; at an hic* S. Gerino *verè competat, dubitare me fecerunt coævi* SS. Leodegarii & Gerini *biographi, de quibus infrà ſat fusè agetur, quique* S. Gerinum *nuſpiam* comitem *appellant. Iis accedebant Cointius in Annalibus, Pagius in criticis, aliique plures, qui dum* S. Gerinum *nuncupant, à* Comitis *titulo ſemper abſtinent. Dubium illud nihilominus mihi utcumque exemerunt nonnulli recentiores æquè ac vetuſtiores ſcriptores, qui, dum de* S. Gerino *agunt, eum* comitis *titulo inſigniunt: recentiores illi ſunt Dionyſius Sammarthanus tom. 2 Gall. Chriſt. auctæ*

B *col. 1152 & 1153, Longuevallius tom. 4 Hiſtoriæ eccl. Gallic. pag. 113, Caſtellanus in Supplemento ad Martyrologium ſuum univerſale, aliique plures, quos recenſere hîc neceſſe non eſt; vetuſtiores verò duo præcipuè occurrunt, ſcriptor ſcilicet incertus Fragmenti hiſtorici ab Urſtiſio præfixi Chronico Alberti Argentinenſis atque à Cheſnio tom. 1 ſcriptorum Franciæ pag. 782 recuſi, & auctor anonymus Hiſtoriæ Novientenſis monaſterii à Martenio tom. 3 Anecdotorum inſertus, qui ambo ſcriptores, quamquam ſeculis ut minimùm quatuor poſt ætatem* S. Gerini *floruerint, potuerunt tamen, quod etiam reipſa feciſſe hiſtoricus Novientenſis Martenio in admonitione prævia videtur, in Opere ſuo concinnando antiquiorum ſcriptorum lucubrationibus uti, ex iiſque certò diſcere titulum* comitis Pictavenſis, *quem prior apud Cheſnium laudatum pag. 783, poſterior verò apud Martenium tom. cit. col. 1129* S. Gerino *attribuit.*

competat, & quid hic ſignificet.

15 *Binis his poſtremis ſcriptoribus addi poſſunt*

C *Henricus Ludovicus Chaſteigner de la Rochepoſay, Pictavienſis epiſcopus, qui primis quinquaginta annis ſeculi præteriti floruit, quique tom. 2 Bibliothecæ novæ Mss. Labbeanæ pag. 730 in notis ad Litanias Pictonicas à ſe concinnatis* Gerinum S. Leodegarii *fratrem* Pictonum comitem *appellat, & auctor anonymus, qui in Vita S. Baboleni, Foſſatenſis abbatis, quam litteris conſignavit, ac deinde Cheſnius tom. 1 Script. Hiſt. Francorum à pag. 658 inſeruit, exſtare aſſerit epiſtolam, quâ confirmantur omnia, quæ dicta antè vel ſcripta de monaſterio Foſſatenſi fuerant, quamque Clotharius, Chlodovei filius, ad preces matris ſuæ Baldechildis anno primo regni ſui ſancto patri Baboleno, præſente* Gerino comite, *contulit; hoc laudati anonymi aſſertum Cointius & Mabillonius, quamquam ejus errores, hic Sec. 2 Benedict., ille tom. 3 Annalium, rigidiſſima criſi recenſeant ac carpant, pro erroneo commentitiove non habent, ut non appareat, cur falſitatis ſuſpectum haberi debeat, atque adeo ad titulum* comitis S. Gerino *certiùs vindicandum non parùm faciat, ſi per* Gerinum comitem, *quo præſente, memorata epiſtola collata aſſeritur,* S. Gerinus S. Leodegarii *frater debeat intelligi. Id autem ego omnino propterea exiſtimo, quòd, cùm Clotharius, Chlodovei & Baldechildis ſeu Bathildis filius, anno primo, qui cum anno Chriſti 656 congruit, in Francia regnaret,* S. Gerinus, *utpote anno 676, ut infrà videbimus, martyrio coronatus, veroſimillimè floruerit, nulliuſque alterius comitis nomine* Gerini, *qui tunc in vivis eſſe potuerit, Francorum hiſtorici meminerint, adeoque dubitandum vix videatur, quin anonymus S. Baboleni biographus* S. Gerinum *indigitet, hicque verè fuerit urbis Pictavienſis territoriique adjacentis comes, id eſt, judex ſeu præfectus; majorum enim civitatum, provinciarumque præfecti ea ætate earumdem comites ſolebant appellari, ut apud Cangium in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis ad vocabulum* comes & comites *videre licet, variiſque poteſt antiquarum chartarum exemplis demonſtrari.*

AUCTORE C. B.

§ II. Sancti Leodegarii in Faſtis ſacris antiquioribus & recentioribus memoria, Vitæ variæ, ex iiſque duplex edenda.

E

S. Leodegarii, qui in omnibus ferè

TOt *Faſtis ſacris tum antiquioribus, tum recentioribus* S. Leodegarius *inſcriptus eſt, ut non niſi pauciſſimis Sanctis hac in re palmam cedat. Inter antiquiores, qui in Faſtis ſuis, quos Martyrologiorum claſſicorum nomine diſtinguimus,* S. Leodegarium *conſignârunt, primum locum tenet Florus, ſi modò is verus Florus ſit, à Deceſſoribus noſtris ante tom. 2 Martii editus; hic ad 2 Octobris* S. Leodegarium *in hunc modum annuntiat:* In Gallia paſſio S. Leodegarii epiſcopi & martyris, qui juſſu Ebroini (qui antè monachus, tunc major domus extitit) oculis & linguâ privatur, ſed fame non tollitur; & poſtea magnâ inopiâ trucidatus *, noviſſimè enſe ſuſcepto plectitur capite. *Floro accedunt Wandelbertus & Rabanus, quorum ille ſolum hodie* S. Leodegarium *ſic canit:*

* cruciatus

Mox ſextum Nonarum Leodegarius ornat,
Seditione potens quem dux populuſque peremit.

F

Ille verò ad hunc diem etiam S. Leodegarium *epiſcopum refert quidem, ſed hunc* Confeſſoris *titulo inſignit, atque à* Leutgario *ſeu* Leodegario *Auguſtodunenſi epiſcopo, cujus paſſionem paulò fuſiùs die ſequenti celebrat, prorſus diſtinguit; qua in re vehementer hallucinari videtur.*

Martyrologiis Claſſicis,

17 *Proximi binis his martyrologis ſunt Ado, Uſuardus & Notkerus: Ado* Leodegarium *his verbis annuntiat:* In Atrebatis *, villa Siricinio, paſſio ſancti Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi, quem variis injuriis & diverſis ſuppliciis pro veritate afflictum, Ebroinus major domus regiæ interfecit. Cujus ſacrum corpus in diœceſi Pictavorum tranſlatum, in monaſterio beati Maxentii honorificè eſt humatum. *Uſuardus totam hanc Adonianam annuntiationem in Martyrologium ſuum tranſtulit præter ultimum ejus membrum de Sancti tranſlatione, & voces aliquot initio poſitas, quibus is* villæ *ſeu vico* Siricinio in territorio Atrebatenſi *adſcribitur, quibuſque has* in territorio Adartenſi *rectè ſubſtituit; nam cùm* S. Leo-

** id eſt,* in agro Atrebatenſi,

AUCTORE C. B.

Leodegarius in villa *seu vico* Siricinio *passus non sit, sed tamen* in territorio Atrebatensi, *quod, teste Valesio in Notitia Galliarum, hìc* Adartense *ab Usuardo nuncupatur, passio ejus minùs rectè* in villa *seu vico* Siricinio, *ubi sepultus tantùm est, rectè* in territorio Adartensi *seu* Atrebatensi *signatur, ubi sita est sylva, hodie* S. Leodegarii *dicta, in qua Sanctus, ut pòst videbimus, martyrium suum seu passionem consummavit. Notkerus, qui* S. Leodegarium *etiam ad hunc diem Martyrologio suo inscripsit, Adonis exemplo Sancti nostri passionem* in villa Syrricinio *minùs rectè collocat, atque insuper* in Atratis *pro* in Atrebatis *perperàm descripsit.*

ipsis Hieronymianis codicibus

18 *Præter jam memorata Martyrologia Classica adhuc tria alia supersunt omnium antiquissima, nempè Hieronymianum, Romanum vetus seu parvum & illud, quod sub Bedæ nomine tom. 2 Martii Majores nostri præfixerunt. Duo posteriora quidem* S. Leodegarii *certissimè non meminerunt; quod verò ad primum attinet, dubitat etiam in Usuardo suo Sollerius noster, an* S. Leodegarius *ad codices Hyeronymianos seu Martyrologium cognomine pertineat; ast, ut verum fatear, dubitandi hac de re causam, quam habuit,*

B *non satis assequor; neque enim Sollerius per codices Hieronymianos intellexit codices Hieronymianos simplices & nudos, omnibusque additamentis, Gregorii Magni saltem ætate posterioribus, expurgatos, cùm omnino certum sit ad Hieronymianos hujusmodi codices* Leodegarium *non spectare, utpote quem ex dicendis patebit lucem non aspexisse, nisi pòst Gregorium Magnum sub initium seculi* VII *vitâ functum; intellexit ergò Sollerius codices Hieronymianos pòst ejusdem Gregorii Magni ætatem variè seu auctos seu contractos; ast quamquam in majori hujusmodi Antverpiensi seu Epternacensi, sub initium seculi* VIII *scripto codice* Leodegarius *non compareat, comparet tamen, distincto licèt charactere, ut pro Hieronymiano tantùm ævi posterioris auctario habeatur, in majori Lucensi apud Florentinium, uti etiam apud Dacherium tom. 4 Spicilegii in majori Corbeiensi & in pluribus codicibus Hieronymianis contractis, scilicet, ut è multis aliquot recenseam, in Autissiodorensi, Morbacensi, Turonensi à Martenio tom. 3 Anecdot. insertis, imò in ipsomet breviori Corbeiensi apud eumdem Martenium tom. cit., de quo tamen ipse Sollerius in sua ad Usuardum Præfatione pag.* IX *num.* 31 *pronuntiat, quòd appareat, omnia, quæ in eo occurrunt, ex aliquo Hieronymiano codice fuisse desumpta, ut mirum esse non debeat, quòd rationem dubitandi, quam hic Sollerius habuit, non satis assequar, utque* S. Leodegarius *etiam ad codices Hieronymianos seu auctos seu contractos verosimillimè spectet; ex quo consequens est, martyrologos omnes classicos, si Bedam Romanique parvi auctorem exceperis,* S. Leodegarium *in Fastis sacris à se concinnatis commemorare.*

C

Fastisque sacris posterioris ævi hodie memoratur,

19 *Neque minori consensu posterioris ævi scriptores* S. Leodegarium *in Martyrologiis suis Fastisve sacris concelebrant. In Hagiologio Franco-Gallico, quod Labbeus edidit, iisdem planè verbis annuntiatur, quibus in Usuardo. In Kalendario Corbeiensi apud Martenium, annorum circitèr* 800, *ista mense Octobri signantur:* VI. Nonas. Atrebatis ... passio S. Leodegarii: *in Martyrologio ecclesiæ Germanicæ, quod anno* 1687 *Augustæ Vindelicorum prodiit, ante annos septingentos conscripto:* VI. Nonas. Sci Laudegarii epi. & mar.: *in Kalendario, quod Martenius, apud quem exstat, ex Ms. Lyrensi ante annos* 600 *eleganter scripto erutum affirmat:* VI. Non. sancti Leodegarii: *in Kalendario Ms. Ultrajectino, quod anno* 1374 *scriptum notatur:* VI. N. Leodegarii epi. & mris: *& in Kalendario Romano Genebrardi seculi* 16: 2 Leodegarii ep. Edue. m. *Denique in Martyrologio Fuldensi, pluribusque Kalendariis à Dominico Georgio editis, uti etiam in Fastis sacris ferè omnibus seculi præteriti & præsentis* S. Leodegarius *memoratur, idque in nonnullis cum prolixiori elogio, quibus recensendis tempus hìc terere, necesse non est, cùm nihil singulare suppeditent, quod non clariùs elucescat ex Actis edendis, de quorum fide, auctoritateque nunc agere, ante omnia convenit; mitto itaque cum ceteris recentioribus, quorum num.* 3 *jam partem nominavi, etiam Bucelinum, Menardum, aliosque Ordinis S. Benedicti hagiologos, qui Sanctorum suorum catalogo (an rectè, infrà discutietur)* S. Leodegarium *pariter inscribunt, solamque Romani hodierni annuntiationem etiamnum hìc addo, quæ cum Usuardina, præterquam quòd territorium, in quo* S. Leodegarius *martyrium subiit, non* Adartense, *sed vocabulo nunc notiori* Atrebatense *nominet, ad verbum ferè consonat. En illam:* In territorio Atrebatensi D passio beati Leodegarii Augustodunensis episcopi, quem variis injuriis & diversis suppliciis pro veritate afflictum, Ebroïnus major domus regiæ Theodorici interfecit. R

tres vitæ exstant, interque has duæ antiquiores;

20 *Tres Vitæ præcipuæ* S. Leodegarii, *quibus singulis martyrium* S. Gerini, *fratris ejusdem sancti Antistitis, etiam insertum est, à tribus auctoribus diversis conscriptæ circumferuntur; duas antiquiores, quæ hoc Commentario nobis usui præsertim erunt, quarumque alteram auctor anonymus, alteram Ursinus conscripsit, Andreas Chesnius tom.* 1 *Historiæ Francorum primus edidit, priorem quidem ex codice Ms. Jacobi Sirmondi, posteriorem verò, ut Decessoribus nostris meritò visum est, ex interpolatione fere Suriana; Mabillonius deinde Seculo* 2 *Benedictino utramque illam lucubrationem recudendam curavit, primam ad apographum Chesnianum iterum exactam, alteram ad Mss. codices monasteriorum S. Germani Pratensis & S. Cornelii Compendiensis nonnullis in locis emendatam. Bouquetus hanc Mabillonii editionem tom.* 2 *Scriptorum Rerum Gallicarum iteravit, ejusque auctorem ad amussim in omnibus est secutus.*

F *harum alteram scripsit auctor anonymus coævus,*

21 *Anonymus, cujus Opus apud jam laudatos Chesnium, Mabillonium & Bouquetum primo loco excusum est,* S. Leodegario *procul omni dubio fuit coævus; cùm enim lucubrationem suam inscripserit Ermenario proximo* Leodegarii *anno* 678, *ut infrà probabimus, martyrio coronati, in episcopatum Augustodunensem successori, cui ante annum* 692, *ut ex tom.* 2 *Galliæ Christianæ auctæ in episcoporum Augustodunensium catalogo fit perspicuum, in eumdem episcopatum jam alter successerat, consequens est, ut eam ante dictum annum* 692 *adornârit; imò vix dubium mihi apparet, hunc uno dumtaxat alterove ad summum anno pòst Sancti è loco martyrii ad monasterium S. Maxentii translationem, ante quam, cùm de ea commemoret, haud dubiè non scripsit, anno, ut pòst probabimus,* 681 *factam,* S. Leodegarii *gesta calamo excepisse. Cùm nim, ut in Prologo fatetur, Ermenario episcopo Augustodunensi jubente, spiritualibus fratribus postulantibus,* impatienterque inter ceteros, *ut num.* 61 *loquitur, Ermenana abbatissa Cadurcensi compellente, lucubrationem illam aggressus sit, ii autem non diu verosimillimè*

A *millimè poſt memoratam tranſlationem, utpote recenti plurimorum miraculorum, quæ in ea acciderant, famâ memoriâque excitati, geſta S. Martyris litteris conſignari, ab anonymo noſtro inſtantiſſimè poſtulârint, veroſimile mihi non eſt, eum uno alterove ampliùs anno moras nexuiſſe, antequam Ermenarii epiſcopi ſui, Ermenanæ abbatiſſæ, fratrumque ſuorum ſpiritualium voto obſecundârit, ut ſcriptorum Hiſtoriæ litterariæ Franciæ, qui tom. 3 pag. 629 anonymi noſtri lucubrationem uſque ad annum 687 à recentioribus quibuſdam differri improbant, opinioni propensè accedam.*

non tamen etiam pro certo, quomodocumque

22 *At non eo modo eorumdem ſcriptorum ſenſa poſſum amplecti, dum anonymum noſtrum, qua in re Mabillonium ſibi prælucentem habuêre, monachum Auguſtodunenſem, & quidem S. Symphoriani fuiſſe indicant. Licèt enim is tum num.* 42, *dum Winebertum, aliàs Winobertum, abbatem, unum è fratribus ſuis appellat, tum etiam alibi monachum ſe prodat, & quidem Auguſtodunenſem, id eſt, ex urbe vel diœceſi Auguſtodunenſi, dum in prologo juſſu Ermenarii Auguſtodunenſis epiſcopi ſeſe manum Operi admovere*

B *indicat, nihil tamen ſuggerit, ex quo monachis S. Symphoriani Auguſtodunenſibus certò debeat accenſeri. Porrò Mabillonius in Obſervationibus prævиis ad Vitam S.* Leodegarii *anonymum noſtrum aſſerit, etiam teſtem fuiſſe in pluribus oculatum, probarique id putat tum ex his ipſiuſmet anonymi edendi num.* 35 *verbis:* Quod qui audire potuit, aut videre, verum credidit eſſe, *quibus, ut affirmat, ille ſatis innuit, audiſſe ſe ex ore Ebroïni,* Leodegarium, *quod proximè narrârat, famis inediâ conſumendum eſſe; tum ex his ejuſdem anonymi ab ipſo editi cap.* 13 *ſub finem:* Cœperunt velociùs contra naturam ejus (*Leodegarii*) labia recreſcere ſimiliter unà cum lingua, nec non & verba vidi ultra ſolitum ab ejus ore effluere. *Verùm præterquam quòd nihil ſuppetat, unde veriſimile utcumque fiat, anonymum noſtrum Ebroïno, ut ex hoc* Leodegarium *famis inediâ conſumendum audire potuerit, adfuiſſe, verba priori loco citata iniquam Ebroïni in* Leodegarium *ſententiam proximè ſequuntur, moxque, nullis aliis interpoſitis, hæc ſibi habent ſubjuncta:*

* *al.* eremo

Sed qui Heliam per corvum pavit in heremum*, nec ſuum ibi deſeruit Famulum, *ut veroſimiliter non ſignificent, quòd ii, qui id ex Ebroïno audiverant,* Leodegarium *famis inediâ conſumendum crediderint, ſed nihil aliud fortè, quàm quòd ii, qui audire potuerunt aut videre, quàm crudeliter famis inediâ (neque enim ſævum Ebroïni mandatum ſolo ore prolatum viſu quiſquam perceperit)* Leodegarius *torqueretur, futurum crediderint, ut reipſa ſanctus Antiſtes famis inediâ interiret.*

C 23 *Fortè etiam nihil aliud important, quàm quòd ii, qui videre potuerunt aut audire, conſtructum eſſe tumulum, in quo* Leodegarius *ſepultus eſſe ferebatur, verum id eſſe crediderint; illis enim verbis anonymus, qui ſubinde admodum obſcurus eſt, hæc proximè præmiſerat:* In ſilvarum ſecreta eum (*Leodegarium*) jubet (*Ebroïnus*) retrudi, & de ejus morte quaſi necatum * in aquis, fabulam mendacem confingere *, etiam tumulum ſepulturæ ejus conſtituere * juſſit, donec ipſum longæ famis inedia conſumeret, *quæ fortè hunc ſenſum habent: Ebroïnus in ſylvarum abdita* Leodegarium, *donec eum famis inedia conſumeret, jubet retrudi, deque ejus morte, quaſi necati in aquis, fabulam mendacem confingi, & tumulum, in quo ſepultus eſſe diceretur, conſtitui. Utrolibet modo verba* quod qui audire potuit *&c accipiantur, nihil ſanè ex his Mabillonius pro opinione ſua poteſt elicere, & numquam alioquin vel idcirco eliciet, quòd nulla adduci queat ratio, ob quam auctori illi Seculo Benedict. cit. pag.* 689 *in Annotatis anonymus noſter meritò videatur iiſdem verbis ſeipſum deſignare eum ad modum, quo S. Joannes in Euang. cap.* 14 *his,* Et qui vidit, teſtimonium perhibuit *ſeipſum deſignat. Quod jam ad hæc verba* cœperunt velociùs *&c poſteriori loco ſuperiùs adducta attinet, vox* vidi, *ex qua etiam oculati teſtis nomen anonymo laudatus Mabillonius attribuit, legitur tantùm apud ipſum, Cheſnium ac in Ms. noſtro, quod ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris tranſcriptum notatur, in ceteris omnibus abeſt; nihil autem ſuppetit, ex quo, an lectio Mabilloniana ut genuina admittenda, an verò ut adulterina rejicienda ſit, quis certò definiat. Sanè, ſive vox* vidi *adſit ſive abſit, nihil oritur incommodi: ſi enim adſit, ſenſui non officit, ſi verò abſit, non requiritur, ut ſenſus plenus evadat; poſſet nihilominus vel hinc quis fortè ſuſpicari vocem illam redundare, lectionemque, in qua abeſt, eſſe genuinam.*

* *al.* necati
* *al.* confingi
* *al.* conſtitui

id probare Mabillonius contendat,

24 *Ut ut ſit, rationes à Mabillonio allatæ, ut ex dictis liquet, tales ſanè non ſunt, ut anonymo noſtro teſtis oculati titulum certò vindicent; verùm plurima, præſertim ex illis, quæ* Leodegarius *jam creatus epiſcopus Auguſtoduni ſeu geſſit ſeu paſſus eſt, ea accuratione iiſque adjunctis exponit, tamque aſſeveranter affirmat, ut hæc ſaltem eum vel propriis oculis aſpexiſſe, vel certè ex teſtibus oculatis omni fide dignis audiviſſe, mihi habeam perſuaſum, idque eò firmiùs, quòd is auctor, narratâ, quam* Leodegarius *ab inimicis ſuis paſſus eſt, oculorum evulſione, mox ſubdat:* Teſtes enim ſunt multi illuſtres viri, qui aderant in præſenti; *quibus ex verbis, cùm in tempore præſenti dicat* teſtes enim ſunt multi illuſtres viri, *ſatis apertè videtur innuere, viros illos illuſtres etiam tunc, cùm ſcriberet, in vivis ſuperfuiſſe, ſeque ex iis oculorum evulſionem à* Leodegario *patientiſſimè toleratam, adjunctaque eam comitata, quibus adfuerant, didiciſſe.*

teſtis in pluribus oculatus;

alterum Urſinus ſcriptor pariter coævus;

F 25 *Urſinus, qui alteram* S. Leodegarii *Vitam ſcripſit, quemque Hiſtoriæ litterariæ Franciæ ſcriptores tom.* 3 *pag.* 631 *&* 654 *priorem aut fortè etiam abbatem monaſterii Locociacenſis prope Pictavium fuiſſe ſuſpicantur, viciſſim* Leodegario *cœvus exſtitit; hic enim, ut in Prologo indicat, Vitam Sancti noſtri elucubravit juſſu Anſoaldi Pictavienſis epiſcopi, urgentiſſimiſque precibus Audulfi monaſterii S. Maxentii abbatis, quorum ille, ut anonymus noſter & Urſinus ſcribunt, corpus* S. Leodegarii *ad ſolum Pictavienſe transferendi auctor exſtitit, hic ſub annum* 681 *tranſtulit. Quare ex iis, quæ num.* 21 *de anonymo diſſeruimus, unuſquiſque haud difficulter colliget, laudatum Urſinum, uti aſſerimus,* Leodegario *fuiſſe cœvum, ut neceſſe non ſit, idem vel ſimile ratiocinium hîc iterum inſtitui. Hujus auctoris lucubratio, uti etiam illa anonymi memorati, duas partes complectitur; prior Sancti Vitam ſeu Paſſionem exponit, poſterior tranſlationem ad agrum Pictavienſem, miraculaque in ea & ad Sancti ſepulcrum patrata enarrat. Hæc eadem omnino ſunt, quæ ab anonymo referuntur, atque id quidem iiſdem ferè verbis, quod nihilominus mirum nemini videri debet; id enim ex eo procul omni dubio accidit,*

AUCTORE C. B.

cidit, quòd uterque hic biographus eam dumtaxat lucubrationem hîc descripserit, quâ Audulphus abbas mox laudatus, ut ex num. 61 anonymi intelligitur, miracula translationem S. Leodegarii *comitata, quæ propriis oculis aspexerat, summa fide complexus est, quamque Ursinus quidem ab ipsomet Audulpho, cùm gesta Sancti, eo petente, conscriberet, haud dubiè impetrârat; ille verò, ut num. 61 apertè innuit, vel ipsomet etiam Audulpho, vel certè Ermenana abbatissa Cadurcensi mittente acceperat.*

neuter alteri verosimiliter præluxit; licèt autem

26 *Quod ad lucubrationum, quas Ursinus & anonymus adornârunt, priorem partem attinet, in hac nonnullis aliter anonymus, aliter Ursinus narrat; nonnulla etiam, quæ quantum ad substantiam eadem prorsus sunt, iisdem pariter ferè verbis exponunt. Hinc fit, ut duplex hîc quæstio oriatur; prima, an Ursinus anonymo, an potiùs hic Ursino præluxerit; altera, an anonymi, an Ursini in iis, in quibus dissentiunt, auctoritas potior debeat haberi. A priori duco initium. Memoratam Audulphi abbatis lucubrationem Ursinus æquè ac anonymus, ut jam dictum est, præ oculis verosimillimè habuit, ex eaque miracula in translatione*

B

Sancti patrata Operi suo inseruit; ille nihilominus id nusquam vel verbo insinuat, hic verò num. 61 apertissimè declarat, ut verisimile mihi sit, futurum etiam fuisse, ut lectorem moneret, si lucubrationem Ursini præ oculis habuisset, eamque ad Opus suum contexendum adhibuisset; quapropter, cùm id non faciat, vix dubium mihi est, quin sine lucubrationis Ursinianæ subsidio gesta S. Leodegarii *scripto mandârit. At, inquies, an ergò Ursino anonymus indubiè præluxit? Valesius quidem tom. 3 Rerum Francicarum lib. 21 pag. 266 hunc minimè nominatum nonnumquam ad verbum ab Ursino transcribi, indubitanter affirmat; verùm Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. 3 pag. 630 id ipsum suspicantur dumtaxat, proque indubio nullatenus habendum putant, cùm Opus Ursini ante illud anonymi lucem fortè aspexisse, loco citato etiam insinuent. Quare illorum opinio propiùs, quàm Valesiana, ad meam accedit; puto enim, frequentem illum Ursini cum anonymo in iis, quæ narrat, etiam verbis tenus, consensum non oriri ex eo, quòd alter alterum sæpe transcribat, sed ex eo, quòd non semel jam laudata Audulfi abbatis lucubratio, quæ ambobus illis scriptoribus præluxit, quamque hi, nonnulla*

C

subinde pro arbitrio suo facta vel non facta mutatione, descripserunt, non sola miracula in translatione S. Leodegarii *patrata, sed etiam præ nonnullis aliis atroces injurias sævissimaque tormenta, quibus ab Ebroïno ejusque assectis* S. Leodegarius *necatus est, ex parte saltem fuerit complexa; præterquam enim, quòd frequens ille anonymi cum Ursino, etiam verbis tenus, consensus ibi tantùm, ut consideranti patebit, incipiat, ubi Ebroïniana in* Leodegarium *persecutio narrari inchoatur, duobus ultimis Vitæ numeris nonnulla referuntur, quæ sanè ad miraculorum, quæ in Sancti translatione acciderunt, classem minimè pertinent, quæque tamen lucubrationi seu relationi suæ ipsummet Audulfum, qui in monasterio S. Maxentii abbas erat, etiam inseruisse, ex ecclesiæ in honorem S. Martyris ibidem ædificatæ aliisque adjunctis, quæ duobus num. cit. narrantur, satis mihi verisimile apparet.*

27 *Discutienda nunc supereſt altera quæstio; utrius scilicet auctoritati, an anonymi, an Ursini in iis, in quibus dissentiunt, plus tribuendum sit. Valesius tom. 3 Rerum Francicarum, ubi pag. 262 auctoritatem ac fidem anonymi sine dubitatione se secutum, asseruit, pag. 266 de Ursino sic pronuntiat:* Ursinus... quoties dissentit à scriptore (*anonymo scilicet*) Vitæ Leodegarii, quem minimè nominatum nonnumquam ad verbum transcribit, plerúmque incertas relationes sequitur, & aliqua de B. Leodegario fatetur ipsemet se ignorare, *dum scilicet, ut verosimillimè vult Valesius, in Prologo dicit:* Sin verò de ejus (*Leodegarii*) virtutibus aliquid prætermisi, nec studiosè gessi, quin verò ignorantiâ intermittendo præterii. *Valesio, in quantum Ursino anonymum præfert, Cointius & Pagius assentiuntur; hic quidem dum in Criticis tom. 3 ad annum Christi 668 num. 10 sic scribit:* Hic (*Ursinus*) nonnumquam dissentit, nonnumquam consentit verbis tenus cum anonymo, qui Hadriano Valesio meritò præferendus videtur; *ille verò, dum in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum 670 num. 3, sugillato Ursino, quòd priorem Theodorici III Francorum regis proximè post mortem Clotharii III in Neustria & Burgundia principatum, qui paucorum mensium fuit, silentio prætereat, hæc subdit:* Sunt & alia quædam corrigenda in Ursino, qui tantæ authoritatis, quantæ prælaudatus anonymus, apud probos judices numquam erit, *adeò ut appareat, tres scriptores illos anonymum Ursino generatim in omnibus, & quidem longissimè, præferre.*

anonymo Ursinus generatim à nonnullis postponatur;

E

28 *Verùm ego anonymum Ursino non ita generaliter ubique præferendum existimo; distinguenda enim hîc sunt ea, quæ* S. Leodegarius *Pictavii existens, nondumque creatus episcopus egit, ab iis, quæ ad episcopatum jam evectus, Augustoduni præcipuè seu gessit seu passus est. In posteriorum relatione auctoritas anonymi, ut ex dicendis patescet, potior debet haberi, in narratione verò priorum, quâ cura abbatialis in S. Maxentii, diœcesis Pictavienſis, monasterio* S. Leodegario *à Didone, ejus avunculo, Pictavienſium episcopo commissa, ejusque ad aulam per S. Bathildem reginam, hujusque filium Clotharium III evocatio & nonnulla alia, quæ anonymus prætermittit, accuratissimè narrantur, summam utique fidem auctoritatemque Ursinus, qui temporum notas rebus, quas refert, frequentiùs, quàm anonymus, & quidem rectè etiam apponit, procul omni dubio meretur, tum ex eo, quòd ipsemet, ut ex dictis num. 25 liquet, episcopatûs Pictavienſis fuerit, adeóque res à* Leodegario *in eo gestas ex fideli saltem multorum, qui iis interfuerant, relatione (neque enim in iis testis oculatus ipsemet fuisse videtur) verosimillimè, ut in Prologo innuit, didicerit, tum ex eo, quòd Vitam* S. Leodegarii *ad petitionem Audulfi abbatis à se elucubratam Ansoaldo episcopo nuncupârit, qui ambo viri, cùm alter* S. Leodegarii *in curam abbatialem S. Maxentii, alter Didonis in episcopatum Pictavienſem proximus successor exstiterit, cognationeque hic ultimus, ut ex anonymi num. 58 eruitur, cum* Leodegario *fuerit conjunctus, res sancti hujus Antistitis Pictavienſes, seu quas Pictavii ante episcopatum gessit, probè perspectas habere potuerunt, de iisdemque edocere Ursinum, si quando in iis is à vero aberrâsset.*

F

hic tamen in rebus Pictavienſibus; ille verò in Augustodunenſibus

29 *In Vita S. Emmerammi episcopi martyris ad diem* XXII *Septembris apud nos edita num. 32 Commentarii prævii Ansoaldus Pictavienſis episcopus, res* S. Leodegarii *probè perspectas habere potuisse, indefinitè dicitur; id sanè mihi dubium non est; at probam exactamque rerum* S. Leodegarii *notitiam, quam is antistes actu, re-*

partim ratione Ermenarii, cui Opus suum

que

A *que ipſa habuit, non ad res Auguſtodunenſes, ſed ad ſolas ferè Pictavienſes extendendam exiſtimo, quæ tamen etiam ad cognitionem decennii, quò Urſinus epiſcopatum* Leodegarii *Auguſtodunenſem ante obitum Clotharii III definit, conducere potuerunt; cùm enim in narratione eorum, quæ* Leodegarius *jam epiſcopus, Auguſtoduni præcipuè geſſit, aut paſſus eſt, Urſinus cum anonymo nonnumquam pugnet, conſequens eſt, alterutrum à vero ſubinde aberrâſſe; porrò cùm anonymus Opus ſuum inſcripſerit Ermenario, qui quoniam ex abbate monaſterii Auguſtodunenſis S. Symphoriani proximus fuit* S. Leodegarii *in epiſcopatum ſucceſſor, res proximi Deceſſoris ſui in eodem epiſcopatu geſtas probè pariter perſpectas habere, de iiſdemque anonymum, ſi quando is in iis à vero aberrâſſet, admonere potuit, conſequens ulteriùs eſt, alterutrum epiſcopum, Anſoaldum ſcilicet Pictavienſem, cui lucubrationem ſuam Urſinus inſcripſit, vel Ermenarium Auguſtodunenſem, cui ſuam anonymus, res* Leodegarii *Auguſtoduni factas probè perſpectas non habuiſſe, aut ſcriptorem lucubrationis ſibi inſcriptæ, cùm is à vero deviaret, monere noluiſſe. Quare cùm hoc ultimum minùs veriſimile appareat, ſupereſt, ut vel Anſoaldus vel Ermenarius res Sancti Auguſtodunenſes probè perſpectas non habuerit; oportet autem, ut id de Anſoaldo dicatur; de Ermenario enim idcirco dici non poteſt, quòd is veroſimillimè quæcumque* Leodegarius *Auguſtoduni geſſit, vel propriis oculis aſpexerit, vel ex teſtibus oculatis audierit, quod luculenter in hunc modum nunc oſtendo.*

inſcripſit, partim ex ſe potiorem fidem meretur.

30 *Ea, quæ* Leodegarius *Auguſtoduni aut geſſit aut paſſus eſt, exſilium, quo à Childerico rege mulctatus fuit, vel ſubſecuta ſunt, vel præceſſerunt; quæ exſilium ſubſecuta ſunt, ab anonymo à num.* 28 *uſque ad* 34, *uti etiam ab Urſino, quamquam paulò aliter, num.* 11, 12 *&* 13 *exponuntur; hæc Ermenarius, ſi non vidit, veroſimillimè ex teſtibus oculatis diſcere ſtuduerit, reque ipſa didicerit, cùm* Leodegarium, *in cujus epiſcopatum proximè ſucceſſit, penitus dejecerint, miſerrimèque afflixerint Auguſtodunum, cujus urbis ærumnæ Ermenarium, cùm hanc ipſi, ut ex anonymo num.* 19 *intelligitur, rex Childericus,* Leodegarium *relegans, populo petente, commendâſſet, non parum tangere debebant:*

C *quæ exſilium præceſſerunt, partim ab anonymo & Urſino, partim à ſolo anonymo referuntur. Priora, quæ ab Urſino æquè ac anonymo narrantur, quæque acciderunt, cùm Childericus Auguſtoduni, quò à* Leodegario *fuerat invitatus, ad ſolemnitatem Paſchalem celebrandam verſaretur, Ermenarium vel propriis oculis vidiſſe, vel ex teſtibus oculatis audiviſſe, ex eo mihi veriſimile eſt, quòd tunc, ut anonymus num.* 19 *docet, abbatis munere in Auguſtodunenſi S. Symphoriani monaſterio fungeretur, ab eoque, feſtivitate Paſchali inſtante, præſenteque rege, haud dubiè non abfuerit; poſteriora quæ à ſolo anonymo narrantur, quæque eccleſiam à* S. Leodegario *variis ornamentis ditatam, ſacras S. Symphoriani martyris reliquias honorificè tranſlatas, mœniaque urbis reſtaurata præſertim ſpectant, haud dubiè Ermenarius, cùm jam monaſterii S. Symphoriani Auguſtoduni abbas eſſet, à* Leodegario *proximo deceſſore ſuo fieri conſpexerit, aut ab eo facta eſſe, ex teſtibus fide dignis, certiſſimè didicerit, ut jam liqueat Ermenarium omnia, quæ* Leodegarius *Auguſtoduni geſſit, ſeu paſſus eſt, vel propriis oculis conſpexiſſe, vel ex teſtibus oculatis audiviſſe, ſe, adeóque & probè perſpecta habuiſſe, aut certè melius, quàm Anſoaldus, qui procul à* Leodegario *Pictavii morabatur. Quapropter cùm anonymus* S. Leodegarii *biographus Ermenario, qui eum, ſicubi in rebus Auguſtodunenſibus Sancti à veritate deviâſſet, monere potuiſſet, veroſimiliterque monuiſſet, lucubrationem ſuam inſcripſerit, atque ipſemet inſuper monachus vel Auguſtoduni vel certè in epiſcopatu cognomini exſtiterit, potiorem fidem, quàm Urſinus, qui procul inde in epiſcopatu Pictavenſi verſatus eſt, indubiè meretur, quando in narrandis rebus, quas* S. Leodegarius *Auguſtoduni geſſit, inter ſeſe diſſentiunt.*

AUCTORE C. B.

tertiam minùs vetuſtam ſcripſit alter anonymus.

31 *Tertia è præcipuis* S. Leodegarii *Vitis, quæ apud nos Ms. exſtat, ab altero auctore anonymo, exarata eſt; hic illam in duos libros partitur, ſtatimque ab initio monachum ſe prodit, dum in Prologo indicat, ſe ſcribere imperio cujuſdam patris ſive abbatis, cui non poſſit non obtemperare, & quidem Morbacenſem, dum monachos, ad quos ſcribit, nunc* Fratres cariſſimos, *nunc* Patres venerandos *nominat, hoſque initio libri* 2 *innuit Alemannos fuiſſe, qui caput ſancti Martyris penes ſe eſſe dicerent; id autem è monachis Alemannis, ut infrà videbimus, Morbacenſes contendunt, ut dubium non appareat, quin hi hîc deſignentur. Scripſiſſe videtur uno tantùm ſeculo aut paulò ſeriùs poſt* Leodegarium; *inſinuat enim, ætate ſua fuiſſe notiſſimum, quòd plures viri illuſtres principeſve, qui in Francorum regno tunc dominabantur, parentes ſive conſanguinei* S. Leodegarii *exiſterent. Opus ſuum, ut jam monui, in duos libros partitur; in poſteriori, qui inſcribitur* De miraculis S. Leodegarii, *hæc habet:* Omiſſa igitur faſtidifera multiplicitate, dicemus pauca de illis miraculis, quæ legimus eſſe facta in partibus Aquitaniæ, ubi corpus ſancti Martyris colitur ſumma veneratione. Dicemus & de illis pauca, quæ vidimus, dum maneremus in Gallia; lætatur namque Gallia venerandis ſancti Martyris oculis illuminata; pòſt habemus illa narrare, quæ videndo didicimus in finibus Alamanniæ, ubi glorioſum caput inclyti Militis dignis laudibus, ſancti Patres veneramini.

E

quæ vix aliquid præter Urſinum ſuppeditat.

32 *Tria ergò promittit miraculorum capita, nempe Aquitanica, Gallica & Alamannica; ſed apographum noſtrum, quod ex Ms. monaſterii Caritatis tranſumptum notatur, ſolis narratis Aquitanicis, quo etiam vitio Legendarium Fulienſe à Mabillonio ſeculo* 2 *Benedict. pag.* 679 *citatum laboravit, lectorem ſuum deſtituit, ſuntque illa prorſus eadem, quæ ab Urſino & anonymo, de quibus ſuprà, enarrantur. In priori ſolam Vitam ab Urſino conſcriptam exhibet, ſed hanc variè interpolat; etenim ea omnia ſedulò omittit, quibus videri Urſinus utcumque poteſt,* Leodegarium *Ebroïno ſeu comparare ſeu facere æqualem;* maximè *nimirùm* offendebat, *ut ait, patrem ſeu abbatem, cujus juſſu ſcribit,* quòd antiquus ille ejuſdem Paſſionis (*S. Leodegarii*) ſcriptor (*Urſinus ſcilicet, neque enim alium præ oculis habuiſſe videtur*) injuſtè & ſine diſcretionis temperamento B. Leodegarium, nefariumque illius perſecutorem Hebroinum pluribus in locis æquales facere non dubitaverit. *Ad hæc Urſiniano textui colloquia pro arbitrio à ſe conficta ſubinde inſerit, præterque ea, & pauca initio lib.* 1 *&* 2, *nihil ferè ſingulare habet, quod non in Urſino legatur.*

F

33 *Quapropter hunc auctorem, cùm nec lib.*

AUCTORE C. B.

ideoque hâc & binis aliis brevioribus Vitis omissis,

2, *ut jam innuimus, ampliorem, quàm Ursinus aut anonymus noster vetustior, Miraculorum* S. Leodegarii *notitiam subministret, typis vulgandum non censemus, uti nec vulgandum Mabillonius censuit; illum nihilominus ob ea præsertim, quæ initio lib.* 1 *&* 2 *habet, in hoc Commentario prævio subinde citabimus, idque præcipuè, ubi de illustri sancti Martyris prosapia, deque celebri ejus cultu sermo erit. Porrò præter tres jam memoratas* S. Leodegarii *Vitas exstat insuper apud nos duplex alia; altera nempe Historia Ms. Sanctorum Namurcensium inscripta, altera anno* 1643 *à P. Petro Possino, Societatis nostræ sacerdote Tolosâ, ex Ms. Moysacensi, cum aliis nonnullis brevioribus Sanctorum Vitis huc transmissa: ast utraque compendio ferè ea tantùm tradit, quæ ab anonymis & Ursino, de quibus suprà, fusiùs explanantur, ut operæ pretium non fuerit alterutram excudere. Mabillonius in Analectis pag.* 20 *recentioris editionis etiam assignat Vitam metricam* S. Leodegarii *in codice S. Galli ante annos octingentos conscriptam:* Vita, *inquit,* S. Leodegarii episcopi Æduensis exstat in codice sancti Galli ante annos octingentos metricè scripta duobus libris, quorum

B alter Vitam, alter Miracula complectitur. Prologus ita incipit:

Carmina plura nitent studio florente peracta.

Verùm ego Vitam illam metricam neque in excusis nostris voluminibus, neque in Mss. codicibus & apographis, quantâcumque adhibitâ diligentiâ, invenire potui, dubitoque, an inventa multùm ad illustranda S. Leodegarii *Acta conduxisset; ipsissima enim fortè dumtaxat est anonymi vetustioris aut Ursini lucubratio versibus reddita.*

solas duas vetustiores edemus.

34 *Solas itaque duas Vitas* S. Leodegarii *vetustiores, quarum altera ab anonymo, altera ab Ursino conscripta est, Commentario huic prævio subnectemus; priorem quidem ex codice signato PMS.* 16, *quem cum Apographo Ms., quod cum Ms. Cornelii Duyn collatum notatur, nos contulimus, uti etiam cum editione Chesniana & Mabilloniana, cum Ms. Bronienſi, Ultrajectino S. Salvatoris & Bronienſi altero, ex quo cum duobus penultimis Mss. & binis mox nominatis editionibus collato etiam mortem* S. Leodegarii, *adjunctaque eam proximè antegressa & subsecuta ferè descripsimus, quòd ea à codice & Ms. primo apographo abessent; posteriorem, ut fidem à Majoribus nostris tom.* 1 *Februarii pag.* 222 *num.* 86 *datam liberemus, ex quatuor Mss. excellentissimis, scilicet ex codice, qui notatur QMs.* 5, *quique seculo* XIII *scriptus videtur, ex altero paris vetustatis codice signato PMs.* 159, *& binis Mss. apographis, quorum alterum excerptum notatur ex Ms. S. Maximini Treviris, collato cum Mss. ecclesiæ S. Audomari, Bonifontis & Marchianensis cœnobii, alterum ex Ms. S. Benigni Divionensis & codice Romarici montis invicem collatis. Quatuor illa Mss. inter se contulimus, iatque insuper cum editione Mabilloniana, quæ anno* 1669 *primùm prodiit, ac cum Ms. Divit-augiensi, quod anno dumtaxat* 1748 *acquisivimus, quodque propterea, uti etiam editio Mabilloniana, Majoribus nostris prælucere non potuit, cùm anno* 1658 *tomum* 1 *Februarii ediderunt. Ceterùm utramque jam memoratam Vitam debitis Annotatis elucidabimus, ubi id in Commentario sufficienter præstitum non fuerit, iisque subinde variantes lectiones inseremus, quæ jam antè in margine Vitæ edendæ notatæ non fuerint, notabilioresque nihilominus exstiterint.*

D

§ III. Illustris Sanctorum Prosapia exponitur.

Etsi ex S. Leodegarii biographis rectè ejus prosapia non noscatur,

GLoriosus ac præclarus Leodegarius terrena generositate nobiliter exortus *est, inquit coævus anonymus, cujus ac aliorum verba ad generis excellentiam pertinentia etiam* Gerino *illius germano fratri applicanda esse, non est, quod moneam.* Beatus Leodegarius ex progenie celsa Francorum ac nobilissima exortus *est, ait Ursinus, & uterque, suppressis progenitorum nominibus, mox indicat, avunculum ipsi fuisse Didonem, episcopum Pictavensem. Idem hoc testantur passim veteres scriptores alii, ubi de Didone sermonem instituunt; verùm cùm nihil præterea adjiciant de stirpe ipsiusmet Didonis, eorum testimoniis, veluti ad præsens institutum non conducentibus, supersedebimus. Tertius* S. Leodegarii *biographus, quem deinceps titulo Anonymi Morbacensis plerúmque distinguemus, sub initium lib.* 1 *ita differit:* Illum etenim (*Leodegarium*) clarissimi inter Francorum principes non mediocris

E potentiæ parentes genuerunt: de quorum ingenuitate, quoniam adhuc plures ejusdem prosapiæ principantur in glorioso regno Franciæ, non fuit opus hîc plura dicere. In illis enim, si cupit quis, valet experiri, quàm nobili ortu Vir beatus, de quo loquimur, enituerit. *Altam hæc omnia de illustrissima Sanctorum familia cogitationem excitant, sed generalem dumtaxat ac indefinitam; cùm ne posterior quidem scriptor verbo significet, quibus in partibus regni Francorum, quibus titulis, quave auctoritate, dum ipse scriberet, principarentur, aut quâ viâ ex Sanctorum stirpe originem ducerent. Nihilominus anonymus hic scriptor posterior nonnihil conducet ad confirmandam proximam Bereſwindæ, Ethiconis Alsatiæ ducis uxoris, cum sanctis* Gerino *&* Leodegario *sanguinis conjunctionem, dum nonnullorum de hac asserta protulero.*

ex hac tamen Bereſwindæ Ethiconis ducis uxor, cùm hanc alii materteram

F 36 Bereswinda, *sive aliàs* Berehsinda, Berschinda, Bersinda, Berswinda, Bruswinda, *quæ, ut jam innui, matrimonio juncta fuit cum* Adalrico *duce, quem alii* Atticum, *plures* Ethiconem *appellant, Sanctorum nostrorum exstitit matertera, si accuratè notavit auctor anonymus seculi* XI *in Vita S. Odiliæ, virginis abbatissæ Hoemburgensis in Alsatia, part.* 2 *Seculi* 3 *Benedictini pag.* 488; *ibi enim hæc habet:* Temporibus Hilderici imperatoris erat quidam dux illustris, nomine Adalricus, qui etiam alio nomine Edichin dicebatur, ex nobilissimis parentibus generis nomen sortiens, Gallienſium territorio oriundus. . . . Hujus ergò thalamis venerabilis conjux adhærebat, ex nobilissimis progenitoribus orta, nomine Berehsinda, sicut adsertione plurimorum didicimus, adfinitate S. Leodegarii redimita, soror beatissimæ Sigrandæ, matris ipsius sanctissimi Leodegarii. Sigrandæ, *seu potiùs* Sigradæ, *nomen fuisse Sanctorum nostrorum genitrici, constat ex epistola consolatoria, quam* S. Leodegarius *ad ipsam direxit post obitum* Gerini, *fratris sui & alterius ejusdem filii, quamque sic orditur:* Dominæ & sanctissimæ genitrici Sigradæ, quæ antea per cognationem carnis, modò per conjunctionem spiritûs facta es vera mater... Leodegarius servus servorum Jesu Christi Salvatoris nostri. *Ethiconis ducis uxori nomen fuisse*

Bru-

A Bruſwindæ, *teſtatur quoque auctor Vitæ antiquioris S. Odiliæ, cujus ex codice, omni ferè ex parte mutilo, aliquot fragmenta protulit Hieronymus Vignier inter probationes ad Tabellas genealogicas domorum Alſatiæ, Lotharingiæ & Auſtriæ pag.* 63. *Verba huc ſpectantia deſcribo.* Dum igitur dux Ethico & Bruſwinda uxor ejus poſt piam converſationem ad longos annos perveniſſent, tandem volente Domino, uterque magno pietatis inſtinctu cum beatiſſima Odilia eorum filia vitam finire ſummo ardore flagitaverunt.

Leodegarii, alii hunc illius faciant avunculum,

37 Bereſwindam *ſimiliter nuncupant jam num.* 14 *laudatus incertus auctor Fragmenti hiſtorici, ab Urſtiſio præfixi Chronico Alberti Argentinenſis atque à Cheſnio recuſi tom.* 1 *Scriptorum Franciæ pag.* 783, *& jam num.* 14 *pariter laudatus anonymus alter in Hiſtoria Novientenſis monaſterii apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1129: *ſed hi alium inter Sanctos noſtros & Bereſwindam ſanguinis nexum faciunt; illos nempe tam hujus, quàm Bilihildis, quæ Childerici II regis conjux erat, avunculos faciunt. Prioris verba hæc ſunt:* Leudeſius namque, cùm Majordomûs eſſet, duxerat uxorem de proſapia ſanB cti Sigiſmundi regis, genuitque ex ea Athicum ſeu Adalricum, qui patre adhuc ſuperſtite, & Hilderico regnante, uxorem duxerat Berſwindam nomine, filiam ſororis ſancti Leodegarii, ſororem videlicet reginæ. Ob hanc cauſam conſanguinitatis à præfato rege ducatum Germaniæ adeptus eſt. *Conſonat pene ad verbum auctor poſterior, ſed iſta interſerit:* Athicus . . . uxorem duxit Berſwindam, filiam ſororis S. Leodegarii epiſcopi martyris, & Garini comitis Pictavenſis, ſororem videlicet reginæ. *Huic ſententiæ ſubſcribit laudatus Vignerius pag.* 2, *additque Bereſwindam à nonnullis perperàm appellari* Sororem S. Leodegarii; *veriſimillimè dicere voluerit* ſororem matris S. Leodegarii.

ſuiſſe videtur, idque ex eo veroſimilius fit, quòd ii, de quibus anonymus

38 *Verumtamen* ſororem matris S. Leodegarii *appellare pergunt eruditi nunc paſſim omnes, nominatim Mabillonius in Obſervationibus prævius ad Vitam S. Odiliæ, & tom.* 1 *Annalium pag.* 489; *Georgius Eccard in Originibus ſereniſſimæ ac potentiſſimæ familiæ Habſpurgo-Auſtriacæ col.* 12, *Joannes Hermannus Schminckius in Diſſertatione Hiſtorico-genealogica, quam laudatus Eccardus probationibus ſuis adjecit col.* 249 *&* C *ſeqq.; quos ſolos nomino, quia ipſi ſententiam à Vignerio admiſſam improbant & argumentis impugnant. Hæc argumenta apud ipſos videri poſſunt; ſive enim Bereſwinda fuerit Sanctorum matertera, ſive iidem Sancti fuerint avunculi Bereſwindæ, verum manebit, proximam fuiſſe hos inter & iſtam ſanguinis conjunctionem, ac proinde etiam, ſervata proportione inter Sanctos noſtros & omnes liberos, nepotes ac poſteros Bereſwindæ ex Ethicone duce, à quo & per quos eruditiores genealogi origines deducunt ſereniſſimarum domuum Habsburgo-Auſtriacæ & Lotharingicæ.*

Morbacenſis loquitur, Leodegarii fuerint conſanguinei, iſque veroſimiliter

39 *Porrò inter Bereſwindam & ſanctos noſtros* Leodegarium *&* Gerinum *proximam interceſſiſſe ſanguinis conjunctionem, poteſt etiam, ut ſuprà jam monui, ex anonymo noſtro poſteriori non parùm confirmari ſeu potiùs veroſimilius reddi; is enim, ut ex dictis num.* 31 *liquet, monachus Morbacenſis veroſimillimè exſtitit; quapropter dum eos, de quibus per verba num.* 35 *adducta loquitur, quique ejus tempore in glorioſo regno Franciæ principabantur, ex illuſtri* S. Leodegarii *proſapia fuiſſe ſignificavit, veroſimillimè ad ducis Ethiconis poſteros reſpexerit, præcipuéque ad Eberhardum ejuſdem Ethiconis ducis & Bereſwindæ, ut mox videbimus, ex Adalberto eorum filio nepotem, ac proin hic Eberhardus, qui, ut de ſpeciali* S. Leodegarii *cultu agentes probabimus, monaſterium Morbacenſe condidit, ex illuſtri* S. Leodegarii *proſapia veroſimillimè exſtitit; unde veriſimilius fit, Bereſwindam, ejus aviam, quod à pluribus aſſeritur, cum eodem ſancto Antiſtite ſanguinis vinculo fuiſſe conjunctam.* AUCTORE C. B.

reſpexerit ad ducis Ethiconis poſteros, præcipuéque ad Eberhardum.

40 *Quod verò anonymum Morbacenſem ad Ethiconis ſeu Adalrici poſteros, adeoque etiam ad Eberhardum, ejus nepotem reſpexiſſe, diximus, nobis primò viſum non eſt; præivit nempe Mabillonius in Obſervationibus prævius ad Vitam S. Odiliæ, ubi textum laudati Morbacenſis anonymi ſic excipit:* Quibus verbis deſignare videtur auctor ille Adalrici (*ſeu Ethiconis*) poſteros, qui Aleſatiam Auſtraſii regni partem adminiſtrâſſe memorantur. Etſi enim eo tempore Francorum nomine Neuſtraſii propriè appellabantur; tamen regnum Francorum etiam continebat Auſtraſiam, quæ Francia Auſtri & regnum Orientale dicta eſt. Nec aliam fortaſſe ob cauſam Eberhardus, ipſius Adalrici (ut aiunt) filius, cœnobium Murbacenſe in honorem S. Leodegarii, adſinis utique E ſui dedicari curavit DUX SUEVIÆ, COMES ALSATIÆ. *Ita ille, ſed Eberhardum Adalrici ſeu Ethiconis filium perperam appellat; is enim non Ethiconis & Bereſwindæ filius, ſed, ut à nobis jam nominatus fuit, ex Adalberto eorum filio nepos exſtitit.*

ejuſdem Ethiconis & Bereſwindæ non filium, ſed nepotem ex filio

41 *Id clariſſimè profitetur ipſemet Eberhardus in Charta pro dotatione monaſterii Murbacenſis apud Mabillonium tom.* 2 *Annalium pag.* 701, *dicens:* Ergò ego in Dei nomine Eberhardus, filius Adalberti, quondam ducis, etſi viliſſimus Chriſti famulus, dum non habetur incognitum, qualiter ante hos annos, unà cum conventu pontificum ſacerdotum & germano meo Leutfredo duce & conjuge mea Emeltrude . . . monaſterium ædificavi. *Idem non minùs clarè affirmant tam idem Eberhardus, quàm Leutfridus ſeu Liutfridus frater ejus, in Charta donationis factæ monaſterio Honaugienſi apud eumdem Mabillonium pag.* 696, *ubi ita loquuntur:* Liutfridus & Eberhardus cogitantes pro animabus noſtris vel pro æternæ retributionis venia, propterea complacuit nobis animus, ut de ipſa inſula, quæ dicitur Hohenaug, & Rhenus circuit, de parte noF ſtra, quantumcumque genitor noſter Adalbertus dux nobis moriens dereliquit, ad ipſum monaſterium condonare deberemus. *Hunc autem Adalbertum filium fuiſſe Ethiconis ac Bereſwindæ, fratremque S. Odiliæ, conſtat ſimiliter ex Fragmento Vitæ S. Odiliæ per coævum conſcriptæ, in quo paulò poſt verba num.* 36 *recitata iſta ſequuntur:* Sed vix elapſi ſunt aliquot menſes, quod venerabilis princeps Ethico dulciter animam efflavit, confolante eum & roborante B. Odilia. Domina autem Bruſwinda nono poſt maritum die ſimiliter expiravit & ſine ullo morbo, cùm eſſet in facello B. Joannis. Interim venerunt ad exſequias parentum Ethico (*ſecundus*) dux & Adalbertus dux pariter, Ethiconis & Bruſwindæ glorioſiſſima progenies.

Adalberto, cui præter hunc Eberhardum & Liutfridum filios

42 *In eodem porrò Vitæ Fragmento etiam Ethiconis ſecundi ac Adalberti enumerantur aliquot filii;* Frequenter, *inquit auctor*, veniebant (*Ethico ſecundus & Adalbertus*) ut à beata ſorore (*Odilia*) verba vitæ acciperent, nec fruſtra; poſt aliquot enim annos præfatos duces ita Domino ſubjugavit, ut non tantùm illi bona ſua

AUCTORE C. B.

fundandis monaſteriis impenderent, ſed illius nepotes tam Etichonis, cujus filii fuerunt epiſcopus Argentinenſis æquivocus & Albericus comes, quàm Adalberti liberi, Eberhardus ſcilicet & Luitfridus, ſed etiam Hugonis, qui ante parentes ſuos (*Ethiconem I & Bereſwindam*) defunctus erat, largiter monaſteria dotaverint, & conſtruxerint, & omnes ferè ſe Dei ſervitio tam maſculi quàm fœminæ, abjecto ſæculi faſtu, mancipaverint: inter quos Eberhardus, Alberici comitis filius, *Ethiconis II ſcilicet nepos, aliuſque ab Eberhardo filio Adalberti.*

tres inſuper filiæ fuerunt.

43 *Ceterùm huic Adalberto, præter Eberhardum & Liutfridum filios, fuiſſe tres filias, Eugeniam, Attalam & Gundelindam, probatum eſt tom.* V *Septembris ad diem* XVI, *quo Eugenia, quæ S. Odiliæ amitæ ſuæ in Hohenburgenſi Alſatiæ parthenone ſucceſſit abbatiſſa, colitur ut Sancta. Fuit & Attala virgo Deo conſecrata, ac prima quidem præfuit abbatiſſa Argentoratenſi monaſterio, quod ab Adalberto patre in honorem S. Stephani exſtructum fuit; & ipſa cultum obtinuit, uti probabitur ad diem* III *Decembris. Gundelinda ſimiliter* virginis, Abbatiſſæ *ac* Sanctæ *titulis*

B *plerumque inſignitur, at, prout diximus in S. Eugenia, neſcitur, an aliquo determinato die celebretur feſtiva ipſius commemoratio. De S. Odilia earumdem amita agendum erit ad diem* XIII *Decembris. Hujus autem ſanctæ virginis ac proinde omnium hactenus nominatorum, aliorumque poſterorum Ethiconis ducis ac Bereſwindæ conſanguinitatem cum* SS. Leodegario & Gerino *confirmat antiquus lapis, qui exſtat in monte S. Odiliæ, cuique inciſæ ſunt tres effigies, Ethiconis nempe ducis, S. Odiliæ filiæ ipſius, &* S. Leodegarii, *prout videre eſt in adjuncta figura, Chalcographi noſtri manu æri inciſa ad exemplar Mabillonii, qui monumentum iſtud, utpote ſexcentorum circitèr annorum, ſcalpro dignum judicavit & Annalibus Benedictinis inſeruit tom.* I *pag.* 489.

§ IV. Quandonam natus ſit S. Leodegarius, quo ætatis ſuæ anno diaconus ordinatus & an ante obtentum epiſcopatum fuerit monachus.

S. Leodegarius anno circitèr, ut conjicitur,

C *Biographi noſtri ſicut nihil ſuppeditant, unde locum natalem Sanctorum noſtrorum eruamus, ita quoque nihil, unde diſcamus, uter fuerit natu major,* Leodegarius, *an* Gerinus. *Tempus natale* S. Leodegarii (*nam de eo ſolo ut deinde agamus uſque ad tempus martyrii, cogit nos documentorum penuria*) *conjiciunt eruditi ex iis, quæ leguntur apud biographos de educatione ipſius commiſſa Didoni avunculo ſuo, Pictavenſium epiſcopo. De ea educatione hæc tantùm habet anonymus vetuſtior:* Cúmque à Didone avunculo ſuo Pictavis urbis epiſcopo, qui ultra adfines ſuos prudentiâ divitiarumque opibus inſigni copia erat repletus, fuiſſet ſtrenuè enutritus & diverſis ſtudiis, quibus ſæculi potentes ſtudere ſolent, ad plenè in omnibus diſciplinæ limâ politus, in eadem urbe ad onus archidiaconatûs fuit electus. *Iſta aliquantò explicatiùs Urſinus:* A primævæ ætatis infantia à parentibus Lothario Francorum regi eſt traditus, ab eodem verò rege non poſt multum temporis Didoni præſuli Pictavenſis urbis, avunculo ſuo, ſcilicet ad imbuendum litterarum ſtudiis datus eſt: quem idem præſul cuidam Dei ſacerdoti, viro prudentiſſimo, ad erudiendum tradidit, qui eum per annos plurimos magnis curis edocuit, edoctumque pontifici reddidit.... Cùm ferè viginti eſſet annorum, ad officium diaconatûs electus eſt atque ab ipſo pontifice conſecratus. Deinde non poſt multum temporis archidiaconus effectus &c. D

616 natus, anno ætatis ſuæ circitèr

45 *Per Lotharium Francorum regem deſignari hîc Clotharium ejus nominis ſecundum, oſtenſum jam eſt tom.* VI *Septembris pag.* 459 *& ſequenti in S. Emmerammo epiſcopo martyre, patebitque ex infrà dicendis. Regnavit autem is Clotharius uſque ad annum* 628, *quo obiit; proindeque ante dictum annum Dido* S. Leodegarii *avunculus tenuit Pictavenſem cathedram. Sed anno* 625 *iſtam cathedram adhuc tenebat Joannes ejus nominis primus, qui, teſte Flodoardo lib.* 2 *Hiſtoriæ Remenſis cap.* 5, *tamquam Pictavenſium epiſcopus interfuit concilio Remenſi primo, quod dicto anno* 625 *probabiliùs celebratum eſt, atque hinc denuo ſequitur, educationem* S. Leodegarii *à rege Clothario commiſſam fuiſſe Didoni intra annos* 625 *&* 628. *Plura non addo, quia hæc & alia operosè probata ſunt laudato tom. Septembris, ubi S. Emmerammo abjudicatus epiſcopatus Pictavenſis, quem aliqui ipſi attribuerant. Denique cùm dicatur* S. Leodegarius à primæ * ætatis infantia *Clothario regi traditus & non poſt multum temporis Didoni epiſcopo, inde veriſimiliter conjicitur decennis circitèr fuiſſe, dum ad hunc avunculum ſuum pervenit, figiturque ejus nativitas circa annum* 616, *& ſecundum hanc epocham ordinantur reliqua ejus geſta.* E

** al.* primævæ

20 diaconus ordinatus eſt. aliter ſentit Cointius,

46 *Sic qui tempus collati per Didonem Sancto diaconatus determinant recentiores eruditi, plerúmque ſignant circa annum* 636, *quia auctore Urſino:* Cùm ferè viginti eſſet annorum, ad officium diaconatûs electus eſt, atque ab ipſo pontifice (*Didone*) conſecratus. *Dixi* plerúmque, *quandoquidem Cointius quamquam natalem fixerit circa* 616, *diaconatum tamen diſtulit in annum* 645, *quia cùm apud Cheſnium verba Urſini ſic referantur:* Infra viginti annos ad officium diaconatûs electus eſt, atque ab ipſo pontifice conſecratus, *ita ea interpretatus eſt, ut Sanctus ad Ordinem diaconatûs provectus ſit, cùm apud avunculum manſiſſet annis ferè viginti. Fatetur tamen etiam de annis ætatis verba hæc intelligi poſſe, inquiens:* Si tibi, quâ ſumus uſi, diſplicet interpretatio, & viginti annos, infra quos Leodegarius diaconatum ſuſcepit, ad ejus ætatem, non autem ad manſionem, quam apud avunculum Pictavenſem epiſcopum egit, referendos putas, ita ut officium diaconatûs adoleſcenti viceſimum ætatis annum haud adepto collatum velis, adſcribe anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo quinto, quæ de Leodegarii diaconatu narranda in hunc uſque annum diſtulimus. F

ſed opinionem ſuam non ſat probat ex textu Urſini,

46 *Rationes porrò, ob quas priore ſua interpretatione ſtandum arbitratur, mox allegans, pergit:* At priùs adverte, non deeſſe argumenta, quibus opinionem noſtram validè confirmare poſſimus. Primum petitur à ſynodalibus decretis; vetabant enim diaconum ante ætatem viginti quinque annorum ordinari, nec facilè nobis perſuademus, ea Didonem epiſcopum in gratiam Leodegarii nepotis tranſgreſſum eſſe. Secundum ſumitur à multiplici eruditione, quâ Leodegarius


ETICHO DVX. S. ODILIA.
S. LEVDEGAR.

A rius, ut auctores Vitæ coætanei ſcribunt, ceteris antecellebat, cùm factus eſt diaconus, tot enim ſcientiarum capax haud videtur ætas, quæ minor ſit vicenariâ. *Tertium argumentum petit Cointius à verbis Fortunati in Vita S. Germani Pariſienſis epiſcopi, quæ duplicem quoque interpretationem patiuntur, & quæ ipſe eodem ſuo ſenſu interpretanda eſſe, probaverat tom.* I *Annalium Francorum contra pleroſque neotericorum, qui dicta verba ad ætatem S. Germani tranſtulerant. Sed tertium illud argumentum tum dumtaxat vim aliquam obtinere poſſet, quando conſtaret, textum Vitæ* S. Leodegarii, *à Cointio prolatum ex editione Cheſnii, eſſe genuinum Urſini.*

quem affert, cùm is genuinus non ſit; Scriptores tamen Galliæ

47 *Non eſſe, nobis perſuaſum eſt, primò quidem, quia ſicut monuimus, editio Cheſniana tam frequenter ac notabiliter differt in aliis ab editione Mabilloniana, & ab omnibus noſtris Urſini apographis, ut dubium non ſuperſit, quin ejus deinde mutatus ſit ſtylus adinſtar editionis Surianæ. Secundò quia licèt in editione Mabillonii & in noſtris Apographis frequenter quoque occurrat varia lectio, quod ferè accidit, dum idem Opus à multis deſcribitur, hoc tamen loco nulla eſt variatio*

B *aut vocum tranſmutatio, & ubique legitur:* Cùm ferè viginti eſſet annorum, *præterquam in Apographo Divionenſi, ubi ita legitur:* Et eſſet annorum viginti. *Imò ipſe Surius, cujus editioni paſſim ita conſonat editio Cheſnii, ut Mabillonius, cui Majores noſtri non repugnant, dicere non dubitaverit, vulgatum eſſe à Cheſnio Opus Urſini ex interpolatione Suriana; Surius, inquam, ipſe Urſini verba in hunc modum tranſpoſuit:* Annos ferè viginti natum (*Leodegarium*) diaconum ordinavit (*Dido.*) *Hinc conjicias, codicem, unde, mutato ſtylo, Urſinum edidit Surius, noſtris apographis fuiſſe conſonum. Tertiò quia hæc eſt communis hodiedum eruditorum opinio: nam ſi Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptores Benedictinos excipias, neminem novi, qui Cheſnii lectionem hîc ſequendam contenderit, vel Cointii opinionem ſecutus ſit, ex quo Mabillonii editio lucem conſpexit. Omnes, ubi tempus memorant ſuſcepti à* S. Leodegario *diaconatus, notant annum ætatis vigeſimum aut ferè vigeſimum.*

Chriſt. auctæ Cointio aſſentiuntur, C

48 *Benedictini Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptores, quos mox excipiebam, tom.* IV *col.* 349 *in* S. Leodegario *diſtincto charactere recitant iſta verba:* Infra viginti annos ad officium electus diaconatûs & conſecratus. Deinde non multo elapſo tempore archidiaconus effectus, omnibus diœceſis eccleſiis præfectus, *quæ manifeſtè deſumpta ſunt ex editione Cheſnii. Tum nulla facta mentione editionis Mabillonianæ aiunt:* Hìc exurgit difficultas, an viginti anni, infra quos Leodegarius ad diaconatum evectus, ad ejus ætatem, an ad manſionem, quam apud Didonem epiſcopum egit, referri debeant. Ad ætatem refert Mabillonius, cùm ait: Intra vigeſimum ætatis annum &c; ad manſionem verò Cointius, & quidem maxima cum probabilitate. *Nempe propter tria argumenta, relata ſuperiùs ex Cointii Annalibus, quæ ſubjiciunt cum hac tamen clauſula:* Quamquam his omnibus (*Cointii argumentis*) reſpondere, non eſt arduum, nec ſua caret veriſimilitudine ſententia contraria. *Sed hîc hallucinati ſunt laudati ſcriptores, quando verba editionis Cheſnianæ* infra viginti annos *ad Sancti ætatem à Mabillonio relata fuiſſe crediderunt. Mabillonius quippe tom.* I *Annalium pag.* 439, *ubi de* S. Leodegario *iſta ſcripſit:* Quem Dido Pictavorum epiſcopus, ipſius avunculus, diaconum infra viceſimum ætatis annum *ordinavit, non expoſuit proximè citata verba editionis Cheſnianæ; ſed hæc genuini Urſini in ſua editione Seculo ſecundo Benedictino pag.* 699: Cùm ferè viginti eſſet annorum *&c, quæ, ſicut illa, non patiuntur ſenſum duplicem, nec ad manſionem referri queunt, & contra quæ proinde nullum robur habet tertium Cointii argumentum.* AUCTORE C. B.

ad cujus argumenta petita a ſtatutis ſynodalibus,

49 *Id ſi obſervâſſent, non dubito, quin, relicta Cheſnii lectione ac interpretatione Cointii, nobiſcum Mabillonii ſententiæ fuiſſent ſubſcripturi, & ad duo priora Cointii argumenta reſponſuri, ſi quis iiſdem uti vellet adverſus genuinum Urſini textum, quòd minùs arduum judicâſſent, quandoquidem is unum dumtaxat ſenſum admittat. Nos ſanè eo caſu reſponderemus, canonibus quidem vetitum fuiſſe, ne quis ante vigeſimum ætatis annum ordinaretur diaconus; at conſtare etiam exemplo non uno, aliquando juſtis de cauſis fuiſſe diſpenſatum. S. Theodorus Siciota, cujus Acta à diſcipulo conſcripta dedimus tom.* III *Aprilis ad diem* XXII, *anno ætatis ſuæ decimo octavo diaconus & presbyter ordinatus eſt. Cùm autem Theodoſius epiſcopus eapropter incuſaretur, reſpondit,* ſe non ignorare id canones non permittere, ... E ſed quemadmodum ipſe Paulus Timotheum ætate juvenem epiſcopum conſtituit, & ego (*aiebat*) in nomine Domini hunc propter ejus probitatem presbyterum inſtitui, ſignificavit enim mihi Deus, eum eſſe dignum hoc munere. *En exemplum & cauſam diſpenſationis. Alterum habemus exemplum in ſancto & venerabili Beda, qui in Epitome ſeu Recapitulatione chronica Hiſtoriæ eccleſiaſticæ gentis Anglorum de ſe ipſe teſtatur:* Nono decimo autem vitæ meæ anno diaconatum ... per miniſterium reverentiſſimi epiſcopi Johannis, jubente abbate, ſuſcepi. *Tertium exemplum præbet hic ipſe tomus noſter ad diem* I *Octobris in S. Remigio, qui etiam reluctans epiſcopus conſecratus eſt anno ætatis vigeſimo ſecundo, quamvis trigeſimum exigerent canones.*

& à multiplici Sancti noſtri eruditione,

50 *Secundum, quo oppoſitam ſententiam confirmari arbitrabatur Cointius, argumentum, ipſammet cauſam ſeu rationem continet, ob quam in jam relatis exemplis facta ſit canonum relaxatio, nempe pietatem, vitæ ſanctitatem, eruditionem ac prudentiam, quibus alios anteibant Theodorus, Beda, Remigius; quæ dotes quantò magis ac certiùs eluxiſſe probantur in* S. Leodegario, *tantò minùs ſuſpectus fiet Dido epiſcopus temeritatis, inobſervantiæ ſacrorum canonum vel nimii amoris in Filium ſororis. At* tot ſcientiarum F capax haud videtur ætas, quæ minor eſt vicenariâ. *Reſpondeo, verum eſſe, quòd communiter in hujuſcemodi ætatis hominibus non reperiantur tot ſcientiæ; ſed quò minùs mihi iſta incapax videatur, prohibent exempla etiam plura magnorum in ea ætate virorum, de quibus dici potuit, quod S. Hieronymus in epiſtola ad Pammachium dixit de Origine:* Magnus Vir ab infantia, *& S. Auguſtinus de filio ſuo Adeodato lib.* 9 *Confeſſionum cap.* 6: Adjunximus etiam nobis puerum Adeodatum ... annorum erat ferè quindecim, & ingenio præveniebat multos graves & doctos viros.

cùm fieret diaconus, reſpondetur,

51 *Præterea demus tantiſper, deeſſe exempla. Quænam eſt illa multiplex eruditio, quâ* S. Leodegarius, ut auctores Vitæ coætanei ſcribunt, cùm factus eſt diaconus, *ceteris antecellebat, & cujus haud capax viſa eſt ætas illa Cointio? Anonymus vetuſtior de diaconatu* S. Leodegarii *nominatim non loquitur, nedum qua ætate quave eruditi-*

AUCTORE C. B.

eruditione tunc esset, exprimit. Ursinus ait, sanctum Puerum sacerdoti cuidam erudiendum ab avunculo episcopo fuisse traditum, & cùm edoctus esset, receptum ac sub custodia disciplinæ retentum, dein nihil speciatim de eruditione adjiciens, diaconatûs susceptionem memorat verbis suprà citatis. Fateor, mox addit Ursinus : Deinde non post multum temporis archidiaconus effectus est, *ac tum multiplicem ejus eruditionen laudat; sed inde non sequitur, omni ea eruditione instructum fuisse, cùm factus est diaconus. Voces* non post multum temporis, *vel ut legit Cointius,* non multo elapso tempore *saltem aliquod spatium ponunt, quo scientias ante diaconatum habitas perficere & novas acquirere potuit, antequam fieret archidiaconus. Auctor Vitarum Sanctorum Augustodunensium Gallicè editarum anno 1713 & Bailletus ad diem 2 Octobris diaconatum signant anno 636, archidiaconatum 643, ut juxta ipsos voces* non post multum temporis *extendantur ad septennium. Sed fortasse Ursinus iis potissimùm insinuare voluerit, quòd, cùm Sanctus esset tam felici indole, tanta morum gravitate, & ingenii perspicuitate, ut anno ætatis vigesimo dignus fuerit diaconatûs gradu, ita etiam deinde brevi tempore, seu breviore, quàm communiter indigeant alii, scientias & eruditionem ceteraque dotes ad archidiaconatum requisitas nactus sit, atque ita propter excellentiam multò citiùs, quàm alii ad hanc dignitatem promotus.*

B

S. Leodegarius abbas fuit S. Maxentii; unde

52 *Quapropter, quamquam facilè assentiar, Sancti nativitatem ex verisimillima conjectura statuentibus anno circitèr 616, ac diaconatûs susceptionem anno 636, sufficiens fundamentum non invenio, ut archidiaconatûs initium innectam anno determinato. Proximè laudati scriptores Galli meliore fundamento, Sanctum, aiunt, fuisse præpositum Pictavensi S. Maxentii monasterio circa annum 651; de qua prælaturâ Ursinus, postquam exposuit, quàm piè ac strenuè archidiaconatûs munere per aliquot annos functus esset, hæc tradit :* Deinde cùm quidam pater ex monasterio, quod est situm in honore beati Maxentii, obiisset, jussu pontificis idem suscepit regendum : quod per sex ferè annos strenuè rexit, illudque magnis opibus ditavit. *Horum sicut aliorum plurium, quæ ante Sancti episcopatum refert Ursinus, non meminit anonymus vetustior; verumtamen sat certa fiunt ex Historia translationis, in qua dicitur corpori* S. Leodegarii *obviàm processisse turba magna monachorum ex S. Maxentii cœnobio,* in quo priùs abbas fuerat constitutus, *& paulò post :* in quo pater fuerat effectus monachorum. *Hinc scriptores Benedictini* Leodegarium *Ordinis sui Sanctis annumerant.*

C

illum Ordini suo Benedictini adscribunt; sed an rectè,

53 *Et ita quidem Bucelinus in Menologio, acsi ille monasticam vitam professus fuisset, antequam eligeretur. Nam ubi dixit cum Ursino, quòd à Didone destinatus esset successor in episcopatum Pictavensem* Leodegarius, *sic progreditur Bucelinus :* Sed alii cathedræ reservatus, rerum terrenarum fastidio mundum deseruit, & in monasterio sancti Maxentii vitæ monachicæ se devovens, tantis virtutum progressibus enituit, ut ejus loci abbate mortuo, summa omnium gratulatione ipse successor eligeretur. *Hæc sanè ex nullo coævorum textu elicere valeo. Cautiùs processit Mabillonius, contentus dixisse, quòd Sanctus, cùm ex archidiacono factus esset abbas, monachum induerit. Hoc autem probatum putat isto ratiocinio in Observationibus præviis ad Vitas :* Monachorum pater ac monachus fuit S. Leodegarius : nulli enim ante Caroli Martelli principatum monachis præficiebantur abbates, nisi monachi; non clerici quidem, quos Gregorius Magnus non semel in epistolis suis ab monachorum regimine excludit. Si quis tamen ex clerico monachorum prælatus ordinabatur, is monastico habitu assumpto, Ordinem profitebatur. Insignis est hanc in rem Venantii Fortunati locus de S. Germano, qui antequam Parisiorum episcopus esset, creatus fuerat ex Augustodunensis ecclesiæ presbytero abbas monasterii S. Symphoriani, ob idque monachum induerat. Nam ADEPTUS GRADUM CURÆ PASTORALIS, Parisiensis scilicet ecclesiæ, DE RELIQUO MONACHUS PERSISTEBAT. Idem de Leodegario cogita, cùm ex archidiacono Pictavensi factus est monasterii S. Maxentii abbas. Hinc illi jam episcopo studium fuit de restituenda sancti patris Benedicti Regula in nonnullis cœnobiis, quæ ad laxiora suo tempore deficiebant : id, quòd synodus Augustodunensis, eo præsidente, habita, manifestè declarat. *Ita Mabillonius.*

D

ex iis, quæ Thomassinus ex concilio

54 *Sed Ludovicus Thomassinus de veteri & nova Ecclesiæ disciplina part. 2 lib. 3 oppositæ prorsus sententiæ est, atque ita disserit, acsi intenderet destruere singula Mabilloniani ratiocinii membra. Capite* 10 *fusè tractat de commendis Romæ & in Italia seculis* VI, VII & VIII, *tum sequens caput orditur his verbis :* Romanæ Ecclesiæ & Italiæ commendis universæ ad eum modum constitutis, jam mirabitur nemo, in Gallia quoque episcopos non aliter ferè clericis & canonicis suis cathedralibus cœnobia commendâsse regenda, quàm parochias ruris aut simplicia quævis beneficia. Perspicuum id facit concilium III Aurelianense, ubi & inconcussa ea stabilitur doctrina, non posse abbatem commendatarium de ecclesiasticis proventibus decerpere in suos usus, nisi tantùm, quantum ipsi opus est ad necessariam sustentationem : sive illum canonicatu exuat episcopus, simul ac abbatiam ei confert : quod optatius videtur concilio, sive parte canonicatûs reddituum aliqua in modum pensionis frui illum sinat. Canonem mox promam, quo tria hæc præmoneo contineri : 1 donatas ab episcopis fuisse abbatias, perinde ut parochias & alia quævis beneficia, clericis ecclesiæ suæ. 2 Cùm primùm illi ad abbatiam promovebantur, potuisse, adeoque & debuisse spoliari beneficio & stipendio. 3 Non alia temporalia emolumenta ex abbatiis suis in eos redundare potuisse, quàm ut decenter sustentarentur, tam procul à superfluitate quàm ab indigentia.

E

F

Aurelianense III, atque

55 *Tum recitat ipsum canonem Thomassinus :* De his verò clericorum personis, quæ de civitatensis ecclesiæ officio, monasteria, diœceses vel basilicas in quibuscumque locis positas, id est, sive in territoriis, sive in ipsis civitatibus suscipiunt ordinandas, in potestate sit episcopi, si de eo, quod antè de ecclesiastico munere habeant, eos aliquid, aut nihil exinde habere voluerit, quia unicuique facultas suscepti monasterii, diœcesis vel basilicæ, debet plena ratione sufficere. *Aurelianense tertium concilium celebratum est ante medium seculum sextum; Caroli Martelli principatus pertinet ad seculum octavum. Proin canonis istius recitatione ac declaratione Thomassinus abunde ostendit, quàm levi fundamento nitatur primum Mabilloniani ratiocinii generale assertum :* Nulli ante Caroli Martelli principatum monachis præficiebantur abbates nisi monachi. *Cùm canon iste manifestè constitutus sit*

ad

A *ad directionem clericorum, quorum gubernationi commissa erant monasteria eo modo, quo clericorum, quorum gubernationi committebantur basilicæ. Quod addit Mabillonius, clericos tales assumpsisse monasticum habitum & Ordinem professos esse, dum prælati ordinabantur, denuò nimis generatim assertum videtur. Nam ex producto exemplo S. Germani, postea Parisiensis episcopi, sequitur quidem, id factum esse aliquando, non tamen probatur fieri debuisse toties, quoties clericus* monasterium ordinandum suscipiebat, *ut loquitur canon, vel* jussu pontificis (*episcopi*) suscipiebat regendum, *ut scribit Ursinus.*

aliunde affert,

56 *Sanè id equidem ex nulla canonis voce extundere possum: præterea ipsemet S. Gregorius Magnus, ut probat Thomassinus cap.* 10, *abbatias commendabat seu gubernandas committebat episcopis. An etiam hi mox monasticum habitum assumpsisse, & Ordinem professi esse, dicendi sunt? Verum est tamen, quod asserit de S. Gregorio Mabillonius: sed vel inde colligitur factum esse tunc, quod factum negat Mabillonius ante principatum Caroli Martelli. Tollere nempe voluit sanctus Pontifex abusus, qui ex commissa clericis monasteriorum gubernatione exorti fuerant aliquibus* B *in locis. Duos hujuscemodi abusus præcipuos ex Gregorii epistolis allegat Thomassinus dicto cap.* 10. *Primus erat, quia clerici isti simul cum regimine monasterii retinebant aliud beneficium sive aliam ecclesiam, in qua residere tenebantur & altari jugiter ministrare, ita ut curam spiritualem monasterii, quam susceperant, gerere non possent, atque sic pessumdaretur in cœnobio religiosa disciplina. Alter abusus erat, quòd subinde clerici, qui curam spiritualis regiminis susceperant, ex cupiditate etiam temporale regimen capesserent, atque ita dilapidarentur res temporales monasteriorum.*

dubitandum videtur, licèt interim

57 *Istis abusibus, quorum exemplum in Galliis nullum reperio sub ista tempora, viam præcluserant patres Aurelianenses, maximè dum negotium istud, ut sufficienter eruimus ex canone, submissum voluerunt episcoporum vigilantiæ, qui ecclesias vel monasteria certis de causis probatæ virtutis ac scientiæ clericis gubernanda committerent vel ad vitam vel ad tempus, & siquid incommodi exsurgeret, interposita auctoritate sua rescinderent. Ad tempus dumtaxat à Didone episcopo Sanctum nostrum fuisse præfectum abbatiæ S. Maxentii, inde licet conjicere, quòd, teste Ursino, episcopus ipsum sibi in episcopatu successorem destinâsset, idque alterum videri poterit argumentum adversus ejusdem Sancti monasticam professionem. His porrò aliquantò diutiùs immoratus sum, ut studiosus lector Thomassini rationes considerans, dispiciat, an Mabillonii generalia asserta rem ita conficiant, ut de* S. Leodegarii *monachatu dubitare non liceat.*

abbatiam S. Maxentii Leodegarius utiliter rexerit.

58 *Utut est, seu fuerit seu non fuerit monachus, certum est tamen, quòd ejus præfectura cœnobio S. Maxentii attulerit plurimum emolumenti ac fructûs tam in re temporali quàm spirituali, uti ex Ursino rectè observat Thomassinus cap.* XI; *ubi & mentem super mox discussa quæstione sat apertè declarat.* Ipse antea, *inquit*, Leodegarius cùm Pictavensem gereret archidiaconatum, ab episcopo suo monasterio sancti Maxentii præpositus fuerat, curam ejus ut ageret, quo munere strenuissimè perfunctus est. *Hic affert textum Ursini ex editione Cointii:* Jussu pontificis monasterium illud regendum suscepit; quod sex ferè annis ille gubernans & structuris & opibus ditavit. *Deinde pergit Thomassinus:* Istiusmodi tunc erant commendatarii germani abbates; adeò non collabi sinebant ecclesias, ut magnificentiores ipsimet excitarent; adeò non ditari eorum bonis avebant, ut locupletandis cœnobiis suis impensè studerent. Sex quidem tantùm annis commendatam illam sibi abbatiam rexit Leodegarius; sed vel id maximè mirum est. Quas ibi enim ille virtutes illustribus documentis explicuerat, iis jam regiæ aulæ notissimus, à Clothario rege expetitus, ab episcopo suo concessus & tandem Augustodunensis episcopus electus est. Abscessit ergò à commendata sibi ecclesia, ex quo ad alterius administrationem vocatus fuit, & adeò non ea, quâ florebat gratiâ apud regem, ad retinendam abbatiam cum episcopatu usus est, ut simul atque aulam iniit, abbatiâ sibi commendatâ abierit. AUCTORE C. B.

§ V. Sanctus ad aulam evocatur, ac dein creatur episcopus. Testamentum, quod condidisse fertur, examinatur. E

Leodegarius ad aulam evocatus, ibidem,

ABbatiam S. *Maxentii Pictavensem per sex ferè annos strenuè rexerat* S. Leodegarius, *quando, testante Ursino, vocatus est in aulam à Clothario III rege, hujusque matre Bathilde, regni administratrice. Clotharius autem tertius, mortuo Clodoveo II patre suo, quinque circitèr annorum puer constitutus est rex anno Christi* 656, *defunctusque anno* 670, *regni sui decimo quarto, quæ chronotaxis est Henschenii in Exegesi præliminari ad tom.* III *Aprilis, Pagii tom.* 3 *Criticæ, & eruditorum hodieque receptissima. Secundùm hanc autem chronotaxim vocatus est in aulam* S. Leodegarius *intra annos* 656 & 661. *Id evincimus ex testimonio Ursini, qui num.* 5 *dicit, obiisse Clotharium regem, cùm* S. Leodegarius per annos decem strenuè gubernaret *episcopatum Augustodunensem; sive, ut legunt alii ex editione Chesnii, cùm eo munere* annis decem strenuè functus esset: *proin episcopatum suscepit* Leodegarius *anno* 660 *vel* 661. *At quamdiu tunc in aula versatus fuisset, incertum. Si standum sit narratione vetustioris nostri anonymi, vix aut ne vix quidem in ea moratus est, & ab archidiaconatu Pictavensi sine medio temporis intervallo ad Augustodunensem episcopatum provectus est.* F

quod anonymus noster silet, aliquamdiu

60 *Nam is auctor, ut primùm exposuit, quàm fortiter sapienterque se gereret Sanctus in officio archidiaconatûs, nulla voce interposita, sic pergit:* Incubuit interim causa necessitatis, ut in Augustodunensi urbe eum ordinare deberent episcopum. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem episcopatu exorta fuerat, & usque ad sanguinis effusionem certatum. Cùmque unus ibidem occubuisset in mortem, & alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exilii trusionem, tunc Bathildis regina, quæ cum Lothario filio Francorum regebat palatium, divino, ut credimus, inspirata consilio, ad memoratam urbem hunc strenuum direxit Virum ibidem esse episcopum, quatenus ecclesia, quæ penè biennio jam, quasi viduata, in seculi fluctuatione remanserat, hujus gubernatione vel fortitudine tue-

AUCTORE C. B.

retur, & ab his, quibus impugnabatur, defensaretur. *Verùm cùm hic auctor, ut num.* 28 *jam innui, aliqua Sancti gesta ante episcopatum silentio præterierit, quæ Ursinus æquè coævus, diligentiùs annotavit, nos, quod & fecerunt passim scriptores alii, dum Vitam* S. Leodegarii *ordinata serie exponerent, Ursino in iis, quæ Sancti gesta ante episcopatum attinent, adhærendum censemus, atque eapropter etiam hujus relationem subjicimus.*

versatur, ac dein creatus Augustodunensi episcopus,

61 Erat eodem tempore (*quo Sanctus S. Maxentii abbatiam regebat*) minor Lotharius cum Bathilde matre rex regens Francorum regnum, qui, agnitâ ejus prudentiâ, cupientes eum habere in aula regia, petierunt pontificem (*Didonem episcopum*) ut suam ei daret licentiam secum habitare in palatio. Qui statim jussa complens, magnis rebus ditatum & sapientiæ floribus adornatum, obtemperans eorum voluntati,

* *al.* visus

nisus * est destinare Virum. Quem rex atque regina videntes honorificè susceperunt, & in paucis diebus dulcia sua verba ostendit in tantum, ut rex simul & regina, plerique etiam pontifices

* *al. addit.* & proceres B

* supra omnes eum in amore susciperent, & quia eum videbant dignum ad suscipiendum honorem, cunctorum consensu præcipuorum Francorum, ad honorem pontificalem eum esse idoneum proclamaverunt, quem omnes ad hoc electum Augustoduno, quæ est Æduorum civitas, fecerunt pontificem &c. *Modus iste narrandi manifestè indicat, Sanctum è Pictavensi civitate minimè vocatum esse, ut mox Augustodunensibus daretur episcopus, sed ut degeret in aula, verisimillimè ad instruendum regem, juvandamque consilio suo reginam matrem, regni administratricem. Credibile quoque est, sanctam hanc mulierem permissuram non fuisse, ut Vir talis à se ac filio suo amoveretur, nisi longiore experientiâ edocta fuisset, ipsum unum præ ceteris capacem ac planè necessarium esse ad sedandas exstirpandasque turbas in Augustodunensi ecclesia exortas.*

ortas ea in urbe turbas mox sedat.

62 *Res evenit, quemadmodum sperare fas erat, mox tumultus omnes compressit Sanctus, suâque prudentiâ novum diu dilaceratæ ecclesiæ splendorem attulit, ut pluribus declarat anonymus, hîc, utpote scribens ad Ermenarium Augustodunensem episcopum, accuratior quàm Ursinus, qui cùm scripserit ad Ansoaldum episcopum Pictavensem, similiter diligentior est in gestis Sancti annotandis, quas Pictavii gessit. Pleraque autem, quæ narrat idem anonymus Sancti gesta, tamquam spectantia ad decem primos episcopatûs annos talia non sunt, ut longa commentatione indigeant: quare, his missis, nonnulla hîc observabimus de ejus, quod circumfertur, testamento, quodque confectum notatur* anno episcopatûs septimo, *ac de synodo, quam ab eodem intra dictos decem primos episcopatûs annos celebratam existimant eruditorum plurimi.*

C

Testamentum, quod ejusnomine signatur,

63 *Præmittimus testamentum, prout illud vulgatum est à Stephano Perardo inter monumenta historica Burgundiæ pag.* 3, *deinde recensebimus multos fœdosque errores, ob quos ab omnibus passim ut suppositititium rejicitur:* Anno Incarnationis Dominicæ Dei & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi DC. quinquagesimo tertio, Indictione decima, regnante Theodorico filio Clotharii, glorioso regis, Majore verò domûs Leodegiso, filio Herchinoaldi: ego Leodegarius, etsi indignus episcopus Eduorum, septimo episcopatus mei anno, considerans varias rerum immutationes, sed & inevitabilem mortis terminum, ac formidabilem judicii & cunctis tremendam districtionem judicis horam, simul pro his hujuscemodi ad illam disciplinam recurrens, quæ præcipit: Date & dabitur vobis, & facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in cælis: & illud recordans Sapientiæ monentis, Redemptio animæ viri divitiæ ejus, & sicut aqua ignem extinguit, ita eleëmosyna extinguit peccatum: pro amore Divinitatis, pro remissione peccatorum, pro pia quoque recordatione domini Clotharii & Valdechildis reginæ, pro statu necne regis Theodorici & regni ac cunctorum procerum ejus, precipuè pro his, qui in dicendis rebus conquirendis adjutores & collabòratores nobis extiterunt, dono, trado, transfundo & hæredem statuo ecclesiam beati Nazarii, titulum mei præsulatus, de rebus meis. D

quodque varias pias donationes

64 Hoc est, de Mariniaco villa, quæ jacet super Stantiam fluvium, quam michi jam dicta regina de proprio suo in proprium meum delegavit & per regale instrumentum chartæ habere concessit: nec minùs de Tiliniaco villa, quæ de jure materno ab avis & proavis michi competit, & est super fluvium Sagonam nec non & de Olgeas at de Cananis villa, quam de Bodilone & Sigrada, Deo devota, conquisivi, cujus terra sita est tam infra Divionem castrum quàm circa. Quas villas cum catallis suis, servis utriusque sexus, vineis, pratis, aquis, stagnis, cursibus, recursibus, sylvis, pascuis majoris peculii vel minoris, de statu nostro proprio in statum matriculæ nostræ, quam

* *adde* ad

* ostium ecclesiæ sancti Nazarii fabricavimus, cum omnibus suis appendiciis delegamus, secernimus, transfundimus, ea ratione, ut tam à præposito, ejusdem matriculæ rectario, quàm à successoribus ejus, quos nostri successores pontifices ordinaverint, quadraginta fratres cotidiana diaria & stipendia omni tempore accipiant, ut liberiùs pro salute regni & principum ac totius orbis dominici deprecari possint. E

à Sancto facta exhibet,

65 Si verò ullus majorum heredum vel minorum nostrorum, vel alicujus personæ homo hanc nostram & communem eleëmosynam, & hujus instrumenti cartham violare præsumpserit, ut reus majestatis noverit se coram majore palatii vel capite vel centum libris auri multandum. Episcopis autem successoribus nostris hæc ita observare volumus, sicut & plura in partem illorum contulimus & sicut hæc coram Deo digna consideraverint. Si verò deinceps alicujus obstinatio contra hæc se erexerit, noverit se etiam quinquaginta quatuor coepiscoporum, qui à principibus nostris Christiaco congregati sunt, quibus præsentibus, vel quorum consilio hanc donationem ecclesiæ matriculæ, quam nostræ celebravimus, & nostra, quamvis ad extrema, auctoritate excommunicatum, & invocatione sanctæ Trinitatis, potestate beati Petri Apostolorum principis cum Juda traditore Domini, qui loculos habebat, & qui res Domini furabatur & pauperum, æternaliter damnandum cum Dathan & Abiron, quos vivos terra absorbuit, inconsueta & desperabili morte in omnium viventium terrore, nisi digna satisfactione resipuerit, profligatum, in perpetuum puniendum. Amen, Amen. Acta Christiaco publicè tertio anno regni Theodorici regis. Ego episcopus Leodegarius huic donationi factæ sub anathemate subscribo, & manu propria firmo. F

66 *Laudatus testamenti editor Perardus mox ei suam crisim subjiciens, ob multiplices errores, quo-*

pro ſuppoſititio habet Perardus; id autem

quorum unum & alterum proponit, totum ſuppoſititium judicat, & pòſt confectum ex traditione & aliunde acceptâ notitiâ multorum beneficiorum, quæ in cathedralem ſuam contulerat ſanctus Epiſcopus. Sammarthani fratres tom. 1 *Galliæ Chriſtianæ*, chartam teſtamenti vulgarem in plurimis corruptam eſſe, *aiunt, & ſimiliter ſpecimina producunt. Plura errorum ſpecimina enumerat Cointius ad annum* 666; *addit tamen, inter teſtamenti notas chronologicas eam præcipuè in pretio habendam eſſe, quæ ſumitur à* S. Leodegarii *epiſcopatu*, deſignatque annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum ſextum, ipſius Leodegarii ſeptimum, Clotharii regis undecimum; *hoc autem poſito, facilè emendari poſſe fragmenta teſtamenti, quæ ibidem recitat. Mabillonius Seculo* 2 *Benedictino pag.* 707 *ita pronuntiat:* Quod attinet ad S. Leodegarii ſcripta, circumfertur quoddam ejus teſtamentum, quod eruditis hominibus meritò non probatur: *tum quaſi operæ pretium non ſit pluribus de eo diſputare, lectorem remittit ad memoratos jam Galliæ ſcriptores. Sed poſtea idem ipſe teſtamentum pluris fecit in Præfatione ſecundæ partis Seculi* 3 *num.* 33 *&* 674, *uti oſtendam, cùm præcipuos errores, ſeu ſuppoſitionis aut corruptionis indicia recenſuero.*

B

præcipuis ſuppoſitionis notis, quæ hìc aſſignantur,

67 *Primò itaque modus computandi annos ab Incarnatione Chriſti in publicis inſtrumentis ætate* S. Leodegarii *nondum uſurpari conſueverat. Secundò ſignatus annus ſexcenteſimus quinquageſimus tertius cum aliis notis chronologicis componi non poteſt. Non cum regno Theodorici, qui eo vix natus erat, nec cum majoratu domûs Leodegiſi ſeu Leudeſii, qui, eodem Theodorico regnante, iſtam præfecturam tantùm obtinuit, nec denique cum epiſcopatu* S. Leodegarii, *qui ad eum promotus eſt tantùm anno* 660 *vel* 661. *Præterea nec inter ſe componi queunt poſtremæ hæ notæ chronologicæ; nam anno ſeptimo, imò juxta antè dicta decimo epiſcopatûs* S. Leodegarii, *regnabat Clotharius III, cui ſucceſſit Childericus & huic occiſo demum Theodoricus. Tertiò hujus Theodorici pater non fuit Clotharius, ſed frater; pater verò utriuſque, ſicut & Childerici, fuit Clodoveus II, mater S. Bathildis regina, quæ in teſtamento* Valdechildis *nuncupatur. Multo alia, quæ ad teſtamentum illud obſervat Cointius. Iſta ſufficient, ut advertat lector, veroſimillimum eſſe, quod conjectant idem Cointius & Perardus, fabricatum fuiſſe ſcilicet inſtrumentum multo tempore poſt Sancti noſtri obitum.*

C

reſciſſis, fruſtrà emendare Cointius,

68 *Modus autem, quo utitur ad teſtamenti emendationem Cointius, hic eſt: reſcindit integrum ejus exordium, quo plerique ac præcipui errores continentur, & hoc illi ſubſtituit:* In nomine Dei & Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti: *tum pergit:* Ego Leodegarius etſi indignus epiſcopus Æduorum, ſeptimo epiſcopatus mei anno *&c, uſque ad hæc verba:* Pro pia quoque recordatione domini Clotharii & Valdechildis reginæ, pro ſtatu necne regis Theodorici, *quibus illa ſubſtituit:* Pro pia quoque recordatione domini Clodovei & Valdechildis reginæ, pro ſtatu necne regis Clotharii. *Dein nihil immutat uſque ad penultimam periodum:* Acta Chriſtiaco publicè tertio anno regni Theodorici, *pro qua ponit iſtam:* Acta publicè, regnante Clothario rege, *omiſſo videlicet anno regni, quia tertius Clotharii non cohærebat etiam cum ſeptimo epiſcopatûs* Leodegarii. *Fateor, ſic notæ chronologicæ & hiſtoricæ componunturque, reducunturque ad annum* 666 *vel* 667. *Sed quid inde utilitatis?*

Ad eumdem modum, mutatis pro arbitrio vocibus & characteribus chronologicis, emendari poterunt inſtrumenta quantumcúmque corrupta. Nihil tamen ſic majoris auctoritatis aut roboris accipient ad ſtabilienda ea, quæ aliunde probari nequeunt. Exempli gratiâ, neget quis, donationi per S. Leodegarium *factæ adſtitiſſe* quinquaginta quatuor epiſcopos; *ſi inſtrumentum hoc proferas, dicet, etiam corruptum eſſe in hac parte, ſicut in aliis multis. Idem continget, ſi quis neget, factam eſſe donationem* anno ſeptimo *epiſcopatûs, uti negavit Mabillonius in Annalibus ad annum* 674, *ubi donationem factam eſſe credidit, regnante Theodorico, cujus anno regni tertio* Leodegarius agebat, *inquit*, annum præſulatûs circiter decimum ſextum aut decimum ſeptimum.

AUCTORE C. B.

fruſtra genuinum in ſubſtantia probare

69 *Quis primus hujus auctoris de teſtamento ſenſus fuerit, ſufficienter indicant verba ſuperiùs recitata ex Obſervationibus prævius ad Vitas Sancti noſtri. Idem in Præfatione ad partem* 2 *Seculi* 3 *Benedictini num.* 33 *ſic loquitur:* Synodus, Auguſtodunenſis appellari ſolita, . . . nationale (ut vocant) concilium fuiſſe videtur, illud ſcilicet, de quo ſermo eſt in vulgato Leodegarii teſtamento, quinquaginta quatuor coëpiſcoporum Chriſtiaco unà cum Leodegario congregatorum anno tertio Theodorici regis. Etſi enim teſtamentum iſtud in notis chronologicis interpolatum eſt & in nonnullis forſan nominibus propriis errore librariorum, non tamen omnino rejici debet: maximè cùm tam prædicti teſtamenti, quàm donationum in eo factarum mentio ſit in litteris Joannis Papæ octavi, quas Perardus in Monumentis Burgundicis poſt idem teſtamentum vulgavit. *Eamdem materiam reſumens Mabillonius loco Annalium proximè citato, ita diſſerit:* In editis vitioſi ſunt characteres chronologici, tametſi ipſa teſtamenti ſubſtantia legitima ſit, conſtatque ex aliis indubitatis inſtrumentis. *Hujus generis inſtrumenta duo allegat, alterum Jonæ ſeculo nono epiſcopi Auguſtodunenſis apud Perardum pag.* 147, *alterum Joannis VIII Papæ apud eumdem pag.* 4 *& ſeq. In priori Jonas epiſcopus villam concedit canonicis Æduenſibus*, quatenus . . . in Chriſti militia devotiores exiſtant, nec ſolùm pro principibus, UT SANCTUS INSTITUIT LEODEGARIUS, ſed pro rectoribus totius eccleſiæ & univerſo grege, jugiter divinam exorent miſericordiam.

E

ex binis antiquis inſtrumentis

70 *His denotari putat Mabillonius ea, quæ leguntur in teſtamento:* Pro pia quoque recordatione Clotharii & Valdechildis reginæ, pro ſtatu necne regis Theodorici & regni, ac cunctorum procerum ejus, præcipuè pro his, qui in dicendis rebus conquirendis adjutores & collaboratores nobis extiterunt, dono &c. *In ſecundo inſtrumento Joannes VIII Papa in litteris ad Adalgarium Auguſtodunenſem epiſcopum ita ſcribit;* Conſtat ſiquidem villam Tilliniacum, proprietatis jure ſancti fuiſſe quondam Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi, & ab eo ſancto collatum Nazario, cujus vocabulo ipſe honoratur epiſcopatus. Poſtmodùm cùm à pravis hominibus longo tempore fuiſſet retenta, & quaſi in proprietatem eorum redacta, dilectus filius noſter Karolus clementiſſimus imperator ſuper hac ſubtili examinatione habita, cùm eam ad jus eccleſiæ Auguſtodunenſis pertinuiſſe legitimè cognoviſſet, & poſſeſſam primò ab ea, & poſtea pervaſam à violentis hominibus liquidò didiciſſet: hanc præcepto ſuæ authoritatis ipſi epiſcopo reddidit, & ad jus ipſius eccleſiæ revo-

F

AUCTORE C. B.

cavit, cui ſcilicet hanc ſuperiùs nominatus ſanctus Leodegarius olim contulerat, & ideò quia poſtulavit à nobis fraternitas tua, ut jam memoratam villam, ſecundum imperiale præceptum, Apoſtolicæ authoritatis liberalitate ac privilegio Auguſtodunenſi eccleſiæ firmaremus, inclinati &c confirmamus &c. *Hæc ſanè prorſus congruunt iis, quæ habet teſtamentum:* Trado, tranſfundo & hæredem ſtatuo eccleſiam beati Nazarii, titulum mei præſulatus, de rebus meis hoc eſt... de Tiliniaco villa, quæ jure materno ab avis & proavis michi competit & eſt ſuper fluvium Sagonam.

Mabillonius conatur.

71 *Hinc Mabillonius, miſſa ulteriori probatione, denuo infert:* Itaque de validitate ejus teſtamenti nequaquam dubitandum eſt, tametſi vitioſi ſint, ut jam dixi, characteres chronologici. *Non dubitavit Perardus, neque dubitamus nos, quin verè per* S. Leodegarium *factæ ſint donationes pleræque in ſæpe dicto teſtamento relatæ. Id nobis perſuaſum eſt tam auctoritate inſtrumentorum, quæ à Mabillonio allegata produximus, quàm teſtimonio coævi anonymi in Vita num.* 4, *ubi inter alia Sancti pia opera nominatim exprimit matriculam, quæ ab eodem inſtituta reſidet*
B *ad eccleſiæ (S. Nazarii) januam. Hæc enim certè eadem eſt matricula, cui Sanctus Tiliniacum aliaſque tres villas conceſſiſſe dicitur in teſtamento. Verba hæc ſunt:* Quas villas... de ſtatu noſtro proprio in ſtatum matriculæ noſtræ, quam [ad] oſtium eccleſiæ S. Nazarii fabricavimus... delegamus &c, *de his, inquam, non dubitamus; ſed quærimus, an Sanctus iſtas donationes fecerit per illud ipſum teſtamentum, ſive an primum donationum inſtrumentum ſit illud, quod nomine teſtamenti adeò corruptum ad nos tranſmiſſum eſt, & an eatenus validum ſit & authenticum. Negat Perardus, nec ſatis probat Mabillonius. Aſſerit quidem hic* tam prædicti teſtamenti, quàm donationum in eo factarum mentionem eſſe in litteris Joannis octavi Papæ. *Sed ego unam villæ Tilliniaci donationem à* S. Leodegario *eccleſiæ S. Nazarii factam lego, nullam teſtamenti ſive donationis vel donationum inſtrumenti mentionem in litteris reperio. Itaque veriſimilius nobis eſt, quod primùm judicavit Perardus, conflatum eſſe teſtamentum ab homine, qui præ oculis habuit varia antiqua documenta, qualia ſunt litteræ Joannis*
C *Papæ, Jonæ epiſcopi & Vita per anonymum conſcripta, ſed qui hiſtoriæ & chronologiæ imperitus in tot tantoſque errores prolapſus eſt.*

§ VI. Canones aliquot ſynodi à S. Leodegario celebratæ: cui anno hæc affigenda, & an nationalis exſtiterit.

Synodus à Leodegario celebrata, cujus aliquot

Sirmondus tom. 1 *Conciliorum Galliæ pag.* 506 *ſynodi à Sancto noſtro celebratæ canones aliquot promulgavit cum hac prævia admonitione:* In antiquiſſima collectione, canonum è bibliotheca eccleſiæ Andegavenſis producuntur titulo XLIV, qui eſt de monachis & monaſteriis, canones aliquot ex hac ſynodo, qui omnes ad diſciplinam monaſticam ſpectant, inſcribunturque: CANONES AUGUSTODUNENSES S. LEODEGARII EPISCOPI, neque tamen univerſi eo loco deſcribuntur, ſed quibuſdam prætermiſſis, hi dumtaxat, qui ſequuntur. *Poſt hæc, repetita* D *jam data inſcriptione, eo, quo reperit ordine, recenſet canones, quos & nos, utpote pretioſum antiquitatis monumentum ac ſollicitudinis* S. Leodegarii *ad reſtaurandam firmandamque in ſua diœceſi diſciplinam etiam monaſticam evidens teſtimonium, huc referendos cenſemus.*

canones ad diſciplinam monaſticam ſpectantes,

73 Primus titulus hic eſt monaſticæ diſciplinæ, ut abbates vel monachi peculiare non habeant, & monachi ab abbate victum & veſtitum conſuetum accipiant.

V. Ut compatres nullus eorum audeat habere.

VI. Ut in civitatibus errare, non inveniantur. Quod ſi causâ utilitatis monaſterii, cum litteris abbatis ſui ad archidiaconum civitatis ſcriptis dirigantur.

VIII. Ut abbati ſuo ac præpoſito ſint obedientes.

X. Ut nullus familiaritates extranearum mulierum præſumat habere; & qui inventus fuerit, ſeveriùs corrigatur. Ut mulieribus in monaſterium monachorum nullatenus ingredi liceat.

Statuimus atque decernimus, ut nullus monachum alterius abſque permiſſu ſui abbatis præſumat retinere: ſed cùm inventus fuerit vagans, ad cellam propriam revocetur, ibi juxta culparum merita coërcendus. E

XV. De abbatibus verò vel monachis ita obſervare convenit, ut, quicquid canonicus Ordo vel Regula S. Benedicti edocet, & implere & cuſtodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud abbates vel monaſteria conſervata, & numerus monachorum, Deo propitio, augebitur, & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.

Sint monachi omnes omnino obedientes, ſint frugalitatis decore pollentes, in opere Dei ferventes, orationi inſtantes; in caritate perſeverantes: ne propter negligentiam aut inobedientiam, hoſte circumeunte ac rugiente & quærente, quem devoret, cibus efficiantur. Sit eis cor unum & anima una. Nemo ſuum aliquid dicat, ſed ſint eis omnia communia. In commune laborent, hoſpitalitatis omnino ſint receptores.

Quiſquis autem hæc à nobis, Deo præcipiente, dictata in confirmationem Regularem monachorum tentaverit aliqua tranſgreſſione caſſare, ſi abbas eſt, anno uno ei communionis poteſtas ſuſpendatur, ſi præpoſitus, annos duos, ſi monachus, aut fuſtibus verberetur, aut à communione & Miſſa & caritate annos tres ſuſpendatur. Juſtum enim eſt, ut ſubripientia vitiorum ſemina falce juſtitiæ reſecentur, ne, dum ſimulatione continentiæ nutriuntur, ita ſilveſcant, ut nec ſecuribus excidantur. F

aliique duo ex Sirmondo,

74 *Idem editor Sirmondus, hiſce recitatis, monet denuò:* Ad Auguſtodunenſem præterea S. Leodegarii ſynodum referendus videtur canon, qui in altera collectione canonum è bibliotheca S. Benigni Divionenſis, atque in aliis citatur, appellaturque primus canon Auguſtodunenſis, his verbis:

CANONES AUGUSTODUNENSES ÆRA I.

"Si quis presbyter, diaconus, ſubdiaconus vel „clericus Symbolum, quod, ſancto inſpirante „Spiritu, Apoſtoli tradiderunt, & fidem S. A„thanaſii præſulis irreprehenſibiliter non recen„ſuerit, ab epiſcopo condemnetur.„ *Dein in Notis ad tomum eumdem pag.* 620 *obſervat:* In codice Bonævallis, itemque in Andegav., Divio-

A vionen. , & aliis , qui elenchos exhibent epiſcoporum , quot numero in ſingulis ſynodis fuerint & canones ediderint , poſtremo loco hæc leguntur : " Conſenſus domni Leodegarii epiſcopi „ Auguſtodunenſis. EGO LEODEGARIUS , acſi „ indignus peccator epiſcopus , cum conſenſu „ fratrum meorum polliciti ſumus , & perpe„ tualiter placuit obſervandum.„ Quæ ſubſcriptio videri poteſt ad concilium hoc noſtrum pertinere.

Labbeo & Goſſartio ,

75 *Eoſdem canones cum Sirmondi Obſervationibus Labbeus & Coſſartius inſeruerunt generali Conciliorum Collectioni tom. 6 col. 535 : ſed & ipſi ibidem col. 1887 alterum canonem producunt :* Ad canones , *inquiunt* , ſuprà editos pag. 535 alium addit Petrus de la Lande V. C. ex collectione canonum , quæ eſt in bibliotheca Thuana ; qui cùm ibi XIV appelletur , ex eo conſtat , plures olim fuiſſe , quàm qui nunc exſtant , nec ad monaſticam diſciplinam omnes pertinuiſſe. Fuiſſe autem à S. Leodegario Auguſtodunenſi epiſc. dictatos , patet ex duobus hujuſce collectionis indicibus , quorum prior continet capitula canonum Græcorum & Latinorum , in cujus fine ſunt hæc verba : " can. Auguſtodunenſi„ um ſancti Leodegarii epiſcopi„ poſterior autem index ſic habet : " epiſcopi , qui hos canones „ dictaverunt„ quorum nomina deſiderantur. Et ad calcem hujus legitur : " Conſenſio & confirma„ tio domini Leodegarii epiſcopi Auguſtodunen„ ſis.„

B

CANON AUGUSTODUNENSIS XIV.

" Sæculares verò , qui Natale Domini , Paſcha , „ Pentecoſten non communicaverint , inter Ca„ tholicos non habitent. Nullus presbyter con„ fertus cibo , aut crapulatus vino Sacrificia con„ trectare aut Miſſas facere præſumat : quod ſi „ quis præſumpſerit , amittat honorem. Mulie„ res ad altare ingredi non oportet.„

ceteris deperditis , recitantur , à variis variis annis

76 *Sat certum apparet ex præfixis numeris aliquot hujus ſynodi canones deperiiſſe ; verumtamen dubitari poteſt , an duo in aliis collectionibus reperti ad eamdem ſynodum pertineant ; quia clauſula collectionis Andegavenſis :* Quiſquis autem hæc à nobis , Deo præcipiente , dictata in confirmationem regularem monachorum tentaverit aliqua tranſgreſſione caſſare *&c. Videtur innuere , omnes canones ſpectâſſe ad diſciplinam monaſticam ; prout revera ad eam ſpectant , quotquot in collectione Andegavenſi ſuperſunt. Sed res ſic concipi poſſet , ut primùm pro quovis fidelium ſtatu canones compoſiti fuerint , ac dein ex iis deſumpti ad ſolam diſciplinam monaſticam ſpectantes , in ſingula diœceſis monaſteria ſint diſtributi. Hinc factum , ut hi potiùs quàm alii hactenus ſuperſint. Id ſanè aliquo modo indicatur in primo canone Andegavenſis collectionis :* Primus titulus hic eſt monaſticæ diſciplinæ. *Vide interim quæ de can. num. 74 recitato dicta ſunt tom. 1 Maii pag. 758.*

C

affigitur ; à Sirmondo malè anno 4 Theodorici ,

77 *Hanc porrò ſynodum Auguſtodunenſem pro ſuo quique arbitrio ad diverſos annos referunt ſcriptores. Sirmondus ipſam ſtatuit* circa annum Chriſti DCLXX , Theodorici regis IV. *At iſta non cohærent. Non regnavit enim Theodoricus ante Clotharii III obitum , quem nos cum Henſchenio , Pagio , aliiſque innexuimus anno 670 ; Cointius cum aliis innectit 669. Præterea Theodoricus , mortuo Clothario , per Ebroïnum quidem rex ſuffectus eſt , ſed paucos poſt menſes è throno dejectus & à fratre Childerico , monarchiam adepto , in monaſterio S. Dionyſii reſidere juſſus ; donec tandem etiam Childerico è vivis ſublato , anno 673 ſecundùm receptiorem modò chronologiam regnare cœpit ; annus igitur quartus Theodorici proprie conjungendus eſſet cum Chriſti 676 vel 677 , quo tempore ſynodum à* S. Leodegario *celebrari potuiſſe , nobis probabile non eſt , uti mox declarabimus. Ruinartius in Apologia miſſionis S. Mauri , quam habes in prima Appendice ad tomum 1 Annalium Benedictinorum Mabillonii pag. 636 , & ſcriptores Galliæ Chriſtianæ auctæ tom. 4 col. 350 & ſeq. ſynodum ſignt anno 661 : Cointius tom. 3 Annalium pag. 547 anno 663 ; Mabillonius in Præfatione ad Seculum ſecundum Benedictinum num. 18 circa 665 , alii circa 666.* AUCTORE C. B.

à Cointio ſine ſat ſolide

78 *Ex laudatis auctoribus unus Cointius opinionis ſuæ fundamentum allegat , illudque deſumit à titulo , qui præfigitur canoni collectionis Divionenſis :* Canones Auguſtodunenſes , æra I. *Per æram I intellexerant Sirmondus & alii* canonem primum , *ſed hanc vocis acceptationem ipſe repudiat , &* Era , *inquit* , fortaſſis in concilio Auguſtodunenſi abuſivè uſurpatur , ut annos Leodegarii epiſcopi connotet , & iſte titulus ... fruſtra dividitur in duas partes , cùm nihil aliud ſignificare videatur , quàm canones Auguſtodunenſes conditos fuiſſe ÆRA I , ſive anno primo Leodegarii epiſcopi. Quamvis hæc interpretatio placere poſſit & ſanctum Leodegarium ob ſtudium ac vigilantiam in adminiſtranda diœceſi plurimùm commendet , quòd ne primum quidem ſui pontificatus annum abſque convocatione ſynodi paſſus ſit elabi , ſuſpicamur potiùs mendum in æram irrepſiſſe , nec ærâ I , ſed ærâ DCCI ſancitos fuiſſe canones Auguſtodunenſes... Synodum igitur Auguſtodunenſem exiſtimamus celebratam fuiſſe ærâ ſeptingenteſimâ primâ , id eſt , hoc anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo tertio. E

fundamento anno Chriſti 663 ,

79 *Eſto cuilibet ſua opinandi aut ſuſpicandi libertas : experientiâ docti ſumus , hujuſcemodi errores frequentiſſimè irrepſiſſe in antiqua monumenta ; at talem hîc latere , ut pro æra* DCCI *per incuriam poſita ſit æra* I , *non ſuadet argumentum Cointii , deſumptum ex Præfatione concilii Arelatenſis , in qua revera dicitur hoc concilium celebratum eſſe ærâ* DCCCLI , *id eſt , anno Chriſti* 813. *Nam cùm , ipſo affirmante Cointio , vox* æra *bis tantùm inveniatur in univerſa collectione antiquorum Galliæ conciliorum ; adeò mirum videri non debet , quòd Arelatenſis ſeculi* IX *ſcriptor ea voce uſus ſit ad deſignandos annos more Hiſpanorum , Auguſtodunenſis autem ſcriptor ſeculi* VII *ad indicandam ſectionem capitum ſive ad diſtinguendos canones , titulos aut articulos , prout à ſcriptoribus medii ævi factum eſſe , pluribus exemplis probat Cangius in Gloſſario ad vocem* ÆRA. *Altera opinio , quâ* æra I *indicaret annum primum epiſcopatûs* S. Leodegarii , *& ex qua fortaſſe Ruinartius ſynodum ſignavit anno Chriſti 661 , placere poterit quidem , at cùm talem computandi modum exemplis firmatum non reperiam , præplacet mihi interpretatio Sirmondi , ſecundùm quam vox* æra *nihil conducit ad formandam ſynodi epocham.* F

à Mabillonio 665 , mutataque deinde opinione , anno tertio

80 *Mabillonius , qui in Præfatione ad Seculum 2 ſynodum affixerat anno 665 , nec ſententiæ ſuæ rationem attulerat , etiam hanc poſtmodùm deſeruit & epocham à ſe repertam putavit ex teſtamento* S. Leodegarii , *ſuperiùs examinato. Mentem ejus ut ſatis aſſequamur , oportet repetere ea , quæ antè recitavimus ex Præfatione ad partem 2 ſeculi* III : Synodus , Auguſtodunenſis appellari ſolita , ... nationale (ut vocant) con-

AUCTORE C. B.

cilium fuiſſe videtur, illud ſcilicet, de quo ſermo eſt in vulgato Leodegarii teſtamento, quinquaginta quatuor coëpiſcoporum, Chriſtiaco unà cum Leodegario congregatorum, ANNO TERTIO THEODORICI REGIS. Etſi enim teſtamentum iſtud in notis chronologicis interpolatum eſt, & in nonnullis fortè nominibus propriis errore librariorum, non tamen omnino rejici debet: maximè cùm tam prædicti teſtamenti, quàm donationum in eo factarum mentio ſit in litteris Johannis Papæ octavi, quas Perardus in Monumentis Burgundicis poſt idem teſtamentum vulgavit. Et certè convenit huic loco epocha iſtius ſynodi apud Sirmondum, qui Theodorici annum quartum aſſignavit: nam facilè annus tertius regni cum anno quarto componitur ſub diverſa ratione, quâ nonnulli regnum cujuſque regis ab ipſo deceſſoris obitu, alii ab anno inſequenti numerare incipiunt. *Ita ille.*

Theodorici regis, Chriſti

81 *Cur autem notam chronologicam ſynodo præfixam apud Sirmondum componere conatus ſit cum nota teſtamenti, ſatis liquet. Nempe ut evinceret, eodem tempore celebratam fuiſſe ſynodum, quo conditum teſtamentum, id eſt, anno Theodorici regis tertio vel quarto. Id abſolutè ſtatuit in Præfatione ad Seculum* IV *num.* 106, *ubi allatis & pro ſubjecta materia explicatis aliquot ejuſdem ſynodi verbis, ait:* Porrò hæc ſynodus conſtabat quinquaginta quatuor epiſcopis, Chriſtiaci congregatis, ut ex Leodegarii teſtamento obſervavi in Præfatione ſecunda Seculi tertii; non ergò diœceſana dumtaxat fuit hæc ſynodus; ſed ferè nationalis.... Itaque anno tertio ſive quarto Theodorici regis, una ſancti Benedicti Regula cum decretis canonum monachis præcipitur, non ut primùm admittatur, ſed ut CONSERVETUR ET IMPLEATUR, *quæ poſtrema verba deſumit ex canone* XV *dicta ſynodi. Nunc videndum, an iſta ſynodi epocha conciliari queat cum aliarum rerum geſtarum hiſtoria & chronologia.*

B

675 vel 676, quæ epocha

82 Anno DCLXXIII, Theodoricus, Chlodovei filius tertius, exſtincto fratre Childerico, imperium capeſſit. *Sunt ipſa Mabillonii verba in brevi Chronologia Rerum Francorum, præfixa Seculo ſecundo Benedictino, eſtque ſententia Pagii & aliorum nunc communior. Itaque tertius Theodorici regis annus fuit Chriſti* 675 *vel* 676, *ſervata ipſiuſmet Mabillonii ratione computandi de re Diplomatica lib.* 6, *pag.* 469 *& ſeq., ubi producit bina Theodorici diplomata, data menſe Septembri* anno V *regni ipſius, quæ annectit anno* 678, *& tertium* datum ſub die ſegundo Kalendas Julias, annum VII regni noſtri, *quod affigit Mabillonius anno* 680. *Sed probabile non eſt*, S. Leodegario *liberum fuiſſe celebrare ſynodum anno Theodorici tertio, Chriſti* 675 *vel* 676; *cùm, fatente rurſum cum aliis communiter Mabillonio, martyrio coronatus ſit anno* 678; *poſtquam in captivitate detentus & variis ſuppliciis affectus fuiſſet per annos ut minimùm quatuor, ut ex dicendis evidens fiet, & hîc obiter dumtaxat oſtendimus.*

C

cum rebus tunc geſtis componi

83 *Mortuo Childerico rege*, Leodegarius *Luxovium, ubi eum exſulâſſe videbimus, deſeruit, & annuente novo rege Theodorico, cujus partes ſequebatur, Auguſtodunum rediit. Ebroïnus Theodorico adverſans & infenſus* Leodegario *ingentem militum turbam cum ducibus Auguſtodunum direxit, qui ſanctum Epiſcopum caperent. Aliquamdiu obſeſſa civitate, ſponte ſe hoſtibus ſtitit Sanctus, oculis privatus eſt, ductuſque in Campaniam: ubi primùm in ſylva relictus eſt, ut fame periret, deinde cuſtodiæ traditus in monaſterio*, in quo latuit per annos circitèr duos, *ut ſcribit Urſinus. Interim Theodorico regi conciliatur Ebroïnus, accuſat de nece Childerici* Leodegarium, *ejuſque fratrem* Gerinum. *Vocatur uterque in aulam*, Gerinus *lapidibus obruitur*, Leodegarius *atrociter mutilatus, ad longiores cruciatus committitur cuſtodiæ Waningi, qui eum perducit ad Fiſcamnenſe cœnobium à ſe conditum in Normannia provincia, ubi*, dum per biennium ferè, *ita anonymus noſter*, in Dei laudibus reſediſſet *Sanctus, audivit, multos hoſtium ſuorum, permittente Deo, per ipſum Ebroïnum punitos fuiſſe. Sed tunc & ipſe Sanctus in aulam denuo vocatus, mortis ſententiam accepit, & clàm perimendus traditus eſt cuidam Chrodoberto, in cujus domo cùm aliquamdiu commoratus eſſet Sanctus, & tam ipſum quàm ejus uxorem pluresque alios ad meliorem vitam convertiſſet, tandem, urgènte Ebroïno, interfectus eſt.*

D

non poteſt Synodum illam

84 *Hæc, quæ per decurſum operoſiùs explanabuntur, ſufficiunt, ut mox advertat ſtudioſus lector, nequaquam probabile eſſe, quòd* S. Leodegarius *poſtremis quatuor vitæ annis, quorum certè unus fuit Theodorici regis tertius, ſynodum celebrare potuerit, quandoquidem toto iſto temporis intervallo extra diœceſim ſuam verſatus & in captivitate detentus ſit. Porrò hinc diſcimus quidem, quo tempore epiſcopatûs* S. Leodegarii *veriſimillimè celebrata non fuerit ſynodus; at cùm nihil quoque ſolidi fundamenti reperiamus, ut ad unam potiùs quàm ad alteram ex antè memoratis opinionibus accedamus, ad aliam quæſtionem progredimur; num ſcilicet dicta ſynodus nationalis fuerit, an provincialis, an diœceſana. Diœceſanam tantùm judicârunt plerique. Mabillonius nationalem aut ferè nationalem fuiſſe cenſet, eo, nî fallor, intuitu, ut inde concluderet, Regulam S. Benedicti Seculo* VII *tam à* S. Leodegario *quàm ab omnibus ferè totius Franciæ epiſcopis commendatam ac præſcriptam fuiſſe monachis, uti meritò colligere eſt ex allatis ſuprà ejuſdem verbis.*

E

vationalem fuiſſe, Mabillonii argumenta, ad quæ

85 *Sententiæ ſuæ argumenta proponit in Præfatione ad Seculum* IV *num.* 106. Quia hæc ſynodus conſtabat quinquaginta quatuor epiſcopis Chriſtiaci congregatis: quia per ea tempora ſynodi penè omnes, in quibus canones condebantur, erant minimùm provinciales: quia ſtatuta ſynodi Auguſtodunenſis cenſentur inter canones eccleſiæ Gallicanæ: quia pro univerſa Gallia condita ſunt, probante canone ſexto: Ut in civitatibus non inveniantur monachi. *Sed reſpondebitur ad primum, teſtamentum ſenſu ſuperiùs expoſito eſſe ſuppoſititium vel ita corruptum, ut ineptum ſit ad fidem faciendam de tanto congregatorum epiſcoporum numero. Detur tamen, hoc etiam loco verum referri in teſtamento: quomodo probabitur, tunc ab iſtis epiſcopis conditos fuiſſe canones, & hos ſpeciatim, de quibus eſt quæſtio? Imò nec ab ipſis epiſcopis, nec iſto in loco hos canones fuiſſe conditos, credere nos jubent inſcriptiones, quas in vetuſtis collectionibus præfixas eſſe canonibus teſtatur Sirmondus. In Andegavenſi collectione inſcriptio hæc eſt:* Canones Auguſtodunenſes S. Leodegarii epiſcopi: *iſta in Divionenſi:* Canones Auguſtodunenſes. *Cur enim* Auguſtodunenſes *vocantur, & non potiùs* Chriſtiacenſes? *ubi, ſi teſtamento fides, congregati erant epiſcopi, & ubi ſecundùm Mabillonium habita ſynodus & conditi ſunt canones? Cur* S. Leodegarii canones *appellantur & non potiùs* epiſcoporum Galliæ?

F

86 *Ad*

A *respondetur*, 86 *Ad secundum ac tertium Mabillonii argumentum respondebitur, gratis ista asseri, contrarium suaderi ex synodo Autissiodorensi, quam circa annum* 578 *instituit S. Aunarius episcopus cum septem abbatibus, presbyteris triginta quatuor ac tribus diaconis, quamque diœcesanam fuisse, nemo inficiabitur. In ea tamen conditi sunt canones numero quadraginta quinque, & hi, sicuti Augustodunenses, à Sirmondo recensiti tom.* 1 *Conciliorum Galliæ. Ad quartum denique argumentum respondebitur primò, verba canonis:* Ut in civitatibus non inveniantur monachi *accipi posse de civitatibus diœcesis, donec probetur, unicam tantùm tunc in ea fuisse civitatem. Interim noviſſe juverit ea, quæ de ejus hodierna amplitudine tradunt scriptores Galliæ Christianæ auctæ tom.* 4 *col.* 324: Præter Augustodunum plurimas alias urbes sub se continet; Molinum scilicet, Borbonium-Anselmium, Semurium, Belnam, Flaviniacum, Sedelocum, Avallonem, Arneum-Ducium &c. Septingentas parœcias, canonicorum collegia, virorum ac mulierum omnis generis plurima monasteria, abbatias plusquam quindecim &c. *Secundò respondebitur, verba canonis sic legi:* Ut in civitatibus errare non inveniantur; *& ita intelligi posse:* Inhibetur monachis nostræ diœcesis, ne in civitatibus seu intra seu extra diœcesim sitis, vagentur.

non evincunt. 87 *Id, quod observavimus de canonum inscriptionibus, quodque validissimum est Mabillonio adversantium argumentum, advertit etiam ipse in Præfatione ad Seculum* IV, & Augustodunenses canones *ab antiquis appellatos fuisse, ait;* Propterea quòd in diœcesi ejus civitatis conditi sunt, *dictos autem canones* S. Leodegarii; Quod eorum auctor fuerit episcopus sanctus. *At utrumque dictu facilius, quàm probatu. Nam si quæras,* Quis locus sit Christiacus, *ubi synodus habita; reponet tom.* 1 *Annalium pag.* 519: Non facilè dixerim, nisi si legendum est Chrisciacus, quæ villa regia erat in Pontivo. *Sed sic tacitè everti patitur assertum primum: nam si legendum sit* Chrisciacus, *conditi non sunt canones in Augustodunensi diœcesi; cùm Pontivus pagus pars sit Picardiæ,* Chrisiacus *verò, aliàs* Crisciacum & Creciacum, *vulgò* Crecy, *locus diœcesis Ambianensis. Ad alterum Mabillonii assertum, equidem reponam dictos fuisse* canones S. Leodegarii, *quia unus ille episcopus interfuit ac præsedit synodo Augustoduni in primaria diœcesis suæ civitate congregatæ ac celebratæ. Sed de his jam satis. Redeo ad interruptam tantisper rerum seriem, sive ad Sancti nostri gesta ab anno* 670, *episcopatûs decimo vel undecimo.*

§ VII. Examinatur, an, mortuo Clothario III, Leodegarius pro Childerico contra Theodoricum steterit, & an hic illo fuerit natu minor.

Mortuo Clothario III, Neustria Burgundiaque MOrtem *Clotharii regis tertii ingens excepit regnorum perturbatio. Mater ejus S. Bathildis, jam dudum abdicato Burgundiæ ac Neustriæ regimine, in Kalense monasterium secesserat, nullos ipse, qui succederent, liberos reliquerat: supererant fratres duo Childericus ac Theodoricus, quorum ille in Austrasia regnabat, hic degebat in aula fratris demortui, in qua penes Ebroïnum majorem-domûs erat, fueratque à secessu reginæ Bathildis summa rerum potestas; sed eâ abusus plerosque regni principes infestissimos sibi effecerat. Audiatur anonymus noster biographus.* Erat enim, *inquit,* memoratus Ebroïnus ita cupiditatis face succensus, & ambitioni pecuniæ deditus, ut illi coram eo justam causam haberent tantùm, qui plus pecuniæ detulissent. Cùmque alii timoris causâ, alii pro redimenda justitia eum auri argentique immensâ replêssent pecuniâ, quorundam animi, ob hujus causam exspolii, dolore tacti, contra eum jam fuerant commoti; quia non solùm rapacitatis exercebat commercium, verùm etiam pro levi offensa sanguinem nobilium multorum fundebat innoxium. Sanctum itaque Leodegarium episcopum ideò habebat suspectum, quia eum superare non valebat in verbo, nec adulationis, ut ceteri, ei impendebat obsequium, & contra omnes minas suas semper eum cognoverat permanere intrepidum. Tyrannicum dederat tunc edictum, ut de Burgundiæ partibus nullus præsumeret adire palatium, nisi qui ejus accepisset mandatum. Tunc B de metu priore fuerant omnes suspecti, quòd cogitaret ad suum facinus cumulandum, ut aut quosdam capitis amissione damnaret, aut dispendia facultatum infligeret.

turbantur Ebroini causâ 89 *Eo res loco erant, quando ad Sanctum nostrum perlatus est nuntius de obitu Clotharii.* Tunc idem Pontifex ..., *ita Ursinus,* concito cursu in palatium perrexit, ac cum suis commilitonibus de rege tractare cœpit. Qui audientes Hildericum Austrasiorum regem in adolescentia sua regnum juxta sui temporis ætatem optimè disponentem, elegit quædam pars Francorum, volentes eum regem habere. Nam Ebroïnus, qui major-domûs fuerat sub rege Lothario, Theodoricum germanum ejus cupiebat subrogare fratri in regno. Ipse verò Ebroïnus erat tunc odiosus inter Francos, & quia metuebant hujus ponderis jugum, quod per eumdem sustinuerant sub rege Lothario, relicto ejus consilio, Hildericum in toto sublimaverunt regno. *Paucis verbis multa complexus est hic auctor; ac primò quidem satis confirmat ea, quæ fusiùs tradit anonymus de iniqua Ebroïni gubernandi norma sub rege defuncto, simulque causam declarat,* F *cur Childericum potiùs, quàm Theodoricum, regem Neustriæ & Burgundiæ optârint Francorum optimates. Sed pluribus etiam hæc & diversis hinc inde adjunctis declarat anonymus. Is altùm silens de S.* Leodegarii, *audito Clotharii obitu, festinatione ad aulam, ac de rege constituendo deliberatione,* Interim, *inquit,* rex Lotharius à Domino vocatus de hac luce migravit. Sed cùm Hebroïnus ejus fratrem germanum, nomine Theodericum, convocatis optimatibus, sollenniter, ut mos est, debuisset sublimare in regnum, superbiæ spiritu tumidus, eos noluit deinde convocare. Ideò magis cœperunt metuere, eò quòd regem, quem ad gloriam patriæ publicè debuerat sublimare, dum post se eum retineret * pro nomine, cui malum cupierat, audenter valeret inferre. Cùmque multitudo nobilium, qui ad regis novi properabant occursum, mandante Hebroïno, itineris accepissent repudium, inito in communi consilio, relicto eo, omnes expetunt Hildericum juniorem ejus fratrem, qui in Austro sortitus erat regnum, & Neustriæ ac Burgundiæ regem faciunt.

* *al.* dum posset eum retinere

90 *Hæc*

AUCTORE C. B.

Jus Theodorici ad Clotharii hæreditatem declaratur;

90 *Hæc ſi, ut hiſtoriæ veritas exigebat, narrata ſint, & auctor verbis uſus in ſenſu proprio & obvio ſumptis, videntur inſinuare, debitam fuiſſe Theodorico hæreditatem Clotharii, peccâſſeque primùm in eo dumtaxat Ebroïnum, quòd ſolus cum ſuis ipſum in ſolio collocârit, non convocatis de more regnorum optimatibus, qui ſolemni iſti actui ad majorem gentis ſplendorem aſſiſterent, ceteraque præſtarent, quæ tum generatim omnes, tum ſpeciatim pro ſuo quique ordine & gradu præſtare conſueverant. Sanè jus illud Theodorici videtur agnoviſſe multitudo illa nobilium, quæ ad ſalutandum regem novum properavit, poſtquam vel ſic non ſervatis antiquis cæremoniis conſtitutus eſſet; ut dicas Burgundos ac Neuſtrios non cogitâſſe de ſtatuendo ſibi rege Childerico, niſi cùm ex ſecunda ac probroſa magis repulſa animum Ebroïni penitiùs introſpicerent, judicarentque, ideò ab illo convocatos ſe non fuiſſe, ideò ſponte venientes ab aula fuiſſe repulſos, ut ipſe ſolus cum ſuis regem poſſideret, ejuſque nomine pro arbitrio ſuo omnia ſtatueret ac dirigeret, deprimeret adverſantes vel ſuſpectos, elevaret aſſentientes ac ſui ſimiles.*

at in quo id fuit fundatum? Theodoricum

B

91 *Rurſum idem auctor jus Theodorici aliquod indicat paulò poſt citata verba, ubi ait, quòd* quidam, qui in regno videbantur eſſe primarii . . . crinem SUI DOMINI (*Theodorici jam captivi*) temeritatis auſu jufferunt amputari. *Denique Theodoricum ipſum mox ita loquentem inducit anonymus, acſi nullum ipſi de ſuo jure eſſet dubium. Attonſus enim & à Childerico interrogatus,* quid de ſe agi vellet . . . hoc ſolum, eò quòd injuſtè fuerat de regno ejectus, judicium ſibi à Deo celere expectare profeſſus eſt. *Addit auctor;* Et Deus cæli, quem ſibi judicem eſt habere profeſſus, feliciter poſtmodum ipſum permiſit regnare. *Sed quo fundamento nixum fuiſſe dicemus jus illud Theodorici? An in ſuprema Clotharii morientis voluntate, quâ ſive ſpeciali in Theodoricum fratrem amoris affectu, ſive Ebroïni omnia dirigentis inſtinctu ſucceſſorem eum ſibi deſignârat? Ut hoc aſſeramus, nihil ſuccurrit præter conjecturam. An in conſuetudine Merovingiorum regum filiis uſitata, quâ, ut apud Gregorium Turonenſem & Fredegarium ſcholaſticum videre licet, relictam à defunctis ſive parentibus ſive conſanguineis hæreditatem ex æquo inter ſe non ſemel diviſerant? Huic conſuetudini nihilo*

C *firmiùs quàm conjecturæ jus Theodorici innititur: etenim eam Theodorici ætate etiamnum obtinuiſſe, admodum eſt dubium; imò potiùs apparet fuiſſe abrogatam, uſu contrario introducto primùm quidem ſub Dagoberto I, deinde verò ſub Clothario III, Theodorici, de quo hic agimus, fratre natu majori, quorum alter (vide Fredegarium cap. 56 & 57) cum fratre ſuo juniore Chariberto, alter autem (vide Cointium in Ann. Franc. ad annum 655 num. 9) cum fratribus ſuis Childerico & Theodorico hæreditatem paternam ex æquo non fuerat partitus. An tandem in ætate, quâ Childerico prior erat Theodoricus? Recentiores penè omnes adverſantur, dum Theodoricum filiorum Clodovei* natu minorem, *vel Childericum filium ejus* ſecundò genitum *appellant.*

Childericus natu majorem fuiſſe, cenſet Chiffletius,

92 *Attamen P. Petrus Franciſcus Chiffletius Societatis noſtræ ſacerdos, qui in Diſſertatione de annis Dagoberti cap. 15 præſentem materiam ex inſtituto pertractavit, non tantùm ex recitatis ſuprà anonymi verbis Theodorico Clotharii regnum jure debitum arbitratus eſt, verùm etiam Theodoricum Childerico natu majorem fuiſſe contendit, potiſſimùm ex iſtis:* Relicto eo (*Theodorico*) D omnes expetunt Hildericum, juniorem ejus fratrem. *Advertit etiam Cointius, iſto in textu latêre aliquid minimè favens ſuæ communiorique aliorum ſententiæ: idcirco alia uſus interpunctione legit:* Hildericum juniorem, ejus fratrem, & Tò JUNIOREM, *inquit,* non ad fratrem, ſed Childericum referre voluit (anonymus) ut Childericum hunc, cognomento JUNIOREM à ſeniore Childerico, Clodovei primi patre, diſtingueret. Nam cùm res ſui temporis in litteras referret, ignorare non potuit, Childericum natu majorem fratre Theodorico fuiſſe. *Sed non immeritò Chiffletius:* Quod optarem ego antiqui alicujus ſcriptoris auctoritate firmari. In primis enim præter morem eſt ſcriptorum, qui ſub prima regum ſtirpe floruerunt, ut è duobus cognominibus regibus JUNIOREM appellent, qui à priore fuerit tanto intervallo diſcretus, quanto Childericus hic à Childerico, Magni Clodovei parente, qui fuit avi ejus Dagoberti atavus... Mihi certè dubium non eſt, quin auctor iſte, horum inſpector temporum, Childericum Theodorico fratre juniorem fuiſſe, exiſtimaverit, idemque cum illo (ſi tamen vera narrat) Franci ipſi proceres ſenſerint. *His ſubdit Chiffletius ea, quibus idem anonymus inſinuat jus Theodorici ad ſucceſſionem Clotharii.*

contra quem ex geſtis hiſtoricis,

93 *Nemo inficiabitur, opinor, lectionem Chiffletii magis obviam eſſe ſeu minùs quæſitam, quàm Cointii; imò illam auctoris menti omninò conformem eſſe, non poterit non fateri, quiſquis ſequendam putaverit vel Mabillonii editionem vel novam à Martino Bouquet adornatam, tom. 2 Scriptorum Rerum Gallicarum: utrobique enim ſic legitur:* Expetunt Hildericum ejus fratrem juniorem. *Hinc non immeritò optabat Chiffletius proferri teſtimonium antiqui ſcriptoris, cujus auctoritate firmaretur ſententia aſſerentium, Theodoricum juniorem ætate fuiſſe, Childerico. Equidem ſtudioſe conſului ſcripta & monumenta vetera, è quibus id erui poſſe exiſtimabam; & revera varios textus reperi, unde, ſepoſita auctoritate anonymi noſtri, probabiliſſimè id judicârunt illi, nullum tamen tam clarum ac evidentem, quin explicari queat ad ſenſum anonymi noſtri per Chiffletium allegati. Hujuſmodi textus ſunt in pluribus Geſtis, Hiſtoriis ac Chronicis regum Francorum apud laudatum Bouquetum tomis ſecundo ac tertio, ubi enumerantur Clodovei & Bathildis* F *filii, & Theodoricus tertio tantùm loco nominatur. Ita fit tom. 2 pag. 569, ubi in Geſtis regum Francorum legimus:* Ex Bathilde regina ejus habuit tres filios, Clotharium, Childericum atque Theudericum.

Chronicis, aliiſque

94 *Eodem ordine enumerantur prima parte Fredegarii continuati pag. 449, in brevibus Chronicis regum Francorum pag. 664, in Chronico Adonis pag. 669; in Fragmento hiſtorico pag. 692, in Proſapia regum Francorum pag. 697 & in libello de Majoribus-domûs pag. 699, ſed ipſe editor in Præfatione, anonymum, qui ſeculo octavo Geſta regum Francorum conſcripſit, tot fabulas comminiſci ait,* ut nullam fidem mereatur *auctoremque primæ partis Fredegarii continuati miſerandum appellat conſarcinatorem* ex Geſtis regum Francorum & Dagoberti Hiſtoria. *Reliqua verò allegata Opuſcula vel ſimiliter fabulis conſperſa ſunt, vel ab hominibus confecta, qui à rebus narrandis nimiùm remoti, vetuſtiores illos deſcripſerunt. Hoc de Adone nominatim obſervat Bouquetus dicens:* Quæ de regibus Francorum

primæ

primæ ſtirpis narrat, ea haurit ex Geſtis regum Francorum. *Non affero alia Opuſcula, quæ Bouquetus tomo tertio inſeruit, & in quibus eodem ordine fit enumeratio filiorum Clodovei: cùm de iis univerſim dicat editor in Monito prævio in illos:* Diu hæſitavi, an ſcriptores ſequentes typis ederem. Præterquam quòd enim nihil habent, quod non ex antiquioribus auctoribus, quos dedimus, excerpſerint, recentiores ſunt, quàm ut rebus, quæ ſub prima regum Francorum ſtirpe geſtæ ſunt, fidem faciant.

Opuſculis nihil certi evincitur,

95 *Eos inter collocat auctorem Vitæ ſecundæ S. Wandregiſili abbatis, editæ à Mabillonio Seculo 2 Benedictino, & à nobis tom.* v *Julii ad diem* XXII, *procul dubio, quia, licèt auctor is ſcripſerit ſeculo* VII, *Opus tamen ipſius interpolatum fuit ſeculo* IX, *uti monet Mabillonius, & in iis præſertim, quæ ad chronologiam ſpectant, ut exemplis apud nos probatum eſt. In iſta porrò Vita S. Wandregiſili bis eodem, quo in præcedentibus, ordine recenſentur Clodovei & Bathildis filii, ac ſecundo quidem loco, apud nos tomo citato pag.* 279, *ut ſequitur:* Bathildi namque reginæ, relictæ Hlodovei regis, obitus triarcharum filiorum ac ſucceſſiones inſinuavit S. Wandregiſilus, è quibus Hlotharius, qui major erat natu, quartum decimum regni agens annum, conſortiis ſubitò caruit humanis. Deinde Hil-

B dericus temerè ab inſidiatoribus interemptus, à præſenti ſublatus eſt vita. Tertius quoque Theodericus, ſuperſtes matris, regni ſuſcepit gubernacula: ſicque juxta viri Dei prophetiam eveniſſe, manifeſtum eſt. *His meliora pro communi opinione teſtimonia non comperi. Videndum nunc, an talia ſint, qualia requirebat Chiffletius. Negabit ille, non tantùm, quia deſumpta ſunt ex ſcriptoribus nec ætate nec auctoritate cum anonymo noſtro comparandis, ſed vel maximè, quia ea inter nullum eſt, quin facilè ad ſenſum ejuſdem anonymi explicari queat, dicendo, quòd à memoratis ſcriptoribus ſeu potiùs ab uno eorum priore, unde acceperunt alii, facta ſit enumeratio filiorum Clodovei non eo ordine, quo nati, ſed eo dumtaxat, quo monarchiam adepti ſunt. Hoc ipſum utcumque innuit ultimo loco citatus, dum ait, per S. Wandregiſilum Bathildi reginæ prædictos fuiſſe* obitus & ſucceſſiones *filiorum, quos inter tertius ordine ſucceſſionis regni gubernacula ſuſcepit Theodoricus, matri in vivis ſuperſtes.*

C

ati nec in particulari ex genealogicis,

96 *At verò, inquiet non nemo: etiamſi dici fortè poſſet, à memoratis pleriſque ſcriptoribus aut potiùs ab uno eorum priore, unde reliqui acceperint, Clodovei filios non ordine nativitatis, ſed ſucceſſionis in monarchiam dumtaxat enumerari, dici tamen nondum poſſet, id pariter fieri vel ab auctore Proſapiæ regum Francorum, quam Martinus Bouquetus tomo 2 ſcriptorum Rerum Gallicarum pag.* 697 *profert, vel ab auctore Genealogiæ eorumdem regum à Meroveo uſque ad Pipinum regem, quam ex veteri codice Ms. bibliothecæ Britanniarum regis vulgavit Cheſnius tom.* 1 *Scriptorum Hiſtoriæ Francorum pag.* 794. *Cùm enim ambo auctores memorati Genealogiam regum Francorum primæ ſtirpis contexant; genealogis autem ſolenne ſit, imò incumbat, ut nomina principum, quorum ſeriem genealogicam deſcribunt, nativitatis ordine recenſeant, ſine ratione aſſerendum non eſt, alterutrum ex laudatis genealogis à ſolito, imò debito genealogis more fortè receſſiſſe, atque adeò in recenſendis Clodovei filiis nativitatis ordinem non ſervâſſe. Equidem non inficior, ſolenne omnino eſſe genealogis, imò tamquam debitum ab iis meritò requiri, ut in contexendis genealogiis nativitatis ordinem potiſſimùm conſectentur; verùm duplicis generis perſonæ in ſerie genealogica conſideranda occurrunt; aliæ, quarum una ab altera originem non trahit, ut ſunt ejuſdem patris & matris liberi; aliæ contra, quarum una ab altera trahit originem, quarumque generationem vel à poſteris aſcendendo ad progenitores, vel ab his ad illos deſcendendo genealogus exponit: in poſterioribus, non item in prioribus recenſendis nativitatis ordinem à genealogo ſervari neceſſe eſt.* AUCTORE C. B.

ex quibus formata una atque

97 *Quapropter ex officio, quod genealogo incumbit, ne quidem conſequitur, ut laudati genealogi Clodovei filios nativitatis ordine enumerare ſtuduerint, nedum ut reipſa enumerârint: & ſanè priorem genealogum in Genealogia, quam contexuit, de ordine nativitatis in recenſendis Clodovei filiis parùm fuiſſe ſollicitum, dilucidè conſtat vel ex eo, quòd, dum in memorata regum Francorum Proſapia duos Dagoberti ſenioris filios, Clodoveum ſcilicet & Sigebertum commemorat, Clodoveum, de cujus hìc filiis diſputamus, præponat Sigeberto, quem tamen natu majorem Clodoveo fuiſſe nemo ibit inficias, qui Sigebertum, cùm naſceretur Clodoveus, jam ſecundo anno in Auſtraſia regnâſſe, ex Cointio in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum Chriſti* 634, *num.* 2, *aliiſque ſcriptoribus intellexerit.* E

altera objectio facilè ſolvitur,

98 *Porrò etiamſi apertiſſimè conſtaret (quod tamen minimè conſtat) genealogos ex Bouqueto & Cheſnio adductos, in recenſendis Clodovei filiis curam omnem adhibuiſſe, ut nativitatis ordine ſingulos nominarent; quî probari poſſunt finem hunc ſuum vel reipſa aſſecuti, vel potiùs certò aſſequi valuiſſe? Sanè cùm Cheſnianus genealogus nullo prorſus indicio ætatem ſuam prodat, meritò dubitari poteſt, an non tanta ipſum inter & filios Clodovei temporis diſtantia interceſſerit, ut nihil certi de illis ſcire, adeóque, utut voluerit, nec litteris conſignare potuerit. Quod verò pertinet ad Bouquetianum, ſi hic auctor, ut Bouqueto videtur, idem ſit cum auctore Chronici S. Medardi Sueſſionenſis, qui ſeculo* XIII *floruit, remotior eſt (quod ſuprà de aliis etiam ſcriptoribus obſervat Bouquetus) à Clodovei ejuſque filiorum temporibus, quàm ut rebus, quas de illis ſcribit, fidem indubitatam facere queat. Nec eſt, quod opponas, ſcriptores Clodoveo ejuſque filiis coævos, qui modò interciderunt, laudatis ſæpe genealogis fortè præluxiſſe, ex iiſque nativitatis ordinem Childerico Theodoricoque aſſignandum innoteſcere potuiſſe; cùm enim illud adhodum incertum ſit, incertum pariter manet, an Clodovei filios nativitatis ordine enumerârint, vel potiùs an certò enumerare potuerint.* F

ideóque Chiffletii ſententia aliquantùm ſaltem confirmata

99 *Nihil itaque hactenus habemus, quo Chiffletii ſententia certò convellatur; imò contrà non parùm confirmari poſſet, ſi Chronico Sandionyſiano, quod antiquo idiomate Gallico exaratum Bouquetus tom.* 3 *Scriptorum Rerum Gallicarum edidit, integra ſua conſtaret fides. Etenim lib.* 5 *cap.* 23 *Childericum Theodorico fuiſſe juniorem apertiſſimè in hunc modum inſinuat:* Cils rois Clothaires morut, quant il ot quatre anz regné. Lors couronnerent li François le mainé (*aliàs, ut in margine notat Bouquetus,* mainſné) qui avoit non Theodoric; Childeric le tiers envoyerent en Auſtraſie. *Quibus ego verbis, ſpectato contextu, extra quem* tiers & mainé *ſive* mainſné (*vide dict. Trivul. ad verbum* puiſné) *lationem,*

AUCTORE C. B.

rem, quàm hic concedam, ſignificationem habent, ſenſum hunc Latinum accommodandum arbitror: Hic rex Clotharius mortuus eſt, cùm regnâſſet annis quatuor. Tunc coronaverunt Franci ſecùndò genitum, qui nominabatur Theodoricus; Childericum tertiò genitum miſerunt in Auſtraſiam. *Quid clarius haberi poteſt pro ordine, quo nati ſunt Theodoricus & Childericus, indubiè determinando? Verùm hæc, liberaliori adhibita interpretatione, deprompta fortè tantummodò ſunt ex Geſtis regum Francorum, quorum auctor incertus cap.* 45 *nullum prorſus præbens indicium, ex quo poſſit colligi, Theodoricum Childerico fuiſſe natu majorem, narrationem hoc modo inſtituit:* In his diebus Clotharius rex puer obiit, regnavitque annis quatuor. Theudericus autem frater ejus rex elevatus eſt Francorum. Childericus itaque alius frater ejus in Auſtria unà cum Vulfaldo duce regnum ſuſcipere perrexit: *ubi nec Theodoricus ſecundò genitus, nec Childericus tertiò genitus nominatur. Accedit, quòd, ut conſtat ex prævio Bouqueti Monito, laudatum Chronicum Sandionyſianum Gallicum non ante ſeculum* XIII; *Latinum verò, ex quo illud verſione eſt concinnatum, cùm Aimoinum prælucentem habuerit, non ante ſeculum* XI *ſit conſcriptum, adeóque non ante ſecula quatuor elapſa poſt ſeculum* VII, *quo Childericus ac Theodoricus floruerunt.*

B

ut probabilis habetur, non tamen ut certa

100 *Hiſce perpenſis, Chronico Sandionyſiano in præſenti materia fidem quidem indubitatam habendam non reor, ſed neque etiam omnem denegandam: licèt enim Bouquetus ſuprà citatum laudati Chronici caput ex cap.* 44 *&* 45 *de Geſtis regum Francorum deſumptum annotet in margine, ex nonnullis tamen etiam aliis antiquioribus ſcriptoribus, ex quibus certius aliquid ſciri potuit, illud eſſe contextum facilè ex ejuſdem capitis inſpectione, factaque collatione cum capitibus è Geſtis Regum Francorum à Bouqueto aſſignatis manifeſtum evadit. Quare, cùm ex ordine, quo à pleriſque auctoribus enumerantur Clodovei filii, certò, ut vidimus, ſciri non poſſit, an Childericus Theodorico, an contrà hic illo fuerit junior; Chronicum autem Sandionyſianum Gallicum, cui conſonat noſter anonymus in ſenſu obvio & minùs quæſito acceptus, Childericum Theodorico juniorem fuiſſe, apertè edicat; laudati ego Chronici qualicumque auctoritate, maximè verò anonymi noſtri, cujus fidem habere ſuſpectam nihil cogit, verbis manifeſtis num.* 89 *allegatis permotus, ſententiam Chiffletianam ſaltem probabilem exiſtimo; quo minùs tamen eam admittam ut certam, aut ut oppoſitâ probabiliorem, facit tum expoſitio laudatis anonymi noſtri verbis à Cointio num.* 91 *applicata, tum verò præcipuè difficultas non parva, quæ in illa occurrit. Si enim Childericus Theodorico fuerit junior, qua ratione factum eſt, ut ſancta Bathildis, Childerici & Theodorici mater, regem ſolis Auſtraſiis imperaturum conſtituens, Childericum Theodorico prætulerit?* Nuper, *inquit auctor anonymus coævus in Vita S. Bathildis à Bollando ad* XXVI *Januarii, aliiſque edita,* & Auſtraſii pacifico ordine ordinante Domna Bathilde, per conſilium quidem ſeniorum receperunt Childericum filium ejus regem Auſtri: Burgundiones verò & Franci (*ſub Clotharii ſcilicet natu majori Bathildis filio*) facti ſunt uniti.

C

ob difficultatem, cui non niſi conjecturis

101 *Evolvi ſcriptores bene multos, tum antiquos, tum recentiores, apud quos aptum difficili huic nodo ſolvendo cuneum fortè reperiendum, arbitrabar, nec quidquam niſi conjecturæ uni aut alteri non improbabili faciendæ fundamentum inveni. Ludovicus du Four in Annalibus Francorum, quos ad calcem tom.* 3 *Scriptorum Rerum Gallicarum Bouquetus adjecit, ad annum Chriſti* 660 *de Auſtraſiis ita pronuntiat:* Auſtraſii ſemper reges apud ſe reſidentes habere voluerunt, ægréque ſe principibus in Neuſtria commorantibus ſubmittebant. *Auctori huic adſtipulantur Pagius in Critica, & Cointius in Annalibus Francorum, dum hic ad annum* 660 *num.* 1 *&* 2; *ille verò ad eumdem annum num.* 6 *ſcribit, Auſtraſiis tumultuantibus & regem, qui ſoli Auſtriæ dominaretur, ſibi dari poſcentibus, à Bathilde regina, ut tumultus ſedaret, Childericum eiſdem eſſe præfectum. Porrò Auſtraſios ſaltem à tempore Dagoberti I ita animo, ut ſcribit laudatus Du Four, fuiſſe comparatos, non inepte deduci poſſe videtur ex Fredegario; hic enim cap.* 58 *Auſtraſiæ regnum ſub Dagoberto I apud Auſtraſios reſidente, velut feliciſſimum; contrà verò cap.* 68, 74 *&* 75 *ſub eodem Dagoberto, ſede regni ad Neuſtraſios tranſlata, velut infeliciſſimum depingit, utpote crebris Winidorum, ſæviſſimæ gentis irruptionibus miſerè devaſtatum, imò & ipſiuſmet Dagoberti odio ſiniſtriſque ſuſpicionibus expoſitum: ad hæc idem Fredegarius, ut Cointio ad annum* 633 *viſum eſt, cap.* 85 *inſinuat Dagobertum I præcipuos Auſtraſiorum proceres, qui ipſum in Neuſtriam fuerant ſecuti, apud ſe in Neuſtria, quoad vixit, retinuiſſe, ne res novas in Auſtraſia molirentur.*

D

E

ex Auſtraſiorum genio

102 *Quapropter veriſimile admodum ex Fredegario, imò certum quodammodo ſit, Auſtraſios miſerum rerum ſuarum ſtatum, regiſque, cui antea in amoribus fuerant, alienatum à ſe animum pravis Neuſtraſiorum conſiliis adſcripſiſſe, adeoque ab illo ſaltem tempore regem, qui in Neuſtria reſideret, fuiſſe averſatos. Conjici ergò non immeritò poteſt, Auſtraſios non tantùm à Bathilde regina regem, qui ſoli Auſtria dominaretur, (quod aiunt Pagius & Cointius laudati) ſed & in hunc finem filium ejus natu minimum ſibi dari poſtulâſſe, datumque à Bathilde fuiſſe, ut tumultus ſedaret. Cùm enim regem, qui ſedem regni in Neuſtria haberet, prorſus, ut vidimus, averſarentur, veriſimile eſt, illos regem ſibi præfici è Bathildis filiis eum expetiiſſe, de quo minùs timendum erat, ne aliquando fortè, devoluto ad ipſum per Clotharii fratris natu majoris mortem Neuſtraſiorum regno, ſedem regni ex Auſtria in Neuſtraſiam, ut Dagobertum I feciſſe meminerant, cum ingenti totius regni detrimento transferret; illud autem minùs timendum erat à natu minimo, quàm à ſecundò genito Bathildis filio, ad quem hereditatis jure Neuſtria regnum ſpectaret, ſi quando è vivis ſine filio excederet Clotharius, cujus vita, utpote tunc decem vix annos nati, ſummis adhuc periculis, ut id ætatis puerorum ſolet, erat obnoxia.*

F

& Hymnechildis reginæ petitis utcumque ſatisfit;

103 *Porrò conjecturæ non abſimili faciendæ materiam ſuggerit Pagius in Critica, qui, poſtquam ad annum* 661 *num.* 4 *Hymnechildem reginam, ſancti Sigiberti Auſtraſiæ regis viduam, & matrem Dagoberti II in Hibernia exſulantis, donationi Bariſiaci à Childerico Auſtraſiæ rege ſancto Amando factæ, unà cum eodem Childerico ſubſcripſiſſe, luculenter oſtendit, tandem num.* 5 *in hunc modum concludit:* Ex præcepto itaque donationis Childerici pro monaſterio Bariſiacenſi) hoc anno (661) edito, arcanum notabile diſcimus, Hymnechildem ſcilicet viduam ſancti Sigiberti regis & matrem Dagoberti exulis ac Bilihildis, profectam eſſe in Auſtraſiam cum Childerico nepote, quando

is

A is huic regno præpositus est, ut ejus tutelam gereret, Childericum promisisse accepturum se Bilihildem uxorem, quando ea nubilis esset; ac Hymnechildem matrimonio illo contentam parùm curâsse de Dagoberto filio ex Hybernia revocando. *Nonnullis deinde interpositis, tutelam Childerici in Austrasia regnantis penes Hymnechildem fuisse, num. 6 ex eodem donationis instrumento probat; huic autem probationi paulò antè præmiserat:* Ex eo enim (*præcepto Childerici de loco Barisiaco*) manifestum fit, Hymnechildem Dagoberto juniori filio Bilihildem filiam prætulisse, & dummodo hæc Childerici regis sponsa fieret, sibi verò regni administratio concederetur, filii exulis curam abjecisse. *Ex his, aliisque, quæ ex laudato Childerici præcepto, eique subscripta Hymnechilde Pagius deducit, sola certa est Childerici tutela Hymnechildi mandata, reliqua verò, etsi indubitatæ fidei non sint, verisimillima tamen sunt: quare ex iis non immeritò conjicias, Hymnechildem non solùm de rege è filiis Clodovei Austrasiis præficiendo, cujus tutelam esset gestura, prona admodum voluntate cum Bathilde consensisse, verùm etiam, ut natu minimus Clodovei filius natu majori præferretur,*

B *omni studio contendisse: cùm enim verosimillimè, ut ex dictis est consequens, Hymnechildis regina regni Austrasiæ administrationem sibi concedi appeteret; sciret verò eam penes se eo dumtaxat tempore mansuram, quo pupillus regius, qui tutelæ ejus erat committendus, regnum per se ob imbecillam ætatem gubernare non posset, verisimillimè etiam mulier regnandi avida eum Austrasiis regem dari summâ curâ expetiit, sub quo diutiùs Rerum Austrasianarum summam penes se mansuram existimabat.*

nec aliter adversarii jus Theodorici defendérint,

104 *Itaque, etiamsi Childericus Theodorico admittatur junior, reddi ratio non inepta potest, ob quam Bathildis Childericum, Theodorico præterito, Austrasiorum regno regem imposuit. Quod si hanc non nisi conjecturam esse reponas, quid, quæso, si Theodoricus Childerico statuatur junior, conjecturâ melius asseras, ut Theodorico jus suum ad fratris Clotharii hæreditatem asseras? Jus autem Theodorico ad Clotharii hæreditatem fuisse, manifestè docent varia adjuncta ex anonymo nostro num. 89, 90 & 91 adducta. Nec est, quod adjunctis iis fidem deneges, propterea quòd Ursinus ne verbo quidem illa uspiam attingat; quamquam enim Ursinus in narratione eorum, quæ Sancti episcopatum præcesserunt, accurationis palmam anonymo nostro præripiat; eam tamen huic (rationem vide num. 62) in iis recensendis, quæ,* Leodegario *jam episcopo, gesta sunt, certissimè cedit. Etenim quod, adhuc antè monuimus, non pauca prætermisisse dignoscitur, quæ post* Leodegarii *ad cathedram Augustodunensem promotionem contigerunt, quæque ab anonymo nostro diligentissimè recensentur, adeò ut mirum videri non debeat, si ne verbo quidem attingat adjuncta ab anonymo nostro relata, quæ Theodorici jus ad Clotharii hæreditatem vel insinuant vel supponunt. At, mortuo Clothario III, Neustrasii arcessitum ex Austrasia Childericum regem creârunt, deposito Theodorico, relegatoque Ebroïno, qui illum regem constituerat; quare memoratum jus Theodorici meritò posset vocari in dubium, si, quod Valesius lib. 21 Rerum Francicarum pag. 262, aliique nonnulli asserunt, sanctus* Leodegarius *arcessendi contra Theodoricum ex Austrasia Childerici, ne inimicum suum Ebroïnum Majorem-domûs videret, præcipuus auctor exstiterit:*

C *etenim existimandum non est, sanctum Antistitem privato in Ebroïnum odio abreptum, tantopere adversaturum fuisse Theodorico, si ab hujus partibus stare justitiam, pro certo habuisset.*

AUCTORE C. B.

quod non convellitur ex gestis

105 *Verùm qua ratione tandem satis probari poterit,* S. Leodegarium *arcessendi ex Austrasia Childerici præcipuum auctorem exstitisse? An ex favore, quo apud Childericum in Neustrasia Burgundiaque pacificè jam regnantem est gavisus? S. Lantbertus, abbas Fontanellensis ac deinde Lugdunensis episcopus, apud Childericum, cùm hic jam Neustriam Burgundiamque pacifica possessione teneret; summâ pariter gratiâ summoque favore valuit. Ast an propterea Lantbertus vel Childerici ex Austrasia arcessendi auctor exstitit, vel Theodorico fuit adversatus? Contrarium liquet ex Vitæ ejusdem S. Lantberti Fragmento Actis nostris ad* XIV *Aprilis inserto; hujus enim auctor num. 3 Lantberti apud Childericum favorem his verbis exponit:* Postquam vitâ functus est præfatus juvenis rex Clotharius, fratresque suos Childericum & Theodoricum superstites reliquisset, ortaque esset inter ipsos valida contentio pro fastigio regni; aliis Hilderici parti faventibus, aliis in Theodoricum declinantibus; ita iste vir venerandus (*Lantbertus*) cautum se reddidit, ut in neutram partem declinaret, donec populi pars æmulam sibi partem superaret. Elevato namque in sede regni Hilderico, in tanto apud eum est honore habitus, ut quidquid ab illo postulâsset, absque alicujus obstaculo difficultatis mereretur. *Ex quibus patet, S. Lantbertum apud Childericum jam Francorum monarcham summo favore esse gavisum, licèt interim ei antea adversus Theodoricum non adhæsisset. Quapropter licèt pariter* S. Leodegarius *apud Childericum monarchiam jam consecutum plurimùm favore valuerit, consequens non est, sanctum illum Virum à partibus Childerici adversus Theodoricum antea stetisse. Certè favoris hujus causam longè diversam anonymus noster num.* XI *assignat:* Sanctum Leodegarium, *inquit,* eo quòd cognoverat (*Childericus*) præ omnibus sapientiæ luce esse conspicuum, secum assiduè retinebat in palatio.

sancti Leodegarii; hic enim Theodorico, licèt hunc

106 *Ast, inquies,* Leodegarius *statim ut audivit Clotharii obitum, ad aulam properavit, deque rege constituendo cum regni proceribus deliberationem iniit. Quid inde? An ad hujus adjuncti veritatem requiritur, ut* Leodegarius *Theodorico fuerit adversatus? Sed esto: solus illud refert Ursinus, qui res à* Leodegario *Pictavii non gestas accuratè novisse non videtur: meminit quidem noster anonymus consilii à multitudine nobilium de arcessendo ex Austrasia Childerico initi; at præterquam quòd* Leodegarium *illius fuisse participem, minimè insinuet, hanc nobilium contra Theodoricum Ebroïnumque conspirationem non statim à Clotarii morte, sed nonnisi aliquanto tempore pòst erupisse affirmat, scilicet cùm jam Ebroïnus Theodoricum propria auctoritate Neustriæ Burgundiæque regem constituisset, nobilibusque, ut novum Regem salutarent, properantibus, aulâ interdixisset. Ursinus ergò, anticipato tempore, nobilium de Rege constituendo deliberationem narrat; huic autem interfuisse* Leodegarium, *fidem certam non facit vel ex hoc, quòd eo ipso loco, quo Sanctum de rege constituendo deliberâsse asserit, proximum Clotharii successorem verbis num. 89 citatis faciat Childericum, ante quem tamen regna Neustriæ & Burgundiæ, paucis saltem mensibus, tenuit Theodoricus, uti Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum 669*

AUCTORE C. B.

num. XI *ex anonymo in Geſtis regum Francorum, ex Continuatore Fredegarii & ex Sigeberti Chronico manifeſtè probat, hodieque apud omnes in confeſſo eſt. His itaque conſideratis, nihil occurrit, quo certum fiat,* Leodegarium *ſive ſtatim à morte Clotharii, ſive aulâ ſibi ceteriſque nobilibus propudiosè ab Ebroïno poſtea interdictâ, arceſſendi ex Auſtraſia Childerici auctorem præcipuum exſtitiſſe. Dubitari tamen non poteſt, quin Sanctus, ut majora mala averteret, tum ſaltem, cùm res ampliùs mutari non poſſe cerneret, Childerici partibus acceſſerit, eumque tunc Neuſtriæ Burgundiæque regem ſalutârit, ad aulam ex epiſcopatu ſuo properans, in quem, conſpirantibus contra Theodoricum nobilibus, veroſimiliter ſeceſſerat.*

regno reſtitutum habuerit faventem,

107 *Porrò* Leodegarium *Theodorico adverſatum non fuiſſe, argumento eſſe poteſt, quòd Theodoricus, cùm regnum, Childerico mortuo, jam recuperâſſet,* Leodegarium *inimicis ſuis non tantùm non accenſuiſſe, ſed & favore regio proſecutus eſſe videatur: hoc autem ratione non una probari poteſt. Anonymus noſter ſæpe laudatus de Ebroïni ſequacibus, reſtituto jam in regnum Theodorico, in hunc modum profatur:* Dolebant enim (*Ebroïni ſequaces*) ſe abjectos eſſe per meritum, dum populum univerſum fideliter cernebant declinare poſt Theodoricum, eumque jam confirmatum in regno, & Dei famulum Leodegarium (*ab exſilio Luxovienſi reverſum*) cum illius gratia in ſua urbe (*Auguſtodunenſi*) reſidentem: *ex quibus ultimis verbis non immeritò colligas, à Theodorico, cùm regnum recuperârat, non inimici, ſed amici potiùs loco habitum fuiſſe* Leodegarium, *utpote qui* illius gratiâ *ſive favore* in ſua urbe (*epiſcopali Auguſtodunenſi*) *tum* reſideret, *eoque nomine* (*vide anonymum noſtrum num.* 25) *Ebroïno adhærentium invidiæ exponeretur. Ad hæc Continuator Fredegarii opportunè ad rem noſtram cap.* 95 *hæc commemorat:* Wlfoaldus dux per fugam lapſus evaſit, & in Auſtriam reverſus eſt. Franci verò Leudeſium filium Erchonualdi nobilem in majoris-domûs dignitatem ſtatuunt per conſilium beati Leodegarii & ſociorum ejus. *Continuatori huic adſtipulantur Annales Metenſes, Chronicon Moyſacenſe & anonymus in Geſtis Regum Francorum cap.* 45. *Ex quorum aſſertis etiam rectè propterea deducitur,* Leodegarium *à Theodorico in regnum reſtituto non inimici, ſed amici potiùs loco habitum fuiſſe. Etenim parùm veriſimilè apparet, Francos, quibus Theodoricus, ut ex anonymo noſtro & Urſino colligitur, jam dominabatur, conſilio* Leodegarii, *ſi hunc inter inimicos ſuos Theodoricus computâſſet, ad majoris-domus dignitatem evecturos quemquam fuiſſe, nedum Leudeſium, cujus filius Adalricus* S. Leodegarium *affinitate proxima contingebat, ſi modò quam fidem merentur bini ſcriptores anonymi num.* 37 *laudati.*

B

C

adverſatus fuiſſe, ex Urſino,

108 *Anonymus noſter nihilominus de* Leodegarii *inimicis ſic loquitur:* Interim invidi hoſtem (*Ebroïnum*) moverunt ex adverſo, primoque circa eum, (*Leodegarium*) cum quo regem Childericum egiſſe putabant. *Hoc paulò aliter, clariùs tamen, refert Urſinus:* His itaque diebus, *inquit*, vir Dei Leodegarius cùm ... reſideret urbe ſua Ædua, reminiſcens Ebroïnus omnium malorum, quæ circa eum cum rege Hilderico egiſſe illum putabat; tunc adjunctis ſibi nequiſſimis inimicorum ſociis, conſulere cœpit, quemadmodum eumdem Pontificem deſtruere potuiſſet. *Unde fortè quis arguat, Ebroïno ſaltem ejuſque ſequacibus fuiſſe perſuaſum, quòd* Leodegarius *arceſſendi ex Auſtraſia Childerici, Theodorici throno deturbandi, atque adeo Ebroïni à majoratu-domus amovendi præcipuus auctor exſtiterit. Verùm enimverò fuerit id Ebroïno ejuſque ſequacibus utcumque perſuaſum, an propterea eſt conſequens, ut, quod Ebroïnus eique adhærentes ſibi perſuaſêre, veritati fuerit conforme? Sanè, etiamſi* Leodegarius *Childerico ex Auſtraſia arceſſendo, Theodoricoque deponendo minimè omnium adlaborâſſet, facilè tamen fieri potuit, ut eum malorum omnium, quæ ſibi obvenerant, auctorem crederet Ebroïnus, pravis malevolorum ſuggeſtionibus impulſus, ſiniſtriſque contra Sanctum præjudiciis occupatus, quem jam tum, cùm adhuc in vivis eſſet Clotharius III, unicum mandatorum ſuorum, ut num.* 6 *refert noſter anonymus, contemptorem, & propemodum hoſtem falſis calumniantium delationibus exiſtimârat: ut pro certo hactenus probatum non ſit,* Leodegarium *poſt Clotharii tertii mortem à Childerici partibus ſtetiſſe, hujuſve ex Auſtraſia arceſſendi fuiſſe auctorem.*

D

anonymo Morbacenſi, aliiſque

109 *Aſt, inquies, id apertè intelligitur primò quidem ex Chronico Centulenſi ſive S. Richarii, cujus auctor Hariulphus monachus apud Dacherium tom.* 4 *Spicilegii pag.* 449 *ſic ſcribit:* Clothario verò defuncto, Childericus germanus ejus in toto regno ſublimatus eſt, procurante id ipſum Leodegario Auguſtodunenſium epiſcopo, qui tunc temporis inter regni magnates egregius animi induſtriâ, vitæque merito habebatur: *deinde verò ex Chronico Virdunenſi, cujus auctor Hugo abbas Flaviniacenſis apud Labbeum tom.* 1 *novæ Bibliothecæ lib. Mss. pag.* 103 *hæc habet:* Quo (*Clothario III*) mortuo, contentio inter principes agitabatur de regno. Ebroïnus major-domûs Theodorico favebat, ſanctus Leodegarius Eduenſium epiſcopus, & ceteri, quibus erat mens ſanior, Childerico favebant: *ac tandem etiam ex anonymo Morbacenſi* S. Leodegarii *biographo, qui libro* 1, *narratæ Clotharii III morte, mox ſubdit:* Quæ quidem res cæteris tantùm luctum, & deſolationem; ſancto autem Pontifici (*Leodegario*) curam, & majoris ponderis injecit ſollicitudinem. Penes namque illum reſtaurationis ratio manebat, & conſilium: ad quem convenientes epiſcopi & optimates totius Franciæ, quem regendis ſceptris præficerent, cœperunt deliberare. Erant enim duo adoleſcentes, filii ſenioris Clotharii (*imò Clodovei II*) ... quorum Childericum, quem vita & morum probabilitas magis commendabat, regno & fraternis ſceptris præponendum totius conventus recta deliberatio judicabat: huic etenim penè adhuc puero commendatum fuerat Auſtraſiorum regnum & dominatio. Et quoniam, licèt adoleſcentulus, juſtè & irreprehenſibiliter illud rexerat, ſancto Præſuli & cunctis optimatibus, ut illum eligerent, meliùs complacebat. Solius verò Ebroïni verſutia irrationabilis ab omni juſta electione diſſentire cupiebat: *& paulò pòſt, nonnullis interjectis, hæc addit:* Omnia providentis Dei voluntate & venerabilium principum, qui cum ſancto Præſule agebant, probabili auctoritate Childericus regni diademate coronatus, magna cum exultatione Francorum rex eſt effectus.

E

F

binis ſcriptoribus

110 *Fateor ex tribus hiſce memoratis ſcriptoribus apertiſſimè intelligi,* Leodegarium *à Childerico contra Theodoricum ſtetiſſe: verùm cùm Hugo abbas Flaviniacenſis & Hariulfus monachus, quorum*

AUCTORE C. B.

§ VIII. An S. Leodegarius major-domûs Childerici II, an tantùm conſiliarius exſtiterit, & quo anno hic, quove circitèr menſe in Auſtraſia ac deinde in Neuſtria & Burgundia regnare inceperit ac deſierit.

S. Leodegarius Childerico II percarus eſt, cui tamen major-domûs

R*Elegato ad S. Dionyſii monaſterium Theodorico, ac Ebroïno in Luxovienſe detruſo, tribus Francorum regnis rediit pax & tranquillitas, eaque conſervata eſt quamdiu Childericus adquievit conſiliis* S. Leodegarii, *quem, ut loquitur anonymus noſter*, eo quòd cognoverat præ omnibus ſapientiæ luce eſſe conſpicuum, ſecum aſduè retinuerat in palatio. *Apertiùs id declarat Urſinus:* Rex verò, *inquit*, Hildericus confirmatus in regno, ... Leodegarium pontificem ſuper omnem domum ſuam ſublimavit & Majorem-domûs in omnibus conſtituit. Qui accepto hujus regni gubernaculo, quidquid maximè adverſus leges antiquorum regum ac magnorum procerum vitâ laudabilium obſtabat, multum ad priſtinum deduxit ſtatum. In tantum verò uſquequaque omnia regna Francorum reſtituit, ut omnes ſe gratularentur, regem ſibi habere Hildericum ac rectorem palatii Leodegarium. *Ita ille: in eo tamen corripitur ab eruditis nunc paſſim omnibus, quòd* Leodegarium *Majorem-domûs & Rectorem palatii nuncupet, quam dignitatem nec habuiſſe nec habere potuiſſe ſanctum Antiſtitem, rectè contendunt.*

non fuiſſe probatur duplici argumento

113 *Argumentum primum eſt, quod majoratus-domûs dignitas eſſet laica; ſecundum, quòd Vulfoaldus, qui antè in Auſtraſia Childerico major-domûs exſtiterat, poſtea etiam in Neuſtria ac Burgundia ſub ipſo monarcha eumdem magiſtratum geſſerit. Poſtremum hoc probant tum ex antiquis Francorum ſcriptoribus, qui Vulfoaldum majorem-domûs ex Auſtria cum Childerico ad Neuſtriæ & Burgundiæ regnum capeſſendum veniſſe tradunt, tum præſertim ex anonymo noſtro vetuſtiore, qui de* S. Leodegarii *majoratu-domûs & præfectura palatii altùm ſilet & Vulfoaldum expreſsè* Majorem-domûs *appellat num.* 14. *Illic enim commemorans machinationes, quibus invidi homines* S. Leodegarium *Childerico regi odioſum reddere conati ſunt, ait:* Majorem-domûs nomine Vulfoaldum, in ſua occaſione conjungunt, mendacem fabulam de Leodegario & Hectore confingunt. *His addi meretur Fragmentum Vitæ S. Lantberti epiſcopi, cujus auctorem primus editor Mabillonius vixiſſe putat, Ludovico Pio imperante.*

& tertio ex Vita S. Lantberti, cujus notæ chronologicæ,

114 *In eo quippe comparent cum aliis* Leodegarius, Gerinus *&* Vulfualdus, *& hic quidem titulo* Majoris-domûs *inſignitus. En verba:* Denique (*Childericus*) ad petitionem reginæ ſuæ Bilhildæ atque venerabilium epiſcoporum, id eſt bonæ recordationis LEODEGARII epiſcopi, qui poſtea glorioſiſſimus effectus eſt martyr, Nivonis etiam epiſcopi & Emonii, atque illuſtrium virorum, quorum hæc ſunt nomina: Fucoaldi, Amalrici, WLFOALDI Majoris-domûs regiæ, Bavonis, Wan-

A *quorum hic Centulenſe, illo Virdunenſe Chronicon conſcripſit, non citiùs quàm ſeculo* XI *floruerint, ab ætate* S. Leodegarii *remotiores ſunt, quàm ut rebus, quas de eo ſcribunt, fidem certam atque indubitatam facere queant. Quod verò pertinet ad anonymum Morbacenſem, ex quo fortè Centulenſis & Virdunenſis chroniſtæ hauſerunt; is quidem ætati* S. Leodegarii *nonnihil propior fuit; at, cùm ab ea nihilominùs uno aut forſan etiam altero ſeculo abfuerit, tantæ auctoritatis eſſe non poteſt, quantæ Urſinus, quem dumtaxat interpolavit, quique* Leodegario *exſtitit ſynchronus; quare, dum ea narrat, quæ Sancti noſtri tempore geſta ſunt, fidem certam non meretur, ſi eadem etiam non narrat Urſinus, quia tunc, cùm hunc ſolum ſibi prælucentem habuerit, ſcripſiſſe non videtur niſi ex liberaliori interpretatione, quam verbis laudati Urſini pro arbitrio ſuo applicuit. Locum certè id obtinet, dum verbis num. præcedenti recitatis apertè innuit,* Leodegarium *à partibus Childerici contra Theodoricum ſtetiſſe; id enim verba Urſini num.* 5 *&* 6 *poſita, quæ loco illo interpolavit, neceſſariò non important. En illa:* Tunc (*mortuo Clothario III*) idem Pontifex (*Leodegarius*) hæc

B audiens, concito curſu in palatium perrexit, ac cum ſuis commilitonibus * de rege tractare cœpit. Qui audientes Hildericum Auſtraſiorum regem in adoleſcentia ſua regnum juxta ſui temporis ætatem optimè diſponentem, elegit quædam pars Francorum, volentes eum regem habere. Nam Ebroïnus, qui major-domûs fuerat ſub rege Lothario, Theodoricum germanum ejus cupiebat ſubrogare fratri in regno. Ipſe verò Ebroïnus erat tunc odioſus inter Francos, & quia metuebant hujus ponderis jugum, quod per eumdem ſuſtinuerant ſub rege Lothario, relicto ejus conſilio, Hildericum in toto ſublimaverunt regno: *ad quorum ſanè veritatem exigi non videtur, ut* Leodegarius *ſtatim à morte Clotharii Childerico contra Theodoricum adhæſerit.*

* *al.* ſimilibus

non ſat probatur.

111 *Quod ſi verò oppoſitum contendas; reſpondeo, illam* Leodegarii *Childerico adhæſionem ipſa Urſini auctoritate certam indubitatamve, ut num.* 106 *jam ſatis innui, fieri non poſſe. Ceterùm diſputata hæc ſunto, ut ſtudioſus lector diſpiciat, an Valeſius, Cointius, aliique recentiores ſat ſolido fundamento nitantur, ut indubitanter affirment, Theodoricum Childerico fuiſſe juniorem, hujuſque ex Auſtraſia arceſſendi præcipuum auctorem exſtitiſſe* Leodegarium. *Ego interim alterutrum pro certo affirmare vel negare non auſim,*

C *cùm, ut id faciam, rationes convincentes non habeam, uti ex jam dictis ſatis ſuperque liquet: puto tamen* Leodegarium *vel neutri è duobus principibus, Theodorico ſcilicet & Childerico, vel certè illi faviſſe, penes quem jus ad Clotharii III defuncti hæreditatem eſſe exiſtimabat, ſive interim jus illud fundatum fuerit in ætate, quâ alter alterum præcedebat, ſive in extrema Clotharii morientis voluntate, ſive in alia quacumque cauſa, in quam, cùm conjecturâ eam fortè aſſequi, non item probare ſit facile, inquirendum non arbitror. Certum interim eſt, Ebroïnum* Leodegario *partim acceptum referre debuiſſe, quòd tunc, cùm Childericus, detruſo in monaſterium S. Dionyſii Theodorico, regnum Neuſtriæ & Burgundiæ obtinuit, non mortis, ſed exſilii tantùm pœna fuerit multatus.* Epiſcopis, *inquit anonymus noſter num.* 9, tunc quibuſdam intercedentibus, & præcipuè interventu antiſtitis Leodegarii eum (*Ebroïnum*) non interficiunt, ſed Luxovio monaſterio dirigitur in exilium.

E

F

AUCTORE C. B.

Wanningi, Adalberti, GERINI fratris clari præfati LEODEGARII episcopi, largitus est præfato venerando patri (*Lantberto tunc abbati Fontanellensis cœnobii*) fiscos duos &c. Edita est autem hæc regia largitio Arlaudo Jocundo palatio, undecimo anno præfati regis in Austria, qui fuerat primus in Neustria; porrò ejusdem rectoris cœnobii lucidissimi anno quinto, ex quo regiminis locum sortiebatur post decessum felicissimum magni patris, Christique clarissimi sacerdotis Wandregisili. *Hæc auctor ille procul dubio ex ipso donationis instrumento, quoniam mox subdit:* Plurimæ namque ejusdem regis diversarum possessionum largitiones ad ipsum reverendissimum patrem editæ usque nunc exstant.

definito tempore, quo Austrasiam, ac deinde

115 *Sanè characteres chronologici & inter se apprimè congruunt & annum denotant Christi 671; si autem id ita sit, non parùm confirmatur, recitata laudati Fragmenti verba ex ipso donationis instrumento esse deprompta, ac proin operæ pretium fuerit, id reipsa ita esse, ante omnia ostendere, atque adeo aperire tempus, à quo S. Lantbertus Fontanellam, Childericus verò regnum Austrasiæ ac deinde Neustriæ & Burgundiæ gubernare inceperint; imò cùm, ut ex dicendis patescet, reliqua Sancti nostri gesta facilè queant chronologicè ordinari, si sciatur, non solùm, quo idem Childericus tempore in Neustria & Burgundia regnare inceperit, sed etiam, quo in regnis illis regnare desierit seu obierit, lubet eâdem operâ etiam in hoc dilucidationis causâ operosiùs inquirere, licèt interim à receptiori modò chronologia, cùm meliorem hactenus reperire non licuerit, nusquam velim recedere. Initium desumo à tempore regni Austrasiani à Childerico inchoati. Regnum illud hic exorsus est anno 660; etenim ut in Commentario prævio Vitæ S. Wandregisili ad XXII Julii editæ, num. 25 probatum est, Clodoveus II anno Christi 656, ad finem ferè provecto (superstes quippe fuit usque ad secundam saltem hebdomadam Novembris) è vivis excessit; ab hujus autem obitu Clotharius III non solùm Neustriæ & Burgundiæ, sed & Austrasiæ, ut ex auctore de Gestis Francorum & continuatore Fredegarii à Pagio in Criticis Baronii ad annum 656 num. 16 & 20 rectè deducitur, annos quatuor fuit dominatus, statimque ab illis, nondum scilicet, ut ex dicendis patebit, integrè elapsis, Childericus II, Neustria & Burgundia Clothario relictis, regnum Austrasianum est adeptus, ac proin in Austrasia regnare incepit anno Christi 660, sed non ante XXVI Julii, ut infrà num. 124 docebimus. Itaque ex annis quatuor incompletis, quibus dumtaxat post mortem Clodovei II in Austrasia regnavit Clotharius III, annum deduximus, quo idem regnum consecutus est Childericus II: nunc ex annis potissimùm quatuordecim, etiam incompletis, quibus, ut probabimus, Clotharius III in Neustria regnavit, annum, quo idem regnum Childericus II obtinuit, pari modo determinemus.*

post mortem Clotharii III, quæ à Pagio

116 *Auctor anonymus coævus Vitæ secundæ S. Wandregisili ad XXII Julii in Actis nostris num. 15 diserte asserit:* Ex quibus (*filiis Clodovei II*) Hlotharius, qui & major natu erat, fastigium adeptus est regni, rexitque populum Occidentalium Francorum (*Neustrasiorum*) annos quatuordecim, *rursumque num. 25 ejusdem Vitæ sic scribit:* E quibus (*filiis Clodovei II*) Hlotarius, qui major erat natu, quartum decimum regni agens annum, consortiis subitò caruit humanis. *Liquet itaque annis quatuordecim, incompletis saltem, in Neustria regnâsse Clotharium III. Porrò idem Clotharius, ut ex probatis à Pagio ad annum 656 num. 17 & 18 rectè colligitur, anno 656 ultra hebdomadam secundam Novembris provecto Occidentalibus Francis seu Neustrasiis imperare cœpit; quare si ab anno illo supputentur dicti anni quatuordecim incompleti, quibus in Neustrasia regnavit, annus decimus quartus paulisper inchoatus deducit ad annum 670, quo is proinde, nec seriùs, cùm sic annis amplius quatuordecim regnâsset, è vivis excessit. Ast, inquies, quo mense obitus ille accidit? Certè non ante Junium, si genuinæ sint notæ chronologicæ veteris diplomatis, quod in favorem monasterii puellarum, extra muros Suessionenses ab Ebroino majore-domûs & Leutrude ejus uxore constructi, Drausius Suessionensis episcopus concessit, quodque apud Melchiorem Reginaldum inter probationes Historiæ Suessionensis exstat; subscribitur enim in hunc modum:* Actum Augustæ Suessionum sub datæ sexti Calend. Julii, anno decimo quarto regni domini nostri Clotharii gloriosissimi regis; *quare si genuini sint characteres chronologici hìc signati, Clotharius anno 670 ante XXVI Junii mortuus non est, cùm alioquin anno regni ejus decimo quarto, utpote post hebdomadam secundam Novembris anni 669 inchoato,* sexta Calend. Julii *sive* XXVI *Junii in citato diplomate adscribi non posset. Verùm Michaël Germanus in Probationibus ad Historiam abbatiæ regiæ S. Mariæ apud Suessionas ait, se lustratis, ac semel atque iterum excussis ejusdem abbatiæ archivis, reperisse ipsum diplomatis Drausiani instrumentum, illudque non anno* XIV *Clotharii, sed* X *confectum notari, ut characteres chronologici laudati diplomatis, prout illud à Melchiore Reginaldo vulgatum est, pro dubiis saltem habendi sint, adeoque, contra ac Pagius in Criticis ad annum 668 num. 6 existimavit, aut parùm aut nihil faciant pro morte Clotharii non ante* XXVI *Junii anni 670 collocanda.*

ad finem anni 670,

117 *Idem Pagius in eodem Opere ad annum 669 num. 6 & 7 diutius adhuc differt mortem Clotharii, quod nec admitti posse, nec stare cum aliis ab auctore illo assertis mox ostendam, cùm argumentum, quo opinionem suam stabilire nititur, penitus elisero. Probare itaque loco citato contendit, Clotharium III Francorum regem die* XXIX *mensis Septembris anni 670 adhuc superstitem in vivis fuisse, & non nisi sub finem ejusdem Christi anni mortalitatem explêsse. Hunc in finem* F *instituit longum ratiocinium, cui velut coronidis loco subnectit:* Quæ fusè narranda fuêre, ut, qui inolevêre errores, tandem tollantur. *Errores, quos hic commemorat, procul dubio respiciunt Cointium, Valesium aliosque anno Christi 670 Clotharii mortem non illigantes, de quibus anno 668 num. 7 ita pronuntiârat:* Cointius mortem Clotharii cum anno 669 copulat, Hadrianus Valesius cum an. 668, aliique cum aliis Christi annis; sed præter privilegium citatum, à Drausio episcopo Suessionensi datum, anno sequenti, argumento ex Beda deducto, illum anno 670 (*in finem scilicet inclinante*) adhuc in vivis fuisse demonstrabimus. *Errâsse quidem videntur omnes, qui mortem Clotharii anno Christi 670, aut certè 669 ferè finito non innexuêre, at Clotharium anno Christi 670, jam ferè desinente, adhuc in vivis fuisse, non evincit Pagius argumento ex Beda desumpto, quod ad hanc ferè formam reducitur. Dilucidè ex Beda demonstratur Ebroinus anno 670 jam valde provecto, imò ex Wil-*

AUCTORE C. B. *Willelmo Thorno in Chronica à Seldeno vulgata, menſe Septembri ejuſdem anni exeunte, majoratum-domûs in Neuſtria adhuc geſſiſſe, ergo Clotharius III Galliarum rex, ſub quo Ebroïnus major-domûs exſtitit, anno 670 jam valde provecto, imò menſe Septembri exeunte adhuc in vivis fuit, & non niſi ſub finem ejuſdem anni mortalitatem explevit. Fateor, liquet ex Beda & Willelmo Thorno adhuc Ebroïnum anno 670 jam valde provecto majoratum-domûs geſſiſſe; verùm non video, qua ratione Pagius ex majoratu-domûs Ebroïni eò uſque, imò ad menſem Septembrem anni 670 exeuntem protracto, mortem Clotharii uſque ad finem ejuſdem Chriſti anni adeò indubitanter differat: cùm enim, uti ex Continuatore Fredegarii cap. 93 & 94 atque ex auctore de geſtis Regum Francorum cap. 45, præcipuè verò ex anonymi noſtri verbis num. 89 tranſcriptis conſtat, proximè poſt Clotharii III obitum regnum Neuſtriæ aliquot ſaltem menſibus tenuerit Theodoricus ſub eoque omnia toto illo tempore pro arbitrio ſuo adminiſtrârit Ebroïnus, quid ni hic majoratum-domûs menſe Septembri anni 670 exeunte gerere adhuc ſub Theodorico potuerit, etiamſi fortè jam duobus aut tribus menſibus aut*

B *etiam pluribus Clotharius III è vivis exceſſiſſet? atque ita vim omnem amittit Pagii argumentum pro morte Clotharii uſque ad finem anni 670 differenda, quod tamen miror ipſum pro convincenti habuiſſe.*

ſpectatis iis, quæ admittit, perperam differtur,

118 *Oſtendo nunc, mortem Clotharii tamdiu differri non poſſe, ſtantibus aliis, quæ laudatus Pagius vel affirmat vel admittit. Etenim ſcriptore illo in Criticis ad annum 668 num. 8 & 9 fatente, Theodoricus poſt mortem Clotharii aliquot menſibus in Neuſtria regnavit ante Childericum; quare ſi Clotharius non niſi anno 670 ad finem penè provecto vitâ functus ſit, ſequitur Childericum non niſi anno 671, menſe forſan Martio vel Aprili aut etiam ſeriùs in Neuſtria regnare incepiſſe; cùm verò laudatus Pagius in eodem Opere ad annum 673 contendat, anno 673 ante diem x Octobris, imò ante xv menſis Septembris Theodoricum in regnum fuiſſe reſtitutum, adeoque jam tum Childericum fuiſſe è vivis ſublatum, conſequens eſt, ut hic in Neuſtria regnârit annis dumtaxat duobus cum quinque aut ſex menſibus, quod temporis intervallum inter menſem Martium vel Aprilem anni 671 & Septembrem anni 673 interfluit. Aſt Childerici in*

C *Neuſtria regnum fuiſſe diuturnius, ipſemet Pagius in Criticis ad annum 674 num. xi affirmat:* Regnavit, *inquit*, Childericus in Auſtria annos quatuordecim, ut legitur in breviſſimo Chronico à Ducheſnio edito, quod à Clotharío II uſque ad Pippini regis obitum continuatur: in Neuſtria verò ac Burgundia annos ferè quatuor, ut patet ex Fragmento Actorum ſancti Waningi monachi Seculo 2 Benedictino, ubi legitur: Childericus non plenè quatuor annos tenens, vitâ deceſſit: quos incompletos, fuiſſe produnt Acta ſancti Ragneberti martyris ab Ebroïno interfecti.

& alioquin etiam

119 *Liquet ergò, ſtantibus aliis, quæ Pagius vel affirmat vel admittit, mortem Clothari III uſque ad finem anni 670 differri non poſſe; id autem fieri etiam non permittit finis & diuturnitas regni Childerici in Neuſtria & Burgundia. Etenim, ut mox laudatum à Pagio Vitæ S. Waningi Fragmentum indicat, regnavit Childericus in Neuſtria & Burgundia annis ferè quatuor, ac proin, ſi Clotharius III dumtaxat obiit ſub finem anni 670 atque adeò anno tantùm inſequenti Neuſtriam &* D *Burgundiam adeptus eſt Childericus, regnare hic in regnis illis non priùs deſierit, quàm anno 675 vel 674: at Childerici in Neuſtria & Burgundia regnum citiùs finem accepit: ſignatur id in chronotaxi à Mabillonio, Cointio, Pagio aliiſque recentioribus paſſim admiſſa, variiſque poteſt argumentis probari, quæ licèt talia non ſint, ut nulla ratione queant dilui, validiſſima tamen ſunt; bina profert Pagius in Criticis ad annum Chriſti 673 num. xi & 12; præcipuum huc transfero. Petitur id partim à notis chronologicis, quæ in quodam Theodorici III placito de Chramlino epiſcopo Ebredunenſi in ſynodo depoſito occurrunt, quæque cùm notentur in ipſo placiti autographo, quod Mabillonius lib. 6 de Re Diplomatica pag. 469 æri inciſum exhibet, dici tam facilè nequeunt falſata vel corrupta; partim ab anno, ad quem prædictum placitum referendum eſt. Argumentum eò ferè recidit: Diploma ſeu placitum Theodorici III de Chramlino epiſcopo* datum *notatur* medio menſe Septemb̃er, annum v regni noſtri *ac præterea, dum Theodoricus ad ſe evocâſſet epiſcopos ſolius Neuſtriæ & Burgundiæ, ac proin datum fuit, cùm rex ille ſoli Neuſtriæ & Burgundiæ dominaretur, ſive antequam Dagobertus II Auſtraſiæ rex è vivis exceſſiſſet; hoc enim vitâ functo, Theodoricus etiam Auſtraſiæ regnum obtinuit.*

tamdiu differri non poteſt,

120 *Porrò Dagobertus II (vide Pagium Opere citato ad annum 678 num. 12 & 13) è vivis exceſſit anno Chriſti 678 ante diem xxv menſis Martii, ac proin prædictum diploma referri non poteſt ad medium Septembrem anni 678, cùm tunc Theodoricus etiam in Auſtraſia regnârit; referendum ergo eſt ad medium Septembrem anni 677, à quo tempore computati ordine retrogrado anni completi quatuor, quibus Theodoricus in dicto diplomate, cùm id ederet, Neuſtriæ & Burgundiæ regnum tenuiſſe innuitur, perducunt ad medium Septembrem anni 673, ante quod tempus per conſequens Theodoricus in Neuſtria & Burgundia regnare incepit, ac proin Childericus, proximus ejus deceſſor, regnare deſiit ſeu è vivis exceſſit. Huic Pagii argumento lubet ſequens adjicere. Petitur id à tempore, quo Theodoricus III obiit, & quo Neuſtriæ & Burgundiæ regnum tenuit. En illud: obiit Theodoricus III Francorum rex anno 691, ut Pagius ad annum 688 num. 3 & 4 luculenter oſtendit; regnum autem Neuſtriæ & Burgundiæ tenuit annis novemdecim, ut Erchanbertus in Breviario Regum Francorum* F *ac majorum-domus, Auctor de Geſtis Regum Francorum Erchanberto antiquior cap. 49 & Ado in Chronico affirmant. Quare cùm ad annum 691, quo, ut dictum eſt, Theodoricus obiit, anni novemdecim, etiam incompleti tantùm, quibus hunc in Neuſtria & Burgundia regnâſſe docuimus, reperiri nequeant, ſi ſeriùs quàm anno 673 regnare in Neuſtria Theodoricus ſit exorſus, conſequens eſt, ut citiùs quàm anno 674 in Neuſtria regnare inceperit, ac proin regnare etiam deſierit Childericus, proximus ejus deceſſor; unde ulteriùs conſequitur, multa occurrere incommoda, ſi mors Clotharii III uſque ad finem anni 670 differatur.*

Neuſtriam gubernare

121 *Quare, cùm annum, imò & menſem emortualem Clothario III eum deligere oporteat, cum quo veritas hiſtoriæ notæque chronologicæ in ea occurrentes optimè congruunt, ſtatus non ineptè poſſe arbitror, anno 669 ſub finem Decembris Clotharium III obiiſſe, ejuſque ſucceſſore Theodorico poſt novem circiter menſium ſpatium è*

ſolio

AUCTORE C. B.

solio deturbato, Childericum II in Neustria sub initium Octobris anni 670 regnare cœpisse. Imò non tantùm convenienter id statui potest, sed & necessariò debet, si, quod Sigebertus Gemblacensis in Chronographia tradit, Theodoricus Clotharii Francorum regis defuncti frater in Neustriæ & Burgundiæ regnum ab Ebroïno majore-domûs evectus, anno insequenti ob ejusdem Ebroïni insolentiam à Francis fuerit repudiatus, ejusque frater Childericus, qui regnabat in Austria, à cunctis ad regnandum fuerit evocatus. Si enim Childericus non eodem anno, quo vitâ functus est Clotharius, at insequenti tantùm, ut scribit Sigebertus, in Neustria regnare incepit, sequitur Childericum, si anno 670. Clotharius obierit, anno tantùm 671 in Neustria regnare cœpisse, quod cùm secundùm jam dicta admitti non possit, necesse est, mortem Clotharii collocare anno 669, verosimiliter tamen sub finem Decembris illius anni, certè non citiùs quàm post hebdomadam secundam Novembris, cùm Clotharius non nisi post hanc anno 656 regnare sit exorsus, & annis nihilominus quatuordecim, incompletis saltem, regnârit. Nolim interim receptiorem modò opinionem improbare, juxta quam mors Clotharii III

B

anno 670 pauliſper inchoato illigatur; in ea enim nihil pariter incommodi occurrit, si excipias, quod cum Sigeberto non satis congruat, sed hoc magni faciendum non est, cum Sigeberti chronographia non semper & ubique sit exacta.

122 *Anno, imò & mense Clothario emortuali ita assignato, initioque regni Childerici in Neustria principio Octobris anni 670 affixo, facilè, ut ex disputandis patefiet, obviari potest difficultatibus, quæ contrà opponi queunt, atque in primis illis, in quas incurrere vidimus Pagium, qui Clotharii III mortem in annum 670 propemodum elapsum differt. Ast, inquies, etiamsi Childericus jam inde ab initio Octobris anni 670 regnum Neustriæ inchoâsse statuatur, nondum tamen anni quatuor, etiam dumtaxat incompleti, quibus ex Fragmento Vitæ S. Waningi citato Childericus in Neustria regnavit, inveniri queunt, cùm anni ferè tres solummodò intercedant inter initium Octobris anni 670 & XV Septembris anni 673, ante quem diem, ut dictum est num. 120, Childericus II interfectus est. Fateor, ita planè res habet, si annos Childerici in Neustria regnantis ab initio Octobris anni 670 supputare incipias: verùm auctor laudati Fragmenti, dum Childericum* annos non plenè quatuor *in Neustria regnâsse asserit, annorum Childerici in Neustria regnantis computum auspicatur proximè à morte Clotharii, adeoque à Decembri anni 669, à quo tempore, quod Clothario emortuale statuimus, usque ad Septembrem anni 673, ante quem media sui parte elapsum vitâ functus est Childericus, anni ampliùs tres fluunt*, non *tamen* plenè quatuor. *Verosimillimum id fit ex eo, quod citati Fragmenti auctor, nullâ factâ Theodorici post Clotharii mortem mentione, solius Childerici, velut proximi in regnum Neustriæ successoris hoc modo meminerit:* Defuncto igitur rege Clothario Childericus regnum Francorum (*Neustrasiorum*) suscepit. *Id autem propterea ab eo factum reor, quòd pro rege habendum non duxerit Theodoricum, utpote ab Ebroïno ferè solo, solitis omissis cæremoniis, in regnum evectum, & à nullis, aut certè pauciſſimis optimatibus, juramenti religione interpositâ, in regem adscitum. Sic Ursinus eamdem fortè ob causam, ut Valesius tom. 3 Rerum Francicarum pag. 263 insinuat, Theodorici proximè à morte Clotharii in Neustria & Burgundiâ principatum non agnovit, aut, ut certius quid dicam, prætermisit. Quod si hoc responsum displiceat, videsis, an præstet dicere in citato Vitæ S. Waningi Fragmento mendosè legi* annos non plenè quatuor, *errore scilicet amanuensium, qui, cum oculo minùs attento in autographo, quod præ manibus habebant,* annos non plenè IVI, *unitate posteriori cum media, ut hîc expressum vides, pænè inferiùs coeunte, exaratum aspicerent,* annos non plenè IV descripserunt.

D

Childericus incepit, ac desiit.

123 *Alterutrum sanè admitti necesse est, cùm ex dictis certum omnino sit, annis vix tribus completis in Neustria regnâsse Childericum, utpote anno 673 ante medium Septembrem violenta morte sublatum, & anno dumtaxat 670 regnum illud gubernare exorsum, & quidem non nisi sub initium Octobris, nec citiùs; Pagius enim ad annum 669 num. 6 & 7 id saltem argumento ex Beda deprompto consecutus est, ut meritò dubitandum ampliùs non sit, quin anno 670 sub finem mensis Septembris major-domûs in Neustria adhuc exstiterit Ebroïnus; hic autem magistratum illum tunc temporis procul dubio non gessisset, si jam inde in Neustria Childericus principatum tenuisset. Porrò quod jam pertinet ad regimen Fontanellense S. Lantberti, cujus initium duco à* XXVI *mensis Julii anni 667; hunc pariter annum, mensem & diem S. Lantberto Fontanellam regere inchoanti Henschenius ad* XIV *Aprilis in Commentario prævio Vitæ S. Lantberti, & in Exegesi præliminari ad tom.* III *Aprilis, Cointius in Annalibus, & Pagius in Criticis assignant. Rectè autem facere demonstrantur ex electione S. Lantberti in abbatem Fontanellensem quatriduo facta post mortem S. Wandregisili, quam anno 667,* XXII *Julii contigisse, in Commentario prævio Vitæ ejusdem Sancti in Actis nostris ad* XXII *Julii luculenter probatum invenies, ut nihil ampliùs hîc addi necesse sit, quò certiùs determinetur annus, mensis ipseque dies, à quo Fontanellam regere S. Lantbertus incepit.*

E

Fontanellam verò regere auspicatus est S. Lantbertus,

124 *Ceterùm ex hactenus dictis jam facilè eruitur, characteres omnes chronologicos in Fragmento Vitæ S. Lantberti num.* 114 *recitato inter se apprimè congruere, annumque Christi 671 denotare. Cùm enim Lantbertus anno 667 à* XXVI *Julii regimen Fontanellense sit auspicatus; Childericus verò anno 670 sub initium Octobris in Neustria regnare inceperit, sequitur, annum quintum S. Lantberti Fontanellam regentis fluere incepisse anno 671 post* XXVI *Julii; eodem verò anno ante initium Octobris adhuc fluxisse annum primum Childerici in Neustria regnantis; quare hic annus primus Childerici majori sui parte præterlapsus congruit cum anno quinto regiminis S. Lantberti, uno alterove mense jam inchoato, annumque Christi ambo denotant 671, & quidem usque ad mensem Augusti vel Septembris jam provectum; pari modo cùm Childericus anno 660 in Austrasia regnare inceperit, sequitur undecimum regni ejus Austrasiani annum, aliqua saltem sui parte coincidere cum anno Christi 671; hic tamen undecimus Childerici annus in annum quintum regiminis S. Lantberti, utpote* XXVI *Julii anni 671 solummodò inchoatum, convenire minimè potest, si anno 660 ante* XXVI *Julii in Austrasia regnare Childericus inceperit; sic etenim is* XXVI *Julii anni 671 non undecimum, sed duodecimum regni Austrasiani annum jam egisset: quare, cùm nihilominus annus undecimus regni Childerici in Austrasia cum anno quinto regiminis*

F

mendosa non esse probantur,

AUCTORE C. B.

§ IX. Sanctus excidit gratiâ Childerici, ab eoque pellitur in exsilium. Varia adjuncta utrumque hunc eventum comitata.

Licèt Leodegarius sana suadeat Childerico.

RÆvocatis à Childerico ad pristinum statum tribus Francorum regnis, latissima ubique affulgebat rerum facies, idque partim Leodegarii consiliis passim ab omnibus meritò referebatur acceptum. Verùm Childericus sancto Antistiti sana suadenti non usque obtemperare perrexit: etenim cùm esset adolescens non minùs naturâ, quàm ætate levis, facillimè ea, quæ prudentiorum virorum, atque adeò etiam Leodegarii consilio in communem regnorum sibi subditorum utilitatem primùm sanciverat, pravis deinde malevolorum suggestionibus impulsus rescindebat, prorsusque irrita esse jubebat. Perspicuum id fit ex anonymo nostro, qui, relato edicto æquissimo, quod sub initium monarchiæ ad procerum postulationem is princeps condiderat, mox subjungit: Ut verò illis (*magnatibus Childericus*) libenter petita concessisset *, stultorum & pœnè gentilium depravatus consilio, ut erat juvenis levitate præventus, subitò, quod per sapientum consilia confirmaverat, refragavit. *Opportunè etiam ad rem nostram in Gestis Regum Francorum cap.* 45, *cui consonat caput* 95 *Fredegarii continuati, de Childerico jam monarcha hæc leguntur:* ipse Childericus levis nimis omnia incautè peragebat, donec inter eos odium maximum & scandalum crevit, Francos valde opprimens. *Ex quibus omnibus aperiè intelligitur, plurima à Childerico perperam fuisse peracta, atque adeo hunc aures sæpe non præbuisse* Leodegario, cujus, *inquit anonymus noster*, si obtemperâsset consiliis, in mandatis ambulâsset divinis.

E

* *al.* concessit

hujus tamen malefacta ipsi imputantur. Regem corripit.

128 *Ast, etiamsi sanctus Præsul in plurimis sibi auscultantem Childericum minimè haberet, cùm tamen in regia assiduè versaretur, in eam calamitatem incidit, ut, quæcumque à principe perperam agerentur, unicè in illum, velut horum omnium auctorem, invidi nonnulli, qui sanctum Virum è regia volebant expulsum, conjicienda dictitarent, atque id ipsum plurimis reipsa persuaderent. Quapropter* Leodegarius, *cùm sinistram hanc de se opinionem magis magisque indies invalescere, probè cognosceret, non minùs bono publico, quod ex dissolutis Childerici moribus multùm patiebatur, quàm famæ suæ consulturus, regia delicta immeritò sibi imputari, voluit ostendere, ideoque Childericum cœpit arguere, quòd consuetudines patrias, quas converti in melius præceperat, tam subitò immutâsset, suique avunculi filiam matrimonio sibi junxisset. Anonymus hæc ita num.* 12 *exponit:* Vir autem Domini (*Leodegarius*) ut cognovit contra se invidiam diaboli recalescere, tunc juxta Apostolum sumens loricam fidei & galeam salutis, & gladium spiritûs, quod est verbum Dei, contra antiquum hostem

F

iniit singulare certamen, & quia sacerdotalis integritas minas regis nescit metuere, Hildericum cœpit arguere, cur consuetudines patrias, quas conservare præceperat, tam subitò immutâsset, simulque fertur dixisse, quòd regina, quam habe-

ac, cùm proin Vitæ S. Lantberti fides insit,

A *nis Fontanellensis S. Lantberti in Fragmento Vitæ ejusdem Sancti memorato conferatur, hocque falsi eo in puncto non convincatur, jure merito statuendum est, Childericum anno* 660, *at non nisi post* XXVI *Julii, ut num.* 115 *monui, regnum Austrasiæ esse exorsum, mense verosimiliter Augusto vel initio Septembris, cùm ante hunc mensem medium anno* 673 (*vide num.* 120) *obierit, illudque regnum annis nihilominus quatuordecim, incompletis scilicet, tenuerit.*

125 *Cùm itaque, ut ex jam dictis liquet, characteres chronologici, de quibus hîc, annum denotent Christi* 670, *appriméque inter se congruant, atque adeo, ut jam prænonui, non parùm hinc confirmetur, verba num.* 114 *ex Fragmento Vitæ S. Lantberti recitata, ex ipso instrumento donationis, de qua ibidem sermo est, esse deprompta, dubitandum ampliùs non est, quin dicto anno* 670 *major-domus Childerici Francorum regis exstiterit Wulfoaldus, non* Leodegarius, *cùm in laudato Vitæ Fragmento, quod ob dicta integram fidem meretur, non hic, sed ille titulo isto insigniatur. Porrò idem Wulfoaldus magistratum illum etiam gessit circa Pascha anni* 673, *dum Sanctus noster à Childerico in exsilium*

B *pulsus est. Etenim num.* 14 *indicat noster anonymus, tum invidos quosdam, qui principem illum in sanctum Antistitem concitabant, in partes suas attraxisse Wulfoaldum, huncque majoris-domus nomine distinguit, ut haud dubiè is tunc, uti etiam medio tempore inter Pascha anni* 673 *& annum* 670 *major-domus Childerici seu rector palatii exstiterit, ac proin* Leodegarius *dignitate illa insignitus numquam fuerit. Ast, inquies, quo ergò munere in aula Vir sanctus est perfunctus? Dubium non apparet, quin eum Childericus consiliarii loco habuerit, ejusque consiliis, præsertim sub initium, plurimùm detulerit.*

Leodegarius non major-domûs Childerici, sed consiliarius tantùm fuit.

126 *Liquet id vel ex eo, quòd anonymus noster asserat, malevolos quosdam omnia, quæcumque rex justo injustove judicio egisset, pravis* Leodegarii *consiliis attribuisse:* Hujus, *inquit*, rei causâ (*commorationis Leodegarii in regia*) malorum crevit invidia rediviva, atque contra eum rursus accusationum exquirentes initia, ita ut quæque ageret rex, aut justo injustove judicio daret, illius (*Leodegarii*) criminantur * factum. *Accedit, quòd sub initium monarchiæ Childerici Sanctum nostrum, consilio scilicet atque impulsu, consuetudines legibus repugnantes abolevisse, regnumque ad pristinum & meliorem statum revocâsse, verbis num.* 112 *citatis insinuet Ursinus, qui* Leodegarium *fortè etiam majorem-domûs Childerici, rectoremque palatii nuncupavit, non quòd majorem-domûs eum non fuisse ignoraret, sed quòd sanctum Antistitem aliqua ratione Childerico principi pro majore-domûs fuisse existimaret, utpote cujus consilio atque auctoritate, ut à majoribus-domûs fieri consueverat, gravissima monarchiæ negotia sub Childerico administrata fuisse, certis relationibus acceperat. Simili modo majoratum-domûs* Leodegario *ab Ursino attributum Valesius tom.* 3 *Rerum Francicarum pag.* 265 *interpretatur, illique assentiuntur Cointius, Pagius aliique recentiores, ut dubium minimè appareat, quin Sanctus noster Childerico à consiliis saltem exstiterit.*

* crimina-rentur

C

AUCTORE C. B.

bebat conjugem, filia sui esset avunculi & nisi hæc facinora cum reliquis illicitis sceleribus emendatione corrigeret, divinam certè sibi ultionem subitò imminere cognosceret. *Ac primùm quidem rex sanctum Virum hæc monentem non tantùm non duriùs excepit, sed &* primitus, *ait anonymus*, libenter cœpit auscultare.

hincque malevolorum impulsu ejus gratiâ excidit

129 *Verùm non diu perstitit hæc Childerici moderatio: erant quippe in regia homines pessimi, qui à* Leodegario, *si principem monitis suis habuisset auscultantem, malè sibi metuentes, totis propterea viribus in id incumbebant, ut sanctum Præsulem, quacumque data occasione, regi suspectum redderent atque invisum: horum suasione atque impulsu libertatem* Leodegarii *vera monentis gravissimè deinde, contrà ac primùm fecerat, Childericus tulit, ejusque perdendi occasionem quærere incepit. Audi iterum anonymum num.* 13 *hæc ita referentem:* Sed satellitum (*Childericus*) præventus consiliis, dum verba ejus debuerat ad emendationem aptare, de illius (*Leodegarii*) morte occasiones cœpit inquirere, suadentibus hoc illis, qui justitiam cupiebant evertere & indisciplinati juvenilia opera regis favebant exercere:
B necnon & hi, qui suum decretum ei elicuerant irrupisse. Metuebant enim hi omnes, & horum similes, in voluptatibus seculi conversantes, Dei Hominem, & sua opera destrui cupientes, dum eum noverant per justitiæ callem inflexibiliter gradi. *Hæc paulò aliter refert Ursinus, hîc utique anonymo nostro præferendus, quia, quod ab hoc non fit, disertè significat, quanto tempore* Leodegarius *auctoritate atque amicitiâ apud Childericum valuerit. En proinde etiam ejus verba:* Cùm igitur, *inquit num.* 7, hæc (*regni negotia à Leodegario*) pœnè annis tribus cum decore magno agerentur, tunc adversarius, cujus est consuetudinis, invidiâ conditionis suæ bona destruere, cœpit sodales suos, quos secum elegerat idem Pontifex habere socios gubernaculi, invidiæ malo instigare & inter ipsum & regem zizania discordiæ seminare.

circa Paschæ anni 673; *etiamsi hæc epocha*

130 *Anni penè tres, quibus hæc Ursini verba insinuant* Leodegarium *apud Childericum, antequam hunc in illum malevoli concitâssent, plurimùm valuisse, ad annum Christi* 673 *uno verosimiliter, alterove mense tantummodò inchoatum terminantur. Cùm enim, ut ex suprà dictis liquet, Childericus annis dumtaxat ferè tribus in Neustria & Burgundia regnârit, sequitur annos penè*
C *tres, post quos invidi regem in Sanctum nostrum commovêre, terminari ad annum* 673, *utpote anno* 670 *sub initium Octobris dumtaxat inchoatos, adeoque exsilium Luxovienſe, quo* Leodegarium *à rege in Paschate post invidorum in ipsum machinationes multatum fuisse, anonymus noster æquè ac Ursinus indicant, convenire in annum Christi* 673 *jam provectum usque ad Pascha, quod anno illo in* x *Aprilis incidit. Ad hæc cùm dictis invidorum in Sanctum nostrum, antequam is Luxovium relegaretur, iniquis machinationibus non minùs quàm unius aut alterius mensis spatium concedi queat, sequitur annos penè tres, post quos Childericus malevolorum impulsu* Leodegarium *aversari cœpit, ad annum Christi* 673 *uno verosimiliter, aut ad summum altero dumtaxat mense inchoatum terminari, & quidem nec seriùs nec citiùs; non seriùs ob mox dicta, non citiùs, quia sic rectè inveniri non possent anni penè tres, quibus in flagrantissima Childerici amicitia Sanctum nostrum vidimus exstitisse. Atque ita determinatum est tempus, tum quo* Leodegarius *Childerico fieri cœpit invisus, tum quo in exsilium pulsus, ex ejus amicitia penitus excidit.*

D *componi nequeat cum Notis chronologicis, quæ*

131 *Porrò ob epistolam donationis S. Bercharii, quæ à Camuzato in Promptuario antiquitatum Tricassinæ diœceseos in Notis ad Historiam ejusdem Sancti affertur, atque hac subscriptione muniturr:* Actum Remis civitate sub die III Cal. Septemb. præsente domno & glorioso Childerico rege an. IV regni ejus. Signum Nivardi archiepiscopi, S. Leodegarii episcopi Augustodunensis, S. Mummoleni episc. Noviomensis, S. Hermari abbatis, S. Hilduini abbatis, S. Bercharii abbatis, qui hanc cartam donationis fieri jussit: *opinionem nostram, quâ exsilium Luxovienſe* S. Leodegarii x *Aprilis anni* 673 *affigitur, meritò quis posset vocare in dubium. Vel enim in charta citata anni regni Childerici in Neustria etiam regnantis (hos enim ibidem designari puto) computari incipiuntur à morte Clotharii III, quam anno* 669 *ad Decembrem provecto innexuimus, vel ab initio Octobris anni* 670, *quo reipsa regnum illud iniit; si primum, annus quartus Childerici* III *Cal. Septembris signatus denotat annum Christi* 673; *si secundum, annus quartus Childerici* III *Cal. Septembris notatus convenit in annum Christi* 674; *quare necesse foret, si genuina sint allata subscriptionis nota chronologicæ, exsilium Luxovienſe* Leodegarii *seriùs quàm in Paschate anni* 673 *collocare, cùm aliàs sanctus Præsul laudatæ chartæ* III *Cal. Septembris anni sive* 673 *sive* 674 *confecta nomen suum, uti fecit, subscribere non potuisset, utpote Luxovium jam antè relegatus. Verùm tum ob inferiùs dicenda, tum ob annos penè tres, quibus* Leodegarium *Childerico carum fuisse, Ursinus insinuat, omninò mihi persuadeo eo modo, quem num.* 122 *exposui, mendum in antè dictam Chartæ subscriptionem irrepsisse, legendumque* an. III regni ejus *pro* an. IV regni ejus. *Hoc sanè posito, si proximè à morte Clotharii, ut hîc fieri arbitror, supputentur anni, quibus in Neustria regnavit Childericus, annus hujus regis tertius* III *Cal. Septembris notatus congruit cum anno Christi* 672, *quo indubiè laudata charta à* Leodegario *potuit subsignari.*

E

in epistola donationis S. Bercharii occurrunt:

132 *Neque est, quod dicas, characteres chronologicos, quibus Childerici cum* Leodegario *amicitiam definit Ursinus, mendosos potiùs esse dicendos, legendumque* annis pæne IV *pro* annis pæne III *errore amanuensium propterea fortè ibidem exaratis, quòd in autographo, quod describebant, numerus Romanus* V *inferiori sui parte nonnihil esset exesus. Præterquam enim quòd anni, quibus* Leodegarius *in amicitia Childerici fuit, in nullo Ursini apographo numeris Romanis exprimantur, si in iis apud hunc legendum esset* annis pæne IV *pro* annis pæne III, *sequeretur* Leodegarium *non nisi anno* 674 *circa Pascha Luxovium à Childerico fuisse relegatum, ex quo ulteriùs esset consequens, principem illum, utpote non nisi,* Leodegario *in exsilium pulso, è vivis sublatum, anno dumtaxat* 674 *vivere desiisse. Id autem admitti non potest ob chronologiam modò receptiorem & ob valida argumenta, quibus illa num.* 119 *&* 120 *stabilitur. At perges fortè contendere ob laudatam sæpe donationis chartam, Childerici mortem non ante annum* 674 *contigisse. Contendi sanè meritò id posse, arbitratus est Pagius, si characteres chronologici chartæ Berchariana ad Childericum jam monarcham referrentur, ideoque illos, ut opinionem suam de initio & fine monarchiæ ejusdem principis anno* 670 *&* 673 *illigandis tueretur, non ad eum jam monarcham, at in sola Austrasia regem referendos, tom.* 3 *Annalium*

A *nalium pag.* 41 *& ſeq. adſtruxit; recténe an malè, operoſius indagare non vacat. Sanè Mabillonium tom.* 1 *Annalium pag.* 509, *Cointium ad annum* 672 *num.* 2 *noſtroſque Deceſſores in Vita S. Nivardi ſibi adverſantes habet. Verùm, utut eſt, cùm numeri Romani, qui in antiquis chartis occurrunt, deſcriptorum vitio mendoſi ſæpe eſſe jam vulgo noſcantur, iiſque nihilominus exprimantur anni, quibus jam ſæpiſſimè laudata donationis charta ſubſcribitur, non eſt, cur ejus auctoritate movear, ut vel mortem Childerici vel exſilium Luxovienſe* Leodegarii *cum alio Chriſti anno, quàm cum* 673 *antè jam aſſignato conjungam.*

133 *Atque hæc pro determinando tempore,* **Leodegarius Childericum Auguſtoduno** *quo Sanctus noſter Luxovium relegatus eſt, præproperè nonnihil diſſerui, quòd determinandum jam foret tempus, quo* Leodegarius *Childerico fieri cœpit inviſus, hocque cum tempore, quo in exſilium pulſus eſt, proximè ſcilicet conjunctum, illius pariter determinandi opportunitatem offeret. Lubet nunc exponere ea adjuncta, quæ exſilium Sancti noſtri inſuper præceſſerunt, quæque ſanctum Antiſtitem regi, cui non modicè jam erat inviſus, ſuſpectum tandem etiam proditionis, atque exoſum penitus reddiderunt. Valeſius lib.*

B 21 *Rerum Francicarum pag.* 268 *hæc obſervat:* Mos tum erat Regibus Francorum plerúmque in villis publicis, quæ & regiæ dicebantur, nonnumquam & in urbibus Paſcha multa hilaritate & magnâ procerum utriuſque Ordinis miniſterialiumque frequentiâ jucundè religioséque celebrare. Et qui inter epiſcopos nobilitate opibuſque præſtabant, aut gratiâ plurimùm poterant, à principe maximi beneficii loco petere conſueverant, ut apud ipſos diem feſtum celebrare dignaretur, civitatemque & eccleſiam quiſque ſuam regis præſentiâ honorari ambitiosè cupiebant. Sic Chilpericum à Ragnemodo Luteciæ Pariſiorum ſacerdote, ſic Childebertum juniorem Sigiberti filium à Sigiberto Mogontiacenſi antiſtite invitatum eſſe accepimus. *Morem hunc* Leodegarius, *quamquam regem ſibi infenſum veroſimiliter jam nôſſet, voluit obſervare, ideoque Childericum, fortè ut experiretur, quantum hujus erga ſe amori deceſſiſſet, obnixè rogavit, ut ſacratiſſimam Reſurrectionis Dominicæ diem celebrandi causâ Auguſtodunum Æduorum ſe conferret, cujus civitatis ipſe cùm eſſet epiſcopus, eò jam, ne muneri ſuo epiſcopali deeſſet, ejuſdem feſti causâ cogitabat.*

C 134 Sæpe dictum Hildericum, *inquit anonymus num.* 14, in eccleſiam ſuæ urbis in Paſchali ſollemnitate (*Leodegarius*) rogaverat advenire, *quod Urſinus ſic refert:* His itaque diebus jam imminebat celeberrimus Paſchalis dies: tunc flagitante Pontifice (*Leodegario*) ut in Auguſtoduno urbe ſua ipſum ſanctiſſimum diem rex (*Childericus*) juberet celebrari, nequaquam renuit, ſed implere nititur votum deprecantis, *reque ipſa princeps, ſive quòd, ut Mabillonius in Annalibus rectè obſervat, nondum Sacerdoti planè eſſet infenſus, ſive quòd conceptum odium diſſimularet, ad diem feſtum celebrandum Auguſtodunum acceſſit, idque, ut narranda patefacient, diebus aliquot ante Paſchalem ſollemnitatem. Eòdem ante regem jam advenerat Hector Maſſiliæ patricius, hoſpitioque à* Leodegario *fuerat exceptus, ut in hujus Vita teſtatur anonymus.* Affuit, *inquit num. proximè citato*, tunc in illis diebus vir quidam nobilis, Hector vocatus nomine, qui tunc regebat in faſcibus patriciatum Maſſiliæ, quique generis nobilitate & prudentia ſæculari, ut claro ſtemmate ortus, ita e-

ad Paſcha celebrandum invitat, Hectoriſque cauſam,

rat præ ceteris præditus. Hic enim ad Hildericum regem pro quadam cauſa advenerat, & per Viri Dei interceſſionem obtinere petita ſperabat, eumque gratiâ hoſpitalitatis in urbe ſua Dei Sanctus receperat, donec, ſicut petierat, ſuis interceſſionibus eum regi commendare deberet: nam ſæpe dictum Hildericum in eccleſiam ſuæ urbis in Paſchali ſollemnitate rogaverat advenire. AUCTORE C. B.

135 *Cauſa illa quædam, ob quam Hectorem, cujus ne quidem meminit Urſinus, ad Hildericum regem acceſſiſſe anonymus aſſerit, hæc fuit: Prædia quædam eccleſiæ Arvernenſi contulerat Claudia mulier Arverna, cujus filiam Hector raptam toro ſuo ſociârat, hincque dicta prædia, cùm Claudia deinde obiiſſet, injuſtè, uti contendebat, eccleſiæ Arvernenſi attributa, reddi ſibi poſtulabat; quod cùm S. Præjectus Arvernorum epiſcopus facere detrectaret, regia ad id eum auctoritate compellere aggreſſus, ad regem Hildericum, quem Auguſtoduni Paſcha celebraturum audierat, ſeſe contulit,* Leodegariumque, *veroſimiliter jam antè ſibi amicum, in partes ſuas, quas hic fraudibus circumventus æquiſſimas putabat, ſubdolè attraxit. Intelliguntur hæc omnia ex priori Vita S. Præjecti ad* XXV *Januarii à Bollando edita, cujus auctor anonymus coætaneus num.* 10 *piâ memoratæ Claudiæ munificentiâ, morteque narrata, ſic pergit:* Erat quidam infamis vir, Hector nomine, qui apud Maſſiliam patriciatûs honorem adeptus fuerat, qui filiam ſupradictæ Claudiæ raptam ex ſcelere ſibi ſociaverat, & deinceps concubinarum miſeriâ adorſus *, ad Hildericum principem, qui eo tempore utraque regna (*Auſtriam ſcilicet & Neuſtriam cum Burgundia conjunctam*) ſuſcepta gubernabat, alio ſibi in ſcelere ſociato, nomine Leodegario, pervenit ad regem, quod poſtea in ejuſdem martyrio perficiendo fomes ſcandali fuit. Incuſat Pontificem (*S. Præjectum*) quòd prædia prædictæ feminæ Claudiæ ſibi vendicaret, cauſaſque regi depromit: obtinuitque cum principe, ut miſſos ex latere dirigeret, qui eum per fidejuſſores nuntiarent, & in aula regis facerent præſentari. *Tetris ſanè coloribus hîc Hector depingitur, quem contrà anonymus* Leodegarii *biographus verbis num.* 134 *recitatis impensè laudat.* E

quæ exponitur, tutandam ſuſcipit; hinc Sanctus, qui ideo etiam

* *al.* concubinatûs miſeriam

136 *Quod ſi tamen Maſſilienſis patricius, ut dubitandum non videtur, filiam Claudiæ memoratæ re ipſa rapuit, eamque ſibi, matre invita, matrimonio copulavit, ac deinde bona eccleſiæ juſtè donata eo nomine repetiit, anonymum noſtrum* Leodegarii *biographum in laudibus ejuſdem patricii modum reor excedere, aſſentiorque priori Vitæ S. Præjecti auctori Hectorem fœdè delineanti. At ſimul improbo duriorem ejus loquendi methodum, dum* Leodegarium *Maſſilienſi patricio contrà S. Præjectum faviſſe, his verbis inſinuat:* Ad Childericum principem (*Hector*) . . . alio ſibi in ſcelere ſociato, nomine Leodegario, pervenit. *Puto interim, hunc ſcriptorem, duriùs licèt locutum, tantummodò velle, Hectorem ad Childericum principem perveniſſe, ſociato ſibi ſive in partes ſuas attracto* Leodegario, *cui ſcelus, quod, lite S. Præjecto injuſtè intentata, patrabat, juſtitiæ velamine obtexerat. Id mihi vel ex eo perſuadeo, quòd idem biographus* Leodegario Sancti *nomen quoque attribuat, eumque ab exitu glorioſo plurimùm commendet:* Impiè, *inquit*, valdè peremptus, (*Leodegarius*) palmam martyrii adeptus eſt, ſacriſque nunc virtutibus pollet, *ut fortè ſancto Antiſtiti id vitio tantùm vertat, quod paſſus ſit ab Hectore ſe circumveniri.* F

à S. Præjecti biographo minùs honorificè tractatur,

AUCTORE C. B.

Hoc autem ab homine ſubdolo & fraudulento, nullâ etiam Sancti noſtri culpâ, fieri facillimè potuiſſe, quis non videt?

novis oneratur calumniis, iiſque ponlus, addente

137 *Porrò Cointius, quem deinde Pagius eſt ſecutus, in Annalibus eccleſiaſticis ad annum 673 num. 2 velle videtur, ardentiori ſtudio, quo cauſam Hectoris tutatus eſt* Leodegarius, *factum eſſe, ut quamplurimi aulici aliter de Maſſilienſi patricio ſentientes, invidiâ atque odio in Sanctum noſtrum concepto, ultimum ejus exitium aut ſaltem è regia expulſionem ſint molìti. Hinc ſanè in* Leodegarium, *ſi præſertim, quod tamen non arbitror, in tutando amico modum exceſſit, commoveri potuêre nonnulli, qui nondum fortè antea erga eum malè fuerant affecti. Aſt ejus generis homines, quos num. 129 memoravimus, ſtimulo illo indubiè non eguerunt; non tamen hos negaverim ſancti Antiſtitis, quò eum tandem à lateribus regis prorſus avellerent, criminandi noviſque calumniis onerandi anſam arripuiſſe ex hoſpitio patrocinioque ab illo Hectori impenſo. Id enim anonymus noſter num. 14 non obſcurè indicat.* Hanc, *inquit, (Hectoris apud Leodegarium hoſpitantis)* invidi repererunt occaſionem, per quam nequitiam, quam nuper in cor regis effuderant, adimplerent. *Hunc in finem* mendacem, *ait iterum eodem loco anonymus*, invidioſamque fabulam de Leodegario & Hectore confingunt, quaſi ideò inſimul fuiſſent conjuncti, ut regiam dominationem everterent, & poteſtatis jura ſibimet uſurparent; *quod commentum ut regi magis faciant indubium,* Majorem-domûs *(ſunt & verba anonymi)* nomine Vulfoaldum in ſua occaſione * conjungunt, *hoc eſt, in partes ſuas attrahunt, atque ab eo* Leodegarium *apud regem ſua ſponte jam ſatis motum accuſari etiam faciunt. Quod quidem ipſis difficile fuiſſe non opinor; neque enim videtur opportuna hæc occaſio* Leodegarii *ex aula deturbandi diſplicuiſſe Vulfualdo veroſimiliter metuenti, ne majoratu-domûs regiæ tandem excideret, eaque dignitas, agente ſcilicet* Leodegario, *ſi hic diutiùs in regia perſeverans, amicitiam regis recuperaret, Leudeſio conferretur, qui magiſtratum illum, quem pater ejus Erchinoaldus quondam geſſerat, forſitan ambiebat, quique filium habebat, nomine Adalricum, quem inter &* Leodegarium, *ut num. 107 etiam dixi, proximæ affinitatis neceſſitudo fortè intercedebat.*

B

* *al.* accuſatione

C

Marcolino pſeudo-monacho, à rege vitâ periclitatur.

138 *Ceterùm* Leodegarii *calumniatoribus etiam acceſſerat quidam Auguſtoduni in monaſterio B. Symphoriani martyris, corpore, non animo incluſus, nomine Marcolinus, religionis obtentu laudis & honoris cupidiſſimus; hic Sanctum noſtrum cum Hectore res novas verè moliri audacter affirmabat, nequitia eò ſceleſtiorii, quòd pietatis ſpecie eſſet velata, quòdque ejus dictis fidem propenſiſſimè adhibiturus rex noſceretur, utpote qui hypocritam pro Dei propheta habebat, quique alioquin objectum* Leodegario *conſpirationis cum Hectore crimen pro vero prædicari, non illubenter audiebat, cùm ſancti Antiſtitis, cui invidorum artibus jam maximè erat infenſus, perdendi cauſam ſaltem in ſpecie juſtam quæreret. Fas eſt hæc colligere ex anonymo noſtro, qui, præmiſsâ, quam mox quoad ſubſtantiam dedi, dicti Marcolini notione, ſubdit:* Hunc ergò ſæpe dictus rex *(Childericus)* ignorans, quaſi Dei prophetam habebat in omnibus, eo quòd de Viri Dei *(Leodegarii)* accuſationibus ejus voluntati favendo adularetur præ omnibus. *Habes nunc jacta à malevolis ſemina, è quibus orta Childerici in* Leodegarium *indignatio in exitiale demum odium excrevit. Tantum verò illud exſtitit, ut idem Childericus, qui, uti num. 134 diximus, aliquot jam diebus ante Paſcha Auguſtodunum advenerat,* Leodegarium *ipſo die Veneris ſacro manu propria interfeciſſet, nî prudentiorum quorumdam magnatum conſilio fuiſſet inhibitus. Teſtatur id anonymus noſter, qui, ut fugam à* Leodegario *metu mortis non fuiſſe arreptam probet, hæc ſubjungit:* Nec enim quis eum *(Leodegarium)* æſtimet uſque adeò formidâſſe martyrium: nam cùm pridem per quemdam monachum, nomine Bertharium *, ei in Dominica Cœna de ſuo fuiſſet interitu nuntiatum, die paſſionis Domini craſtino regis adiit palatium, & ultro ſe ingerens, in eo die ſanguinem offerre voluit Chriſto, quo pro mundi ſalute ſanguinem Chriſtus effuderat ſuum. Nam & rex eadem die, ipſum propria manu percutere voluit: ſed ob Dei reverentiam optimatum quorumdam ſapientûm conſilio prohibitus fuit.

D

* *al.* Bercharium

Silet hæc Urſinus, qui in alio aſſerto hîc poteſt,

E

139 *Horum omnium, quæ Auguſtoduni poſt Childerici adventum, ſolemnes Paſchatis Vigilias anteceſsêre, ne vel verbo meminit Urſinus. Narrat quidem* Leodegarium *de nece ſibi inferenda monitum fuiſſe. Aſt hoc adjunctum, quod ad Cœnam Dominicam ſive diem Jovis ſanctum anonymus noſter refert, Vigiliis Paſchæ ſive nocti Paſcham proximè præcedenti illigat, ut neceſſe ſit alterutrum hîc errare, niſi fortè Sanctus noſter cædis ſibi imminentis bis fuerit admonitus, ſemel die Jovis ſancto à monacho quodam, ut ait anonymus, nomine Berchario, ſemel nocte inter Sabbathum ſanctum & Dominicam Reſurrectionis media ab alio quodam, quem Urſinus, omiſſo nomine, inſtigatorem mali cognominat. Hoc adſtrui non inepte poteſt. Etenim anonymus noſter, ubi num. 15 narravit Childericum nocte Paſchæ prævia eccleſiam primariam adiiſſe, ut* Leodegarium *ſacris illic operantem terreret, addit:* Dum gladii percuſſione jam per nuntios minitans terruiſſet, Leodegarium *videlicet, ut fortè velit ex nuntiis, qui regii in Sanctum odii incentores erant, extrema quæque regis nomine minantibus, mortem ſibi imminere, Sabbatho ſancto* Leodegarium *iterum intellexiſſe, qui jam id ipſum die Jovis ſancto intellexerat ex monacho, nomine Berchario. Hâc certè viâ anonymus noſter cum Urſino conciliatur.*

in alio non poteſt,

F

140 *Verùm, an Urſinus geſta Vigiliis Paſchæ cum geſtis die Jovis ſancto non confuderit, dubitari forſan poteſt, tum ob jam antè dicta, tum præcipuè, quòd eo ipſo loco, quo Sanctum noſtrum cædis ſibi inſtantis monitum commemorat, in alio inſuper adjuncto pugnet cum anonymo noſtro, in quo tamen huic contra Urſinum adſtipulandum, mox oſtendam, cùm utriuſque biographi verba, neceſſaria adjecta dilucidatione, recitâro. Urſini hæc ſunt:* Qui *(Childericus & Leodegarius)* cùm, appropinquante jam die *(feſto ſcilicet Paſchæ)* ad Miſſarum ſollemnia celebranda, Sabbatho, ut mos eſt, in Vigiliis Paſchæ irent pariter, & malum ſeminarium odii ſimul haberent abſconditum, tunc inſtigator utriuſque mali accedens, eidem Pontifici dixit: Obſerva te, inquit, Pontifex, quia celebritate tranſacta Miſſarum, à rege te ſcias eſſe interficiendum: quoniam ſemen nequam, quod adverſum te per tuos inimicos, quemadmodum in ejus corde jam olim eſt ſeminatum, in hac nocte conſummare eſt decretum. Quod audiens Pontifex, diſſimulando diſtulit, & ſe lætum oſtendit, & non pro magno ducens, apparuit vultu clarus, & ſollemnia Miſſarum, quæ cœperat, honeſtiſſimè conſummavit. Sed communionem ſanctam cùm ipſe & rex percepiſſent,

rex

A rex ad palatium pergens, abiit pranſurus. *Quæ certè luculentiſſimè indicant, Childericum cum* Leodegario *in Paſchalibus Vigiliis Communionem ſanctam percepiſſe, idque non tantùm in eadem urbe, ſed & in eadem eccleſia, ut audiendus non videatur Mabillonius, qui in Annotatis ad priorem Sancti noſtri Vitam citata Urſini verba de Communione ſancta à rege cum* Leodegario *in eadem dumtaxat urbe percepta intelligi forſan poſſe affirmat.*

conciliari cum anonymo noſtro,

141 *Eo autem procul dubio intuitu id aſſerit, ut Urſinum in concordiam utcumque adducat cum anonymo noſtro, qui Childericum cum* Leodegario *in eadem eccleſia nocte Paſchati prævia Communionem ſanctam non percepiſſe, apertè prodit, dum, narratâ, de qua num.* 138, *Marcolini pſeudo-monachi malitiâ, mox hæc ſubdit:* Ea igitur nocte, quâ ſanctæ Paſchæ Vigiliæ celebrantur in urbe, rex jam quaſi ſuſpectus, ibidem (*ubi Leodegarius Vigilias Paſchales peragebat*) noluit advenire; ſed cum paucis tunc fautoribus præfati hypocritæ (*Marcolini*) requirentes conſilium, jam contra Dei Famulum

* *al.* geſtans

B (*Leodegarium*) malignum geſtiens * animum, illic (*apud Marcolinum in monaſterio S. Symphoriani*) temporaneum Paſchale non timuit recipere Sacrificium. Poſtea verò cum dedecore à vino jam temulentus, aliis jejunis ſancta ſollemnia præſtolantibus, eccleſiam (*primariam ſcilicet, in qua* Leodegarius *ſacris operabatur*) fuiſſet ingreſſus, Leodegarium clamitans requirebat ex nomine, ut eum quaſi in fugam verteret, dum gladii percuſſione jam per nuntios minitans terruiſſet. Cúmque eum ſæpiùs clamitans, eſſe in baptiſterio cognoviſſet, ibi quoque introiens, ad tanti luminis claritatem ſeu odorem chriſmatis, quæ illic in

* *al.* bapti-zatorum

* baptizantium ſanctificatione gerebantur, obſtupuit. Sed cùm ad clamorem ejus ipſe reſponderet, Adſum: ipſum nullatenus recognoſcens, pertranſiit, atque in eccleſiæ domo, ubi paratum erat, reſedit. Epiſcopi verò alii, qui cum Dei Viro Vigilias celebraverant, redierunt ad hoſpitia: ipſe verò, ut ſacrum peregit Officium, intrepidus adiit regem iratum, eumque verbis mitibus requiſivit, cur antè ad Vigilias non veniſſet, vel in tam ſacræ noctis ſollemniis repletus irâ perſiſteret. *Vigiliæ, ad*

C *quas Childericus non veniſſe, quaſque epiſcopi quidam cum* Leodegario *celebrâſſe hîc narrantur, non pro tota nocte Paſcha inter & Sabbathum ſanctum media, ſed pro Officio eccleſiaſtico, precibuſve nocturnis perſolvi ea nocte tunc ſolitis accipiuntur. Cùm enim dicatur Sanctus noſter, reverſis ad hoſpitia ſua poſt Vigilias epiſcopis, petiiſſe à rege,* cur antè ad Vigilias non veniſſet, vel in tam ſacræ noctis ſollemniis repletus irâ perſiſteret, *hæcque verba innuant, regem ſic interpellante ſancto Antiſtite, noctem Paſchati præviam nondum fuiſſe elapſam, quomodo à* Leodegario *iræ cauſam rogari rex potuit, jam reverſis ad hoſpitia ſua epiſcopis poſt Vigilias, ſi hæ pro tota nocte Paſcha inter & Sabbathum ſanctum media accipiantur?*

cui tamen ex Vita S. Præjecti

142 *Hoc notato, facile jam eſt intelligere, quomodo anonymus noſter verbis datis reipſa velit, Childericum nocte Paſchati prævia Vigilias Paſchales cum* Leodegario *non celebrâſſe; licèt interim indicet, illum tunc ad eccleſiam, in qua Sanctus ſacris Vigiliis vacabat, veniſſe,* atque in eccleſiæ domo, ubi paratum erat, reſediſſe. *Quod verò ad Communionem ſanctam Paſchalem pertinet, hanc pariter anonymum noſtrum velle à Childericum cum* Leodegario *in eadem eccleſia perceptam non fuiſſe, nuda hujus auctoris verba jam recitata ſatis ſuperque oſtendunt. Porrò hac in re contra Urſinum anonymo noſtro aſſentiendum propterea exiſtimo, quòd huic faveat Vita S. Præjecti jam antè laudata, in qua* Leodegarius *& Hector dicuntur nocte fugam arripuiſſe, poſtquam Hectori innotuit, Præjectum præſidio Wlfoaldi majoris-domûs fulciri, & ab epiſcopis Auguſtodùni congregatis rogatum fuiſſe, ut nocte Paſcham proximè antevertenti pro ſtatu regis & eccleſiæ pace Miſſæ ſacrificium Deo immolaret.* Cúmque jam, *inquit auctor illius Vitæ anonymus coævus,* meridianam plagam ſol luſtrâſſet, & occaſum tenus occumberet, & hora, quod eſt conſuetudinis, jam in promptu cerneretur, ut ſolennes Vigilias Paſchæ celebrare licitum eſſet, ex regali permiſſo vel majorum natu, pontifices vel ſacerdotes, qui in Æduorum urbe ob regiam poteſtatem conglobati fuerant, beatum virum Præjectum ſupplici voce enixiùs poſcunt, imò precantur, ut eâdem ſacræ noctis Vigiliâ ipſe pro ſtatu regis, vel pace eccleſiæ Sacrificium Deo immolaret. Cúmque hæc de tanta veneratione Hector cognoviſſet, maximéque quia Wlfoaldi ſenioris-domûs fiduciâ peruſus erat, intempeſta nocte cum S. Leodegario malè multatum * uterque fugam ineunt.

E

* multatus

adſtipulandum eſſe oſtenditur.

143 *Hæc ille; quæ, quamquam S. Præjectum Arvernorum epiſcopum ſacris Paſchæ Vigiliis coram rege beatiſſimæ noctis ſollennia celebrâſſe, apertè non ſignificet, ea tamen narrat, ex quibus vel omninò, vel ferè id ipſum non immeritò deducatur, cùm veroſimillimum ſit, S. Præjectum memoratæ epiſcoporum petitioni annuiſſe, eâque ab illis rogatum fuiſſe, ut Miſſæ ſacrificium ſacris Paſchæ Vigiliis, præſente rege, ſollenniter celebraret. Si enim ab epiſcopis rogatus dumtaxat fuiſſet, ut pro ſtatu regis & eccleſiæ pace, Miſſæ ſacrificium Deo privatim offerret, magnam enimverò ea epiſcoporum petitione venerationem ſancto illi Antiſtiti fuiſſe exhibitam, laudatus Vitæ ejuſdem Sancti auctor minimè, prout facit, inſinuâſſet. Utut ſit, recitata Vitæ S. Præjecti verba tantùm apud Mabillonium valuerunt, ut illis S. Præjectum Vigiliis Paſchalibus coram rege ſacra celebrâſſe, certiſſimè ſignificari, fuerit arbitratus. Etenim in Notatis ad priorem* S. Leodegarii *Vitam id, quod ex aliis tantùm ſequitur, pro aſſerto habens, ita obſervat:* S. Præjectus Arvernorum epiſcopus coram rege ſacra celebrâſſe in propriis Actis dicitur, *Vitâ ſcilicet à nobis citatâ; neque enim alia ſunt S. Præjecti Acta, ex quibus id certò ſciatur, aut potiùs ratiocinando ernatur. Cum Mabillonio interim non conſentit, ſed neque etiam omnino diſſentit Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum. Ibi enim ad annum* 673 *num.* 4 *Vitam S. Præjecti non quidem Urſino hîc prorſus adverſari, at favere ſaltem aſſerit anonymo noſtro* S. Leodegarii *biographo, cui propterea etiam adſtipulandum arbitratur, atque adeò tenendum, prout & nos ob eamdem cauſam tenemus, Childericum in eadem eccleſia nec Paſchalium Vigiliarum ſacris interfuiſſe, nec Communionem ſanctam cum* Leodegario *percepiſſe, antequam hic nocte Paſchæ prævia fugam arriperet, de qua ut nunc agamus, rerum ad Sanctum noſtrum pertinentium ſeries requirit.*

F

Leodegarius nocte fugam

144 *Urſinus, ubi narravit, regem, ſancta Communione percepta, ad palatium, epiſcopale ſcilicet, ſeceſſiſſe, hæc ſcribit:* Pontifex verò (*Leodegarius*) cùm ſuum perconſummâſſet officium,

AUCTORE C. B.

ficium, & merum cum ſuis accepiſſet, ſicut eſt fragilitatis humanæ, metuens animoſitatem regis, tractare cum ſuis cœpit, quid in hoc conflictu agere deberet. *Ac paucis deinde interjectis:* Tunc relicto rege, & omnium poteſtatum ſublimitate, pro nihilo reputans, quod habebat in mundo, eadem nocte (*quâ ſcilicet Paſchales Vigiliæ agebantur*) procedens cum paucis, ire cœpit, ubi pauper Chriſti fieri potuiſſet. *Urſino conſonat anonymus S. Præjecti biographus, à quo ultimis verbis num.* 142 *recitatis Hector fugam intempeſta nocte, Paſchati nempe prævia, cum* Leodegario *iniiſſe aſſeritur. Anonymus noſter pariter refert,* Leodegarium *fugæ ſe commiſiſſe: quamquam autem id ab eo nocte factum eſſe, apertè non edicat, ipſo tamen narrandi modo ſatis indicat. Ubi enim retulit,* Leodegarium *nocte Paſchati prævia* (*vide eum num.*16) *nondum elapſa, ad Childericum acceſſiſſe, ex eoque intellexiſſe, ſe quadam de cauſa ipſi eſſe ſuſpectum, mox fugæ conſilium à Sancto initum fuiſſe indicans, ita ſubjungit:* Igitur, *inquit,* vir Domini Leodegarius cernens, apud ejus (*Childerici*) animum eſſe defixum, quòd, ſuadentibus ſatellitibus,

B eum unà cum Hectore, ſicut decreverat, redderet interfectum, aut Hector in anguſtia, ſicut timebant, contra regem ſubirot contemptum, non de ſua veritus morte, ſed de illorum, qui ad eum causâ tuitionis advenerant, pertractus ſalute, elegit potiùs interim latêre per fugam, quàm occaſionem præbere, ut per ejus martyrium in Reſurrectionis Chriſti ſollemniis cruentaretur vel diriperetur eccleſia.

juſtas ob cauſas arripit,

145 *Quibus verbis præterea, cur* Leodegarius, *qui mortem nullatenus reformidabat, fugiendi conſilium ceperit, rationes duæ innuuntur, altera, ne, quos tutandos ſuſceperat, ii vitâ periclitarentur; altera, ne eccleſia vel cæde vel aliter ſacro Dominicæ Reſurrectionis die profanaretur. Duabus hiſce rationibus tertiam adjungit Urſinus, ne ſcilicet, ſi rex ſanctiſſimo Paſchæ die manus ſuas ſacerdotis ſanguine inquinaret, populo regis ſui ſævitiâ ad ſeditionem commoto, reſpublica detrimentum pateretur.* Cogitans, *inquit,* & orans ad Dominum, conſilium reperit, melius ei eſſe omnia relinquere & Chriſtum ſequi, quàm locum regi dare, & manus regis ſanguine ſacerdotis in tanti diei feſto coinquinare; ne fortè

C fieret Francorum opprobrium & per ſe unum hominem in tota plebe eſſet diſceptatio. *Hæc quidem ratio nonnihil differt à duabus prioribus, at tribus illis ſimul ſumptis, aliiſque ſimilibus* Leodegarius, *ut fugam arriperet, commoveri potuit, ut propterea Urſinus cum anonymo noſtro hîc non pugnet.*

ab eaque retractus

146 *Pari modo duo illi biographi pugnare inter ſe dicendi non ſunt, dum in recenſendis iis, quæ proximè fugam Sancti noſtri ſubſecuta ſunt, unus eorum ipſiuſmet* Leodegarii *à fuga retracti precibus, alter magnatum & epiſcoporum conſilio à rege impetratum indicat, ut ſanctus Antiſtes, graviori non inflicta pœna, Luxovium relegaretur. Potuit enim rex & conſilio optimatum, & humilibus* Leodegarii *precibus inflecti, ut mitiora in eum ſtatueret. Urſinus quidem rem ita exponit:* Hoc rex audiens, contriſtatus eſt valde ac mœrens, quemdam ex ſuis fidelibus cum exercitu magno poſt ipſum miſit, & ſecutus eum per totam illam noctem, diliculo * reperit, & juxta juſſum regis ſecum reduxit: ipſo quoque Pontifice (*Leodegario*) deprecante, Luxovio cœnobio ut ei liceret, relicto ſeculo, vacare Deo, humili popoſcit prece ſe dirigendum: quem protinus illuc ire * non diſtulit. *Anonymus autem in hunc modum:* Igitur Leodegarius Dei famulus cùm à quibuſdam tunc fuiſſet detentus, Hilderico ſubitò nuntiant factum. Maximam regis gratiam ſe credidit habiturum, qui valuit comprehendere Leodegarium. Per conſilium tunc optimatum vel epiſcoporum jubetur duci in Luxovium monaſterium, donec in commune conſulerent, quid facerent de tanti nominis Viro.

D

* *al.* dirigere

147 *Duos hos textus viſum fuit huc tranſcribere, quia ex collatione unius cum altero liquet, in quo inſuper Urſinus ab anonymo noſtro diſcrepet; hic ſcilicet poſteriori periodi ſuæ membro ſignificat, exſilii pœnam in* Leodegarium, *ut primùm is à fuga reductus eſt, finali judicio in perpetuum non fuiſſe decretam, ſed tantùm ad tempus, donec ſcilicet de eo quid certius ac fortè etiam durius, inito à rege cum regni proceribus conſilio, ſtatueretur; quæ alto ſilentio involvit Urſinus. Ac conſilium quidem cum regni proceribus rex iniit, at non antequam Luxovii* Leodegarius *jam exſularet. Etenim anonymus noſter referens, epiſcopos quoſdam, qui tunc regi adfuêre, perpetuo exſilio damnari* Leodegarium, *eo fine aſſenſiſſe,* ut eum ad præſens ab ira regis, *à qua Sancto noſtro pejora metuebant, redderent liberum, hanc rationem, cur* Leodegarium, *perpetui etiam exſilii pœnâ injunctâ, liberum regis irâ expeterent, inſuper adjungit:* Nam ſæpe dictus rex, (*Childericus*) pravorum illectus conſilio, eum (*Leodegarium*) adduci juſſerat de Luxovio, ut ad voluntatem accuſantium cum irriſione depoſitum, prout voluiſſent, redderent interfectum, *quæ verba inſinuant,* Leodegarium, *cùm rex de illo cum regni proceribus conſilium inivit, in exſilio Luxovii jam fuiſſe; quare cùm de hoc tantùm actum ſim § ſequenti, etiam ad eumdem §, ne rerum geſtarum ordinem perturbem, ulteriorem de illo ſermonem remitto.*

in exſilium pellitur.

E

§ X. Sanctus quatuor circitèr menſes Luxovii exſulat, hincque deinde occidendus educitur, ſed, audita Childerici regis morte, incolumis ſervatur.

F

Leodegarius ut Luxovium advenit, cum Ebroïno

LEodegarius *& à regia & ab eccleſia Auguſtodunenſi, ſponſa ſua, jam exſul, Luxovium ingreſſus, ibidem, ut ex biographis ejus intelligitur, Ebroïnum attonſum ac monaſtica veſte indutum invenit:* Qui (*inquit Urſinus Leodegarium deſignans*) feſtinans in monaſterium (*Luxovienſe*) perveniens, ibidem Ebroïnum jam clericum invenit, dicenſque, ſe aliquid in eo peccâſſe, veniam ſibi invicem petentes ſteterunt concordes; *ſed quoniam his verbis Urſinus quoque ſignificat,* Leodegarium *confeſſum eſſe, ſe aliquid in Ebroïnum peccâſſe, veniamque ab eo petiiſſe, horum loco anonymus Morbacenſis, qui Urſinum interpolavit, hæc ſubſtituit:* Quò (*Luxovium*) tandem dum pervenit (*Leodegarius*) reperit ibidem Hebroïnum ſub habitu monachili tantùm latitantem, quem Vir plenus pietate, fraterna quidem & ibi coluit dilectione. *Exiſtimavit ſcili-*

cet

* diluculo

A *cet hic auctor, non ſine injuria* S. Leodegarii *tradi aut credi poſſe, hunc alicujus in Ebroïnum delicti reum ſeſe agnoviſſe, voluitque, ut num.* 32 *jam monui, omni ſtudio cavere, ne quo modo ſanctum Antiſtitem nefario ejus, ut loquitur, perſecutori Ebroïno comparare aut æqualem facere videretur. Eò fortè etiam ſpectavit Surius, dum citata Urſini verba ſtylo ſuo ſic expoſuit:* Ebroïnum jam clericum invenit, eumque rogavit, ut, ſi quid in ipſum peccâſſet, veniam invicem peterent, & animorum inter ſe concordiâ jungerentur. *Verùm illa Urſini verba, ut eruditus lector mecum fortè cenſebit, non niſi ægrè admodum interpretationem hujuſmodi patiuntur, nec video quid magni piaculi admitti, ſi pro vero habeatur,* Leodegarium *ſeſe alicujus in Ebroïnum delicti reum dixiſſe. Potuit enim Vir ſanctiſſimus, quamquam nullius in Ebroïnum delicti reus exiſteret, ſeſe nihilominus præ humili de ſemetipſo exiſtimatione reum putare, Ebroïnoque fateri.*

in gratiam redire nititur, virtutibusque,

B 149 *Quapropter illa* Leodegarii *confeſſio ab Urſino aſſerta, haberi quidem pro certo falſa neutiquam debet, ſed nec pro certò vera, cùm neque ab anonymo noſtro vetuſtiori memoretur, neque aliunde queat probari. Certius eſt, Ebroïnum cum* Leodegario, *ut primùm hic Luxovium advenit, concordiam, ſi non ſinceram, ſaltem ſimulatam iniviſſe. Nam præter anonymum noſtrum vetuſtiorem, qui rem illam his verbis indicat,* In illis igitur diebus (*cùm* Leodegarius *Luxovium relegaretur*) adhuc exſul in Luxovio reſidebat Hebroïnus, monachali habitu tonſuratus, ſimulatam gerens concordiam, quaſi dum uterque (*Leodegarius & Ebroïnus*) unam, ſed diſparem exilii accepiſſent ſententiam, concordem ducerent vitam; *etiam Urſinus verbis num. præcedenti recitatis concordiæ ab Ebroïno cum* Leodegario *initæ non obſcurè meminit; quamquam autem minimè indicet, eam dumtaxat fictam ex parte Ebroïni fuiſſe, prout fuiſſe, verba ex anonymo proximè adducta inſinuant, id tamen ſat certum apparet ex ſummo odio, quo infrà tum ex anonymo noſtro, tum ex Urſino videbimus,* in Leodegarium *exarſiſſe Ebroïnum, ſtatim ut à morte Childerici II Francorum regis Luxovio fuerat egreſſus. Utut ſit, dubitandum equidem non apparet, quin* Leodegarius *in ſuo ad monaſterium Luxovienſe acceſſu dextram Ebroïno cum ſummo*

C *animi candore porrexerit, vitamque inter monachos ſanctiſſimè exegerit; de hac nihilominus ſeu de virtutibus piiſque exercitiis à ſancto noſtro Martyre, cùm Luxovii exſulavit, excultis nihil prorſus anonymus noſter vetuſtior commemorat; Urſinus verò nullam ſancti Exſulis virtutem in particulari recenſens, ea dumtaxat tradit, quibus* Leodegarium *Ebroïno, aut hunc illi æqualem facere videtur, prout in Prologo ſuo anonymus Morbacenſis conqueritur, quæque propterea hic auctor paulò aliter reddenda duxit. Utriuſque biographi verba ſubjungo: Morbacenſis hæc ſunt:* Nam licèt pater ejuſdem monaſterii (*Luxovienſis*) cognoſcens animum Hebroïni, à Viri Dei (*Leodegarii*) privata habitatione illum interim ſejungeret, Dei tamen Electus non dimittebat, quin eodem affectu, & ut in paternitate Chriſti fratrem diligeret: *Urſini illa:* Tamen ab abbate * ſejuncti (*Leodegarius & Ebroïnus*) per aliquod ſpatium temporis uterque pœnitentiam agentes, inter contubernia monachorum ſtrenuè habitare, quaſi perpetui monachi conati ſunt,

* *al.* jubente tamen abbate,

quibus ſanè nullo prorſus diſcrimine Leodegarius & *Ebroïnus tractantur.*

AUCTORE C. B.

150 *Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 673 *num.* 7 *indubitanter affirmat, Luxovienſe monaſterium rexiſſe abbatem Windologum, cùm* S. Leodegarius *anno* 673 *ad illud exſul acceſſit; idcirco autem id fecit hic ſcriptor, quia arbitratus eſt, S. Walbertum ſive Waldebertum, abbatem Luxovienſem, proximum Windologi in abbatis Luxovienſis munere deceſſorem, S. Faroni in epiſcopatum Meldenſem anno* 672 *ſucceſſiſſe; verùm hac in re vehementer hallucinatus eſt; nam neque Walbertus, frater S. Faronis, neque Walbertus, abbas Luxovienſis, quem cum priori Walberto, fratre S. Faronis perperam confudit, in epiſcopatum Meldenſem S. Faroni ſucceſſit. Perſpicuum id fit ex iis, quæ tom.* 1 *Maii in Commentario prævio ad Vitam S. Waldeberti abbatis afferuntur ab Henſchenio noſtro, in cujus deinde hac in re opinionem Pagius in Criticis, & Scriptores Galliæ Chriſtianæ auctæ tom.* 8 *in epiſcopis Meldenſibus manibus pedibuſque iverunt. Ad hæc S. Waldebertus, abbas Luxovienſis vel anno* 625, *ut cum Sammarthanis Fratribus Henſchenius noſter vult, vel anno* 627, *ut Pagius contendit, in regimen Luxovienſis monaſterii S. Euſtaſio ſucceſſit; in Vita autem ejuſdem S. Waldeberti abbatis, quam Adſo, abbas Dervenſis conſcripſit, quamque laudatus Henſchenius tom. cit. ex veterrimo codice monaſterii Bertiniani edidit, num.* 8 *idem S. Waldebertus dicitur, annis quadraginta monaſterium Luxovienſe rexiſſe.*

non tamen indubiè, ut velle videtur Cointius,

E

151 *En verba:* Cùm per quadraginta annorum ſpatium glorioſus confeſſor Domini Waldebertus locum ſibi delegatum (*monaſterium Luxovienſe*) omni virtutis genere optimè diſpoſitum, augeret rebus & numero Deo ſervientium, multis miraculorum virtutibus adornatus, migravit ad Dominum VI Nonas Majas, *id eſt,* 2 *Maii, anni ſcilicet* 665 *vel* 667, *cùm ad alterutrum annum deducant anni quadraginta ab anno* 625 *vel* 627 *computati, quibus Waldebertus, ut ex citatis Adſonis verbis intelligitur, monachis Luxovienſibus abbas præfuit. Itaque anno* 672 *S. Waldebertus, abbas Luxovienſis S. Faroni in epiſcopatum Meldenſem non ſucceſſit, utpote jam annis aliquot defunctus; ſibi verò non anno* 672, *ut loco citato Cointius etiam affirmat, ſed anno* 665 *vel* 667 *Windologum in regimen Luxovienſe proximum habuit ſucceſſorem. Quapropter cùm ab anno* 665 *vel* 667 *uſque ad annum* 673, *quo* Leodegarius *Luxovii exſulavit, anni dumtaxat ſex vel octo numerentur, facilè quidem fieri potuit, ut anno* 673 *Windologus in vivis adhuc ſuperſtes, abbas Luxovienſis exſtiterit; aſt id, ut fecit Cointius, indubitanter affirmari meritò non poteſt, cùm in ſerie Abbatum Luxovienſium, quam Sammarthani Fratres ſibi à Petro Franciſco Chiffletio Societatis noſtræ ſacerdote communicatam tom.* 4 *Galliæ Chriſtianæ inſeruerunt, ſolum Windologi nomen exprimatur ſine ulla temporis nota, aliove ſigno ſeu adjuncto, ex quo colligi queat, quo anno alter Windologo vitâ functo in abbatis munus fuerit ſuffectus, quantove temporis ſpatio monaſterium Luxovienſe hic rexerit. Nunc ad verba Urſini ultimò allata, à quibus digreſſi ſumus, revertamur.*

ſub abbate Windologo,

F

152 *Crediderim ſanè* Leodegarium inter contubernia monachorum, *ut laudatus Urſinus loquitur,* ſtrenuè habitare, quaſi perpetuum monachum

operam dat, periculum capitis præcipuè,

AUCTORE C. B.

nachum fuisse conatum; *imò verosimillimum mihi est, sanctum nostrum Exsulem, nisi, mutatâ per mortem Childerici rerum facie, sedi suæ episcopali restitutus brevî fuisset, non illubenter inter monachos diu victurum, ascetica(sque) eorum exercitationes fuisse obiturum, prout S. Lambertum episcopum Trajectensem à sede sua ab Ebroïno pariter pulsum, in monasterio Stabulensi fecisse, Vita ejus apud nos ad* XVII *Septembris edita testatur. Ast id integrum Sancto nostro relicturi fuisse non videntur ejus inimici. Hi enim exsilio ejus non contenti, omni studio apud regem instabant, ut capitali pœna sanctum Antistitem mulctaret, jamque Childericus, antequam quid certi de* Leodegario *statueretur communi procerum consilio, ad quos rei decisio primùm fuerat remissa, pravis malevolorum suggestionibus impulsus, adduci eum ad aulam jusserat, episcopatu pro calumniantium arbitrio ignominiosè dejiciendum necique tradendum. At sæva illa atque iniqua sententia in mitiorem perpetui exsilii à Childerico, habito cum proceribus regni consilio, mutata fuisse videtur. Audi de his anonymum nostrum vetustiorem.* Interea, *inquit num.* 18, cùm hi, qui videbantur

B

esse primi palatii, simul ab Hilderico * conquisiti, quod judicium de sancto Dei Sacerdote decernerent, hoc consona responderunt voce, ut, si ei vitam concederet, sub perpetuo exsilio eum in Luxovio permanere juberet, confirmans subitò sub hoc decreto judicium: episcopis verò aliquibus vel sacerdotibus ideò consentientibus, ut ad præsens eum ab ira regis redderent liberum. Nam sæpe dictus rex (*Childericus*) pravorum illectus consilio eum adduci jusserat de Luxovio, ut ad voluntatem accusantium cum irrisione depositum, prout voluissent, rederent interfectum, sicut quondam Herodes disposuerat Judæis facere Petrum.

* *al. addit.* fuissent

153 *Habes hinc jam igitur initum à rege cum regni proceribus consilium, ab illoque ante hoc iniquam & sævam in* Leodegarium *latam sententiam, sed hujus mutationem in mitiorem nondum habes. Intelligitur hæc ex iis, quæ de Ermenario, monasterii S. Symphoriani Augustoduni tunc abbate, verbis mox recitatis anonymus noster proximè subjungit. Sunt autem hæc:* Aderat... venerabilis vir abbas sancti Symphoriani basilicæ, nomine Hermenarius, cui post discessum Viri Dei (*Leodegarii*) rex petitionibus populi Augustidunum commendaverat urbem, cumque immensis precibus crebrò regis provolveretur pedibus, ut eum in Luxovio permitteret residere, ne ad exspectationem crudelium, quos diabolus contra eum in furorem succenderat, juberet adduci:

adnitente Ermenario abbate, evasit, deindeque

C

tandem ob hujusmodi precibus * est tunc ab interfectione salvatus. *Ex quibus omnibus colligi tandem meritò videtur, mortis pœnam, quam rex in Sanctum nostrum pravorum consilio priùs decreverat, in mitiorem perpetui exsilii ab eo fuisse mutatam, regni proceribus, dum cum iis de pœna* Leodegario *infligenda deliberaret, unanimiter id suadentibus, præcipuéque adnitente Ermenario monasterii S. Symphoriani abbate, qui proceribus cum rege consilium conferentibus aderat, quique fortè pro* Leodegario *intercedendi intuitu Childerici regis aulam frequentabat, licèt propterea quidam ipsi obtrectarent,* falsò, *ut ait anonymus noster,* opinantes, quasi ideo regis habitaculum frequentaret, ut accusantium esset primus, quo faciliùs ei episcopatum alienum tenere liceret, *scilicet Augustodunensem, quem ei rex, cùm* Leodegarium *relegaret, populi petitione commendârat. Verùm idem anonymus noster ut hanc ignominiæ labem removeat à viro præclaro, cui lucubrationem suam nuncupat, hæc subdit:* Longè aliter exstitit, quia carnalis oculus spiritualem dilectionem non videt. Testes enim postea illius (*Ermenarii*) extiterunt opera. Quia quò usque præsenti (*Leodegarius*) superfuit vitâ, ejus necessitatibus, in quo voluit, caritate monstravit * devota.

* *al.* minîstravit *in id recidit, Luxovio educi jussus;*

154 *Patuit id potissimùm, dum Sanctum nostrum dirissimè vulneratum, Waningo custodiendum Ebroïnus in majoris-domûs dignitatem jam restitutus tradiderat. Tunc enim Ermenarius, ut num.* 42 *anonymus noster testatur, ad* Leodegarium *præ metu Ebroïni clanculùm accedens,* vulnera *ejus* studuit diligenter curare, & arte, quâ valuit, potu ciboque reficere, vestemque, quam habuit, meliorem induere, *ut tunc caritate verè Christiana* Leodegarii *necessitatibus subvenerit, putandumque sit, eum non animo nocendi, sed favendi* Leodegario, *regis Childerici aulam frequentâsse. Verùm utut sanctum Antistitem à graviori pœna servare immunem verosimiliter studuerit, huncque in finem, iteratis non semel precibus, Childerici pedibus fuerit advolutus, futurum tamen fuisse non videtur, ut nihil exsilio durius in sanctum nostrum Exsulem, subsequente tandem etiam effectu, à Childerico denuo decerneretur, si hic diu in vivis superfuisset. Nam anonymus noster num.* 20, *narrata Childerici nece, mox subdit:* Ac priusquam hoc (*Childericum occidi*) eveniisset, dum duces quidam duo, quibus jussum fuerat (*à Childerico*) sanctum Leodegarium adduci de Luxovio, eatenus demorâssent, conspiraverat unus eorum minister, ut, si Famulum Dei extra Luxovium cerneret, ipsum gladii percussione occideret. *Childericus ergò, ut ex verbis recitatis intelligitur, antequam interficeretur, jam duobus ducibus, id est, provinciarum urbiumve præfectis in mandatis iterum dederat, ut* Leodegarium *Luxovio extraherent, neci pro arbitrio eorum, qui eum habebant exosum, verosimiliter dedendum; sic nempe Childericus levitate plùs quàm juvenili mortis sententiam, quam priùs in Sanctum nostrum pronuntiârat, procerum deinde, præcipuéque Ermenarii interventu in mitiorem exsilii, moxque iterum hanc malevolorum impulsu in duriorem mortis commutavit.*

sed iterum, licèt inde ante Childerici

F

155 *Verùm bini illi duces, sive provinciarum urbiumve præfecti, quibus* Leodegarium *Luxovio educere, fuerat à rege injunctum, non illicò accepto mandato fuêre obsecuti; moras autem nexuisse videntur, donec aliquem reperissent, qui onus in se susciperet* Leodegarii, *simul atque hic Luxovio esset egressus, interficiendi, quod Childerici præceptum fortè exigebat. Certè verbis num. præcedenti ex anonymo nostro ultimò citatis dicitur unus eorum minister sive famulus in necem* Leodegarii *conspirâsse,* dum *illi* eatenus demorâssent, *id est, si modò anonymi nostri sensum hîc nonnihil obscurum rectè assequar, dum duo memorati duces sive præfecti Sanctum nostrum Luxovio extrahere eò usque sive tamdiu distulissent, donec invenissent, qui* Leodegarii *occidendi partes assumeret. Porrò quamquam duo duces, quos verisimile est, ut* Leodegarium *occidendum curarent, mandatum etiam accepisse, Childerico non festinârint obtemperare, ante necem nihilominus ejusdem Childerici Sanctum nostrum Luxovio extraxisse videntur. Eruitur id ex anonymo nostro, dum num.* 20 *indicat, famulum illum, qui* Leodegarium *occidere statuerat, extra Luxovium hunc vidisse, mirificéque*

A *céque impeditum fuiſſe, quò minùs propoſitum ſuum exſecutioni mandaret.* Ut enim *, *inquit*, ad hoc (*ut memoratus famulus* Leodegarium *extra Luxovium cerneret*) perventum fuit, ita cor ejus intolerabilis pavor perfudit, ut non ſolùm dixiſſe, ſed cur etiam de Dei Famulo (*Leodegario*) tam gravia cogitâſſe *, voce publica confiteretur, & tremens ejus provolutus pedibus indulgeri ſibi ab eo hanc nequitiam deprecatur *. *Cùm enim hæc verba inſinuent*, Leodegarium *Luxovio egreſſum, à ſæpe memorato famulo, niſi his animo protinus mirabiliter mutato, propoſitum ſuum reliquiſſet, occidendum fuiſſe; id autem, ut ex dicendis facile erit colligere, auſurus ille poſt cognitam Childerici necem non fuiſſet, conſequens eſt, ut ſaltem paulò ante hanc extra Luxovium Sanctus noſter exſtiterit, inde veroſimillimè à ſæpe memoratis ducibus juſſu regis eductus.*

* *al.* autem

* *al.* cogitâſſet,

* *al.* deprecaretur

156 *Clariùs id ipſum inſuper intelligitur ex eodem anonymo noſtro, dum num.* 22 *ſic ſcribit:* His diebus (*cùm à morte Childerici res in Gallia eſſent turbatæ*) Vir Domini (*Leodegarius*) à commemoratis ducibus (*iis ſcilicet, qui* Leodegarium *Luxovio educendi mandatum acceperant*) erat ob ſalvationem detentus, à quibus de Luxovio fuerat jam eductus. *Cùm enim his verbis apertè prodat*, Leodegarium *à prædictis ducibus Luxovio fuiſſe eductum, credibile autem non ſit, feciſſe id ipſos, cùm jam Childericus, cui ea in re non lubenter obtemperabant, è vivis exceſſerat, conſequens eſt, ut, ſtante anonymi noſtri teſtimonio*, S. Leodegarius *ante Childerici obitum Luxovio fuerit eductus. Anonymo quidem hîc adverſatur Urſinus, dum num.* 10 *in hunc modum ſcribit:* Hæc (*Childerici obitum ac Theodorici in regnum ſucceſſionem*) audientes utrorumque (*Leodegarii nempe & Ebroini*) amici, deſiderantes aſpectum eorum cernere, cum favore magno vota ſua complentes, ad propria nituntur reducere. Pergentes namque de utriſque partibus ad ſupradictum monaſterium, (*Luxovienſe*) cogebant eos procedere & ad eorum domos remeare. Qui angore multùm æſtuantes, tamen deprecante dilectionis amicitia, quia fatigati ſpatiis terrarum longiùs * valde fuerant, conſentientes acquieverunt deprecantibus. *Quibus ſanè verbis luculenter innuit, Luxovio egreſſum non eſſe* Leodegarium, *niſi cùm jam Childericus eſſet interfectus. At cùm ea, quæ ad* S. Leodegarii *exſilium Luxovienſe pertinent, atque in primis illud, de quo hic eſt quæſtio, in regno Burgundiæ, in quo ſitum erat Luxovium, majori pro parte acciderint, & quidem non admodum procul ab epiſcopatu Auguſtodunenſi, in quo, ut ſuprà docuimus, monachum profitebatur noſter anonymus, huic potiùs reor hîc aſſentiendum, quàm Urſino, qui procul à Luxovio in epiſcopatu Pictavenſi prope civitatem homonymam verſabatur.*

necem poſt quatuor circiter

* *al.* longinquis

157 *Hinc nunc ulteriùs conſequitur, ut* Leodegarius *non niſi quatuor circiter menſium ſpatio Luxovii exſulârit. Nam, ut § præcedenti oſtendimus, paulò ante medium Aprilem anni* 673 *eò relegatus fuit; Childerici verò interfectio, quam* Leodegarii *è monaſterio Luxovienſi egreſſus ſaltem aliquantulùm anteceſſit, eodem anno* 673 *ante medium Septembrem evenit. De hac mortis Childerici epocha fusè quidem actum eſt § octavo, de ea tamen aliquid hîc inſuper juverit notâſſe.* Divina, *inquit anonymus noſter num.* 20, non diu diſtulit ultio ſuum de Hilderico dare judicium. Nam ejus diſſoluta converſatio omnibus increverat optimatibus palatinis. Tunc unus

menſium exſilium educatur,

ex eis hoc moleſtiùs ferens præ ceteris, dum venationem in ſylva ſecurus exerceret, eum vulnere mortis percuſſit. *Ob adjunctum venationis, quam cùm exerceret Childericus, interfectus hîc dicitur, Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 673 *num.* 9 *ſic ſcribit:* Innuit (*anonymus Leodegarii biographus verbis proximè citatis*) tempus Autumnale, quod aptiſſimum eſt venationi, & à regibus Francorum in illa exercitatione tranſigi frequentiſſimè ſolebat. *Hadrianus Valeſius lib.* 21 *Rerum Francicarum pag.* 279 *hæc habet:* Reges Francorum plerúmque prope ſilvas ſuas, aut mediis etiam in ſilvis ampla & operoſa exſtruebant prætoria, quæ palatia vulgò dicebantur, illucque Vere & Autumno venationis causâ cum conjugibus & liberis ſecedere conſueverant. Eo ex more fortè Childericus in ſilvam Lauconiam cum paucis ſeceſſerat, optimatum in ſe conſpirationis ignarus aut certè ignorationem ſimulans. *Hâc occaſione, ut pluribus exponit, Childericus cum uxore ſua Bilihilde à conjuratis necatur, adeò ut tempus Autumnale, ſpectato hoc ſcriptore, pariter aſſignandum videatur regis Childerici neci, cùm hic ſecundùm illum Vere vel Autumno ſit occiſus, idque tamen Vere, ut quiſque ex antè dictis facilè colliget, indubiè non acciderit. Verùm cùm § octavo oſtenſum ſit, Theodoricum III, proximum Childerici ſucceſſorem, anno* 673 *jam ante medium Septembrem in Neuſtria ac Burgundia regnâſſe, nequit uſque ad tempus Autumnale ejuſdem anni* 673 *mors Childerici differri; ſi nempe per* tempus Autumnale *eam anni tempeſtatem intelligas, quæ diebus aliquot poſt medium Septembrem ſumit initium. Ad hæc Childerici mortem tam diu differre, neutiquam cogit venationis exercitium, cujus occaſione interfectum eum fuiſſe, anonymus noſter affirmat. Nihil enim obſtat, quò minùs Childericus ſub finem Auguſti aut initium Septembris venationem exercuiſſe credatur.*

incolumis ſervatur.

158 *Porrò Childerici regis mors ſaluti* Leodegario *indubiè tunc fuit. Quamquam enim duo duces, qui juſſu Childerici ſanctum Antiſtitem à monaſterio Luxovienſi interimendum abſtraxerant, nec facilè nec citò mortem ejus procuraturi fuiſſe videantur, eumque occidere etiam detrectaret unus ille eorum miniſter, qui id faciendum aſſumpſerat, antequam Luxovio Sanctus educeretur; certum tamen mihi videtur Childericum à malevolis ſuis adulatoribus inductum, ſi diutiùs vixiſſet, urgentioribus præceptis* Leodegarii *necem fuiſſe imperaturum, tandemque effecturum, ut reipſa necaretur. At verò, Childerico interfecto, accidit, ut duo duces, qui Sanctum noſtrum occidendum Luxovio juſſi eduxerant, eum apud ſe, Famulo ſuo ſupernam gratiam, quâ eorum amorem ſibi conciliaret, Deo largiente, humaniſſimè retinuerint, mutatiſque animis, venerabundi ſervârint, contraque inimicos tutari parati exſtiterint. Audi hac de re anonymum noſtrum verbis num.* 156 *citatis hæc addentem:* Tunc enim ibidem (*in loco, ubi Luxovio eductus ſervabatur*) Famulo ſuo (*Leodegario*) gratia ſuperna conceſſerat venerabilem dignitatem, ut in illis locis tam prædicti duces, quàm eorum matronæ, ſimulque miniſtri univerſæque familiæ & vulgus populi ita in ejus conſpirâſſent amore, ut ſi neceſſitas immineret, ſemetipſos pro eo non dubitarent offerre.

AUCTORE C. B.

§ XI. Leodegarius poſt cædem Childerici protegitur à Burgundiæ optimatibus, pergit cum iis ad Theodoricum, eoque jam rege ſolenniter conſtituto, ad ſedem ſuam epiſcopalem revertitur. Ebroïnus Luxovio egreſſus contra Theodoricum inſurgit, variaſque turbas ciet.

Turbatis per mortem Childerici in Francia rebus,

MOrs Childerici rerum in Francia ſtatum amplius turbavit. Hâc enim auditâ, plerique, qui ejus imperio vel ob ſuum in Theodoricum Ebroïnumve ſtudium, vel ob admiſſa ſcelera in exſilium pulſi fuerant, abſque ullo metu domum ſunt reverſi, magnoque furore per Neuſtriam ac Burgundiam ſunt graſſati, cùm interim illi, qui, junctis viribus, hujuſmodi graſſatores comprimere debuiſſent, mutuis ſeſe odiis armiſque laceſſerent. Audiatur anonymus noſter biographus. Igitur, *inquit num.* 21, cùm Hilderici mors ſubitò nuntiata fuiſſet, tunc hi, qui ob ejus juſſionem exilio fuerant condemnati, tamquam Verno tempore poſt hiemem ſolent de cavernis ſerpentes venenati procedere, ſine metu * fuerunt reverſi: quorum debacchante furore, ſurrexit magna turbatio patriæ, ita ut manifeſtè crederetur adventus imminere antichriſti. Hi verò, qui rectores regionum eſſe debuerant, ſurrexêre contra aliquos, & qui pacis fœdera debuerant continere, odiis ſe invicem cœperunt laceſſere. *Cauſam horum motuum hanc affert:* Quia, *inquit*, rex tunc non erat ſtabilitus in culmine, quod unicuique rectum videbatur in propria voluntate, hoc agebat ſine formidine diſciplinæ. *Aſt, inquies, an ergò Theodoricus in locum Childerici fratris ſui interfecti illicò non ſucceſſit? Reſpondeo, annorum quidem computum, quibus Theodoricus regnavit, proximè à morte Childerici inchoari, illum tamen ob verba anonymi noſtri ultimò citata non videri ante unum ſaltem alterumve menſem à morte Chiderici elapſum regnare cœpiſſe. Quamquam enim penes Theodoricum fortè fuerit, ſtatim à morte Childerici regni habenas capeſſere, feciſſe tamen id ipſum non puto, niſi procerum regni erga ſe voluntate præviè explorata. Quippe ſi iis inconſultis, hincque fortè futuris invitis ſolium conſcendiſſet, iterum cum dedecore regia dignitate deponere eum facilè potuiſſent, prout antè fecerant, cùm ab Ebroïno, iis de more non convocatis, rex fuiſſet conſtitutus. Quapropter Theodoricus veroſimiliter unum alterumve menſem, quo tempore ad procerum ſtudia exploranda indigere potuit, à morte Childerici elabi ſiverit, antequam pro rege ſe geſſit, fortè etiam tamdiu, quamdiu à convocatis regnorum optimatibus, ſolitis cæremoniis in ſolio nondum erat collocatus, ab omni regii nominis poteſtatiſque uſu abſtinuerit, tumultuantibus interea ſine ullo legum ſuppliciorumque metu pacis publicæ inimicis, quòd ſic nullus eſſet, qui eorum audaciam coerceret.*

B

C

* *al. addit.* quidam

Burgundiæ proceres tueri ſtatuunt Leodegarium;

160 *Erant inter hos quietis perturbatores nonnulli, qui exſilium & quidquid propter ſcelera ſua à Childerico paſſi fuerant, uni* Leodegario, *quòd hic illius principis fuiſſet conſiliarius, adſcriberent:* Hi, *inquit loco citato noſter anonymus*, qui cum malevolo animo redierunt de exilio, quicquid pro ſuo pertuliſſent facinore *, Leodegarii factionibus hæc ſe incuſant fuiſſe perpeſſos. *Aſt duos duces, qui Sanctum noſtrum, ut § præcedenti dictum eſt, venerabundi apud ſe retinebant tuerique ſtatuerant, id minimè latuit. Quapropter cùm timerent, ne facinoroſi illi in ea rerum perturbatione occaſionem arriperent ulciſcendi in* Leodegarium *injurias, quas ab eo ſibi illatas autumabant, ſolis ſuis viribus non ſat ſiſi, ſanctum Antiſtitem aliis Burgundiæ viris primariis, comitibus fortè ac ducibus commendârunt, qui ſæpe jam memoratis duobus ducibus ſe jungentes, unanimi conſenſu ſanxerunt, ſi, durantibus regnorum turbis, antequam Theodoricum communi conſilio regem conſtituiſſent,* Leodegarium *quis ladere tentaret, auxilio ſe ei ac præſidio futuros. Audi iterum hac de re anonymum noſtrum:* Cúmque, *ait num.* 22, illi (*duo duces*) ſecum Dei Famulum (*Leodegarium*) retinentes *, circa ſe manentibus poteſtatibus aliis nuntiâſſent, eo quòd divinam gratiam ſuper Dei famulum Leodegarium cognoviſſent, religioſo Chriſtianitatis amore jam ſe eorum auxilio fuerant ſociati, & conſpirantes inter ſe confirmaverunt, ut, dum indiſciplinata hujus dominationis erat exorta turbatio, ſi priuſquam Theodoricum pariter ſublimâſſent in regnum, aliquis forſitan ſanctum voluiſſet lædere Leodegarium, eorum protegeretur auxilio. Leodegarii *patrocinium à ducibus illis ita ſuſceptum fructu veroſimillimè non caruit; certè non invenio, tunc inimicos Sanctum noſtrum vi aggredi auſos fuiſſe.*

* *al.* propter ſua facinora,

at quando hic cum illis pergit ad Theodoricum,

161 *Id nihilominus in votis hos maximè habuiſſe, mox patuit, cùm Ebroïnus pariter Luxovio erat egreſſus. Hunc enim, quem ſubito amicorum famulorumque comitatu ſtipatum eſſe, audiebant, læti illicò tunc adeunt, opem ac conſilium poſcunt, ut vindictam ſumere queant de* Leodegario, *quem veluti infenſiſſimum ipſiuſmet Ebroïni inimicum depingunt. Rem illam ſic narrat noſter anonymus:* His enim, *ait num.* 23, diebus (*cùm nondum motus in Francia ceſſarent*) egreſſus eſt de Luxovio etiam Hebroïnus, Juliano ſimilis, qui vitam fictam monachorum tenuit. Etenim cùm ipſe tam amicorum quàm famulorum ſtiparetur ſubito comitatu, prædicti exſules ad * ejus expetentes obſequium, malum, quod de ſua accuſatione confinxerunt, ipſum in caput conſtituunt, ut ejus auxilio vel conſilio, ſi in Dei Hominem (*Leodegarium*) valerent, unanimiter vindicarent. *Difficile haud dubiè non fuit iis facinoroſis id, quod petebant, ab Ebroïno impetrare, qui reconciliationem cum* Leodegario *tantùm hactenus ſimulârat, nihilque de odio in eum concepto remiſerat. Verùm opportunitas vindictæ in Virum Dei exercendæ erat exſpectanda; reperiendam hanc veroſimiliter putavit Ebroïnus, ſi cum ſuis comitibus ſeſe adjungeret epiſcopis, ducibus aliiſque Burgundiæ optimatibus cum* Leodegario *ad Theodoricum properantibus, ut eum de more in ſolio collocarent. Eorum itaque conſortio Ebroïnus cum ſuis ſeſe admiſcet, ſimulans ſe pariter ad Theodoricum feſtinare, ut fidem ei juraret, ſemperque deinde ſervaret.* Ipſe enim, *pergit noſter anonymus*, Hebroïnus caput rele-

E

F

* *al. deeſt* ad

relevavit venenoſum, quaſi vipera reſtaurans venena ſua, ſimulans, ſe eſſe tunc Theodorici fidelem, & ob hoc ad eum cum ſociis quantocius feſtinare. *Nec Burgundiæ optimatibus, nec* Leodegario *ſuſpectus erat Ebroïnus, quod acceptum referre debuit veſti clericali, quam nondum exuerat, nec umquam exuturus videbatur.*

ab Ebroïno, qui ſe comitem adjunxerat, periclitatur, ac pulſo

162 *Brevî interim inveteratum hominis vaferrimi in* Leodegarium *odium erupit. Etenim, dum unà cum* Leodegario *aliiſque Burgundiæ epiſcopis & optimatibus iter faceret, & Auguſtoduno, quà tranſeundum erat, unius vix diei itinere abeſſet, nulla habita ratione amicitiæ, quam Sancto noſtro promiſerat, hunc, ab exſulibus, credo, ſuprà memoratis ad flagitium etiam incitatus, comprehendere conatus eſt. Verùm inter Burgundiæ epiſcopos & proceres, qui ad Theodoricum properabant, erat Geneſius, Lugdunenſis epiſcopus. Hic partim conſiliis ſuis Ebroïnum inhibuit, partim manu armatorum valida, quam ſecum habebat, adeò perterruit, ut ab incepto deſiſteret, atque ad ſolitas ſuas artes amicitiæque ſimulationem recurrens, cum aliis Auguſtodunum uſque perrexerit.* Cùm enim (*verba iterum ſunt anonymi noſtri*) Vir Domini (*Leodegarius*) cum

B ſociis ſuprà ſcriptis (*Burgundiæ optimatibus*) eodem feſtinaret itinere, *quo Ebroïnus*, factum eſt, quantum nec unius diei itineris ſpatium, antequam Auguſtidunum urbem accederent, urgentibus fautoribus, Hebroïnus immemor amicitiæ dudum promiſſæ, eum ibidem voluit comprehendere, ſi non Geneſii metropolis Lugdunenſis epiſcopi conſiliis fuiſſet prohibitus, aut manu valida, qui * cum eo aderant *, perterritus: & fictam rurſus amicitiam ſimulans, mixto agmine pariter pervenerunt in urbem, *ſcilicet Auguſtodunenſem.*

* *al.* quæ * *al.* aderat,

periculo, Auguſtoduni honorificè recipitur, dumque deinde iter

163 *Tunc videre licuit, quo animo in* Leodegarium *epiſcopum ſuum Auguſtodunenſes eſſent. Hujus quippe ab exſilio reditus omnis ætatis, ſexûs & ordinis homines ſummo gaudio implevit.* Lætatur, *ait noſter anonymus num.* 24, eccleſia (*Auguſtodunenſis*) de Paſtoris (*Leodegarii*) præſentia rediviva, plateæ ornantur virentibus, aptant diaconi cereos, gaudet civitas tota de adventu ſui Pontificis poſt perſecutionis procellam. *Urſinus hac de re ſic ſcribit:* Venerunt ſimul Ebroinus ſcilicet cum Leodegario pontifice in civitatem ſuam Auguſtoduno. Quam rem audiens

C tota civitas ſuſcitata eſt in gaudium. Quibus cives procedentes obviàm, receperunt eos cum magno triumpho, lætantes, eo quòd recepiſſent Patrem, quem amiſiſſe plangebant olim gubernatorem: quem receptum collocaverunt eum in ſede priſtina, ut frueretur cum eis lætitia. *Atque ita quidem hîc inter ſe non malè congruunt ambo antiquiores noſtri biographi, at non æquè inter ipſos convenit in aſſignando tempore, quo Ebroïnum à* Leodegario, *poſtquam à pravo ſuo in hunc conſilio fuiſſet prohibitus, fugâ ſe ſubduxiſſe ſcribunt. Etenim Urſinus, narratâ* Leodegarii *apud Auguſtodunenſes, quo primùm die ad illos ab exſilio reverſus eſt, honorifica receptione, hæc ſubdit:* Cupiebat beatus Leodegarius in craſtinum Ebroïnum ditatum cum magnis honoribus muneribuſque ad propria deſtinare. Idem verò Ebroïnus non eſt paſſus ſuos paululum requieſcere; ſed fugâ * nocte ab ipſa diſceſſit civitate, *Auguſtodunenſi nempe; anonymus verò iſta:* Craſtina verò die exinde (*è civitate Auguſtodunenſi*) pariter (*Leodegarius cum optimatibus Burgundiæ*) promoventes, ut ad occur-

* *al.* fugaciter

ſum Theodorici pervenirent uniti. Interim dum iſti cœpto itinere perveniſſent ad regem, de ipſo itinere pænè jam medio Hebroïnus tyrannus eorum deferens comitatum, ad ſuos uſque pertranſiens, clericatum abjicit, ad mulierem, ut canis ad vomitum, poſt ſacrum velamen redit. *Quibus verbis prior quidem ſcriptor fugam Ebroïni refert ad noctem à* Leodegarii *in urbem Auguſtodunenſem reditu proximam; poſterior verò ad diem noctem illam ſubſecutum, ut haud dubiè inter illos hîc minimè conveniat.*

AUCTORE C. B.

cœptum reſumit, Ebroïnus fugam clàm arripit

164 *At cùm quæſtio ſit de re in epiſcopatu Auguſtodunenſi geſta, ob rationem, quam jam plùs ſemel attuli, anonymo noſtro hîc adſtipulandum reor. Nec valde mirum eſt, ſi Urſinus fugam Ebroïni ad noctem referat, non verò ad alterum diem à* Leodegarii *Auguſtodunum reverſione, quando hic cum Burgundiæ optimatibus ad Theodoricum è civitate illa iter ſuum promovit. Iter enim* Leodegarii *ad Theodoricum noviſſe non videtur hic ſcriptor; quare, cùm ſciverit nihilominus, Ebroïnum à* Leodegario *clàm aufugiſſe, fugam illam noctu factam, facilè potuit putare. Porrò Ebroïnus à* Leodegario *ceteriſque Burgundiæ epiſcopis & proceribus clàm fortè, tacituſque propterea diſceſſit, quòd, cùm plurimos recentibus ſuis in Sanctum noſtrum inſidiis offendiſſet, non parùm timeret, ne ab iis comprehenderetur, ac, conſentiente Theodorico, in monaſterium retruderetur, ſicque ſpe omni excideret majoratum-domûs recuperandi, quem tamen omni modo, ut eventus docuit, recuperare volebat, quemque etiam armis repetere idcirco jam fortè ſtatuerat, quòd aliam ad eum perveniendi viam ſibi ſupereſſe non perſpiceret.* Nimirum, *inquit Valeſius lib.* 22 *Rerum Francicarum pag.* 297, vir callidus (*Ebroïnus*) intelligebat, inviſum ſe eſſe Theodorico, cui gravi dominatione ſua cauſa dejectionis fuiſſet, inviſum clericisque epiſcopis ac optimatibus, qui cùm ipſum antea tondendum & in monaſterium relegandum curaviſſent, jam pro clerico eſſent habituri, & ademptam ſemel præfecturam nulla condicione ſibi reſtituturi, atque alium quemvis potiùs quàm ipſum majorem-domûs regiæ electuri. *Eo ergò loco cùm res ſuas eſſe, nôſſet Ebroïnus, à proceribus Burgundiæ clàm ſeceſſit, &*

E

F

cum partium ſuarum viris apertè ſe Theodorico inimicum exhibere cœpit. Secularia arma, *inquit anonymus noſter num.* 24, arripuit (*Ebroïnus*) & contra terrenum dominum (*Theodoricum*) etiam apertum ſe prodidit adverſarium.

in Auſtraſiam, ibique Wlfoaldo, cùm interim

165 *Ut autem, quod ſaltem veroſimillimum eſt, amiſſam majoratus-domûs regiæ dignitatem, quam prona regis Theodorici, procerumque voluntate recuperandam à ſe non ſperabat, vi armiſque poſſet auferre,* Auſtraſios, *verba ſunt Urſini num.* XI, quos ſecum habuerat aliquando adverſarios, ſibi ſociavit ut amicos. *Valeſius lib.* 22 *Rerum Francicarum pag.* 299 *ſcribit, Ebroïnum etiam tunc cum Wlfoaldo, qui ei attonſo & Luxovium relegato in præfecturam palatii Neuſtriæ & Burgundiæ ſucceſſerat, jamque poſt cædem Childerici Auſtriam repetierat, in gratiam rediiſſe. Idcirco autem id haud dubiè facit hic ſcriptor, quòd verbis ex Urſino proximè adductis dicatur Ebroïnus, ut amicos, ſociâſſe ſibi Auſtraſios, quos habuerat aliquando adverſarios; Wlfoaldus verò homo Auſtraſius Ebroïni aliquando adverſarius exſtiterit.* Ebroïnus, *inquit*, præfecturam palatii omnibus rationibus recuperare tentabat. Quod ut faciliùs conſequeretur, cum Wlfoaldo homine Auſtraſio, à quo præcipuè

AUCTORE C. B.

præfecturâ privatus videbatur, & qui Auſtriam poſt Childerici cædem repetierat, in gratiam rediit, ceteroſque Auſtraſiorum proceres, quos antè adverſarios habuerat, ſibi & amicos reddidit, & ad bellum ſocios adſcivit. *Verùm cùm nihil cogat Urſini verba in ſenſu univerſali accipere, adeò ut ſignificent, Ebroïnum cum omnibus omnino Auſtraſiis, quos habuerat aliquando adverſarios, ſocietatem amicitiamque iniviſſe, nequit ob illa pro certo affirmari, Ebroïnum cum Wlfoaldo in gratiam rediiſſe, cumque ceteris Auſtraſiæ proceribus, quos habuerat aliquando adverſarios, belli ſocietatem contraxiſſe.*

à Leodegario ceteriſque optimatibus Theodoricus rex ſalutaretur,

166 *Veroſimile tamen mihi apparet, non obſtitiſſe Wlfoaldum, quò minùs Ebroïno, ut primùm hic ex Burgundia in Auſtraſiam profugus venerat, aliquot ſeſe Auſtraſii adjungerent, quorum auxilio in Neuſtriam ac Burgundiam irrumperet, bellumque Theodorico inferret. Etenim* Leodegarius *& Burgundiæ optimates, à quorum Theodoricum adeuntium conſortio ſe clàm Ebroïnus ſubduxerat, atque in Auſtraſiam fugerat, ad Theodoricum jam pervenerant, eumque unà cum Neuſtriæ proceribus regem Neuſtriæ & Burgundiæ ſolitis cæremoniis,*

B

nemine, ut videtur, diſſentiente, conſtituerant. Leudeſium etiam, virum nobilem, Erchinoaldi, qui ſub Chlodoveo Theodorici patre palatium rexerat, filium in majorem-domûs regiæ, Sancto noſtro id etiam ſuadente, ſummâ, ut apparet, concordiâ elegerant. Primum intelligitur ex num. 22, 23, 24, 25 & 27 anonymi noſtri biographi; poſtremum verò ſcriptor anonymus in Geſtis regum Francorum cap. 45 apertè docet his verbis : Franci autem *(occiſo Childerico)* Leudeſium filium Erchinoaldi nobilem in majorem-domûs palatii eligunt. Eratque ex Burgundia in hoc conſilio beatus Leudegarius Auguſtodunenſis epiſcopus & Gerinus frater ejus conſentientes.

forſan non renitente,

167 *Anonymo huic adſtipulatur continuator Fredegarii cap. 95 ſic ſcribens :* Franci verò *(occiſo Childerico)* Leudeſium filium Erchinoaldi nobilem in majoris-domûs dignitatem ſtatuunt per conſilium beati Leudegarii & ſociorum ejus. *Cùm itaque Theodoricus in Neuſtria & Burgundia pacificè utcumque jam regnare videretur, timere poterat Wlfoaldus, ne, ſi duo illa regna perfecta pace aliquando gauderent, animum tandem etiam adjiceret Theodoricus ad Auſtraſiam,*

C

fraternæ hæreditatis partem, pariter occupandam; hanc autem ſi is occupâſſet, Wlfoaldus regni Auſtraſiani regimine, quod adhuc gerebat, haud dubiè etiam excidiſſet. Quapropter, cùm Wlfoaldi indubiè plurimùm referret res in Neuſtria & Burgundia turbari, impedire veroſimiliter noluerit, quò minùs nonnulli Auſtraſii ſeſe Ebroïno adjungerent, à quo eorum operâ belli civilis facem in Neuſtria & Burgundia accendendam prævidebat. Verùm Ebroïnus, ut mox docebimus, Clothario III filium ſuppoſuit, huncque in partibus Auſtraſiæ regem conſtituit. Quapropter, ſi id ille forſan fecit, ſtatim ut in Auſtraſiam profugus advenerat, veroſimillimè etiam jam tum ſibi adverſantem Wlfoaldum habuerit. Etenim cùm hic, majoratu-domûs in Neuſtria & Burgundia amiſſo, Auſtraſiæ ſaltem regimen penes ſe manere indubiè expeteret, non poterat non ſummopere ipſi diſplicere, ſupponi ab Ebroïno Clothario III filium, huncque in partibus Auſtraſiæ regem conſtitui, à quo ſub poteſtate Ebroïni poſito regiminis regni illius jacturam pariter habebat timendam.

plures Auſtraſios in partes ſuas attrahit,

168 *Utut interim Wlfoaldus in Ebroïnum fuerit affectus, non videtur hic, ſpectato narrationis ordine, quem anonymus noſter ſervat, ſtatim à ſuo in Auſtraſiam adventu, ſed tantùm poſtea Clothario III filium ſuppoſuiſſe. Quamquam autem id tunc non fecerit, non paucos tamen Auſtraſios partim ſpe prædæ, ut credibile eſt, inductos, partim cupidine ulciſcendi mortem Childerici, quem amâſſe illi ex num. 6 Urſini intelliguntur, in partes ſuas brevî attraxit, attracturuſque plures temporis lapſu veroſimillimè fuiſſet. Verùm, ut erat vir aſtutus, licèt juſtum fortè necdum haberet exercitum, celeritate tamen, quâ res in bello utplurimùm feliciter conficiuntur, utendum hîc ratus eſt, hâcque opprimi poſſe Theodoricum. Hic tum veroſimiliter uno tantùm alterove menſe, quod temporis ſpatium contrahendis copiis Ebroïnus impenderat, in ſolemni procerum Neuſtriæ & Burgundiæ conventu, binis circitèr poſt mortem Childerici menſibus celebrato, amiſſum antè regnum recuperârat, reſidebatque ſecurus ac nihil timens in villa regni Neuſtriæ* Novigento *dicta. Hæc regis ſecuritas apta erat Ebroïno occaſio rem proſpere gerendi. Itaque in Neuſtriam, idque veroſimiliter*

E

ſub finem anni 673, aut, quod jam dictis & Sigeberti Chronico magis congruit, ſub initium ſequentis, improviſò irrumpit, Theodoricum regem, Leudeſium, ejus majorem-domûs ceteroſque optimates fugere compellit, fugientes inſequitur, ærarium regium intercipit, eccleſias locorum, per quæ copias ducit, exſpoliari permittit, aut certè non impedit, Leudeſiumque poteſtatis ſuæ factum interficit. Noviente enim villa, *(verba ſunt anonymi noſtri biographi)* jam recuperato regno, tunc Theodoricus reſidebat ſecurus; cùm repentino ſuperventu Hebroïnus ibi adveniſſet * cum Auſtraſiis. Quis enim enumerare plenè valeat, quæ tunc fuit direptio de regali theſauro vel eccleſiæ miniſterio, quod ob amorem Chriſtianitatis Catholici retrò principes devoti in Dominicum contulerant ſacrarium ? Majorem-domûs ejus *(Theodorici)* ferunt etiam interfectum *.

* *al.* venit

* *al.* Majore-domûs ejus etiam interfecto.

in Neuſtriam ex improviſo irruptionem facit,

169 *Continuator Fredegarii, cui anonymus in Geſtis regum Francorum cap. 45 ferè conſonat, hæc eadem cum nonnullis inſuper aliis adjunctis paulò fuſiùs dilucidiúſque cap. 96 in hunc modum exponit :* Ebruïnus, *inquit*, ... convocatis in auxilium ſociis, perſonis quàm plurimis, cum multo comitatu exercituum, à Luxovio cœnobio egreſſus in Franciam regreditur, uſque Iſſam * fluvium veniens acceſſit, cuſtodes dormientes interfecit ad ſanctam Maxentiam, atque Iſſam fluvium tranſiens, quos ibi invenit de inſidiatoribus ſuis, occidit. Leudeſius Major-domûs unà cum theſauris regis per fugam dilapſus evaſit, atque Abacivo * villâ evadens aufugit, ibique adveniente Ebroïno, theſauros, quos ibi reperit, adprehendit. Inde egreſſus Criſcecum villam veniens, in Pontio Leudeſio ſubdolè fidem promittit, ſimulans fefellit, facto placito, ut conjuratione facta cum pace diſcederet. Sed Ebruïnus fallaciter agens, ut ſolebat, compatri ſuo inſidias præparans, ipſum Leudeſium occidit. *Ita hactenus ille, & quidem, ut apparet, ſat rectè, ſi pauca, quæ aliis diſcutienda relinquo, excipias; ſed mox perperam ſubjungit Theodoricum tunc ab Ebroïno in regnum fuiſſe reſtitutum; qua in re à vero haud dubiè aberrat. Pugnat enim cum Urſino & anonymo noſtro, quorum hic num. 25 Theodorici in regnum reſtitutionem ante*

F

* *al.* Iſaram

* *al. melius* à Bacivo

Ebroï-

A *Ebroïni in Neuſtriam irruptionem, ille verò num.* 10 *ante ejuſdem è monaſterio Luxovienſi egreſſum factam inſinuat, ut juxta utrumque hunc ſcriptorem Theodoricus ab Ebroïno in regnum reſtitutus omnino non fuerit. Nemo autem eſt, qui non Urſini & anonymi noſtri aſſertis potiùs ſtandum putet, quàm continuatoris Fredegarii, qui in Scriptoribus Rerum Francicarum apud Bouquetum tom.* 2 *miſerandus vocatur fabularum conſarcinator, quas hauſerit ex anonymo de Geſtis regum Francorum. Hauſiſſe tamen aſſertum, quo de agimus, ex anonymo illo non potuit. Is enim non tradit, Theodoricum ab Ebroïno in regnum apud Criſciacum fuiſſe reſtitutum, ſed tantùm receptum unà cum Majoratu-domûs regiæ ſeu præfectura palatii, cùm Leudeſium majoremdomûs jam interfeciſſet.* Poſt hæc, *inquit*, Criſciago veniens (*Ebroïnus*) regem recepit, Leudeſium autem data fide ſub dolo ad ſe venire mandavit. Quo facto, Leudeſium interfecit, & ipſe principatum ſagaciter recepit. *Quæ ſanè verba non indicant, Theodoricum ab Ebroïno in regnum fuiſſe reſtitutum; & ſic tamen exacta veritati nondum fortè ſatis congruunt.*

B *poſtque hanc, ut apparet,* 170 *Innuunt enim, Ebroïnum in memorata jam expeditione apud Criſciacum Theodoricum cepiſſe, principatumque ſeu præfecturam palatii non diu poſt necem Leudeſio, majori-domûs, ibidem illatam recuperâſſe, quæ cum anonymo noſtro, cui potior fides debetur, non ſatis concordant. Hic enim Theodoricum ab Ebroïno ibi captum ſuiſſe, non ſcribit; illam verò per Ebroïnum principatûs ſeu præfecturæ palatii recuperationem nonnulla alia præceſſiſſe inſinuat. Atque in primis quidem, ſpectato illo, videtur Ebroïnus, antequam majoratui-domûs regiæ reſtitueretur, in memorata expeditione Theodoricum capere non potuiſſe, ſicque in ſpe dignitatis illius priſtinæ à rege capto tunc recuperandæ fuiſſe deceptus. At cùm nihilominus major-domûs regiæ iterum fieri quacumque tandem ratione expeteret, videtur ulteriùs vires ſuas omni modo contra Theodoricum augere ſtuduiſſe, eaque de cauſa in Auſtraſiam rediiſſe è Neuſtria, in qua res ipſi prorſus ex voto non ceſſerat. Colligi hæc poſſe apparet, non quidem ex nudis anonymi noſtri verbis, ſed ex ordine, quem in rebus narrandis ſervat. Ubi enim expeditionem, de qua duobus numeris præcedentibus actum eſt, ejuſdemque præcipuam cauſam breviter expoſuit, mox narrat Ebroïnum, ejuſque aſſeclas Clotharío III filium, quem Chlodoveum nominârunt, ſuppoſuiſſe, regemque in partibus Auſtraſiæ hunc contra Theodoricum conſtituiſſe.*

C *Clotharío III filium ſubſtituit,* 171 *En verba:* Et quia, ſuadente diabolo, qui eos (*Ebroïnum ejuſque aſſeclas*) fide nudaverat, dum veritatis conſilium jam cæcati non invenerunt, per quod deſtruerent Dei Sanctum (*Leodegarium*) declinant ad majorem interitum per falſitatis commentum, per quod in regno intulerunt magnum malum & ſtragem depopulationis in perſecutione multorum. Denique acceperunt quemdam puerulum, & Clotharii fuiſſe confinxerunt filium, hunc in partibus Auſtri ſecum levantes in regnum. *Ad horum veritatem requiritur, Ebroïnum, dum fecit, quæ feciſſe eum perhibent, in Auſtraſia fuiſſe, adeoque in regnum illud è Neuſtria, ſi, quemadmodum narrationis ordo exigit, in hanc antè irruperat, tum fuiſſe reverſum, ut numeroſiores copias, prout veriſimile eſt, contra Theodoricum, quem in priori expeditione ſua capere non potuerat, compararet, iiſque hunc compelleret ad majoratum-domûs ſibi reſtituendum. Sunt & alia quædam, quæ idem anonymus noſter non tantùm inſinuat, ſed & apertè prodit, Ebroïni in majoratum-domûs regiæ reſtitutionem præceſſiſſe. Hæc inter præter ſuppoſitum Clotharío III filium, de quo jam memini, præcipuè numeratur promulgatio ab Ebroïnianis longè latéque facta, quâ Theodoricum jam vitâ functum eſſe falsò prædicabant. Accedunt edicta atque decreta nomine pſeudo-regis ſui Chlodovei per eoſdem Ebroïnianos judicibus ſive urbium provinciarumque præfectis data, quibus qui parêre nollet, aut fugâ ſibi conſulere & amiſſo officio latere cogebatur, aut perſequentium manus & gladios non evadebat.*

AUCTORE C. B.

pluresque turbas ciet. 172 *Ipſe anonymus noſter audiatur, qui quidem num.* 26 *ſic ſcribit:* Qua de re (*nempe pſeudo-regis creatione, quem Clotharii III filium eſſe dicebant*) multum collegerunt (*Ebroïniani*) hoſtiliter populum, eo quòd veriſimile videbatur eſſe *illum eſſe genuinum Clotharii III filium.* Cunctorum etenim cùm depopulando patriam ſubjugarent, etiam in nomine ſui regis, quem falsò fecerunt, præcepta judicibus dabant. Tunc qui eis volens noluit adquieſcere, aut jura poteſtatis amiſit, aut ſi non fugâ latitando diſceſſit, gladii interfectione deperiit. *Num. autem* 32 *opportunè ad rem præſentem hæc habet:* Omnes (*Ebroïniani*) cum ſacramento Theodoricum aſſerebant eſſe defunctum. *Plures hiſce commentis artificiiſque decepti ad Ebroïnianos acceſſerunt, credentes Theodoricum mortuum, ac Clotharío natum eſſe Chlodoveum, cui propterea jus ad patris regna competeret.* Quanti enim (*inquit num.* 26 *noſter anonymus*) per hoc calliditatis figmentum, Theodoricum tunc defunctum & Hlodoveum Hlotharii filium eſſe crediderunt? *Plures etiam, qui decipi non potuêre, vi miniſque compulſi ſunt in pſeudo-regis Chlodovei verba jurare, donec tandem, hoc relicto, Ebroïnus apud Theodoricum majoratum-domûs in Neuſtria & Burgundia recuperavit. Sed cùm ante hanc recuperationem nonnulla etiam acta ſint, quæ ad Sanctum noſtrum propiùs pertinent, rerum geſtarum ordo exigit, ut priùs de his, quàm de illa nunc agamus.*

E

§ XII. Leodegarius Auguſtoduni obſidetur, comprehenditur, oculis orbatur, multaque alia juſſu Ebroïni patitur.

F

Ebroïnus de perdendo Leodegario EBroïnus *ſequacium ſuorum multitudine iis artibus, quas § præcedenti aperuimus, magnopere jam aucta, non tantùm ad majoratus-domûs regiæ recuperationem armis denuo tentandam, ſed & ad comprehendendum vexandumque* Leodegarium *animum adjecit. Hic Auguſtoduni favore Theodorici, regno jam reſtituti, in ſede ſua epiſcopali ſecurus reſidebat, componendiſque epiſcopatus ſui rebus operam dabat, nihil ab Ebroïnianis metuens. At nonnulli inter hos Ebroïnum continuò in* Leodegarium *concitabant. Erant veroſimiliter turbulenti illi exſules ſuprà memorati, qui, audita Childerici nece, ab exſilio fuerant reverſi.* In illis diebus, *inquit anonymus noſter num.* 27, his ita geſtis, (*iis ſcilicet, de quibus § præcedenti actum eſt*) per ſingula evolutis, poſtquam Hildericus eſt interfectus, poſtquam epi-

AUCTORE C. B.

episcopi vel patricii cum optimatibus de Neustrico vel præsentia Theoderici, in partes rediſſent Burgundiæ, & jam ipso in regno confirmato, ad propria resideren securi, interim invidi hostem, *Ebroïnum nimirum*, moverunt ex adverso, primóque agere * circa eum, quomodo cum rege Hilderico * egisse putabant. *Illorum sanè instigatorum stimulis non indigebat Ebroïnus, ut quid iniquius contra* Leodegarium *machinaretur, sponte sua, ut eventus docuit, ad atrociora quæque in sanctum Antistitem consilia plùs nimiùm proclivis.*

* *al. deest* agere
* *al.* cum quo regem Hilderi-cum

174 *Hic itaque partim nonnullorum è suis assecIis impulsu, partim motu proprio amicos familiaresque sibi non absimiles in consilium adhibet, ut ab his discat, qua potissimùm ratione Sanctum nostrum disperdat. Duo ex his hujusmodi consiliariis* Leodegarii *comprehendendi vexandique provinciam in se sponte suscipiunt, &, accepto à gaudente hinc Ebroïno exercitu, Augustodunum properè pergunt.* Tunc, *pergit noster anonymus eodem num.*, adjunctis sibi consiliariis inimicorum, *Leodegarii nempe*, nequissimis sociis, consulere cœpit (*Ebroïnus*) quemadmodum eumdem Pontificem (*Leodegarium*) destruere potuisset. Ex his enim consiliariis, duo videlicet, Deddo *, (*hunc num. 26 innuit fuisse Cabillonensem episcopum, qui ob crimina episcopatu fuerat depositus*) & Waïmirus * (*hunc num. 34 Campaniæ ducem inscribit*) ex nomine, caput effecti malitiæ, dixerunt se posse eum (*Leodegarium*) rapere de civitate (*Augustodunensi, ubi tunc degebat*) & in eum facere vindictam, ex qua malitia Hebroïni satiata esse deberet. Gavisus namque Hebroïnus de eorum (*Diddonis & Waimiri*) responso, dedit exercitum copiosum valde, qui festini perrexerunt ad civitatem, *nempe Augustodunensem.*

cum suis init consilium, contraque illum mittit

B

* *al.* Diddo
* *al.* Waimerus

175 *Præcedenti § non obscurè innui ob ordinem, quo res ab anonymo nostro narrantur, improvisam Ebroïni irruptionem, de qua ibidem egi, priùs accidisse, quàm hic Clotario III filium, Chlodoveum ab Ebroïnianis dictum, substituere t. At nunc erit fortasse non nemo, qui contendat ordinem, quo res ab anonymo nostro narrantur, conformem non esse ordini, quo gestæ sunt, illamque Ebroïni irruptionem ne quidem accidisse ante Diddonis & Waimiri contra* Leodegarium *expeditionem hîc jam memorari cœptam, quæ tamen pseudo-Chlodovei substitutione certò est posterior. Indicantur enim hîc (vide verba duobus numeris præcedentibus recitata) episcopi Burgundiæ aliique optimates, confirmato jam in regno Theoderico, domi suæ resedisse securi, quando Ebroïnus cum suis de perdendo* Leodegario *deliberavit, brevîque pòst contra hunc expeditionem, de qua hîc, Diddo & Waimirus susceperunt; quomodo autem tunc Burgundiæ optimates domi suæ residere potuerunt securi, si jam antè Ebroïnus irruptionem sæpe memoratam fecerat? Respondeo: in solam Neustriam ex improviso Ebroïnus irruperat: liquet id ex locis, quæ Continuator Fredegarii num. 169 laudatus Ebroïnum tunc invasisse scribit, quæque, nullo excepto, ætate Sancti nostri pertinebant ad regnum Neustriæ, utpote tunc comprehensum intra Mosam & Ligerim, intra quos duos amnes, prout Valesium in Notitia Galliarum aliosve nonnullos geographos consulens facilè deprehendet, omnia etiam illa loca sita erant, ut perspicuum sit Ebroïnum in solam Neustriam tunc irrupisse. Quod cùm ita sit, quid nî Burgundiæ optimates domi suæ securè ac quietè degere potuerint, etsi interim res in Neustriæ partibus à Burgundia nonnihil remotis perturbatæ fuissent hostili Ebroïni in has irruptione ex improviso factâ, præsertim cùm hæc diu durâsse non videatur?*

exercitum, cùm jam quidem ipse in Neustriam

C

D

176 *Itaque ex securitate optimatum Burgundiæ, cùm jam Diddonis & Waimiri in* Leodegarium *expeditio instaret, probari non potest, aut hanc sæpissimè jam memorata Ebroïni in Neustriam irruptione non esse posteriorem, aut ordinem, quo res ab anonymo nostro narrantur, conformem non esse ordini, quo gestæ sunt. Quapropter quemadmodum § præcedenti ob ordinem, quo res ab anonymo nostro narrantur, Ebroïnum innui in Neustriam priùs irrupisse, quàm Clotharium III filium supponeret, ita hîc eamdem ob causam Ebroïni in Neustriam irruptionem Diddonis & Waimiri in* Leodegarium *expeditione statuo anteriorem. At, sciscitabitur quis fortè: quanto hanc illa tempore præcessit? Ebroïnus, ut num. 168 docuimus, verosimiliter initio anni 674 in Neustriam irrupit, è qua, cùm regem Theodoricum capere non potuisset, non diu admodum pòst, ut apparet, mense forsan Martio vel Februario ejusdem anni in Austrasiam reversus est, ibique ante Diddonis & Waimiri expeditionem Clotharium III filium supposuit, Theodoricum jam vitâ functum esse, confinxit, hisque commentis plurimos in partes suas attraxit, ac ingentem exercitum conscripsit. Ad hæc pseudo-regis à se constituti nomine edicta dedit ad præfectos provinciarum urbiumque regni, (Neustriæ scilicet, ut ex num. 25 & 26 anonymi nostri colligendum videtur) eosque, qui edictis illis obtemperare nolebant, miserè afflixit. Quare, cùm ad ea omnia gerenda quatuor circitèr aut quinque mensium spatium opus fuisse videatur, verisimile mihi est, quinque circitèr aut sex menses inter Ebroïni in Neustriam irruptionem fieri primùm cœptam, & Diddonis ac Waimiri contra* Leodegarium *in Burgundia expeditionem interceSSisse, ut propterea hæc sub æstatem anni 674 contigisse videatur.*

irrupisset, nondum tamen,

E

177 *Ursinus nihilominus num. 12 hæc scribit:* Major-domûs effectus (*Ebroïnus*) cogitare cœpit de ultione inimicorum, qui eum noluerunt habere subregulum. Qui ut leo rugiens inter feras ceteras, resonuit rugitus ejus per Francorum terras. Omnes verò, qui adversus eum olim cogitaverant mala, tremefacti, qui remanserant ex ejus cœde *, perrexerunt * fugam, *quibus ubi addidit, quod tunc* vir Dei Leodegarius... ad suam plebem * resideret urbe sua Ædua, *mox narrat iis ipsis ferè verbis, quæ num. 173 & 174 ex anonymo nostro jam recitavimus, Ebroïnum memorem malorum omnium, quæ in eum cum rege Childerico* Leodegarium *egisse putabat, consilium de sancto Antistite perdendo cum suis iniviSSe, inque hunc, subministrato ab illo exercitu, Diddonem & Waimirum, qui ad Sanctum nostrum comprehendendum vexandumque se sponte obtulerant, expeditionem suscepisse, ut apertè significet hanc non accidisse, nisi cùm Ebroïnus jam major-domûs esset effectus. Quare si, ut fortè verum est, Ebroïnus ante annum 675 majoratum-domûs non recuperavit, consequens erit, ut Diddonis & Waimiri expeditio anno 674 perperam à nobis affigatur. Verùm anonymus noster Ebroïni in majoratum-domûs restitutionem non narrat nisi post Diddonis & Waimiri expeditionem seu civitatis Augustodunensis obsidionem,* Leodegarii *in ea comprehensionem hujusque adjuncta. Ad hæc num. 32 refert Diddonem, dum Augustodunum obsideret, à* Leodegario *exegisse, ut in pseudo-regis*

quidquid scribat Ursinus,

F

* *i. e. verosimiliter, qui manus ejus effugere potuerunt,*
* *al. addit.* in
* *al. addit.* restauran-dam

Clo-

A *Chlodovei verba juraret; innuit autem num.* 37, *Ebroïnum, cum præfecturam palatii recuperavit, à pseudo-rege Chlodoveo, quem constituerat, defecisse, ut Diddo in obsidione Augustodunensi prædictum juramentum à* Leodegario *indubiè non exegisset, si jam Ebroïnus in præfecturam palatii restitutus fuisset.*

majoratum-domûs recuperâsset.

178 *Itaque Ebroïnum in majoratum-domûs restitutum non fuisse, nisi post Diddonis & Waimiri expeditionem seu Augustoduni obsidionem, anonymus noster apertè docet, idque non solùm narrationis ordine, sed etiam adjunctis, quæ refert. Quapropter cùm Augustoduni obsidio, ut consideranti patebit, majoratûs-domûs per Ebroïnum recuperationem reipsa indubiè præcesserit, si verum est adjunctum juramenti in verba Chlodovei per Diddonem in obsidione illa à* Leodegario *exacti; illa autem juramenti exactio spectet ad res Sancti nostri Augustodunenses, sive ad illas, quas Augustoduni aut gessit aut passus est, ob rationem, quam jam plùs semel protuli, anonymo nostro hìc assentior, proque indubio habeo, Ebroïnum majoris-domûs dignitatem apud Theodoricum non recuperâsse, nisi post absolutam Diddonis & Waimiri in* Leodegarium *expeditionem,*

B *licèt interim contrarium scribat Ursinus, qui etiam in adjunctis, quæ Augustoduni obsidionem comitata sunt, ab anonymo nostro non parùm discrepat. Sed de his infrà redibit sermo. Rerum gestarum series exigit, ut nunc ea expediam, quæ Sanctus noster, audito inimicorum suorum consilio, Augustoduni peregerit. Silentio hæc involvit Ursinus, statimque, narrata Diddonis & Waimiri Augustodunum versus properatione, hæc subdit:* Et circumdantes (*Diddo & Waimirus*) eam (*civitatem Augustodunensem*) cum eodem exercitu, *quem nempe acceperant ab Ebroïno*, devastabant circa murorum circuitum.

Leodegarius, audito inimicorum suorum consilio,

179 *Ast anonymus noster scribit*, S. Leodegarium, *cognito Ebroïnianorum proposito, plura dixisse ac gessisse, quibus invicta ejus animi fortitudo, generosus rerum terrenarum contemptus, eximia in pauperes charitas, rerum sacrarum veneratio aliæque virtutes plurimæ mirificè eluxerunt.* Vir autem, *inquit*, Domini Leodegarius cùm ad suam plebem restaurandam resideret in urbe sua, (*Augustodunensi scilicet*) ubi destinatum contra se hostium sensit impulsum, non est passus, ut ultrà fugaciter tenderet gressum, sed

C intrepidus de se Domini expectabat judicium. *Instabant interim apud Sanctum nostrum familiares clericique nonnulli, ut suos secum thesauros opesque quamprimùm asportaret, maturâque fugâ sibi pariter ac civitati consuleret. At timidum improbavit Vir sanctissimus juxta ac fortissimus consilium, maluitque, quàm id sequi, thesauros suos in pios usus impendere.* Cùm enim (*prosequitur anonymus noster*) ei (*Leodegario*) tam familiares quàm clerici vel fideles imminerent, ut thesauros, quos sibi ipse contulerat, auferret & abscederet, quatenus hostes, hoc audito, à perditione civitatis vel illius persecutione desisterent, ille his nullatenus adquiescens, sed eos

* *al.* thesauros continuò in thesaurario * convocans, omnia, quæ ibi addiderat, assignans, talia prosequens verba: Hæc omnia, quæ cernitis, fratres, quamdiu terrenorum hominum gratiam me voluit gratia Dei habere, ad communem ornatum, prout potui, hìc * fideliter contuli. Nunc verò forsitan irati sunt ideò mihi homines terreni, quia Dominus nos vocare dignatur ad gratiam cæli.

AUCTORE C. B. Utquid enim hæc hinc auferam, quæ mecum in cælo non tollo *? Ergo si vobis placet, ego eligo consilium, hæc potiùs dari * in usus pauperum, quàm cum turpi farcina huc illucque oberrare per seculum.

* *al.* tollam

* *al.* dare

thesauros suos egenis, & ecclesiis distribuit, pluraque

180 *Dixerat hæc Sanctus noster; nec mora, jussit lances argenteas atque alia vasa quàm plurima è gazophylacio proferri, eaque à fabris argentariis arcessitis minutatim confracta in pauperes ac monasteria utriusque sexus, tam in agro Augustodunensi quàm intra civitatem posita, distribui, iis interim, quæ ecclesiasticis usibus apta erant, ecclesiæ etiam donatis. Anonymus noster num.* 29 *rem fusè sic exponit:* Statimque, *inquit*, jussit (*Leodegarius*) custodi discos argenteos cum reliquis vasis quamplurimis foras ejicere, & argentarios cum malleis adesse, qui minutatim cuncta confringerent, quod * per fidelium dispensationem jussit pauperibus erogari: quæ autem ex his fuerant ecclesiasticis usibus apta, ecclesiæ addidit ministerio. Monasteria sanè tam virorum quàm virginum infra urbem vel territorium de eodem argento consolatus est & paupertatem multorum. Quæ fuit tunc vidua, vel orphanitas *, vel omnis in commune paupertas, quæ ibi affuit, quæ de ejus largitate consolationem non habuisset? *Subdit his egregia quædam monita, quæ huc non transcribo, Augustodunensibus à sancto nostro Antistite data, ac deinde narrat, hunc in illorum comitatu, indicto triduano jejunio, muros urbis cum signo Crucis Sanctorumque reliquiis circumivisse, humique identidem prostratum cum lacrymis à Domino postulâsse, ut, si jam ipse ad gravia quæque, mortemque ipsam fortè ab inimicis sufferendam destinatus esset, saltem neminem è grege sibi commisso in servitutem abduci permitteret.*

* *al.* quæ

* *al.* orphana

E

exercet laudatissima opera;

181 *Anonymus noster hac de re num.* 30 *sic habet:* Commonens * igitur (*Leodegarius*) universum urbis illius (*Augustodunensis*) populum, cum triduano jejunio, cum signo Crucis & reliquiis Sanctorum murorum circumiens ambitum, per singulos etiam aditus portarum terræ adhærens, Dominum precabatur cum lacrymis, ut, si illum vocabat ad passionem, plebem sibi creditam non permitteret captivari: & ita præstitum est eveniisse. *Laudatissima sanè erant hæc* Leodegarii *opera, sanctoque Præsule planè digna. At, cùm ab inimicis se verosimiliter occisum iri putaret, aliud insuper agendum duxit, quo sese eò meliùs certiúsque ad mortem piè sanctéque obeundam præpararet. Cùm itaque metu advenientis hostilis exercitus numerosi accolæ Augustodunum undique se recepissent, portasque urbis clausissent, mandat Sanctus noster, ut omnes in ecclesiam conveniant, petitque à convenientibus, ut, si quos illorum vel acriùs increpuisset vel verbo fortè læsisset, veniam illi remissionemque suo Episcopo concederent.* Itaque (*pergit num.* 30 *noster anonymus*) cùm ob metum hostium certatim populi undique se recepissent in urbem, & meatus portarum forti obturâssent seratu, & super omnia stabilissent in ordine propugnacula, jussit Vir Domini universos ingredi in ecclesiam, cunctorum sibi postulans indulgentiam, ut, si quempiam illorum, ut adsolet, dum pro zelo rectitudinis increpâsset, aut verbo læsisset, ei indulgentiam darent. Sciebat autem Vir Dei, iter passionis ingrediens, non prodesse martyrium, ubi, livore deterso, non priùs fuerit cor emundatum, vel caritatis lampade illustratum. Nullus fuit tunc ibidem tam

* *al.* commovens

ferreum

AUCTORE C. B.

ferreum poſſidens pectus, qui, etiamſi fuiſſet graviter læſus, non omnem malitiam cordis indulſiſſet devotus.

Auguſtoduno autem obſeſſo, minùs pro ſua,

182 *Atque hæc ſunt, quæ, ſcribente anonymo noſtro,* Leodegarius *proximè ante Auguſtoduni obſidionem egregiè geſſit. Sunt autem adeò notatu digna, ut, quamquam multa commentatione non indigeant, ea nihilominus huic Commentario inſerenda duxerim, mirarique ſubeat, cur ne in genere quidem ab Urſino memorentur. Progredior nunc ad memorari jam cœptam Auguſtoduni obſidionem, in cujus adjunctis, ut jam monui, anonymus noſter ab Urſino non parùm rurſus diſcrepat. Etenim hic, quaſi* Leodegarius, *nulla alicujus pretii re prævie tunc geſta, inimicis ſuis ſe ſponte ſtitiſſet, ſimul atque urbis obſidionem inceperant, mox ubi hanc ab Ebroïnianis cœptam narravit, num.* 13 *hæc ſubjungit:* Hæc enim (*inimicorum in urbis muros molimina*) Vir Dei (*Leodegarius*) proſpiciens, zelo magno accenſus pro plebe ſibi commiſſa, Domini ſecutus exemplum, animam ſuam malens ponere pro ovibus ſuis, coſque * cupiens lucrifacere, quàm ſolam ſuam temporalem quærere ſalutem, tunc

* *al.* eaſque

B omnem clerum civitatis aggregari juſſit, & cum reliquiis, crucibus & choris pſallentium obviàm abiit cum Dei laudibus ſuis inimicis, & ſponte ſe obtulit ad palmam martyrii; ſi voluntas non defuiſſet percuſſoris. *Verùm anonymus noſter, præterquam quòd non meminerit ſupplicationis cum Sanctorum reliquiis, crucibus univerſoque Auguſtodunenſi clero à* S. Leodegario *inſtitutæ, dum inimicis ſuis ſe ſponte ſiſteret, hoc inter Sancti noſtri factum & obſidionis initium ſequentia, quæ Urſinus omiſit, interceſſiſſe num.* 31, 32 *&* 33 *affirmat.*

quàm civium ſalute ſollicitus Meroaldum,

183 *Hæc ego ex anonymo partim nudè, partim in compendium redacta huc tranſcribo, dilucidatione, ubi opus eſt, adjecta. Non diu poſt ea, quæ* Leodegarium, *audito inimicorum ſuorum conſilio, egiſſe jam vidimus, Ebroïnianorum exercitus in conſpectu Auguſtoduni apparet, civitatem obſidione circumdat, ipſoque die, quo id accidit, inter oppidanos & Ebroïnianos fortiter ad veſperam uſque pugnatur, dumque nihilominus Ebroïniani die ac nocte velut canes (clamores ſcilicet tunc in bello uſitatiſſimi erant) ululantes, Auguſtoduno nihilo ſegniùs imminent, omnibuſque extra mœnia vaſtatis, oppidanos oppugnant, animadvertit Sanctus noſter obſeſſos in periculo verſari. Itaque ex muro turribuſque pugnantes inhibet, ſeque paratum declarat, qui inimicorum voluntati ſatisfaciat, eorumque furorem ſpontanea ſui deditione ſedet, ſiquidem unius ipſius causâ civitatem obſiderent; placere nihilominus ſibi, ut, antequam urbe inimicis ſe dediturus egrediatur, unus è fratribus mittatur, qui ab hoſtibus, cur civitatem obſideant, exquirat. Eligitur ad legationem illam obeundam Meroaldus. Abbas is erat, teſte noſtro anonymo; ſed cujus monaſterii, non edicit. Duæ tantùm ætate noſtra ſunt Auguſtoduni & in ejus vicinia virorum abbatiæ, quarum altera S. Symphoriani, altera S. Martini nomine inſignitur. Factum hinc veroſimillimè eſt, ut ſcriptores Galliæ Chriſtianæ auctæ tom.* 4 *col.* 449 *hæc ſcripſerint:* Non

C ſatis conſtat, cujus loci Abbo fuerit abbas, an S. Martini, an potiùs S. Symphoriani; quod etiam dicendum eſt de Meroaldo abbate, quem ſanctus Leodegarius luminibus proximè orbandus ad Didonem Ebroïni ſatellitem miſit, petiturum, ut acceptâ, quantumcumque vellet, pecuniâ, diſcederet, *quibus innuunt, eſſe ſibi dubium, utrius loci, Ebroïnianis Auguſtodunum obſidentibus, Meroaldus abbas fuerit, an S. Martini, an verò S. Symphoriani.*

D

qui non vel S. Symphoriani vel S. Martini,

184 *At mihi id valde dubium non eſt. Etenim veroſimillimum apparet, Meroaldum, quo de agimus, S. Symphoriani abbatem tunc non fuiſſe, ſed Ermenarium. Quamquam enim hic,* Leodegario *à Childerico rege Luxovium relegato, Auguſtodunenſem urbem, ut antè vidimus, ſibi habuerit commendatam, videtur tamen epiſcopus ex abbate creatus tunc nondum fuiſſe, ſed, ut poſt videbimus, tunc fortè tantummodò, cùm Ebroïnus majoratum-domûs jam recuperârat. Apparet id ex anonymo noſtro, qui Ermenarium ſola* abbatis *appellatione diſtinguit, dum narrat, eum precibus ſuis apud Childericum effeciſſe, ne* Leodegarius *Luxovio, ubi cum Ebroïno jam exſulabat, graviùs plectendus educeretur, adeò ut Ermenarius brevi illo temporis ſpatio, quo ſolummodò, uti ex antè dictis liquet, poſt exſilium* S. Leodegarii *Childericus in vivis ſuperfuit, abbas S. Symphoriani exſtitiſſe videatur, veroſimillimèque etiam tunc exſtiterit, cùm Ebroïniani Auguſtodunum obſiderent. Neque tamen hinc inferas, Meroaldum S. Martini abbatem fuiſſe. Conſequens quidem id ex mox dictis foret, ſi, quod laudati* E *Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores cenſuiſſe videntur, Meroaldus certò exſtitit abbas vel S. Symphoriani vel S. Martini. Verùm ætate Sancti noſtri aliud virorum monaſterium præter duo illa jam memorata Auguſtoduni fuiſſe videtur.*

ſed vel S. Martini vel S. Andochii abbas fuiſſe videtur,

185 *Etenim iidem Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom. citato col.* 483 *ſic ſcribunt:* Fuiſſe olim monaſterium (*S. Andochii, ut notant in margine*) virorum ſimul & xenodochium à Syagrio epiſcopo, Brunichilde fundum præbente, in ipſa urbe Auguſtoduno conditum, ſatis innuit privilegium Gregorii Magni indultum Senatori abbati, *ejuſdem ſcilicet monaſterii S. Andochii. Syagrius ſedem epiſcopalem Auguſtoduni tenuit ab anno circitèr* 560 *uſque ad annum circitèr* 600; *Brunichildis ultimis quinquaginta annis ſeculi* VI *& initio ſequentis floruit; hæc, illo auctore atque adjutore, varia monaſteria in urbe Æduenſi anno circitèr* 589 *conſtruxit. Id ex Gregorii Magni litteris docent iidem rurſus Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom. citato col.* 345, *adduntque, inter pia illa Brunichildis opera recenſeri xenodochium urbis Auguſtodunenſis ſive monaſterium S. Andochii, quod conſequenter,* F *ſeculo* VI *ſeneſcente, conditum fuit. Quamquam autem in puellarum monaſterium poſtmodò fueris converſum, factum tamen id non videtur ante ſeculum* VIII, *ut ætate Sancti noſtri, dum Ebroïniani Auguſtodunum obſiderent, à viris veroſimiliter adhuc fuerit habitatum, quibus cùm Meroaldus tunc abbas præeſſe potuerit, dubitandum videtur, non quidem, ut mox dixi, an hic S. Symphoriani, an S. Martini, ſed an S. Martini, an verò S. Andochii abbas exſtiterit. Redeo nunc ad rem cœptam.*

ad inimicos emittit, rebuſque componi non valentibus,

186 *Meroaldus abbas, veroſimillimè vel S. Andochii vel S. Martini, civitate egreſſus ad Diddonem venit, rogat, ut acceptâ pecuniâ, quantamcumque vellet, ſine cujuſquam injuria ab obſidione diſcedat, aitque,* Si hæc noſtra commiſerunt facinora (*verba ſunt anonymi noſtri*) peto, ut interim evangelicam recorderis ſententiam, ubi Dominus dixit: "Si non dimi-
„ ſeritis * hominibus peccata eorum, nec Pater
„ veſter cæleſtis * dimittet vobis peccata veſtra.„
Et illud: "In quo enim judicio judicaveritis,
„ judicabimini:„ ſimulque imprecans *, ut hoſtem

* *al.* remiſeritis
* *al. deeſt* cæleſtis
* *al.* deprecans

A ſtem compeſceret, & redemptionem, quam volebat, acciperet. *At Diddo Meroaldi precibus nil motus reſpondet, ſeſe ab urbis oppugnatione non antè receſſurum, quàm* Leodegarium *comprehendiſſet, niſi hic fortè fidem Chlodoveo regi vellet promittere. Sed, ſubdit noſter anonymus:* Hæc enim erat ſimulata occaſio, quoniam omnes (*Ebroïniani*) cum ſacramento Theodoricum aſſerebant eſſe defunctum. *Quibus verbis fortè vult innuere, Diddonem obſidionis ſolutionem ſub conditione fidei pſeudo-regi Chlodoveo à* Leodegario *promittendæ ſimulatè tantùm ſpopondiſſe, ut Ebroïnianis, qui omnes Theodoricum regem jam vitâ functum eſſe, cum juramento affirmabant, occaſionem ſive cauſam ſaltem in ſpecie juſtam obtenderet mulctandi ſancti Antiſtitis, quem proſpiciebat à fide Theodorico regi jurata non receſſurum, prout etiam reipſa non receſſit. Etenim minaci accepto Diddonis reſponſo nihil territus, palàm profeſſus, conteſtatuſque eſt, ſeſe, quoad viveret, fidem Theodorico datam ſervaturum, moriturumque potiùs, quàm infidelem futurum. At Ebroïniani, auditâ hâc* Leodegarii *in fide Theodorici conſtantiâ, ſtatim undique omni telorum*

B *genere, igne etiam viam ſibi facere, & in urbem irrumpere nituntur.* Hoſtes verò, *ait noſter anonymus*, his auditis reſponſis, *quibus ſcilicet* Leodegarius *fidem promittere pſeudo-regi Chlodoveo renuebat*, cum telorum jaculis & cum incendio feſtinanter undique inſiſtebant irrumpere murum civitatis.

Ebroïnianis ſe ſponte dedit,

187 *Deſinunt hîc, quæ anonymus noſter in obſidione Auguſtodunenſi, antequam* Leodegarius *ſeſe ad ſpontaneam ſui deditionem Ebroïnianis jamjam faciendam accingeret, eveniſſe narrat, quæque Urſinus ſilentio ſuppreſſit. At ea, quæ ſpontaneam illam deditionem comitata proximève ſubſecuta ſunt, bini iſti biographi pariter pertractant; nonnihil tamen hîc iterum invicem diſcordant. Etenim ubi anonymus num.* 32 *narravit, Ebroïnianis, audita* Leodegarii *in fide Theodorici conſtantiâ, omni telorum genere in muros Auguſtodunenſes impetum feciſſe, num.* 33 *ſic proſequitur:* Ipſe verò (*Leodegarius*) univerſis fratribus valedicens, panis & vini participatione communicans, eorumque dubia corda confirmans,

C ſuam eis, ut Chriſtus, memoriam paſſionis commendans, ad portarum aditus perrexit intrepidus, apertiſque clauſtris ſponte ſe obtulit pro inimicis *. Adverſarii verò, tamquam ovem innocuam ipſum, ut lupi, ſuſceperunt in prædam. *Urſinus verò ubi narravit* Leodegarium, *univerſo civitatis clero, quod ab anonymo noſtro non memorari jam monui, ſupplicantium ritu comitante, inimicis ſuis obviàm proceſſiſſe, mox poſt verba num.* 182 *adducta, ſilens* Leodegarium *inimicis ſuis ſe ſponte dediturum ad portas urbis intrepidè perrexiſſe, iiſque apertis, ſe dedidiſſe, hæc ſubdit:* Qui enim (*Ebroïniani*) venerant ad eum (*Leodegarium*) puniendum, abſque reverentia reliquiarum eum comprehenderunt: qui exclamans fertur dixiſſe: Gratias ago omnipotenti Deo Redemptori, qui me dignatus eſt hodie glorificare. Qui pergentes duxerunt eum extra civitatem, *quæ ultima verba inſinuant*, Leodegarium *in civitate, Auguſtodunenſi ſcilicet, fuiſſe, cùm Ebroïniani illum comprehenderent; videtur autem anonymus noſter verbis proximè ex illo recitatis ſignificare*, Leodegarium, *qui juxta num.* 31 *ejuſdem anonymi Auguſtoduno egredi ſtatuerat, ab Ebroïnianis comprehenſum non fuiſſe, niſi cùm jam urbe illa eſſet egreſſus.*

* *al.* pro civibus inimicis.

188 *Quod ſi tamen quis contendat*, Leodegarium *fortè, cùm ad portas urbis inimicis ſe dediturus perrexiſſet, ad eas ſibi apertas Ebroïnianis mox, antequam egredi poſſet, ingredientibus ſe ſponte dedidiſſe; id quidem dici non poteſt cum anonymo indubiè pugnare, ſicque hic & Urſinus in concordiam revocari poterunt, quantùm ad locum, in quo Sanctus noſter ab Ebroïnianis tunc captus eſt, ſed nondum propterea inter ſe prorſus hîc concordes erunt, cùm non omnia eadem adjuncta narrent. At, quod præcipuum eſt, ſaltem invicem concordant in narrando genere ſupplicii, quo Ebroïniani* Leodegarium *jam captum affecerunt. Ambo enim tradunt, ſancto Antiſtiti à ſævis illis hominibus oculos fuiſſe evulſos. Sed, addit Urſinus, factum id eſſe, quod ſanè mihi indubium apparet, Ebroïni mandato; nullam autem Ebroïniani mandati mentionem facit noſter anonymus; affirmat verò multorum illuſtrium virorum teſtimonio, qui præſentes aderant,* Leodegarium *ſupplicio inferendo nîl territum manus ſibi vinciri noluiſſe, dumque ei jam ferro oculi evellerentur, non modò non gemuiſſe, ſed etiam Dei laudes, pſalmoſque cecinisse, quod ab Urſino ſubticetur, ut hîc iterum biographi noſtri, quamquam in rei, quam narrant, ſumma conſentiant, in adjunctis tamen diſcrepent. Sed, quod majoris momenti eſt, nihil etiam ſuppeditant, unde dies menſiſve eruatur, quo Sanctus noſter oculis orbatus eſt. Cùm tamen ſub æſtatem anni* 674, *ut num.* 176 *jam docui, obſidio Auguſtodunenſis, quæ diu durâſſe non videtur, acciderit, etiam hanc proximè ſecuta* Leodegarii *oculorum evulſio, ſeu excæcatio (voce hac, licèt non Latina, brevitatis causâ hîc uti fas ſit) ſub æſtatem ejuſdem anni* 674 *accidit; uti autem nec menſem nec diem determinare potui, quo prædicta obſidio inchoata finitave ſit, ita etiam nec diem nec menſem certò determinare poſſim, quo Sanctus noſter luminibus fuerit orbatus.*

AUCTORE C. B.

qui eum, evulſis primùm

menſe ac die incerto oculis,

189 *Ait quidem Chiffletius in Diſſertatione de annis Dagoberti regis cap.* 16, Leodegarium *oculis exſculptis excæcatum eſſe octavo Kalendas Septembris, quia, inquit, in antiquis membranis legitur:* Excæcatio quoque glorioſiſſimi martyris Leodegarii, ac lapidatio beati Gayreni eſt VIII Kalendas Septembris. *Ad hæc* in veteri Martyrologio, *inquit Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 518, Gregoriani in Alſatia monaſterii memoratur VIII Kalendas Septembris excæcatio ſancti Leodegarii; atque ipſo die ſanctus Garinus frater ejus, qui innumera multitudine telorum confoſſus, & inteſtinis ſtipiti circumrotatis, horrendo martyrio vitam finivit. Eumdem ſignat diem aliud Martyrologium Mediani-monaſterii, in quo præcisè fit mentio Garini & Leodegarii, *adeò ut Sancti noſtri excæcatio, ſi antiquis à Chiffletio laudatis Membranis, Mabilloniique Martyrologiis ſtandum ſit,* XXV *Auguſti acciderit. Verùm Paſſio martyrum in monumentis eccleſiaſticis ſæpe annuntiatur aliis diebus, quàm quibus contigit. Et verò id locum hîc fortè obtinere, argumento eſſe poteſt, quòd eodem* XXV *Auguſti die* S. Leodegarii *excæcatio annuntietur cum* S. Gerini *fratris ejus lapidatione, quæ ne quidem eodem anno, quo illa, ſed binis annis pòſt contigit, ut ſuſpicari hinc liceat, fortè nec* Leodegarii *excæcationem, nec* Gerini *lapidationem eo die, quo accidit, laudatis à Chiffletio Membranis Mabilloniique Martyrologiis eſſe inſcriptam. Quamquàm enim* S. Leodegarii *excæcatio* XXV *Auguſti anni* 674, *biennioque pòſt eodem Auguſti die* Gerini *lapidatio potuerit accidere, parùm tamen veriſi-*

AUCTORE C. B.

mile id mihi apparet, eo quòd ſic temporis ſpatium, quod inter Sancti noſtri excæcationem & Gerini lapidationem interceſſit, duos annos integros, nullo etiam die vel deficiente vel redundante, deberet conſtituere; veroſimile autem non videatur, duos hujuſmodi annos hanc inter & illam exactè interceſſiſſe. Nequit itaque aut ex Martyrologiis à Mabillonio, aut ex Membranis à Chifletio adductis certò determinari, quo die quove menſe S. Leodegarii *excæcatio acciderit, quod jam etiam num.* 5 *quantum ad* S. Gerini *lapidationem innui, quodque ex jam hîc dictis confirmari puto.*

Waimiro in cuſtodiam tradunt;

190 *Porrò Urſinus num.* 13 *narrat, Sanctum noſtrum, cùm jam oculis eſſet orbatus, traditum fuiſſe cuſtodibus; idipſum etiam narrat anonymus num.* 34, *adeò ut hîc inter binos illos noſtros biographos apprimè conveniat, ſi excipias, quòd prior non edicat, qui qualeſve illi cuſtodes fuerint, quibus* Leodegarius *fuit traditus; id verò edicat poſterior, dum num. proximè citato ſic ſcribit:* Cùm hoſtes lætarentur, diviſerunt ſpolia, &, ſupraſcripto Waimiro, *quem paulò antè* ducem Campaniæ *nominat, adeóque & copiis, quibus is præerat,* Dei Hominem (*Leodegarium*) tradiderunt in cuſtodiam. *Ad hæc ſcribit Urſinus,* Leodegarium *in quoddam monaſterium fuiſſe ab Ebroïnianis abductum; id ipſum etiam ſatis innuere videtur anonymus, dum num.* 39 *refert, Sanctum noſtrum juſſu Theodorici regis & Ebroïni, in majoratum-domûs regiæ jam reſtituti, arceſſitum fuiſſe* ex monaſterio, in quo tenebatur abſconditus. *Quare hîc iterum inter biographos noſtros nulla diſcrepantia ſeu potiùs diſſenſio occurrit. Aliud dicendum eſt quantum ad nonnulla, quæ accidêre, priuſquam eveniret, ſanctum* Leodegarium *in monaſterium quoddam abduci. Etenim Urſinus ſilentio præterit plurima ab anonymo noſtro accuratiſſimè notata, quæ eventum illum præceſſerunt, quæque vel ad* Leodegarium *propriè pertinent, vel cum rebus ad hunc pertinentibus ſunt connexa, qualia ſunt ea, quæ Auguſtodunenſes ab Ebroïnianis tunc paſſi ſunt. Hæc æquè ac illa viſum eſt huic Commentario inſerere. A rebus, quæ Auguſtodunenſes ſpectant, duco initium.*

B

hic Sanctum ſecum abduxit in Campaniam, C

191 *Ebroïnianis cum* Leodegario *Auguſtodunо etiam potitis, Diddo & Waimirus civitatem illam in dominium ſeu potiùs in prædam tradunt Boboni, qui ſede epiſcopali Valentina fuerat dejectus; hîc à civibus vi coactis in* Leodegarii *locum utcumque ſuſceptus, mox urbis à militum direptione redimendæ obtentu è ſacro eccleſiæ thoſauro argentum, quod ad quinque ſolidorum millia aſcendebat, jubet educi, idque unà cum pecunia, quam à civibus extorquere potuerat, Ebroïnianis tradit, qui ſpolia illa læti inter ſe dividunt; quamquam autem hinc multum de eccleſiæ opibus, deque oppidanorum fortunis deceſſerit, evenit nihilominus, ut nullus è civitate in captivitatem fuerit abductus, quod Sanctus noſter à Domino, uti ex anonymo num.* 180 *docuimus; enixè poſtulârat, antequam Ebroïnianis ſe dederet. Innuit hæc omnia, quamquam nonnihil obſcuriùs, noſter anonymus num.* 34, *ubi etiam addit, tranſactis iis, quæ jam expoſui, Waimirum, in cujus cuſtodiam* Leodegarius *traditus fuit, cum copiis ſibi ſubditis reverſum eſſe in patriam, id eſt, cùm tunc ille Campaniæ dux fuerit, veroſimillimè in Campaniam, quò etiam, ut ex dicendis facile erit colligere,* Leodegarium *cuſtodiæ ſuæ commiſſum ſecum abduxerit, adeò ut Mabillonius lib.* 16 *Annalium Benedictinorum pag.* 518 & 531 *non ineptè in eadem provincia collocare videatur monaſterium, in quo Sanctus noſter à Waimiro fuit incluſus, poſtquam juſſu Ebroïni paſſus eſſet ea, quæ nunc ſubjicio, ſicque ad res, quæ ad* Leodegarium *propiùs pertinent, revertor.* D

in ſylvam detrudit, in domum ſuam pòſt recipit, tandemque

192 *Ebroïnus, audita* Leodegarii *comprehenſione,* in ſilvarum ſecreta, *ait noſter anonymus num.* 35, eum jubet retrudi, & de ejus morte, quaſi necatum * in aquis, fabulam mendacem confingere *, etiam tumulum ſepulturæ ejus conſtituere * juſſit, donec ipſum longæ famis inediâ conſumeret. *Quæ ego verba, ut num.* 22 *jam monui, ſic veroſimillimè accipienda eſſe puto, ut ſignificent, Ebroïnum in ſylvarum abdita* Leodegarium, *donec eum famis inedia conſumeret, juſſiſſe retrudi, deque ejus morte quaſi necati in aquis fabulam mendacem confingi, & tumulum, in quo ſepultus eſſe prædicaretur, conſtitui. Voluit ſcilicet ſæviſſimus juxtà ac vaferrimus homo hujuſmodi figmentis ſævitiem ſuam populo occultare, & nihilominus ſanctum Antiſtitem ſæviſſimo mortis genere, fame nimirum, enecare. Verùm hîc Famulo ſuo ſpeciali quodam modo adfuiſſe Dominus videtur. Etenim, teſtante noſtro anonymo num.* 36, *cùm ſanctus Dei Martyr longam jam famem pertuliſſet, nec tamen defeciſſet,* reminiſcens Waimirus, humanam in eo naturam non aliter poſſe ita durare, niſi eum Chriſti gratia ſuſtentaret, in domum ſuam eum jubet perduci. *Ibi ſanctus Antiſtes familiaribus colloquiis admonitionibuſque brevi Waimirum ita mutavit, emollivitque, ut hic argentum eccleſiæ, quod paulò antè pro Auguſtodunenſis civitatis redemptione acceperat, illi pro arbitrio adhibendum tradiderit. Id autem* Leodegarius *Auguſtodunum egenis diſtribuendum remiſit per Bettonem abbatem, qui etiam Sancti voluntatem fideliter implevit. Hæc omnia anonymus noſter num.* 36 *ſat apertè docet, ut nulla hîc dilucidatione indigeat; nihil tamen ſuggerit, unde innoteſcat, cujus monaſterii Betto abbas fuerit; idque aliunde comperire non potui, ut res planè in obſcuro ſit.*

* *al.* necati
* *al.* confingi
* *al.* conſtitui

E

monaſterio includit anno 674, *menſe forſan Septembri.*

193 *Ceterùm his jam narratis Sancti noſtri in monaſterio quodam incluſio, cujus num.* 190 & 191 *memini, proximè ſucceſſit. At, inquies, quanto quidem tempore hæc contigit poſt obſidionem Auguſtodunenſem, quam ſuprà ad æſtatem anni* 674 *retulimus? Reſpondeo: neque ex anonymo noſtro, neque aliunde quidquam ſuccurrit, unde fas ſit colligere, quanto temporis ſpatio* Leodegarius *poſt prædictam obſidionem degerit ſive in domo Waimiri ſive in ſylva, in quam juſſu Ebroïni fuerat detruſus, ac proin incertum eſt, non tantùm, quo die, ſed etiam quo menſe in monaſterio fuerit incluſus; dubitandum tamen non videtur, quin id anno* 674 *acciderit, cùm veroſimiliter Waimirus* Leodegarium *nec in ſylva ultra unam alteramve hebdomadam reliquerit, nec ultra unum alterumve menſem, ne fortè Ebroïnum offenderet, domi ſuæ jam emollitus benignè habuerit, adeò ut forſan memorata incluſio ad Septembrem anni* 674 *non ineptè valeat referri. Fuit interim ſecundùm Urſinum Ebroïni in majoratum-domûs reſtitutione poſterior; hanc enim ille Auguſtoduni obſidione anteriorem facit, qua in re ipſi quidem adſtipulandum non eſſe num.* 178 *docuimus; at ratio, quæ ad id faciendum ibidem nos impulit, efficere hîc non poteſt, ut Ebroïni in majoratum-domûs reſtitutio Sancti noſtri in monaſterio incluſione certò etiam negetur anterior. Licèt enim Ebroïnus etiam tunc, cùm Diddo & Waimirus Auguſtodunum obſiderent,* Chlo-

F

A *Chlodoveo pſeudo-regi à ſe conſtituto adhæſerit, potuit paulò pòſt ab eo deficere, ac cum Theodorico in gratiam rediens majoratui-domûs priùs etiam reſtitui, quàm* Leodegarius *monaſterio includeretur. Puto nihilominus, Ebroïni in majoratum-domûs reſtitutionem præproperè ab Urſino narrari, non tantùm ratione obſidionis Auguſtodunenſis, ſed etiam ratione incluſionis* Leodegarii *in monaſterio, idque ferè pro indubio habeo, ſi Ebroïnus ſeriùs, quàm anno 674, majoratum-domûs recuperavit, cùm ex jam dictis ultra hunc annum Sancti noſtri in monaſterio incluſio differri non poſſe videatur.*

§ XIII. Ebroïnus in majoratum-domûs reſtitutus S. Gerinum occidi curat, & Leodegarium dirè mutilatum Waningo tradit in cuſtodiam, à quo Sanctus deinde Fiſcamnum ducitur.

B

Ebroïnus in majoratum-domûs reſtitutus, inque

EBroïnus quorumdam factione Theodorico regi reconciliatus, inque palatii præfecturam, aliis invitis, aliis conſentientibus, reſtitutus paſſim in omnes ſævire incepit, ac primò quidem promulgato mox edicto ſanxit, ut nemini ratione eorum, quæ, flagrante bello, contra jus faſque paſſus eſſet, actio in jure competeret. Erat ſanè hujuſmodi edictum multis litibus, quæ alioquin fuiſſent oborituræ, inpediendis accommodatum, ſed non alio fine ab Ebroïno erat editum, quàm ne ipſemet reſtituere compelleretur, quæ per miniſtros ſuos multis iniquè abſtulerat. *Aſſerit id anonymus noſter num.* 37, *ubi etiam & duobus numeris ſequentibus Ebroïni ſævitiem egregiè depingit. Hanc Valeſius lib.* 22 *Rerum Francicarum pag.* 306 *&* 307 *partim anonymum noſtrum interpretans, partim ex Urſino & aliunde quædam illuc facientia colligens, dilucidiùs in hunc modum exponit:* Memor idem (*Ebroïnus*) nihilominùs acceptæ contumeliæ optimates Francos, qui ipſum ſubregulum habere noluerant, tonſumque in monaſterium relegaverant, vehementer perſequi cœpit, nec minore livore ac malignitate, quàm ſuperbia & crudelitate in omnes, qui adverſus ipſum fuerant, ſæviit. Si quid cuiquam eorum objici, ſi quis in aliqua culpa deprehendi potuit, mox aut gladio interfectus, aut fortunis ſpoliatus & ad gentes exteras confugere coactus eſt. Sic autem ſe gerebat, ut jure agere, non vindicandarum injuriarum ſuarum occaſiones quærere & oblatas arripere, & ut fontes punire, non inimicos ſuos perdere videretur.

C

Francos pſſimæ ſæviens

195 Plerúmque nobiles Francos ſibi inviſos nomine ac vi regia aggrediebatur, damnatorumque bona fiſco inferebat, quæ mox in prædam ſuam verteret. Reus majeſtatis erat, qui ipſum graſſantem ferre non potuerat: cumque genere, opibus & honoribus claros partim interemiſſet, partim fugere compuliſſet, eorum in locum viles & egentes, aut animi mollitie aut hebeti ingenio deſpiciendos ſubſtituebat, qui crudelibus ac impiis ipſius imperiis refragari non auderent. Quorum propinquos oppreſſerat, ab his ne viciſſim opprimeretur, timebat, & tamquam ſuſpectos malevoloſque vexabat, ne quandoque haberet æmulos dignitatis. Nobilium quoque feminarum monaſteria tum diruta eſſe dicuntur, & primariæ monachæ, ætate ac pietate venerabiles, quibus vel barbari captis peperciſſent, ab Ebroïno varias cuique ob cauſas infeſto crudeliter in exſilium actæ. Multi Francorum proceres, qui aliquo facto Ebroïnum offenderant, cùm ex aliorum exitu intelligerent, quantum cervicibus ſuis impenderet periculum, vix fugâ manus ejus evaſêre & pars Ligerim tranſgreſſi ad Aquitanos, tum excuſſo Francici imperii jugo rebelles; pars in Auſtriam perfugêre. Plurimi exſilio multati, nec umquam poſtea domum reverſi; plurimi carceribus incluſi & bonis ſuis ſpoliati ſunt. *Ita Ebroïnus in omnes, quos ſibi adverſatos fuiſſe putabat, vel à quibus utcumque habebat timendum, ſine ullo diſcrimine graſſabatur; ſemper tamen ſub alicujus ſeu veri ſeu falſi criminis puniendi obtentu. Optimates enim, quos oderat, regis nomine palàm perſequi ſine cauſa ſaltem in ſpeciem juſta non audebat, inquit anonymus num.* 39.

AUCTORE C. B.

Leodegarium & Gerinum ad aulam arceſſit

E

196 *Porrò cùm Ebroïnus, jam multis popularium ſuorum in exſilium actis, multis interfectis, ſæviendi finem faciendum nondum duceret, ſimulat, ſe mortem Childerici velle ulciſci. Æquiſſimum ſanè erat crudeliſſimo mortis genere eos omnes puniri, qui impias manus ſuas in Childericum regem extenderant, quique eum unà cum Bilihilde regina prægnante nefariè occiderant. Verùm aliò collineabat Ebroïnus; volebat ſcilicet ſub prætextu necem Childerico illatam ulciſcendi necis illius reos agere nonnullos ſibi inviſos, qui adhuc ſupererant, quibuſque aliud crimen cum aliqua veri ſpecie imputare difficilius videbatur. Hos inter erant* Leodegarius & Gerinus; *ille, ut ſuprà vidimus, à Childerico in exſilium pulſus fuerat, ideoque Ebroïnus veroſimiliter putârit, facilè futurum, ut necis Childerico illatæ conſcius fuiſſe crederetur; hic illius frater erat, ideoque Ebroïnus putârit, facilè futurum, ut cum aliis in Childerici necem ob injuriam fratri ſuo* Leodegario *ab eo illatam conſpirâſſe crederetur. Hac itaque ratione homo vaferrimus nomini ſuo, etſi in* Leodegarium & Gerinum *injuſtè ſæviret, ſatis conſultum iri arbitratus, nobiliſſimum illud par Fratrum Theodorici regis juſſu ſuoque ad aulam arceſſit.* Leodegarius *adhuc morabatur in monaſterio, cui à duobus circitèr annis fuerat incluſus.* Gerinus *iis in partibus verſabatur, ad quas metu Ebroïni procul ab aula, vel ſponte ſua cum multis aliis Francorum proceribus ſeceſſerat, vel ad quas ab Ebroïno fuerat relegatus. Ambo illi accepto mandato obſecuti ſunt. Innuunt hæc omnia partim anonymus noſter num.* 38 *&* 39, *partim Urſinus num.* 14. *Quæ autem ſubſecuta ſunt, dum* Leodegarius *cum* Gerino *in conſpectu Theodorici comparuit, ii ipſi ſcriptores, Urſinus nempe num.* 14, 15, 16 *&* 17, *anonymus verò num.* 39, 40 *&* 41 *fusè exponunt, idque* (*rationem vide num.* 26) *iiſdem penè verbis.*

F

anno 676; hunc necari jubet; illum dirè mutilatum Waningo

197 *Mabillonius prolixiorem horum relationem tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 531 *compendio in hunc modum complexus eſt:* Cùm (*Leodegarius & Gerinus*) in conſpectum principis (*Theodorici*) veniſſent, multis ab Ebroïno contumeliis & opprobriis affecti dixerunt, ſe quidem hæc meritò pati, qui in Deum ſæpius peccâſſent: ipſum verò miſerum, qui totam Francorùm gentem tyrannide ſua conturbaret, alios fortunis ſpoliando; alios proſcribendo & mitten-

AUCTORE C. B.

do in exſilium; aliis denique vitam eripere moliendo: quæ omnia ipſi aliquando certi exitii cauſa futura eſſent. His auditis, excandeſcens Ebroïnus, alterum ab altero ſeparari juſſit: & Gairinum quidem abductum & ad palum alligatum ſaxis obrui; Leodegarium verò, ut lento ſupplicio ad deſperationem impelleret, laceratis plantis, abſciſsâ linguâ, labiiſque mutilatis, Waningo tradi, veritus, ne, ſi eum, uti Vir ſanctus optabat, ſimul conficeret, omnes eum pro martyre haberent. *Hæc ille ad annum 676, quo etiam revera contigerunt. Etenim, ut num. 193 docuimus*, Leodegarius *in monaſterio quodam incluſus fuit anno 674*, in quo, *teſte Urſino num. 13*, latuit per annos circitèr duos; *teſte autem anonymo noſtro num. 39, in monaſterio, cui fuerat incluſus, etiam tunc latebat, cùm ad aulam cum fratre ſuo* Gerino *juſſu Ebroïni & Theodorici regis arceſſitus eſt, adeò ut tum, cùm id factum eſt, non ampliùs quàm duorum circitèr annorum ſpatium poſt ejus in monaſterio incluſionem, anno 674 factam, effluxiſſet, ſitque per conſequens anno 676 cum fratre ſuo* Gerino *ea paſſus, quæ mox expoſuimus. Atque ita quidem innoteſcit, quo anno* S. Gerinus *martyrio coronatus ſit; dies autem menſiſve, ut num. 5 & 189 jam docui, pro certo determinari non po-*

B

teſt, ut ſupervacaneum ſit hîc in alterutrum inquirere, præſtetque ad alia progredi.

tradit in cuſtodiam, in cujus domo

198 *Urſinus, huncque ſecutus Mabillonius num. præcedenti laudatus, in genere tantùm dicunt,* Leodegarium *&* Gerinum, *dum in conſpectu Theodorici & Ebroïni comparuêre, contumeliis & opprobriis fuiſſe affectos. Aſt ego puto, Sanctis noſtris in particulari tunc imputâſſe exprobrâſſeque Ebroïnum, quòd necis Childerico illatæ conſcii fuiſſent. Narrat enim num. 39 noſter anonymus,* Leodegarium *cum fratre ſuo* Gerino *tunc arceſſitum fuiſſe, cùm Ebroïnus* Hilderici mortem ſimulabat ſe vindicare, *unde non immeritò colligi poſſe videtur, præfatum crimen Sanctis in conſpectum Theodorici adductis objectum exprobratumque ab Ebroïno fuiſſe. Accedit, quòd anonymus noſter num. 46 diſertè narret, idem illud crimen* S. Leodegario *objectum fuiſſe, dum biennio poſt mortem fratris ſui* Gerini *ad concilium epiſcoporum juſſu Ebroïni fuit adductus.* Ubi, *inquit*, cùm deductus fuiſſet (*Leodegarius*) ad medium (*concilium epiſcoporum*) inquiſierunt ab eo verbum, ut de Hilderici morte fuiſſe confiteretur ſe ſocium *. *De hoc epiſcoporum concilio ſermo recurret, dum, quæ illud præceſſerunt & ad* S. Leodegarium *ſpectant, fuerint pertractata. Urſinus, narratis iis, quorum compendium num. 197 ex Mabillonio exhibuimus, mox ſubdit,* Leodegarium *ad cœnobium Fiſcamnenſe à Waningo, cui in cuſtodiam datus erat, fuiſſe perductum.*

* *al.* conſcium.

C

viſitur à Winoberto & Ermenario,

199 *At antequam id fieret, Waningus domi ſuæ* Leodegarium *aliquamdiu retinuit, ubi ea contigerunt, quæ anonymus noſter num. 41, 42 & 43 tradit, quæque Mabillonius pag. proximè citata & ſequenti contrahere ſic pergit:* Tanti Antiſtitis (*Leodegarii*) pœnas miseratus Winobertus abbas, ægrè à Waningo cuſtodibuſque impetravit, eum ut adire ac curare ſineretur. Ingreſſus, ſanctum Virum in ſtramine jacentem reperit, ac vetuſto tentorii ſegmento opertum, vixque tenui ſpiritu palpitantem, ita ut brevi exſpiraturus videretur. Sed, res mira! quem excisâ linguâ, labiiſque exſectis, mutum credebat, inter ſputamina ſanguinum nihilo minùs diſertè loquentem offendit. Itaque qui Leodegarii funus curaturus venerat, de curandis ejus vulneribus cogitare cœpit, remque Ermenario, Æduenſi poſt Leodegarium epiſcopo, confeſtim nuntiavit, quem Waningus ægre, ob tyranni metum, ad Virum Dei admiſit. Omnes enim, ait auctor æqualis, ut leonem iratum metuebant Ebremerdum, id eſt, Ebroïnum. Ambo itaque, Ermenarius ſcilicet ac Winobertus, omni metu poſtpoſito, mutilati vulnera pro virili curant, corpus cibo ac potu reficiunt, eumque meliori veſte induunt. *Tres hîc præter* Leodegarium *& Ebroïnum perſonæ nominantur, Waningus ſcilicet, Ermenarius & Winobertus; de ſingulis aliquid notâſſe, non abs re fuerit. A Winoberto lubet incipere.*

D

quorum ille tunc abbas vel civitatis,

200 *Hunc Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptores tom. 4 col. 449 inter abbates S. Martini Eduenſis collocant, nulla facti ſui idonea ratione adducta, quâ etiam deſtituti fuiſſe videntur. Etenim loco citato de Winoberto abbate hæc tantùm ſcribunt:* Winobertus abbas (*S. Martini Eduenſis*) florebat tempore ſancti Leodegarii epiſcopi Eduenſis, cujus Vitam ſcripſit anonymus monachus, qui ſub Winoberto abbate vitam religioſam ducebat, & quidem, uti exiſtimat Mabillonius, in Martiniano monaſterio: *ex quibus liquet, hos in eo dumtaxat fundari, quòd, ut putant, anonymus noſter antiquior, qui Vitam* S. Leodegarii *conſcripſit, ſub Winoberto abbate vitam religioſam duxerit, idque, ut exiſtimari à Mabillonio affirmant, in monaſterio Auguſtodunenſi S. Martini. Verùm unde auctores illi didicêre, vel à Mabillonio putari, anonymum noſtrum in monaſterio Martiniano Auguſtodunenſi monachum fuiſſe, vel hunc ſub Winoberto abbate vitam religioſam duxiſſe? Poſtremum ſanè neque ex ullis ipſiuſmet anonymi noſtri verbis neque aliunde comperire potui; quod verò ad primum attinet, Mabillonius Seculo 2 Benedictino in Obſervationibus præviis ad Vitam* S. Leodegarii *anonymum noſtrum aſſerit monachum Auguſtodunenſem fuiſſe, non S. Martini, ſed S. Symphoriani. Hoc autem aſſertum ſuum, uti poſt diligens examen comperi, nuſpiam retractat, ut laudati ſcriptores veroſimiliter hîc hallucinati ſint, idoneaque ratione caruerint, quâ Winobertum abbatem catalogo abbatum S. Martini adſcriberent.*

E

vel diœceſis Auguſtodunenſis fuiſſe videtur,

201 *Porrò licèt certò, ut apparet, determinari nequeat, cujus monaſterii abbas Winobertus exſtiterit, hunc tamen abbatem fuiſſe cujuſdam monaſterii, quod vel in civitate vel in diœceſi Auguſtodunenſi ſitum erat, veriſimile mihi eſt tum ex eo, quòd anonymo noſtro, Auguſtodunenſi monacho, qui eum num. 42 unum è fratribus ſuis appellat, apprimè notus fuiſſe videatur, tum ex eo, quòd ipſemet, ut apparet, rectè noverit Ermenarium, Auguſtodunenſem S. Symphoriani abbatem,* Leodegarii *in epiſcopatum ſucceſſorem. Cùm enim, ut anonymus num. 42 teſtatur, Sanctum noſtrum in domo Waningi in ſtramine jacentem, & nihilominus, excisâ linguâ, labiiſque exſectis, diſertè loquentem reperiſſet, rem illicò ad Ermenarium detulit, ac cum eo Sancti noſtri vulnera pro virili curavit; quæ cura ſancto Antiſtiti ſumma charitate à Winoberto adhibita argumento etiam eſſe poteſt, hunc fuiſſe abbatem in civitate vel diœceſi Auguſtodunenſi, cui antè epiſcopus* Leodegarius *præfuerat, jamque, ut apparet,* Ermenarius *præerat.*

F

hic verò Leodegario in ſedem

202 *Etenim hunc anonymus noſter num. 42 epiſcopi titulo inſignit, dum de Winoberto abbate,*

A te, *qui* Leodegarium *cuſtodiæ Waningi primò commiſſum inviſerat, ſic ſcribit:* Et concito gradu (*Winobertus abbas*) Hermenario epiſcopo nuntiat factum, *nempe de* Leodegario, *quem, excisâ linguâ labiiſque exſectis, diſertè loquentem audierat; erat ergò Ermenarius jam tunc, cùm Sanctus in cuſtodiam Waningo primùm erat traditus, Auguſtodunenſis epiſcopus. Verùm à quo tempore* Leodegario *fuerat ſuffectus? Factum id non videtur, cùm adhuc in vivis Childericus eſſet ſuperſtes. Licèt enim anonymus noſter num.* 19 *narret, Childericum, cùm* Leodegarium *Luxovium relegaret, Auguſtodunenſem urbem Ermenario, S. Symphoriani abbati, petitione populi commendâſſe, eum tamen ibidem epiſcopum non compellat. Ad hæc Sanctus noſter poſt mortem Childerici Auguſtodunum repetens ab univerſo populo & clero, ut jam vidimus, triumphi quadam ſpecie eſt receptus, inque ſedem priſtinam locatus, nemine omnino repugnante, ut Ermenarius, qui populo maximè erat in amoribus, Sancto tunc nondum, adeoque nec vivente Childerico, in epiſcopatum ſubrogatus fuiſſe videatur. Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad*

B *annum* 674 *num.* XI *ita pronuntiat:* Obſerva præterea, Ermenarium baſilicæ ſancti Symphoriani abbatem exulis Leodegarii loco ſubrogatum ab Ebroïnianis fuiſſe apud Æduos epiſcopum, ut liquidò patebit ex iis, quæ poſt biennium referemus ex Vita ipſius Leodegarii ab anonymo conſcripta; *poſt biennium autem, ad annum ſcilicet* 676 *num.* 1, *tranſcriptis iis, quæ anonymus noſter refert num.* 42, *hæc ſubdit:* Ex illo textu (*imò præcipuè ex verbis, quæ hîc mox ex anonymo noſtro recitavi*) patet id verum eſſe, quod ante biennium à nobis obſervatum fuit, Hermenarium abbatem in locum exulis Leodegarii ſubrogatum fuiſſe apud Æduos epiſcopum ab Ebroïno.

epiſcopalem jam ſucceſſiſſe.

203 *Sanè Cointio hic aſſentiendum eſt, ſi, quod ex mox dictis veroſimile apparet, Ermenarius, vivente Childerico, nondum fuerit Auguſtodunenſis epiſcopus, fueritque nihilominus tunc, cùm præfatum ex Winoberto de* Leodegario *nuntium accepit, in dignitate illa conſtitutus, prout anonymus ſat apertè indicare videtur, dum num.* 42 (*vide verba num. præcedenti recitata*) *Ermenarium epiſcopi titulo diſtinguit. Aſt ibi Ermenarius fortè tantùm per anticipationem ab anonymo noſtro*

C *vocatur epiſcopus, nimirum non quòd tunc, cùm ex Winoberto de* Leodegario *nuntium accepit, Auguſtodunenſis fuerit epiſcopus, ſed quòd poſtmodò ad ſacrum illud munus fuerit promotus: id autem ſi verum ſit, dubium prorſus eſt, ſub quod tempus Ermenarius* Leodegario *in epiſcopatum ſit ſuffectus, rectèque facere dicendi ſunt Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptores, dum tom.* 4 *col.* 356 *recenſitis iis, quæ de Ermenario ex anonymo noſtro ſuppetunt, incertum eſſe aiunt, quando Ermenarius epiſcopatum ſit exorſus. Nihilominus mihi hîc præplacet Cointii opinio, in qua anonymi verba num. præcedenti recitata in ſenſu magis naturali & obvio accipiuntur; juxta hanc autem, ut antè dicta conſideranti patebit, Ermenarius* Leodegario *in epiſcopatum fuerit ſubrogatus anno circitèr* 675 *vel* 676. *Neque hîc opponas, Bobonem ab Ebroïnianis, ut anonymus num.* 34 *innuit, in cathedram Auguſtodunenſem, civitate illa ſub æſtatem anni* 674 *ſubacta, fuiſſe intruſum. Potuit enim Bobo brevi pòſt, ut pluribus aliis contigit, excidere amicitiâ Ebroïni Theodorico jam reconciliati, perque eum epiſcopatu injuſtè parto ſpoliari, ejuſque loco Ermenarius ſubſtitui. Sed de hoc jam ſatis; ſupereſt, ut de Waningo nunc quædam dicamus.* AUCTORE C. B.

Waningus initio Sanctum duriùs habet, deindeque,

204 *Condidit is monaſterium Fiſcamnenſe, vulgò* Feſcam, *quod ſitum inter Diepam & Portum Gratiæ, quadraginta ferè milliaribus, ut ſcribit Glaber Rodulphus lib.* 4 *Hiſt. cap.* 4, *ab urbe Rotomagenſi diſtat. De Waningo ſub titulo* Sancti *ad* IX *Januarii Majores noſtri egêre, ejuſque Vitam non integram, ſed varia dumtaxat Fragmenta, quæ licuit acquirere, in lucem emiſêre. Iis Fragmentis aliud ex quodam cœnobii Fiſcamnenſis apographo Mabillonius in Seculo* 2 *Benedictino adjunxit; quamquam autem ibi Waningo titulum* Sancti *etiam attribuat, eum tamen, quod nec Majoribus noſtris adverſatur, antiquioribus Faſtis ſacris eſſe adſcriptum, rectè negat.* Waningi nomen, *inquit in Obſervationibus præviis pag.* 972, in antiquis Martyrologiis non exſtat, neque in Actis SS. Wandregiſili ac Leodegarii SANCTUS prædicatur, ſed VIR ILLUSTRIS; & cum S. Leodegario mitiùs egiſſe laudatur. *Iſta hic auctor; ſed quod ait de* Leodegario *mitiùs à Waningo habito, ſano ſenſu intellige. Licèt enim mitiùs egerit Waningus cum Sancto noſtro* E. *cuſtodiæ ſuæ commiſſo, ideoque ab anonymo num.* 43 *laudetur, non priùs tamen hunc modum tenuit, quàm* Leodegarium *ſtupendo prodigio diſtinctè fine lingua loquentem audiviſſet, hincque concluſiſſet, ſanctum Antiſtitem iniqua perſecutione ab Ebroïno immeritò vexari. Manifeſtum id præcipuè faciunt quædam ab anonymo noſtro num.* 41 & 42 *relata, quibus Waningus, antequam cognoviſſet mox memoratum miraculum, in* S. Leodegarium *potiùs durior quàm mitior fuiſſe videtur, hincque haud dubiè eſt, cur idem Mabillonius tom.* 1 *Annalium, ubi verbis num.* 199 *recitatis retulit Winobertum & Ermenarium Sancti noſtri miſerè mutilati vulnera pro virili curâſſe, corpus cibo ac potu refeciſſe, eumque meliori veſte induiſſe, proximè ſubjungat:* Quod mirum eſt, à Waningo, viro alioqui pio, tunc prætermiſſum fuiſſe. Sed nimirum ita crudelis tyranni edicta ferebant. Quamquam cur talis furiæ ſe miniſtrum præſtare? *Hæc Mabillonius & quidem plus æquo fortè in Waningum hîc ſeverus.*

mutato animo, Fiſcamnum ducit, ubi is linguæ abſciſſæ F

205 *Potuit enim Vir pius deceptus fraudibus & dolis Ebroïni, qui* Leodegarium *necis Childerico illatæ conſcium fuiſſe prædicabat, criminis illius verè reum ſanctum Antiſtitem putare, ſicque eum non humani alicujus reſpectus, ſed ſolius juſtitiæ intuitu duriùs tractare. Utut ſit, certè ubi primùm objecto crimine innoxium cognovit Sanctum noſtrum, multò eum humaniùs, ut ex dicendis mox pateſcet, tractandum curavit. Nunc ad interruptam tantiſper rerum ſeriem revertor. Hanc Mabillonius loco proximè citato ita proſequitur:* Interim, dum in Waningi domo retinetur ſanctus Antiſtes, (*Leodegarius*) ipſius labia & lingua recreſcere cœperunt, ac ſolitò more ex ejus ore verba profluere. Quo miraculo flexus tandem Waningus, mitiùs cum eo agere non dubitavit, & Martyrem Dei agnoſcens, in monaſterium Fiſcamnum, quod ipſe exſtruxerat, & Childemarcæ abbatiſſæ regendum commiſerat, Leodegarium perduxit, ibique cuſtodiri, ſed tamen humaniùs tractari curavit. *Hauſta hæc ferè ſunt ex ſolo noſtro anonymo. Etenim Urſinus de* Leodegario *mitiùs à Waningo habito nihil prorſus commemorat; quemadmodum autem Sancti noſtri, antequam Fiſcamnum duceretur, in domo Waningi detentionem ſilentio præteriit, ita pariter*

AUCTORE C. B.

omiſit, quæ anonymus num. 42 de loquela ipſi ibidem unà cum labiis & lingua recreſcentibus redire cœpta memoriæ prodit. Porrò Urſinus etiam non indicat labia & linguam Leodegario *plenè recreviſſe, cùm jam Fiſcamnum eſſet perductus, ſed tantùm ait,* linguam ejus præciſam ſolitum recepiſſe officium. *Indicat id, quamquam ſubobſcurè, noſter anonymus; ubi enim hic num.* 43 *narravit* Leodegarium *ad monaſterium Fiſcamnenſe à Waningo fuiſſe perductum, non ſolùm ait tunc* ejus linguam præciſam ſolitum recepiſſe officium, *ſed, paucis interjectis, addit:* Ubi (*in monaſterio Fiſcamnenſi*) dum intra parvum ſpatium oris, faciei * vel linguæ recepiſſet (*Leodegarius*) officium, eo quòd oblatus fuerat ipſe jam Domino *, quotidianum immolare ſtuduit ſacrificium. *Quibus verbis veroſimillimè vult ſignificare labia & linguam in monaſterio Fiſcamnenſi* Leodegario *plenè recreviſſe; præmiſit enim num.* 42, *ea jam Sancto recreſcere cœpiſſe, cùm nondum Fiſcamnum eſſet adductus.*

* *Mabill.* labiorum, faucium
* *al. abeſt* Domino

recreſcere jam cœptæ uſum perfectè recuperat,

206 *Porrò ad præſens inſtitutum pertinent, quæ num.* 7 *leguntur in Fragmento Vitæ S. Waningi, quod Majores noſtri ad* IX *Februarii ſecundo loco ediderunt. Sunt autem hæc:* Illo tempore (*ædificato jam monaſterio Fiſcamnenſi*) beatus & glorioſus martyr Leodegarius Fiſcanum deducitur, quem efferus & nefandus apoſtata Ebroinus epiſcopatus ſui ſede injuſtè expulerat, rerum affluentiâ multarum expoliaverat, & linguâ inclementer abſciſâ totius officio ſermonis privaverat. Verùm cùm glorioſus Martyr & Epiſcopus Summi & Omnipotentis ſacras ingrederetur ædes, & pſallentium Virginum audiret angelicas voces, ablatæ officium linguæ reperit. *Quibus verbis, ſpectato ſenſu magis obvio & contexu, inſinuari videtur,* Leodegarium *loquendi uſum, quem, linguâ abſciſâ, amiſerat, tunc primùm recuperâſſe, cùm ad cœnobium Fiſcamnenſe perductus ſanctimoniales ibi in ſacris ædibus pſallentes audivit, quod cum Urſino, cùm hic tantùm aſſerat linguam* Leodegarii *præciſam ſolitum in monaſterio Fiſcamnenſi recepiſſe officium, ſatis congruit; at non item cum anonymo noſtro. Hic enim narrat, ut jam vidimus,* Leodegario *loquelam poſt linguæ abſciſſionem redire etiam cœpiſſe, antequam Fiſcamnum duceretur. Sed Urſinus juxtà ac laudati Fragmenti Vitæ S. Waningi auctor fortè dumtaxat volunt,* Leodegario *tunc primùm, cùm Fiſcamnum venit, linguam abſciſſam perfectè recreviſſe, plenumque ejus uſum rediiſſe. Utut ſit, narratione, quam anonymus noſter num.* 42 *&* 43 *inſtituit, ſtandum puto. Cùm enim, quæ ibidem prodit, Ermenarius Auguſtodunenſis poſt* Leodegarium *epiſcopus, cui Opus ſuum ille inſcripſit, & Winobertus in epiſcopatu, ut veriſimile eſſe jam vidimus, Auguſtodunenſi abbas, propriis ſuis oculis ac auribus perceperint, ea veroſimiliter ex iis ipſis, utpote & ipſe monachus Auguſtodunenſis, fideli relatione intellexerit, aut etiam ſuis ipſemet oculis aſpexerit, ſi genuina ſit Mabillonii lectio, de qua num.* 22 *&* 23 *hujus Commentarii prævii actum eſt.*

B

C

auſterum vitæ genus amplectitur, animique

207 *Ceterùm* Leodegarius *Fiſcamnum jam perductus, auſterum admodum vitæ genus amplectitur, dies noctesque integras in divinis laudibus tranſigit, totum ſe pœnitentiæ operibus impendit, vix templo egreditur, niſi ut paululùm cibi & quietis feſſo corpori concedat. Inſinuat hæc tam anonymus noſter quàm Urſinus; hic quidem num.* 17, *ille verò* 43. *Iiſdem ambo ferè verbis utuntur. Urſiniana hæc ſunt:* Nam (*Leodegarius in monaſterio Fiſcamnenſi*) diebus ac noctibus in Dei cultu pervigilans aſtabat, ut vel paululum ad neceſſaria corporis vix aliquando ab eccleſia procederet, vel quippiam ſomni ac ciborum perceptionem capere * potuiſſet. *Ad hæc Vir ſanctus linguæ uſum, quem divinitus recuperârat, inutilem ibidem non reliquit. Etenim non tantùm ſæpe ſuavia miſcebat colloquia cum monaſterii Fiſcamnenſis ſacris virginibus, ſed etiam piis ſuis doctiſque ſermonibus effecit, ut multi alii admirantes, quanta Dei clementia in Sancto ſuo, cui lingua exſecta prodigiosè recreverat, operaretur, à pravis operibus ad Dominum converſi, dignos pœnitentiæ fructus fecerint. Inſinuat hæc iterum Urſinus. Quippe num. proximè citato ſic ſcribit:* Magnum (*Leodegarius Fiſcamnum jam ductus*) doctrinæ ſuæ ſemen oſtendit in populo: ut quando inter virgines * (*ſanctimoniales*) accederet, tantùm, ut fertur, dulcia ſua fulgebant eloquia, ut mirarentur, quicumque audierant, quanta Dei operabatur clementia, & converſi à pravis operibus, velociter peterent fructus pœnitentiæ. *Hæc ille, cui hîc quidem ad verbum ferè iterum conſonat anonymus, ſed ſubjungit,* Leodegarium *inſuper in monaſterio Fiſcamnenſi quotidianum Miſſæ ſacrificium Deo immolare ſtuduiſſe, quod Urſinus alto ſilentio involvit.*

D

* *al.* reſectionem percipere

* *al.* virginum caterva

E

in inimicos benè affecti egregium ſpecimen præbet.

208 *Pari modo ſilentio etiam involvit is ſcriptor id, quod idem item anonymus num.* 44 *perhibet, quodque luculenter oſtendit, eximia* Leodegarium *etiam in inimicos ſuos charitate fuiſſe, eorumque dilectionem, quam verbis in epiſtola ad matrem ſuam num.* 221 *recitandis impensè commendat, opere reque ipſa exercuiſſe. Res ſic habet. Exegerat jam Sanctus biennium ferè in monaſterio Fiſcamnenſi ſub cuſtodia Waningi, dum manifeſto Dei numine accidit, ut ii, quos habuerat inimicos, perduellionis crimine damnati, partim mortis pœnâ fuerint multati, partim ad extraneas regiones fugere fuerint compulſi. Audivit id ſanctus Antiſtes. Tum verò tantùm abfuit, ut aliqua vindictæ cupidine abreptus de miſero illorum caſu fuerit gaviſus, ut contra non parùm doluerit, quòd ii, qui morte fuerant puniti, ſine præviis pœnitentiæ fructibus obiiſſent. Audi ipſum anonymum:* Dum per biennium ferè, *inquit num.* 44, ibidem (*in monaſterio Fiſcamnenſi* Leodegarius) in Dei laudibus reſediſſet, ut eos illi nuntiaverunt interfectos, aut pro infidelitatis cauſa in regionibus, alios effugatos; ille * graviter deflens, non de ultione eſt gaviſus, ſed cur ſine pœnitentia eos comprehenderit mortis occaſus, ingemiſcebat. *Ita* Leodegarius *in inimicos ſuos erat affectus, cùm interim Ebroinus, præteritis ſancti Exſulis ſuppliciis non contentus, de eo iterum vexando, mortique etiam tandem dedendo cogitaret, ut § à ſequenti proximus aperiet.*

* *al.* quos ille

F

§ XIV. S. Leodegarius ad S. Sigradam matrem ſuam ſcribit epiſtolam, in cujus epocham hîc inquiritur.

P *Hilippus Labbeus Societatis noſtræ ſacerdos tom.* 1 *Novæ Bibliothecæ librorum Mss. pag.* 777 *&* 778 *primus omnium publici juris fecit inſi-*

S. Leodegarius vel poſt, ut communis fert opinio,

inſignem ſancti Leodegarii *ad S. Sigradam matrem ſuam epiſtolam, quam deinde Mabillonius ex Ms. codice Maxentiano ad calcem Actorum Sancti noſtri recudendam curavit, quamque Appendici tom. 4 Galliæ Chriſtianæ auctæ noviſſimè etiam inſertam reperio. Hanc ego hic denuo recudam ex Ms. apographo, quod ex antiquis Membranis clariſſimi viri, domini Philiberti de la Mare, Divione regii conſiliarii, deſumptum notatur, quodque ad Deceſſores noſtros P. Petrus Chiffletius, & ipſe Societatis noſtræ ſacerdos tranſmiſit. Dicta epiſtola tam in apographo noſtro quàm in editione Mabillonii & Labbei hunc præfert titulum :* Epiſtola conſolatoria, quam S. Leodegarius epiſcopus Heduorum poſt obitum germani ſui Guayreni *, poſt amiſſos oculos & labia inciſa, direxit ad genitricem ſuam Sueſſionis in cœnobio puellarum, incipit. *Hinc haud dubiè factum eſt, ut hanc Mabillonius, Cointius, aliique huc uſque eruditi omnes,* S. Gerini *morte poſteriorem eſſe indubitanter exiſtimârint. Verùm cùm non conſtet de ætate antiquorum Mss., ex quibus tam in apographum noſtrum quàm in Labbeanam & Mabillonianam editionem recitatus titulus illatus eſt, forſitan is tantùm profectus fuerit à poſterioris ævi ſcriptore, qui nimiùm à ſeculo Sancti noſtri remotus, ejus ad matrem epiſtolam poſt mortem* Gerini *ſcriptam, ſine ſat ſolido fundamento putârit, ac proin dubitari poſſe videtur, an verè tunc ſcripta fuerit, cùm id ex nullo planè, ut apparet, ipſiusmet epiſtolæ loco pro certo queat concludi.*

* *Mabil.* Gaireni

B

vel ante, ut etiam

210 *Etenim in hac, quàm longa eſt, ne quidem* Gerini *nomen uſpiam comparet. Ad hæc nihil omnino ſuggerit, quod* Gerini *mortem jam eveniſſe, cùm ſcriberetur, vel utcumque inſinuet, vel neceſſariò requirat. Cointius in Annalibus ad annum 676 num. 2 recitat ex illa hæc verba :* O felix mors, quæ vitam tribuit; felix amiſſio rerum, quæ divitias reſtituet ſempiternas; felix triſtitia, quæ gaudium affert angelorum! Impræſentiarum probâſti, quantum clementiſſimus Dominus Jeſus Chriſtus miſertus eſt tui, qui devotionem ſpiritualem & cuſtodiam ſanctæ diſciplinæ & contemptum mundi tibi habere conceſſit, & pignora uteri tui de ærumna hujus ſæculi & de errore præſentis vitæ eripuit, & dedit ſpem vitæ æternæ iis, quos lugere poteras, quaſi mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſes in mundo, de quibus non eſt habenda mœſtitia, ſed multimoda gratiarum actio referenda Deo Patri & Domino Jeſu Chriſto, *quibus ait à* Leodegario *pronuntiari* Gerini *fratris necem non triſtitiæ, ſed lætitiæ cauſam eſſe debere, ut velit iis agi de* Gerini *morte. Alia, fateor, non ſunt in tota epiſtola magis valida, quibus id contendatur, aut, ut meliùs dicam, alia non ſunt, quibus id meritò contendi queat. Verùm ſat probabile apparet, non agi ibi à* Leodegario *de morte, quam Ebroini juſſu* Gerinus *ſubierat, ſed de morte, quam ipſamet Sigrada, ſuſcepto vitæ religioſæ ſtatu, eo modo obierat, quo ſecundùm introductam ab hominibus acceptionem, ii omnes mortui ſeu mori dicuntur, qui, abdicatis ſeculi rebus, in monaſterium ſeceſſerunt, vel ſecedunt, in eoque totos ſe Deo conſecrârunt vel conſecrant. Probatur id ex verbis, quæ Sanctus proximè præmittit, quibuſque matri ſuæ relictum mundum ſuſceptumque vitæ religioſæ ſtatum gratulatur. Vide illa infra num. 218 conferque cum proximè num. 219 ſequentibus :* O felix mors *&c, quæ jam recitata ſunt.*

C

211 *Quod autem ait Cointius, his etiam* Leodegarium *pronuntiare, necem* Gerini *non triſtitiæ, ſed lætitiæ cauſam eſſe debere, id equidem, ut mihi apparet, ſanctus Præſul iis non pronuntiat. Etenim verba, quibus illud præcipuè pronuntiaret, hæc ſunt :* Pignora uteri tui de ærumna hujus ſæculi & de errore præſentis vitæ *(Deus)* eripuit, & dedit ſpem vitæ æternæ iis, quos lugere poteras quaſi mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſes in mundo, de quibus non eſt habenda mœſtitia, ſed multimoda gratiarum actio referenda Deo *&c, per quæ* Leodegarius, *cùm plurali numero utatur, tam ſeipſum quàm fratrem ſuum* Gerinum *deſignat. Quapropter, ſicuti per illa non de ſua, ſic nec de* Gerini *fratris ſui morte id pronuntiat, quod Cointius contendit. Aſt, inquies, verba illa à Cointio laudata ſaltem innuunt,* Gerinum, *cùm ſcriberentur, in mundo non fuiſſe ſuperſtitem, ſeu eum tunc mortuum fuiſſe. Quid tum? id ipſum etiam innuunt de* Leodegario *: an hic, cùm illa ſcriberet, in vivis fortè non exſtitit? Debent itaque verba illa accipi ſecundùm ſenſum num. præcedenti datum, ut inſinuent, quòd non ſolùm* Leodegarius, *cùm hæc ad matrem ſuam ſcriberet,* E *ſed etiam frater ejus* Gerinus *in monaſterio quodam idque cum propoſito monachorum adinſtar perpetuò vivendi exſtiterit. Niſi enim ſic accipiantur, non potuit, ſi verò ſic accipiantur, potuit* Leodegarius *illa de ſe ipſo cum veritate pronuntiare; hic autem, ut ex jam dictis & porrò dicendis facilè erit colligere, veroſimiliter tum reſederit in monaſterio illo, in quo à Waimiro, ut vidimus, poſt exſilium Luxovienſe fuit incluſus;* Gerinus *verò vel in eodem vel in alio, in quod aut ſponte ſua Ebroïni metu, abjectâ agri urbiſque Pictavienſis præfecturâ, ſeceſſerat, aut ab Ebroïnianis fuerat detruſus. Jam quiſque, ut opinor, ex hoc & num. præcedenti dictis facilè intelliget, nullum planè, ut ſuprà aſſerui, in epiſtola* Leodegarii *locum eſſe, ex quo pro certo queat concludi ſcriptam illam eſſe poſt mortem* Gerini, *ac proin, cùm id etiam certum non ſit ex titulo, quem præfert, dubitari meritò poſſe, an verè tunc ſcripta ſit, ſeu potiùs, an dicendum non ſit ſcriptam eam eſſe ante obitum* Gerini, *quod verba, quæ ex illa proximè recitavi, ad ſenſum datum intellecta apertè exigunt, quodque propterea mihi ſat probabile videtur.*

AUCTORE C. B. *probabile apparet, Gerini fratris ſui mortem*

ac proin anno incerto,

212 *Quod ſi interim vera habeatur communis opinio, quâ ſtatuitur morte* Gerini *poſterior, dubium aliud tunc occurrit, an ſcilicet ſcripta ſit antè, an poſtquam* Leodegarius *Fiſcamnum à Waningo eſſet perductus. Scriptores Galliæ Chriſtianæ auctæ tom. 4 col. 353 indubitanter affirmare videntur, ſcriptam illam eſſe poſt mortem* Gerini, *antequam* Leodegarius *Fiſcamnum eſſet perductus. At in illa hypotheſi contrarium fortè factum fuerit; quippe Sancto noſtro poſt mortem* Gerini *matri ſuæ ſcribere non priùs liberum fuiſſe videtur, quàm à Waningo mitiùs tractari cœpit; dum autem id accidit, ſtatim fortè ad monaſterium Fiſcamnenſe ductus fuerit, ut ibi illam, qua de agimus, epiſtolam fortè etiam ſcripſerit, ac proin, non niſi immeritò, indubitanter affirmari queat ſcriptam eſſe, antequam* Leodegarius *Fiſcamnum eſſet perductus. Verùm parùm refert, ſive tunc ſive pòſt ſcriptio illa adornata ſit. In utroque enim caſu, ut colligere eſt ex § præcedenti, referenda erit ad annum 676, ſi nempe, ut jam monui, vera ſit communis de illius epocha opinio; ſi autem hæc vera non ſit, ſed oppoſita, quâ ſtatuitur*

F

AUCTORE C. B.

tur epiſtola morte Gerini *anterior, quamque mihi ſat probabilem eſſe in fine num. præcedentis aſſerui, referenda illa erit vel ad eumdem annum 676 vel ad alterutrum ex duobus præcedentibus, ut fas eſt inferre ex tempore, quo* Leodegarius, *ut ſuprà vidimus, à Waimiro in monaſterio quodam fuit incluſus, & ex biennio ferè integro, quo juxta Urſinum in illo latuit, antequam ab Ebroïno ea pateretur, quæ § præcedenti retulimus.*

matrem ſuam Sueſſione ſanctimonialem factam

213 *Aſt, ſciſcitabitur jam fortè non nemo: An memorata* Leodegarii *ſcriptio in hypotheſi, quòd ante* Gerini *necem concinnata ſit, referri forſan etiam non poteſt vel ad ſexennium, quo Sanctus monaſterio S. Maxentii abbas præfuit, vel ad tempus, quo Luxovii exſulavit? Reſpondeo, primum fieri indubiè non poſſe. Etenim dum* S. Leodegarius *epiſtolam jam ſæpiſſimè dictam ſcripſit ad Sigradam, matrem ſuam; hæc, ut ex verbis ejuſdem epiſtolæ infrà num. 223 dandis liquet, ſub diſciplina Itheriæ ſeu Ætheriæ abbatiſſæ vitam religioſam ducebat, atque adeò Sueſſione in monaſterio puellari ab intemerata Virgine Maria nuncupato tunc verſabatur. Quippe Abbatiſſa illa, nomine Itheria ſeu Ætheria, cùm alia cognominis, ut apparet, tunc non floruerit, procul omni dubio fuit ea ipſa Etheria, quæ, uti ex Fragmento Vitæ S. Drauſii apud Cheſnium tom. 1 Scriptorum intelligitur, prima fuit præfati puellaris monaſterii abbatiſſa. Quapropter cùm illud monaſterium, prout Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom. IX col. 442, aliique tradunt, circa annum tantummodò 660 condi cœptum ſit, ſexennium autem, quo* S. Leodegarius *monaſterium S. Maxentii gubernavit, ab anno circiter 651 (vide num. 52) uſque ad annum 657 vel 658 excurrat, conſequens eſt, ut Sigrada, dum* Leodegarius *abbatiam Sanmaxentianam rexit, ſub diſciplina Itheriæ abbatiſſæ in Parthenone Sueſſionenſi S. Mariæ vitam religioſam non duxerit, ac proin ut tunc ad illam à ſancto Filio ea epiſtola, de cujus epocha hìc diſputamus, ſcripta non fuerit.*

variaſque perſecutiones paſſam,

214 *Quod verò jam ad ſecundum pertinet, an ſcilicet illa ſcriptio referri non poſſit ad tempus, quo Sanctus Luxovii exſulavit, reſpondeo veriſimile ſaltem eſſe, nec id fieri poſſe. Etenim* Leodegarius *ſub iſtius initium matri ſuæ jam, ut vidimus, ſanctimoniali hæc ſcribit:* Gratias ago Deo meo... pro fide veſtra & patientia in omnibus perſecutionibus & tribulationibus tuis, quas ſuſtinuiſti, *ac proin ſcripſit, cùm multas graves perſecutiones illa paſſa eſſet, cúmque jam poſt illas vitam religioſam eſſet amplexa; veriſimile autem non videtur, hæc accidiſſe vel antequam vel cùm jam Sanctus Luxovii exſularet; non primum, quia, quoniam* Leodegarius *eo tempore ſumma auctoritate valuit, matrem ejus tunc perſequi nemo auſus fuerit; non ſecundum, quia nihil ſuppetit, ex quo id utcumque valeat probari. Acciderint ergò, cùm Ebroïnus poſt mortem Childerici* Leodegarium *modis omnibus vexavit. Veriſimile id ex eo fit, quòd tunc non tantùm ſanctum Præſulem, ſed & fratrem ejus* S. Gerinum *perſecutus ſit, ut credibile fiat, virum crudeliſſimum, privato in* Leodegarium *odio abreptum, ab ejus etiam matre perſequenda non abſtinuiſſe. Accedit, quòd, teſtante auctore Vitæ S. Drauſii ſuprà laudatæ, monaſterium puellare, in quo illa Sueſſione vitam religioſam egit, ab Ebroïno ejuſque uxore Leutrude fuerit conditum, ac proin ſuſpicio oriri queat, Sigradam, licèt poſtea volens in vota religioſa conceſſerit, primò tamen ab Ebroïno, poſtquam hic cum* Leodegario *ab exſilio Luxovienſi eſſet reverſus, in prædicto monaſterio invitam fuiſſe incluſam, adeò ut poſt exſilium Luxovienſe veroſimiliter acciderint perſecutiones illæ, poſt quas Sanctus noſter epiſtolam, de qua hìc, matri ſuæ ſcripſit, atque adeò hæc etiam in hypotheſi num. præcedenti facta referri nequeat ad tempus, quo* Leodegarius *Luxovii exſulavit.*

per epiſtolam, de qua eruditorum proferuntur judicia,

215 *Ceterùm ſi illa Sancti noſtri ſcriptio, de cujus tempore jam ſatis diſputatum eſt, verè concinnata ſit, antequam* Gerinus *Ebroïni juſſu necatus eſt, debet titulo num. 209 recitato, quem præfert, hic ſequens ſubſtitui:* Epiſtola conſolatoria, quam S. Leodegarius epiſcopus Æduorum, poſtquam oculos amiſiſſet, & in quodam monaſterio eſſet incluſus, direxit ad genitricem ſuam Sueſſionis in cœnobio puellarum, *ut nulla in eo de* Gerini *obitu mentio habeatur. Venio nunc ad judicium, quod nonnulli eruditi de præclaro illo* Leodegarii *monumento, ejus, inquam, epiſtola ad matrem conſolatoria tulerunt. Illi omnes, ut jam monui, in opinione præconcepta pergunt, ſcriptam eſſe, poſt mortem* Gerini, *quod cùm proinde in hoc Commentario prævio pro vero tantiſper habuerim, non priùs, quàm hâc narratâ, de illa hìc agendum duxi. Itaque Mabillonius tom. 1 Annalium Benedictinorum pag. 532 ita pronuntiat:* In ea epiſtola (*conſolatoria Leodegarii ad matrem*) miræ caritatis eluceet exemplum, quòd ne verbum quidem habet Vir ſanctus de Ebroïni ſævitia, immò nec de ſuppliciis ſibi ab eo inflictis; ſed tantùm genitricem hortatur ad ferendum patienter adverſa, in primis Gairini mortem, ad amorem inimicorum, & ad religioſæ vitæ propoſitum fideliter exſequendum. *Mabillonio accedunt Scriptores Galliæ Chriſtianæ auctæ, qui tom. IV col. 354 ſic aiunt:* Jam... conſolatoriam (*Leodegarius*) ad matrem in parthenone Sueſſionenſi monacham effectam ſcripſerat epiſtolam, primis Eccleſiæ ſeculis, martyre & apoſtolo dignam. *Hiſce adhuc addo Hiſtoriæ litterariæ Franciæ Scriptores, qui tom. III pag. 621 Sancti noſtri epiſtolam impenſiſſimè laudant. Horum verba reddita è Gallicis Latina hæc ſunt:* Jure merito (*epiſtola S. Leodegarii ad matrem ſuam*) epiſtolæ conſolatoriæ titulum præfert. Nihil hujus loquendi genere eſt aptius, ut in cor penetret, illudque unctione prorſus ſancta perfundat. Haberi poteſt pro effuſione cordis charitate penitus incenſi, indubitatiſque Scripturæ, ut ita dicamus, veritatibus ebrii, è quibus propriè tota dumtaxat eſt contexta. Stylus totus eſt igneus, veréque in omnibus ſancto martyre dignus. Quamquam ei non alia ars inſit, quàm quæ charitate ſit nata, dici nihilominus poteſt induſtriè ſcripta. Sanctus Leodegarius in ea in particulari inſtat, ut inimicis veniam dandam probet, veritus, ne Sigrada, quamquam pietatem profiteretur, ſeſe quodam animi motu abripi contra filiorum ſuorum interfectores & perſecutores pateretur. Si Sanctus ita loquebatur ad populum, meritò deploratur jactura homiliarum, quas ei fecit decennio epiſcopatus pacifici & tranquilli. *Hæc illi: quàm meritò autem ita loquantur, docebit ipſamet epiſtola, quam nunc ſubjungo.*

conſolatur, oſtendens mundi calamitates breves eſſe.

216 *En illam:* Dominæ & ſanctiſſimæ genitrici Sigradæ, quæ antea per cognationem carnis, modò per conjunctionem ſpiritûs facta es vera mater, & impletum eſt illud, quod ſancta Veritas dicit: " Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus „ fra-

A „ frater, ſoror & mater eſt.„ Leodegarius ſervus ſervorum Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. Gratias ago Deo meo, qui non abſtulit miſericordiam ſuam à me, ſed dedit auditui meo gaudium & lætitiam, pro fide veſtra & patientia in omnibus perſecutionibus & tribulationibus tuis, quas ſuſtinuiſti in exemplo juſti Judicis Dei, ut digna habearis in regno Dei, in quo elegit te Dominus noſter Jeſus Chriſtus ante conſtitutionem mundi; & dedit tibi non ſolùm, ut in eum credas, ſed etiam ut pro illo patiaris, ſi qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas ſpiritûs, ſi qua viſcera miſericordiæ in ipſo, implêſti Sanctorum gaudium. Omnis triſtitia verſa eſt in lætitiam, quia nullo modo oportebat triſtari; ſicut ait beatiſſimus Petrus: " Modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio „ veſtræ fidei multò pretioſior ſit auro, quod „ per ignem probatur.„

gaudiumque parere æternum. Pòſt hortatur ipſam

217 Ita & beatus Paulus teſtatur dicens: " Id B „ enim, quod in præſenti eſt, momentaneum & „ leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in no„ bis„ &c. Et alibi: " Rememoramini priſtinos „ dies, in quibus illuminati magnum certa„ men ſuſtinuiſtis paſſionum. In altero quidem „ opprobriis & tribulationibus ſpectaculum fa„ cti; in altero autem ſocii taliter converſan„ tium effecti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, „ & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio „ ſuſcepiſtis, cognoſcentes, vos habere melio„ rem & manentem ſubſtantiam.„ Et ut confirmatio & retributio maneat in æternum, addidit dicens: " Nolite itaque amittere confidentiam „ veſtram, quæ magnam habet remunerationem. „ Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut facien„ tes voluntatem ejus, reportetis promiſſionem. „ Adhuc enim modicum aliquantulum, qui ven„ turus eſt, veniet, juſtus autem meus ex fide „ vivit. Quòd ſi ſubtraxerit ſe, non placebit a„ nimæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtra„ ctionis in perditione, ſed filii in adquiſitione „ animæ.„ *Paulò aliter epiſt. ad Hebræos cap.* 10.

primùm quidem, ut in Domino gaudeat, quòd ipſamet, relicto C

218 O Domina, quantum gaudium oportet te habere in Domino! Nec lingua effari, nec pagina valet continere. Dereliquiſti, quod derelinquendum erat, adepta es, quod deſideravit anima tua. Exaudivit Dominus orationem tuam, & vidit lacrymas tuas, quas, multis peractis, fudiſti in conſpectu ejus, & quod paululùm videbatur impedire ad capiendam æternam beatitudinem, truncavit à te, ut ſoluta à vinculo familiarium & libera ab omni compede mundi hujus vaces & vivas Domino, & guſtes, quàm ſuavis eſt Chriſtus. Ipſe eſt Deus noſter, ipſe eſt rex noſter, ipſe eſt redemptor noſter; ipſe via & veritas & vita in agnitione Dei Patris, & Filii & Spiritus ſancti; ipſi ſerviendum eſt in perpetuum, de quo Pſalmiſta ait: " Quid retribuam „ Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?„ Significans, quid retribuendum ſit, illicò adjunxit: " Calicem ſalutaris accipiam & nomen Do„ mini invocabo.„

ſeculo, ac ejus liberi ſalutis viam inſiſtant;

219 O felix mors, quæ vitam tribuit! Felix amiſſio rerum, quæ divitias reſtituet ſempiternas! Felix triſtitia, quæ gaudium affert angelorum! Impræſentiarum probâſti, quantùm clementiſſimus Dominus Jeſus Chriſtus miſertus eſt tui, qui devotionem ſpiritalem, & cuſtodiam ſanctæ diſciplinæ & contemptum mundi tibi habere conceſſit, & pignora uteri tui de ærumna hujus ſeculi, & de errore præſentis vitæ eripuit, & dedit ſpem vitæ æternæ iis, quos lugere poteras quaſi mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſes in mundo; de quibus non eſt habenda mœſtitia, ſed multimoda gratiarum actio referenda Deo Patri & Domino Jeſu Chriſto. Ecce, ablata eſt caligo, quæ obſcurabat pupillam animæ, ecce, abjecta eſt ſubfaſcinatio & cura præſentis vitæ: jam non habet nudus luctam *; ubi adhæreat manus ſua, ſuſcepto jugo levi, portans crucem Chriſti.

AUCTORE C. B.

* *fortè luctans*

deinde verbi, ut patientiâ fortis eſſe pergat,

220 Sequentes igitur Dominum, ejus præcedente miſericordia, intrepidi procedamus ad certamen: fidelis enim eſt; dabit nobis victoriam, quia ipſe præliabitur pro nobis, & conteret ſatanam ſub pedibus noſtris velociter. En, quò Deus ſuos milites vocat ad certamen, quibus poſt victoriam paratas habet coronas, & talibus armis induit, qualia inimici eorum non habent, id eſt, ſcutum fidei, loricam juſtitiæ, galeam ſpem ſalutis, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignita extinguere, & gladium Spiritûs, quod eſt Verbum Dei, per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu & in ipſo vigilantes. Nihil vult Rex noſter in ſuis militibus de veteribus armis, nec de E veteri veſtimento reperire, ſed innovatos vult probare ad prælium: & ſi aliquid fuerit (quod abſit) de vetuſta conſuetudine, quamvis parvum videatur, maximum generat detrimentum, præcipuè ſi aliquid odii contra inimicos fuerit in corde, quod avertat Deus ab animo Chriſtianorum fidelium.

Chriſti exemplo inimicos diligat,

221 Quæ enim poteſt perfectior eſſe virtus, ut diligendo inimicos mereatur quis effici Filius Dei, & dimittendo debita, mereatur abſolvi à vinculo delictorum ſuorum? dicente Domino: " Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum „ ego, illic & miniſter meus erit.„ Qualem viam Dominus docuit ſequi, audi eum dicentem, cùm ad crucem iret *: " Domine Pater, dimitte „ illis, quia neſciunt, quid faciunt.„ Si Auctor vitæ æternæ, qui carnem de Virgine abſque peccati macula aſſumpſit, pro inimicis orabat, quantò magis nos, qui pleni ſumus peccatis, oportet inimicos diligere, & orare pro eis, ut imitando Dominum, & ſequendo illum, mereamur partem habere in regno illius cum Sanctis? Et ſi ſunt nonnulli, quos perverſitas vitæ in communione à nobis ſeparat, tamen in id, quòd conditi ſunt, non ſunt odiendi, ſed potiùs propter præcepta Dei diligendi. Illud namque ſummopere cavendum eſt, ut, quos divina pietas de cura rerum temporalium liberavit, nullatenus nec corpore nec animo revertantur: & ſi qua ſint, quæ jure legitimo debentur, cum omni feſtinatione vendita aut data, vel etiam diſpenſata pauperibus *, ad theſaurum regni cæleſtis, & æternam beatitudinem animus incaleſcat. Huic exemplo Maria obſequens, quæ ſedebat ad pedes Domini, audiebat verbum illius: Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium, quæ ſtetit & ait: Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare, dic ergo illi, ut me adjuvet, & reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſollicita es & turbaris erga plurima, porrò unum eſt neceſſarium; Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

* *imò cum è cruce penderet*

* *fortè addendum*: dum fuerint

222 Tanti amoris æſtu Maria intrinſecus anhelabat, ut etiam à corporali Domini miniſte-

AUCTORE C. B.

nec ad rerum mundanarum curam revertatur,

rio vacaret, & ſolam ejus potentiam Deitatis, in quantum Dominus ei præſtabat, contemplaretur. Ideò oportet, ut, quiſquis ad hanc contemplationem ſurgere meruerit, nullis impediatur obſtaculis; ſed die ac nocte pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus vacans, & obedientiam ſanctæ regulæ cuſtodiens, præſtoletur venientem Dominum, accenſa lampade: & cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiatur ei. Nichil melius, quàm timor Dei, & nichil dulcius, quàm reſpirare in mandatis ejus.

quarum loco quid in monaſterio acquiſierit, enumerans,

223 O bona domina, quod tibi pius Dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendere poteſt. Qualiter in præſentem vitam te Dominus remuneraverit, audi & auſculta. Pro obſequio famulorum dedit tibi omnes fratres ſanctos, qui quotidie pro te orant: pro ſervitio ancillarum dedit tibi ſorores ſanctas, quarum conſortio frueris: pro labore præſentis vitæ quietem in congregatione monaſterii; pro amiſſione rerum Scripturam ſanctam divinam, & meditationem ſanctam & orationem aſſiduam; pro amiſſione parentum * habes venerabilem & ſanctam dominam Itheriam abbatiſſam: eſt tibi mater, eſt tibi ſoror, eſt tibi filia. Tu itaque ei viciſſitudinem redde, quia, ut certus ſum in Chriſto Jeſu, eſt vobis cor unum & anima una.

* *i. e.* conſanguineorum

B

brevi ſermone de ſemetipſo epiſtolam terminat.

224 Ideò te confido iſta omnia accepiſſe, quia non meis meritis, ſed ſolâ miſericordiâ Chriſti, per tuam orationem & ſanctitatem omnia mihi à Chriſto collata ſunt. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideò miſericordiam conſecutus ſum, ut in me clementiſſimus Jeſus oſtenderet patientiam ſuam ad conſolationem omnium peccatorum & ſpem veniæ. Quòd minùs apud nos terrena habetur ſubſtantia, de theſauris ſanctarum Scripturarum vobis direximus; et cùm legeritis & audieritis, gratias agite Domino per ſæcula æterna. Amen. *Hactenus* Leodegarii *epiſtola, de qua ad encomia jam recitata hoc inſuper addi poteſt; quòd, cùm è Scripturæ veritatibus à Sancto jam oculis orbato ferè tota ſit contexta, argumento ſubſerviat, verum eſſe id, quod de* S. Leodegarii *in Scripturis ſacris eruditione num.* 3 *Urſinus affirmat.* Scripturis ſacris, *inquit*, ac legum doctrinis ſimulque canonicis penè * cunctis præcellebat parochiæ *, *id eſt, diœceſis*, quam regendam ſuſceperat, habitantibus. *Nunc ad alia Sancti geſta progrediamur.*

* *al.* præ
* *al.* in parochia

C

§ XV. Leodegarius ad aulam ex monaſterio Fiſcamnenſi arceſſitur, ut ſacerdotali honore in ſynodo à Theodorico convocata privetur: qualis hæc exſtiterit, & an in ea Sanctus de morte Childerici interrogatus & de gradu fuerit dejectus.

LEodegarius *tum ob prodigioſam linguæ, quæ ei fuerat exſecta, recuperationem, tum ob eximiam vitæ ſanctimoniam, quâ non ſolùm monaſterii Fiſcamnenſis incolis, ſed & accolis, pluribuſque aliis admirationi erat, paſſim à populo, velut* Sanctus, *prædicabatur, atque honorabatur:* Cùm poſt tot flagella, *inquit noſter anonymus num.* 44, ut decebat martyrem, fideles populi ei famulatum exhiberent venerabilem; quia non poteſt ſub modio lucerna abſcondi, manifeſtè hanc Omnipotens declaravit omnibus. *Porrò cùm, ut veriſimile eſt, egregia ſancti Viri fama magis magiſque indies invaleſceret, & longè latéque ſpargeretur, non inter poſtremos, puto, Ebroïnus fuit, ad quorum aures pervenit. Aſt hic veroſimiliter ſecundam illam de Sancto exiſtimationem percrebreſcere ægerrimè tulit; eam enim, nec immeritò, pro aperta indubiè habuerit condemnatione eorum omnium, quæ ipſe contra* Leodegarium *iniquè geſſerat, aut falsò pronuntiârat, ac proin, prout veriſimile apparet, partim nomini ſuo ut conſuleret, partim ut inveteratum in ſanctum Antiſtitem odium expleret, ſtatuit eum, quod, ut vidimus, adhuc antè fecerat, veluti necis Childerico illatæ conſcium iteratò aggredi, hujuſque deinde criminis obtentu ignominiosè habitum de medio etiam, quod jam dudum facere decreverat, tandem tollere. Ad hæc cùm præter* Leodegarium *nonnulli alii ſupereſſent epiſcopi, quos pariter habebat inviſos, voluit & in hos, uti ex dicendis fas erit colligere, ſeu morte ſeu aliis pœnis uno eodemque tempore animadvertere.*

Theodericus Ebroini ſuaſu ſynodum

E

226 Sed, *ait Valeſius tom.* 3 *Rerum Francicarum pag.* 311, quoniam ſciebat, ſolos de epiſcopis epiſcopos judicare conſueviſſe, ne cui injuriam facere velle videretur, perſuaſit Theodorico, ut concilium antiſtitum in locum diemque certum indiceret. *Ita ille; at voluit fortè etiam Ebroïnus, ut erat aſtutus, hac ratione declinare facti invidiam, utpote non ſibi, ut putabat, ſed epiſcopis imputandi, ſi nullos ipſe ex eorum ordine, niſi ſynodo convocata, eaque vel aſſentiente, vel ſaltem non repugnante, pœnâ afficeret. Utut ſit, Theodoricus concilium ſeu ſynodum convocavit, idque anno* 678. *Etenim ubi anonymus num.* 44 *narravit,* Leodegario *de inimicorum ſuorum interitu nuntiatum fuiſſe, poſtquam biennio ferè in monaſterio Fiſcamnenſi reſediſſet, mox ſubdit:* Eodem tempore vir glorioſus Theodericus rex & idem Hebroïnus ſynodum convocaverunt, & ad quamdam villam regiam venientes, multam epiſcoporum turbam adeſſe fecerunt. *Quare, teſte anonymo, ſynodus illa, de qua hîc ſermo eſt, celebrata eſt biennio ferè poſt* Leodegarii *ad monaſterium Fiſcamnenſe acceſſum, atque adeò anno* 678, *cùm* Leodegarius, *ut ſuprà oſtenſum eſt, anno* 676 *ad monaſterium Fiſcamnenſe acceſſerit, annique ferè bini, quibus ibidem reſedit, additi anno* 676 *ad annum* 678 *perducant. Urſinus num.* 18 *ſynodi à Theodorico & Ebroïno convocatæ pariter meminit, idque iiſdem planè verbis, quibus anonymus, ſed proximè apud hunc antecedentia omittit, nihilque aliud ſuggerit, ex quo ſynodi illius epocham certò definias; at cùm hæc ex ſolo anonymo ſat certò jam definita ſit, ad aliud progredior.*

anno 678 convocata;

227 *Queri hîc jam poteſt, an memorata illa ab anonymo ſynodus eadem ſit cum ſynodo, in qua Chramlinum Ebredunenſem epiſcopum ſede ſua depoſitum fuiſſe, indicat diploma, quod Mabillonius libro ſexto de Re diplomatica pag.* 469 & 470 *recenſet, quodque Theodericus III Francorum rex anno quinto regni ſui, medio menſe Septembri*

probabile eſt hanc eamdem eſſe

A *ptembri de præfato Chramlino emiſit. Sententia, quæ ſynodum anonymi eamdem facit cum ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus, idcirco poteſt pro probabili haberi, quòd certò non conſtet, binis illis ſynodis epochas eſſe diverſas, & quatuor interim characteres præcipui, quibus anonymus ſynodum ſuam diſtinguit, etiam in prædicto Theodorici diplomate attribuantur ſynodo, in qua Chramlinus de gradu fuit dejectus. Etenim characteres illi quatuor præcipui, quibus anonymus ſynodum à ſe memoratam diſtinguit, in eo unicè conſiſtunt, quòd ſynodo multi interfuerint epiſcopi, quòd quidam ex iis fuerint puniti, quòd illa a Theodorico convocata, celebrataque ſit in villa quadam regia; ii ipſi autem characteres etiam ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus, à Theodorico in laudato diplomate aſſignantur. Ut id manifeſtum fiat, tam anonymi quàm diplomatis verba huc facientia hîc deſcribo. Anonymi num. 44 & 45 hæc ſunt:* Eodem tempore vir glorioſus Theodericus rex & idem Ebroïnus SYNODUM CONVOCAVERUNT, & AD QUAMDAM VILLAM REGIAM VENIENTES, MULTAM EPISCOPORUM TURBAM ADESSE FECERUNT; ibique inter ce-

B teros Deddo (qui ſanctum virum Leodegarium cum Waimiro expulit de epiſcopatu, & pœnæ tradidit) condemnatus ab ipſa ſynodo pœnam calvariæ accepit in capite, expulſus & ſegregatus à ſancta congregatione; deinde exilio condemnatus, morteque ſecuta, pœnâ capitis digeſſit *, quidquid doloris * in ſancto Viro exercuit. ALII verò epiſcopi tunc à rege per Hebroïnum IN IPSA SYNODO POENAM SIMILEM SORTITI, PERPETUO EXILIO SUNT DEPORTATI.

* *al.* exſolvit
* *al.* doli

228 *Diploma verò ſub initium hæc habet:* Theudericus rex Francorum, viris inluſtrebus Audoberctho & Rocco noſtris patriciis, ac omnebus ducis ſeu comitebus, vel actoribus publicis. DUM ET EPISCOPOS DE RIGNA NOSTRA, TAM DE NIUSTER, QUAM ET DE BURGUNDIA, pro ſtatu Eccleſiæ vel confirmacione pacis AD NOSTRO PALATIO MARLACO VILLA JUSSEMUS ADVENIRE; & ALIQUI EX IPSIS, qui in fidelitate noſtra fuerant inventi, PER EORUM CANNONIS FUERANT JUDECATI; inter ipſos adfuit Chramlinus filius Miecio quondam, qui epiſcopatum Ærebreduna civitate habuit, inventum eſt, quòd ſua præſumtione, vel per falſa carta, ſeu per revellationis * audacia, ſed non per noſtra ordenacione ipſum æpiſcopatum reciperat; etiam nec ſicut eorum cannonis continent, ad ipſum benedicendum ſollemniter epiſcopi non adfuerunt. Unde Geneſio, Chadune, Blidramno, Landoberctho & Terniſco, qui metropoli eſſe videntur, vel reliqui quamplures epiſcopi ipſus judicantis, in noſtri præſentia fuit conſciſſus, adque de ſupradicto epiſcopato rejectus. *Tale eſt diplomatis à Theodorico dati initium, in quo ſanè per verba, quæ majoris formæ litteris hîc expreſſa ſunt, etiam ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus, eos ipſos quatuor characteres ſuprà recenſitos attribuit, quibus anonymus per verba, quæ majoribus litteris in ejus textu num. præcedenti recitato pariter exprimuntur, ſynodum à ſe memoratam diſtinguit, ac proin probabile eſt hanc ab illa non eſſe diverſam.*

* *i. e. notat Mabil. in margine* rebellionis

C

229 *Aſt, inquies, ſi ſynodus, in qua Chramlinus fuit depoſitus, eadem ſit cum ſynodo anonymi, conſequens eſt, illam, cùm hæc, ut ex jam dictis liquet, anno 678 celebrata ſit, ad eumdem annum 678 eſſe referendam; ac proin etiam ad annum illum referendum eſſe Theodoricianum de*

cum ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus;

non tamen id certum ſit

Chramlino diploma, in quo eadem illa ſynodus memoratur; unde ulteriùs conſequitur, ut penitus ruat præcipuum Pagii argumentum num. 119 & 120 pro morte Childerici II Francorum regis anno 673 innectenda propoſitum, quod illam mortis Childerici epocham non probat, niſi Theodorici de Chramlino diploma ſeu placitum anno 677 ſtatuatur emiſſum. Si enim id anno 678 aſſigendum ſit, computati ab anno illo ordine retrogrado anni quinque incompleti, quibus Theodoricum in jam ſæpe dicti diplomatis ſubſcriptione, cùm id ederet, Neuſtriæ & Burgundiæ regnum tenuiſſe innuitur, non neceſſariò perducunt ad annum 673, quo per conſequens Theodoricum in Neuſtria & Burgundia regnare incepiſſe, minimè probabit in hypotheſi facta Pagii argumentum, ac proin nec probabit, Childericum, proximum Theodorici deceſſorem, anno illo regnare deſiiſſe ſeu è vivis exceſſiſſe. Fateor, rueret penitus præfatum Pagii argumentum, ſi certum foret, ſynodum ab anonymo memoratam eamdem eſſe cum ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus, ac proin hanc anno 678 eſſe celebratam. Verùm id non certum, ſed probabile tantùm eſt, ut num. præcedenti aſſerui, ac proin Pagii argumento manet vis ſua, E *eoque ſaltem eſt probabile, Childericum II Francorum regem proximè ante annum 674 ſeu anno 673 obiiſſe, licèt interim, ut num. 119 etiam monui, tale illud non ſit, ut nulla ratione poſſit dilui. Porrò advertat hîc ſtudioſus lector, non parum referre, certumne ſit, an tantùm probabile, Theodoricianum de Chramlino diploma anno 678 eſſe conditum. Si enim id anno 678 certò ſit conditum, conſequens eſt, ut Dagobertus II Auſtraſiæ rex anno illo poſt* XXV *Martii adhuc in vivis fuerit ſuperſtes, cùm illud, hoc vivente principe, datum ſit, idque medio menſe Septembri, ut in ſubſcriptione notatur:* Datum medio menſe September, annum V rigni noſtri, Marlaco in Dei nomine feliciter.

vel ex Sigeberto, vel ex eo, quòd alioquin duæ ſynodi

230 *Quòd ſi autem Dagobertus II anno 678 poſt* XXV *Martii adhuc in vivis fuerit ſuperſtes, prorſus convellitur, quod in chronologia non parvi momenti eſt, Pagii opinio, quâ hic mortem Dagoberti II anno 678 uſque ad* XXV *Martii nondum provecto illigat, confirmaturque contrà non parum rerum ad Dagobertum II ſpectantium chronotaxis, ſecundùm quam mors ejus uſque ad annum 680 ab Henſchenio noſtro in Exegeſi Præliminari ad tom. 3 Aprilis, atque ab aliis multis hodieque differtur; ac proin erit fortaſſe ex his non nemo, qui, ut chronotaxi illi qualecumque pondus accedat, probabile non eſſe contendat, ſynodum anonymi noſtri diverſam eſſe à ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus. Primò quidem, quia Sigebertus Gemblacenſis in Chronico meminit tantùm unius ſynodi à Theodorico III Francorum rege Ebroïni conſilio convocatæ; deinde verò, quia parum veriſimile apparet, tempore non multùm diverſo, anno ſcilicet 677 & 678, duas ſynodos diverſas celebratas fuiſſe, in quibus ambabus varii epiſcopi de gradu fuerint dejecti. Quod ad primum ſpectat, reſpondeo, Sigebertum Gemblacenſem non tradere niſi rerum Theodorici ætate geſtarum epitomen, ac proin multas ſilentio involvere, ut mirum videri non debeat, quòd unius tantùm ſynodi tunc convocatæ meminerit, etſi interim duæ forſan fuerint celebratæ. Adde, hunc ſcriptorem, utpote anno 1113 vitâ functum, ſeculis circitèr quatuor poſt Theodoricum florere incepiſſe, ac proin facilè fieri potuiſſe, ut unius tantùm ſynodi à rege illo convocatæ habuerit notitiam, licèt in-*

F

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

terim hic fortè duas diversas convocârit. Quod verò ad secundum pertinet, parum scilicet verisimile apparêre, duas synodos diversas, tempore etiam non multùm diverso, fuisse celebratas, in iisque ambabus varios episcopos de gradu fuisse dejectos. Respondeo, posse id forsan parùm verisimile apparêre, si Ebroïni mores non attendantur, non item, si hi attendantur. Etenim hic præcipiti quadam ira abreptus plùs vice simplici in episcopos sæviisse noscitur, ac proin vero absimile non est, eum plùs semel etiam antistitum plurium conventum seu synodum, idque intra breve temporis spatium, celebrari curâsse, ut ab iis fraude & dolo circumventis properè multari faceret varios primariæ notæ sacerdotes, quos non simul, sed per vices habebat exosos.

similes brevi tempore fuerint celebratæ,

231 *Certè id Mabillonio vero absimile visum non est; licèt enim tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 541 *affirmet,* Leodegario *episcopalem dignitatem abrogatam fuisse in eadem synodo, in qua Chramlinus & quidam alii episcopi secundùm canones, ut innuit Theodorici diploma, fucre judicati, illam nihilominus ac proin etiam hanc distinguit à synodo per anonymum memorata, in qua pariter quidam episcopi fuêre judicati, variéque multati. Etenim in hac, teste eodem anonymo, Diddo Cabilonensis quondam episcopus propudiosè fuit exauctoratus; asserit autem laudatus Mabillonius eodem tomo paginâ proximè citatam præcedenti, hunc non in eadem synodo, in qua* Leodegarius, *sed in alia ignominiam illam subiisse. En ejus verba:* Aderant, *inquit*, in palatio plurimi de more episcopi, quibus in unum convenire, & de Leodegarii causa sententiam ferre mandatum est. Productus in medium Vir sanctus, postquam seorsim regi multa futura prædixisset, tamquam reus in ordinem redactus est: ejus tunica sacerdotali à capite conscissa, qui ritus exauctorandorum episcoporum erat, ut in causa Prætextati Rotomagensis factum, Gregorius Turonicus refert. Alio modo Dido pseudepiscopus paullò ante Leodegarium, itidem in alia synodo episcoporum, è sancta congregatione expulsus fuerat, capite penitus decalvato, ut in eo coronæ sacerdotalis insigne omnino abraderetur. Qualem pœnam monacho, infandi criminis reo, Fructuosus episcopus in regula prima decernit. *Ex quibus sanè manifestè intelligitur Mabillonius synodum ab anonymo memoratam distinguere à synodo, in qua, ut putat,* Leodegario *ac Chramlino sacerdotalis dignitas fuit abrogata, ac proin velle duas synodos diversas, in quibus ambabus varii episcopi fuere depositi, celebratas fuisse, idque, ut verba proximè recitata innuunt, intra breve temporis spatium, ut per consequens id auctori illi vero absimile visum non fuerit, proindeque nec nobis videri debeat, cùm nulla ad id ratio convincens adigat, imò potiùs ad contrarium non inepta possit impellere.*

cùm tunc in Francia frequentes essent generales regni conventus,

232 *Etenim duæ synodi, altera à Theodorico rege in diplomate de Chramlino, altera ab anonymo nostro memorata, regni fortè comitia seu conventus generales fuerunt, ad quos non tantùm episcopi, sed & optimates à rege convocati solebant confluere. Conventus autem hujusmodi seu comitia frequenter olim à Francis celebrabantur. Liquet id ex concilio Suessionensi anni* 744, *quod hujusmodi etiam conventus fuit. Etenim canone illius secundo (vide Sirmondum tom.* 1 *antiquorum Galliæ Conciliorum pag.* 544) *ita sancitur:* Cum consensu episcoporum, sive sacerdotum, seu servorum Dei & optimatum meorum consilio decrevimus, ut annis singulis synodum renovare debeamus, qualiter populus Christianus ad salutem animarum pervenire possit. *Canonem hunc parte* 2, *lib.* 3, *cap.* 47 *de Veteri & Nova Ecclesiæ Disciplina etiam profert Thomassinus, moxque subdit:* Hi conventus, qui regnante Clodovæi prosapia frequenter habebantur, non quolibet tamen anno; ea pessum eunte & concidente, cœperunt annis singulis haberi; sub Caroli Magni stirpe bis anno quolibet adgregari cœpti sunt, instar regni comitiorum, convenientе in ea clero & nobilium ordine. *Quòd si ergò hi conventus sub Carolo Magno bis, sub Pipino semel quotannis haberi soluerint, frequentesque etiam, regnante Chlodovei prosapia, exstiterint, certè vero absimile videri non debet, duos hujusmodi conventus, anni tantùm spatio invicem sejunctos, sub Theodorico III Francorum rege Chlodovei prosapiâ oriundo habitos fuisse, si præsertim id ex re sua judicaverit Ebroïnus, uti illum verosimiliter judicâsse jam innuimus, ut episcopos, quos vel habuerat semper exosos, vel sibi quidem antea amicos, aut certè non adversos, lapsu verò temporis alios post alios factos invisos, conciliorum illorum seu conventuum opportunitate perderet, sicque interim famæ suæ utcumque consuleret.*

hæque verò similiter exstiterint conventus hujusmodi,

233 *Et verò synodum, in qua Chramlinus fuit depositus, generalem regni conventum fuisse, colligi posse videtur ex ipso jam sæpe memorato Theodorici de Chramlino diplomate, quod de synodo illa agit. Etenim in eo dicit Theodoricus:* Dum & episcopos de regna nostra, tam de Niuster, quàm de Burgundia pro statu Ecclesiæ vel confirmacione pacis ad nostro palatio Marlaco villa jussemus advenire. *Quibus ex verbis liquet, synodum, de qua agitur,* pro confirmacione pacis, *inter Theodoricum III scilicet & Dagobertum II sancita, fuisse celebratam. Quare, cùm pacis confirmatio non minùs regni optimates, quàm episcopos tangeret, verosimile est, non tantùm hos, sed etiam illos ei interfuisse, ut adeò generalis regni conventus verosimiliter exstiterit. Ad hæc Theodoricus in præfato diplomate etiam sic ait:* Ideo nus unà cum consilio suprascriptorum ponteficum vel procerum nostrorum complacuit, quatenus dum secundum cannonis in ipso senodale consilium fuerat (*Chramlinus*) degradatus, res suas proprias pertractavemus, pro mercidis causa, perdere non debirit. *Quibus verbis innui videtur, cum episcopis etiam regni optimates seu proceres synodo, de qua agitur, interfuisse, ut proinde hæc & ex hoc capite generalis regni conventus fuisse videatur. Quod autem pertinet ad synodum ab Ursino & anonymo memoratam, hanc quoque generalem regni conventum fuisse, probabile saltem, quantùm opinor, ex infrà dicendis evadet. Neque ej.*, quòd dicas, *episcoporum conventum, de quo anonymus in Vita Sancti nostri, & Theodoricus in diplomate sæpissimè memorato agunt, ab hoc* senodale consilium, *ab illo* synodum *vocari, hasque nomenclaturas comitiis seu generalibus regni conventibus non competere. Etenim comitia seu generales regni conventus indiscriminatim nunc* synodos, *aut* synodales conventus, *nunc* synodalia concilia *aut etiam* consilia *in antiquis monumentis nominari invenio.*

qui in antiquis monumentis,

234 *Rem sic ostendo. Concilium Liptinense primum, ut Thomassinus in Veteri & Nova Ecclesiæ Disciplina tom.* 2, *lib.* 3, *cap.* 47 *num.* 2 *rectè asserit, certissimè conventibus, seu comitiis generalibus accensendum est, & tamen in ipsa Præfatione,*

A *ne, quam apud Sirmondum tom.* 1 *antiquorum Galliæ Conciliorum pag.* 537 *præfert*, ſynodus & concilium *vocatur à Carolomanno duce & principe Francorum, qui illud, ut ex eadem Præfatione intelligitur, anno* 742 *convocavit. Item anno* 743 *rurſus alia apud Liptinas ſynodus celebrata fuit. Hujus primus canon apud laudatum Sirmondum Opere & tom. citatis pag.* 540 *ſic incipit:* Modò autem in hoc ſynodali conventu, qui congregatus eſt ad Kalendas Martias in loco, qui dicitur LIPTINAS, omnes venerabiles ſacerdotes Dei, & comites & præfecti, prioris ſynodi decreta conſentientes firmaverunt, ſeque ea implere velle & obſervare promiſerunt. *Fuit ergò illa ſynodus, ut ex verbis canonis recitatis liquet, non ſolùm ex epiſcopis, ſed & ex regni optimatibus compoſita, ac proin conventus regni generalis, vocaturque nihilominus* ſynodalis conventus. *In Annalibus Bertinianis apud Cheſnium tom.* 3 *Scriptorum Francorum conventus regni generales ſeu publicos nomine etiam* ſynodi *inſignitos pluribus locis invenio, atque in primis quidem ad annum* 767 *&* 773. *Priori enim loco hæc habentur:* Ibi (*in Aquitania*) ſynodum fecit (*Pippinus rex*) cum omnibus Francis ſolito more in B campo. *Poſteriori verò illa:* Tunc ſynodum rex Carolus (*Magnus ſcilicet*) tenuit generaliter cum Francis apud Jenuam civitatem, ibique exercitum dividens, perrexit ipſe per montem Ceniſium. *Ex quibus omnibus perſpicuum fit, generales regni conventus in antiquis Monumentis etiam* ſynodi, *aliamve affinem appellationem ſortiri.*

etiam ſeculi VII 235 *Quòd ſi opponas, utrumque Liptinenſe concilium & Annales Francorum Bertinianos monumenta eſſe ſeculo* VII *poſteriora, ac proin, licèt in iis comitia ſeu conventus generales nomine* ſynodi *aut* ſynodalis concilii *veniant, conſequens non eſſe, ut id pariter fiat in monumentis vel ſeculo* VII *anterioribus, vel ipſiuſmet tantùm ſeculi* VII. *Reſpondeo, id quidem inde non certò conſequi, at veriſimile ſaltem fieri. Ut autem fiat certum aut ſaltem multò veroſimilius, lubet hîc etiam in ſubſidium vocare edictum de ſynodo quinta Pariſienſi à Clothario II Francorum rege ſeculo* VII *cditum. Recenſet illud Sirmondus tom.* 1 *Antiquorum Galliæ Conciliorum pag.* 474 *& duabus ſequentibus, ubi ſub finem ita loquitur Clotharius:* Quicumque verò hanc deliberationem, *id eſt, conſtitutionem*, quam cum pontificibus, vel tam C magnis viris optimatibus, aut fidelibus noſtris in ſynodali concilio inſtituimus, temerare præſumpſerit, in ipſum capitali ſententia judicetur, qualiter alii non debeant ſimilia perpetrare. *Quibus verbis, cùm conſtitutio, de qua Clothario ſermo eſt, non ſolùm cum epiſcopis, ſed etiam cum optimatibus inſtituta memoretur, deſignari haud dubiè vides conſtitutionem editam in comitiis regni ſeu generali epiſcoporum & optimatum conventu, hunc que à Clothario* ſynodale concilium *nuncupari. Ad hæc præfato edicto hic titulus præfigitur:* Edictum vel conſtitutio inclyti principis Chlotacharii regis ſuper omnem plebem in conventu epiſcoporum in ſynodo Pariſius adunata, ſub die quinto decimo Kal. Novembris, anno xxxi ſupraſcripti regis imperii. *Quibus verbis diſtingui videtur inter epiſcoporum conventum & ſynodum, atque adeò per ſynodum veroſimiliter intelligitur non ſolùm epiſcoporum, ſed etiam optimatum conventus. Quapropter, niſi fortè, quod tamen non apparet, prædictus titulus Clotharii conſtitutioni à poſterioris ſeculi ſcriptore fuerit adjectus, perſpicuum fit, in monumento ſeculi* VII *conventum regni generalem* ſynodi *etiam nomine venire, ut adeò conventus regni generales indiſcriminatim* ſynodalia concilia, *&* ſynodi *ſeculo etiam* VII *veroſimiliter fuerint nuncupati.* AUCTORE C. B.

ſynodi nuncupantur. Leodegarius ad aulam 236 *Porrò laudatus Thomaſſinus tom. & lib. ejuſdem Operis citatis cauſam etiam inſinuat, ob quam generales illi conventus* ſynodorum *etiam ſeu* ſynodalium conciliorum *nomine venerint.* Generales, *inquit ante capitis* 47 *initium*, hi conventus in duos ſinguli ſecabantur rurſus conventus, quorum in uno epiſcopi procereſque de regni rebus, jubente rege, tractabant, in altero ſoli epiſcopi ſpirituales verſabant cauſas. *Tum, nonnullis præmiſſis, cap. citato ſic ſcribit:* Horum duorum conventuum, *in quos ſecabantur conventus generales*, prior placitum dicebatur, poſterior ſynodus; cúmque eodem loco, & tempore haberentur, iiſdemque conſtarent epiſcopis minùs illos plerique hiſtorici diſcrevêre, promiſcuè permixtis & nominibus & conventibus. *Quibus verbis innuitur, binos illos conventus, in quos conventus generales ſecabantur, indiſcriminatim ſeu promiſcuè nunc* placiti, *nunc* E ſynodi *aut etiam* ſynodalis concilii *nomine apud hiſtoricos venire, idque quia ambo* in eodem loco, *id eſt, ut puto, in eadem urbe vel palatio*, & tempore, *id eſt, ut apparet, eodem menſe vel anno habebantur, iiſdemque conſtabant epiſcopis. Hæc, quæ de ſingulorum conventuum generalium in duos alios ſectione, deque eorum nomenclatura, ex Thomaſſino hîc dicta ſunt, difficultati, ut ex dicendis pateſcet, non parvæ enodandæ mox ſervient, ac proin fuſiùs tractanda fuêre. Ceterùm cùm ſatis ſuperque ex jam dictis liqueat*, ſynodorum *ſeu* ſynodalium conciliorum *nomine apud hiſtoricos, & in antiquis monumentis venire comitia ſeu conventus regni generales, ſitque vero non abſimile, duos hujuſmodi conventus, tempore non multùm diverſo, anno ſcilicet* 677 *&* 678 *à Theodorico rege Ebroïni conſilio fuiſſe celebratos, conſequens eſt, ut ſit pariter vero non abſimile, ſynodum anonymi & ſynodum, cujus Theodoricus in diplomate de Chramlino meminit, tempore non multùm diverſo, alteram nempe anno* 677, *alteram anno* 678, *fuiſſe celebratas, ut proin nihil ſit, ex quo certum fiat, ſynodum anonymi diverſam non eſſe à ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus.*

F *arceſſitur, ut in ſynodo memorata deponatur; at an huic* 237 *Utut ſit, certum interim eſt*, Leodegarium, *quod propiùs huc ſpectat, ad aulam iterum Ebroïni impulſu arceſſitum, ibique, cùm ſynodus ab anonymo & Urſino memorata celebraretur, ignominiosè habitum fuiſſe. Primum apertè docet anonymus his verbis:* Adhuc enim, *ait num.* 45, vir Dei Leodegarius in eodem (*Fiſcamnenſi ſcilicet*) monaſterio ſanctimonialium, in quo ad cuſtodiendum poſitus fuerat, eqmmorabatur. Igitur ad beati Martyris fabricandam coronam artifex verſutus ex illis Hebroïnus tyrannus ſuperfuit unus, qui ea, quæ paſſionis ejus gloriæ ſupererant, adimplere deberet. Ita enim antiquus ſerpens invidus, moleſtè ferens, ſe ab eodem loco (*Fiſcamno veroſimiliter*) ejus orationibus fuiſſe expulſum, ſtimulare rurſus cœpit Hebroïnum; atque reduci eum (*Leodegarium*) præcepit (*Ebroïnus nempe*) ad palatium, ut in epiſcoporum concilio ejus diſrumperet veſtimentum, quatenus ob hoc ei eſſet interdictum, ut ultrà offerre non præſumeret Sacrificium. Tum enim, *inquit Valeſius tom.* 3 *Rerum Francicarum pag.* 313, epiſcopo, diſciſsâ tunicâ, à collegis

AUCTORE C. B.

Sacrificii oblatio interdicebatur, *cui Sanctus noſter in monaſterio Fiſcamnenſi, ut antè docuimus, quotidie vacabat. Urſinus non apertè prodit*, Leodegarium *ad aulam, cùm ſynodus à Theodorico convocata celebraretur, fuiſſe arceſſitum; ſed id ipſum ſatis declarat, dum num.* 19 *ait, ſanctum Antiſtitem vocatum fuiſſe ad ſynodum, quæ Theodorici juſſu convenerat ad villam quamdam regiam; quò Theodoricus ipſe & Ebroïnus ſeſe contulerant, ut adeò tunc ibidem aula indubiè exſtiterit, certumque fiat tam ex Urſino quàm anonymo*, Leodegarium *ad aulam, cùm ſynodus, quam hi memorant, celebraretur, fuiſſe arceſſitum. Verùm hîc ingens occurrit difficultas. Oritur hæc ex anonymi noſtri verbis proximè recitatis, & ex iis, quæ his, nulla alia voce interpoſita, num.* 46 *ſubjungit.*

interfuit? Difficultas circa id ex anonymo noſtro

238 *En illa:* Ubi, *inquit*, cùm deductus fuiſſet (*Leodegarius*) ad medium, inquiſierunt ab eo verbum, ut de Hilderici morte fuiſſe confiteretur ſe ſocium *. Cognoſcens igitur, per diabolicum commentum rurſum ſibi imminere conflictum, ut de humano ſe non excuſaret delicto, ita de hoc facinore nullatenus * fuiſſe ſe conſcium, ſed Deum potiùs, quàm homines hoc ſcire, profeſſus eſt. Tunc & ipſum ad eamdem ſynodum accerſierunt, non tamen intra concilium confirmant fuiſſe, ſed ſeorſum rex & Hebroïnus * cum eo collationem feciſſe dicuntur, in qua eis multa prædixiſſe fertur futura, quæ eveniſſe manifeſta convincitur. Et cùm diu flagitantes ei aliud non valuiſſent elicere, ejus tunicam conſciderunt à capite, eumque Rodoberto * cuidam viro, qui tunc comes erat palatii, juſſit tyrannus impius Hebroïnus * tradere *, & præſentem vitam in gladii percuſſione auferre. *Hactenus anonymus, cujus ſanè verba non parvam difficultatem creant. Cùm enim hic ſcriptor ſub finem verborum, quæ num. præcedenti ex illo recitavi, dicat* Leodegarium *juſſu Ebroïni reductum fuiſſe* ad palatium, ut in epiſcoporum concilio ejus diſrumperet veſtimentum, quatenus ob hoc ei eſſet interdictum, ut ultrà offerre non præſumeret Sacrificium, *proximèque ſubjungat*, ubi, cùm deductus fuiſſet (*Leodegarius ſcilicet*) ad medium, inquiſierunt ab eo verbum, ut de Hilderici morte fuiſſe confiteretur ſe ſocium *, *inſinuare videtur*, Leodegarium *fuiſſe in concilio ſeu ſynodo*, cùm inquiſierunt ab eo verbum, ut de Hilderici morte fuiſſe confiteretur ſe ſocium, *id eſt, cùm petierunt ab eo, an necis Childerico illatæ conſcius fuiſſet. Porrò cùm idem anonymus, ubi* Leodegarium *criminis illius reum ſe negâſſe aſſeruit, mox ſubdat:* Tunc & ipſum (*Leodegarium*) ad eamdem ſynodum accerſierunt, *innuere videtur, ſanctum Antiſtitem, dum prædictam interrogationem ſubiit, in concilio ſeu ſynodo non fuiſſe, ac proin, cùm fieri non poſſit, ut* Leodegarius *tunc fuerit, & non fuerit in concilio ſeu ſynodo, ſecum ipſemet pugnare videtur hic ſcriptor, difficileque dictu eſt, quî certò exponi debeat, aut intelligi.*

orta, quam vitare niſus videtur Sirmondus,

239 *Sirmondus, qui ſynodum illam ex anonymo tom.* 1 *Antiquorum Galliæ Conciliorum pag.* 510 *recenſet, difficultatem hanc advertit, hincque veroſimiliter textum, quo* Leodegarii *ad aulam acceſſum, adjunctaque eum comitata anonymus exponit, non integrum, ſed ex parte tantùm, monito tamen lectore, in Opus ſuum intulit. Quippe hic ſcriptor poſt verba, quibus anonymus narrat*, Leodegarium *juſſu Ebroïni ad palatium fuiſſe reductum*, ut in epiſcoporum concilio ejus diſrumperet veſtimentum, quatenus ob hoc ei eſſet interdictum, ut ultrà offerre non præſumeret Sacrificium, *ſequentia proximè locavit:* Tunc ergò ipſum (*Leodegarium*) ad eamdem ſynodum accerſierunt, *ante quæ tamen apud anonymum hæc leguntur:* Ubi cùm deductus fuiſſet, inquiſierunt ab eo verbum *&c. Nemo autem non videt, difficultatem omnem, verbis his à textu anonymi reſectis, evaneſcere, ut ſolo illius vitandæ intuitu à Sirmondo videantur reſecta, atque adeò hic eamdem adverterit, ſolvere tamen vel non potuerit vel certè id facere non ſtuduerit. Porrò licèt laudatus Sirmondus anonymi noſtri textum modo jam expoſito parùm aptè truncârit, nihil tamen loco citato ſcribit, quod non ſit exactæ veritati conforme. Tantummodò enim quantum ad præſens inſtitutum ait, doceri ab anonymo*, Leodegarium, tametſi *ad ſynodum* accitus fuerat, ut à ſynodo damnaretur, ſynodum tamen ingreſſum non fuiſſe, ſed ſeorſim à rege auditum, mortique addictum, *quod nec cum anonymo noſtro, nec cum Urſino pugnat, uti ampliùs pateſcet ex dicendis, cùm de difficultate tractari jam cœpta plura protulero.*

nec ſat feliciter ſolviſſe Valeſius & Mabillonius,

240 *Hanc etiam adverterunt Valeſius & Mabillonius, ſuntque idcirco, ut apparet, ſolvere etiam utcumque conati; hic quidem tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 540, *ille verò tom.* 3 *Rerum Francicarum pag.* 313. *Hunc in finem locis citatis anonymi verba, quibus innui videtur*, Leodegarium, *cùm de nece Childerici interrogatus fuit, concilio ſeu ſynodo à Theodorico convocatæ interfuiſſe, ita interpretati ſunt, ut ſignificent, ſanctum Antiſtitem, cùm primùm ad aulam reductus eſt, non in medio epiſcoporum concilio, ſed in medio palatio, ubi concilium congregatum erat, comparuiſſe, ibique ab Ebroïno & Theodorico de nece Childerici interrogatum fuiſſe. Verùm poſterioris hujus adjuncti ne verbo quidem meminit Urſinus; quod autem ad anonymum pertinet, ait quidem is, Theodoricum & Ebroïnum de nece Childerici* Leodegarium *interrogâſſe, imò & urſiſſe, ut necis illius conſcium ſeſe fuiſſe, fateretur, at non aſſerit id accidiſſe, ut primùm Sanctus ad palatium ſive aulam reductus eſt. Accedit, quòd non facilè, ut apparet, Valeſii & Mabillonii interpretationem patiantur anonymi verba, quibus, ut dixi, innui videtur*, Leodegarium, *cùm ad aulam primò reductus de nece Childerici interrogatus fuit, concilio ſeu ſynodo à Theodorico indictæ interfuiſſe. Verba illa, ut res fiat clarior, hîc iterum repeto.* Reduci eum (*Leodegarium*) præcepit (*Ebroïnus*) ad palatium, ut in epiſcoporum concilio ejus diſrumperet veſtimentum, quatenus ob hoc ei eſſet interdictum, ut ultrà offerre non præſumeret Sacrificium. Ubi, cùm deductus fuiſſet ad medium, inquiſierunt ab eo verbum, ut de Hilderici morte fuiſſe confiteretur ſe ſocium *. *Quæ ſanè, ut mihi quidem apparet, in ſenſu obvio accepta ita nequeunt exponi, ut ſignificent* Leodegarium, *cùm primò ad aulam reductus eſt, de nece Childerici ab Ebroïno & rege interrogatum fuiſſe. Etenim præteritum plurale* inquiſierunt *in ſenſu obvio referendum videtur ad* epiſcopos, *ac proin verbis recitatis ſignificatur, hos præfatam interrogationem feciſſe, idque in medio concilio, ut adeò anonymi verba mox iterum hîc repetita non facilè patiantur Valeſii & Mabillonii interpretationem, hique proinde viâ, quam ineunt, difficultatem num.* 238 *propoſitam non ſat feliciter ſolvant. Oſtendo nunc, qua ratione hæc, ut mihi quidem apparet, certiùs ſolvi queat,*

* *al. deeſt* Hebroïnus B

* *al.* Chrodoberto *&* Roberto

* *al. deeſt* Hebroïnus

* *al.* tradi

* *al.* conſcium C

* *al.* conſcium

* *al. addit.* dixit

A *queat, ſive quomodo inter ſe componi poſſint duo hæc in ſpeciem pugnantia aſſerta :* Leodegarius *fuit, &* Leodegarius *non fuit in concilio ſeu ſynodo, quando in aulam primò reductus de nece Childerico illata interrogatus fuit.*

facilè ſolvitur ex eo, quòd ſynodus illa, ut verisimile

241 *In memoriam hîc revocanda ſunt, quæ jam hoc § de comitiis ſeu conventibus regni generalibus olim habitis, eorumque nomenclatura diſſeruimus; primò ſcilicet conventus illos ſingulos in duos alios ſecari ſoluiſſe, quorum alter erat epiſcoporum tantùm, ſive in quo ſoli epiſcopi res purè ſpirituales, aliaſve ad forum ſuum ex conſuetudine ſpectantes verſabant, alter epiſcoporum ſimul & optimatum, ſive in quo epiſcopi ſimul proceresque de regni rebus, jubente rege, tractabant; deinde verò conventus illos omnes, generales juxta ac alios, in quos ii ſecabantur, apud antiquos ſcriptores indiſcriminatim nomine* ſynodi, & ſynodalis concilii *ſeu* conſilii *veniſſe. Hiſce prænotatis, nullo negotio inter ſe componi queunt, quæ in ſpeciem pugnantia anonymus num.* 45 *&* 46 *inſinuat. Dum enim ibidem innuit, fuiſſe & non fuiſſe in concilio ſeu ſynodo* Leodegarium, *cùm circa necem Childerici interrogaretur, intelligendus eſt de duplici ejuſdem ſynodi conventu ſeu conſeſſu,* B *ita ut ſynodus, de qua agit, conventus regni generalis exſtiterit, in duos alios conventus ſeu conſeſſus mox deſignatos diſtinctus, quorum uni, nempe epiſcoporum, interfuerit, alteri verò, nempe epiſcoporum ſimul & optimatum, non interfuerit ſanctus Antiſtes. Liquet id ex ipſomet anonymo dum num.* 45 *ſynodum ſeu concilium, cui, ut num.* 238 *docuimus, Sanctum noſtrum interfuiſſe innuit, cum addito vocat* epiſcoporum concilium; *ſynodum verò ſeu concilium, cui, ut ibidem etiam docuimus, eumdem Sanctum noſtrum non interfuiſſe inſinuat, ſimpliciter ſine addito* ſynodum *appellat, ut adeò hic ſcriptor in duos conventus ſeu conſeſſus diverſos, quorum unum* epiſcoporum concilium, *alterum ſimpliciter* ſynodum *nominat, ſynodum à ſe memoratam diſtinguat, hæcque per conſequens conventus regni generalis exſtiterit. Id ipſum etiam colligi poſſe videtur ex eodem anonymo dum num.* 44 *ſic ſcribit :* Eodem tempore vir glorioſus Theodoricus rex & idem Hebroïnus ſynodum convocaverunt, & ad quamdam villam regiam venientes, multam epiſcoporum turbam adeſſe fecerunt. *His enim verbis inter*

C *ſynodi, ut apparet, & epiſcoporum convocationem diſtinguit, ac proin ſignificare videtur, non tantùm epiſcoporum, ſed & optimatum regni conventum ad villam quamdam regiam Theodorici & Ebroïni juſſu fuiſſe convocatum. Ab hac opinione alieni non videntur Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores. Etenim tom.* 4 *col.* 354 *hæc habent :* Rex & Ebroïnus eum (*Leodegarium*) in palatium, ubi tunc (*anno* 678) magnatum & epiſcoporum conventus agebatur, ſiſti jubent.

apparet, conventus regni generalis exſtiterit.

242 *Aſt erit fortaſſe non nemo, qui opponat ab anonymo noſtro ſynodum, cui* Leodegarium, *cùm de nece Childerici interrogaretur, non interfuiſſe innuit, vocitari* eamdem ſynodum, *proindeque per hanc ab illo deſignari epiſcoporum concilium, cui ſanctum Antiſtitem, cùm de nece Childerici interrogaretur, interfuiſſe, paulò antè innuerat, ut adeò viâ num. præcedenti expoſitâ componi inter ſe nequeant, quæ biographus ille de* Leodegarii, *cùm de nece Childerici interrogaretur, præſentia & non præſentia in concilio ſeu ſynodo inſinuat. Fateor, res ita habet, ſi anonymus per* eamdem ſynodum, *ad quam* Leodegarium, *cùm crimen ſibi objectum negâſſet, arceſſitum fuiſſe ſcribit, neceſſariò debeat intelligere epiſcoporum concilium, cujus paulò antè meminerat. Verùm qua ratione tandem id ſat certò poterit probari? Quid nî per ſynodum illam, quam ratione ſynodi antè à ſe memoratæ* eamdem *vocat, intelligere poſſit ſynodum, cujus antè convocationem nonnullaque adjuncta commemorat? Certè anonymus epiſcoporum conventum, cui* Leodegarium *interfuiſſe innuit, vocat* concilium, *ac proin, dum paulò pòſt ſcribit, ſanctum Antiſtitem* ad eamdem ſynodum *arceſſitum fuiſſe, per has voces* eamdem ſynodum *non intelligit, ut mihi quidem apparet, epiſcoporum conventum, quem paulò antè* concilium *nominavit, ſed conventum, quem paulò ſuperiùs non* concilium, *ſed* ſynodum *vocavit, quemque ego generalem regni conventum fuiſſe exiſtimo. Utut ſit, ſi anonymi verba num.* 240 *iterum repetita in ſenſu magis obvio accipiantur, ita ut ſignificent* Leodegarium, *cùm ſub initium ſui ad palatium adventus de Childerici nece interrogaretur, in concilio ſeu ſynodo fuiſſe, alia certè præter jam expoſitam ratio non ſuppetit, quâ, quæ in ſpeciem pugnantia tum ſcribit anonymus, inter ſe concilientur; quod tamen, fieri neceſſe eſt, cùm hic ſcriptor pro gravi auctore ab omnibus paſſim eruditis meritò habeatur, putandumque proinde non ſit, eum tam parùm ſibi conſtitiſſe, ut verbis proximè invicem ſequentibus duo pugnantia litteris mandârit. Diſpiciat nunc ſtudioſus lector, quid hîc velit ſtatuere, ego interim pergo ad reliqua, quæ* Leodegario *in aula, ad quam arceſſitus fuerat, contigêre.*

Sanctus, conſciſsâ ipſi non in ſynodo,

243 *Dubium non eſt, quin ibidem ſanctus Antiſtes de gradu, conſciſsâ tunicâ, fuerit dejectus. Ita enim teſtatur anonymus num.* 46. *Verùm uti mox examinandum fuit, an* Leodegarius *fuerit in ſynodo ab anonymo memorata, dum de nece Childerici interrogatus fuit, ita hîc, quod minùs eſt difficile, examinari jam debet, an ſanctus Præſul in eadem ſynodo exſtiterit, dum tunica ipſi fuit conſciſſa. Mabillonius, dum tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 540 *præſentem materiam pertractat, affirmantem opinionem amplectitur.* Aderant, *inquit loco citato,* in palatio (*dum illuc advenerat* Leodegarius) plurimi de more epiſcopi, quibus in unum convenire, & de Leodegarii cauſa ſententiam ferre mandatum eſt. Productus in medium Vir ſanctus, poſtquam ſeorſim regi multa futura prædixiſſet, tamquam reus in ordinem redactus eſt, ejus tunica ſacerdotali à capite conſciſſa. *Quibus verbis ſanè apertè indicat,* Leodegarium *in epiſcoporum concilio ſeu ſynodo de gradu, conſciſsâ tunicâ, fuiſſe dejectum. Ne autem, an hoc recitatis verbis certò innuat, dubitari fortè queat, tom. citato pag.* 541 *inſuper ait,* Leodegario *in epiſcoporum ſynodo, quam eamdem facit cum ſynodo, in qua Chramlinus fuit depoſitus, ſacerdotalem dignitatem fuiſſe abrogatam. Verùm illud tam anonymo quàm Urſino manifeſtiſſimè repugnat. Etenim anonymus verbis num.* 238 *jam recitatis deſertè affirmat,* Leodegarium *in ſynodo non fuiſſe, dum ipſi ſacerdotalis tunica fuit conſciſſa. Quod verò ad Urſinum pertinet, is nullam faciens tunicæ* Leodegario *conſciſſæ mentionem, diſertè pariter affirmat, ſanctum Antiſtitem in concilio ſeu ſynodo, ad quam fuerat arceſſitus, omnino non fuiſſe, ut Mabillonius Urſino & anonymo indubiè adverſetur, perperamque proinde affirmet,* Leodegarium *in epiſcoporum concilio*

ſeu

AUCTORE C. B.

E

F

AUCTORE C. B.

seu synodo, conscissa sacerdotali tunica, in ordinem fuisse redactum seu de gradu fuisse dejectum.

sed seorsum à quibusdam episcopis tunicâ,

244 *Verùm, inquies, si non in synodo seu concilio, ubi ergò & à quibus* Leodegarius, *conscissâ tunicâ, episcopali dignitate est privatus? Primum, ut jam monui, docemur ab anonymo num.* 46; *ibi enim ab illo dicitur* Leodegarius, *cùm ei tunica conscissa fuit, non fuisse in synodo seu concilio, sed seorsum cum rege & Ebroïno sermonem habuisse, eisque multa futura, quæ postea evenerunt, prædixisse, ut proinde juxta scriptorem illum tunc sanctus Antistes, licèt non in eodem conclavi, in quo synodus, in eadem tamen exstiterit villa regia, ad quam Theodoricus episcopos & regni optimates, ipsumque etiam* Leodegarium *ad se evocârat. Quod verò ad secundum pertinet, à quibus scilicet* Leodegarius, *conscissâ tunicâ, episcopali dignitate fuerit privatus, putat Valesius tom.* 3 *Rerum Francicarum pag.* 314 *id ab episcopis in Ebroïni gratiam factum esse, quod sanè, ut mihi quidem apparet, verosimile est. Episcoporum enim erat episcopum, si quando id justa gravisque ratio exigeret, de gradu dejicere. Episcopi autem, qui Sancto nostro tunicam conscidêre, tales verosimiliter fuerint, quos prævidè Ebroïnus sciebat vel metu vel principibus placendi adulandique studio Collegam suum,* B *licèt insontem, damnaturos, quosque idcirco fortè ad locum à synodi confessu separatum evocârit, ut ibidem ab iis* Leodegario *tunicam conscindendam curaret, quod antea in episcoporum concilio, cui Sanctus fuerat præsentatus, factum non fuisse dolebat, quodque à plena synodo factum iri multò minùs sperabat, quòd in ea verosimiliter essent non solùm aliquot episcopi, sed etiam optimates, qui* Leodegarii *innocentiam vitæque sanctitatem habebant perspectam, quique proinde lapidem omnem moturi essent, quò propudiosam injustamque sancti Præsulis depositionem impedirent.*

Chrodoberto traditur pòst occidendus.

245 *Tali arte usum esse Ebroïnum, ut sanctum* Leodegarium *exauctoraret, suspicari fas est, tum ex eo, quòd contra consuetudinem, non in ipsa synodo, sed in privato secessu Sanctus fuerit episcopali dignitate privatus, tum ex eo, quòd vafri & subdoli ingenii vir fuerit Ebroïnus, summoque insuper in* Leodegarium *odio exarserit, cujus explendi nullam occasionem & modum prætermittebat, cujusque etiam tunc non obscurum specimen dedit. Cùm enim, ut jam vidimus,* Leodegarius *seorsum, id est, in loco diverso à* C *confessu synodi, sermonem cum Theodorico rege & Ebroïno tunc haberet, ipsisque multa futura prædiceret, Ebroïnus sanctum Antistitem liberè loquentem non ferens, hac brevi, sed aspera oratione, ut Ursinus num.* 19 *testatur, in eum est invectus:* Multùm ... tibi verborum sublimitas persuadet loquendo, martyr esse suspicaris, ideo te tam temerarium ostendis. Adhuc multùm te dilatas, frustra tale desideras habere præmium: nam ut merueris, ita eris accepturus martyrium. *Quibus verbis sanè Ebroïnus sui in* Leodegarium *odii novum tunc documentum præbuit. Subdit deinde idem biographus, paucis minoris momenti interjectis, Ebroïnum viro cuidam Chrodoberto* Leodegarium *in custodiam tradidisse. Anonymus ab Ursino, nonnihil hîc iterum diversus, ait regem (vide verba num.* 238 *recitata) Ebroïnumque, antequam id fieret, diu multúmque variis interrogationibus ursisse* Leodegarium, *ut necis Childerico illatæ conscium se fuisse, fateretur; cúmque ex sancto Antistite præter responsum, quo in episcoporum concilio innocentiam suam contestatus erat, nihil aliud valuissent elicere, hunc tandem, conscisâ tunicâ, Chrodoberto cuidam sive Rodoberto jussu Ebroïni non custodiendum, sed perimendum traditum fuisse. Videtur tamen Chrodobertus, dum ei* Leodegarius *traditus fuit, in mandatis tantùm habuisse, ut Sanctum occideret non statim, sed tunc dumtaxat, cùm alterum id faciendi præceptum acciperet. Etenim* Leodegarii *interficiendi mandatum tunc tandem ab aula advenit, cùm jam sanctus Antistes in domo ejusdem Chrodoberti versaretur, uti ipsemet anonymus testatur. Quippe num.* 47 *sic scribit:* Et cùm memoratus vir (*Chrodobertus*) eum (*Leodegarium*) in domum propriam perduxisset; ita in ejus adventu benedictionem cælestem recepit, ut cùm omnes illic habitantes, hoc manifestè cognoscerent, peccata propria confitentes relinquerent *, & certatim ad pœnitentiæ medicamenta confugerent, *ac deinde num.* 48, *paucis interjectis, ait:* Tandem pervenit dies muneris, in quo persecutionis ejus (*Leodegarii*) jam esset finis. Tunc à palatio sententia mandatur *decreti, Leodegarium diutiùs vivere non debere.* D

* *al. deest* relinquerent

* *al.* mandata

§ XVI. Sanctus Ebroïni jussu anno 678 occiditur, Sarciniique in Artesia terræ mandatur. E

Leodegarius à Chrodoberto benignè habetur, demque jam

Leodegarius *de gradu jam dejectus, & numquam tamen episcopatu dignior, de sorte sua minimè dolebat, sed contrà non parum gaudebat, quòd futurum conspiceret, ut brevi vexationes omnes & supplicia, quæ Ebroïni jussu passus fuerat, felici tandem morte terminaret.* Lætabatur ... (*inquit anonymus num.* 46 *in fine*) Dei Martyr in omni patientia, quia debitam sibi, remunerante Domino, martyrii sentiebat appropinquare coronam. *Sanctus scilicet verosimiliter intellexerat ex Ebroïno & Theodorico, aut etiam ex aliis, futurum brevi, ut de medio tolleretur. Nec id tamen brevi futurum erat, si Chrodoberto, cui in custodiam datus erat, integrum fuisset. Hic enim, teste anonymo num.* 48, Leodegarii *sermonibus ad Dominum conversus, eum pietatis sensum, cùm Sancti occidendi mandatum ex aula paulò pòst allatum est, jam induerat, ut nequidem necis sancto Antistiti inferendæ spectator esse, sustinuerit. Ad hæc idem Chrodobertus, quod Waimirum & Waningum minùs maturè fecisse, jam vidimus, benignè, ut apparet,* Leodegarium, *statim ut hunc in custodiam suam acceperat, tractavit. Cùm enim Theodorici & Ebroïni mandato ad domum suam Sanctum deduceret, fessumque ex itinere conspiceret, jussit ei in refectionem sitisque restinctionem potum præberi. Id anonymus num.* 47, *& Ursinus num.* 20 *iisdem ferè verbis testantur. Accidebat nempe* Leodegario, *ut quibuscumque ab Ebroïno custodiendus, divexandusque traderetur, iis contrà curæ veneratione que esset.* Hac enim, *inquit anonymus num.* 48, Deus gratia suum Famulum illustraverat, ut, ubicumque exul fuisset traditus, ut ei inferrentur nequitiæ *, versa vice famulabilem illi omnes impenderent reverentiam. *Id locum certissimè obtinuit, cùm primùm* Leodegarius *Chrodoberto in custodiam datus esset.* F

* *i. e.* injuriæ

* *i. e.* injuriæ

247 *Et-*

A *ad hujus domum, facto in via miraculo,*

247 *Etenim tunc Dominus, quò* Leodegario *Chrodobertum ejusque servos redderet magis benignos, manifesto, eoque insigni miraculo Famulum suum honorare est dignatus. Jusserat, ut jam docui, Chrodobertus* Leodegario *potum dari; verùm priusquam famulus, cui id injunctum erat, ad Sanctum veniret, ecce, lux ingens circuli in modum è cælo descendens, super caput ejus resplenduit. Hoc prodigio, quicumque id conspexissent, velut mentis impotes effecti, stupore primùm hæsêre defixi, deindeque ad se reversi,* Leodegarium *pro vero Dei servo habuêre, ejusque sermonibus inflexi ad Deum sese post convertêre, ut proinde tunc supernâ gratiâ seu divina benignitate acciderit, sanctum Antistitem cordi venerationique esse iis, quibus ab Ebroïno datus fuerat vexandus. Ursinus num.* 20 *& anonymus num.* 47 *rem iterum tam consona relatione exponunt, ut inter se ferè etiam verbis tenus consentiant: quo autem ex fonte hic eorum tantus nonnullis in locis consensus ortum habeat, num.* 26 *hujus Commentarii prævii edocui. Ursini verba huc transcribo:* Acceptum, *inquit,* eum (*Leodegarium*) cùm ad suam domum (*Chrodobertus*) deduceret, cernens eum ex itinere ac infirmitate defes-

B sum, jussit ei dari ad refocillandum potum. Antequam pincerna ei assisteret, lumen magnum, quasi in rotæ circulo è cælo descendens, super caput ejus refulsit. Tunc trementes omnes, qui hoc signum viderunt, Quid est, inquiunt, Domine, quod paret super caput tuum, quasi in circuli modum lumen splendidissimum emissum de cælo? quia nobis numquam simile est visum.

* *al.* pronus Ille protinus * in terra adoravit, dicens: Gratias tibi, omnipotens Deus consolator omnium, refero, qui super Servum tuum ostendere dignatus es tale miraculum. Tunc videntes omnes quasi in excessu mentis positi, tandem quidem resumpti *, simul glorificantes Deum omnipotentem, conversi alter ad alterum, dicebant: Verè hic Homo Dei servus est, & pollicebantur, se ad

* *al.* resumpto spiritu

* *al.* viribus Deum totis virtutibus * tendere. *Ita Ursinus quantùm ad præsens institutum.*

perductus, multos ad Deum convertit,

248 *Quod verò pertinet ad promissionem, quam addit de sua ad Dominum conversione eos fecisse, qui miraculum jam memoratum aspexerant, vana sanè illa & sine effectu non exstitit. Etenim mox subdit, reipsa deinceps* Leodegarii *sermonibus ad verum Dei cultum plerosque esse conversos, qui è Chrodoberti famulitio essent, ut proin verosimillimè inter conversos illos fuerint, qui dominum suum, cùm ex aula Sanctum ad ædes suas deduceret, comitati fuerant, quique adeò cælestis luminis* Leodegarium

C *prodigiosè tunc illustrantis oculati testes exstiterant. Nec solùm ii, sed etiam Chrodoberti conjux, omnesque ferè consanguinei cum plurimis aliis ad meliorem frugem ejusdem* Leodegarii *operâ fuêre reducti.* Tunc, *pergit num.* 20 *Ursinus*, deinceps ejus (*Leodegarii*) prædicationibus pænè omnes

* *i. e.* consanguinei parentes *, conjunx ac familiæ domûs ipsius (*Chrodoberti*) conversi sunt ad Dei cultum: ac per hoc ejus (*Leodegarii*) famam audientes per circuitum loci concurrebant ad eum verbum salutiferum audire *. Ille verò non cessabat sua

* *al. addit.* cupientes prædicatione cunctos instruere, qualiter ad regna cælorum valerent pervenire. *Conversiones illas omnes Sanctus operatus est, cùm jam ad domum Chrodoberti esset perductus. Sat clarè id verbis recitatis innuere videtur Ursinus, apertéque quantum ad domesticorum Chrodoberti conversionem docet anonymus:* Et cùm, *inquit num.* 47 *in fine*, memoratus vir (*Chrodobertus*) eum (*Leode-*

garium) in domum propriam perduxisset, ita in ejus adventu benedictionem cælestem recepit, ut, cùm omnes illic habitantes hoc manifestè cognoscerent, peccata propria confitentes, relin-

AUCTORE C. B.

* *al. deest* relinquerent * *al.* lamenta querent *, & certatim ad pœnitentiæ medicamenta * confugerent. *Quamquam autem anonymus his verbis tantùm narret, Chrodoberti domesticos ad meliorem vitam à* Leodegario *fuisse conversos, cùm hic ad illius ædes jam esset perductus, non dubito tamen, quin tunc, ut innuit Ursinus, multi etiam alii fuerint conversi, pluresque convertendi fuissent, si diutiùs vivere sanctum Antistitem Ebroïni crudelitas sivisset.*

allato ab aula mandato,

249 *Verùm, teste Ursino num.* 21, *non multo elapso tempore, postquàm* Leodegarius *in Chrodoberti custodiam traditus fuisset, trucidandi sancti Antistitis mandatum ex aula affertur. Cùm autem vereretur Ebroïnus, ne quis occiso honos, velut martyri, deferretur, locum, in quo Sanctus post obitum conderetur, hominibus studuit in perpetuum reddere incognitum. Hunc in finem jussum tunc insuper est, ut* Leodegarii, *cùm occisus foret, corpus in puteum in secretiori sylvæ loco prævie quæsitum projiceretur, ofque putei terra & lapidibus sedulò obturaretur.* Timens, *inquit anonymus num.* 48, impius Hebroïnus, ne à fi-

E delibus Christianis honor ei (*Leodegario occiso*) impenderetur martyrii, inter

* *al.* in * sylvarum condensa jubet perquiri puteum & ibidem corpus ejus immergi trucidatum, quatenus os putei terrâ vel lapidibus obturatum, incognitum esset hominibus illius sepulchrum. *Ita scilicet Ebroïnus insano odio abreptus Sancto nostro volebat non solùm vitam eripere, sed & omnem insuper post obitum populi venerationem, utpote quâ suam sibi injustitiam crudelitatemque in Virum sanctissimum exercitam tacitè exprobrandam putabat. De hac arte, quâ Ebroïnus, dum* Leodegarium *occidi jussit, nomini suo studuit consulere, ne verbo quidem meminit Ursinus, differtque hîc insuper ab anonymo in alio gravioris momenti adjuncto. Ait enim, Ebroïnum Sancto necem illaturum quatuor velocissimos equites submisisse, eosque* Leodegarium *ex ædibus Chrodoberti eductum obtruncâsse; contrà verò anonymus affirmat, Chrodobertum, allato* Leodegarii *occidendi præcepto, necis Sancto inferendæ ministerium, cùm ipse, aliquantulùm jam ad meliora conversus, crudele spectaculum cernere non sustineret, quatuor è famulis suis delegâsse, ut hîc ambo biographi non tantùm inter se*

F *dissentiant, sed & pugnare videantur.*

occiditur

250 *Ast utri assentiendum est? Quamquam id pro certo nequeam edicere, anonymo tamen assentiri malim. Licèt enim hîc sermo sit de re gesta in Atrebatensi territorio tam à diœcesi Augustodunensi quàm Pictaviensi procul dissito, ac proin in ea non tantùm Ursinus, sed etiam anonymus à vero aberrare facilè potuerit, videtur tamen hic, cùm narrationem suam pluribus, quàm ille, adjunctis vestiat, accuratiori notitia, quæ* Leodegarii *martyrium comitata sunt, habuisse perspecta, atque adeò potiorem fidem mereri. Vide etiam, quæ de Ursino num.* 106 *hujus Commentarii prævii docuimus. Porrò adjuncta illa plura, quibus anonymus narrationem suam vestit, præter jam memoratum de puteo, ut in hunc* Leodegarii *occisi corpus projiceretur, ab Ebroïno quæri jusso, duo sunt numero præcipua. Primum est, Chrodoberti uxorem, allato* Leodegarii *occidendi mandato, vehementer doluisse, quòd viro suo injunctum esset, sanctum Hospitem necandum curare; hanc autem consolatum esse* Leodegarium, *promi-*

AUCTORE C. B.

sisseque, necem suam nequaquam ei in malum, sed in bonum cessuram, modò hæc ejus corpus sepulturæ tradi curaret; alterum est, quatuor famulos, quibus à Chrodoberto ministerium cædis Leodegarii *delegatum erat, non invenisse, cùm Sanctum necandum ducerent, puteum antea quæsitum, in quem occisi corpus juxta Ebroïni mandatum projicere statuerant. Ceterùm, postquam hoc postremum adjunctum narravit anonymus, reliqua ejus de morte* Leodegarii *narratio cum Ursiniana apprimè congruit. En illam in compendium redactam.* Leodegarius *per varia loca incognita in mediam sylvam deductus, memoratos viros quatuor, à quibus necandus erat, ipse commonuit, ut, quod haberent in mandatis, id ipsi exsecutioni mandarent. Tum tres ex illis ad* Leodegarii *pedes provoluti veniam & indulgentiam petiére; quartus verò, stricto gladio, paratus adstabat ad Sanctum necandum. Hic omnibus, qui se divexârant, suisque interfectoribus bene precatus, gratiis Deo actis, quòd ad ultimum hunc diem pervenisset, imploratâ Christi misericordiâ, cervicem obtulit, quam præcidit ille, qui, ut mox dixi, paratus ad id faciendum adstabat.*

in sylva etiam hodie

251 Sylva, *in qua* S. Leodegarius *interfectus est*, hodie quoque, *inquit Mabillonius tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 541, sancti Leodegarii nomine insignis est in pago Atrebatensi. *Idem cum pluribus aliis recentioribus auctoribus affirmat Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum* 678 *num.* 3. *Per pagum seu territorium Atrebatense hîc debet intelligi, non hodiernum gubernium seu castellania Atrebatensis, sed ille terrarum tractus, qui olim, ut Malbrancus lib.* 2 *de Morinis cap.* 57 *docet, Austrebates, Ostrebates & Adarctenses, ac proin præter hodiernum gubernium Atrebatense nonnullas alias regiones, partemque etiam Picardiæ complectebatur. Etenim, uti infrà docebimus, locus, in quo* S. Leodegarii *occisi corpus Chrodoberti uxor, ut mox dicetur, sepeliendum curavit, duabus circitèr leucis horariis abest à gubernio seu territorio hodierno Atrebatensi; verosimile autem non appareat, sylvam, in qua* Leodegarius *fuit occisus, tanto intervallo abfuisse à loco, in quo statim à nece fuit sepultus, ac proin per pagum Atrebatensem, in quo sita est sylva, quam Sanctus pro palæstra habuit, intelligi non debet castellania Atrebatensis, sed extensior ille terrarum tractus, quem jam designavi, quemque brevitatis simul & distinctionis causâ territorium Atrebatense antiquum deinceps nominabo. Porrò dubium non est, quin seculo* XI *&* XII *in territorio Atrebatensi antiquo sylva exstiterit sancti* Leodegarii *nomine insignis; Baldericus enim Noviomensis ac Tornacensis episcopus lib.* 1 *Chronici Cameracensis & Atrebatensis cap.* 20 *sub finem sic scribit:* In territorio Atrebatense transductum (*Leodegarium*) decollari fecit (*Ebroïnus*) in loco, qui dicitur SILVA SANCTI LEODEGARII. *Hic autem scriptor seculo* XI *exeunte &* XII *ineunte floruit, eratque insuper ex nobili Artesiæ familia, ut adeò id, quod hîc scripsit, apprimè noviisse videatur, erroriscque meritò nequeat haberi suspectus.*

S. Leodegarii dicta,

252 *Verùm tabulæ omnes geographicæ præteriti æquè ac præsentis seculi, quas quidem ego ad manum habeo, nullam omnino sylvam iis in regionibus, quæ territorio Atrebatensi antiquo possint attribui,* S. Leodegarii *nomine distinguunt, ac proin dubium fortè cuiquam videbitur, an Mabillonius aliique auctores verum prædicent, dum affirmant, sylvam hodie quoque* sancti Leodegarii *nomine insignem esse in pago Atrebatensi. Quod ad me attinet, puto à Mabillonio id dici, quod res est, quidquid ex tabulis geographicis possit argui. Sæpe enim geographi in tabulis geographicis, quas conscribunt, suo quasque nomine sylvas non distinguunt, præsertim si hæ vicum homonymum sibi habeant adjunctum. Sic, Martiniero in Dictionario geographico teste, in Belsia, Galliæ tractu, sylva* S. Leodegarii *nomine insignita existit cum vico homonymo, hancque nihilominus Blavius & Jonssonius in tabulis geographicis Belsiæ à se conscriptis* Leodegarii *nomine non distinguunt, solum vicum homonymum sylvæ adjacentem nominâsse contenti. Id ipsum ab his aliisque geographis sæpe etiam alibi fieri observo, ac proin ex eo, quòd tabulæ geographicæ nullam omnino sylvam, quæ in territorio Atrebatensi antiquo sita sit,* sancti Leodegarii *nomine distinguant, consequens non est, ut in eodem territorio nulla sit reipsa sylva* Leodegarii *nomine hodieque insignis. Ast, inquies, quâ ergò plagâ territorii seu pagi Atrebatensis antiqui sita est sylva illa* S. Leodegarii *nomine insignis? Respondeo: Versus caput fluvii Quantiæ, Gallicè* la Canche, *situs est vicus* S. Leodegarii *dictus, ab eoque, ut in recentiori Picardiæ Septemtrionalis, & Artesiæ tabula geographica à Guilielmo de l'Isle, academiæ regiæ scientiarum Parisiensis membro, confecta notatum invenio, sylva non mediocris haud procul abest. Hanc ego puto* Leodegarium *pro martyrii palæstra habuisse, propterea que ejus nomine etiam hodie esse insignem. Idcirco autem id puto, quòd, ut infrà ostendam,* S. Leodegarius *in vico proximè memorato fuerit sepultus, verosimileque appareat, locum, in quo fuit sepultus, haud procul abfuisse à loco seu sylva, in qua fuerat necatus. Aliud hactenus non suppetit, quo situm sylvæ, in qua* Leodegarius *occisus fuit, certiùs determinem. Venio nunc ad adjuncta Sancti necem proximè secuta.*

sepeliturque

253 *Hanc unà cum illis num.* 22 *Ursinus, cui anonymus verbis tenus ferè iterum consentit, in hunc modum exponit:* Cùm hæc (*Leodegarius*) diceret, percussor extendens gladium, amputavit caput ejus, & erectum corpus ejus substitisse, quasi unius horæ spatio dicitur. Sed cùm nondum eum gladiator cadere cerneret, ipsum pede percussit, ut vel sic citiùs in terram decideret. Sed non post multum percussor ejus arreptus à dæmonibus & mente captus, à * Dei ultione percussus in ignem se projecit, ibique vitam finivit. *Ita scilicet mox ulciscebatur Dominus Famuli sui jam occisi injuriam, qui, cùm viveret, tot opprobria totque vexationes ab Ebroïno inultus fuerat perpessus, idque sine ulla sua culpa, quod nec inficiari puto Valesium, dum tom.* 3 *Rerum Francicarum, narrata* Leodegarii *nece, sacrarumque ejus exuviarum translatione, pag.* 317 *sic scribit:* Qui Antistes (*Leodegarius*) felicior videtur futurus fuisse, & cruentam mortem evasurus, si ecclesiæ tantùm suæ curam egisset, nec se reipublicæ miscuisset. *Licèt enim hæc nonnihil crudior sit locutio, insinuareque quodammodò videatur,* Leodegarium *diris suppliciis, quæ ab Ebroïno passus est, ansam saltem præbuisse, mox tamen ipse Valesius, quo Sanctum à culpa eximat, subdit, eum non potuisse non reipublicæ se immiscere, quod sanè indubium apparet. Nec enim* Leodegarius, *ut mihi quidem videtur, sese reipublicæ negotiis immiscuit, nisi cùm id evidens Ecclesiæ utilitas, suique officii ratio exigeret, cujus rei causâ cum pravis Ebroïni consiliis subinde cogeretur obsistere, implacabile in se hominis, sibi*

* *al.* æ

à

A *à quoquam reſiſti non ferentis, odium, ſiniſtras ſuſpiciones, ſæviſſimaſque perſecutiones concitavit, ut adeò* Leodegarius *non aliquo ſuo merito, ſed ſolâ Ebroïni malitiâ extrema quæque ſupplicia, mortemque tandem ipſam fuerit perpeſſus. Sed hæc pro Sancto noſtro à culpa eximendo dicta ſufficiant: inſtitutum proſequor. Chrodoberti uxor, cui, ut docuimus, necem ſuam Sanctus, ſi corpus ſuum ipſa ſepeliret, in bonum ceſſuram promiſerat, officio ſuo hîc minimè defuit. Sacras enim ſancti Martyris exuvias, cùm non diu occiſus eſſet, in oratorio villæ, cui* Sarcingum *ſeu* Sarcinium *nomen erat, ſepulturæ mandandas curavit. Rem poſt verba proximè recitata, nullis aliis præmiſſis, ſic narrat Urſinus:* Tunc (*divinitus punito non diu poſt mortem* Leodegarii *impio ejus interfectore*) juſſu conjugis hujus viri Chrodoberti in quamdam villam, Sarcingo nomine, cum magno fletu plangentium à miniſtris (*Chrodoberti*) deportatus eſt; in hujus fœminæ (*conjugis Chrodoberti*) decretum * cum veſtibus, in quibus trucidatus fuerat, in parvulo oratorio beatus Martyr eſt ſepultus.

* *al.* & ... decreto

in vico territorii Atrebatenſis

B 254 *Villa, in cujus oratorio* Leodegarius *hîc ſepultus dicitur, veroſimillimè non pro prædio ruſtico, ſed, ut ſæpe aliàs apud medii ævi ſcriptores, pro vico accipitur. Situs hic haud dubiè erat in diœceſi Atrebatenſi, cum diœceſi Cameracenſi tunc unita. Perſpicuum id fit ex diſceptatione inter Vindicianum Atrebatenſis, Anſoaldum Pictavienſis & Ermenarium Auguſtodunenſis eccleſiæ epiſcopos de corpore* S. Leodegarii *poſt obitum Ebroïni exorta. In ea enim Vindicianus Atrebatenſis epiſcopus ſacrum* Leodegarii *corpus eccleſiæ ſuæ vindicare eo nomine conatus eſt, quòd in diœceſi ſua jaceret ſepultum. Teſtatur id anonymus in Tranſlatione Sancti noſtri per Audulphum abbatem conſcripta.* Tunc, *inquit num.* 58, Vindicianus præſul Atrebatenſis, in cujus fuerat (*Leodegarius*) diœceſi interfectus, dicitur reſpondiſſe: Nequaquam ita fiet, ut vos (*Anſoalde & Ermenari*) ſancti pontifices locuti eſtis; ſed mihi donetur facultas hujus Beati corpus habere *, quoniam huic loco decus * eſt, in quo dignatur requieſcere. *Quibus ex verbis etiam intelligitur, ſylvam, in qua Sanctus necatus fuit, in diœceſi Atrebatenſi ſitam pariter fuiſſe. Aſt, inquies, quis eſt ille diœceſeos Atrebatenſis vicus, in cujus oratorio* Leodegarii *occiſi corpus fuit ſepultum? Iis in partibus, quæ territorio Atrebatenſi antiquo accenſeri queunt, duo ſunt vici* Leodegarii *nomine inſignes, quibus ſancti Antiſtitis ſepultura adſcribitur. Horum alter ad fontes fluvii Alteiæ in Picardia, alter verſus caput Quantiæ in Arteſia ſitus eſt; in priori Mabillonius Seculo 2 Benedictino in Annotatis pag.* 705; *in poſteriori verò Bailletus tom. 3 Vitarum col.* 28 *in margine* Leodegarium *innuit fuiſſe ſepultum.*

* *al.* habendi
* *al.* datus

verſus caput Quantiæ ſito,

255 *Huic autem auctori, non illi, quantùm opinor, hîc aſſentiendum eſt. Etenim vicus, in quo* Leodegarius *ſepultus fuit, ætate Balderici ſuprà laudati, cùm Chronicum ſuum ſcriberet, in confiniis epiſcopatûs Cameracenſis & Morinenſis ſitus erat.* Leodegarius, *inquit hic ſcriptor Opere, libro & capite num.* 251 *citatis*, ſepultus eſt in villa, quæ dicitur Sercin, quæ eſt in confinio Cameracenſis epiſcopii & Morinenſis, *ac proin ſepultus non eſt in vico* S. Leodegarii *ad fontes Alteiæ ſito; hic enim ætate Balderici dici non potuit* in confinio Cameracenſis epiſcopii & Morinenſis *ſitus eſſe, quod ſic oſtendo. Ætate Balderici epiſcopatus Cameracenſis uſque ad annum* 1094 *cum Atrebatenſi fuit unitus; Morinenſis verò diœceſim hodiernam Iprenſem, Audomaropolitanam, & Bolonienſem complectebatur; certum autem eſt, nec in confiniis epiſcopatûs Cameracenſis & Iprenſis vel Audomaropolitani vel Bolonienſis, nec in confiniis epiſcopatus hodierni Atrebatenſis & Iprenſis vel Audomaropolitani ſitum eſſe vicum* S. Leodegarii *ad fontes Alteiæ in Picardia, ac proin ætate Balderici indubiè hic dici non potuit ſitus eſſe* in confinio Cameracenſis epiſcopii & Morinenſis, *niſi forſan nunc dici queat ſitus eſſe in confiniis diœceſis hodiernæ Atrebatenſis & Bolonienſis. Verùm nec id dici poteſt. Etenim diœceſis Bolonienſis, ut tabula geographica provinciæ eccleſiaſticæ Rhemenſis tom.* x *Galliæ Chriſtianæ auctæ præfixa exhibet, ab Atrebatenſi ſejungitur lineâ ferè rectâ à capite Quantiæ Gravelinam verſus ductâ; nullus autem in diœceſi Bolonienſi tractus eſt, à quo vicus* S. Leodegarii *ad fontes Alteiæ minùs diſtet, quàm à tractu capiti Quantiæ adjacenti, diſtatque nihilominus ab hoc tribus circiter leucis horariis, ac proin dici nequit in confiniis diœceſis Atrebatenſis & Bolonienſis eſſe ſitus. Hinc porrò ulteriùs conſequitur, ut vicus, in cujus oratorio* Leodegarii *occiſi corpus fuit ſepultum, non ſit vicus* S. Leodegarii *dictus ad fontes Alteiæ, ſed vicus homonymus verſus caput Quantiæ ſitus, qui juxta tabulam geographicam Guilielmi de L'iſle num.* 252 *laudatam duabus circiter, ut jam antè docturum me monui, leucis horariis à Caſtellania ſeu gubernio hodierno Atrebatenſi verſus Occidentem, totidemque ferè Dulenco, Gallicè* Doulens, *Picardiæ oppido, verſus Septemtrionem abeſt, maximèque vicinus exiſtit diœceſi Bolonienſi. Sed hæc de loco, in quo* Leodegarii *occiſi corpus inhumatum fuit, dicta ſufficiant: inquirendum nunc eſt in annum, ipſumque diem, quo Sanctus fuerit necatus. A die emortuali duco initium.*

AUCTORE C. B.

E

die quidem 2 Octobris,

256 *In Vita Sancti per Urſinum conſcripta, quam ſecundo loco edituri ſumus, verbis num.* 253 *recitatis proximè ſubjicitur, factum eſſe id, quod præviè narratur,* quinto die Nonarum Octobrium. *Ita ſcilicet exprimitur in codice noſtro Ms., qui notatur Q. Ms.* 5. *Verùm in altero noſtro codice itidem Ms., qui ſignatur P. Ms.* 159, *in editione Cheſniana, Mabilloniana, omnibuſque noſtris Mss. apographis legitur:* Sexto die Nonarum Octobrium. *Ad hæc Surius & anonymus Morbacenſis, qui Urſinum interpolârunt,* ſexto Nonas Octobris Leodegarii *mortem collocant, unde conſequens eſt, Urſiniana apographa, quibus ambo illi ſcriptores uſi ſunt, Cheſnianæ & Mabilloniana editioni noſtriſque Mss. apographis conformia fuiſſe. Quare, cùm tot apographa, in quibus pingitur* ſexto die Nonarum Octobrium, *præponderare indubiè debeant uni codici noſtro Ms., in quo habetur* quinto die Nonarum Octobrium, *putò ego, Urſinianum textum, in quo* ſexto die Nonarum Octobrium *legitur, pro genuino eſſe habendum, atque adeò* Leodegarium *ſexto Nonas, id eſt, 2 Octobris eſſe occiſum. Finitur quidem Vita Sancti noſtri per anonymum conſcripta ſequenti apud Mabillonium clauſula:* Conſummatum eſt ſancti Leodegarii martyrium quinto Nonas Octobris *&c, unde quis fortè contendat, genuinum non eſſe Urſini textum, quem pro tali habendum eſſe jam diximus, atque adeò* Leodegarium *non* 2, *ſed* III *Octobris eſſe occiſum. Verùm clauſula illa abeſt ab omnibus noſtris Mss., præterquam à Ms., quod deſumptum notatur ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris. Quòd ſi tamen velis, præfatam clauſulam ad genuinum a-*

F

AUCTORE C. B.

nonymi textum ſpectare, non equidem vehementer refragabor, ſed dico, hanc in laudato noſtro apographo Ms. Ultrajectino non ad quintum, ſed ad ſextum Nonas Octobris Leodegarii *martyrium referre.*

non tertio;

257 *Idem etiam pronuntio de clauſula, quâ terminatum erat anonymi apographum, quod tom. 3 Rerum Francicarum ad res Francicas illuſtrandas Valeſius adhibuit. Ibi enim hic auctor pag.* 315 Leodegarii *mortem ex anonymi relatione ad* VI *Nonas, ſeu ſecundum Octobris diem conſignat, ut adeò hæc clauſula anonymi apud Mabillonium quantum ad diem, cui* Leodegarii *martyrium affigit, genuina fortè non ſit, ac proin ex ea confici non poſſit, vel genuinum non eſſe Urſini textum, quem pro genuino proponimus, vel* Leodegarium *non ſecundo, ſed tertio Octobris die eſſe occiſum. Neque eſt, quod opponas, Sanctum Calendario ſub initium ſeculi* IX *concinnato, pariſque vetuſtatis Martyrologio Gellonenſi apud Dacherium tom. 2 Spicilegii recentioris editionis exſtantibus ad diem* III *Octobris inſcribi. Sæpe enim Sancti, quod adhuc alibi in hoc Commentario monui, ad alios dies, quàm quibus defuncti ſunt, Kalendariis Martyrologiiſque inſcribuntur. Ceterùm cùm apud Urſinum, narratâ* Leodegarii *ſepulturâ, in Mss. noſtris apographis proximè ſequatur:* Hoc verò die ſexto Nonarum Octobrium actum eſſe creditur: *dubitabit fortè aliquis, an verba illa ad ſolam Sancti ſepulturam non referantur, ac proin an is non citiùs quàm 2 Octobris die fuerit necatus. Verùm verba illa uno tenore ſubjiciuntur non tantùm narrationi ſepulturæ, ſed etiam narrationi mortis* Leodegarii, *ac proin ad hanc æquè quàm ad illam referenda videntur. Non eſſe autem, cur dubitetur, an Sanctus non citiùs, quàm 2 Octobris die fuerit necatus, fieri videtur vel ex eo perſpicuum, quòd mors ejus à nullo omnino ſcriptore ſive antiquo ſive recentiore ad diem anteriorem referatur. Accedunt bina Mss. anonymi vetuſtioris apographa, illud ſcilicet, quo, ut dixi, uſus eſt Valeſius, & noſtrum Ultrajectinum num. præcedenti laudatum, in quibus ambobus* Leodegarii *martyrium, uti jam innui, ad ſecundum Octobris diem apertiſſimè refertur. Adde etiam anonymum Morbacenſem, qui diſertè affirmat,* Leodegarium 2 *Octobris die eſſe occiſum. En ejus verba:* Adoratæ Trinitati cuſtodiendam animam ſexto Nonas Octobris (*Leodegarius*) reddidit. *Atque ita definitus jam eſt dies, quo* Leodegarius *necatus eſt, reſtat, ut & annum definiamus.*

B

C

anno verò 678, qui tamen ex Sigeberto

258 *Urſinus num.* 21 *&* 22 *innuit,* Leodegarium *non poſt multum temporis à ſynodo, quam Theodoricus, ut § præcedenti docui, anno* 678 *convocavit, juſſum eſſe occidi, reque ipſa tunc occiſum fuiſſe; unde rectè conſequi videtur, Sancti necem anno* 678 *eſſe affigendam. Si enim hæc in annum* 679 *differatur, conſequens erit,* Leodegarium, *prout ex jam dictis facile eſt colligere, uno ampliùs anno poſt ſynodum anni* 678 *eſſe interfectum. Tantum autem temporis ſpatium inter Sancti necem & prædictam ſynodum pati non videtur illud* non poſt multum temporis *ab eadem ſynodo elapſum, cùm* Leodegarius, *teſte Urſino, de medio fuit ſublatus, ac proin apparet, necem ejus anno* 678 *debere innecti. Scriptores Galliæ Chriſtianæ auctæ, qui ſibi Mabillonium Sæculo 2 Benedictino in Annotatis pag.* 705 *prælucentem habuêre, tom. 4 col.* 354 *putant, partim ex anonymo & Urſino, partim ex Sigeberto colligi poſſe,* Leodegarium *verè occiſum fuiſſe anno* 678, *quem hîc ei emortualem etiam ſtatuimus. En illorum, quo id probare nituntur, ratiocinium:* Uterque (*anonymus & Urſinus*) Ebroïnum obtruncatum fuiſſe aſſerit, tranſacto à paſſione S. Leodegarii ſpatio trium pænè annorum: Ebroïnus porrò exſtinctus eſt anno regni Theodorici nono ex Sigeberto, Chriſti 681. Ergo ſanctus Martyr capite truncatus eſt anno 678. *Verùm quamquam id, quod laudati ſcriptores allato ratiocinio contendunt, partim ex anonymo & Urſino, partim ex Sigeberto colligi fortè poſſit, ſi cum Sigeberto ſolum comparetur triennium ferè, quod juxta anonymum & Urſinum à paſſione* Leodegarii *ante necem Ebroïni efluxit; fieri tamen id non poteſt, ſi cum eodem Sigeberto alia etiam conferantur anonymi & Urſini aſſerta. Si enim Ebroïnus, ut Sigebertus notat, exſtinctus ſit Theodorici anno nono, ex hac epocha cum aliis aſſertis anonymi & Urſini comparata conſequi videtur,* Leodegarium *non anno* 678, *ſed* 679 *fuiſſe necatum. Etenim juxta Urſinum num.* 22 *& anonymum num.* 50 Leodegarii *corpus Sarcinii ſepultum jacuit* annis duobus & dimidio, *eoque tempore elapſo, de terra fuit levatum atque ad agrum Pictavienſem tranſlatum, quod proinde acciderit menſe Aprili anno à* Leodegarii *nece tertio.*

D

E

cum biographis noſtris collato non probatur.

259 *Porrò juxta anonymum & Urſinum Ebroïnus paulò ante* Leodegarii *ad ſolum Pictavienſe tranſlationem fuit occiſus, quod proin veroſimillimè contigerit menſe circitèr Martio, anno à* Leodegarii *nece pariter tertio. Quapropter, ſi Ebroïnus, ut Sigebertus ſcribit, anno nono Theodorici fuerit interfectus, conſequens eſt, ut id acciderit anno* 682. *Cùm enim juxtà §* VIII *hujus Commentarii prævii & chronologiam paſſim nunc ab omnibus eruditis, ipſiſque Galliæ Chriſtianæ auctæ ſcriptoribus & Mabillonio (vide num.* 82 *hujus Commentarii prævii) receptam Theodoricus tantùm poſſit regnare cœpiſſe anno* 673 *jam ad ultimos quatuor menſes aut paulò ampliùs provecto, annus regni ejus nonus menſe Martio notatus convenit in annum Chriſti* 682, *quo proinde, ſi verè hîc ſit Sigeberti chronologia, Ebroïnus è medio fuerit ſublatus. Quòd ſi autem ab anno* 682 *ad menſem Martium circitèr provecto anni duo cum dimidio, quo tempore* Leodegarius *ante necem Ebroïni Sarcinii jacuit ſepultus, ordine retrogrado computentur, deſcendendo venitur ad annum* 679 *majori ſui parte præterlapſum, ut adeò ex anno Theodorici nono, quem Sigebertus Ebroïno emortualem ſtatuit, cum aſſertis anonymi & Urſini comparato, conſequens ſit,* Leodegarium *non anno* 678, *ſed* 679 *eſſe occiſum. Neque eſt, quod reponas, Ebroïnum anno Theodorici nono, non menſe Martio vel Aprili, ſed Decembri vel Novembri fortè eſſe occiſum, ſic enim is, cùm certè necatus ſit ante* Leodegarii *tranſlationem, interfectus foret duobus annis totidemque circitèr menſibus poſt necem* Leodegarii, *quod tempus à menſe Decembri vel Novembri anni* 681 *ordine retrogrado computatum perducit ad annum* 679 *ad menſem circitèr Septembrem vel Octobrem provectum, ac proin etiam ſic conſequens erit ex Sigeberto cum biographis noſtris collato,* Leodegarium *non anno* 678, *ſed* 679 *eſſe occiſum. Nequit ergò partim ex his, & partim ex illo colligi annus, quem* Leodegario *emortualem ſtatuimus, imò cùm hinc contrà ſequatur, Sanctum, ut oſtendimus, anno* 679 *eſſe necatum, Sigeberti chronotaxim hîc cogor deſerere tum ob argumenta, quibus* Leodegarii *mortem anno* 678 *jam antè affixi, tum ob chronologiam apud omnes nunc receptam, juxta quam* Leodegarii *mors eidem anno* 678 *innectitur.*

F

§ XVII.

A

§ XVII. Sanctus poſt mortem miraculis inclareſcit : horum famam impedire nititur Ebroïnus, infeliciterque anno 681 occiditur.

Varia fiunt ad Sancti tumulum miracula, quorum famâ

QUemadmodum *Ebroïnus niſus fuit, ut* Leodegarius *in vivis adhuc ſuperſtes necis Childerico illatæ conſcius fuiſſe crederetur, ita veroſimiliter etiam ſtuduerit, ne Sanctus jam è vivis ſublatus crimine illo innoxius ac proin injuſtè necatus fuiſſe putaretur. Et verò viro aſtuto & vafro artes & fallaciæ non deerant, quibus fortè ab hominum plerorumque cognitione removere potuiſſet Sancti innocentiam. Verùm hanc ipſe Dominus brevî tot miraculis ad* Leodegarii *tumulum patratis conteſtatus eſt, ut ex iis quiſque facilè potuerit intelligere, Sanctum minimè reum criminis exſtitiſſe, cujus obtentu fuerat occiſus. Miracula illa anonymus noſter ex relatione Audulfi abbatis ſibi ſubmiſſa in genere his verbis num.* 51 *commemorat :* Qui venerabilis Martyr (*Leodegarius*) multas turbas languentium & diverſis infirmitatibus detentas venientes ad ejus venerandas orationes ſanavit, claudis etiam greſſum dedit, cæcis lumen tribuit, obſeſſos à dæmonibus mundavit, multiſque virtutibus in hujus loci, *in quo Sanctus jacebat ſepultus*, venerando habitaculo emicuit. *Subdit deinde eodem num. in particulari miraculum, quod, implorato* Leodegarii *patrocinio, patratum eſt in favorem æditui eccleſiæ Sarcinienſis, in qua Sanctus jacebat ſepultus, additque num.* 52, *tunc eveniſſe, ut præclara beati Martyris ſanctitatis fama magis magiſque percrebreſceret, hancque Ebroïnum paulò poſt facta ad Sancti tumulum miracula non latuiſſe. Quæ deinde narrat, innuunt Ebroïnum rumore de miraculis* Leodegarii *invocatione patratis longè latéque ſparſo non parùm fuiſſe commotum. Eò ferè ejus recidit narratio.*

B

C

Ebroïnus excitus, mittit, qui in ea inquirat, hocque divinitus

261 *Ebroïnus ſive reipſa de dicti rumoris percrebreſcentis veritate dubitaret, ſive ſaltem miracula, quæ ad* Leodegarii *tumulum fieri audiebat, exactiori notitia cuperet habere perſpecta, fidum hominem ad ſancti Antiſtitis tumulum clàm ſubmiſit, qui in rei veritatem inquireret, certaque ad ſe referret. At ſpeculator ille, domino ſuo non abſimilis, ſuâ in Sanctum Deumque irreverentiâ ſupremum ſibi exitium concivit. Etenim Sarcinienſem eccleſiam ingreſſus, locumque, in quo* Leodegarius *jaceret, edoctus, nullam Sancti locique ſacri rationem habuit, ſed ſuperbiâ tumidus, terram in beati Martyris deſpectum pede percuſſit, virtutemque ullam mortuo competere negavit. Hinc factum eſt, ut infelix ille, Deo, ut apparet, injuriam ſibi Sanctoque ſuo illatam ulciſcente, in itinere, antequam Ebroïno viſa & audita renunciare poſſet, miſerè perierit, magno ſuo malo expertus, quanta ſanctus Martyr, quod antè agnoſcere noluerat, virtute polleret. Prodit, ut mox innui, hæc omnia, aut certè inſinuat, loco proximè citato anonymus, additque num.* 53, *Ebroïnum, auditâ Dei de homine à ſe emiſſo vindictâ, pudore ſuffuſum, rem cum nemine, præterquam cum conjuge, communicare auſum fuiſſe, ne, crescente* Leodegarii *gloria, ſua decreſceret ac minueretur.*

morte multato, ipſemet, dum Sancti gloriam

262 *En ipſa hac de re anonymi verba :* His, *quæ de homine à ſe emiſſo evenerant,* ita cognitis, Ebroïnus nequiſſimus tacito corde retinebat, & tremens intra ſe verecundiâ, præter conjugem, nemini manifeſtare audebat, ne fortè, creſcente gloria Martyris, ſua, qui tale lumen extinguere cupivit, eſſet diminuta in populis. *Verùm quantò magis ille miſer, Ebroïnus ſcilicet, famam de pœna exploratori ſuo divinitus inflicta, deque aliis* Leodegarii *miraculis cuperet exſtingui, tantò magis hæc invaleſcebat & quaquà verſum ſpargebatur. Hinc Ebroïnus, ut rem, quam nomini ſuo maximè noxiam putabat, impediret, malum etiam minatus eſt his, qui aliqua* Leodegarii *miracula comperiſſent, ſi comperta vulgâſſent, quæ vel pro falſis habebat ipſe, vel certè pro falſis haberi volebat, & ne à quoquam ſcirentur, crederenturque, metuebat. Innuit iterum hæc omnia num. proximè citato anonymus. At dum Ebroïnus* Leodegarii *gloriam apud homines ita impedire conatur aut exſtinguere, ipſemet inopinatò exſtinctus eſt, à primariæ ſcilicet notæ* E *Franco, cui cùm omnes ferè fortunas eripuiſſet, vitam etiam eripere cogitabat, gladio percuſſus. Valeſius tom.* 3 *Rerum Francicarum pag.* 332 *anonymi noſtri ad num.* 54, 55 *&* 56 *verba partim contrahens, partim interpretans, rem ſic exponit :* Francus optimas, qui tum functionem fiſcalem obibat, pecuniam publicam interceperat. Quam prædæ ſævitiæque occaſionem nactus Ebroïnus, eum omnibus ferè prædiis ſuis poſſeſſionibuſque ſpoliavit : nec contentus hac multa homini inſuper graviora minabatur.

obſcurare nititur, ab Ermenfrido infeliciter

263 Intelligens itaque optimas, nudo jam ſibi mortem cruentam, aut ſaltem inops exſilium imminere, à deſperatione animum ſumit, & Ebroïnum inopinantem interficere conſtituit. Solebant tum laïci diebus Dominicis matutinis hymnis, qui in eccleſia decantabantur, intereſſe. Die ergò Dominica manè ante lucem ad oſtium Ebroïni egreſſum obſervat armatus, ut ad Miſſarum matutinarum ſollemnia procedentem obtruncet, vixque egreſſum limine ex improviſo proſiliens interimit. Eum in modum Ebroïnus, qui gladio multos interfecerat, gladio & ipſe in capite percuſſus periit. Infelix, qui tantis honoribus auctus, & in toto orbe famâ notiſſimus, dum non vult inimicis parcere, dum injurias ſuas omni ratione vindicat, magnoſque ſacerdotes ac proceres crudeliter interimit, excelſam, & quanta nemini antè Francorum fuerat, gloriam atque potentiam cum vita amiſit. *Ita Valeſius, ut jam innui, ex anonymo, à quo hîc nihilominus nonnihil diſſentit ſecundus Fredegarii continuator, qui initio ſeculi* VIII *floruit, ac proin cùm ab ætate Ebroïni non multùm abfuerit, ſitque aliunde in rebus narrandis ſatis exactus, fidem integram videtur mereri. Vocat hic Ebroïni interfectorem* Ermenfridum *& cap.* 98 *ſic ſcribit :* Ebruïnus quoque magis atque profuſiùs crudeliter Francos opprimebat, donec tandem aliquando Ermenfrido Franco minas parat, *id eſt, notat Bouquetus, negotia faceſſit ſeu inſidias molitur*, reſque proprias tollere diſponit. Conſilio cum ſuis patrato, nocte collecta manu ſociorum, per noctem ſuper eum conſurgens, Ebruïnum interfecit : quo peremto, ad Pippinum ducem in Auſter cum muneribus ſuis pervenit. *Auctoris hujus narratio Valeſio probatur. Hâc enim præmiſsâ, tom. citato*

AUCTORE C. B.

pag. 333 *ſubdit :* Certè admodum veriſimile eſt, unum hominem, nullis conſilii participibus, nullis adjutoribus, tantum facinus (*Ebroïni interfectionem*) auſurum & tam facilè exſecuturum, ac tam feliciter evaſurum non fuiſſe. *Verùm, ſit ita : Ebroïnum non interfecerit Ermenfridus, niſi aliis in ſceleris ſocietatem ſibi adjunctis, non propterea tamen laudatus Fredegarii Continuator pugnat cum anonymo, cùm hic non edicat, ſceleris ſui ſocios Ebroïni interfectorem non habuiſſe. Examinanda nunc accuratiùs eſt mortis Ebroïni epocha.*

anno 681 necatur.

264 *Annus, quo hic interfectus eſt, optimè colligitur ex* Leodegarii *anno emortuali, & ex tempore, quod inter hunc & Ebroïni necem interceſſiſſe, ex anonymo noſtro intelligitur. Id quidem jam in anteceſſum ob materiæ connexionem num.* 259 *ſatis innui, at nunc hîc proprio ſuo loco luculenter oſtendo : Annus Chriſti* 678 *ad* 2 *Octobris provectus* Leodegario, *ut vidimus, emortualis fuit ; Ebroïni autem cædes, ut anonymus innuit, contigit paulò ante* Leodegarii *ex eccleſia Sarcinienſi ad ſolum Pictavienſe tranſlationem, ac proin paulò ante Aprilem anni* 681, *cùm hæc*

B

menſe illo & anno facta ſit, uti § præcedenti docuimus, ſequentique pluribus docturi ſumus. Porrò cùm à 2 *Octobris anni* 678 *uſque ad Aprilem anni* 681 *anni duo cum dimidio excurrant, conſequens eſt, interceſſiſſe inter annum* Leodegarii *emortualem & Ebroïni cædem annos ferè duos cum dimidio, ac proin hunc anno Chriſti* 681 *eſſe necatum, idque paulò ante menſem Aprilem. Hinc jam colligas, quod adhuc antè monui, annum nonum regni Theodorici III, cùm anno* 681, *menſe Septembri circitèr, inchoatus tantùm fuerit, conjungi non poſſe cum anno, quo necatus eſt Ebroïnus ; annos verò ferè tres, quos anonymus inter* Leodegarii *& Ebroïni necem interceſſiſſe num.* 55 *innuit, annos duos integros cum quinque circitèr menſibus complecti. Ceterùm annus, quem hîc Ebroïno emortualem ſtatuimus, utcumque ex Chronico S. Medardi Sueſſionenſi, quod tom.* 2 *Spicilegii Dacheriani recentioris editionis inſertum exſtat, confirmari poteſt. In eo enim ſic legitur :* Anno DCLXXXI. Ebroïnus princeps Francorum & dux, præfectus palatii, & major-domûs interfectus eſt. *Anno, quo Ebroïni*

C

cædes contigit, ita examinato, lubet nunc nonnullorum eruditorum de Ebroïno proferre judicia, ut ex iis queat ſtudioſus lector diſpicere, an meritò, an immeritò virum illum celeberrimum biographi noſtri ſubinde tetris coloribus depingant.

Licèt ſcriptores omnes Ebroïno multa ſcelera

265 *Pagius in Criticis ad annum* 681 *num.* 27, *narrata Ebroïni nece, ſic pronuntiat :* Præfecturam palatii ſub Clothario III primùm, ac deinde ſub Theodorico ejus fratre geſſit Ebroïnus ; vir crudelis, rapax, perfidioſus, qui inimicos ſuos jugulare fas duceret, cunctoſque ſibi ſuſpectos perdere ; quod ſub Theodorico rege, homine hebeti, perfecit eò licentiùs atque faciliùs, quòd, ei inani nomine ſervato, regni adminiſtrationem in ſe tranſtulerat. *Remittit deinde pro quibuſdam vitiis ac virtutibus, quibus Ebroïnus erat præditus, ad Hadrianum Valeſium, cujus & nos infrà hac in re judicium laudabimus. Baronius in Annalibus eccleſiaſticis ad annum* 687 *num.* 6 *Ebroïni mortem hoc modo annuntiat :* Quod ad res Francorum pertinet, eodem anno, maximo malo purgantur Galliæ, cùm truculentus carnifex, Sanctorum ſanguine ebrius, Ebroïnus occiditur : tertio namque anno à ſancti Leodegarii martyrio trucidatur ab Ermenfrido. *Gerardus Du Bois in Hiſtoria eccleſiæ Pariſienſis, narrato infelici Ebroïni exitu, ſubdit :* Is exitus Ebroïni fuit viri audaciſſimi, qui nihil reliqui fecit, ut ſummam ſibi in regno poteſtatem faceret, quique magnas virtutes plurimis graviſſimiſque vitiis obſcuravit, primus omnium præfectorum palatii, regiam deſpiciens auctoritatem, ſuo nutu omnia regere cœpit ; etſi enim antea magna jam præfectis auctoritas, non ea tamen, ut ſub ea gemeret abolita poteſtas regum, quorum magis ſe crederent conſiliarios, quàm moderatores. *Ita omnes planè ſcriptores tum recentiores tum antiquiores, quos quidem ego potui conſulere, dum de Ebroïni moribus ferunt judicium, eum vel rapacitatis, vel ſævitiæ, vel ambitionis, vel perfidiæ vel horum omnium vitiorum ſimul inſimulant.*

imputent, eum tamen ab apoſtaſiæ crimine

266 *Cointius nihilominus in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum Chriſti* 670 *num.* 3, *ad annum* 681 *num.* 62, *aliiſque nonnullis locis Ebroïni famam tueri nititur. Et verò hunc principem non immeritò, ut mihi quidem apparet, ab apoſtaſiæ crimine vindicare laborat, ad annum* 678 *num.* 5 *ita ſcribens :* Ebroïni facinus (*exercita in* Leodegarium *ſævitia*) excuſari nequit, non ideò tamen vituperandi ſunt Audoënus, Reolus, aliique ſanctiſſimi Præſules, quibus arctiſſimam cum Ebroïno amicitiam ea tempeſtate anniſque ſubſequentibus interceſſiſſe conſtat. Licèt enim Ebroïnus, tonſis capillis, clericalem habitum induiſſet,

E

plerique nihilominus ſentiebant, illi liberum ad ſecularia deſideria regreſſum patuiſſe, quia vir conjugatus, nec uxoris aſſenſu ſpontaneave voluntate comam depoſuerat, nec ſacris Ordinibus ſe permiſerat initiari. *Ita ille, & rectè : attamen, quod ait, pleroſque tunc ſenſiſſe, liberum Ebroïno ad ſecularia deſideria tunc patuiſſe regreſſum, id quidem ſenſêre forſitan Audoënus, Reolus & nonnulli alii ; at non plerique, ut mihi quidem apparet. Nam à pleriſque ſeculi* VII *Sanctorum Neuſtriæ biographis, qui Ebroïni meminerunt, probroſo* impii apoſtatæ *nomine hic princeps notatur. Certè S. Filibertus, Ebroïno coætaneus, id, quod ait Cointius, neutiquam ſenſit. Etenim in Sancti hujus Actis, quæ apud nos ad* XX *Auguſti illuſtrata ſunt, monachus Gemeticenſis anonymus & ſubæqualis num.* 18 *hæc memorat.*

F

vindicare meritò conatur Cointius ;

267 Cùm igitur peſtifer Ebroïnus, qui à Francorum genere pro nimia crudelitate de palatino honore fuerat pulſus, comâ detonsâ clericus Luxovium ingreſſus, apoſtata factus, ſpiritu malignitatis armatus cœpiſſet rabidis dentibus fremere ſuper nobiles ſacerdotes & Francos, atque, conſentientibus ſibi plurimis, contra mandatum Dei recepiſſet locum honoris, ſanctus ad eum Filibertus abiit, & prædicationis verba impendit. Cúmque ei ille dare munera magna vellet, Vir Dei cuncta reſpuens, ait, apoſtatam eſſe eum, nec Chriſtianum hominem cum eo participare debere, exiſtimans, quòd potuiſſet hoc facto per acumen ferri palmam martyrii obtinere. *Quibus ſanè ex verbis liquet, Filibertum, uti etiam ejus biographum non ſenſiſſe id, quod pleroſque ſenſiſſe, Cointius affirmat. Puto nihilominus, dubitari poſſe, an Ebroïnus, qui non ſponte, ſed mortis evadendæ neceſſitate coactus monachum induerat, ſacroſque ordines nondum ſuſceperat, liberè ad ſeculum, data opportunitate, ſine ulla Dei offenſa reverti non potuerit, ut ab eo proinde, ut jam dixi, apoſtaſiæ labem removere, non immeritò Cointius conetur.*

268 *Verùm*

AUCTORE C. B.

A *at non item*

268 *Verùm hic ſcriptor modum excedit, dum ad annum* 670 *num.* 3, *ut Ebroïni famam tueatur, ſic ſcribit:* Habuit Ebroïnus ſuorum conſiliorum participes, ſuorumque geſtorum æſtimatores viros doctrinâ, pietate, pontificalibus infulis æquè præſtantes, Chrodobertum epiſcopum Pariſienſem & ſanctum Audoënum Rotomagenſem epiſcopum, quibuſcum ditiones Clotharii tranquillè pacificéque rexit. Author coætaneus, qui Vitam ſanctæ Bathildis ſcripſit, Clotarii regnum in pace conſtitiſſe teſtatur, incumbentibus in id operis præcellentibus principibus, Chrodoberto epiſcopo Pariſiaco, & domno Audoëno, ſeu & Ebroïno majore-domûs, cum reliquis ſenioribus. Et ſanctus Audoënus in Vita ſancti Eligii conſtanter affirmat, Clotarium diem obiiſſe, dum quietè tranquilléque regnaret. Præterea Ebroïnus, ut aliquot exemplis jam docuimus, non pauca ſigna ſub Clotarii principatu dedit inſignis pietatis, cùm monaſteria ipſemet ædificavit, aut pios viros in aliis ædificandis adjuvit. Hæc palàm oſtendunt, id Ebroïno contigiſſe, quod viris in tali dignitate conſtitutis evenire ſolet, ut quocumque modo res ſibi commiſſas adminiſtrent, odium & invidiam aliorum

B incurrant, qui ſimili fortuna gaudere cupiunt, nec gaudent. *Cùm enim his verbis proximè præmittat hæc*; Uterque (*anonymus noſter & Urſinus*) quia ſtat à partibus Leodegarii, liberiùs in Ebroïnum debacchatur, quocum graves contentiones Leodegario fuerunt, *velle videtur Cointius, Ebroïnum iis caruiſſe pravis affectibus, quibus nihilominus infectum eum fuiſſe innuunt anonymus & Urſinus. Ex pravis illis affectibus præcipui tres ſunt; immoderata ſcilicet ambitio, vindictæ ſtudium, immaniſque in ea exercenda crudelitas.*

ab ambitione,

269 *At non video, qua ratione ab iis nævis Ebroïnum vindicare poſſit Cointius. Liquet enim ex ipſiuſmet indubitatis viri geſtis, quàm fuerit honoris & dignitatum cupidus, quámque in eos, quos habebat inviſos, ſupra modum crudelis. Ut ab eo, quod primum eſt, probando incipiam, Ebroïnus Luxovio poſt mortem Childerici egreſſus, in priſtinum præfecturæ palatii honorem ſeu dignitatem ut reſtitueretur, nihil ſibi duxit illicitum. Regem Theodoricum unà cum majore-domûs Leudeſio armis perſecutus, hunc, incolumitate jurejurando promiſſa, ad ſe evocatum contra datam fidem nefariè occidit; illum verò tamdiu aperto bello vexavit, donec quà vi, quà fraude dignitatem, quam amiſerat, recuperavit. Hæc ſanè invictè probant, ambitionis vitio Ebroïnum plurimùm laborâſſe; conſtantque partim ex anonymo num.* 24 *&* 25, *partim ex Fredegarii continuati cap.* 96 *& Geſtis Regum Francorum, in quibus cap.* 45 *hæc leguntur:* Leudeſius (*ſuperveniente ſcilicet Ebroïno*) unà cum Theodorico rege &

C ſociis quàm plurimis per fugam evaſit. Ebroïnus autem eos uſque ad Bacio villa inſecutus eſt, ibique theſauros regales adprehendit. Deinde poſt hæc Criſciago veniens, regem recepit; Leudeſium autem, data fide, ad ſe venire mandavit. Quo facto, Leudeſium interfecit, & ipſe principatum ſagaciter recepit.

ab immodico vindictæ ſtudio,

270 *Oſtendo nunc, etiam liquere ex ipſiuſmet Ebroïni geſtis, eum vindictæ cupidum maximè fuiſſe. In Annalibus Metenſibus Francorum apud Bouquetum tom.* 2 *Scriptorum pag.* 677 *& ſequenti hæc leguntur:* Succedentibus verò annis, (*Ebroïnus*) cùm rex alius, *Theodoricus ſcilicet*, qui ſibi amicus fuerat, Francorum ſuſcepiſſet imperium, rurſus monaſterium relinquens, habitumque tantummodò tonſuræ retinens, monachalem habitum abjiciens, uxore recepta, honorem iterum majoris-domatus arripuit. Sed quantùm inordinatè & illicitè illius officii adminiſtrationem ſubiit, tantùm perverſiùs & ſceleſtiùs ipſius gubernationem exercuit. Nam illos, qui ſibi in primi principatus amiſſione adverſarii fuerant, ita perſecutus eſt, ut nonnullos vitâ libertateque plurimos ac propriis facultatibus ſpoliaret. *Quæ certè arguunt, vindictæ ſtudio Ebroïnum in plures ſibi antea adverſatos ſæviiſſe, ac proin pravo illo affectu minimè caruiſſe. Quamquam autem Annales Metenſes ſeculis ut minimùm duobus poſt ætatem Ebroïni concinnati ſint, eorum tamen auctor ex ſcriptoribus antiquioribus, ut Bouquetus in Præfatione annotat, ea omnia deprompſit, quæ annum* 687 *præcedunt, atque adeò fidem integram videtur hîc mereri. Ad hæc, quæ huc facientia perhibent, eruditorum nemo vocat in dubium, admittunturque ad annum* 681 *num.* 62 *ab ipſomet Cointio, qui, quamquam ibidem innuat, Ebroïnum in majoratum-domûs reſtitutum, non vindictæ ſtudio, ſed ut ſibimet ipſi conſuleret, in plures ſibi antea adverſatos ſæviiſſe, à vindicta tamen expreſsè vindicare nec nititur, nec verò vindicare potuiſſet ejuſdem Ebroïni ſævitiam in* S. Leodegarium, *quem ſibi aliquando adverſatum fuiſſe ille autumabat, etiam tunc exercitam, cùm nihil ampliùs ab eo, utpote jam oculis orbato, haberet timendum.*

E

crudelitate que ex eo exercita:

271 *Imò, quod tertio loco probandum eſt, ea ipſa Ebroïni ſævitia certiſſimè etiam probat, crudeliſſimi ingenii hominem illum fuiſſe. A quo enim, niſi ab homine cum ipſis primorum martyrum tyrannis crudelitate comparando proficiſci potuerunt diriſſima illa tormenta, quibus* Leodegarium *biennio ferè oculis jam orbatum affecit? A quo, niſi ab homine ſupra omnem modum crudeli, proficiſci potuit falſa illa atrociſſimi criminis impoſitio, cujus obtentu ſanctum Antiſtitem, ut famam unà cum vita ei eriperet, biennio ferè poſt linguæ & labiorum abſciſſionem tandem necavit? Sanè hæc Ebroïni in* Leodegarium *crudelitas tam ferox, tam fœdum eſt facinus, ut excuſari illud non poſſe, fateatur ipſemet Cointius, qui Ebroïni tamen ſcelera, ubicumque aliqua ratione poteſt, conatur excuſare. Hac etiam præcipuè de cauſa Ebroïnus in Chronico Centulenſi S. Richarii apud Dacherium tom.* 2 *Spicilegii recentioris editionis pag.* 301 *tetris ſanè coloribus depingitur. En verba:* Theodoricus igitur matri Baldetildi ſuperſtes regni ſuſcepit gubernacula: quod cùm audiſſet ille verus ſimulator, & falſus monachus, nequiſſimus ſcilicet Ebroïnus, monaſterium deſeruit, habitum abjecit, & ab eodem rege major-domûs regiæ reſtitutus, multa mala his, qui dudum ſuo conſilio in eligendo rege reſtiterant, inflixit. Inter omnia autem ſuæ ſæviſſimæ crudelitatis nefanda opera, illud deteſtabiliſſimum comprobatur, quòd reverendiſſimum pontificem Leodegarium tantis injuriis, tamque multiformibus affecit ſuppliciis, ut in ipſa pœnarum argumentatione, paganorum quondam principum ſævitiam æquiparâſſe, aut etiam ſuperaviſſe credatur. *Plura hîc opus eſſe non puto, quibus immanis Ebroïni ſævitia probetur, cùm hanc ex jam dictis ſatis ſuperque probent dira ſupplicia, quibus is* Leodegarium *miſerrimè afflixit. Diſpiciat nunc ſtudioſus lector, an verbis num.* 268 *recitatis ſat rectè Cointius eximat Ebroïnum à vitiis, quibus eum laborâſſe, biographi noſtri innuunt.*

F

272 *Ut*

AUCTORE C. B.

placet hinc Valesii opinio,

272 *Utuntur quidem hi, quod absit, ut approbem, duriori subinde atque asperiori loquendi modo, quàm par sit, at non propterea falsa sunt, quæ de Ebroïno affirmant. Puto nihilominus, quod nec illis adversatur, Ebroïnum, utut ambitioni, vindictæ, crudelitati, aliisque etiam vitiis addictum, virum in bellis strenuum fuisse, nec omni pietate destitutum, ut adeò propè vera de eo pronuntiare videantur auctor Vitæ S. Præjecti ad* XXV *Januarii Operi nostro insertæ, & Valesius tom.* 3 *Rerum Francicarum. Utriusque verba huc transcribo. Prioris num.* 12 *hæc sunt:* Leodegarius... ab Ebroïno, comite palatii, aliàs strenuo viro, sed in nece sacerdotum nimis feroce, impiè valde peremptus, palmam martyrii adeptus est, sacrisque nunc virtutibus pollet. *Posterioris verò fol.* 334 *illa:* Iterum receptam (*Ebroïnus*) præfecturam novem annis (*imò, uti ex jam disputatis facile est colligere, annis ad summum septem iisque incompletis*) gessit. Vir, qui neque satis laudari, neque abundè vituperari potest, magnus animo, consilio providus, strenuus, in rebus gerendis celer, nec umquam cessans, antequam destinata exsecutus esset, laboribus periculisque invictus, & monasterii Suessionici constructione

B ac sanctorum episcoporum Audoëni, Drausionis, Reguli, Ægilberti, aliorumque amicitiâ pietatem aliquam testatus: crudelis idem, rapax, perfidiosus, qui inimicos suos perjurio decipere, spoliare, jugulare fas duceret; qui nemini eorum, à quibus præfecturâ dejectus erat, parceret, cunctos sibi suspectos perderet, & Franciam fraudibus, sævitia, proscriptionibus vexaret: plurimis nobilium Francorum ad Pippinum confugientibus, suppliciterque petentibus, ut ipsos ex tyranni manibus eriperet. Quid ambitionem referam, quæ tanta in Ebroïno fuit, ut recipiendæ præfecturæ causâ regem unà cum majore-domûs regiæ armis persecutus & capere conatus sit, ac neminem è Francis optimatibus parem tulerit, unus denique omnibus ac regi ipsi imperare voluerit?

juxta quam Ebroïnus, licèt pluribus vitiis infectus, vir tamen

273 Primus enim Ebroïnus sub nomine præfecturæ palatinæ tyrannidem invasit, & quod post Balthildis reginæ secessum novissimis Chlotharii principis annis cœperat, sub Theodorico homine hebeti perfecit eò licentiùs atque faciliùs, quòd pœnè per vim restitutus in dignitatem erat, & quasi jure belli palatium occupaverat. Regem igitur in sua potestate habuit, ei-

C que inani nomine servato, regni administrationem ademit, ac in se transtulit, summumque omnium rerum imperium usurpavit. *Hactenus ex primo, ut apparet, & secundo Fredegarii continuatore variisque Sanctorum seculi* VII *biographis, sat rectè Valesius; attamen quod ait, Ebroïnum monasterii puellaris Suessionensis, sanctissimæ Virginis Mariæ, constructione, & amicitiâ, quam cum Audoëno, aliisque quibusdam sanctis episcopis coluit, pietatem aliquam esse contestatum, posset id vocari in dubium. Quòd enim amicitiam cum S. Audoëno, aliisque nonnullis episcopis coluerit, facere id potuit, ut erat astutus, partim ex aliquo politico intuitu, partim ex eo, quòd episcopos illos sibi adversatos aliquando fuisse minimè suspicaretur, ita ut, quamquam illa amicitia argumento sit, Ebroïnum non omnibus prorsus piis hominibus fuisse adversum, in ea tamen pietas partem longè minimam fortè habuerit. Quod verò pertinet ad prædicti monasterii Suessionensis constructionem, monasterium illud Ebroïnus primò construxit seu construi permisit extra urbem Sues-* D *sionensem, deinde verò, cùm religiosas virgines ibi incommodè habitare advertisset Ebroïni uxor, intra muros ejusdem urbis idem transtulit; utrumque autem feciſſe videtur, non tam ut pietati serviret, quàm ut uxoris suæ desiderio voluntatique obsecundaret. Etenim in Vita S. Drausii episcopi Suessionensis ad* V *Martii apud nos edita num.* XI *narrationi constructionis prædicti monasterii præmittitur:* Igitur ea tempestate, quâ Ebroïnus in regio palatio habebatur præcipuus, & consiliis regis intimus, nec non & inter primates regiæ dignitatis nobilissimus, sæpe dictus episcopus (*Drausius*) providè delegit priùs votum suum revelare in auriculam nobilissimæ matronæ Leutrudis, prædicti principis Ebroïni conjugis. Petiit siquidem ab ea & humili prece depoposcit, ut pro Dei timore simul & amore dignaretur voto suo satisfacere, scilicet quò suaderet viro suo, ut aut licenter daret sibi facultatem construendi locum vitæ virginum, in quolibet locorum vicinarum partium, aut ipsa cum vir * inciperent ipsum diligenter perficiendum pro * *Chesnius* cum viro salute animarum suarum. Cujus petitionibus pia conjunx favens, viro suo hoc ipsum faciendum, aut sibi facere permittendum sedulò suasit, ac E precibus suis aurem ejus inclinavit. Qui tam suæ conjugis, quàm Sancti Dei piis exhortationibus, & votivis precibus victus, quod petebant, se facturum seu fieri permissurum spopondit. *Translatio verò num.* 14 *ita incipit referri.*

strenuus, nec omnis pietatis expers fuisse videtur,

274 Quod (*religiosas virgines incommodè in monasterio extra civitatem posito habitare*) cernens nobilis matrona Leutrudis, quia pietosæ erat mentis, animo indoluit, corde ingemuit, quòd tam negligenter tractarentur ancillæ Dei. Accedens igitur ad præfatum Ebroïnum, virum suum, longaque ab intimo cordis suspiria trahens; heu, mi domine, inquit, quid facere voluimus, ut tanto angore & detrimento fideles Dei afficeremus? Nam non solùm hoc morbi est, quòd præsentibus malis & infortuniis subjacent, sed, quod deterius est, si quando hostilis impetus derepente supervenerit, aut improvisa calamitas, peccatis nostris exigentibus, super nos ingruerit, quod absit; istæ tamquam oves innocentes & insontes gladiis advertentur, & velut nullum habentes tutelæ propugnaculum, primùm intercipientur. Qua pro re, non bonâ fortunæ versâ vice, quod debuit nobis provenire ad animarum subsidium, fiet utriusque in futuro exitium: & unde nobis debuimus Dei mercari gratiam, inde, nisi actu caveatur, ejus incurremus iram. Hujus rei gratiâ jubeat clementia vestra præparari asylum intra civitatis ambitum, ad quod confugere, in quo consistere, & ubi ab hostium incursu liberæ, secura ibi mente Deo valeant servire. His & similibus alloquiis demulcens viri sui animam, blanditiisque multis fovens, ad votum suum tandem ejus inclinavit mentem. *Quibus ex verbis hoc & præcedenti numero recitatis colligi posse videtur, Ebroïnum unicè uxoris suæ precibus victum, & quidem non nisi ægrè in monasterii puellaris Suessionensis constructionem, ejusque deinde translationem consensisse, ut adeò pietatem hinc aut admodum exiguam aut potiùs nullam contestatus esse queat videri. Verùm, utut sit, cùm æquum non videatur, omnia Ebroïni opera in sequiorem partem interpretari, hunc ego principem omnis planè pietatis expertem non fuisse,* F *verè*

A *verè existimo, tum ex eo, quòd amicitiam cum Audoëno, aliisque sanctis episcopis coluerit, monasteriumque puellare Suessionense construxerit, aut certè construendum permiserit, tum ex eo, quòd die Dominica necatus sit, cùm officium Catholici hominis facturus, ad ecclesiam, ut pro more illorum temporum die illo matutinis interesset officiis, properaret.*

quidquid de salute ejus quidam pronuntient.

275 *Absit etiam, ut de salute viri in communione Catholica mortui omninò desperandum cum quibusdam pronuntiem. Pro fabula enim habeo id, quod ab Adone in Chronico narratur, quodque, si verum foret, Ebroïnum damnatum esse, innueret. En ipsam fabellam, quæ vel ex vetustiore scriptore, vel traditione accepta, narrationi necis Ebroïno illatæ apud laudatum Adonem subditur:* Erat tunc temporis vir oculis cæcatus, unus de illis, quibus Ebroïnus effoderat lumina, in insula Lugdunensis provinciæ, quæ Barbara dicitur. Qui cùm nocturno tempore super ripam Sicannæ fluminis orandi gratiâ resideret, audivit navigantium impetum, & magna vi brachiorum contra impetum fluminis insurgentium. Cúmque interrogâsset, quò navigium illud tenderet, vox
B in auribus ejus percrebuit: Ebroïnus est, quem ad Vulcaniam ollam deferimus: ibi enim facti sui pœnas luet. Hoc idem vir audivit ad consolationem sui, ut sciret, quam pœnam persecutores justorum sentirent. *Tota hæc, ut jam innui, narratio fabulosa apparet, proque tali etiam à Pagio, Cointio, aliisque eruditis omnibus hodie, idque meritò, habetur. Et verò mirum non est, putidam hujusmodi fabellam de Ebroïno fuisse confictam, nec mirandum foret, si similis furfuris plures forent confictæ, si quidem is, ut Valesius tom. 3 Rerum Francicarum pag. 231 scribit,* avaritiâ, perfidiâ, crudelitate consecutus est, ut vivus odio esset plurimis, nomen mortui, tamquam Marii aut Sullæ, posteri exsecrarentur.

§ XVIII. Contentio de corpore S. Leodegarii, ejusque ad agrum Pictaviensem ac deinde ad novam ecclesiam Sancto exstructam translatio.

C *Occiso Ebroïno, Leodegarii corpus,*

E *Broïno è vivis sublato, miraculorum fama, quæ indies ad tumulum* S. Leodegarii *magno numero fiebant, liberiùs cœpit vagari, perlataque non diu pòst ad aulam, ad quam hactenus Ebroïni metu ægrè penetrârat, ad ipsas Theodorici regis aures pervenit. Tum verò hic cum admiratione credens, facta esse ad* Leodegarii *corpus prodigia, quæ ad illud facta antè ignorârat, ex animo venerari & laudare cœpit sanctum Antistitem, quem priùs putârat reum fuisse criminis, cujus ab Ebroïno insimulabatur.* Sed, *inquit anonymus num.* 57 *&* 58, postquam infelix Ebroïnus vitæ finem dedit, quod invidiâ ductus de Dei Servo absconderat, magnis laudibus longè latéque percrebuit. Post hæc igitur ut serenitati regis ejusque palatio de virtutibus sancti Martyris veraciter fuit percognitum, quòd Christus Dominus ad titulum suæ laudis eum clarificâsset signis virtutum, cum admiratione rex credidit factum, & cœpit verè venerari ut martyrem, quem per accusationem tyranni crediderat priùs fuisse culpabilem. Tunc perlatum est cum laude in palatio, quod multis diebus ab æmulo latuit absconsum. *Aderant eo tempore in aula multi magnique episcopi, quibus* AUCTORE C. B. *inter se de* Leodegario *miraculisque ad tumulum ejus patratis liberè jam & sine metu sermonem habentibus, pia inter Ansoaldum Pictaviensem, Ermenarium Augustodunensem & Vindicianum Atrebatensem orta est contentio. Quisque scilicet horum trium episcoporum sacrum* Leodegarii *corpus ecclesiæ suæ vindicare contendebat.*

dum de eo episcopi Ansoaldus, Ermenarius

277 *Contentionem illam ejusque decisionem num.* 58 *&* 59 *pluribus refert anonymus, quem Mabillonius tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 567 *in hunc modum exponit:* Crescentibus indies ad sancti Leodegarii tumulum miraculis, eorumque famâ facilè in aulam Theodorici, mortuo Ebroïno, perlatâ, de transferendo ejus corpore contentio inter episcopos, qui tum in palatio frequentes erant, exorta est, tertio anno, quàm martyrium expleverat. In his Ansoaldus Pictavensis antistes, vir magnæ sanctitatis, corpus sacrum sibi deberi contendebat, tum ob consanguinitatem, quâ sancto Martyri erat conjunctus: tum quia in ipsius parochia ille ad honores ecclesiasticos adoleverat, primò quidem sub Didone episcopo Pictavensis ecclesiæ archidiaconus, tum abbas in sancti Maxentii monasterio, priusquam ad episcopatum Augustodunensem proveheretur. Contrà Hermenarius, qui ei in
E episcopatu Augustodunensi successerat, Jure mihi, inquiebat, hoc corpus debetur: quia ibi eum requiescere æquum est, ubi is episcopus fuit.

& Vindicianus contendunt, Ansoaldo adjudicatur, cujus jussu

278 Utrique intercedebat Vindicianus præsul Atrebatensis titulo possessionis, quippe cùm sanctum illud depositum in pago Atrebatensi, ubi cæsus (*Leodegarius*) fuerat, jam requiescceret. Ad finiendam controversiam jejunia cum precibus indicta: & tribus schedulis subter pallam altaris appositis, post sacra Missarum sollemnia, à ministro altaris Ansoaldi schedula prima producitur; atque adeò beati Martyris corpus ei hac sorte adjudicatur. Ansoaldus hoc modo superior, Audulfo monasterii sancti Maxentii abbati curam transferendi sacri corporis committit: ut, ubi priùs cultum Dei Vir sanctus professus fuerat, ibidem etiam post mortem, uti lucerna, in perpetuum emicaret. *Ita in favorem Ansoaldi decisa est pia illa de* S. Leodegarii *corpore contentio. Hujus deinde ad agrum Pictaviensem Translationem loco proximè citato ex anonymo pariter narrat laudatus Mabillonius.*

F *ad agrum Pictaviensem, multis in via factis*

279 Rem, *inquit*, haud segniter Audulfus exsequitur, accepta regis facultate, qui universis, quacumque sanctum corpus transiret, mandaverat, ut sollemni cultu ubique honoraretur. Quod factum à pago Atrebatensi ad Pictavensem, omnibus tam clericis quàm monachis, infinita promiscui vulgi multitudine comitante, cum crucibus, accensisque cereis & suavitatum odoribus obviàm effusis, ita ut vix ad sacrum feretrum accedere liceret. Nec defuit honorando Martyri divina potentia, tot patratis in via miraculis, ut quisquis, quavis detentus infirmitate, feretrum aut pannum, quo tegebatur, manu tangere potuisset, confestim sanitatem recuperaret. Accedenti ad urbem Turonum sacræ pompæ obviàm processit Bertus seu Theodebertus ejusdem civitatis pontifex cum choris psallentium & luminibus, & sacrum corpus usque ad Pictavorum fines deduxit.

miraculis, ab Audulfo abbate

280 Ansoaldus episcopus, audito, sanctum jam appropinquâsse corpus, ex villa sua Interamni pauperibus & promiscuo vulgo vinum sup-

AUCTORE C. B.

peditari juſſit, quod in vaſculis nequaquam defuit, immò exuberavit, quantumvis exhauſta vaſcula crederentur. Sedato ad Vigennam * fluvium vento, proceſſum eſt ad Gelnacum villam, ubi Anſoaldus cum ſuo clero occurrit ſacro corpori, cujus contactu in ſuburbana baſilica ſanctæ Radegundis unus paralyticus ſanatus, itidemque alter in baſilica ſancti Hilarii, quam unus ex hujus tranſlationis ſcriptoribus MONASTERIUM SANCTI HILARII vocat. Ab urbe Pictavorum elatum corpus monachi Maxentiani magno numero & comitatu, ſed majori gaudio excipiunt, atque in ſuum deferunt monaſterium, paſtorem quondam ſuum cum magna devotione ſuſcipientes. Ibi nullus miraculorum modus in quoſvis debiles & ægrotos, quibus incolumitas reſtituta eſt. *Ita hactenus, anonymum ſcilicet contrahens, Mabillonius, qui per unum illum ſcriptorem, qui baſilicam S. Hilarii, ut ait,* monaſterium *vocat, anonymum Morbacenſem* S. Leodegarii *biographum intelligit. Liquet id ex Saculo 2 Benedictino, quo in Opere pag. 697 ad has voces* baſilicam S. Hilarii *ita obſervat:* Auctor tertius, *qui juxta illum anonymus Morbacenſis eſt,* monaſterium S. Hilarii vocat. *Ad hæc in Ms. noſtro anonymi Morbacenſis apographo pro baſilica* monaſterium *notatur.*

* la Vienne

B

transfertur

281 *Idcircò autem à biographo illo baſilica S. Hilarii* monaſterium *fortè vocatur, quòd lucubrationem ſuam ante ſeculum* x *adornârit, ante quod S. Hilarii baſilica ad monaſterium ſeu abbatiam homonymam ſpectabat, quæ ſeculo* x *ab Ebulo, Guilielmi 2 Aquitanorum ducis fratre, qui ſecundùm Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom. 2 col.* 1227 *uſque ad annum circitèr* 975 *in vivis fuit ſuperſtes, in inſigne canonicorum collegium fuit converſa. Docet id Chronicon Malleacenſe. In eo enim hæc leguntur:* Hic (*Guilielmus 2 Aquitanorum dux*) Ebulo germano ſuo abbatiam S. Hilarii præbuit, qui canonicos ibidem diſpoſuit, quia infeſtatione Normannorum idem locus à priſtina monachorum habitatione deſciverat. *De S. Hilarii monaſterio, nunc canonicorum collegio, plura ſuggerunt tomo proximè citato col.* 1223 *laudati mox Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores, ad quos propterea curioſum lectorem remitto. Poſſent & nonnulla alia ad Hiſtoriam tranſlationis Sancti noſtri hîc obſervari, ſed hæc in Annotatis priori Vitæ edenda adjiciendis commodiùs locum invenient. Tantùm lubet hîc adhuc diſcutere dictæ tranſlationis tempus, aliaque nonnulla adjuncta præcipua hanc jam factam ſecuta.*

C

anno quidem 681,

282 *Annus, quo* Leodegarius *è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem fuit tranſlatus, facili poteſt negotio determinari. Etenim Sanctus, ut* § XVI *docuimus, die 2 Octobris anni* 678 *fuit necatus, eodemque die in eccleſia Sarcinienſi ſepultus; ibi autem, antequam transferretur,* annis duobus & dimidio, *ut anonymus num.* 50 *& Urſinus num.* 22 *teſtantur,* humatus *jacuit. Quare, cùm anni duo cum dimidio additi anno* 678 *ad 2 Octobris provecto perducant ad annum* 681, *conſequens citra omnem controverſiam eſt, ut hoc anno* Leodegarius *è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem fuerit tranſlatus. Verùm non tam facile eſt, quo die, quove menſe id acciderit, determinare. Dubitari enim poteſt, an plures, an pauciores, quàm ſex menſes, biographi noſtri intelligant per medium annum, quo ſupra duos annos integros* Leodegarium *affirmant in eccleſia Sarcinienſi jacuiſſe ſepultum, ac proin dubium fit, ad quem menſem anni* 681 *perducant computati ab anno* 678, *uſque ad 2 Octobris provecto, anni duo cum dimidio, quibus* Leodegarius *Sarcinii jacuit ſepultus. Dubium nihilominus id minimè futurum eſt, ſi clauſula Vitæ* Leodegarii *per anonymum conſcriptæ, cujus num.* 256 *initium dedi, genuina ſit, tranſlatioque, de qua agit, ſit tranſlatio Sancti è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem. Illa enim clauſula juxta apographum noſtrum Ms. Ultrajectinum ſuprà laudatum ſic habet:* Conſummatum eſt martyrium ſancti Leodegarii epiſcopi ſexto * Nonas Octobris & dedicatio ipſius baſilicæ tertio Kalendas Novembris; Tranſlatio verò ſancti corporis medio Martii menſe. *Quæ verba apertè indicant, Tranſlationem, qua de agunt, menſe Martio factam eſſe, ac proin indubiè eodem menſe etiam facta fuerit* Leodegarii *è pago Atrebatenſi Tranſlatio, ſi hæc ab illa diverſa non ſit, clauſulaque jam recitata debeat haberi pro genuina, ſeu pro adjecta ab ipſomet anonymo, non autem pro poſterioris ævi ſcriptoris additamento.*

D

* *Mabill.* quinto

283 *Verùm, utut prædicta clauſula pro genuina, qualis etiam fortè eſt, habeatur, videtur tamen, ut mox docebo, tranſlatio, cujus meminit, diverſa eſſe à tranſlatione* Leodegarii *è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem, ac proin hanc menſe Martio factam eſſe, ex eadem clauſula non conſequitur; imò menſe Aprili factam eſſe, probari utcumque poſſe apparet. Etenim biographi noſtri, dum temporis ſpatium, quo res geſtas definiunt, pro incompleto accipiunt, id indicare aut ſemper aut ſaltem plerumque ſolent, particulâ* ferè *aut ſimili appoſitâ. Sic Urſinus, dum num.* 7 Leodegarii *cum Childerico amicitiam tribus annis definit, incompletos illos fuiſſe, additâ particulâ* pænè, *ſignificat. Idem facit anonymus, dum num.* 44 *biennium, quo* Leodegarium *in monaſterio Fiſcamnenſi reſedisſe affirmat, appoſitâ particulâ* ferè, *ad biennium incompletum reſtringit, dumque num.* 55 *eadem accuratione indicat, pro incompletis habendos eſſe annos tres, quos inter Sancti noſtri, & Ebroïni necem medios conſtituit. Quapropter ſi iidem biographi dimidium anni, quo ſupra duos annos integros* Leodegarium *in eccleſia Sarcinienſi humatum jacuiſſe ſcribunt, pro medio anno incompleto acciperent, id etiam aliquo indicio veroſimiliter notarent, ac proin, cùm id non faciant, veroſimile fit, annum illum medium ab illis pro anno medio completo ſeu pro ſex menſibus accipi; cùm autem anni duo integri cum ſex menſibus, quibus* Leodegarius *poſt mortem, antequam transferretur, Sarcinii jacuit ſepultus, computati ab anno* 678 *uſque ad 2 Octobris provecto, quo fuit necatus, perducant ad menſem Aprilem anni* 681, *hoc ipſo menſe & anno Sancti è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem tranſlatio veroſimiliter contigit, ac proin probatum eſt, quod probari utcumque poſſe mox aſſerui.*

menſe verò, ut apparet, Aprili,

E

F

284 *Porrò quod jam pertinet ad alterum, quod mox pariter doctурum me præmonui, videri ſcilicet tranſlationem, cujus in clauſula Vitæ per anonymum conſcriptæ num.* 282 *recitata ſit mentio, diverſam eſſe à tranſlatione* Leodegarii *è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem; rem ſic oſtendo. Anonymus, narrata corporis* Leodegarii *ad diœceſim Pictavienſem Tranſlatione, inque monaſterium S. Maxentii invectione, num.* 75 *&* 76 *ita proſequitur:* In ipſius beatiſſimi Martyris (*Leodegarii*) honore, juſſu pontificis domini Anſoaldi, operâ Audulphi, patris monaſterii, miræ magnitudinis fabricata eſt domus; cujus fabricæ ædificium eſt diſſimile omnium baſilicarum conſtru-

inque novam eccleſiam,

A ſtructionibus. Quo chariſmate ſupradictus pontifex votum, quod vovit, perficere volens, huic loco acceſſit, cum omnibus ſuæ eccleſiæ ſacerdotibus, & turba magnificorum, catervaque plebis & populi magna. Et quidem cum magnis laudibus ſepelivit ſanctum corpus beati Martyris. *Paucis deinde, quæ huc non faciunt, adjectis, in Ms. noſtro Ultrajectino apographo, & editione Mabilloniana ſequitur clauſula num.* 282 *recitata. Quare cùm hæc proximè ſubdatur verbis jam recitatis, quibus* Leodegarii, *cùm ad monaſterium Sanmaxentianum aliquamdiu jam eſſet tranſlatus, in ædem ſacram de novo exſtructam illatio narratur, per tranſlationem, quam menſe Martio factam prodit, veroſimiliter nîl aliud intelligitur, quàm proximè memorata Sancti in eccleſiam de novo exſtructam illatio; ac proin tranſlatio, cujus meminit, diverſa eſſe videtur à tranſlatione* Leodegarii *à pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem. Accedit, quòd in jam ſæpe dicta clauſula, ut hanc inſpicienti patebit, priori loco aſſignetur dies, quo baſilica, ſeu eccleſia, quam in* Leodegarii *honorem Audulphus abbas conſtruxerat, ſolenniter fuit conſecrata; poſteriori verò menſis,*

B *quo* Leodegarii *tranſlatio, cujus meminit, facta fuit, ut adeò hæc poſt memoratæ baſilicæ conſecrationem ſeu dedicationem accidiſſe videatur, ac proin, cùm conſecratione illa certò fuerit anterior* Leodegarii *è pago Atrebatenſi tranſlatio, fuit hæc tranſlatione, cujus in ſæpiſſimè memorata clauſula fit mentio, pariter anterior, adeóque & ab illa diverſa.*

285 *Pagius in Criticis ad annum* 681 *num.* 29 *mecum quidem hìc idem ſentit; at non ita fit quantùm ad tempus, quo Baſilicæ ab Audulpho abbate in honorem* Leodegarii *exſtructæ conſecratio ſeu dedicatio, Sanctique in illam illatio ſeu potiùs tranſlatio contigit. Hanc enim is ſcriptor anno* 693, *illam verò anno* 690 *eveniſſe putat; verùm mihi veroſimilius apparet, Baſilicæ ſeu eccleſiæ in honorem* Leodegarii *conſtructæ dedicationem* xxx *Octobris anni* 684; *Sancti verò ad illam tranſlationem menſe Martio anni* 685 *accidiſſe. Laudati Pagii ratiocinium, quo probare nititur, eccleſiæ ab Audulpho abbate in honorem* S. Leodegarii *conſtructæ dedicationem anno Chriſti* 690 *eſſe peractam, eò ferè recidit: Seculo* VII, *quo eccleſiæ in in honorem* S. Leodegarii *ab Audulpho abbate exſtructæ dedicatio ſeu conſecratio facta eſt, nefas*

C *erat, eccleſias aliis diebus quàm Dominicis conſecrare, ac proin, cùm juxta clauſulam, quâ Vita* S. Leodegarii *per anonymum conſcripta terminatur, præfatæ eccleſiæ in honorem* S. Leodegarii *exſtructæ conſecratio* tertio Kalendas Novembris, *ſeu* xxx *Octobris die fuerit peracta, conſequens eſt, ut hæc anno aliquo acciderit, quo dies* xxx *Octobris in Dominicam incidebat. Hactenus ſat rectè: etenim in concilio Cæſarauguſtano* III, *quod anno* 691 *celebratum eſt, ita ſancitur:* In ſanctum & ſatis venerabile concilium reſidentibus nuntiatum eſt nobis, eo quòd aliqui pontifices regulam veritatis prætermittentes, eccleſias, quæ à fidelibus pia devotione conſtruuntur, extra diebus Dominicis conſecrent. Si ergò, cùm quiſque noſtrûm mortalium ad ſacerdotale promovetur officium, nullatenus patimur, ut in reliquis diebus, niſi tantùm in Dominicis feſtivitatibus, ii, qui honoris digni habentur officio, in ordine præficiantur eccleſiaſtico: quanto magis ut deificata ſancta templa, quæ ab hominibus fidelibus cenſentur honorificanda, ſine diebus Dominicis prohibeantur conſecranda? cujuſque

quæ, ut videtur, non

nos talium præſumptiones pontificum, non ſolùm ſanctorum Patrum cohibemur prohibere ſententia, ſed propria deliberatione cenſemus: ut nulli penitus pontificum, in quibuſcumque provinciis conſtitutis * amodò liceat, præter certis diebus Dominicis, eccleſias ſanctas conſecrare. AUCTORE C. B.

* *an* conſtituto?

286 *Quo canone, qui prædicti concilii primus eſt, non tantùm præſcribitur, ut eccleſiarum conſecrationes diebus Dominicis deinceps fiant, ſed etiam, veluti* regulam, *quam patres* regulam veritatis *appellant*, prætermittentes, *reprehenduntur epiſcopi, qui aliis diebus, quàm Dominicis, eccleſias conſecrabant; unde videtur, non ſolùm in Hiſpanica, ſed etiam in univerſa Eccleſia, ante concilium Cæſarauguſtanum* III, *anno, ut dixi,* 691 *celebratum, nefas ſeculo* VII *jam fuiſſe aliis diebus, quàm Dominicis, eccleſias conſecrare. Quapropter ex eo, quòd eccleſia in honorem* S. Leodegarii *ab Audulpho abbate conſtructa* tertio Kalendas Novembris, *ſeu die* xxx *Octobris fuerit conſecrata, rectè concludit Pagius, conſecratam eam fuiſſe anno aliquo, quo dies* xxx *Octobris in Dominicam incidebat. At non æquè rectè idem auctor conſecrationem illam indubitanter illigat anno* 690, E *quo dies* xxx *Octobris in Dominicam incidit, non autem anno* 684, *quo dies illa in Dominicam pariter incidit. Id enim idcirco facit, quòd, ut ait, ab anno* 681, *quo ſacrum* Leodegarii *corpus in monaſterium S. Maxentii fuit allatum, quoque in ſancti Antiſtitis honorem ab Audulpho abbate eccleſia ædificari cœpta eſt, uſque ad* xxx *Octobris anni* 684 *tres tantùm anni effluxerint, vixque intra triennii ſpatium conſtrui potuerit baſilica, quæ, biographis noſtris teſtantibus, miræ magnitudinis & ſuperbæ fabricæ fuit. Verùm cùm* Leodegarii *corpus anno* 681, *menſe Aprili, ut jam docuimus, è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem cœperit transferri, fuerit veroſimiliter, ſpectatâ locorum diſtantiâ, eodem anno ad monaſterium S. Maxentii menſe circitèr Majo jam allatum, à quo uſque ad* xxx *Octobris anni* 684 *non tantùm anni tres, ſed anni tres cum ſex menſibus effluxerunt; non video autem, cur intra triennium ſexque menſes conſtrui nequierit talis eccleſia, qualem verbis num.* 284 *recitatis biographi noſtri commemorant; imò ſat veroſimile apparet, intra illud temporis ſpatium dictam eccleſiam fuiſſe exſtructam: primò quidem, quia dubitandum non videtur, quin Anſoaldus, Pictavienſis epiſcopus, cujus juſſu illam exſtruebat Au-* F *dulphus abbas, vehementer inſtiterit, ut id opus, quod in honorem* S. Leodegarii *conſanguinei ſui exſtruebatur, ad apicem citò perduceretur; deinde verò, quia ſi intra illud temporis ſpatium exſtructa non fuerit, conſequens erit, ut tantùm, quemadmodum Pagius innuit, anno circitèr* 690 *fuerit abſoluta, ac proin, ut conſtructioni ejus decennium ferè fuerit impenſum, quod mihi equidem parùm veriſimile videtur ob vehemens impatienſque deſiderium, quo veroſimiliter impulſi Audulphus abbas ejuſque monachi celerrimè perfici optârint, curârintque eccleſiam, ad quam ſacras transferrent inſignis illius Sancti,* Leodegarii *ſcilicet, reliquias, qui, cùm viveret, monaſterium eorum abbas rexerat, illudque mortuus plurimis quotidie miraculis illuſtrabat.*

287 *Itaque, his conſideratis, veroſimilius mihi apparet, prædictam eccleſiam anno* 684 *ad apicem perductam, eodemque anno,* xxx *die Octobris fuiſſe conſecratam. Verùm Pagius loco citato ait, ex anno, quo* Leodegarius *ad eccleſiam ab Audulpho abbate conſtructam tranſlatus fuit, e-*

ſed anno 684 *conſecrata fuit,*

AUCTORE C. B.

videntiùs patere, ejusdem ecclesiæ dedicationem seu consecrationem anno 690 factam esse; quia scilicet Leodegarius *non citiùs, ut putat, quàm anno 693 ad ecclesiam illam de novo constructam fuit translatus; unde fit consequens, ut ejusdem ecclesiæ consecratio seu dedicatio non citiùs, quàm anno 690 facta fuerit, quia si anno 684 facta foret, hanc inter & Sancti translationem anni amplius octo, quod verisimile non est, intercessissent. Ut autem probet Pagius jam plus semel laudatus,* Leodegarii *ad novam ecclesiam translationem anno 693 accidisse, hunc in modum ferè ratiocinatur. In dubium vocari nequit, tam* Leodegarii *in novam ecclesiam translationem, quàm ejusdem ecclesiæ dedicationem in Dominica esse peractam, ac proin, cùm medius mensis Martius, seu dies mensis hujus decima sexta, quâ juxta clausulam Vitæ per anonymum conscriptæ* Leodegarii *in novam ecclesiam translatio facta est, ab anno 682 usque ad annum 693 non cadat in Dominicam; certum autem sit, translationem illam anno 682 factam non esse, consequens est, ut anno 693 fuerit peracta. Verùm non video, qua de causa nequeat vocari in dubium,* Leodegarii *ad novam ecclesiam translationem die Dominica esse peractam. An lege fortè aliqua cautum erat, ne ulla planè solemnitas alia die quàm Dominica ageretur? Id equidem nullibi comperio. An ita fortè ferebat consuetudo? Verùm ab illa potuit justa de causa recedi. At verò fuerit illa* Leodegarii *translatio die Dominica peracta, nondum tamen hinc consequens erit, ut anno 693 certò acciderit. Ad hoc enim, uti ex mox proposito Pagii ratiocinio liquet, insuper requiritur, ut certum sit, die decima sexta mensis Martii factam esse; id autem, ut mihi quidem apparet, sat certum fieri non potest. Licet enim in sæpe memorata Vitæ* Leodegarii *clausula translatio Sancti* medio mense Martii *facta dicatur, certum non est voces illas* medio mense Martii *cum latitudine aliqua accipi non posse, ita ut duos tresve dies, quorum aliquo translatio dicta acciderit, comprehendant.*

B

288 *Addit quidem Pagius, in nonnullis Martyrologiis, teste nostro Henschenio lib. 2 de Tribus Dagobertis cap. 16,* Leodegarii *translationem* XVII Kalendas Aprilis *seu die decima sexta Martii annotari; verùm hîc oppono regulam, quam ipsemet Pagius in Criticis sæpiùs inculcat, quamque tamquam principium chronologiæ pronuntiat esse habendam, dum ad annum 640 num. 14, relata Mabillonii de anno, quo SS. Audoënus & Eligius episcopi consecrati sunt, opinione, hæc subdit:* Ita vir doctissimus (*Mabillonius*) & quidem solidè, cui si in mentem venisset regula à nobis posita, totiesque inculcata, id omni asseveratione affirmâsset: depositiones enim Sanctorum, eorum reliquiarum translationes, & sanctorum Episcoporum ordinationes aliis diebus, quàm quibus contigerint, Martyrologiis sæpe inscriptas esse, tot exemplis in hoc Opere demonstro, ut illud imposterum tamquam principium chronologiæ haberi debeat. *Quare, cùm juxta Pagium tamquam chronologiæ principium haberi debeat, Sanctorum translationes sæpe aliis diebus, quàm quibus contigerint, Martyrologiis inscribi, consequens juxta eumdem scriptorem esse debet, ut certum non sit* Leodegarii *ad novam ecclesiam translationem die decima sexta Martii factam esse, licèt die illa nonnullis Martyrologiis inscribatur, ac proinde ut hinc etiam certum saltem non sit per medium mensem Martium, quo in sæpe dicta clausula* Leodegarii *translatio facta notatur, solam decimam sextam ejusdem mensis diem debere intelligi. Ceterùm uti verisimile Pagio visum non fuit, annos amplius octo inter consecrationem ecclesiæ in honorem* Leodegarii *ab Andulpho abbate constructæ, & inter Sancti in hanc ecclesiam translationem intercessisse, ita mihi, si non omnino vero absimile, parùm saltem verisimile apparet, tres ferè annos inter prædictam consecrationem & translationem interfluxisse, ac proin, cùm id nihilominus in opinione Pagii, ut consideranti patebit, adstruendum sit, placet* Leodegarii *in novam ecclesiam translationem anno 685 usque ad mensem Martium provecto innectere.*

C

anno 685 usque ad mensem

289 *Sic enim inter ecclesiæ novæ dedicationem, quam suprà anno 684 usque ad* XXX *Octobris provecto affiximus, Sanctique in eamdem ecclesiam translationem menses tantùm ferè sex intercedent, quos sanè credibile est, Ansoaldum, utut honorandi* Leodegarii *percupidum, post consecrationem novæ ecclesiæ exspectâsse, antequam in hanc sacras sancti sui Consanguinei exuvias, quo fine illam exstruendam curârat, summa solemnitate pompaque transferret. Ceterùm prima* Leodegarii *ad agrum Pictaviensem, ac deinde altera ad novam ecclesiam in ejus honorem constructam translatio, nonnullaque tam hujus, quàm illius adjuncta, quæ de gloria Sancti posthuma biographi nostri docent, perquàm sanè luculenter ostendunt, cultum Sanctis propriam ei fuisse, & quidem non diu ab obitu, à fidelibus delatum. Iis autem jam expositis, ad alia, quæ ad idem argumentum pertinent, quæque iidem anonymi non produnt, explananda progredior, utque in rebus narrandis, quantùm in me est, ordinem chronologicum, quem sequi hactenus studui, deinceps etiam observem, ab iis duco initium, quæ quo ævo, quove circitèr tempore contigerint, comperire fas fuit; quæ verò ex veterum monumentorum, scriptorumve fide ad certam ætatem seculumve, cum aliqua saltem verisimilitudine, revocare non licuit, aut nec nata sunt, nec porrò debent ad certam epocham referri, posteriori loco memorata Commentario huic prævio finem imponent.*

Martium provecto inferitur.

D

E

§ XIX. Antiquitas cultus Leodegarii ulteriùs probatur ex Missa, quâ in antiquo Missali honoratur.

F

Missa de Leodegario inscribitur Missali antiquo.

Eruditi hodie pœnè omnes, qui de antiquitate cultûs, quo Leodegarius *in Ecclesia honoratur, meminêre, hanc à Missali antiquo seu Gallicano seu Gothico-Gallicano, cui Missa de illo inscribitur, plurimùm commendari existimant. Et verò post Andulphi abbatis de Sancti translatione lucubrationem, quam anonymus & Ursinus Vitis à se conscriptis adjecêre, vix aliud validius pro antiquitate illa probanda, uti ex dicendis patescet, argumentum militat. Etenim si Missale illud, quod ab eminentissimo Cardinali Bona in suo Rerum Liturgicarum Opere indicatum Josephus Thomasius primus omnium typis Romanis anno 1680 è tenebris in lucem protulit, deindeque Mabillonius in sua Liturgia Gallicana recudendum curavit, jam multis seculis, imò fortè non diu post* Leodegarii *obitum, exaratum sit, consequens est, & Missam, quâ is in eo honoratur, vel multis pariter seculis, vel non diu post Sancti obitum compositam fuisse, ejusque proinde in Ecclesia cultum summæ antiquitatis merito gaudere. Juverit ergò in ævum seu tempus inquirere, quo pra-*

A *præfatum Miſſale ſcriptum eſſe, veriſimilius eſt; eò autem non parùm conducit, ſi ſciatur, fueritne illud Hiſpanum, an Gallicanum; cùm enim Miſſas ſecundùm Liturgiam antiquam ordinàtas exhibeat, hæc autem, ut infrà docebo, in Gallia jam penitus ſeculo nono, in Hiſpania verò multò ſeriùs, nec penitus, fuerit abrogata, conſequens eſt, prædictum Miſſale, ſi Gallicanum, non item ſi Hiſpanum ſit, eodem ſeculo nono aut citiùs fuiſſe exaratum, aut certè tunc concinnatum fuiſſe Miſſale primigenium, ex quo exemplar, quo laudatus Thomaſius uſus eſt, fuit depromptum. Refert etiam, ut ex dicendis fas erit colligere, an idem Miſſale Gallicanum antiquum, an Gothico-Gallicanum exiſtat.*

hoc certè non eſt Hiſpanicum,

291 *Certò non eſſe Hiſpanum, Mabillonius, qui pro ſe Thomaſium citat, lib. 3 Liturgiæ Gallicanæ laudatæ pag. 175 & 176 in hunc modum oſtendit:* Thomaſius, Gallicanæ eccleſiæ, *inquit*, hoc, *quo de agimus*, eſſe Miſſale, comprobat ex compluribus Sanctorum Galliæ feſtis, ut ſancti Saturnini epiſcopi Toloſani, ſanctorum Ferreoli & Ferrutionis martyrum Veſontionenſium, ſancti Symphoriani martyris Auguſtodunenſis, itemque ſancti Leodegarii ejuſdem urbis epiſcopi, & ſancti Martini Turonenſis. Aliud etiam argumentum deſumit ex triduanis ante Aſſcenſionem Rogationibus *in eodem Miſſali Miſsâ notatis*, quæ in Galliis inſtitutæ, ſeriùs ad alias eccleſias pervenerunt: immò apud Hiſpanos poſt Aſſcenſionem rejectæ. Adeò ut certum ſit, hoc Miſſale non eſſe Hiſpanicum, etſi in eo referatur Miſſa in natali ſanctæ Eulaliæ virginis & martyris Luſitanæ, quæ apud Francos olim celebris erat, ut patet ex Gregorio & ex Venantio Fortunato. *Ita ferè, ut jam innui, ex Thomaſio Mabillonius. Quod autem ait, nulla afferti ſui probatione adducta, triduanas ante Aſcenſionem Rogationes ſeriùs ad alias eccleſias perveniſſe, & apud Hiſpanos poſt Aſcenſionem fuiſſe rejectas, partim verum eſt, partim ſano ſenſu debet intelligi. Verum eſt, triduanas ante Aſcenſionem Rogationes ſeriùs, quàm ſeculo* VIII, *quo Miſſale, quo de agimus, exaratum ait Mabillonius, ad nonnullas eccleſias veniſſe. Sanè Romæ non citiùs, quàm anno 801 à Leone III Pontifice inſtitutæ ſunt. Probatur id à Pagio in Criticis ad eumdem annum num. 2. Quod verò ad Hiſpaniam in particulari*

C *pertinet, hodie in regno illo Rogationum ſupplicationes, & quidem, uti ex decem Directoriis Hiſpanicis, Tarraconenſi, Toletano, Urgellenſi, Ilerdenſi, Valentino, Vicenſi, Dertuſenſi, aliiſque tribus, quæ ad manum ſunt, diſco, ante Aſcenſionem Dominicam ſervantur; at ſeculo octavo vel nondum erant ab Hiſpanis receptæ, vel poſt Aſcenſionem Dominicam, ut ait Mabillonius, fuerant rejectæ. Tunc enim hi ritus Mozarabicos ſequebantur;* in Breviario *autem* Mozarabum, *teſte Edmundo Martene in Tractatu de antiqua Eccleſiæ diſciplina pag.* 514, poſt Dominicam infra Aſcenſionis Dominicæ Octavam hæc legitur Rubrica: In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti incipit officium jejuniorum. Obſervantur quarta feria & quinta feria & ſexta feria, & ſabbato ante Pentecoſten ad exorandum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccatis noſtris ae pacem impetrandam, vel pro ſanctis lectionibus audiendis, & ut veniat Spiritus Paraclitus & munda noſtra reperiat habitacula, eccleſiam Dei frequentemus. *Jejunia, quæ hîc quartâ, quintâ & ſextâ feriâ ante Pentecoſten præſcribuntur, locum Rogationum ante Aſcenſionem, ut laudatus Martene etiam innuit, veroſimiliter tenent, ut adeò ab Hiſpanis, ritus Mozarabicos olim ſequentibus, Rogationes poſt Aſcenſionem fuerint rejectæ, certumque proinde ſit, Miſſale antiquum, in quo Miſſæ in Rogationibus ante Aſcenſionem dicendæ notantur, Hiſpanicæ eccleſiæ non eſſe.* AUCTORE C. B.

at vel Gallicanum

292 *Aſt, inquies, cujus ergò eccleſiæ illud Miſſale eſt? an Gallicanæ antiquæ univerſæ, an Gothico-Gallicanæ? Cardinalis Bona lib. 1 Rerum Liturgicarum cap. 12 num. 6 ita ſcribit:* Unus ex his codicibus (*Miſſalibus, quæ ſe inveniſſe, paulò antè ait*) exſtat in Bibliotheca ſereniſſimæ Suecorum reginæ, ante annos nongentos ſcriptus, ut periti cenſent, litteris quadratis & majuſculis, ſignatus num. 626. quem olim fuiſſe aiunt ampliſſimi viri Petavii, ſenatoris Pariſienſis, emptum verò à regina poſt ejus deceſſum. Deſunt ei aliquot folia in principio & in fine. Initio præfixus hic titulus eſt manu recentiori, MISSALE GOTHICUM: & ex eo quædam Liturgicæ precationes excerptæ ſunt, & tomo ſexto Bibliothecæ veterum Patrum editionis noviſſimæ Pariſienſis inſertæ pag. 155. *Verba hæc in Opere proximè laudato pag. 175 etiam recitat* E *Mabillonius, ſubditque:* Hactenus pius & eruditus Cardinalis, exiſtimans (quod revera eſt) hoc (*Miſſale, de quo diſſerimus*) eſſe vetus Miſſale Gallicanum, præſertim Galliæ Narbonenſis, Gothorum Hiſpanicorum regno olim ſubjectæ, *adeò ut exiſtimet, & Miſſale, de quo laudatus Cardinalis loquitur, vetus eſſe non ſolùm Gothicæ Narbonenſis, ſed etiam totius eccleſiæ Gallicanæ antiquæ Miſſale, hunc que idipſum verbis recitatis innuere. Verùm non ſolùm id innuit eruditus ille Cardinalis, ſed & apertiſſimè docet; etenim lib. & cap. citatis num. 5 ſic ſcribit:* Cùm igitur ex teſtimonio Hilduini abbatis hoc Miſſæ Gallicanæ peculiare fuerit, quòd ejus orationibus martyrum paſſiones inſertæ eſſent, cùm Carolus rex teſtetur, ſe ab eccleſia Toletana adſciviſſe presbyteros, qui priſco & dudum in Galliis abolito ritu coram ſe Sacrificium offerrent: hinc manifeſtè deducitur, veterem Miſſam Gallicanam ei ſimilem fuiſſe, quæ Toleti & per univerſam Hiſpaniam atque etiam in Gallia Narbonenſi Gothorum regno ſubdita agebatur; *deinde verò num. 6 confirmans ea, quæ de Miſſa Gallicanæ & Hiſpanicæ ſimilitudine dixerat, ita proſequitur:* Cæterùm non abſurdam neque incredibilem eſſe hanc ſententiam de utriuſque Miſſæ Gallicanæ & Hiſpanicæ ſimilitudine, præter ea, quæ dicta ſunt, alia etiam perſuadent. Dum enim vetuſtos codices ad propoſitum mihi ſcopum pertinentes in celebrioribus bibliothecis perquiro, factum eſt Dei nutu, ut duos antiquiſſimos repererim, quorum ſeriem, ſtylum, characterem, ſingulaſque Miſſas in eis contentas ſedulò conſideranti venit protinus in mentem, utrumque eſſe vetus Miſſale Gallicanum, quia & illis ad amuſſim conveniunt, quæ Hilduinus tribuit Gallicis Miſſalibus à ſe viſis; & priſcis ritibus conſonant eccleſiæ Toletanæ, ex qua Carolus Calvus ſacerdotes adſcivit, ut antiquum Galliæ morem ab his celebrantibus diſceret; *ac poſt pauca addit, unum ex duobus codicibus à ſe repertis initio præferre hunc titulum manu recentiori adjectum,* Miſſale Gothicum; *hic autem codex ipſum eſt, quo de agimus, Miſſale, atque adeò laudatus Cardinalis verbis jam recitatis apertè tradit, illud eſſe vetus non tantùm Gothicæ Narbonenſis, ſed & reliquæ Gallicanæ eccleſiæ Miſſale.* F

293 *Ad hæc loco mox citato ſic ſcribit idem antiquum*

AUCTORE C. B.

Eminentiſſimus Bona : In codice reginæ, quo diu uti licuit benignitate V. Cl. Benedicti Mellini ejus bibliothecæ præfecti, eſt Miſſa propria ſancti Martini Turonenſis epiſcopi, tributo ei nomine PATRIS NOSTRI; ex quo ſuſpicor, hoc Miſſale vel Turonenſis vel álterius Gallicanæ eccleſiæ, fuiſſe huic Sancto ſpecialiter dedicatæ; nam in Miſſali Mozarabico extat quidem de eo Miſſa propria, ſed ſine additione PATRIS NOSTRI. *Quibus verbis, cùm urbs Turonenſis certò ſita non ſit in Gallia Narbonenſi, iterum prodere videtur, Miſſale, de quo agimus, & in quo Miſſa de* Leodegario *habetur, non ſolius Narbonenſis ſeu Gothicæ Gallicanæ, ſed & reliquæ inſuper Gallicanæ fuiſſe eccleſiæ. Thomaſius ſuprà laudatus in Præfatione, quam libro,* Codices Sacramentorum *à ſe inſcripto & edito, præmittit, etiam aſſerit, Miſſale, cui Miſſa de* S. Leodegario *inſcribitur, vetus eſſe non ſolùm Gothicæ Gallicanæ, ſed & totius Gallicanæ eccleſiæ Miſſale; hoc ut probet, iiſdem ferè, quibus Mabillonius ſuprà oſtendit, idem illud Miſſale non eſſe Hiſpanicum, rationibus adductis, hanc addit:* Gallicanum (*Miſſale, de quo hîc ſermo eſt*) item

B comprobabit, qui conſenſum animadverterit Gallicanarum ſynodorum cum eo. Etenim in conc. Agathenſi celebrato anno Chriſti DVI & Alarici Gothorum in Gallia regis XXII Can. XIII ſtatutum fuit, Symbolum ab omnibus eccleſiis una die, id eſt, ante octo dies Dominicæ Reſurrectionis, publicè in eccleſia competentibus tradi. Quod hîc reperies: nam Miſſa Dominicæ Palmarum inſcribitur, MISSA IN SYMBOLI TRADITIONE. Item Can. XXX orationes vocantur COLLECTIONES: quo nomine orationes, & in hoc Miſſali Gothico dici conſtat. *Tres ergò jam habemus auctores, qui Miſſale, in quo* Leodegarius *Miſſâ honoratur, vetus Gallicanum eſſe exiſtimant.*

vel Gothico-Gallicanum

294 *Verùm Honoratus à S. Maria in Obſervationibus ſuper regulis & uſu critices Gallicè editis tom. 3 lib. 5 diſſert. 3 § 3 in alia opinione verſatur: ait enim pag.* 198 *in memoriam revocandum, eſſe quòd Thomaſius crediderit, Miſſale, quod* Gothicum *nominat, uſitatum fuiſſe in Francia, antequam ibidem ritus Romani eſſent admiſſi, qui admodum ex ejuſdem Thomaſii judicio erant diverſi ab his, qui in Miſſali Gothico cernuntur:*

C Sanè, *inquit Thomaſius in Præfatione num. præcedenti laudata,* Gallicanæ eccleſiæ vetus hoc eſſe Miſſale, antequam Romanos ritus ab eo longè diverſos admitteret, mihi penè (*non* plenè, *ſicut legitur apud Honoratum*) exploratum habetur. Jam verò, *ait loco citato Honoratus,* certum eſt, Miſſale in Francia uſitatum ante Caroli Magni tempus, non fuiſſe illud, quod auctor ille (*Thomaſius*) GOTHICUM appellat, ſed illud, quod alibi GALLICANUM VETUS nuncupat. Hoc ipſum enim eſt, ut ipſemet fatetur, quod multùm ad ritus Romanæ eccleſiæ accedebat. *Ita Honoratus: cùm autem contendat, Miſſale antiquum Gallicanum ad Romanum ordinem propiùs accedere, in hanc ferè pergit ſententiam: Mabillonius lib. 3 Liturgiæ Gallicanæ in Præfatione etiam conſentit, in Miſſali Gallicano veteri ordinem ex Romano & Gallicano mixtum exhiberi; quod de Miſſali Gothico, utpote multùm diverſo ab ordine Romano, intelligi non poteſt; ut adeò velit Honoratus Miſſale, quod à Thomaſio* Gothicum *appellatur, quodque Miſſam de* S. Leodegario *continet, Gallicanum vetus non eſſe. Id ipſum etiam ſatis inſinuat, dum loco citato ait, liturgiam Toletanæ ſeu Hiſpanicæ ſimilem, quæ in Miſſali, quo de agimus, ſervatur, non eſſe antiquam Gallicanam:* D *ſi enim liturgia, quam Miſſale illud ſequitur, vetus Gallicana non ſit, conſequens eſt, ut nec ipſum Miſſale pro veteri Gallicano queat haberi; habet autem liturgiam illam Toletanæ ſeu Hiſpanicæ ſimilem pro Gothico-Gallicana ſeu Gothico-Narbonenſi, ac proin pro Gothico-Narbonenſi etiam debet habere Miſſale, quod liturgiam illam ſequitur, quodque Miſſam de* S. Leodegario *continet.*

ſeu Gothico-Narbonenſe,

295 *En ipſiuſmet Honorati verba facta à me è Gallicis Latina:* Videtur, *inquit pag. citatâ,* Cardinalis Bona confudiſſe hanc (*Gallicanam antiquam*) Liturgiam, quæ in uſu erat apud Gallos, cum Gothica ab Hiſpanis uſitata, dum (*verbis num.* 292 *recitatis*) dicit illam (*Gallicam antiquam*) ſimilem eſſe Miſſæ, quæ dicebatur Toleti, in Hiſpania & Gallia Narbonenſi. *Profert hîc verba, quibus laudatus Cardinalis id affirmat, ac deinde ſubdit:* Verùm eruditus hic Cardinalis certò aberrat: nam liturgia Gallicana, quæ ſimilis eſt Hiſpanicæ, non eſt antiqua Gallicana; ſed Gothica Gallicana, quæ ita nominatur, quia uſitata erat in Galliarum provinciis, quæ dominio Gothorum ſuberant: at verò Miſſa Gallicana erat communis reliquæ Franciæ. Miſſa ergò Gallicana, quæ ſimilis eſt vel eadem, quæ Hiſpanorum, non eſt antiqua Gallicana, vel Gelaſiana; ſed Gothica Gallicana, quæ primùm appellata fuit Gothica, quia Gothi Hiſpaniarum erant domini; nuncupata etiam Gallicana, quia populi iſti poſſidebant Galliam Narbonenſem. Aſt cùm Gothi ex Hiſpania à Mauris fuêre ejecti, liturgia illa non fuit ampliùs appellata Gothica aut Gothica Gallicana, ſed Mozarabica vel Muzarabica. *Liquet ergò, Honoratum liturgiam antiquam Toletanæ ſeu Hiſpanicæ ſimilem non pro antiqua Gallicana, ſed pro Gothico-Gallicana ſeu Gothico-Narbonenſi habere atque adeò etiam Miſſale, quod liturgiam illam ſequitur, quodque Miſſam de* S. Leodegario *continet, non pro antiquo Gallicano, ſed pro Gothico-Gallicano habere, utut ſæpe laudatus eminentiſſimus Cardinalis Bona, Thomaſius & Mabillonius contrarium exiſtiment. At verò parùm hîc ſibi conſtare videtur is ſcriptor. Circa tria enim Miſſalia à Thomaſio & Mabillonio producta, quorum alterum* Gothicum *ſeu* Gothico-Gallicanum, *quo de hîc agimus, alterum* Francorum; *tertium verò* Gallicanum vetus *ab illis nuncupatur; circa tria, inquam, iſta Miſſalia, pag.* 194 *&* 195 *obſervat, duobus iſtis ſcriptoribus adeò parùm conſtitiſſe de diſtinctione, quam illa inter Miſſalia ponunt, ut ſine ſolido fundamento nomina tam diverſa dederint uni eidemque Miſſali, atque ex uno ſolo Gelaſiano tria fecerint; ut adeò velit, etiam Miſſale Gothicum ſeu Gothico-Gallicanum, cui Miſſa de* S. Leodegario *inſcribitur, Gelaſianum eſſe; jam verò cùm idem Honoratus pag.* 194 *& tribus ſequentibus in eam opinionem propendeat, quæ cenſet, quòd Miſſale, ante Caroli Magni principatum in Gallia uſitatum, idem fuerit cum Gelaſianio, conſequens eſt, ut ex ipſius judicio Miſſale, quod Gothicum ſeu Gothico-Gallicanum appellatur, ante Caroli Magni principatum in Gallia fuerit uſitatum, ſitque proinde Gallicanum vetus, quod certè cum iis, quæ de Miſſali illo, liturgiaque in eo expreſſa ſtatuere eum jam vidimus, componi non poteſt.*

E

F

quod minùs verisimile apparet;

296 *Ad hæc, quod ait verbis num. præcedenti recitatis, Liturgiam Gallicanam, quæ ſimilis eſt Hiſpanicæ, non eſſe antiquam Gallicanam, ac proin nec Gallicanum antiquum eſſe Miſſale, quod liturgiaque in eo expreſſa ſtatuere eum jam vidimus, componi non poteſt.*

A *liturgiam illam ſequitur, id ego pro certo non auſim aſſerere. Interceſſiſſe enim uſque ad tempora Pipini & Caroli Magni ſimilitudinem inter liturgiam eccleſiarum Hiſpaniæ & liturgiam eccleſiarum Galliæ, ſeculo* IX *adeò fuit perſuaſum, ut Carolus Calvus imperator, qui ſeculo illo floruit, crediderit, ſe videre antiquam iſtam liturgiam Gallicanam, quando coram illo celebrata fuit Miſſa juxta ritum Toletanæ eccleſiæ. Ne verò id à me ſine fundamento putes aſſeri, apud Cardinalem Bona lib.* 1, *cap.* 12, *num.* 5 *occurrit epiſtolæ ipſiuſmet Caroli Calvi ad clerum Ravennatem fragmentum, quod ſic habet:* Uſque ad tempora abavi noſtri Pipini Gallicanæ eccleſiæ aliter, quàm Romana vel Mediolanenſis eccleſia, divina celebrabant Officia, ſicut vidimus & audivimus ab iis, qui ex partibus Toletanæ eccleſiæ ad nos venientes ſecundùm morem ipſius eccleſiæ coram nobis ſacra Officia celebrârunt. Celebrata etiam ſunt coram nobis Miſſarum Officia more Hieroſolymitano, auctore Jacobo apoſtolo, & more Conſtantinopolitano, auctore Baſilio; ſed nos ſequendum ducimus Romanam Eccleſiam in Miſſarum celebratione;

C *ex quo liquet, quòd Carolus Calvus putârit, liturgiam antiquam Gallicanam ſe videre, quando coram illo Miſſa juxta liturgiam Toletanam celebrata fuit, ac proin huic illam eſſe perſimilem. Non puto interim, ambas illas liturgias ita prorſus eſſe ſimiles, ut nulla in iis diſſimilitudo occurrat, ſed hæc mihi tanta non videtur, ut proinde certum fiat, liturgiam Gallicanam, quæ ſimilis eſt Hiſpanicæ, non eſſe antiquam Gallicanam, præſertim ſi cùm Hiſpanica liturgia non in omnibus exactè congruat Gallicana illa Hiſpanicæ ſimilis, quæ in Miſſali ſæpiſſimè jam memorato, quod Miſſam de* S. Leodegario *continet, paſſim eſt obvia. Licèt enim in hoc Miſſali ordo Miſſæ ferè ubique ſit idem, qui in Miſſali antiquo Hiſpanico ſeu Mozarabico, orationes tamen diverſæ ſunt, uti manifeſtum quibuſlibet evadet, qui Miſſale unum cum altero contulerint. Hiſce omnibus conſideratis, veroſimilius mihi apparet, & liturgiam Gallicanam, quæ ſimilis eſt Hiſpanicæ, Gallicanam eſſe antiquam, & Miſſale, de quo hîc diſputamus, eſſe vetus Gallicanum, id eſt, etiam in Gallia, quæ non ſit Narbonenſis, antiquitus uſitatum.*

297 *Fusè hîc indagare libuit, Gallicanumne ſit, quo de agimus, Miſſale, an Gothico-Gallicanum, quia ſi Gallicanum illud ſit, ſcriptum eſſe facilè potuit initio ſeculi* VIII, *quo, ut mox docebo, aut fortè paulò citiùs, reipſa etiam ſcriptum eſſe apparet. Quod ſi autem Gothico-Gallicanum ſit, non citiùs, quàm ſeculo* VIII *jam ſeneſcente, ſcriptum eſſe videtur. Rem ſic oſtendo: Annaliſta Metenſis ad annum Chriſti* 752 *ſic ſcribit:* Anno Dominicæ Incarnationis DCCLII Pippinus rex exercitum duxit in Gothiam, Narbonamque civitatem, in qua adhuc Saraceni latitabant, obſedit. Tentatis itaque plurimis argumentis, munitiſſimam civitatem capere non potuit. Cuſtodia tamen ibi derelicta quotidianis irruptionibus illos cives afflixit, & per triennium bellum Narbonam obtinuit; expulſiſque de tota Gothia hominibus illis, Chriſtianos de ſervitio Saracenorum liberavit. *Quibus ex verbis, cùm laudatus annaliſta ita aſſerat, civitatis Narbonenſis obſidionem anno* 752 *cœpiſſe, perque triennium durâſſe, conſequens eſt, ut ejus expugnatio, Gothiæque ſeu Galliæ Narbonenſis à Saracenorum jugo liberatio anno* 755 *acciderit. Eodem anno hæc accidiſſe, etiam affirmant Cointius in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum & Pagius in Criticis:* Licèt vetus, *inquit hic poſterior,* Chronicon, de quo mox, hæc ad annum DCCLIX referat. *Porrò minùs veroſimile apparet à provinciæ Narbonenſis incolis ante tempus illud, quo Saracenorum jugo erepti ad Francorum dominium acceſſerunt, poſt præſcriptum ſemel in concilio Toletano* IV, *quod anno* 633 *celebratum fuit, Sacramentorum ordinem Miſſarumque dicendarum modum novas Miſſas, quæ in eccleſia Hiſpanica uſitatæ non erant, fuiſſe introductas. Etenim canone illius* 2 *ita ſancitur:* Poſt rectæ fidei confeſſionem, quæ in ſancta Dei Eccleſia prædicatur, placuit, ut omnes ſacerdotes, qui Catholicæ fidei unitate complectimur, nihil ultrà diverſum aut diſſonum in eccleſiaſticis Sacramentis agamus; ne quælibet noſtra diverſitas apud ignotos ſeu carnales ſchiſmatis errorem videatur oſtendere, & multis exiſtat in ſcandalum varietas eccleſiarum. Unus igitur ordo orandi atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam atque Galliam (*Narbonenſem ſcilicet*) conſervetur, unus modus in Miſſarum ſolemnitatibus, unus in veſpertinis matutiniſque Officiis; nec diverſa ſit ultrà in nobis eccleſiaſtica conſuetudo, qui una fide continemur & regno: hoc enim & antiqui canones decreverunt, ut unaquæque provincia E & pſallendi & miniſtrandi parem conſuetudinem teneat.

ſi enim Gothico-Gallicanum ſit, B

298 *Licèt autem dici fortè queat, hoc canone tantùm præſcribi, ut deinceps in Officiis divinis, Miſſiſque celebrandis idem Ordo idemque modus ubique ſervetur, videtur tamen is etiam omnem ſacrorum miniſteriorum ſeu Miſſarum diverſitatem vetare.* Nihil ultrà, *inquit,* diverſum aut diſſonum in eccleſiaſticis Sacramentis agamus; ne quælibet noſtra diverſitas apud ignotos ſeu carnales ſchiſmatis errorem videatur oſtendere, & multis exiſtat in ſcandalum. *Quibus certè verbis ſynodus univerſim improbat omnem planè in miniſteriis ſacris diverſitatem, ac proin recitato canone prohibere videtur, non tantùm diverſitatem ordinis in recitandis Miſſis, ſed etiam ipſam Miſſarum diverſitatem. Quare cùm in eccleſia Hiſpanica Triduanæ, ut ex dictis num.* 291 *poteſt colligi, ante Aſcenſionem Rogationes ſeculo* VIII *receptæ non fuerint, veriſimile fit, illas à provinciæ Narbonenſis incolis ſeculo* VIII, *ante annum ſaltem* 755, *quo Saracenorum jugo erepti ad Francorum dominium acceſſerunt, non fuiſſe receptas, ut adeò Miſſale, quod Miſſam de* S. Leodegario *præſcribit, quodque etiam Miſſas in triduanis ante Aſcenſionem Rogationibus celebrandas continet, initio ſeculi* VIII *ſcriptum non videatur, ſi pro Gothico-Gallicano debeat haberi, ſeu ſi à ſolis provinciæ Narbonenſis incolis Gothorum dominio olim ſubjectis fuerit uſitatum; tunc quippe, ut apparet, Miſſæ de triduanis ante Aſcenſionem Rogationibus iis minimè conveniſſent, ac proin illas Miſſali, ſi quod exarâſſent, veroſimiliter non inſeruiſſent. Videtur ergò Miſſale, de quo diſſerimus, ſeculo* VIII *jam ſeneſcente, ſcriptum eſſe, ſi Gothico-Gallicanum ſit, ſeu à ſolis provinciæ Narbonenſis presbyteris fuerit uſitatum. Quòd ſi autem ſit Gallicanum vetus, nihil obſtat, quò minùs initio ſeculi* VIII *ſcriptum eſſe credatur.*

F

non videtur,

299 *Etenim ut id, quod num.* 297 *aſſerui, verum eſſe, oſtendam, nulla in eo Miſſa de aliquo ſive die feſto ſive Sancto occurrit, qui in Galliis ſeculo* VIII *ſeriùs coli cœperit. Quod verò in particulari pertinet ad Miſſas, quas de triduanis ante Aſcenſionem Rogationibus continet, ſunt illæ indubiè de celebritate, quæ ſeculo* VIII *in Galliis*

ſi verò Gallicanum ſit, videtur initio ſeculi VIII *ſcriptum,*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

liis ſit anterior. Etenim inſtituta illa primùm fuit à S. Mamerto Viennenſi in Galliis epiſcopo, qui ſeculo V *floruit; erat autem jam ſeculo* VI *ad omnes Galliarum eccleſias propagata; liquet id ex S. Gregorio Turonenſi, qui ſeculo* VI *ad finem inclinante è vivis exceſſit, & tamen lib.* 2 *Hiſtoriæ Francorum cap.* 34, *Rogationum per S. Mamertum inſtitutione ejuſque modo & causâ expoſitâ, hæc ſubdit:* Quæ (*Rogationes*) uſque nunc in Chriſti nomine per omnes eccleſias in compunctione cordis & contritione ſpiritûs celebrantur. *Ita Gregorius Turonenſis; ſed quod ait, Rogationes uſque ad ætatem ſuam per omnes eccleſias fuiſſe celebratas, id certè, ut dicta num.* 291 *docent, non de Hiſpanicis, nec veroſimiliter etiam, uti ex mox dictis colligas, de Gothico-Gallicanis, ſed de ſolis ferè Gallicanis intelligendum eſt, quæ ex præſcripto Concilii* 1 *Aurelianenſis anno* 511 *celebrati prædictam S. Mamerti inſtitutionem ſuſceperunt. In eo quippe Concilio can.* 27 *ita ſtatuitur:* Rogationes, id eſt, litanias ante Aſcenſionem Domini ab omnibus eccleſiis placuit celebrari: ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis feſti-

B vitate ſolvatur, per quod triduum ſervi & ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magis plebs univerſa conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur. *Huic decreto omnes Galliarum eccleſias, quæ Gothorum dominio non ſuberant, paruiſſe, dubitandum non eſt: ut adeò certum fiat, eſſe de celebritate ſeculo.*VIII *anteriori Miſſas, quæ de triduanis ante Aſcenſionem Rogationibus in Miſſali, quo de agimus, leguntur, nihilque proinde etiam ex hac parte obeſt, quò minùs initio ſeculi* VIII *ſcriptum eſſe credatur, ſi Gallicanum antiquum ſit.*

300 *Scriptum autem eſſe initio ſeculi* VIII, *Mabillonius lib.* 3 *Liturgiæ Gallicanæ pag.* 176 *exiſtimat: ibi enim ita loquitur:* De tempore, quo ſcriptus eſt codex ille (*Miſſale, de quo tractamus*) non omnino conſtat: attamen ex forma litterarum, & ex Liturgiæ Gallicanæ abrogatione, quæ Pontificatu Hadriani I, regnante Carolo M. ante annos nongentos facta eſt, apparet, hunc ineunte ſæculo octavo, nempe ad exemplum alterius codicis vetuſtioris, fuiſſe exaratum, non citiùs, propter feſtum ſancti Leodegarii, qui anno 678 necatus eſt. *Idem cenſet Cardinalis Bona, dum in duobus Rerum Liturgicarum libris anno* 1674 *à ſe editis ita ſcribit:* U-

C nus ex his codicibus (*Miſſale, de quo quæſtio eſt*) extat in bibliotheca ſereniſſimæ Suecorum reginæ ante annos nongentos ſcriptus, *additque*, ut periti cenſent. *Horum eruditorum judicio, quod hîc opponam, nihil habeo, ac proin exiſtimo, Miſſale illud tunc revera ſcriptum eſſe, ut adeò Miſſa de* S. Leodegario, *quam continet, vel initio ſeculi* VIII, *vel etiam citiùs fuerit compoſita. Fateor nihilominus, id nulla ratione, ut mihi quidem apparet, certum effici poſſe. Nihil enim obſtare video, quò minùs idem Miſſale nonnihil ſeriùs, quàm initio ſeculi* VIII *ſcriptum eſſe potuerit. Ut-ut ſit, ſat ſaltem credibile apparet, initio ſeculi* VIII *ſcriptum eſſe, & eruditorum omnium judicio ego refragari nolim, quod in Sancti noſtri honorem cedit, quodque proinde ne quis pro certè falſo habere queat, plura etiam, quàm par fortè videbitur, hîc diſſerui. Certum interim eſt, Miſſale ſæpiſſimè dictum non ſeriùs, quàm ſeculo nono media ſui parte jam præterlapſo, eſſe exaratum, ac proin Miſſam de* S. Leodegario, *quæ ei inſcribitur, vel certè tunc vel citiùs fuiſſe compoſitam. Rem hanc nunc ſic oſtendo.*

quo tamen, ut apparet, ſcriptum eſt,

301 *Mabillonius in Præfatione ad Liturgiam Gallicanam à ſe editam num.* 3 *ita loquitur:* Hæc Liturgiæ Gallicanæ in Romanam mutatio tanta univerſæ Galliæ eccleſiarum conſenſione facta eſt, ut, regnante Carolo Calvo, Magni nepote, Miſſæ Gallicanæ notitia jam penitus obliterata eſſet. Unde Carolus Calvus, ut ejus à Romana diſcrimen oculis perciperet ac comprobaret, Miſſam Toletano more à quibuſdam presbyteris, qui ex partibus Toletanæ eccleſiæ ad ſe venerant, celebrari voluit: quoniam veterem Gallorum Liturgiam cum Toletana conveniſſe, didicerat. Id patet ex ejus epiſtola ad clerum Ravennatem, in qua ſubdit: Celebrata etiam ſunt coram nobis Miſſarum ſollemnia more Jeroſolymitano, auctore Jacobo apoſtolo; & more Conſtantinopolitano, auctore Baſilio: ſed nos ſequendam ducimus Romanam eccleſiam in Miſſarum celebratione. His verbis Carolus innuit, eam hujuſce facti rationem fuiſſe, ut, viſis compertiſque diverſarum eccleſiarum variis celebrandæ Miſſæ ritibus, ſtatueret, qualem alteri formam præferendam exiſtimaret: ſed Roma-

E num tandem ritum ſibi præ ceteris placuiſſe. Ab eo tempore nemini de reſtituenda Liturgia Gallicana, Romanave dimittenda quidquam tentare venit in mentem; nec ante noſtram ætatem apud Gallos de priſco illo ritu fuit ulla ferè mentio aut memoria. *Sic rectè probat Mabillonius, Liturgiam Gallicanam antiquam jam penitus, vivente adhuc Carolo Calvo, fuiſſe abrogatam; unde fit conſequens, abrogationem hanc jam ſeculo* IX, *cùm tunc Carolus Calvus è vivis exceſſerit, omnino fuiſſe perfectam, ut adeò indubiè Miſſale quidem, quod ſecundum liturgiam illam exactum eſt, non ſeriùs fuerit quàm ſeculo* IX, *cùm alioquin uſui non fuiſſet, exaratum; Miſſa verò de* S. Leodegario, *quam continet, non ſeriùs, quàm eodem ſeculo* IX *compoſita.*

certéque non ſeriùs, quam ſeculo IX, *ut adeò vel ſic valde*

302 *Imò erit fortè etiam, qui Miſſale illud non ſeriùs, quàm ſeculo* VIII, *ſcriptum eſſe, pro certo habendum putet, quia liturgia Gallicana antiqua, quæ in illo exprimitur, abrogata fuit à Carolo Magno, Romanam S. Petri cathedram occupante Hadriano I, qui anno* 795, *ut Pagius in Criticis probat, vitam cum morte commutavit. Verùm Liturgia Gregoriana, quam antiquæ Gallicanæ Carolus Magnus ſubſtituit, necdum adeò generaliter ſeculo* VIII *in Francia erat ſtabilita, ut antiqua, quæ etiam* Gelaſiana, *utpote Liturgia à Gelaſio I Pontifice Romano condita non multùm abſimilis, nuncupabatur, jam penitus ibidem tunc eſſet abolita. Etenim in deſcriptione ſeu recenſione bonorum Centulenſis monaſterii, anno Chriſti* 831 *facta, atque impreſſa apud Dacherium tom.* 4 *Spicilegii, libro* 3, *capite* 3 *leguntur iſta:* De libris ſacrarii, qui miniſterio altaris deſerviunt: Miſſales Gregoriani tres; Miſſalis Gregorianus, & Gelaſianus modernis temporibus ab Albino ordinatus 1. Miſſales Gelaſiani XIX. *Quibus verbis ſpectatis, conſequens eſt, ut liturgia Gallicana antiqua ſeu Gelaſiana anno* 831 *in monaſterio Centulenſi obtinuerit, cùm ibidem tunc eſſent novemdecim Miſſalia ſecundùm ritum Gallicanum antiquum ſeu Gelaſianum exacta, eaque non obſoleti, non abrogati, ſed uſitati tunc moris, utpote de quibus in prædicta bonorum recenſione ratio habetur, tamquam* de libris ſacrarii, qui miniſterio altaris deſerviunt. *Quare cùm in præfato monaſterio uſitata fuerit anno* 831 *liturgia Gallicana antiqua, vero abſimile non eſt, hanc in pluribus aliis Galliarum locis uſitatam pa-*

antiqua ſit Miſſa de S. Leodegario, in qua partes illi propriæ.

F

riter

A *riter tunc fuiſſe, ac proin ex illius abrogatione per Carolum Magnum, ſeculo* VIII *inclinante, facta pro certo haberi non debet, imò non poteſt, Miſſale, de quo hìc fusè actum eſt, non ſeriùs quam ſeculo illo eſſe conſcriptum. Solùm itaque certum eſt, hanc ſcriptionem, Miſſamque de* S. Leodegario, *quam continet, referendam non eſſe ad ſeculum, quod ſit nono poſterius, licèt interim Sanctus, ut num.* 300 *docuimus, veroſimiliter jam ab initio ſeculi* VIII, *ac fortè etiam citiùs prædictâ Miſsâ honoratus fuerit.*

303 *Lubet nunc hanc, utpote venerandum, minimèque dubium cultus eccleſiaſtici* Leodegario *antiquitus delati monumentum, lectorum oculis ex Thomaſio ſubjicere, atque utcumque deſcribere. Nihil exhibet, præter ea, quæ* Leodegario *ſunt propria, caretque proinde iis, quæ omnibus antiquis Miſſis Gallicanis erant communia. Videri hæc poſſunt apud Mabillonium lib.* I *Liturgiæ Gallicanæ cap.* 5, *ubi Miſſæ Gallicanæ partes ex Gregorio Turonenſi epiſcopo, aliiſque monumentis ſingillatim exponit. Eas inter etiam recenſet lectionem unam ex Veteri, duaſque alias ex Novo Teſtamento, quæ in ſingulis ferè Miſſis Gallicanis antiquis erant diverſæ, quaſque, in feſtis Sanctorum, Paſſionis vel*

B *Vitæ eorumdem lectio præcedebat. Deſunt ea omnes, quemadmodum à reliquis ſæpiſſimè memorati Miſſalis Miſſis, ſic etiam à Miſſa* Leodegario *inſcripta; incipit autem hæc ab oratione, quæ, ſi Miſſa integra exſtaret, proximè poſt* Introitum, Kyrie eleiſon, *&* Hymnum Gloria in excelſis Deo *præfatis Quatuor Lectionibus præiret. En illam:* Summe, Omnipotens, æterne Deus, qui vitam beati antiſtitis tui Laudegarii martyris per iſtius ſæculi ærumnas tranſire juſſiſti, cujus annua feſta devota mente celebramus; quæſumus: ut per ejus interceſſionem plebi * tuæ clementiæ famulantem ita in præſenti foveas; ut ad cæleſtia regna perducas. Per Dominum. *Oratio hæc vocari ſolebat* Præfatio, *eratque veluti quædam adhortatio, quâ populus à ſacerdote quandoque minùs, quandoque magis expreſsè ad piè exigendum diem commonebatur. Reſpondebat, inquit Mabillonius lib.* I *Liturgiæ ſæpiùs citatæ cap.* 3 *pag.* 24, orationi illi, cujus meminit beatus Abbas Hiſpanus, agens de Miſſa Mozarabum, his verbis ſuperiùs relatis: Prima oratio ejuſdem Miſſæ (*Mozarabicæ*) commonitionis erga populum eſt, ut omnes excitentur ad

C exorandum Deum.

304 *Orationem jam recitatam hæc ſequitur:* Deus, qui beatum martyrem tuum Laudegarium in agone probâſti, & probatum in dolore ſuſtentâſti; quem hodierna die in cæleſtibus gaudiis recipere dignatus es: præſta nobis, famulis tuis, ut qui gloriam non meremur, indulgentiam peccatorum, ipſo interveniente, adepiſci mereamur. Per. *Oratio hæc* Collectio *inſcribitur; hoc nempe nomine Miſſæ orationes, quas nunc* Collectas *dicimus, ſolebant antiquitus vocari. Poſt orationem proximè adductam tertio loco hæc aſſignatur:* Auditis nominibus offerentum, fratres kariſſimi, Domini majeſtatem deprecemur, ut qui vitam ſummi antiſtitis ſui Laudegarii martyris tranſtulit ad coronam; per interventu * ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum, Anachoritarum & Virginum omniumque Sanctorum concedere dignetur: ut ſacræ præſentis oblatio, quæ offertur, viventibus emendationem, & defunctis remiſſionem obtineat peccatorum: & quorum nomina hìc recitatione patefacta ſunt, in cæleſtibus paginis conſcribantur. Quòd ipſe præſt. *Debebat hæc oratio recitari, facta jam oblatione, lectiſque etiam ſacris diptychis, id eſt, recitatis nominibus tam Sanctorum, in quorum memoriam, quàm vivorum atque defunctorum, in quorum gratiam offerebatur Sacrificium, atque hinc eſt, cur hunc præferat titulum:* Collectio poſt nomina.

305 *Quarto loco ſequitur hæc alia oratio ſeu collectio:* Pacem tuam Domine noſtris inlabere pectoribus: qui * beatum martyrem tuum Leudegarium, in hoc ſæculo commorantem, per pacis ſtudium hodie cæleſtis aula ſuſcepit: nobis quoque peccatoribus pacis vinculum, & caritatis ſtudium, ejus meritis ſuffragantibus, largiri jubeas in ævum. Per Dominum. *Recitari debebat, cùm jam fideles poſt vivorum atque defunctorum ad oblationem memoriam ſibi invicem pacis oſculum impertiiſſent, atque hinc eſt, cur inſcribatur* Collectio poſt pacem. *Quatuor orationes jam allatas ſubſequitur immolatio noſtræ Præfationi reſpondens; vocabatur etiam nomine ex re aſſumpto* Conteſtatio, *quia in hac fideles ſurſum corda ſe habere conteſtabantur. In hac Conteſtatione recitabatur etiam Sancti, de quo Miſſa*

E *dicebatur, vitæ compendium, quæ initio Miſſæ integra lecta fuerat. Liquet id tum ex multis aliis, tum ex Miſſa de* S. Leodegario *conteſtatione ſeu immolatione, quam nunc, utpote in Miſſa de* S. Leodegario *collectioni* poſt pacem *jam recitatæ proximam, ſubjungi neceſſe eſt.*

306 Dignum & juſtum eſt: verè æquum & pulchrum eſt: nos tibi hìc & ubique ſemper laudes & gratias agere, laudeſque adtollere, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, per Jeſum-Chriſtum, Filium tuum, Dominum noſtrum, ab initio ſæculi procreatum Verbum editum Patris principia * ſæculi iſtius conlocatum per totum orbem terrarum contuliſti: ubi beatus martyr tuus Leudegarius epiſcopus de altitudine ſæculi hujus per alternas muſitationis * diſcerptus, pompas ſæculi fragilitatiſque calcavit. Cui tu, Domine, auxilium ferre dignatus es: ut præſentis ſæculi amorem deſpiceret, & cæleſtia adepiſcere promereret: verumtamen crucem ſuam tollens, te Paſtorem ſequens, ut Paradiſi delitias poſſideret, præſentia omnia dereliquit. O beatum virum Leudegarium antiſtitem! qui per nefandorum conſilia corpus * nexibus abſolutum, ora labiis minuatum, oculiſque orbatum, exilium perpetratum, lubricitatis ſæculi poſtpoſitum, diverſis tormentis paſſum, exemplum reliquit epiſcoporum per ſuam paſſionem vel patientiam: & ad extremum vitæ perpetuæ reſtitutus, cæleſtia regna penetravit; angelorum choro ſociatur; coronam immarciſcibilibus floribus remuneratur: unde poſt multæ reliquiæ floruerunt in Galleis. Precamur ergò te, Domine: ut nos famulos tuos omnemque plebem reminiſcentes talem Paſtorem, ejus meritis ſuffragantibus, veniam mereamur obtinere peccaminum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui omnes angeli.

307 *Immolationi huic ſeu Conteſtationi ſuccedere debebat Triſagion, de quo dicendo exſtat in Concilio Vaſenſi ſecundo, quod anno* 529 *celebratum eſt, canon ordine tertius, quo ſtatuitur,* ut in omnibus Miſſis ſeu in Matutinis, ſeu in Quadrageſimalibus, ſeu in illis, quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Miſſas publicas dicitur, dici debeat. *Et verò in*

Sunt oratio quædam præliminaris, dicta Præfatio,

oratio altera ſeu collectio anonyma, altera poſt nomina,

AUCTORE C. B.

iterumque altera Poſt pacem nuncupata,

* *Mab.* & cùm

immolatio, ſeu conteſtatio, noſtræ Præfationi reſpondens,

* plebem

* *an* principium?

* mutilationes

F

* ſic, *notat Mabil.*, accuſandi caſus ponebant pro ſexto caſu abſoluto.

* interventum

duæque inſuper aliæ orationes, quarum una poſt Sanctus,

AUCTORE C. B.

Miſſa, quam hîc utcumque deſcribimus, immolationi ſeu conteſtationi ſuccedere debuiſſe Triſagion, dubitari non poteſt. Liquet enim id ex titulo, quem præfert oratio ſeu collectio, quæ dicta immolationi ſeu conteſtationi ſubjicitur; inſcribitur quippe collectio ſeu oratio Poſt Sanctus, *non alia haud dubiè de cauſa, quàm quòd poſt ter* Sanctus *ingeminatum ſeu poſt Triſagion recitaretur. En nunc illam:* Oſanna excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini. O verè beata vox, quam angelorum & archangelorum concinunt virtutes! quæ nos hodie in paſſione beati martyris tui Leudegarii vox una prorumpit in laude. Ut tu Deus Pater omnium, qui nobis veniam tribuas de peccatis, quæſumus, da oblivione * præteritorum facinorum; qui dediſti martyribus poſt triumpho * corona *. Per Dominum noſtrum. Qui. prid. *Oratio hæc locum tenet illius, quod in Miſſali Romano* Canon *vocatur, eſtque actionis ſacræ, quæ incipit ab his verbis:* Qui pridie quàm pateretur &c, *veluti præludium, uti liquet ex verbis* Qui. prid., *quæ proximè habet ſubjecta.* Verba hæc, *inquit Mabillonius lib.* 1 *Liturgiæ Gallicanæ cap.* 5 *pag.* 46, ex ſanctis Evangeliis, Apoſtolo & Traditione accepta, eadem ſunt in omnibus liturgiis, niſi quòd in nonnullis quædam voces variant.

* oblivionem
* triumphum
* coronam

B

308 *Ultimo loco in Miſſa, de qua hîc ſermo eſt, indicatur hæc oratio, ſeu collectio:* Hæc facimus, Domine, paſſionem tuam commemorans *. Hæc facimus, Pater Jeſu-Chriſte: qui nobis de lege veteri novam tradidiſti. Concede nobis, intercedente beato antiſtite tuo Leudegario martyre, cujus hodie annuæ * commemoratione * celebramus: ut deſcendat hîc benedictio tua ſuper hunc panem & calicem in tranſformatione Spiritus tui ſancti; uti hæc benedicendo benedicas, ſanctificando ſanctifices: ut quicumque ex utraque benedictione ſumpſerimus, æternitatis præmium, & vitam conſequi mereamur æternam. Per. *Oratio hæc inſcribitur collectio* Poſt ſecreta *ſeu* Poſt myſterium, *eoquòd diceretur proximè poſt verba ſacramentalia ſeu illa, quibus panis & vini conſecratio perficitur. Orationi huic, quæ jam recitata eſt, quæque* poſt myſterium *ſeu conſecrationem aſſignatur, continuò alia in Miſſa Gallicana antiqua, cùm hæc integra recitaretur, præfationis inſtar* ante orationem Dominicalem *ſubjiciebatur; ſed hæc in ea, qua de agimus, Miſſa ob rationem num.* 303 *adductam deſideratur, uti etiam nonnullæ aliæ orationes ſeu precandi formulæ, quæ ad integritatem ejus requiruntur, quæque* Leodegarii *mentionem in particulari non faciunt.*

altera Poſt Secreta ſeu poſt myſterium vocabatur.
* commemoranies
* annuam
* commemorationem

C

§ XX Duo monaſteria in honorem S. Leodegarii ſeculo VIII adoleſcente conſtructa aut dedicata.

In honorem S. Leodegarii monaſterium Morbacenſe,

Antiquitatem cultûs, qui Leodegario, *tamquam Sancto, ab Eccleſia defertur, validiſſimè etiam probant duo monaſteria in Sancti honorem ineunte ſeculo* VIII *exſtructa, quorum alterum* Murbachium, *vel* Morbacum, *alterum* Maſmonaſterium *ſeu* Maſonis monaſterium *nuncupatur. De ambobus hiſce monaſteriis, prout ad gloriam Sancti noſtri poſthumam ſpectant, viſum eſt hoc integro § tractare. A priori, quod altero eſt celebrius, duco initium. Situm eſt in Alſatia ſuperiori ad amnem* Morbach, *ſub dominio nunc regis Franciæ, diſtatque, ut Baudrandus in Geographia teſtatur, tam à Colmaria, quàm à Mulhuſia, Alſatiæ oppidis, tribus circiter milliariis verſus Occaſum. De hoc monaſterio tom.* 5 *Spicilegii eccleſiaſtici Germaniæ pag.* 940 *hæc leguntur:* Principalis & exemptæ eccleſiæ Murbacenſis initia referuntur ad annum 726 (*imò* 727, *ut dicetur*) quo videlicet divus Pirminius Meldenſium quondam antiſtes (*S. Pirminius infrà ab Hermanno Contracto* chorepiſcopus *nominatur*) ex Augia Divite pulſus animum adjecit conſtruendo novo monaſterio in vaſtiſſima & horrida Voſagi montis eremo, quæ tunc Vivarius peregrinorum, antea verò Muorbach audiebat. Piis Pirminii conatibus clementer annuit Eberhardus, Sueviæ & Alemanniæ dux, Attici ſive Eticonis ex Adalberto filio nepos, dum videlicet Pirmino locum & impenſas exſtruendo cœnobio præteraque ampliſſimos proventus alendis monachis copioſiſſimè ſuppeditavit, annuentibus Emeltrude conjuge & Lutfrido fratre. *Conditum fuit illud monaſterium in honorem Dei & Genitricis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper Virginis Mariæ, S. Michaëlis archangeli, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli &, uti jam innui,* S. Leodegarii *martyris. Intelligitur id ex Theodorici Calenſis præcepto pro eodem Morbacenſi monaſterio. Exſtat hoc præceptum in laudato Spicilegio eccleſiaſtico Germaniæ pag.* 951 *&* 952, *& apud Mabillonium in Appendice ad tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 700. *Cùm autem multis, quæ in decurſum hujus § dicenda ſunt, probandis confirmandiſve ſubſerviat, lubet illud ex Mabillonio huc integrum tranſcribere.*

D

E

cujus fundatio diplomate

310 Theodoricus rex Francorum, viris apoſtolicis, patribus epiſcopis, nec non inluſtribus viris, ducibus, patriciis, comitibus vel agentibus tam præſentibus quàm futuris. Si petitionibus ſacerdotum, quod ad proprietatem * eccleſiæ pertinet, devota mente præſtamus, Retributorem omnium bonorum Dominum Jeſum-Chriſtum ex hoc nos habere confidimus. Igitur dum & venerabilis vir Perminus gratiâ Dei epiſcopus noſtris temporibus cum monachis ſuis, Deo inſpirante, pro Evangelio Chriſti peregrinatione ſuſcepta, monaſterium virorum in Heremo vaſta, quæ Voſagus appellatur, in pago Alſacinſe in loco, qui vocatur Vivarius-peregrinorum, qui antea appellatus eſt Muorbach, in alodo fidele * noſtro Eberhardo comite, cum ipſius adjutorio, Deo donante, conatus eſt conſtituere, vel cœnobium ſanctum ibidem inſtituere in honore Dei & Genitricis Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſemper Virginis Mariæ, ſeu ſancti Michaëlis archangeli, vel ſancti Petri apoſtoli & Pauli beatis apoſtolis *, & ſancti Leodegarii martyris cum ſociis eorum, ubi ipſi famuli Dei ſub ſancta regula ſolitariam vitam fruuntur; petiit ipſe vir Dei Perminus epiſcopus ſerenitati noſtræ, cum ipſo jam nominato fidele noſtro Eberhardo comite, tale ob hoc noſtrum emanare præceptum de omni corpore poſſeſſionis ipſius monaſterii, quicquid ad præſens tenere vel dominare videtur, aut quod inantea à quocumque Deo inſpirante, ibidem rectè fuerit conlatum vel delegatum, per noſtrum præceptum deberem in Dei nomine pleniùs confirmare. Quod nos pro mercede noſtra in omnibus feciſſe cognoſcite, & ad prædictis famulis * Dei talem emiſimus decretum, ut nullus epiſcoporum nec præſentes, nec quiſuerint ſucceſſores, nec eorum ordi-

* *al.* profectum

F

* *al.* allodio fidelis

* *al.* beatorum Apoſtolorum

* *al.* prædictos famulos

A ordinatores, aut qualiſcumque judiciaria poteſtas pro quocumque ingenio poſſint quocumque ordine de loco ipſo aliquid auferre aut abſtrahere, ut faciliùs liceat pro familia Chriſti, quæ ibidem in Dei nomine adunari deſiderat, eorum factam delegationem quietè per tempora poſſidere, & ſanctam regulam conſervantes proprio privilegio, quod nobis præ manibus oſtenderunt, Deo jubente, ſub tranquillitate poſſint permanere, quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quicquid ad talem familiam Chriſti ad laudem Dei die noctuque canendam conceditur.

* *al.* tale *à Theodorico IV Francorum rege*, **al.* & ipſum monaſterium * *al.* inſtrumenta * *al.* ullius

311 Idcirco pro cæleſti intuitu talem * nobis beneficium præſtitiſſe cognoſcite, ut maneat quicquid antefati viri Dei ad ipſo monaſterio * conqueſierint vel laboraverint, quod jam dictus fidelis noſter Eberhardus per ſua ſtrumenta * ibidem affirmavit, vel à ceteris collatum fuit, aut fuerit, ſub noſtra emunitate ejus temporibus abſque illius * inquietudine Deo auxiliante cuncta eis proficiant in augmentis. Additur tamen, ut ſi abbas congregationis ipſius epiſcopum fuerit poſtulatus *, ut ei presbyteros vel diaconos pro

* *i. e.* rogaverit * *al.* Miſſis celebrandis

B Miſſas celebrandum * debeat ordinare, abſque commodi acceptione inſtituat; & ſi rogatus conſecrare eccleſiam, chriſma, tabulas, gradus eccleſiæ abſque commodi acceptione faciat: quòd ſi ipſe renuerit, alterum quemlibet pontificem, qui gratis hæc tribuat, licentiam habeat ſupplicare, & ille hoc facere; & nullo umquam tempore parochiæ ipſius pontificis, in cujus dioceſi ſitum eſt hoc monaſterium, poteſtatem nullam habeat inquietandi; non ipſe, non archidiaconus, non eccleſiæ judices, nec cenſum mittere, neque paſtum, neque honorem in rebus monaſterii accipere non audeat *. Et, ſi abbas ipſius congregationis de hac luce vocatus fuerit, nullus ibidem de alio monaſterio, nec de civitate, nec pro parentela, nec ab epiſcopo ordinetur, neque per poteſtatem, neque pro præmio aut quolibet ingenio, quicumque judicis nullus præſumat in ibidem abbatem ordinare, nec quandocumque neceſſitas evenerit abbatem inſtituere, niſi eum ipſa congregatio & melior pars elegerit, ſecundùm quod regula & privilegius * ipſorum continet, ipſi ſibi dignum conſtituant paſtorem.

* *al.* requirere audeant.

* *al.* privilegium

C *dicto Calenſi, confirmatur,*

312 Et illud nobis placuit pro integramento vel ſtabilitate regni noſtri innectere, ut ipſum monaſterium ſub defenſione & tuitione Dei & noſtra ſtirpe regia per ſuccedentia tempora valeat conſiſtere inconvulſum, & nulla publica judiciaria poteſtas, nec præſente, nec futuro tempore in curtis vel territuriis ubicumque ipſius monaſterii ad cauſas audiendum vel freda undique exigendum non præſumant ingredere, nec fidejuſſores tollere; & quicque * tam de ingenuis, quàm de ſervientibus ſuper territuriis ipſius monaſterii omni * commanentibus fiſco de freda, aut herebannus *, unde poterat præparare, ad luminaria vel ſtipendia ſuper ſcriptis famulis Dei, & noſtra indulgentia ad integrum mancipentur effectui, & nobis regnantibus aut poſtmodum tempore ſuccedentium regum, quod nos pro Dei amore & timore indulſimus, quemquam * hoc non præſumat convellere; ſed cum quiete & integra emunitate hoc, quod decrevimus, inviolabile, auxiliante Deo, perſeveret. Et ut hæc præceptio erga ipſo monaſterio * firmius habeatur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter de-

* *al.* quicquid * *al.* omnibus * *al.* de bannis

* *al.* quiſquam

* *al.* ipſum monaſterium

crevimus roborari. Theodoricus, rex Francorum, ſub data quod fecit menſe Julio, die duodecimo, anno VII regni noſtri, Gundulfi-villa in Dei nomine feliciter, amen. Gerbaldus obtulit. AUCTORE C. B.

313 *Sæpe ab hoc Diplomatis Theodorici apographo diſcrepat apographum aliud, quod, ut jam monui, Spicilegio eccleſiaſtico Germaniæ eſt inſertum; diſcrepantias illas in margine ſubinde notavi; nuſquam autem notabilior occurrit, quàm in anno regni Theodorici, quo diploma fuit emiſſum; in priori enim apographo anno* VII, *in poſteriori verò anno tertio regni Theodorici id factum notatur. Poſtremum hunc annum fortè etiam exprimebat apographum, ex quo Theodoriciani diplomatis jam recitati partem in monaſteriorum Germaniæ Chronologiam à ſe editam pag.* 93 *intulit Bruſchius; licèt enim in parte diplomatis, quam loco citato tranſcribit, nullam prorſus exhibeat notam chronologicam, in notitia tamen monaſterii Morbacenſis, quam ſuppeditat, initium regni Theodorici IV Francorum regis anno Chriſti* 720 *innectit; quapropter cùm monaſterii Morbacenſis fundationem referat ad annum circitèr* 724, *conſequens eſt, ut Theodoriciani diplomatis apographum, quod ipſi præluxit, annum fortè regni* E *Theodorici tertium expreſſerit, quia ex hoc & ex initio regni Theodorici, quod anno* 720 *affigit, monaſterii Morbacenſis fundationem ad annum circitèr* 724 *meritò potuit referre. Aſt, etiamſi illud, quo uſus eſt Bruſchius, pluraque forſan alia prædicti diplomatis Theodoriciani apographa ad modum apographi, quod in laudato Spicilegio eccleſiaſtico Germaniæ exſtat, annum regni Theodorici tertium exhiberent, forent ea omnia hac in re, uti ex dicendis facilè apparebit, pro mendoſis veroſimillimè habenda, ac proin nihil ex iiſdem certi pro monaſterii Morbacenſis fundatione anno Chriſti* 724 *affigenda poſſet confici. Et verò monaſterium illud anno* 724 *fundatum ſeu conſtructum non fuiſſe, apertiſſimè docet Chronicum Hermanni Contracti, monachi Augienſis, qui initio ſeculi* XI *floruit; illud enim auctoris hujus Chronicon in editione Caniſiana ad annum* 727 *habet:* Sanctus Pirminius ob odium Caroli à Theobaldo Gotifridi ducis filio ex Augia pulſus Eutonem pro ſe conſtituit abbatem, & ipſe Alſatiam, alia inſtructurus cœnobia, petiit; *in editione verò Piſtoriana* Sanctus Pirminius à Thietbaldo Gotofridi F filio expulſus, Etonem abbatem conſtituit, & ipſe in Alſatiam venit. *Quare cùm monaſterium Morbacenſe, ut inter omnes eruditos convenit, tunc primùm condi cœptum ſit, dum S. Pirminius pulſus ex Divit-augienſi monaſterio, quod triennio abbas rexerat, in Alſatiam, alia exſtructurus monaſteria, advenit; eò autem, uti ex laudato Hermanni Contracti Chronico intelligitur, ante annum* 727 *non advenerit, conſequens eſt, ut ante annum illum monaſterium Morbacenſe conditum non ſit. Aſt, inquies, quo ergò anno monaſterium illud fuit fundatum ſeu conditum?* *nec anno 731, ut Cointius*

314 *Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum fundationem illam ad annum* 731 *refert; idcircò autem id facit, quòd exiſtimet S. Pirminium non citiùs, quam anno* 730, *ex Augienſi monaſterio Theobaldi Sueviæ ducis imperio ſecedere compulſum, in Alſatiam veniſſe. Rationes porrò, cur id exiſtimet, ad annum* 730 *num.* 3 *ita proponit:* Super anno, quo Pyrminius Augiam majorem deſeruit, cum Cruçio non convenimus. Hic enim auctor annum Chriſti ſeptingenteſimum vigeſimum notat,

AUCTORE C. B.

in opinione videlicet Hermanni ac ſequacium, qui Pyrminium tribus dumtaxat annis abbatem Augienſem conſtituunt. At cùm Theobaldus, qui, teſte Hermanno, in editionibus Piſtoriana & Caniſiana, Pyrminium expulit, Sueviæ præfecturam ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum non inierit, nec Pyrminius ante illum annum ex Augia receſſit. Rerum eodem anno geſtarum ſeries hæc fuit. Carolus (*Martellus ſcilicet*) major-domûs odium, quo Lantfridum, (*Sueviæ ducem*) proſequebatur, non ampliùs diſſimulandum ratus, Sueviam ingreſſus eſt cum exercitu. Ceſſit tempori Lantfridus & quibuſcumque potuit officiis atque obſequiis animum Caroli demulſit. Hic exiſtimavit è re ſua plurimum eſſe, ſi, quos in Suevia pietate præſtantiſſimos nôſſet, hos ampliſſimis beneficiis cumularet. Pyrminius præ ceteris enitebat, erat jam in amicitia Lantfridi ducis, &, ut acceptior ei fieret, commendatus eſt etiam à Carolo, qui, pace redintegrata, ſtatim diſceſſit è Suevia, ſerióque de bello Aquitanico ſeu Trans-ligeritano cogitavit. Lantfridus paulò pòſt obiit. Theobaldus ejus filius in Sueviæ ducatum ſeu præfecturam ſucceſſit, & exemplo patris avique provocatus hoſtem ſe Caroli dixit, ac Pyrminium abbatem, cui propter amicitiam ejuſdem Caroli diffidebat, ex Augienſi monaſterio deturbavit. *Quibus verbis manifeſtat, ſeſe S. Pirminii ex Augia expulſionem, ſeceſſumque in Alſatiam non alia de cauſa uſque ad annum* 730 *differre, quàm quòd exiſtimet, Theobaldum, Sueviæ ducem, qui Pirminium ex Augia pepulit, non Gotofridi, Sueviæ ducis, anno* 709 *vitâ functi, ſed Lantfridi, Sueviæ pariter ducis, filium fuiſſe, ac proin Sueviæ ducatum ſeu præfecturam non citiùs, quàm anno* 730 *geſſiſſe, cùm ad hunc uſque annum, uti apud omnes in confeſſo eſt, Lantfridus vitam protraxerit.*

B

ex tempore, quo S. Pirminius ex Augia

315 *Verùm Theobaldus ſive Thietbaldus, qui S. Pirminium ex Augia pepulit, ab Hermanno Contracto in Chronico ad annum* 727 *Gotofridi filius vocatur, idque tam in editione Piſtoriana, quàm Caniſiana, uti evidens fit ex verbis, quæ ex utraque num.* 313 *produxi. Hermanno quidem adverſatur Hepidamnus, monachus ſancti Galli, in Brevibus Annalibus uſque ad annum* 1044 *perductis, dum ad annum* 715 *de Liutfrido, Alamanniæ duce loquens, ait,* cujus filius Thietpaldus S. Pirminium pepulit. *Aſt Hepidamnus cum Hermanno, qui in monaſterio Augienſi ſeculo* XI *vixit, paris, inquit Pagius in Criticis ad annum* 759, *num.* 9, *auctoritatis non eſt, ac proin Hermanno hic aſſentiendum videtur, præſertim cùm ei adſtipulentur Continuator Fredegarii apud Cheſnium tom.* 1 *Scriptorum pag.* 773, *auctor Appendicis ad Geſta Francorum, ibidem pag.* 721 *atque ad annum* 745 *Annaliſta Metenſis, qui omnes, dum de Theobaldo, Alemannorum ſeu Sueviæ duce loquuntur, Gotofridi ducis filium eum appellant. Poſterioris ſcriptoris, qui circa annum* 900 *Opus ſuum abſolvit, atque adeò Hepidamno laudato eſt antiquior, verba huc facientia hæc ſunt:* Eodem anno Teobaldo rebellante filio Godefridi ducis Alamannorum, Pippinus cum virtute exercitus ſui & Dei auxilio in Alamanniam ingreſſus, viriliter ipſum in fugam convertit, & ad obſidionem Alpium fugientem expulit, revocatoque illo, ejuſdem loci ducatum dedit, & ad propria remeavit. *Prioris verò, quæ jam recitatis & ſecundi etiam ſcriptoris verbis ferè conſonant, iſta:* Per idem tempus rebellante Theudebaldo, filio Godfredi ducis, Pipinus cum virtute exercitus ſui ab obſidione Alpium turpiter expulit fugientem, revocatoque ſibi ejuſdem loci ducatu, victor ad propria remeavit. *Dubitandum ergò non videtur, quin Theobaldus, qui S. Pirminium ex Augia pepulit, Gotofridi, Sueviæ ducis, filius exſtiterit.*

C

D

pulſus, in Alſatiam venit, probare

316 *Aſt, inquies, certum nihilominus eſt, Lantfridum, qui, ut inter eruditos convenit, Gotofridum patrem habuit, eique anno* 709 *vitâ functo in ducatum Sueviæ ſucceſſit, non citiùs, quàm anno* 730 *è vivis exceſſiſſe, ac proin Theobaldum ante eumdem annum ducatum ſeu præfecturam Sueviæ non tenuiſſe, adeóque nec Pirminium ex Augia pepuliſſe. Fateor, res hinc conficeretur, ſi uno eodemque tempore plures duces Alamanniæ, quæ &* Suevia *apellata fuit, non præfuiſſent.* Verùm, *inquit Pagius loco proximè citato in Criticis,* ea regio major erat, quàm ut uni duci à Francorum regibus tota committeretur, ut jam obſervavit Hadrianus Valeſius lib. 24 Rerum Francicarum, quem ea in re ſecutus eſt ipſemet Cointius anno 693 num. 38 & ſeq. *Ibi ſcilicet hic auctor ſic ſcribit:* De Alamannis & Suevis multa pereruditè ſcribit Hadrianus Valeſius libro viceſimo-quarto Rerum Francicarum. Imprimis obſervat alteros alterorum nomine promiſcuè, ſæpiùs tamen Suevos tum appellatos fuiſſe. Deinde Alamanniam in plures ducatus ſeparatam teſtatur, iſtiuſque partitionis duas rationes affert; primam, quòd Alamannia major viſa ſit, quàm ut uni duci tota committeretur; alteram, quòd, Alamanniæ duce mortuo, filii ejus præfecturam ſeu ducatum juxta beneplacitum regis inter ſe dividerent. *Affert deinde nonnulla, quæ manifeſtè probant, Alemanniam ſeu Sueviam uni eidemque duci non fuiſſe commiſſam, ducatuſque inſuper, in quos ſeparata erat, morientium ducum liberos inter ſe pro regis arbitrio fuiſſe partitos. Cùm ergò juxta ipſummet Cointium plures Alemanniæ ſeu Sueviæ duces uno eodemque tempore exſtiterint, filiique morientium ducum paternam inter ſe hæreditatem, ſeu ducatum diviſerint, conſequens non eſt, Theobaldum, Gotofridi ducis filium, ante annum* 730 *ducatum Sueviæ, ſeu potiùs in Suevia, non tenuiſſe, licèt Lantfridus, qui patri ſuo Gotofrido, anno* 709 *vitâ functo, in ducatum Sueviæ ſucceſſerat, non citiùs, quàm anno* 730 *è vivis exceſſerit. Veriſimillimum enim ex dictis fit, Lantfridum & Theobaldum, cùm ambo Gotofridum anno* 709 *vitâ functum patrem habuerint, paternam inter ſe hæreditatem fuiſſe partitos, ac proin tam hunc, quàm illum jam ab anno* 709 *ducatum in Suevia geſſiſſe, ut adeò ex ducatu Lantfridi uſque ad annum* 730 *protracto conſequens etiam non ſit, S. Pirminium ante annum illum à Theobaldo ex Augia non fuiſſe expulſum.*

E

F

fruſtra contendit, ſed anno

317 *Imò S. Pirminium anno* 727, *ac proin citiùs, quàm anno* 730, *ex Augia à Theobaldo duce pulſum fuiſſe, perſpicuum fit ex annis, quibus S. Pirminius præfecturam Augienſis abbatiæ auſpicatus eſt, Hetto verò ſeu Heddo aut Etho, proximus S. Pirminii in eamdem præfecturam ſucceſſor, ad epiſcopatum Argentoratenſem fuit promotus, comparatis ad annos, quibus tam hic, antequam ad memoratum epiſcopatum promoveretur, quàm S. Pirminius, antequam ex Augia pelleretur, prædictæ abbatiæ abbates præfuerunt. Etenim Walafridus Strabus apud Caniſium Lectionum Antiquarum tom.* 2, *parte* 2 *editionis Amſtelodamenſis anni* 1725 *pag.* 206 *in Carmine*

de

A *de Viſionibus Wettini monachi Augienſis, abbates Augiæ enumerans, ſic canit:*

Rhenus ab Auſoniis quo ducitur Alpibus, æquor
Miſcet, in Occiduis diffuſus partibus, ingens:
Illius in medio ſuſpenditur inſula fluctu,
Augia nomen habens, jacet hanc Germania circa.
Hæc ſolet egregias monachorum gignere turmas.
Primus in hac ſanctus conſtruxit mœnia præſul
Pirminius, terniſque gregem protexerat annis.
Hujus quiſque velit Sanctorum cognoſcere vitam,
Ipſe ſepulchra petat, ſatis ipſe probabit in Hornbach.
Poſtea ſeptenis præſedit curſibus Etho:
Tunc ſequitur binis laudandus Geba ſacerdos.

Hic autem ſcriptor ipſimet Augiæ diviti abbas præfuit ſeculo IX *nonnihil inchoato ac proin nno vix ampliùs ſeculo poſt S. Pirminii ex Augia expulſionem, Ethoniſque ad epiſcopatum Argentoratenſem promotionem, ut adeò veroſimillimè temporis ſpatium, quo eorum in abbatia Divit-augienſi præfecturam in verſibus recitatis circumſcribit, vel ex monumentis fide dignis didicerit, vel ſaltem apprimè habuerit perſpectum.*

B 318 *Quam ob rem, cùm laudatus Walafridus Strabus tres tantùm annos S. Pirminio in Divit-augienſi præfectura per verſus recitatos attribuat, conſequens eſt, ut Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 730 *num.* 13 *eamdem præfecturam ſexennio perperam definiat, idque eò magis, quòd nec rationem ſolidam, cur id faciat, nec auctorem, qui vel antiquitate vel auctoritate cum Walafrido Strabo ſit comparandus, in medium producat; pugnetque inſuper cum Hermanno Contracto, qui Walafridum Strabum ſecutus, in Chronico ſuo ad annum* 724 *ita ſcribit:* Sanctus Pirminius abbas & chorepiſcopus, à Berchtoldo & Vehi principibus ad Carolum (*Martellum ſcilicet*) ductus, Augiæque inſulæ ab eo præfectus, ſerpentes inde fugabat, & cœnobialem inibi vitam inſtituit tribus annis.

C *Porrò Cointius non aliam ob cauſam S. Pirminii in abbatia Divit-augienſi præfecturam ſexennio definit, quàm quòd exiſtimet, Sanctum illum anno* 724 *dictam præfecturam iniiſſe, eamque non citiùs, quàm anno* 730 *dimittere fuiſſe compulſum, quod quàm infirmo fundamento nitatur, ex jam antè dictis ſatis liquet. Cùm jam itaque, ſi non omnino certum, veroſimillimum ſaltem indubiè ſit, S. Pirminium annos tantùm tres, antequam in Alſatiam ſeceſſerit, abbatiæ Divit-augienſi abbatem præfuiſſe; in confeſſo autem apud omnes ſit, eumdem Sanctum anno* 724, *quod & ipſe Cointius ad annum* 730 *num.* 13 *admittit, præfecturam illam iniiſſe, conſequens eſt, ut Pirminius jam inde ab anno* 727 *ex Augia expulſus, in Alſatiam ſeceſſerit. Liquet id ipſum, ut jam num. præcedenti innui, ex anno, quo Etho, proximus S. Pirminii in abbatiæ Augienſis præfecturam ſucceſſor, ad epiſcopatum Argentoratenſem fuit promotus, comparato cum annis ſeptenis, quibus per verſus numero præcedenti tranſcriptos Walafridus Strabus præfecturam Augienſem Ethonis definit; cùm enim Etho, uti conſtat ex hoc Walafridi Strabi verſu ſuprà recitato,* poſtea ſeptenis præſedit curſibus Eto, *ſeptem annis abbatiæ Divit-augienſi abbas præfuerit; hi autem ab anno* 734, *quo Eto, uti certum eſt, ipſequemet iterum Cointius ad annum* 730 *num.* 13 *admittit, ad cathedram Argentoratenſem evectus eſt, ordine retrogrado computati deducant ad annum* 727, *conſequens eſt, ut hoc anno abbatiæ Augienſis præfecturam Eto inierit, illamque adeò proximus ejus deceſſor, S. Pirminius dimiſerit, atque in Alſatiam ſeceſſerit, quod cum Hermanno Contracto, cùm hic ad eumdem annum verbis num.* 313 *recitatis Pirminii in Alſatiam adventum referat, apprimè congruit. Quapropter, cùm S. Pirminius, ut apparet, monaſterium Morbacenſe ſtatim à ſuo in Alſatiam adventu condiderit, aut condere inceperit, dubitandum non videtur, quin illud anno* 727 *aut exſtructum, aut exſtrui ſaltem fuerit inceptum, ut adeò, quemadmodum jam antè monui, recitatum ſuprà diploma ſeu præceptum, quo monaſterii Morbacenſis poſſeſſiones atque privilegia confirmantur, in laudato Spicilegio Eccleſiaſtico Germaniæ mendosè ſignetur anno tertio Theodorici IV Francorum regis, retinenduſque ſit annus* VII *ejuſdem regis, quo apud Mabillonium notatur; cùm enim Theodoricus IV, ut nunc communis fert opinio, anno* 720 *regnare inceperit, annus regni ejus tertius non poteſt; ſeptimus verò poteſt cum anno Chriſti* 727 *componi, ante quem tamen præfatum diploma indubiè emiſſum non fuit, cùm certè poſterius ſit monaſterii Morbacenſis condendi conſilio, quod non citiùs quàm anno illo, fuit initum.*

727 *conſtruitur*

319 *Examinato ſic anno, quo monaſterium Morbacenſe fuit exſtructum, lubet nunc in ipſius conditores inquirere; S. Pirminius ex Augia pulſus, non diu, ut jam innui, poſt ſuum in Alſatiam adventum novis condendis monaſteriis animum adjecit, interque ea primum omnium fuit Morbacenſe. Huic condendo locum impenſaſque ſuppeditavit Eberhardus comes, Adalberti filius. Liquet id ex his Diplomatis jam recitati verbis:* Igitur dum & venerabilis vir Perminius gratiâ Dei epiſcopus noſtris temporibus cum monachis ſuis, Deo inſpirante, pro Evangelio Chriſti peregrinatione ſuſcepta, monaſterium virorum in Heremo vaſta, quæ VOSAGUS appellatur, in pago Alſacinſe, in loco, qui vocatur VIVARIUS-PEREGRINORUM, qui antea appellatus eſt MUORBACH, in alodo fidele * noſtro Eberhardo comite, cum ipſius adjutorio, Deo donante, conatus eſt conſtituere &c. *De hoc Eberhardo, qui, uti ex ejus Charta apud Mabillonium tom.* 2 *Annalium pag.* 701 *&* 702 *liquet, monaſterium Morbacenſe copioſiſſimè dotavit, Bucelinus part.* 2 *Germaniæ ſacræ pag.* 238 *ita commemorat:* Fundavit illud (*Monaſterium Morbacenſe*) Eberhardus Sueviæ & Alſatiæ dux, parens Warini & Ruthardi an. DCCXXVI, (*imò ut jam probatum eſt, anno* 727) fundationem confirmante Gregorio II Pon. Max., quod poſtea Widegernus, Argentinenſis epiſcopus, ann. Chriſti DCCXXXIII (*in Spicilegio eccleſiaſtico Germaniæ laudato ad annum* 728 *id refertur*) ſolemniter conſecravit. Contulêre manaſterio multa beneficia veteres Franciæ Germaniæ originis reges. Fundator ipſe jam ſenio confectus, ſanctorum Virorum allectus conſuetudine, & delectatus familiaritate, ſeria anteactæ vitæ ductus pœnitudine, diſtributis in filios provinciis, memorabili triumphati mundi & honorum contemptûs exemplo, in eodem cœnobio vitam monaſticam complexus, humillimo fratrum converſorum numero aggregari voluit, & minimus in domo Dei eſſe elegit. *Omnia, quæ hîc Bucelinus aſſerit, hujuſmodi non ſunt, ut pro eorum veritate ego me vadem ponere velim; falſum autem*

à S. Pirminio, fundum & impenſas ſuppeditante

* *al.* allodio fidelis &c.

E F

AUCTORE C. B.

tem apparet id, quod de provinciis ab Eberhardo inter filios, dum hic vitam monasticam amplexurus esset, distributis affirmat.

Eberhardo comite, de quo

320 *Etenim in laudatis ipsius comitis Eberhardi litteris, apud Mabillonium tom. cit. pag.* 701 & 702 *anno Theodorici regis octavo, cum quo annus Christi* 728 *congruit, notatis, quibus, ut jam innui, amplissimas donationes monasterio Morbacensi facit, hæc leguntur:* Ergò ego in Dei nomine Eberhardus, filius Adalberti quondam ducis, etsi vilissimus Christi famulus, dum non habetur incognitum, qualiter ante hos annos unà cum conventu pontificum, sacerdotum, & germano meo Leutfredo duce, & conjuge mea Emeltrude, in re mea propria, in loco, qui dicitur Maurobacus, qui nunc vocatur Vivarius peregrinorum, in pago Alsacensi in honore S. Petri principis Apostolorum & sanctæ Dei Genitricis Mariæ ceterorumque Sanctorum, à novo, meo opere, sicut mihi vires Deus dedit, monasterium ædificavi, & illis diebus, juxta quod in illo priore testamento continetur, de rebus meis aliquid ditavi; nunc autem Salvator & Redemptor humani generis, qui omnes vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, non meis meritis
B exigentibus, sed pro clementia sua, me in corpore visitare dignatus est, & fallax temporaleque lumen subtraxit, ut ad verum, quod ipse est, me etsi indignum perduceret lumen, etiam suâ providentiâ, quamvis me optante, ex proprio corpore hæredem, qui mihi succesor existeret, similiter subtraxit. *Quibus ex verbis liquet, Eberhardum, cùm anno Christi* 728 *litteras illas ederet, & liberis & oculis fuisse orbatum, ac proin verosimile mihi non apparet, pium hunc comitem filios, nomine* Warinum & Ruthardum, *aliterve appellatos habuisse, quos inter provincias suas, ut ait Bucelinus, partitus fuerit, dum vitam monasticam est amplexus. Hinc Georgius Eccardus lib.* 1, *cap.* 5 *Originum Habsburgo-austriacarum pag.* 22 *de Eberhardo comite, monasterii Morbacensis fundatore, rectè pronuntiat:* De liberis ejus nihil nobis constat, & qui tot bona in Murbacense monasterium transfudit, ἄπαις fuisse videtur. Conjugis enim, Emeltrudis jam senescentis & RELICTÆ nomine, non autem liberorum meminit in laudata dotatione hujus monasterii, *cujus hîc mox partem protulimus, imò asserit subtractum sibi esse hæredem, qui sibi successor existeret, cúmque in fine conjugem suam* relictam *vocet, ipseque tunc oculis esset orbatus, videtur jam tum seculo nuntium remisisse, atque adeò vitam monasticam, ut ait laudatus Bucelinus, forsitan fuisse amplexus.*

C

ejusque cum S. Leodegario

321 *Quod quidem minùs vero absimile fiet, si unquam monachum Eberhardus ante mortem induerit, atque adeò fidem mereatur ejusdem Eberhardi in monasterio Morbacensi Epitaphium, quod, ut laudatus Bucelinus Germaniæ sacræ parte & pag. citatis inquit,* antiqua simplicitate, gratæ memoriæ ergò scriptum *ibidem legitur. En illud:*

Dicat, qui nescit, Eberhardus dux hîc requiescit,
Qui vir sublimis rebus dotavit opimis
Hoc claustrum sponte, sic non rapitur Phlegetonte;
Indutus veste clausträli vixit honestè.

Verùm cùm hoc Epitaphium carminibus Leoninis constet, quorum inventio seculo VIII *videtur posterior, dubitari meritò hîc potest, an profectum illud non sit ab auctore, qui diu fortè post seculum* VIII, *quo Eberhardus obiit, florere incepit; unde consequens est, ut ex dicto Epitaphio certum non sit, Eberhardum comitem in monasterio Morbacensi, quod condidit, monachum induisse. Certius est id, quod apud eumdem Bucelinum loco citato duobus hisce aliis, quibus recitari cœptum Epitaphium clauditur, carminibus innuitur:*

D

Pro tibi donatis Leodegari junge beatis,
Perpetuò vives cælis supra omnia dives.

Iis enim indicatur, Eberhardum monasterium Morbacense in honorem S. Leodegarii *fundâsse, donationibusque locupletâsse; licèt autem id non exprimatur in laudatis litteris seu Charta Eberhardi comitis pro dotatione monasterii Morbacensis confecta, perspicuè, ut jam antè monui, intelligitur ex sæpe laudato Diplomate seu præcepto, quo Theodoricus IV Francorum rex monasterii Morbacensis possessiones confirmavit, ratumque habuit* privilegium, haud dubiè, *inquit Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 77, Romani Pontificis, quo prædictum monasterium, *uti ex diplomate suprà recitato liquet,* ab episcopali ditione immune redditum est, eidemque concessa libera facultas eligendi secundùm Regulam abbatis.

consanguinitate nonnulla hîc proferuntur;

322 Cur autem, *ait, paucis interjectis, laudatus Mabillonius,* Murbacense monasterium in honorem sancti Leodegarii sit conditum, id in causa fuit, quòd Eberhardus ipsum ex materna linea propinquitate attinebat. Aviam quippe habuit Bereswindam, Sigradæ Leodegarii genitricis sororem. *Alii sunt, qui, ut § 3 hujus Commentarii prævii docuimus,* S. Leodegarium *Beresuindæ faciunt avunculum; sed hæc opinio variis argumentis, iisque validis impugnatur; licèt autem proiis ad Georgium Eccard & Hermannum Schminckium § proximè citato remisimus, ut nihilominus ea opinio, quæ Beresuindam* Leodegarii *statuit materteram, quæque verosimilior est, & eruditis nunc passim probabilior videtur, talis etiam studioso lectori appareat, ex eaque innotescat, quænam verosimiliùs sanguinis propinquitas* Leodegarium *inter & Eberhardum, monasterii Morbacensis fundatorem intercedat, lubet hîc saltem ea proferre, quæ certiùs evidentiúsque elevant auctoritatem duorum antiquiorum scriptorum, quibus ceteri recentiores, qui* Leodegarium *Beresuindæ faciunt avunculum, unicè nituntur. Alter duorum illorum antiquiorum scriptorum, quem jam plùs semel laudavimus, est auctor incertus & anonymus Fragmenti historici, ab Urstisio præfixi Chronico Alberti Argentinensis, atque à Chesnio recusi tom.* 1 *Scriptorum Franciæ pag.* 783; *alter,* F *quem suprà plùs semel pariter laudavimus, est Scriptor anonymus Historiæ Novientensis monasterii: exstat hic apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum. Ambo, judice Cointio & Martenio, seculo* XIII *floruerunt, ac proin ab ætate* Leodegarii *& Beresuindæ, qui seculo* VII *vixerunt, remotiores sunt, quàm ut rebus, quas de iis scribunt, fidem certam facere queant, præsertim cùm in rebus aliis, quas narrant, erroris plùs vice simplici ex coævis vel penè æqualibus scriptoribus apertissimè convincantur. Errores illi argumenta sunt, quibus laudati Georgius Eccardus, Schminkius aliique auctores contendunt, fidem habendam non esse anonymo Urstisiano, Novientensique historico, dum hi* Leodegarium *faciunt Beresuindæ avunculum.*

hæc ex anonymo Urstisiano.

323 *Ut ergò ex iis argumentis, quemadmodum proposui, hîc quædam jam proferam, nonnullos tam Urstisiani, quam Novientensis historici errores aperiri, necesse est. Initium duco à crassissimo, eoque apertissimo errore, qui ambobus laudatis scriptoribus est communis, quique cum materia-*

A *teria, de qua hîc ſermo eſt, proximè conjungitur. Urſtiſianus anonymus loco mox citato ſic ſcribit:* Leudeſius namque cùm major-domûs eſſet, duxerat uxorem de proſapia ſancti Sigiſmundi, regis Burgundiæ, genuitque ex ea Athicum ſeu Adalricum, qui patre adhuc ſuperſtite & Hilderico regnante, uxorem duxerat Berſwindam nomine, filiam ſororis ſancti Leodegarii, ſororem videlicet reginæ. *Novientenſis verò hiſtoricus apud laudatum Martenium tom. citato Anecdotorum col.* 1129 *ita narrat:* Leodeſius itaque, ut prædiximus, major-domûs exiſtens, duxit uxorem nobiliſſimam de proſapia Sigiſmundi & Gothmari regum Burgundiæ, genuitque ex ea filium nomine Athicum ſeu Adalricum. *Pauciſque deinde interjectis, addit:* Athicus autem filius ipſius, (*Leudeſii*) patre adhuc ſuperſtite, uxorem duxit Berſwindam, filiam ſororis ſancti Leodegarii epiſcopi & martyris, & Garini comitis Pictavenſis, ſororem videlicet reginæ. *Quibus jam recitatis verbis ambo illi ſcriptores apertiſſimè produnt, Leudeſium ſeu Leodeſium, cùm majoratum-domûs gereret, contraxiſſe nuptias, in iiſque procreâſſe filium, qui & ipſe, vivente*
B *adhuc patre, matrimonium inierit. Verùm id indubiè falſum eſt, Leudeſius enim, uti fas eſt colligere ex iis, quæ* § XI *diſſeruimus, anno Chriſti* 674 *major-domûs primùm eſt creatus, annoque inſequenti ab Ebroïno fuit necatus. Quomodo ergò jam major-domûs effectus inire potuit matrimonium, in eoque ſuſcipere filium, patre nondum mortuo, nuptiis aptum?*

& Novientenſi hiſtorico, qui erroribus ſcatent,

324 *Venio nunc ad errores utrique ſcriptori, Urſtiſiano ſcilicet & Novientenſi hiſtorico particulares. Ut autem ceteros Novientenſis hiſtorici errores brevitatis ergô ſilentio præteream, unum hîc dumtaxat proferam, qui manifeſtus ſit ex ſæpe laudato Theodorici IV de monaſterio Morbacenſi diplomate ſeu præcepto, quod ſuprà integrum produximus. Etenim in præfato diplomate legitur,* Igitur dum venerabilis vir Perminus... monaſterium virorum in heremo vaſta, quæ VOSAGUS appellatur, in pago Alſacinſe, in loco, qui vocatur Vivarius-peregrinorum, qui antea appellatus eſt Muorbach... conatus eſt conſtituere &c. *Ex quo intelligitur, locum, in quo conditum eſt monaſterium Morbacenſe, non primùm ab Eberhardo comite, ejus conditore,* Murbaci *ſeu* Morbachii
C *nomen accepiſſe, ſed ita jam antè fuiſſe appellatum, ac proin à vero certiſſimè aberrare Novientenſem hiſtoricum, dum apud laudatum Martenium tomo citato Anecdotorum col.* 1134 *&* 1135 *innuit, monaſterio Morbacenſi ab Eberhardo comite* Murbaci *nomen primò inditum fuiſſe; ſic enim ibidem ſcribit:* Denique Dei inſpiratione Eberhardus in fundo ſuo monaſterium primò in honore S. Mauritii conſtruxit, poſtea verò, in honore S. Leodegarii, à beato Pirminio epiſcopo dedicari juſſit, quod & Vivarium peregrinorum ſeu Murbacum nominavit. *Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 731 *num.* 21 *agens de errore cujuſdam Ebersheymenſis ſeu Novientenſis chronographi, qui innuit locum, in quo Eberhardus comes monaſterium Morbacenſe exſtruxit,* Murbaci *nomen antea non geſſiſſe, exiſtimare ſe ait, quòd monaſterium ab Eberhardo exſtructum,* Vivariique peregrinorum *nomine diſtinctum, antiquum* Murbachii *nomen, quod quondam loco fuerat, in quo erat conditum, ſeculo* X *etiam induerit.* Obſoletum poſtea, *inquit,* Vivarii nomen, nomenque Murbachii rurſus uſurpatum decimo, ut exiſtimamus, ſeculo, cùm ea regio ab Hunnis ſive Hungaris vaſtata eſſet. Fuerunt, inquit Munſterus, *nempe in Coſmographia pag.* 437, tempore Hunorum, ſeptem monachi juxta monaſterium Murbacenſe, in monte propinquo ſanctam agentes vitam, qui ab infidelibus trucidati, reliquerunt loco illi nomen, ut poſtea vocaretur Latrocinii campus. *Fuerit ſcilicet monaſterium, cui ab Eberhardo* Vivarii peregrinorum *nomen fuerat inditum, ſeculo* X Murbachium *ob viciniam, ut quidam aiunt, latrociniis infeſtam vocitatum, quia locus, in quo erat conditum, ita fuerat antiquitùs eadem de cauſa nominatus.*

AUCTORE C. B.

325 *Verùm monaſterium Morbacenſe ſitum eſt ad fluvium Morbach, ut num.* 309 *docuimus; id autem ita eſſe, intelligitur tum ex Topographia Alſatiæ Meriani, tum ex* diplomatibus Caroli Magni & Lotharii Auguſti, qui, *ut Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 77 *ſcribit,* monaſterio Luciariæ & monachis ibi degentibus, quoſdam ingenuos homines, à Ludovico patre ſuo conceſſos, confirmavit ad petitionem Sigmari abbatis monaſterii, quod dicitur Vivarium-peregrinorum, ſitumque eſt in ducatu Alſenſi ſuper fluvium Morbach... & conſtat eſſe conſtructum in honore S. Leodegarii & S. Petri Apoſtolorum principis. *Ita Mabillonius,* E *qui poſt nomen* Morbach *verbis recitatis rectè interſerit* unde inditum loco priſcum nomen; *cùm enim, uti ex dictis conſtat, monaſterium Morbacenſe ad fluvium Morbach ſitum ſit, veroſimillimum eſt, à fluvio nomen ſuum illud traxiſſe, ac proin fabuloſum videri poteſt, quidquid dicitur de nomine illi indito ob viciniam latrociniis infeſtam. Venio nunc ad errores, qui Urſtiſiano anonymo particulares ſunt: Leudeſium tradit ſtatim creatum fuiſſe majorem-domûs, poſtquam recluſus in monaſterio fuiſſet Ebroïnus; id autem apertiſſimè pugnat cum antiquiſſimis monumentis, quæ unanimiter teſtantur, hunc virum eo munere defunctum non fuiſſe, antequam Childericus fuerit necatus. Errat pariter in morte Dagoberti, quam ad annum* 674 *refert; quæ chronologia tolerari nequit, ſive Dagobertum primum ſive ſecundum intelligamus, cùm ille anno* 638; *hic verò vel ipſo anno* 678 *vel certè non citiùs è vivis exceſſerit. Primum tamen regem hunc anonymum in animo habere, non ſolùm ex toto orationis filo, ſed & ex liberis adjectis, Sigeberto & Chlodoveo conſtat, qui Dagobertum primum parentem habent. Narrat etiam S. Arbogaſtum, Argentinenſem epiſcopum, Dagoberti (de quo in antecedentibus, id eſt, primo, locutus fuerat) filium à morte ſuſcitâſſe, & S. Florentium, itidem Argentinenſem epiſcopum, ejus filiam à dæmone vexatam liberâſſe, quod omnes alii ſub Dagoberto II contigiſſe volunt, uti pluribus oſtendit Henſchenius noſter lib.* 2 *de tribus Dagobertis cap.* 5 *&* 6. *Aliis hujus ſcriptoris erroribus enumerandis ſuperſedeo, cùm jam recenſiti ad fidem ejus elevandam ſufficiant. Cùm itaque ambo illi ſcriptores, Urſtiſianus ſcilicet anonymus & hiſtoricus Novientenſis multis graviſſimis erroribus, ut vidimus, in rebus narrandis laborent, fidem non merentur, dum* Leodegarium *faciunt avunculum Bereſwindæ, quæ, ut* § III *docuimus, Eberhardum, monaſterii Morbacenſis fundatorem, ex Adalberto filio habuit nepotem, ac proin adhærendum potiùs eſt auctori anonymo ſeculi* XI, *qui parte* 2, *Seculi* 3 *Benedictini pag.* 488 *in Vita S. Odiliæ verbis num.* 36 *jam recitatis Bereſwindam facit* Leodegarii *materteram.*

eſtimanda non eſt, ſed ex auctore Vitæ S. Odiliæ.

326 *Atque hæc jam de Monaſterio Morbacenſi in honorem* S. Leodegarii *conſtructo, ejuſque fundatore dicta ſufficiant; de capite autem* Leo-

Monaſterium Maſonis ſeu

AUCTORE C. B. Leodegarii, *quod Morbacenſes ſe poſſidere gloriantur, infrà dicetur. Agendum nunc eſt de* Maſmonaſterio *ſeu* Maſonis in Alſatia monaſterio. *Munſterus in Deſcriptione Suggoiæ ſic ſcribit:* Habuit hic Maſo, *quem Eberhardi, de quo jam actum eſt, fratrem facit*, filium unicum, qui, cùm in amne Olruna, vulgò Tolder, balneare vellet, ſubmerſus eſt, quum annorum eſſet octo, idque ſubter arcem, in qua tunc parentes ejus habitabant. Privatus ergò Maſo & uxor ejus legitimo hærede, fundaverunt monaſterium in eo loco, & eo tempore, quando Eberhardus comes Egisheymenſis fundavit monaſterium Murbacenſe ſub Theodorico rege Francorum, anno Chriſti plùs minùs DCCXXX, contribuentes omnia bona ſua, mobilia & immobilia, terras & homines. *Bruſchius eadem ferè narrat ex chronographo Eberſheymenſi, nempe*, Maſonem Eberhardi fratrem ex ducta uxore filium ſuſcepiſſe, quem cùm illicò in Olruna præterfluente fluviolo ſubmerſum amiſiſſet, tanto dolore motum illum conſtruxiſſe eodem loco (ubi filiolus perierat) in S. Leodegarii honore, monialium cœnobium, quod de ſuo nomine Maſonis monaſterium appellârit, idque
B factum eſſe ſub Theodorico & Childerico Galliarum regibus, qui rerum potiti ſunt ab anno Chriſti DCCXX ad annum uſque DCCL. *Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum Chriſti 731 num. 24 recitat quoque utrumque hunc Munſteri & Bruſchii textum, ſubditque:* Hoc Bruſchii textu deceptus Bucelinus Maſonis monaſterium à Maſone ſub annum Chriſti DCCXX fundatum dixit. At ſtandum à chronologia Munſteri, cui calculus Bruſchii non adverſatur apertè, cùm vaga ſit ejus epocha, atque indeterminatè per annos excurrat triginta. *Ita Cointius, & rectè quidem, quia nihil ſuppetit, unde vel cum aliqua veriſimilitudine Maſonis monaſterii ſeu Mas-monaſterii conſtructio determinato anno aſſigatur. Licèt interim primis quinquaginta ſeculi* VIII *annis illud fuiſſe exſtructum, ex communi ſcriptorum conſenſu utcumque certum appareat.*

Maſ-monaſterium à Maſone in honorem S. Leodegarii,

327 *Uti autem annus, quo Maſ-monaſterienſe monaſterium eſt conditum, pro certo determinari non poteſt, ita etiam pro certo determinari non poſſe videtur, an Maſo monaſterii illius fundator frater exſtiterit Eberhardi comitis, qui monaſterium Morbacenſe fundavit. Etenim in vetuſtiſſimo Vitæ S. Odiliæ Fragmento apud Hieronymum du Vignier pag. 68, ubi narratur S. Odilia fratres ſuos, eorumque filios Domino ſubjugâſſe, hos inter Maſo non numeratur. Maſonem nihilominus Adalberti filium, fratremque Eberhardi & Luitfridi faciunt Chronicon Novientenſe, Lazius, Bruſchius in Chronologia monaſteriorum Germaniæ pag. 93, Guillimannus de Rebus Helveticis lib. 3, cap. 4, Ruyrus in Antiquitatibus Voſagi, ejuſque fide Vignierius; Bucelinus item Germaniæ ſacræ parte 2, pag. 59 & Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum 725 & 731, ita ut omnes ferè, qui de Maſone, conditoque ab eo Mas-monaſterienſi monaſterio agunt, Eberhardi eum fratrem vel certè Adalberti filium vocitent. Eccardus ſuprà laudatus in eam ſaltem opinionem propendet, quæ exiſtimat, quod Maſo, Mas-monaſterienſis monaſterii fundator, è familia ſaltem Etichonis ducis exſtiterit.* Ex ſitu tamen, *inquit pag. 26*, Maſonis monaſterii in ditione Etichonis poſterorum, facile eum (*Maſonem*) ad familiam hujus Etichonis pertinuiſſe crediderim. Confirmor in ea opinione, quando progenitores Maſonis de regia proſapia Francorum
C & Burgundionum fuiſſe à Munſtero feruntur: idem enim de Etichone fictum fuiſſe, ſuprà attigimus. *Hiſce omnibus perpenſis, mihi equidem, ſi non certum, veroſimile ſaltem utcumque appareret, Maſonem vel fratrem Eberhardi fuiſſe, vel certè conſanguineum ſeu ex familia Ethiconis, cujus Eberhardus ex Adalberto filio nepos erat, ut adeò etiam Maſo, qui Mas-monaſterienſe monaſterium fundavit*, Leodegarii *conſanguineus exſtiterit, illudque ea de cauſa veroſimiliter in ejus honorem exſtruxerit. Ad hæc Ludovicus Laguille, Societatis noſtræ ſacerdos in Hiſtoria Alſatiæ lib. 8 pag. 95 ita ſcribit:* Tempus illius fundationis (*parthenonis Mas-monaſterienſis*) accuratè notari nequit; ſed dubium non eſt, quin hæc fuerit effectus munificentiæ Maſonis, filii ducis Adalberti, & fratris comitis Eberhardi. Diploma Ludovici Pii, quod in illius abbatiæ archivio ſervatur, probationem ſuppeditat, quæ in dubium vocari non poteſt. Charta illa, cujus habemus exemplar, data notatur XI Calendas Julii, anno X imperii Ludovii Pii, indictione I, quæ reſpondet anno DCCCXXIII. *Quæ verba in rigore accepta ſignificare videntur, ex diplomate Ludovici Pii, cujus meminerunt, non tantùm probari*
D *parthenonis Mas-monaſterienſis fundationem à Maſone eſſe profectam, ſed etiam hunc Adalberti ducis filium, comitiſque Eberhardi fratrem fuiſſe. Verùm cùm hîc forſan tam rigidè non loquatur laudatus Laguille, fieri poteſt, ut Maſonem appellet*, Eberhardi comitis fratrem, *non quòd in præfato Ludovici Pii diplomate, ſed quòd à Lazio, Bruſchio aliiſque ſimilis notæ ſcriptoribus, qui fidem certam in præſenti argumento facere non poſſunt, eum ſic appellatum invenerit, ut adeò dubium adhuc maneat, an Maſo Eberhardi comitis frater exſtiterit.*

Occaſione fortè ſubmerſi filii, conditur.

328 *Laudatus ſuprà Georgius Eccardus Originum Habsburgo-Auſtriacarum lib. 1 cap. 5, col. 26 aliud inſuper dubium movet circa occaſionem, quâ verba num. 326 ex Munſtero & Bruſchio recitata innuunt, abbatiam Maſ-monaſterienſem fuiſſe fundatam. En ipſamet ejus verba:* In Chronico Novientenſi & apud Munſterum Ruyrumque narratur, hunc Maſonem (*parthenonis ſcilicet Mas-monaſterienſis fundatorem*) filium habuiſſe unicum, qui, cùm in amne Olrunna, vulgo Tolder vocato, balneare vellet, cùm octo eſſet annorum, ſubmerſus ſit: hanc verò unici filii jacturam commoviſſe parentes, ut fundaverint monaſterium fæminarum, illudque largi-
F ter dotatum S. Leodegario conſecraverint: filium aquâ ſuffocatum ibi tumulatum fuiſſe, atque illius in tumba hoc epitaphium legi: "Hîc „jacet filius regis Maſonis, fundatoris hujus mo„naſterii„. Maſonem deinde ipſum, qui monaſterio & Valli, antea WOST appellato, in quo ſitum eſt, nomen dederit, cum uxore Romam iviſſe, ibi obiiſſe & ſepultum fuiſſe. Sed quicquid demum illius ſit, hiſtoriola fabulam ſapit, & ſuſpectæ ſunt plerúmque origines monaſteriorum, quæ à liberis vel ab apro occiſis vel ſubmerſis deducuntur, ad initia eorum notabiliora & quandoque auguſtiora facienda excogitatæ, aut minimùm ex plebis narratiunculis incertis & ad tempus fallendum inventis, hauſtæ videntur. Epitaphium, cui omnia innituntur, recentioribus ſeculis effictum eſt, ut vel ex titulo REGIS apparet, qui Maſoni, ad ſummum comiti, tribui nequit. *Ita Eccardus, cui, quod hic opponam, nihil habeo; Hiſtoricus enim Novientenſis, Munſterus & Ruyrus à ſeculo* VIII, *quo fundata eſt abbatia Mas-*

A *Mas-monaſterienſis, remotiores ſunt, quàm ut iis, quæ de fundatione illa narrant, ſatis tutò fidi queat, niſi fortè, quod hîc non faciunt, monumenta antiqua fide digna in teſtimonium adducant. Adde, quòd Ruyrus & Munſterus pleraque, quæ de præſenti argumento ſcripſerunt, ex Hiſtorico Novientenſi ſeu Ebersheymenſi hauſerint, qui quàm ſit ſubleſtæ fidei, jam ſuprà ſatis ſuperque eſt probatum. Utut ſit, dubitandum ſaltem non videtur, quin abbatia Mas-monaſterienſis in honorem* S. Leodegarii *à Maſone, ejus veroſimiliter conſanguineo, fuerit exſtructa, quod ad præſens inſtitutum ſufficit.*

§ XXI. Monaſterium in diœceſi Lingonenſi, aliudque in pago Portenſi S. Leodegario conſecrata.

Monaſterium S. Leodegarii Capellenſe ſeculo VIII, *vel*
B *Poſt conditum in honorem* S. Leodegarii *monaſterium Murbacenſe & Mas-monaſterienſe, nullum antiquius gloriæ Sancti poſthumæ monumentum invenire potui, quàm Campellenſe ſeu Capellenſe* S. Leodegarii *monaſterium in diœceſi Lingonenſi. Quamquam autem exactè definire nequeam, quo determinato anno ſit conditum, certum tamen eſt, illud non ſeriùs, quàm vel adoleſcente ſeculo* IX *vel labente* VIII *exſtructum aut potiùs* Leodegario *eſſe conſecratum. Liquet id ex Chronico Beſuenſi, quod tom.* I *Spicilegii Dacheriani, cui inſertum eſt, pag.* 512 *inſtrumentum exhibet, quo inter monaſterii Beſuenſis abbatem, nomine Seraphim, & abbatem Theutonem monaſterii* S. Leodegarii, *quod etiam* Capellenſe *dictum, rerum quarumdam commutatio facta eſt, quodque in hunc modum ſubſcribitur:* Actum Fonte-Beſua monaſterio publico 3 Calend. April. anno 13. imperii domni Hlucdovici imperatoris. *Cùm enim Ludovicus, cujus imperii anno* 13 *præfatum inſtrumentum notatur, alius indubiè non ſit, quàm Ludovicus Pius imperator & Francorum rex, hujuſque annus imperii decimus tertius tertio Calendas Aprilis notatus cum anno Chriſti* 826 *congruat, conſequens eſt, ut dictum inſtrumentum anno* 826 *fuerit confectum, ac proin ut jam tunc Capellenſe* Leodegarii *monaſterium (hujus quippe in laudato inſtrumento præpoſitus* abbatis *titulo inſignitur) abbatiæ prærogativâ fuerit gaviſum; unde ulteriùs conſequitur, ut non*
C *ſeriùs, quàm vel ſeculo* IX *adoleſcente, vel labente* VIII *fuerit exſtructum, ſanctoque* Leodegario *dedicatum; imò ſi qua fides Mabillonio adhibenda ſit, fuerit illud monaſterium etiam citiùs exſtructum. Ait enim parte* 1 *Seculi* 3 *Benedictini in Obſervationibus præviis ad Vitam S. Mederici num.* 6, *duplex ætate hujus Sancti, cujus mortem circa annum* 700 *collocat, monaſterium,* Campellenſe *ſeu* Cappellenſe *dictum, in Gallia exſtitiſſe; alterum, quod huc non ſpectat, in Briegio tractu; alterum, de quo hîc agimus, in Burgundia; hoc, uti addit laudatus ſcriptor,* poſtea S. Leodegarii dictum *fuit, non ſeriùs, puto, quàm, ut jam innui, ſeculo* IX *adoleſcente. Porrò de monaſterio* S. Leodegarii *Campellenſi agunt Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 4 *col.* 652 *&* 653, *illudque accenſent diœceſis Lingonenſis abbatiis, quæ primigenium ſuum ſtatum amiſerunt. Meritò autem id faciunt, quia, uti loco citato probant, jam ſeculo* XII *ſolum prioratûs nomen, priſtino ſplendore amiſſo, obtinebat, ſolúmque hodie prioratûs nomen indubiè obtinet. Etenim in Chronico Lingonenſi, auctore Jacobo Vignerio Societatis noſtræ ſacerdote, anno* 1665 *Lingonis excuſo de monaſterio* S. Leodegarii *Capellenſi hæc leguntur:* S. Leodegarii monaſterium, olim ampliſſimum, atque antiquiſſimum, nunc prioratus eſt. AUCTORE C. B.

330 *Verùm, inquies, unde conſtat, ampliſſimum olim fuiſſe illud* S. Leodegarii *monaſterium? Reſpondeo, ex laudato Chronico Beſuenſi, in quo tom.* 1 *Spicilegii Dacheriani citati pag.* 537 *ſcriptum invenio:* Eſt eccleſia non multùm diſtans ab hoc Beſuenſi loco in honore ſancti Leodegarii dedicata, largiſſimis prædiis & latifundiis à regibus, & ducibus & comitibus dotata. *Ne verò dubites, an de eccleſia Capellenſis monaſterii, an de altera* S. Leodegario *dedicata ſermo ſit, mox narrat Chronici auctor, inter monachos illius loci, id eſt, eccleſiæ, de qua verbis proximè recitatis egerat, & monachos Beſuenſis monaſterii rixas interceſſiſſe, illoſque paulò pòſt* S. Leodegarii *monachos vocat, quorum monaſterium, etiam* Capellenſe *dictum, à monaſterio Beſuenſi non multùm aberat, ac proin, quæ de eccleſia à monaſterio Beſuenſi non multùm diſſita verbis mox recitatis affirmat, de Capellenſi* S. Leodegarii *monaſterio debent intelligi. Porrò ex iiſdem jam recitatis verbis etiam datur intelligi, qua de cauſa* E *monaſterium illud* Leodegarii *nomine fuerit inſignitum, quia ſcilicet in* S. Leodegarii *honorem erat conſecratum. Aliud de monaſterio Capellenſi* Leodegarii, *quod hîc locum habere mereatur, nihil invenio, ac proin ad alterum gloriæ Sancti poſthumæ monumentum progredior. Mabillonius tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 533 *& ſequenti notitiam præbet Abbatiæ, quæ ſi non in honorem* S. Leodegarii *condita, eamdem tamen pòſt vel ſibi conſecratam Sanctus habuit, vel certè patrocinio ſuo tutelæque commendatam. Cùm autem id videatur non ſeriùs contigiſſe, quàm ſeculo* IX *aliquantùm provecto, quo adoleſcente vel etiam citiùs Capellenſe, de quo jam egi, monaſterium eſt conditum, locus videtur exigere, ut & de abbatia illa nunc hîc agam.* *ſeculo* IX *ineunte, S. Leodegario;*

331 *Laudatus Mabillonius loco citato de illa hæc memorat:* Alia eſt Offonis-villa, monaſterio item inſignis, quæ in diviſione facta inter Carolum Calvum & Ludovicum ejus fratrem, Carolo obtigit. Sita erat in pago Portenſi diœceſis Veſontionenſis; abbatia verò S. Leodegario nuncupata. Bodo Tullenſis antiſtes monaſterium Offonis-villæ in honore ſancti Leodegarii, jure paterno ſibi ad ſervitium Dei conceſſum, eccleſiæ ſuæ tradidiſſe memoratur in Actis nondum editis Epiſcoporum Tullenſium. Hic Bodo non F alius eſt, ut jam dixi, quàm Leudinus, Salabergæ germanus frater, alio nomine Bodo appellatus, etſi in prædictis Actis à Leudino diſtinguatur. Verùm illud obſtare videtur, quòd monaſterium Offonis-villæ tunc exſtructum fuiſſe dicitur in honore ſancti Leodegarii, qui Bodoni-Leudino ſuperſtes fuit. Siquidem Deodatus, ejus in ſede Tullenſi ſucceſſor, concilio Romano in cauſa Wilfridi epiſcopi ſubſcripſit eo anno, quo Leodegarius martyrio affectus fuit. Verùm fortè anticipato dictum eſt monaſterium Sancti Leodegarii, qui Offoni-villæ poſtea patronus acceſſerit. Hanc abbatiam, ſimul Faverniacenſem, ſitam in eodem pago Portenſi, Ludovicus Tranſmarinus Francorum rex, rogatu Ugonis comitis, cuidam fideli ſuo, nomine Adalardo, ejuſque conjugi Addilæ, in beneficium concedit anno tertio regni ſui, indictione tertia, ſeu anno ſupra nongenteſimum quadrageſimo*. Poſt annos ferè centum Burchardus comes locum, Offonis-villam dictum, nobilem quondam abbatiam, *monaſterium verò Offonis-villæ,* **vitioſæ ſunt notæ chronologicæ*

AUCTORE C. B.

in honorem ſancti Leodegarii conſecratam, Divionenſi ſancti Benigni monaſterio tribuit, eo pacto, ut monaſticus ordo ibidem per Halinardum abbatem repararetur. Hactenus Prioratus eſt eidem ſancti Benigni monaſterio ſubjectus. *Ita Mabillonius, cujus hic dicta perfunctoriè ſaltem diſcutienda ſunt.*

quod à Bodone, qui non diſtinguitur à Leudino,

332 *Ait, nulla hîc planè aſſerti ſui probatione adducta, Bodonem Tullenſem antiſtitem, qui* monaſterium Offonis-villæ in honore ſancti Leodegarii jure paterno ſibi ad ſervitium Dei conceſſum, *eccleſiæ ſuæ tradidiſſe memoratur in Actis Tullenſium epiſcoporum nondum editis, alium non eſſe à Leudino, Tullenſi epiſcopo, S. Salabergæ fratre, etſi in prædictis Actis à Leudino diſtinguatur. Veroſimillimum ſanè videtur, Bodonem in Actis illis memoratum eumdem eſſe cum Leudino ſeu Leuduino S. Salabergæ, abbatiſſæ Laudunenſis, fratre germano. Etenim ex Vita S. Salabergæ Operi noſtro ad* XXII *Septembris inſerta manifeſtum fit Bodonem, Tullenſem epiſcopum, S. Salabergæ fratrem germanum, alio etiam nomine* Leudinum *ſeu* Leuduinum *fuiſſe vocatum. Quippe in Vita illa ab auctore anonymo ſuppari conſcripta num.* 18 *hæc*

B

leguntur: Inter ceteras nobilium Sicambrorum feminas Odila nobilitate & ingenii naturâ boni pollens, quæ & ipſa pridem à venerabili Walberto Chriſtiani vigoris inſigne & ſalubre acceperat antidotum, conſilio accepto cum regali viro illuſtri Bodone, quem ſuperiùs Leuduinum prædiximus, qui eo tempore induſtrius & potens erat, poſtpoſitis phaleramentis mundi, ad Dominum ſunt converſi. Res ſuæ monaſteriis collatæ *, poſt beatam Salabergam eundem callem tenentes, Lugdunum properaverunt. Bodo, inciſa cæſarie, monachi, in quantum res ſinebat, agebat officium, ac non multò poſt Tulli oppidi adeptus epiſcopatum, naturæ debitum reddidit. *Quibus ex verbis perſpicuum fit, Bodonem, Tullenſem epiſcopum, etiam Leuduinum fuiſſe vocatum, ut adeò veroſimillimum ſit, Bodonem, Tullenſem epiſcopum, diſtinctum non eſſe à Leudino ſeu Leuduïno S. Salabergæ germano fratre.* Cùm tamen, *inquit P. M. Stiltingus noſter in Vita S. Bodonis à ſe ad* XI *Septembris illuſtrata*, ſola illa veriſimilitudo fallere poſſit, ſi rationes notabiles occurrerent pro diſtinctione, perlegi totum Kalendarium Tullenſe ſuprà laudatum, ut perſpicerem, an nomen Leudini,

C

cujus ſanctitas elogio mox dato mirè commendatur, in Kalendario illo invenirem: at Leudinum ibi non inveni. *Subdit deinde ea, quibus innuit, ſe non dubitare, quin Bodo & Leudinus, qui in Actis epiſcoporum Tullenſium diſtinguuntur, unus idemque ſint Tullenſis epiſcopus, gemino nomine* Leudinus Bodo *appellatus, hæcque nunc eſt communis hodie eruditorum opinio.*

in honorem S. Leodegarii eccleſiæ Tullenſi

333 *Rectè itaque ait Mabillonius, Bodonem, Tullenſem epiſcopum, eumdem eſſe cum Leudino ſeu Leuduino S. Salabergæ germano fratre; id autem hîc libuit oſtendere, ne quis fortè exiſtimet, me hîc ordinem chronologicum, contrà ac facere propoſui, in tractandis rebus ad gloriam* Leodegarii *poſthumam ſpectantibus non ſervare. Etenim ſi Bodo diſtinctus ſit à Leudino ſeu Leuduino S. Salabergæ germano fratre, floruerit ille veroſimiliter, ut Tullenſium epiſcoporum catalogum tom.* 3 *Anecdotorum à Martenio inſertum conſideranti patebit, ſeculo* VIII *nonnihil provecto, ac proin verum eſſe poterit, Bodonem, ut in ſæpe dictis Tullenſium epiſcoporum Actis ſeu catalogo aſ-*

ſeritur, monaſterium Offonis-villæ in honorem S. Leodegarii *jure paterno, ſeu, ut legit laudatus Martene, perpetuò ſibi ad ſervitium Dei conceſſum, eccleſiæ ſuæ, Tullenſi ſcilicet, cujus erat epiſcopus, tradidiſſe; unde conſequens eſſet, monaſterium Offonis-villæ ſeculo* VIII *nonnihil inchoato* Leodegario *fortè conſecratum fuiſſe, ac proin à me hîc fortè ordinem chronologicum, cùm jam de monaſterio* S. Leodegarii *Campellenſi ſeriùs eidem veroſimiliter conſecrato egerim, non ſervari. Jam verò, cùm Bodo, Tullenſis epiſcopus, à Leudino ſeu Leuduino, S. Salabergæ germano fratre, cui* Leodegarius *ſupervixit, diſtinctus non ſit, conſequens eſt, ut falſum ſit, quod in laudatis Actis de monaſterio Offonis-villæ in honorem* S. Leodegarii *à Bodone eccleſiæ Tullenſi tradito aſſeritur; unde ulteriùs conſequitur, ut ex illo in Actis Tullenſibus aſſerto argui non poſſit, monaſterium Offonis-villæ ſeculo* VIII *nonnihil inchoato* Leodegario *conſecratum aut conditum fuiſſe. Aſt, inquies, quandonam ergò monaſterium illud conditum ſeu fundatum fuit? Mabillonius verbis num. præcedenti recitatis innuit, monaſterium illud, ætate Bodonis jam fuiſſe exſtructum, quamquam id in honorem* Leodegarii *factum non admittat.*

D

E

collatum fuiſſe non videtur, medio circiter,

334 *Ubi enim ſæpe memoratum monaſterium, quod in Actis ſæpe laudatis ætate Bodonis in honorem* S. Leodegarii *jam conditum fuiſſe innuitur, obſtare aſſernit, quò minùs Bodo cum Leudino ſeu Leuduino, S. Salabergæ fratre, cui* S. Leodegarius *ſupervixit, idem eſſe credatur, ſubdit:* Verùm fortè anticipato dictum eſt monaſterium S. Leodegarii, qui Offoni-villæ poſtea patronus acceſſerit, *ut adeò velle videatur, dictum monaſterium ætate Bodonis jam fuiſſe exſtructum, licèt id in honorem* S. Leodegarii *factum fuiſſe, non admittat, proindeque Acta Tullenſia ſæpiùs memorata, quæ id affirmant, ab errore excuſare verbis proximè adductis conetur. Verùm, cùm ſine errore dici non poſſit, in honorem* Leodegarii *à Bodone, cui* Leodegarius *ſupervixit, Tullenſi eccleſiæ traditum fuiſſe monaſterium Offonis-villæ, licèt illius pòſt* Leodegarius *factus fuerit patronus, admittenda non videtur Mabillonii excuſatio, ac proin cùm ſic indubiè errent Tullenſium epiſcoporum Acta, quorum auctor, ut Martenio videtur, non citiùs, quàm ſeculo* XII *ineunte floruit, nihilque aliunde ſuppetat, quo monaſterii Offonis-villæ fundatio ſeculo* VIII *nonnihil inchoato aut citiùs indubiè ſtatuatur, incertum mihi eſt, an ſeriùs facta non fuerit; uti autem tempus, ſic & locus, quo præfatum monaſterium collocandum ſit, pro certo definiri non poſſe videtur. Etenim Calmetus & Mabillonius, qui rem illam attingunt, invicem diſſentiunt. Quippe poſterior, uti ex verbis ſuprà recitatis liquet, ſæpe dictum Offonis-villæ monaſterium in diœceſi Veſontionenſi collocat; prior verò, uti apud nos in Annotatis ad Acta S. Gauzlini, ad* VII *Septembris illuſtrata, obſervatum eſt, in Tullenſi. Uterque tamen Offonis-villam includit pago Portenſi, qui potiùs in Campania videtur quærendus, quàm in diœceſi Veſontionenſi aut Tullenſi, prout apud nos cum Valeſio jam obſervatum eſt in Annotatis ad Vitam S. Agili datam* XXX *Auguſti.*

F

ut veriſimile apparet, ſeculo IX *fuit conſecratum*

335 *Verùm, utut incertum ſit, quo loco & tempore conditum ſit Offonis-monaſterium, certum ſaltem eſt, conditum illud non eſſe ſeriùs, quàm ſeculo* X. *Etenim apud Perardum in monumentis Hiſtoriæ Burgundiæ exſtat Diploma, ſeu præceptum, quod ſic incipit:* In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus gratiâ Dei rex.

Si

lege contulerunt, *vel* rebus ſuis... collatis

A Si fidelium noſtrorum congruis petitionibus aures accommodamus, prædeceſſorum noſtrorum regum conſuetudines obtinemus, eiſque noſtræ celſitudini magis familiariores reddimus. Quapropter notum ſit omnibus fidelibus noſtris, tam præſentibus, quamque futuris, quòd inclitus comes Ugo noſtram adierit præſentiam, deprecatuſque ſit, ut quaſdam abbatias cuidam fideli noſtro, nomine Adalardo, ſuæque conjugi Adalæ, eorumque hæredibus daremus, ſitas in pago Portenſi; quarum monaſteria, unum dicitur Faverniacum, dicatum in honore ſanctæ Mariæ, alterum dicitur Offonis-villa, dicatum & ipſum in honore ſancti Leodegarii martyris. Faventes itaque libentiſſimè precibus præfati glorioſi comitis Ugonis, concedimus eiſdem Adalardo, uxorique ejus Addilæ, cum omni integritate, ſupradictas abbatias; hoc eſt, Faverniacum, cum omnibus appenditiis ſuis, videlicet cum eccleſiis, villis, mancipiis utriuſque ſexus, campis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, exitus & regreſſus, quæſitum & inquirendum: Sanctum Leodegarium ſimiliter, totum & integrum, ſimiliter cum omnibus ad ſe pertinentibus; ita dumtaxat *&c.*

B *Diploma autem hoc ſeu præceptum à Ludovico Tranſmarino, Francorum rege ſine controverſia eſt editum, ac proin, cùm hic princeps anno 936 regnare inceperit, conſequens eſt, ut Offonis-villæ monaſterium, quod in recitato diplomatis initio in honorem* Leodegarii *conſecratum dicitur, non ſeriùs, quàm ſeculo* X *fuerit exſtructum,* Leodegarioque *conſecratum; imò illud non ſeriùs quàm ſeculo* IX *exſtructum fuiſſe, evidens ſit ex Recenſione monaſteriorum & abbatiarum in diviſione regni Lotharii inter Ludovicum & Carolum reges anno* 870 *facta; in illa enim, quæ apud Mabillonium tom.* 3 *Annalium Benedictinorum pag.* 678 *exſtat, portioni Ludovici Offonis-villæ monaſterium accenſetur. Quapropter, cùm in Actis epiſcoporum Tullenſium antea laudatis dicti monaſterii, veluti ſeculo* VIII *jam conditi, mentio fiat, ſatis mihi veriſimile eſt, illud jam ſaltem initio etiam ſeculi* IX *fuiſſe exſtructum, eodemque ſeculo circiter medio* Leodegario *eſſe conſecratum; hincque eſt, cur tractatum de hoc monaſterio, cùm Campellenſe, de quo antè actum eſt, non ſeriùs quàm ſeculo* IX *adoleſcente* Leodegario *conſecratum ſit, ad locum hunc remittere viſum fuerit.*

C

§ XXII. Corpus S. Leodegarii à monachis S. Maxentii metu Normannorum pluries transfertur.

Corpus S. Leodegarii Pictavio

CUltum S. Leodegarii, *quem duobus §§ præcedentibus à monaſteriis in ejus honorem exſtructis probavimus, probare nunc etiam contendimus à cura & ſollicitudine, quâ ſacrum Sancti corpus ſervatum fuit immune à ſacrilegis Normannorum manibus, dum ſeculo* IX *in Gallias ſæpiſſimè irrumpentes, eccleſias ferro & igne vaſtabant, ſacraque omnia profanabant. Cura illa & ſollicitudo, ut docebimus, à monachis S. Maxentii, quos penes erat ſacrum pignus, fuit adhibita.* Sancti Leodegarii corpus, *inquit Mabillonius Seculo* 2 *Benedictino pag.* 706, ex villa Sarcingo in S. Maxentii monaſterium Pictavenſe, jubente Anſoaldo, per Audulfum abbatem tranſlatum, ibidem quievit uſque ad cladem Normannorum: quibus per Pictavenſe ſolum graſſantibus, Maxentienſes monachi ſacras prædicti Martyris exuvias unà cum B. Maxentii reliquiis primo quidem in Armoricam, deinde ad Arvernos, poſtea Autiſſiodorum invexerunt. Demùm ædificato in S. Leodegarii honorem Ebrolio monaſterio (quod ab Arvernorum urbe ſex circitèr millibus diſſitum in opidum accrevit, hodie quoque Ordini Benedictino ſubjectum) ibidem majorem partem reliquiarum S. Leodegarii cum corpore S. Gairini, ejus fratris, dimiſerunt. *Ita Mabillonius, & ſat rectè quidem; ſed eorum omnium, quæ aſſerit, probationem expreſſam non affert, remittens tantùm, idque haud dubiè pro ſolis probandis* Leodegarii *tranſlationibus metu Normannorum factis, ad Vitam S. Maxentii Seculo* 2 *Benedictino à ſe editam, ſub cujus finem meminit chartæ cujuſdam relatæ à Joanne Beſly in Hiſtoria ducum Aquitaniæ pag.* 217. *Chartam illam integram ad calcem Vitæ S. Maxentii abbatis ad diem* XXVI *Junii à ſe illuſtratæ Henſchenius noſter ex laudato Beſlio tranſcripſit. Videamus nunc, quid ex illa in præſenti materia poſſit erui.*

337 *Dubium quidem non eſt, quin ex ea conſtet, corpus S. Maxentii in Britanniam Armoricam, graſſantibus in Aquitania Normannis, fuiſſe ſeu tranſlatum ſeu tranſmiſſum. Etenim dicta charta è* E *Chartulario S. Salvatoris Rothonenſi deprompta, dataque anno Chriſti* 924 *ſubſcribitur ab Ademaro abbate, Haimerico vice-comite, Richardo archidiacono, Turgalo aut Tutgalo ſacerdote, aliiſque tribus perſonis, quæ, utpote coævæ, res, quæ in præfato inſtrumento referuntur, aut indicantur, apprimè habuêre perſpectas ac proin integram fidem merentur; corpus autem S. Maxentii Pictavio in Britanniam Armoricam tranſlatum fuiſſe, prædicta charta in hunc modum innuit:* Notum ſit omnibus Chriſtianis Deum timentibus tam clericis quàm laïcis nobilibus, qualiter adiit Tutgalus ſacerdos Pictaviæ, cum conſilio & conſenſu domni Haimerici vicecomitis, Britanniam de Pictavis causâ corporis B. Maxentii ad nos; & locutus eſt cum noſtro decano, nomine Moroe, ut deportaremus illud ad propria, promittens nobis plurima beneficia ex parte Haimerici; & nos ei credidimus, conſentientes deportavimus eum cum labore maximo uſque ad Ligeris flumen; *cùm enim his verbis ſignificetur, Tutgalum ſacerdotem in Britanniam, Minorem ſcilicet ſeu Armoricam veniſſe, ut corpus S. Maxentii repeteret, conſequens eſt, illud tunc ex monaſterio Pictavienſi S. Maxentii, in quo antè quieverat, à monachis veroſimiliter Maxentianis tranſlatum, in Britannia Armorica exſtitiſſe. Ne verò id ullo modo in dubium queat vocari,* Bertrandus Argentræus *lib.* 2 *Britanniæ Armoricæ cap.* 26 *aſſerit, Salomonem Britanniæ Armoricæ regem in abbatia Plebelanenſi in honorem S. Salvatoris à ſe exſtructa, atque ejus juſſu* Salomonis *nuncupata depoſuiſſe corpus S. Maxentii, ſibi ex Aquitania pro ſingulari munere ſubmiſſum: & cap.* 27 *in charta fundationis dictæ abbatiæ ſic loquitur prædictus Salomon rex:* In qua (*ego*) corpus meum ſepeliendum devovi, nec non ad augmentum felicitatis & pacis totius Britanniæ, munus adeò maximum nobis tranſmiſſum præteritis temporibus, ſanctiſſimum feci collocari Maxentium. *Certum ergò eſt, corpus S. Maxentii ex Aquitania, ſeu ex monaſterio San-maxentiano in Aquitania ſito in Armoricam fuiſſe delatum. Aſt, inquies, an hinc ergò eſt conſequens, ut corpus* S. Leodegarii *in Armoricam pariter fuerit delatum?*

338 *Reſpondeo, id hinc, licèt non certum, veroſimile tamen effici. Etenim, ut mox videbimus, tranſmiſſio corporis S. Maxentii eo tempore*

AUCTORE C. B.

in Armoricam anno

F

veroſimiliter 857 *deindeque ex Armorica,*

AUCTORE C. B.

pore facta est, quo regio Pictaviensis à Normannis devastabatur, ut sacrum Maxentii corpus non alia de causa ad Salomonem regem videatur fuisse transmissum, quàm ut profanationis à Normannis faciendæ periculo subduceretur. Quare, cùm verosimile sit, monachos San-maxentianos eidem periculo voluisse subducere sacrum S. Leodegarii *corpus, verosimile etiam est, è solo Pictavensi in Britanniam Armoricam, à Normannis, ut apparet, tunc liberam, illud fuisse delatum. Id autem etiam reipsa factum esse, amplius ex verbis numeri* 343 *initio recitandis sit credibile. Inquiro nunc in annum, quo S. Maxentii corpus, ac proin verosimiliter etiam corpus* S. Leodegarii *in Britanniam Armoricam fuit translatum. Certum apparet, translationem illam factam esse inter annum Christi* 856 *&* 870. *Etenim facta est, regnante in Britannia Minore seu Armorica Salomone; liquet id ex proximè laudata fundationis charta, in qua Salomon inquit, sanctissimum Maxentium ad se fuisse transmissum, ac proin, cùm Salomon, uti ex auctore Chronici S. Michaëlis apud Labbeum tom.* 1 *Bibliothecæ & Annalista Bertiniano apud Bouquetum tom.* 5 *Scriptorum intelligitur,*

B *anno Christi* 857 *regnare inceperit, dicta autem charta apud laudatum Argentræum anno* Incarnationis DCCCLXIX *confecta notetur, consequens est, ut sacrum S. Maxentii corpus, ac proin etiam corpus* S. Leodegarii *inter annum* 856 *& annum* 870 *fuerit transmissum; neque enim sacra illa pignora ad Salomonem, antequam rex esset, transmissa videntur. Jam verò, cùm transmissio illa, ut jam monui, facta videatur, cùm Pictavensis regio, Aquitaniaque à Normannis vastaretur, facta illa verosimillimè fuerit anno* 857; *tunc enim Pippinus, Pippini Aquitaniæ regis filius, qui, invito Ludovico Augusto avo, post patris mortem Aquitaniæ regem se dixerat, unà cum Normannis, quibus sese adjunxerat, Pictavensem regionem Aquitaniamque vastabat.* Pippinus, *ait ad annum* 857 *Annalista Bertinianus apud Bouquetum tom.* 7, Danorum piratis sociatur, Pictavorum civitatem devastat, & multa alia Aquitaniæ loca depopulat.

339 *Habemus itaque jam annum, quo verosimiliter accidit* SS. Leodegarii *& Maxentii ex agro Pictavensi in Britanniam Minorem seu Armoricam translatio, lubet etiam nunc inquirere in tempus, quo iidem Sancti ex Armorica ad Arvernos fuêre translati. Contigisse id non puto, vivente adhuc Salomone rege, quia in charta Beslii suprà laudata, in qua S. Maxentii corpus è Britannia in Alverniam translatum narratur, præcipuæque personæ, quæ ad translationem illam concurrêre, memorantur, nulla planè fit mentio Salomonis, qui tamen, cùm sacrum illud pignus, uti ex Argentræo suprà laudato fas est colligere, loco muneris pretiosissimi ad se transmissi haberet, non minimam in translatione illa partem verosimiliter habuisset, ac proin si sub principe illo facta esset, ejus verosimiliter mentio fieret. Accedit, quòd Salomon S. Maxentii corpus, cùm illud, ut in charta sæpiùs laudata ait, muneris maximi loco haberet, non facilè, in vivis superstes, dimissurus fuisse videatur. Quapropter, cùm Salomon, ut Annalista Bertinianus apud Bouquetum tom.* 2 *Scriptorum testatur, anno* 874 *fuerit à Britanniæ primoribus necatus, consequens est, ut verosimiliter nec S. Maxentii corpus, nec corpus* S. Leodegarii *ante annum illum è Britannia ad Arvernos fuerit translatum. Imò videtur sacrorum illorum corporum translatio, si non serius, certè non citius, quàm ultimis viginti annis seculi* IX *esse peracta. Etenim cùm* D *translationem illam, uti ex verbis num.* 337 *ex laudata Beslii charta recitatis liquet, præcesserit tractatus inter monachos, penes quos corpus S. Maxentii in Britannia existebat, & inter Turgalum seu Tutgalum, sacerdotem Pictavensem, qui Pictavio ex consilio & consensu domini Haimerici vice-comitis in Britanniam corpus S. Maxentii repetiturus advenerat; nomen autem tam vice-comitis Haimerici, quàm Tutgali seu Turgali sacerdotis subscriptum inveniatur sapiùs laudatæ chartæ Beslyanæ, quæ anno* 924 *data notatur, consequens est, tam Haimericum vice-comitem, quàm Turgalum sacerdotem, cùm eidem chartæ subscripserunt, fuisse vel octogenarium vel octogenario majorem, si ambo triginta tantùm annorum, cùm Turgalus corpus S. Maxentii repetiturus Britanniam adivit, fuisse statuantur; prædicta verò sacrorum corporum translatio anno v: g: circitèr* 874, *quo Salomon Minoris Britanniæ rex necatus est, facta adstruatur; quamquam autem octoginta annorum ætas minimè sit incredibilis, mihi tamen verisimilius apparet ætatis tam provectæ non fuisse tam Haimericum vice-comitem, quàm Tutgalum sacerdotem, cùm laudatæ chartæ à Beslyo productæ subscripserunt, ac* E *proin mihi etiam verisimilius est, sacrorum corporum SS. Maxentii &* Leodegarii *in Alverniam si non serius, certè non citius, translationem, quàm ultimis viginti annis seculi* IX *factam esse.*

340 *Atque ita determinato, ut potui, tempore, quo translatio illa ad Arvernos facta est, subdo nunc verba, quibus illa in charta Beslyana post verba num.* 337 *recitata narratur. Sunt autem hæc:* Deinde cum ibidem (*ad Ligerim*) castra metaremur, audivimus, quòd pagani devastabant Pictavensem regionem, plorantes & ejulantes in faciem cecidimus; eoquòd beatum Virum à suo Mausolæo, quem Christus sibi præparaverat, expulimus, quatenus verò redire non poteramus, nec in antea ad propria portare. Ecquid inde noster luctus requievit, deinde movimus ad Condatensem ecclesiam, super illud flumen, quod vocatur BEBRONUS, comparantes eam sexaginta solidis cum omni suo territorio. *Quæ verba ferè ultima* movimus ad Condatensem ecclesiam super illud flumen, quod vocatur Bebronus, *translationem factam indicant in Alverniam. Etenim Bebronus fluvius in Alvernia situs est, vocaturque hodie, ut Mabillonius Seculo* 1 *Benedictino ad calcem Vitæ S. Maxentii in margine annotat,* Sivolis, *Gallicè* la Sioule. *Quare per Condatensem ecclesiam, ad quam recitatis verbis translatio facta indicatur, intelligi non debet ecclesia aliqua urbis Rhedonensis in Britannia Minori, quæ, teste Baudrando, etiam* Condate *nominata invenitur. Imò per ecclesiam Condatensem intelligi hîc non posse ecclesiam aliquam vel urbis Rhedonensis, vel etiam Minoris Britanniæ, perspicuum fit non solùm ex eo, quòd in Britannia Minori nullum sit flumen nomine* Bebronus, *hodie* Sivolis, *sed etiam ex ipsis mox recitatis chartæ Beslyanæ verbis. Etenim iis dicitur, illos, qui corpus S. Maxentii ex Britannia transferebant Pictavium versus, non potuisse, cùm jam ad Ligerim fluvium pervenissent, corpus S. Maxentii, obstantibus Normannis, vel* in antea ad propria portare *vel* redire, *id est, non potuisse illos vel ad monasterium S. Maxentii reportare Sancti illius corpus vel cum eodem ad locum, unde venerant, reverti; unde consequens est, ut per Condatensem ecclesiam, ad quam tunc S. Maxentii atque adeò etiam* S. Leodegarii *corpus tulerunt,*

in Alverniam

seculo nono jam fortè senescente,

C

F

§

A *ſit intelligenda non urbis Rhedonenſis, ſed regionis Arvernorum eccleſia, licèt fortè in ea nullus locus occurrat, qui* Condate *vocitetur.*

ac tandem initio fortè ſeculi X *Autiſſiodorum*

341 *Porrò SS. Maxentii &* Leodegarii *corpora in Alverniam procul à Britannia Minori & agro Pictavienſi metu Normannorum tranſlata, in eccleſia Condatenſi, in qua fuerant ibidem depoſita, non uſque Normannorum furor ſivit quieſcere. Etenim in charta Beſlyana poſt verba proximè recitata, paucis, quæ pòſt recitabimus, interjectis, hæc leguntur:* Devaſtatio autem Normannorum & timor crevit ſuper nos, quatenus ad ſalvamentum definivimus deportare corpus ipſius viri (*Maxentii*) & ita fecimus, deportantes honorificè in Antiſiodorum pagum, cum adjutorio Ricardi comitis, tunc tempore in corpore viventis. Ille verò cum epiſcopo & optimatibus totius regionis plurima beato Viro beneficia & fiſcos & prædia libenti animo ac devotè donare voluerunt. *Fuit ergò corpus S. Maxentii ac proin etiam corpus* S. Leodegarii *ex Alvernia ad pagum ſeu territorium Autiſſiodorenſe tranſlatum, cùm utrumque in eccleſia pagi illius ſeu territorii Condatenſi aliquamdiu quieviſſet.*

B *Aſt, ſciſcitabitur fortè aliquis, quamdiu quidem in eccleſia illa quievére SS. Maxentii &* Leodegarii *corpora? Reſpondeo, nihil omnino ſuppetere, unde id certò definiri queat. Incertum enim eſt, uti ex jam dictis liquet, quandonam in Alverniam fuerint allata, incertumque pariter videtur, quandonam hinc, quamquam fortè initio ſeculi* x *id acciderit, Autiſſiodorum fuerint tranſlata, ac proin neceſſe eſt, ut ſimiliter incertum ſit, quanto temporis ſpatio in eccleſia Condatenſi quieta ſubſtiterint, ut ſupervacaneum mihi videatur in rem illam pluribus inquirere. At nunc alia hîc exſurgit quæſtio, an ſcilicet memoratæ duæ poſteriores SS. Maxentii &* Leodegarii *tranſlationes factæ ſint per monachos San-maxentianos agri Pictavienſis; an verò per monachos Rhotonenſes in Britannia, qui ad monaſterium Plebelanum à Salomone rege ipſis conceſſum, cum multis Sanctorum reliquiis confugerant. Mabillonius, priori ſua opinione (vide num.* 336) *relicta, in eam propendet, quæ exiſtimat, tranſlationes illas per Rothonenſes monachos factas eſſe.*

à monachis, non, ut vult Mabillonius,

342 *Etenim tom.* 3 *Annalium Benedictinorum pag.* 158 *de monaſterio Plebelano monachis illis à Salomone conceſſo ita ſcribit:* Proceſſu temporis, ob tranſlatas iſtuc, ut perhibent, ſancti

C Maxentii abbatis reliquias, appellatum eſt ſancti Maxentii monaſterium, idque nomen etiam nunc retinet, non jam abbatia, ſed cella monaſterii Rothonenſis. *Deinde verò eodem ejuſdem Operis tomo pag.* 380 *hæc habet:* Ex notitia quadam à Joanne Beſlio relata, *cujus jam ſæpe meminimus, partemque etiam dedimus*, diſcimus ſancti Maxentii abbatis corpus è ſuo monaſterio, apud Pictones ſito, à Salomone Britanniæ duce delatum fuiſſe in quamdam cellam Rothonenſis in eadem Britannia monaſterii, quæ ſancti Maxentii nomine inſignita eſt. Cùm verò inde ad priſtinum locum reveheretur, audita Nortmannorum in illas partes incurſatione, deportatum fuiſſe ad Condatenſem eccleſiam pagi Arvernenſis, ſitam ſuper fluvium Bebronum, quem modò Sivolim vocant, ſexaginta ſolidis comparatam cum ſuo territorio: ubi Rothonenſes monachi cellæ ſancti Maxentii commorati ſunt cum capſa eburnea multis Sanctorum referta reliquiis. Sub hæc, urgente rurſus Nortmannorum infeſtatione, prædicti monachi ſacrum beati Maxentii loculum, favente Richardo comite, deportâſſe dicuntur in pagum Autiſſiodorenſem. Verùm Maxentianis cœnobitis ſacrum beati Patroni ſui corpus repetentibus, Rothonenſes illud ſe reſtituturos, exceptis maxillis, polliciti ſunt, vitamque illius & Miſſale. *Quibus verbis ſanè apertè declarat, corpus S. Maxentii ex Britannia in Alverniam, ac deinde Autiſſiodorum tranſlatum fuiſſe per Rothonenſes in Britannia monachos, qui juxta ipſum in charta Beſlyana monachi S. Maxentii idcircò vocantur, quòd eorum monaſterium ob reliquias S. Maxentii, quas ſinu ſuo complectebatur, S. Maxentii nomen induiſſet. Quamquam autem hîc ſolùm expreſsè loquatur de tranſlationibus S. Maxentii, intelligendus etiam eſt de tranſlationibus corporis* S. Leodegarii, *cùm has ex illis, ut jam num.* 336 *monui, unicè probet, ac proin de ambabus eodem modo loqui, quantum ad præſens inſtitutum, eſt cenſendus; ſi enim corpus* S. Leodegarii, *quod, uti diximus, cum corpore S. Maxentii in Britannia exiſtebat, à Rothonenſibus in Britannia monachis tranſlatum non fuerit, conſequens eſt, ut nec corpus S. Maxentii, ut conſideranti patebit, ab iis fuerit tranſlatum, ac proin Mabillonius indubiè vult, etiam corpus* S. Leodegarii *à Rothonenſibus in Britannia monachis fuiſſe tranſlatum.*

AUCTORE C. B.

E *Rothonenſibus in Britannia,*

343 *Verùm hæc, quæ num.* 340 *recitata ſequuntur, chartæ Beſlyanæ verba*; Et ibi demorantur noſtri monachi in honore S. Maxentii, cum una capſa eburnea plurimorum Sanctorum reliquiis plena, *non de Rothonenſibus in Britannia, ut putat Mabillonius, ſed de San-maxentianis in agro Pictavienſi monachis, ut mihi quidem apparet, debent intelligi, atque adeò per hos duæ SS. Maxentii &* Leodegarii *tranſlationes, de quibus poſteriori loco actum eſt, peractæ fuére. Etenim minùs mihi veriſimile apparet, Plebelanenſe in Britannia monaſterium à Salomone rege monachis Rothonenſibus profugis conceſſum ob tranſlatas illuc ſancti Maxentii abbatis reliquias jam tunc, cùm hæ è Britannia in Alverniam transferrentur, Maxentiani monaſterii nomine fuiſſe diſtinctum; quippe Salomon in diplomate, quod de fundatione Plebelanenſis in Britannia monaſterii apud laudatum Argentræum lib.* 2 *cap.* 27 *exſtat, ſic loquitur:* In nomine Domini, amen. Salomon Dei gratiâ &c Notum ſit cunctis Britanniæ tam epiſcopis, quàm ſacerdotibus, cæteriſque nobilibus ducibus, fortiſſimiſque militibus omnibus noſtræ ditioni ſubditis, quomodo venerabilis Richardus abbas, cum aliquibus ſuis

F monachis, omnium tamen cæterorum monachorum petitionem deferens, noſtram adierit præſentiam in monaſterio meo, quod eſt in Plelan, ubi ego antea unam aulam habui: ſed infeſtantibus Normannis, Connoyon abbas cum precatu monachorum ſuorum ſibi locum refugii ante Normannos, ſuiſque monachis poſtulans, nos, venerabilemque conjugem noſtram Guihenerec adiens petiit, quibus aſſenſum præbentes, non ſolùm ſupradictam aulam eis tradidimus, ſed etiam in eodem loco monaſterium non ignobile ex noſtro, in honorem ſancti Salvatoris, ad refugium ſupradictis monachis pro hæreditate cæleſti & redemptione animarum noſtrarum, nec non & noſtræ prolis parentumque noſtrorum perpetua proſperitate, totiuſque regni noſtri Britannia, fideliumque noſtrorum tranquilliſſima ſtabilitate conſtruere juſſimus, quem etiam locum monaſterium Salomonis vocari voluimus. *Hiſce pauca ex eodem diplomate adhuc addit Argentræus, aitque reliquum continere deſcriptio-*

AUCTORE C. B.

nem monilium, quæ Salomon præfato monaſterio eſt largitus. Quare cùm hic princeps hinc & ex recitato diplomatis Fragmento admodum beneficus in Rothonenſes monaſterii Plebelanenſis monachos intelligatur fuiſſe, non facilè mihi perſuaſerim, hos beneficii tam parùm memores fuiſſe, ut monaſterium ſuum, quod munificus eorum fundator, uti ex ultimis diplomatis ex parte recitati verbis liquet, Salomonis *vocari voluerat, contra expreſſam ejus voluntatem* S. Maxentii *nuncupârint, idque vel vivente adhuc Salomone vel certè non diu admodum poſt ejus obitum, cùm anno* 874, *uti jam docuimus, è vivis exceſſerit, tranſlatioque SS. Maxentii &* Leodegarii *ex Britannia in Alverniam, non diu admodum, uti ex antè dictis patet, poſt obitum Salomonis acciderit.*

ſed etiam, ut apparet, à Pictavienſibus

344 *Ad hæc dubium admodum mihi apparet, an Plebelanenſe in Britannia monaſterium ob tranſlatas iſtuc S. Maxentii reliquias* Maxentianum *unquam fuerit vocitatum, videturque ipſemet Mabillonius hac de re dubitâſſe; etenim non indubitanter, ſed, additâ hâc loquendi formulâ,* ut perhibent, *id affirmat. Fuerit tamen ſæpedictum monaſterium Plebelanenſe S. Maxentii nomine aliquando inſignitum, minùs tamen, ut jam dixi, veriſimile apparet, illud ita appellatum jam tunc fuiſſe, cùm SS. Maxentii &* Leodegarii *ſacra corpora è Britannia in Alverniam tranſferrentur, ut adeò minùs etiam veriſimile ſit per verba chartæ Beſlyanæ num. præcedenti recitata Rothonenſes in Britannia monachos debere intelligi. Quapropter cùm nihilominus per monachos, qui in charta illa intelliguntur, è Britannia in Alverniam SS. Maxentii &* Leodegarii *facta ſit tranſlatio, conſequens eſt, hanc per Rothonenſes in Britannia monachos veroſimiliter non fuiſſe peractam; unde ulteriùs conſequitur, ut veroſimiliter per San-maxentianos in agro Pictavienſi monachos facta fuerit, quod nunc etiam directè lubet oſtendere. Tranſlatio illa facta eſt per eos monachos, quorum unus reliquorum nomine in charta Beſlyana ſæpe memorata ſermonem inſtituit; ſit id vel ex ſola ejuſdem chartæ lectione manifeſtum. Quapropter, ſi monachi illi, quorum nomine chartæ Beſlyanæ ſcriptor loquitur, è S. Maxentii in agro Pictavienſi monaſterio exſtiterint, conſequens erit, SS. Maxentii &* Leodegarii *in Alverniam ac deinde Autiſſiodorum tranſlationem per monachos San-maxentianos eſſe peractam; fuiſſe autem è San-maxentiano in agro Pictavienſi monaſterio eos monachos, quorum nomine chartæ Beſlyanæ ſcriptor loquitur, veroſimile evadit, tum ex eo, quòd hic* Ademarum, *Pictavienſium S. Maxentii monachorum abbatem, pro ſuo, monachorumque, quorum nomine loquitur, abbate accipiat:* Haimericus autem, *inquit,* & noſter abbas (*Ademarus, uti indicat chartæ ſubſcriptio*) promiſerunt nobis centum modios inter panem & vinum hoc anno præſenti (924, *quo charta ſignatur*) gratulanter dare & unum molendinum cum chartula ex parte Haimerici, & terram cultam & incultam pariter dividere; *tum ex eo, quòd verbis jam recitatis hæc ſubdat,* Et nos ſimus ipſius corporis ſine fine cuſtodes, *quibus indicatur conditio, ſub qua, Pictavienſibus conſentientibus & poſtulantibus, corporis S. Maxentii reſtitutio à monachis, penes quos illud Autiſſiodori erat, fuit promiſſa. Minùs enim veriſimile apparet, monachos illos, ſi Pictavienſes non fuiſſent, corporis S. Maxentii reſtitutionem ea lege fuiſſe promiſſuros, ut ſuæ illud cuſtodiæ perpetuò haberent commiſſum. Sic quippe iis Autiſſiodoro Pictavium erat tranſmigrandum, quod in ſe ſuſcepturi fuiſſe non videntur, niſi & ipſi monachi Pictavienſes fuiſſent, ut adeò tam ob ſecundam, quàm ob primam rationem hîc à me adductam veriſimiliter ex S. Maxentii monaſterio Pictavienſi exſtiterint.*

S. Maxentii in Britannia exſulantibus

345 *Neque eſt, quòd dicas, SS. Maxentii &* Leodegarii *corpora ex Plebelanenſi in Britannia monaſterio in Alverniam, deindeque Autiſſiodorum fuiſſe tranſlata, ac proin, cùm Plebelanenſes monachi non fuerint è Pictavienſi S. Maxentii monaſterio, conſequens eſſe, ut tranſlatio illa per Pictavienſes S. Maxentii monachos facta non fuerit; Reſpondeo enim, veroſimile eſſe, quòd aliqui ſaltem è S. Maxentii in agro Pictavienſi monaſterio monachi in Plebelanenſi monaſterio exſtiterint. Fuerat quippe S. Maxentii corpus ex abbatia Pictavienſi S. Maxentii metu Normannorum, ut docuimus, ad Salomonem regem in Britanniam ſecuritatis ergò tranſmiſſum; veroſimile autem apparet, tranſmiſſionem illam factam non eſſe, niſi aliqua ſaltem San-maxentianorum monachorum à Normannis fugientium parte comitante, ut per conſequens in Britannia, in qua S. Muxentii corpus ſervabatur, nonnulli Pictavienſes S. Maxentii monachi, qui eò corpus S. Maxentii detulerant, cum facultate Salomonis regis, & quidem in monaſterio Plebelanenſi, veroſimiliter exſtiterint, ab iiſque proinde SS. Maxentii &* Leodegarii *corpora è Britannia in Alverniam, ac deinde Autiſſiodorum potuerint transferri. Et verò reipſa ſacra illa corpora ex Britannia in Alverniam ac deinde Autiſſiodorum per Pictavienſes S. Maxentii monachos tranſlata fuiſſe, certum omnino foret, ſi fidem facere poſſet ſcriptura Collectaneis noſtris inſerta, quæ ex antiquis Membranis clariſſimi viri, domini de la Mare, Divione regii conſiliarii deſumpta notatur, quæque hunc præfert titulum:* Scriptura de corpore ſancti Leodegarii quomodo ad Ebroylum venerit.

tranſfertur, quod ut veroſimilius fiat,

346 *Etenim illa ſic habet:* Tempore, quo graviſſima Danorum rabies vaſtabat miſera cæde Galliarum provincias, fluvio Viennæ contiguas, Pictavorum etiam caſtella atque vicos, omnemque patriam à mari uſque ad eamdem Pictavenſem urbem impii piratæ populantur. Turonorum æquè civitatem adeunt, & ſtrage innumera obruunt, poſtremò ignibus tradunt. Paſſim vehuntur quaſi lupi pernices ad lacerandas dominicas oves, deo ſuo humanum ſanguinem libantes. Contaminabant ſancta, eccleſias ferali rabie comburebant: monaſteria verò monachorum deſtruebant cum ſuis ædificiis, in ſolitudinem omnia redigentes, de Chriſtiano populo nefarium exercebant ludibrium. Ab ipſo enim littore verſus Orientem, uſque Aquitaniæ urbem nulla regio libertatem retinere valebat. Quorum piraticam exercitationem, ut Pictavienſes ſancti Maxentii monachi acceperunt, fama triſti referente, loco ceſſerunt, ſecumque ſanctiſſima Beatorum oſſa, & pios cineres ſancti Maxentii & Leodegarii devexerunt. Tandem, Deo ducente, pervenerunt Arvernum, uſque Ebroylum, qui tunc erat regalis fiſcus, & ſedes regia Karoli. *Quibus verbis tranſlatio ſacrorum corporum SS. Maxentii &* Leodegarii *per Pictavienſes S. Maxentii monachos facta, luculentiſſimè aſſeritur, ut adeò id ampliùs dubium non eſſet, ſi ſcriptura illa fidem certam facere poſſet. At, licèt illa hoc merito non gaudeat, cùm nihilominus nonnulla etiam prodat, de quorum veritate conſtat, veroſimiliorem ſaltem efficit opinionem, quâ SS. Maxentii &* Leodegarii *ex Britannia*

in

A *in Alverniam ac deinde Autiſſiodorum tranſlationem Pictavienſibus S. Maxentii monachis adſcribimus; ut autem adhuc veroſimilior evadat, juverit hìc inſuper quædam adjuncta, quæ eorumdem monachorum ex agro Pictavienſi cum Sanctorum reliquiis fugam veroſimiliter comitata ſunt, quæque nondum ſatis attigimus, in medium proferre.*

rei geſtæ explanatio ulterior adjicitur.

347 *Itaque, Normannis per agrum Pictavienſem anno 857 graſſantibus, monachi S. Maxentii, acceptis* Leodegarii, Gerini, *Maxentii, aliorumque Sanctorum reliquiis, quas poſſidebant, in Britanniam Armoricam à Normannorum, ut apparet, incurſionibus tunc liberam ſeceſſerunt, atque, ut ego quidem exiſtimo, primò ad monaſterium Rothonenſe, deinde verò cum monachis Rothonenſibus Normannos pariter fugientibus ad monaſterium Plebelanenſe à Salomone rege fundatum diverterunt, hincque intelligitur, cur Salomon Britanniæ Minoris rex in ſæpe memorato diplomate de fundatione prædicti monaſterii Pictavienſium S. Maxentii monachorum, licèt horum uſui illud pariter concederet, mentionem non faciat, quia* B *ſcilicet, cùm in monaſterio Rothonenſi habitarent, ſub monachis abbatis Rothonenſis, ad cujus petitionem monaſterium ſæpe memoratum fundat, illos etiam comprehendit. Porrò, Pictavienſibus Rothonenſibuſque monachis monaſterium Plebelanenſe pòſt unà inhabitantibus, Salomon Britanniæ Armoricæ rex tradidit corpus S. Maxentii, quod ad principem illum, tum ut ejus ſibi benevolentiam conciliarent, tum ſecuritatis causâ monachi San-maxentiani, ut primùm in Britanniam profugi advenerant, veroſimiliter dono dederant; atque hinc jam intelligitur, cur Salomon in diplomate ſæpiùs memorato dicat,* munus maximum *ſibi* tranſmiſſum *fuiſſe* præteritis temporibus ſanctiſſimum Maxentium, *uti etiam, quomodo San-maxentiani monachi corpus S. Maxentii, licèt illud Salomoni antè tradidiſſent, in manus iterum acceperint, deindeque in Alverniam, Autiſſiodorumque, monachis ſcilicet Rothonenſibus, quibuſcum habitabant, annuentibus, potuerint tranſferre, reque ipſa, ut docuimus, cum* Leodegarii, Gerini, *aliorumque Sanctorum reliquiis deinde tranſtulerint. Ceterùm, utut opinio de corporibus* SS. Leodegarii *& Maxentii per San-maxentianos in agro Pictavienſi monachos pluries tranſlatis* C *hoc § propugnata veriſimilis appareat, contraria tamen probabilitate non caret.*

§ XXIII. Monaſteria Ebrolienſe, Cogniacenſe atque alia S. Leodegario exſtructa, ejuſque corpus, excepta parte, quæ Pictavium tranſmiſſa fuit, in priori cum corpore S. Gerini reconditum.

Corpus S. Maxentii Pictavium reducere promittunt

Seculo x *annis ampliùs viginti jam inchoato, ac proin, ut docent Hiſtoriæ, ceſſante Normannorum metu, Pictavienſes S. Maxentii monachi Antiſſiodori, ut apparet, commorantes, de transferendo ad priorem ſedem S. Maxentii corpore, aliorumque Sanctorum reliquiis, quod, cùm adhuc in Britannia verſarentur, facere voluerant, ſeriò iterum cogitârunt. Miſerunt hinc Pictavium præpoſitum ſuum cum duobus monachis, qui de re illa cum Pictavienſibus conferrent. Intelligitur id ex Charta Beſlyana § præcedenti ſæpiſſimè nominata. In ea enim poſt verba num.* 341 *recitata ita habetur:* Sed nos expectantes, expaveſcentes Domini timorem ac ſtabilitatem rationis, quam habuimus cum noſtro confratre Tutgalo, pro quo Sanctorum merita à ſuis locis fuerunt permota, volentes tenere, quatenus hæc ratio fieret ex toto definita, nec inanis reputaretur ex noſtra parte, nec illius. Et ideò miſimus præpoſitum ſacerdotem cum duobus monachis ad eum Pictavim, causâ illius legationis, quam nobis ex parte vicecomitis portavit Britanniam causâ beati Viri. Ipſa verò ſententia inter nos & Tutgalum concordante, ipſe ſuum hominem cum noſtri fratre decani direxit, mittens ad Haimericum. Ille autem ut audivit, hilari vultu, ut decet, dedit eis reſponſum, promittens ante comitem & optimates totius civitatis venire, quod & ita fecit; & ſuum fratrem, abbatem noſtrum, ſecum adduxit Pictavim. Convenerunt autem ante comitem Ebulum, virum ineſtimabilem, ſermone veridicum, vicecomes cum ſuo fratre, & noſtri monachi, & archidiaconus B. Petri Ricardus, & E decanus ejuſdem Apoſtoli, qui eſt totius civitatis doctor veridicus, mente devotus, nomine Mainardus conlocuti ſunt inter ſe de corpore S. Maxentii confeſſoris eximii & quomodo vel qualiter eum habuimus, & rationabiliter ſcrutati ſunt per omnia. In ſumma promiſerunt monachi noſtri, & alius noſter homo, corpus beati viri cum capite ſuo, exceptis maxillis, Pictavim deportare, & Vitam illius & Miſſale. *Quibus ex verbis, & ex illis, quæ his proximè ſubduntur, quæque num.* 344 *jam recitata ſunt, manifeſtum fit, monachos San-maxentianos Autiſſiodori, ut apparet, commorantes, corpus S. Maxentii, præmiſſo cum Pictavienſibus tractatu, Pictavium ſe reducturos promiſiſſe, ut adeò de re illa, uti aſſerui, tunc ſeriò cogitârint.*

monachi, ut apparet, San maxentiani, idque, quidquid dubitet

349 *Mabillonius nihilominus vocat in dubium, an re ipſa S. Maxentii corpus, ceſſantibus jam Normannorum in Galliam irruptionibus, Pictavium fuerit revectum; hoc autem dubium tom.* 3 *Annalium Benedictinorum pag.* 380 *his verbis, quorum jam ſuprà partem dedi, exponit:* Maxentianis cœnobitis ſacrum beati Patroni ſui (*Maxentii*) corpus repetentibus, Rothonenſes illud ſe reſtituturos, exceptis maxillis, polliciti ſunt, Vitamque illius & Miſſale. F Sed tandem convenit inter eos, ut Rothonenſes eſſent ipſius corporis perpetui cuſtodes cum auctoritate & ſecuritate Ebuli comitis. Id factum hoc anno (924) XII Kalendas Julii, feriâ primâ, ſeu Dominicâ. Ab eo tempore magna pars reliquiarum ſancti Maxentii aſſervatæ dicuntur in monaſterio ſancti Leodegarii de Ebrolio, diœceſis Claromontenſis, præter quaſdam particulas, quæ in Maxentiano apud Pictones monaſterio habentur. Et tamen in Chronico Malleacenſi (*apud Labbeum tom.* 2 *Novæ Bibliothecæ pag.* 21) legitur anno MLIX corpus beati Maxentii adjutoris (id ei cognomen erat) in Maxentiana baſilica oſtenſum fuiſſe & conditum ei ſepulcrum novum VI Nonas Octobris. Adeò difficile eſt reliquiarias lites explicare, nedum componere. *Quibus verbis innuit, ſeſe, an corpus S. Maxentii Pictavium fuerit revectum, duas ob cauſas potiſſimùm dubitare: prima eſt, quòd, ut putat, ſecundùm chartam Beſlyanam ſæpiſſimè laudatam Maxentiani cœnobitæ tandem conſenſerint, ut monachi Rothonenſes, qui Pictavium commigrâſſe non videntur, perpetui eſſent corporis*

AUCTORE C. B.

S. Maxentii cuſtodes ; verùm, uti chartam Beſlyanam conſideranti patebit, Maxentiani cœnobitæ in id non conſenſerunt, ſed Haimericus vicecomes, aliique Pictavienſium optimates conſenſerunt, ut monachi, qui cum corpore S. Maxentii Autiſſiodori commorabantur, quoſque, uti ex dictis § præcedenti apparet, Rothonenſes *fortè perperam vocat, perpetui eſſent corporis S. Maxentii cuſtodes, idque ea lege, ut illud, ac proin etiam ſedes ſuas Pictavium transferrent.*

Mabillonius, ad agrum Pictavienſem reipſa deinde

350 *Altera ratio dubitandi Mabillonii eſt, quòd ab eo tempore, nempe ab anno* 924 *magna pars reliquiarum S. Maxentii aſſervari dicatur in monaſterio* S. Leodegarii *de Ebrolio ; verùm quomodo in monaſterio* S. Leodegarii *de Ebrolio ab anno* 924 *magna pars reliquiarum S. Maxentii aſſervari potuit, ſi illud, uti Chronicon Malleacenſe laudatum obſervat, anno* 961 *tantummodò ſit conditum ? Ad hæc Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 2 *col.* 369 *ſanctos abbatiæ* S. Leodegarii *de Ebrolio Patronos recenſent, iiſque non annumerant S. Maxentium, quod indicio eſſe videtur, non notabiles S. Maxentii reliquias ibidem exiſtere. Puto itaque corpus S. Maxentii Autiſſiodoro, ceſſante Normannorum metu, Pictavium à monachis non Rothonenſibus, ſed, ut apparet, Pictavienſibus Maxentianis Autiſſiodori commorantibus fuiſſe revectum, ut adeò in Chronico Malleacenſi veroſimillimè rectè notetur anno* 1059 *corpus beati Maxentii in Maxentiana baſilica fuiſſe oſtenſum, novumque ei ſepulcrum fuiſſe conditum. Imò corpus S. Maxentii unà cum corpore* S. Leodegarii *aut ſaltem ejus parte, cujus rei causâ de corpore S. Maxentii hìc ago, jam anno circitèr* 963 *Pictavium fuiſſe reductum, nunc luculentiùs oſtendo. Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 2 *col.* 1245 *de Pictavienſi S. Maxentii abbatia ex pervetuſto, ut aiunt, ejuſdem cœnobii Chartario ſequentem ſubminiſtrant notitiam :* Igitur Clodovei tempore abbadia noſtra (*San-maxentiana*) ſumſit exordium, quia ipſe ex ſua parte tribuendo hunc locum Adjutori Maxentio, eam maximè dotavit. Ante tempus ipſius, ſicut dinoſcitur, erat monaſterium dicti S. Maxentii ſub regimine venerabilis Agapii presbyteri vel abbatis, cujus almus Adjutor, meritorum gratia exigente, ad paſtoralem curam ſucceſſit in monaſterio, quod tunc temporis dicebatur S. Saturnini martyris. Sed eodem

B Adjutore ibidem honorificè, ſicut decuit, defuncto, nomen monaſterii propter pretioſi corporis præſentiam in honore Confeſſoris almi ab omni populo diu habitum eſt uſque ad tempus domni Ebulonis comitis vel epiſcopi Lemov. ſedis, qui inde ipſum corpus honorificè tranſtulit in baſilicam, in qua uſque hodie requieſcit, nec non & corpus beatiſſimi martyris Leodegarii in eodem die de ſua eccleſia in eamdem baſilicam ſimul collocavit, quam ipſe etiam ſuis opibus fieri juſſit atque dedicavit.

reductum, in novam eccleſiam defertur cum reliquiis

351 *Ebulo, Lemovicenſis epiſcopus, qui &* Ebulus, Eblus & Eblo *appellatus reperitur, quique hìc corpus S. Maxentii &* S. Leodegarii *tranſtuliſſe memoratur, abbas fuit Maxentiani in agro Pictavienſi monaſterii ; intelligitur id ex charta, quâ Guillielmus, ejus frater, totius Aquitaniæ comes notum facit,* qualiter frater ſuus, Ebolus ſcilicet venerabilis Lemovicenſis ſedis epiſcopus, & monaſterii confeſſoris Chriſti Maxentii abbas egregius, acquirit à Begone ſilvulam & eccleſiam adjacentem *&c. Rexit autem abbatiam illam jam ab anno ſaltem* 936 ; *ad hunc enim annum in Chronico Malleacenſi apud Labbeum tom.* 2 *Novæ Bibliothecæ pag.* 202 *legitur,* Erat Ebulus epiſcopus & abbas S. Maxentii ; *quare, cùm anno circitèr* 963 *aut* 964, *ut laudati Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tomo proximè citato col.* 1248 *docent, è vivis exceſſerit, conſequens eſt, ſi non citiùs, certè non ſeriùs, quàm inter annum circitèr* 936 *&* 964 *accidiſſe, quod verba è Chartario Maxentiano mox recitata indicant, Ebulum ſcilicet corpora SS. Maxentii &* Leodegarii *tranſtuliſſe in baſilicam ; illam nempe, quam, uti ex Chronico Ademari, monachi S. Eparchii apud Labbeum tom. proximè citato Novæ Bibliothecæ pag.* 166 *fas eſt colligere, de novo exſtruxerat. Cùm itaque, uti ex jam dictis liquet, corpora S. Maxentii &* S. Leodegarii *ab Ebulo Lemovicenſi epiſcopo, Maxentianæque abbatiæ abbate medio circitèr ſeculo* x *in novam eccleſiam fuerint tranſlata, conſequens eſt, ut utrumque illud ſacrum pignus ſaltem paulò antè Autiſſiodoro Pictavium fuerit revectum. Atque hinc quidem mihi vix non certum fit, Monachos cum corporibus S. Maxentii &* S. Leodegarii *Autiſſiodori commorantes, fidem ſuam de revehendo Pictavium S. Maxentii corpore, quam anno, ut vidimus,* 924 *obligârant, non diu admodum pòſt liberâſſe, atque adeò anno circitèr* 930 *corpus S. Maxentii cum corpore* S. Leodegarii *aut ſaltem aliqua ejus parte Pictavium reduxiſſe.*

S. Leodegarii, quarum tamen major pars

352 *Dico* aut ſaltem cum aliqua ejus parte, *quia dubium mihi eſt, an in Chartario Maxentiano ſuprà laudato per corpus* S. Leodegarii *integrum hujus ſancti Antiſtitis corpus, an tantùm pars quædam intelligenda ſit, uti ſæpe aliàs fit. Dubium illud movet Scriptura, cujus ſuprà partem dedi, è Membranis antiquis clariſſimi viri Domini de la Mare Divione regii conſiliarii deprompta & à patre Chiffletio Societatis noſtræ ſacerdote ad Majores noſtros tranſmiſſa. Etenim in hac poſt verba num.* 346 *recitata, narrationemque miraculi, quod hìc locum poſtea ſaltem in ſubſtantia habebit, hæc leguntur :* Protinus illum locum (*Ebrolium*) rex Karolus aſſignavit Domino, quem plurimis prædiorum redditibus ditavit, & munerum largitionibus ampliavit. Terminos etiam loci illius, prout voluntas venerabilium fratrum erat, devotè contulit. Ergò cum ſumma induſtria & ſollerti ſtudio ædificatur eccleſia in beati Leodegarii honore quæ huc uſque à fidelibus colitur & veneratur. Illò confluebat multitudo

F nobilium maxima, * præſentis ſæculi oblectamentis & mundanarum pompis facultatum. Denique poſtquam Francia quievit à tumultuum fragoribus plures à patria exules nativum expetunt ſolum, gaudentes inviſere natales ſuos, & penates ſuperſtites. Quod ut adverterunt monachi Pictavienſes, qui ob metum gentilium, corpora Sanctorum detulerant Arvernum, cenſuit quædam pars reverti ad natale ſolum cum corpore beati Maxentii ; altera quoque manſit & uſque in præſens manet Ebroylo cum corpore ſancti Leodegarii ; ubi omnipotens Deus Sanctum ſuum mirificavit & miraculorum atteſtationibus honorificavit. *Quibus verbis innuitur corpus* S. Leodegarii *ex Alvernia, quò metu Normannorum Pictavio fuerat delatum, Pictavium, metu illo ceſſante, circa annum* 930 *non fuiſſe reductum, ut adeò dubium ſit, an in Chartario Maxentiano ſuprà laudato per corpus* S. Leodegarii *integrum ejuſdem ſancti Antiſtitis corpus, an pars tantùm deſint intelligi.*

** hìc deeſſe videtur ſpretis*

Ebrolii

353 *Aſt, inquies, Scriptura, è qua jam duplicem partem hue tranſcripſimus, plùs uno labo-*

rat

A *rat errore, ac proin fidem non meretur. Ait enim, regem Karolum, quem nullo indicio à regibus Galliarum homonymis distinguit, monachis S. Maxentii, Normannos per Galliam latè grassantes fugientibus, Ebrolium cum plurimis prædiis concessisse, ut adeò innuat, tunc Ebrolience in Alvernia monasterium à rege quodam, nomine* Carolo, *fuisse fundatum, quod proin juxta dictam Scripturam vel seculo nono, vel certè initio sequentis, cùm Normannorum per Galliam grassationes non diutiùs durârint, necessariò acciderit. Pugnat autem id cum Chronico Malleacensi plùs semel jam laudato, in quo apud Labbeum tomo adhuc citato Novæ Bibliothecæ ad annum 961 legitur:* Hoc tempore extructum est cœnobium sanctæ Mariæ & sancti Vincentii sanctique Leodegarii martyris, quod est situm super Severa. S. Ligdaire sur Seure. Eodem tempore cœnobium sancti Leodegarii Arvernis Ebrolii cœnobii, ubi abbas fuit Amblardus. *Ad hæc Scriptura eadem plùs vice simplici jam memorata pugnare videtur cum Charta Beslyana, ex qua suprà varias SS. Maxentii &* Leodegarii *translationes probavimus; indicat enim hæc corpus S. Maxentii primò*

B *in Britanniam, deinde in Alverniam ad ecclesiam Condatensem, ac Autissiodorum, nulla omnino monasterii Ebrolicnsis facta mentione, fuisse translatum; illa verò, ut utrumque ejus fragmentum jam recitatum inspicienti patebit, insinuare videtur, S. Maxentii corpus, ut primùm in Alverniam fuit delatum, Ebrolii fuisse depositum, ibique semper, donec Pictavium reduceretur, quievisse, ac proin nec ad ecclesiam Condatensem, nec dein Autissiodorum, crescente Normannorum devastatione, fuisse delatum, ut per consequens cum Charta Beslyana laudata pugnare, fidemque proinde mereri non videatur. Fateor, hinc utcumque, at præcipuè, ut infrà docebo, aliunde Scripturæ laudatæ fidem non parùm mihi esse suspectam.*

ubi hodieque sacra Sancti pignora servantur,

354 *Verùm sat verisimile videtur, majorem partem reliquiarum* S. Leodegarii *unà cum corpore* S. Gerini, *ejus fratris, in monasterio Ebrolicnsi fuisse reconditam, cùm ibi hodieque sacra Sancti pignora asservari, testentur Galliæ Christianæ auctæ Scriptores, dum tom. 2 col. 369 de Ebrolicnsi monasterio sic scribunt:* Ebrolium seu Eborolium, olim prædium Apollinaris Sidonii, nobile Benedictinorum cœnobium ad ripam Sivolis seu Sicaulæ situm, duabus ab urbe Gannato leucis, tribus verò à Menatensi cœnobio, conditum est anno DCCCCLXXI,

C (*imò anno* DCCCCLXI) regnante Lothario, ut observat Chronicon Malleacense; cujus patroni B. Maria, SS. Apostoli Petrus & Paulus, ac S. Leodegarius martyr, ut diximus ex charta fundationis monasterii S. Leodegarii de Cogniaco. Vulgo tamen S. Leodegarii monasterium nuncupatur, cujus sacra pignora unà cum reliquiis S. Guarini, fratris ejusdem S. Leodegarii episcopi Æduensis, in altari principe adservantur. *Quare cùm Scriptura sæpè laudata modum doceat, quo corpus* S. Leodegarii *seu major saltem pars reliquiarum ad monasterium Ebrolicnse devenit, isque aliunde non innotescat, fides omnis eidem Scripturæ deneganda non videtur, præsertim cùm fortè ita possit exponi, ut per hæc verba antè adhuc recitata* Protinus illum locum rex Karolus assignavit Domino, quem plurimis prædiorum redditibus ditavit, & munerum largitionibus ampliavit. Terminos etiam loci illius, prout voluntas venerabilium fratrum erat, devotè contulit. Ergò cum summa industria, & sollerti studio ædificatur ecclesia in beati Leodegarii honore *&c significet, monachos San-maxentianos non statim, ut villam regiam Ebrolicnsem acceperant, sed aliquamdiu dumtaxat pòst, puta, cessantibus Normannorum per Gallias devastationibus, monasterium exstruxisse, antiquis interea, dum hæ durarent, ædificiis contentos, ut adeò Scriptura sæpiùs laudata cum Chronico Malleacensi num. præcedenti citato fortè non pugnet. Porro oppositio, quam illa (vide num. præcedentem) habere videtur cum Charta Beslyana, fortè etiam tolli potest, dicendo, quòd, omissis SS. Maxentii &* Leodegarii *in Britanniam, Alverniam ac deinde Autissiodorum translationibus, tantummodò referat translationem ad Ebrolium post alias memoratas factam, quod & ipsa Scriptura sæpissimè laudata utcumque videtur innuere, dum verbis num.* 346 *recitatis, quibus narrat monachorum Pictavicnsium cum corporibus SS. Maxentii &* Leodegarii *præ metu Normannorum fugam, mox subdit:* Tandem, Deo ducente, pervenerunt Arvernum usque Ebroylum, qui tunc erat regalis fiscus & sedes regia Karoli.

AUCTORE C. B.

à monachis Maxentianis Pictavie

355 *Accedit etiam, quòd, cùm saltem ex Mabillonii (vide num.* 336) *opinione Ebrolicnses monachi corpus* S. Leodegarii *aut saltem majorem ejus partem, quæ* corpus *vocatur, verè aliquando possederint, necesse juxta eum sit illud, si non eo modo, quo in Scriptura mox iterum citata exponitur, Ebrolium devenit, Ebrolicnsibus monachis, cùm eorum conderetur monasterium aut jam conditum esset, à Maxentianis, à quibus in hoc casu Pictavium fuisset relatum, dono esse transmissum aut concessum: minùs autem verisimile appareat, hos sacrarum reliquiarum, ut credere par est, verosimillimè amantes, minorem pretiosissimi thesauri, corporis, inquam,* S. Leodegarii, *partem sibi retinuisse; majorem verò Ebrolicnsibus in Alvernia monachis concessisse. Hisce omnibus perpensis, satis mihi probabile est, sacrum* Leodegarii *corpus ad Ebrolicnses eo modo perveniisse, quo in Scriptura à Chiffletio ad Majores nostros transmissa exponitur, idque multò crederem libentiùs, nisi Scripturæ ejusdem fides mihi aliunde esset suspecta, ex illo scilicet, cujus suprà memini, miraculo, quod continet, quodque à veritate alienum otiosumque tantummodò videtur ad augustiora atque memorabiliora cœnobii Ebrolicnsis primordia facienda excogitatum figmentum; qua de re ut idem ferat eruditus lector mecum judicium, opus dumtaxat est, ut istud vel in substantia, ut suprà promisi, hîc subnectam. Fabella sic habet: San-maxentiani in agro Pictavicnsi monachi metu Normannorum cum corporibus SS. Maxentii &* Leodegarii *in Alverniam fugâ delapsi, perveniunt ad Ebrolium, villam regiam, in qua tunc versabatur rex Carolus; (fuerit hic fortè Carolus,* Simplex *cognominatus) mittunt ad hunc monachi, qui sibi errabundis locum, in quo ædem congruam possint exstruere, supplices à Carolo exposcant; ast rex (omitto hîc adjuncta, quæ regiam majestatem planè dedecent nec vel idcirco credibilia apparent) petitioni eorum nolens annuere, mox Dei judicio ob monachorum contemptum paralysi percutitur, ductusque ad Sanctorum corpora, tandem post triduanas suorum preces sanitati restituitur, hocque commotus miraculo Ebrolium, plurimorum prædiorum redditibus ditatum, monachis possidendum habitandumque concedit. Tale est initium Ebrolicnsi in Alvernia monasterio in Scriptura sæpissimè memorata affectum, quod nemo non, quantùm opinor, pro commentitio habebit. Verum nihilominus apparet, Ebrolium monachis ad monasterii exstructionem concessum villam regiam quondam fuisse; Mabillonius enim*

E

F

AUCTORE C. B.

lib. 4 de Re Diplomatica pag. 282 de Ebrolio seu Ebroylo vel Evrogilo, Gallicè Ebreuil *sic scribit;* Evrogilum ad Sicaulam flumen castrum est, regio quondam palatio insigne, nunc abbatiâ Benedictini Ordinis clarum. Ibi Ludovicus Aquitaniæ rex, postea imperator, singulis quadriennis, consulto Caroli parentis hiberna transigebat. Censet eruditus vir Hadrianus Valesius Evrogilum idem esse cum Eborolaco, cujus meminit in epistola ad Hypatium Sidonius. Nihil quidem in hoc Sidonii loco habetur, quod Eborolaci designet situm; at viri perspicacissimi conjecturæ lubens accedo, cui etiam Gallici nominis EBREUIL affinitas suffragatur. *Ita Mabillonius, cujus textum integrum libuit transcribere, quia notitiam de Ebroliensi in Alvernia monasterio antea datam confirmat.*

profugis verosimiliter fuit recondita. Monasterium aliud in honorem

B

356 *Cùm itaque Ebrolium verè olim, uti Scriptura jam toties nominata indicat, villa regia exstiterit, hæcque jam in monasterium Ordinis Benedictini sit conversa, satis verisimile apparet, non solùm* S. Leodegarii *corpus eo modo, quo Scriptura illæ asserit, ad Ebroliense monasterium venisse, sed etiam hoc, cessantibus Normannorum in Galliis irruptionibus, à monachis Pictaviensibus profugis fuisse exstructum, horumque in illo partem, aliis cum corpore S. Maxentii Pictavium redeuntibus, cum corporibus* SS. Leodegarii & Gerini, *ejus fratris, mansisse. Atque hæc de Ebrolienſi* S. Leodegarii, *seu in honorem* Leodegarii *in Alvernia condito cœnobio, dicta sufficiant. Venio nunc ad quatuor alia monasteria, quæ* Leodegarii *nomine pariter insignita sunt. Illud, de quo ut primùm agam, ordo chronologicus exigit, vocatur* abbatia S. Leodegarii ad Separim, Gallicè la Sevre. *Sita hæc est in diœcesi Santonensi, conditaque, ut testatur Chronicon Malleacense, anno Christi 961, regnante Lothario rege. De hoc monasterio Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom. 2 col. 1123 sequentem præbent notitiam:* Hæc abbatia Ordinis Benedictini ad Separim amnem prope Niortum sita, fundatur an. DCCCCLXI ex Chronico Malleacensi. Statim verò ab exordio suo S. Maxentii monasterio subjicitur. *Verùm monasterio S. Maxentii huc usque subjecta non mansit. Etenim laudati Scriptores tomi citati col. 1124 ita loquuntur:* Hoc

C

monasterium S. Leodegarii *in diœcesi Santonensi* hactenus existit, estque sui juris; *ita illi, qui de eadem abbatia tom. citato col. 1123 etiam hæc commemorant:* Hanc abbatiam usurpârunt vicecomites Niortenses usque ad obitum Arberti vicecomitis, post quem Aldeardis vicecomitissa ipsius vidua eam restituit Bernardo abbati S. Maxentii, cujus juris antiqui erat, inquit Chronicon Malleacense. *Subjungunt deinde restitutionis chartam.*

S. Leodegarii anno fortè 961 prope Niortum,

357 *Hæc innuit prædictum diœcesis Santonensis prope Niortum monasterium* S. Leodegario *constructum seu donatum fuisse, ac proin illam huc integram transcribo:* In nomine Dei & Salvatoris nostri J. C. Ego Audeardis & filii mei, notum fieri volumus solertiæ omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, tam præsentium quàm futurorum, quòd ad deprecationem domni Bernardi abbatis placuit nobis reddi ecclesiam S. Mariæ & S. Vincentii martyris, quæ nunc modò monasterium sancti Leodegarii martyris vocatur, quam antecessores nostri ob remedium animarum suarum contulerunt piissimo Adjutori Maxentio & martyri Leodegario. Nos verò rem diligenter examinantes, priùs tumulavimus Arbertum seniorem meum, orantes, ut pius Adjutor Maxentius à tartareis ignibus, sui intercessione eum dignetur eripere. Expleto ergò sepulturæ obsequio, sonceſſimus congregationi ibidem Deo militanti, ut, quidquid ab hodierno die ob utilitatem ejusdem monasterii facere & ordinare voluerint, liberum in Dei nomine per hanc nostram auctoritatem arbitrio * habeant faciendi, quidquid elegerint, nemine contradicente *&c. Charta hæc data notatur* III Idus Maii, regnante Rotberto rege Francorum; *memorata autem restitutio in Chronico Malleacensi sæpiùs laudato apud Labbeum tom. 2 novæ Bibliothecæ pag. 205 inter annum 996 & 1000 annotatur; quare, cùm Robertus seu Rotbertus Francorum rex anno 997, ut Pagius in Criticis ad annum 998 num. 1 & 3 eruditè probat, regnare inceperit, consequens est, ut restitutio illa vel anno 997, vel 998, vel 999 acciderit. Jam verò, cùm ab anno 961, quo, uti ex Chronico Malleacensi laudati Galliæ Christianæ auctæ Scriptores docent, usque ad annum 999 anni tantùm 38 excurrant, dubitari potest, an* S. Leodegarii *prope Niortum monasterium non citiùs fuerit, quàm anno 961, fundatum, quia, cùm Audeardis in præfata restitutionis charta anno vel 997, vel 998, vel etiam 999 confecta dicat, antecessores suos* ecclesiam S. Mariæ & S. Vincentii martyris, quæ nunc modò monasterium sancti Leodegarii martyris vocatur, *S. Maxentio &* S. Leodegario *martyri contulisse, per antecessores suos, ecclesiæ S. Mariæ & S. Vincentii donatores, seu abbatiæ* S. Leodegarii *fundatores, cùm post hos abbatiam hanc vicecomites aliquot Niortenses jam usurpâssent, intelligere videtur personas, quæ tunc ab annis ampliùs 38 vixerant, ut adeò dubitari possit, an abbatia* S. Leodegarii *prope Niortum non citiùs, quàm anno 961, fuerit fundata; ac proin, an Chronicon Malleacense in assignando anno, quo hæc fundata est, non aberret; unde consequens est, ut etiam dubitari queat, an idem Chronicon Malleacense in assignando suprà assignato anno, quo abbatia Ebrolienſis fundata fuit, pariter non aberret.*

D

* arbitrium

aliud seculo X senescente; aut initio XI

358 *Ast id hîc notâsse sufficiat. Pergo nunc ad aliud Gloriæ posthumæ Sancti nostri monumentum. Helgaldus seu Helgaudus, Floriacensis monachus, qui Historiam seu potiùs Epitomam Vitæ Roberti, Francorum regis, litteris consignavit, apud Bouquetum tom. 10 Scriptorum Rerum Gallicarum pag. 115 loca sacra à principe illo, cui coætaneus exstitit, ædificata enumerat, iisque accenset monasterium* S. Leodegarii *in sylva Aquilina. Robertus Francorum rex ab anno 997, uti jam docuimus, regnare incepit, vitamque & regnum, uti apud Pagium in Criticis ad annum 1033 & 1034 num. 8 & seq. luculenter probatum invenies, anno 1031 pariter finivit; unde consequens est, ut inter annum 996 & annum 1032 præfatum* S. Leodegarii *in Sylva Aquilina monasterium fuerit exstructum; hocque solum hîc pro certo possum asserere, cùm nihil suppetat, quo monasterii illius constructio seu fundatio anno determinato affigatur. De Sylva Aquilina, in qua situm erat* S. Leodegarii *monasterium, Baudrandus in Geographia hæc habet:* Aquilina Sylva, la foreſt d'iveline, sylva & tractus Galliæ in Carnotensi agro Belsiæ, & versus Fanum S. Arnulfi, sed nunc vix sylva apparet, & Aquilina etiam dicta fuit in Actis mediæ ætatis. *Verùm, ut Mabillonius lib. 4 de Re Diplomatica pag. 292 observat, sylvam Lisgam, Lisicam seu Lesgam, quæ à sylva Cotia flumine Axonâ dirimi-*

E

F

A *mitur, longéque proinde à Carnotenſi Belſiæ agro abeſt, nonnulli, quia Gallicè* Leſgue *& vulgo* Laigle *eſt dicta,* Aquilinam *vocavêre; ii autem, ut idem Mabillonius ibidem affirmat, facere id contendunt jam inde à ſeculo* XI *etiam Helgaldum mox laudatum, dum* monaſterium ſancti Leodegarii in ſilva Aquilina *à Rotberto Francorum rege conſtructum commemorat. Quapropter, ſi id veritati conſonet, conſequens eſt, ut ſylva, in qua Rotbertus* Leodegarii *monaſterium ædificavit, à Carnotenſi Belſiæ agro procul diſtet, nec ſit illa ſylva, quæ Gallicè hodiedum dicitur* la foreſt Iveline.

in ſylva Aquilina, Gallicè la foreſt Iveline

359 *Aſt laudatus Mabillonius obſervationi ſuæ jam expoſitæ hæc ſubjungit:* Eorum . . . *qui ſylvam Liſgam, Liſicam ſeu Leſgam ab Helgaldo in caſu memorato* Aquilinam *vocari exiſtimant,* opinioni ipſe quoque lubens accederem, ſi monaſterium iſtud, *quod in ſylva Aquilina à Rotberto conditum fuiſſe, Helgaldus narrat,* eſſet idem cum illa S. Leodegarii eccleſia, quam in caſtro ſilvaque Liſga poſitam, Philippus rex anno memorato (1083 *nempe*) Silvæ-majoris monachis attribuit. At quò minùs ita ſentiam, vetat

B id, quod in Chronico Mauriniacenſi lego ad annum MCXXIX, ſcilicet Mauriniacenſes monachos inſperato Papæ Innocentii ſuum ad monaſterium acceſſu turbatos, miſiſſe velociter, qui Thomæ abbati cum Guarino priore, in Aquilina ultra S. Leodegarium ad loculum quorumdam Eremitarum fortè profecto, talia nuntiat, ut venire feſtinet. Quod ille protinus intra eumdem diem, aut potiùs nocte illa adhuc tenebris durantibus, exſecutus eſt. Erat igitur ſilva Aquilina, LA FOREST IVELINE, cujus meminit Pippinus apud Dubletum, Mauriniacenſi cœnobio proxima, in eaque continebatur S. Leodegarii monaſterium, auctore Rotberto, ædificatum. *Ita Mabillonius, rectè cenſens, probanſque, monaſterium* S. Leodegarii *à Rotberto rege, non in ſylva Liſga, ſeu Leſga aut Liſica, ſed in ſylva Aquilina,* la foreſt Iveline *ædificatum, Helgaldumque proinde per ſylvam Aquilinam, non intelligere ſylvam Liſgam, Axonâ à Cotia ſylva diremptam, ſed ſylvam, quæ Gallicè* la foreſt Iveline *nominatur, quæque à monaſterio Mauriniacenſi, ſeu S. Mauri diœceſis Pariſienſis monaſterio nunc abolito*

C *haud procul diſſita, ad partem Auſtralem, ut in Tabula geographica regionis & ſilvæ Ivelinæ Blaviana notatur, agro Pariſienſi aſſidet. De ſilva Aquilina, deque monaſterio* S. Leodegarii *in ea à Rotberto rege ædificato hæc ex Mabillonio notâſſe libuit, quia, cùm monaſterium illud jam ſit abolitum, non facilè ſtudioſus lector, quo loco ſitum fuerit, apud alios ſcriptores accuratè definitum inveniet.*

duoque inſuper alia, alterum in Normannia

360 *Poſt hoc Aquilinæ ſilvæ* S. Leodegarii *monaſterium, tertio loco memorandum venit puellare in Normannia monaſterium,* S. Leodegarii *pariter dictum, de cujus ſitu, cùm adhuc exiſtat, ſtudioſo lectori facilius eſt cognoſcere. Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* XI *col.* 853 *illud in Lexovienſi provinciæ eccleſiaſticæ Rothomagenſis diœceſi collocant, ſequentique notitia illuſtrant:* Humfredus de Vetulis auctor S. Petri Pratellenſis, auctor quoque fuit S. Leodegarii. Paulò enim poſt conditum virorum cœnobium, alterum etiam virginum in eadem valle conſtruxit, flagitante Alberada conjuge ſua, illudque in honorem B. Mariæ & S. Leodegarii martyris dedicari curavit multiſque prædiis dotavit, veterum more, qui monaſteria ejuſmodi duplicia ſtruere ac conjungere ſolebant. *Ex his verbis, quibus laudati Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores eam, quam de* S. Leodegarii *in Normannia parthenone ſuggerunt, notitiam dumtaxat inchoant, tria potiſſimùm diſcimus, primò quidem præfatum monaſterium in honorem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, ſanctique* Leodegarii *eſſe fundatum atque conſecratum; deinde verò, quo tempore, quoque diœceſis Lexovienſis loco fuerit exſtructum; cùm enim mox recitatis verbis ab Humfredo de Vetulis in eadem valle, in qua Pratellenſe virorum monaſterium ab eo fuerat conditum, paulò pòſt dicatur exſtructum; ab iſto autem illuſtri, munificoque viro dictum Pratellenſe virorum monaſterium in loco, prout iidem laudati Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom. proximè citato col.* 834 *&* 835 *teſtantur, inter montium anguſtias haud procul à ponte Audomari poſito, quem veteres* Pratellos, *alii* Pratellum *vocant, ante annum* 1035 *fuerit exſtructum, conſequens eſt, ut puellare* S. Leodegarii *monaſterium, de quo hîc ſermo eſt, in eodem etiam loco haud procul à ponte Audomari inter anguſtias montium poſito fuerit exſtructum, idque circitèr paulò poſt annum* 1035.

E

anno circitèr 1035 ab Humfredo de Vetulis.

361 *Hiſce annotatis, reliqua notitiæ tranſcribi jam cœptæ verba, cùm ad gloriam Sancti noſtri poſthumam pariter faciant, etiam lubet ſubjungere. En illa:* S. Leodegario donavit Humfredus (*Pratellenſis virorum monaſterii fundator*) quidquid in villa Bodelfa poſſidebat, Malgerio archiepiſcopo, à quo id beneficium tenebat, aſſentiente & confirmante ea conditione, ut abbatiſſa ejuſdem monaſterii ſemel in anno in ſolennitate ejuſdem dominatricis noſtræ & Dominæ Mariæ in epiſcopio ſuo deſerviret. Ne quis verò de his litem moveret, Hugo grammaticus archidiaconus Rotomagenſis, in dedicatione ipſius Pratellenſis eccleſiæ ex præcepto Humfridi ſub gravi pœna interdixit, quod Hugo Lexovienſis epiſcopus ſanxit. Paternam donationem ratam habuit, auxitque Rogerius de Bello-monte, aliique ejus exemplo conterranei multa eidem cœnobio contulerunt. Inter alios præeminet Alberada, quæ Humfrido marito ſuperſtes, cum filio ſuo Rogero duos manſos terræ in Corbello-

F monte de terra Turchetilli, ſui avunculi, donavit, qui Turchetillus S. Leodegario quædam largitus memoratur pro anima uxoris ſuæ Durandæ, quæ in eodem parthenone monacha facta eſt & ſepulta, uti & Alberada ejuſdem cœnobii fundatrix, cujus obitus XII Calend. Octobris notatur. *Plurimam ſanè hæc erga* S. Leodegarium *venerationem arguunt; reſtat, ut de Cogniacenſi Sancti cœnobio, altero cultus à fidelibus ſancto Martyri delati monumento, nunc pauca dicamus. Hujus notitiam ſatis exactam non inveni, ac proin quædam ad hanc conducentia huc tantùm adduco. Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 2 *col.* 125 *in Abbatum San-maxentienſium Catalogo ita ſcribunt:* Aimericus, antea monachus Ebrolii in Arvernia, deinde novi cœnobii Ebrolienſis in pago Santonenſi, anno circitèr MXLI fundati rector, tum abbas S. Leodegarii prope Niortum, tandem evaſit abbas ſancti Maxentii anno ſaltem MLIX Nonis Decembris.

alterum in diœceſi Santonenſi, Cogniacenſe dictum, exſtruuntur.

362 *De novo autem cœnobio Ebrolienſi in pago Santonenſi ita annotant in margine:* Ebrolienſe pagi Santonenſis monaſterium idem eſt ac Leodegarii de Cogniaco. *Deinde eodem tom. in epiſcopis Petracorienſibus de Arnoldo XIX Petracorienſi epiſcopo, qui fundator fuit mona-*

AUCTORE C. B.

ſterii S. Leodegarii de Cogniaco *ita ſcribunt :* Refert Epitome, eum Petracorienſem eccleſiam rexiſſe annos XXII & obiiſſe anno Domini MXXXVI, 2 Idus Julii, ſepultumque eſſe in eccleſia S. Frontonis. Verùm adhuc anno MXLI ſuperſtes fuiſſe videtur ex charta primæ fundationis cœnobii S. Leodegarii de Cogniaco, in tabulario loci hujus à Dom. Eſtiennot lecto, cujus fundator fuit unà cum nepotibus ſuis . . . & Arnoldo. *Ad hæc eodem tom. col. 369 de Gerberto ſeu Girberto quinto Ebrolienſis in Alvernia monaſterii abbate hæc habent :* Hoc ſedente, Arnoldus nepos Arnoldi epiſcopi Petracoricenſis, fundatoris S. Leodegarii de Cogniaco, cui etiam conſtruendo multum contulerat, cùm Romam pergens moratus eſſet apud Ebrolium in Arvernis, huic cœnobio tradidit præfatum monaſterium de Cogniaco ex ejuſdem tabulis, teſte noſtro D. Claud. Eſtiennot. *Atque hæc ſunt, quæ de monaſterio* S. Leodegarii *de Cogniaco reperire potui. Sunt & alia forſan in Galliis ſeu virorum ſeu mulierum monaſteria in honorem* S. Leodegarii *ſeu conſtructa ſeu dedicata ; aſt ego ea omnia jam recenſui, de quibus qualemcumque notitiam potui acquirere.* Multos, *inquit Mabillonius Seculo 2 Benedictino pag.* 706, per Galliam prioratus habet (*Leodegarius*) ſibi nuncupatos. *Fuerint fortè ex iis nonnulli à primæva ſua fundatione monaſteria, quod ut facilè credam, faciunt tria* S. Leodegarii *monaſteria num.* 329, 331, *& ſeqq. & 361 jam memorata, Campellenſe ſcilicet in diœceſi Lingonenſi, Offonis-villæ in pago Portenſi, & Cogniacenſe in diœceſi Santonenſi, quæ nunc, priſtino ſplendore amiſſo, in prioratus ſunt redacta. Ceterùm multos eſſe, ut ait laudatus Mabillonius, per Galliam prioratus, quos ſibi* S. Leodegarius *nuncupatos habet, argumento eſſe poſſunt diœceſes Bituricenſis & Pictavienſis, in quibus ſingulis duo prioratus ſunt* S. Leodegarii *nomine inſignes. Binis illis diœceſibus adde etiam Santonenſem, in qua præter prioratum* S. Leodegarii *Cogniacenſem, de quo jam dictum eſt, duo inſuper prioratus alii à Sancti noſtri nomine nuncupantur. Alias Galliæ diœceſes, in quibus pariter prioratus ſunt* Leodegarii *nomine inſigniti, brevitatis ergò prætermitto. Horum, qui voluerit habere notitiam, adeat Codices ſeu Catalogos generales, qui beneficia, abbatias, prioratus, decanatus &c epiſcopatuum Galliæ continent, typis Pariſienſibus ſeculo præterito aut etiam recentiùs vulgatos.*

B

C

§ XXIV. Cultus S. Leodegarii ſpecialis antiquus & recentior apud Auguſtodunenſes.

S. Leodegarius, cui oratorium

Quinque §§ proximè præcedentibus ea, quæ ad gloriam S. Leodegarii *poſthumam pertinent, quæque ad certam epocham, certumve tempus, licèt cum majori latitudine, quàm erudito lectori fortè placebit, ſubinde acceptum, revocare utcumque potui, ordine qualicumque chronologico pertractavi. Fuiſſet proinde proximè poſt habitum de Sancti ex agro Atrebatenſi ad monaſterium S. Maxentii Pictavienſe, ex eoque deinde in novam eccleſiam tranſlatione ſermonem, de antiquo* Leodegarii *Auguſtodunenſi oratorio mox agendum ; fuit enim hoc, uti illicò docebo, ſeculo* VII *nondum elapſo, ac proin ne triginta quidem annis à Sancti obitu, eidem ab Auguſtodunenſibus aut exſtructum aut certè conſecratum ; verùm, cùm mihi ſimul eſſet animus, omnia ad ſpecialem ſeu antiquum ſeu recentiorem cultum* S. Leodegarii *ab Auguſtodunenſibus delatum ſpectantia lectori erudito ſub unum veluti aſpectum proponere, de prædicto oratorio tractatum, utut in recenſendis gloriæ Sancti poſthumæ monumentis ordinem ſequi chronologicum mihi præfixiſſem, ad hunc libuit & remittere, quo omnia, quæ vel ad gloriam Sancti poſthumam vel cultum apud Auguſtodunenſes eccleſiaſticum utcumque pertinent, complectar, & in compendium, quantum in me erit, contraham. A præfato oratorio duco initium. Conditum illud fuit ſeu* Leodegario *conſecratum ſeculo* VII *nondum elapſo, & quidem ante annum* 696. *Liquet id ex teſtamento Anſeberti, qui poſt Ermenarium, proximum* Leodegarii *in epiſcopatum Auguſtodunenſem ſucceſſorem, epiſcopalem Auguſtodunenſis eccleſiæ cathedram occupavit. Dictum enim teſtamentum, quo Anſebertus oratorio* S. Leodegarii *multas donationes facit, confectum notatur* menſis Auguſti die V. anno 2. regnante domino Childeberto rege ; *quapropter, cùm Childebertus, qui hìc memoratur, ſit Childebertus III Francorum rex, hicque, ut Pagius in Criticis ad annum* 692 *num.* 18 *luculenter oſtendit, ante diem vigeſimum tertium menſis Martii anno* 695 *regnare inceperit, conſequens eſt, ut præfatum teſtamentum anno* 696 *fuerit confectum, ac proin ut oratorium, cui per illud ab Anſeberto, Auguſtodunenſi epiſcopo, multæ donationes fiunt, vel citiùs quàm anno* 696, *vel certè non ſeriùs fuerit exſtructum,* Leodegariove *conſecratum. Mabillonius memoratum teſtamentum, ex quo etiam diſcimus Anſebertum in* Leodegarii *oratorio ſepeliri voluiſſe, in ſecunda ad tom.* 1 *Annalium Benedictinorum Appendice pag.* 702 *& ſeq. integrum exhibet. Ex hoc ego ſolummodò ea tranſcribo, quæ ad præſens inſtitutum utcumque pertinent, quæque Anſeberti erga* S. Leodegarium *venerationem egregiè etiam probant.*

D

E

364 *Sunt autem hæc :* Auctoribus eccleſiæ ſancti Nazarii martyris Auguſtodunenſis, & ſancti Symphoriani martyris, ubi ipſe pretioſus in corpore requieſcit, Anſebertus peccator epiſcopus. Divina nos ammonet lectio, ut, quod Chriſti miſericordia in rebus terrenis confert abundantia de ſua largitate, unde in hoc ſeculo utimur, de ejus pietate in ſuis pauperibus pro abluenda mole peccaminum offeramus. Ergò dono *&c. Præmittuntur hìc donationes, quas Anſebertus eccleſiis S. Nazarii & S. Symphoriani facit, pergiturque deinde in hunc modum :* Similiter ad oratorium ſancti Leodegarii, qui ſubtus ſanctum Symphorianum conſtructus eſſe videtur, ubi (ſi Deo placuerit) corpuſculus inſuper requieſciturus erit, colonicas in pago Maginontenſe in Taviniaco, quas Wlbertus per ſuum ſtrumentum nobis dedit, & colonias illas, quas Bertoaldus in Fulnicio per ſuum ſtrumentum dedit, ad oratorium ſancti Leodegarii ut habeat, volo. Villa verò Corvillo, in pago Autiſſiodorenſe, quam nos cumque ſuis acquiſivimus, ipſum oratorium domni Leodegarii ut habeat, volo atque decerno. Similiter in pago Auguſtidunenſe colonicas, quas Bertoaldus per venditionem nobis dedit, ipſum oratorium domni Leodegarii ut habeat, volo. Villa verò Buxido, quidquid ibidem germanus meus in uſuario tenet, ipſum oratorium domni Leodegarii ut habeat, volo. Villa verò Muido, quæ eſt prope montem Wavinarum in pago Vertudenſi, cum omnibus, quidquid ibi adſpiciunt, oratorium domni Leode-

ſeculo VII *nondum elapſo*

F

de-

A degarii ut habeat volo, ſic tamen ut inde lumen & ſacrificium ipſo oratorio ſtabiliat, & omnia ſub poteſtate fratrum ipſius eccleſiæ ſancti Symphoriani in omnibus eſſe debeant.

fuit exſtructum,

365 Et quatuor matricularios, qui ad ipſum oratorium domni Leodegarii deſerviunt, ibidem inſtituimus, ut totum victum atque veſtitum de ſupraſcriptis rebus habeant habere, qualiter & illi alii matricularii, qui ad baſilicam ſancti Symphoriani deſervire videntur, portionem victûs & veſtitum accipiant. Et pro eo quidquid in iſta epiſtola delegavimus, in uſuario germanæ noſtræ Sicolinæ conceſſimus, illos matricularios, & illud lumen ad oratorium domni Leodegarii, & in hoc uſu teneat, & debeat procurare; & poſt ejus diſceſſum tam pontifex ſupradictus, & eccleſia ſancti Nazarii, quàm clerici dictæ eccleſiæ ſancti Symphoriani, quantum in ipſo ſtrumento inſtituimus, in Dei nomine debeant procurare. *Deſinunt hîc, quæ in præfato teſtamento ad* S. Leodegarium *queunt referri. Diſcimus autem ex antiquo illo monumento præter ea, quæ jam dicta ſunt,* S. Leodegarii *oratorium non in ipſa Auguſtodunenſi urbe, ſed in ejus ſuburbiis ſitum fuiſſe. Indicant id hæc verba:* Oratorium

B ſancti Leodegarii, qui ſubtus ſanctum Symphorianum conſtructus eſſe videtur; *cùm enim S. Symphorianus ſeu S. Symphoriani eccleſia, ut Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 4 *col.* 438 *docent, in ſuburbiis Auguſtodunenſibus ſita eſſet; oratorium verò* S. Leodegarii *ſecundùm verba ex teſtamento ſæpiùs laudato proximè citata ſubtus S. Symphorianum ſeu S. Symphoriani eccleſiam eſſet conſtructum, conſequens eſt, ut & illud in ſuburbiis Auguſtodunenſibus ſitum eſſet. Ceterùm præter oratorium Sancto noſtro exſtructum, de quo jam actum eſt, nullum cultus ipſi velut Sancto ab Auguſtodunenſibus delati monumentum, quod ſit ſeculo* XV *antiquius, invenire potui. Non dubito tamen, quin* Leodegarius, *celeberrimus totâ Galliâ Sanctus, à ſeculo* VII, *aut certè à ſeculo, quod ſit* XV *anterius, ad uſque nunc in epiſcopatu Auguſtodunenſi, utpote quem ipſe, dum viveret, antiſtes rexerat, cultu Sanctis proprio, eoque non tantùm non interrupto, ſed etiam ſubinde aucto, fuerit gaviſus; verùm quis qualiſve ille cultus fuerit, quove indicio manifeſtatus, nullum omnino edocet teſtimonium, quod ſit anti-*

C *quius egregio ſeculi* XV *monumento, quod Edmundus Martene tom.* 4 *Anecdotorum publici juris fecit, quodque hîc integrum, cùm cultum, quo Sanctus noſter ſeculo* XV *apud Aguſtodunenſes eſt gaviſus, ex parte ſaltem edoceat, & ad cultum Sancti anteriorem edocendum viam ſternat, recudere non abs re fuerit.*

feſto cum obligatione abſtinendi

366 *Monumentum illud eſt decretum ſeu ſtatutum, quo ſtatuitur, ut feſtum* S. Leodegarii, *& nonnulla alia feſta vel in ſola civitate Auguſtodunenſi & ſuburbiis vel in tota diœceſi cum abſtinentia ab omni opere ſervili celebrentur; exſtat inter ſtatuta ſynodi, quam Eminentiſſimus ac reverendiſſimus dominus Joannes Rolin titulo S. Stephani in Celio-monte presbyter Cardinalis & epiſcopus Æduenſis ſeu Auguſtodunenſis anno* 1468 *celebravit, eſtque ſynodi illius ſtatutum ordine ſexageſimum primum. En illud:* Joannes Rolin permiſſione divina Cardinalis, epiſcopus Æduenſis archidiaconis, archipresbyteris, curatis & eccleſiarum rectoribus, & omnibus noſtris ſubditis ſalutem. Sicut pia mater pro filiorum ſalute ſemper anxia eſt, nec umquam quieſcit, donec, ſi qua diſſenſio inter ipſos ſit, ſopita fuerit: ſic & nos, qui immeritò præſidentiam obtinemus in eccleſia Æduenſi, omni ſtudio deſideramus, & optamus ſubditos noſtros in unione pacis regere, & piam matrem eccleſiam revereri, præcepta ipſius ad unguem obſervare, & diſſenſionibus ipſarum * obviare, à paucis diebus citrà nonnullæ altercationes inter ſubditos noſtros exortæ ſunt ſuper colendis feſtivitatibus Sanctorum, quibus differentiis obviare volentes, quantum cum Deo poſſumus, ad perpetuam rei memoriam ſtatutis ſynodalibus noſtris adhærendo, ordinamus & præcipimus omnibus ſubditis noſtris, ſub excommunicationis & omni alia pœna in antiquis ordinationibus prædeceſſorum noſtrorum taxata, feſta ſequentia ſervare & ab omni opere ſervili abſtinendo.

AUCTORE C. E.

* *fortè* ipſorum

ab omni opere ſervili

367 Videlicet feſtum Nativitatis Domini, Stephani prothomartyris, Joannis Evangeliſtæ, Circumciſionis Domini, Epiphaniæ Domini, Anthonii confeſſoris, Vincentii martyris, Converſionis S. Pauli Apoſtoli, Purificationis beatæ Mariæ, Cathedræ S. Petri, Mathiæ apoſtoli, Annuntiationis Dominicæ, Reſurrectionis Domini cum diebus Lunæ & Martis ſequentibus, Georgii martyris, Marci Evangeliſtæ, Apoſtolorum Philippi & Jacobi, Johannis Evangeliſtæ ante portam Latinam, Aſcenſionis Domini, Penthecoſtes cum duobus diebus ſequentibus, beatæ Trinitatis & ſanctæ Euchariſtiæ, Barnabæ Apoſtoli, Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, B. M. Magdalenæ, Jacobi Apoſtoli, Nazarii & Celſi, Petri ad vincula, Laurentii martyris, Aſſumtionis B. Mariæ Virginis, S. Symphoriani in civitate & ſuburbiis Æduenſibus, Bartholomæi Apoſtoli, Decollationis S. Joannis Baptiſtæ, beati Lazari in civitate & ſuburbiis Æduenſibus, Nativitatis Matris Domini noſtri, Exaltationis S. Crucis, Matthæi Apoſtoli, Andochii in civitate & ſuburbiis, Michaëlis archangeli, Leodegarii in civitate & ſuburbiis, Dionyſii martyris, Lucæ Evangeliſtæ, Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, S. Martini epiſcopi & confeſſoris, Andrææ Apoſtoli, Conceptionis noſtræ Dominæ, Thomæ apoſtoli, Patronorum eccleſiarum & illorum, ſub quorum vocabulis dotatæ ſunt; non intelligentes, quin alia feſta ſecundùm devotionem fidelium obſervari poſſint, ſed non præcipientur obſervari ſub pœnis à jure ordinatis, niſi more ſolito.

E

F

colendus, anno 1468 *ſtatuitur, quod ſaltem ad annum*

368 Et ne hoc ſalubre ſtatutum ſeu conſtitutio ſynodalis conniventibus oculis ſub diſſimulatione tranſeat; injungimus omnibus archipresbyteris & eccleſiarum rectoribus noſtræ civitatis & diœceſis, ſub pœnis quinquaginta ſolidorum Turonenſium, ut infra duos menſes proximos in ſua parochiali eccleſia hanc conſtitutionem de verbo ad verbum ſcriptam habeat authenticè in pergameno in tabula lignea, ut ponant ſuper altare, aut in loco eminenti, ut videntes videant, & de prædictis ignorantiam non habeant. *Ita hactenus ſtatutum ſeu decretum ſynodale Auguſtodunenſe laudatum, quo feſta eo ordine, quo per annum à Nativitate Dominica computatum occurrunt, enumerantur, quoque eorum alia cum obligatione per totam diœceſim Auguſtodunenſem ab omni opere ſervili abſtinendi, alia autem, interque ea feſtum* S. Leodegarii, *cum eadem obligatione ad ſolam urbem Auguſtodunenſem, ejuſque ſuburbia extensâ celebranda ſtatuuntur, ut adeò* Leodegarius *ab anno* 1468, *quo, ut jam antè innui, ſtatutum illud ſeu decretum Auguſtodunenſe de feſtorum obſervatione eſt conditum,*

AUCTORE C. B.

apud Augustodunenses festo absque opere servili transigendo indubiè fuerit honoratus. Imò, cùm in decreto seu statuto jam recitato dicatur, ordinamus & præcipimus omnibus subditis nostris, sub excommunicationis & omni alia pœna in antiquis ordinationibus prædecessorum nostrorum taxata, festa sequentia, *inter quæ festum* S. Leodegarii *numeratur*, servare, *consequi videtur, ut Sanctus jam dudum ante annum* 1468 *honore illo Augustoduni fuerit affectus. Potiori etiam jure erui idipsum posse videtur ex hoc statutis seu decretis synodalibus in synodo memorata conditis præmisso proœmio:* Statuta antiqua hujus civitatis & diœcesis Æduensis noviter confirmata & corroborata per reverendissimum in Christo patrem ac dominum nostrum dominum Johannem Rolin titulo S. Stephani in Celio-monte presbyterum Cardinalem & episcopum Æduensem hoc præsenti anno Domini MCCCCLXVIII, & per reverendum in Christo patrem dominum Anthonium Bussonis sacræ Theologiæ professorem, episcopum Bethleëmitanensem & priorem Auziaci & S. Rachonis: & per egregios & circumspectos viros *&c. Cùm enim his verbis in-*

B *sinuetur, statuta seu decreta antiqua civitatis & diœcesis Æduensis seu Augustodunensis duntaxat confirmari per decreta seu statuta, quæ subjiciuntur, horumque unum existat decretum antè recitatum, quo* S. Leodegarii *festum in civitate Augustodunensi ejusque suburbiis, modo antè dicto, celebrandum statuitur, consequens esse videtur, ut jam ante annum* 1468 *de festo* S. Leodegarii *cum obligatione in civitate Augustodunensi ejusque suburbiis ab omni opere servili abstinendi celebrando statutum aliquod seu decretum apud Augustodunenses exstiterit, ac proin ut* Leodegarius *jam dudum ante annum* 1468 *festi cum obligatione plùs semel jam memorata celebrandi honore Augustoduni, ut apparet, fuerit gavisus.*

usque 1534 *observatum fuit, uti liquet ex Kalendario,*

369 *Ast, inquies, quanto quidem tempore honor ille* Leodegario *ab Augustodunensibus delatus annum Christi* 1468 *antevertit? Respondeo, nihil omnino suppetere, quo id certò definiam, ac proin rem hanc me nolle discutere. Assero interim decretum seu statutum de festo, quo* Leodegarius *in civitate Æduensi, ejusque suburbiis colendus est, anno* 1468 *in synodo pluries memorata conditum, absque ullo dubio Augustoduni ad annum usque* 1534 *obtinuisse. Etenim mihi ad manum*

C *est Breviarium ad ritum diœcesis Æduensis Jacobi Huralti episcopi auctoritate anno* 1534 *excusum; huic autem Calendarium præfigitur, in quo omnia festa vi decreti seu statuti synodalis sæpius memorati in diœcesi Augustodunensi celebranda rubris litteris notantur, ut in eo verosimiliter sic notentur omnia omnino festa, ac proin ut festum* S. Leodegarii, *cùm id rubris litteris in dicto Calendario pariter notetur, in civitate Augustodunensi ejusque suburbiis anno* 1534 *indubiè fuerit celebrandum, & quidem cum obligatione sæpius dicta, ab omni scilicet opere servili in civitate saltem Augustodunensi, ejusque suburbiis abstinendi. Etenim Calendarium illud* S. Leodegarii *festum ritu quadruplici, quo tantùm Nativitatem Dominicam, festum omnium Sanctorum, aliaque quædam festa majora signat, celebrandum notat, ut adeò Sancti nostri festum, quemadmodum & alia festa majora ibidem notata, fuerit Augustoduni, inque hujus civitatis suburbiis celebrandum. Porrò præfatum Breviarium Augustodunense, quòd sibi, ut jam dixi, præfixum habet Kalendarium festa in diœcesi, aut urbe Augustodunensi ejusque suburbiis celebranda* D *complectens, Lectiones triginta novem pro Officio ecclesiastico in honorem* S. Leodegarii *die* 2 *Octobris, sexque aliis diebus (Sanctus enim non tantùm festo ritus quadruplicis, sed & Octavâ ibi colitur) recitandas continet, novem nempe ipso Sancti festo, Dominicâ infra Octavam, inque Octavæ Vigilia totidem; tres verò diebus Octavæ reliquis, excepto die octavo, quo ob festum SS. Dionysii, Rustici & Eleutherii Officio ecclesiastico novem Lectionum tunc celebrandum, solùm fit* S. Leodegarii *sine ulla de eo Lectione commemoratio. Oratio quidem Sancto propria, quâ tunc id fit, quæque diebus Octavæ præcedentibus in Laudibus, Vesperis & Minoribus Horis recitanda fuit, hæc est:* Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Leodegarii episcopi & martyris passione fecisti: da Ecclesiæ tuæ dignè de tanto Pontifice gaudere, ut apud misericordiam tuam exemplis ejus adjuvemur & meritis. Per Dom. *Lectiones autem dictæ triginta novem, quæ per Octavam* S. Leodegarii *in prædicto Breviario recitandæ præscribuntur, fragmenta sunt ex Vita Sancti per anonymum vetustiorem, & ex Historia Translationis ejus ad agrum Pictaviensem per Audulphum abbatem conscripta, magna ex parte, licèt aliis subinde verbis concipiantur, deprompta.* F

quod Breviario Augustodunensi anni 1534, *ad cujus*

370 *Videtur nihilominus is, qui Lectiones dictas concinnavit, præ oculis etiam habuisse Morbacensem Vitæ* S. Leodegarii *scriptorem anonymum; nam & in Lectione, quam in die Octavæ quinta secundo loco recitandam assignat, ait, Ebroinum, quod & anonymus Morbacensis ex Ursino prodit, quatuor viros, qui* Leodegarium, *cùm hic jam in domo Chrodoberti resideret, occiderent, submisisse; Lectione autem prima, quam die Octavæ sexto proponit, quartum è quatuor illis viris, qui tribus reliquis immitior* Leodegarium, *Ebroini imperio obsequens, occidit,* Wardardum *appellat, quod pariter anonymus Morbacensis facit, & solus quidem è tribus antiquioribus* Leodegarii *biographis, ut adeò nomen illud Brevjarii Augustodunensis laudati concinnator ex anonymo Morbacensi hauserit, huncque proinde etiam sibi prælucentem habuerit; quod tamen non pro certo, sed pro verosimili tantùm habeo, quia laudatus concinnator alio vel recentiori vel etiam antiquiori monumento nunc deperdito aut certè mihi ignoto, in quo pariter nomen* Wardardi *erat expressum, forsitan usus fuerit. Exstitisse enim monumentum aliquod ipso anonymo Morbacensi antiquius, in quo vir ille, qui* Leodegarium *jussu Ebroini occidit,* Wardardus *vocabatur, ex eo mihi sat verisimile apparet, quòd ipsemet anonymus Morbacensis, cùm uno seculo aut fortè etiam serius post* Leodegarium *floruerit,* Wardardi *nomen, quod* Leodegarii *occisori attribuit, ex alio monumento antiquiori didicisse videatur. Fieret autem id multò verisimilius, si anonymus Morbacensis multò serius, quàm seculo integro post* Leodegarium *vixisse probaretur, quod forte etiam veritati consonat, nec pugnat cum iis, quæ num.* 31 *de ætate hujus biographi adstruxi. Cùm enim ibidem dixerim, videri anonymum Morbacensem uno tantùm seculo aut paulò serius post* Leodegarium *scripsisse, de re illa me dubitare, satis innui.* E

Lectiones aliquid notatur, est præfixum.

371 *Et verò si quam fidem mereatur notitia quædam de monasterio Morbacensi, quam dat Scriptura, cujus partem num.* 346 *ac deinde num.* 352 *recitavi, à Petro Francisco Chifletio Societatis nostræ sacerdote ad Majores nostros transf-*

A *transmissa, multò serius quàm seculo uno post* Leodegarium *floruisse anonymum Morbacensem suspicari fas est. Etenim illa notitia sic habet;* Est quidam locus in finibus Alsatiæ, Morbac dictus, ubi collocavit Dominus sancti Martyris (*Leodegarii*) caput, fertile virtutibus, quasi in umbilico terræ illius, scilicet cælestem gemmulam includens in auream concham. Nam pinguissimi colles vinifera latera applicantes, efficiunt florigeram vallem ceu paradisum æmulantem, & baccheo sanguine abundantem. In summitate illius vallis in locis sylvestribus congregatio peregrinorum excubat super caput pretiosum. Est enim consuetudo ex tempore antiquo, ut in Rogationibus, quas invenit sanctus Mamertus, Viennensis episcopus, videlicet in Vigilia Ascensionis Dominicæ, extrahantur de latibulis omnes reliquiæ & deportentur in supradictam vallem & spatiosam planitiem. Moderno itaque tempore, videlicet sub Heberhardo ipsorum peregrinorum abbate, qui ipsius Martyris (*Leodegarii*) Vitam prælucidè jussit enucleare. Reliqua, *subdit laudatus Chiffletius*, deerant in Ms. codice; *sed ea, quæ jam recitavimus, ad*
B *præsens institutum sufficiunt. Cùm itaque anonymus Morbacensis, ut num.* 31 *docuimus, imperio cujusdam patris seu abbatis, verosimiliter Morbacensis, à quo in mandatis acceperat, ut, quemadmodum ipsemet in Prologo loquitur,* B. Leodegarii venerabiles actus celebrandamque passionem ad lucidiorem ordinatioremque modum scribendo *reduceret, Vitam* Leodegarii *conscripserit; in adducta autem Notitia dicatur Heberhardus peregrinorum, id est, monasterii Morbacensis, quod* Vivarius-peregrinorum *vocabatur, abbas jussisse Vitam* S. Leodegarii prælucidè enucleare, *suspicio oriri potest, abbatem Morbacensem, cujus imperio anonymus Morbacensis Vitam Sancti litteris mandavit, diversum non esse ab Heberhardo, Morbacensis cœnobii abbate, qui in præfata notitia dicitur Vitam* S. Leodegarii *dilucidè enucleari jussisse; unde consequens est, suspicari fas esse, anonymum Morbacensem serius quàm uno seculo post* Leodegarium *scripsisse. Etenim in Spicilegio ecclesiastico Germaniæ tom.* 5 *pag.* 941 *in Catalogo abbatum Morbacensium de Eberhardo seu Heberhardo Morbacensis monasterii abbate hæc leguntur:* Eberhardum anno MXLI
C vixisse, constat ex authenticis Actis Translationis reliquiarum sanctissimorum Desiderii & Regenfridi martyrum, hoc siquidem anno, annuente prælaudato Eberhardo, veneranda sanctissimorum martyrum ossa solemnissimâ pompâ translata fuêre Murbaco ad ecclesiam ab iisdem nuncupatam & prope Dattenriedt in finibus Alsatiæ sitam. *Quibus verbis cùm intelligatur Eberhardus seculo* XI *floruisse, consequens est, ut, si suspicari fas sit, quòd jam antè fas esse innui, Eberhardum diversum non esse ab abbate Morbacensi, cujus imperio anonymus Morbacensis Vitam* S. Leodegarii *conscripsit, suspicari pariter fas sit, eumdem Morbacensem anonymum seculo* XI, *ac proin multò serius quàm uno seculo post* Leodegarium *vixisse. Id observare hîc libuit, ne quis fortè pro indubitato habeat, anonymum Morbacensem uno tantùm seculo aut paulò serius post* Leodegarium *vixisse, ac proin majorem ipsi auctoritatem attribuat, quàm ipsi in hoc Commentario prævio attribuendam censuimus.*

AUCTORE C. B.

§ XXV. Cultus S. Leodegarii Atrebati, Pictavii, pluribusque aliis Galliarum & Belgii, uti etiam Germaniæ, locis.

Cultus S. Leodegarii in Atrebatensi.

NOn facile dictu est, *inquit Mabillonius Seculo 2 Benedictino pag.* 706, quantam B. Leodegarius apud populares suos venerationem habeat; *ita scilicet generatim de celeberrimo* S. Leodegarii *cultu pronuntiat hic scriptor. At nos totum hunc § insumemus demonstrando in particulari cultum, quo Sanctus in pluribus tum Belgii, tum Galliarum atque etiam Germaniæ locis latissimè extenso gaudet. Ab Atrebatensi in Artesia episcopatu, in quo Sancti corpus primò jacuit sepultum, duco initium. Ad manum habeo Officia propria festorum, quæ, ut præfert titulus, in ecclesia Atrebatensi* antiquitus solita sunt celebrari; *anno* 1632 *Atrebati typis excusa. Officiis illis præmittitur Kalendarium seu* E *potius Directorium ad legendas Horas canonicas, Missasque celebrandas. In hoc festum* S. Leodegarii *episcopi martyris ritu duplici præscribitur celebrandum* 2 *Octobris die, quo etiam inter Officia propria memorata, quæ dicto Kalendario seu Directorio subnectuntur, Officium de* S. Leodegario *occurrit, in quo quatuor Lectiones, quarta scilicèt, quinta & sexta, Sancto sunt propriæ. Desumptæ illæ sunt ex* Leodegarii *Vita per Ursinum conscripta. Porrò ad manum etiam habeo Breviarium Atrebatense, quod diu ante annum* 1632 *manu exaratum est. Liquet ex illo, verum esse id, quod titulus præfatis Officiis propriis Atrebatensibus præfixus affirmat, Festa scilicet, quorum Officiis præfigitur, ac proin etiam festum* S. Leodegarii, *in diœcesi Atrebatensi soluisse antiquitus celebrari. Dictum enim Ms. Breviarium ad diem secundam Octobris Officium de* S. Leodegario *etiam assignat, ut adeò festum* S. Leodegarii *etiam ratione anni* 1632 *solverit antiquitus Atrebati celebrari. Verùm Officium Breviarii Ms. jam dicti ab Officio, quod in laudatis Officiis propriis Atrebatensibus de* Leodegario *exstat, non parùm differt quoad Lectiones, quas utrumque in festo* S. Leodegarii *recitandas proponit. In posteriori enim tres tantùm;* F *in priori verò novem, quæ etiam ex Ursino depromptæ sunt, assignantur; nec mirum, quia illud ad normam Officiorum Breviarii Romani est exactum; hoc verò non item. Ad hæc Officium Breviarii Ms. ex hoc capite ab Officio typis excuso etiam discrepat, quòd hoc Orationem Sancto propriam non habeat; illud verò hanc habeat:* Omnipotens sempiterne Deus, sancto Leodegario sacerdote & martyre intercedente, cujus hodie natalicia celebramus, nostræ, quæsumus, fragilitati divinum prætende subsidium: ut apud Misericordiam tuam, pro qua ille felicem animam exhalavit, nos salutem sincera professione mereamur. P. *Alia de cultu Sancti nostri in diœcesi Atrebatensi mihi non innotescunt. Venio nunc ad cultum, quem habet in diœcesi Pictavensi, ad quam ex agro Atrebatensi fuit translatus.*

Pictavensi, Cameracensi.

373 *Ad manum habeo Kalendarium Ms., in quo festa diœcesi Pictavensi propria notantur. Ex hoc disco,* Leodegarium *in dicta diœcesi Atrebatensi Officio ritus semiduplicis ad secundam Octobris diem honorari. In hoc Sanctus, non nisi Orationem communem,* Deus, qui nos *&c, sed Lectiones tres secundi No-*

AUCTORE C. B.

Nocturni habet proprias, quarum ultima terminari notatur his verbis : Corpus ejus (*Leodegarii ſcilicet*) Pictavos delatum eſt, ac in monaſterio S. Maxentii ſepultum. *Poſt cultum Sancti Pictavienſem, de quo nihil amplius comperio, locus videtur exigere, ut de cultu ejus Cameracenſi, cùm diœceſis hujus nominis cum diœceſi Atrebatenſi, dum in hac Leodegarius jacuit ſepultus, fuerit unita, nunc agam. Inter Breviaria noſtra & Miſſalia antiqua, quorum magnam ſupellectilem habemus, antiquum exſtat Miſſale Cameracenſe, in quo de* S. Leodegario *ad ſecundam Octobris diem hæc Miſſa habetur : Introitus.* Lætabitur juſtus in Domino *&c. Pſalm.* Exaudi, Deus, orationem *&c. Oratio.* Votivos nos, Domine, quæſumus, beati Martyris tui atque pontificis Leodegarii natalis ſemper excipiat, qui & jocunditatem in nobis ſuæ glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos. Per Do. *Epiſtola :* Juſtus ſi morte *&c. Evangelium :* Niſi granum *&c. Secreta :* Sacrificium, Domine, quod deſideranter offerimus, gratum tibi beatus
B martyr & pontifex Leodegarius ſuffragator efficiat. Per Dominum. *Communio :* Qui vult venire *&c. Poſtcommunio :* Beati martyris tui atque pontificis Leodegarii, quæſumus, Domine, precibus adjuvemur, & ejus dignè ſolemnia celebrantes tuo Nomin. ſ.c ſemper eſſe devotos. Per Dnm. *Talis eſt, aut certè erat, cùm Miſſale memoratum fuit impreſſum,* S. Leodegarii *in diœceſi Cameracenſi Miſſa ; habet autem etiam Miſſale illud Kalendarium ſeu Directorium ſibi præfixum, in quo ad ſecundum Octobris diem* S. Leodegarius *Officio trium Lectionum celebrandus notatur, ut adeò ex ſolo illo libro ſeu codice diſcamus, quo potiſſimùm cultu eccleſiaſtico in diœceſi Cameracenſi gaudeat, aut certè, cùm Miſſale iſtud typis excuderetur, fuerit gaviſus.*

374 *A diœceſi Cameracenſi ad diœceſes Audomaropolitanam, Tornacenſem, Namurcenſem & Ultrajectinam, utpote & ipſas in Belgio ſitas jam progredior. In Breviario* ſecundùm morem, uſum & conſuetudinem eccleſiæ, *ut præfert titulus*, collegiatæ ſancti Audomari oppidi ſancti Audomari Morinenſis diœceſis *anno* 1518, *ac proin, quod etiam titulus mox allatus ſatis indicat, ante novorum in Belgio epiſcopatuum erectionem excuſo* S. Leode-
C garius *ad 2 Octobris Officio eccleſiaſtico in novem lectiones diviſo honoratur ; ſunt hæ ex Sancti Actis deprompta, hancque Orationem* Leodegario *propriam ſibi habent ſubjectam :* Deus, qui beatum Leodegarium, martyrem tuum atque pontificem, inter immania tormenta victorem eſſe feciſti, concede nobis meritis ejus, qui te fide & paſſione ſecutus eſt, ut nullis tentationibus ſuperati tibi conſtanter ſervire mereamur. Per. *Verùm novis per Belgium epiſcopatibus, eoſque inter Audomaropolitano, erectis, & Officiis eccleſiaſticis antiquis ad formam Breviarii Romani redactis, de Sancto noſtro in Ordinario* Sanctorum, qui particulariter in cathedrali eccleſia Audomarenſi celebrantur, *anno* 1610 *typis excuſo ſequens Officium præſcribitur :* Leodegarii epiſcopi & martyris duplex. Omnia de communi unius martyris. Oratio, Deus, qui nos. Lectiones ſecundi Nocturni, Principes perſecuti ſunt. Tertii, Homilia in Evangelium Si quis vult venire poſt me, *ut adeò in Officium eccleſiaſticum, quo* Leodegarius, *ineunte ſeculo* XVI, *Audomaropoli colebatur, non parva ad annum* 1610 *mutatio jam eſſet invecta, cui an non alia deinde acceſſerit, compertum non habeo, neque in id indagare operæ pretium duxi. Idem cogita de cultu* S. Leodegarii *eccleſiaſtico in nonnullis locis aliis, quem ex antiquis illorum Breviariis, Kalendariis & Miſſalibus jam inde vel probavi, vel porrò probaturus ſum. Id enim cultus* S. Leodegarii *cum cultu aliorum Sanctorum habet commune, ut in pleriſque locis, in quibus introductus eſt, frequentes mutationes ſubierit. Notet hîc tantummodò ſtudioſus lector, ex cultu Sancti antiquo probato veriſimilem ſaltem reddi cultum ejus hodiernum, ut ut fortè à primævo diverſum. Hoc annotato, videamus nunc, quo cultu Sanctus in diœceſi Tornacenſi gaudeat, ſeu potiùs antiquitus fuerit gaviſus. Hunc ex parte ſaltem docet duplex Miſſale Tornacenſe, quod ad manum habeo, alterum anno* 1498, *alterum anno* 1590 *typis editum ; in utroque enim ad ſecundam Octobris Miſſa de* S. Leodegario *aſſignatur. Accedit Breviarium civitatis Inſulenſis in diœceſi Tornacenſi ſita anno* 1533 *excuſum, in quo Officium ad ſecundam Octobris diem recitandum tres Lectiones ex Actis* S. Leodegarii *excerptas proponit.* D

375 *Quod jam pertinet ad diœceſim Ultrajectinam & Namurcenſem, in Miſſali prioris, quod anno* 1514 *typis eſt excuſum,* Leodegarius *Miſſam nomini ſuo inſcriptam, in Officiis verò propriis poſterioris anno* 1619 *excuſis duas ad ſecundam Octobris Lectiones ex Vita ſua habet deſumptas, ſi excipias hæc ſecundæ Lectionis poſtrema verba :* Poſtmodum tamen aliquam corporis (*S. Leodegarii*) portionem accepit Bronium, Namurcenſe ſancti Gerardi monaſterium. *Verùm de reliquiis* S. Leodegarii *in Bronienſi monaſterio exſtantibus poſt agetur ; lubet nunc aliquot ſaltem enumerare Galliarum diœceſes, in qua Sanctus noſter cultu eccleſiaſtico gaudet, aut certè gaviſus fuit iis annis, quibus Miſſalia vel Breviaria aut etiam Kalendaria, ex quibus cultum illum probaturus ſum, notantur excuſa. Incipio à diœceſi Antiſſiodorenſi. Hujus ad manum ſunt duo Breviaria diverſa, quorum alterum anno* 1571, *alterum anno* 1736 *fuit excuſum. His Breviariis accedit Kalendarium anni* 1735, *in quo feſtum* S. Leodegarii *ritu ſemiduplici ad 2 Octobris celebrandum notatur. Ex dictis binis Breviariis inter ſe collatis liquet,* Leodegarii *in epiſcopatu Antiſſiodorenſi cultum immutatum uſque non perſtitiſſe. Etenim in antiquiori Officium diei ſecundæ Octobris ſex Lectiones Sancto proprias ex Urſino depromptas exhibet ; ejuſdem verò diei Officium in recentiori anni* 1735 *duas tantummodo Lectiones de* S. Leodegario *ex anonymo ſimul & Urſino coeinnatas proponit. Duo pariter ad manum ſunt diœceſis Ambianenſis Breviaria, quorum alterum, quod eſt antiquius, impreſſionis annum non præfert, alterum anno* 1554 *impreſſum notatur. Utrumque in Officio eccleſiaſtico ſecundæ diei Octobris tres Lectiones de* S. Leodegario *ex Sancti biographis depromptas aſſignat. Idem etiam faciunt quatuor alia, quæ penes nos ſunt, Breviaria, Remenſe ſcilicet, quod anno* 1630, *Senonenſe, quod anno* 1625, *Turonenſe eccleſiæ S. Martini, quod anno* 1635, *& Biſontinum, quod anno* 1590 *typis excuſum notatur.* E

376 *Porrò Breviarium Lingonenſe anno,* 1604 *impreſſum, in feſto* S. Leodegarii *Officium novem Lectionum ex Urſino depromptarum aſſignat. Id ipſum etiam facit Breviarium Ebroïcenſe anno* 1586 *excuſum, in quo inſuper hæc habetur* S. Leodegario *propria Oratio :* Deus, qui beatum Leodegarium martyrem tuum in agone probâſti, & probatum in dolore ſuſtentâſti, quem hodierna die in cæleſtibus gaudiis recipere dignatus

aliiſque *tum Belgii* F *tum Galliæ*

A tus es, præsta nobis famulis tuis, ut qui gloriam non meremur, indulgentiam peccatorum nostrorum, ipso interveniente, adipisci mereamur. Per Dominum. *Eadem Oratio in Breviario Tullensi, quod anno* 1535 *est impressum, uti etiam in Breviario Remensi num. præcedenti laudato, ad secundam Octobris in festo* S. Leodegarii *recitanda assignatur; hoc autem mihi sat notatu dignum idcirco apparet, quòd penè ad verbum cum Oratione ex antiquo Missali, de quo, Gallicanumne antiquum sit, an tantùm Gothico-Gallicanum,* § XIX *inquisivimus, num.* 304 *recitata congruat, ac proin argumento utcumque esse possit, dictum Missale antiquum, cùm ex eo ad tria memorata Breviaria Gallicana, Tullense scilicet, Ebroïcense & Remense Oratio mox recitata transiisse videatur, non solùm Gothico-Gallicanum, sed & Gallicanum fuisse; seu non solùm in Gallia Narbonensi Gothorum dominio subjecta, sed etiam in aliis Galliarum provinciis, quod toto ferè* § XX *probare studui, fuisse usitatum. Argui id etiam utcumque, & quidem à fortiori, posse videtur ex Missali Virdunensi anno* 1554 *typis excuso. In Missa enim de* S. Leodegario, *quam illud ad 2 Octobris*

B *exhibet, non solùm Oratio, quam mox recitavimus, ex prædicto Missali antiquo, ut apparet, deprompta, sed & alia, quam ex eodem Missali num.* 305 *integram dedi, insuper occurrit, ut suspicari liceat, illam Virdunensem* S. Leodegarii *Missam ex Missa, quam sæpe dictum Missale continet, tunc, cùm antiqui in Galliis ritus ecclesiastici abrogarentur, aut paulò seriùs fuisse concinnatam, atque adeò Missale antiquum, ex quo concinnata videtur, in ecclesia Virdunensi, quæ certè ad Galliam Narbonensem non spectat, ante præfatam rituum antiquorum abrogationem verosimiliter fuisse usitatum. Sed hoc notâsse sufficiat, redeo ad inceptum.*

episcopatibus, quibus nonnulli

377 *In Breviario Parisiensi, quod anno* 1640 *excusum est, ad secundam Octobris ita notatur:* S. Leodegarii episcopi & martyris. Simplex. Oratio. Deus, qui nos beati. & cætera omnia de communi unius Mart.... Lectio prima de Scriptura occurrente. *Subdantur deinde duæ Lectiones ex Vita* S. Leodegarii *quoad substantiam desumptæ; licèt autem in Breviario Parisiensi anni* 1680 *festum Angelorum Custodum 2 Octobris die celebrandum proponatur,* de Leodegario *tamen,*

C *de quo etiam est Lectio nona, commemoratio præscribitur. Licèt item in Breviariis Virdunensi & Rothomagensi, quorum primum anno* 1560, *secundum anno* 1736 *impressum est,* de Leodegario *non fiat Officium, ejus tamen commemoratio præscribitur. Ast, uti in Breviariis num.* 375 *memoratis, ita iterum in Breviario Meldensi, quod anno* 1640 *est editum, Officium ecclesiasticum de* S. Leodegario, *quod tres Lectiones Sancto proprias continet, recitandum proponitur. Idem fit, vel certè olim factum est, uti disco ex plurimis Kalendariis Mss., quæ ad manum habeo, in Breviariis Macloviensi, quod à Joanne du Bec episcopo Macloviensi anno* 1603 *fuit recognitum, Andegavensi S. Albini, Aurelianensi S. Aniani, Bellovacensi, quod anno* 1554 *editum notatur, Bituricensi anni* 1625, *aliisque plurimis, ut adeò cultus* S. Leodegarii, *cùm in tot Missalibus jam memoratis Missâ, inque tot Breviariis Officio ecclesiastico, licèt non in omnibus æqualiter, honoretur, per Gallias & Belgium celeberrimus existat, & longè latéque sit propagatus. Indubitatum etiam rei hujus argumentum præbent ecclesiæ & altaria prope innumera* Leodegario *consecrata, paræciæque rurales ab eodem in ambabus illis regionibus nuncupatæ. Ut enim rem brevî expediam, in sola diœcesi Pictaviensi, uti disco ex Registro beneficiorum archiepiscopatûs Bituricensis anno* 1648 *Parisiis excuso, decem ut minimùm sunt ecclesiæ* S. Leodegario *dedicatæ; in diœcesi Atrebatensi paræciæ rurales Sancti nomine insignes tres, in Lemovicensi saltem quatuor, in Tornacensi, Bolonienſi, Engolismensi, Condomensi ut minimùm una, inque aliis multis plerúmque occurrunt plures, quas hic omnes recensêre, nimis longum foret, ut adeò vel ex hoc capite, cultum* S. Leodegarii *longè latéque per Gallias & Belgium esse propagatum, fiat perspicuum.*

AUCTORE C. B.

etiam in Germania accedunt.

378 *Nec solùm Sanctus in duabus illis regionibus cultu ecclesiastico latè diffuso, sed & in Germania gaudet; quod, antequam hunc* § *claudam, etiam lubet ostendere. Tria præ manibus habeo Missalia Germanica, Spirense scilicet, Moguntinum & Herbipolense, jam ab annis amplius ducentis excusa, quibus singulis ad 2 Octobris Missa de* S. Leodegario *inscribitur. Missalibus istis antiquis accedunt quinque antiqua itidem, jamque etiam à ducentis amplius annis impressa Breviaria, Herbipolense nimirum, Constantiense, Passavienſe, Wormatiense & Erfordianum, in*

E *quibus omnibus ad secundam Octobris Officium de* S. Leodegario *signatur, ut dubium non sit, quin* S. Leodegarius *cultu ecclesiastico multùm extenso etiam in Germania gaudeat, aut certè antiquitus fuerit gavisus; unde & de cultu Sancti ibidem hodierno non infundatam, prout num.* 374 *jam innui, feceris conjecturam. Ceterùm nullum quidem monumentum mihi suppetit, ex quo probem, cultum Officii ecclesiastici recitatione in Murbacensi & Mas-monasterienſi in Alsatia cœnobiis* Leodegario *deferri; cùm tamen duo illa monasteria* Leodegario *sint consecrata, seu, ut vidimus, in Sancti honorem exstructa, priorisque monachi sancti Martyris caput sese possidere glorientur, dubitandum non videtur, quin Sanctus à religiosis utriusque monasterii incolis Officii ecclesiastici in ejus honorem concinnati recitatione quotannis saltem semel honoretur. Non dubito etiam, quin Sanctus eadem veneratione in pluribus aliis Germaniæ locis gaudeat, sed cùm cultus, quo in regione illa gaudet, jam satis superque sit probatus, in rem illam pluribus inquirere supervacaneum existimo, atque ad tractandum de sacris Sancti reliquiis progredior.*

F

§ XXVI. Plures caput S. Leodegarii sibi vindicant, & an alicubi hoc integrum existat.

Caput S. Leodegarii sibi vindicant Morbacenses.

S*Ex sunt Ordinis Benedictini cœnobia, quæ sacrum* S. Leodegarii *caput apud se asservari contendunt. E cœnobiis illis quinque sunt virorum, nempe Morbacense in Alsatia, pro cujus notitia videsis* § XX, *Maymacense in diœcesi Lemovicensi, Gemeticense in diœcesi Rothomagensi, Pratellense in diœcesi Lexoviensi & Atrebatense S. Vedasti; unum verò feminarum, Suessionense scilicet S. Mariæ. Hisce monasteriis accedit locus aliquis in Comitatu Burgundiæ,* Chastillon sous Mesches *dictus, cujus incolæ, ut Chifletius Societatis nostræ sacerdos ad Vitam* S. Leodegarii *per anonymum Morbacensem conscriptam in margine annotavit, sacro* S. Leodegarii *capite pariter gloriantur. Morbacensis monasterii monachi, ut caput* S. Leodegarii *sibi vindicent,* Primariis, *inquit Mabillonius Sæculo 2 Benedictino paginâ*

AUCTORE C. B.

706, abbatiæ ſuæ inſtrumentis, & antiquo nituntur teſtimonio illius auctoris, qui S. Leodegarii Vitam tertius ante annos octingentos ſcripſit. Quippe Eberhardus Aleſatiæ dux, Murbacenſis cœnobii conditor, eccleſiam S. Petro & B. Leodegario per Widegernum Argentinenſem epiſcopum anno Chriſti DCCXXXIII dedicari curavit. Unde in ipſius epitaphio, *quod num.* 321 *recitavimus*, legitur hic verſus :

Pro tibi donatis, Leodegari, junge beatis.

Et Vitæ Leodegarii ſcriptor (*anonymus ſcilicet Morbacenſis*) tertius, de quo in Obſervationibus præviis diximus, teſtatur, in finibus Alamanniæ glorioſum caput inclyti Martyris ſervari ac miraculis illuſtrari in quodam monaſterio, quod non aliud eſt ſine dubio à Murbacenſi. Nam iſtud monaſterium in confinio Voſagi, Alamanniæ & Aleſatiæ poſitum eſt, monſtrantque uſque hodie S. Leodegarii caput monachi Murbacenſes, quod à primo loci conditu penes ſe habere aſſerunt, ob idque eccleſiam ſuam in S. Leodegarii honorem conſecratam eſſe. *Ita Mabillonius, qui utinam produxiſſet primaria abbatiæ Morbacenſis inſtrumenta, quibus, ut ait,*

B *Morbacenſes monachi nituntur, ut caput* S. Leodegarii *apud ſe ſervari affirment. Ex his fortè hîc aliquid certius ſtatui potuiſſet. Affert quidem in Appendice ad tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 700 *& quatuor ſequentibus tria diverſa antiqua inſtrumenta ad monaſterium Morbacenſe ſpectantia, ſed ex his pro capite Morbacenſibus in Alſatia monachis aſſerendo nihil certi poteſt confici.*

Maymacenſes, 380 *Nolim tamen ego aſſerere, apud Morbacenſes monachos caput* S. Leodegarii, *aut ſaltem ejus partem, quod fortè hi tantummodo contendunt, non exiſtere. Imò ſat credibile apparet, Eberhardum, monaſterii Morbacenſis fundatorem, caput* S. Leodegarii, *conſanguinei ſui, aut ſaltem ejus partem ab iis, quos penes erat, impetrâſſe, illudque in monaſterio Morbacenſi à ſe condito collocâſſe, ut proinde religioſi illius incolæ jam inde à cœnobii ſui exſtructi initio pretioſiſſimi illius theſauri, capitis, inquam,* S. Leodegarii, *aut ſaltem ejus partis poſſeſſores forſan exſtiterint. Ad hæc caput* S. Leodegarii *aut ſaltem ejus partem apud Murbacenſes à longiſſimo tempore aſſervari, argumento eſſe poteſt, quòd* S. Leodegarii *nomen, quod in privilegiis, diplomatibus, donationumque Chartis poſtponi primò ſoluerat nominibus reliquorum Sanctorum, in quorum honorem monaſterium Morbacenſe fuerat conſtructum, in hujuſmodi deinde inſtrumentis ſæpe vel primo loco exprimatur, vel certè, omiſſis ſanctis aliis monaſterii*

C *Patronis, ſolitariè ponatur. Liquet id ex octo diverſis diplomatibus, quæ tom.* 5 *Spicilegii eccleſiaſtici Germaniæ à pag.* 955 *uſque ad pag.* 960 *inſerta ſunt, monaſterio Morbacenſi Seculo* VIII *&* IX *conceſſis; in his quippe* S. Leodegarius *vel ſolus nominatur vel aliis Sanctis præponitur, ut adeò Sancti cultus in dicto monaſterio Morbacenſi creviſſe videatur, idque fortè, ut ſuſpicari fas eſt, non alia de cauſa, quàm quòd caput ejus ibidem vel integrum vel ſaltem ex parte exſtaret. Venio nunc ad Maymacenſes in diœceſi Lemovicenſi monachos, qui, uti jam monui, caput* S. Leodegarii *apud ſe ſervari, pariter contendunt. Bernardus Guido Lutevenſis epiſcopus, cujus verba num.* 10 *data hîc iterum repeto, in Tractatu de Sanctis Lemovicenſibus num.* 40 *à Labbeo tom.* 1 *Novæ Bibliothecæ inſerto ſic habet :* S. Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi & martyris, quem Ebroïnus, major-domûs regiæ decollavit, & exocu-

lavit, manus & caput apud Maymacum in monaſterio pia devotione venerantur. *Bernardo Guidoni aſſentitur Gaufredus prior Voſienſis, apud Labbeum tom.* 2 *Novæ Bibliothecæ pag.* 285 *ſub finem ſic ſcribens :* Meimacenſes manus & caput Leodegarii, quem Ebroïnus decollavit, pia devotione venerantur. *Poſſident ergò juxta duorum illorum ſcriptorum teſtimonium Maymacenſes in diœceſi Lemovicenſi monachi* S. Leodegarii *caput, ſed, an integrum? id non edicunt.* D

Gemeticenſes & Atrebatenſes S. Vedaſti monachi,

381 *Idem fit à Mabillonio, aliiſque ſcriptoribus, quantùm ad Gemeticenſes in diœceſi Rothomagenſi monachos, qui, uti jam monui, caput* S. Leodegarii *ſeſe poſſidere, pariter gloriantur. Nec majori diſtinctione loquitur Arnoldus Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico, dum caput* S. Leodegarii *Atrebatenſi S. Vedaſti monaſterio attribuit. Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 681 *num.* 5 *de capite* S. Leodegarii *apud Atrebatenſes S. Vedaſti monachos, ut contenditur, ſervato ita ſcribit :* In ejuſdem (*Leodegarii*) tranſlationis enarratione *è pago Atrebatenſi ad agrum Pictavienſem,* quam proximè deſcripſimus, caput à reliquo ſancti Leodegarii corpore ſeparatum non legitur. Inter reliquias tamen, quas Atrebatenſes in celeberrimo ſancti Vedaſti monaſterio cuſtodiunt, ab Arnoldo Rayſſio in Hierogazophylacio Belgico recenſetur caput ſancti Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi & martyris, capſellâ ex argento deaurato elaboratâ ditatum. Et apud Andream Sauſſayum in Martyrologio Gallicano Vindicianus, Atrebatenſis epiſcopus ac monaſterii Vedaſtini præcipuus conditor, idem ſancti Leodegarii caput ſibi vendicâſſe ſic dicitur : Caput hujus ſancti Martyris nihilominus ſanctus Vindicianus in pignus & monimentum pietatis ſibi vendicavit, quod hodieque Atrebati ſervatur in ſcrinio argenteo antiqui operis, in monaſterio ſancti Vedaſti. *Ita rectè proponit Cointius, quid de capite* S. Leodegarii *apud Atrebatenſes S. Vedaſti monachos aſſervato ſcriptum inveniatur. At mox innuit, ſe non putare, id, quod docet Sauſſayus, ſcilicet caput* S. Leodegarii *in territorio Atrebatenſi, dum Sancti corpus Pictavium transferretur, Vindiciano interveniente, permanſiſſe, viamque, utut valdè communem, aperit, quâ controverſia, quam attingit, de capite* S. Leodegarii *inter monachos Maymacenſes & Atrebatenſes ſancti Vedaſti dirimatur.* E F

qui tamen ſecummet ipſis forſan poſſunt uti &

382 *En ipſa ejus verba :* Vindicianus è tribus quidem epiſcopis fuit, qui de ſancti Leodegarii corpore contenderunt, ſed illud corpus ex Atrebatenſi diœceſi, ubi ſepultum primò fuit, in Pictavienſem delatum eſt integrum, ut ex ſupradictis conſtat. Verùm poſt aliquot annos, monaſterium Vedaſtinum, cùm à Vindiciano epiſcopo plurimùm auctum fuiſſet, ampliſſimas quoque poſſeſſiones ex munificentia Theodorici regis accepit. Tunc autem Vindicianus epiſcopus & Theodoricus rex in votis forſitan habuerunt, ut è S. Maxentii monaſterio in Vedaſtinum ſive ex epiſcopatu Pictavienſi in Atrebatenſem, ubi beatus Athleta martyrium conſummârat, pars reliquiarum reveheretur. Id admodum probabile putamus. Supereſt difficultas, quoniam in Tractatu Bernardi Guidonis de Sanctis, qui Lemovicenſem diœceſim exornant, caput & manus beati Leodegarii dicuntur apud Maymacum in monaſterio pia devotione cuſtodiri. Dirimetur hæc controverſia, ſi monachis Vedaſtinis pars tantùm capitis, altera pars aſcetis Maymacenſibus tribuatur. *An ſacrum* Leodegarii

corpus

A *corpus integrum, ne capite quidem deficiente, ad agrum Pictavienſem fuerit tranſvectum, poſtque tantummodo caput ad Vedaſtinos monachos Pictavio ſit relatum, veterum monumentorum penuriâ definire non valeo; puto autem revera monachorum Maymacenſium & Vedaſtinorum, ut Cointius indicat, de corpore* S. Leodegarii *controverſiam poſſe componi, ſi ambo, ut fortè faciunt, non integrum* S. Leodegarii *caput, ſed ejus tantùm partem ſeſe poſſidere contendant.*

cum ſanctimonialibus Sueſſionenſibus conciliari,

383 *Eodem modo, prout pariter exiſtimo, cum Atrebatenſibus S. Vedaſti monachis & Maymacenſibus, uti etiam ſecummet ipſis conciliari poſſunt monachi Murbacenſes, Gemeticenſes, iique, qui, ut jam dixi, in comitatu Burgundiæ caput* S. Leodegarii, *laudato Chiffletio teſte, habere dicuntur, ſi ſinguli non integrum Sancti caput, ſed ejus dumtaxat partem ſeſe poſſidere contendant. At nondum propterea, quantùm exiſtimo, hos inter & ſanctimoniales S. Mariæ Sueſſionenſes conveniret, ſi religioſæ illæ virgines integrum* S. Leodegarii *caput & corpus ſibi vindicarent, prout ab his fieri D. Michaël Germanus, qui tamen ſecundùm dicenda num.* 394 *factum non approbat, innuere videtur pag.* 398 *Hiſtoriæ, quam de earumdem monaſterio conſcripſit: aſt is dominus veroſimiliter, prout ex dictis num.* 10 *hujus Commentarii prævii facile eſt colligere, hallucinatus hîc eſt, ac proin non eſt, cur cerìò ſtatuam Sueſſionenſes S. Mariæ Sanctimoniales revocari in concordiam non poſſe cum Atrebatenſibus S. Vedaſti monachis, aliiſque, ſi ſinguli non integrum* S. Leodegarii *caput, ſed ejus tantùm partem ſeſe habere contendant. Major difficultas occurrit circa Pratellenſes in diœceſi Lexovienſi monachos. Hi enim, ut apparet, contendunt, integrum* S. Leodegarii *caput penes ſe eſſe, ſola mandibula excepta. Docet id Arturus du Monſtier, Rothomagenſis Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum presbyter, in ſua Neuſtria Pia pag.* 515. *Ibi enim ad hunc titulum* Reliquiæ in Theſauro monaſterii Pratellenſis inventæ, & per dominum abbatem viſitatæ, anno Domini MCDLXV in die S. Marci Evangeliſtæ *enumerat omnes Sanctorum reliquias anno* 1465 *in monaſterio Pratellenſi inventas, iiſque primo loco accenſet* Caput S. Leodegarii cum quatuor dentibus, ad ipſum adhuc tenentibus, in capſa argentea deaurata; *recenſitis autem ceteris Sanctorum lipſanis in monaſterio dicto exſtantibus, ſubdit:* In baſi autem præfatæ thecæ S. Leodegarii, hi leguntur verſus exarati:

C Hoc Leodegarii caput eſt in vaſe locatum,
Pœnâ martyrii trina velut dignè * probatum:
Lingua mulctatum, cæſa, prout antea, fatur,
Orbibus orbatum, terebro demum reſecatur.

* *forſan* igne

384 *Verſibus his quatuor, quod huc potiſſimùm facit, ſubjungit laudatus Arturus:* Mirabile dictu! caput hujuſce S. pontificis & martyris Leodegarii ex omni parte integrum eſt, exceptâ mandibulâ, licèt per tempora ſit terebratum ac perforatum; quod pro pietate vidi, veneratus ſum, & oſculatus, atque meis manibus pertractatus * anno MDCXLI. *Cùm itaque Pratellenſes monachi, uti ex verbis Arturi ultimò recitatis conjicere fas eſt, totum* S. Leodegarii *caput, ſolâ mandibulâ exceptâ, ſeſe habere exiſtiment, non facilè futurum eſt, ut in concordiam adducantur cum Atrebatenſibus S. Vedaſti monachis, aliiſque ſuprà nominatis, idque etiamſi horum ſinguli non integrum* S. Leodegarii *caput, ſed ejus dumtaxat partem ſibi vindicare ſtatuantur. Etenim non facilè mihi perſuaſerim, illos omnes minutam dumtaxat mandibulæ capitis* S. Leodegarii *partem ſibi vindicare, quod tamen neceſſe eſt, ut cùm Pratellenſibus monachis conſentiant, cùm hi integrum* S. Leodegarii *caput, ſolâ mandibulâ exceptâ, penes ſe eſſe contendant. Hinc jam conſequens eſt, ut vel Pratellenſes monachi integrum* S. Leodegarii *caput, exceptâ ſolâ mandibulâ, non poſſideant, vel ut alii omnes, qui vel caput integrum Sancti, vel ejus ſaltem partem ſibi vindicant, genuinas non habeant* Leodegarii *reliquias, ſi hæ, quas ſibi vindicant, non ſint vel tantùm Sancti capitis mandibula, vel hujus particula aut fortè etiam oſſiculum ex temporibus Sancti, teſte laudato Arturo, perforatis deſumptum. Aſt, ſciſcitabitur nunc fortè non nemo, quibuſnam hîc aſſentiendum eſt, an Pratellenſibus, qui integrum* S. Leodegarii *caput, an verò aliis, qui capitis* S. Leodegarii *partem mandibulâ majorem aut minutam tantùm ejus particulam ſeſe habere gloriantur.*

AUCTORE C. B.

at non item cum monachis Pratellenſibus, qui ferè integrum,

* pertractavi

385 *Reſpondeo, rem hanc non facili negotio poſſe decidi; at, cùm nihilominus minùs præſumendum videatur, errare Morbacenſes in Alſatia monachos, alioſque plures ſuprà nominatos, qui* S. Leodegarii *caput, ejuſve ſaltem partem, mandibulâ veroſimiliter, ut dixi, majorem ſibi vindicant, quàm ſolos Pratellenſes, qui idem illud ſacrum pignus totum & integrum, ſolâ mandibulâ exceptâ, ſeſe habere contendunt, in hanc ego, donec ex antiquis authenticiſque monumentis, quid certius didicero, opinionem propendeo, quâ exiſtimo, nec apud Pratellenſes, nec ob rationis ſimilitudinem, apud quoſcumque alios integrum* S. Leodegarii *caput exiſtere, idque, etiamſi mandibulam, ut Pratellenſes faciunt, aliaſque etiam partes minutas exceperis. At, inquit Mabillonius Seculo 2 Benedictino pag.* 706, *ubi tamen rem hanc indeciſam relinquit, Pratellenſes* oſtendunt litteras Radulfi Lexovienſis epiſcopi, ad cujus diœceſim attinent, anno milleſimo centeſimo octogeſimo tertio conceſſas, quibus fidem facit de conſecratione altaris in honorem S. Thomæ Cantuarienſis & S. Leodegarii martyris, cujus caput illic haberi ſignificat in hunc modum: „Notum ſit omnibus tam præſentibus, quàm fu-
„turis, quòd ego Radulfus Dei miſeratione Le-
„xovienſis epiſcopus conſecravi hoc altare in ho-
„nore S. Thomæ martyris & B. Leodegarii in
„die Exaltationis S. Crucis anno ab Inc. Domini
„milleſimo centeſimo octogeſimo tertio, regnan-
„te Francorum rege Philippo, Henrico rege An-
„glorum, Rothrodo archiepiſcopo Rotomagenſi.
„Confiſi ergò de miſericordia Dei & interceſſione
„prædictorum Martyrum, omnibus, qui ad hoc
„altare à nobis indignis conſecratum pio corde
„& contrito acceſſerint per totum primum an-
„num illius conſecrationis, & eleëmoſynas ſuas
„obtulerint; tertiam partem injunctæ pœnitentiæ
„relaxamus, & peccata, quæ memoriter humana
„fragilitas retinere non potuit, de quorum ta-
„men oblivione & contemptu peccator dignè
„pœnituit, nihilominus relaxamus. Singulis au-
„tem annis à Dominica antè Aſſcenſionem inter
„tres hebdomadas omnibus venientibus, & eleë-
„moſynas ſuas offerentibus ſimili modo ſuccur-
„rendum decrevimus: quoniam illis diebus caput
„glorioſi martyris Leodegarii à monachis hujus
„eccleſiæ, populo veniente, debet oſtendi, & o-
„rationes & eleëmoſynæ ab ipſis fieri, & pro ſa-
„lute offerentium Miſſa ſollemniter celebrari.
„Hoc igitur ad memoriam poſtetorum ſcripti
„no-

at apparet, Sancti caput ſibi vindicant,

E

F

AUCTORE C. B.

„ noſtri munimine, & ſigilli impreſſione duximus „roborandum„.

qua in re ut errent, prout veroſimiliter

386 *Tale eſt argumentum, quo, ut laudatus Mabillonius loco citato loquitur, jus ſuum, ad gloriam ſcilicet in poſſeſſione capitis* S. Leodegarii *ſitam, Pratellenſes tuentur. Verùm adducta Radulfi Lexovienſis epiſcopi littera non ad fidem, ut ex earum jam recitatarum tenore manifeſtum fit, de capite* S. Leodegarii *à Pratellenſibus aſſervato faciendam confecta ſunt, ac proin Radulfus Lexovienſis epiſcopus non ex certa notitia, diligenti examine præmiſſo, acquiſita, ſed ex ſola communi fama exiſtimandus eſt in præfatis litteris capitis* S. Leodegarii *poſſeſſionem Pratellenſibus monachis adſcribere, ut adeò hi ex illis rem nequeant conficere. Adde, quòd in iiſdem litteris Radulfus Lexovienſis epiſcopus caput* S. Leodegarii, *quod à Pratellenſibus poſſideri innuit, totum & ex omni parte, ſolâ exceptâ mandibulâ, eſſe integrum, ne vel verbo inſinuet. Aſt, inquies, ſi integrum* S. Leodegarii *caput, exceptâ mandibulâ, penes Pratellenſes monachos non ſit, conſequens eſt, ut hi aut potiùs eorum majores caput, quod apud eos integrum, exceptâ mandibulâ, aſſervatur, temerè nec ſine doli & fraudis ſuſpicione*

B

pro capite S. Leodegarii *venditârint. Reſpondeo, nec monachos Pratellenſes, nec quoſcumque alios ſuprà memoratos, licèt etiam omnes & ſinguli integrum Sancti caput, nulla omnino parte deficiente, ſibi vindicarent, temeritatis propterea, fraudiſve aut doli fore arguendos; quod ſic oſtendo. Joannes Ferrandus Societatis noſtræ ſacerdos in ſua Diſquiſitione Reliquiaria lib.* 1 *varias* ſuſpiciendæ & ſuſpectæ multitudinis earumdem, *ut loquitur*, in individuo reliquiarum *cauſas adducit; unam autem libri citati cap.* 6 *articulo* 1 *allegat, quâ facilè à temeritate, fraudiſque ac doli ſuſpicione liberantur, quicumque eaſdem in individuo reliquias ſibi vindicant. Cauſam illam à tabulis, in quibus reliquiæ à poſſeſſoribus ſuis fuerant notatæ, deperditis repetit. Ut res plana fiat, lubet nonnulla ejus verba ad propoſitum noſtrum præcipuè ſpectantia huc tranſcribere. Articulum proximè citatum ſic inchoat:* Quanta ſit, ſemperque fuerit in rebus omnibus, ſeu privatis, ſeu publicis, tabularum fides apud reſpublicas bene conſtitutas, imò & apud nationes omnes aliqua humanitate imbutas, ignorare nemo poteſt, ſi homo eſt: ea propter veterum tabularum jactura hoc plus contulit ad eaſdem numero reliquias, vulgi ſaltem Chriſtiani opinione, perſuaſione ac fide multiplicandas, quò certiùs de

C

illis poſteritati conſtitiſſet, nî à variis caſibus earumdem tabularum monumenta intercidiſſent. *Docet deinde multùm eccleſiæ, bonique publici fidelium intereſſe, ut ſingularum reliquiarum nomina, quas eccleſiæ poſſident, tabulis, annalibus atque aliis monumentis ſedulò teneantur inſcripta, laudatiſque nonnullis epiſcopis interque eos S. Carolo Borromæo, qui in eam curam præcipuè incubuerunt, affert etiam in rem ſuam, à quo tamen conſultiùs abſtinuiſſet, monumentum antiquum à pſeudo-flavio Dextro productum ſeu potiùs confictum, tandemque in hunc modum concludit.*

accidit, fraus doluſque

387 O utinam! ea ſemper cura univerſos eccleſiarum moderatores ac proceres ſollicitos habuiſſet, dediſſentque ſtudioſiſſimè operam, tum ut ſingularum reliquiarum nomina eccleſiaſticis tabulis, ſeu commemoratoriis inſcriberentur, tum ut inſcripta in ſuis tabulariis, & templorum chartophylaciis ac favillis *, ne intercide-

* faviosis

rent, aſſervarentur. Non jam vulgò jactaretur tanta earumdem reliquiarum vis, aliquibus plùs æquo fortè ſuſpecta, omnibus ſuſpicienda, ſi earum veritas planè, pleréque per vetera tabularum monumenta conſtaret: à quarum tabularum jactura illam ejuſdem generis reliquiarum multitudinem in orbem invectam fuiſſe, veroſimillimum eſt. Cùm nomina & habitudo ſingulorum lipſanorum, unà cum tabulis, quibus adſcripta erant, fortè fortunâ periiſſent, fideles partim ex majorum fide, partim ex communi ſenſu & fama, partim ex religioſo & inculpabili errore, illas ipſas, quibus fruebantur, reliquias iis adſcripſerunt Divis, vel quos maximi nominis ac ſanctitatis famâ inter cognomines eſſe noverant, vel quos nuncupari à majoribus ſolitos, quà nominum, quà reliquiarum ſimilitudine deluſi meminerant. Quod ſi Deus pro ſua bonitate fidelium pietati gratificaturus ad hujuſcemodi ſacra pignora dignatus fuiſſet miracula edere (ut fiebat non rarò) tum illi conceptæ perſuaſioni tenaciùs adhæreſcere non dubitarent.

D

intervenire non debet.

388 *Sentis jam, reor, erudite lector, quid ad præſens inſtitutum ex hac laudati Ferrandi concluſione poſſit erui, fieri ſcilicet poſſe, ut caput, quod Pratellenſes pro capite* S. Leodegarii *habent*, Leodegarii *tamen non ſit, idque ſine ulla eorum culpa, qui illud primi pro* Leodegarii *capite venditârunt. Rem ſic concipe: Poſſederint ii, à quibus Pratellenſe monaſterium, dum ſeculo* XI *conderetur, caput pro* Leodegarii *capite jactitatum accepit, cum parte capitis* S. Leodegarii *inſignes alias reliquias, eaſque inter etiam habuerint alicujus à* Leodegarii *diſtincti Sancti caput. Hoc poſito, fieri poteſt, ut reliquiarum illarum poſſeſſores dictum Sancti à* Leodegario *diverſi caput pro capite* Leodegarii *habuerint, proque tali etiam monachis Pratellenſibus dederint, quòd nempe carerent documentis, ex quibus ſingularum reliquiarum, quas poſſidebant, nomina diſcerent, ſcirentque nihilominus traditione à majoribus ſuis accepta, eas inter eſſe caput* S. Leodegarii, *quo ſcilicet nomine pars dicti capitis, quâ dumtaxat fruebantur, apud eos veniebat, quemadmodum & apud multos hodieque minùs rigidè loquentes pars corporis vel capitis alicujus Sancti etiam* caput *vel* corpus *ſolet vocari. Ita, opinor, facilè unuſquiſque intelliget, quomodo fieri poſſit, ut Pratellenſes monachi caput* S. Leodegarii, *quo gloriantur, non poſſideant, nec propterea tamen, qui illud primi pro capite* S. Leodegarii *venditârunt, fraudis dolique ſint ſuſpectandi. Idem ferè ob rationem num.* 385 *allatam, ſano tamen ſenſu, intellige de monachis Morbacenſibus, aliiſque omnibus, ſi qui fortè ſeſe integrum* S. Leodegarii *caput poſſidere contendant; poſſunt ſcilicet ipſimet etiam antiquitus partem capitis* S. Leodegarii *cum capite Sancti à* Leodegario *diſtincti poſſediſſe, illudque deinde, amiſſis antiquis tabulis, ex quibus de reliquiarum ſuarum nominibus & qualitate cognoſcerent, pro capite* S. Leodegarii *habuiſſe, hodieque habere. Sunt & aliæ viæ, quibus exponi queat, quomodo à monachis ſive Pratellenſibus ſive aliis quibuſcumque ſine ulla tam præteritorum quàm præſentium poſſeſſorum culpa pro capite* S. Leodegarii *obtrudi queat caput, quod* Leodegarii *non eſt; at pro viis illis brevitatis ergò ad Ferrandum plùs ſemel jam laudatum remitto. Ceterùm licèt non exiſtimem, vel in monaſterio Morbacenſi, vel in aliis quibuſcumque è ſuprà memoratis locis caput integrum* S. Leodegarii *exiſtere, nolo tamen, uti ex antè dictis liquet, inficiari, in pleriſque ejus ſaltem partem inveniri. Tractandum nunc eſt de aliis Sancti noſtri reliquiis.*

E

F

§ XXVII

A

§ XXVII. Aliæ S. Leodegarii reliquiæ variis in locis honoratæ.

Aliæ nonnullæ S. Leodegarii reliquiæ

Licèt *major pars corporis* S. Leodegarii *ſecundùm Mabillonium* (*vide num.* 336) *in Ebrolienſi Alverniæ monaſterio olim fuerit depoſita*, ejus *tamen* brachium alterum, *inquit is ſcriptor Sæculo 2 Benedictino pag.* 706, in Fiſcamno monaſterio apud Caletos celeberrimo, alterum in ſancti Baſoli cœnobio agri Remenſis; denique alter ex ſancti Martyris oculis effoſſis in regali S. Dionyſii abbatia prope Luteciam Pariſiorum haberi feruntur. Habent & minutas quaſdam ſacri corporis particulas Maxentiani noſtri, apud quos Vir ſanctus aliquamdiu vixit, & poſt mortem diu requievit. *Exſtant etiam* S. Leodegarii *reliquiæ in diverſis urbis Pariſienſis eccleſiis, uti Bailletus tom.* 3 *Vitarum col.* 31 *teſtatur, ubi etiam ad propoſitum noſtrum ait:* Quin etiam oculi, quos Sanctus in vivis exiſtens amiſerat, poſt
B mortem ejus fuêre reperti, ſi fides adhibeatur iis, qui eos ſe poſſidere credunt; unus oſtenditur in abbatia S. Victoris Pariſienſi, cujus Sanctus eſt ſecundus patronus, & ubi habet ſacellum ſibi conſecratum; diciturque alter ſervari in theſauro S. Dionyſii in Francia. *Ita Bailletus, qui, uti opinor, hîc aliquantulum plus, quàm probari forſan poſſit, (neſcio, an ſat laudando intuitu) etiam dicit; nempe* S. Leodegarii *oculos, quos in vivis hic exiſtens amiſerat, non niſi poſt ejus obitum fuiſſe repertos; quamquam enim ego pro memorato de oculis* S. Leodegarii *aſſerto me vadem ponere nolim, non video tamen, quo fundamento Bailletus aſſerat,* Leodegarii *oculos, quorum alter in abbatia S. Victoris Pariſienſi, alter in Theſauro S. Dionyſii in Francia dicitur exiſtere, non niſi poſt Sancti obitum fuiſſe repertos. Sed de hoc, ne à propoſito digrediar, plura non profero. Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 681 *num.* 6, *uti infrà pluribus docebo, etiam meminit reliquiarum* S. Leodegarii *in Silviniacenſi diœceſis Claromontenſis monaſterio exiſtentium. Cointio accedit Rayſſius, qui in Hierogazophylacio Belgico non ſolùm Atrebatenſibus S. Vedaſti monachis ca-*
C *put* S. Leodegarii *attribuit, ſed etiam* S. Leodegarii *reliquias recenſet in contextis à ſe Opere citato Elenchis reliquiarum, quas monaſteria Bronienſe in comitatu Namurcenſi, Parcenſe Ordinis Præmonſtratenſis juxta Lovanium, Rutilenſe Carthuſianorum ad ripam Moſæ, (imò Moſellæ) Broucburgenſe Velatarum Ordinis Benedictini Virginum, duæque inſuper eccleſiæ, collegiata nempe S. Amati Duacena, & Atrebatenſis Sanctiſſimæ Virginis Mariæ poſſident.*

enumerantur, deque iis, quæ vel in S. Victoris

390 *Atque hæc ſunt, quæ in genere de reliquiis à ſacro Sancti capite diſtinctis comperire potui, nunc ad eas ex memoratis reliquiis, de quibus quædam particularia litteris conſignata ſunt, ſermonem iterum, idque ferè unicè converto. Initium duco ab altero* S. Leodegarii *oculo, qui quondam, ut videbimus, in capella Francorum regis exſtitit, quique proinde is eſt, qui nunc vel in monaſterio S. Victoris antè memorato, vel in abbatia S. Dionyſii dicitur exiſtere. In ſcriptura ſæpiſſimè in hoc Commentario prævio laudata, quæ ex antiquis membranis clariſſimi viri, domini de la Mare, Divione regii conſiliarii deſumpta notatur, quæque ad Majores noſtros à Chiffletio Societatis noſtræ ſacerdote fuit tranſmiſſa, hæc leguntur:* In capella Francorum regis unus habetur oculus ſancti martyris Leodegarii, quem inter Sanctorum reliquias, quæ ibi ſunt plurimæ, venerantur cuncti devotione celeberrima, & ex multis partibus venientes ægroti reſtituuntur, Deo operante, priſtinæ incolumitati. Ante biennium, quàm hæc ſcriberem, filius cujuſdam principis, Odonis nomine, correptus eſt valida ægritudine. Sic enim illo morbo, quem Galli VARIOLA vocant, omnino fuit pervaſus, ut nec ipſe alicujus membri motionem ageret, nec miniſtrantium contrectationem admitteret. Ad quem ſanandum multis ex partibus plures medici convenerunt: ſed peritia illorum artis nullam puero opem conferre potuit; augmentabatur etenim magis atque magis morbida peſtis, & omnino claudebat oculos pueri languentis. Nihil igitur jam promittentibus medicis, cùm jam deſperarent parentes de ſalute filii, adfuit quidam clericus, qui ad eumdem principem ferebat de parte regis quamdam legationem. Is morienti principi perſuaſit, ut oculum ſancti Martyris vellet ſibi
E mittere; per illius tactum dixit ad integram ſanitatem poſſe redire puerum. Statim pater ſalutis filii cupidus legatos miſit ad regem, qui (ſicut clericus monuerat) apud regem intercederent: quibus reverſis, conſignatus eſt puer oculo ſancti Martyris, & ſtatim poſt ſignaculum, tamquàm redeuntibus ſquamis, cœpit oculos aperire, & (quod diu non poterat) in alterum latus ſine auxilio miniſtrantis ſeſe convertit: die verò altera omnium membrorum cum incolumitate recepit officia. *Auctor hujus Scripturæ, ſe vixiſſe prodit, dum memoratum miraculum accidit. Hoc enim narraturus ait,* Ante biennium, quàm hæc ſcriberem, *ea ſcilicet, quæ ex ejus Scriptura num.* 346 *&* 352 *de modo, quo corpus* S. Leodegarii *Ebrolium venit, jam recitavimus,* filius cujuſdam principis *&c. Quapropter non videtur eſſe, cur hîc etiam ejus fides, ut in aliis ſuprà, ſit ſuſpecta.*

vel in S. Dionyſii monaſterio exſtant,

391 *Subjungit deinde duo alia miracula, quorum primum videtur ejus ætate pariter evenîſſe; ait enim id factum eſſe, dum prædictus rex, ac proin ille, quo regnante, miraculum proximè memoratum accidiſſe narrârat, venationem ageret. Quod verò pertinet ad alterum è duobus dictis miraculis, nullo planè indicio laudatus ſcriptor indicat, an id ætate ſua, an citiùs acciderit. Puto tamen ipſum velle, id ætate ſua accidiſſe. Utrumque nunc lubet huc tranſcribere. Primum ſic habet:* Die verò quadam dum prædictus rex
F ageret venationem, accidit, ut unum ex militibus currentem per ſilvam inconſultiùs, ramus quidam ſic in oculo reverberaret, ut in eodem oculo pars magna illius fixa remaneret. Quæ res magnam contriſtationem regi & principibus attulit: erat enim ipſe miles valde nobilis, & percuſſio videbatur omnibus * modo inſanabilis. Cùm autem die altera reverterentur de venatione, juſſit rex ipſi militi, ut illum oculum, cujus penitus videbatur amiſiſſe officium, conſignaret oculo S. Leodegarii. Quod cùm ſacerdos quidam peregiſſet, ſtatim, fugato dolore, rediit lumen vulnerato oculo cum ſanitate. *Alterum his verbis exponitur:* Erat in Aurelianenſi civitate quædam nobilis matrona, cujus caput cujuſdam vermiculi morſu, quem araneam vocant, mirabiliter tumuerat, cujus immanitas tumoris viſum & auditum illi abſtulerat. Huic

** fortè omni*

AUCTORE C. B.

AUCTORE C. B.

autem cùm medicinæ ſpecies non valeret ſuccurrere, cœpit auxilium ſancti Leodegarii implorare. Orabat autem multis precibus, ut oculo ſancti Leodegarii martyris conſignaretur. Quod, cùm fieret, ſine mora tumor ille abiit, & priſtinæ formæ decor rediit. *Duo priora miracula jam narrata, &, ut reor, fortè etiam tertium, ad ſeculum* XI, *ſi verè, ut credere nihil impedit, acciderint, referenda ſunt. Etenim Scriptura laudata, in qua continentur, verbis hoc & præcedenti numero recitatis continuatur, unáque cum his, & cum recitatis num.* 346 *& 352 unam lucubratiunculam efficit; quapropter cùm hæc claudatur his verbis num.* 371 *adhuc recitatis* Moderno itaque tempore, ſcilicet ſub Heberhardo ipſorum peregrinorum (*monaſterii ſcilicet Morbacenſis, quod* Vivarius-peregrinorum *dicebatur*) abbate, qui ipſius Martyris Vitam prælucidè juſſit enucleare, *conſequens eſt, ut laudatæ Lucubratiunculæ auctor, vivente Heberhardo monaſterii Morbacenſis abbate, floruerit. Jam verò cùm Heberhardus, ut num.* 371 *docuimus, ſeculo* XI *abbatiam Morbacenſem abbas rexerit, conſequens eſt,*

B *ut tria memorata miracula, quæ, ut vidimus, laudatæ lucubratiunculæ ſcriptore in vivis exiſtente, acciderunt, ſeculo* XI *fuerint peracta.*

Acti etiam de illis, quæ in monaſteriis Bronienſi

392 *Atque hæc ſunt, quæ de altero* S. Leodegarii *oculo in capella regis Francorum, quæ pòſt* (*vide Gerardum du Bois in Hiſtoria Pariſienſi tom.* 1 *pag.* 550 *& ſeq.*) *in monaſterium S. Maglorii ac deinde in paræcialem eccleſiam converſa fuit, quondam ſervato particularia inveni. Venio nunc ad ea, quæ ſpeciatim de reliquiis Sancti in Bronienſi comitatûs Namurcenſis monaſterio exſtantibus dicenda occurrunt. Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 681 *num.* 6 *ita ſcribit:* Tertio milliari à Namurco conſpicitur Bronienſe monaſterium, quod decimo ſeculo conſtructum fuit, & ſancti Gerardi conditoris ac primi abbatis nomen etiam gerit. In illo cœnobio Rayſſius, *quem ſcilicet & nos num.* 389 *laudavimus*, ait, *nempe in Hierogazophylacio Belgico pag.* 125, aſſervari corpus ſancti Leodegarii Auguſtodunenſis epiſcopi & martyris. Deinde mentem ſuam, *pag. nempe* 126 *ejuſdem Operis*, ſic exponit: "Dixi

C „eos, nempe monachos Bronienſes, corpus ha„bere, id eſt, maximam corporis partem, exce„pto etiam ſacro ejus capite„. Rectiùs Molanus non maximam, ſed aliquam corporis portionem in Bronienſe monaſterium delatam, *in Natalibus ſcilicet Sanctorum Belgii ad* 2 *Octobris diem*, ſic aſſerit: "Sanctum corpus ad ſancti Ma„xentii monaſterium eſt evectum. Poſtmodum „tamen inde portionem aliquam corporis acce„pit Bronium Namurcenſe ſancti Gerardi mona„ſterium die undecimo Aprilis„. Poſtea Martyrologium, *Uſuardinum ſcilicet poſterioris editionis à ſe illuſtratum*, citat, cujus hæc ad illum diem, *undecimum nempe Aprilis*, ſunt verba: "In Bronio „monaſterio adventus ſancti Leodegarii epiſcopi „& martyris. Natalis eſt menſe Octobri, die ſe„cunda„. *Molano, quem hìc Cointius laudat, adjungi poteſt Sacrarium Namurcenſe anno* 1619 *Leodii typis excuſum, & Gazetus in Hiſtoria eccleſiaſtica Belgii; hic enim in citato Opere pag.* 311 *verbis Gallicis à me factis Latinis ſic ſcribit:* S. Leodegarius epiſcopus & martyr colitur in monaſterio Bronienſi per ſanctum Gerardum fundato, quia pars ejus corporis eò fuit allata XI Aprilis; *illud verò pag.* 21 *ſic habet:* Corporis ejus (*S. Leodegarii*) partem aſſervat Bronium, S. Gerardi operâ. *Verùm his ultimis Sacrarii laudati verbis* S. Gerardi operâ *innui videtur, Bronienſes comitatûs Namurcenſis monachos ipſiuſmet S. Gerardi operâ ſacras* S. Leodegarii, *quas poſſident, exuvias obtinuiſſe. At Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 681 *num.* 6 *putat, ſacras* S. Leodegarii *exuvias ſeriùs, quàm ætate S. Gerardi, à Bronienſibus in comitatu Namurcenſi monachis fuiſſe ſuſceptas, ut adeò juxta ſcriptorem illum operâ S. Gerardi obtentæ illæ non fuerint, quæ de re quid ſtatuendum ſit, commodiùs ad diem ſequentem in Commentario prævio ad Vitam S. Gerardi diſcutietur. Panca nunc de reliquiis* S. Leodegarii *in Silviniacenſi diœceſis Claromontanæ monaſterio exſtantibus, lubet edicere.* D

& Silviniacenſi oſtenduntur,

393 *Sauſſayus in Martyrologio Gallicano ad* XI *Aprilis hæc habet:* In Bronio monaſterio adventus ſancti Leodegarii epiſcopi Æduenſis & martyris, cujus ſacrum corpus deinde in Galliam relatum maximis fulgens virtutibus, cum exuviis ſancti Principini itidem martyris, ad Silviniacenſe cœnobium Ordinis Cluniacenſis, in E Arvernia pervectum, ſummoque, quo decuit, honore cum corporibus ſanctorum Confeſſorum, Majoli & Odilonis præfati Ordinis coryphæorum, in ſacrario collatum eſt. *Inſinuatam his verbis Sauſſayi de corpore* S. Leodegarii *opinionem Cointius ad annum & num. proximè citatum ita excipit:* Hæc opinio non placet, exiſtimamus enim, corpus ſancti Leodegarii numquam integrum apud Bronium vel apud Silviniacum fuiſſe, portiones autem ejuſdem corporis utrobique etiamnum cuſtodiri. Sebaſtianus Marcaille libro ſexto Antiquitatum Silviniacenſium addit, Ebrolium S. Leodegarii reliquiis, *de quibus* § XXIII *jam actum eſt*, etiam illuſtrari. Ebrolium monaſterium eſt Ordinis Benedictini, pertinetque ad diœceſim Claromontanam, in qua ſitum quoque Silviniacum. Monachi Cluniacenſes, ut corpus ſancti Leodegarii, ſeu partem corporis, ut auctor Antiquitatum Silviniacenſium interpretatur, in eccleſia prioratûs de Silviniaco eſſe confirment, allegant Bullam Clementis ſexti Papæ, datam apud Villam-novam Nivernenſis diœceſis, 2 Nonas Octobris, Pontificatûs anno ſecundo, quam in iiſdem Antiquitatibus integram legere poteris. *Ad manum non habeo Antiquitates Silviniacenſes à Sebaſtiano Marcaille publici juris factas, ſed idem arbitror, quod Cointius, ſcilicet nec nunc, nec umquam antea integrum* S. Leodegarii *corpus vel apud Bronium vel apud Silviniacum fuiſſe, cùm rationes contra opinionem, quâ quis id putaret, validiſſimæ poſſint afferri, ipſiquemet, quorum intereſt, ſeſe non integrum* S. Leodegarii corpus, *ſed ejus dumtaxat partem poſſidere fateantur.* F

aliiſque nonnullis

394 *Porrò Cointius verbis ſuis num. præcedenti recitatis ſubdit:* Non dubitamus, quin & parte quadam tanti theſauri (*corporis S. Leodegarii*) ditatæ ſint pleræque aliæ (*præter eas ſcilicet, quas antè memorârat*) Galliarum eccleſiæ. *Et verò ego veriſſimum ſanè puto, plurimas Galliarum eccleſias præter eas, quas Cointius enumerat,* S. Leodegarii *reliquiis eſſe ditatas; id enim, vel ex iis, quæ jam antè diſſeruimus, fit perſpicuum, ut adeò iis aſſentiri nequeam, qui integrum* S. Leodegarii *corpus penes ſe eſſe affirmant. Imò ipſemet ſuprà laudatus dominus Michaël Germanus, prout num.* 383 *jam monui, Sueſſionenſibus S. Mariæ Sanctimonialibus id, uti innuit, affirmantibus, aſſentiri nequit in Hiſtoria, quam de earumdem monaſterio*

A *naſterio Gallicè conſcriptam anno* 1675 *in lucem emiſit, licèt alioquin propenſus non videatur, ut aliquid omittat aut neget, quod ad gloriam & honorem dicti monaſterii poſſit conducere. Verba, quæ in laudato Opere de præſenti argumento pag.* 398 *& ſeq. habet, reddita è Gallicis Latina hæc ſunt:* Quod pertinet ad reliquias S. Leodegarii epiſcopi Auguſtodunenſis, & fratris ejus S. Guerini aut Garini, etiam martyris, cujus corpus & caput in D. V. parthenone (*Sueſſionenſi ſcilicet*) monſtrantur, diſſimulare nequeo, circa id multam haberi difficultatem. Præterquam enim, quòd religioſi abbatiæ S. Maxentii in diœceſi Pictavienſi, ubi ſancti illi Fratres jacuêre humati, contendant, ſeſe manſiſſe in poſſeſſione quarumdam ex eorum reliquiis, Ebrolienſes in Alvernia aſſerunt, Sanctorum illorum corpora in ſua eſſe eccleſia, excepto capite (*vide hac de re Commentarii hujus prævii num.* 10) & brachio S. Guerini, quæ religioſis in tractu Lemovicenſi Meimacenſibus donata fuerunt. Præterea antiqui reperiuntur auctores, qui caput S. Leodegarii Morbacum in Alſatiam allatum fuiſſe, annotant. Alii dicunt, illud eſſe in monaſterio Ge-

B meticenſi, alii in Pratellenſi, inque antiquis titulis fundantur. Oſtenditur etiam in monaſterio S. Dionyſii in Francia unus ex oculis hujus Sancti, quos Ebroïnus ei juſſit evelli; unum ex ejus brachiis in Baſolenſi diœceſis Remenſis, & alterum in Fiſcamnenſi in agro Caletenſi quod me cogit judicium meum circa reliquias Leodegarii *nempe &* Gerini, *quas Sueſſionenſes S. Mariæ Sanctimoniales penes ſe eſſe putant*, ſuſpendere. Valde nihilominus credibile eſt, datam fuiſſe notabilem reliquiarum Sanctorum illorum partem abbatiæ huic, *Sueſſionenſi videlicet S. Mariæ*, in qua mater eorum S. Sigrada religioſam vitam fuerat profeſſa. Unde fit, ut feſtum S. Leodegarii fuerit ibi ſemper celebratum, utque nomen ejus in antiquo Necrologio inveniatur. *Ita laudatus dominus Germanus.*

quædam obſervantur.

395 *Supereſt nunc, ut de duobus alterius generis lipſanis, quàm ſint ſacra* S. Leodegarii *pignora, de quibus jam duobus hiſce ultimis §§ actum eſt, nunc pauca dicamus. Lipſana illa ſunt annulus ſancti Pontificius, lapiſque marmoreus, ſuper quo* Leodegarii *oculi feruntur fuiſſe effoſſi. Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad*

C *annum* 681 *num.* 6 *de priori è duobus illis lipſanis ita commemorat:* In abbatia ſancti Victoris prope muros Pariſienſes oculus & annulus beati Martyris (*Leodegarii*) aſſervantur. *Bucelinus verò in Menologio Benedictino ad* 2 *Octobris de præfato annulo ita ſcribit:* Ut... alia ejus (*Leodegarii*) miranda prætereamus; aſſervatur in cœnobio ſancti Victoris Pariſiis annulus illius pontificius, quo aqua benedicitur ad oculorum vitia & dolores tollendos prodigiosè ſalutaris. *Alia de hoc Sancti annulo teſtimonia comperire non potui; putoque nihilominus ex duobus adductis in dicto monaſterio annulum ſaltem aliquem pro annulo* S. Leodegarii *pontificio oſtendi. Quod jam pertinet ad lapidem marmoreum, ſuper quo feruntur* Leodegario *oculi fuiſſe effoſſi ſeu evulſi, ſervari hic dicitur in Atrebatenſi S. Vedaſti monaſterio, prout Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 526 *his verbis teſtatur:* Ad ſacrarii ingreſſum (*in Atrebatenſi S. Vedaſti monaſterio*) marmor candidum hodieque viſitur, ſuper quo in fama eſt, beati Leodegarii oculos ab Ebroïno, domus regiæ majore, fuiſſe effoſſos, & fidem auget hoc diſtichon, quod juxta in pariete legitur:

Lux Leodegarii ſuper hunc lapidem terebrata, AUCTORE C. B.

Vi fuit imperii Theodorici penetrata.

Locrius in Chronico Belgico annis duodecim ante Hierogazophylacium Rayſſii typis excuſo idem idque iiſdem ferè verbis prodit, ut Locrium dumtaxat deſcripſiſſe Rayſſius videatur. Quòd ſi nunc fortè quis petat, an annulus, qui in abbatia S. Victoris prope Pariſios ſervatur, verè ſit pontificius S. Leodegarii *annulus, & an marmor candidum, quod in abbatia Vedaſtina ad ſacrarii ingreſſum viſitur, verè ſit lapis, ſuper quo oculi* S. Leodegarii *fuerunt effoſſi ſeu evulſi, Reſpondeo, nec unum nec alterum, cùm antiqua monumenta fidem circa alterutrum indubitatam non faciant, pro certo à me poſſe aſſeverari. Quod enim aiunt Locrius & Rayſſius de diſtichо, quod juxta dictum lapidem in pariete legitur: poteſt id à manu, quæ multis ſeculis* Leodegario *ſit poſterior, eſſe profectum, ut adeò, licèt fidem, uti laudati duo ſcriptores loquuntur, utcumque augeat, rem tamen indubitatam minimè efficiat.*

VITA E

Auctore monacho Auguſtodunenſi anonymo & coævo.

Ex codice P. Ms. 16 *cum quatuor Mss. apographis, Cheſniique & Mabillonii editionibus collato.*

PROLOGUS.

DOmino verè ſancto & apoſtolica veneratione colendo Erminario, urbis Auguſtidunenſis epiſcopo. Dum ſæpe à vobis juſſus & ſpiritualium fratrum *a* flagratione * compulſus, geſta beati Leodegarii martyris atque pontificis tandem ſcribere ſum aggreſſus *b*. Ideo enim diu implere juſſa vel petita diſtuli, dum duplicem opinionem * contra me videbam conſurgere: unam ignorantiæ, caliginis & ignaviæ metuens *c*; aliam prudentibus in deriſum verens pateſcere. Oro ergo veſtram fidelem devotionem in primis, ut meæ ruſticitati veniam detis, & tantummodò, quæ vobis placuit, clàm ſoli interim lectitetis; donec aut cultiore * ſermone ea, quæ nos, vobis jubentibus, uſurpavimus, reperiretis *, aut aliorum præſulum * correcta judicio irreprehenſibilis, quam poſtea legatis, poſt vos probata reſideat lectio *d*. Hoc ſpecialiter peto, ut vires ad hoc opus exſequendum, quas mihi conſcia denegat imperitia, veſtrarum precum ſolerti ſtudio apud Dominum obtineant opportuna ſuffragia.

Auctor ſcriptionis ruſticitatem excuſat.

a

* *al.* flagitatione

b

* *al.* pœnam

F

c

* *al.* altiori

* *al.* reparetis

* *al.* ſapientum

d

ANNOTATA.

a *Verbis his monachum ſe prodit hic ſcriptor.*

b *Mabillonius & Cheſnius ita legunt:* Perſæpe à vobis juſſus & ſpiritualium fratrum flagitatione

A. ANONYMO

tione compulsus, gesta B. Leodegarii martyris atque pontificis tandem scribere sum aggressus. Ideo enim &c. *Quæ quidem lectio est melior, sed nescio, an magis genuina.*

c *Mabillonius & Chesnius:* unam ignorantiæ caliginem metuens & ignaviæ.

d *Idem:* à vobis probata placeat dictio.

CAPUT I.

Sancti natales, studia, archidiaconatus, episcopatus, injuriæ à malevolis acceptæ, accusatio apud regem, necis periculum, exsilium.

Nobiliter ortus & piè ac doctè educatus, Pictavis fit

a

B

b

GLoriosus igitur ac præclarus Leodegarius, urbis Augustidunensis episcopus, Christianorum temporibus effectus est martyr novus, ut terrena generositate nobiliter exortus *a*, ita divina gratia comitante, dum à primæva ætate in virili robore adcresceret, in quocumque gradu vel ordine provehebatur, exstitit præ ceteris erectus. Cúmque à Didone *b* avunculo suo Pictavis urbis episcopo, qui ultra adfines suos prudentiâ * divitiarumque opibus insigni copiâ erat repletus, fuisset strenuè enutritus, & diversis studiis, quibus sæculi potentes studere solent, adplenè in omnibus disciplinæ limâ politus, in eadem urbe ad onus archidiaconatûs * fuit electus.

* *al.* prudentiæ

* *al.* ad archidiaconatum

archidiaconus avunculi,

3 Tantum in eo subitò fortitudinis atque sapientiæ robur emicuit, ut impar præ suis antecessoribus appareret; præsertim cùm mundanæ legis censuram non ignoraret, sæcularium terribilis judex fuit, & dum canonicis dogmatibus esset repletus, extitit clericorum doctor egregius. Erat quoque in disciplina delinquentium vividus, quia carnis luxu numquam extitit resolutus. Sagaci cura pervigil in ecclesiasticorum officiis, strenuus in ratiociniis, prudens in consiliis, rutilans in eloquiis *c*. Incubuit interim causa necessitatis, ut in Augustidunensi urbe eum ordinare deberent episcopum. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem episcopatu exorta fuerat, & usque ad sanguinis effusionem certatum. Cúmque unus ibidem occubuisset in mortem *, & alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exilii trusionem *, tunc Balthildis regina, quæ cum Lothario filio Francorum regebat palatium *d*, divino, ut credimus, inspirata consilio, ad memoratam urbem hunc strenuum direxit Virum ibidem esse episcopum; quatenus * ecclesia, quæ penè biennio jam, quasi viduata, in sæculi fluctuatione remanserat, hujus gubernatione vel fortitudine tueretur, & ab his, quibus impugnabatur, defensaretur *e*.

c

C

* *al.* morte

* *al.* extrusionem

d

* *al.* quatinus &

e

4 Quid multa? Ita in adventu ejus territi * sunt omnes ecclesiæ vel urbis illius adversarii, nec non & hi, qui inter se odiis & homicidiis incessanter certabant, ut memoriam transacti scandali non vellent audire; quia quos prædicatio ad concordiam non adduxerat, justitiæ * horror cogebat. Jam enim in episcopatu, dispensante Domino *, quantùm in alimonia pauperum ejus præcipua extitit cura, longum est enarrare per singula. Sed nobis ita tacentibus, ejus testantur opera, vel matricula *f*, quæ ab eodem instituta residet ad ecclesiæ januam, vel specierum pulchritudo, quæ aureo fulgore rutilat * in ecclesiæ ministerio, nec non & baptisterii ornamenta, miris operibus fabricata. Quantúmque * in amore martyrum ejus mens fuit devota, silentibus indicat sancti Symphoriani martyris sepultura seu translatio sancti corporis glorioſa *g*.

dein episcopus Augustodunensis, quo munere,

* *al.* territæ

* *al.* Justitia &

* *al. addit.* elevatus

D

f

* *al.* rutilant

* *al.* quantùm quoque

g

5 Præterea innuunt ejus industriam ecclesiæ pavimenta, velaque * aurea & atrii constructio nova, murorum urbisque restauratio, domorum reparatio, & quæ erant nimia vetustate consumpta, per se redeunt * erecta visa * videntibus testimonia. Sufficiant hæc imprimis pauca de plurimis. Ad illud tempus convertamus eloquium, quo Athleta Christi contra diabolum dimicandi sumpsit exordium. Sanctus itaque pontifex Leodegarius dum in Augustidunensi urbe felix in pace conversaretur * episcopus, postquam omnia, quæ diruta fuerant, innovâsset & in divinis officiis clericos * erudîsset, prædicationeque assiduus populum cælestia * commoneret, eleëmosynarum largitate pauperes * refoveret, & in Dei custodiendis mandatis ejus animus totus esset intentus, ita fuit efficax ejus voluntas in omnibus, ut quæque implere decreviſſet, ei à Domino absque difficultate tribueretur effectus. Nec enim immeritò suam omnipotens Deus * illi contulerat gratiam, quia priùs ipsius se tota mente * devoverat custodire mandata.

dum justè, piè ac sedulò fungitur,

* *al.* vel laquearia

* *al.* reddunt

* *al.* vera

* *al.* conversatus est

* *al.* divinis officiis clerum

* *al. addit.* alimenta

* *al. deest* pauperes

E

* *al. deest* Deus

* *al. deest* mente

6 Sed quia à bona voluntate semper discordat malitia, & antiquus serpens invidus semper invenit, per quos scandalum seminet, aliqui honorati spiritualia nescientes, sed potiùs potentiam secularem timentes, videntes hunc Virum inflexibilem per justitiæ culmen existere, invido cœperunt livore torqueri & statuunt, si sit aditus, ejus obviare profectibus. Erat enim illis temporibus Hebroïnus, ut didicimus *h*, qui sub rege Lothario tunc regebat palatium; nam * reregina, quam suprà diximus, jam in monasterio, quod sibi antea præparaverat, residebat *i*. Præterea * memorati invidi adeunt Hebroïnum & contra Dei Virum ejus in furorem * suscitant animum: & dum veritatis accusationem non inveniunt *, mendacium falsitatis confingunt, quasi dum omnes Hebroïni jussionibus obedirent, solus Leodegarius episcopus ejus jussa contemneret.

incitantibus invidis,

h

* *al.* jam

i

* *al.* propterea

* *al.* furore

* *al.* invenerunt,

F

7 Erat enim memoratus Hebroïnus ita cupiditatis face succensus & ambitioni pecuniæ deditus, ut illi coram eo justam causam haberent tantùm, qui plus pecuniæ * detulissent *k*. Cúmque alii timoris causâ, alii pro redimenda justitia eum auri argentique immensâ * replêssent pecuniâ, quorumdam animi ob hujus causam exspolii, dolore tacti, contra eum jam fuerant commoti; quia non solum rapacitatis exercebat commercium, verùm etiam pro levi offensa sanguinem nobilium multorum fundebat innoxium. Sanctum itaque Leodegarium episcopum * ideo habebat suspectum, quia eum superare non valebat in verbo, nec adulationis, ut ceteri, ei impendebat obsequium, & contra omnes minas suas semper * eum cognoverat permanere intrepidum. Tyrannicum dederat tunc edictum, ut de Burgundiæ partibus nullus præsumeret adire palatium, nisi qui ejus accepisset mandatum. Tunc de metu priore * fuerant * omnes suspe-

adversarium patitur Ebroïnum,

* *al.* pecuniam

k

* *al. deest* immensâ

* *al. deest* episcopum

* *al.* super

* *al.* prioris

* *al.* fuerunt

A
al. cumulandum
l

qui, mortuo Clothario rege, exsulat
m

n

al. dum posset eum retinere
o

p
al. Austro & Auster
q
al. quorum

B

Luxovii, Childericus, tonso fratre Theodorico, regnat;
r
al. evasisset
al. deest rex
al. colloqui ei

f

t
al. addit. verò

C

u
x
al. amputaverant
y

legem justè conditam rescindit,

z

al. alii
al. concessit
al. juvenili ætate
aa

suspecti, quòd excogitaret ad suum facinus perpetrandum *, ut aut quosdam capitis amissione damnaret, aut dispendia facultatum infligeret *l*.

8 Interim donec causa suspenditur, rex Lotharius à Domino vocatus, de hac luce migravit *m*. Sed cùm Hebroïnus ejus fratrem germanum, nomine Theodericum, convocatis optimatibus, sollemniter, ut mos est, debuisset sublimare in regnum, superbiæ spiritu tumidus, eos noluit deinde convocare *n*. Ideo magis cœperunt metuere, eò quòd regem, quem ad gloriam patriæ publicè debuerat sublimare, dum post se eum retineret * pro nomine, cui malum cupierat, audenter valeret inferre *o*. Cúmque multitudo nobilium, qui ad regis novi properabant occursum, mandante Hebroïno, itineris accepissent repudium, inito in communi consilio, relicto eo, omnes expetunt Hildericum juniorem ejus fratrem *p*, qui in Austrasiis * fortitus erat regnum *q*; cui * consilio, qui tunc noluit adquiescere, aut fugaciter evasit, aut cum vitæ periculo, incendio comminatus, adquievit invitus. Cùm enim omnes ob Hebroïni tyrannicum metum induxissent Hilderico tam Neustricum quàm Burgundiæ regnum, agnoscens tyrannus, ob suum hoc facinus perpetratum, ad ecclesiæ confugit altare, ejusque in multis partibus subitò fuit thesaurus direptus, & quod iniquus diu congregaverat malè, dispersum est subitò bene.

9 Episcopis tunc quibusdam intercedentibus, & præcipuè interventu antistitis Leodegarii, eum non interficiunt, sed Luxovio monasterio *r* dirigitur in exilium, ut facinora, quæ perpetraverat, evaderet * pœnitendo. Sed quia terrenæ cupiditatis pulvere oculos cordis habuit cæcos, ideo in animam malevolam spiritualis non profuit sapientia. Cùm enim Hildericus rex * germanum suum, supra quem petitus venerat, sibimet præsentari jussisset, ut alloqui eum * deberet: tunc quidam, qui in regno videbantur esse primarii, & Hildericum cupiebant adulando à cæde placare, crinem sui domini temeritatis ausu jusserunt amputari *s*; sicque fratri suo eum studuerunt præsentare. Sed cùm ab eo interrogaretur, quid de se agi *t* vellet; ille * hoc solum, eò quòd injustè fuerat de regno ejectus, judicium sibi à Deo celere exspectare professus est. Tunc ad monasterium sancti martyris Dionysii *u* residere est jussus, ibique eò usque salvatus *x*, donec crinem, quem amputaverunt *, enutriret: & Deus cæli, quem sibi judicem est habere professus, feliciter postmodum ipsum permisit regnare *y*.

10 Interea Hildericum regem expetunt universi [ut talia daret decreta per tria, quæ obtinuerat regna, ut uniuscujusque patriæ legem vel consuetudinem deberent, sicut antiquitus, judices conservare; & ne de una provincia rectores in alias introirent *z*] neque unus instar Hebroïni tyrannidem assumeret, ut postmodum, sicut ille, contubernales suos despiceret: sed dum mutuam sibi successionem culminis habere cognoscerent, nullus se alio * anteferre auderet. Ut verò illis libenter petita concessisset * *s* stultorum & pænè gentilium depravatus consilio, ut erat juvenis levitate * præventus, subitò, quod per sapientum consilia confirmaverat, refragavit *aa*.

11 Sanctum igitur Leodegarium, eò quòd cognoverat, præ omnibus sapientiæ luce esse conspicuum, secum assiduè retinuerat in palatio. Hujus rei causâ malorum crevit invidia rediviva; atque contra eum rursus accusationum exquirentes * initia, ita ut quæque ageret rex, aut justo injustove judicio daret, illius criminantur factum *, cujus si obtemperâsset consiliis, in mandatis ambulâsset divinis. Sed quia cælitus non jam supervenerat data sapientia, ideo cor ejus non valuit apprehendere justitiæ disciplinam; sed judicia *, quod Theodericus se à Domino professus est exspectare, celeri meruit sententia terminari.

12 Vir autem Domini, ut cognovit, contra se invidiam diaboli recalescere, tunc juxta Apostolum *bb* sumens loricam fidei & galeam salutis, & gladium spiritûs, quod est verbum Dei, contra antiquum hostem iniit singulare certamen; & quia sacerdotalis integritas minas regis nescit metuere, Hildericum cœpit arguere, cur consuetudines patrias, quas conservare præceperat, tam subitò immutâsset, simulque fertur dixisse, quòd regina, quam habebat conjugem, filia sui esset avunculi *cc* & nisi hæc facinora cum reliquis illicitis sceleribus emendatione corrigeret, divinam certè sibi ultionem subitò imminere cognosceret.

13 Et * quidem primitus libenter cœpit auscultare, sed satellitum præventus consiliis, dum verba ejus debuerat ad emendationem aptare, de illius morte occasiones cœpit inquirere, suadentibus hoc illis, qui justitiam cupiebant evertere & indisciplinati juvenilia opera regis fovebant exercere: nec non & hi *, qui suum decretum ei elicuerant irrupisse. Metuebant enim hi omnes, & horum similes, in voluptatibus seculi conversantes, Dei Hominem, & sua opera destrui cupientes *dd*, dum eum noverant per justitiæ callem inflexibiliter gradi. Viriditatem * enim cælestis civis senex * mundus, gravatus vitiis, non valuit sustinere.

14 Affuit enim tunc in illis diebus vir quidam nobilis, Hector * vocatus nomine, qui tunc regebat * in fascibus patriciatum Massiliæ, quique generis nobilitate & prudentia seculari, ut claro stemmate ortus, ita erat præ ceteris præditus *ee*. Hic enim ad Hildericum regem pro quadam causa advenerat, & per Viri Dei intercessionem obtinere petita sperabat, eumque gratiâ hospitalitatis in urbe sua Dei Sanctus receperat, donec, sicut petierat, suis intercessionibus eum regi commendare deberet *. Nam sæpe dictum Hildericum in ecclesiam suæ urbis in Paschali sollemnitate rogaverat advenire. Hanc invidi repererunt * occasionem, per quam nequitiam, quam nuper in cor regis effuderant, adimplerent. Majorem-domûs, nomine Vulfoaldum *ff* in sua occasione * conjungunt, mendacem fabulam de Leodegario & Hectore confingunt, quasi ideo insimul fuissent conjuncti, ut regiam dominationem everterent, & potestatis jura sibimet usurparent.

15 Aderat etiam tunc quidam sub religionis habitu in * monasterium sancti Symphoriani martyris, corpore non mente reclausus *, nomine Marcolinus, sed, ut postea publicè patuit, potiùs ambiendis humanis laudibus vel honoribus specie fictam religionem nimiùm cupidus *gg*: de cujus conversatione, maximè dum omnibus patuit, meliùs puto silere, quàm loqui. Hunc ergò sæpe dictus rex ignorans, quasi

vitia increpantem audit
bb

cc

E

primùm, dein à malevolis in eum concitatur,
al. At Hildericus
al. his

dd
al. virilitatem
al. senescens
& in accusatum falsi
al. Hictor
al. gerebat

ee

F

al. commendaret

al. reperiunt

ff
al. accusatione

criminis violenta consilia
al. ad
al. reclusus

gg

A. ANONYMO.

prophetam Dei habebat in omnibus, eò quòd de Viri Dei accusationibus ejus voluntati * favendo adularetur præ omnibus. Ea igitur nocte, quâ sancti * Paschæ vigiliæ celebrantur * in urbe, rex, jam quasi suspectus, ibidem noluit advenire; sed cum paucis tunc fautoribus prætati hypocrytæ requirentes consilium, jam contra Dei Famulum malignum gestiens * animum, illic temporaneum Paschale non timuit recipere sacrificium *hh*. Postea verò cum dedecore â vino jam temulentus, aliis jejunis sancta sollemnia præstolantibus, * ecclesiam fuisset ingressus, Leodegarium clamitans requirebat ex nomine, ut eum quasi in fugam verteret; dum gladii percussione jam per * nuntios minitans, terruisset.

16 Cúmque eum sæpius clamitans, esse in baptisterio cognovisset, ibi quoque introiens, ad tanti luminis claritatem seu odorem Chrismatis, quæ illic in baptizantium * *y* sanctificatione gerebantur, obstupuit. Sed cùm ad clamorem ejus ipse rèsponderet: Adsum; ipsum nullatenus recognoscens, pertransiit, atque in ecclesiæ domo, ubi paratum erat, resedit. Episcopi verò alii, qui cum Dei Viro vigilias celebraverant, redierunt ad hospitia: ipse verò, ut sacrum peregit Officium, intrepidus adiit regem iratum, eumque verbis mitibus requisivit, cur antè ad * vigilias non veniisset *ii*, vel in tam sacra * noctis sollemniis repletus irâ persisteret. Qui * dum illius ineffabili sapientiæ aliquid * turbatus non valuisset respondere, suspectum eum * quadam de causa dixit habere.

17 Igitur vir Domini Leodegarius cernens, apud ejus animum esse defixum, quòd, suadentibus satellitibus, eum unà cum Hectore, sicut decreverat, redderet interfectum, aut Hector in angustia, sicut timebant *, contra regem subiret * contemptum, non de sua veritus morte, sed de illorum, qui ad eum causâ tuitionis advenerant, pertractans salute *, elegit potiùs interim latere per fugam, quàm occasionem præbere, ut per ejus martyrium in Resurrectionis Christi sollemniis * cruentaretur vel diriperetur ecclesia *kk*. Nec enim quis eum æstimet usque adeo formidâsse martyrium: nam cùm pridem per quemdam monachum, nomine Bertharium *, ei in Dominica Cæna de suo fuisset interitu nuntiatum *ll*, die Passionis Domini crastino regis adiit palatium, & ultrò se ingerens, in eo die sanguinem offerre voluit Christo, quo pro mundi salute sanguinem Christus effuderat suum. Nam & rex eadem die ipsum propria manu percutere voluit: sed ob Dei reverentiam, optimatum quorumdam sapientum consilio prohibitus fuit. Indubitanter * credendum est *, ad hoc eum * tunc fuisse servatum, ut si quid de * humana conversatione, quæ sine culpa non ducitur, aliquid contrarium fortassis adtraxerat, longa * persecutionis fornax exureret, ut postea velut aurum, in diadema sui Regis positus, instar gemmarum fulgentium miraculorum virtutibus coruscaret.

18 Cùm igitur ab his, qui occasionis hujus exspectabant eventum, persecutio velox fuisset commota post eum, prædictus Hector ibidem est interfectus: & quia viriliter se fuerat defensare conatus, permittente Domino, à multitudine oppressus fuit cum aliquibus, qui comitabantur cum eo. Nec enim impossibile creditur, sancti Martyris meritis posse apud Deum illis animabus veniam obtinere, qui cum eodem innocenter persecutionis procellam voluerant * declinare. Igitur Leodegarius Dei famulus cùm à quibusdam tunc * fuisset detentus, Hilderico subitò nuntiant factum. Maximam regis gratiam se credidit habiturum, qui valuit comprehendere Leodegarium. Per consilium tunc optimatum vel episcoporum jubetur * duci in Luxovium monasterium *, donec in commune consulerent, quid facerent de tanti nominis Viro *mm*. Interea cùm hi, qui videbantur esse primi palatii, simul ab Hilderico conquisiti, quod judicium de sancto Dei Sacerdote *, decernerent hoc consona responderunt voce, ut, si ei vitam concederet, sub perpetuo exilio eum in Luxovio permanere juberet, confirmans subitò sub hoc decreto judicium: episcopis verò aliquibus vel sacerdotibus ideo consentientibus, ut ad præsens eum ab ira regis redderent liberum.

19 Nam sæpe dictus rex, pravorum illectus consilio, eum adduci jusserat de Luxovio, ut ad voluntatem accusantium cum irrisione depositum, prout voluissent, redderent * interfectum; sicut quondam Herodes disposuerat judæis facere Petrum *nn*. Aderat enim venèrabilis vir abbas sancti Symphoriani basilicæ, nomine Hermenarius, cui post discessum Viri Dei rex petitionibus populi Augustidunum * commendaverat urbem: cúmque immensis precibus crebrò regis provolveretur pedibus, ut eum in Luxovio permitteret residere, ne ad exspectationem crudelium, quos diabolus contra eum in furorem succenderat, juberet adduci: tandem ob hujusce modi precibus * est tunc ab interfectione salvatus: falsò quidam opinantes, quasi ideo regis habitaculum frequentaret, ut accusantium esset primus, quò faciliùs ei episcopatum alienum * tenere liceret. Nam longè aliter extitit, quia carnalis oculus spiritualem dilectionem * non videt. Testes enim postea illius extiterunt opera. Quia quousque præsenti superfuit vita *, ejus necessitatibus, in quo voluit, caritate monstravit * devota *oo*.

ANNOTATA.

a *De nobili & illustri* S. Leodegarii *prosapia actum est toto Commentarii prævii § tertio, quem propterea curiosus lector, si lubet, consulat.*

b *Dido, qui hîc ob prudentiam divitiarumque copiam laudatur, à pluribus aliis scriptoribus summopere vituperatur, quòd vel operâ suâ vel consilio concurrerit ad ambitiosum iniquumque Grimoaldi majoris-domûs Austrasiæ factum, quo hîc Dagobertum, unicum Sigeberti Austrasiæ regis, anno, ut nunc communior fert opinio, 656 defuncti filium, fidei suæ commendatum in Scotiam relegavit, propriumque filium Austrasiis regem præfecit. Chronista Centulensis apud Dacherium tom. 4 Spicilegii pag. 448 ita scribit:* Sigibertus quoque mortuus reliquit filium heredem, nomine Dagobertum, quem Grimoaldus totondit, & per Didonem Pictavorum prophanatorem, non dico episcopum, in exsilium misit, filiumque suum regem substituit. *Scripsit quidem Chronista Centulensis non citiùs, quàm seculo* XI *exeunte, ac proin ejus de Didone, qui seculo* VII *floruit, testimonio non satis tutò fidi potest; at plures scriptores antiqui (vide num.* 34 *Commentarii prævii ad Vitam S. Emmerammi apud nos ad* XXII *Septembris editam) similia de Didone pro-*

ubi, pejora deprecante Hermenario abbate, exsulat.

quo à persequentibus occiso, ipse ducitur Luxovium,

B C D F

fequitur: Sanctus ipsum adit & placare

fraûtra conatus, fugit cum Hectore, hospite suo,

* *al.* voluntatem
* *al.* Sanctæ
* *al.* celebrabantur
* *al.* gestans
hh
* *al. addit.* cùm
* *al.* inter
* *al.* baptizatorum
* *al. deest* ad
ii
* *al.* sacratæ
* *al.* nam
* *al.* aliud
* *al. addit.* se
* *al.* timebat
* *al.* subire
* *al* salutem
* *al.* sollemnia
kk
* *al.* Bercharium
ll
* *al. addit.* verò
* *al. deest* est
* *al. addit.* divinitus
* *al. deest* de
* *al.* longæ
* *al.* voluerunt
* *al. deest* tunc
* *al. addit.* interim
* *al.* Luxovio monasterio
mm
* *al. deest* Sacerdote
* *al.* Augustudunam
* *al.* preces
* *al.* illius
* *al.* delectationem
* *al.* vitæ
* *al.* ministravit
oo

A *produnt, ut ſat certum appareat, hunc memoratæ Grimoaldi perfidiæ faviſſe, ſummamque inde ſibi invidiam conflâſſe.*

c *Terminantur hîc, quæ anonymus de* Leodegarii *geſtis tradit, antequam hic ad epiſcopatum Auguſtodunenſem promoveretur, verùm hanc Sancti promotionem plura alia præceſſerunt, quæ Urſinus, ſcriptor æquè coævus, litteris accuratè mandavit. Qua de re videſis Commentarii prævii num.* 28, 51, 52 *&* 60.

d *Clodoveus II, Francorum rex, anno* 656 *è vivis ſublatus, tres reliquit filios ſuperſtites, Clotharium ſcilicet, Theodoricum & Childericum, quorum natu major Clotharius, aut, ut quidam legunt, Lotharius, patri in regnum ſucceſſit, at, cùm dumtaxat eſſet quinque circitèr annorum puer, mater ejus, ſancta Bathildis, aliis Baldechildis, regni adminiſtratricem egit uſque ad annum* 664, *quo in monaſterium Kalenſe à ſe in epiſcopatu Pariſienſi exſtructum ſeceſſit, Francorum proceribus non ampliùs, uti antè fecerant, idcirco id impedientibus, quòd timerent, ne Bathildis, ſi diutiùs rerum ſummam adminiſtraret, in ipſos ulciſceretur mortem, quam Sigoberrando, Pari-*
B *ſienſi epiſcopo, ipsâ invitâ, intulerant. Vide Pagium in Criticis ad annum* 665 *num.* 7 *&* 8. *Regnum Franciæ adminiſtrante Bathilde regina, majorem-domûs egit Ebroïnus, idque jam inde ab anno* 656, *quo Erchinoaldus, ejus deceſſor, diem ſuum obiit. Intelligitur id ex capite* 92 *Fredegarii Continuati, quod ſic habet:* Franci quoque Clotharium, filium ejus (*Clodovei II*) majorem in regno ſtatuunt cum præfata regina (*Bathilde*) matre. Eodem tempore mortuus eſt Erchanwaldus major-domûs palatii. Franci autem in incerto vacillantes, accepto conſilio, Ebruïnum in hujus honoris curam ac dignitatem ſtatuunt. *Præfecturâ autem illâ Ebroïnus, quemadmodum ex §* VII *Commentarii prævii facile eſt colligere, depoſitus non eſt ante annum* 670, *ut indubiè major-domûs exſtiterit, cùm* Leodegarius *anno circitèr* 660 (*adi Commentarium prævium num.* 59) *ad epiſcopatum Auguſtodunenſem fuit promotus.*

e *Hîc innuitur eccleſia Auguſtodunenſis biennio ferè epiſcopo fuiſſe orbata, quando ad eam regendam epiſcopus nominatus eſt* S. Leodegarius, *ac proin, cùm Sanctus (vide Commentarium prævium num.* 59) *anno circitèr* 660 *id munus primò inierit, conſequens eſt, ut Ferreolus, proximus ejus deceſſor, anno circitèr* 658 *diem extremum clauſerit.*
C

f *Matricula præter alias, quas habet, ſignificationes* ſæpe, *inquit Cangius in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis ad vocabulum* Matricula, uſurpatur pro domo, in qua pauperes alebantur, ad oſtia eccleſiarum ut plurimùm extructa. *Atque hæc ipſa eſt ſignificatio, quam vox illa, uti ex contextu liquet, indubiè hîc ſortitur. De matricula in hac ſignificatione accepta, atque ad januam eccleſiæ S. Nazarii à* Leodegario *Auguſtoduni inſtituta vide num.* 71 *Commentarii prævii.*

g *In Apographo Bronienſi, quod P. Petrus Franciſcus Chiffletius, Societatis noſtræ ſacerdos, ad Majores noſtros tranſmiſit, ad marginem notatur:* S. Symphoriani tranſlatio notatur VII Januarii, ſeu VII Idus in antiquis Martyrologiis eccleſiæ & diœceſis Biſontinæ. *De S. Symphoriano ad* XXII *Auguſti, ad quem diem ſacrum ejus nomen Uſuardo, multiſque aliis Faſtis ſacris inſcribitur apud nos actum eſt, nullaque tranſlationis, quæ in antiquis Martyrologiis eccleſiæ & diœceſis Biſontinæ ad* XXII *Auguſti ſignetur, facta eſt mentio.* A. ANONYMO.

h *Cheſnius omiſit*, ut didicimus; *Mabillonius legit*, ut diximus, *rectéque obſervat, nihil ſuprà de Ebroïno dictum eſſe. At in omnibus omnino noſtris exemplaribus legitur:* ut didicimus, *præterquam in Ms. apographo, quod cùm Ms. Cornelii Duyn collatum notatur: hoc enim habet*, ut dicimus, *& hæc fortè genuina eſt lectio, ut ſenſus ſit: Ebroïnus erat major-domûs*, ut dicimus, *ſeu*, ut loquimur.

i *De ſeceſſu Bathildis reginæ ad monaſterium à ſe exſtructum vide dicta ad litteram* d.

k *Quid de Ebroïno, ejuſque vitiis & virtutibus ſentiendum ſit,* § XVII *Commentarii prævii fusè diſcuſſimus.*

l *Ideo ſcilicet, ut Valeſius lib.* 21 *Rerum Francicarum pag.* 250 *interpretatur, aulâ ſibi ab Ebroïno interdici Burgundiæ proceres putabant, ut is ſcelera ſua, quæ nonnullos fortè ex illis injuſtè multando patrare meditabatur, ſervaret occulta, nec quiſquam in palatio innocentiam ſuam probare vel de accepta injuria queri poſſet.*

m *Clotharius III Francorum rex, de quo hîc ſermo eſt, vel anno* 669 *ferè finito, vel anno* 670 *pauliſper inchoato è vivis exceſſit. Vide Commentarium prævium num.* 121.
E

n Solebant, *inquit Valeſius lib.* 21 *Rerum Francicarum pag.* 259, tum, *ſub prima nempe regum Francorum ſtirpe*, optimates Francorum ad conſtituendum regem convenire, ac in electi ſinguli verba jurare, traditâque in manum haſtâ pro ſceptro, excelſo ſolio impoſitum debito honore venerari.

o *Diſcrepant hîc omnia noſtra exemplaria à Cheſnio & Mabillonio, atque etiam inter ſe, ſed ſenſus eſſe videtur hic:* Ideo magis cœperunt, *regni proceres ſcilicet*, metuere, eo quòd Ebroïnus regem, quem ad gloriam patriæ publicè debuerat ſublimare, penes ſe, ut nomine ejus regnaret, retinens, malum iis, quibus cupierat, audacter valeret inferre.

p *Ita omnia noſtra exemplaria & Cheſnius; ſed Mabillonius legit:* Omnes expetunt Hildericum ejus fratrem juniorem, *ſecundùm quam lectionem vox* juniorem *non ad Childericum ſeu Hildericum, ſed ad fratrem debet referri. Videſis num.* 92 *&* 93 *Commentarii prævii, quo ad longum diſcuſſimus, an Theodoricus Childerico, an contrà hic illo fuerit junior.*
F

q *Childericus Auſtraſiæ regnum jam ab anno* 660 *adeptus fuerat, ut num.* 115 *Commentarii prævii docuimus.*

r *Celebre hoc cœnobium, quod ad Ordinem S. Benedicti ſpectat, in comitatu Burgundiæ ad radices montis Voſagi ſeu Vogeſi ſitum eſt, diſtatque, teſte Baudrando in Geographia, duabus circitèr leucis à Lotharingia & ſex ab Alſatia.*

ſ *Mabillonius, Cheſnius & apographum noſtrum Ms. ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris deſumptum habent:* Tunc quidam, qui in regno videbantur eſſe primarii, & Hilderico cupiebant placidè adulando placere, crinem ſui domini temeritatis auſu jufſerunt amputare, *quæ lectio, ut mihi quidem apparet, propiùs ad genuinam accedit, quia hoc quorumdam optimatum, de quo in ea ſermo eſt, factum auctor improbat, improbaturuſque fuiſſe non videtur, ſi tantùm, uti lectio noſtra inſinuat, Childericum à Theodorici cæde retrahendi conſilio fuiſſet patratum. Quod ad ipſum factum pertinet; ſolebant Francorum è prima*

A. ANONYMO.

ma ſtirpe reges prolixam, eamque per humeros diffuſam geſtare cæſariem, quæ cùm eis fortè fortuna fuiſſet detonſa, tamdiu ſaltem, quamdiu nondum recreviſſet, ad regnandum habebantur inhabiles, ac proin hac illos orbare, ſummam erat facere injuriam. Adi hac de re Bouquetum in Præfatione ad tom. 3 Scriptorum Franciæ à pag. 1 uſque ad 4.

t *Mabillonius, cui apographum noſtrum ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris tranſcriptum conſonat, legit:* Sed cùm rex ab eo interrogaret, quid de ſe agere vellet. *Qua quidem lectione præſtare videtur lectio noſtra, ſed neſcio, an propterea ſit magis genuina.*

u *Situm eſt hoc celeberrimum notiſſimumque Ordinis Benedictini è congregatione S. Mauri cœnobium in diœceſi Pariſienſi.*

x *Cheſnius legit:* Ibique exſpectare, *&c. quæ tamen lectio melior eſſe non videtur, quàm noſtra; imò quoniam Mabillonio omnibuſque noſtris Mss. exemplaribus diſſonat, dubitandum eſt, an non ab interpolatione Surianæ ſimili ſit nata; Cheſniana etenim editio frequenter, ut apparet, interpolata eſt. Vide Commentarium prævium num.* 47.

B

y *Sunt quidam, qui exiſtimârunt, Theodoricum in monaſterio S. Dionyſii tunc monachum factum eſſe, ſed, ut rectè inquit Valeſius lib.* 21 *Rerum Francicarum pag.* 264 *& ſeq.*, haud dubiè falluntur. Nam tantùm in eo cœnobio cuſtodiri juſſus eſt, ibique exſpectare, dum coma inciſa recreſceret: quod in monachum, aut monaſticæ vitæ profeſſioni deſtinatum nequaquam convenire nemo neſcit. Tum enim monachi, ſicut hodieque, tonderi & crinibus capita nudare conſueverant.

z *Hæc uncis incluſa ex Ms. noſtro Bronienſi tranſcripſi, quòd in codice & omnibus noſtris Mss. apographis aliis & Mabillonio mendoſiùs legerentur.*

aa *Adi Commentarium prævium num.* 127.

bb *Ait nempe ad Epheſios cap.* 6 ℣. 17: Galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei.

cc *Childericus II Francorum rex, ut Henſchenius noſter lib.* 2 *de Tribus Dagobertis pag.* 75 *docet, in uxorem habuit Bilichildem, ſeu, ut alii ſcribunt, Bilihildem, S. Sigeberti Auſtraſiæ regis filiam. Quapropter, cùm Sigebertus, Auſtraſiæ rex, & Clodoveus II, rex Neuſtriæ, quem Childericus patrem habuit, Dagoberti I Francorum monarchæ, uti ex cap.* 75 *&* 76 *Fredegarii Scholaſtici intelligitur, filii ac proin fratres exſtiterint, conſequens eſt, ut, quemadmodum biographus noſter ſcribit,* regina, quam *Childericus* habebat conjugem, filia ſui, *id eſt, Childerici,* eſſet avunculi, *quod vocabulum ab auctore, in quo Latini ſermonis puritas ſæpiſſimè deſideratur, pro patruo accipitur; erat autem tunc ſacris canonibus prohibitum, ne quis ſuam conſanguineam in uxorem acciperet, extendebaturque ea prohibitio uſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum, prout liquet ex Gregorii Magni epiſtola, quæ tom.* 5 *Conciliorum apud Labbeum & Coſſartium inſerta exſtat, initio ſeculi* VII *ad Felicem Meſſanenſem epiſcopum ſcripta, ut adeò Childerico Bilihildem, licèt etiam cum ea ſanguinis propinquitatem multò remotiorem, quàm habuerit, dumtaxat habuiſſet, pro uxore habere non liceret, eaque per conſequens de cauſa meritò à* Leodegario *reprehenderetur.*

C

dd *Mabillonius & Cheſnius, quibus conſonat apographum noſtrum ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris deſcriptum, omiſſo* cupientes, *ita legunt:* Metuebant enim hi omnes & horum ſimiles in voluptatibus ſæculi converſantes, à Dei Homine ſua opera deſtrui, dum *&c.*

D

ee *De Hectore, deque cauſa, pro qua hic ad Childericum regem venerat, videſis Commentarium prævium num.* 134, 135, 136 *&* 144.

ff *Ex hoc textu, in quo Vulfoaldus, aliàs Wlfoaldus & Wolfaldus, major-domûs Childerici in Neuſtria regnantis fuiſſe innuitur, probamus etiam in Commentario prævio num.* 113, Leodegarium *Childerico, contrà ac ſcribit Urſinus, majorem-domûs non fuiſſe.*

gg *Mabillonius & Cheſnius legunt:* Sed ut poſtea publicè patuit, potiùs pro ambiendis humanis laudibus vel honoribus ſpecie religionis cupidus nimiùm, *quæ lectio præferenda videtur, cùm noſtra ſit nimiùm mendoſa.*

hh *Pugnat hîc anonymus cum Urſino. Vide Commentarium prævium num.* 140 *&* 141.

ii *Quæ ſint Vigiliæ, ad quas hîc dicitur Childericus non veniſſe, num.* 141 *Commentarii prævii exponitur.*

E

kk *Poſt hanc vocem apud Mabillonium, quæ hîc omiſſa ſunt, hæc leguntur:* Ut ne hi, qui ad eum convenerant, inconſultè amitterent ſuam vitam; *apud Cheſnium verò hæc:* Ut ne id, quod contra ſe fiebat, in conſulem verterent, & ſic idem conſul vitam amitteret.

ll *Quomodo hîc anonymus cum Urſino pugnare videatur, atque in concordiam revocari queat, videſis Commentarii prævii num.* 139.

mm *De ſententia tunc, & poſtmodum in* Leodegarium *à Childerico lata conſule Commentarium prævium num.* 147, 152, 153 *&* 154.

nn *Actuum Apoſtolorum cap.* 12.

oo *De Ermenario, qui* Leodegario *in epiſcopatum Auguſtodunenſem proximè ſucceſſit, judicium noſtrum protulimus num.* 154 *Commentarii prævii.*

CAPUT II.

Childericus moritur, magna exſurgit regni perturbatio, Leodegarius cum Ebroïno egreditur Luxovio, ſedi ſuæ reſtituitur, Ebroïnum experitur inimicum, ab Ebroïnianis Auguſtoduni obſidetur, capitur, oculis orbatur, fameque necandus Waimiro traditur.

F

Morino Childerico rege,

IN illis igitur diebus adhuc exul in Luxovio reſidebat Hebroïnus, monachali habitu tonſuratus, ſimulatam gerens concordiam, quaſi dum uterque unam, ſed diſparem, exilii accepiſſent ſententiam, concordem ducerent vitam. His interim ita geſtis, divina non diu diſtulit ultio ſuum de Hilderico dare judicium. Nam ejus diſſoluta converſatio omnibus increverat optimatibus palatinis. Tunc unus ex eis hoc moleſtiùs ferens præ ceteris, dum venationem in ſilva

A silva securus exerceret, eum vulnere mortis percussit *a*. Ac * priusquam hoc evenisset, dum duces quidam duo, quibus jussum fuerat sanctum Leodegarium adduci de Luxovio, eatenus demorâssent, conspiraverat unus eorum minister, ut si Famulum Dei extra Luxovium cerneret, ipsum gladii percussione occideret *b*. Ut enim * ad hoc perventum fuit, ita cor ejus intolerabilis pavor perfudit, ut non solùm dixisse, sed cur etiam de Dei Famulo tam gravia cogitâsse *, voce publica confiteretur, & tremens ejus provolutus pedibus, indulgeri sibi ab eo hanc nequitiam deprecatur *.

a * *al.* igitur

b * *al.* autem

* *al.* cogitâsset * *al.* deprecaretur

21 Igitur cùm Hilderici mors subitò nuntiata fuisset, tunc hi, qui ob ejus jussionem exilio fuerant condemnati, tamquam verno tempore post hiemem solent de cavernis serpentes venenati procedere, sine metu fuerunt reversi: quorum debacchante furore, surrexit magna turbatio patriæ, ita ut manifestè crederetur adventus imminere Antichristi. Hi verò, qui rectores regionum esse debuerant [surrexêre contra alios, & qui pacis fœdera debuerant continere *c*] odiis se invicem cœperunt lacessere. Et quia * rex tunc non erat stabilitus in culmine, quod unicuique rectum videbatur in propria voluntate, hoc agebat sine formidine disciplinæ. Adeò tunc iram Dei manifestam cognovimus evenisse, ut etiam stella appareret in sidere, quam astrologi vocant cometam *d*; in cujus ortu asserunt fame, terram turbari, mutationem regum, vel commotionem gentium, & percussionis gladium immineere. Hæc enim omnia manifestè ex * tunc constat evenisse. Sed quia, ut scriptum est, stulti non corriguntur verbis, quantò * minimè signis; hi, qui cum malevolo animo redierunt de exilio, quicquid pro suo pertulissent facinore * Leodegarii factionibus hæc se incusant fuisse perpessos.

magna oritur regni perturbatio;

c * *al.* dum

B

d

* *al. deest* ex

* *al.* quantùm * *al.* propter sua facinora

22 His diebus Vir Domini à commemoratis ducibus erat ob salvationem detentus, à quibus * de Luxovio fuerat jam eductus. Tunc enim ibidem Famulo suo gratia superna concesserat venerabilem dignitatem, ut in illis locis tam prædicti duces, quàm eorum matronæ [simulque ministri, universæque familiæ & vulgus populi ita in ejus conspirâssent amore, ut, si necessitas immineret, semetipsos pro eo non dubitarent offerre *e*.] Cúmque illi secum Dei Famulum retinentes *, circa se manentibus potestatibus *f* aliis nuntiâssent, eò quòd divinam gratiam super Dei famulum Leodegarium cognovissent, religioso Christianitatis amore jam se eorum auxilio fuerant sociati *g*, & conspirantes inter se confirmaverunt, ut, dum indisciplinata hujus dominationis erat exorta turbatio, si priusquam Theodericum pariter sublimâssent in regnum *, aliquis forsitan sanctum voluisset lædere Leodegarium, eorum protegeretur auxilio.

Sanctus multos habet patronos, * *al. addit.* nuper

C

e * *al.* qui retinebant

f

g

* *al.* in regno,

23 His enim diebus egressus est de Luxovio etiam Hebroïnus, Juliano similis, qui vitam fictam monachorum tenuit *h*. Etenim cùm ipse tam amicorum quàm famulorum stiparetur subito comitatu, prædicti exules ad * ejus expetentes obsequium, malum, quod de sua accusatione confinxerunt, ipsum in caput constituunt, ut ejus auxilio vel consilio, si in Dei Hominem valerent, unanimiter vindicarent. Ipse enim Hebroïnus caput relevavit venenosum, quasi vipera restaurans venena sua, simulans, se esse tunc Theoderici * fidelem & ob hoc ad eum cum sociis quantocius festinare. Cùm enim Vir Domini cum sociis suprà scriptis eodem festinaret itinere, factum est, quantum nec unius diei itineris spatium, antequam Augustidunum urbem accederent, urgentibus fautoribus, Hebroïnus immemor amicitiæ dudum promissæ, eum ibidem voluit comprehendere, si non * Genesii *i* metropolis Lugdunensis episcopi consiliis fuisset prohibitus, aut manu valida, qui * cum eo aderant * perterritus: & fictam rursus amicitiam simulans, mixto agmine pariter pervenerunt in urbem.

hostem cum invidis Ebroïnum; *h* * *al. deest* ad

* *al. addit.* regis

24 Lætatur ecclesia de Pastoris præsentia rediviva *k*, plateæ ornantur virentibus *, aptant diaconi cereos *, gaudet civitas tota de adventu sui Pontificis post persecutionis procellam. Nec immeritò laudum ei exhibebantur excubiæ, qui * præsente Domino, ad coronam properabat martyrii: ibique pro adventu Præsulis delicias paraverunt etiam adversariis: crastina verò die exinde pariter promoventes, ut ad occursum Theoderici * pervenirent uniti. Interim dum isti cœpto itinere pervenissent ad regem, de ipso itinere pœnè jam medio Hebroïnus tyrannus, eorum deserens comitatum *l*, ad suos usque pertransiens, clericatum abjicit, ad mulierem, ut canis ad vomitum, post sacrum velamen redit *m*, & qui in castra * Christi militare non potuit, cum adversariis secularia arma arripuit: & dum derelinquerat fidem & Deum, contra terrenum dominum etiam apertum se prodidit adversarium.

Augustoduni summo omnium gaudio excipitur, *k* * *al.* virentiis * *al. addit.* clerici tripudiant cum Antiphonis * *al.* quia * *al. addit.* regis Fran. *l* *m* * *al.* quia in castris

25 Noviente * enim villa *n*, jam recuperato regno, tunc Theodericus residebat securus: cùm repentino superventu Hebroïnus ibi advenisset * cum Austrasiis. Quis enim enumerare planè valeat, quæ tunc fuit direptio de regali thesauro vel ecclesiæ ministerio, quod ob amorem Christianitatis Catholici retrò principes devoti in Dominicum contulerant sacrarium? Majorem domûs ejus ferunt etiam interfectum *o*. Ideo perpetravit hoc malum, quia à diabolicis viris invidis armabatur consilium *. Dolebant enim, se abjectos esse per meritum; dum populum universum fideliter cernebant declinâsse post Theodericum; eoque jam confirmato in regno & Dei famulo Leodegario cum illius gratia in sua urbe residente, livore invidi torqueri cœperunt iterum *p*; quia dum justi stabant erecti, ad recuperationem accedere non valebant perversi. Et quia, suadente diabolo, qui eos fide nudaverat, dum veritatis consilium *, jam cæcati, non invenerunt, per quod * destruerent Dei Sanctum, declinant ad majorem interitum per falsitatis commentum, per quod in regno * intulerunt magnum malum & stragem depopulationis in persecutione multorum.

Ebroïnus Theodorico adversarius * *al.* Noviento & Novientem *n* * *al.* venit

o * *al.* invido consilio

p

F

* *al.* consilio * *al.* quos * *al.* regnum

26 Denique acceperunt quemdam puerulum, & Lotharii fuisse confinxerunt filium *q*: hunc in partibus Austri secum levantes in regnum. Qua de re multum collegerunt hostiliter populum, eò quòd verisimile * videbatur esse. Cunctorum etenim cùm depopulando patriam subjugarent, etiam in nomine sui regis, quem falsò fecerunt, præcepta judicibus dabant. Tunc qui eis volens noluit adquiescere, aut jura potestatis amisit, aut si non fugâ latitando * discessit, gladii interfectione * deperiit. Quanti enim per hoc calliditatis figmentum, Theodericum tunc defunctum & Hlodoveum, Hlotharii filium esse crediderunt? Erant enim in hoc mendacio primi & quasi rectores palatii Desideratus, cognomine Deddo *r*, qui in urbe Cabillona quondam habue-

puerum, quem Chlotharii filium fingit, regem facit; *q* * *al. addit.* cunctis

* *al.* latenter * *al.* internecione

r

A. ANONYMO

buerat principatum, nec non & ejus collega Bolo *f*, qui civitatem Valentiam habuerat in dominium: nec enim digni sunt, ut hi * nominentur episcopi, qui magis terrenis desideriis, quàm Christo Deo militant, & unde districto Judici reddituri sumus rationem, nihil curant *t*. Horum talium sacerdotum & similium optimatum Hebroïnus tyrannus usus consilio, adeo usque elevatus & excæcatus est in hoc seculo, quousque impœnitens præcipitatus est in inferno *u*. Redeamus ad opus cœptum.

27 In illis diebus his ita gestis, per singula evolutis, postquam Hildericus est interfectus, postquam episcopi vel patricii cum optimatibus de Neustrico vel præsentia Theodorici, in partes redîssent Burgundiæ, & jam ipso in regno confirmato, ad propria residerent securi, interim invidi hostem moverunt ex adverso, primóque agere * circa eum quomodo * cum rege Hilderico egisse putabant. Tunc adjunctis sibi consiliariis inimicorum nequissimis sociis, consulere cœpit, quemadmodum eumdem Pontificem destruere potuisset. Ex his enim consiliariis, duo videlicet Deddo & Waimirus ex nomine *x*, caput effecti malitiæ, dixerunt, se posse eum rapere de civitate, & in eum facere vindictam, ex qua malitia Hebroïni satiata esse deberet *. Gavisus namque Hebroïnus de eorum responso, dedit exercitum copiosum valdè, qui festini perrexerunt ad civitatem *.

28 Vir autem Domini Leodegarius cùm ad suam plebem restaurandam resideret in urbe sua, ubi destinatum contra se hostium sensit impulsum, non est passus, ut ultrà fugaciter tenderet gressum, sed intrepidus de se Domini expectabat judicium. Cùm enim ei * tam familiares quàm clerici vel fideles imminerent, ut thesauros, quos sibi ipse contulerat, auferret, & abscederet, quatenus hostes, hoc audito, à perditione civitatis vel illius persecutione desisterent, ille his * nullatenus adquiescens, sed eos continuò in thesaurario * convocans, omnia, quæ ibi addiderat, assignans, talia prosequens verba: "Hæc omnia, quæ cernitis, fratres, „quamdiu terrenorum hominum gratiam me vo„luit gratia Dei habere, ad communem orna„tum, prout potui, hîc * fideliter contuli. Nunc „verò forsitan irati sunt ideo mihi homines terre„ni, quia Dominus nos vocare dignatur ad gra„tiam cæli. Ut quid enim hæc hinc auferam, quæ „mecum in cælum non tollo *? Ergo si vobis „placet, ego eligo consilium, hæc potiùs dari * „in usus pauperum, quàm cum turpi sarcina huc „illucque oberrare per seculum: & imitemur bea„tum Laurentium *y*, qui pro eo, quod dispersit „& dedit pauperibus, justitia ejus manet in secu„lum seculi, & cornu illius exaltatum est in glo„ria *z*.„

29 Statimque jussit custodi discos argenteos cum reliquis vasis quamplurimis foras ejicere, & argentarios cum malleis adesse, qui minutatim cuncta confringerent, quod * per fidelium dispensationem jussit pauperibus erogari: quæ autem ex his fuerant * ecclesiasticis usibus apta, ecclesiæ addidit ministerio. Monasteria sanè tam virorum quàm virginum infra urbem vel territorium de eodem argento consolatus est & paupertatem multorum. Quæ fuit tunc vidua, vel orphanitas *, vel omnis in commune paupertas, quæ ibi affuit, quæ de ejus largitate consolationem non habuisset? Vir autem Domini, ut erat plenus spiritu sapientiæ, hæc verba locutus est fratribus: "Ego, fratres, decrevi jam „de hoc seculo nihil penitus cogitare, sed magis „spiritualem nequitiam, quàm terrenum hostem „metuere. Terrenus homo si talem à Domino * „acceperit potestatem, ut persequatur, compre„hendat, prædetur *, incendat, interficiat; hæc „nullatenus possumus declinantes effugere & si „hîc tradimur * de rebus transitoriis ad discipli„nam, non desperemus, immò potiùs gaudea„mus in futuro de venia.

30 „Muniamus ergo virtutibus animam simul „& civitatis custodiam, ne inveniant utrique ho„stes aditum, per quod inferre possint periculum.„ Commonens * igitur universum urbis illius populum, cum triduano jejunio, cum signo Crucis & reliquiis Sanctorum murorum circumiens ambitum, per singulos etiam aditus portarum terræ adhærens, Dominum precabatur cum lacrymis, ut, si illum vocabat ad passionem, plebem sibi creditam non permitteret captivari: & ita præstitum est evenisse. Itaque cùm ob metum hostium certatim populi undique se recepissent in urbem, & meatus portarum forti obturâssent seratu, & super omnia stabilissent in ordine propugnacula, jussit Vir Domini universos ingredi in ecclesiam, cunctorum sibi * postulans indulgentiam, ut, si quempiam illorum, ut adsolet, dum pro zelo rectitudinis increpâsset, aut verbo læsisset, ei indulgentiam darent. Sciebat autem Vir Dei iter passionis ingrediens, non prodesse martyrium, ubi, livore detersо, non priùs fuerit cor emundatum, vel caritatis lampade illustratum. Nullus fuit tunc ibidem tam ferreum possidens pectus, qui etiamsi fuisset graviter læsus, non omnem malitiam cordis indulsisset devotus.

31 Post hæc non diu vallatur civitas ab exercitu, eodemque die ab utroque populo fuit fortiter usque ad vesperum dimicatum. Sed cùm ab agmine hostium esset civitas obsidione validâ circumdata, & die noctuque vociferantes, ut canes, circuirent urbem, perspiciens Vir Domini civitatis imminere periculum, compescuit omnem supermuralem * conflictum & his verbis suum exorare aggressus est populum. "Sinite, quæso, contra hos pugnando confligere. „Si mei tantùm causâ hîc * isti advenerunt, de „memetipso paratus sum eorum satisfacere vo„luntati *, eorumque mitigare furorem. Tamen „ne inauditi videamur egredi, mittatur unus ex „fratribus eos inquirere, qua de causa hanc obsi„dent civitatem.„ Cùm subitò hi Meroaldo abbati *aa* per muri repugnaculum * parâssent descensum, qui perveniens ad Deddonem, ait ei: Si hæc nostra commiserunt facinora, peto, ut interim euangelicam recorderis sententiam, ubi Dominus dixit: "Si non dimiseritis * homi„nibus peccata eorum, nec Pater vester cæle„stis dimittet vobis peccata vestra *bb*.„ Et illud: "In quo enim judicio judicaveritis, judicabi„mini *cc*:„ simulque imprecans *, ut hostem compesceret, & redemptionem, quam volebat, acciperet.

32 Sed quia jam tamquam lapidis duritia, sicut quondam rex Ægyptius *dd*, obduraverat cor, ad verba divina nullatenus potuit emolliri, comminansque, non se ab impugnatione civitatis discedere, quoadusque Leodegarium valeret comprehendere & sui furoris vesanum desiderium satisfacere; nisi Lodoveo, quem falsò regem fecerant, promitteret fidem *ee*: hæc enim erat

f * *al. addit.* urbium

t

u

mittit, qui Leodegarium capiant;

* *al. deest* agere * *al.* cum quo regem Childericum

B

x

* *al.* esset latiata * *al. addit.* Augustidunum

hic thesauros suos in pauperes

* *al. deest* ei

* *al.* hæc * *al.* thesauros

* *al.* huc

C

* *al.* tollam * *al.* dare

y

z

& ecclesias distribuit, simulque dans pia monita * *al.* quæ * *al.* fuerunt

* *al.* orphana

D

* *al.* Deo

* *al.* perdat

* *al.* trudimur

jejunia & preces publicas instituit.

* *al.* commovens

E

* *al.* simul & insimul

hostibus urbem obsidentibus

* *al.* super murale

* *al.* huc * *al.* voluntatem

F

aa

* *al.* repagulum

* *al.* remiseritis

bb

cc

* *al.* deprecans

& unum ipsum sibi tradi volentibus

dd

* *al.* vesano desiderio

ee

ff rat ſimulata occaſio *ff*, quoniam * omnes cum ſacramento Theodericum aſſerebant eſſe * defunctum. Auditis itaque Vir Domini his verbis, hæc dedit illis reſponſa: "Hoc vobis notum ſit omnibus tam amicis & fratribus, quàm inimicis & hoſtibus; quia quouſque me Deus in hac vita juſſerit ſupereſſe, non mutabor à fide, quam Theoderico promiſi coram Domino conſervare: corpus meum decrevi potiùs in morte offerre, quàm animam pro infidelitate turpiter denudare." Hoſtes verò, his auditis reſponſis, cum telorum jaculis & cum incendio feſtinanter undique inſiſtebant irrumpere murum civitatis *.

33 Ipſe verò univerſis fratribus valedicens, Panis & Vini participatione communicans, eorumque dubia corda confirmans, ſuam eis, ut Chriſtus *, memoriam paſſionis commendans, ad portarum aditus perrexit intrepidus, apertiſque clauſtris ſponte ſe obtulit pro inimicis * Adverſarii verò gaviſi, tamquam ovem innocuam ipſum, ut lupi, ſuſceperunt in prædam. Qui exclamans, fertur dixiſſe: "Gratias ago omnipotenti Redemptori *, qui me dignatus eſt hodie glorificare." Illi verò iniquiſſimæ pœnæ excogitantes commentum, primò ab ejus capite lumen evellitur * oculorum, in qua evulſione ultra humanam naturam inciſionem ferri viſus eſt tolerâſſe. Teſtes enim ſunt multi illuſtres viri, qui aderant in præſenti: quia nec vinculum in manibus eſt paſſus imponere, nec gemitus proceſſit ex ore, dum ejus oculi fuerunt abſtracti à capite, niſi glorificans Dominum ſemper, modulamina ſtuduit canere pſalmorum.

34 Inter ceteros dux quidem erat Campaniæ, Waimirus vocatus nomine, qui ad hoc malum perpetrandum à finibus Auſtri venerat cum Deddone: hi duo cuidam Boboni *gg*, qui nuper cum anathemate fuerat de epiſcopatu Valentinæ urbis dejectus, Auguſtidunum aſſignaverunt in dominium, immò potiùs ad devaſtandum. Cives verò oppreſſi receperunt adverſarium, quia jam amiſerant Paſtorem ſuum, per cujus diſpenſationem pœnè omne præſidium aſportaverunt eccleſiæ. Nam pro civitatis redemptione, occaſione recepta *, in quinque millibus ſolidorum fuit eccleſiæ argentum diſtractum præter exſpolia * civium. Et quamquam eccleſia pertuliſſet de tranſitoriis rebus diſpendium, nullum exinde permiſit Dominus abduci captivum *hh*. Igitur cùm hoſtes lætarentur, diviſerunt * ſpolia, & ſuprafcripto Waimiro Dei Hominem tradiderunt in cuſtodiam: qui cum eodem exercitu feſtinus * repedavit ad patriam *ii*.

35 Deſideratus verò, cognomine Deddo, unà cum Bobone & cum Adalrico duce *kk*, quem ipſi volebant patritium eſſe provinciæ ſubjugandæ *, perrexerunt uſque ad Lugdunum *ll*, ut ita exinde abducerent Geneſium, ſicut de Auguſtiduno dudum expulerant Leodegarium *y*. Sed manu valida populi, undique collecti, urbem hanc maximam, Deo præſule, non permiſerunt inrumpere. Hi verò, qui Dei famulum duxerant * Leodegarium, ut nuntiaverunt Hebroïno, quod fuerat factum [in ſilvarum ſecreta eum jubet retrudi, & de ejus morte, quaſi necatum * in aquis, fabulam mendacem confingere *, etiam tumulum ſepulturæ ejus conſtituere * juſſit donec ipſum longæ famis inedia conſumeret *mm*.] Quod qui audire potuit aut videre, verum credidit eſſe *nn*. Sed, qui Heliam per corvum pavit in Heremum * nec ſuum ibi deſeruit famulum.

36 Etenim poſt longam, quam Dei Martyr pertulit, famis inediam, reminiſcens Waimirus, humanam in eo naturam non aliter poſſe ita durare, niſi eum Chriſti gratia ſuſtentaret, in domum ſuam eum jubet perduci *. Dura etenim viſcera pietate cœperunt emolliri. Cùm enim in familiari colloquio ei fuiſſet aſſuetus, ita feritatem illius in parvo temporis tractu * edomuit, & tam ipſum, quam conjugem ad Dei timorem convertit *oo*, ut argentum eccleſiæ, quod nuper pro redemptione civitatis Auguſtiduni receperat, ei devotus offerret, & quicquid exinde facere decreviſſet *pp*, concederet. Quod Vir Dei acceptum per quemdam fidelem abbatem, nomine Bertonem *qq*, ad prædictam dirigens urbem, ipſumque juxta Apoſtolum *rr* ad domeſticos fidei dividens, voluntatem ejus opere caritatis fideliter adimplevit.

ANNOTATA.

a *Annum, imò etiam ferè menſem, quo Childericus fuit occiſus, § octavo Commentarii prævii determinavimus, quem propterea ſtudioſus lector conſulat. Childericus non ſolus, ſed cum uxore ſua Bilihilde fuit necatus. De infelici hoc eventu ejuſque occaſione primus Fredegarii continuator à Theodorico Ruinartio anno 1699 cum aliis nonnullis operibus iterum editus, annotationibuſque illuſtratus cap. 95 hæc commemorat:* Erat enim ipſe Childericus rex levis atque citatus nimis, gentem Francorum in ſeditionem mittens, & in ſcandalum ac deriſum; donec odium non modicum inter ipſos crevit uſque ad ſcandalum & ruinam. Quo ingraveſcente, unum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad ſtipitem tenſum eædere contra legem præcepit. Videntes hæc Franci, in ira magna commoti, Ingolbertus videlicet & Amalbertus, vel reliqui majores natu Francorum, ſeditionem contra ipſum Childericum concitaverunt. Memoratus Bodilo ſupra eum cum reliquis quamplurimis ſurrexit inſidiaturis, & regem in Lauchonia ſilva, unà cum regina ejus prægnante, nomine Bilihilde, quod dici dolor eſt, interfecit. *Eadem leguntur in Geſtis Regum Francorum cap. 45 apud Cheſnium tom. 1 Scriptorum pag. 717.* Silvam, *in qua verbis recitatis Childericus cum uxore ſua Bilihilde occiſus dicitur*, eam eſſe putant, *inquit laudatus Ruinartius in Annotationibus*, quæ inter Calam, villam tunc regiam, & S. Dionyſii oppidum interjacet; hodie Liberiacenſis ſilva dicitur, vulgò LA FORET DE LIVRY, aut certè Bungiacenſis, DE BONDI.

b *Auctoris ſenſum hîc nonnihil obſcurum num. 155 Commentarii prævii vide expoſitum.*

c *Hæc uncis incluſa apud Mabillonium omiſſa ſunt.*

d *Verba, quibus auctor cometam apparuiſſe, hîc narrat, non modicam difficultatem pariunt; Etenim, ſpectato contextu, ſignificare videntur, id eveniſſe, vel ante, vel certè non diu poſt Childerici regis obitum; cùm autem hunc ſecundum receptiſſimam hodie chronologiam anno Chriſti 673 affixerimus, conſequens eſt, ut cometa, de quo auctor loquitur, vel ipſo anno 673 vel certè non diu admodum pòſt apparuerit. Verùm de cometa, qui anno 673 vel certè non diu admodum pòſt apparuerit, antiqui non meminerunt hiſtorici, ut adeò ab anonymo noſtro deſignari videa-*

A. ANONYMO.

* *al.* quia
* *al.* fuiſſe
* *al.* mortem
* *al.* inrumpere civitatem
ſponte Sanctus ſe ſiſtit; excæcatur;
* *al. addit.* diſcipulis
* *al* pro civibus inimicis
* *al.* Deo
B
* *al.* evulſerunt
& Waimiro cuſtodiendus traditur,
gg
* *al.* reperta
C
* *al.* ſpolia
hh
* *al.* lætanter diviſiſſent
* *al. deeſt* feſtinus
ii
ac fame necandus;
* *al. deeſt* ſubjugandæ
kk
ll
* *al.* duxerunt
* *al.* enecati
* *al.* confingi
* *al.* conſtituti
mm
nn
* *al.* eremo *ſed ille ad frugem convertitur.*
* *al.* perducere
* *al.* in parvo tempore proſtratam
oo
pp
qq
rr
E
F

A. ANONYMO. *tur cometa, qui juxta Bedam in Hiſtoria gentis Anglorum lib.* 4 *cap.* 12, *alioſque multos ſcriptores (vide Pagium in Criticis ad annum* 677 *num.* 9) *per tres continuos menſes ab Auguſto inceptos anno* 677 *apparuit; quòd ſi autem hic cometes ab anonymo noſtro verè deſignetur, debet, uti ex mox dictis eſt conſequens, ſeriùs, quàm anno* 673, *Childerici Francorum regis mors collocari, ruitque proinde chronotaxis, juxta quam Childericum anno illo vitâ functum eſſe, adſtruximus. Pagius in Criticis hanc pariter difficultatem animadvertit, hincque eſt haud dubiè, cur verba, quibus anonymus cometam apparuiſſe, narrat, ad annum* 673 *num.* 8 *&* 9 *ita excipiat:* Loquitur procul dubio anonymus (*Vitæ ſcilicet* S. Leodegarii *biographus*) de iride, quam anno DCLXXI num. III oſtendimus menſe Martio currentis anni (673) viſam eſſe. Eodem enim tempore cometam, aliaque ſigna in cælo apparuiſſe Theophanes indicat, cùm ſcribat: "Hoc anno iris in cælo conſpecta carni omni „tremorem incuſſit menſe Martio Dyſtro: adeò „ut omnes rerum univerſarum conſummatio„nem adveniſſe prædicarent, ὅτι συντέλεια ἐστίν.„ B Chriſtus verò in Evangelio nos docet, multa ſigna cæleſtia, non verò unum, finem mundi præceſſura. Theophanes tamen de ſola iride loquitur, ſicuti & illi, qui eum exſcripsêre, quia ea magis Orientales terruit; & ſcriptor Vitæ ſancti Leodegarii (*anonymus nempe vetuſtior*) de ſolo cometa, intentus ſcilicet converſioni rerum, quæ poſt Childerici interitum in Gallia contigit, juxta illud Lucani lib. 1. 115 mutans regna cometes. Certè ſigna cæleſtia in omnibus climatis non eodem modo ſemper apparent, & iris inter fatalia aliquando reputatur, eamque alia quandoque comitantur, ut teſtatur Gregorius Turonenſis lib. 6 cap. 44 anno IX Childeberti Francorum regis, Chriſti ſcilicet DXLIV, in Gallia contigiſſe. "Hoc anno, inquit, multa prodigia „apparuerunt in Galliis, vaſtationeſque multæ „fuerunt in populo. Nam menſe Januario roſæ „viſæ ſunt: circa ſolem quoque circulus ma„gnus apparuit diverſis coloribus mixtus, ut „ſolet in illo cœleſtis iris ambitu, pluvia diſce„dente, monſtrari." Ita hactenus Pagius, *contendens ſcilicet, cometam, qui ab anonymo hîc memoratur, diverſum eſſe à cometa,* qui, *uti docet,* C anno Chriſti DCLXXVII à menſe Auguſto per tres menſes orbe toto ſpectatus eſt. *Et verò ſi reipſa quis cometa, uti anonymus tradit, vel ante vel paulò poſt mortem Childerici apparuit, diverſum hunc eſſe oportet à cometa anni* 677, *cùm Childericus anno* 673, *quemadmodum* § VIII *Commentarii prævii ex communi eruditorum opinione docuimus, è vivis exceſſerit. Opponi quidem hîc poteſt, quòd apud alios quoſcumque ſeculi ſeptimi & octavi ſcriptores de cometa, qui diverſus ſit à cometa anni* 677, *quique vel ante vel paulò poſt mortem Childerici apparuerit, altiſſimum ſit ubique ſilentium; verùm ſilentii hujus cauſa eſſe poteſt, quòd cometa ille paucioribus orbis terrarum locis fuerit ſpectatus, minúſque proinde celebris, litteriſque ad poſterorum memoriam mandari dignus exſtiterit.*

c *Loco eorum, quæ hîc uncis includuntur, habet Mabillonius:* Simulque miniſtri univerſæque familiæ nec non & vulgus populi ita imminerent, ut ſemetipſos pro eo non dubitarent offerre; *quæ lectio videtur notabiliter corrupta.*

f *Id eſt, optimatibus ſeu principibus.* D

g *Mabillonius legit:* Ita in ejus auxilium fuerunt ſociati; *quæ lectio, ut apparet, præferenda eſt.*

h *Loquitur hic ſcriptor de Juliano imperatore, cognomento Apoſtata, qui mortis vitandæ cauſâ monachum aliquamdiu ſimulavit, ut Theophanes, aliique Græcorum hiſtorici teſtantur.*

i *De S. Geneſio, urbis Lugdunenſis epiſcopo, cui pòſt in Opere noſtro locus erit, in Vita S. Bathildis hæc leguntur:* Eum (*Geneſium ſcilicet Clodoveus II Francorum rex*) ſuum fidelem famulum dedit reginæ (*Bathildi*) adjutorium: per ejus manus miniſtrans ipſa ſacerdotibus & pauperibus, paſcebat egenos & induebat veſtibus nudos, ſtudioſéque ſepelire ordinabat mortuos, dirigens per ipſum ad cœnobia virorum ac virginum auri & argenti largiſſima munera. *Poſtea hic, ut in eadem Vita legitur,* Chriſto jubente, Lugduno Galliæ ordinatus eſt epiſcopus. At, *inquiunt Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 4 *col.* 47, quo anno non omnino certum. *Cointius nihilominus in Annalibus eccleſiaſticis Francorum S. Geneſium ad ſedem Lugdunenſem anno* 658 *promotum affirmat,* F *ut adeò S. Geneſius, cùm laudatus Cointius ſi non verum, ſaltem vero proximum, quo id accidit, annum aſſignet, jam annis ferè quindecim Lugdunenſem rexiſſet eccleſiam, quando cum* S. Leodegario *poſt cædem Childerici ad Theodoricum, Francorum regem, ut eum ſolitis cæremoniis cum ceteris regni optimatibus regem conſtitueret, properavit.*

k *Mabillonius legit:* Lætatur civitas & omnis eccleſia de Paſtoris præſentia rediviva.

l *Urſinus Ebroïni fugam refert ad noctem, quæ proximè ſecuta eſt diem, quo cum* Leodegario *aliiſque Burgundiæ optimatibus Auguſtodunum advenerat; verùm hîc anonymo, qui Ebroïni fugam ad diem, qui noctem illam ſubſecutus eſt, refert, adſtipulandum eſt, ut num.* 164 *Commentarii prævii docuimus.*

m *Ex his verbis intelligitur, uxorem Ebroïni, cui, ut Vita S. Drauſii num.* 273 *Commentarii prævii laudata docet, Leutrudi nomen erat, monacham etiam induiſſe: id autem veroſimiliter fecerit eo ipſo tempore, quo Ebroïnus Luxovium relegatus, monachum induere fuerat compulſus. Leutrudis, Ebroïni uxor, in Vita S. Drauſii,* E *Sueſſionenſis epiſcopi, impensè laudatur; quapropter hæc, licèt ſacrum velum, quod procul dubio, inquit Mabillonius Seculo* 2 *Benedictino in Annotatis ad Vitam* S. Leodegarii *pag* 686, *in parthenone S. Mariæ Sueſſionenſi à ſe exſtructo, tonſo Ebroïno, acceperat, ad maritum ſuum rediens, ut anonymus noſter vetuſtior hîc indicat, poſtea poſuerit, apoſtaſiæ tamen rea à S. Drauſii biographo habita fortè non fuerit. Ab apoſtaſiæ crimine Ebroïnum vindicare Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum conatur, meritóque hunc ſcriptorem id facere num.* 266 *&* 267 *Commentarii prævii aſſerui; quod ſi autem ab hoc crimine vindicari debeat Ebroïnus, debet indubiè & Leutrudis; aſt ea ignominiæ labes neque ab hac, neque ab illo removeri poſſe videtur, ſi, priuſquam habitum monaſticum deponerent, ſolemnia religionis vota jam emiſerant. Etenim hæc, etiamſi ex metu, ut loquuntur theologi, ab extrinſeco etiam, ita tamen ut directè non extorqueantur, incuſſo fuerint emiſſa, pro validis debent haberi, ac proin ſi Ebroïnus & Leutrudis, cùm ſolemnia religionis*

A *ligionis vota mortis vitandæ causâ jam emisissent, ad seculum sint reversi, apostasiæ crimine vacâsse non videntur.*

n *Mabillonius lib. 4 de re Diplomatica pag. 304 de Noviento seu Novigento villa, in qua Theodoricus regno restitutus resedisse hîc dicitur, hæc commemorat:* Novigentum est in pago Laudunensi, villa, ut quidam volunt, olim regia, sub Codiciaco posita, NOGENT SOUS COUCI, in qua, jam recuperato regno, Theodericus residebat securus, cùm repentino superventu Ebroïnus cum Austrasiis affuit, qui protinus regem inde ad flumen Isaram, mox Basiu palatium, ac tandem Crisciacum fugere, ibique imperata (*vide tamen hac de re Commentarii prævii num.* 170) facere coëgit. Erectum postea est Novigenti Ordinis nostri monasterium, cui sæculo XII ineunte præfuit Guibertus abbas, vitæ integritate, scriptisque suis clarissimus.

o *Erat hic Leudesius, Erchinoaldi, quondam majoris-domûs, filius. Vide Commentarium prævium num.* 168 *& seq.*

p *Mabillonius aliter legit:* Dolebant enim, se
B abjectos esse per meritum, dum populum universum fideliter cernebant declinare post Theodoricum, eumque jam confirmatum in regno, & Dei famulum Leodegarium cum illius gratia in sua urbe residentem; livore invidiâque uri cœperunt iterum. *At utra genuina sit lectio, pro certo nequeo edicere.*

q *Cùm Ebroïnus, ejusque assecla, uti hîc narratur, Clothario III, Francorum regi, vitâ functo, filium supponere, hujusque verè esse patrem Clotharium, multis persuadere potuerint, consequens est, ut Clotharius, qui, moriente Clodoveo II patre suo, vix quartum ætatis annum explevérat, annos non tantùm quatuor, uti in Gestis regum Francorum cap.* 45, *& in Chronico Fredeggrii continuato cap.* 93 *legitur; sed quatuordecim regnâsse, uti nunc apud omnes omnino eruditos in confesso est, nec fortè repugnant laudata regum Francorum Gesta, Chronicique Fredegariani continuati Scriptor, cùm de annis fortè, quibus Clotharius monarchiam tenuit, tantummodo loquantur. Videsis Commentarium prævium num.* 115.

r *Desideratus, cognomine* Deddo, *seu, ut alibi scriptum reperitur,* Diddo *vel* Dido, *à Galliæ Christianæ auctæ Scriptoribus tom.* 4 *col.* 873
C *inter episcopos Cabilonenses ordine decimus quartus recensetur. Hic ob crimina exauctoratus, atque sede sua expulsus, Ebroino adhæsit, eique ad vexandum* Leodegarium, *uti anonymus infrà declarat, sese ministrum præbuit.* Verùm, *inquiunt loco citato laudati Galliæ Christianæ auctæ Scriptores,* non diu tantam nequitiam pati potuit æquissimum Dei judicium. Ebroïno, nescio qua ratione, exosus factus est Dido: unde cùm coacta fuisset synodus, *de qua* § XV *agimus,* in quadam villa regia, inquit anonymus, ibi inter ceteros Dido de suo episcopatu expulsus est, & pœnæ traditus, ab ipsa synodo condemnatus, CALVARIA ACCEPTA IN CAPITE, ET SEGREGATUS A SANCTA CONGREGATIONE. Deinde in exilium missus, ac tandem pœnâ capitis exsolvit quidquid in sanctum Leodegarium peccaverat.

s *Bolo, qui hîc inter Ebroïni assecias numeratur, in Ms. nostro Bronienſi, quod à Petro Francisco Chiffletio Majores nostri transmissum accepére,* Bobo *vocatur, & in editione Mabilloniana* Abbo. *Verùm sive* Bolo, *sive* Bobo *aut etiam* Abbo *melior sit lectio, fuit is, qui per nomen illud designatur, urbis Valentinæ episcopus, eoque paulò antè, uti infrà num.* 34 *anonymus docet, excommunicato atque exauctorato, ad vexandum* Leodegarium *etiam usus est Ebroïnus.* A. ANONYMO.

t *Mabillonius legit:* Nec enim digni sunt, ut hi nominentur episcopi, qui magis terrenis desideriis vel lucris temporalibus augenda pecunia vigilant, dum de animabus sibi commissis, unde districto judici reddituri sunt rationem, nil curant.

u *Ebroïnum æternis inferorum pœnis à Deo esse addictum, hîc asserit auctor; qua de re quale sit nostrum judicium, videsis Commentarii prævii num.* 275.

x *Fuit hic dux, id est, præfectus seu gubernator Campaniæ, creatusque ab Ebroïno, quòd in vexando* Leodegario *operam suam etiam locâsset, urbis Tricassinæ episcopus, postea illius indignationem odiumque incurrit, fuitque, eodem Ebroïno agente, multifariàm punitus, tandemque etiam suspendio necatus.*

y *Sermo hîc est de celeberrimo illo martyre Laurentio, de quo ad diem* X *Augusti, quo ejus memoria in Ecclesia solemnis habetur, apud nos actum est.* E

z *Alluditur hîc haud dubiè ad S. Laurentii factum, quo hic, antequam martyrio coronaretur, Ecclesiæ thesauros in pauperes erogâsse, in Actis propriis in tomum nostrum* 2 *Augusti pag.* 518 *& seq. ex Adonis Martyrologio illatis num.* 1, 2 *&* 4 *legitur.*

aa *Galliæ Christianæ auctæ Scriptores tom.* 4 *col.* 449 *dubitant, cujus monasterii Meroaldus, qui hic memoratur, abbas exstiterit; quæ de re videsis Commentarium prævium num.* 183 *& duobus seqq.*

bb *Ita ferè Matthæi* 6, ℣. 15.

cc *Apud eumdem cap.* 7, ℣. 2.

dd *Pharao scilicet, qui post varias plagas à Deo sibi ministerio Moysis & Aaronis inflictas filios Israel ex Ægypto liberos noluit dimittere, eosque fugientes insecutus cum exercitu in mari Rubro miserrimè periit.*

ee *Consequens hinc est, Ebroïnum, Luxovio egressum, in præfecturam palatii restitutum nondum fuisse, cùm Augustodunum ab Ebroïnianis obsideretur. Adi Commentarium prævium num.* 177.

ff *Quid per simulatam occasionem verosimiliter hîc intelligendum sit, num.* 186 *Commentarii prævii docuimus.* F

gg *De Waimiro, Diddone & Bobbone vide, quæ dicta sunt suprà ad litteras* r, s *&* x.

hh *Hoc* S. Leodegarii *precibus debuerunt Augustodunenses verosimillimè referre acceptum. Vide Commentarii prævii num.* 191.

ii *Quænam regio per patriam, ad quam Waimirus cum* Leodegario *in custodiam suam tradito festinâsse hîc dicitur, verosimiliter debeat intelligi, num.* 191 *Commentarii prævii definitum invenies.*

kk *Apud historicos nihil inveni, quod ad Adalricum ducem, cujus hîc fit mentio, referendum putem.*

ll *Mabillonius, cui Ms. nostrum ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris transumptum consonat, ita legit:* Desideratus verò, cognomine Diddo, unà cum Bobone & cum Adalrico duce, quem ipsi volebant patricium esse provinciæ, ad patriciatum subjugandum perrexerunt usque ad Lugdunum.

mm *Hæc uncis inclusa, quorum sensus nonnihil obscurus est, num.* 23 *Commentarii prævii vide exposita.*

A. ANONYMO

nn *Mabillonius Saculo 2 Benedictino pag. 689 in Annotatis ad Vitam* S. Leodegarii *putat, hic noſtrum biographum ſeipſum deſignare; ſed an rectè, videſis Commentarii prævii num. 23.*

oo *Et tamen hic ſcriptor de Waimiro num. 45 ita ſcribit: Waimirum* . . . morte turpiſſima (ut decebat juſti proditorem) condemnatum, tranſmiſit (*Ebroïnus ſcilicet*) ad tartarum.

pp *Mabillonius legit:* Ut faceret, quidquid exinde facere decreviſſet.

qq *Mabillonius legit* Berto; *utra autem præſtet lectio, ignoro, ut etiam cujus monaſterii Betto ſeu Bertho abbas exſtiterit. Vide Commentarium prævium num. 192.*

rr *Hic ad Galat. 6, ℣. 10 ait:* Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.

CAPUT III.

Leodegarius & Gerinus ad aulam arceſſuntur: hic Ebroïni majoratui domûs reſtituti imperio occiditur; ille dirè mutilatus ad longiores cruciatus ſervatur, linguâ abſciſsâ, loquitur, multos convertit, ad concilium vocatur, dignitate privatur, tandemque necatur.

Ebroïnus initâ apud Theodoricum gratiâ, fit major-domûs

a

I Gitur cùm, ut ſuprà dictum eſt, ſuum facinus diutiùs Hebroïnus perditus occultare non poſſet, de rege, quem falsò fecit, declinat ingenium *a*, ut in Theoderici rediret palatium. Quorumdam factione ſuſcipitur, & iterum ſubitò major-domus palatii efficitur. Sed cùm eum alii gaudentes, alii timentes, in culmine ſublimâſſent honoris, continuò tale dedit edictum, ut, ſiquis quid cuiquam in turbatione, quæ fuerat, vel intuliſſet diſpendium vel prædam, nulli ex hoc generaretur calumnia *b*. Hæc fuit occaſio, ut non redderet exſpoſium, quòd miniſtri ſui ei contulerant de prædatione multorum *c*. Cùm enim * tumere in rediviva cœpiſſet ſuperbia, dolens ac metuens, ne ſuperſtites haberet æmulos, quorum parentibus intulerat malum: jam enim jura poteſtatis adeptus, duplicavit malitiam cum invidia.

b

c

* *al.* autem

C

& ſævit tum in alios

38 Nam priores optimates cœpit inſtanter perſequi, & quoſcumque priorum optimatum comprehendere valuit, gladii interfectione proſtravit, aut ad gentes extraneas, ablatis facultatibus, effugavit *d*. Sanè feminarum nobilium monaſteria deſtruens, earumque religionum * primarias in exſilium dirigens: & quia margaritarum ornamenta conculcandi acceperat poteſtatem, ideo ſine ulla miſeratione, ut porcus, non timuit theſaurorum ornamenta conculcando inrumpere Chriſti. Et quoniam non valebat reſpicere cælum, ideo cor ejus in terrenæ cupiditatis luto ultra modum fuit defixum. Etenim cùm Hebroïnus crudelis de ſuprà dictis rebus ſuum ſatiâſſet furorem, rurſum occaſiones cœpit exquirere, ut blaſphemiam ſuæ crudelitatis valeret ab oculis humanis auferre.

d

* *al.* religionis

tum in Sanctos noſtros, Gerinum

39 Tunc Hilderici mortem ſimulabat, ſe velle vindicare, cùm nullus eum prior, quàm ipſe, voluiſſet interire *e*, (publicè enim aliter, quem odiſſet, non audebat perſequi) juſſerunt principes, unà cum Germano ſanctum Leodegarium ex monaſterio, in quo tenebatur abſconditus *f*, egredi, & in præſentia regis adſiſtere. Qui dixit ad Hebroïnum *: Dum ſuperare cupis omnes habitatores in tota Francia, tuam potiùs aufers, quam indignus ſuſcepiſti, gloriam. Hæc * audiens Hebroïnus nequiſſimus, furore magno repletus, juſſit miniſtris Gerinum * abſtrahi & à Germano ſeparari, ut ſeparatim viderentur puniri, ne ſimul eis delectarentur * talia verba fari. Cùm autem duceretur, beatus Leodegarius eum alloquitur, dicens: Æquo animo eſto, Frater cariſſime; quoniam oportet, nos hæc pati: quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Peccata etenim noſtra multa ſunt; ſed miſericordia Omnipotentis ſupereminens magna, quæ * ad abluenda delicta ſe laudantium ſemper eſt parata. Hæc ad tempus patimur, quia morti debitores ſumus: ſed illa nos exſpectat vita, ſi patienter ferimus * pœnam, ubi ſine fine lætabimur in cæleſti gloria.

e

f

* *al. addit.* converſus

* *al.* hoc

* *al. addit.* fratrem ejus foràs

* *al.* eos delectaret

* *al. deeſt* quæ

* *al. addit.* iſtam

occidi jubet, Leodegarium dirè mutilatum & tortum

40 Tunc miniſtri ad ſtipitem ligatum Gerinum lapidibus obruere cœperunt; ille verò deprecabatur Dominum, dicens: Domine Jeſu bone, qui non veniſti vocare juſtos ſed peccatores, ſuſcipe ſpiritum ſervi tui, ut, qui dignatus es ſimilitudine martyrum * lapidibus vitam iſtam mortalem auferre, jubeas clementiſſimè veniam ſcelerum meorum tribuere. Hæc dicens, orando ultimum efflavit ſpiritum. Beatus itaque Leodegarius cupiebat cum Germano vitam finire, ut ſimul mererentur futuram ac beatam participare gloriam: ſed Hebroïnus tyrannus differre volens eum * exitum, ut per pœnas longè dilatas ſibi * præpararet æternas, & ne coronam acciperet martyrii, quin potius careret præmiis gloriæ ſempiternæ, tunc juſſit, eum nudis greſſibus per quamdam piſcinam tranſduci, in qua erant petræ, quaſi clavi incidentes acuti *: quam ob rem labia ejus & faciem concavo crudeliter juſſit incidi ferro, nec non & linguæ plectrum ferro ſecante auferre *: ut dum oculi ablati, pedes jam forati, lingua ac labia inciſa eſſent, & dum ſibi cerneret omnem felicitatem membrorum ablatam, corporumque * pariter vires undique paruiſſent necatæ; dum nec oculis cernere viam, nec pedibus incedere callem, nec linguæ officia dantem laudare quiverit Creatorem, ac per hoc cederet blaſphemiæ * deſperans, auferendo * ſalutem, quam * laudando cælitus adipiſci meruiſſet ingentem *g*.

* *al.* ad ſimilitudinem martyrum

* *al.* acutæ

* *al.* auferri

* *al.* corporiſque

* *al.* caderet in blaſphemiam

* *al. addit.* ſibi

* *al.* quem

g

ad longiores cruciatus ſervari.

41 Sed, qui abſque vocibus cordis auditor Deus magis optat * cor contritum quàm elatione ſuperbum *, ſuſcipit vocem tacentis magis quàm elatas voces loquentium, non poſtulat ſibi auxilium vocis, ſed humilitatem cordis. Nam cùm ſe cognoviſſet, præſidium omne amiſiſſe humanum, totis viribus petiit ſibi adeſſe divinum; nam quantum impietas humana revocare cupit ab alto, tantùm pietas * ſociare fecit eum in cælo. Sanctum itaque Leodegarium diutiùs ad vindictam ſervaverunt vivum & turpiter denudatum per platearum paluſtria juſſerunt pertrahi nudum, eumque ad vindictam quaſi deformatum tradiderunt viro, nomine Waningo *h*, ut ſub ejus gravi dominio emitteret cruciatûs ſpiritum: cui & ait iniquus Hebroïnus: Accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidiſti virum ſuperbum, & conſtitue ſub arta cuſtodia; erit enim tempus ſuæ vocationis recipiens

* *al.* amat

* *al. addit.* &

* *al. addit.* divina

h

piens *, quod meritus est à suis inimicis : cùm enim longè esset ejus hospitium, sanctum Dei Martyrem imposuerunt in * vile jumentum. Et ut cognovit, ita esse impletum, arripuit hunc psalmi versiculum. Ut jumentum, inquit, factus sum apud te, & ego semper tecum *i*. Et cùm labia non haberet neque linguam, silere laudes Dei non potuit mens devota, sed quas voces valuit, insonuit de cordis arcano.

* *al.* ut recipiat
* *al.* super
i

42 Cúmque omnes eum sic cernerent graviter cruentatum, crediderunt, ut ob hoc emittere deberet spiritum. Etenim dum unus è fratribus nostris abba, nomine Winebertus *k*, ad prædictum hospitium à longè secutus fuisset post eum, imprecans custodibus, ut latenter eum ad ipsum accedere non negarent; ut tandem obtinuit, repperit eum *l* jacentem in stramine opertum de vetusto panno tentorii, tenui spiritu palpitantem: & dum illum ad præsens crederet expirare, insperatum invenit miraculum. Nam inter sputamina sanguinum incisa lingua sine labiis solitum reddere cœpit eloquium. Et quia defectio labiorum ordines nudaverat dentium, tamen ab intro affluitate sonituum reddiderunt eloquium *m*. Tunc is, qui ejus funeri excubias venerat exhibere ad transitum, cœpit flere præ gaudio, & concito gradu Hermenario episcopo *n* nuntiat factum. Ipse quoque audiens, Waningum * postulat aditum ad Dei Martyrem accedendi *o*. Cúmque etiam * merito ei fuisset concessum (omnes enim, ut leonem iratum metuebant sævum tyrannum *p*) vulnera etiam studuit diligenter curare, & arte, quâ valuit, potu ciboque reficere, vestemque, quam habuit, meliorem induere. Non enim jam ut terreno homini, sed ut translato Martyri reverentem impertivit * honorem, qua de re non solùm de præteritis, verùm etiam benedictionem ab eo promeruit * de futuris.

Sanctus linguâ privatus loquitur,
k
l
m
B
n
* *al.* Waringuin
o
* *al. addit.* sui
p
* *al.* reverenter impertiuntur
* *al.* promeruerunt

43 Postquam enim Waningus eum perduxit ad propria, Dei comitante gratia, cœperunt velociùs ejus contra naturam recrescere labia unà cum lingua, nec non & verba ultra solitum ab ejus ore indesinenter effluere *q*. Cùm hoc miraculum cognovisset Waningus, non obturat * animum ei impendere malum, ut à tyranno fuerat jussum; sed versa vice, jam Dei Martyrem cognoscens, eum acceptum ad suum perduxit cœnobium, quod vocatur Fiscamnum *r* ubi erat congregatio sanctimonialium * ac virginum, quibus præerat Hildomarca famula Christi *s*, in quo multis diebus conversans habitator stetit *t* sub custodia. Nam & lingua præcisa solitum recepit officium, & magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo: quandoque inter virginum accedere contigerat catervam, tantum, ut fertur, dulcia sua fulgebant eloquia, ut mirarentur quicumque audientes, quanta Dei * operaretur clementia, & conversi à pravis operibus, velociter peterent pœnitentiæ fructum. Ubi, dum intra parvum spatium oris, faciei vel linguæ recepisset officium *u*, eò quòd oblatus fuerat ipse, jam * quotidianum immolare studuit sacrificium; ut dum intrinsecus eum lux spiritualis impleverat, de corporeis oculis nil curaret. Nam diebus ac noctibus in Dei cultura * pervigil astabat, ut vel paululum ad necessaria corporis vix aliquando ab ecclesia procederet, ut vel quippiam somni ciborumque perceptionem * capere potuisset.

præcisa membra recaperat; multos convertit,
q
* *al.* obdurat
r
* *al. deest* sanctimonialium
s
t
C
* *al.* esset &
u
* *al. addit.* Domino
* *al.* laudibus
* *al. deest* perceptionem
condolet inimicis; quorum plures

44 Igitur cùm post tot flagella, ut decebat Martyrem, fideles populi ei famulatum exhiberent venerabilem; quia non potest sub modio lucerna abscondi *x*, manifestè hanc Omnipotens declaravit omnibus. Cœpit de adversariis ejus ulcisci *y*. Nam dum per biennium ferè *z* ibidem in Dei laudibus resedisset, ut * eos illi nuntiaverunt interfectos, aut pro infidelitatis causa * in regionibus alios effugatos; ille * graviter deflens, non de ultione est gavisus, sed, cur sine pœnitentia eos comprehenderit mortis occasus, ingemiscebat. Eodem tempore vir glorioſus Theodericus rex & idem Hebroïnus synodum *aa* convocaverunt, & ad quamdam villam regiam *bb* venientes, multam episcoporum turbam adesse fecerunt: ibique inter ceteros Deddo (qui sanctum virum Leodegarium cum Waimiro expulit de episcopatu, & pœnæ tradidit) condemnatus ab ipsa synodo pœnam calvariæ *cc* accepit in capite, expulsus & segregatus à sancta congregatione *dd*; deinde exilio condemnatus, morteque secuta, pœnâ capitis digessit *, quidquid doloris * in sancto Viro exercuit.

A. ANONYMO.
x
y *z*
* *al.* aut
* *al.* culpa
* *al.* quos ille
aa
bb
cc
dd
* *al.* exsolvit
* *al* doli

45 Alii verò episcopi tunc à rege per Hebroïnum in ipsa synodo pœnam similem sortiti, perpetuo exilio sunt deportati. [Waimirus * etenim, qui ad supradictum Famulum Dei capiendum & ad implenda Hebroïni dicta socius perniciei extiterat, posteaquam ab ipso Hebroïno, eò quòd in ejus ultione consenserat, episcopatûs gradu dolo fuerat sublimatus, post paululum intervallo interposito in offensam incidens, Dei, ut opinamur, nutu multis flagellis obtritus est: nempe, ut fertur, laqueo suspensum ac morte turpissima, ut decebat Justi proditorem, condemnatum transmisit ad tartarum *ee*.] Adhuc enim vir Dei Leodegarius in eodem monasterio sanctimonialium, in quo ad custodiendum positus fuerat, commorabatur. Igitur ad beati Martyris fabricandam coronam artifex versutus ex illis Hebroïnus tyrannus superfuit unus *, qui ea, quæ passionis ejus gloriæ * supererant, adimplere deberet. Ita enim antiquus serpens invidus, molestè ferens, se ab eodem loco ejus orationibus fuisse expulsum, stimulare rursus cœpit Hebroïnum *, atque reduci eum præcepit ad palatium, ut in episcoporum concilio ejus disrumperet vestimentum *ff*, quatenus ob hoc ei esset interdictum, ut ultrà offerre non præsumeret sacrificium.

examinatur, dignitate spoliatur, damnatur
* *al. deest* cùm
ee
* *al.* vivus
* *al.* gloria
* *al.* Hebroïno
ff

46 Ubi cùm * deductus fuisset ad medium *gg*, inquisierunt ab eo verbum, ut de Hilderici morte fuisse confiteretur se socium *. Cognoscens igitur, per diabolicum commentum rursum sibi imminere conflictum, ut de humano se non excusaret delicto, ita de hoc facinore nullatenus * fuisse se conscium, sed Deum potiùs quàm homines hoc scire, professus est. Tunc & ipsum ad eamdem synodum accersierunt, non tamen intra * concilium confirmant fuisse *hh*, sed seorsum rex & Hebroïnus cum eo collationem fecisse dicuntur, in qua eis multa prædixisse fertur futura, quæ evenisse manifesta convincitur. Et cùm diu flagitantes ei aliud non valuissent elicere, ejus tunicam conscíderunt à capite, eumque Rodoberto * cuidam viro, qui tunc comes erat palatii, jussit tyrannus impius Hebroïnus tradere *, & præsentem vitam in gladii percussione auferre * *ii*. Lætabatur enim Dei Martyr in omni patientia, quia debitam *kk* sibi, remunerante Domino, martyrii sentiebat appropinquare coronam.

gg
* *al.* conscium
* *al. addit.* dixit
* *al.* infra *hh*
* *al.* Roberto & Chrodoberto
* *al.* tradi
* *al.* auferri
ii
kk

47 Accepto eodem, Robertus, ut eum ad suam domum deduceret *ll*, cernens eum ex iti-
ll

A. ANONYMO *ad mortem; cæleſti lumine honoratur;*

nere ac infirmitate defeſſum, juſſit ei dari ad refocillandum potum. Nam antequam ei pincerna aſſiſteret, lumen magnum, quaſi in rota circuli de cælo deſcendens, ſuper caput ejus refulſit. Tunc trementes omnes, qui hoc ſignum viderunt, Quid eſt hoc, inquiunt, Domine, quod apparet ſuper caput tuum, quaſi in circuli modum ſplendidiſſimum * de cælo, quod numquam à nobis ſimile eſt viſum? Ille pronus in terram adoravit, dicens: Gratias ago tibi, omnipotens Deus, conſolator omnium atque refector *, qui ſuper ſervum tuum oſtendere dignatus es tale miraculum. Tunc videntes omnes, quaſi in exceſſu mentis poſiti, tandem quidem reſumpto ſpiritu ſimul glorificantes omnipotentem Deum, & converſi alter ad alterum dicentes: Verè hic Homo Dei ſervus eſt: pollicebantur ad Deum prorſus totis ſe tendere viribus. Et cùm memoratus vir eum in domum propriam perduxiſſet, ita in ejus adventu benedictionem cæleſtem recepit, ut, cùm omnes illic habitantes, hoc manifeſtè cognoſcerent, peccata propria confitentes, relinquerent *, & certatim ad pœnitentiæ medicamenta * confugerent.

* *al.* splendidum

* *al.* refero

* *al. deeſt* relinquerent

* *al.* lamenta

clàm occidi jubetur;

B

48 Hâc enim Deus gratiâ ſuum Famulum illuſtraverat, ut, ubicumque exul fuiſſet traditus, ut ei inferrentur nequitiæ, verſa vice famulabilem illi omnes impenderent reverentiam. Tandem pervenit dies muneris, in quo perſecutionis ejus jam eſſet finis. Tunc à palatio ſententia mandatur * decreti, Leodegarium diutiùs vivere non debere. Et timens impius Hebroïnus, ne à fidelibus Chriſtianis honor ei impenderetur martyrii, inter * ſilvarum condenſa jubet perquiri puteum & ibidem corpus ejus immergi trucidatum, quatinus os putei terrâ vel lapidibus obturatum, incognitum eſſet * hominibus illius ſepulchrum. Præfatus interim Robertus *, eò prædicante, jam aliquantulùm cœperat eſſe converſus, ideoque non ferens mortem Viri Dei conſpicere, quatuor juſſit ex famulis *mm*, ut ea, quæ ſibi fuerant juſſa, ſubirent implere. Ut enim in illius domum pervenit hic nuntius, ejus conjux luctu flere cœpit amaro, eò quòd in viri ſui miniſterium perveniſſet tam crudele flagitium.

* *al.* mandata

* *al.* in

* *al.* faceret

* *al.* Chrodobertus

m m

49 Igitur ut cognovit Vir Domini, ſuum adeſſe jam terminum, mulierem cœpit conſolari lugentem, dicens: Nolo, mei tranſitus causâ te flere, quia nequaquam tibi mors mea ad vindictam requiretur; ſed potiùs benedictio de cælis dabitur tibi à Deo, ſi corpuſculum meum devotè condideris in ſepulchrum: & cùm hæc dixiſſet, urgentibus miniſtris, valedicens educitur in ſilvam *nn*, ut juſſionis implerent ſententiam. Jam enim antea quæſierant puteum, ut * corpus illius abſconderent, ſicut fuerat juſſum, & * nullatenus fuit ultrà ab eis repertus *. Eduxerunt ergo eum per loca incognita uſque in quemdam locum, in quo adſtitit, inquiens: Non neceſſe habetis, filii, longiùs fatigari; ad quod veniſtis, citò facite, ut impleatis votum maligni. Hi verò, qui venerant * ad perimendum illum, erant quatuor *. Tres autem ex his provoluti ſunt ad pedes ejus, deprecantes, ut eis indulgentiam ſuam daret, & benedictionem ſuper eos dignaretur tradere. Quartus *oo* verò ſuperbus adſtabat, evaginato gladio paratus ad eum interimendum.

ſolatur hoſpitem;

C

nn

* *al.* ubi

* *al.* ſed

* *ſic tria Mſſ.*

* *al.* ducebant

* *al. addit.* numero

oo

50 Et poſtquam benedictionem ſuper eos tradidit, & ſuis interfectoribus verbum Dei annuntiavit, tunc Vir Dei incumbens in orationibus *, ait: Domine Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem tui notitiam accepimus, Deus virtutum & omnis creaturæ, ac totius humani generis Creator, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis diem perducere: rogo, deprecorque, Domine, ut ipſe in me jubeas miſericordiam pietatis tuæ * largiri, & meritis Sanctorum tuorum me dignum facias participem & vitæ æternæ conſortem, ac tribue indulgentiam his, qui me tribulant: quoniam ego ſuper * eos in conſpectu tuo, credo, clementiſſime Pater, glorificatus fieri. Et exſurgens, cervicem tetendit, gladiatores * commonuit, ut, quod ſibi juſſum fuerat, adimplerent *. Cùm hæc diceret, percuſſor extendens gladium, amputavit caput, & erectum corpus ejus ſuſtitiſſe quaſi unius horæ ſpatio dicitur; ſed cùm nondum ſtatim eum gladiator cadere cerneret, eum pede percuſſit, ut vel * citiùs in terram decideret. Sed non multò pòſt percuſſor ejus arreptus à dæmonibus & mente captus ac Dei ultione percuſſus, in ignem ſe projecit, ibique vitam finivit. Tunc juſſu conjugis hujus Roberti in quamdam villam Sarcinio *pp* cum magno fletu plangentium latenter à ſuis deportatus, & hujus feminæ decreto cum veſtibus, in quibus trucidatus fuerat, in parvulo oratorio beatus Martyr eſt ſepultus, in quo ſepulchro annis duobus & dimidio humatus fuiſſe dicitur.

orat pro inimicis, perimitur, ſæpe litur.

* *al.* orationi

* *al. deeſt* pietatis tuæ

* *al.* per

* *al.* gladiatorem

* *al.* adimpleret

* *al addit.* ſic

pp

E

ANNOTATA.

a *In codice & utroque noſtro Ms. Bronienſi mendosè legitur:* Declinat in regnum, *hincque Mabillonium & Cheſnium, qui cum Ms. noſtro Ultrajectino S. Salvatoris legunt* Declinat ingenium, *ſum ſecutus.*

b Actio in jure, quâ quis rem quampiam, *inquit Cangius in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, ſibi per ſolemnes juris formulas aſſerere conatur, aut pro qua litem intendit, *adeò ut, cùm vox* Calumnia *hanc ſignificationem hîc obtineat, anonymi noſtri ſenſus ſit, mandâſſe Ebroïnum, ut nulli, qui turbarum tempore damnum paſſus fuerat, actio in jure competeret, quâ in integrum reſtitueretur, ac proin, ut nulli, qui damnum alteri intulerat, actio in jure intentari poſſet, quâ ad illud reſarciendum compelleretur.*

c *Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum 674 num. 14 interpretationem, quâ anonymus datum ab Ebroïno mandatum hîc excipit,* Ebroïno iniquiorem *appellat; an certò æquum obtineat, videſis Commentarii prævii § XVII à num. 265 uſque ad finem.*

d Ebruïnus quoque, *inquit Chronicon Fredegarii continuatum cap. 98*, magis atque profuſiùs, *majoratui-domûs ſcilicet jam reſtitutus*, crudeliter Francos opprimebat.

e *Hunc textum, quòd in codice & omnibus noſtris Mss. apographis adhuc eſſet obſcurior, ex Mabillonio deſcripſi.*

f *Liquet hinc, verum eſſe, quod num. 13 ſcribit Urſinus*, Leodegarium *ſcilicet monaſterio cuidam fuiſſe incluſum, antequam cum fratre ſuo* Gerino *ad aulam ab Ebroïno majoratui-domûs reſtituto arceſſeretur. Qua de* Leodegarii *in monaſterio quodam incluſione videſis Commentarium prævium num. 190 & 193.*

F

g *Di-*

A g *Diversa hæc pœnarum genera, quibus* Leodegarium *affecit Ebroïnus, satis sanè superque probant, crudelissimi hunc ingenii hominem fuisse. Adi Commentarium prævium num.* 270 *&* 271.

h *De Waningo videsis Commentarium prævium num.* 204.

i *Psalmo* 72. ℣. 23.

k *Qualemcumque Wineberti seu Winoberti notitiam num.* 200 *&* 201 *Commentarii prævii suppeditatam invenies.*

l *Dissonant hic omnia Mss. nostra exemplaria, uti etiam Mabillonius & Chesnius; legit autem Mabillonius:* Etenim cùm unus è nostris fratribus abbas, nomine Winobertus, prædictum Sanctum Dei usque ad hospitium à longè secutus fuisset, deprecans custodes, ut sibi latenter ad ipsum accedere liceret, invenit eum &c. *Quæ quidem lectio reddere videtur genuinum auctoris sensum, sed nescio, an etiam verba.*

m *Ita codex noster, & utrumque Ms. exemplar Bronienſe; at Mabillonius, & Chesnius, cui etiam Ms. nostrum Ultrajectinum S. Salvatoris congruit, aliter legunt; Mabillonius quidem:* Et quia defectio labiorum ordines nudaverat
B dentium, ab intus afflatum tantùm sonitum reddiderunt verborum; *Chesnius verò:* Et quia defectio labiorum ordines nudaverat dentium, tamen ab intro afflatu dante sonitum reddiderunt verborum.

n *Qua ratione hîc Ermenarius seu Hermenarius vocitetur episcopus, vide Commentarii prævii num.* 203.

o *Ita iterum codex noster & utrumque Ms. exemplar Bronienſe; sed Mabillonius legit:* Waringum postulat, ut ad Dei Martyrem se intromittat; *quæ quidem lectio est melior, sed, spectato anonymi nostri stylo, ab interpolatione videtur enata. Certè Chesnius, cui Ms. nostrum Ultrajectinum S. Salvatoris congruit, aliter sic legit:* Waringo postulabat aditum ad Dei Martyrem accedendum.

p *Hæc parenthesi inclusa eodem prorsus modo ita leguntur in omnibus omnino nostris Mss. exemplaribus & in editione Chesniana; at in Mabilloniana, quod notatu dignum est, cum nonnulla amplificatione sic redduntur:* Omnes enim ut leonem iratum metuebant Ebremerdum, id est,
C Hebroïnum, filium perditionis, & stipulam inferni, sævum tyrannum.

q *Mabillonius, à quo Chesnius & Ms. nostrum Ultrajectinum S. Salvatoris non discrepant, ita legit:* Verba vidi ultra solitum ab ejus ore effluere, *hincque anonymo nostro testis oculati prærogativam vindicat; verùm vox* Vidi *abest à codice nostro, ab utroque Ms. exemplari Bronienſi, & ab apographo, quod cum Ms. Cornelii Duyn collatum notatur. Videsis Commentarium prævium num.* 22 *&* 23.

r *De monasterio Fiscamnensi, seu Fiscanensi, deque hujus fundatore S. Waningo seu Waringo breviter egimus Commentarii prævii num.* 204 *& seq. Videri etiam potest monasterii illius notitia à Galliæ Christianæ auctæ Scriptoribus tom.* XI *col.* 201 *subministrata.*

s *Hildomarca seu Childemarca, quæ aliter etiam scribitur, in Opere nostro ad* 19 *Junii inter Prætermissos his verbis refertur:* Childomara seu Childeomarea, in Fiscamno monasterio, adjuncta sub finem Martyrologii S. Hieronymi in Ms. Blumiano & Lucensi, in quo dicitur esse depositio. Est aliis Hildemarca & Childemarca coliturque XXV Octobris. *Habebat hæc sub disciplina sua, quando ad monasterium Fiscamnense* S. Leodegarius *exsul accessit, trecentas sexaginta sex religiosas virgines, uti intelligitur ex num. 6 & 7 Fragmenti Vitæ S. Waningi, quod Bollandus noster ad 9 Januarii secundo loco edidit, Mabilloniusque deinde Seculo 2 Benedictino recudit.* A. ANON. NYMO.

t *Nempe per biennium ferè, uti infrà auctor affirmat.*

u *Quomodo hæc anonymi verba intelligenda sint, num.* 205 *Commentarii prævii exposui.*

x *Ita omnia omnino nostra Mss. exemplaria & Chesnius; Mabillonius nihilominus legit:* Quia non potest sub modio lucerna abscondita non lucere; *sed hæc lectio, ut mihi quidem apparet, nostra est postponenda.*

y *Mabillonius legit:* Namque cœpit adversarios ejus ulcisci derepentè; *Chesnius verò:* Cœpitque tunc in adversarios ejus ulcisci derepentè.

z *Accessit nempe* Leodegarius *ad monasterium Fiscamnense anno* 676, *uti liquet ex §* XIII *Commentarii prævii, fuitque ex monasterio illo ductus anno* 678, *uti colligere est ex §* XV *ejusdem Commentarii prævii.* E

aa *De hac synodo à Theodorico & Ebroïno convocata §* XV *Commentarii prævii fusè disseruimus, docuimusque, eam probabiliter diversam esse à synodo, in qua Chramlinus fuit depositus, conventumque regni generalem verosimiliter extitisse.*

bb *Quænam hîc designetur villa regia, definire nequeo, cùm synodus ad illam convocata verosimiliter non sit eadem cum synodo, quæ anno* 677 *Morlaci fuit celebrata, Chramlinique depositione notata. Vide Commentarium prævium num.* 228 *& seq.*

cc *Duo scilicet erant, ut Mabillonius Sæculo 2 Benedictino in Annotatis ad Vitam* S. Leodegarii *observat, episcopum exauctorandi modi; fiebat id quippe vel illi, qui exauctorandus erat, caput decalvando, vel tunicam conscindendo. Prior exauctorandi modus hîc per* calvariæ pœnam *designatur.*

dd *Ita codex noster & utrumque Ms. apographum Bronienſe; sed Mabillonius, à quo non multùm discrepat Chesnius, legit:* Ibique inter
F ceteros Diddonem, qui sanctum virum Leodegarium cum Waimero expulit de sede sui episcopatus, & tradidit pœnæ illectus, condemnatum ab ipsa synodo, calvariâ acceptâ in capite, expulsum segregant à sancta congregatione.

ee *Hæc uncis inclusa ex Chesnio descripsi, quòd omnium Mss. nostrorum sensus esset obscurior. Quod verò ad rem sensu sub finem significatam pertinet, absit, ut, quod illo innuitur, Waimirum scilicet certò esse damnatum, pronuntiem. Peccavit quidem Waimirus, dum operam suam Ebroïno in vexando* Leodegario *locavit, dumque deinde in sceleris sui præmium sedem Tricassinam, prout cum anonymo nostro Vita S. Præjecti à Bollando nostro ad* 25 *Januarii loco primo edita num.* 12 *docet, nefariè occupavit. Verùm facti ipsum pœnitere potuit, reque ipsa fortè pœnituit, si veritati consonet, quod in secundo miraculorum S. Bercharii libro apud Camuzatum Promptuarii Antiquitatum Tricassinarum pag.* 95 *legitur; Waimirum scilicet sese co-*

A. ANONYMO

mitem junxisse S. Berchario, Dervensi abbati, dum peregrinationem Hierosolymitanam hic postea institueret.

ff Alter hic tum modus erat exauctorandi episcopum. Vide dicta ad litteras cc. Modi hujus, ut rectè ante me Mabillonius in Annotatis ad Vitam S. Leodegarii *Sæculo 2 Benedictino pag. 693 jam observavit, exemplum exstat apud S. Gregorium, Turonensem episcopum, dum lib. 5 Historiæ Francorum cap. 19 agit de concilio Parisiensi in causa Prætextati Rotomagensis episcopi celebrato; in hoc enim concilio Chilpericus rex instans, ut Prætexatus deponatur, his verbis apud laudatum Gregorium loco citato exstantibus ab episcopis petit,* ut aut tunica ejus (*Prætextati*) scinderetur, aut centesimus octavus psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput ejus recitaretur, aut certè judicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret.

gg *Quid hîc significetur, & à quibus* Leodegarius, *ut primùm ad aulam arcessitus venit, de nece Childerico illata interrogatus fuerit, num. 238 & 240 Commentarii prævii docuimus.*

hh *Quale verosimiliter fuerit concilium, cui*
B Leodegarius *hîc dicitur non interfuisse, num. 241 & seq. Commentarii prævii ostendimus.*

ii *Verba hæc non ita accipienda sunt, ut significent, Chrodoberto, pro cujus personæ notitia apud alios scriptores nihil invenire potui, injunctum fuisse, ut* Leodegarium, *nullo ulteriori accepto mandato, statim occideret. Adi Commentarium prævium num. 245.*

kk *Ad hanc vocem desinit codex noster; sequor nunc, uti num. 34 Commentarii prævii facturum me præmonui, Ms. nostrum apographum, quod ex Ms. Bronienſi desumptum notatur, quodque à P. Petro Francisco Chiffletio, Societatis nostræ sacerdote, ad Majores nostros fuit transmissum.*

ll *Mabillonius legit:* Acceptum eumdem Chrodobertus ad suam domum deduxit; *Ms. verò Ultrajectinum S. Salvatoris:* Acceptum eumdem Chrodobertus ut ad suam domum deduceret, *quæ lectio, cùm sequatur* Cernens eum *&c, fortè est genuina.*

mm *Ursinus ait, Ebroïnum necem* Leodegario *illaturum quatuor velocissimos equites submisisse,*
C *eosque Sanctum ex ædibus Chrodoberti eductum obtruncâsse; ast utri hîc assentiendum sit, videsis Commentarium prævium num. 250.*

nn *Quæ de sylva, in qua* S. Leodegarius *fuit occisus, hactenus invenire potui, aut conjectare fas fuit, num. 251 & seq. Commentarii prævii proposui.*

oo *Vocatur hic ab anonymo Morbacensi* Leodegarii *biographo* Wardardus; *quod nomen quo ex fonte ab hoc auctore haustum sit, penitus ignoro.*

pp *De hac villa, seu vico, in quo* Leodegarius, *curante Chrodoberti, comitis palatii, uxore, fuit sepultus, num. 254 & seq. Commentarii prævii egimus.*

D

CAPUT IV.

Sanctus post obitum miraculis inclarescit; horum famam dum impedire nititur Ebroïnus, tandem & ipse occiditur; Sancti gloria incrementum sumit, tres contendunt de ejus corpore episcopi, hocque Ansoaldo adjudicatum ad solum Pictaviense, ac deinde in novam ecclesiam Sancto exstructam transfertur.

E

Leodegarius miraculis claret; hæc Ebroïnus, * *al.* cognovit

His itaque gestis, sacerdos quidam, qui hujus oratorii fungebatur officio, lumen splendidum absque ministerio humano cognitum * in eodem loco fulsisse noctibus, & terribiliter cum jurejurando canticum se illic asseruit angelicum audivisse, adeò ut tremens refugeret, ne insolens spirituali visui interesset; unde rumor magnus emanavit in circuitu loci illius. Qui venientes ad beati Martyris venerandas orationes multam turbam languentium diversis infirmitatibus detentam sanavit *a*, claudis etiam gressum *a*
dedit, cæcis lumen tribuit, obsessos à dæmonibus mundavit, multisque virtutibus in hujus loci venerando habitaculo emicuit. Hoc itaque ejusdem ecclesiæ attestantur sacerdotes *b*; nam & hu- *b*
jus sacerdotis minister clericus, ipsius ecclesiæ custos, quadam nocte latrocinium passus est, ita ut à latronibus omnis substantia ejus fuisset ablata, inter quam caligulam, inquiunt, beati Martyris, quam per reverentiam sibi servaverat, habebat absconditam, quam latro nescius secum portavit. Qui maturè ab oratorio consurgens, F
ad domicilium pergens, invenit, omnia sua furata, & festinus pergit ad Viri Dei sepulchrum, deprecans, ut ei redderet, quod furtim perdiderat. Nam tota illa die & sequenti nocte in oratione ad ejus tumulum, jejuniis * & psalmodiæ * *al.* jejuinsistens astabat: cùm verò, expleta oratione, nans
ad suam cellulam remeâsset, omnia, quæ perdiderat, nihil ex iis diminutum, cum caligula beati Martyris salva invenit: dominus verò latronis, qui pro servo jusjuraverat, quòd nequaquam hoc malum egisset, reversus domum protinus vitam finivit *c*; servus verò scelus, quod *c*
fecerat, malè consummavit.

52 Tunc magis magisque fama sanctitatis *in quæ etiam*
beati Martyris prorupit, quæ paulò postquam *irreverenter*
gesta sunt, Ebroïnum non latuit. Quo audito, *inquirit,*
nuntium misit occultè, qui hoc inquirens studiosè sibi vera nuntiaret. Qui nuntius jussis ejus obtemperans, ad ejus accessit tumulum, & interrogans, à custode didicit, ubinam Leodegarius jaceret. Et cùm cæcus, qui visum receperat in virtutibus Dei, ubi Sancti corpus requiescit *, diceret, & ipse, lumine recepto, de- * *al.* requieserviret, hoc nullatenus credidit, sed superbiâ scret

tu-

A tumidus accedens, orationi distulit incumbere; quin potiùs despiciens humum pede percussit, & stultè loquitur *, dicens, eoquòd nesciret virtutem Dei : Etenim mortuus, inquit, nequaquam virtutes faciet. Nam miser reversus, priusquam nuntiaret huic, à quo missus fuerat, in semetipso cognovit, quantum sanctus Martyr virtutibus polleret. Dum verò iter carperet, vitam perdidit, & ei, à quo missus fuerat, minimè renuntiavit; & quem elatus non credidit, allisus compulsus est cognoscere, quem despexit.

53 Sed cùm tantæ rei divulgaretur opinio, fidelibus pervenit ad gaudium. His ita cognitis, Hebroïnus nequissimus tacito corde retinebat, & tremens intra se verecundiâ præter conjugem * nemini manifestare audebat, ne fortè crescente gloria Martyris, sua, qui tale lumen extinguere cupivit, esset diminuta in populis. Nam his spatiis dierum, quantùm ille miser hoc bonum latere cupiebat, tantò magis ubique rumor virtutum supradictarum beati Martyris dilatatus radiabat. Mox etiam ut Ebroïno fuisset percognitum, noluit corrigere, quod fecerat malum, sed se cæcum cum suis sequacibus incredulitatis B obdurat obstaculo. Jubebat enim minando abscondere, quod Dominus Jesus Christus ad confortandum incredulos, ad gloriam sui Martyris supra candelabrum ecclesiæ ad illustrationem fidelium dignatus est demonstrare.

54 Etenim cùm mens tyranni hebetans errabunda nutaret, & nullatenus ad humilitatem vel emendationem sui converteret, etiam ultra solitum in fastu superbiæ cervicem ejus contra omnes diabolus eriguisset *, tunc in eum Salomonis proverbium fuit impletum : Priusquam humilietur cor hominis, elevatur, ET ANTE RUINAM EXALTATUR SPIRITUS *d*. Et ne tanti piaculi factum impunitus evaderet, ipse sibi velut phræneticus articulum mortis inquirit. Nam cuidam optimati *e*, qui tunc functionem fiscalem ministrabat, inventa occasione, eousque abstulit spolia, donec pœnè auferret omne ejus præsidium : insuper minabatur etiam mortis periculum *f*.

55 Cernens autem vir, ille jam post exspolium mortis sibi insuper imminere periculum, auxilio obfirmat animum, atque matutinum ad ejus ostium ante lucem observat egressum. Dies enim agebatur Dominica, ideo processurus erat ad matutinorum sollemnia *g*. Cùm enim ille pedem foras misisset de limine, ecce insperatò C iste prosiliens, gladio percussit eum in capite *h* : ob cujus ictum duplicem decidit in mortem *i* : & ita est ablatum de regno, ejus iniquum dominium sicut quondam David à filiis Israël abstulit opprobrium, prostrato Allophylo Philistæo. Transacto verò spatio pœnè annorum trium, semper lugendus Ebroïnus, quoniam hanc lucernam nisus est extinguere, sermo divinus in eo repletur *k*; nam gladio quia multos interemit, percussus gladio & ipse periit.

56 Infelix & miser, qui tantis honoribus sublimatus, in tribus mundi partibus *l* dilatatâ famâ industriæ suæ pollebat inter homines, quoniam noluit suis inimicis Dei mandatum implendo indulgentiam tribuere; eos verò ulciscendo, multos regna cælorum fecit habere. Quam ob rem verendum valdè est, ut, qui tantos sacerdotes & proceres ultionis suæ crudelitate interemit, sibi potiùs pœnam parâsset æternam, & quòd tam excelsam, quam nullus Francorum meruit habere, gloriam perdidisset, & beatam vitam, quam per patientiam quiverat adipisci, amisisset *m*.

57 Sed postquam infelix Hebroïnus vitæ finem dedit, quod invidiâ ductus de Dei Servo absconderat, magnis laudibus longè latéque percrebuit. Post hæc igitur, ut serenitati regis, ejusque palatio de virtutibus sancti Martyris veraciter fuit percognitum, quòd Christus Dominus ad titulum suæ laudis eum clarificâsset signis virtutum, cum admiratione rex credidit factum & cœpit verè * venerari ut Martyrem *n*, quem per accusationem tyranni crediderat priùs fuisse culpabilem.

58 Tunc perlatum est cum laude in palatio, quod multis diebus ab æmulo latuit absconsum : erat enim ibi multitudo magnorum ac maximorum scilicet ac procerum, qui dum collationem de sancto Martyre inter se haberent & admirarentur super his, quæ de eo audiebantur *o*, tunc Ansoaldus *p* Pictavensis verbum intulit, dicens : Utinam daretur mihi optio, quia notum est, meum esse parentem *, & ex parochia mihi commissa ad honoris processit gloriam *q*, ut vel ejus corpusculum habere meruissem ! Ibi enim aderat Hermenarius *r* pontifex, qui ei successerat in episcopatu in Augustidunensi urbe, & ipse ait : Jure mihi datur hujus Viri Dei corpus, quoniam justum est, ibi eum requiescere, ubi fuit episcopus. Tunc Vindicianus *s* Præsul Atrabatensis, in cujus fuerat diœcesi interfectus, dicitur respondisse : Nequaquam ita fiet, ut vos sancti pontifices locuti estis; sed mihi donetur facultas, hujus Beati corpus habere *, quoniam huic loco decus est, in quo dignatur requiescere *t*. Adstante verò cunctorum turba præsulum, decernitur, ut jejunia & orationes in hoc conflictu fierent, ut per hoc dignaretur Dominus ostendere, in cujus diœcesi jure deberet requiescere.

59 Hæc audientes acquieverunt decreto : & facta oratione cum jejunio, tribus parvis epistolis definitio scripta est super altare positis *u*, ut, transacta oratione, per eas Dominus declararet, in cujus sorte hoc sanctum beati Martyris corpusculum perveniret. Crastina verò die, completa oratione, ac Missarum sollemniis consummatis, unus ex ministris jussus à pontificibus manum incognitè * subter pallam posuit, & cognitio veritatis in manu sua pervenit. Quod cuncti videntes, qui huic spectaculo aderant, & cognoscentes, acclamaverunt *, Ansoaldi pontificis esse justitiam, quoniam hujus rei epistolâ apparuisse declarabatur, quòd veraciter teneretur. Jam tunc sine ambiguitate, confirmato consilio, quemdam virum Dei, abbatem suum, nomine Audulphum *x* ab eodem beato martyre Leodegario nutritum *y*, idem pontifex Ansoaldus jussit, ut festinus propter hoc sanctum corpus pergeret, & cum reverentia debita ipsum usque solum Pictavensis urbis deferret, ut, ubi priùs inceperat cultum Dei exercere, ibi ei lucerna omni tempore sui luminis emicaret.

60 Tunc vir Dei sancti sui pontificis jussis obtemperans, gaudens cum festinatione perrexit, ac pervenit ad locum, ubi Sancti quieverat corpusculum. Quod audientes, qui habitabant in circuitu loci, monachorum multitudo, ceterorumque virorum ac mulierum, devotione magna compuncti, festinantes occurrebant ad locum *z*; ibique, cùm sanarentur multi à languoribus

A. ANONYMO

m Sanctus ut martyr honoratur ejusque corpus

* *al.* deest verè

n antistiti Pictavensi, qui de illo cum duobus aliis contendebat,

o *p*

* *i. e.* consanguineum

q *r*

E

s

* *al.* corporis habendi

t

post jejunia & orationes, ducta sorte, obtingit,

u

* *al* incognitam

F

* *al.* conclamaverunt

x *y*

Pictavium- que, multa undequaque populo confluente, transfertur.

z

* loquutus est

d

e

f

g

h

i

k

l

nihiloque evadens melior, at sævire pergens, * *lege* crexisset

populo occultare nititur,

* *al.* præterquam conjugi

tandem & ipse crudeliter interimitur,

judicio admodum dubio de salute sua relicto.

A. ANONYMO.

bus ſuis diverſis exultabant, ac lætantes cum magnis laudibus, & turbâ multorum canentium ſimul & flentium, ipſius ſancti Martyris, ſicut juſſum erat à glorioſo domino rege, promoverunt ſanctum corpus. Ergo cùm iter jam pergerent, divulgatum eſt per itineris loca. Cœperunt undique ſponte dextrâ lævâque concurrere ex monaſteriis viculis ac villis, turba * monachorum, clericorum ac populi cum crucibus, & incenſis cereis, magnæque ſuavitatis odoribus obviàm procedentes. Tanta enim erat multitudo, ut vix quiſque accedere poſſet ad feretrum, ut, acceptis cornibus *, deferre poſſet ſcapulis.

* *al.* turbæ

* *i. e.* manubriis

Ægris in via ad feretrum accedentibus ſanitas,

61 Nam quis quacumque detineretur infirmitate, etiam ſi feretrum accedens tangere potuiſſet manu, ſtatim ad priſtinam revertebatur ſanitatem. Nulli enim negabatur ſanitas, cùm ex fide tangeret hujus feretri opertorii fimbrias. In pago enim Caturnio *aa*, quibuſdam fidelibus poſcentibus fratribus, & præcipuè petitionibus Hermenanæ *bb* abbatiſſæ, quæ ad hoc Opuſculum impatienter inter ceteros nos compulit ſcribendum, de ſanctis, quæ comitabantur, virtutibus relationem veram miſit memoratus Audulphus *cc*; ubi aſſeruit præ multitudine non valere ſcribere, dum ſolummodo referuntur, quanta, operante Domino, viderat miracula coruſcare: aſſerens, quod viderat, ad magnitudinem rei in ſcribendo volumen pſalmorum excedere. Nos verò, quod per eamdem relationem cognovimus *dd*, audire deſiderantibus breviter intimamus.

aa

bb

B

cc

dd

paralyticæ membrorum uſus,

62 In quadam villa, cujus eſt vocabulum Gaudiacus *ee*, erat puella quædam, nomine Radinga, quæ ab annis ſeptem in parentum domo jacebat, cæca, muta & paralytica: ſed cum allata à parentibus ad feretrum ſancti Martyris fuiſſet, eadem nocte ſopore detenta, viſum vidiſſe dicitur, duos viros ſplendidos cum reliquiis ſibi adſtantibus ante ſe ſtetiſſe *ff*; ſed cùm evigilâſſet & ſecum de viſione miraretur, & oculi ejus receperunt viſum, & pedes greſſum, & lingua locutionis officium, ita ut ipſa exclamaret dicens: Gratias tibi ago, omnipotens Deus, quia per ſanctum martyrem tuum Leodegarium ad integram ſanitatem reſtituta ſum. Ab hac laude erecta omnibus membris ſana cum parentibus perrexit ad propria, longo tempore poſtmodùm victura.

ee

ff

C

* *al.* deindè *dæmoniacæ dæmonis expulſio,*

63 Denique * cùm in territorio Turonicæ civitatis *gg* perveniſſent, in viculo, nomine Solnaco *hh*, erat quædam mulier à dæmonio vexata. Quod audientes parentes ejus, traxerunt eam per brachia, & cœpit clamare, quia nolebat ad ſancti Viri feretrum accedere, ſed invita tandem pertracta ad ejus pervenit feretrum; quæ, cùm tetigiſſet paululùm hujus feretri veſtimentum, mundata protinus eſt à dæmonio *ii*, & reverſa ad ſenſum proprium, magis circa feretrum volebat aſſiſtere, quia ab adverſario ſe iterum metuebat arripi [ex quo jam libera facta, diſceſſit ſana *kk*.]

gg

hh

ii

kk

injuſtè in vincula conjectæ ſolutio, ll

64 His ita geſtis, perventum eſt ad Turonem urbem. Hoc audiens hujus civitatis pontifex, qui tunc aderat, vir Dei Robertus *ll*, proceſſit obviàm cum choris pſallentium, cum lampadibus & omni honore debito; & accepto cum ſuis feretro, cùm per medium tranſiret civitatis, quædam mulier accuſata pro morte viri ſui, collo ac manibus cum teneretur catena, & traheretur à cuſtodibus, exclamavit dicens: Subveni mihi, beate Leodegari, quia innocens à falſis accuſatoribus alligata ſum *mm*. Cùm hoc dixiſſet, illicò confracta catena de collo decidit, & manibus eamdem ſuper feretrum projecit, & apparuit idonea, quæ fuerat abſque pœnæ noxa punita.

D

mm

aliiſque alia vel ejuſdem,

65 Cùm verò idem pontifex magnis laudibus per ſuam parochiam *nn* hoc ſanctum corpus deduxiſſet & intra Pictavenſe ſolum introiſſet, ad quod erat deſtinatum, requievit paululùm in quodam viculo (Ignorandæ *oo* vocabulum) ubi obviàm occurrit quidam claudus; ſed cùm ſe orationibus ad ſancti Viri corpus in terram projeciſſet, ſtatim ſanus factus, & ſuper pedes ſuos erectus ad propria incolumis eſt reverſus. Tunc audiens quædam mulier, à cujus manibus ablata fuerat ſpecies propria, facti enim erant ejus digiti curvi, ita ut medio infixi eſſent palmæ in tantum, ut ungues in carne abſconſæ propriam amiſerint * virtutem; cùm appropinquâſſet ad feretrum, invocato nomine Domini, & ſancti Martyris, directam recepit manum ad priſtinam ſanitatem, & gratias agens Deo reverſa eſt ad propriam domum.

nn

oo

* *al.* amiſerant

E

vel diverſi generis beneficia conferuntur.

66 Sed & hoc ſilendum non eſt miraculum, quia vir Dei Anſoaldus audiens, ſanctum appropinquâſſe jam corpus, velocem miniſtrum direxit, qui ex Interamnis *pp* villa ſua daret abundantiam vini, unde pauperes & reliquum vulgus, qui comitabantur ſanctum corpus, habere potuiſſent ad refocillandum ſe refectionem. Sed cùm hoc fuiſſet factum, non poſt multum ſpatium renuntiatum eſt, quòd omnia vaſa, quæ intra apothecam, unde ipſum vinum exierat, pœnè vacua remanſerant, tam plena eſſe videbantur, ut etiam ſuperfluentia * vina in pavimento deciderent; ipſa tamen vaſcula plena remanſiſſent.

pp

* *al.* ſuperfluentia

Tandemque ſacrum pignus, flumine, quo devehitur, ſedato,

67 Poſtea verò, cùm ad Vincennam fluvium in vico, Sanone *qq* vocabulo, perveniſſent, erat ventus contrarius ſupereminens, ut ipſum flumen undis tumidum appareret, metuentes nautæ cœperunt prohibere introire navigantes, ne periclitarentur in flumine. Tunc vir Dei abbas jam dictus, cujus curæ erat deferre ſanctum corpus, confidens de meritis ſancti Martyris, compulit eos dicens: Mittite in navi, & tranſite ſecuri: & proſperè illæſi ipſum flumen tranſierunt. Sed cùm ibi noctu in eccleſia requieviſſent & quædam peregrina mulier cum infantulo cæco illuc adveniſſet, tota illa nocte in oratione pervigilans; diluculo verò infans lumen, quod amiſerat, recepit.

qq

F

Pictavio appropinquans ab antiſtite obviàm veniente honorificè ſuſcipitur,

68 Deinde recto itinere pergentes perventum eſt ad quamdam villam Gelnacum *rr*, ad quam vir Dei Anſoaldus antiſtes obviàm acceſſit cum ſuis, ſcilicet cum multitudine clericorum, vulgi, populorum & pauperum, & cum thuribulis & incenſo fragranti, & cum crucibus & cum cereis accenſis, agminibuſque multis canentibus, hoc ſanctum corpus ſuſcipiens pergere cœpit ad urbem. Tunc ibidem quædam fæmina aderat multis annis in tantum curva, ut etiam caput inflexum pœnè adhæreret genibus; cúmque paululùm oculos erexiſſet, orans ad ſancti Martyris feretrum, reverſum eſt ad priſtinum vigorem ejus corpuſculum.

rr

atque in urbem, ubi ſanitas nonnullis ægris

69 Miratus eſt pontifex & omnes cum eo adſtantes virtutem Dei, ac beatiſſimi Martyris. Tunc cum canticis & magnis laudibus perven-

tum

A tum est ad urbem, & in suburbana basilica, in
ff qua beata Radegundis ff requievit, introivit Pontifex cum sancto corpore Martyris: ibique aderat quidam paralyticus & in ejus protinus adventum sanus effectus, & quodam itineris spatio secutus feretrum remansit sanus. Sed cùm ad basilicam sancti Hilarii delatum fuisset beatum corpus, alius paralyticus jacens in via, hujus tangens feretrum sanus protinus effectus est. Paulò pòst quædam puella cæca Sanctum Dei invocans, lumen amissum recepit, quæ secuta & usque ad ejus tumulum perveniens, ibi huc
tt usque devota deservit *tt*.

ex qua deinde elatum, à monachis magnâ lætitiâ,

70 Igitur cùm ipsum sanctum corpus amotum fuisset ab urbe, & ab ipsius civitatis præsule cum suis sacerdotibus & ministris, propriis humeris fuisset quibusdam spatiis loci deportatum, & usque Zezinoialo quodam viculo cum magno triumpho fuisset delatum, ibi turba magna monachorum ex sancti Maxentii cœnouu obio, in quo priùs abba fuerat constitutus *uu*, gaudentes obviàm processerunt, suum Pastorem cum magno favore susceпturi, devotione magna cum psalmodia in eadem ecclesia per-
B noctantes.

dum interim infantulus, S. Martyre à matre invocato, à mortuis resuscitatur,

71 Diluculo verò quædam accessit mulier, deferens semivivum in brachiis infantulum annorum pœnè trium: qui, priusquam ad sanctum corpus accederet, amisisse fertur spiritum. At illa deportando eum accedens posuit super feretro, & cum fletu invocavit sanctum Virum, dicens: Domine mi, redde mihi filium meum; & cùm ferè per trium horarum spatium hæc deprecando clamaret, quasi de gravi somno evigilans infans, voce, quâ valebat, matrem requirens, ait: Mater, ubi es? Ipsa gaudens recepit filium redivivum, quem amiserat defunctum. Hoc magnum & mirabile fuit miraculum, ex quo magna fides processit in populo de tam perfecto Viro, cujus gloria manet in cælo.

ad monasterium S. Maxentii deducitur,

72 Deinde sublatum est corpus beatissimi Martyris, &, quemadmodum decebat talem Virum deferri, allatum est. Ire cœperunt ad monasterium beati Maxentii, in quo pater priùs fuerat effectus monachorum; & quia ibi cœperat priùs mentes hominum perversorum mutare ad cultum divinum, justo judicio ac providentiâ censetur, ut virtutibus fulgendo summis
C exemplis plurimos adnecteret Dei operibus.

rursumque plurima & antè

73 Cùm autem deferretur, occurrerunt ei in via duo pauperes, scilicet vir cum uxore. Vir enim unum oculum ablatum habebat, conjux verò duos. Uterque accessit ad feretrum. Mulier fidens lumen recepit oculorum; vir autem ejus dubitans recessit cum uno oculo. Priùs enim, quàm accederent, vir trahebat funiculo cæcam: redientes * autem uxor, accepto lumine, vicem reddens, virum trahebat postmodum cæcum. Et cùm monachi ex ipso cœnobio in ejus properarent occursum, quædam puella jacebat in atrio beati Maxentii paralytica, de qua omne membrorum amisisse notum erat officium. Quæ, cùm nomen audivisset beati Leodegarii, manus ejus una restituta est sanitati.

* *al.* recedentes

& postquam eò deventum est, ad Sancti feretrum fiunt miracula.

74 Cùm verò die tertia beati Martyris corpus in ipsum perventum * fuisset atrium, omnia ejus membra dissoluta, omni infirmitate amissa, in pristinis reversa est officiis, & tota est incolumis reddita. Hoc viderunt, qui ibidem aderant, miraculum: tanta enim undique aggressa fuit populi multitudo, ut vix ecclesia seu atria capere potuissent omnium advenientium catervam populorum. Interea mulier alia ex longinquo veniens, lumen perditum habens oculorum, cùm ad sancti Martyris accessisset tumulum, recepit, quod amiserat, lumen pristinum. Quidam adolescens simul & puella à dæmonibus vexati, cùm tremefacti accessissent ad locum, vomitu sanguinis evulsis dæmonibus, ad suam pervenerunt sanitatem. Multæ & innumerabiles virtutes in illis diebus per eumdem Dei Martyrem operatæ sunt. Nam quicumque venissent multorum languentium, cæcorum, claudorum, surdorum, mutorum, aridorum atque à dæmonibus vexatorum, reddita est incolumitas sanitatis. Nam dum in itinere deferretur, pœnè sine numero fuit multitudo sanitatem reportantium. A. ANONYMO.

Dona in honorem Sancti offeruntur ædesque sacra exstruitur,

75 Matronæ verò nobiles, vestimentorum ornamenta gestantes, oblatis palliis, velamen ex auro & holoserico, & ornamentis offerebant super feretrum Martyris; intantum ut is melior in meritis esse gauderet, qui in honorem Martyris prior votum suum Domino obtulisset. In ipsius beatissimi Martyris honore, jussu pontificis E
domini Ansoaldi, operâ Audulphi patris monasterii miræ magnitudinis fabricata est domus *xx*, xx
cujus fàbricæ ædificium est dissimile omnium basilicarum constructionibus.

in qua ejus corpus sepelitur.

76 Quo charismate supradictus pontifex votum, quod vovit, perficere volens, huic loco accessit cum omnibus suæ ecclesiæ sacerdotibus, ac turbâ magnificorum, catervâque plebis & populi magnâ. Et quidem cum magnis laudibus sepelivit sanctum corpus beati Martyris *yy*: yy
in quo loco fiunt culmina virtutum, ubi ad laudem nominis Christi perpetuus fit, gaudensque recursus populi ad medelam languentium, & indulgentiam peccatorum, & omnibus, qui ex fide adeunt precum suarum, obtinere conceditur supplementum *, præstante Domino nostro, * *i. e.* auxilium
Jesu Christo, cui est honor & imperium, virtus & potestas per infinita sæculorum sæcula. Amen *zz*. zz

ANNOTATA.

a *Mabillonius legit:* Unde rumor magnus emanavit in circuitu loci hujus. Qui venerabilis Martyr multas turbas languentium & diversis infirmitatibus detentas venientes ad ejus venerandas orationes sanavit; *à qua lectione & à nostra multùm etiam in verbis dissonat Ms. nostrum apographum, quod ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris est transcriptum.* F

b *Ms. nostrum exemplar Ultrajectinum S. Salvatoris, cui Mabillonius & Chesnius ferè consonant, in singulari legit:* Hoc itaque ejusdem ecclesiæ attestatur sacerdos; *quæ lectio mihi videtur esse genuina, tum ex eo, quòd proximè sibi habeat subjuncta hæc verba,* Nam & hujus sacerdotis minister *&c, tum etiam, quòd in ea sermo sit de ecclesia seu parvulo oratorio, in quo* Leodegarius *jacebat sepultus, illinsque non plures, sed unus tantùm verosimiliter fuerit sacerdos.*

c *Habuerit ergo hic dominus, si mors ei in emissi juramenti pœnam divinitus fuit inflicta, vel furti à servo suo perpetrati notitiam, vel certè, deficiente aliquo ad ritè jurandum requisito, jurârit.*

d *Scilicet Proverbiorum cap.* 16 ℣. 18 *habetur:* Contritionem præcedit superbia & ante ruinam exaltatur spiritus.

A. ANONYMO.

e *Nomen hujus erat* Ermenfrido. *Vide Commentarii prævii num.* 263, *varioſque ſcriptores Francos apud* Bouquetum *tom.* 2 *Scriptorum.*

f *Secundus Fredegarii Continuator cap.* 98 *ait, occiſum fuiſſe Ebroïnum, cùm Ermenfrido ſtrueret inſidias, eumque bonis exuere meditaretur.*

g *Hinc Mabillonius Saculo* 2 *Benedictino pag.* 694 *in Annotatis ad Vitam* S. Leodegarii *rectè infert :* Mos ergò tum temporis erat Chriſtianis, quantumvis remiſſis aut ſpectabilibus, ut die Dominica matutinis intereſſent Officiis.

h *De nece Ebroïno illata, & quo in eventus hujus narrando adjuncto anonymus noſter cum ſecundo Fredegarii Continuatore non pugnet, videſis Commentarii prævii num.* 262 *&* 263.

i *In temporalem nempe corporis, & in æternam animæ ſeu damnationem, ut auctor rurſum hîc innuat, Ebroïnum eſſe damnatum ; qua de re quid opinemur, num.* 275, *ut adhuc antè monui, Commentarii prævii docuimus.*

k *Hîc innuitur, Ebroïnum triennio ferè, poſtquam* Leodegarium *occidiſſet, violenta morte occubuiſſe, ac proin, cùm* Leodegarius 2 *Octobris die, anno* 678 *de medio fuerit ſublatus,* B *conſequens eſt, ut Ebroïni cædes anno* 681 *acciderit. Vide Commentarii prævii num.* 258, 259, *&* 264.

l *In Europa ſcilicet, Aſia & Africa ; nondum quippe ſeculo* VIII, *quo ſcripſit hic auctor, detecta erat America.*

m *Cùm tantùm hîc dicat auctor, verendum eſſe, ne Ebroïnus beatam, quam patientiâ adipiſci potuiſſet, vitam amiſerit, dubitare ſe indicat, damnatuſne, an ſalvus ſit celeberrimus vir ille, ac proin, dum hunc damnatum eſſe, plùs ſemel antea, nullâ adhibitâ dubitandi particulâ, inſinuavit, exiſtimandus eſt, tunc commoto in Sancti, cujus Vitam ſcribebat, perſecutorem ſtomacho plura dixiſſe, quàm poſtea volnerit intelligi.*

n *Imò Theodoricus non tantùm* Leodegarium *tunc ut martyrem veneratus eſt, ſed etiam cædi juſſu ſuo, ſeu potiùs nomine, Sancto illatæ maximè indoluit, inque criminis illius expiationem Atrebati, ſi qua Ordérico, Uticenſi monacho, fides ſit, eccleſiam S. Vedaſti ; monaſterium verò S. Joannis, ſi Miræus in Originibus Benedictinorum in Belgio cœnobiorum rectè ſcribat, olim in monte apud Taruannam, Morinorum urbem, nunc* C *in urbe Iprenſi ſitum, fundavit. Duorum illorum ſcriptorum verba hæc ſpectantia tranſcribo : Ordérici apud Cheſnium in Hiſtoriæ Normannorum Scriptoribus antiquis pag.* 837 *hæc ſunt :* Corpus ejus (*Rodberti, Flandriæ comitis occiſi*) à Morinis cum magno luctu delatum eſt, & in eccleſia S. Vedaſti præſulis, quam Theodoricus rex pro injuſta interfectione ſancti Leodegarii Eduorum pontificis pœnitens fundaverat, ſepultum eſt ; *Miræi autem in Opere citato pag.* 65 *&* 66 *ſequenti iſta :* Theodericus Galliæ rex in expiationem cædis S. Leodegarii, epiſcopi Auguſtodunenſis, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſexto, in monte, haud longè à muris urbis Morinenſis ſeu Taruanenſis ſito, cœnobium iſtud in honorem S. Joannis Baptiſtæ conſtruxit. Deſtructum verò eſt à milite Caroli V imperatoris obſidionem parante, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio, uti & urbs ipſa poſt deditionem funditus eſt exciſa. Monachi autem poſtea in Flandriam venêre, eiſque Balliolanam S. Antonii, ut vocant, præceptoriam, ſeu monaſterium Philippus II Hiſpaniarum rex & Belgarum princeps, Pontifice Romano conſentiente, aſſignavit. At verò ob hoſtiles Oſtendanorum militum excurſus, inde Ipras anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeſe receperunt, ibique fixum ac perpetuum illis domicilium Albertus & Iſabella, Auſtriaci Belgarum principes, annuerunt. Sicque B. Joannis Taruanenſis abbatia, quæ olim Arteſiæ fuit, in poſterum inter Flandriæ abbatias numerari poterit. *Ita laudatus Miræus, qui mox, unde ea didicerit, etiam indicat.* Hæc, *inquit*, ab Huberto Dubraio, cive & amico noſtro, ejuſdem cœnobii olim alumno, pòſt Affligemenſi præpoſito, nuper defuncto, accepimus. *At, inquies, unde ea ipſe Dubraius hauſit ? Reſpondeo, id me neſcire, ac proin, ſpectata ſola Dubraii, viri ab etate Theodorici plurimùm remoti, auctoritate, dubitare, an etiam veritati conſonent, quantum ad relatam dicti monaſterii S. Joannis originem ; ſed hæc ex infrà dicendis ad litteram* f *confirmatur.*

o *Ita etiam ferè Cheſnius ; ſed Mabillonius legit :* Erat enim ibi multitudo magna maximorum epiſcoporum, ſcilicet ac procerum, qui dum collationem de ſancto Martyre inter ſe haberent, & mirarentur, quod de eo audiebant. *Utra præſtet lectio, ſtudioſus lector dijudicet. Quod ad rem lectione ſignificatam pertinet, dubium videtur, an epiſcoporum multitudo, quam illa in Theodorici regis palatio, cùm de* Leodegarii *corpore orta eſt contentio, exſtitiſſe innuit, ibidem tantùm caſu exſtiterit, an verò principis illius juſſu fuerit convocata. Utut ſit,* Labbeus *congregationem ſeu congreſſum, quem tunc epiſcopi illi celebrârunt, Appendici ad tom.* 6 *Conciliorum ſub nomine* Conventus in palatio Theodorici Franc. regis *celebrati inſeruit ; at perperàm illum retulit ad annum Chriſti* 686 ; *is enim tempore medio inter Ebroïni cædem &* Leodegarii *ad agrum Pictavienſem tranſlationem, ac proin citiùs, quàm anno* 686, *fuit habitus. Vide Commentarii prævii num.* 264 *&* 282.

p *Cheſnius & Mabillonius à lectione noſtra & invicem hîc diſſonant. Prior enim habet :* Tunc vir vitæ ſanctiſſimæ Anſoaldus, urbis Pictavenſis antiſtes, verbum intulit ; *poſterior verò :* Vir magnæ ſanctitatis Anſoaldus, urbis Pictavenſis antiſtes, verbum intulit. *Ms. noſtrum Ultrajectinum S. Salvatoris à Mabillonio & Cheſnio etiam diſcrepat ; at in eo cum iis congruit, quòd pariter innuat, Anſoaldum vitæ ſanctitate fuiſſe conſpicuum. Idem etiam faciunt duo noſtra Mss. Vitæ* Leodegarii *per Urſinum conſcriptæ apographa, Trevirenſe S. Maximini ſcilicet & Divionenſe, ut fortè germana ſit lectio, in qua de Anſoaldo, veluti de Sancto, ſermo habetur. Attamen haud invenio, Anſoaldo Sanctorum honores alicubi poſt obitum fuiſſe delatos, ejuſve ullis Faſtis ſacris nomen exſtare inſcriptum. In Vita S. Filiberti à Majoribus noſtris ad* 20 *Auguſti ex Mabillonio edita num.* 23 *legitur, monachum quemdam energumenum Anſoaldi & Filiberti precibus fuiſſe liberatum ; at nemo neſcit, nihil hinc certi pro ſanctitate Anſoaldo aſſerenda poſſe concludi. Porrò Anſoaldus, uti ex num.* 20 *laudatæ Vitæ S. Filiberti liquet, jam erat Pictavorum epiſcopus, cùm ad eum ſanctus Filibertus liberatus è carcere, cui dolis Ebroïni fuerat incluſus, Pictavium acceſſit, ac proin, cùm id, uti Cointio in Annalibus eccleſiaſticis Francorum, aliiſque eruditis videtur, anno* 674 *acciderit, conſequens eſt, ut Anſoaldus, quando anno* 681 *cum Vindiciano & Ermenario de corpore* S. Leodegarii *diſceptavit,*

A *vit, jam annos circitèr ſeptem Pictavienſem ſedem occupâſſet.*

q *Fuerat ſcilicet* S. Leodegarius *in epiſcopatu Pictavienſi enutritus, atque in eo per ſexennium ferè, antequam ad ſedem Auguſtodunenſem promoveretur, abbatis munere perfunctus. Vide Commentarium prævium num.* 44, 52, 58 *&* 59.

r *De hoc epiſcopo pluries ſuprà ſermo recurrit.*

ſ *Majores noſtri ad* XI *Martii ſancti hujus Antiſtitis Acta illuſtrârunt, ejuſque epiſcopatûs initium ad annum* 676 *revocârunt; qua in re iis ferè aſſentiuntur Sammarthani & Cointius, ut adeò S. Vindicianus, quando anno* 681 *eum inter & duos alios epiſcopos, Ermenarium nempe & Anſoaldum, de corpore* S. Leodegarii *orta eſt contentio, jam quinquè circiter annorum ſpatio Atrebatenſem ſedem tenuiſſet. Porrò ex laudatis S. Vindiciani Actis à Majoribus noſtris ad* XI *Martii illuſtratis egregiè confirmantur ea, quæ ad litteram* n *de eccleſia S. Vedaſti, deque monaſterio S. Joannis prope Teruannam in expiationem necis* S. Leodegario *illatæ, à Theodorico Francorum rege fundatis, ex Orderico & Miræo*

B *protulimus. Etenim, uti in Actis illis num.* 9 *legitur, ab epiſcopis, qui Vindiciano, Ermenario & Anſoaldo de corpore* S. Leodegarii *diſceptantibus aderant, ſtatutum fuit,* ut Vindicianus regem adiret, eique liberè exponeret, quàm enormibus peccatis coram Deo obſtringeretur, niſi tempeſtivâ ductus pœnitentiâ reſipiſceret, & ad meliora conſilia ſeſe recipere maturaret. *Vindicianus periculoſam hanc in ſe provinciam ſuſcepit, regem intrepidè adivit, liberè reprehendit, eique pœnitentiæ loco, quam etiam hic implevit, novi monaſterii juxta Teruannam, S. Joannis nempe, de quo ſuprà, conſtructionem, regiamque in monaſterium S. Vedaſti jam exſtructum munificentiam injunxit. Perſpicua hæc fiunt ex ipſis laudatorum Actorum num.* 10 *verbis. En illa:* Ceterùm pro peccatis expiandis jubetur rex, *Theodoricus nempe à Vindiciano,* novum Benedictinis monachis cœnobium juxta Teruanam Morinorum condere, addito ſufficienti cenſu. Item quoniam, effuſo D. Leodegarii martyris ſanguine, publicam eccleſiæ pacem, jam pridem divi Vedaſti ſacris concionibus in diœceſi Atrebatia ſtabilitam, perturbaverat, ei injunxit Vindicianus, uti monaſterium ſuum Atrebatenſe (poſtmodò Vedaſtinum nuncupatum)

C quod id temporis ipſe principis & cleri permiſſu regebat, muris & ædificiis, amplioribuſque poſſeſſionibus & privilegiis exornaret. Hiſce mandatis non ſolùm obtemperavit Theodoricus, ſed etiam monaſterium illud ab regali potentia & juriſdictione ſeculari, fore impoſterum immune & liberum pronuntiavit, ſcriptis ſuper ea re litteris, & diplomatibus à Vindiciano, ceteriſque prælatis, qui aderant, ejus juſſu confirmatis.

t *Oratorium nempe, in quo* Leodegarii *corpus ſepeliendum curavit Chrodoberti uxor, in diœceſi Atrebatenſi ſitum erat. Vide Commentarium prævium num.* 254 *&* ſeq.

u *Diſſonant hîc Mabillonius & Cheſnius, uti etiam omnia noſtra Mſs. apographa; noſtrum autem Ms. Ultrajectinum S. Salvatoris, cujus lectio videtur minùs mendoſa, habet:* Et facta oratione cum jejunio, tres parvas epiſtolas definitione ſcriptas, *id eſt, ſignatas,* ſuper altare poſuerunt.

x *Fuit hic ſecundùm Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 2 *col.* 1246 *Sanmaxentianæ in*

diœceſi Pictavienſi abbatiæ abbas ordine quintus, proximuſque Leodegarii *in ſacrum illud munus ſucceſſor. Libellum, quem ſibi anonymus noſter vetuſtior & Urſinus prælucentem habuêre, de miraculis* S. Leodegarii *ad ſolum Pictavienſe tranſlationem comitatis conſcripſit; Urſino, ut Vitam* Leodegarii, *cujus corpus Pictavium tranſtulerat, litteris conſignaret, auctor exſtitit, Sanctoque novam eccleſiam, jubente Anſoaldo, exſtruxit. Adi Commentarium prævium num.* 25, 26, 284 *&* ſeqq.

A. ANONYMO.

y *Hinc intelligitur, Audulphum, S. Maxentii abbatem, vixiſſe ſub diſciplina* S. Leodegarii, *cùm hic, antequam ad ſedem Auguſtodunenſem promoveretur, abbatiam S. Maxentii abbas regeret.*

z *Ita etiam ferè Cheſnius & Ms. noſtrum Ultrajectinum S. Salvatoris; at Mabillonius legit:* Quod audientes, qui inhabitabant in circuitu loci, monachi, ceterique viri ac mulieres, devotione magna compuncti feſtinantes concurrebant ad locum.

aa *Mabillonius & Cheſnius legunt* Caturcino; *eſt autem, inquit Baudrandus in Geographia,* pagus Caturcinus, provincia Galliæ in Aquitania, cujus fit mentio in Actis mediæ ætatis, quæ à recentioribus dicitur Cadurcenſis provincia. *Inter Acta mediæ ætatis, in quibus Cadurcenſis provincia ſeu tractus* Caturcini pagi *nomen habet, recenſeri debet Chronicon Fredegarii Scholaſtici; in hoc enim inter provincias à Dagoberto I Francorum rege fratri ſuo Chariberto conceſſas* pagus Caturcinus *cap.* 57 *numeratur. Porrò Cadurcenſis provincia ſeu tractus, Gallicè* le Quercy, *ſitus eſt, laudato Baudrando teſte, inter Lemovicenſem provinciam ad Septemtrionem, Alvernicam & Ruthenenſem ad Ortum, Occitanicam ad Meridiem, & Aginnenſem, Petrocorienſemque ad Occaſum.*

E

bb *Fuit, uti hinc intelligitur, Hermenana, ſeu, ut alii ſcribunt, Ermenana, cujuſdam in pago Cadurcino ſiti monaſterii abbatiſſa; at, inquies, cujuſnam? Reſpondeo hoc, cùm, quæ ſeculo* VII *monaſteria in pago Cadurcenſi exſtiterint, ignoretur, pro certo non poſſe edici; aiunt quidem Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores tom.* 1 *col.* 157, *Ermenanam, de qua hîc ſermo eſt, fortè exſtitiſſe abbatiſſam illius monaſterii, cujus abbatiſſam, nomine Alpaſiam, in peccatum prolapſam, ad pœnitentiam, propoſito feminæ peccatricis exemplo, vehementer cohortatus eſt S. Deſiderius, Cadurcenſis epiſcopus, qui medio circitèr ſeculo* VII *ex hac mortali & erumnoſa ad immortalem beatamque vitam evolavit; verùm nec ipſum monaſterii, cui Alpaſia abbatiſſa præfuit, nomen produnt.*

F

cc *Miſit hîc ſcilicet ad Ermenanam conſcriptum à ſe de miraculis* Leodegarii *tranſlationem comitatis libellum, qui complectebatur ea omnia miracula, quæ ab anonymo hîc narrantur. Vide Commentarii prævii num.* 25 *&* 26.

dd *Relationem illam nempe ſeu libellum de miraculis in* Leodegarii *tranſlatione patratis hic auctor acceperat vel ab ipſomet Audulpho, vel certè ab Ermenana abbatiſſa. Vide iterum Commentarium prævium num.* 25.

ee *Vicus veroſimiliter, qui Gallicè, uti Seculo* 2 *Benedictino pag.* 696 *in margine notat Mabillonius, dicitur* Jouy, *quique in agro ſeu tractu Carnotenſi ſitus eſt, prout in Tabula Geographica Belſiæ Blaviana notatur;* réjouir *nempe Gallicè ſignificat* gaudio afficere.

A. ANONYMO.

ff *Ita etiam ferè Cheſnius & Ms. noſtrum Ultrajectinum S. Salvatoris ; at Mabillonius legit :* Sed cùm allata à parentibus ad feretrum beati Martyris fuiſſet, eadem nocte ſopore detenta viſu vidiſſe dicitur duos viros ſplendidos in equis ſibi adſtantes.

gg *Celebris hæc Galliæ civitas ad Ligerim fluvium ſita caput eſt provinciæ Turoniæ, quæ verſus Occaſum & Meridiem agro Pictavienſi terminatur.*

hh *Vicus hic veroſimiliter ille eſt, qui in Tabula geographica ducatûs Turonenſis Blaviana nomine Gallico* Sonay *diſtinguitur. Certè Mabillonius Sæculo 2 Benedictino pag. 696 in Annotatis ad Vitam* S. Leodegarii Solnacum *Gallicè vertit* Sonay.

ii *Ita iterum ferè Cheſnius ; at Mabillonius legit :* Quædam mulier à dæmonio vexata à parentibus trahebatur ad feretrum ſancti Viri : quæ, cùm tandem invita atque coacta adveniens tetigiſſet hujus feretri veſtimentum, mundata protinus eſt à dæmonio.

kk *Hæc uncis incluſa, quorum loco apud Cheſnium legitur,* ex quo jam liberam factam ſe cernebat, *apud Mabillonium omiſſa ſunt.*

B

ll *Hic Robertus, qui ab aliis* Bertus *&* Ruotbertus *vocatur, inter archiepiſcopos Turonenſes ordine trigeſimus tertius in Gallia Chriſtiana à Sammarthanis Fratribus recenſetur, deque eo nihil aliud vel apud hos vel apud alios ſcriptores memoriæ proditum inveni.*

mm *Mabillonius habet :* Et cùm per civitatem tranſirent, quædam mulier accuſata pro morte viri ſui collo ac manibus catenâ ducebatur. Illa autem, cùm traheretur, ſic clamabat : Subveni mihi, beate Leodegari, quia innocens pereo falſis accuſatoribus alligata.

nn *Id eſt, diœceſim, qua in ſignificatione nomen* parochiæ *anonymus ſemper accipit.*

oo *Ita etiam Ms. noſtrum Ultrajectinum S. Salvatoris ; at Mabillonius, cui Cheſnius conſonat, legit* Igorande, *notatque in margine* Ingrande, *rectè ſcilicet indicans, vicum, de quo hîc ſermo fit, eſſe illum ipſum vicum, qui nunc Gallicè* Ingrande *dicitur ; notatur hic in Tabula geographica ducatûs Pictavienſis Blaviana haud procul à Caſtro-Eraldi ad Vigennam fluvium.*

pp *Nullam villam nomine huic affini appellatam invenio, per quam facta eſſe queat* S. Leodegarii *Pictavium tranſlatio.*

C

qq *Mabillonius habet :* Poſt hæc, cùm ad Vigennam fluvium in vicum Sannone vocabulo perveniſſent. *Vigenna fluvius, Gallicè* la Vienne, *oritur in Lemovicenſi Galliæ provincia, fluenſque per ducatum Pictavienſem tandem in Ligerim ad vicum Candacenſem ſe exonerat. Vicus, nomine* Sanon *ſeu* Sannon, *veroſimillimè ille eſt, qui hodie Gallicè* Senon *dicitur ; quique in agro Pictavienſi ad confluentem fluviorum Clanii, Gallicè* le Clain, *& Vigennæ ſitus eſt.*

rr *Nihil invenio, quod vel hujus villæ, vel vel vici, qui infrà ad num.* 70 Zezinoialo, *ſeu, ut alii legunt,* Zizolliolo *vocatur, notitiam ſubminiſtret. Aſt ex adjunctis, quæ tranſlationem* S. Leodegarii *comitata eſſe hîc leguntur, manifeſtum fit, illam quidem Pictavium inter & Vigennam flumen ; hunc verò ſitum eſſe eamdem inter civitatem & abbatiam S. Maxentii, quæ Pictavio decem circiter leucis horariis, teſte Baudrando in Geographia, verſus Occaſum diſtat.*

ss *De S. Radegunde regina, poſtmodum moniali Pictavii in Gallia ad diem* 13 *Auguſti, quo ejus memoria Uſuardinis aliiſque Faſtis ſacris* D *inſcribitur, in Opere noſtro egimus, inſigniſque hujus Sanctæ Acta, auctore S. Venantio Fortunato, Pictavienſi epiſcopo, aliaque, auctore Baudonivia moniali coæva, & familiari Sanctæ diſcipula, dedimus ; ex horum autem num.* 37 *diſcimus, eccleſiam, in qua S. Radegundis fuit ſepulta, S. Mariæ nomini fuiſſe dicatam, quæ, uti ex S. Gregorii Turonenſis libro de Gloria Confeſſorum cap.* 106 *intelligitur, in civitatis Pictavienſis ſuburbio ſita erat. Hæc poſtmodùm S. Radegundis nomen induit, teſte Mabillonio tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 200, *ubi ſic habet :* Beatæ Mariæ baſilicam ſancta Radegundis itidem extra muros Pictavenſes ad ſepulturam ſanctimonialium ſanctæ Crucis conſtrui curaverat, monachiſque, qui virginibus ſacra miniſtrarent pro more illorum temporum, attribui voluerat. Leo quidam vir inluſter centum ſolidos ad baſilicæ fundamenta contuliſſe memoratur. Nondum ſacrata erat baſilica, cùm beata Radegundis iſtic humata fuit, brevique pòſt tempore hæc nomen loco dedit. Ceterùm, *loco citato inquit, nonnullis interpoſitis, laudatus Mabillonius,* utraque baſilica, nempe ſancti Hilarii, *in qua, uti hîc mox refertur,* S. Leodegarii *corpus Pictavii fuit depoſitum,* & beatæ Mariæ tranſiit ad canonicos ſæculares. Quod ſeriùs factum in baſilica ſancti Hilarii, nec ante ſæculum decimum : at in baſilica beatæ Mariæ ſeu ſanctæ Radegundis ſæculo præcedenti, uti colligitur ex capitulari Ludovici Pii pro parthenone ſanctæ Crucis.

tt *Fortè hæc mulier ad ſerviendum S. Hilario, ſeu potiùs monaſterio, quod ab eodem Sancto nominabatur, pro more illorum temporum ſeſe obſtrinxerat. Vide, quæ pag.* 300 *hujus tomi in Annotatis lib.* 2 *Miraculorum S. Bavonis ſubjectis ad litteram* c *dicta ſunt.*

uu *Confirmatur hinc & ex verbis aliis, quæ num. poſt ſequentem proximo habentur, quod Urſinus de abbatia S. Maxentii à* Leodegario, *antequam ad epiſcopatum Auguſtodunenſem promoveretur, ſexennio ferè adminiſtrata num.* 4 *narrat. Adi Commentarium prævium num.* 52.

xx *De tempore huic baſilicæ condendæ veroſimiliter impenſo conſule Commentarium prævium num.* 286.

yy *Accidit id, ut juxta dicta Commentarii prævii num.* 288 *veriſimilius apparet, anno* 685 *uſque ad menſem Martium provecto ; unde, cùm eventus hujus hîc meminerit noſter anonymus, conſequens eſt, ut ejus lucubratio ſeriùs, quàm ad* F *annum uſque* 682 *vel* 683 *debeat differri, licèt num.* 21 *Commentarii prævii contrarium viderimus eſſe veriſimile.*

zz *Apud Mabillonium & Cheſnium hæc Sancti Vita hanc habet clauſulam :* Conſummatum eſt ſancti Leodegarii martyrium quinto Nonas Octobris, & dedicatio baſilicæ ipſius tertio Kalendas Novembris, tranſlatio verò ſancti corporis medio menſe Martii. *Eamdem etiam habet Ms. noſtrum Ultrajectinum S. Salvatoris, ſed à reliquis omnibus noſtris Mss. apographis abeſt. Vide etiam de hac clauſula Commentarium prævium num.* 23, 256 *&* 257.

* * * * *
* * * *
* * * *
* *
*

VITA

A

VITA ALIA

Auctore Urſino, priore, aut fortè abbate Locociacenſi coævo.

Ex codicibus QMS. 5, PMS. 159 *& duobus Mss. apographis inter ſe & cum editione Mabillonii, uti etiam cum Ms. Divit-Augienſi collatis.*

PROLOGUS.

B

Auctor ſcriptionis ſuæ rationem reddit.

a

b

DOmino meo, ſanctoque pontifici Anſoaldo præſuli Pictavenſi Urſinus peccator. Juſſioni obtemperans veſtræ parui, beatiſſime papa *a*, inſiſtente maxima ex parte Audulfo, patre monaſterii beati Maxentii *b*, ut de vita vel paſſione beati Leodegarii pauca de multis ejuſdem bonis ſcribendo narrarem. Quod opus tuis imperiis obſequendo edere * cupiebam: ſed ſimplicitas cordis mei & iners facundia non valet explicare tanti Viri laudes virtutum; cujus patientia modernis exorta temporibus, quanta ſuſtinuit retruſus *, quaſi * nemo novit, niſi ille ſolus, cui protulit intrinſecus. Qui in occultis latibulis, privatus oculorum acie, quid & quantum egiſſet boni, quis enarrare poſſit? Ubi nec aſſiſtebat miniſter, qui hoc cernere valeret, ut quod oculis non videbatur *, narrare quiviſſet. Nam finis operis oſtendit extrinſecus, quanta intùs latendo fuiſſet operatus. Tamen in quo agnita ejus mihi vita fuit, & multorum relatione comperi, quamquam ruſtico ſermone, vobis imperantibus, edere * non diſtuli *c*. Si quid quibuſdam * verbis propagare ſtudui, ad diſſerendam veritatis lineam hunc tramitem poſui. Si verò de ejus virtutibus aliquid prætermiſi, non ſtudioſè geſſi, quin ignorantiâ intermittendo præterii *d*. Hoc etenim ſciendum puto, quia, quamvis quiſquis alti ſermonis eloquentiâ ejuſdem Viri Dei Acta diſſerere cupiat, apertiùs & abſque fallacibus verbis fari non valeat. Et forſitan valueram, annuente Domino, clauſis ac ab aliquibus incognitis verbis narrare: ſed ideo nolui, ut quique ruſtici & inlitterati hæc audierint, intelligant & devoti appetant ejus imitari exempla, cujus intellexerint audiendo miracula.

* *al.* edicere

* *al.* retrorſus

* *al.* quæ

* *al.* videbat

* *al.* edicere

c

* *al. addit.* longiùs

C

d

ANNOTATA.

a *Hoc nempe nomen epiſcopis quondam erat commune.*

b *De Audulpho monaſterii S. Maxentii abbate vide Commentarium prævium num.* 25 *& Annotata capiti* 4 *Vitæ præcedentis ſubjecta ad litteram* x.

c *Hinc apparet, hunc ſcriptorem, ſi non omnia, certè nonnulla, ex aliorum tantùm fide ſcribere.* A. URSINO

d *Videtur hic ſcriptor hoc textu innuere, ſe non omnia* S. Leodegarii *geſta apprimè habuiſſe perſpecta.*

CAPUT I.

Leodegarius apud avunculum ſuum educatur, diaconus ac deinde archidiaconus creatur, abbas efficitur, ad aulam evocatur, fit epiſcopus, regis gratiâ excidit, Luxovium ſecedit, hincque egreſſus, ab Ebroïno vexatur.

IGitur beatus Leodegarius ex progenie celſa Francorum ac nobiliſſima exortus *a*, à primæ ætatis infantia à parentibus in palatio, Lothario Francorum regi *b*, eſt traditus; ab eodem verò rege non poſt multum temporis Didoni *c* præſuli Pictavenſis urbis, avunculo ſuo ſcilicet, ad imbuendum litterarum ſtudiis datus eſt: quem idem præſul cuidam Dei ſacerdoti, viro prudentiſſimo * ad erudiendum tradidit; qui eum per annos plurimos *d* magnis curis edocuit, edoctumque pontifici reddidit. Receptum ergò eum * ſuis cubiculis ſub cuſtodia diſciplinæ retinuit, & quemadmodum idem pontifex ſe caſto * corpore cuſtodierat, eumdem ſimilem effici voluit, dicens ei admonendo ſummâ frequentiâ, ut ſe virginem conſervaret, & vas electionis in Eccleſia Dei dignus fieret; quoniam optabat eum hujus civitatis poſt ſe eſſe epiſcopum.

E

Nobiliter natus educatur apud avunculum;

a

b

c

* *al.* erudiendo tiſſimo

d

* *al.* receptumque ſecum in

* *al.* caſtum

3 Sed cùm ad hoc opus eum cerneret perſpicuum; cùm ferè viginti eſſet annorum *e*, ad officium diaconatûs electus eſt, atque ab ipſo pontifice conſecratus. Deinde non poſt multum temporis *f* archidiaconus effectus, curâ ſub pontifice omnibus eccleſiis ipſius diœceſis eſt prælatus. Erat enim multùm facundiæ honeſtiſſimæ deditus, ſtaturâ procerus, inter pleroſque pulcherrimus, aſpectu decorus, eloquio ſuavis, ingenio acutiſſimus, prudentiâ providus, zelo Dei & amore fervidus, perpetuæque virginitatis cuſtos; Scripturis ſacris ac legum doctrinis ſimulque canonicis penè * cunctis præcellebat parochiæ *, quam regendam ſuſceperat, habitantibus. In tantum verò erat aptiſſimus omnium ſeniorum, coæqualium & ſubjectorum, ut eloquentiâ ſuâ placeret omnibus ſibi colloquentibus: ita ut mœrentibus redderet lætitiam, ſcelera gerentibus diſciplinam. Nam in parvi temporis ſpatio, ſub pontificis ſcilicet imperio, magnam pacem providentiæ ſuæ regimine tradidit Pictavenſi ſolo.

fit diaconus & archidiaconus prudens ac ſedulus;

e

f

F

* *al.* præ

* *i. e.* diœceſis

4 Deinde, cùm quidam pater ex monaſterio, quod eſt ſitum in honore beati Maxentii, obiſſet, juſſu pontificis idem ſuſcepit regendum *g*: quod per ſex ferè annos ſtrenuè rexit, illudque magnis opibus ditavit. Sed, cùm juxta monita pontificis ſui idoneum ſe præparâſſet, & clarus haberetur præ omnibus, tunc odor ejuſ-

præficitur monaſterio & vocatur in aulam;

g

A. URSINO

dem ſuavitatis in tantum proceſſit, ut uſque in palatium regis redoleret. Erat enim eodem tempore Minor Lotharius cum Baltilde matre rex regens Francorum regnum *h*, qui * agnitâ ejus prudentiâ, cupientes eum habere in aula regia, petierunt pontificem, ut ſuam ei daret licentiam ſecum habitare in palatio. Qui ſtatim juſſa complens, magnis rebus ditatum & ſapientiæ floribus adornatum, obtemperans eorum voluntati, niſus * eſt deſtinare Virum *i*.

h

* *al. deeſt* qui

* *al.* viſus

i

5 Quem rex atque regina videntes honorificè ſuſceperunt, & in paucis diebus dulcia ſua verba & bonitatem oſtendit in tantum, ut rex ſimul & regina, plerique etiam pontifices * ſupra omnes eum in amore ſuſciperent, & quia eum videbant dignum ad ſuſcipiendum honorem, cunctorum conſenſu præcipuorum Francorum, ad honorem pontificalem eum eſſe idoneum proclamaverunt, quem omnes ad hoc electum Auguſtoduno *, quæ eſt Æduorum civitas, fecerunt pontificem, quam cùm per annos decem ſtrenuè gubernaret *k*, eodem tempore rex Lotharius, qui eum epiſcopum conſtituerat, defunctus eſt. Tunc idem Pontifex hæc audiens, concito curſu in palatium perrexit, ac cum commilitonibus * de rege tractare cœpit *l*.

eligitur epiſcopus. Mortuo Clothario,

* *al. addit.* & proceres

* *al.* Auguſtoduni

k

B

* *al.* ſimilibus

l

6 Qui audientes, Hildericum Auſtraſiorum regem in adoleſcentia ſua regnum juxta ſui temporis ætatem optimè diſponentem, elegit quædam pars Francorum, volentes eum regem habere. Nam Ebroïnus, qui major-domûs fuerat ſub rege Lothario, Theodericum germanum ejus cupiebat ſubrogare fratri in regno *m*. Ipſe verò Ebroïnus erat tunc odioſus inter Francos, & quia metuebant hujus ponderis jugum, quod per eumdem ſuſtinuerant ſub rege Lothario, relicto ejus conſilio, Hildericum in toto ſublimaverunt regno. Tunc Ebroïnus, videns ſe deſtitutum, & pro nihilo ſuum eſſe conſilium, territus pavore, regem petiit, ut, relictis omnibus, vitam ſibi concederet, & in monaſterio abire * permitteret: cui deprecanti, domno Leodegario intercedente, rex conſenſit, & in monaſterio Luxovio * ilico deſtinavit, ut monachus effici deberet. Rex verò Hildericus confirmatus in regno, germanum ſuum Theodericum cuidam Dei ſervo conſervandum ac nutriendum dedit.

regnat Childericus; Ebroïnus fit monachus Luxovii;

m

* *al.* habitare

* *al.* in monaſterium Luxovii

C

7 Idem verò Leodegarium pontificem ſuper omnem domum ſuam ſublimavit & majorem-domûs in omnibus conſtituit. Qui, accepto hujus regni gubernaculo *, quidquid maximè adversùs leges antiquorum regum ac magnorum procerum vitâ laudabilium obſtabat, multum ad priſtinum reduxit ſtatum *n*. In tantum verò uſquequaque omnia regna Francorum reſtituit, ut omnes ſe gratularentur, regem ſibi habere Hildericum, ac rectorem palatii Leodegarium *o*. Cùm igitur hæc pœnè annis tribus *p* cum decore magno agerentur, tunc adverſarius, cujus eſt conſuetudinis, invidiâ conditionis ſuæ bona deſtruere, cœpit ſodales ſuos, quos ſecum elegerat idem Pontifex habere ſocios gubernaculi, invidiæ malo inſtigare & inter ipſum & regem zizania diſcordiæ ſeminare.

Sanctus aulæ præficitur,

* *al.* acceptis gubernaculis

n

o

p

8 His itaque diebus jam imminebat celeberrimus Paſchalis dies. Tunc flagitante Pontifice, ut in Auguſtuduno urbe ſua ipſum ſanctiſſimum diem rex juberet celebrari, nequaquam renuit, ſed implere nititur votum deprecantis *q*. Qui, cùm, appropinquante jam die ad Miſſarum ſollemnia celebranda, Sabbatho, ut mos eſt in Vigiliis Paſchæ *r*, irent pariter, & malum ſeminarium odii ſimul haberent abſconditum, tunc inſtigator utriuſque mali * accedens, eidem Pontifici dixit: Obſerva te, inquit, Pontifex, quia celebritate tranſacta Miſſarum, à rege te ſcias eſſe interficiendum, quoniam ſemen nequam, quod adversùm te per tuos inimicos, quemadmodum in ejus corde jam olim eſt ſeminatum, in hac nocte conſummare eſt decretum *ſ*. Quod audiens Pontifex, diſſimulando diſtulit, & ſe lætum oſtendit, & non pro magno ducens, apparuit vultu clarus *, & ſollemnia Miſſarum, quæ cœperat, honeſtiſſimè conſummavit.

ſed hanc, cùm regem ſibi iratum

q

D

r

* *al.* malorum

ſ

* *al.* hilaris

9 Sed Communionem ſanctam cùm ipſe & rex percepiſſent *t*, rex ad palatium pergens, abiit pranſurus: Pontifex verò, cùm ſuum perconſummâſſet officium, & merum cum ſuis accepiſſet, ſicut eſt fragilitatis humanæ, metuens animoſitatem regis, tractare cum ſuis cœpit, quid in hoc conflictu agere deberet. Cogitans * & orans ad Dominum conſilium reperit; melius ei eſſe omnia relinquere & Chriſtum ſequi, quàm locum regi * dare, & manus regis ſanguine Sacerdotis in tanti diei * feſto coinquinare; ne fortè fieret * Francorum opprobrium & per ſe unum hominem in tota plebe eſſet * diſceptatio *u*. Tunc, relicto rege, & omnium poteſtatum ſublimitate, pro nihilo reputans, quòd habebat * in mundo, eadem nocte procedens cum paucis, ire cœpit, ubi pauper Chriſti fieri potuiſſet. Hoc rex audiens, contriſtatus valdè ac mœrens, quemdam ex ſuis fidelibus cum exercitu magno poſt ipſum miſit, & ſecutus eum per totam illam noctem, diluculo reperit & juxta juſſum regis ſecum reduxit *x*: ipſoque Pontifice deprecante, Luxovio cœnobio * ut ei liceret, relicto ſeculo, vacare Deo, humili popoſcit prece ſe dirigendum: quem protinus illuc ire * non diſtulit.

credereat, clàm deſerit, & illo annuente,

t

* *al. deeſt* Cogitans

* *al.* ei

* *al.* in tam magno die

* *al. addit.* regni

u

* *al.* fieret

* *al.* habetur

x

* *al.* ad Luxovii cœnobium

* *al.* dirigere

10 Qui feſtinus in monaſterium perveniens, ibidem Ebroïnum jam clericum invenit, dicenſque, ſe aliquid in eo peccâſſe *y*, veniam ſibi invicem petentes ſteterunt concordes; tamen ab abbate * ſejuncti, per aliquod ſpatium temporis uterque pœnitentiam agentes, inter contubernia monachorum ſtrenuè habitare, quaſi perpetui monachi, conati ſunt *z*. Per idem tempus Hilderico defuncto *aa*, germanus ejus [Theodericus] in regno ſublimatur. Hæc audientes utrorumque amici, deſiderantes aſpectum eorum cernere, cum favore magno vota ſua complentes, ad propria nituntur reducere. Pergentes namque de utriſque partibus ad ſupradictum monaſterium, cogebant eos procedere & ad eorum domos remeare. Qui angore multùm æſtuantes, tamen deprecante dilectionis amicitia, quia fatigati ſpatiis terrarum longiùs * valdè fuerant, conſentientes acquieverunt deprecantibus *bb*.

Luxovium ſecedit: mortuo Childerico,

y

* *al.* jubente tamen abbate

z

aa

F

11 Cum benedictione quippe monaſterii conglutinati pacis concordiâ, procedentes venerunt ſimul, Ebroïnus ſcilicet cum Leodegario pontifice, in civitatem ſuam Auguſtuduno *cc*. Quam rem audiens tota civitas ſuſcitata eſt in gaudium. Quibus cives procedentes obviàm, receperunt eos cum magno triumpho, lætantes, eò quòd recepiſſent Patrem, quem amiſiſſe plangebant olim gubernatorem: quem receptum collocaverunt eum in ſede priſtina, ut frueretur eum eis * lætitiâ; qui cùm ſimul lætati ſummo

bb

redit Auguſtodunum. Ebroïnus Theodorico regi

cc

* *al.* ſuis

A mo gaudio tripudiarent, cupiebat beatus Leodegarius in craſtinum Ebroïnum ditatum cùm magnis honoribus, muneribuſque ad propria deſtinare. Idem verò Ebroïnus non eſt paſſus ſuos paululùm requieſcere; ſed fugâ * nocte ab ipſa diſceſſit civitate *dd*, & Auſtraſios, quos ſecum habuerat aliquando adverſarios, ſibi ſociavit, ut amicos *ee*. Sed non poſt multum temporis, multis ſceleribus geſtis, collectis ſecum malorum ſociis, Francorum per vim intravit fines & cum tyrannide crudeliſſima gerens, Theoderici glorioſi regis ſe præſentavit obtutui, atque ab eodem reſtitutus eſt in priori gradu *ff*.

12 Major-domûs effectus, cogitare cœpit de ultione inimicorum, qui eum noluerunt habere ſubregulum. Qui ut leo rugiens inter feras ceteras, reſonuit rugitus ejus per Francorum terras. Omnes verò, qui adverſus eum olim cogitaverant mala, tremefacti, qui remanſerant ex ejus cæde, perrexerunt fugam *. His itaque diebus vir Dei Leodegarius, cùm ad ſuam plebem * reſideret urbe ſua Ædua, reminiſcens [Ebroïnus] malorum omnium, quæ circa eum cum rege Hilderico egiſſe * putabat *gg*, tunc adjunctis ſibi nequiſſimis inimicorum ſociis, conſulere cœpit, quemadmodum eumdem Pontificem deſtruere potuiſſet. Ex his enim conſiliariis duo, videlicet Dido & Waimerus ex nomine *hh*, caput effecti malitiæ, dixerunt, ſe poſſe eum rapere de civitate, & in eo facere vindictam, ex qua malitia Ebroïni eſſet ſatiata. Gaviſus namque Ebroïnus de eorum reſponſo, dedit eis exercitum copioſum valdè; qui confeſtim * perrexerunt ad civitatem Eduam *, & circumdantes eam cum eodem exercitu devaſtabant circa murorum circuitum.

* *al.* fugaciter

dd

ee

ff

reconciliatus mittit, qui Leodegarium capiant, in eumque ſæviant.

* *al.* in fugam

* *al. addit.* reſtaurandam

* *al. addit.* illum

gg

hh

B

* *al.* feſtini

* *al.* Æduorum

ANNOTATA.

a *De* Leodegarii *proſapia § tertio Commentarii prævii egimus.*

b *Nempe Lothario, ſeu, ut alii legunt, Clotharío ſecundo. Vide Commentarium prævium num.* 45 *&* 59.

c *Quamdam de Didone, Pictavienſi epiſcopo, notitiam ſuggeſſimus in Annotatis capiti* 1 *prioris Vitæ ad litteram* b *ſubnexis.*

d *Cùm* Leodegarius *decennis circitèr fuerit, dum ab avunculo ſuo ſacerdoti cuidam litterarum ſtudiis imbuendus traderetur; fuerit autem, quando diaconus conſecratus eſt, viginti circitèr annorum, atque antequam ad ſacrum hunc ordinem ſacerdotio prævium promoveretur, jam avunculo ſuo à ſacerdote, cujus diſciplinæ fuerat commiſſus, eſſet redditus, conſequens eſt, ut hîc anni plurimi, quibus Sanctus ante diaconatum ſub diſciplina dicti ſacerdotis ſtetit, novennium circitèr deſignent. Vide Commentarium prævium num.* 45 *& ſeptem ſeqq.*

C

e *Cheſnius, qui Urſinum tom.* 1 *Scriptorum etiam edidit, ſic legit:* Infra viginti annos ad officium diaconatûs electus eſt, atque ab ipſo pontifice (*Didone*) conſecratus. *Hinc factum, ut Cointius* Leodegarium *ad diaconatum provectum ſtatuat, cùm apud avunculum ſuum jam annis circitèr viginti eſſet moratus. Verùm an genuina ſit Cheſnii lectio, & an tunc tantùm Sanctus ad ſacrum diaconatûs ordinem fuerit promotus, num.* 46 *& ſex ſeqq. Commentarii prævii diſcuſſum invenies.*

f *Et tamen initium archidiaconatûs* Leodegarii *determinato anno innecti non poteſt. Vide Commentarium prævium num.* 52.

g *Cùm* Leodegarius *ad epiſcopatum Auguſtodunenſem anno circitèr* 660 (*vide Commentarium præviam num.* 59) *fuerit promotus, atque aliquamdiu in aula poſt adminiſtratam ſexennio ferè S. Maxentii abbatiam* (*vide eumdem num.* 59) *fuerit verſatus, conſequens eſt, ut non inepte ſtatuatur,* Leodegarium *anno circitèr* 651 *aut* 652 *S. Maxentii monaſterio fuiſſe præfectum.*

h *De Baltilde, ſeu, ut alii legunt, Bathilde, & Lothario, ejus filio, vide Annotata ad litteram* d *capiti primo Vitæ prioris ſubjuncta.*

i *De* Leodegarii *ad aulam evocatione, deque aliis nonnullis ad eum, antequam ad epiſcopatum Auguſtodunenſem promoveretur, ſpectantibus altum eſt apud anonymum, Sancti biographum vetuſtiorem, ſilentium. Videſis Commentarium prævium num.* 28 *&* 60.

k *Lotharius anno* 670 (*vide Commentarium prævium num.* 59, 117 *&* 118) *è vivis exceſſit, aut etiam anno* 669 *exeunte, ac proin, cùm Sanctus, moriente Clotharío, jam annos decem, uti hîc dicitur, rexiſſet epiſcopatum Auguſtodunenſem, conſequens eſt, ut ad ſacrum illud munus jam ab anno circitèr* 660 *aut* 661 *fuerit promotus. Adi Commentarii prævii num.* 59. E

l *Solus hoc adjunctum refert Urſinus. Partim autem hinc concludunt Valeſius, Cointius, aliique nonnulli eruditi* Leodegarium *deponendi Theodorici, Childericique ex Auſtria arceſſendi, atque in regnum evehendi præcipuum auctorem exſtitiſſe; aſt an certò æquum obtineant, num.* 106 *Commentarii prævii & quinque ſeqq. diſcuſſimus.*

m *Non ſolùm volebat Ebroïnus Theodoricum evehere in regnum; ſed jam reipſa evexerat, uti ex numero* 8 *anonymi intelligitur. Ad hæc Theodoricus, antequam Childericus ex Auſtria arceſſeretur, aliquot ſaltem menſes proximè poſt mortem fratris ſui Clotharii regnavit, quod Urſinus non tantùm non commemorat, ſed etiam ita narrationem ſuam inſtituit, ac ſi ſignificare vellet, Childericum fratri ſuo Clotharío vitâ functo in regnum Neuſtriæ & Burgundiæ proximè ſucceſſiſſe. Videſis Commentarii prævii num.* 106.

n *Ita ferè Mabillonius, ambo noſtri codices & omnia Mſſ. apographa, excepto apographo Divionenſi, quod plurimùm ab his diſſonat, atque adeò vel idcircò lectionem ſubminiſtrat adulterationis ſuſpectam. En illam:* Rex verò Childericus... ſanctum Leodegarium pontificem ſuper omnem domum ſuam, quamquam invitum, glorioſè ſublimavit, & omnis familiæ ſuæ principem eſſe conſtituit. Qui, acceptis regni hujus gubernaculis, quidquid in eo adversùs leges regum priorum, aut legi regum ac majorum principum, quorum vita quondam laudabilis extiterat, ineptum atque contrarium repperit, ad priſtinum prudentiſſimè ſtatum revocare curavit. F

o Leodegarius *Childerico non major-domûs, ſeu rector palatii, ſed conſiliarius tantùm fuit. Vide Commentarium prævium num.* 112, 113, 125 *&* 126.

p *Quot circitèr menſes præter annos integros complectatur triennium ferè, quo hîc dicitur* Leodegarius *in amicitia Childerici fuiſſe, ex num.* 130 *Commentarii prævii collige.*

q *De hac regis facta per* Leodegarium *ad Paſcha Auguſtoduni celebrandum invitatione num.* 133 *& ſeq. Commentarii prævii egimus.*

r *Ur-*

A. URSINO

r *Urſinus hîc cum anonymo vetuſtiore pugnare videtur; at quî in concordiam adduci ambo queant, num.* 139 *Commentarii prævii docuimus.*

ſ *Voluerit ſcilicet hic homo, quamquam regis in* Leodegarium *iræ, iniquique conſilii inſtigator eſſet, facti invidiam, prout hominibus verſutis & fraudulentis ſolemne eſt, à ſe amovere.*

t *His verbis clariſſimè innuit hic auctor, Childericum cum* Leodegario *in Paſchalibus Vigiliis Communionem ſanctam Auguſtoduni, & quidem in eadem eccleſia percepiſſe; contrarium autem apertiſſimè docet anonymus, cui hîc adſtipulandum eſt. Videſis Commentarii prævii num.* 140 *& tres ſeqq.*

u *De rationibus, ob quas* Leodegarius *fugæ conſilium inierit, conſule, ſi lubet, Commentarium prævium num.* 145.

x *Ms. noſtrum Divionenſe legit:* Audiens autem rex contriſtatus eſt valdè, & mœrens ac pœnitentiâ ductus, eoquòd talia in ſanctum Virum cogitaret, miſit quemdam ex fidelibus ſuis cum exercitu copioſo poſt ipſum, ut eum ad ſe reduceret ſanum; cúmque abiret ille, & per
B totam noctem illam eum ſecutus fuiſſet, tandem diluculò reperit, & juxta mandatum regis ad ipſum eum reduxit. *Quæ ſanè lectio multùm diſcrepat à lectione, quam alia noſtra Mss. exemplaria, & Mabillonius ſuppeditant; cùm autem id ſæpe alibi etiam contingat, videtur mihi dictum Ms. Divionenſe non parùm eſſe interpolatum, ac proin de aſſignandis lectionibus ejus variantibus minùs deinceps laborabo.*

y *De venia ab Ebroïno per* Leodegarium *petita videſis Commentarii prævii num.* 148.

z *Urſinus hîc Sanctum, uti anonymus Morbacenſis in Prologo conqueritur, Ebroïno æqualem, aut hunc illi facere videtur. Conſule, ſi lubet, Commentarium prævium num.* 149

aa *Occiſus eſt Childericus anno* 673 *ad menſem circiter Septembrem provecto. Hac de re vide Commentarium prævium num.* 119 *&* 120, *uti etiam dicta ad litteram* a *in Annotatis capiti* 2 *Vitæ priori loco jam datæ ſubnexis.*

bb *His verbis innuitur*, Leodegarium, *vitâ jam functo Childerico, in monaſterio Luxovienſi adhuc exſulem exſtitiſſe; at contrarium ex anonymo vetuſtiori colligendum videtur. Adi Commentarium prævium num.* 155 *& ſeq.*

C cc *Mabillonius, cui Ms. noſtrum Trevirenſe S. Maximini & codex Pms.* 159 *ferè conſonant, ita legit:* Cum benedictione quippe patris monaſterii ipſius conglutinati pacis concordiâ, procedentes venerunt ſimul, Ebroïnus ſcilicet cum pontifice Leodegario ad civitatem ſuam Auguſtodunum.

dd *Pugnat hîc Urſinus cum anonymo; aſt anonymo aſſentiendum eſt. Vide Commentarii prævii num.* 163 *&* 164.

ee *Diſſonant hîc in verbis Mabillonius & Mss. noſtra exemplaria; at in re verbis ſignificata conveniunt, Ebroïnum nempe ſe junxiſſe Auſtraſiis, quos aliquando habuerat inimicos, tunc ſcilicet, cùm Childericus ex Auſtria in Neuſtriam arceſſitus adveniens, Auſtraſiorum auxilio ſuffultus Ebroïnum majoratu-domûs dejecerat, atque in exſilium Luxovium relegârat.*

ff *Plura adjuncta Ebroïni in majoratum-domûs reſtitutionem antegreſſa ac comitata ſunt; vix ulla narrat Urſinus; pleraque* § XI *Commentarii prævii expoſui.*

gg *Urſinus media ſequenti ultima hujus numeri* D *parte quoad verbum ferè conſonat cum anonymo in iis, quæ hic media ultima numeri ſui* 27 *parte exponit. Rationem vide num.* 25 *Commentarii prævii.*

hh *Pro Didonis & Waimiri notitia ſufficientia jam dicta ſunt* § XII; *præcipuè verò in Commentario prævio in Annotatis Vitæ priori ſubnexis, quæ propterea ſtudioſus lector, ſi viſum fuerit, conſulat.*

CAPUT II.

Sanctus ab Ebroïnianis captus excæcatur, monaſterioque per biennium ferè incluſus, ad aulam arceſſitur cum fratre ſuo Gerino, hocque occiſo, variis ipſe tormentis afficitur, iterumque poſt biennium E *ferè ad aulam arceſſitus, ac Chrodoberto cuſtodiendus traditus, tandem etiam necatur.*

Leodegarius ab Ebroïnianis capitur, excæcatur, monaſterioque

HÆc enim Vir Dei proſpiciens, zelo magno accenſus pro plebe ſibi commiſſa, Domini ſecutus exemplum, animam ſuam malens ponere pro ovibus ſuis, eoſque * cupiens lucrifacere, quàm ſolam temporalem quærere ſalutem, tunc omnem clerum civitatis aggregari juſſit, & cum reliquiis, crucibus & choris pſallentium obviàm abiit cum Dei laudibus ſuis inimicis *a*, & ſponte ſe obtulit ad palmam martyrii; ſi voluntas non defuiſſet percuſſoris. Qui enim venerant ad eum puniendum, abſque reverentia reliquiarum eum comprehenderunt: qui exclamans, fertur dixiſſe: Gratias ago omnipotenti Deo Redemptori, qui me dignatus eſt hodie glorificare. Qui pergentes, duxerunt eum extra civitatem *b* & implentes juſſa principis Ebroïni eruerunt oculos ejus à capite. Sed, cùm lumen ſuſtulerunt forinſecus humanum, intrinſecus incluſerunt divinum. Et tra-
F dentes eum cuſtodibus *c*, in quodam eum perduxerunt cœnobio *d*, in quo latuit per annos circiter duos *e*; ibique magnum reliquit exemplum ſuæ humilitatis & patientiæ.

a

b

c

d

e

incluſus, poſt biennium ferè ad aulam arceſſitur

14 Eodem tempore ejuſdem germanum, Gairinum nomine, qui ob metum ſupradicti Ebroïni cum aliis, quos fugaverat ex Francorum proceribus, vacabat [aliis] partibus *f*, juſſu regis glorioſi Theoderici, ac principis Ebroïni, decretum eſt ad palatium reverti *. Tunc etenim beatus Leodegarius ex monaſterio, in quo tenebatur abſconditus, egredi & in præſentia regis juſſus eſt accerſiri. Qui, cùm ſimul conjuncti & obtutibus principum fuiſſent oblati, multis contumeliis affecti, & opprobriis ab Ebroïno ſuſceptis, reſpondiſſe conicitur *: Hæc dignè patimur; quia Domino peccavimus: ſed major eſt ſua clementia, qui nos dignatus eſt vocare ad talem gloriam. Sed tu, miſer Ebroïne, qui tantam pœnam ingeris Francorum gen-

f

* *al.* ut reverteretur.

* *lege* conjicitur

ti,

A genti, potiùs in te ulciſceris, qui vitam aliis auferre cupis. Multos equidem decepiſti, & exules à ſolo paterno feciſti: nam magis tu exul eris *; qui & temporalem & futuram gloriam citò perdes: quoniam dum ſuperare cupis omnes habitatores in tota Francia, tuam potiùs aufers, quam indignus accepiſti, gloriam *g*.

* *al.* exſulabis

g

cum fratre ſuo Gerino, quem ad mortem ſtrenuè obeundam

15 Tunc hæc audiens Ebroïnus furore repletus magno, juſſit miniſtris Gairinum abſtrahi & à Germano ſuo ſeparari, ut ſeparatim viderentur puniri, ne ſimul eos delectaret talia verba fari. Cùm autem duceretur, beatus Leodegarius eum alloquitur, dicens: Æquo animo eſto, Frater cariſſime; quoniam oportet nos hæc pati, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, peccata etenim noſtra multa ſunt; ſed miſericordia Omnipotentis ſupereminens magna: qui ad abluenda delicta ſe laudantium ſemper eſt paratus. Hæc ad tempus patimur, quia mortis debitores ſumus. Sed illa nos expectat vita, ſi patienter ſufferimus iſtam pœnam, ubi ſine fine lætabimur in cæleſti gloria *h*.

B

h

hortatur, hocque necato, varia ipſe paſſus ſupplicia

16 Tunc miniſtri ad ſtipitem ligatum Gairinum lapidibus obruere cœperunt; ille verò deprecabatur Dominum, dicens: Domine Jeſu bone, qui non veniſti vocare juſtos, ſed peccatores, ſuſcipe ſpiritum ſervi tui, & qui mihi dignatus es ad ſimilitudinem martyrum lapidibus vitam iſtam mortalem auferre, jubeas clementiſſimè veniam ſcelerum meorum tribuere. Hæc dicens, orando ultimum efflavit ſpiritum. Beatus itaque Leodegarius cupiebat cum Germano vitam finire, ut ſimul mererentur futuram ac beatam participare; ſed Ebroïnus differre volens ejus exitum, ut per pœnas longè dilatas ei præpararet æternas, & ne coronam acciperet martyrii, quin potiùs careret præmiis gloriæ ſempiternæ. Tunc juſſit eum nudis greſſibus per quamdam piſcinam tranſduci, in qua erant petræ, ſicut clavi incidentes acutæ. Deinde evulſo * terræ proſtratoque incidere linguam labiaque præcepit, ut dum oculi ablati, pedes jam forati, lingua ac labia eſſent inciſa, & dum ſibi cerneret omnem felicitatem membrorum ablatam, corporiſque pariter vires undique paruiſſent negatæ, dum nec oculis cerneret viam, nec pedibus incedere * callem, nec * linguæ officio laudare nequiverit * Creatorem, ac [per hoc cederet blaſphemiæ, ſperans auferre ſibi ſalutem, quam laudando cælitus adipiſci meruiſſet ingentem *i*.]

* *al.* deeſt evulſo

C

* *al.* incederet
* *al.* vel
* *al.* quiverit

i

Waningo, à quo Fiſcamnum ducitur, cuſtodiendus traditur,

17 Sed, qui abſque vocibus cordium auditor eſt Deus, magiſque optatur corde contrito, quàm elatione ſuperbo *k*, ſuſcepit vocem tacentis magis, quàm elatè loquentis *; poſtulat ſibi auxilium non vocis, ſed humilitatem cordis. Nam cùm ſe cognoviſſet, præſidium omne amiſiſſe humanum, totis viribus petiit, ſibi adeſſe divinum, nam quantùm impietas humana eum revocare cupiebat * ab alto, tantùm pietas divina ſociare fecit cælo *l*. Tunc * quemdam accerſivit virum, nomine Waningum *m*. Tu accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidiſti tam virum ſuperbum, & conſtitue ſub tuta cuſtodia eum. Erit enim tempus ſuæ vocationis, recipiens *, quod meretur à ſuis inimicis. Tunc acceptum ad ſuum perduxit cœnobium, qui vocatur Fiſcamnus *n*, ubi erat congregatio ſanctimonialium ac virginum, quibus

k

* *al.* loquentium
* *al.* cupit *&* cœpit

l

* *al. addit.* Ebroïnus

m

* *al.* defectionis, ut recipiat

n

præerat Childomarga *o* famula Chriſti, in quo multis diebus *p* converſans, habita ſtetit ſub cuſtodia. Nam & lingua præciſa ſolitum recipit * officium, & magnum doctrinæ ſuæ ſemen oſtendit in populo: quandocumque inter virgines * accederet, tantùm ut fertur, dulcia ſua fulgebant eloquia, ut mirarentur, quicumque audierant *, quanta Dei operabatur clementia, & converſi à pravis operibus, velociter peterent fructus pœnitentiæ. Nam diebus ac noctibus in Dei cultu pervigilans aſtabat, ut vel paululùm ad neceſſaria corporis vix aliquando ab eccleſia procederet, vel quippiam ſomni ac ciborum perceptionem capere * potuiſſet *q*.

A. URSINO

o

p

* *al.* recepit
* *al.* virginum catervam
* *al.* audientes
* *al* refectionem per ipere

q

deindeque ad ſynodum à Theodorico convocatam

18 Eodem tempore vir glorioſus Theodericus & idem Ebroïnus ſynodum *r* convocaverunt, & ad quamdàm villam regiam venientes, multam epiſcoporum turbam adeſſe fecerunt, ibique inter ceteros Didonem, qui ſanctum virum Leodegarium cum Waimero expulit de ſede ſui epiſcopatus: qui condemnatus ab ipſa ſynodo & calvariâ acceptâ *ſ* in capite, expulſus & ſegregatus eſt à ſancta congregatione; deinde exilio condemnatus, morteque ſecuta, pœnâ capitis digeſſit, quidquid doloſè in ſancto Viro exercuit *t*. Alii verò epiſcopi tunc à rege per Ebroïnum in ipſa ſynodo pœnè ſimilem pœnam ſortiti, perpetuo exilio ſunt deportati *. [Waimerus etenim, qui ad ſupradictum Famulum Dei ad explenda Ebroïni dicta ſocius perniciei ejus extiterat, poſtquam ab ipſo Ebroïno, eò quòd in ejus ultione conſenſerat, epiſcopatûs gradu doloſè fuerat ſublimatus, poſt paululum intervallum poſitum in offenſam ejus decidens, Dei, ut opinatur, nutu multis flagellis obſtrictus eſt: nempe, ut fertur, laqueo ſuſpenſus; ac morte turpiſſima, ut decebat Juſti proditorem, condemnatum tranſmiſit ad tartarum *u*.]

r

ſ

E

t

* *al.* deputati

u

arceſſitur, acerbè excipitur,

19 Adhuc enim vir Dei Leodegarius in eodem monaſterio ſanctimonialium, in quo ad cuſtodiendum poſitus fuerat, commorabatur. [Tunc & ipſum ad eamdem ſynodum accerſierunt; non tamen intra concilium *x* confirmatur fuiſſe, ſed ſeorſum rex & Ebroïnus cum eodem conlationem feciſſe dicitur, in qua eis multa prædixiſſe futura & eveniſſe, manifeſtum eſſe conicitur *y*]. Ubi & Ebroïnus in eadem pernicie perſeverans *z*, Multum tibi, inquit, verborum ſublimitas perſuadet loquendo, martyr eſſe ſuſpicaris, ideo te tam temerarium oſtendis. Adhuc multùm, inquit, te dilatas, fruſtra tale deſideras habere præmium: nam ut merueris, ita eris accepturus martyrium *aa*. [Optabat, eum funditus extinguendum, ut, quia à ſeculi gloria jam videbat conſumptum, revocare potuiſſet ſaltem à meritis Sanctorum. Nam unde eum putabat abſcidi, inde potiùs eum faciebat Chriſto, quem deſiderabat, adhærere, quia quantùm propagabatur * ejus pœna, tanto magis ei augebantur præmia *bb*.]

x

* *lege* conjicitur

y

z

F

aa

* *al.* protendebatur

bb

20 Tunc tradidit eum cuidam viro Chrodoberto *cc*: Accipe eum, inquit, ſub magna cuſtodia ſervandum; adhuc veniet tempus mortis ſuæ exitium *. Acceptum eum cùm ad ſuam domum deduceret, cernens eum ex itinere ac infirmitate defeſſum, juſſit ei dari ad refocillandum potum. Antequam pincerna ei aſſiſteret, lumen magnum, quaſi in rotæ circulo è cælo deſcendens, ſuper caput ejus refulſit. Tunc trementes omnes, qui hoc ſignum viderunt, Quid eſt, inquiunt, Domine, quod paret ſuper caput tuum, quaſi in circuli modum lumen ſplendidiſſimum

Chrodoberto, comiti palatii, in cuſtodiam datur,

cc

* *al. deeſt* exitium

A. URSINO

emiſſum de cælo ? Quia nobis numquam ſimile eſt viſum. Ille protinus * in terra adoravit, dicens : Gratias tibi, omnipotens Deus, Conſolator omnium, refero, qui ſuper ſervum tuum oſtendere dignatus es tale miraculum. Tunc videntes omnes, quaſi in exceſſu mentis poſiti ſunt. Tandem quidem reſumpti *, ſimul glorificantes Deum omnipotentem, converſi alter ad alterum dicebant : Verè hic Homo Dei ſervus eſt, & pollicebantur, ſe ad Deum totis virtutibus * tendere. Tunc deinceps ejus prædicationibus pœnè omnes parentes, conjunx ac familiæ domûs ipſius *dd* converſi ſunt ad Dei cultum *ee* : ac per hoc ejus famam audientes per circuitum loci concurrebant ad eum verbum ſalutiferum audire *. Ille verò non ceſſabat ſua prædicatione cunctos inſtruere, qualiter ad regna cælorum valerent pervenire.

* *al.* pronus

* *al.* reſumpto ſpiritu

* *al.* viribus

dd

ee

* *al. addit.* cupientes

21 Sed non poſt multum temporis, cùm jam Deus omnipotens pro tanto patientiæ dono decreviſſet remunerare ſuum fidelem Famulum, Ebroïnus jam obſtinatus, crudelitatem ſuam volens in eum perficere, velociſſimos poſt eum emiſit equites nimiùm pernicioſos *ff*, qui eum morte perimerent. Qui venientes ſuſcœperunt eum de domo viri, cui fuerat traditus ad cuſtodiendum, & ducentes eum per * incognita uſque in quemdam locum, quo ſtetit, inquiens : Non neceſſe habetis, filii, longiùs ire* : ad quod veniſtis, citò facite, ut impleatis votum maligni. Hi verò, qui venerant ad eum perimendum, erant quatuor numero. Tres enim ex his provoluti ſunt ad pedes ejus, deprecantes, ut eis indulgentiam daret, & benedictionem ſuper eos dignaretur tradere. Quartus *gg* verò ſuperbus aſtabat, evaginato gladio paratus ad eum interimendum.

tandemque ſubmiſſis ab Ebroïno quatuor equitibus, ff

B

* *al. addit.* loca

* *al.* fatigari

gg

22 Et poſtquam ſuper eos benedictionem ſuam tradidit, & ſuis interfectoribus verbum Dei annuntiavit ; tunc Vir Dei incumbens orationi, ait : Domine Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem tuam notitiam accepimus, Deus virtutum & omnis creaturæ, ac totius generis humani Creator, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis diem perducere : rogo, deprecorque, Domine, ut ipſe in me jubeas miſericordiam tuæ pietatis largiri, & meritis Sanctorum tuorum me dignum facias & participem & vitæ æternæ conſortem : & tribue indulgentiam his, qui tribulant me : quoniam per eos in conſpectu tuo, credo, clementiſſime Pater, glorificatus fieri. Cùm hæc diceret, percuſſor extendens gladium, amputavit caput ejus, & erectum corpus ejus ſubſtitiſſe quaſi unius horæ ſpatio dicitur. Sed cùm nondum eum gladiator cadere cerneret, ipſum pede percuſſit, ut vel ſic citiùs in terram decideret. Sed non poſt multum percuſſor ejus arreptus à dæmonibus &mente captus à * Dei ultione percuſſus, in ignem ſe projecit, ibique vitam finivit. Tunc juſſu conjugis hujus viri Chrodoberti in quamdam villam, Sarcingo *hh* nomine, cum magno fletu plangentium à miniſtris deportatus eſt, in hujus feminæ decretum * cum veſtibus, in quibus trucidatus fuerat, in parvulo oratorio beatus Martyr eſt ſepultus. Hoc verò quinto die Nonarum Octobrium actum eſſe creditur. In quo ſepulchro annis duobus & dimidio humatus fuiſſe dicitur *ii*.

occiditur, atque, curante Chrodoberti uxore, ſepelitur.

C

* *al.* ac

hh

* *al.* & ... decreto

ii

ANNOTATA.

D

a *Supplicationis à* S. Leodegario, *cùm inimicis ſuis ſe ſponte ſiſteret, cum clero ſuo inſtitutæ non meminit anonymus ; at multa, quæ Urſinus ſilentio ſuppreſſit, ſpontaneam illam Sancti deditionem præceſſiſſe narrat. Vide Commentarii prævii num.* 182, 183 *&* 186.

b *Quî hîc pugnare atque in concordiam adduci queat cum anonymo Urſinus, num.* 187 *& ſeq. Commentarii prævii vide expoſitum.*

c *Fuit Sanctus Waimiro, Campaniæ duci ſeu præfecto datus in cuſtodiam. Adi Commentarium prævium num.* 190.

d *Quodnam illud fuerit cœnobium, in obſcuro eſt ; fortè tamen in Campania Galliæ ſitum fuerit. Adi Commentarium prævium num.* 191.

e *Donec ſcilicet, uti infrà mox narratur, Theodorici & Ebroïni juſſu ad aulam cum fratre ſuo*, Gerino, *arceſſitus fuit.*

f *Hanc vocem uncis incluſam, quæ à codicibus noſtris, & exemplaribus Mss. Divionenſi & Divit-augienſi abeſt, ex Ms. noſtro apographo Trevirenſi S. Maximini deſumpſi ; ejus loco legit Mabillonius* Wacæorum, *notatque in margine*, id eſt, Waſconum, *adeò ut juxta hanc lectionem* S. Gerinus, *dum ad aulam cum fratre ſuo* Leodegario *arceſſeretur, in Waſconia ſeu Vaſconia exſul exſtiterit. Verùm dubium mihi apparet, an Mabillonii lectio, cùm à noſtris omnibus Mss. exemplaribus diſſonet, pro genuina ſit habenda.*

E

g *Ms. noſtrum apographum Divit-augienſe habet :* Nam magis tu exul eris, quia & temporalem gloriam citò perdes, &, dum ſuperare cupis omnes habitatores in tota Francia, tuam potiùs auferes vitam, quia indignus accepiſti gloriam.

h *Totus hic numerus penè ad verbum conſonat cum anonymi numero* 39, *incipiendo nempe à verbis* hæc audiens Hebroïnus *&c uſque ad finem. Rationem vide num* 25 *Commentarii prævii.*

i *Totus iterum hic numerus ad verbum ferè conſonat cum toto numero* 40 *anonymi ; pro his autem, quæ hic uncis vides incluſa, apud Mabillonium legitur :* Per hoc incideret in blaſphemiam deſperans, auferendo ſibi ſalutem, quam laudando cælitus adipiſci meruiſſet ingentem.

F

k *Mabillonius legit :* Magiſque cor contritum quàm elatione ſuperbum complexatur, *quæ lectio præferenda videtur.*

l *Huc uſque verbis tenus ferè congruit etiam hic numerus cum initio num.* 41 *anonymi.*

m *De Waningo videſis Commentarium prævium num.* 204 *& ſeq.*

n *Pro monaſterii Fiſcamnenſis notitia dicta vide eodem num.* 204 *Commentarii prævii.*

o *De Childomarca, ſeu, ut alii legunt, Hildomarca videſis Annotata ad litteram* f *capiti* 3 *Vitæ præcedentis ſubjuncta.*

p Leodegarius *nempe biennio circitèr in monaſterio Fiſcamnenſi ſanctimonialibus ſub diſciplina Childemarcæ conſtitutis convixit, tuncque ad ſynodum à Theodorico & Ebroïno convocatam arceſſitus fuit, paulòque pòſt juſſu Ebroïni necatus. Adi Commentarium prævium num.* 226, 237 *& ſeqq.*

q *Cum num.* 43 *anonymi verbis tenùs iterum congruit magna ex parte hic numerus, incipiendo ab his verbis*, Acceptum ad ſuum *&c.*

r *De hac ſynodo, de tempore, quo celebrata fuit,*

A *fuit, aliiſque adjunctis ad illam ſpectantibus diſputata vide* § XV *Commentarii prævii.*

f *Id eſt*, accepta in capite calvitie ; *decalvando enim caput exauctorabatur epiſcopus. Vide Annotata capiti* 3 *Vitæ prioris ad litt.* cc *&* ff *ſubnexa.*

t *Hæc, quæ ab initio hujus numeri huc uſque habentur, apud Mabillonium ſic redduntur :* Eodem tempore vir glorioſus Theodericus rex & idem Ebroïnus ſynodum convocârunt, & ad quamdam villam regiam venientes, multam epiſcoporum turbam adeſſe fecerunt. Ibique inter ceteros Diddo, qui ſanctum virum Leodegarium cum Waimero expulit de ſede ſui epiſcopatus, & pœne tradidit illectus, condemnatus ab ipſa ſynodo calvariam accepit in capite, & expulſus ſegregatur à ſancta congregatione. Deinde exſilio condemnatus, morteque ſecuta, pœnâ capitis geſſit, quidquid doloſè in ſanctum Virum exercuit. *Quæ lectio, uti conſideranti patebit, ſenſum nonnihil à ſenſu, quem gignit lectio noſtra, diverſum efficit ; utra autem præſtet, nequeo edicere.*

u *Loco eorum, quæ hîc uncis incluſa de Waimiro ſeu Waimero leguntur, apud Mabillonium*
B *duntaxat habetur :* Waimerus etiam ſimilem excepit ſententiam cum ceteris ; *at puto, lectionem noſtram eſſe genuinam, Mabillonianamque, cùm ab omnibus aliis diſſonet, ab interpolatione enatam ; quod autem pertinet ad rem per illam in fine ſignificatam, Waimirum ſcilicet eſſe damnatum, videſis Annotata ad litt.* ee *capiti* 3 *Vitæ per anonymum conſcriptæ ſubjuncta.*

x *De concilio, cui hîc dicitur* Leodegarius *non interfuiſſe, vide num.* 241 *&* 242 *Commentarii prævii.*

y *Hæc uncis incluſa apud Mabillonium omiſſa ſunt ; puto autem, ejus lectionem, cùm omnibus noſtris Mss. exemplaribus repugnet, iterum hîc eſſe corruptam.*

z *Mabillonius legit :* Tunc Ebroïnus dixit ad B. Leodegarium.

aa *Hæc Ebroïni in* Leodegarium *invectio apud Mabillonium breviùs ſic redditur :* Quid tantos perſuades loquendo ? Martyr eſſe ſuſpicaris, ideò te tam temerarium oſtendis. Adhuc multùm ... dilataberis, fruſtra tale deſideras habere præmium. Nam ut merueris, ita eris accepturus
C martyrium. *Verùm hæc lectio iterum tam notabiliter à codicibus noſtris & Mss. apographis differt, ut mihi etiam interpolationis fiat ſuſpecta.*

bb *Hæc uncis incluſa abſunt à Ms. noſtro apographo Divit-augienſi, in quo tamen poſt pauca num. ſequentis verba referuntur.*

cc *Præter ea, quæ de hoc Chrodoberto ab Urſino & anonymo memorantur, alia apud auctores, uti adhuc ſuprà monui, non invenio, quæ illi rear eſſe attribuenda.*

dd *Id eſt, ſervi, coloni, qui Chrodoberto famulatum & obſequium debebant. Vide Cangium in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis ad vocem* familia.

ee *Ms. noſtrum apographum Divit-augienſe legit :* Verè hic Homo Dei Servus eſt. Et deprecabantur eum, ad Dominum pro ſe totis viribus exorare, ac deinceps ejus prædicationibus per omnia parentes, præcipuè familia domus ipſius converſa eſt ad Dei cultum. A. URSINO

ff *Anonymus equitum ab Ebroïno ad* Leodegarium *necandum ſubmiſſorum non meminit. Adi Commentarium prævium num.* 249 *&* ſeq.

gg *Vocatur hîc ab anonymo Morbacenſi* Wardardus, *ſeu, ut alii legunt,* Wadardus ; *quo etiam nomine in Ms. noſtro Divionenſi diſtinguitur ; quare, cùm hoc Ms. hac in re ab omnibus aliis Mss. æquè ac impreſſis Urſini exemplaribus diſcrepet, interpolatione veroſimiliter eſt corruptum, ac proin vel hinc confirmatur prolatum à me jam antè hac de re judicium.*

hh *Villa hæc ab anonymo vocatur* Sarcinium ; *pro notitia villæ hujus, ſeu oratorii, in quo* Leodegarius *à Chrodoberti uxore fuit ſepultus, nondum hactenus, quod maximè in votis erat, comperire fas fuit. Idem eſt de ſilva, in qua* Leodegarius *fuit occiſus. Miſi ad indagandum in Arteſiam litteras ; at reſponſum non tuli. Interim in Vita S. Vindiciani, Atrebatenſis epiſcopi, ad* XI *Martii apud nos typis excuſa num.* 9 *ſcriptum inveni :* Sublatum corpus, *S. Leodegarii ſcilicet*, ſepeliit uxor Chrodeberti in exiguo quodam oratorio, haud procul Hurſinga vico, qui ad diœceſis Atrebatenſis limitem eſt poſitus. *Quo ex textu confirmantur utcumque, quæ in Commentario prævio de ſitu Sarcinii & ſilvæ* S. Leodegarii *dicta diſputata ſunt. Etenim vicus, qui in textu recitato vocatur* Hurſingha, *veroſimiliter ille eſt, qui in tabula Geographica Arteſiæ Blaeviana nuncupatur* Hoiſin, *quique modico intervallo diſſitus notatur à vico, nomine* Sars, *& ab altero vico*, S. Leodegarii *dicto, quorum hic juxta dicta num.* 251 *&* ſeq. *Commentarii prævii* Leodegario *exſtitit martyrii palæſtra ; ille verò, ſpectatâ, quam cum nomine* Sarcinium *habet, affinitate, veroſimiliter is ipſe vicus eſt, qui* S. Leodegario *in ſepulturam ceſſit, quique alio etiam nomine* vicus S. Leodegarii *dicitur. Quapropter, cùm vicus, nomine* Hoiſin, *uti etiam ille, qui nomine* Sars *diſtinguitur, in Arteſia verſus caput fluvii Quantiæ, Gallicè* la Canche, *ſitus ſit, confirmantur utcumque, ut jam monui, ex adducto Vitæ S. Vindiciani textu, quæ de ſitu locorum, in quibus* S. Leodegarius *fuit necatus & ſepultus, num.* 251 *&* ſeq. *Commentarii prævii diſſerui.*

ii *In codice noſtro P. Ms.* 159, *& in omnibus noſtris Mss. apographis legitur :* Hoc verò ſexto die Nonarum Octobrium actum eſſe creditur ; *videtur autem hæc lectio, cui etiam Mabilloniana conſonat, melior eſſe, quàm noſtra, ut* adeò Leodegarius *non* 3, *ſed* 2 *Octobris die martyrio fuerit coronatus. Vide Commentarium prævium num.* 256 *&* ſeq. *Porrò hic Urſini numerus, excepta lectione, de qua mox, ad verbum* ferè *ob rationem numero* 25 *in Commentario prævio datam, ſæpeque hîc memoratam cum num.* 50 *anonymi etiam congruit. Idem fit, quantùm ad omnia, quæ ab anonymo* Leodegarii *mortem ſubſecuta narrantur, ac proin, cùm ea nomine Urſini repetere ſupervacaneum foret, ſtylum hîc figendum duxi.*

AUCTORE C. B.

DE S. THEOPHILO MON. CONF. IN GRÆCIA.

SYLLOGE.

MEDIO CIRCITER SECULO VIII.

Sanctus, qui Menologio Sirletiano, aliisque

Menologium Græcorum, quod eruditissimus Cardinalis Sirletus Latino sermone donavit, publicique juris fecit, S. Theophilum *monachum sequenti elogio ad hunc diem annuntiat:* Eodem die Natalis sancti patris nostri Theophili, qui fuit monachus religiosus, & timens Deum, sub Leone Isaurico, cujus impietatem videns, atque execrabile odium in venerabiles Sanctorum imagines evertendas, ejus hæresim in faciem exprobrans, redarguit, impium, nefarium & Antichristi præcursorem & Christi desertorem appellans, aliaque similia objiciens. Quibus ad iram concitatus primùm verberari eum jussit, & in carcerem conjici, inde postmodùm eductus, sanctas imagines abnegare cogitur. Quod omnino renuens, in exsilium missus, illic vitam præsentem reliquit. *Menologio Sirletiano accedit Basilianum, operâ & studio Cardinalis Annibalis Albani typis Urbinatibus anno 1727 excusum, quod elogio totidem ferè, quamquam nonnihil diversis, verbis concepto* S. Theophilum *ad hunc diem etiam exornat. Idem faciunt magna Græcorum Menæa, hæque etiam hîc, prout passim alibi solet, Maximus Margunius, Cytherorum episcopus, in Menologio vernaculâ Græcorum linguâ à se expresso est secutus. Menæorum elogio versiculi de more præmittuntur. Duo hîc sunt numero, quibus auctor ad nomen* Theophili *alludit, vultque, ut apparet, significare, Sanctum, ut nomine, ita etiam re Dei esse amicum. En illos cum adjuncta versione Latina:*

Ἐναντίον μου σὴ τελόυτὴ τιμία,
Λέγει θεός σοι τῷ φίλῳ θεοφίλῳ.
Pretiosa est in conspectu meo mors tua,
Dicit Deus tibi Theophilo sibi dilecto.

B

2 *Binis jam memoratis, Basiliano scilicet & Sirletiano, Græcorum Menologiis, & Menæis, hæque, ut dixi, secuto Maximo Margunio accedit Synaxarium Ms. Sirmondi, in quo* S. Theophilus *ad 2 Octobris diem elogio pariter ornatur. Prolixiùs hoc est, quàm sint elogia, quibus Sancti nomen in laudatis Menæis, aliisque Fastis sacris afficitur. Docet insuper, sub dissunctione saltem,* Theophili *patriam, aliaque nonnulla adjuncta, quæ frustra alibi inquiras, ac proin operæ pretium fuerit, illud huc integrum, addita interpretatione Latina, transcribere. Sic habet:* Μνήμη τοῦ ἁγίου θεοφίλου τοῦ νεοῦ ὁμολογητοῦ, ὃς ὑπῆρχε τιβεριὸυ πόλεως γέννημα καὶ θρέμμα χριστιανῶν γονέων υἱὸς καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν σπαργάνων ἔχων βιόντε καθαρὸν καὶ ἀνεπύλκπτον. ὅτος μοναχὸς γεγονὼς πολλοῖς ἐγένετο διδασκάλος καὶ ἀλείπτης πρὸς τὴν ευσέβειαν. Περὶ τούτου ἀναμαθὼν ὁ βασιλεὺς λέων ὁ ἴσαυρος ὅτι προσκυνητὴς τῶν θείων εἰκόνων ἐςι. μεταχαλεσάμενος πρὸς ἑαυτὸν καὶ συμβουλευσάμενος δῆθεν ἀποσῆναι τῆς προσκυνήσεως τῶν σεπτῶν εἰκόνων, ὑ μόνον ουκ ἔσχε καταπειθῆ, ἀλλὰ καὶ ἐλέγχοντα αὐτὸν καὶ ὑβρίζοντα ἰσχυρῶς, ἄθεον αὐτὸν ἀποκαλοῦντα καὶ παράνομον καὶ τοῦ ἀντιχρίςου πρόδρομον καὶ ἀρνίτην τῆς τῶν χριστιανῶν πίςεως. ὅθεν εἰς ὀργὴν ἐκινήθεὶς ὁ βασιλεὺς πρώτον μέν τύπτει σφόδρως καὶ εἰς φυλακὴν αὐτὸν ἐμβάλλει καὶ λιμοκτονεῖ ἱκανῶς, ἔπειτα δὲ καὶ οὕτως ὑ πείθων εἰς ἐξορίαν ἐκπέμπει. Διὰ βασιλικῶν δὲ γραμμάτων κακεῖσε συμβυλεύων καὶ ἀπειλῶν καὶ μηδ' ὅλως πείσας, ἀποσείλας καλύβιόν τινα τύνομα τύπτει τοῦτον βυνεύροις. Εἶτα τὴν ὄψιν καὶ τὰς πόδας διαπερνήσας σιδήροις ἐλαύνει καὶ ἀφανήσας αὐτοῦ τὸ σῶμα ἀπερρίπτει. ἐπεὶ δὲ καὶ θανεῖν ἐμέλλεν ὁ μακάριος, ἀφείδη. Χριςοῦ δὲ χάριτος ἀυδις ὑγιασεὶς τὸν ὑπολειπόντε χρόνον θεαρέςως βιώσας καὶ θαυμάτων ἀπείρων γενόμενος αὐτυργὸς τῷ βίῳ ἐνδόξως μεθίσαται.

sacris Græcorum Fastis inscribitur, plenius elogium,

C

3 Commemoratio sancti Theophili, novi confessoris, qui natus atque educatus est Tiberiopoli; Christianorum parentum filius. Ab ipsis incunabulis vitam castam atque irreprehensam duxit. Hic factus monachus multis evasit in magistrum & ducem ad pietatem. Cùm de eo imperator, Leo Isauricus, inaudivisset, quòd sacrarum imaginum cultor esset, vocans illum ad se atque exhortans, ut videlicet venerandarum imaginum cultum desereret, non solùm non habuit eum sibi obsequentem, sed contrà se redarguentem, vehementerque corripientem, impii insuper atque nefarii præcursoris Antichristi, fideique Christianæ desertoris nomine appellantem. Unde ad iram concitatus imperator, primò quidem vehementer ipsum cædit atque in carcerem conjicit, fameque vix non enecat; deinde verò nec sic quidquam efficiens, mittit eum in exsilium; postquam autem imperatoriis litteris ibi etiam Sanctum aggressus est, minasque ei intentavit, nihilque omninò evicit, mittens quemdam nomine Calubium, bubulis illum nervis cædit, deinde faciem & pedes clavis trajiciens, agitat atque protrudit corpus ejus; cùm autem jam propè moriturus esset Sanctus, dimissus est; Christi autem gratiâ sanitati restitutus, reliquumque vitæ secundùm Dei præcepta transigens, infinitorumque miraculorum operator effectus vitam glorioso exitu terminavit.

hîc Latinè redditum, in Synaxario

E

4 *Vides, opinor, erudite lector, nonnulla in hoc Sancti elogio occurrere adjuncta, quæ in elogio Sirletiano suprà recitato, ac proin in huic quantùm ad substantiam congruentibus Basiliano, illoque, quod Menæa & Maximus Margunius suppeditant, desiderantur. Primum hæc inter, ut jam antè monui, locum obtinet Sancti patria, quæ* Tiberiopolis *dicitur fuisse. Verùm duæ apud geographos civitates,* Tiberiopoleos *nomine reperiuntur distinctæ, quarum altera in Asia, altera in Europa sita est. Prioris notitia à Baudrando in Geographia his verbis suggeritur:* Tiberiopolis, urbs Phrygiæ magnæ Ptolomæo & Socrati, episcopalis sub archiepiscopo Hieropolitano, versùs fontes Caystri fluvii, Eumeniæ urbi proxima, à Philadelphia 40. mill. pass. in Septentrionem. *Posterioris verò istis:* Tiberiopolis, urbs Traciæ, in Mœsiæ inferioris confinio, quæ hodie Stromizza dicitur à Sophiano, sed Leunclavius ex Curopalate Bulgarorum civitatem habet, quam hodie Varnam appellari scribit, in ora Ponti Euxini. *Ita Baudrandus; ast utra ex duabus illis civitatibus Sancti nostri patria*

Sirmondi, juxta quod natus est Tiberiopoli, fortitur.

F

A *patria exſtiterit, pro certo nequeo edicere, ut hæc ex laudato Sirmondi Synaxario ſub diſjunctione tantùm, prout jam innui, innoteſcat. Quod verò pertinet ad reliqua adjuncta, quæ ad Sanctum noſtrum pertinent, quæque in aliis Græcorum Faſtis ſilentio præterita in ſolo mox iterum laudato Sirmondi Synaxario memorantur, de iis mox pauca proferam, cùm ceteros Faſtos ſacros recenſuero, quibus Sancti noſtri nomen pariter reperitur inſcriptum. A Græcis tranſeo ad Latinos.*

In Martyrologio Romano, aliiſque

5 *Galeſinius in Martyrologio à ſe concinnato* S. Theophilum *ad hunc diem ſequenti elogio, quod ex Sirletiano ſuprà recitato aut Baſiliano ferè depromptum videtur, annuntiat:* In Græcia, ſancti Theophili monachi & confeſſoris. Hic divinæ pietatis ardore accenſus, cùm Sanctorum imagines ab Leone Iſauro imperatore impiè violari cerneret, ad eum venit: palámque & liberè illius facinus deteſtatus, virgis primò diu cæditur; tum in tenebricoſum carcerem detruſus, inediâ pœnè conficitur. Inde verò pòſt eductus, ſacrarum imaginum cultum cùm tueri conſtanti pietate pergeret, in exilium pellitur: ubi multas perpeſſus moleſtias, de omnibuſque

B gratias Deo agens, tandem ſanctè quievit in Domino. *Eminentiſſimus Cardinalis Baronius* S. Theophili *nomen in Martyrologium Romanum notationibus à ſe illuſtratum pariter intulit; at longiorem Menologii Sirletiani annuntiationem in hanc breviorem contraxit:* Conſtantinopoli ſancti Theophili monachi, qui pro defenſione ſanctarum imaginum à Leone Iſaurico ſæviſſimè cæſus, & in exilium pulſus, migravit ad Dominum.

ſacris Latinorum Faſtis etiam annuntiatur;

6 *Baronio & Galeſinio accedunt Arnoldus Wionus in Ligno vitæ, huncque ſecutus Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino, qui ambo* S. Theophilum *ad ſecundum Octobris diem Sanctis Benedictinis etiam accenſent, hocque eum elogio exornant:* Conſtantinopoli, S. Theophili monachi, qui cùm Leonem Iſauricum adverſus ſacras imagines edicta promulgantem coràm argueret, juſſus eſt ſæviſſimè cædi, & diu in carcere detineri; demum in exilium pulſus, multis ærumnis ac laboribus confectus migravit ad Dominum. *Recitatum elogium ex Sirletiano veroſimiliter aut Baſiliano etiam duo laudati Benedictini hagiologi, aut certè prior eorum Wionus, qui Bucelino præluxit, in ſacros Faſtos à ſe concinnatos tranſtulêre; quamquam autem non conſtet, Sanctum noſtrum S. Benedicti regulam eſſe profeſſum, ac proin dubium ſit, an Benedictinis Sanctis merito accenſeatur, Wionus tamen rationem reddit, cur eum Ordinis ſui Sanctis annumeret. De* Theophilo *enim in Annotatis ad Sanctos Benedictinos, qui 2 Octobris coluntur, Ligni vitæ tom. 2 lib. 3 inſertis ſic ſcribit:* Vixit ſub Leone Iſaurico imperatore circa annos Dom. DCCXX; & cùm multò ante illa tempora Regula S. P. N. Benedicti illis in partibus obſervari ſit ſolita, potuit fortè & iſte ſub ejus magiſterio militâſſe. *Qua ex ratione conſequens eſt, ut Wiono ipſimet dubium ſit, an* S. Theophilus *Ordinis Benedictini exſtiterit.*

at in nonnullis minùs rectè Conſtantinopoli;

7 *Porrò laudati Wionus & Bucelinus* S. Theophili *memoriam Conſtantinopoli conſignant, hacque in re ipſis facem prætulit Martyrologium Romanum, in quo non alia veroſimiliter de cauſa id ſit, quàm quòd Sanctus in celeberrima urbe illa, quondam imperii Orientalis metropoli, cultu eccleſiaſtico gaudeat, aut certè olim fuerit gaviſus. Equidem dubitandum non arbitror, quin* Theophilo *cultus eccleſiaſticus, honoreſque Sanctis proprii Conſtantinopoli olim fuerint delati; veritati enim id conſonare, argumento eſſe poteſt, quòd Sanctus Synaxario Sirmondi, quod ad uſum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fuiſſe notatur, cum elogio num. 2 & 3 Græcè & Latinè recitato inſcribatur; verùm mihi etiam perſuaſum habeo, Sanctum noſtrum non ſolùm Conſtantinopoli, ſed aliis inſuper eccleſiæ Græcæ locis cultu Sanctis deferri ſolito honoratum olim fuiſſe, atque hodiedum etiam forſan honorari. Certè non video, qua ratione probari queat, Sanctum non alibi, quàm Conſtantinopoli, cultu eccleſiaſtico gaudere, aut olim fuiſſe gaviſum, ac proin mihi præplacet Galeſinii annuntiatio, juxta quam Sancti memoria non ad Conſtantinopolim, aliamve civitatem particularem, ſed ad Græciam in genere refertur; quod, cùm Conſtantinopolis ad eccleſiam Græcam ſpectet, etiam rectè fit, etiamſi* Theophilus *non alibi, quàm Conſtantinopoli, cultum eccleſiaſticum habere, habuiſſeve ſtatuatur. Accedit primò quidem, quòd in Menologiis Baſiliano & Sirletiano, Menæis aliiſque ſacris Græcorum Faſtis ſuprà memoratis Sanctus non annuntietur cum civitatis, regioniſve, in qua ejus memoria ſolemnis habeatur, nomine appoſito, ut neſciam, quare in Martyrologio Romano Conſtantinopoli conſignetur; deinde verò, quòd Menæa, quibus Sancti nomen inſcribitur, elogioque ornatur, non ad ſolius eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſed & ad aliarum Græcanicarum eccleſiarum uſum fuerint, ut adeò Sanctus, qui illis inſcribitur, non in ſola eccleſia Conſtantinopolitana, ſed & in aliis Græcanicis eccleſiis cultu Sanctis proprio fuerit affectus, ac proin ut veneranda ejus memoria rectiùs generatim in Græcia, quàm in ſola civitate Conſtantinopolitana annuntietur.*

quid Sanctus in exſilio paſſus,

8 *Venio nunc ad ea, quæ de* Theophilo *in Synaxario Sirmondi relata, inque reliquis ſacris Græcorum Faſtis ſilentio ſunt ſuppreſſa. Præcipua ſunt, quæ* Theophilum, *cùm in exſilium ob ſacrarum imaginum cultum jam pulſus eſſet, imperatoris juſſu paſſum eſſe, id perhibet. Sunt autem hæc: Leo Iſaurus non contentus, Sanctum pepuliſſe in exſilium, omnem movet lapidem, ut eum à ſacrarum imaginum cultu abducat. Hunc in finem ad ipſum in exſilium jam pulſum ſcribit epiſtolam. Hâc ſanctum Exſulem plurimùm hortatur, miniſque etiam urget, ut ſacrarum imaginum cultum deſerat. Imperatoris voluntati obtemperare is renuit. Mittit ille, qui* Theophilum *ſæviſſimis etiam tormentis ſubjiciat. Ex his Sanctus dirè vulneratus, feréque jam traditurus ſpiritum, dimittitur: ſanitati Chriſti gratiâ reſtituitur, tandemque poſt vitam ſanctè actam, infinitaque patrata miracula glorioſam mortem obit. Omnia hæc, ut jam innui, in ceteris Græcorum Faſtis ſunt omiſſa. Ait quidem Menologium Baſilianum,* Theophilum *in exſilio multas ærumnas atque moleſtias eſſe perpeſſum; at, quæ, qualeſve illæ fuerint, cujus juſſu & à quo ſint Sancto illatæ, non edicit, quod tamen Sirmondianum elogium ſuprà Latinè & Græcè recitatum, uti illud inſpicienti patebit, ſatis accuratè facit. Verùm, inquies, an ærumnæ, aliaque omnia adjuncta, quæ in Synaxario Sirmondi* S. Theophili *exſilium comitata eſſe perhibentur, veritati exactè conſonant? Reſpondeo, id quidem me pro certo affirmare non poſſe; nihil tamen etiam occurrere, quo illa falſitatis invictè convincam, aut etiam fundatè reddam ſuſpecta.*

9 *Verùm aliud occurrit adjunctum, quod, licèt tale ſit, ut eo Sancti noſtri elogium tam in*

AUCTORE C. B.

Menais, aliisque Fastis Græcis, quàm in Synaxario Sirmondi vestiatur, falsitatis tamen suspectum non nemini fortè apparebit. Etenim juxta illud S. Theophilus *seu sponte, seu, ut Synaxarium Sirmondi innuit, arcessitus, ad Leonem Isaurum imperatorem accessit, eumque impium & nefarium vocavit, aliisque probrosis titulis, majestatis imperatoriæ iram minimè veritus affecit; hoc autem parùm credibile, falsitatisque suspectum non nemini idcirco forsan videbitur, quod in* Theophilum *post hoc factum non ipsomet supremo mortis supplicio fuerit sævitum. Sanè mirum videri potest, imperatorem ignominiosis adeò appellationibus lacessitum atque ad iram provocatum immanissimis etiam tormentis* Theophilum *non necâsse. Ast mihi utcumque circa id admirationem adimit eruditissimus Cardinalis Baronius, dum in Annalibus suis ecclesiasticis ad annum Christi 731, prolato Sirletiano Sancti nostri elogio, de Leone Isauro imperatore num. 2. ita pronuntiat:* Hæc impius, sed non pro concepta rabie in Catholicos agens, invidens illis coronam martyrii, sciens eosdem colendos fore in Ecclesia martyres, &
B eorum reliquias venerationi quoque exponendas, quas impius perdere laboraret. *Necem itaque Sancto nostro, ne glorioſum ei martyris nomen apud Catholicos compararet, Leo Isaurus, utut ad iram provocatus, noluit inferre, licèt interim ad* Theophilum *crudelissimis quibuscumque suppliciis torquendum foret propensus, verosimileque vel ex eo proinde fiat, Sanctum exsilio jam mulctatum, iis fuisse jussu imperatoris affectum tormentis, quæ, ut num. præcedenti diximus, sæpe jam laudatum Sirmondi Synaxarium commemorat, ceterique tamen sacri Græcorum Fasti silentio involvunt.*

cur ab imperatore non interfectus,

10 *Atque hæc sunt, quæ de* S. Theophilo *comperire potui. Superest, ut de tempore, quo ob sacrarum imaginum defensionem in exsilium pulsus est, quoque vitam hanc mortalem & miseram cum immortali & beata commutavit, nunc pauca commemorem. Leo Isaurus imperii Romani habenas, ut Pagius in Criticis ad annum 716 & 717 luculenter probat, XXV Martii anno 717 capessivit; labente autem decimo imperii sui anno sacris imaginibus bellum indixit. Zonaras id in* D
Leone Isauro à num. 1 ad 5 tradit. Idem etiam constat ex Vita S. Stephani Junioris monachi & martyris, à Stephano Constantinopolitana ecclesiæ diacono conscripta, atque à Jacobo Loppino monacho Benedictino tom. 1 Analectorum Græcorum inserta. Verba hæc facientia hæc sunt: Post decimum imperii sui annum, *inchoatum scilicet,* novus ille Baltassar (*Leo Isaurus*) Manichæam hæresim, & Æphthartodocitarum, ut ita loquar, fortè haud dissimilem in Ecclesiam spiravit. Itaque subjecta sibi plebe convocata, coram omnibus leoninum rugiens inhumana hæc bellua, & Leonis nominis insignis, ex iracundo corde, velut ex Ætna monte ignem & sulphur, miserandam illam vocem eructavit & protulit: Quandoquidem imaginum fabricatio ars est idolica, illas adorare non oportet. *Decimo ergo, ut asserui, imperii sui anno bellum sacris imaginibus, earumque cultoribus Leo Isaurus indixit, ac proin, cùm anno 717, uti jam docui, imperium capessiverit, bellum illud seu persecutionem auspicatus non est ante annum Christi 726, unde consequens est,* S. Theophilum, *cùm in eum non priùs, quàm mota in sacrarum imaginum cultores persecutione sævitum ab imperatore fuerit, ante annum illum in exsilium non fuisse abactum. Ast, inquies, quo ergò determinato anno in exsilium pulsus fuit? Respondeo, nihil omninò succurrere, quo annum, quo id accidit, certò determinem, solúmque ex jam dictis & ex anno 741, quo Leo Isaurus, uti Pagius in Criticis ad eumdem annum rursus luculenter ostendit, è vivis excesſit, indubitatum fieri, Sancti nostri exsilium inter annum Christi 726 & 741 esse locandum. Porrò facilè nunc, quantum opinor, eruditus lector colliget, cur Sanctum nostrum ad medium circiter seculum octavum, additâ dubitandi particulâ fortè, hic in margine consignem, quia scilicet, cùm inter annum 726 & 741, prout jam docui, in exsilium pulsus fuerit, faciléque viginti circiter annorum spatio exsul in vivis potuerit esse superstes, paulò fortè citiùs, vel etiam paulò fortè seriùs, quàm anno 750 vitam simul & exsilium felici exitu terminavit.* E

quando circiter relegatus, acdeinde sit defunctus.

C

DE S. BEREGISO ABBATE

F

ANDAINI IN SYLVA ARDUENNENSI.

C.B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti memoria in Fastis Sacris, cultus ecclesiasticus, acta edenda.

SECULO VIII NONNIHIL PROVECTO.

Sanctus qui à Molano Andaini,

Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii S. Beregisum *abbatem ad hunc diem Andaïni annuntiat, sequentique elogio celebrat:* Andaïno monasterio natalis beati Beregisi abbatis. Hic ex Conduſtro pago Austrasiorum oriundus, Hasbanii intra monasterium S. Trudonis litteris est eruditus. Cúmque postea sacerdotii honore sublimatus in comitatu Pipini Junioris, filii Ansegisi, charus esset omnibus & acceptus, solitariam tamen vitam cogitabat attentiùs. Cujus piis votis hoc modo divinitati annuere libuit. Contigit, Plectrudem ejusdem principis conjugem ob circumquaque posita sui juris prædia transitum habuisse per saltum Arduennensem. Cúmque fessi viatores in amæno prato resedissent, mulier evigilans chartulam decidentem respicit, sumit, marito defert. Sancto Beregiso legenda traditur, qui per ordinem pandit, quæ in ea continebantur; scilicet locum illum, in quo inventa est, à Deo electum & aliquando à devota plebe inhabitandum, multasque inde animas fidelium dirigendas in cœlum. Mirati, cùm diu multúmque hæsi-

A hæsitarent, cui hoc negotium committerent, Beregisus ultrò se offerens, locum suscipit, stirpat, monasterium constituit, & multos suo exemplo ad bene vivendum ibidem colligit. Tandem post Deo acceptos labores, sexto Nonas Octobris in pace quievit, sepultus in eodem monasterio à discipulis. *Ita Molanus, qui etiam Sanctum Martyrologio Usuardino à se edito cum hac brevi annuntiatione inscribit:* In Daino monasterio Natalis sancti Beregisi abbatis.

cujus hîc datur notitia, aliisque

2 *Andainum seu Andaginum, pro quo in Molani ultimò hîc data annuntiatione corruptè* Dainum *exprimitur, Belgii est oppidulum, celeberrimo S. Huberti monasterio insigne, in sylva Arduennensi ad amnem seu fontem Andaginam, seu Andainam, à quo locus Andainum seu Andaginum primò appellatus fuit. Ad monasterium illud pro remedio S. Huberti intercessione impetrando accedunt, qui rabiem ex canis rabidi morsu reformidant.* Quatuor, *inquit Baudrandus in Geographia*, leucis distat à Bastonia in Occasum, & totidem à Rupe-forti in Ortum hybernum, XIV verò à Leodio in Meridiem. *His pro notitia loci, cujus in decursu sæpiùs facienda est mentio, præmissis, pergo nunc ad alios hagiologos, qui*

B S. Beregisum *Fastis sacris à se concinnatis inseruêre. Grevenus in Usuardo suo* S. Beregisum, *nullo loci, in quo ejus memoria recolatur, nomine apposito, hodie in hunc modum breviter annuntiat:* Beregisi confessoris; *ponit autem hic martyrologus hanc annuntiationem post signum, quod additionibus Usuardino textui superadditis præmittere consuevit, ac proin* S. Beregisum *à genuino Usuardi Martyrologio secludit. Idem etiam in Usuardo illustrato faciunt Sollerius noster & Molanus numero præcedenti laudatus; ille quidem dum Sancto in solis Usuardi Auctariis locum tribuit; hic verò dum adductam suprà breviorem suam annuntiationem iis characteribus exprimit, quibus Sanctorum annuntiationes, quæ ad genuinum Usuardi textum non spectant, solet exprimere.*

hagiologis hodie annuntiatur,

3 *Porrò duobus jam memoratis martyrologis, Molano scilicet & Greveno accedunt Castellanus & Ferrarius, quorum hic in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt; ille verò in Martyrologio suo universali* S. Beregisum *abbatem ad hunc diem pariter consignant. Miræus quoque in Fastis Belgicis & Burgundicis à se adornatis, Saussayus in Martyrologio Gallicano & Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis* S. Beregisi *memoriam prolixioribus elogiis, quæ pòst vel integra recitari poterunt, vel usui saltem erunt, hodiè concelebrant. Miræo, Saussayo & Fiseno se etiam adjungunt Ordinis Benedictini hagiologi, Dorgainus, Wionus, Menardus & Bucelinus. Dorgainus, Menardus & Wionus simplici ferè annuntiatione sine elogio utuntur. Bucelinus magnificum sancto texit elogium. En illud:* Andaino cœnobio, natalis sancti Beregisi abbatis admirandæ sanctitatis viri. Hic monachum in monasterio S. Trudonis professus egregio & splendidissimo sanctitatis

C fulgore omnium oculos perstrinxit, & Pipinum in primis atque Plectrudem duces in sui admirationem vertit, quibus juvantibus, monasterium celeberrimum Andainense construxit, eidemque præfectus sanctissimæ vitæ exemplis illud felicissimè fundans ac nobilitans, plurimos illic milites Christo conscripsit & aggregavit. *Ita Bucelinus, citans Joannem Molanum, diversosque in genere, nullius nomine in medium adducto, Rerum Belgicarum scriptores. Idcirco autem* Beregisum *Menologio suo inscribit, quod cum Dorgaino, Wiono & Menardo existimet, eum S. Benedicti regulam, monachumque esse professum; ast an id veritati certò consonet, infrà discutiam; utut interim res sit, Constantinus Ghinius in sanctorum Canonicorum Natalibus* Beregisum *sanctis canonicis accenset, prolixoque eum encomio celebrat, quod ad verbum ferè cum elogio, quod ex Molano num.* 1 *recitavimus, ubique consonat, ac proin, ne jam dicta repetendo tempus inutiliter teramus, recitandum hic non est. Fastis sacris jam laudatis, quibus Sancti nomen ad* 2 *Octobris inscribitur, insuper accedit Martyrologium pro canonicis Regularibus Romano novissimæ correctionis Martyrologio à Benedicto XIV, Pontifice maximo, assutum, in quò* Beregisus *non ad* 2, *sed ad* III *Octobris diem sequenti elogio celebratur:* Andaini in saltu Arduennensi sancti Beregisi, qui monasterium clericorum regularium ibidem fundavit, ac in abbatem electus, vitæ regularis sedulus vindex sexto Nonas Octobris evolavit in cælum. Romæ *&c.*

AUCTORE C. B.

cultu ecclesiastico gavisum,

4 *Atque ita quidem à Fastis sacris, quibus Sancti memoria inseritur, ad cultum ejus ecclesiasticum probandum nunc accedo. Miræus in Fastis Belgicis & Burgundicis ad* 2 *Octobris sic scribit:* Colitur (S. Beregisus *nempe*) Sarchinii ad S. Trudonem, & Andaini ad S. Hubertum. *Miræo assentitur in Natalibus Sanctorum Belgii Molanus plùs semel jam laudatus. Idem facit Andreas Saussayus in Martyrologio suo Gallicano; in hoc enim ad* 2 *Octobris sequens, idque, ut jam monui, prolixius* Beregisi *subministrat elogium:* Andaini in Arduenna & Sarchinii ad S. Trudonem in Hasbania, depositio sancti Boregiri * abbatis & confessoris. Qui nobili stirpe (*consule Acta edenda num.* 6) progenitus, sæculum alta mente cum fucis & deliciis quibusque aspernatus, se à puero Christi servituti, in qua sola regnatur, subdidit. In monasterio sancti Trudonis sanctæ religionis tyrocinium executus: studiis deinde & actibus pietatis florens, sacerdotio insignitus est. Hinc ob famam sancti nominis ascitus à Pipino Heristallio majore domûs regiæ, eam apud ipsum & Plectrudem illius conjugem gratiam iniit, ut ob spectatæ religionis dotes, quicquid suadebat, efficeret, quicquid poscebat, impetraret. Solitudinis igitur cupidus ab ipsa Plectrude locum in media sylva Arduenna, qui Andaïnum dicebatur, dono accepit, & in eo monasterium à fundamentis (cui postea sancti Huberti illuc translati nomen inditum est) excitavit: ubi multis suo exemplo ad piè vivendum collectis, copiosaque parta messe justitiæ, felici consumptus senio, vitam cum morte commutavit: imò à morte ad vitam, Christo vocante, profectus est, sanctitatisque & gloriæ patentia (quæ æternæ veneration ejus memoriam jam pridem consecrârunt) testimonia reliquit. *Ita Saussayus; cùm autem elogii hujus initio Sanctum Andaini & Sarchinii annuntiet, idque haud dubiè non alia de causa faciat, quàm quòd existimet, utroque in loco festivam ejus memoriam ad* 2 *Octobris diem quotannis celebrari, Miræo & Molano id disertè affirmantibus indubiè assentitur.*

**in margine notatur* Beregisi

non quidem Trudonopoli, sed verosimiliter Andaini,

5 *At, an rectè? Quod ad cultum Sancti Sarchiniensem pertinet, fortè* Beregisus *Sarchinii seu Trudonopoli cultu aliquo ecclesiastico olim fuerit gavisus, ideóque eum ibi coli, laudari Miræus & Molanus affirmârint. Utut sit, nullum prorsus* Beregiso *cultum ecclesiasticum Trudonopoli hodie deferri, cogor asserere. Etenim cùm in collectaneis nostris Mss.*

E

F

AUCTORE C. B.

Mss. notatum inveniſſem, nullum de S. Beregiſo *Trudonopoli fieri Officium, idque anno* 1661 *Henſchenio noſtro à loci Religioſo fuiſſe indicatum, indagandum duxi, an ſaltem Sancti in Officio eccleſiaſtico non fieret commemoratio, & an nullus planè ei cultus Sanctis proprius Trudonopoli deferretur; verùm ipſi Religioſi monaſterii Trudonopolitani incolæ, apud quos rem examinandam P. Martinus Raepſaet, Societatis noſtræ ſacerdos, rogatu meo ſuſceperat, ſignificandum mihi curârunt, non ſolùm* S. Beregiſo *nullum omnino hodiedum in monaſterio ſuo cultum eccleſiaſticum deferri, ſed nec cultus umquam ei delati exſtare veſtigium, ut adeò pro certo haberi debeat, Sanctum Trudonopoli veneratione Sanctis exhiberi ſolita hodiedum non gaudere. At, an Sanctus pariter hâc Andaïni ſeu in monaſterio S. Huberti non gaudet? Reſpondeo, id me hactenus non habere compertum; in eam tamen propendere ſententiam, quâ exiſtimo,* S. Beregiſum *ibi vel Officio eccleſiaſtico vel alio ſaltem cultûs genere Sanctis proprio ad* 2 *Octobris diem honorari; ſuſpicor autem id tum ex eo, quòd Andaïni Sancti corpus quieſcat, tum ex eo, quòd mirum foret, hunc honorem à religioſis viris non deferri primo monaſterii ſui conditori, qui plurimis, ut jam vidimus, Faſtis ſacris, velut Sanctus, inſcribitur, quique alibi loco non uno, uti mox docebo, Officii etiam eccleſiaſtici recitatione olim ad* 2, *nunc ad* III *Octobris diem honoratur. Utut ſit, dubium minimè eſt, quin* Beregiſus *ſaltem ſeculo* X *Sanctorum honoribus Andaïni ſeu in monaſterio S. Huberti fuerit gaviſus. Etenim in Actis ejus edendis à loci hujus monacho, uti illico docebo, anno* 937 *conſcriptis num.* 19 *legitur:* Corpus illius (*Beregiſi*) in ipſa æde (*Andainenſi*) terræ mandatum, & condignâ reverentiâ cultum, miraculorum oſtenſione eſt glorificatum; memoriæ quoque ejus exinde honorificentia impenditur, cujus depoſitio colitur ſexto Nonas menſis Octobris. *Quibus ex verbis manifeſtum fit, Sanctum ſcriptoris hujus ætate, id eſt, ſeculo* X, *quo is ſcripſit, cultu Sanctis proprio Andaïni fuiſſe gaviſum.*

indubiéque apud canonicos regulares, nunc ad III, *olim ad* 2 *Octobris.*

C

6 *Et verò Sanctus honorem hunc ſortitus eſt non ſolùm, ut jam monui, apud monachos Andainenſes ſeu S. Huberti, ſed etiam apud regulares S. Auguſtini canonicos, qui* Beregiſum, *ut videbimus, Ordinis ſui Sanctis aſcenſent. Etenim in canonicorum Regularium Martyrologio num.* 3 *laudato* ea dumtaxat, *uti Benedictus XIV in prævio ad illud monito affirmat*, inſcribuntur nomina Sanctorum, de quorum cultûs approbatione, atque Officii conceſſione, à ſacræ rituum Congregationis, ſummorumque Pontificum decretis planè plenéque conſtat; *eidem autem Martyrologio annuntiationem* S. Beregiſi *num.* 3 *datam laudatus Benedictus XIV inſcribit abſque aſteriſco aliove ſigno, quo modo, uti ipſemet etiam præfatur, eorum ſolet efferre annuntiationes Sanctorum, qui Officio eccleſiaſtico ab omnibus canonicis S. Auguſtini, exceptis Præmonſtratenſibus, uno eodemque die celebrantur, ut adeò juxta Benedictum XIV* S. Beregiſus *Officio eccleſiaſtico ſacræ rituum Congregationis ſummorumque Pontificum approbatione atque conceſſione ab omnibus Regularibus S. Auguſtini canonicis hodiedum celebretur, idque non ad* 2, *ſed ad* III *Octobris diem, cùm ad diem hunc non alia haud dubiè de cauſa Martyrologio pro canonicis Regularibus concinnato, à laudato Benedicto XIV inſcribatur. Fuit tamen, cùm Sanctus ab aliquibus ſaltem canonicorum Regularium S. Auguſtini Congregationibus non ad* III, *ſed ad* 2 *Octobris diem Officii eccleſiaſtici recitatione celebraretur. Etenim ad manum* D *habeo* Officia propria Sanctorum ex ſpeciali, *ut titulus præfert*, ſanctiſſimi domini ... Pii Papæ V. conceſſione à canonicis Regularibus Lateranenſibus recitanda; *hæc autem, quæ cum notis Pennotti anno* 1634 *Venetiis, &* 1635 *Montibus Hannoniæ excuſa, alibi deinde pluries recuſa ſunt, ſibi præfixum habent Kalendarium, in quo feſtiva* Beregiſi *memoria ad* 2 *Octobris Officio ritus duplicis celebranda præſcribitur. Idem fit in Kalendario, quod præfixum habent tum Officia propria Sanctorum à canonicis Regularibus S. Auguſtini congregationis S. Crucis Conimbricenſis recitanda, tum etiam Officia propria celebrari, ut in titulo dicitur, ſolita à canonicis Regularibus S. Auguſtini congregationis Windeſemenſis, quæ centum viginti ferè, ut Miræus in Originibus canonicorum Regularium pag.* 35 *teſtatur, monaſteria olim per Germaniam Inferiorem ac Superiorem complectebatur.*

Duæ Lectiones Sancto propriæ, quas variæ

7 *Propria illa tam Conimbricenſium quàm Windeſemenſium canonicorum Officia etiam ad manum habeo, & priora quidem anno* 1648 *Conimbricæ, poſteriora verò anno* 1672 *Bruxellis ſunt excuſa. Porrò in ambobus, uti etiam in mox memoratis propriis canonicorum Lateranenſium Officiis ad ſecundum, non ad tertium Octobris diem Officium de* S. Beregiſo *recitandum proponitur. Porrò habet in hoc Sanctus duas Lectiones ſibi proprias, quæ in omnibus tribus memoratis Officiis propriis eadem ferè ſunt. Lubet illas huc tranſcribere. Prima hæc eſt:* Beregiſus primus abbas & fundator celebris monaſterii Andaïni in ſaltu Arduennenſi, vir fuit magnæ ſanctitatis atque virtutis. Hic ex Conduſtro pago Auſtraſiorum, qui Lotharingi nunc dicuntur, matre Berilla genitus, in monaſterio ſancti Trudonis ſub habitu canonico fuit regulariter inſtitutus, & ſacris literis eruditus. Ubi proficiens ætate & ſapientiâ ſacerdos eſt ordinatus. Sed à Pipino, Anſegiſi filio, principe Brabantiæ, ob eximiam ejus vitæ ſanctitatem inde abſtractus, illi nec non Plectrudi, ejus conjugi, à ſacris confeſſionibus miniſtravit: in tanto honore ac veneratione ab eis habitus, ut ipſum Pipinum, quòd ſemel in Miſſa crinarium minimè depoſuerat, non ante peractam pœnitentiam, & præmiſſam ſatisfactionem ad oſculum pacis vellet admittere.

E

F

horum congregationes in Officio ſuo tunc habebant;

8 *Secunda verò iſta:* Verùm cùm aulæ inquietudinem pertæſus ad monaſterii quietem inhiaret, contigit, ut ipſa Plectrudis per ſaltum Arduennenſem iter agens, dum in amæno quodam prato reſediſſet, videret chartulam è cælo dilabi, quam ſumens marito detulit: ille verò S. Beregiſo legendam tradidit. In ea ſcriptum erat, eſſe illum locum à Deo electum, ut ibi monaſterium in honorem Principis Apoſtolorum ædificaretur. Quare, tam ipſorum principum & aliorum procerum, quàm B. Huberti, Leodienſis epiſcopi, cui angelus etiam chartulam aureis literis eadem continentem attulerat, conſilio Beregiſi in eodem loco, à vicino fonte Andaino nuncupato, inſignem baſilicam cum monaſterio extruxit: quam B. Petri Apoſtoli nomini dedicavit; & in ea conventum clericorum regulariter viventium congregavit. Quibus ab eodem Huberto epiſcopo in abbatem præfectus, & aſſociatus, cùm multos annos divinis laudibus indeſinenter vacans, monaſterium bonis ſpiritualibus & temporalibus locuples reddidiſſet, poſt longam & religioſiſſimam vitam, de laboribus hujus ſæculi ad æternam requiem migravit, ſexto

Ka-

A Kalendas Octobris, anno ſexcenteſimo octogeſimo nono.

ab his lectiones congregationis Gallicanæ uno hic

9 *Ambæ hæ Lectiones, in quarum ultima, uti infrà oſtendam, annus Sancti emortualis perperam ſignatur, partim deprompta ſunt ex Actis Sancti edendis. At nonnulla inſuper continent, quæ ex iis certò deſumpta non ſunt, quæque an veritati certò conſonent, ferri poterit ex porrò dicendis judicium. Videntur interim canonici Regulares congregationis Gallicanæ calculo ſuo approbare noluiſſe, quæcumque in Lectionibus jam memoratis de* S. Beregiſo, *rebuſque ejus occaſione adſtructis inſinuantur. Illi enim in ſuo recentiori Sanctorum Proprio, quod capituli generalis, anno* 1757 *celebrati, juſſu ediderunt,* S. Beregiſum *ad tertium Octobris diem, quo juxta dicta id hodiedum omnes faciunt Regulares S. Auguſtini canonici, Officio eccleſiaſtico celebrant. In hoc autem orationè propria, quod in Officiis ſuprà memoratis non fit, duabuſque etiam Lectionibus propriis, quæ cum Actis edendis ad amuſſim ferè congruunt, quæque à duabus lectionibus jam recitatis non parùm diſſonant, Sancti memoria ſolemnis habetur. Oratio ſic habet:* Deus, quo vocante,
B beatus Beregiſus, quæ retrò erant, oblitus eſt; fac nos, ipſo intercedente, ad deſtinatum perſequi bravium ſupernæ vocationis in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui tecum *&c.*

tenore recitatæ diſſonant, congruuntque ferè cum Actis

10 *Lectiones verò, quas hîc uno tenore ſubjungo, ita concipiuntur:* Beregiſus ex Conduſtro Auſtraſiorum pago oriundus, in monaſterio clericorum, quod ſanctus Trudo presbyter inſtituerat, Deo oblatus, & ſub religionis habitu educatus eſt. Cùm ſapientiâ ſimul & ætate profeciſſet, ſacerdos ordinatus eſt; & à Pippino regii palatii majore ad aulam vocatus, huic & conjugi ejus Plectrudi monita ſalutis dedit, probatæ virtutis auctoritate roborata. Verùm aulæ pertæſus, ad ſolitudinem iterum confugit, ejuſdemque Pippini liberalitate ſuffultus, apud Andagium in Ardennenſi ſaltu eccleſiam ſub invocatione Apoſtolorum Principis ædificavit cum monaſterio clericorum, quibus ſub canonico ordine Deo militantibus ipſe ſe adjunxit ac præfuit. Cùm Andaginenſe monaſterium ſpiritualibus temporalibuſque bonis locupletâſſet Beregiſus, poſt vitam annis meritiſque plenam migravit ad Dominum ſexto Nonas Octobris circa medium, ut videtur, ſeculi octavi. In illius autem monaſterio canonicus ordo perſeveravit uſque ad tempora Ludovici Pii; quo regnante, Vulcan-
C dus, Leodienſis epiſcopus, monachos illuc introduxit, anno ſcilicet Chriſti octingenteſimo decimo ſeptimo. Nec multò pòſt Andaginenſe monaſterium ſancti Huberti Tungrenſis ſive Leodienſis epiſcopi ſacras reliquias & nomen accepit.

edendis, quæ à monacho Andaginenſi anonymo anno 937

11 *Hæc duabus hiſce Lectionibus uno tenore jam recitatis contenta cum Actis Sancti edendis ferè, ut jam monui, ubique conſonant. Actorum illorum auctor eſt monachus Andaginenſis ſeu Andainenſis anonymus. Ita ſcilicet tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 16 *arbitratus eſt Mabillonius, & rectè quidem, ut apparet. Colligi enim id poſſe videtur ex verbis, quæ auctor in Prologo à ſe Actis præmiſſo, conqueſtus priùs, quòd ſcriptorum ignaviâ res à* Beregiſo *geſtæ in tenebris uſque ad ætatem ſuam latuerint, mox profert. Iis enim monachos, ut apparet, Andaginenſes* fratres ſuos *appellat, &* S. Beregiſum patronum. *En illa:* Non enim adeò parva fuerunt, quæ de hujus venerabilis Viri

(*Beregiſi*) geſtis memoriæ digna ſcriptis com- AUCTORE
mendari potuerunt, cùm nomini ejus ab illo C. B.
tempore celebriter habito memoriæ reverentia impendatur, factorumque ſeu loci hujus (*Andaini*) inſignia magni eum fuiſſe meriti proteſtentur. Itaque, deſiderantibus fratribus noſtris, ea, quæ de ipſo hactenus referuntur, & orantibus atque jubentibus à noſtra parvitate impleri, opus ſuſcepimus injunctum, ſi Dominus meritis illius conceſſerit, perficiendum; quod non temerariè, ut reor, agitur, cùm & in hoc illis ſine aliis devotis viris paruerim, & debitè Patroni Acta, quæ jam jamque memoriæ diffugienda comperi, ſcriptis, etſi inertibus, retinenda digeſſerim. *Ad hæc ſæpiſſimè hic auctor loquitur de monaſterio Andaginenſi, iis adhibitis demonſtrandi formulis, quibus uti ſolemus, dum de loco, in quo degimus ſeu præſentes adſumus, ſermonen facimus, ut adeò monaſterii Andainenſis veroſimiliter fuerit. Porrò lucubrationem ſuam concinnavit anno Chriſti* 937, *ac proin, cùm Sanctus medio circiter ſeculo* VIII, *uti infrà docturus ſum, è vivis exceſſerit, conſequens eſt, ut ducentis circiter annis poſt* Beregiſum *floruerit, ac proin ut ea, quæ ſcribit, vel ex antiquioribus monumentis, vel traditione acceperit. Hoc ipſemet auctor, uti etiam tempus, quo Sancti Acta litteris conſignavit, in Prologo docet; primum quidem his verbis:* Quæ autem conſcribenda aggredior, à quibus didicerim, quoniam multi ſunt ſuperſtites, plurimi verò jam defuncti, præſertim, cùm ſubveniat in mente, in ipſis rudimentis pueritiæ quædam eorum agnoviſſe, cùm de iis ſermocinantibus ſenioribus monachis Otberto, Wlberto & Beregrinno cum genitore vel ſibi invicem, interfuerim, nominatim exprimere, non neceſſe videtur. Solùm dixiſſe ſufficiat, quòd ea tantùm conſcribuntur, quæ omnium pœnè majorum circa locum converſantium, antiquorum relatione tradita teſtimonio ita fuiſſe, adhuc probatur.

ex ſola ferè traditione conſcripta titulum præfixerunt,

12 *Ita hactenus hic auctor, innuens, ex traditione ſe ſcire, quæ litteris commendat. Addit deinde, nonnullis interjectis, chartam à ſe in archivo fuiſſe repertam,* S. Beregiſo *datam à quodam illius temporis comite, nomine Grimberto, quaſdam vineas apud Treviros eidem largiente anno quinto Theodorici regis, hocque unicum eſt, quod circa* Beregiſum *non ex traditione, ſed ex antiquiori monumento docet. Quod nunc pertinet ad tempus, quo ſancti Acta ſcripta ſunt, quodque ab ipſomet auctore in Prologo etiam doceri aſſerui, fit hoc ab illo, dum, quot anni ab obitu Pipini uſque ad*
F *tempus, quo ſcribit, effluxerint, indicat his verbis*: Hinc advertere poſſumus, quot tempora fluxerint à prima conditione loci hujus, (*monaſterii Andainenſis*) qui, ſuperno reſpectu diſponente, ab hoc religioſo Sacerdote (*Beregiſo*) primùm inhabitari & inſtaurari cœpit. Hinc denique, ſecundo anno Ottone, filio Henrici, Saxonum regnum agente, qui eſt ab Incarnatione Domini nongenteſimus triceſimus ſeptimus, conſtat à Pipini obitu, cujus ævo, ſucciſo nemore, ſpatium metitur ad manendum, CCXXIII annorum elapſa curricula. *Ceterùm hæc Sancti Acta, quæ edituri ſumus, tranſumpta notantur ex Ms. Rubeæ vallis ex ſecunda parte Hagiologii Brabantinorum, huncque ſibi habent præfixum titulum:* Vita ſanctiſſimi Beregiſi abbatis domeſtici Pipini ducis Brabantiæ ſecundi hujus nominis. *Puto ob dicenda hunc titulum non ab ipſo Actorum* S. Beregiſi *auctore, ſed ab alio poſterioris*

AUCTORE C. B.

ævi ſcriptore eſſe profectum; verùm à quocumque ſcriptore Actis Sancti noſtri ſit præfixus, perperàm ſanè in eo Pipinus, de quo ibidem & in Actis ſermo eſt, Brabantiæ dux hujus nominis ſecundus nuncupatur. Etenim, uti ex dicendis ampliùs patebit, Pipinus, de quo hîc ſermo fit, eſt Pipinus Heriſtallius, hîcque haud dubiè vocatur dux Brabantiæ hujus nominis ſecundus ratione Pipini Landenſis, avi ſui; verùm de Pipino Landenſi in Actis noſtris ad XXI *Januarii egimus, vocavimuſque in dubium, an hic eum terrarum tractum, qui tantùm aliquot pòſt ſeculis ducatus Brabantiæ nominari cœpit, ducis nomine præcipuè adminiſtrârit, an verò in eo comitatum tantùm unum, alterumve aut etiam plures jure proprio poſſederit.*

In quo Pipinus dux Brabantiæ hujus nominis II perperam vocatur.

13 *Ad hæc Valeſius tom.* 3 *Rerum Francicarum pag.* 36 *&* 37 *contendit, Pipinum Landenſem, ejuſque poſteros nec fuiſſe, nec vocari debere Brabantiæ duces. En ejus verba:* Unum modò probare non poſſum, Pippinum noſtrum (*Landenſem*) ab his ſcriptoribus Auſtraſiæ Inferioris aut (ſicuti etiam loquuntur) Lotharingiæ & Brabantiæ primum ducem fuiſſe dici, eumdemque ab eiſdem titulum Grimoaldo & Anſigiſilo ejus filio, generoque, Pipino quoque Juniori, & Carolo tribui. Habuit quidem in pago Hasbanienſi atque Bracbanto Auſtriæ inferioris regionibus multas poſſeſſiones, villaſque Pippinus, inprimis Landinum vel Landam, à qua cognomen invenit, & domum ampliſſimam in opido Niviala, quæ poſtea in baſilicam monaſteriumque ab Itta & Gertrude mutata eſt. Sed non ideo dux Auſtriæ Inferioris, Brabantiæve aut appellandus, aut fuiſſe putandus eſt, cùm nulli ætate Pippini Senioris, diuque poſtea ducatus apud Francos hereditarii fuerint, & circa annum milleſimum centeſimum ſextum Bracbantum, quod vulgò majori ex parte Brabantiam vocant, ſuos demum duces habere cœperit. Pippinus quidem, ejuſque filius Grimoaldus, cùm Francorum Auſtraſiorum duces ſive præfecti palatii fuerint, Bracbantenſium quoque, qui regno Auſtriæ continebantur, vel Auſtriæ Inferioris duces neceſſariò fuerunt, atque ita (quamquam impropriè admodum) appellari poſſunt. Siquidem, qui regnum aliquod procurat, & adminiſtrat, partes quoque ejus ſingulas, ac univerſas adminiſtret, neceſſe eſt. Pippinus autem Junior, qui cognominatus eſt Craſſus, Pippini Senioris ex Begga filia nepos, & Carolus, ejuſdem pronepos, regis Pippini pater, ducum & principum Francorum titulo contenti ambo, non Auſtriæ modò, cujus pars Bracbantum & Hasbania erant, verùm etiam Neuſtriæ & Burgundiæ ac Aquitaniæ, hoc eſt, toti Francorum regno imperitaverunt; ita ut, qui duces Bracbanti eos appellet, non minùs ridiculus ſit, quàm ſi quis Chriſtianiſſimo regi unum ac ſolum ducis Burbonenſium titulum adſcriberet. *Ita hactenus Valeſius, cujus quamquam hîc aſſerta omnia non æquè approbem, videtur tamen mihi ob jam dicta Pipinus in titulo Actis Sancti noſtri edendis in Ms. Rubeæ Vallis præfixo perperàm vocari* dux Brabantiæ hujus nominis ſecundus. *Ceterùm ſunt etiam in ipſis Actis edendis quædam dubia, quædam obſcura, quædam etiam minùs probanda aut erronea. De his ego omnibus vel in hoc Commentario prævio, vel certè in Annotatis Acta edenda de more ſecuturis, dilucidatione, confutationeve, ubi opus eſt, addita, tractabo.*

§ II. Quo circitèr tempore Sanctus natus ſit, locus ejus natalis, parentes, educatio in monaſterio S. Trudonis, promotio ad ſacerdotium.

Sanctus in ditione Leodienſi ex parentibus

BEregiſus, *inquit biographus noſter num.* 6, ex Conduſtro pago Auſtraſiorum ex vico, qui vocatur Spangius, ortus fuit, parentibus non quidem, quantum ad ſeculum, ingenuis, ſed tamen ſecundùm natales locupletibus ac religioſis; patris nomine à memoria avulſo, matrem ferunt Berillam vocitatam fuiſſe. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad elogium* S. Beregiſi *à ſe datum, atque à nobis num.* 1 *integrum recitatum, inter alia obſervat, vitioſum videri poſſe, quòd Sanctus ex* Conduſtro pago *oriundus dicatur.* Condruſi enim, *inquit*, Cæſari ſunt de gente ac numero Germanorum, inter Eburones ac Treviros, nunc verò Leodiis annumerantur, eorumque primariæ urbes ſunt Cinacum, Dionantum & Huyum. *Foret ergò juxta Molanum in textu biographi noſtri mox recitato pro* Conduſtro *fortè legendum* Condruſo, *cui lectioni etiam favet chronographus Trudonenſis, dum verbis infrà recitandis Sanctum ex pago Condroſio ortum ſcribit.* Verùm, *uti rectè mox ſubdit laudatus Molanus*, Conduſtrium legitur etiam, *libro* 5 *ſcilicet, ut notat in margine, de Geſtis Francorum cap.* 25, in diviſione regni Lotharii, & nomina per ætatum ſucceſſionem facilè aliquam mutationem ſortiuntur, ut hîc nihil temerè mutandum ſit. *Ita planè res habet, ac proin, cùm Sanctus, ut in textu ex Actis ejus jam recitato legitur, oriundus ſit ex pago Conduſtro, qui idem eſt cum pago, cujus incolæ à Cæſare* Condruſi *nominantur, quique, ut Molanus ait, Leodiis hodie annumeratur, conſequens eſt, ut Sanctus in hodierna ditione Leodienſi natus ſit. Neque putandum eſt, nobis hîc adverſari Lectionem primam ex Officiis propriis canonicorum Regularium num.* 7 *recitatam; quamquam enim in hac dicatur Sanctus genitus* ex Conduſtro pago Auſtraſiorum, qui Lotharingi nunc dicuntur, *indicio id tantùm eſt, Lectionem illam non citiùs concinnatam fuiſſe, quàm ſub ſecunda regum Francorum ſtirpe, ſub qua Auſtraſia regnum, quod Leodienſem ditionem etiam complectebatur, à Lothario Auſtraſiorum rege*, Lotharii regnum, Lotharingiaque *primò dictum fuit, ac proin prædicta Lectio ex Officiis propriis canonicorum Lateranenſium num.* 7 *recitata non officit, quò minùs* S. Bereſus *in ditione Leodienſi natus credatur.*

locupletibus, qui eum Sarchinii educandum dederunt,

15 *A loco, qui Sancto natalis fuit, jam utcumque determinato ad ejus deſignandos parentes progredior. Miræus in Faſtis Belgicis pag.* 568 *Sanctum nobili genere natum affirmat. Miræo aſſentitur Sauſſayus in elogio* Beregiſi, *num.* 4 *ex Martyrologio ejus Gallicano in medium adducto. At pro certo nequeo edicere, unde hi auctores generis nobilitatem, quam Sancto noſtro attribuunt, didicerint. Sanè* Beregiſus *in textu ex Actis edendis numero præcedenti recitato, in quo de ejus genere agitur, dicitur* non quidem... ingenuis, *ſed tantùm* ſecundum natales locupletibus ac re-

A religiosis *parentibus prognatus; puto autem Acta edenda, in quibus id asseritur, potiorem fidem mereri, quàm Miræum & Saussayum, quibus etiam Lectiones ex Officiis canonicorum Regularium propriis de* S. Beregiso *suprà recitatæ, uti illas inspicienti patebit, neutiquam favent. Etenim in Lectionibus Proprii Sanctorum ad usum canonicorum Regularium congregationis Gallicanæ nulla prorsus generis, ex quo Sanctus oriundus sit, fit mentio; in Lectionibus verò, quæ in proprio Sanctorum sive congregationis Windesemensis, sive canonicorum Lateranensium aut Conimbricensium leguntur, Sanctus tantùm matre Berilla, nulla omnino patris aut generis mentione facta, genitus pronuntiatur, ut adeò nihil suppetat, ex quo* S. Beregiso *generis nobilitatem adscribas. Suspicor nihilominus, Miræum & Saussayum Sancto nostro idcirco generis nobilitatem adscribere, quòd, cùm in Vita S. Trudonis legissent, multos nobiliorum hominum filios seculi hujus prospera despicientes, comamque suam deponentes, soli Domino in S. Trudonis monasterio, ut primùm à Trudone erat exstructum, serviisse, putârint proinde ex horum numero fuisse* Beregisum, *quem ex variis scriptoribus intelligebant in*

B *dicto S. Trudonis monasterio fuisse educatum.*

natus est medio seculo VII elapso

16 *Verùm in laudata S. Trudonis Vita nusquam dicuntur soli nobiliorum hominum filii, spreto mundo, soli Domino servituri comam suam deposuisse, ut adeò hinc pro nobilitate generis* S. Beregiso *attribuenda nihil certi possit confici, maneatque inconcussum id, quod circa Sancti genus Acta edenda docent. At quæri hîc jam potest, quo anno, quove circitèr tempore Sanctus noster natus sit. Licèt nihil omnino suppetat, quo ejus nativitas anno determinato affigatur, videtur tamen hæc anno circitèr* 60 *seculi* VII, *aut paulò citiùs contigisse. Rem sic ostendo. Fisenus num.* 3 *laudatus, in Floribus ecclesiæ Leodiensis ad* 2 *Octobris in* S. Beregisi *elogio præ aliis, quæ in hoc memorat, hæc habet:* Numquam diu latere potest inhonora virtus. Clarissima emicuit in Beregiso, etiam extra monasterii septa, & in sui amorem pellexit Pipinum seniorem, qui rerum inter Francos potiebatur præfectus prætorio, sive (ut loquebantur) major domûs. Id fortasse tum factum est, cùm, inclarescente post mortem multis prodigiis Trudone, ad ejus sepulcrum

C venerabundus cum conjuge Pipinus adiit sub annum à Christo sexcentesimum nonagesimum primum. *Verisimile sanè mihi apparet,* S. Beregisum *Pipini, qui hîc* Senior *ratione Pipini, nepotis sui, primi è stirpe Carolovingica regis, contráque à nostro biographo aliisque scriptoribus* Junior *ratione Pipini Landensis, avi sui, nominatur, amorem sibi tunc primùm conciliâsse, cùm is miraculorum S. Trudonis famâ excitus, ad hujus venerabundus sepulcrum accessit. Opinioni huic adstipulatur Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum; in his enim ad annum* 696, *num.* 6 *ex cap.* 22 *Vitæ S. Trudonis per Donatum diaconum conscriptæ, quam Sæculo secundo Benedictino Mabillonius inseruit, recitat hæc verba:* Pipinus inclitissimus major-domûs, filius Ansigisi, cùm crebrescentem famam de sancti Trudonis virtutibus audîsset, ut erat religiosissimus princeps, ad tumulum ipsius, orationis causâ venit. Qui statim, ut erat prudentissimus, divinæ ibidem virtutis præsentiam adesse cognoscens, illicò devotissimo mentis affectu tradidit ad tumulum ipsius, quicquid habere visus est in villa, quæ cognominatur Ochinsala, & in altera villa, quæ dicitur Ham. Inclitissima quoque

conjunx ipsius Plectrudis pro æternæ vitæ commercio altare in honore sancti Petri argento & auro fabricare præcepit. AUCTORE C. B.

17 *Subdit deinde:* In monasterio Sarchinensi tunc degebat Beregisus presbyter, quem Pippinus & Plectrudis secum abduxerunt, & familiarissimè per multos annos in suo retinuerunt comitatu, donec ei locum, ubi cœnobium erigeret, in Arduenna sylva tradiderunt. *Ita sat rectè Cointius; attamen quod ait,* Beregisum *tunc, cùm Pipinus & Plectrudis ad S. Trudonis tumulum venerabundi accesserunt, ab his è monasterio suo abductum fuisse, minùs fortè non nemini verisimile videbitur, quàm Sanctum tunc tantùm illis principibus morum suorum suavitate, vitaque sanctitate charum fieri incepisse, quod verba è Fiseno suprà recitata tantummodò exigunt. Ad hæc memoratum Pipini ejusque conjugis Plectrudis ad S. Trudonis tumulum accessum sub annum* 696 *accidisse affirmat; videtur autem mihi hîc potiùs assentiendum Fiseno mox laudato, qui dictam Pipini & Plectrudis erga S. Trudonis sepulcrum venerationem sub annum, ut suprà vidimus, sexcentesimum nonagesimum primum collocat. Etenim S. Trudo, uti cum Fiseno & Miræo in Diplomatibus Belgicis, ipsemet Cointius sat rectè, ut apparet, existimat, anno* 689 *è vivis excessit; Donatus autem in præfata ad num. præcedentem S. Trudonis Vita, narrato Sancti hujus obitu, miraculoque ad ejusdem invocationem patrato, mox verbis num. præcedenti recitatis Pipinum & Plectrudem ad Trudonis sepulcrum accessisse, memorat, ut adeò, cùm hinc appareat, id non diu post S. Trudonis obitum contigisse, potior mihi videatur Fiseni opinio, juxta quam inter S. Trudonis obitum, & inter Pipini ad ejus tumulum accessum biennium dumtaxat aut paulò amplius intercessit. Opinioni huic etiam favet Mabillonius: licèt enim hic auctor tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 615 *& seq. S. Trudonis obitum usque ad annum* 698 *differat, eodem tamen anno* 698 *Pipinum ad Sancti tumulum accessisse affirmat, ut adeò juxta illum Pipini ad tumulum S. Trudonis accessus non diu post hujus obitum acciderit, ac proin, ut adstipuletur Fiseni, non Cointii opinioni, juxta quam octo annorum spatium post obitum S. Trudonis elapsum fuerit, antequam Pipinus ad ejus sepulcrum accessit.*

uti ex tempore, quo sacerdotio, antequam Pipino

E

F

18 *Porrò antequam Pipino, ejusque uxori Plectrudi carus esse incepit* S. Beregisus, *jam hic ad sacerdotium fuerat promotus. Liquet id ex Sancti nostri biographo. Etenim ubi num.* 6 *narravit* Beregisi *ad sacerdotium promotionem, tunc tandem num. insequenti refert, Sanctum Pipino factum esse carum, plurimúmque apud eum auctoritate & gratiâ valuisse.* Denique, *inquit num.* 7, tunc temporis, *cùm scilicet, uti antè luculenter innuit, ad sacerdotium jam promotus esset* Beregisus, Pipinus Junior, filius Ansigisi, ducatum in Austria sub rege Theodorico potiebatur, qui omnes regni primores potentiâ bellorum & ingenio præcesserat. Qui princeps, probitatis illius sive prudentiæ non ignarus, sibi eum reverentiâ patris excolendo asciverat, utpote tam præcipuum sacerdotem, cujus doctrinæ instituendum se cum conjuge ac prole subdiderat, quoniam castis eloquiis vitæ vel morum indissolubilis conversatio testimonium reddebat. *Quibus ex verbis sanè, si nempe cum iis, quæ num.* 6 *præcedunt, conferantur, perspicuum fit,* Beregisum *jam ad sacerdotium fuisse promotum,*

carus fieret, initiatus jam existit, quóque

AUCTORE C. B.

cùm Pipino carus esse incepit, ac proin, cùm Sanctus, ut suprà docui, tunc primùm verosimiliter sibi Pipini amorem conciliârit, dum hic ad S. Trudonis tumulum accessit, hocque, ut docuimus, anno 691 probabiliter contigerit, consequens est, ut Beregisus *jam anno 691 aut etiam citiùs sacerdotii fuerit dignitate insignitus. Imò cùm verba ex biographo nostro mox recitata innuant,* Beregisum *jam sacerdotem fuisse, cùm Pipinus sub Theodorico rege, qui rex, ut nunc communior fert opinio, Pagiusque in Criticis ad annum 688 num. 3 & 4 eruditè probat, anno 691 vitâ functus est, majoratu-domûs in sola Austria potiebatur; Pipinus autem post victum anno 687 in pugna Textriciana Theodoricum non in sola Austria, sed in tribus Francorum regnis, Neustria scilicet, Burgundia & Austria majoratum-domûs gesserit, consequens est, ut* Beregisus *vel certè jam anno 691, vel etiam fortè jam anno 687 sacerdotali dignitate fuerit donatus.*

à parentibus in monasterio S. Trudonis

19 *Est ergò, uti omnia jam dicta huc facientia consideranti fieri debet perspicuum,* S. Beregisus *ad sacerdotalem dignitatem non seriùs, quàm anno 691 promotus. Jam verò, cùm viginti quinque annorum ætatem ad sacerdotii susceptionem canones requirant, consequens est, ut* Beregisus
B *non seriùs, quàm anno circitèr 665 aut 666 mundo natus sit. Etenim ab anno 691 usque ad annum 665 aut 666 descendens, annos inter utrumque hunc extremum medios invenies 25 aut ad summum 26. Ast, inquies, licèt Sanctus non seriùs, quàm anno 665 aut 666, natus sit, nihil tamen officit, quò minùs citiùs natus esse credatur. Respondeo, Sanctum quidem citiùs fortè natum esse; attamen haud multò verisimiliter citiùs, quàm anno circitèr 660. Rem sic probo. Sanctus, ut ejus biographus secundùm jam antè dicta num. 6 docet,* intra monasterium S. Trudonis parentum traditione sub religionis habitu fuit educatus. *Sancti biographo consonat, quod præ oculis habeo, Chronicon Trudonense Ms., in quo cap. 16 hæc lego:* Beregisus ex pago Condrosio ortus & à parentibus intra monasterium S. Trudonis, sub habitu religionis, litterarum studiis & lege divina imbuendus traditus, largiente Pipino principe eidem lata prædia, monasterium Andaïnense in honore S. Petri construxit, in quo clericis Ordine canonico militantibus, ipse pater in eodem habitu est sociatus, quod modò S.
C Huberti in Arduenna nuncupatur, ubi Waso, Leodiensis episcopus, delato eòdem à Trajecto corpore dicti S. Huberti, pro canonicis monachos instituit. *Porrò idem Chronicon Trudonense Ms. de Trudonensi monasterio sic scribit:* Anno Domini DCLVII sanctus Trudo cœnobium, quod propriis expensis in sua hæreditate fundaverat, & ad inhabitandum aptatum decenter in altum produxerat, dedicari fecit à sancto Theodardo Trajectensi episcopo, in honore SS. Quintini & Remigii, III Idus Octobris.

educandus datus est, hìc colligitur.

20 *Ostendit autem Pagius in Criticis ad annum Christi 660 num.* XI *dicti Chronici auctorem hìc hallucinari, Trudonensemque ecclesiam non citiùs, quàm anno 664, fuisse dedicatam seu consecratam, ut adeò citiùs quàm circa eumdem illum annum monasterium Trudonense recipiendis intra sinum suum sub sancti sui Conditoris disciplin rn nobilium aliorumve pueris accommodatum fuisse non videatur, ac proin, ut ante illud tempus* S. Beregisus intra monasterium S. Trudonis parentum traditione, *ut loquitur noster biographus,* sub religionis habitu *educatus non fuerit. Quapropter cùm parentes octo priori-*
bus Ecclesiæ seculis (vide Thomassinum de veteri & nova Ecclesiæ disciplina tom. 1 lib. 3 cap. 56) D *pueros suos, etiam ante pubertatis annos, imò etiam subinde, cùm nondum septimum ætatis annum attigissent, Deo in monasteriis offerre, religiosisque eorum incolis educandos tradere solerent, verosimillimum fit,* S. Beregisum *adhuc minorennem à parentibus suis educandum traditum fuisse monasterio Trudonensi, ac proin, cùm hoc, ut jam vidimus, ante annum 664 educandis pueris minorennibus aptum fuisse non videatur, consequens est, ut Sanctus vel anno eodem 664 vel nonnihil seriùs eò litterarum studiis imbuendus parentum jussu advenerit, ac proin, ut anno circitèr 660, sexve fortè ad summum aut quinque annis citiùs natus fuerit. Habemus itaque jam, quo circitèr tempore* S. Beregisus *natus, uti etiam quo circitèr sacerdotali dignitate fuerit insignitus. Aliud nunc indagandum est; fueritne scilicet Sanctus monachum in monasterio Trudonensi professus.*

§ III An Sanctus monachum in monasterio Trudonensi fuerit professus. E

Menardus Beregisum ex eo facit monachum, quòd Sarchinii

Menardus ad secundum Octobris diem, lib. 1 Observationum ad Martyrologium Benedictinum sic scribit: Sanctus Beregisus fuit primus abbas monasterii Andainensis, aliàs S. Huberti in Arduenna sylva: in quo non monachos, sed canonicos regendos habuit, ut scribunt auctor anonymus translationis corporis S. Huberti, & Chronographus Trudonensis (*ejus verba dedimus num.* 18) apud Miræum in Chronico Benedictino. Ex quo aliquis suspicari posset, hunc sanctum Beregisum non fuisse monachum, sed canonicum, quippe qui canonicis præfuerit, non monachis. Verùm dubium non est, quin Sanctus iste fuerit monachus, isque Benedictinus. Siquidem à parentibus sancto Trudoni regularibus disciplinis imbuendus traditus fuit, qui fuit monachus, non canonicus, ut ejus Acta testantur apud Surium, & familiariter usus est sancto Remaclo, qui monachus fuit juxta institutum sancti Columbani, ad quod Regulæ Benedictinæ observantiam adjunxit, prout mos erat illorum temporum. Notgerus enim in ejus Vita ait, S. Remaclum Regulæ S. Benedicti fuisse obnoxium. Nec valet hìc conjectura Molani, qui suspicatur, primos S. Trudonis sodales fuisse canonicos. *Ita laudatus Menardus,* S. Beregisum *monachum fuisse contendens, argumentique jam producti, quo id probare nititur, vim omnem in eo collocans, quòd* S. Beregisus *in monasterio Sarchinienſi seu Trudonopolitano vixerit sub disciplina S. Trudonis, quem is scriptor monachum fuisse, monachosque in monasterio Sarchinienſi, non canonicos, primò instituisse contendit.* F

vixerit sub disciplina S. Trudonis, quem monachum fuisse

22 *Et verò si S. Trudo monachum fuit professus, sique Trudonopoli primò monachos, non canonicos, instituit, dubitandum non videtur, quin monachus exstiterit* S. Beregisus, *cùm* sub religionis habitu, *ut biographus noster loquitur,* parentum traditione intra monasterium S. Trudonis educatus *fuerit. Etenim, ut Thomassinus tom. 1 lib. 3 de veteri & nova Ecclesiæ disciplina docet, per priora octo æræ Christianæ secula, ac proin seculo* VII *&* VIII, *quo utroque Sanctus noster floruit, pueri impuberes sub religionis habitu sive propria sive*

A *ſive parentum voluntate in monaſteriis educati, habitum illum deponere, atque ad ſeculum regredi grandiores facti non poterant, cogebanturque haud dubiè monaſteriorum, in quibus educati erant, religioſam vivendi normam perpetuò profiteri, ut adeò* S. Beregiſus, *ſub habitu religionis in monaſterio Trudonenſi educatus, monachus indubiè exſtiterit, ſi S. Trudo ipſe monachum fuit profeſſus, monachoſque primò, non canonicos, Sarchinii ſeu Trudonopoli inſtituit. At mihi admodum dubium apparet, tum an S. Trudo monachum fuerit profeſſus, tum etiam an Sarchinii ſeu Trudonopoli monachos, non canonicos, primò inſtituerit. Provocat quidem laudatus Menardus verbis num. præcedenti recitatis ad Acta S. Trudonis apud Surium exſtantia, vocatque etiam in ſubſidium familiaritatem, ſeu amicitiam, quam S. Trudo coluit cum S. Remaclo, qui, uti ait,* monachus fuit juxta inſtitutum ſancti Columbani, ad quod Regulæ Benedictinæ obſervantiam adjunxit.

contendit; aſt id, ut putat, ex Actis S. Trudonis B

23 *Verùm, inquit Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 725, *num.* 45, extat apud Surium Vita S. Trudonis in duos libros digeſta à Theodorico, quorum prior octodecim capita, poſterior unum ac viginti complectitur. In toto illo Opere nullum de Trudonis monachatu verbum. *Exponit deinde hic auctor, quid in ſingulis Vitæ S. Trudonis capitibus Theodoricus doceat, cúmque expoſuit, quid hic lib.* 2 *cap.* 3 *tradat, ſubjungit:* Huc uſque altum de Trudonis monachatu ſilentium. *At ſimul mox addit:* Capite ſexto deſcribitur ejus (*Trudonis*) obitus, *à Theodorico ſcilicet his verbis:* Aſſidebant contiuè lectulo venerabiles ſacerdotes cum religioſiſſimo monachorum cætu, hoc uno mœſtas lacrymas alternatim conſolantes, quòd magiſtrum non amitterent, ſed magis ad Deum præmitterent. *Hunc autem Theodorici textum ita excipit laudatus Cointius:* Unus hîc tantùm textus occurrit, unde quis inferat, Trudonem monachis apud Sarchinium præfuiſſe. Sed, etſi Trudo monachos in cœnobio Sarchinienſi rexerit, non inde ſequitur, eum monachis accenſendum. *Ita Cointius, cujus ſanè ultimum aſſertum perſpicuum ſit ex iis, quæ hoc tomo in Commentario prævio ad Vitam S. Leodegarii à num.* 52 *uſque ad finem* § IV *jam diſputavimus. Ibi enim oſtendimus, conſequens non eſſe, S. Leodegarium certò monachum exſtitiſſe, licèt monaſterio S. Maxentii abbas præfuerit, monachoſque proinde rexerit. At, inquies, colligi ſaltem poſſe videtur ex Theodorici textu proximè recitato, non ſolùm clericos, ſed & monachos, cùm S. Trudo moreretur, in monaſterio Sarchinienſi fuiſſe, ac proin Sanctum illum monachis etiam præfuiſſe.*

C

à Surio Vulgatis non evincitur,

24 *Reſpondeo: Sit ita. Nihil hinc poteſt erui ad infirmanda ea, quæ à nobis hactenus aſſerta ſunt. Primò enim, cùm S. Trudo juxta dictum Theodorici textum ſub diſciplina ſua habuerit non ſolùm monachos, ſed etiam clericos ſeu ſacerdotes, ex* S. Beregiſi *ſub diſciplina S. Trudonis in monaſterio Sarchinienſi educatione argui ampliùs non poteſt,* Beregiſum *potiùs monachum, quàm clericum ſeu ſacerdotem fuiſſe, ac proin ruit ſupra productum Menardi pro monachatu Sancti probando argumentum. Deinde, cùm ex laudato Theodorici textu tantùm habeamus, ſacerdotes ſimul & monachos adſtitiſſe Trudoni, cùm jam eſſet moriturus, dubium eſt, an S. Trudo Sarchinii canonicos, adjunctis dumtaxat pòſt monachis, primò non inſtituerit, ac proin inconcuſſum manet alterum noſtrum aſſertum, quo dubium eſſe diximus, an S. Trudo Sarchinii primò monachos, an canonicos ſeu clericos inſtituerit. Dubium autem illud mihi non parùm auget Vitæ S. Trudonis per Theodoricum conſcriptæ, atque à Surio Trimeſtri quarto Sanctorum inſertæ, decimum ſeptimum libri primi caput cum tertio libri ſecundi capite comparatum. In primo enim narratur, S. Trudonem ex urbe Metenſi, quò ſacris litteris imbuendus ad Clodulphum epiſcopum à S. Remaclo miſſus ſe contulerat, ad hunc Sanctum, Trajectenſem epiſcopum rediiſſe, ab eoque tunc in operis Euangelici collegam & quaſi commilitonem, atque inſuper in curæ paſtoralis partem fuiſſe adſcitum; in altero verò refertur, ſacrum illud munus ſibi à Remaclo demandatum etiam tunc, cùm jam monaſterium Sarchinienſe condidiſſet, ſedulò obiiſſe* clericorum agmine ſtipatus; *hinc autem mihi ſuſpicio oritur, ſeu potiùs augetur, eum ſub initio non monachos ſoli propriæ ſaluti vacaturos, ſed clericos ſeu canonicos regulares, alienam etiam curaturos, Sarchinii primùm inſtituiſſe.*

AUC C

uti nec ex amicitia, quam S. Trudo cum S. Remaclo coluit; E

25 *Porrò, quod jam pertinet ad alterum Menardi argumentum à Trudonis amicitia cum S. Remaclo petitum, in mox laudato Theodorici capite decimo ſeptimo de SS. Trudone & Remaclo hæc leguntur:* Mira uterque alacritate repleti, gaudia ſua communicant, & de omni eventu & fortuna alter alterutrum ſolita illa ſua familiaritate docent & inſtruunt; tum verò epiſcopus tanti ſacerdotis ſapientiam & profectum ſua lucra reputans, eum in opus euangelii collegam & quaſi commilitonem ſibi aſſumit, & partito curæ paſtoralis onere, eccleſias ordinare, & verbum Dei in diœceſi ſua injungit annuntiare, ut quoties manus pontificis pro Iſraël extenſæ cum Moyſe gravarentur, toties ex miniſterio ſacerdotis, tamquam Aaron adminiculante, ſuſtentarentur; & peracto aliquot dierum familiari contubernio, ſanctæ animæ poſt mutuam & ſufficientem ſui conſolationem ad negotia ſua redeunt, ille (*Remaclus nempe*) ad requieſcendum cum Maria in cæleſtium contemplatione, iſte (*Trudo ſcilicet*) ad laborandum cum Martha in eccleſiarum ſolicitudine, non multò pòſt enim, ſanctus epiſcopus Remaclus pertæſus ſecularium tumultuum, abrenuntiatis omnibus, in ſuo Stabulenſi monaſterio monachum profitetur, ibique ſecum habitans, S. Theodardum, poſtea Chriſti martyrem futurum, in epiſcopatu ſucceſſorem habuit. *Quibus verbis S. Trudonis familiaritas ſeu amicitia cum S. Remaclo exprimitur; ex iis autem, cùm monachatum à S. Remaclo ſuſceptum; curam verò animarum à S. Trudone initam apertè prodant, eruendum potiùs videtur, S. Trudonem monachum non fuiſſe quàm fuiſſe, ac proin ruit præfatum alterum Menardi argumentum, quo, ut ſuprà docui, contendit S. Trudonem monachum fuiſſe, ut adeò, omnibus conſideratis, dubitandum videatur, non tantùm, an S. Trudo monachos Sarchinii primò inſtituerit, ſed etiam an ipſemet monachus exſtiterit.*

F

Hinc Mabillonius Trudonis monachatum aliter probare

26 *Animadvertit haud dubiè Mabillonius, ex S. Trudonis familiaritate ſeu amicitia, quam cum S. Remaclo coluit, nihil prorſus haberi pro Trudonis monachatu probando. Hic enim auctor etiam contendit, S. Trudonem monachum exſtitiſſe; ut autem monachatum illum probet, ne quidem familiaritatem ſeu amicitiam à Trudone cum Remaclo cultam in qualemcumque argumenti partem adducit, licèt interim, quò rem conficiat, ratione non una utatur; quod, quo ſucceſſu faciat, diſcutiendum nunc eſt. Sæculo* 2 *Benedictino in Obſervationibus præviis ad Vitam S. Trudonis num.* 3 *hæc Rodulfi, Trudonenſis abbatis, qui*

AUCTORE C. B.

seculo duodecimo floruit, verba ex tomo 7 Spicilegii Dacheriani in medium adducit : Dum noſtrum & piiſſimæ memoriæ S. Trudonem clericum fuiſſe & ſacerdotem & cœnobii noſtri primum ædificatorem, Vita ipſius docet, nec non & beati Remacli Tungrorum epiſcopi : ubi aliqui leguntur de principibus regnorum & rectoribus eccleſiarum, quorum temporibus hoc noſtrum ſanctiſſimæ puritatis lilium effloruit. Sed hoc manifeſtiſſimè neque ibi, neque aliàs umquam datur intelligi, utrùm per eum ipſum regeretur primò ædificatum cœnobium noſtrum, ſive per alium : clerici quoque ſive monachi fuerint, quos in eo conſtituerit, & quando monachi in eo eſſe cœperint... unde excuſatum me rogo habere lectores hujus mei Opuſculi, ſi minùs, quàm velletis, certos vos reddidero ex his, de quibus ipſe certior eſſe non potui. *Recitatis hiſce Rodulfi verbis, ſubdit mox laudatus Mabillonius ſuam de S. Trudonis monachatu, deque primis monaſterii Trudoniani incolis opinionem, hancque ita proponit :* Hæc, *inquit*, ingenuè ac ſincerè abbas Rodulfus, cujus veſtigiis inhærere animus erat, niſi quædam argumenta ſuaderent, & S. Trudonem fuiſſe monachum, & monaſte-
B rium ab ipſo conditum, non clericis, ſed monachis à primordiis paruiſſe.

27 *Rationes deinde adducit, quibus ad id credendum inducatur. Prima hæc eſt :* Trudo, *ait*, teſte Donato, *S. Trudonis nempe antiquiore biographo*, cap. 3 omni tempore poſtulabat à Domino, ut ſacras literas diſceret, quatinus ſub ſanctæ converſationis habitu poſtmodum ſoli Domino militaret. Quibus verbis ſcriptores antiqui monaſticum habitum & inſtitutum deſignare ſolent. *Hæc prima, ut jam dixi, Mabillonii ratio eſt, quâ S. Trudonis monachatum probare intendit : verùm non video, hâc rem ita confici, ut dubitandum amplius non ſit, quin Trudo monachus exſtiterit. Ut enim hinc certum fiat, S. Trudonem fuiſſe monachum, neceſſe in primis eſt, ut Sancti hujus biographus per* ſanctæ converſationis habitum *monachorum habitum, ac proin, per* ſanctam converſationem *vitam monaſticam ſeu monachorum vivendi rationem indubiè intellexerit. At non video, qua ratione ſat certum fieri id queat. Etenim vox* converſatio *apud antiquos ſcriptores, uti Cangii mediæ & infimæ Latinitatis*
C *Gloſſarium inſpicienti innoteſcet, etiam uſurpatur ad qualemcumque vivendi rationem ſive bonam ſive malam ſignificandam, ac proin, cùm canonici Regulares,* qui in primævis Eccleſiæ ſæculis, *ut in prævio ad Martyrologium pro canonicis Regularibus ſuprà laudatum monito affirmatur*, Clerici nominabantur, *ſingularem quamdam, eamque ſanctam æquè ac monachi vivendi rationem habuerint, habituque haud dubiè à clericis aliis fuerint diſtincti, dubium mihi eſt, an S. Trudonis biographus per* ſanctæ converſationis habitum *non intelligat illum habitum, quo clerici ſeu canonici Regulares uti ſolebant.*

nititur; at hunc is neque ex S. Trudonis ſub ſanctæ

28 *At ait Mabillonius, per* ſanctæ converſationis habitum *antiquos ſcriptores* habitum monaſticum *deſignare ſolere; fateor, ſolent id facere nonnulli ſcriptores antiqui; at ſimul etiam dubito, an quidam ex iis per* ſanctæ converſationis habitum *non intelligant* anachoretarum habitum *à monachorum habitu utique diſtinctum, ut mirum non foret, ſi S. Trudonis biographus per* ſanctæ converſationis habitum *dumtaxat intelligeret* clericorum *aut* canonicorum regularium habitum. *Imò per verba illa clericorum tantùm aut canonicorum Regula-*

converſationis habitu ſoli Deo militandi propoſito,

rium habitum intelligi, ex ipſo S. Trudonis facto, cujus relationem ingrediuntur, concludi utcumque poſſe fortè videbitur. Illud enim S. Trudonis factum ſic habet : Omni tempore, *ait Donatus*, hoc poſtulabat à Domino, ut ſacras literas diſceret, quatinus ſub ſanctæ converſationis habitu poſtmodum ſoli Domino militaret. *Quibus verbis ſignificatur, Trudonem ſacrarum literarum ſcientiam à Domino eo intuitu flagitâſſe, ut poſtea* ſub ſanctæ converſationis habitu *ſoli Deo ſerviret. Dicet autem forſan aliquis, ſacrarum literarum ſcientiâ non tantopere indigebat, tantoque illam ſtudio continuò à Domino fortè non flagitâſſet Trudo, ſi monachum poſtea profiteri, ſolique ſuæ ſaluti, non alienæ operam dare, propoſitum ſibi habuiſſet. Trudo ergò ſacrarum literarum ſcientiam à Domino poſtulâſſe videtur ſolo impulſus ſtudio ſacerdotalis dignitatis ſuſcipiendæ, in qua, quemadmodum poſtea fecit, ad proximi ſui ſalutem utiliſſimè laborare poſſet, ac proin, certum non eſt per* ſanctæ converſationis habitum *deſignari à Donato* habitum monaſticum. *Sed, cùm etiam monachi ſalutis alienæ*
E *curam ſtudioſiſſimè geſſiſſe inveniantur, demus tantiſper, per verba illa ſæpiſſimè memorata* habitum monaſticum *à Donato, Trudonis biographo, deſignari, nondum tamen hinc eſt conſequens, ut Trudo indubiè fuerit monachus. Etenim verba illa etiam in ea ſignificatione accepta tantummodò innuunt, propoſitum Trudoni fuiſſe, obtentâ ſacrarum litterarum ſcientiâ, monaſticum habitum, inſtitutumque amplecti, ac proin, nihil inde certi pro Trudonis monachatu probando poteſt confici, niſi hic propoſitum ſuum exſecutioni poſtea mandâſſe, dilucidè monſtretur.*

neque ex eo ma ab eo detonſa,

29 *Vidit hoc etiam ipſemet Mabillonius, hincque poſt verba num. 21 ex ipſo recitata ita proſequitur :* Poſtea Vir ſanctus (*Trudo*) depoſito laïcali habitu, comam ſuam in S. Stephani protomartyris eccleſia vovens, ſe ſoli Domino ſerviturum, totondiſſe fertur, *nempe à Donato, Trudonis biographo, cap.* XI. Erunt forſitan, qui exiſtiment, hîc ſignificari habitum canonicorum, quos Chrodegangus epiſcopus in Eccleſia Mettenſi inſtituerat. *Nemo ſanè id exiſtimabit, qui conſiderârit, S. Chrodegangum non priùs, quàm medio ampliùs ſeculo poſt Trudonis obitum elapſo canonicos in urbe Metenſi inſtituiſſe. Aſt aliâ ſunt, quæ ſuadent, ex laudato capite* XI *Donati, in quo dicitur Trudo* depoſito laïcali habitu... comam ſuam in S. Stephani protomartyris eccleſia, vovens ſe ſoli Domino ſerviturum, totondiſſe, *pro certo neutiquam Trudonis monachatum poſſe concludi. Etenim juxta Donatum, S. Trudonis biographum, Trudo, antequam comam ſibi tonderet, habitumque laïcalem cum clericali commutaret, ſub diſciplina editui eccleſiæ Metenſis S. Stephani ſtetit, ab eoque fuit ſacrarum litterarum eruditione imbutus; depoſito verò laïcali habitu, comâque detonſa,* fideliter... (*verba ſunt Donati*) Deo deſerviens in eadem eccleſia (*S. Stephani*) ſub venerabilis Chlodulphi, *Metenſis ſcilicet epiſcopi*, regimine, per eccleſiaſticos gradus feliciter pergens, uſque ad ſacerdotalem dignitatem vitæ merita perduxit. *Quibus verbis innuitur, Sanctum poſt detonſam ſibi comam, laïcalemque habitum depoſitum in Metenſi S. Stephani eccleſia, ſub cujus priùs editui diſciplina ſacris litteris imbuendus ſteterat, fideliter Deo ſerviiſſe, ac proin, cùm Metenſis S. Stephani eccleſia non ad aliquod monachorum cœnobium ſeu monaſterium, ſed ad clerum ſpectaret, conſequens eſſe videtur, ut S. Trudo, cùm veſtem laïcalem depoſuit comamque in Metenſi S. Stephani*

A *phani eccleſia, teſtante Donato, ſibi totondit, non monachum, ſed clericum potiùs fuerit profeſſus, ac proin, ut Mabillonius ex verbis Donati ſuprà recitatis, Trudonis monachatum probare, incaſſum contendat.*

Sanctæque religionis habitu,

30 *Subdit tamen hic auctor verbis proximè ex illo recitatis, ſeſe ex laïcali S. Trudonis veſte depoſita, comâque detonsâ ad Sancti illius monachatum credendum idcircò moveri,* quòd Trudo, *verba ſunt ipſiuſmet Mabillonii,* in patriam reverſus, cùm apud quemdam hoſpitatus fuiſſet, ſanctæ religionis habitum geſtâſſe dicitur cap. 14, *Vitæ ſcilicet Trudonis per Donatum conſcriptæ,* quo nomine nuſquam quis, nec Chrodegandus ipſe in regula, canonicorum habitum exprimit. *Verùm non videtur Mabillonius ex eo, quòd S. Trudo in patriam reverſus, ſanctæ religionis habitum geſtâſſe dicatur, moveri debuiſſe, ut Trudonem faceret monachum. Legerat enim is ſcriptor, uti ex ejus tom. 2 Annalium Benedictinorum pag. 16 datur intelligi, vitam* S. Beregiſi *à nobis edendam, in qua hic dicitur* ſub religionis habitu *in monaſterio Trudonenſi educatus, nec tamen hinc motus fuit, ut*

B S. Beregiſum *monachum fuiſſe aſſereret; idque, quamvis ſibi prælucentem habuerit Menardum, qui etiam ex religionis habitu, ſub quo* Beregiſus *in monaſterio Trudonenſi educatus fuiſſe, in Chronico Trudonenſi aſſeritur,* S. Beregiſum *monachum fuiſſe contendit. Aliud Menardi argumentum etiam huc faciens ſuprà refutavimus; confutandum nunc eſt, aut certè enervandum hoc ejuſdem ſcriptoris ſecundum ex Sancti habitu petitum, ut ſic ſimul vim ſuam amittat Mabillonii argumentum, quo hic ex* ſanctæ religionis habitu, *quem Trudo geſtâſſe dicitur, ſanctis eum monachis annumerat. Præfatum Menardi argumentum hoc eſt:* Chronographus Trudonenſis ait, ipſum (*Beregiſum*) in eodem habitu, quo indutus fuerat in monaſterio S. Trudonis, cum iſtis canonicis S. Huberti fuiſſe converſatum. Bere„giſus, inquit, pago Condroſio ortus, & à pa„rentibus intra monaſterium S. Trudonis ſub „habitu religionis litterarum ſtudiis in lege di„vina imbuendus traditus.„ Et paulò pòſt: "In „quo clericis Ordinis canonici militantibus ipſe „pater in eodem habitu eſt ſociatus.„ Quæ poſtrema verba non perperàm adduntur, ſed ut oſtendatur eum à canonicis diſtinctum habitu fuiſſe.

quem pòſt C 31 *Chronographum Trudonenſem Ms. habeo præ oculis; textus, qui ex illo à Menardo mutilus tantùm datur, integer antè adhuc recitatus hic eſt:* Circa hæc tempora ſanctus Beregiſus ex pago Condroſio ortus, & à parentibus intra monaſterium ſancti Trudonis ſub habitu religionis literarum ſtudiis & lege divina imbuendus traditus, largiente Pipino principe eidem lata prædia monaſterium Andaïnenſe in honore ſancti Petri conſtruxit, in quo clericis Ordine canonico militantibus ipſe pater in eodem habitu eſt aſſociatus. *Verùm dubium mihi admodum eſt, an ultima hujus verba, ut ait Menardus, addantur, ut oſtendatur,* S. Beregiſum *à canonicis, quibus ſeſe adjunxit, habitu fuiſſe diſtinctum. Etenim ipſemet Menardus poſt verba proximè ex illo recitata, paucis interpoſitis, ſic habet:* Tum canonici non erant ſolo nomine canonici, ſed canonicè vivebant, eoque nomine à ceteris clericis, qui regulariter non vivebant, diſtinguebantur. *Si ergò vivendi ratione canonici à ceteris clericis tum diſtinguebantur, veriſimile eſt & habitu ab his illos fuiſſe diſtinctos, ut verbis memoratis dumtaxat fortè ſignificetur,* S. Beregiſum *ſeſe canonicis à ſe inſtitutis junxiſſe in eodem habitu, quem hi ab habitu reliquorum clericorum diſtinctum geſtabant. Et verò Sanctum noſtrum canonicis à ſe inſtitutis ſeſe junxiſſe ſub eodem habitu, quem hi geſtabant, ex biographo noſtro diſcimus. Etenim hic num.* 19 *ita ſcribit:* Quibus clericis canonico ordine militantibus ipſe (*Beregiſus*) pater in eodem habitu ſociatus eſt, & cum eis indeſinenter in laude Chriſti Domini vacans, filioſque verbo & exemplo erudiens, plurimorum ſpatia annorum in hoc loco (*monaſterio Andaïnenſi*) religioſam vitam ducendo advixit. *Quibus Verbis, cùm nulla prævia habitus religionis à* Beregiſo *in monaſterio Trudonopolitano geſtati facta ſit mentio, indubiè innuitur, Sanctum canonicis, quos inſtituit, ſe junxiſſe ſub eodem habitu, quem hi geſtabant.*

geſtâſſe dicitur,

32 *Quapropter cùm auctor, qui ſcripſit Chronici Trudonenſis caput* 16, *quo verba num.* 30 & 31 *ex illo recitata habentur, non priùs quàm ſeculo* XIV *ſeneſcente floruerit, ac proin biographo noſtro antiquitate cedat, recedendum ab eo eſt, ſi fortè ita intelligendus ſit, ut Menardus num.* 30 *laudatus contendit. Ceterùm cùm biographus noſter verbis proximè ex illo recitatis innuat,* Beregiſum *ſub habitu à canonicis uſitato vitam religioſam Andaïni duxiſſe, veriſimillimum ſit, eumdem biographum per* habitum religionis, *ſub quo Sanctum in monaſterio Trudonenſi educatum, num.* 6 *ſcribit, habitum à canonicis Regularibus geſtari ſolitum velle intelligi. Rectè itaque de habitu religionis, ſub quo Trudonenſis Chronographus verbis num.* 31 *recitatis ait,* Beregiſum *in Trudonenſi monaſterio educatum fuiſſe, Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 725 *num.* 48 *ita ſcribit:* Habitum illum, *nempe canonicorum Regularium,* habitu religionis in Trudonenſi Chronico deſignari credimus, quia hujuſmodi canonicos olim Religioſos clericos appellatos teſtatur Griſius, *ſectione ſcilicet* 12, *num.* 5, *ut notat in margine,* in Hiſtoria de clericis Regularibuſve utriuſque ſexûs, & ut ibi religioſus non ſignificat monachum, ſic & in prædicto Chronico Religio non ſumitur pro monachatu, nihilque vetat, quò minùs habitus religionis idem F cenſeatur, qui Religioſi clerici ſeu canonici Regularis. *Ita laudatus Cointius; & ſanè biographus noſter monaſterium à* S. Beregiſo *ædificatum num.* 5 *vocat* ſanctæ religionis domicilium; *quare vel hinc veriſimile eſt, canonicos ſeu clericos Regulares appellatos etiam olim fuiſſe* religioſos, *eorumque habitum ab habitu ceterorum clericorum diſtinctum,* Religionis habitum *fuiſſe nuncupatum, ut adeò ex* Religionis habitu, *ſub quo in Trudonenſi monaſterio educatus fuit* Beregiſus, *nihil certi pro* Beregiſi *monachatu poſſit concludere Menardus, ac proin nec Mabillonius pro monachatu Trudonis ex* ſanctæ religionis habitu, *quem hic geſtâſſe à Donato narratur.*

neque ex duobus aliis argumentis,

33 *Verùm Mabillonius poſt verba ex illo num.* 30 *recitata duo adhuc alia affert argumenta, quibus pro S. Trudonis monachatu decertat. Utrumque uno tenore huc tranſcribo:* Ad hæc, *inquit,* multi nobiliorum hominum filii, iſtius ſæculi proſpera deſpicientes, comamque ſuam deponentes, cum invicto milite Chriſti ſoli Domino deſervierunt ex cap. 15, *Donati nempe, qui auctor ſemper hîc intelligitur, Trudonis biographi,* & commune illorum domicilium non tantùm cella & monaſterium, ſed cœnobium cap. 28 dicitur. Denique Grimo abbas ante medium ſæculi VIII loco regulariter præfuiſſe memoratur in litteris

R o-

AUCTORE C. B.

Roberti Hasbaniæ comitis, anno v post obitum Theoderici regis, id est, anno DCCXLII aut insequenti datis, quibus locum Dungo cum basilica inibi constructa legitima traditione deputat ad basilicam S. Trudonis, ubi ipse Sanctus Dei in corpore requiescit: cui etiam ecclesiæ venerabilis abba Grimo nomine regulariter præesse videtur. Atqui to REGULARITER opponitur voci CANONICE, ut constat tum ex variis locis, tum ex concilio Mogontiacensi anno DCCCXIII habito, cujus hæc verba: Quæ professionem sanctæ Regulæ B. Benedicti fecerunt, regulariter vivant; sin autem, CANONICE vivant. *Ita Mabillonius, qui duobus illis argumentis jam productis probare haud dubiè intendit, S. Trudonem Sarchinii non clericos, sed monachos primùm instituisse, ipsumque proinde non clericum Regularem, sed monachum fuisse. Verùm his ille scriptor, ut mihi quidem apparet, nihil omnino in rem suam evincit. Quod enim ad primum argumentum attinet, quod petitur partim à nobiliorum hominum filiis, qui, sæculo relicto, comâque depositâ, soli Domino sub disciplina S. Trudonis serviisse à Donato narrantur, partim ab appellatione, quâ commune eorum domicilium ab eodem Donato vocatur; veritati nihil contrarium, aut absonum scribit Donatus, etiamsi S. Trudo primò clericos Regulares Sarchinii instituisse credatur.*

B

cùm hîc etiam refutentur,

34 *Fac quippe Sarchinii primò clericos Regulares fuisse, nulla subest ratio, cur hi comam deposuisse, sæculoque relicto, soli Domino serviisse, sine ullo veritatis dispendio à S. Trudonis biographo nequeant referri. Ad hæc commune eorum domicilium non tantùm nomine* cellæ *&* monasterii, *sed etiam* cœnobii *à laudato biographo meritò potuit vocari. Etenim apud biographum nostrum num.* 16, *& num.* 5 *apud Historiæ monasterii Andaginensis auctorem infrà sæpè laudandum,* Cellæ *nomine venit canonicorum seu clericorum Regularium monasterium à* S. Beregiso *exstructum. Canonicorum autem seu clericorum Regularium ædes* monasteriorum *nomine quondam etiam venisse, perspicuum fit, uti ipse Menardus in laudatis Observationibus docet ex conciliis Arelatensi, Turonensi & Aquisgranensi sub Carolo Magno celebratis; jam verò, cùm canonici Regulares in communi viverent, videtur pariter eorum domicilium non absonè vocari potuisse* cœnobium, *quæ vox à vocibus Græcis* κοινὸς *&* βίος, *Latinè* communis *&* vita *etymologiam trahit. Porrò quod pertinet ad aliud Mabillonii argumentum petitum à Roberti, Hasbaniæ comitis, litteris, in quibus anno quinto post obitum Theoderici regis, id est, anno* 742 *Grimo abbas monasterio Trudonensi* Regulariter *dicitur præfuisse, respondeo, dato etiam, quòd* regulariter præesse & vivere *talem sæculo* VIII, *quo floruit Grimo abbas, oppositionem habuerit, cum* canonicè præesse & vivere, *ut is tantùm* regulariter præesse & vivere *tunc dici posset, qui monachis præerat, vitamque ducebat monasticam, non verò, qui canonicis præerat, vitamque ducebat canonicam; Respondeo, inquam, hoc etiam dato, tantùm ex illo Mabillonii argumento esse consequens, ut anno Christi* 742 *in monasterio Trudonensi monachi exstiterint, ex quo indubitatum neutiquam fit, S. Trudonem anno circiter* 664, *quo monasterium Trudonense construxit, monachos primùm ibi instituisse. Fortè enim jam ab anno* 742 *idcirco tantùm Trudonopoli monachi exstiterint, quòd ii jam tunc canonicis Regularibus, à S. Trudone primùm ibi institutis, fuissent subrogati.*

C

35 *Nihil ergò etiam hinc habet Mabillonius, ut pro bet, Sarchinii monachos primò institutos fuisse à S. Trudone, huncque proinde monachum etiam fuisse professum. Quapropter, jam expensis omnibus etiam Mabillonii argumentis, dubium adhuc manet, an S. Trudo fuerit monachus, uti etiam an Sarchinii primò monachos, an clericos Regulares, seu canonicos instituerit, ac proin Menardus ex* S. Beregisi *in Sarchinienſi seu Trudonensi monasterio sub S. Trudonis disciplina educatione perperàm ejus monachatum indubitanter concludit. Imò, cùm Sanctus, ut § sequenti docebo, ipsequemet laudatus Menardus contendit, in monasterio Andaïnensi, quod exstruxit, non monachos, sed clericos Regulares seu canonicos instituerit, verisimile mihi admodum est,* Beregisum *numquam S. Benedicti Regulam monachumve esse professum. Verisimile enim apparet, Sanctum in monasterio, quod exstruxit, quodque ipse abbas rexit, suæ potiùs, quàm alienæ professionis homines constituere voluisse, ac proin, cùm id ipsi liberum verosimillimè fuerit, reipsa etiam constituisse. Quapropter, cùm Sanctus clericos Regulares seu canonicos Andaïni primò instituerit, consequens est, ut ipsemet clericum Regularem seu canonicum fuerit professus, ne alioquin ab iis, quos Andaïni instituit, quosque ipse abbas rexit, professione diversus fuisse dicendus sit. Potiori itaque jure* Beregisus *sanctis Canonicis, quàm sanctis Monachis adscribendus videtur, atque ita quidem hunc reipsa Ordinis sui Sanctis Regulares S. Augustini canonici accensent, uti jam suprà num.* 6 *monui, utque ex binis, quas ex propriis canonicorum Regularium Officiis num.* 7 *&* 8 *recitavi, lectionibus, variisque Ordinis canonici scriptoribus, atque in primis ex Ghinio suprà laudato in sanctorum Canonicorum Natalibus & ex suprà pariter laudato Pennotto in suis ad propria canonicorum Regularium Officia Annotatis manifestum fit.*

indubitatum efficit.

D

E

§ IV. Sanctus in comitatum Pipini Heristallii assumptus, eum delinquentem corripit; quo munere apud hunc principem fuerit perfunctus, & qua occasione locum ædificando monasterio ab eo impetrâsse feratur.

F

Sanctus Pipino & Plectrudi à sacris confessionibus

JOannes Mauburnus *seu Joannes de Bruxellis, abbas Livriacensis in libro notato apud nos* ✠ *Ms.* 163, *quem* Sanctorum Ordinis canonicorum Regularium Venatorium *inscripsit, cap.* 127 *de* Beregiso *inter alia, quæ in Actorum ejus Compendio commemorat, sic scribit:* Beregisus abbas primus & fundator monasterii Andagiensis sub Theodorico rege & Pippino filio Ansigisi floruit, cujus & domesticus & confessor fuit; *paucisque interjectis:* Inde (*ex monasterio Trudonensi*) ob eximiam sanctitatem abstractus, Pippino & conjugi ejus Plectrudi confessor & institutor factus fuit. *Fuit ergò juxta laudatum Mauburnum* S. Beregisus *Pipino, ejusque conjugi à confessionibus. Mauburno adstipulatur prima ex duabus Lectionibus num.* 7 *ex propriis canonicorum*

A *nicorum Regularium Officiis prolata. In hac enim ita legitur:* A Pipino, Anſegiſi filio, principe Brabantiæ, ob eximiam ejus vitæ ſanctitatem inde (*ex monaſterio Trudonenſi*) abſtractus, illi nec non Plectrudi, ejus conjugi, à ſacris confeſſionibus miniſtravit. *Verùm ego ſola Mauburni, dictarumque lectionum auctoris fide nequeo adduci, ut* Beregiſum *Pipino, ejuſque conjugi Plectrudi à ſacris confeſſionibus fuiſſe, certò credam. Etenim, ut Gerardus Voſſius de Hiſtoricis Latinis lib. 3 pag. 646 docet, Mauburnus, Regularis S. Auguſtini ex cœnobio montis S. Agnetis canonicus, poſtque Livriacenſis abbas, non citiùs, quàm ſeculo* XV *flornit, ac proin ab ætate* S. Beregiſi, *qui medio circiter ſeculo* VIII *abiit, fuit remotior, quàm ut rebus, quas de illo ſcribit, ſola ſua auctoritate fidem indubitatam facere queat. Quod verò pertinet ad dictarum lectionum auctorem, cùm Condroſios ſeu Condruſos, ditionis hodiernæ (vide num.* 14) *Leodienſis populos* Lotharingorum *nomine diſtinguat, illique non citiùs, quàm ſeculo* IX *jam valdè provecto, ita vocari cœperint, conſequens eſt, ut certè non citiùs floruerit, quàm eodem ſeculo* IX, *ac proin, ut certam pariter circa res à* Beregiſo *geſtas fidem*

B *facere non poſſit, niſi ſua aſſerta ex monumentis antiquioribus hauſiſſe deprehendatur. Non puto autem hoc facilè deprehenſum iri.*

dicitur fuiſſe; licèt autem id

37 *Imò ſi fortè is ſcriptor, quod tamen non puto, biographo noſtro ſit antiquior, valdè ſuſpicor, id eveniſſe illi, quod hic ſibi eveniſſe, ipſemet in Prologo ingenuè fatetur; ut nempe præ antiquorum de rebus à* S. Beregiſo *geſtis monumentorum penuriâ aſſerta ſua non niſi ex ſola à majoribus accepta traditione, ſeu potiùs ex populari fama didicerit. Quòd ſi autem, ut veriſimile eſt, cùm Pipinum vocet* Brabantiæ principem, *quæ regio (vide num.* 12 *&* 13) *ſuos duces aut principes habere tantùm cœpit ſeculo* XII; *quòd ſi, inquam, Sancti noſtri biographo, qui juxta dicta num.* XI *ſcriptionem ſuam ante medium ſeculum* X *adornavit, ætate multùm cedat, fidem omnino non meretur, dum* Beregiſum *aſſerit, Pipino & Plectrudi à ſacris confeſſionibus fuiſſe, cùm rei hujus non meminerit laudatus Sancti biographus, antiquiſque, uti ex dicendis pronum erit colligere, hujus lucubratione monumentum præ oculis veroſimiliter non habuerit. Utut ſit, certè canonici Regulares S. Auguſtini congregationis Gallicanæ pro in-*

C *dubitato habere non videntur,* S. Beregiſum *Pipino & Plectrudi à ſacris confeſſionibus fuiſſe. Etenim in ſuo Sanctorum Proprio ſuprà ad num. 9 laudato ſolùm hæc de* S. Beregiſi *in aula apud Pipinum mora commemorant:* Cùm ſapientiâ ſimul & ætate (*Beregiſus*) profeciſſet, ſacerdos ordinatus eſt; & à Pippino, regii palatii majore ad aulam vocatus, huic & conjugi ejus Plectrudi monita ſalutis dedit, probatæ virtutis auctoritate roborata; *ubi ne verbum quidem occurrit, ex quo Sanctum concludas Pipino & Plectrudi à confeſſionibus fuiſſe. Apud Edmundum Martene & Urſinum Durand, Benedictinos è Congregatione S. Mauri monachos, tom.* IV *Collectionis veterum Scriptorum à col.* 915 *uſque ad col.* 1023 *inſertus exſtat liber num.* 34 *à me memoratus, qui ab auctore anonymo ſeculo* XII *ineunte exaratus eſt,* Cantatoriumque *ſeu* Hiſtoria monaſterii Andaginenſis *inſcribitur. Libri hujus initio de* S. Beregiſo, *quæ huc faciunt, hæc habentur:* Cui, (*Pipino*) cùm per ordinem retuliſſet eventum miraculi, ille, evocato Beregiſo, viro venerabili, qui tunc in Dei rebus obſequebatur eis, (*Pipino & Plectru-*

di) cartulam illam obtulit exponendam ſibi. *His ex verbis, quibus* S. Beregiſus *Pipino & Plectrudi in rebus ſacris ſerviiſſe aſſeritur, concluſerit fortè Mauburnus, uti etiam jam plùs ſemel dictus, utpote Cantatorii auctore, prout valde ſuſpicor, pariter recentior Lectionum num.* 7 *&* 8 *recitatarum auctor,* S. Beregiſum *à confeſſionibus Pipino & Plectrudi fuiſſe. Id ipſum fortè etiam confici putârint ex Sancti biographo, dum num.* 7 *ita ſcribit;* Qui princeps (*Pipinus*) probitatis illius (*Beregiſi*) ſive prudentiæ non ignarus ſibi eum reverentiâ patris excolendo aſciverat, utpote tam præcipuum ſacerdotem, cujus doctrinæ inſtituendum ſe cum conjuge ac prole ſubdiderat, quoniam caſtis eloquiis vitæ vel morum indiſſolubilis converſatio teſtimonium reddebat. Unde ſeveritatis illius cenſurâ ſuos actus corrigendos ſubmittens, & quæque infra domum corrigenda erant, relinquens, ejus patrocinio & orationi commendandum ſe cum omnibus ſuis crediderat.

AUCTORE C. B.

non ſit indubium, apud eos ſaltem, ut videtur,

38 *Verùm præterquam quòd mox recitata Cantatorii verba explicationem longè diverſam ab ea, quâ ſignificarent* Beregiſum *Pipino, ejuſque conjugi Plectrudi à ſacris confeſſionibus fuiſſe, facillimè patiantur, libri illius auctor, cùm ſeculo duodecimo tantùm ſcripſerit, ab ætate Sancti noſtri etiam remotior eſt, quàm ut rebus, quas de illo ſcribit, fidem certam facere poſſit. Quod verò pertinet ad Sancti biographum, quamquam hic verbis mox recitatis aſſerat, Pipinum* S. Beregiſi *cenſuræ actus ſuos corrigendos ſubmiſiſſe, non propterea tamen certò conſequitur, ut is ſcriptor velit,* S. Beregiſum *Pipino, ejuſque uxori Plectrudi à ſacris confeſſionibus fuiſſe. Potuit enim Pipinus ex conſilio* S. Beregiſi, *quem ob morum innocentiam vitæque ſanctitatem plurimi faciebat, minùs rectè à ſe facta ſubinde emendare, Sanctumque admonentem non illubenter auſcultare, eoque nihilominus confeſſario non uti. Certè Mabillonius ſæpe laudatus tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 16 *de Sancto noſtro agens, licèt etiam ejus biographum præ oculis habuerit, ex nullis tamen illius verbis arbitratus eſt,* Beregiſum *Pipino, ejuſque uxori Plectrudi à ſacris confeſſionibus fuiſſe. Aſt, inquies, quo munere ergò Sanctus apud Pipinum functus eſt, quove nomine apud hunc principem diu, ut in Actis edendis dicitur, in palatio verſatus eſt? Mabillonius loco proximè citato, Pipini eum capellanum dici, affirmat; aſt à quo, non ediſſerit. Videtur tamen Sanctus apud Pipinum, ſi non confeſſarii, ſaltem capellani ſeu ſacellani munere eſſe perfunctus.*

E

F

ſacellani munere eſt perfunctus, auctoritateque

39 *Etenim num.* 12 *biographus noſter ſic ſcribit:* Cùm itaque Beregiſus in comitatu ſæpe dicti principis (*Pipini*) diu conſtans nil reverentiæ gradus defraudans dignanter apud ipſum presbiteratûs impleret miniſterium, in tanta honoris fiducia eum reverebatur, ut conjugem Plectrudem, quam nobilem & morum honeſtate laudabilem fuiſſe diximus, ipſi commendaret, & ſub ejus diſpoſitione ac nutu ſive dominio, vel quando itinerandi inſtabat neceſſitas, relinqueret. *Quibus ex verbis, cùm iis dicatur Sanctus din apud Pipinum presbyteratûs impleviſſe miniſterium, colligendum videtur,* S. Beregiſum, *ſi non Pipino à ſacris confeſſionibus exſtitit, illud ſaltem munus demandatum ſibi habuiſſe, ut coram illo principe, ſive diebus tantùm feſtis, ſive etiam aliis, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebraret. Et verò ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium coram Pipino ſubinde ſaltem celebrâſſe* Beregiſum,

AUCTORE C. B.

colligendum videtur ex eo, quòd biographus noster, dum num. 8 *& duobus sequentibus narrat, Pipinum delinquentem à* Beregiso *fuisse correptum, eveniſſe id innuat occasione Missæ à Sancto coram Pipino celebratæ. Fuerit ergò* Beregisus *verosimiliter Pipini capellanus seu sacellanus, eique fortè etiam à sacris confessionibus, ut adeò non pro certè falso, sed pro dubio tantùm habeam,* S. Beregisum *Pipino ejusque conjugi Plectrudi à sacris confessionibus fuisse. Verùm sive Sanctus Pipini tantùm sacellanus, sive etiam confessarius exstiterit, perspicuè interim, uti ex jam dictis & porrò dicendis patescet, ex biographo nostro intelligitur, plurimùm eum apud prædictum principem gratiâ atque auctoritate valuisse. Sanctus autem verosimiliter apud Pipinum eo loco fuerit, cùm primùm in ejusdem comitatum fuit assumptus. Verosimiliter autem id accidit tempore inter annum Christi* 691 *&* 700 *intermedio.*

& gratiâ plurimùm valuit: hanc amittere

B

40 *Etenim juxta dicta num.* 16 *&* 17 *verisimile est,* S. Beregisum *in comitatum Pipini non citiùs fuisse adscitum, quàm hic ad monasterium Sarchinense S. Trudonis tumulum veneraturus accesserit, ac proin, cùm id anno circitèr* 691, *uti eodem loco docui, verosimiliter acciderit, consequens est, ut* Beregisus *ante annum illum in Pipini comitatum assumptus verosimiliter non fuerit. Porrò, cùm Sanctus, ut infrà docebo, initio seculi* VIII *monasterium Andaïnense exstruxerit, jamque diu, antequam id fecit, presbyteratûs ministerio, ut biographus noster num.* 12 *docet, apud Pipinum fuerit perfunctus, consequens est, ut seculo* VII *nondum elapso in principis illius comitatu jam exstiterit, ac proin, ut in illum tempore inter annum Christi* 691 *&* 700 *intermedio fuerit assumptus. Hinc jam etiam consequitur, ut* Beregisus *jam ab eo tempore plurimùm auctoritate atque gratiâ apud Pipinum valere inceperit; quantum autem hæc deinde creverit, manifestum fit ex his biographi nostri num.* 7 *verbis :* Ut majori fiducia eum (*Pipinus Beregisum*) sibi jugiter necteret, prolem suam ex sacro baptismatis fonte renascentem ab eo suscipi patris nomine postulavit, quatenus ex hoc & familiariùs apud se de omnibus curam gereret, & artiori astrictus, uti cujusdam fœderis, compagine in palatio retineretur. *Magnum sanè hæc arguunt incrementum deinde sumpsisse gratiam, quâ* Beregisus, *ut primùm in Pipini comitatum fuerat assumptus, mox valuit, jamque etiam antea valere inceperat.*

C

41 *Verùm utcumque Sanctus favore atque gratiâ apud Pipinum, ejusque conjugem Plectrudem valeret, aulæ tamen illecebris in oblivionem quietis, quâ antea in monasterio Trudonensi fuerat gavisus, minimè potuit induci :* Vir prudens, *inquit ejus biographus num.* 8, sui non immemor, quò fluctibus naufragosi seculi sese committere impellebatur, eò fidei gubernaculo navim mentis viriliter retorquens, ad portum quietis constanter relabi nitebatur. *Ad hæc quoniam hominum favorem nihili faciebat, modò divinam gratiam integram servaret atque inoffensam, officii sui admonere atque corripere, si quos in aula delinquentes offenderet, minimè metuebat.* Quibus..., *inquit iterum num.* 8 *Sancti biographus,* monitis salutis doctrinæ instans operam impendebat, nequaquam, ubi ratio exposcebat, olei lenitate palpandos æstimabat, quamlibet superbæ potestatis gloriis sublimatos, quin gladio spiritûs justæque invectionis feriendos opportunum censeret. *Nec solùm Sanctus inferiores aulæ ministros, si quando id eorum delicta, pravive mores exigerent, reprehendebat; sed etiam, nullo personarum discrimine habito, ipsummet Pipinum.* Unde, *prosequitur biographus num. proximè citato,* actum est, ut & ipsius terrenæ dominationis, cui se conjunxerat, principis (*Pipini*) animos incurreret. Sed ille hunc (*Pipinum*) nihilominus delinquentem redarguens, terribiles ejus vultus interritus tulit; ex quo quantus erga justitiæ rectitudinem servandam cor ejus zelus charitatis accenderat, & quàm magnâ virtutum gratiâ intus muneratus enituerit, evidenter colligitur. *Hisce præmissis, narrat deinde post pauca, cujus rei causâ Pipinus à* Beregiso *fuerit correptus.*

D

non metuens, non solùm inferiores aulæ ministros,

sed etiam ipsum Pipinum, cùm delinqueret, corripuit;

42 *En illam : Dum die quodam seu festo seu alio sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrat* Beregisus, *eadem sacram, in qua res divina peragitur, aulicorum catervâ stipatus ingreditur Pipinus, loci sacri, mysteriique, quod in eo perficitur, rationem non habet, crinarium, quod capite gestabat, quodque Cangius in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, aliique eruditi* tertum *seu* capitis ornamentum *interpretantur, deponere seu non meminit, seu præ fastu recusat:* Beregisus, *re observata, principem ad pacis osculum, quamquam admissis aliis, ultróque invitatis, minimè admittit, finitoque sancto Missæ Sacrificio, denegati causam osculi percunctantem acriter objurgat. Pluribus hæc omnia Sancti biographus num.* 9 *&* 10 *exponit, indicatque deinde num. sequenti, quàm ægrè illam Sancti admonitionem seu correptionem tulerit Pipinus; licèt interim actus suos, ut num.* 7 *docet idem biographus,* S. Beregisi *censuræ motu proprio submisisset.* Hæc, *inquit,* à justo caritatis fervore dicuntur, & porrò ab homine carnalia sapiente non, ut oportuit, animadvertuntur, siquidem suspectè apud se eum (*Pipinus Beregisum*) ex hoc retinebat. Delicata, *inquit pag.* 437 *ad* 2 *Octobris in Floribus ecclesiæ Leodiensis Fisenus suprà laudatus,* res est, tangique non amat hominum ambitio, & fortasse jam tum, *cùm reprehensionem hîc memoratam à* Beregiso *accepit,* languescere incipiebat Pipini religio; quâ non ita multò pòst omnino prostratâ, inducto turpi scorto, Plectrudem legitimam conjugem domo pepulit. *Quibus verbis innuit hic scriptor, memoratam Pipini reprehensionem accidisse, cùm hic turpis scorti, id est, Alpaïdis amoribus nondum sese dedisset.*

E

F

qua quidem re hic princeps nonnihil Sancto

43 *Ast hic auctor à veritate verosimiliter hîc deviat; etenim Pipinus,* Heristallius *vulgò cognominatus, de quo hîc sermo est, ex Alpaïde Carolum Martellum genuit. Quapropter, cùm hic, uti apud omnes in confesso est, anno Christi* 741 *vitâ functus sit, tuncque quinquagenarius exstiterit, consequens est, ut Pipinus, ejus pater, jam ab anno circitèr* 689 *fœdis Alpaïdis amoribus laborârit, ac proin, ut suprà memoratam Pipini reprehensionem, cùm hæc post* S. Beregisi *in aulam Pipini receptionem annum inter* 691, *ut docuimus, &* 700 *factam, acciderit, turpes hujus principis in Alpaïdem amores præcesserint. Porrò errat etiam verosimiliter laudatus Fisenus, dum loco proximè citato* Beregisum, *eò quòd animum Pipini principis à pristina paulatim pietate desciscentis offendisset, honestæ missionis prætextu, ad monasterium Andaïnense ædificandum, fortè constitutum scribit, idque accidisse innuit, antequam Alpaïs Plectrudi superinduceretur. Etenim Sanctus, ut pòst videbimus, monasterium Andaïnense initio seculi* VIII *ædificare incepit, ac proin, cùm Al-*

A *Alpaïs, ut mox docui, Plectrudi superinducta jam fuerit anno circitèr 689, consequens est, ut Sanctus, antequam Alpaïs Plectrudi superinduceretur, ad monasterium Andaïnense ædificandum constitutus non fuerit. Quod verò pertinet ad alterum, quod idem Fisenus innuit,* Beregisum *scilicet honestæ missionis prætextu, ad monasterium Andaïnense ædificandum, fuisse fortè constitutum, omnibus omnino probandum non puto. Quamquam enim Sanctus objurgatione, cujus jam meminimus, Pipini animum nonnihil offenderit, fuit tamen huic principi, ejusque conjugi maximæ semper veneration, eratque in eorum adhuc comitatu, quando consilium inierunt de condendo monasterio, cujus curam administrationemque ipse suscepit.*

Succensuit; at non ita, ut honestæ missionis

44 *Imò Pipinus non nisi ægrè admodum* S. Beregisum *à se etiam tunc dimisit. Discimus hoc ex libro num.* 34 *&* 37 *à nobis laudato, qui* Cantatorium *inscribitur. Ubi enim hujus lucubrationis auctor, monachus item Andaginensis anonymus, narravit, à Plectrude, dum per sylvam Arduennensem iter aliquando faceret, chartam quamdam prodigio mox hîc pluribus tractando fuisse inventam, eâque lectâ,* Beregisum *sese ad dictæ sylvæ solitudinem excolendam promptè alacriterque Pipino obtulisse, mox subdit:* Placuit Pipino Beregisi propositum, licèt gravaretur admodum à se suum emittere carissimum. Illo tamen (*Beregiso nempe*) sæpiùs insistente, ut rem quantociùs acceleraret, Pippinus cum comitatu curialium suorum venit ad locum inventæ cælitus cartæ, *locumque, ut verbis infrà recitandis refert, ædificando monasterio donavit* Beregiso, *qui statim manum operi admovit. Unde perspicuè intelligitur, Pipinum non nisi ægrè admodum à se dimisisse* Beregisum, *dum monasterium Andaïnense ei exstruendum commisit. Ast, inquies, laudati Cantatorii auctor non priùs, quàm seculo* XII *ineunte lucubrationem suam adornavit. Fateor, sic habet, idque etiam sic habere, num.* 37 *ipsemet docui. Verùm hinc saltem est consequens, ut Fiseno, seculi* XVII *scriptore, qui Sanctum à Pipino suboffenso honestæ missionis obtentu procul fortè relegatum scribit, multò sit antiquior, ac proin, ut potiorem, quàm ille, fidem hîc mereatur. Accedit, quòd ipsemet Fisenus, in Historia sua Leodiensi anno* 1642 *excusa, pag.* 136 *scribat,* S. Beregisum

C *non nisi ægrè à Pipino fuisse dimissum, ut nesciam, cur deinde in Floribus ecclesiæ Leodiensis, quos quinquennio pòst vulgavit, in opinionem oppositam propendeat.*

obtentu eam à se missum fecerit.

45 *Ad hæc, quod Cantatorii auctor hîc asserit, biographo nostro, qui, ut num.* XI *docui, anno* 937 Beregisi *acta litteris mandavit, quique proinde illo est antiquior, subnixum esse videtur. Etenim hic num.* 16 *sic scribit:* Dum autem exturbati (*Pipinus ejusque uxor Plectrudis*) in ambiguo tenerentur, quid super hoc, quod angelica manu ministratum credebatur, placitum Regi sæculorum agendum foret, Beregisus velut sibi mandatum illud cælitus fuerit, ut, quod mente diu tractaverat, divina dignatio illic adimpleri juberet, confidenter tradi sibi locum expostulat, & persuasu conjugis non posse in hoc opere tam strenuum quempiam inveniri, locum ei (*Beregiso*) tradunt, & ut monasterium debeat ædificari, insistunt. *Quibus verbis innuitur, locum* Beregiso *in sylva Arduennensi à Pipino ad ædificandum monasterium non fuisse concessum, nisi Plectrude, ejus conjuge, suadente, neminem* Beregiso *rei exsequendæ esse aptiorem, ac proin iis satis indicari videtur, Pipinum non nisi ægrè à se* Beregisum *monasterii in sylva Arduennensi ædificandi causâ dimisisse, ut adeò id, quod hac de re laudati Cantatorii auctor asserit, Sancti nostri biographo videatur esse subnixum, adstipulandumque hîc propterea illi potiùs sit, quàm Fiseno, qui nulla antiquioris scriptoris auctoritate innititur. Neque tamen hinc quis existimet, me prorsus pro indubitato habere dictum auctoris Cantatorii assertum, utut etiam biographi nostri auctoritate suffultum. Cùm enim tam hic, quàm ille multùm ab ætate* Beregisi *remoti sint, fidem omnino certam iis rebus, quas de illo, quamquam etiam communi subinde assensu, scribunt, sola sua auctoritate facere non possunt; quamquam interim biographo quòd Cantatorii auctorem ætate superet, nonnihil plus tribuendum sit, ejusque asserta omnia ita passim excipiam, acsi illa pro veris habeam. Et certè pro vero saltem ac indubitato habeo, monasterium Andaïnense, uti asserit, à* Beregiso, *fundum suppeditante Pipino, fuisse exstructum. At non item omnia alia ejus asserta; præcipuè verò ea, quæ hîc jam tractanda sunt, quaque cum Cantatorii auctore tradit de monasterii Andaïnensis origine, deque occasione, quâ ad hoc exstruendum* Beregisus *in sylva Arduennensi à Pipino locum accepit. De re poterit eruditus lector ex porrò dicendis ferre judicium.*

AUCTORE C. B.

B

E

Occasio, quâ Pipinus locum ædificando monasterio

46 *Initium duco à Cantatorii auctore. Licèt hic plerúmque, ut laudati Martenius & Durandus in prævio suo ad illam ejus lucubrationem monito rectè innuunt, fide sit dignissimus, dum de monasterii sui primordiis non agit, solúmque de his ipsis ea attingat, quæ ex chartis monasterii sui deprehendere potuit, videntur tamen chartæ, quibus usus est, antiquiores non fuisse, quàm biographus noster, ac proin, cùm hîc in argumento de dicti monasterii initiis jam tractando fidem certam facere non possit, eam etiam ille facere non potest. Hoc prænotato, en nunc ipsa huc facientia, quæ Cantatorium apud Martenium & Durandum in numeros distinctum ipso statim num.* 1 *offert verba:* In pago Arduennensi quoddam castrum Ambra dicebatur, eò quòd Amberlacensis fisci caput haberetur, quod funditus eversum, Hunis vastantibus Gallias, per annos ferè trecentos triginta septem desertum ad nihilum devenerat. Temporibus autem Pippini, qui major-domûs erat sub Theodorico rege, uxor ejus Plectrudis Amberlacum suæ ditionis fiscum parabat adire, & per prædictum locum transiens tam tædio vastæ solitudinis, quàm fervore æstatis confecta, ibidem in pratis virentibus decrevit aliquamdiu requiescere. Et cùm post exactam refectionem comites ejus longiori somno premerentur, ipsa curiosior pro equis pascentibus, ne per silvas vagarentur, neminem excitans, sola surrexit; equisque recollectis, jam lassior, dum super acervum lapidum ibi fortè congestum resideret, cartulam quamdam cælitus illapsam obstupuit coram se cadentem: quam licèt pavida corripuit, & nemini comitum ausa fidere secretum, ad virum quantociùs decrevit revertendum. Cui cùm per ordinem retulisset eventum miraculi, ille, evocato Beregiso, viro venerabili, qui tunc in Dei rebus obsequebatur eis, cartulam illi obtulit exponendam sibi.

F

concessit Beregiso ex Historia monasterii Andaginensis proponitur;

47 Consultus Sacerdos Dei respondit, locum, quò eadem cartula deciderat, à Deo esse electum, ex quo multorum animæ transire deberent ad regna cælorum. Pippino verò subjungente, quid sibi inde videretur agendum, Be-

AUCTORE C. B.

Beregisus, rapta occasione, utpote, qui jam diu deliberaverat, mundo relicto, liberiùs Deo vacare, subintulit principi, ne, quantùm in se esset, divinæ dispositioni deesset, paratum se solitudinem illam excolendam suscipere, si eam ille sibi concederet. Placuit Pippino Beregisi propositum, licèt gravaretur admodum à se suum emittere carissimum. Illo tamen sæpiùs insistente, ut rem quantocius acceleraret, Pippinus cum comitatu curialium suorum venit ad locum inventæ cælitus cartæ. Ibi facta legali donatione, & rata coram principibus suis astipulatione, locum ipsum perpetuò habendum Beregiso donavit. *Ita laudatus Cantatorii auctor, cum quo quidem quantùm ad monasterii Andaïnensis originem, occasionemque, quâ ad illud exstruendum* Beregisus *à Pipino locum accepit, biographus noster ferè consentit, atque id quidem in omnibus etiam adjunctis. Ast in eo invicem inprimis discrepant, quòd hic tantùm assignet nomen, quod monasterio in sylva Arduennensi* Beregisi *curâ jam ædificato fuit impositum; ille verò tantùm nomen prodat, quo locus, in quo* Beregisus *monasterium exstruxit, insignitus fuit diu etiam ante Sancti ætatem, ac proin ante dicti monasterii exstructionem. Tam ea, in quibus consonant, quàm ea, in quibus dissonant ambo illi scriptores, lubet discutere, atque ab iis quidem, in quibus dissonant, duco initium.*

B

hujus auctor & biographus noster in nonnullis, quæ

48 *Juxta verba duobus numeris præcedentibus ex sæpissimè laudato Cantatorio recitata locus, in quo* S. Beregisus *monasterium in sylva Arduennensi exstruxit, castrum antea fuit, quod nomine jam obsoleto* Ambrâ *erat distinctum. Ad hæc illud, cùm* Beregiso *ad ædificandum monasterium fuit à Pipino concessum, jam triginta septem ferè supra trecentos annos jacuerat in ruinis sepultum, miserumque eum in statum fuerat redactum ab Hunnis in Galliam sub Attila irrumpentibus; quod postremum ex ejusdem Cantatorii auctore intelligitur, dum lucubrationis suæ num. 2 in fine ita scribit:* Hi (*Hunni*) cum Athala rege suo vindictæ nisibus subservientes, dum Galliarum urbes & castella simul & ecclesias vastarent, hoc quoque castrum (*Ambram*) in transitu suo subverterunt. *Tria ergò hîc ab auctore Cantatorii, ut consideranti patebit, asserta occurrunt. At, an hæc omnia veritati consonant? Quod ad primum attinet, respondeo, nihil occurrere, ex quo quis pro certo possit evincere, eum locum, in quo* S. Beregisus *monasterium construxit, castrum olim non fuisse nomine* Ambræ *distinctum. Imò verò acervus lapidum, cui Plectrudis in loco illo existens, si modò rectè scribant biographus noster & Cantatorii auctor, quietem captura insedit, argumento indubiè est, ibidem certè ante ætatem sancti* Beregisi *aliquod ædificium lapideum extitisse, ac proin fortè castrum, in quo etiam juxta Cantatorii auctorem num. 3 exstitit ecclesia beati Petri, Apostolorum principis, nomini dicata, quæ à* S. Beregiso *fuerit reædificata. Ad hæc biographus noster in Prologo num. 5 hæc habet:* Hinc advertere possumus, quot tempora fluxerint à prima conditione loci hujus (*Andaïni*) qui, superno respectu disponente, ab hoc religioso Sacerdote (*Beregiso*) primùm inhabitari & instaurari cœpit. *Quibus ex verbis, cùm iis dicatur* Beregisus *instaurâsse locum, in quo monasterium exstruxit, consequens esse videtur, ut ibi juxta biographum ante* S. Beregisi *ætatem ædificium aliquod exstiterit, quod tunc, cùm locum illum ædificando monasterio à Pipino accepit, erat collapsum. In hoc fortè biographi nostri textu & in iis, quæ Cantatorii auctor, ut jam docui, de ecclesia S. Petro, Apostolorum principi, in castro, nomine Ambrâ, consecrata memoriæ prodit, præcipuè fundatur eorum opinio, qui apud Fisenum in Floribus ecclesiæ Leodiensis acervum lapidum, cui Plectrudis quietura in sylva Arduennensi à Cantatorii Andaginensis auctore & biographo nostro, ut jam vidimus, insedisse dicitur, rudera fuisse existimant collapsi templi, quod, ut* XIV *Septembris in Commentario prævio ad Vitam S. Materni num.* 176 *docuimus, quidam volunt Andaïni à S. Materno olim fuisse positum, ac S. Petro, Apostolorum principi, consecratum; hanc autem opinionem nec nos vero prorsus absimilem arbitramur.*

C

D

49 *Porrò quod jam pertinet ad secundum & tertium auctoris Cantatorii assertum de Castri, cui Ambræ nomen erat, destructione ab Hunnis sub Attila in Galliam irrumpentibus facta, deque annorum circiter* 337 *spatio, quod hanc inter & tempus, quo Sanctus monasterium ibi exstruxit, intercessisse affirmat, dubitandum minimè est, quin duo illa ejus asserta inter se nequeant componi. Etenim, uti infrà ostendam, monasterium Andaïnense seculo* VIII *ineunte, certéque, spectatis iis, quæ Cantatorii auctor & Sancti nostri biographus adstruunt, non seriùs, quàm anno* 714 *fuit exstructum. Quapropter si ab hoc anno computentur ordine retrogrado anni* 337, *quibus castrum Ambra, dum ibi monasterium Sanctus exstruxit, in suis ruinis juxta Cantatorii auctorem ab Attiliana Hunnorum clade jam jacuerat sepultum, pervenietur ad annum Christi* 377, *quo proinde, uti ex Cantatorii auctoris dictis est consequens, castrum, nomine Ambra, ab Hunnis sub Attila in Galliam tunc irrumpentibus fuerit destructum. Verùm tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus historiographis constat, Hunnos sub Attila, rege suo, non citiùs in Galliam, quàm anno Christi* 451 *irrupisse, ut adeò inter tempus, quo* S. Beregisus *monasterium Andaïnense construxit, clademque ab Hunnis sub Attila castro Ambræ illatam anni longè pauciores, quàm* 337 *intercesserint. Atque hinc jam consequens est, ut inter se componi nequeant duo auctoris Cantatorii asserta, quorum altero affirmat, annos circiter trecentos triginta septem inter monasterii Andaïnensis per* Beregisum *constructionem, & castri, cui nomen Ambræ erat, destructionem intercessisse; altero hanc eidem castro cladem ab Hunnis sub Attila in Galliam irrumpentibus fuisse illatam. Indubiè ergò Cantatorii auctor, nisi fortè, quod verisimile est, numeri ejus librariorum oscitantiâ corrupti sint, hîc erravit vel in assignando temporis spatio, quod inter monasterii Andaïnensis per* Beregisum *constructionem & cladem castro Ambræ quondam illatam intercessit, vel hanc Attilianæ in Galliam irruptioni perperàm attribuit. Atque ita nunc discussis iis, in quibus discrepantia, quæ inter Cantatorii auctorem & biographum nostrum existit, ex priori scriptore nascitur; pergo nunc ad ea, in quibus illa discrepantia à posteriori exoritur.*

hîc utcumque

E

discutiuntur, invicem discordant;

50 *Narrat itaque num.* 20 *&* 21 *noster biographus à Walcando, Leodiensi episcopo, seu, ut ipsiusmet loquendi modo utar, à Walcando, qui Tungrorum pontificatui præfectus erat, canonicis Regularibus, quos* S. Beregisus *initio in monasterio Andaïnensi instituerat, monachos fuisse, translato etiam illuc S. Huberti corpore, subrogatos, ac deinde subdit:* Sed & locum ipsum (*monasterium*

A *rium Andaïnenſe*) priſtino vocabulo , id eſt , Andaïnam cenſuit (*Wolcandus ſcilicet*) vocitandum , quod à fonte , quem illo prædiximus (*nempe num.* 17) derivari , in ſui primordio ſumpſerat. *Quibus verbis apertè innuit , monaſterium Andaïnenſe , dum primùm fuerat exſtructum , nomen ſuum traxiſſe à vicino fonte , de quo idem noſter biographus ſuprà ad num.* 17 *ita ſcripſerat :* Fontibus quoque in vicino ab humo prodeuntibus habundantiſſimè (*locus , in quo* Beregiſus *monaſterium conſtruxit*) irrigatur , ſed remotus ab hiis alius præſtantior exurgens ex eadem parte affluit , qui magnitudine ſui ceteros in ſe ſuſcipiens , amnem ſuo nomini vendicat. A commeantibus autem vel ſaltum ſive locum frequentantibus Andaïna nomen accepit. *Ita biographus , unde monaſterium à* S. Beregiſo *exſtructum* Andaïnum *fuerit vocatum & quis qualiſque fons ſit , à quo ita fuerit appellatum rectè , quantùm opinor , aſſignat. Certè ejus hac de re aſſerta faciliùs apud eruditos fidem invenient , quàm ea , quæ num. præcedenti diſcuſſimus , Andaginenſis Cantatorii auctoris aſſerta de caſtro , quod eodem in loco , in quo* Beregiſus

B *monaſterium exſtruxit , quondam exſtitiſſe affirmat , trecentiſque circiter & triginta ſeptem annis ante ætatem* Beregiſi *ab Hunnis in Galliam ſub Attila irrumpentibus fuiſſe deſtructum. At , inquies , nullus apud geographos fluviolus nomine Andaïni ſeu Andaïnæ diſtinctus occurrit. Fateor , res ita eſt : at fluviolus ille , ſeu rivulus , qui monaſterio Andaïnenſi primùm ædificato nomen fecit , unà cum ipſo monaſterio , ſive ſeriùs interim , ſive citiùs illud factum fuerit , nomen veroſimiliter mutârit. Licèt autem apud geographos nullus omnino rivulus ſeu fluviolus monaſterio Andaïnenſi , nunc* S. Huberti , *contiguus , nomine Andaïni ſeu Andaïnæ diſtinctus occurrat , occurrit tamen fluviolus ſeu rivulus , qui à Baudrando in Geographia & à Martiniero in Dictionario geographico* Homme *appellatur , ut veroſimiliter hoc nomen lapſu temporis induerit præfatus rivulus ſeu fluviolus , nomine* Andaïna , *a quo quondam monaſterium , nunc S. Huberti dictum ,* Andaïnum *fuit vocatum. Nihil ergò hinc habetur , quo biographus erroris hîc certò convincatur. Aſt num.* 21 *aliud circa præſens inſtitutum tradit , quod à non nemine fortè improbabitur. Ibi enim ſic ſcribit :* Non immeritò itaque hic locus ita

C præordinatus eligitur , qui , ymaginaria ſignificatione , id eſt , ſitu & nomine , quo Andaïnus , id eſt , irrigatio aquæ vocatur , quæ in eo gerenda erant , aptè præfigurâſſe noſcitur. *Præterquam autem , quòd verba hîc recitata ſenſum minùs clarum & nitidum reddant , neſcio , quâ linguâ quove idiomate Andaïnus vel biographi noſtri ætate vel umquam* irrigationem aquæ *ſignificârit.*

apprimè tamen in exponenda occaſione ,

51 *Atque ita jam diſcuſſimus , in quibus Cantatorii ſeu Hiſtoriæ Andaginenſis auctor & Sancti biographus invicem diſſonant : reſtat , ut nunc ea examini ſubjiciamus , in quibus ferè inter ſe conſentiunt. Cantatorii auctor quantùm ad ſubſtantiam hæc habet : Plectrudis , Pipini uxor , Amberlacum , ditionis ſuæ locum aditura , per ſylvam Ardœnnenſem multo comitatu ſtipata iter habet , ſolis æſtu , vaſtæque ſolitudinis tædio fatigata quieti ſimul corporiſque refectioni cum comitibus ſe dedit , hi , exacta refectione , longiori ſomno premuntur , Plectrudis experrectior equos huc illucque per ſylvam vagantes , nemine excitato , in unum agmen cogit , hocque facto jam laſſior , ſuper acervum lapidum ibi fortè congeſtum reſidet , chartulam quamdam cælitus delapſam coram ſe cum ſtupore videt cadentem , hanc , quamquam pavida , in manus arripit , legendamque nemini ſecretum pandere auſa ad maritum defert : hic* Beregiſum *ad ſe evocat , ab eoque ex lecta charta edoctus , locum , in quo hæc decideRat , à Deo in multorum ſalvandorum domicilium eſſe electum , divinæ voluntati obſequitur , atque eum ipſum locum ad ædificandum monaſterium Sancto , qui ad rem illam properè exsecutioni mandandam ſe ſponte obtulerat , lubens concedit. Hæc eſt juxta Cantatorii auctorem monaſterii Andaïnenſis ſeu Andaginenſis origo , hæc occaſio , quâ* Beregiſus *ad illud exſtruendum à Pipino in ſylva Arduennenſi locum accepit. Cantatorii auctori ad amuſſim ferè conſonat noſter biographus num.* 13 *& ſeqq. ; excipe tamen præcipuè , quòd nec caſtrum , nec caſtri , per quod Plectrudis in ſylva Arduennenſi iter habuerit , nomen prodat. Deinde verò , quòd tantùm aſſerat , Plectrudem inter acervum lapidum chartulam inveniſſe , non verò hanc cælitus fuiſſe delapſam.* E

quâ Beregiſus ædificando monaſterio locum à Pipino

52 *Verba huc facientia hæc ſunt :* Feſſos artus (*Plectrudis*) ſuper acervum lapidum , quem juxta locatum fortè viderat , conſedendo aliquamdiu relevare voluit. Ergo , cùm acceſſiſſet , ſubitò ob infoliditatem tumuli lapidibus in circuitu collabentibus , reſpiciens , cartam quamdam inter ſaxa decidentem miratur. *Quibus ſanè neutiquam inſinuatur chartam , de qua memorant , cælitus fuiſſe delapſam. Attamen , cùm indicent , Plectrudem non è collabentibus acervi lapidibus , ſed inter ſaxa chartam quamdam vidiſſe cadentem , non minùs Sancti biographus , quàm Cantatorii ſeu Hiſtoriæ monaſterii Andaginenſis auctor chartam illam habere videtur pro prodigioſa ſeu pro cælitus virtuteve ſuperiori Plectrudi oblata. Et verò rem ita ſe habere , perſpicuum etiam aliunde fit ex ipſomet eodem biographo. Verbis enim proximè recitatis hæc ſubdit :* Hoc miraculo (*labentis ſcedulæ*) attonita (*Plectrudis*) contingere (*ſcedulam*) præſumit , ſed quia litterarum ignara , ſubſiſtebat , quid promeret , ſcire non valens , ſed tamen hoc non ſine alicujus magnæ rei prodigio factum credens , celandam in ſinu collocat. *Chartam itaque à Plectrude inter ſaxa inventam pro prodigioſa habet tam biographus , quàm Andaginenſis Cantatorii auctor , ac proin inter illos hîc apprimè convenit. Idem fit in iis , quæ prædictæ ſcedulæ inventionem ſubſecuta eſſe , commemorant. Compendio hæc omnia num. præcedenti complexus ſum ex Cantatorii auctore , ex quo etiam integram eorumdem relationem num.* 46 *& ſeq. huc tranſcripſi , cui , an & in quibus rei adjunctis biographi noſtri relatio num.* 14 *& duobus ſeqq. Vitæ edendæ inſerta conſonet , facilè ex ambarum collatione ſtudioſus lector perſpiciet. Lubet nihilominus , ut dilucidiùs innoteſcat occaſio , quâ* S. Beregiſus *locum ædificando monaſterio in ſylva Arduennenſi à Pipino juxta biographum ſuum accepit , verba ejus , quæ num.* 15 *&* 16 *huc ſpectantia ſuppeditat , lectoris oculis hîc etiam ſubjicere.* F

impetravit , inter ſe conveniunt. At prodigium

53 *En illa :* Tunc (*allatâ à Plectrude , quam cælitus acceperat , ad Pipinum chartâ*) Beregiſo ſecretum (*Pipinus nempe & Plectrudis*) pandere curant , atque recitandam ipſam ſcedulam tradunt ; quam cùm legiſſet , quæ in ea ſcripta continebantur , conſequenter per ordinem pandit ; ſcilicet quòd locus ille , ubi inventa apparuit , à Deo electus teneretur , quoniam præſcitum eſſet , aliquando à devota plebe inhabitandum ,

AUCTORE C. B.

dum, & esse ex eo multas animas in cælum dirigendas. Dum autem exturbati (*Pipinus & Plectrudis*) in ambiguo tenerentur, quid super hoc, quod angelica manu ministratum credebatur, placitum Regi sæculorum agendum foret, Beregisus velut sibi mandatum illud cælitus fuerit, ut, quod mente diu tractaverat, divina dignatio illic adimpleri juberet, confidenter tradi sibi locum expostulat, & persuasu conjugis (*Pipini nempe nomine Plectrudis*) non posse in hoc opere tam strenuum quempiam inveniri (*quàm* Beregisum *scilicet*) locum ei tradunt, & ut monasterium debeat ædificari, insistunt. *Ita biographus noster exponit occasionem, quâ* S. Beregiso *locus in sylva Arduennensi exstruendo monasterio à Pipino fuit concessus, moxque verbis, quæ jam nunc recitata proximè sequuntur, quæque infrà locum commodiùs invenient, concessionem illam num.* 16 *docet. Verùm, inquies, an illa prodigiosæ scedulæ inventio, cujus occasione biographus & Historiæ monasterii Andaginensis auctor ferunt,* S. Beregisum *monasterio in sylva Arduennensi ædificando locum à Pipino impetrâsse, narrationibus certò veris, falsitatisque minimè suspectis meretur*

B *accenseri? Respondeo, rarum illud chartæ Plectrudi cælitus oblatæ prodigium unà cum plerisque adjunctis, quibus vestitum est, apud eruditos criticos non facilè fidem inventurum. Et verò, ut, quod meum hac in re est judicium, candidè eloquar, prodigiosam chartam illam valde suspicor pro puro & puto esse habendam commento, quod ad monasterii Andaïnensis initia illustriora facienda excogitatum fuit. Neque est, cur id cuiquam mirum accidat; solent enim monasteriorum initia, quæ hujusmodi prodigiis adscribuntur, pro commentitiis vulgo haberi, nisi solida coævorum minimèque suspectæ fidei scriptorum, aut etiam antiquorum monumentorum auctoritate inveniantur roborata. Talis autem auctoritas aut fides pro prodigioso monasterii Andaïnensis initio neutiquam militat. Etenim, cùm biographus noster, qui illud verbis minimè obscuris prodit, non citiùs, ut num.* XI *docuimus, quàm* seculo X *Sancti nostri Acta exarârit, à seculi* VIII *initio, quo monasterium Andaïnense fuit exstructum, nimiùm remotus est, quàm ut memoratum prodigium, cui ejusdem monasterii initium attribuit, certum atque indubitatum possit efficere, nisi fortè*

C *monumentis antiquioribus fide dignis deprehendatur inniti. Verùm id hîc locum certè non obtinet; ipsemet enim, uti etiam num.* XI *docuimus, sese ea, quæ litteris mandat, ex monachorum antiquiorum relatione ac proin traditione seu potiùs infidâ quasi vulgi famâ didicisse satis prodit.*

unum & alterum, quod apud hos & alibi

54 *Quod verò pertinet ad Historiæ monasterii Andaïnensis auctorem, qui pariter chartæ Plectrudi cælitus oblatæ prodigium refert, biographo nostro ætate cedit, ac proin potioris, quàm sit ille, auctoritatis esse non potest. Licèt autem, uti juxta dicta num.* 46 *laudati Edmundus Martene & Ursinus Durand in prævio suo ad monasterii Andaïnensis Historiam monito rectè docent, nihil de abbatiæ suæ initiis tradat hujus Historiæ auctor, monachus scilicet Andaginensis anonymus, nisi quod ex chartis monasterii sui deprehendere potuerit, verisimile mihi neutiquam est, eum prodigiosam monasterii sui originem, quam memoriæ prodit, ex charta aliqua, quæ biographo nostro fuerit antiquior, didicisse. Etenim hic scriptor, uti ex iis, quæ in Prologo num.* 3 *scribit, fas est colligere, antiquas monasterii sui Andaginensis chartas evolvit atque excussit, nec tamen inter eas invenit antiquam aliquam chartam, ex qua didicerit prodigium, cujus occasione* S. Beregisum *ædificando monasterio locum à Pipino accepisse narrat. Uti itaque biographus noster non potest, sic nec potest Cantatorii Andaginensis auctor indubitatum reddere chartæ Plectrudi cælitus allapsæ prodigium, cui velut occasioni primam monasterii Andaïnensis originem adscribit. Porrò prodigiosa illa, qua de jam egimus, hujus monasterii origo alio insuper prodigio, quod jam memorato absimile non est, ornatur in secunda, quam num.* 3 *jam recitavi, lectione Officii à Regularibus S. Augustini canonicis Windesemensibus, aliisque in honorem* S. Beregisi *ad* 2 *Octobris diem recitari quondam soliti. In illa enim (adi num.* 8 *hujus Commentarii prævii) narratur etiam S. Hubertus, Leodiensis episcopus, ab angelo accepisse chartulam, eamque aureis litteris exaratam, in qua idem, quod in epistola Plectrudi cælitus allapsa, continebatur, locum scilicet, in quo Plectrudis chartam suprà memoratam invenerat, à Deo esse electum, ut in eo monasterium ædificaretur, idque, ut in dicta lectione additur, in honorem Principis Apostolorum. Duplici ergò miraculo monasterii Andaïnensis origo hîc adscribitur.*

D

E

pro illa obtruditur, commentiti

55 *At nemo, quantùm opinor, erit, qui saltem hoc secundum chartæ S. Huberto ab angelo allatæ prodigium pro commentitio non habeat, ex eoque judicium ad primum pariter commenti suspectandum propensius concipiat. Ut autem studiosus lector perspiciat, quàm meritò fidem secundo hîc jam proposito miraculo denegaturus sit, lubet, quæ eò præcipuè conducunt, proferre. Vitam S. Huberti, quam Surius in quarto Sanctorum Trimestri & Joannes Robertus, Societatis nostræ sacerdos, in Historia S. Huberti typis vulgârunt, integram evolvi, nec tamen in ea chartæ S. Huberto ab angelo allatæ, cujus occasione monasterium Andaïnense seu Andaginense sit conditum, mentionem inveni. Quapropter, cùm laudatæ Vitæ auctor S. Hubertum mortem sibi instantem, angelo nuntiante, didicisse affirmet, altúmque nihilominus fileat de charta, quæ S. Huberto fuerit ab angelo allata, fit hæc meritò vel ex hoc solo commenti saltem suspecta. Ad hæc, ut num.* 36 *docui, auctor dictæ lectionis, in qua hujus chartæ prodigium refertur, non citiùs floruit, quàm sub secunda regum Francorum stirpe, imò (vide num.* 37) *verisimile est, eum Sancti nostri biographo ætate esse posteriorem. Quapropter, cùm hîc ipse scriptor ne unum quidem miraculum, quod de charta Plectrudi cælitus allapsa narrat, ob nimiam suam à re gesta temporis distantiam indubitatum possit efficere, consequens potiori jure est, ut eamdem ob causam nec auctor Lectionis plùs semel jam memoratæ indubitatum possit efficere alterum de charta S. Huberto ab angelo allata miraculum, quod priori per* Beregisi *biographum narrato superaddit, quodque, cùm apud solum insuper Mauburnum num.* 36 *laudatum, quo forsan est antiquior, inveniatur, proprio fortè marte confinxerit, ratus scilicet, fas esse in Sanctorum, conditorumque ab iis monasteriorum honorem quippiam etiam comminisci.*

F

videtur accensendum.

56 *Rectè itaque mihi feciisse videntur Regulares S. Augustini è congregatione Gallicana canonici, qui in Lectionibus Officii de* S. Beregiso *nullam omnino chartæ vel Plectrudi, vel S. Huberto divinitus allatæ mentionem faciunt, solúmque narrant, Sanctum Pipini liberalitate suffultum monasterium Andaïnense exstruxisse. Lectiones illas num.* 10 *integras dedi, ad quem propterea, ne ex his, quæ huc faciunt, describendo sim longior, studiosum lectorem remitto, atque, ut § huic finem*

A *finem imponam, ex biographo noſtro nunc, ut me facturum monui, ea verba tranſcribo, quibus narrat, Pipinum* S. Beregiſo *locum exſtruendo monaſterio conceſſiſſe. Exſtant illa num.* 16: *ſunt autem hæc:* Igitur præfatus princeps (*Pipinus*) in circuitu (*loci, in quo Plectrudi charta fuerat divinitus oblata*) ſilveſtria obambulans, quantùm competere ad planitiem propagandam vel ad ædificia ſive ad paſtum animalium, ſeu ad diverſos uſus viſum fuit, ſtatuens contulit; & etiam in Hiis, quæ circumjacentibus fiſcis retentandum reliquerat, quæcumque neceſſaria in paſtu pecorum eorum, qui cellæ adhærentes, famularentur, vel ſiqua alia opus eſſent, ut omnino quærentibus nullus prohiberet, ſtatuta lege indixit. Servorum quoque obſequia ac prædiorum jura & ex reditibus aliis ſive decimis victûs neceſſaria & quæcumque ſacerdos (*Beregiſus*) in ſumptus ædificationemque loci ab eo expoſtulavit, voluntariè cuncta conceſſit.

§ V. Sanctus monaſterium Andaïnenſe conſtruit, quo circitèr tempore id fecerit, & an monachos, an clericos ibidem inſtituerit.

B

Monaſterium Andaïnenſe ſummâ curâ

BEregiſus, *impetrato ad condendum monaſterium loco, manum operi diligentiſſimè admovit.* Beregiſus, *inquit noſter biographus num.* 17, locum illum ſaltûs, *Arduennenſis nempe à Pipino monaſterio exſtruendo conceſſum*, angelico miniſterio deſignatum expetiit, Deum ſibi adeſſe adjutorem invocans, & frondoſa quæque ſuccidere & conſtruendorum ſpatia ædificiorum dilatare ſtudioſè cœpit. *Subdit deinde nonnulla, quæ ad notitiam loci, in quo Sanctus monaſterium exſtruxit, unicè pertinent, ſicque num.* 18 *opportunè ad præſens noſtrum inſtitutum de Sancti in condendo monaſterio ſollicitudine agere proſequitur:* Ceterùm primò adveniens (*in locum ſibi monaſterio exſtruendo conceſſum*) Vir venerabilis, (*S. Beregiſus*) cùm opaca ſylvæ cuncta denſarent, omnem ſollicitudinis intentionem adhibet, omnes ad tantum opus concurrere invitat, cunctorum ſtudia exemplo & devotione ſua provocat, pontificum, comitum, aliorumque nobilium ſuffragiis nititur, cognatorum amicorumque ſubſidiis fulcitur, conſtanter die noctuque labori inſiſtit, tandemque opus gratum, divina in omnibus favente protectione, feliciter ad effectum producit. Denique monaſterium ſtatuit, baſilicam conſtructam beati Petri, principis Apoſtolorum, nomine & reliquiis conſecrat, clericorum officia delegat, annonam & reliquos ſumptus in eorum uſus neceſſarios ordinans, qui eis miniſtrarent, ſollerter inſtituens, ſed & vineas & prædiola, quæ devoti quique ſpontaneè monaſterio contulerant, diligenter procurans, ut nihil ad exteriores uſus pertinens deeſſet, magnopere providit. *Ita ſedulam Sancti in condendo monaſterio operam deſcribit ejus biographus, cui Cantatorii ſeu Hiſtoriæ Andaginenſis auctor quantùm ad ſubſtantiam num.* 3 *apprimè conſonat.*

C

58 *En etiam ejus verba:* At, *inquit*, Beregiſus continuis inſiſtens laboribus, ſolatiis etiam quorumdam fidelium adjutus, ſylveſtrem ſolitudinem purgavit, & habitabilem fecit, nec priùs abſtitit, quàm eccleſiam beati Petri, Apoſtolorum principis, quæ in præfato caſtro (*Ambrâ*) olim funditus everſa fuerat, à fundamentis reſtrueret, &, collectis ſecum religioſis clericis, abbatis nomine & officio ibidem Deo militantibus præeſſet. *Atque hæc ſunt, quæ de* S. Beregiſi, *in condendo monaſterio Andaginenſi, ejuſque eccleſia, S. Petri, Apoſtolorum principis nomini dicata, ſollicitudine & curâ duo illi ſcriptores memoriæ produnt. Joannes Robertus, Societatis noſtræ ſacerdos, quem adhuc antè laudavi, in Hiſtoria S. Huberti, Quæſtione Hubertina* VIII *pag.* 455 *& ſeq. ea ferè omnia verba, quæ nos num.* 46 *& ſeq. ex Cantatorio ſeu Hiſtoria Andaginenſis monaſterii recitavimus, in medium adducit, moxque ſubdit:* Videor mihi hinc (*ex prodigioſa nempe charta à Plectrude inventa*) non malè colligere, eo ipſo loco nunc S. Huberti eccleſiam eſſe, ubi chartula illa, *quæ in Cantatorio verbis ab illo recitatis memoratur*, à Plectrude inventa eſt, aut certè loco proximo. Erat enim, ut audiſti, acervus lapidum congeſtus, quem fas eſt credere, fuiſſe è ruinis caſtri Ambræ. Atqui eccleſia S. Petri, ab Hunnis everſa, & à Beregiſo reſtituta, in caſtro Ambra fuerat, ut paulò infrà Cantatorium habet. Adde, quòd ſemper piis Catholicis in more fuit, loca id genus prodigiis divinitus nobilitata, templis, ſacellis, crucibus, aliiſve Chriſtianis monumentis honorare. *Ita laudatus Robertus, ſentiens ſcilicet eccleſiam, quam* S. Beregiſus *Andaïni primò exſtruendam curavit, quæque deinde S. Huberti nomen induit, eo in loco conditam à Sancto illo tunc fuiſſe, ubi charta cælo delapſa, à Plectrude fuerat inventa. Et ſanè veriſimile admodum eſſet ob piorum Catholicorum conſuetudinem, ad quam hic ſcriptor provocat, intra ipſum etiam templi à* Beregiſo *conditi ambitum concluſum fuiſſe locum, in quo à Plectrude inventa fuit prodigioſa illa, cujus ſapiſſimè meminimus, chartula, niſi hæc commenti, uti ſuprà docui, meritò eſſet ſuſpecta, incertumque proinde foret, an locus ullus, in quo* S. Beregiſus *eccleſiam potuerit conſtruere, chartâ cælo delapſâ & à Plectrude inventâ, fuerit à Deo illuſtratus. Cùm itaque propterea nihil hîc, quod ſat certum aut etiam veriſimile ſit, poſſit ſtatui, à loco, quo eccleſiam Andaïnenſem exſtructam putat plùs ſemel jam laudatus Robertus, ad* S. Beregiſum *iterum revertor, diſcutioque, an huic primam illius eccleſiæ ædificationem rectè quidam abjudicent.*

AUCTORE C. B. *& ſollicitudine S. Beregiſus, non autem Volcandus,*

D

E

F

Leodienſis epiſcopus, ut quidam ex Miræo

59 *Claudius Robertus à jam nominato diverſus in Opere, quod Galliam Chriſtianam inſcripſit, pag.* 521 *de Andagino ſeu Audaïno, ut corruptè legit pro Andaïno, hæc commemorat:* Andaginum, vel Audaïnum ſancto Huberto ſacrum in ſilva Arduenna, Sainct Hubert, Ordinis Benedictini, diœceſis & ditionis Leodienſis, apud Miræum Origin. Benedict. cap. 29 & in Faſtis Belgicis, ubi fundatur à Volcando, epiſcopo XXXV Leodienſi, Beregiſo abbate primo conſtituto circa an. DCCCXXV, incenſum à Gueuſiis MDLXXII, inſtauratur piâ curâ abbatum. *Ita laudatus Claudius Robertus, qui etiam pro iis, quæ prodit, lectorem ſuum ad S. Huberti Hiſtoriam à Joanne Roberto conſcriptam, & ad caput* 34 *Hiſtoriæ Leodienſium Pontificum ab Anſelmo adornatæ & Notis à Chapeavillo illuſtratæ remittit. Ab hoc auctore non diſſentiunt tom.* 4 *pag.* 42 *Galliæ ſuæ Chriſtianæ Sammarthani Fratres.* Verùm, *inquit Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 725 *num.* 35, Neutri

AUCTORE C. B. Neutri (*Sammarthani nempe & Claudius Robertus*) Miræum legerunt. *Et verò horum ſcriptorum opinioni, quâ exiſtimant, monaſterium Andaïnenſe à Volcando, epiſcopo Leodienſi*, Beregiſo *abbate primo conſtituto circa annum* 825, *fuiſſe fundatum, tam apertè tum in Originibus Benedictinis, tum in Faſtis Belgicis citatis adverſatur Miræus, ut, cùm pro illa hunc auctorem citant, indubiè dicendi ſint vel eum non legiſſe, vel certè perperàm intellexiſſe. Idem etiam obtinet quantum ad Anſelmum, ſeu potiùs, prout infrà docebo, Ægidium, Aureæ-vallis monachum, uti etiam quantum ad auctorem Hiſtoriæ S. Huberti, quos laudati Sammarthani & Robertus pro opinione ſua pariter laudant. Ut res plana fiat, lubet verba huc facientia ex Miræo, Anſelmo, ſeu potiùs Ægidio, & ex Hiſtoria S. Huberti tranſcribere. A Miræo duco initium.*

in Originibus Benedictinis, 60 *Hic auctor in Originibus Benedictinis anno* 1606 *editis capite non quidem vigeſimo nono, quod à Sammarthanis & Roberto laudatur, ſed decimo ſexto, de monaſterio Andaginenſi ſeu Andaïnenſi hæc habet:* Cœnobii iſtius condendi auctor fuit S. Beregiſus, qui in Sarchinienſi cœnobio à S. Trudone recèns exſtructo, Regularibus diſciplinis informatus, locum hunc à Pipino, majore domus regiæ, impetravit. *Ad hæc in eodem Opere cap.* 15 *de monaſterio Trudonopolitano ſeu Sarchinienſi ſic ſcribit:* Quod, cùm ad inhabitandum decenter aptatum, in altum (*S. Trudo*) perduxiſſet, dedicari fecit à ſancto Theodardo, Trajectenſi epiſcopo, in honore SS. Quintini & Remigii, anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, (*imò vide num.* 20, *anno* 664) III Idus Octobris. *Docet ergò laudatus Miræus*, Beregiſum, *quem Sammarthani & Robertus primum faciunt monaſterii Andaïnenſis abbatem, educatum fuiſſe in monaſterio S. Trudonis recèns exſtructo. Quapropter, cùm etiam doceat, idem monaſterium anno circitèr* 660 *fuiſſe exſtructum, conſequens eſt, ut juxta eumdem Miræum* S. Beregiſus *anno circitèr* 660 *in vivis jam exſtiterit, ac proin, ut anno* 825 *primus monaſterii Andaïnenſis tunc primùm à Volcando epiſcopo conditi abbas, niſi velis, eum ducentorum circitèr annorum ætatem attigiſſe, conſtitutus non fuerit; unde ulteriùs conſequitur, ut Miræus adverſetur Sammarthanorum & Claudii Roberti opinioni, quâ exiſtimant, monaſterium Andaïnenſe anno* 825 *à Volcando, Leodienſi epiſcopo, primò fuiſſe fundatum, eique tunc primum abbatem* Beregiſum *fuiſſe præpoſitum.*

B

C

& Faſtis Belgicis, 61 *Porrò Miræus in Faſtis Belgicis à Sammarthanis & Roberto pro opinione ſua etiam laudatis ad* 2 *Octobris ita ſcribit:* S. Beregiſus abbas & fundator monaſterii Andaïnenſis: quod nunc S. Huberti dicitur, ubi & quieſcit, colitur Sarchinii ad S. Trudonem, & Andaïni ad S. Hubertum, quæ duæ nunc ſunt Benedictinorum abbatiæ in diœceſi Leodienſi. Sarchinii quidem (quod hodie eſt S. Trudonis oppidum & monaſterium) Beregiſus literarum & pietatis rudimenta hauſit. Grandior factus, ut erat nobili genere natus, cùm in aula Pipini Heriſtallii verſaretur, ab ejus conjuge Plectrude locum in media ſylva Arduenna (qui Andaïnum ab Andaïna contiguo fonte dicebatur) dono accepit, & in eo monaſterium à fundamentis ædificavit, quod ſancti Huberti, eò poſtea tranſlati, nomen induit. Vixerunt autem Andaïni primùm clerici ſeu canonici Regulares, quibus amotis, Valcandus epiſcopus Leodicenſis Benedictinos ſubſtituit, ut Jonas in Hiſtoria Tranſlationis S. Huberti commemorat. *Quibus verbis narrat, primò quidem* S. Beregiſum *ætate Pipini, cognomento* Heriſtallii, *cui uxor erat nomine* Plectrudis, *monaſterium clericorum ſeu canonicorum Regularium Andaïnenſe conſtruxiſſe; deinde verò à Valcando, epiſcopo Leodicenſi, amotis clericis ſeu canonicis Regularibus Benedictinos monachos in eodem cœnobio fuiſſe ſubſtitutos. Quapropter, cùm diſertè inprimis doceat Miræus*, S. Beregiſum *monaſterium Andaïnenſe conſtruxiſſe, certum fit, hoc juxta illum à Valcando non fuiſſe exſtructum. Deinde verò, cùm Pipinus Heriſtallius, ut plerique antiqui Rerum Gallicanarum Annaliſtæ teſtantur, anno* 714 *è vivis exceſſerit, conſequens eſt, ut juxta Miræum* S. Beregiſus *monaſterium Andaïnenſe ante annum illum exſtruxerit, ac proin ut hoc diu fuerit exſtructum ante Valcandum, cùm hic non priùs, quàm ſeculo* IX, *pontificatum Leodienſem geſſerit. Manifeſtum itaque eſt, Miræum apertè adverſari Sammarthanorum & Roberti opinioni, quâ primam monaſterii Andaïnenſis fundationem Valcando, Leodienſi epiſcopo, adſcribunt, eamque anno* 825 *innectunt.*

D

E

ex Anſelmo, Hiſtoriæ Leodienſis auctore, 62 *Diſpiciamus nunc, an eorum opinioni pariter non adverſentur Anſelmus, ſeu potiùs laudatus Ægidius, & Hiſtoria S. Huberti. Anſelmus, imò Ægidius in Additionibus ad Anſelmum, cap.* 34, *cui Chapeavilli Annotationes ſubduntur, hæc habet:* Eo tempore, *anno ſcilicet* 814, *cùm jam vitâ functus eſſet Carolus Magnus*, clerici Andaïnenſis monaſterii, cùm jam penè deficerent, utpote in tam vaſta & ſterili Heremo (*ſylva Arduennenſi*) conſtituti, accepta occaſione ſibi conſulendi, ad Walcandum, Leodienſem epiſcopum, ſe contulerunt, & quomodo prædictum locum eorum divina providentia elegiſſet, quaſque in eo paterentur neceſſitates, illi retulerunt. Lætatus epiſcopus, ſe inveniſſe oportunitatem providendi ſuæ ſaluti, ſi in eodem loco collaboraret voluntati divinæ, omnimodâ intentione id exſequendi curam concepit, &, juvante Deo, in præſentem ſtatum ſuſcitavit. Commutato Ordine clericali, anno Domini octingenteſimo decimo ſeptimo, Idus Auguſti, in die S. Laurentii martyris, cum conſilio Papæ Leonis & Lodovici imperatoris, monachorum ibi religionem conſtituit, diſpoſitis eis poſſeſſionibus, quæ ſufficerent ibi Deo ſervientium *. *Quibus verbis hic auctor ſignificat, monaſterium Andaïnenſe ætate Valcandi, Leodienſis epiſcopi, exſtructum jam fuiſſe, tantúmque ab eo, in clericorum ſeu canonicorum Regularium locum ſubſtitutis monachis, fuiſſe reſtauratum. Quapropter perſpicuum fit, eum etiam adverſari Sammarthanorum & Roberti opinioni, quâ primam monaſterii Andaïnenſis fundationem Valcando adſcribunt.*

F

* *adde* uſibus

& ex auctore item Hiſtoriæ S. Huberti, 63 *Quod jam pertinet ad Hiſtoriam S. Huberti, hujus auctor Quæſtione Hubertina* VIII *pag.* 452 *primò ſic ſcribit:* Hæc eccleſia (*quæ in caſtro Ambræ quondam exſtitiſſe fertur*) cum tot aliis ſolo æquata eſt, cùm caſtrum Ambra funditus everſum eſt, ut loquitur Cantatorium, Hunnis vaſtantibus Gallias. Addit, per annos ferè 337 deſertum fuiſſe, quod de caſtro non intelligo, niſi in numeros error irrepſit. Nam, ſi everſum ponamus ad Hunnorum, Attila duce, irruptionem, quæ à Sigeberto anno 453 ponitur, ſequetur non eſſe reſtitutum ante annum Domini 790, cùm tamen circa annum 700 Plectrudis eum ſuæ ditionis

locum

A locum adiiſſe dicatur. *Deinde verò, nonnullis interjectis, pag. ſequenti ſic proſequitur:* Igitur eccleſia S. Petri, quæ à S. Materno, ipſo naſcentis Chriſtianæ Religionis exordio, in Andaïno erecta fuit, ab Hunnis circa annum 453 everſa, circa 700 à Beregiſo ex integro ædificata eſt, &, ut arbitror, ſuper iiſdem fundamentis. *Ita hic auctor, qui, quamquam nonnulla hîc affirmet, quæ non facilè cuivis probabuntur, ea tamen profert, quibus ſe ſæpiùs memoratæ Sammarthanorum & Roberti opinioni adverſari prodit. Cùm enim primò dicat, Plectrudem anno 700 eum adiiſſe ditionis ſuæ in ſylva Arduennenſi locum, qui poſtea* S. Beregiſo *ad monaſterium ædificandum fuit conceſſus; deinde verò aſſerat, eccleſiam ab Hunnis quondam everſam, circa annum 700 ex integro fuiſſe ædificatam, conſequens eſt, juxta laudatum Hiſtoriæ S. Huberti auctorem Andaïnenſe monaſterium à Valcando, Leodienſi epiſcopo, cùm hic ante ſeculum* IX *pontificatum Leodienſem non geſſerit, exſtructum indubiè non fuiſſe, ut adeò, prout jam monui, hic auctor laudatæ Sammarthanorum & Roberti opinioni etiam adverſetur.*

B *perperàm adſtruunt, conſtruxit, hocque Valcandus,*

64 *Robertus itaque & Sammarthani, ut monaſterium Andaïnenſe à Valcando, Leodienſi epiſcopo, fundatum probent, ſanctumque* Beregiſum, *primum Andaïnenſem abbatem, qui Pipino Heriſtallio, atque etiàm, uti infrà docebo, S. Huberto, Leodienſi epiſcopo, ſynchronus vixit, in tempora Valcandi, inque annum Chriſti octingenteſimum viceſimum quintum rejiciant, Miræum, Hiſtoriam S. Huberti & Anſelmum Geſtorum Pontificum Leodienſium ſcriptorem perperàm adducunt. Ad hæc caput* 34 *Geſtorum Pontificum Leodienſium, ad quod lectorem remittunt, non ab Anſelmo, Leodienſi canonico, qui ſeculo* XI, *ſed ab Ægidio à Leodio Aureæ vallis Religioſo, qui duobus ſeculis pòſt floruit, Anſelmumque Additionibus auxit, exaratum eſt, ut adeò pro illo, ſicuti num.* 59 *ſatis innui, meque doctorum monui, ad Ægidium potiùs, quàm ad Anſelmum lector debuiſſet remitti. Ceterùm potuiſſent etiam iidem ſcriptores eodem jure, id eſt, nullo Cantatorium ſeu Hiſtoriam monaſterii Andaïnenſis, ſi librum hunc præ oculis habuiſſent, in rem ſuam adducere. Etenim Cantatorii auctor num.* 5 *de Valcando, deque ſubſtitutis ab eo in locum clericorum ſeu canonicorum Regularium Andaïni monachis idem omnino docet, quod caput* 34 *Geſtorum Pontificum Leodienſium, idque iiſdem planè verbis, ut pro certo habeam, Ægidium à Leodio, ejuſdem capitis concinnatorem, ex Cantatorii auctore, cùm hic ſeculo* XII *ineunte, ille* XIII *tantùm ſcripſerit, ea omnia hauſiſſe, quæ de Valcando, canonicisque Regularibus à* Beregiſo *quondam inſtitutis, monachiſque in eorum locum ſubrogatis tradit. Porrò hîc mirari ſubit, à Sammarthanis & Roberto Sigebertum Gemblacenſem, quem ſæpe aliàs laudant, in medium etiam ad præſens inſtitutum non fuiſſe adductum. Hic enim ſcriptor in Chronographia ad annum* 809 *ſic ſcribit:* Wachandus epiſcopatum Leodicenſem ſuſcipit, qui in Ardamna Andagium cœnobium conſtruxit. *Quibus verbis ſanè apertè tradere videtur, monaſterium Andaïnenſe à Wachando ſeu Valcando primùm fuiſſe conſtructum, ac proin plus favet laudatis ſcriptoribus, quàm Miræus, Hiſtoria S. Huberti & Anſelmus, ſeu potiùs Ægidius à Leodio, Aureævallis Religioſus.*

C 65 *Verùm, ſciſcitabitur nunc fortè aliquis, qua ratione ergò monaſterium Andaïnenſe, quod antea* S. Beregiſum *exſtruxiſſe docuimus, à Walcando ſeu Valcando, Leodienſi epiſcopo, ædificatum ſcribit laudatus Sigebertus? Reſpondeo, idcirco hunc auctorem veroſimiliter id facere, quòd, cùm Valcandus non ſolùm in dicto monaſterio clericis ſeu canonicis Regularibus, quos ibidem* S. Beregiſus *primò inſtituerat, monachos ſubſtituerit, verùm etiam, uti ex biographi noſtri verbis num. ſequenti recitandis, & ex Hiſtoria Tranſlationis S. Huberti num.* 85 *laudanda intelligitur, monaſterii reditus annuos auxerit, ædificia partim inſtaurârit, partim antiqua dejecerit, novaque eorum loco condiderit, monachorumque, quos canonicis Regularibus ſubſtituit, neceſſitatibus ſtudiosè providerit, totum illud monaſterium de novo à fundamentis exſtruxiſſe, ac fundâſſe, quodammodò dici queat. Quod ſi autem quis contendat, recitata Sigeberti verba hujuſmodi interpretationem non pati, atque adeò Sigebertum velle, primum monaſterii Andaïnenſis conditorem ac fundatorem eſſe Walcandum ſeu Valcandum, Leodienſem epiſcopum, reſpondeo, tunc à Sigeberto me hîc recedere, atque adhærere biographo noſtro, qui, cùm Sigeberto, utpote non anterioris quàm* XI *ſeculi ſcriptore, ſit antiquior, potiorem fidem meretur, dum verbis num.* 57 *recitatis primam monaſterii Andaïnenſis conſtructionem* S. Beregiſo *attribuit. Cantatorii auctorem, cùm Sigeberto fuerit æqualis, in argumenti partem hîc non adduco. Omitto etiam Miræum, auctorem Hiſtoriæ S. Huberti, & Ægidium à Leodio, qui omnes quidem apertè docent,* S. Beregiſum *eſſe primum monaſterii Andaïnenſis conditorem, ſed cum Sigeberto ætate longè cedant, nihil contra eum ex eorum teſtimonio poteſt evinci.*

AUCTORE C. B. *quidquid ex Sigeberto poſſit argui,*

66 *Solùm itaque huc tranſcribo ea verba, quæ biographus noſter num.* 20 *habet, quæque Valcandum non primum monaſterii Andaïnenſis conditorem, ſed reſtauratorem tantùm fuiſſe, oſtendunt. En illa:* Monaſterium (*Andaïnenſe*) à diſcipulis (*Beregiſi*) poſtea longo tempore rectum eſt, uſquequò dignæ memoriæ Walcandus pontificatui Tungrorum præficitur, qui cùm, inſpirante Deo, vellet in ſua diœceſi normam ſanctæ religionis augmentare, & ideò quo monachorum ordinem, juvante Deo, ſtatuere poſſet, pia intentione perquireret, locum hunc (*monaſterium Andaïnenſe*) diverſis utilitatum affluentiis opimatum pervidens, nullum in epiſcopio pro tantis oportunitatibus conferendum, & ad hoc, quod cupiebat, tam ydoneum eſſe judicavit, ideóque ſtudioſa intentione ab ipſis fundamentis innovatum & in parte Orientali tranſpoſitum & tam in ædificiorum vaſtiſſima ac nobiliori inſtauratione, quàm in agrorum, vinearum, ſervorum obſequentium ac rerum neceſſariarum varietate, & quicquid illic competebat, præſtantiſſima augmentatione excellentiſſimè nobilitatum decenti honore decoravit, corpuſque beati Viri (*Beregiſi*) in illud tranſtulit, & monachorum ordinem inſtituit, ac deinceps, quod res expoſcebat, ſeu in donorum oblatione, ſeu in hiis, quæ collata jam fuerant, ut ſubtrahere quippiam poteſtatis cujuſlibet in reliquo nemini liceret, quò cartis indita imperiali auctoritate firmata ſervarentur, ſagaciſſimo ſtudio procuravit. *Quo ex textu, cùm in eo dicatur, diſcipulos* S. Beregiſi *diu rexiſſe monaſterium à Sancto exſtructum, hocque poſtea à Walcando fuiſſe à fundamentis innovatum, clariſſimè ſanè intelligitur, monaſterium Andaïnenſe à Valcando ſeu Walcando, Leodienſi epiſcopo, fuiſſe tantùm reſtauratum ſeu potiùs*

tantùm reſtauravit,

D E F

AUCTORE C. B. *potiùs de novo à fundamentis, ut ita dicam, reſtructum. Nequit itaque, ſpectata etiam Sigeberti auctoritate, prima monaſterii Andaïnenſis conſtructio Walcando, Leodienſi epiſcopo, adſcribi, niſi huic illam velis attribui, quòd primus iſtud reſtaurârit, atque etiam, ut verbis recitatis ait biographus, ad partem Orientalem tranſpoſitum Benedictinum fecerit; verùm ſic nequeunt Sammarthani & Robertus ſuprà laudati intelligi, cùm dicti monaſterii à Valcando primùm fundati abbatem* S. Beregiſum *pronuntient.*

Fecit autem id Sanctus, 67 *Porrò, prima monaſterii Andaïnenſis conſtructione atque fundatione Sancto noſtro ita aſſerta, quo circitèr anno* Beregiſus *ſancto illi operi manum admoverit, nunc inquiro. Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 704 *num.* 41 *de tempore, quo monaſterium Andaïnenſe à* S. Beregiſo *exſtructum eſt, ſic ſcribit:* His circitèr temporibus (*anno nempe* 704) ex Pipini majoris-domûs ac Plectrudis conjugis munificentia conditum eſt in Arduenna ſylva monaſterium Andaïnenſe ſive Andaginenſe, cui primus abbas præfuit Beregiſus à nobis non ſemel jam laudatus. *Mabillonius verò tom.* 2 *Annalium Benedictinorum ad annum* 706 *pag.* 16

B *ita:* Sub idem tempus (*annum ſcilicet* 706) Andaginenſe monaſterium condi cœptum, quod à tranſlato iſtuc ſancti Hucberti, Tungrenſis epiſcopi, corpore cognomen accepit. *Referunt ergò ambo hi ſcriptores monaſterii Andaginenſis ſeu Andaïnenſis conſtructionem ad ſeculi* VIII *initium; verùm neuter, cur id faciat, rationem ullam affert. Quapropter, cùm nihilominus & nobis monaſterium Andaïnenſe tunc conditum fuiſſe videatur, lubet hîc, ut curioſo lectori ſatisfiat, unam alteramve rationem, quâ inducti laudatis binis ſcriptoribus aſſentiamur, in medium proferre.* S. Beregiſus *inter annum Chriſti* 691 *&* 700 *in comitatum Pipini Heriſtallii aſſumptus fuit, in eoque* (*vide num.* 40) *diu etiam, antequam monaſterium Andaïnenſe exſtrueret, ac proin per aliquot ſaltem annos manſit. Quare, ſi Sanctus, uti veriſimile eſt, per decennium ſaltem in Pipini comitatu, antequam dictum monaſterium exſtrueret, manſiſſe ſtatuatur, erit hæc conſtructio ad initium ſeculi* VIII *referenda. At, cùm tempus, quo Sanctus in Pipini comitatum aſſumptus fuit, num.* 40 *probârim ex dictæ conſtructionis tempore, neceſſe eſt, ut hoc, ne circulum committam, aliâ etiam viâ oſtendam. Rem ergò ſic facio.*

C 68 *Pipinus Heriſtallius, quo fundum ſuppeditante,* Beregiſus, *ut num.* 57 *& ſeq. docuimus, in ſylva Arduennenſi monaſterium Andaïnenſe, nunc* S. Huberti *dictum exſtruxit, anno* 714, *ut adhuc antè monui, vitâ functus eſt. Quapropter, cùm monaſterium illud ante principis illius obitum condi cœptum ſit, dubium non eſt, quin ante annum decimum quartum ſeculi* VIII *condi cœperit. Jam verò biographus noſter num.* 24 *ita ſcribit:* In hiis miraculorum prodigiis uterque (*S. Hubertus & S. Beregiſus*) admirandus, uterque extollendus; qui & in carne manentes uno eodemque tempore ambo provinciam (*ſaltum Arduennenſem*) prædicatione & animarum ſalute illuſtrârunt, ac locum hunc, (*monaſterium Andaginenſe*) ut præſentia corporali, ita conſecratione ſpirituali dedicaverunt. *Quibus ultimis verbis ſignificare videtur, eccleſiam Andaginenſem, ut primùm fuerat exſtructa, à S. Huberto fuiſſe conſecratam. Quapropter, cùm S. Hubertus, ut communiter ab omnibus recipitur, non citiùs, quàm anno* 708 *epiſcopatum Leodienſem geſſerit, conſequens eſt, ut Andaginenſis eccleſia, à* S. Beregiſo *exſtructa, ante annum illum non fuerit à S. Huberto conſecrata. Quod ſi autem, uti admodum veriſimile eſt, eadem eccleſia quatuor annis, aut paulò ampliùs, antequam à S. Huberto conſecraretur, ædificari jam cœpta ſtatuatur, inter annum circitèr* 704 *&* 714 *ædificari cœpta erit, atque adeò ejus, monaſteriique, ad quod ea pertinet, conſtructio ad ſeculi* VIII *initium referenda erit; ſi modò nempe eccleſia, à* S. Beregiſo *exſtructa, à S. Huberto fuit conſecrata.*

D 69 *Et verò eccleſiam, quam* S. Beregiſus *Andaïni exſtruxit, à S. Huberto revera conſecratam fuiſſe, D. Adulphus Happart, monaſterii S. Huberti ſub annum* 1535 *monachus, in Hiſtoria monaſterii ſui Ms. etiam affirmat. Diſco id, licèt hanc præ oculis non habeam, ex Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptoribus. Hi enim tom.* 3 *col.* 966 *in ſubjuncta ad annum* 704, *quo circitèr monaſterium Andaïnenſe à* Beregiſo *conditum Cointius pronuntiat, obſervatione hæc habent:* Anno 687 (*conditum nempe eſt monaſterium Andaïnenſe*) ex monaſterii (*Andaïnenſis*) codice Ms., qui inſcribitur Cantatorium: at ſi S. Hubertus

E cœnobii oratorium conſecravit, uti legitur in Hiſtoria ejuſdem aſceterii Ms. auctore D. Adulpho Happart, ejuſdem loci monacho ſub annum 1535; cùm idem S. Hubertus non ante annum 708 ex Cointio creatus fuerit epiſcopus, origo cœnobii differenda videtur, *ultra annum ſcilicet* 687. *Ita laudati Scriptores opportunè ad propoſitum noſtrum docentes, eccleſiam, quam* S. Beregiſus *Andaïni conſtruxit, juxta præfatam, quam D. Adulphus Happart adornavit Hiſtoriam, à S. Huberto fuiſſe conſecratam. Verùm, quòd ex monaſterii Andaïnenſis codice Ms., qui* Cantatorium *inſcribitur, iidem Scriptores aſſerunt, monaſterium Andaïnenſe anno* 687 *eſſe conſtructum, certè id nuſpiam apertè in codice illo traditur; nec locus in eo occurrit, ex quo id meritò colligas, imò unus eſt, ex quo conſequi videtur, monaſterium Andaïnenſe anno circitèr* 708 *aut alterutro ex duobus ſequentibus eſſe conſtructum. Etenim codex ille, qui Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptoribus, cùm anno* 1725 *Operis ſui tomum tertium ederent, Ms. præluxit, anno* 1729 (*vide num.* 37 *hujus Commentarii prævii*) *operâ & ſtudio Edmundi Martene & Urſini Durand typis eſt vulgatus, hujuſque lucubrationis auctor num.* 7 *ſic ſcribit:* Ipſe quo-

F que ſanctus Pontifex (*Lambertus*) poſt in brevi... martyrio coronatus occubuit, eique in epiſcopatu B. Hubertus ſucceſſit. Quo etiam tempore dono prædicti Pippini, ejuſque uxoris Plectrudis locum Andaginum cælitus deſignatum excolendum Beregiſus ſuſcepit. *De S. Lamberto, Trajectenſi epiſcopo, ad* XVII *Septembris egimus, oſtendimuſque Commentarii prævii* § VIII *martyrium ejus anno* 709 *probabiliùs eſſe innectendum. Fuit ergò probabiliùs S. Hubertus, proximus S. Lamberti in ſedem Trajectenſem ſucceſſor, non citiùs, quàm anno* 709, *creatus epiſcopus.*

oſtenditur, initio ſeculi VIII. 70 *Quapropter, cùm juxta verba Cantatorii Andaginenſis proximè recitata* S. Beregiſus *locum Andaginum excolendum, monaſterii ſcilicet conſtructione, ſuſceperit eo ipſo tempore, quo S. Lambertus martyrio coronatus eſt, eique in epiſcopatum S. Hubertus ſucceſſit, conſequens eſt, ut monaſterium Andaginenſe juxta laudatum Can-*

A *Cantatorium anno circitèr* 709 *aut* 710 *fuerit exſtructum. At, inquies, in eodem Cantatorio num.* 1 *etiam innuitur, monaſterium Andaïnenſe condi cœpiſſe, cùm Pipinus eſſet major-domus Theodorici, atque adeò cùm hic rex, qui anno* 691 *obiit, in vivis adhuc ſuperſtes regnaret. Fateor, res ita habet: verùm, cùm Theodoricus pluribus annis regnârit, nemo hinc meritò colligat, monaſterium Andaïnenſe determinato anno* 687 *ſecundùm Cantatorium condi cœpiſſe. Ad hæc hujus auctor veroſimillimè hîc hallucinatur. Ad tempus enim ſeculo* VIII *anterius hîc refert monaſterii Andaïnenſis originem; debet autem hæc, uti etiam verbis num. præcedenti recitatis rectè facit, initio ſeculi* VIII *collocari. Tunc enim illam (vide num.* 68) *collocat noſter biographus. Adhæc num.* 28 *ſic ſcribit:* Monaſterii (*Andaïnenſis*) decus (*S. Hubertus & S. Beregiſus*) in loco divinitus electo ac deſignato ardentiſſima devotione exſtruxerunt. *Quibus verbis vult S. Hubertum, veroſimiliter jam epiſcopum, unà cum* S. Beregiſo *monaſterium Andaïnenſe exſtruxiſſe. Jam verò, cùm S. Hubertus, ut docuimus, probabiliùs non ante annum* 709 *creatus ſit epiſcopus; monaſte-*

B *rium autem Andaïnenſe, ut pariter docuimus, ante annum* 714 *condi cœptum ſit, conſequens eſt, ejus originem, ſpectato hîc iterum biographo noſtro, initio ſeculi* VIII, *& quidem inter annum* 709 *&* 714 *collocandam eſſe. Malo tamen eam, quò minùs ſubſit errandi periculum, ad initium ſeculi* VIII, *prout jam num.* 68 *feci, dumtaxat referre. Atque ita determinato jam, utcumque potui, tempore, quo circitèr Sanctus noſter monaſterium Andaïnenſe exſtruxit, inquirendum reſtat, an ibi primùm monachos, an canonicos Regulares inſtituerit. Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum* 725 *num.* 35 *& ſeqq., Sanctum ibi primò clericos ſeu canonicos Regulares inſtituiſſe contendit. Cointio aſſentitur auctor Hiſtoriæ S. Huberti ſuprà laudatæ. Idem faciunt etiam plerique Scriptores Benedictini, eoſque inter, uti ex num.* 21 *hujus Commentarii prævii intelligitur, ipſemet Menardus, licèt interim contendat,* S. Beregiſum *non canonicum Regularem, ſed monachum fuiſſe.*

ibique canonicos Regulares primò inſtituit, C

71 *Mabillonius tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 16 *ſic ſcribit:* Andaginum à Pippino Plectrudis interventu (*Beregiſus*) adeptus, eo loci monaſterium ſtatuit, baſilicam beati Petri Apoſtolorum principis nomine ac reliquiis conſecrat, eamque clericis CANONICO ORDINE MILITANTIBUS tradidiſſe, ipſeque Pater in eodem habitu ſociatus fuiſſe dicitur. *Quibus verbis, cùm de monachis à* S. Beregiſo *Andaïni primùm inſtitutis nuſpiam mentionem faciat, ſatis indicat, ſeſe alienum non eſſe à Menardi, aliorumque num. præcedenti laudatorum opinione, quam etiam Sæculo* IV *Benedictino, parte* 1 *pag.* 294 *diſertè amplectitur. In eamdem etiam ſententiam eunt Benedictini item Galliæ Chriſtianæ auctæ Scriptores. Etenim tom.* 3 *col.* 966 *de monaſterio Andaginenſi hæc memorant.* Andaginenſe ſeu Andaïnenſe S. Petri, modò S. Huberti monaſterium, ordinis quondam canonicalis, nunc Benedictini, poſitum eſt in Arduenna ſilva ad amnem ſeu fontem Andaginam vel Andaïnam, à quo primum locus nomen accepit. *Liquet igitur ex plurium Benedictinorum aliorumque ſcriptorum opinione, à* S. Beregiſo *Andaïni canonicos Regulares, non autem monachos, primùm fuiſſe inſtitutos. Attamen, en, bini hîc recentiores Benedictini Ordinis ſcriptores ſeſe offerunt, qui contrarium conten-*

dunt. Sunt autem hi, quos ſæpe jam laudavi, AUCTORE C. B. *Edmundus Martene & Urſinus Durand. Etenim tom.* 4 *Collectionis veterum Scriptorum col.* 917 *& ſeq. in ſuis ad Cantatorium ſeu Hiſtoriam monaſterii Andaginenſis Annotationibus ſic ſcribunt:* Clericos ſæculares in monaſterio Andaginenſi à Beregiſo abbate inſtitutos fuiſſe vulgò ferunt; at repugnare videtur, quòd Beregiſus ipſe ſub religionis habitu in Trudoniano monaſterio educatus clericos ſæculares in vaſta ſolitudine adunaverit. Certè clericorum nomine ſæpiùs intellectos fuiſſe olim monachos, docet Mabillonius in Præfatione ad Sæculum 2 Benedictinum. Mihi omnino probabile videtur, primos Andaginenſis monaſterii inhabitores monachos fuiſſe, quibus ignoto nobis aliquo caſu ſubſtituti fuerunt clerici, & his iterum monachi. *Ita laudati Cantatorii Andaginenſis editores, aut, cùm in ſingulari numero efferatur opinio verbis recitatis contenta, ſaltem unus eorum, qui Notas ſuas Cantatorio ſubnexuit.*

non monachos, prout rationibus paràm E 72 *Verùm expendamus nunc ſingula, quæ in memorata ad Cantatorium obſervatione continentur, aſſerta.* Clericos ſæculares in monaſterio Andaginenſi à Beregiſo abbate inſtitutos fuiſſe, vulgò ferunt. *Primum hoc eſt præfatæ Obſervationis aſſertum. At, quæſo, quinam illi ſunt, qui ferunt, canonicos ſæculares in monaſterio Andaginenſi à* Beregiſo *abbate fuiſſe inſtitutos? Iis veroſimiliter Hiſtoriæ Andaginenſis ſcriptorem non accenſebit aut certè, uti ex dicendis num.* 74 *pateſcet, accenſêre meritò non poteſt Obſervationis auctor, cùm hanc inſtituat occaſione verborum, quibus ille uum.* 3 *indicat,* Beregiſum *collegiſſe ſecum in monaſterio Andaïnenſi* religioſos clericos, *iiſque ibidem Deo militantibus abbatis nomine & officio præfuiſſe. An fortè illud ferunt biographus noſter, iſque, qui caput* 16 *Chronici Trudonenſis (neque enim hoc ab uno eodemque ſcriptore concinnatum eſt) litteris expreſſit? An fortè Molanus, Miræus, aliive recentiores ſcriptores? Verùm Molanus, cui Miræus apertiſſimè aſſentitur nec repugnat Menardus, in Natalibus Sanctorum Belgii loco ſuprà citato ait, Andaïni ex primæva inſtitutione fuiſſe, non* clericos Sæculares, *ſed* clericos ſive canonicos Regulam profeſſos. *Quod verò jam pertinet ad biographum noſtrum & illum, qui caput* 16 *Chronici Trudonenſis conſcripſit, prior num.* 19 *ait,* S. Beregiſum *in monaſterio à ſe exſtructo* clericis canonico ordine militantibus *in eodem habitu eſſe ſociatum. Idem etiam affirmat poſterior. Debentne forſan hîc per* clericos canonico ordine militantes *intelligi* clerici ſæculares? *Nemo ſanè ſive Martenio ſive Durando id aſſerenti facilè aſſentietur. Et certè, ne in Chronico Trudonenſi per* clericos canonico ordine militantes *intelligi poſſint* clerici ſæculares, *obſtant verba num.* 19 *adhuc producta, quæ verbis ex eodem Chronico num.* 31 *recitatis proximè ſubduntur. Sunt autem hæc:* Quod (*monaſterium Andaïnenſe*) modò S. Huberti in Arduenna nuncupatur, ubi Waſo, Leodienſis epiſcopus, delato eòdem à Trajecto corpore dicti S. Huberti, pro canonicis Regularibus monachos inſtituit. *Quibus verbis clarè aſſeritur, canonicos Regulares Andaïni tunc ſaltem fuiſſe, cùm Waſo ſeu Walcandus, Leodienſis epiſcopus, iis monachos ſubſtituit, ac proin conſequens eſt, ut etiam tunc in monaſterio illo canonici Regulares exſtiterint, cùm à* Beregiſo *primò fuerat exſtructum.*

73 At, *inquit, ne hanc concluſionem cogatur*

AUCTORE C. B. *solidis in Observatione quadam*

admittere, Observationis sæpiùs memoratæ auctor, omnino probabile videtur, primos Andaginensis cœnobii inhabitatores monachos fuisse, quibus ignoto nobis aliquo casu substituti fuerunt clerici, & his iterum monachi, *à Valcando nempe. Verùm quo ex capite Observationis auctori omnino probabile videtur, primos Andaginensis cœnobii inhabitatores monachos fuisse, iisque ignoto aliquo casu clericos, sæculares scilicet, ut contendere debet hic auctor, substitutos jam fuisse, antequam his Walcandus seu Waso monachos iterum subrogaret? Evolvi scriptores bene multos tum Benedictinos, tum alios, qui Ordinis S. Benedicti non sunt; ne vel unum autem invenire quivi, qui opinioni illi ab Observationis auctore adstructæ, non dicam, faveat, sed vel favere videatur, ut adeò novellum dumtaxat inventum eo fine, quem mox aperiam, confictum mihi esse appareat.* At, *inquit idem Observationis auctor,* repugnare videtur, quòd Beregisus ipse sub religionis habitu in Trudoniano monasterio educatus clericos sæculares in vasta solitudine adunaverit. *Ita ille, contendens scilicet vel ob vastam solitudinem, in qua* Beregisus

B *monasterium Andainense construxit, clericos sæculares à primæva institutione ibidem non fuisse, vel ob ipsummet monasterii ejusdem conditorem,* S. Beregisum, *qui sub religionis habitu in monasterio Trudoniano fuerat educatus. Verùm, neque ex priori, neque ex posteriori capite quidquam habetur, quod opinionis ab Observationis auctore adstructæ confirmationi subserviat. Non ex posteriori ob jam dicta num. 21 & seqq.; non ex priori, primò quidem quia, uti ex jam dictis manifestum est,* S. Beregisus *non clericos* sæculares, *ut perperàm adstruit Observationis auctor, sed* Regulares *in monasterio Andainensi primò instituit; licè autem fortè repugnaret, Sanctum in vasta solitudine adunâsse clericos* sæculares, *non propterea tamen repugnaret, in ea adunâsse ipsum clericos* Regulares. *Deinde verò quia, si ob vastam solitudinem, in qua* S. Beregisus *monasterium Andainense construxit, verisimile sit, ibidem à primæva institutione clericos sæculares non fuisse, eamdem ob vastam solitudinem, in qua idem monasterium ante ætatem Walcandi situm mansit, verisimile etiam esse debet, ibi nec ante ejusdem Walcandi ætatem clericos sæculares monachis*

C *à* S. Beregiso, *ut contenditur, primò institutis, fuisse subrogatos, quod tamen vult sæpissimè laudatæ Observationis auctor.*

ad Cantatorium Andaginense

74 *Ad hæc, fac ex ratione aliqua aliunde quàm ex veterum testimonio aut monumentorum fide quæsita minùs verisimile videri, Andaini primò clericos seu canonicos Regulares à* S. Beregiso *fuisse institutos, quid, quæso, hæc potest evincere contra apertum Cantatorii seu Historiæ monasterii Andaginensis testimonium, quo, ut suprà dixi, clarè asseritur* S. Beregisus *clericos religiosos Andaini secum collegisse, iisque abbatis nomine præfuisse? Ait quidem Observationis auctor, Clericorum nomine, ut docet Mabillonius in Præfatione ad Sæculum 2 Benedictinum, sæpiùs intellectos olim fuisse monachos. Verùm ex subsequentibus in eodem Cantatorio verbis manifestum fit per* clericos religiosos *ibidem monachos non posse intelligi. Etenim verbis num. 58 recitatis hæc proximè subduntur:* Quo (*S. Beregiso*) post labores hujus peregrinationis ad Deum migrante, longo pòst tempore successores ejus ibi (*in monasterio Andainensi*) perseveraverunt in clericali schemate, donec Ludovico Pio imperatore, filio Caroli Magni, regnante, divina D dispositio locum eumdem ampliavit, *dum nempe eumdem Walcandus, Leodiensis episcopus, restauravit. Clerici ergò à* S. Beregiso *Andaini instituti perseverârunt à sancti sui Conditoris obitu usque ad regnum Ludovici Pii, atque adeò usque ad monasterii Andainensis restaurationem à Walcando, qui eò monachos introduxit, anno* 817 *factam, idque sub veste clericali, seu, ut ait Cantatorium,* sub clericali schemate; *unde indubiè consequitur, ut juxta Cantatorium in monasterio Andaginensi usque ad ætatem Walcandi, donec hic illud restauraret, clerici exstiterint sub eodem habitu, sub quo, vivente* S. Beregiso, *exstiterant. Jam verò, cùm certum sit, ipsequemet Observationis auctor admittat, ætate Walcandi in monasterio Andainensi, donec hoc ille restauraret, clericos exstitisse, non monachos, ac proin, hos habitum clericalem, non monasticum tunc gestâsse, consequens est, ut, vivente* Beregiso, *religiosi ejusdem monasterii incolæ hujusmodi habitum pariter gestârint, atque adeò, ut à primæva institutione clerici seu canonici Regulares exstiterint, non verò monachi, quibus deinde ante Walcandi, Leodiensis episcopi, ætatem* E *clerici fuerint substituti.*

75 *Nequit itaque à me, utpote nulla vel monumenti vel scriptoris antiqui fide seu auctoritate subnixa, pro omnino probabili admitti prædicta Observationis auctoris opinio, nec verò pro tali illam ipsemet, quantùm opinor, obtrusisset, nisi sibi propositum habuisset* S. Beregisum *& S. Trudonem Ordini suo Benedictino quoquo modo asserere. Videbat enim, si admittatur* S. Beregisum *Andaini clericos seu canonicos Regulares instituisse, contra* S. Beregisi *ac dein contra S. Trudonis monachatum, ut suprà contra solius* Berigisi *monachatum jam feci, sic posse argui: verosimillimum est,* Beregisum *Andaini ejusdem, cujus ipse erat, professionis homines instituisse, atque adeò, si clericos seu canonicos Regulares Andaini instituit, clericum seu canonicum Regularem fuisse. Jam verò, si* Beregisus *canonicum Regularem fuerit professus, consequens est, ut S. Trudo Sarchinii, cùm ibi* Beregisus *sub hujus disciplina diu vixerit, eamdemque haud dubiè vivendi normam, quàm ceteri ejusdem loci religiosi incolæ, sit secutus, canonicos Regulares pariter instituerit, atque adeò, ut ipsemet, cùm eo loco verosimillimè* F *suæ professionis homines posuerit, clericus seu canonicus Regularis, non autem monachus exstiterit. Hoc argumentum fortissimè sanè tam contra S. Trudonis, quàm contra* S. Beregisi *monachatum militat; ideoque vehementissimè suspicor, Observationis auctorem non alio fine, quàm ut illius vim eluderet, primos monasterii Andainensis incolas contra receptissimam opinionem facere monachos, non canonicos Regulares. Ceterùm, inquiet non nemo, cùm* S. Beregisus *clericos seu canonicos Regulares, uti ex jam disputatis certum atque indubitatum videtur, Andaini primò instituerit, quamnam illis Regulam servandam præscripsit? Respondeo, id me prorsus ignorare, atque adeò etiam an & in quibus hæc diversa fuerit à Regula, quam hodie canonici Regulares profitentur. Clericos interim seu canonicos à Sancto Andaini institutos* Canonicorum Regularium *nomine distinxi ac porrò distinguam, tum quòd dubium mihi non sit, quin Regulam saltem aliquam sibi à Sancto habuerint præscriptam, tum etiam quòd multi eruditi scriptores suo exemplo ad id me inducant.*

contenditur.

§ VI

A

§ VI. Sanctus vineas quasdam à Grimberto comite monasterio suo obtinet, an S. Huberto in convertendo ad fidem pago Arduennensi cooperatus sit, quo circitèr tempore obierit & quis honor ei, velut Sancto, post mortem fuerit delatus.

Ex charta, quâ Sancto Vineas quasdam donat

CUm ergò, *inquit biographus noster in Prologo num.* 3, de hiis (*tempore & majore-domûs Pipino, sub quo Sanctus floruit*) cunctarer, contigit chartam reperiri, quæ sub custodia ecclesiæ reservatur repositа. Hæc namque sub ipsius venerabilis abbatis (*Beregisi*)

B tempore ipsius nomini data est à quodam illius temporis comite, nomine Grimberto, & per ipsam donatio vinearum Treveris, quæ adhuc in jure monasterii (*Andaïnensis*) retinentur facta. Cùm ergò hanc discuterem, & pro difficultate barbaricæ scripturæ non facilè penetrarem, adverti in ultimo, quod ipsa proponebat in quinto anno Theoderici regis se editam fuisse. Inde recurrens ad ea volumina, ubi regum suprà dictorum gesta describuntur, repperi sub Theoderico rege Francorum, Pipinum cognomento Minorem filium Ansgisi Austrasiis cum quodam Martino ducatum præbuisse; sed Martino ab Ebroïno, qui major palatii erat, interfecto, eodemque Ebroïno pòst interempto, Pipinum principale regimen sub rege adeptum. *Ita ratiocinatur Sancti nostri biographus, ut Pipinum illum, quo majoratum-domûs in Austrasia gerente*, S. Beregisum *palatium incoluisse, antè asseruerat, fuisse probet Pipinum, Ansegisi filium, cognomento* Heristallium. *Verbis enim proximè recitatis, postquam nonnulla alia interposuit, num.* 4 *hæc subjungit:* Videtur namque sub illius Pipini, filii Ansgisi, id est, Junioris, tempore hunc venerabilem Virum (*S. Beregisum*) fuisse, scilicet quoniam, dum Austria ipso duce potiretur, Theodoricus, cujus suprà dicta scedula (*charta, quâ Grimbertus comes* S. Beregiso *donationem facit*) nomine roboratur, regni gubernacula agebat. *Totum autem hujus scriptoris ratiocinium, ut consideranti patebit, eò ferè recidit: Pipino majoratum-domûs in Austrasia gerente, rex erat Theodoricus, cujus anno quinto memorata donationis* S. Beregiso *facta charta notatur; ergò Pipinus, quo majoratum-domûs in Austria gerente*, S. Beregisus *palatium incoluit, fuit Pipinus, filius Ansegisi, cognomento* Heristallius.

Grimbertus comes, ostenditur Pipinum, sub quo

77 *Verùm, quamquam ex charta donationis à Grimberto comite* S. Beregiso *facta, quæ charta anno quinto Theodorici regis data notatur, probari quidem possit, Pipinum, sub quo Sanctus palatium incoluisse dicitur, fuisse Pipinum Heristallium, peccat nihilominus biographi nostri ratiocinium ex eo, quòd Theodoricum, cujus anno quinto præfata donationis charta emissa signatur, faciat Theodoricum tertium, qui anno* 673 *in Neustria & Burgundia, ac deinde anno* 678 *etiam in Austrasia regnare incepit, annoque* 691, *ut nunc communior fert opinio, è vivis excesserit. Theodoricus enim, sub quo Pipinus majoratum-domûs gessit, sine ulla controversia est Theodoricus tertius; Theodoricus autem, cujus anno quinto vinearum quarumdam apud Treviros donationem à Grimberto comite, addito ad donationis munimen authentico chartæ instrumento,* S. Beregisus *impetravit, fuit Theodoricus IV, cognomento* Calensis. *Rem sic ostendo: Memorata vinearum donatio, uti ex verbis biographi num.* 76 *recitatis liquet, à Grimberto comite facta est* S. Beregiso *in favorem monasterii Andaginensis, ac proin, postquam hoc jam esset exstructum. Jam verò, cùm initio seculi* VIII, *ut num.* 67 *& seqq. docuimus, dumtaxat sit exstructum, consequens est, ut Theodoricus, cujus anno quinto præfata charta signatur emissa, non sit Theodoricus III, cùm hic ante initium seculi* VIII, *anno scilicet* 691 *è vivis excesserit. Theodoricus ergò, cujus anno quinto vinearum quarumdam apud Treviros donatio* S. Beregiso *fuit facta, est Theodoricus IV seu* Calensis, *quo cognomine distingui ab historicis solet, quòd è monasterio Calensi, cui fuerat inclusus, ad Francorum solium fuerit evectus. Accidit autem id, uti apud omnes ferè eruditos in confesso est, anno* 720; *unde consequitur, ut sæpiùs memorata vinearum donatio seu potiùs chartæ ad eam roborandam confectio, cùm anno quinto Theodorici regis consignetur, anno Christi* 725 *aut certè* 726 *contigerit.*

AUCTORE C. B.

E

Sanctus palatium incoluit, Pipinum Heristallium fuisse,

78 *At, inquies, cùm Theodoricus, uti jam contra* S. Beregisi *biographum luculenter ostensum est, non sit Theodoricus III, qui, Pipino Majoratum-domûs gerente, regnavit, quâ ratione jam ex præfata donationis charta anno quinto Theodorici regis notata probari sat certò potest, Pipinum, sub quo* Beregisus *palatium incoluisse dicitur, fuisse Pipinum, cognomento* Heristallium? *Respondeo, id à me sic ostendi:* Beregisus *vel sub Pipino Heristallio, vel sub Pipino Landensi, vel sub Pipino, qui cognominatur* Brevis, *palatium incoluit, ac proin, cùm id neque sub Pipino, qui cognominatur* Brevis, *neque sub Pipino, qui* Landensis *vocatur, accideri, reliquum est, ut sub Pipino Heristallio evenerit.* Beregisum *autem neque sub Pipino Landensi, neque sub Pipino Brevi palatium incoluisse, sic probo: Sanctus, cùm in Pipini, cujus palatium incoluisse dicitur, comitatum assumptus fuit, viginti quinque ut minimùm annorum ætatem jam attigerat, eratque tunc, cùm monasterium Andainense construere incepit, quadraginta ut minimùm annorum, uti necessariò consequitur ex sacerdotio, ad quod jam, cùm in comitatum Pipini assumptus est, juxta dicta num.* 18 *erat promotus, & ex mora, quam apud Pipinum, antequam monasterium exstrueret, in palatio secundùm jam antè dicta fecit. Jam verò, cùm Pipinus Landensis anno circitèr* 640 *miseram hanc & mortalem vitam cum beata & immortali commutârit, ex memorata donationis charta, cùm hanc* S. Beregisus *anno quinto Theodorici Calensis, id est, anno Christi* 725 *aut* 726 *à Grimberto comite impetravit, certissimè consequitur, ut Pipinus, sub quo palatium incoluisse Sanctus dicitur, non sit Pipinus Landensis, nisi velis* Beregisum, *cùm præfatam chartam à Grimberto comite impetravit, centum & viginti quinque annorum ut minimùm fuisse. Quod jam pertinet ad Pipinum Brevem, hîc non ante annum* 741 *majoratum-domus gessit, ac proin, cùm San-*

F

AUCTORE C. B.

ctus, antequam monaſterium Andaïnenſe conſtrueret, atque adeò antequam donationis chartam in hujus favorem à Grimberto comite impetraret, palatium ſub Pipino aliquo, majore-domus, incoluerit, ex charta illa, cùm anno quinto Theodorici Calenſis, id eſt, anno Chriſti 725 aut 726, ac proin, antequam Pipinus Brevis major-domûs eſſet, ſtatuatur emiſſa, certiſſimè etiam conſequitur, ut Pipinus, ſub quo majoratum-domûs tenente, S. Beregiſus *palatium incoluiſſe dicitur, non ſit Pipinus Brevis. Quapropter, cùm etiam, uti priùs docui, non ſit, ſpectatâ, qua de hîc ſermo eſt, donationis chartâ, Pipinus Landenſis, conſequens eſt, ut ſit Pipinus Heriſtallius, ſub quo quò minùs Sanctus palatium credatur incoluiſſe, nihil impedit. Etenim Pipinus Heriſtallius ſeculo* VII *ſeneſcente majoratum-domûs gerere incepit, eumque uſque ad annum* 714, *quo obiit, etiam tenuit; potuit ergò ſub hoc jam majore-domûs* S. Beregiſus, *antequam in favorem monaſterii à ſe exſtructi donationis chartam à Grimberto comite anno* 725 *aut* 726 *impetraret, palatium incoluiſſe, ſimulque tunc, cùm prædictam chartam impetravit, ætatem ſide majorem non attigiſſe.*

B

Sanctus in convertendo ad fidem ſaltu Arduennenſi

79 *Atque ita jam definito tum rege, quo regnante,* Beregiſus *donationem vinearum à Grimberto comite impetravit, tum majore-domus, ſub quo Sanctus palatium incoluiſſe dicitur, progredior nunc ad aliud, quod à biographo noſtro de* S. Beregiſo *num.* 27 *& ſeq. refertur. En ejus verba:* Nulli, *inquit,* ergò dubium, quin in eadem gratia (*prædicatione Euangelii*) beatum patrem Beregiſum cooperatorem (*S. Hubertus*) habuerit, quandoquidem in monaſterio, quod in ipſo territorio (*Arduennenſi Beregiſus*) exſtruxerat, bonis operibus deſudans, uno in tempore eodem charitatis ardore fervens & ſub eo (*S. Huberto*) gradum quoque ſacerdotii ipſe (*Beregiſus fuit*) adminiſtrans; credibile habetur, quòd & ipſe conſequenter reverendus Pontifex (*S. Hubertus*) illius monaſterii (*Andaïnenſis*) ac loci amplificandi cooperator extiterit. Simul etenim prædicationi inſtantes alterna devotione provocati & paganorum multitudinem in eadem terra (*Arduennenſi*) conſiſtentium ad fidem veram, Deo juvante, perduxerunt, &

C

monaſterii decus in loco divinitus electo ac deſignato ardentiſſima devotione exſtruxerunt. *Ita hactenus Sancti noſtri biographus ex conjectura potiùs, quàm ex certa notitia aut etiam accepta à ſenioribus monaſterii ſui monachis traditione aſſerens,* S. Beregiſum *S. Huberto in Euangelii prædicatione populorumque in ſaltu Arduennenſi habitantium ad fidem converſione cooperatorem exſtitiſſe. Etenim, ubi narravit,* S. Beregiſum *S. Huberto ſynchronum vixiſſe, huncque præcipuè è territorio Arduennenſi, divina miſerante clementia, idololatriam diſpuliſſe, mox ſubdit:* Nulli ergò dubium, quin in eadem gratia (*Euangelii prædicatione, atque idololatriæ expulſione*) beatum patrem Beregiſum cooperatorem (*S. Hubertus*) habuerit. *Quo certè concludendi modo, ſpectatis præmiſſis, innuere videtur, ſeſe S. Huberto in opere Euangelico cooperatorem idcirco tantùm adjungere* Beregiſum, *quòd hic illi, dum è territorio ſeu ſaltu Arduennenſi idololatriam penitus fugavit, in eodem terrarum tractu ſynchronus vixerit.*

80 *Verùm utut ſit, cùm S. Hubertus ab anno circitèr* 709 *uſque ad annum* 727 *ſedem Trajectenſem tenuerit, illi ſanè, qui jam diſputata de tempore exſtructi monaſterii Andaïnenſis conſiderârit, dubium eſſe non poteſt, quin* S. Beregiſus *S. Huberto ſynchronus vixerit. Ad hæc certum eſt, S. Hubertum multis in locis ac præcipuè in ſaltu Arduennenſi idolorum cultum ſummâ curâ ſummoque niſu aboleviſſe. Etenim in Sancti hujus Vita à Joanne Roberto ſuis in hanc Notis, Quæſtionibuſque Hubertinis præfixa cap.* 4 *de S. Huberto hæc leguntur:* Omnem namque Arduennam hiſce cultibus (*idolorum profanorumque rituum*) hactenus mancipatam in brevi ſacrilega ſervitute liberatam, famulitio Domini ſubjugavit. *Cùm itaque S. Hubertus idolorum cultum in ſaltu Arduennenſi penitus exſtirpârit, populoſque tractus hujus ad verum unius Dei cultum adduxerit, veroſimillimum ſanè mihi eſſe apparet id, quod biographus noſter, quamquam fortè dumtaxat conjectando, ſcribit, ſanctum nempe* Beregiſum *in ſylva Arduennenſi verſantem S. Huberto, cui contemporaneus exſtitit, ſtrenuam operam in abolendo idolorum cultu, populiſque ad veram fidem convertendis navâſſe. Atque id quidem confirmatur utcumque ex Cantatorii ſeu Hiſtoriæ Andaginenſis auctore. En adeò etiam ejus verba:* Et quia, *inquit num.* 7 *ſub finem,* B. Hubertus pro cura animarum ſibi credita, ut in Vita ejus legitur, per omnem Arduennam ſtuduit evacuare idololatriam, quæ adhuc ibidem ſupererat, liquet, quod ex confrequentatione commeandi uterque (*Beregiſus & Hubertus*) fuit notiſſimæ cognitionis, ejuſdemque in Deum dilectionis & devotionis, nec minùs etiam cooperationis in hoc loco (*monaſterio Andaïnenſi*) divinæ electionis, utriuſque inſtantiâ prædicationis, fatiſcente perfidia, in eodem territorio profecit augmentum Chriſtianæ religionis; unde &, largiente Domino, conceſſum eſt, ut, quos ipſa provincia adhuc in carne poſitos meruit habere doctores, eoſdem cum Chriſto regnantes, habeat ſpecialiter patronos & defenſores.

operam Juam, ut veriſimile eſt, locavit S. Huberto,

E

81 *Quo textu, cùm in eo dicatur* utriuſque, *S. Huberti ſcilicet &* S. Beregiſi, inſtantiâ prædicationis, fatiſcente perfidia, in eodem territorio (*Arduennenſi*) profeciſſe augmentum Chriſtianæ religionis, *perſpicuè ſanè innuitur,* S. Beregiſum *S. Huberto in prædicando per ſaltum Arduennenſem Euangelio, veroque Dei cultu propagando opem tuliſſe. Licèt autem, quod de hoc argumento verbis recitatis ſcribit Cantatorii auctor, ex biographo noſtro veroſimiliter deprompſerit, huicque ille, uti jam docui, ætatis prærogativam cedat, pondus tamen qualecumque ad biographi aſſerta idcircò addit, quòd pro gravi auctore ab eruditis habeatur, quódque, quæ in Cantatorium ſeu monaſterii Andaginenſis Hiſtoriam à ſe concinnatam ex ſcriptoribus antiquioribus transfert, ea ſaltem calculo ſuo approbare videatur. Porrò Cantatorii auctor, uti in opere Euangelico ſeu verbi Dei prædicatione* S. Beregiſum *S. Huberto, ſic hunc illi in monaſterii Andaïnenſis conſtructione coadjutorem adjungit. In textu enim mox recitato hæc habet:* Uterque (*S. Hubertus & S. Beregiſus*) fuit notiſſimæ cognitionis, ejuſdemque in Deum dilectionis, & devotionis, nec minùs etiam cooperationis in hoc loco (*monaſterio Andaïnenſi*) divinæ electionis. *Cantatorii auctori hac in re haud dubiè etiam præluxit* S. Beregiſi *biographus. Hic enim in fine textûs, quem ex illo proximè recitavimus, ità habet:* Simul etenim (*S. Hubertus & S. Beregiſius*) prædicationi inſtantes, alterna devotione provocati & paganorum multitudinem in eadem terra

hicque viciſſim in condendo monaſterio Beregiſo, qui & abbas

F

A terra (*ſaltu Arduennenſi*) conſiſtentium ad fidem veram, Deo adjuvante, perduxerunt, & monaſterii (*Andaïnenſis*) decus in loco divinitus electo ac deſignato ardentiſſima devotione extruxerunt. *Quibus verbis ſanè, & quidem multò clariùs, quam Cantatorii auctor, indicat, S. Hubertum* S. Beregiſo *in condendo monaſterio Andaïnenſi adjutorem exſtitiſſe.*

huic à Sancto illo epiſcopo fortè præfectus,

82 *Mutuam itaque juxta biographum noſtrum & Cantatorii Andaginenſis auctorem opem ſibi tulerunt SS. Hubertus &* Beregiſus *in ſaltûs Arduennenſis populis ad verum unius Dei cultum convertendis, & in monaſterio Andaïnenſi exſtruendo, atque hoc quidem mihi admodum veroſimile apparet. Quapropter, cùm S. Hubertus anno circiter* 709 *creatus ſit Trajectenſis epiſcopus, facilè jam eruditus lector, quantum opinor, perſpiciet, primò quidem, non parùm hinc, ut prænonui, confirmari epocham, ad quam num.* 70 *innui monaſterii Andaginenſis conſtructionem poſſe referri; deinde autem vero etiam abſimile non eſſe, quod lectionum num.* 7 *&* 8 *recitatarum auctor lectione ſecunda in fine ſcribit,* S. Beregiſum *monaſterio Andaïnenſi ſeu clericis Regulariter vi-*

B *ventibus, quos in eo congregaverat, à S. Huberto abbatem fuiſſe præfectum. Etenim, ut Thomaſſinus tom.* 1 *lib.* 3 *de Veteri & Nova Eccleſiæ Diſciplina cap.* 26 *& ſeq. docet, ſæpe epiſcopi monaſteriis ſuperiores ſeu abbates præficere tunc ſolebant. Quamquam autem apud Ordinis Benedictini monachos libera abbatis juxta S. Benedicti Regulam electio plerúmque facta fuerit, eadem tamen ratio apud clericos in communi viventes, ſeu apud canonicos Regulares, utpote epiſcopis magis ſubjectos, tam frequenter fortè non obtinuit. Quapropter, cùm S. Hubertus, ut docuimus, Trajectenſem ſedem tunc tenuerit, cùm canonicum Andaïnenſe monaſterium fuit exſtructum, vero ſanè abſimile non apparet, huic* S. Beregiſum *à S. Huberto abbatem eſſe præfectum aut certè inſtitutum ſeu ordinatum. Utut ſit, dubium ſaltem non eſt, quin* S. Beregiſus *non ſolùm primus monaſterii Andaïnenſis conditor, ſed & abbas exſtiterit.* Clericos *autem ſuos, quos ibi regendos habuit,* & diſciplinis, *ut Molanus, ſuprà plùs ſemel laudatus, legi aſſerit, & revera apud Mauburnum legitur,* inſtruxit Regularibus, atque in ſpiritualibus & temporalibus promovit. Quibus, *inquit biographus noſter num.* 19, clericis, *à* S. Beregiſo *Andaïni congregatis,* canonico ordine militantibus ipſe (*S. Beregiſus*) pater in eodem habitu eſt ſociatus, & cum eis indeſinenter in laude Chriſti Domini vacans, filioſque verbo & exemplo erudiens, plurimorum ſpatia annorum in hoc loco religioſam vitam ducendo advixit, & poſteros ſaluberrimæ doctrinæ ſtudiis informatos hæredes monaſterii derelinquens è præſentis ſæculi labore ad æternam requiem emigravit. *Quibus ex verbis meritò colligitur, Sanctum* clericis canonico ordine, *ut biographus loquitur,* militantibus *primum abbatem præfuiſſe.*

C

ſeculo VIII *non nihil provecto è vivis*

83 *Ad hæc ex iiſdem verbis, cùm* Beregiſus *iis dicatur è vivis non exceſſiſſe, niſi cùm jam* plurimorum ſpatia annorum religioſam vitam *Andaïni* ducendo *vixiſſet, pronum etiam eſt colligere, Sanctum, ſpectata ſaltem ætate, ad quam, cùm monaſterium Andaïnenſe condidit, erat provectus, ad ſenectutem valde longævam perveniſſe. At, inquies, quantam quidem ætatem* Beregiſus, *cùm obiit, jam attigerat, quove circiter anno miſeram hanc & mortalem vitam cum beata & immortali commutavit? Reſpondeo, me nec annum, quo Sanctus è vivis exceſſit, nec ætatem, quam tunc habuit, pro certo poſſe determinare, dubium tamen non eſſe, quin ſeculo* VIII *nonnihil jam provecto, & ſeptuagenario major, aut certè ſeptuagenarius circiter è vivis exceſſerit. Etenim* Beregiſus, *ut num.* 16 *& ſeq. docui, anno circiter* 660, *aut fortè etiam quinquennio citiùs mundo natus eſt; monaſterio autem Andaïnenſi à ſe exſtructo donationis chartam num.* 77 *alibique pluries memoratam à Grimberto comite anno* 725 *impetravit, atque adeò tunc in vivis adhuc exſtitit. Jam verò, cùm ab anno* 660 *uſque ad annum* 725 *anni* 65, *& ab anno* 655 *uſque ad annum* 725 *anni* 70 *intercurrant, conſequens eſt, ut Sanctus, cùm donationis chartam à Grimberto comite impetravit, ſeptuagenarius circiter exſtiterit, ac proin, ut è vivis non priùs exceſſerit, quàm ſeptuaginta circiter annorum ætatem attigiſſet. Imò, cùm monaſterium Andaïnenſe anno circiter* 710, *ut ſaltem ex dictis num.* 68 *& duobus ſeqq. veriſimillimum eſt, condi cœptum ſit, Sanctuſque in eo jam condito, ut biographus ejus verbis proximè recitatis innuit, clericis ſeu canonicis Regularibus* plurimorum ſpatia annorum, *antequam moreretur, abbas præfuerit, annique tantùm quindecim ab anno* 710 *uſque annum* 725 *excurrant, mihi ſat veriſimile eſt, eum multis etiam annis ultra annum Chriſti* 725, *quo memoratam chartam à Grimberto comite impetravit, vitam produxiſſe, ut adeò octoginta aut etiam plurium annorum ætatem attigerit, veroſimiliterque è vivis non priùs exceſſerit, quàm ſeculum* VIII *media circiter ſui parte jam eſſet elapſum, atque hinc eſt, cur in capite hujus Commentarii prævii deſignans tempus, quo Sanctus ad Dominum migravit, ſeculum* VIII *nonnihil provectum in margine notârim.*

AUCTORE C. B.

E

exceſſit, fuitque poſt mortem, ſeculo ſaltem X, *imò etiam citiùs*

84 *Diſpiciat nunc ſtudioſus lector, num oſtenſum jam non ſit, uti oſtenſurum me, num.* 9 *prænonui, annum Sancti noſtri emortualem in lectione num.* 8 *ex quorumdam canonicorum Regularium Proprio recitata anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo nono perperàm ſignari, ego interim, ut reliqua de Sancto noſtro tractanda expediam, ea nunc propono, quæ honorem ei velut Sancto poſt mortem feliciſſimè obitam delatum fuiſſe commonſtrant. Dubium non eſt, quin* Beregiſo *ſeculo* X, *quo ejus biographus floruit, honores Sanctis proprii fuerint delati. Etenim is ſcriptor verbis num.* 5 *recitatis apertiſſimè id indicat. Ad hæc num.* 28 *ſic ſcribit:* Ad eorum (*S. Huberti & Beregiſi*) interceſſionem promerendam devota plebs fidelium in feſtis illorum & aliis certis temporibus cum magna frequentia concurrit, & eorum memoriam jugiter expetendo xenia oblationum copioſè offert, ut quos in primordio fidei Patres digni habiti ſunt accipere, horum ſubſidio & interceſſione fulti, quorum ſpiritus agmen inter agmina Sanctorum conſequi confidunt, votorum ſuorum compotes effecti, æternæ lucis requiem, Chriſto propiciante, mereantur adipiſci. *Subdit deinde, quæ locum tenent orationis, quâ à Domino adverſus ſpirituales inſidias SS. Huberti &* Beregiſi *meritis & interceſſione auxilium flagitatur, ut adeò, quemadmodum num.* 5 *jam docui, indubiè ſeculo* X, *quo biographus noſter floruit, ii ipſi honores, qui Sanctis ſolent deferri,* Beregiſo *fuerint delati. Verùm, inquies, nonne etiam citiùs eadem veneratione in monaſterio Andaïnenſi & apud fideles Arduennenſes Sanctus fuit gaviſus?*

F

85 *Biographus noſter iis ipſis verbis num.* 66

jam

AUCTORE C. B.

honoratus ut Sanctus, utpote de terra levatus,

jam recitatis, quibus docet, monaſterium Andaïnenſe à S. Beregiſo *priùs exſtructum, à Walcando deinde ſeu Valcando aut Volcando, ſubſtitutis in locum clericorum ſeu canonicorum Regularium monachis, fuiſſe reſtauratum, docet etiam tunc, cùm id factum eſt,* S. Beregiſi *corpus de terra fuiſſe levatum, atque in idem monaſterium ab ipſis fundamentis ferè renovatum ſeu potiùs in monaſterii eccleſiam de novo exſtructam fuiſſe tranſlatum. Walcandum, Leodienſem epiſcopum, monaſterium Andaïnenſe reſtaurâſſe, ex diſputatis num 65 & ſeq. ſat certum apparet; at, quò id magis indubitatum lectori evadat, lubet huc etiam Jonæ, Aurelianenſis epiſcopi, qui Walcando ſynchronus vixit, teſtimonium tranſcribere. Hic apud Joannem Robertum in Hiſtoria Tranſlationis S. Huberti cap. 16 hæc ad præſens inſtitutum commemorat:* Obtulit ſe ejus (*Walcandi*) munificentiæ cella quædam, antiquo nomine vocata Andagium, quæ olim quidem inhabitatoribus habitus canonici floruit, ſed per exceſſum temporis, vetuſtate nimia collapſa & deficientibus habitatoribus, penè fuerat annullata. Hæc ergò ſe materiam quamdam obtulit ejus munificentiæ; in quâ liberalitatis ſuæ laxatis habenis, quàm vacuus tenacitatis eſſet, non in-
B anibus verbis, ſed executione oſtendit operis. Namque hac penè à fundamentis reſtaurata, in melioremque ſtatum denuo renovata, poſthabitâ avaritiâ, nobiliter ejus ſtatum compoſuit, ædificiis honeſtis nobilitavit, & exceptis prædiis, quæ olim religioſorum virorum largitate poſſedit, alia de epiſcopio ſuo ſupperaddidit, incolaſque loci illius monachos eſſe voluit. *Quibus verbis luculentiſſimè docet, monaſterium Andaïnenſe à Walcando fuiſſe reſtauratum. At quo anno hæc inſtauratio, ac proin corporis Sancti noſtri elevatio, quæ unà cum illa proximè fuit conjuncta, veroſimiliùs contigit?*

in eccleſiam de novo exſtructam anno circiter 817 tranſlatus.

86 *Mauburnus in ſuo Sanctorum canonicorum Regularium Venatorio, quod num. 36 etiam laudavi, ſic ſcribit*: Anno... octingenteſimo undecimo Walcandus Leodienſis epiſcopus ſextus (*Leodienſibus nempe epiſcopis accenſendo S. Hubertum, qui ſedem Trajecto Leodium tranſtulit*) in ſua diœceſi monachorum monaſteria & Ordinem erigere voluit. Inter cætera nullum vidit hoc loco (*monaſterio Andainenſi*) apertius. Unde
C ædificia innovans corpus ſancti Beregiſi exaltavit. *Accidit ergò juxta hunc ſcriptorem monaſterii Andaïnenſis reſtauratio, corporiſque* S. Beregiſi; *exaltatio anno* 811. *Verùm Cantatorii Andaginenſis auctor, cui Ægidius, ejus deſcriptor, in ſuis ad Anſelmum Leodienſem hiſtoricum additionibus aſſentitur, verbis num. 62 ex illo recitatis monaſterii Andaginenſis reſtaurationem, ſeu ſaltem monachorum in eo canonicis Regularibus factam ſubſtitutionem anno* 817 *innectit. Puto autem hîc adſtipulandum potiùs eſſe Ægidio, quàm Mauburno. Etenim, uti integrum Jonæ mox laudati caput* 16, *ex quo jam pauca recitavimus, pervolventi fiet perſpicuum, monaſterii Andaïnenſis reſtauratio facta eſt, regnante Ludovico Pio, ac proin, cùm hic princeps anno* 814 *regnare inceperit, conſequens eſt, ut monaſterii Andaïnenſis reſtauratio, atque adeò etiam corporis* S. Beregiſi *elevatio ſeriùs, quàm anno* 811 *acciderit. Fuerit ergo monaſterii Andaginenſis reſtauratio aut certè monachorum loco clericorum ſeu canonicorum Regularium in illud jam reſtauratum ſubſtitutio anno, ut ait Cantatorii Andaginenſis auctor & ex illo Ægidius,* 817 *veroſimiliter peracta. Quapropter, cùm illa monachorum in locum clericorum ſubſtitutio à biographo noſtro verbis num. 66 recitatis conjungatur cum corporis* S. Beregiſi *elevatione, conſequens eſt, ut hæc vel eodem anno* 817, *vel fortè paulò ſeriùs, contigerit. Unde ulteriùs conſequitur, ut jam ab initio etiam ſeculi* IX S. Beregiſus, *ut Sanctus, fuerit habitus. Alia de antiquiori veneratione ei, velut Sancto, exhibita, comperire non potui: quæ verò ad cultum eccleſiaſticum Sancto hodiedum deferri ſolitum pertinent,* § 1 *vide expoſita.* D

VITA

Auctore monacho Andaginenſi anonymo.

E Ms. Rubeæ-vallis ex ſecunda Hagiologii Brabantinorum parte deſumpto. a E

PROLOGUS.

Conqueritur auctor de Scriptorum antecedentium *b*

MEmoriam beati Beregiſi abbatis monaſterium Andagienſe *b*, cujus fundator divino exſtitiſſe cognoſcitur nutu, intra ſe feliciter retinens gaudet. Sed hoc devotionis gaudium non parùm impedit, quòd tanti Viri geſta, quamlibet plura cum communi verbo à pluribus valeant enunciari, unde tamen correctiùs in publico recitentur, chartâ minimè habeantur, quod inertiâ vel potiùs ignaviâ tunc temporis ſcriptorum contigiſſe credimus. Non enim adeò parva fuerunt, quæ de hujus venerabilis Viri geſtis memoriæ digna ſcriptis commendari potuerunt, cùm nomini ejus ab illo tempore celebriter habito memoriæ reverentia impendatur *c*, factorumque ſeu loci hujus inſignia magni *c*
eum fuiſſe meriti proteſtentur. Itaque, deſiderantibus fratribus noſtris, ea, quæ de ipſo ha- F
ctenus referuntur, & orantibus atque jubentibus à noſtra parvitate impleri, opus ſuſcepimus injunctum, ſi Dominus meritis illius conceſſerit, perficiendum, quod non temerariè, ut reor, agitur, cùm & in hoc illis ſive aliis devotis viris paruerim, & debitè Patroni acta *d*, quæ jam *d*
jamque memoriæ diffugienda comperi, ſcriptis, etſi inertibus, retinenda digeſſerim.

ignavia, decetque, unde ea, quæ ſcripturus eſt,

2 Quæ autem conſcribenda aggredior, à quibus didicerim, quoniam multi ſunt ſuperſtites, plurimi verò jam defuncti, præſertim, cùm ſubveniat in mente, in ipſis rudimentis puritiæ quædam eorum agnoviſſe, cùm de iis ſermocinantibus ſenioribus monachis Otberto, Wlberto, & Beregrinno cum genitore vel ſibi invicem interfuerim, nominatim exprimere non neceſſe videtur. Solùm dixiſſe ſufficiat, quòd ea tantùm conſcribuntur, quæ omnium penè majorum circa locum converſantium, antiquorum relatione, tradita teſtimonio ita fuiſſe adhuc probatur *e*. Sub quo verò tempore idem *e*
fuerit Vir, quia certum retinetur, ſub Pipino eum palatium incoluiſſe, cùm ſollicitarer, ſub quo Pipino, quoniam tres, qui Auſtraſiis Fran-

cis

A cis ducatum præbuiſſe noſcuntur, fuiſſe leguntur *f*; quorum poſterior, deficientibus, qui ex proſapia Clodovei, primi Chriſtiani Francorum regis, à Deo regni ſceptris potiti fuerant ſecundùm fidem eorum, qui geſta Regum Francorum conſcripſerunt, primus ex iſta regum, quæ nunc jam deficit, in regnum ſublimatus eſt *g*.

f

g

didicerit, quo circiter tempore

3 Cùm ergò de hiis cunctarer, contigit chartam reperiri, quæ ſub cuſtodia eccleſiæ reſervatur repoſita. Hæc namque ſub ipſius venerabilis abbatis tempore ipſius nomini data eſt à quodam illius temporis comite, nomine Grimberto *h*, & per ipſam donatio vinearum Trevirîs, quæ adhuc in jure monaſterii retinentur, facta. Cùm ergò hanc diſcuterem, & pro difficultate barbaricæ ſcripturæ non facilè penetrarem, adverti in ultimo, quòd ipſa proponebat in quinto anno Theoderici regis ſe editam fuiſſe *i*. Inde recurrens ad ea volumina, ubi regum ſuprà dictorum *k* geſta deſcribuntur, repperi ſub Theoderico rege Francorum, Pipinum cognomento Minorem, filium Anſgiſi *l*, Auſtraſiis cum quodam Martino *m* ducatum præbuiſſe *n*; ſed Martino ab Ebroïno, qui major palatii erat, interfecto *o*, eodemque Ebroïno pòſt interemptò *p*, Pipinum principale regimen ſub rege adeptum *q*; habuiſſe verò eumdem Pipinum nobiliſſimam mulierem, nomine Plectrudem, ex qua ſuſcepit filios, Drogonem & Grimoaldum, quorum Drogo dux Campaniæ factus ante patrem defunctus eſt *r*; Grimoaldus verò, cùm eſſet piis moribus major palatii, Leodii interfectus eſt à quodam Raingario nequam in baſilica ſancti Lamberti martyris *ſ*.

h

i

k

l

m

n

o

p

q

r

ſ

S. Beregiſus floruerit.

4 Ex quadam verò nobili femina *t* idem Pipinus dicitur procreâſſe filium, quem ruſtico nomine vocavit Karolum *u*, qui adultus ferocis animi poſt patris deceſſum innumeras ſtrages hoſtium ubique victor celſa poteſtate præditus exercuit *x*. At poſt hujus quoque deceſſum duo ſolium ejus, Karolomannus ſcilicet & Pipinus, ducatum ſuſcipiunt *y*. Sed Karolomannus Romam adiens monachus efficitur *z*; Franci verò, depoſito rege, qui ex ſtirpe Clodovei ignobiliter adhuc ſupererat, ac tonſurato, Pipinum in regem ſtatuunt *aa*. Hic Pipinus, cognomento Parvus, magnæ & ipſe devotionis atque potentiæ, eccleſiaſticis cantibus à Roma delatis, eccleſias Francorum hiis nobilitari inſtituit *bb*. Hic genitor fuit Magni Caroli, Francorum, omniumque Gallorum, Germanorum, Saxonum & Italorum, aliarumque multarum gentium potentiſſimi regis *cc*. Videtur namque ſub illius Pipini, filii Anſgiſi, id eſt, Junioris tempore hunc venerabilem Virum fuiſſe; ſcilicet quoniam, dum Auſtria ipſo duce potiretur, Theodericus, cujus ſuprà dicta ſcedula nomine roboratur, regni gubernacula agebat *dd*. Qui Pipinus, ut in geſtis ejus invenitur, ſeptingenteſimo XIV ab Incarnatione Domini anno deceſſit *ee*.

t

u

x

y

z

aa

C

bb

cc

dd

ee

& quo ipſemet anno hujus Acta litteris mandárit.

5 Hinc advertere poſſumus, quot tempora fluxerint à prima conditione loci hujus, qui, ſuperno reſpectu diſponente, ab hoc religioſo Sacerdote primùm inhabitari & inſtaurari cœpit. Hinc, denique ſecundo anno Ottone, filio Henrici, Saxonum regnum agente *ff*, qui eſt ab Incarnatione Domini nongenteſimus tricèſimus ſeptimus *gg*, conſtat à Pipini obitu, cujus evo, ſucciſo nemore, ſpacium metitur ad manendum, CCXXIII annorum elapſa curricula *hh*. Verùm hoc ſanctæ religionis habitaculum poſtea à piæ recordationis Walcando Tungrorum epiſcopo in hoc, quo cernitur, ſtatu reformatum, ac monachorum ordine, quod primordio ſui canonicum ſervaverat, inſignitum, ſanctiſſimi quoque confeſſoris Huberti, ipſo epiſcopo devotiſſimè procurante, reliquiis & nomine illuſtratum *ii*, ſemper etiam venerandis oſſibus illius beati Viri ſeu beneficiis clarificatum refulget; ſed quanti privilegii dono exordium incolatus acceperit, latiùs eſt in conſequentibus deſcribendum. Primùm quàm inimitabilis vitæ fuerit idem Vir perpaucis demonſtrare cupientes, ab ipſis rudimentis, quantum comperimus, adjuvante Domino, & mentis illius exordium ſumere cenſuimus.

ff

gg

hh

ii

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Ms. Rubeæ-vallis, è quo noſtrum tranſumptum eſt, hunc ſibi habet præfixum titulum:* Vita ſanctiſſimi Beregiſi abbatis domeſtici Pipini ducis Brabantiæ ſecundi hujus nominis; *verùm is nec à biographo noſtro videtur profectus, nec Pipinum* Brabantiæ ducem hujus nominis ſecundum rectè appellat. *Adi Commentarium prævium num* 12 *& ſeq.*

b *Celeberrimum hoc Ordinis S. Benedicti in ſylva Arduennenſi cœnobium, nunc* S. Huberti *dictum, cujus brevem notitiam num.* 2 *Commentarii prævii ſuggeſſi, minùs frequenter* Andagium, *à qua tamen nomenclatura* Andagienſe *apud biographum noſtrum hîc vocatur, quàm* Andainum *aut* Andaginum *vocatum inveni, atque hinc eſt, cur dictum monaſterium in Commentario prævio ubique* Andainenſis *ſeu* Andaginenſis, *nuſpiam autem* Andagienſis *nomine diſtinxerim.*

c *His ultimis verbis:* Cùm nomini ejus (*Beregiſi*) ab illo tempore celebriter habito memoriæ reverentia impendatur, *vult forſan innuere biographus,* S. Beregiſi *memoriam ab illo tempore, quo poſt conditum Andainenſe ſeu Andaginenſe monaſterium vitâ functus eſt, in ſacris habitam fuiſſe; unde ſequeretur, Sanctum ſtatim poſt felicem ſuum ex hac mortali vita exceſſum Sanctorum honoribus ſecundùm ſcriptorem illum eſſe gaviſum. Certè hic num.* 19 *per hæc verba:* Memoriæ quoque ejus (*Beregiſi*) exinde honorificentia impenditur, *innuere videtur,* Beregiſum *honore Sanctis proprio gaudere.*

d *Monachum, & quidem Andaginenſem ſe prodit hic auctor. Vocat enim loci hujus, id eſt, monaſterii Andaginenſis incolas* fratres ſuos, *&* S. Beregiſum *nomine* Patroni *diſtinguit. Vide Commentarii prævii num.* XI.

e *Apertiſſimè hîc declarat Sancti biographus, ex ſola ſeſe traditione ab antiquioribus monaſterii Andainenſis monachis accepta,* Beregiſi *Vitam in litteras conferre. Vide tamen Commentarii prævii num.* 12.

f *Quorum nempe prior eſt Pipinus, à recentioribus ſcriptoribus nomine antiquis ignoto* Landenſis *ſeu* Landinenſis *idcirco vocatus, quòd Landis, tenui nunc Brabantiæ oppidulo, ſit ſepultus; alter Pipinus* Heriſtalliùs, *qui &* Junior *ratione prioris, qui avus ejus exſtitit, nuncupatur, ac demum tertius, qui* Brevis *ſeu* Parvus *à ſtaturâ corporis cognominatur. Prior, ut in ejus Vita legitur, ex Itta ſeu Iduberga conjuge, inquit Cointius in Annalibus ad annum* 640 *num.* 5, *tres reliquit liberos, Grimoaldum, Beggam & Gertrudem. Verba, cùm ad trium, quos jam me-*

A. ANONYMO. *memoravi, Pipinorum notitiam acquirendam, eorumque inter se cognationem cognoscendam maximè conducant, huc transcribo. Sunt autem hæc:* Grimoaldus (*Pipini Landensis filius*) sese cum sancto Cuniberto pontifice fortiter strinxit, cumque esset vir strenuus, & instar patris diligeretur à pluribus, factus est major-domûs in palatio Sigeberti, & omne regnum Austrasiorum in manum ejus confirmatum est vehementer. Begga (*altera Pipini Landensis filia*) duci Ansigiso felici matrimonio juncta generosæ familiæ ac nobilissimorum regum mater extitit. Genuit siquidem Pippinum ex se Juniorem, sicut nomine ita factis quoque & moribus omni honestate vitæ (*excepta certè adulterii labe*) avo consimilem. Virgo Gertrudis electissima fuit angelorum sponsa. *Quibus ex verbis manifestum fit, Pipinum Juniorem seu Heristallium Beggæ, quæ filia erat Pipini Landensis, fuisse filium, atque adeò in avum maternum habuisse Pipinum Landensem. Quapropter, cùm Pipinus Heristallius Pipini Brevis per filium suum Carolum Martellum avus pariter exstiterit, partim hinc, partim ex verbis, quæ mox ex Vita Pipini Landensis produxi,*
B *trium Pipinorum inter se cognatio eluceſcit; quo verò circitèr tempore singuli floruerint, num.* 78 *Commentarii prævii ostendi.*

g *Hic scriptor, ut num.* XI *& seq. Commentarii prævii docuimus,* S. Beregisi *Vitam litteris commendavit anno* 937; *anno autem hunc proximè prægresso Ludovicus Transmarinus, è stirpe Carolovingica princeps, in Galliam ex Anglia, quò metu Heriberti & Hugonis comitum ausugerat, revocatus, in Francorum regem fuit inunctus, regnavitque usque ad obitum, qui anno* 954 *contigit, atque adeò anno* 937, *quo biographus noster* S. Beregisi *Acta conscripsit, rex exstitit. Adhæc post Ludovicum Transmarinum Galliæ regnum tenuerunt adhuc duo è stirpe Carolovingica principes, Lotharius nempe, Ludovici Transmarini filius, & Ludovicus V, cui anno* 987 *è vivis sublato suffectus est Hugo Capetus, à quo tertia Francorum regum stirps* Capetiana *nuncupatur. Qua ratione ergò hîc noster biographus, cùm anno* 937 *scripserit, Pipinum Posteriorem seu Pipinum cognomento* Brevem, *deficientibus è Clodovei, primi Christiani Francorum regis, prosapia regibus,* primum *appellat* Francorum regem *ex*
C *illa prosapia seu stirpe, quæ jam, uti innuit, ipso scribente, deficiebat? Certè stirps Carolovingica, è qua primus in Francorum regem coronatus est Pipinus, cognomento* Parvus *seu* Brevis, *nondum, uti ex jam dictis pronum est colligere, anno* 937 *deficiebat. Puto itaque, stirpem Carolovingicam idcirco à biographo jam tunc, cùm scriberet, defeciſſe innui, vel quòd Ludovicus Transmarinus, qui tunc regnabat, tota ferè regni potestate, regiaque auctoritate ab optimatibus usurpata, inane tantùm regis nomen haberet, vel certè, quòd in Austrasia, seu potiùs Lotharii regno, in quo hic scriptor degebat, tunc regnaret Otto, filius Henrici, qui rex seu imperator è stirpe Carolovingica non erat.*

h *Apud Mabillonium de Re Diplomatica lib.* 6 *pag.* 483 *& seq. extat diploma seu placitum Childeberti tertii Francorum regis, quod die* 13 *Decembris, anno* 16 *regni ejus datum notatur, quodque adeò laudatus Mabillonius, cùm Childebertus anno* 695 *ante finem Martii, uti ad hunc annum num.* 6 *Pagius in Criticis ostendit, regnare inceperit, ad annum* 710 *rectè refert. Porrò in hoc diplomatie duo occurrunt comites, quorum alter* Bero, *alter* Grimberthus *vocatur. Quapropter, cùm hic posterior cum illo comite, qui à biographo quasdam vineas* S. Beregiso *donâsse dicitur, in nomine conveniat, faciléque ab anno* 710, *quo sub Childeberto, ut ex dicto diplomate intelligitur, comitis palatii munere perfunctus est, usque ad annum* 725 *aut* 726, *quo, ut num.* 77 *Commentarii prævii edocui, donationis à Grimberto comite factæ charta notatur, vitam potuerit producere, vehementer suspicor, Grimberthum, comitem palatii, qui in præfato diplomate seu placito occurrit, eumdem esse cum Grimbertho comite, qui hîc à biographo nostro narratur vineas quasdam apud Treviros* S. Beregiso *donâsse. Hoc autem si ita sit, ad Grimbertum comitem, qui in* S. Beregisum *munificus fuit, pertinuerit de causis omnibus, quæ nullo medio ad palatium devolvebantur, cognoscere, quod onus seu munus comitibus palatii incumbebat. Vide Cangium in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis ad vocabula* Comites palatini.

i *Rex Francorum Theodoricus, cujus anno quinto chartam, de qua hîc, editam fuisse, animadvertit biographus, est Theodoricus IV, cognomento* Calensis, *non autem Theodoricus III. Vide Commentarii prævii num.* 77.

k *E prosapia scilicet Clodovei, primi Christiani Francorum regis, seu è stirpe Merovingica.*

l *Pipinus, filius Ansigisi seu Ansegisi, vocatur hîc* Minor *& alibi* Junior *ratione Pipini Landensis, avi sui.*

m *Martinus hîc memoratus & Pipinus, filius Ansigisi, patrueles erant. Ille enim ex S. Clodulfo, hic verò ex Ansigiso seu Ansegiso fratribus nepos erat S. Arnulfi. Vide Cointium in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum* 601 *num.* 41.

n *Secundus Chronici Fredegariani continuatò auctor, & Gestorum Regum Francorum scriptor, quæ verosimiliter sunt volumina, ad quæ se recurrisse innuit biographus, Martinum ducem, & Pipinum, filium Ansegiseli, in Austria, mortuo Vulfoaldo duce, dominatos esse commemorant; prior quidem cap.* 97 *his verbis:* In Auster quoque, mortuo Vulfoaldo duce, Martinus dux, & Pipinus, filius Ansegiseli, quondam Franci nobilis, dominabantur; *posterior verò cap.* 46 *istis:* Eo quoque tempore decedente Vulfoaldo de Auster, Martinus & Pipinus Junior, filius F Ansigiseli, quondam decedentibus regibus, dominabantur in Auster, donec tandem aliquando hii duces in odium versi contra Ebroïnum, exercitum plurimum Austrasiorum commoti, contra Theudericum regem & Ebroïnum aciem direxerunt. *Verùm an, mortuo Vulfoaldo, majore-domûs Austrasiæ, Pipinus & Martinus primum hunc à regia dignitate magistratum in regno illo mox unà gesserunt? Secundus Fredegarii continuator, cum verbis ex illo recitatis Martinum æquè ac Vulfoaldum, majorem-domûs defunctum, ducis nomine distinguat, suspicionem ingerit, Martinum saltem majorem-domûs in Austrasia post mortem Vulfoaldi exstitisse. Videtur etiam tam Pipinum quàm Martinum, cùm hos ambos dicat in Austrasia post obitum Vulfoaldi esse dominatos, regni hujus majores-domûs facere. Idem eadem de causa censendus etiam est facere Gestorum Regum Francorum scriptor. Biographus noster ait, Pipinum cum Martino* ducatum præbuisse Austrasiis. *Eadem phrasi utitur, dum num. præcedenti significat, tres Pipinos in Austrasia majores-domûs exstitisse. Videtur ergò hîc pariter innuere, tam Pipinum, quàm Martinum, mortuo Vul-*

A *Vulfoaldo, majoratum-domûs apud Auſtraſios geſſiſſe. Utut ſit, non videtur Martinus umquam, Pipinus verò non priùs, quàm cæſo Ebroïno, majoratum-domûs in Auſtria, uti ex mox annotandis pateſcet, legitimè pacificéque geſſiſſe.*

o *Poſtquam Dagobertus II Auſtraſiæ rex dolo Ebroïni, ut putatur, anno 678 eſſet occiſus & jam Vulfoaldus, qui majoratum-domûs in Auſtria gerebat, è vivis exceſſiſſet, Auſtraſii regis ſui necem, ut quidam exiſtimant, ulturi, arma in Theodoricum, Francorum regem, ejuſque majorem-domûs Ebroïnum, ducibus Martino & Pipino, arripuerunt; verùm, Auſtraſiis in pugna anno 680 ad Lucofaum commiſſa victis, Pipinus quidem in fuga ſalutem invenit; Martinus verò, ſecuritatis ſponſione accepta, Ebroïno ſe ſtitit, ab eoque nefariè contra fidem datam fuit occiſus. Narrant hæc omnia ſecundus Fredegarii continuator & Geſtorum Francorum Regum ſcriptor locis ad litteram præcedentem laudatis. Verba, quibus id faciunt, Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad annum 680 num. 6 tranſcribit, ad eaque nonnulla rectè obſervat.*

p *Anno ſcilicet 681, uti in Commentario prævio ad Vitam S. Leodegarii num. 264 oſtendi.*

B q *Occiſo Ebroïno, Neuſtraſii, uti iterum Geſta Regum Francorum & ſecundus Fredegarii Continuator teſtantur, ad majoratum-domûs evexerunt Warattonem ſeu Waradonem. Hic ad dignitatem illam promotus, ſtatim cum Pipino pacem pepigit, cujus è conditionibus, uti meritò putatur, præcipua fuit, ut Pipinus pacificè & ſecurè majoratu-domûs, quo jam antè inter belli turbas poſt Vulfoaldi obitum cum Martino aliquamdiu, ut apparet, fuerat perfunctus, in Auſtraſiæ regno gauderet. Solius itaque Auſtraſiæ majoratum-domûs, ſeu, ut loquitur biographus, principale regimen, occiſo Ebroïno, adeptus eſt Pipinus. Verùm quinquennio pòſt, id eſt, anno 686 è vivis exceſſit Warado ſeu Waratto, factuſque eſt major-domûs Neuſtriæ & Burgundiæ Bercharius, ſeu, ut alii legunt, Bertharius. Hic pravis ſuis moribus nonnullos contra ſe Neuſtraſios concitavit, qui ad Pipinum confugientes, brevî ſuis inſtigationibus rem eò deduxére, ut hic contra Theodoricum regem, ejuſque majorem-domûs Bertharium exercitum moverit. Pipino* in loco, qui, *ut ait ſecundus Fredegarii continuator*, dicitur Textricio, *cum*

C *Neuſtraſiorum exercitu occurrerunt rex Theodoricus & Bercharius. Verùm, commiſſo prælio, victiſque Neuſtraſiis, Bercharius ab iis, qui fictam cum eo amicitiam antea coluerant, interfectus eſt, eoque interfecto, Pipinus etiam Neuſtriæ & Burgundiæ majoratum-domûs anno 687 tandem obtinuit. Vide ſecundum Fredegarii Continuatorem cap. 99 & 100, & Geſta Regum Francorum cap. 47 & ſeq.*

r *Mortuus quippe eſt, uti apud pleroſque Annaliſtas in confeſſo eſt, Pipinus Heriſtallius, Drogonis pater, anno 714; Drogo autem anno 708, uti in Annalibus Nazarianis, in Tilianis, in Petavianis & in Chronico San-dionyſiano legitur.*

ſ *Secundus Fredegarii continuator de Grimoaldo, Pipini Heriſtallii filio, deque ejus ad majoratum-domûs, in Neuſtria nempe & Burgundia, electione cap. 101 ſic ſcribit:* Grimoaldus Junior (*ita vocatur ratione Grimoaldi, majoris-domûs Auſtraſiæ, qui Dagobertum II totondit atque in Hyberniam relegavit*) cum Childeberto rege major-domûs palatii ſuper Francos, *id eſt, ſuper Neuſtraſios & Burgundos*, electus eſt, fuitque vir mitiſſimus, omni bonitate & manſuetudine repletus, largus in eleëmoſynis, & in orationibus promptus. *Narrat deinde duobus capp. ſequentibus nonnulla, quæ huc non faciunt, ac tum cap. 104 principis ejuſdem mortem refert his verbis:* Ægrotante quoque Pipino Jobii-villa (*vulgò* Jupile, *aut* Jupil) ſuper Moſam fluvium, cùm ad eum viſitandum idem Grimoaldus veniſſet, cùm ad orationem in baſilica ſancti Lantberti martyris proceſſiſſet, à crudeliſſimo viro impio, Rantgario nomine, interfectus eſt. *Accidit hoc menſe Aprili, ſequentique menſe Decembri, ut in Chronico San dionyſiano notatur, Pipinus Heriſtallius, cædem filii ſui ultus è vivis exceſſit. Quapropter cùm Pipinus, ut plerique antiqui annaliſtæ teſtantur, anno 714 vitâ functus ſit, eodem etiam anno vitâ functus eſt Grimoaldus.*

t *Ex Alpaïde ſcilicet, ſeu, ut alii legunt, Alpheïda.* Pipinus, *inquit ſecundus Fredegarii continuator cap. 103*, aliam duxit uxorem, nobilem & elegantem, nomine Alpheidam. *Quando hoc fecit Pipinus, adhuc prima ejus conjux, nomine Plectrudis, in vivis erat ſuperſtes. Cointius & Valeſius contendunt hanc tunc à Pipino fuiſſe repudiatam; at contrà vult Pagius, Pipinum toro ſuo Alpaïdem concubinam dumtaxat adſciviſſe, retenta ut priùs legitima uxore, cujus honori & dignitati nihil diminutum ſit. Adi poſteriorem hunc ſcriptorem in Criticis ad annum 688 num. 5.*

u *Secundus Fredegarii Continuator cap. ad litteram præcedentem laudato ait, Pipinum ex Alpaïde genuiſſe filium, eumque non* nomine ruſtico, *ſed* linguâ propriâ *vocâſſe* Karlum. *At cur diverſimodè duo hi Scriptores hîc ita loquuntur? Apud Bouquetum tom. 7 Scriptorum pag. 39 docet Marquardus Freherus, primò quidem linguam Teutonicam Merovingicis & Carolovingicis Francorum regibus propriam fuiſſe; deinde verò, his regnantibus, obtinuiſſe quoque in Galliis linguam Latinam corruptam ſeu ſemilatinam aut Gallo-Latinam, quam ipſimet Franci* ruſticam Latinam *dicebant. Hiſce poſitis, facilè jam intelligitur, cur laudatus Fredegarii Continuator* linguâ propriâ, *biographus verò* nomine ruſtico *Pipinum aſſerat filium ſuum vocaſſe* Karolum, *quia ſcilicet hic nomen* Karoli *eſſe nomen ſemilatinum ſeu ruſticum Latinum; ille verò eſſe nomen Teutonicum, exiſtimavit. Verùm utri hîc aſſentiendum eſt? Schotellius, cui laudatus Freherus, idque, ut mihi quidem apparet, meritò aſſentitur, de lingua Germanica pag. 1068 nomen* Karoli *nominibus propriis veterum Germanorum ſeu Teutonum accenſet, illudque derivat à vocabulo Teutonico* Kerl, *quod* virum fortem *ſignificat.*

x *Prælia à Carolo Martello, de quo hîc ſermo eſt, cum hoſtibus commiſſa, ſtrageſque ab eo iiſdem illatæ tum apud antiquos, tum apud recentiores Rerum Francicarum ſcriptores paſſim celebrata invenies.*

y *Id eſt, majoratum-domûs adminiſtrant, prior ſcilicet in Auſtraſia, poſterior verò in Neuſtria & Burgundia.*

z Carolomannus, *inquit cap. 116 tertius Fredegarii Continuator*, devotionis causâ inexſtinctu * ſuccenſus, regnum (*Auſtraſiæ*) unà cum filio ſuo Drogone manibus germani ſui Pippini committens, ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli Romam in monachorum ordinatione perſeveraturus advenit. *Fecit id Carolomannus, cùm res varias præclarè geſſiſſet, jamque per ſexen-*

* i. e. inſtinctu

A. ANONYMO.

E

F

A. ANONYMO. *nium poſt patris ſui, Caroli Martelli, obitum majoratum-domûs in Auſtraſia tenuiſſet. Hunc enim magiſtratum, quem anno 741 primùm ſuſceperat, anno 747, ut Annaliſta Metenſis aliique multi teſtantur, Romam proficiſcens dimiſit.*

aa *Ultimus è ſtirpe Merovingica Francorum rex fuit Childericus, hujus nominis tertius. Infortunatus hic princeps, cùm jam decimum regni ſui annum attigiſſet, in generali Francorum apud Sueſſionas conventu anno 752 exauctoratus, atque in monachum attonſus, monaſterio Sitivenſi ſeu Bertiniano à propriis ſuis ſubditis eſt inclnſus, ſubrogato in ejus locum Pipino, qui jam in tribus Francorum regnis, Neuſtria ſcilicet, Burgundia & Auſtraſia, à fratris ſui Carolomanni ſeceſſu majoratum-domûs adminiſtrârat. Adi Chronicon Iperii & Annales Bertinianos.*

bb *Et tamen, regnante jam Carolo Magno, Pipini filio, cantum eccleſiaſticum Romanum ſeu Gregorianum calluiſſe nondum Franci videntur. Etenim, Carolo Magno Romæ anno 787 exiſtente, ex diverſa cantandi ratione contentio inter Romanos & Gallos orta eſt, uti refert monachus Engoliſmenſis à Pithœo editus, & à Baronio ſub nomine Chronici Pithœani citatus. Fuerit ergò Pipinus*
B *cantum Romanum ſeu Gregorianum in Gallias quidem introducere conatus, reipſa tamen in Galliarum eccleſias, aut certè in paucas tantùm introduxerit; hunc autem poſtea ejus filius, Carolus Magnus, adductis ſecum, ut monachus mox laudatus ait, Româ in Gallias peritiſſimis cantoribus, ubique recipi curârit.*

cc *De variis nationibus hîc nominatis, in quas Carolus Magnus vel ſtatim à regni ſui exordio ſibi ſubjectas, vel pòſt armis ſibi ſubactas dominatus eſt, nihil hîc opus eſt notare, cùm hoc notum ſit omnibus, qui vel à limine hiſtoriam ſalutârunt.*

dd *Biographus, quoniam Pipinus Heriſtallius non ſub alio Theodorico, quàm III, majoratum-domûs geſſit, hîc indicat, chartam, quâ Grimbertus comes vinearum donationem* S. Beregiſo *à ſe factam communit, regnante Theodorico tertio, Francorum rege, eſſe conceſſam. Verùm is veroſimiliter hîc hallucinatur. Vide Commentarii prævii* § VI, *ubi etiam probavimus, ex memorata charta, licèt hæc, ut debet, anno quinto Theodorici non III, ſed IV ſeu Calenſis, id*
C *eſt, anno 725, ſtatuatur emiſſa, conſequens nihilominus eſſe, ut Pipinus, ſub quo* S. Beregiſus *palatium incoluit, fuerit Pipinus Heriſtallius.*

ee *Ita ſcilicet teſtantur plerique antiqui annaliſtæ, qui res tum à Regibus, tum à Majoribus-domûs Francorum geſtas litteris commendârunt. Vide Pagium in Criticis ad annum 714 num. 3.*

ff *Mabillonius Sæculo* IV *Benedictino part.* I *pag.* 294 *in excerptis, quæ profert è Vita* S. Beregiſi, *num.* 4 *legit:* Secundo anno Ottone, filio Henrici, Saxonum ſive Auſtraſiorum rege ſuper Auſtraſios agente.

gg *Rectè hîc indubiè biographus annum 2 regni Ottonis, Germanorum regis & imperatoris, filii Henrici, cum anno Chriſti 937 conjungit. Otto enim anno 936 Germanorum rex electus eſt.*

hh *Ab anno ſcilicet 714, quo vitâ functus eſt Pipinus, uſque ad annum 937, quo ſe Sancti noſtri Acta litteris commendâſſe, innuit hic ſcriptor, ut num.* XI *Commentarii prævii edocui.*

ii *Walcandus ſeu Valcandus, Leodienſis epiſcopus, qui tamen hîc propterea, quòd ſedes Leodienſis, primò Tungris exſtiterit,* Tungrorum *vocatur* epiſcopus, *monaſterium Andainenſe (vide Commentarium prævium num.* 85) *pœnè collapſum reſtauravit, clericiſque ſeu canonicis Regularibus, quos ibi primò* S. Beregiſus *inſtituerat, monachos anno* 817 *ſubſtituit, quorum deinde poſtulatione corpus S. Huberti Leodio in dictum monaſterium à ſe jam reſtauratum anno* 825 *tranſtulit. Adi apud Joannem Robertum Hiſtoriam Tranſlationis S. Huberti, à Jona, Aurelianenſi epiſcopo, conſcriptam.* D

CAPUT I.

Sancti patria, educatio, promotio ad ſacerdotium, in aulam aſſumptio, apud Pipinum gratia, & occaſio, quâ ab eo locum ædificando monaſterio accepit.

Sanctus ad ſacerdotium jam promotus

BEregiſus ex Conduſtro pago *a* Auſtraſiorum ex vico, qui vocatur Spangius *b*, ortus fuit, parentibus non quidem, quantùm ad ſeculum, ingenuis, ſed tamen ſecundùm natales locupletibus ac religioſis; patris nomine à memoria avulſo, matrem ferunt Berillam vocitatam fuiſſe; ipſum Hasbaniâ *c* intra monaſterium ſancti Trudonis parentum traditione ſub religionis habitu educatum *d*, litterarumque eruditione ſimul & divina lege eruditum adeò ſalutaribus incrementis profeciſſe, ut pontificali auctoritate ſacris Ordinibus conſequenter aſſiſtendus quàm citò ſummoveretur, hincque ad meliora ipſo ſemper ſtudente, reverendo ſacerdotii gradu vitæ merito ſublimaretur *e*. Sed quia omnipotentis Dei clementia quoſdam electos, quos in ſe proficientes interiùs ad dona ſpiritualia provehit, in exterioribus per acceſſum temporis ad profectum aliorum occulti examinis judicio ſublimari permittit, hunc idoneum Virum per prædictos profectus altiora petentem regalibus obſequiis ſeu frequentiæ diſponit intereſſe, & mundialium poteſtatum celſitudini familiarem fieri, atque ejus ſollerti ingenio regni jura decerni *f*.

a E *b* *c* *d* *e* *f*

in comitatum Pipini Heriſtalli aſſumitur;

7 Denique tunc temporis Pipinus Junior, filius Anſgiſi, ducatum in Auſtria ſub rege Theoderico potiebatur, qui omnes regni primores potentiâ bellorum & ingenio præceſſerat. Huic venerabilis Sacerdos familiari ſtudio adhærens, ejus tutelâ fruebatur. Qui princeps probitatis illius ſive prudentiæ non ignarus ſibi eum reverentiâ patris excolendo aſciverat, utpote tam præcipuum ſacerdotem, cujus doctrinæ inſtituendum ſe cum conjuge ac prole ſubdiderat, quoniam caſtis eloquiis vitæ vel morum indiſſolubilis converſatio teſtimonium reddebat. Unde ſeveritatis illius cenſurâ ſuos actus corrigendos ſubmittens, & quæque infra domum corrigenda erant, relinquens, ejus patrocinio & orationi commendandum ſe cum omnibus ſuis crediderat *g*. Hinc ut majori fiducia eum ſibi jugiter necteret, prolem ſuam ex ſacro baptiſmatis fonte renaſcentem ab eo ſuſcipi patris nomine poſtulavit, quatenus ex hoc & familiariùs apud ſe de omnibus curam gereret, & artiori aſtrictus, uti cujuſdam fœderis, compagine in palatio retineretur.

F *g*

hunc delinquentem

8 Sed Vir prudens ſui non immemor, quò fluctibus naufragoſi ſeculi ſeſe committere impellebatur, eò fidei gubernaculo navim mentis

viri-

A viriliter retorquens ad portum quietis, conſtanter relabi nitebatur. Quibus verò monitis ſalutis, doctrinæ inſtans, operam impendebat, nequaquam, ubi ratio expoſcebat, olei lenitate palpandos æſtimabat, quamlibet ſuperbæ poteſtatis gloriis ſublimatos; quin gladio ſpiritûs juſtæque invectionis feriendos oportunum cenſeret. Unde actum eſt, ut & ipſius terrenæ dominationis, cui ſe conjunxerat, principis animos incurreret. Sed ille hunc nihilominus delinquentem redarguens, terribiles ejus vultus interritus tulit; ex quo quantus erga juſtititiæ rectitudinem ſervandam cor ejus zelus charitatis accenderat, & quàm magnâ virtutum gratiâ intùs muneratus enituerit, evidenter colligitur.

corripit, ſibique hinc

9 Denique cùm ſedula devotione Miſſas ageret, hoc cum magna humilitate precumque inſtantia reverenter exercebat. Verùm præfatus princeps aliquando pro voto aut ſolemni die intererat. Ergò quadam die altaribus Sacerdote aſtante, dum ille ſtipatus catervis obſequentium, atque ſæculari extollentiâ elatus ex more adeſſet, & tumida cervice, quod capite geſtabat, crinarium *h* ad tanti miſterii expectationem non

h

B deponeret, Vir Dei graviter accepit; cúmque ad pacis oſculum ventum eſſet, noluit illi offerre, indignum indicans cum eo pacem exteriorem, quem interiùs à pacis Auctore videbat diſcordare. Ita hunc tergiverſatione vitans, & ceteros, qui longè ſteterant, conſtanter invitans, oſculum propinat; parvi pendit ſecularis potentiæ gloriæ principem ſublimatum, ubi ſeculi Auctoris ac Domini virtutum agnoſcit contemni mandatum. Non inde carnalis domini offenſam trepidat incurrere, unde Creatori, in cujus nutu omnis poteſtas pendet, recta intentione ſtudet placere.

ſuboffenſum habet.

10 Igitur ille famoſus princeps, licèt hoc moleſtè tulerit, & animis ſtupentibus pudore incaluerit, non eſt tamen auſus Virum Dei, quem bene noverat manere intrepidum, quippiam dehoneſtare; ſed poſt acta Miſſarum officia percunctando voluit requirere rei novitatem, cùm ille acerrima redargutione feriendum diſponeret, ſcilicet, quare cum tanta elationis tyrannide eccleſiam auſus fuiſſet ingredi, dolere ſe de illo quippe, quem, Deo à ſe expulſo, diabolo videret ſubditum, quemque ſi-

C bi dudum hoſtis mancipaverat, capiti ejus hactenus inſideret, eò quòd fœdum illud crinarii ornamentum adhuc in ſacra ipſa æde ferret. Numquam à ſe illi oſculum porrigendum, niſi poneret illud à capite.

At dum ſoli Deo vacare deſiderans i

11 Hæc à juſto caritatis fervore dicuntur, & porrò ab homine carnalia ſapiente non, ut oportuit, animadvertuntur, ſiquidem ſuſpectè apud ſe eum ex hoc retinebat *i*, ſed ille tranſitoria ſemper & noxia mundi blandimenta vitare ſatagens, ingruentia quoque illius mala æquo animo perferebat, & deſiderans multotiens ſoli Deo vacare, remotæ habitationis, quò ſe conferret, monaſterii domicilium quandoque, divina favente clementia, experientia cupiebat; ſed præſentia Conditoris, qui cor ejus Spiritus ſancti gratiâ illuſtratum in hoc accenderat, quod mente conceperat, mirificè implendum diſpenſat. Agit namque, ut, quia ſpontanea deliberatione, Deo ſe famulaturum, obtulerat, locus ab initio devotorum habitationi præparatus & ejus ſtudiis ſatis aptus provideatur, & hic ab illo initium ædificandi inhabitandique accipiat, nec non ut ſub eo exercitia religionis in eo futuræ exordia ſumant ad gloriam ſui nominis glorificandam ac Servi devoti memoriam conſervandam, munificentiſſima pietate diſpoſuit; quod ubi aut quomodo ſit impletum, qualiterve memoria ejus celebri loco repoſita conſervetur, præſentis monaſterii ſitus ab ipſo conſtrui cœptus declarat. A. ANONYMO.

per ſylvam Arduennenſem cum Pipini uxore k

12 Sed ut debitum in Præfatione promiſſum exſolvam; quæ cauſa vel procuratio primùm incolendi evenerit, ut relatio veriſſima *k* tradit, manifeſtetur. Cùm itaque Beregiſus in comitatu ſæpe dicti principis diu conſtans nîl reverentiæ gradus defraudans dignanter apud ipſum presbyteratûs impleret miniſterium, in tanta honoris fiducia eum reverebatur, ut conjugem Plectrudem, quam nobilem & morum honeſtate laudabilem fuiſſe, diximus, ipſi commendaret, ſub ejus diſpoſitione ac nutu ſive dominio vel quando itinerandi neceſſitas inſtabat, relinqueret. Hac occaſione contigit, dum iter per viam ſaltûs Ardennenſis ob circumquaque poſita juris proprii prædia haberetur *l*, hunc patrem Beregiſum ſimul & prædictam fœminam pridie à marito digreſſam cum clientum obſequentia tranſitum habuiſſe.

l

E

iter habet, huic ſcedula quædam cælitus

13 At, dum iter agreſſum liberè expediunt, ſolis lampade urgente, calor æſtatis admodum igneſcit. Jam pœnè tam prolixitate emenſi ſpatii quàm aduſtione caloris ignei animalia, quibus ſuperſedendo vectitabantur, fatigata defecerant, cùm ipſi equites eodem æſtu reſolverentur, itáque quodam in devio poſito prato reſiderent, diſtinctis cuſtodiâ equitibus, feſſi viatores jocundo in loco diu expectare deliberant. Sed, poſtquam cibo & potu fatiſcentes artus refecerant, laxati in cubando reſolvuntur. At, dum hora jam diu morulis protracta feſtinaret ad veſperum, omneſque adhuc ſopor invaſos teneret, jam dicta mulier, cujus obſequio agmen illud agebatur, paululùm evigilans, dum caput attollit, vidit vigiles ſompno victos, deſertis jumentis, accubuiſſe; hinc beſtias, locis disjunctis oberrando, undique evagatas fuiſſe.

allabitur, ex qua divinæ voluntatis

14 His permota, dum, quid faciendum foret, intra ſe hæſitans dubitaret, aſſurgit, & virgam manu tenens equos, qui paſſim virentia carpendo ſeceſſerant, minitans in unum agmen coëgit; inde nullum ex domeſticis conſpiciens attendiſſe, quid egerit, feſſos artus ſuper acervum lapidum *m*, quem juxtà locatum fortè viderat, conſedendo aliquamdiu relevare voluit. Ergò cùm acceſſiſſet, ſubitò ob inſoliditatem tumuli lapidibus in circuitu collabentibus, reſpiciens, cartam quamdam intra ſaxa decidentem miratur *n*. Hoc miraculo attonita contingere præſumit, ſed quia litterarum ignara, ſubſiſtebat, quid promeret, ſcire non valens, ſed tamen hoc non ſine alicujus magnæ rei prodigio factum credens, celandam in ſinu collocat. Porrò ſuſpectam remanere ſe ægrè ferens, marito innoteſcendum quàm citò decernit, neque ulli perferendum committens, potiùs redeundum, & per ſeipſam ei innoteſcendum proponit.

F

m

n

certior factus Pipinus

15 Igitur Plectrudis, ſociis concitè experrectis, ad dominum ſuum illicò revertendum eſſe inſinuat; omnibus ſtupentibus, ad principem cum feſtinatione remeant, qui in villa, unde digreſſi fuerant, conſiſtebat eatenus, eique ſecretò mulier omnem rei ſubitæ eventum innoteſcit, & verborum dicta ſcedulæ atteſtatione confirmat. Sic utrique cauſam examinantes, quid

A. ANONYMO.

quid facto opus sit, sollicitè exquirunt. Tunc Beregiso secretum pandere curant, atque recitandam ipsam scedulam tradunt; quam cùm legisset, quæ in ea scripta continebantur, consequenter per ordinem pandit; scilicet quòd locus ille, ubi inventa apparuit, à Deo electus teneretur, quoniam præscitum esset, aliquando à devota plebe inhabitandum, & esse ex eo multas animas in cælum dirigendas.

ædificando monasterio locum S. Beregiso concedit.

16 Dum autem exturbati in ambiguo tenerentur, quid super hoc, quod angelica manu ministratum credebatur, placitum Regi sæculorum agendum foret, Beregisus velut sibi mandatum illud cælitus fuerit, ut, quod mente diu tractaverat, divina dignatio illic adimpleri juberet, confidenter tradi sibi locum expostulat, & persuasu conjugis, non posse in hoc opere tam strenuum quempiam inveniri, locum ei tradunt, & ut monasterium debeat ædificari, instiunt. Igitur præfatus princeps in circuitu silvestria obambulans, quantum competere ad planitiem propagandam vel ad ædificia sive ad pastum animalium, seu ad diversos usus visum fuit, statuens contulit; & etiam in hiis, quæ circumjacentibus fiscis *o* retentandum reliquerat, quæcumque necessaria in pastu pecorum eorum, qui cellæ *p* adhærentes, famularentur, vel siqua alia opus essent, ut omnino quærentibus nullus prohiberet, statuta lege indixit. Servorum quoque obsequia ac prædiorum jura & ex reditibus aliis sive decimis victûs necessaria & quæcumque Sacerdos in sumptus ædificationemque loci ab eo expostulavit, voluntariè cuncta concessit *q*.

ANNOTATA.

a *Pagi hujus, qui Gallicè* le Condroſt *dicitur, quique in diœcesi Leodiensi inter fluvios Mosam & Urtam situs est, notitiam num.* 14 *Commentarii prævii suggessimus; ibi tamen de illo Annotatis hæc addè: Apud Chesnium Scriptorum Rerum Francicarum tom.* 3 *pag.* 196, *& apud Bouquetum tom.* 6 *pag.* 202 *in Annalibus Bertinianis de Gestis Ludovici Pii imperatoris ad annum* 839 *occurrit divisio, quâ hic princeps regnum suum in duas partes ferè æquales, quarum altera post mortem suam ad Lotharium, altera ad Carolum, filios suos, devolveretur, discrevit. In parte autem, quam Lotharius, facta sibi, utpote natu-majori, optione, elegit, numeratur comitatus* Condorusto. *Ad hæc divisio regni Lotharii, inter hujus patruos Carolum Calvum imperatorem & Ludovicum, Germaniæ regem, anno* 870 *facta, apud Chesnium tom.* 2 *Scriptorum Rerum Francicarum Capitulis Caroli Calvi exstat inserta; in his autem tomo proximè laudato pag.* 454 *legitur:* Excepto, quod de Conduſtro est ad partem Orientalem trans Urtam. *Tam Conduſtrum, quod hîc occurrit, quàm comitatus Condorusto, qui in parte regni paterni, quam Lotharius elegit, suprà numeratur, indubiè accipitur pro pago, cujus incolæ à Cæsare vocantur* Condrusi, *ut adeò verbis num. mox dicto Commentarii prævii recitatis rectè indicet Molanus, primò quidem in divisione regni Lotharii etiam legi* Conduſtrium, *seu, ut dicere verosimiliter vult,* Conduſtrum; *deinde verò nomina per ætatum successionem facilè aliquam mutationem sortiri. Verùm dubito, an rectè citet in margine caput* 25 *libri* 5 *de Gestis Francorum; neque enim Gesta Francorum novi, quorum lib.* 5 *cap.* 25 *divisio regni Lotharii memoretur.*

b *In Tabulis Geographicis sive antiquioribus sive recentioribus vicum nullum invenio, qui nominis affinitate ad vicum hîc nominatum accedat, quique Conduſtro pago valeat accenseri.*

c *Pro pagi seu tractus hujus notitia adi hujus tomi Commentarium prævium ad Vitam S. Bavonis pag.* 204 *num.* 30.

d *Hinc quidam indubitanter concludunt,* S. Beregisum *in monasterio Sarchinienſi seu Trudonopolitano monachum fuisse professum; sed, an rectè, § III Commentarii prævii discussimus.*

e *Sanctus, medio seculo* VII *jam elapso, natus, ad sacerdotium jam promotus erat anno* 691, *huncque inter annum, & annum* 700 *in Pipini comitatum fuit assumptus. Videsis Commentarium prævium num.* 18, 19 *&* 40.

f *Hæc verba, quibus indicatur, Sanctum per sacrorum Ordinum ipsiusque sacerdotii susceptionem ad* mundialium potestatum *familiaritatem seu favorem fuisse præparatum, comparata cum verbis proximè sequentibus, quibus innuitur, Sanctum in Pipini comitatum fuisse assumptum, luculenter ostendunt, hunc, cùm hoc accidit, ad sacerdotii dignitatem jam fuisse promotum. Adi Commentarium prævium num.* 18.

g *Mauburnus in suo Sanctorum Canonicorum Venatorio apud nos Ms.* Beregisum *facit Pipini & Plectrudis confessarium, videturque ex his verbis colligi debere, Sanctum, si non confessarii, saltem sacellani munere apud Pipinum & Plectrudem esse perfunctum. Adi Commentarium prævium num.* 36 *& tribus seqq.*

h *Sertum seu certè capitis quoddam ornamentum.*

i *Hinc quidem rectè colliges, Pipinum Sancto succensuisse, at non item, hunc illius gratiâ penitus excidisse. Videsis Commentarii prævii num.* 42 *& tres seqq.*

k *Ita hîc vocat biographus traditionem de prodigioso monasterii sui initio à senioribus monachis acceptam; verùm an hæc titulo isto meritò ornetur, num.* 53 *& duobus seqq. Commentarii prævii edocui.*

l Plectrudis *scilicet, ut ait num.* 1 *Cantatorium Andaginense,* Amberlacum, suæ ditionis fiscum, parabat adire; *unde innotescit occasio, quâ Plectrudis per saltum Arduennensem iter habuerit.* Est hodie, *inquit Joannes Robertus in Historia S. Huberti,* non procul Andaïno pagus, nomine Amberlou, quem nemo dubitet ab eo fisco, *id est, dominio seu feudo,* nomen retinere. *Pagum illum in Tabulis geographicis Blavianis ducatûs Luxemburgensis etiam notatum invenio.*

m *Acervus ille lapidum ibidem fortè fuerit congestus ex ruinis tum castri, nomine* Ambræ, *ab Hunnis devastati, tum templi, quod in eo à S. Materno, ut fertur, quondam fuerat exstructum. Adi Commentarii prævii num.* 48.

n *De hac charta cælitus, uti hîc & à Cantatorii Andaginensis auctore refertur, Plectrudi oblata* § IV *Commentarii prævii fusè egimus, hancque cum adjunctis, quibus vestitur, diximus commenti valde esse suspectam.*

o *Id est, dominiis seu ditionibus, aut etiam feudis.*

p *Ita hîc à biographo nominatur domicilium clericis seu canonicis Regularibus à* S. Beregiso *exstruendum, ut adeò Mabillonius nomen* cellæ, *quo à Donato, S. Trudonis biographo, domicilium*

A *lium à Sancto hoc Sarchinii conditum vocatur, perperàm adducat in argumenti partem, quo probet, S. Trudonem Sarchinii non clericos seu canonicos Regulares, sed monachos primò instituisse. Videsis Commentarium prævium num.* 33 *& seq.*

q *Cantatorii Andaginensis auctor num.* 1 *terminos, intra quos Pipinus* S. Beregiso *locum ædificando monasterio concessit, in hunc modum assignat:* Perlustratis finibus, ejusdem donationis certas metas per subnotata confinia (*Pipinus*) disterminavit; ad Meridianam plagam *scilicet* inter divisiones, ad Orientalem plagam Mollem Campellum, ad Aquilonem inter Campilonem & Haletum Francum montem, inter Nasaniam & Anvanam tabulæ Fontanam, ad Occidentem rupem Sulmoniensem & fluvium Lunnam. *Hic auctor etiam indicat, sub quo Francorum rege hæc Pipini donatio contigerit. Narrat enim eodem numero, chartam, de qua* § IV *Commentarii prævii egimus, à Plectrude, uxore Pipini,* qui major-domûs erat sub Theodorico rege, *inventam fuisse. Accidit ergò secundùm hunc auctorem dictæ chartæ inventio sub Theodorico III Francorum*
B *rege, sub quo solo Theodorico Pipinus Heristallius majoratum-domûs gessit. Quapropter, cùm memorata chartæ inventio cum præfata donatione fuerit proximè conjuncta, debet etiam hæc secundùm eumdem auctorem sub Theodorico III accidisse; unde consequitur, ut eadem donatio ante annum* 691, *cùm hoc anno Theodoricus vivere desierit, fit locanda. Verùm hanc donationem, cùm proximè etiam cum monasterii Andaïnensis constructione fuerit conjuncta, seriùs esse locandam, perspicuum fit ex iis, quæ* § V *disputavimus de tempore, quo circitèr monasterium Andaïnense fuerit exstructum. Errat ergò verosimiliter Cantatorii auctor, dum chartam Plectrudi cælitus allapsam ad regnum Theodorici III refert, secumque ipse pugnare videtur, cùm monasterii Andaïnensis constructionem cum chartæ inventione proximè conjunctam ad annum etiam, ut apparet,* 709 *circitèr remittat. Vide Commentarium prævium num.* 69 *&* 70.

CAPUT II.

C *Sanctus monasterium in saltu Arduennensi exstruit, cum canonicis, quos in eo instituit, Dei laudibus assiduè vacat, S. Huberto in convertendis idololatris opitulatur, ætatisque admodum provectæ factus moritur.*

Beregisus in saltu Arduennensi

I Gitur Beregisus locum illum saltûs angelico ministerio designatum expetiit, Deum sibi adesse adjutorem invocans, & frondosa quæque succidere, & construendorum spatia ædificiorum dilatare studiosè cœpit. Porrò situs loci, quàm sit longè remotus ab urbium frequentia, quàm nemorosus & frutifer habeatur, in propatulo est. Fontibus quoque in vicino ab humo prodeuntibus habundantissimè irrigatur, sed remotus ab hiis alius præstantiòr exurgens ex eadem parte affluit, qui magnitudine sui ceteros in se suscipiens amnem suo nomini vendicat. A commeantibus autem vel saltum vel locum frequentantibus Andaïna *a* nomen accepit. Ita clarissimis & salubribus aquis fœcundatus, opimo cespite prata vernantia ferens, nemorumque venustate circumdatus, magnam commoditatem solitariam vitam desiderantibus repromittit. Sed hic status nunc. A. ANONYMO. *a*

monasterium exstruit, cúmque diu in eo discipulis

18 Ceterùm primò adveniens Vir venerabilis, cùm opaca silvæ cuncta densarent, omnem sollicitudinis intentionem adhibet, omnes ad tantum opus concurrere invitat, cunctorum studia exemplo & devotione sua provocat, pontificum, comitum aliorumque nobilium suffragiis nititur, cognatorum, amicorumque subsidiis sulcitur, constanter die noctuque labori insistit, tandemque opus gratum, divina in omnibus favente protectione, feliciter ad effectum producit. Denique monasterium statuit, basilicam constructam beati Petri, principis Apostolorum, nomine & reliquiis consecrat, clericorum officia delegat, annonam & reliquos sumptus in
E eorum usus necessarios ordinans, qui eis ministrarent, sollerter instituens, sed & vineas & prædiola, quæ devoti quique spontaneè monasterio contulerant, diligenter procurans, ut nihil ad exteriores usus pertinens deesset, magnopere providit.

bono exemplo præluxit, moritur. *b*

19 Quibus clericis canonico ordine militantibus ipse Pater in eodem habitu sociatus est *b*, & cum eis indesinenter in laude Christi Domini vacans, filiosque verbo & exemplo erudiens, plurimorum spatia annorum in hoc loco religiosam vitam ducendo advixit, & posteros saluberrimæ doctrinæ studiis informatos hæredes monasterii derelinquens, è præsentis sæculi labore ad æternam requiem emigravit. Corpus illius in ipsa æde terræ mandatum, & condignâ reverentiâ cultum, miraculorum ostensione est glorificatum; memoriæ quoque ejus exinde honorificentia impenditur, cujus depositio colitur sexto Nonas mensis Octobris. *c*

Valcandus postea illud monasterium instauravit *c* *d*

20 Monasterium à discipulis postea longo tempore rectum est, usquequò dignæ memoriæ Walcandus pontificatui Tungrorum præficitur *d*, qui cùm, inspirante Deo, vellet in sua diœcesi normam sanctæ religionis augmentare, & ideo quò monachorum Ordinem, juvante Deo, statuere posset, pia intentione perquireret, locum hunc diversis utilitatum affluentiis opimatum pervidens, nullum in episcopio pro tantis oportunitatibus conferendum, & ad hoc, quod cupiebat, tam ydoneum esse judicavit, ideoque studiosa intentione ab ipsis fundamentis innovatum & in parte Orientali transpositum, & tam in ædificiorum vastissima ac nobiliori instauratione, quàm in agrorum, vinearum, servorum obsequentium ac rerum necessariarum varietate, & quicquid illic competebat, præstantissima augmentatione excellentissimè nobilitatum decenti honore decoravit, corpusque beati Viri in illud transtulit, & monachorum ordinem instituit, ac deinceps, quod res exposcebat, seu in donorum oblatione seu in hiis, quæ collata jam fuerant, ut subtrahere quippiam potestatis cujuslibet in reliquo nemini liceret, quò cartis indita imperiali auctoritate *e* firmata servarentur, sagacissimo studio procuravit. F *e*

21 Dehinc

A. ANONYMO. *De fonte Andaïna,*

21 Dehinc contendens ipsum locum monasticæ religionis nobiliùs honorare & honestare, consensu omnium primorum regni beati confessoris Huberti, quondam Tungrorum præsulis, corpus, quod à tempore depositionis suæ nonaginta annis circitèr humatum Leodii jacuerat in ecclesia sancti Petri *f*, huc transvexit, atque in fabricam sepulchri, quam illi auro & argento redimitam præparaverat, cum gloria reposuit *g*. Sed & locum ipsum pristino vocabulo, id est, Andaïnam censuit vocitandum *h*, quod à fonte, quem illo prædiximus derivari, in sui primordio sumpserat. Non immeritò itaque hic locus ita præordinatus eligitur, qui, ymaginaria significatione, id est, situ & nomine, quo Andaïnus, id est, irrigatio aquæ vocatur *i*, quæ in eo gerenda erant, aptè præfigurâsse noscitur.

f

g

h

i

à quo id nomen traxit,

22 Jure ille locus electus est, qui vitæ habitantium status sui qualitate congrueret. Oportet, igitur incolas sic studiis manentis disciplinæ erudiri, ut meritò recenter in illo queant foveri. Nam non immeritò ab illo tolluntur, qui instar illius sapientiæ virtutibus fœcundari contempnunt. Quo contrà, qui in illo suscepti virtutum spiritualium decore eis voluerint configurari, procul dubio hinc, sicut præmissa allegatio innotuit, ad ætherea sunt regna dirigendi. Sicut enim rivulis huc illucque deductis quotidie solum humore repletur, ita doctrinæ vomere consistentium corda scissa, scientiæ gratiâ hactenus irrorantur, & sicut humore accepto plantata usque ad germinandæ propaginis maturitatem consurgunt, pari modo studiosi ac præordinati ad vitam, ut attacti sapore affluentis eloquii ac salubriter exculti fuerint, continuò in gignendorum fructuum, id est, operis vel eruditionis profectu assurgere gestiunt.

B

de SS. Beregiso & Huberto,

23 Sed ut propositum rei ordinem prosequar, hæc domus beati Petri apostoli, velut illa, quæ à beato Beregiso primò fuerat condita, reliquiis & nomine dedicata, multorumque aliorum Sanctorum pignoribus illustratur, inter quæ horum geminorum Confessorum maximè muneribus refulget, quorum meritis & interventione credimus tot virtutum signa, quæ illic & in omnibus pœnè eidem ecclesiæ adjacentibus locis aguntur, divinæ Majestati ob Sanctorum suorum memoriam ampliùs commendandam velle ostendere, quorum ante nos quidem & initio major apparuit clarificatio; sed & nostris diebus multa miranda visa sunt *k*. Præteritorum verò multa scriptis ingesta, plurima oblivioni tradita, quæ aut nostro tempore ostensa, vel retrò certiùs acta dicere potuimus, multa jam literis commendavimus *l*; quædam adhuc conscribenda memoriter retinemus.

C

k

l

de eorum miraculis,

24 In hiis miraculorum prodigiis uterque admirandus, uterque extollendus; qui & in carne manentes uno eodemque tempore ambo provinciam prædicatione & animarum salute illustrârunt, ac locum hunc ut præsentia corporali, ita consecratione spirituali dedicaverunt *m*, & jam in cælo cum Christo spiritu exstantes; ibi autem corporum essentiâ positi quærentibus & pulsantibus Dei virtute freti suam opitulationem tribuunt. Quòd cum Christo spiritu regnent, nullus nisi infidelis ambigit; quòd autem in carne constituti sub uno tempore vel principe exulaverint, quamquam superiora intelligentibus demonstrent; ut tamen manifestiùs pateat, quomodo hoc evenerit, delucidare pigrum non erit.

m

D

de tempore, quo

25 Constat namque, beatum Hubertum in pontificatu Tungrorum successorem episcopi & martyris Lamberti per annos plurimos exstitisse *n*. Hunc autem beatum Martyrem sub Hilderici, filii Clodovei, filii Dagoberti, pii regis, tempore & pontificatum administrâsse & palatium frequentâsse *o*. Hic Hildebertus *, cùm nimis inepta ageret, & erga optimates Francorum crudelis grassaretur, à quodam eorum insidiatus citissima morte occubuit *p*; cui successit in regnum frater ejus Theodoricus, cujus in Prologo mentionem feci *q*, sub quo prædictus Martyr trophæum sumpsit *r*. Hoc regimina tenente, Pipinus, filius Ansgisi, in cujus comitatu venerabilem Beregisum deguisse, & sub quo, atque cum ejus ope monasterium statuisse prædiximus, in Austria ducatum agebat. Hiis denique intelligibiliter discussis, quis non videat, post Martyris prædicti, qui sub Theodorico interemptus est, decessum beatum Hubertum sub eodem principe præsulatûs cathedram fortitum *s*?

n

o

* *corrige* Hildericus

p

q

r

floruerunt,

E

26 Cùm verò sub ipso rege prædictus Pipinus dux fuerit, cui beatus Beregisus charitatis officio adhæsit, dubium non est, quòd uno eodemque tempore in una diocesi & sub uno certamine constiterint, præsertim cùm sub Karolomanno principe, filio Karoli, filii hujus Pipini, tertio post patris obitum anno principatum agente, ejusdem beati viri corpus Huberti illæsum fuerit repertum *t*, quod jam per sedecim annos solo depressum latuerat *u*, scilicet quia tredecim annis ante Karoli obitum, qui patri Pipino jam per quinque & decem annorum curricula in ducatum successerat, migravit ad Dominum *x*; ubi ostenditur, Pipini & filii ejus Karoli, Austrasiorum ducum, temporibus eum fuisse & ad confirmandam hujus rei veritatem accedit & illud, quòd eodem anno, quo Pipinus defunctus est, Grimoaldum, ejus alterum filium, in basilica beati Lamberti martyris interfectum historiæ veritas asserit *y*, & quidem eandem basilicam ab ipso Confessore in pontificatu agente ædificatam, & Decessoris sui martyris corpus ab ipso de Trajecto divina admonitione fuisse sublatum *z*.

s

t

u

x

y

z

deque rebus, quas gesserunt, nonnulla

27 Quod nullatenus fieri posset, nisi Theodorici regis ac Pipini ducis ævo hunc præclarum Sacerdotem in prædicationis verbo positum fuisse, constaret *aa*. Ipsam verò villam, hoc est, Leodium, quæ nunc sedes prima vel caput episcopii ob sæpe dicti Martyris memoriam habetur, instaurandi, ac frequentis in ea conventus ab eodem initia sumpsisse, scriptorum testimonia seu rei gestæ essentia præsens multotiens confirmat *bb*. Quantâ autem excellentiâ prædicandi verbum salutis idem sanctus Vir enituerit, assertio illorum satis indicat. Nam cùm illis adhuc temporibus fanatico errore Austrasiorum populus multis in locis horrendè fœdaretur, per hunc præcipuum Sacerdotem dæmonum prœstigia & idolorum fantasias maximè ab hoc Ardennensi territorio, quo nunc ossa ejus recondita servantur, ubique tunc pœnè nullus Christianæ legis cultor habebatur, divina miseratio dispulit *cc*. Nulli ergò dubium, quin in eadem gratia beatum patrem Beregisum cooperatorem habuerit *dd*, quandoquidem in monasterio, quod in ipso territorio extruxerat, bonis operibus defudans, uno in tempore eodem charitatis ardore fervens & sub eo

aa

bb

cc

dd

A eo gradum quoque ſacerdotii ipſe adminiſtrans; credibile habetur, quòd & ipſe conſequenter reverendus pontifex illius monaſterii ac loci amplificandi cooperator extiterit.

nonnulla hîc diſſerit biographus, Juamque lucubrationem oratione, *ee*

28 Simul etiam prædicationi inſtantes, alterna devotione provocati & paganorum multitudinem in eadem terra conſiſtentium ad fidem veram, Deo adjuvante, perduxerunt, & monaſterii decus in loco divinitus electo ac deſignato ardentiſſima devotione extruxerunt *ee*. Ideò ſuperna diſpoſitione actum credimus, ut in terra ſeu in loco, in quo in corpore converſantes Regi cælorum magis ſtuduerunt placere, illic

ff mererentur corporibus poſitis requieſcere *ff*, tantamque reverentiæ dignitatem à plebe obtinere, quam Regi Chriſto tam pia intentione lucrari quæſierunt, impenſaque pollere. Et ſicut in corpore poſiti, ut ſalus populi & celebritas loci fieret, magnopere curaverunt, ita corpore exuti mercedis cumulum, ut populum vel locum ſuo patrocinio tueantur, percipere meruerunt. Ad eorum interceſſionem promerendam devota plebs fidelium in feſtis illorum & aliis certis temporibus cum magna frequentia concurrit, & eorum memoriam jugiter expe-

B tendo, xenia oblationum copioſè offert, ut, quos in primordio fidei patres digni habiti ſunt accipere, horum ſubſidio & interceſſione fulti, quorum ſpiritus agmen inter agmina Sanctorum conſequi confidunt, votorum ſuorum compotes effecti æternæ lucis requiem, Chriſto propiciante, mereantur adipiſci *gg*.

gg

quâ Sanctorum illorum auxilium flagitat, abſolvit.

29 Unde benedicimus te, Domine, qui ſub tantorum Patrum tutela miſertus creaturæ tuæ, qui per prævaricationem ſuperbæ offenſionis rei tenebamur, gratuita pietate liberans indignos, gratiæ tuæ participes ac dignos eſſe feciſti. Te ergò petimus, humani generis cum Patre & Spiritu ſancto in principio Conditor, & in fine Redemptor, ut eorum meritis & interceſſione in mandatorum tuorum obſecundatione promptos nos præveniri largiaris adversùs ſpirituales inſidias, & cautelæ nobis ſtudium ingerens ſcuto protectionis tuearis, inflictorum vulnerum ſaucietates mederi pœnitentiæ medicamine ſollicitos reddas, ut cum eis poſt vitæ terminum mereamur immortalitatis ſtolam adipiſci ac per-

C hennis vitæ jocunditate perfrui, te, Domine, in omnibus auxilium ferente, qui cum ſempiterno Patre, ex quo ſine initio genitus & Spiritu Genitoris, qui ex te ſimul perhenniter ſpirans, mundumque creans gubernat, unus es Deus regnans glorioſus in ſæcula ſæculorum, amen.

ANNOTATA.

a *De hoc fonte ſeu rivulo, à quo monaſterium Andaïnenſe nomen accepit, videſis Commentarii prævii num.* 50.

b *Ex hoc loco colligimus*, S. Beregiſum *non monachum, ſed canonicum Regularem fuiſſe, eumque Andaïni non monachos, ſed clericos ſeu canonicos Regulares primò inſtituiſſe. Vide Commentarium prævium* § III & V.

c *Cùm hic auctor anno* 937 *ſcripſerit, fuit ergò ex ejus hîc teſtimonio* S. Beregiſus *jam à ſeculo* X *veneratione Sanctis propria Andaïni honoratus. Vide iterum Commentarii prævii num.* 5 & 84.

d *Walcandus ſeu Valcandus, Leodienſis ſeu Tungrenſis, à civitate Tungrenſi, in qua ſedes Leodienſis primò fuit poſita, epiſcopus factus eſt anno* 810. *Ita* concluditur, *inquiunt Galliæ Chriſtianæ auctæ*

Scriptores tom. 3 *col.* 832, ex brevi Chronico A. ANONYMO
Leodienſi, in quo hæc leguntur: "Anno DCCC-
"XXV, qui erat annus ordinationis D. Walcal-
"di, epiſc. Leod. XV." *Fortè tamen Valcandus fuerit jam epiſcopus ab anno* 809; *in Hiſtoria enim Tranſlationis S. Huberti ad litteram* g *laudanda annus* 16 *ordinationis ipſius copulatur cum anno Chriſti* 825.

e *Ludovici Pii ſcilicet, qui tunc Romanorum erat imperator.*

f *S. Hubertus anno* 727, *ut Cointius in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ad hunc annum num.* 37 *oſtendit, è vivis exceſſit; fuit autem ſacrum corpus ejus anno* 825, *uti ad litteram ſequentem docebo, Leodio ad monaſterium Andaginenſe tranſlatum; jacuerat ergò ante illud tempus annis* 98 *Leodii humatum.*

g *Quo tempore id factum ſit, docet apud Surium ad* 3 *Novembris, quo die S. Hubertus colitur, & apud Joannem Robertum Jonas, Aurelianenſis epiſcopus, in Hiſtoria, quam de Tranſlatione ejuſdem Sancti conſcripſit. En adeò ipſa ejus cap.* 16 *verba:* Anno, *inquit*, ordinationis ipſius (*Walcandi*) ſexto decimo, qui eſt Incarnationis Dominicæ octingenteſimus viceſimus quin- E
tus, undecimo Kalendas Octobris ad beatiſſimi confeſſoris (*Huberti*) ventum eſt urnam, atque à ſacerdotibus cum maxima reverentia, à loco ſepulturæ ejus effoſſa, indidemque cum religioſi populi, graduſque eccleſiaſtici frequentia, in beati Lamberti eccleſiam ſancti Viri oſſa ſunt tranſvecta. Ubi triduo orationibus, & vigiliis proſecuta, pridie Kalendas Octobris, ad memoratum monaſterium (*Andaïnenſe*) cum loculo ſuo ſunt perlata, ibidemque, Chriſto annuente, ut tanto confeſſori competebat, ſunt decenter condita.

h *Attamen hoc monaſterium fuit poſtea à corpore S. Huberti illuc tranſlato* S. Huberti monaſterium *vocatum, hancque appellationem in hunc uſque diem conſtanter retinuit.*

i *Quæ hîc de fonte Andaïno memorat biographus, minùs probanda videntur. Adi Commentarii prævii num.* 50 *in fine.*

k *Hæc generatim ſignificant, SS. Huberti &* Beregiſi *interceſſione Andaïni & in ejus vicinia multa fuiſſe patrata miracula. Utinam hic ſcriptor vel unum ſaltem in particulari memorâſſet.* F

l *Et tamen nullum hactenus biographus narravit miraculum, quod vel S. Huberti vel* S. Beregiſi *interceſſione fuerit patratum.*

m *Verba hæc innuunt, SS. Hubertum &* Beregiſum *in prædicando Arduennatibus Euangelio, collaborâſſe, ſanctumque Hubertum monaſterium Andaïnenſe, ſeu potiùs eccleſiam ad illud ſpectantem conſecrâſſe.*

n *S. Hubertus, ut probabilius eſſe diximus in Commentario prævio num.* 69, *non ante annum* 709 *S. Lamberto in epiſcopatum Trajectenſem, cujus ſedem Leodium tranſtulit, ſucceſſit; anno autem* 727 *è vivis exceſſit. Annis ergò* 18 *circitèr eccleſiam Leodienſem gubernavit.*

o *S. Lambertus anno circitèr* 669, *uti in Commentario prævio ad Vitam ejus die* 17 *Septembris docuimus, S. Theodardo in epiſcopatum Trajectenſem ſucceſſit, fuitque, uti in eodem Commentario probavimus, probabiliùs anno* 709 *martyrio coronatus. Quapropter, cùm Hildericus ſeu Childericus, Clodovei, qui patrem habuit Dagobertum, filius, anno* 660 *Auſtraſiæ & anno* 670 *Neuſtraſiæ inſuper atque Burgundiæ, uti in Commentario prævio ad Vitam S. Leodegarii* § VIII *probatum eſt, regnum adeptus ſit, an-*

A. ANONYMO

noque 673 fuerit occiſus, nihil omnino obſtat, quò minùs, uti hîc ait biographus, S. Lambertus ſub Hilderico, Clodovei filio, pontificatum, *Trajectenſem nempe*, adminiſtrâſſe & palatium frequentâſſe *credatur.*

p Erat enim, *ſcribit primus Fredegarii Continuator cap.* 95, ipſe Childericus rex levis atque citatus nimis, gentem Francorum in ſeditionem mittens, & in ſcandalum ac deriſum; donec odium non modicum inter ipſos crevit uſque ad ſcandalum & ruinam. Quo ingraveſcente, unum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad ſtipitem tenſum cædere contra legem præcepit. Videntes hæc Franci, in ira magna commoti, Ingolbertus videlicet & Amalbertus, vel reliqui majores-natu Francorum, ſeditionem contra ipſum Childericum concitaverunt. Memoratus Bodilo ſuper eum cum reliquis quàmplurimis ſurrexit inſidiaturis, & regem in Lauchonia ſilva, unà cum regina ejus prægnante, nomine Bilihilde, quod dici dolor eſt, interfecit. *Accidit id, ut ad litteram præcedentem dixi, anno* 673.

q *Theodoricus, qui Childerico interfecto ſucceſſit, cujuſque in Prologo biographus mentionem fecit, eſt Theodoricus III.*

B

r *Id eſt, martyrii palmam adeptus eſt. Verùm hîc toto cælo aberrat biographus. Cùm enim Theodoricus III anno* 691 *è vivis exceſſerit, qua veri ſpecie dici poteſt S. Lambertus ſub hoc adeptus eſſe palmam martyrii, quod certè non citiùs, quàm ſeculo* VIII (*vide Commentarium prævium ad Vitam ejuſdem ſancti martyris*) *pauliſper jam inchoato contigit?*

ſ *S. Hubertus S. Lamberto in epiſcopatum Trajectenſem proximè ſucceſſit. Quapropter, cùm hic, uti ad litteram præcedentem dixi, non citiùs, quàm ſeculo* VIII *jam inchoato, martyrii palmam ſit adeptus, errat hîc iterum biographus, dum S. Hubertum ait ſub Theodorico, qui anno* 691 *è vivis exceſſit*, præſulatûs cathedram *eſſe ſortitum.*

t *Ita narratur cap.* 15 *Vitæ S. Huberti apud Surium & Robertum, Societatis noſtræ ſacerdotem. Accidit ergò id anno* 743 *vel* 744. *Etenim Carolus, cognomento* Martellus, *de quo hîc ſermo eſt, anno* 741, *uti inter omnes convenit, vitâ functus eſt. Annus ergò poſt obitum ejus tertius, quo ſecundùm S. Huberti Vitam & biographi noſtri teſtimonium illæſum fuit repertum S. Huberti corpus, cum anno Chriſti* 743 *&* 744 *congruit, atque adeò illa inventio vel anno* 743 *vel* 744 *contigit.*

C

u *Ita iterum teſtatur etiam auctor Vitæ S. Huberti apud Surium & Joannem Robertum mox laudatos.*

x *Pipinus Heriſtallius, pater Caroli Martelli, anno* 714, *ut plerique antiqui Francorum annaliſtæ teſtantur, è vivis exceſſit; S. Hubertus autem, uti ſequitur ex annis ſedecim, quibus, uti mox dixi, ſepultus jacuerat, cùm corpus ejus anno* 743 *aut* 744 *illæſum fuit repertum, anno* 727 *ad Dominum migravit. Quapropter rectè hîc ſcribit biographus, Carolum Martellum, cùm hoc accidit*, patri Pipino jam per quinque & decem annorum curricula in ducatum, *id eſt, majoratum-domûs ſucceſſiſſe.*

D

y *Pro Grimoaldi notitia adi Annotata ad litteram* f *Prologo ſubnexa.*

z *Fecit id S. Hubertus, ut biographus ejus cap.* 3 *teſtatur*, tertio decimo anno ſui præſulatus; *ſed, antequam id faceret, baſilica S. Lamberti, in qua Grimoaldus fuit interfectus, jam diu Leodii exſtiterat. Videſis num* 117 *& ſeq. Commentarii prævii ad Vitam S. Lamberti.*

aa *Perperàm hîc ratiocinatur biographus. Licèt enim S. Hubertus ſub Pipino Heriſtallio, ejuſque filio, Carolo Martello, epiſcopatum Leodienſem adminiſtrârit, licèt corpus S. Lamberti in baſilicam, in qua Grimoaldus fuerat necatus, anno decimo tertio epiſcopatus ſui tranſtulerit, conſequens non eſt, ut in prædicationis verbo poſitus jam fuerit, ſeu, ut, vivente adhuc Theodorico, epiſcopus jam exſtiterit, cùm Theodoricus anno* 691 *è vivis exceſſerit, atque adeò vitam ſuam* E *nec uſque ad mortem Pipini Heriſtallii & Grimoaldi, ejus filii, quæ anno* 714 *contigit, nec uſque ad tranſlationem S. Lamberti, quæ (vide Commentarium prævium ad ejus Vitam) anno* 721 *vel* 722 *facta eſt, protraxerit.*

bb *S. Hubertus, uti apud omnes in confeſſo eſt, ſedem epiſcopalem unà cum corpore S. Lamberti Trajecto Leodium, ubi paſſus fuerat Lambertus, tranſtulit.*

cc *Habet hîc iterum biographus ſibi aſſentientem biographum S. Huberti. Adi Commentarii prævii num.* 80.

dd *Veroſimillimum ſanè apparet*, S. Beregiſum, *uti num.* 79 *& ſeq. Commentarii prævii edocui, S. Huberto in convertendis ad fidem Arduennatibus opem tuliſſe. Imò ſat veriſimile mihi videtur, id etiam feciſſe Religioſos monaſterii Andaïnenſis incolas à Sancto inſtitutos, idque etiamſi hos quis contenderet monachos fuiſſe. Monachi enim in convertendis ad verum unius Dei cultum ethnicis maximè etiam diligentiſſiméque laborârunt.*

ee *Hîc ſat apertè docere videtur biographus, S. Hubertum unà cum* S. Beregiſo *monaſterium Andaïnenſe exſtruxiſſe, unde conſequens eſt, illud non ante annum* 709 *condi cœptum eſſe. Videſis Commentarii prævii num.* 70. F

ff *Cum corpore ſcilicet* S. Beregiſi *Andaïni etiam requieſcit corpus S. Huberti, eò à Valcando, Leodienſi epiſcopo, Leodio tranſlatum. Adi Annotata ad litteram* g.

gg *Fuit ergò* S. Beregiſus *jam ab ætate hujus ſcriptoris, id eſt, ab anno* 937 *honoratus ut* Sanctus.

A

AUCTORE J. B.

DE B. GODEFRIDO PRESBYTERO ORDINIS CISTERCIENSIS VILLARII IN BRABANTIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Beati Vita, Ætas, Annuntiatio & Tranſlatio varia, Memoria ſacra.

CIRCA FIN. SEC. XII VEL INIT. XIII. *Exſtat Gallica Beati Vita apud Aſſignies; Latina verò in Ms. Rubeæ-vallis*

B

SUaviſſimâ, *inquit Fiſenus lib.* XI *Hiſtoriæ Eccleſiæ Leodienſis ad annum* 1197, Deus ſuâ providentiâ ſuſcitavit, qui, dum præcipuæ Leodienſis eccleſiæ columnæ partes ſuas negligunt, diſciplinam Chriſtianam non modò labantem ſuſtinerent, ſed exemplis etiam ornarent præclariſſimis. Ejuſcemodi non paucos protulit in primis Villarium (*cujus ſitum ortumque Tom.* V *Junii pag.* 606 *Papebrochius refert*) Ciſtercienſis inſtituti cœnobium. *Ut Carolos, Conrados, Abundios, Arnulphos taceam, qui virtutum ſuarum ſplendore ſub hæc tempora Villarium illuſtrârunt, Fiſeni dicto fidem facit in primis* Godefridus *noſter, vitæ integritate, acceptis divinitus donis, & prodigiorum gloriâ clarus. Legitur exſtitiſſe Villarii Vita ejus manuſcripta, penè à morte ipſius Latino ſermone conſcripta, quam ſuperiore ſeculo Gallicè vulgavit Joannes d'Aſſignies, teſte Manrique ad annum Chriſti* 1170 *cap.* 6; *adjectis tamen ad calcem nonnullis, quæ multò pòſt contigerunt, niſi fortè aliam* Godefridi *Vitam ediderit præter eam, quam lib.* 1 *de Monachis ſacri Ordinis Ciſtercienſis cap.* 46 *inſeruit. Exſtat & apud nos Vita quædam Ms., ex Ms. Rubeæ vallis* 1 *parte Novalis Sanctorum excerpta, ut præfixa illi in margine nota habet, quæ cum ea, quam edidit Joannes d'Aſſignies ſuprà laudatus, planè congruit, ſi demas, quæ ad calcem adjecta & ad recentiora tempora referenda ſunt.*

C

circa annum 1333 *ſcripta;*

2 *Quod ad ejus antiquitatem attinet, anno* 1333 *poſteriorem eſſe, non diffitebor: ſi tamen unus idemque auctor geſta abbatum Villarienſium ad annum* 1333 *uſque deduxit, Vitamque* Godefridi *conſcripſit: auctor enim libri de Geſtis illuſtrium virorum Villarienſis cœnobii, ex cujus cap.* 4 Godefridi *Vita deſumpta eſt, in præfatione profitetur, ſe ad deſcribenda illuſtria facta monachorum atque converſorum Villarienſis cœnobii non deſcendiſſe, niſi* expedita utcumque narratione de quibuſdam geſtis venerabilium abbatum Villarienſium, *quæ ad annum Domini* 1333 *extenditur, quo abbas Villarienſis trigeſimus electus eſt Joannes de Bruxella. Aliquod tamen in* Godefridi *Vita occurrit majoris antiquitatis indicium. Ecce illud: enarratæ* Godefridi *morti mox auctor iſta ſubjungit:* Nudato ejus corpore ad lavandum, ita dorſum ejus inventum eſt plagis virgarum lividum, ut omnes miraremur, qui quantæ religioſitatis, quantæ ſanctitatis, quàm fervens in Ordinis diſciplina per ſacras ejus reliquias Dominus uſque hodie non ceſſat oſtendere. Nuper ſunt levata per revelationem ejus ſacra oſſa & in ſacrario poſita. *Qui circa annum* 1333 *conſcribendis Chronicis occupabatur, morienti* Godefrido *adſtitiſſe non potuit, nec elevationis corporis, quam jam integro ſeculo litteris conſignârat Cæſarius, quaſi ea nuper contigiſſet, meminiſſe. At rectè tom.* IV *Auguſti pag.* 372 *Dolmannus noſter obſervat & probat, ſcriptori huic inuſitatum non eſſe, ut ſibi ſuiſque ea obtigiſſe dicat, quæ cœnobio ſuo obtigêre etiam tum, quando illius pars nondum erat. Præterea textus hic, quantus eſt, huc aliunde, à neſcio quo tranſlatus videtur: Cæſarius equidem iiſdem hæc ferè omnia verbis (apud quem tamen legitur:* Mirarentur) *refert, & in Vita* Godefridi *apud Martene tom.* 3 *Anecdotorum deſiderantur. Vixiſſe illum ſeculo decimo tertio, atque ſermonem habuiſſe cum Giſla* Godefrido *coæva, quæque illum vidiſſe & nôſſe potuit, hæc ejus verba non obſcurè produnt:* Audivi ab eadem (*Giſla*) quòd à tactu illius (*Godefridi*) veſtis multis infirmis & languentibus deſiderata reſtituta ſit ſanitas. *Porrò Giſlam jam inde ab anno* 1201 *abbatiam de Camera fundâſſe prope Bruxellas, infrà patebit.*

E

3 Godefridi *etiam lib.* 1 *Dialogorum cap.* 35 *Cæſarius meminit, annis, poſtquam floruit, circiter* 25. *Floruiſſe enim* Godefridum *circa annum Chriſti* 1197 *infrà dicemus. Cæſarius autem Dialogorum lib.* 10 *cap.* 48 *anno* 1222 *illos ſe exarâſſe teſtatur. His adde Vitam, quam ex codice Ms. monaſterii Bonifontis Ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Remenſi exhibet Martene tom.* 3 *Anecdotorum Hiſtoriæ Villarienſis lib.* 2 *cap.* 4; *quæ, ſi cum noſtra conferatur, res geſtæ eadem, verba paſſim ſunt eadem: nonnulla tamen legere eſt in noſtra, quæ hæc relinquit intacta. Libri* 2 *prædictæ Hiſtoriæ auctor non alius fuiſſe videtur, quàm qui Villarienſis cœnobii Chronica ad annum* 1333 *deduxit: ita enim in Prologo loquitur:* Expedita utcumque narratione de quibuſdam Geſtis venerabilium abbatum Villarienſium, deſcendamus ad deſcribenda illuſtria facta virorum fortium & virtuoſorum, monachorum videlicet atque converſorum ejuſdem cœnobii. *Et infrà:* Et primò quidem Vitam reverendiſſimi domni Caroli, octavi Villarienſis abbatis, diffuſiùs, quàm ſuo loco deſcripta eſt, explicabimus pro eo quòd &c. *Hunc autem tempore Willelmi abbatis, qui anno* 1221 *pedum paſtorale ſuſcepit, geſtavitque ad annum* 1236, *vixiſſe perperàm colligit Martene in Admonitione prævia ex quibuſdam textibus, quos hujus auctoris eſſe falsò exiſtimat, utpote qui Cantipratani de Apibus lib.* 1 *cap.* 9; *item lib.* 2 *cap.* 25 *&* 26 *eſſe noſcuntur.*

F

& apud Martene, cujus quædam hallucinatio detegitur:

4 *Quo Chriſti anno lucem primò aſpexerit* Godefridus, *tacent monumenta citata, tacent, quos vidi, auctores ceteri. Patriam habuit Coloniam Agrippinæ, ubi in monaſterio S. Panta-*

AUCTORE J. B. *tradunt autem singulæ, Beatum floruisse circa annum* 1197 *& obiisse paulò post Cæsarium,*

leonis Ordinis S. Benedicti sacræ militiæ fundamenta jecit ; inde verò ad Villarienses aliquanto pòst sanctioris vitæ desiderio ductuque divino transiit, verisimiliter circa annum Domini 1170, *inquit Manrique in Annalibus Cistercienſibus ad hunc annum cap.* 6, *præsulatum gerente Geraldo. Idem fortasse Miræo in Chronico Cistercienſi, & in Fastis Belgicis & Burgundicis aliisque visum est, qui* Godefridum *circa hunc annum floruisse, scripserunt. Vixisse illum & claruisse, cùm Villarienſibus Carolus abbas octavus præerat, ex Actis certum indubitatumque est ; circa annum nempe* 1197, *quo abbati Guilielmo Carolum successisse, ex Chronico Villarienſi liquet ; & cui* Godefridi *ad Villarienses accessum in Floribus ecclesiæ Leodienſis (à cujus diœcesi ad Namurcenſem translatum est modò Villarium) ad diem* 2 *Octobris fortè justo seriùs Fisenus affixit. Incidisse* Godefridi *obitum in feriam* 2 *Paschalem, è Vita eruitur : annus verò mortis incertus est. Figi utcumque posset, si constaret, quis fuerit & quando obierit Cæsarius ille, cui* Godefridum *non diu fuisse superstitem, Vita narrat.*

B *non Heisterbacenſem, ut Assignies, Miræus*

5 *Fuitne Cæsarius Heisterbacenſis, quem Miræus in Bibliotheca ecclesiastica librum tertium de Vita ac Passione S. Engelberti, archiepiscopi Colonienſis anno Domini* 1237 *absolvisse tradit ? Ita quidem Joannes d'Assignies in Vita* Godefridi, *vel quisquis Notarum in margine adjectarum est auctor. Quod si ita est, quî potuit* Godefridi *mortem enarrare, & reliquiarum ejus sibi superstitis meminisse Cæsarius ? Heisterbâcenſem fuisse in Chronico Cistercienſi etiam Miræus tradit ; ego verò cum Henriquez in Menologio Cistercienſi* XXIII *Februarii, & Fiseno* 1 *parte paralipomenon utrumque distinguendum censeo. Miræum audiamus.* Fuit is (*Cæsarius Heisterbacenſis*) *inquit*, Prior Villarienſis, sub Guilielmo, VII abbate Villarienſi, olim priore Heisterbacenſi, idemque venerabili Godefrido perfamiliaris extitit. De quo & aliis monachis Villarienſibus idem Cæsarius multa commemorat in suis Dialogorum libris. *At unde ista Miræus hausit ?* Ex Chronico, *inquit*, manuscripto Villarienſi. *Quid si partim ex Chronico Villarienſi, partim ex ipso Cæsario oppositum probem ? En Chronici Villarienſis verba :* Sub ipso (*Guilielmo abbate* VII) fuit Prior nonus Cæsarius, de quo scribitur in Vita domini Godefridi

C sacristæ, reconditi retro cancellos majoris altaris : de quo etiam Cæsarius laudabilia in suo scribit tractatu. *Vides, primum illum Cæsarium Prioris munus obiisse sub Guilielmo abbate* VII, *atque adeò ante annum* 1197, *quo ad abbatis dignitatem evectus est Carolus, Guilielmi successor. Cæsarium adeamus modò : lib.* 2 *cap.* 10 *ita habet :* Annus modò vicesimus est secundus, plùs minus, eo tempore, quo ad Ordinem veni, qui fuit ab Incarnatione Domini millesimus ducentesimus uno minus. *Aut itaque Cæsarius Heisterbacenſis Villarii Priorem egit, Cistercienſibus nondum adscripius, aut illi de seipso loquenti abneganda fides, quorum utrumque absonum est, aut ab illo, de quo Chronicon Villarienſe, distinguendus.*

& Manrique volunt, sed Villarienſem,

6 *Unde & Manrique corrigas ad annum* 1201 *cap.* 5 *num.* 6 *monentem, corrigendum esse Joannem d'Assignies in Vita* Godefridi, quatenus ait, Godefrido, infirmario apparenti, dum moreretur, adstitisse Cæsarium, qui in eadem domo Prioris fuerat officio functus, dudum (*lege*, non dudum, depuis naguerres) decessérat : quippe, *inquit*, Cæsarius, qui Godefridi mortem scribit, & post mortem secutam elevationem, non potuit ante ipsum decessisse. *Rectè id quidem : at, quæ de Cæsario narrat Assignies, non de Heisterbacenſi, sed altero Villarienſi intelligenda sunt. Item num.* 6 *Miræo partim assentientem, partim contradicentem : assentientem, cùm scribit*, Verùm est tamen, quod Aubertus Miræus narrat, ex Chronico Villarienſi sumptum, Cæsarium (*Heisterbacenſem scilicet*) Godefrido perfamiliarem, cùm ibidem obiret Prioris munus. *Contradicentem verò, cùm Cæsarium ab abbate Carolo ait evocatum, vix dum Heisterbaci professum, quem sub Guilielmo Caroli decessore Villarii fuisse, Miræus affirmat. Verùm cùm de Cæsario, ab Heisterbacenſi distincto, vix quidquam, ut loco citato Fisenus habet, præter nomen & dignitatem Prioris & egregiam morum innocentiam, nobis antiquitas reliquerit, aliâ viâ annus* Godefridi *supremus indagandus est.* D

circa annum 1200 ; *sed annum non determinant.*

7 *Venerabilem* Godefridum *secum aliquando Heisterbacum duxit Carolus abbas Villarienſis, ait Cæsarius lib.* 1 *cap.* 35 ; *quod utique ante annum* 1197 *contigisse non potuit, quo adhuc in vivis erat Guilielmus. Ex iis autem, quæ* Godefridi *Vita num.* 14 *de sanctimoniali Gisla prodit, ipsum ante fundatam ab ea domum de Bunebeke (alibi legitur Pennebeke) juxta Bruxellas, obiisse conficitur. Fundata autem est anno* 1201, *ut patet ex diplomate Henrici I, Brabantiæ ducis, quod in Notitia ecclesiarum Belgii pag.* 512 *hisce verbis expressum Miræus refert :* Ego Henricus Dei gratiâ dux Lotharingiæ, assensu dilectæ consortis meæ Machtildis ducissæ, contuli religiosæ sorori Gislæ locum juxta Bruxellam, qui vocatur Pennebeke, ad construendum inibi cœnobium sanctimonialium, in honore Dei & beatæ Virginis Mariæ. Contuli etiam eidem sorori juxta prædictum locum tres mansos terræ incultæ & nemoris de meo proprio, ab omni jure sæculari liberrimos, & partem meam decimæ de Russebroeck & viginti bonaria terræ, cum censu, quem prædicta Gisla emit à Waltero Kibus. Quod, ut ratum habeatur, præsentem paginam sigilli nostri impressione signavimus, & testium subscriptione munivimus : quorum ista sunt nomina ; Sigerus archidiaconus, magister Michaël, Arnoldus Notarius, Godefridus Castellanus. Actum anno MCCI. *Neque igitur ante annum* 1197, *neque post annum* 1201 Go-

F defridus *ex hac vita migravit : quapropter obitum ejus exeunti seculo duodecimo, aut ineunti decimo tertio assignavimus.* E

quapropter, ut verisimile est, non omnes eodem die

8 *Ignotus fatalis* Godefridi *annus in causa est, cur mensis quoque & mensis dies, quo obiit, ignoretur : cùm tamen ejus mors in feriam secundam Paschatis inciderit, mensi Aprili aut Martio adscribendam esse, è calculo Paschali eruitur. Hinc quoque non improbabiliter accidit, ut varia sit apud varios* Godefridi *annuntiatio. Et primò illius die* XXX *Junii, sed occasione B. Arnulphi Cornibout eo die culti, in Natalibus Sanctorum Belgii Molanus meminit ; Menardus in Martyrologio Benedictino, & Antonius de Heredia in Vitis Sanctorum Benedictinorum* XXXI *Martii, uno die seriùs, quàm par est, si anno* 1198, *quo Pascha in* XXIX *Martii incidit, obiisse ponatur. Gelenius verò lib.* 4 *in sacris & piis Fastis ; Rayssius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii ; Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodienſis eum die* 2 *Octobris memorant. Denique Bucelinus in Menologio Benedictinorum, Henriquez in Menologio Cistercienſi, Chalemot in Serie Sanctorum & Beatorum*

A *rum ſacri Ordinis Ciſtercienſis, Sauſſayus, Kalendarium Villarienſe Ms., Kalendarium Ciſtercienſe anno* 1617 *Divione impreſſum, Kalendarium Sanctorum ac Beatorum maximè illuſtrium ex Ordine Ciſtercienſi, quod ex officina Huberti Antonii anno* 1620 *Bruxellæ prodiit, Catalogus Sanctorum, Beatorum & Ordinis Ciſtercienſis, auctore Sigiſmundo Alberti, ejuſdem Ordinis monacho, die* III *Octobris* Godefridum *referunt. Altera fortaſſis tantæ varietatis cauſa eſt, non una elevatio atque tranſlatio corporis.*

uti & propter varias tranſlationes,

9 *Etenim* Godefridi *oſſa ab obitu ejus non admodum diu primùm elevata fuiſſe, ex Cæſario, qui conſcribendis Dialogorum libris anno* 1222 *operam dabat, intelligitur. Sic enim ſcribit lib.* I *cap.* 35. Nuper, *inquit*, per revelationem levata ſunt oſſa ejus, & in ſacrario poſita, reſervanturque pro reliquiis. *Ac rurſum ſub abbate Villarienſi Almerico tranſlata ſunt.* Dominus Almericus monachus Fumacenſis XVIII abbas Villarienſis, *inquit Chronicon Villarienſe*, à domino Clarevallis nobis datus, abbatizavit anno Domini MCCLXVIII. Anno ſecundo regiminis ſui poſita ſunt retro cancellum majoris altaris

B corpora ſanctiſſimorum fratrum Abundi de Hoyo monachi, & Arnulphi Cornibout & quædam alia; *è quorum numero* Godefridi *eſſe corpus, mauſolei titulus verſu* 4 *palàm facit:*

Clauderis hîc ciſta, Godefride, beate ſacriſta.

De hac tranſlatione Henriquez in Menologio Ciſtercienſi ſic ſcribit: Hîc tantùm mentio fit eorum, qui olim retro altare ſummum locum obtinuerunt, & à multo tempore pia veneratione colebantur, quorum hæc ſunt nomina: B. Godefridus ſacriſta, B. Arnulphus Cornibout (*de quo actum fuit* XXX *Junii*) B. Juliana (*de qua* V *Aprilis*) B. Bonifacius, B. Marchina, B. Maria de Gravio, B. Heldwigis, B. Henricus, B. Guilielmus. Horum ſacras exuvias Almericus abbas olim ſumma cum reverentia populo colendas propoſuit.

quarum præcipua anno 1599 *contigit, Beatum referunt,*

10 *Recentioris quoque tranſlationis idem Henriquez eò loci his verbis meminit:* Multos annos ſacra corpora ibidem jacuerunt, ſed propter inteſtinos harum provinciarum tumultus, non eo, quo merebatur affectu (*quod & Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii anno* 1595 *Lovanii editis queritur*) donec paulatim mitigato rerum ſtatu, & tempore ſedatiori Robertus

C Henrion, illius domûs prælatus, ad decentiorem locum ea transferre decrevit: qua de cauſa ſacellum patris Bernardi (*cujus deſcriptionem ex Franciſco Moſcho habes tom.* V *Junii pag.* 606) jaſpide & marmore ornari juſſerat. Motis ergò Beatorum corporibus, abbas & conventus, magna populi multitudine præſente, illa, ſupplicationis formâ exhibitâ, & magna ſolemnitate, ad marmoreum ſepulchrum tranſtulerunt, ibique in arca ex marmore nigro affabre polita, quâ potuerunt reverentiâ, collocârunt; *ſed promiſcuè & indiſtinctè, ut Rayſſius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii* 2 *Octobris ſe à monacho Villarienſi accepiſſe, qui præſens aderat ultimæ tranſlationi factæ, non ſine dolore ſignificat. Contigiſſe porrò ſolennem illam tranſlationem anno* 1599 *die* XVII *Januarii, feſto S. Antonii abbatis in Thebaïde, pandunt ſacelli muro inſcripti verſus:*

Anno milleſimo ac nono, decieſque noveno
Poſt quingentenum, dum Janum Antonius ornat,
Paſtorale pedum mitramque gerente Roberto,
Dena Beatorum oſſa, humili ſublata locello,
Conduntur ſacra in hac, quam ô lector ſuſpicis, æde.

AUCTORE J. B.

cujus memoria ſacra

11 *Neque hæc unica ſunt monumenta, quibus illuſtris redditur* Godefridi *memoria, frequens quoque & honorifica in ſacris Faſtis illius fit mentio. Ut Vitas antiquas, variaque Ciſtercienſis Ordinis Kalendaria præteream, ſcriptorum nonnullos in medium proferre ſufficiat, apud quos* Beati *titulum conſecutus eſt; puta Menardum, Gelenium* (*qui in addendo cuiquam beatitatis titulo ita ſe moderatum & cautum ait in Præfatione libri* 4 *de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ, ut quamplurimos, qui ab aliis Beati appellantur, Venerabilium tantùm aut Religioſorum nomine ipſe dignetur*) *Rayſſium, Bucelinum, Fiſenum, Chalemot, Henriquez, Antonium de Heredia, num.* 8 *citatos, Sartorium tit.* 6, *Willotium in Hagiologii Belgici compendio Gallico; quibus & uſus ipſe accedit. Ex his* Godefridi *elogia pauca & breviora tranſcribo. Menardus ita habet:* In Brabantia monaſterio Villarienſi, beati Godefridi Ordinis Ciſtercienſis, lachrymarum gratiâ & prophetiæ ſpiritu clari. *Iiſdem verbis die* XXXI *Martii* Godefridum *Bucelinus laudat, prolixioribus* III *Octobris. Willotius* 2 *Octobris:* Obiit Villarii B. Godefridus, hujus monaſterii ſacriſta, cui cum Domino magna familiaritas fuit. *Quippe qui Chriſtum comitem, ut ſcribit Aſſignies in ejus Vita, habuerit: idem quoque Roſweydus in Præfatione ad S. Eucherium de Laude eremi refert; ſed alteri Villarienſi ſacriſtæ adſcribit.* De Godefrido *noſtro hæc habet:* Par aut major etiam alteri ſacriſtæ Godefrido cum Chriſto familiaritas, qui Paſſchæ typum cultori ſuo exhibuit, & ut olim D. Petro, ita Godefrido miniſtras pedibus aquas præbuit. *Paucis multa Henriquez:* In Brabantia Natalis beati Godefridi, ſacriſtæ & monachi Villarienſis, innumeris miraculis & prophetiæ dono illuſtris, crebriſque ac cæleſtibus conſolationibus aſſuefacti, cujus pedes, inſolito divinæ pietatis favore ipſe Rex angelorum lavare dignatus eſt. Qui à beata Virgine & cæli civibus ſæpe viſitatus, puritate & ſeveritate vitæ venerabilis, poſt felicem agonem, horam obitûs ſui prædicens, ſanctiſſimo fine quievit, & ejus corpus, Domino divinitus præcipiente, inter Sanctorum reliquias fuit collocatum.

E

F

& cultus aſſignantur.

12 *Cultum autem* B. Godefridi *oſſa ejus primùm in ſacrario divino monitu poſita, habitaque reliquiarum loco, deinde iterum atque iterum populi venerationi ſolenni pompa expoſita, mauſoleum ipſi, aliiſque magnificè erectum, oratio denique ad ipſum ceteroſque in eodem mauſoleo incluſos communis in templo Villarienſi appenſa* (*vide tom.* V *Junii pag.* 443 *lit. A*) *jam inde à Cæſarii temporibus inchoatum, uſque ad Almerici tempora propagatum, ac tandem, detrimenti aliquid ſubinde paſſum, in integrum ab Henrione abbate reſtitutum, ſatis indicare videntur. Accipe modò, lector,* B. Godefridi *Vitam ex Ms. Rubeæ-vallis, prout ea apud nos exſtat, à mendis, etſi non omnibus, expurgatam.*

A

VITA

Auctore anonymo cœnobii Villarienſis aſceta.

Ex Apographo Rubeæ-vallis.

CAPUT I.

Godefridi ad Villarienſes acceſſus, virtutis fervor, miracula, ipſo vivo, patrata, Chriſti in illum favores.

B

Relicto S. Pantaleonis monaſterio, a

ESt monaſterium *a* ſancti Panthaleonis in ſancta Colonia monachorum nigrorum ſub Regula beati Benedicti Deo militantium, in quo monachus quidam, nomine Godefridus, ad omne opus pietatis ſe accinxit gratioſus per hoc Deo & hominibus. Hic à primis annis ea, quibus fovetur vita temporalis, deſpexit & immortalis appetitu ſuam enutrivit adoleſcentiam virtutibus, quibus adipiſcitur. Hujus quàm munda & juſta fuerint opera ex bonis ejus ſtudiis clariùs eluceſcit. Interiùs Spiritus ſancti unctione perfuſus mundum, cùm floreret, deſpexit, & poſitus in carne carnaliter noluit vivere, ſed illius apoſtolici non ſurdus auditor " Si ſe-
„cundùm carnem vixeritis, moriemini„ in deliciis poſitus, eis conſentire noluit, conſiderans, quia cor hominis ſæpe iis, quæ frequentat, adhæret, & de facile acquieſcitur deceptoriæ voluptati. Ne igitur fructum præteriti laboris amitteret, propoſuit omnino arctioris vitæ deſiderio tranſire ad aliquam domum Ordinis Ciſtercienſis *b*, ut in ea redderet Domino vota, quæ diſtinxerant labia ſua. Cúmque Domino affectuoſiùs ſupplicaret, ut dirigeret viam ejus, præoſtendit ei in ſpiritu ſtatum Vilarienſis cœnobii, quem ita adhuc Coloniæ poſitus prægnoverat, ut nec ſolùm perſonas & converſationem earum, ſed & ſitum loci ac univerſa domûs illius utenſilia acſi totâ vitâ ſuâ in ea commoratus fuiſſet.

b

C

Villarium Beatus petit; ubi eò in virtute progreditur, c

2 Hunc itaque locum in animo præelegit, orans Dominum, quod & obtinuit, ut videlicet in eodem vitæ ſuæ ſibi terminum donaretur expectare. Ad quem perveniens *c*, accingitur quaſi novus Chriſti tyro ad ſpirituale certamen, induitque arma potentia Deo, ſanctæ paupertatis humilitatem, diſciplinæ cœnobialis rigorem, otium contemplandi, & aſſiduitatem orandi. Ita à prima die ingreſſus ſui carnem propriam ſubjugâſſe videbatur, ut poſitus in carne, non carnaliter vivere, ut, qui ei cohabitabant ex ſancta converſatione ipſius & bonorum operum inſtantia exempla & incentiva aſſumerent, quibus eorum homo interior ad amorem veritatis & inquiſitionem informaretur patriæ cæleſtis.

3 Veniebat ad portam monaſterii puer, qui eleëmoſynâ domûs ſuſtentabatur, qui amiſerat ſenſum *d*, cujus miſeriæ compatiebatur plurimùm dominus Henricus, tunc temporis cellerarius *e*, qui incommodo patientis & patris motus lacrymis memorati Monachi cincturam, quem pro vitæ merito plurimùm venerabatur, clàm accepit & per fratrem converſum ex ea ipſum puerum circumligari fecit; qui ſtatim ſanitatem ſibi redditam ſenſit, ac patrem & amicos, quos ejus infirmitas contriſtaverat, incolumitas lætificavit. Circa Namurcum *f* matrona quædam prægnans tempore pariendi præ nimia debilitate mortem ſibi ſemper imminere putabat. Hæc adjutorio cellerarii prædicti obtinuit cingulum Viri Dei & cum cingulo ſanitatis remedium ac hæredem deſideratum. Eadem matrona fratris ſui oculo, quem ferè amiſerat, appoſuit cingulum, &, quem ſe amiſiſſe putabat, ſanum recepit.

ut etiam neſcius d

e

f

miracula patret;

4 In Theutonicis partibus cujuſdam militis uxor, Gebergis nomine, pro vitæ ſuæ honeſtate omnibus dilecta, ſæpius imprægnata, juſtum & naturalem prævenit ordinem, paſſa abortivum, & in tantum debilitabatur, quòd extremum ſpiritum, qui aderant, tantùm expectabant. Hanc dolor vexabat intolerabilis pro eo, quòd fructum ventris ſui ſacrati baptiſmatis undâ purificari in ſolatium ſui doloris non vidit. Cúmque quodam tempore, ſuperveniente hora partus ſui, graviter affligeretur, nuncium ad fratrem Wigerum avunculum ſuum in Vilari miſit, ſuæ ſalutis ab eo petens auxilium. Qui ipſius miſeriæ compatiens panes ſacra manu venerabilis Godefridi benedictos eidem tranſmiſit, de quibus cùm guſtâſſet, enixa eſt puerum ſacri baptiſmatis undâ purificandum, nec poſtea incommodum incurrit jam dictum. Ipſa eadem jam dicto avunculo ſuo poſt longa tempora retulit, quòd adhuc de pane illo reſervaverat, nec tamen corruptionis quidquam ex tanta vetuſtate contraxerat.

E

Chriſtus illi, ut olim Diſcipulis, pedes lavet;

5 Fungebatur Vir Domini ſacriſtæ officio, in quo divini reſpectus ſolatia majora promeruit, & velut aurum, quod per ignem tranſit, purior efficiebatur indies. Exarſit in tantum in amorem ſupernæ patriæ, quòd vitæ temporalis ſubſidia deſpectui haberet, & immortalis appetitui deſudaret, iis ſe informans virtutibus, quibus adipiſcitur regnum cæleſte. Percelebratis igitur die quadam *g* horis Canonicis, cùm ceteri fratres lecto decumberent, ipſe in oratione ſolus remanſit, & juxta altare effudit cor ſuum ante conſpectum Domini Dei ſui tam pro ſuis, quàm pro omnium exceſſibus ex intimis medullis animæ Salvatorem exorans. Apparuit itaque Dominus Jeſus Chriſtus ei in ipſa hora, nec purpuratus nec diademate coruſcans, ſed in ea forma, quâ, imminente Paſſionis hora, amictus lintheo diſcipulorum pedes lavit. Appropinquans itaque illi & tenens vas aquæ, fuerat enim hebdomadarius *h* coquinæ & ſecundùm conſuetudinem lavaret pedes monachorum, ait ad eum Dominus: Sede, ut lavem pedes tuos *i*, eò quòd dudum laveris pedes meos. Qui tremula voce reſpondit: Domine, non lavabis me. Et Dominus: Si non lavero te, inquit, non habebis partem mecum, & coëgit eum, lavitque ſtupentem, & lotum dulciter allocutus eſt dicens: Sicut poſui animam meam pro te, ita oportet & te animam pro fratribus ponere; & his dictis, confeſtim diſparuit.

F

g

h

i

6 Ex

A *candela divinitus coram illo accendatur,*

6 Ex tunc, quasi arbor fructifera suo fructu adornata, non frustra terram occupavit, sed ardens interiùs flamma sancti Spiritus omnes eum contemnere cruciatus fecit, & sedulum se pusillis & magnis in omnibus ministrum exhibuit. Circa commissum itaque sollicitus officium nocte quadam tempus matutinarum in ecclesia prævenit, cúmque per chorum incederet, palpitans & quærens candelam, lampadem, quæ ante altare beatæ Virginis ardere solebat, extinctam invenit, quam cùm ad reaccendendum deferret, subitò candela divinitus accensa præcedebat eum usque ad locum prædictæ lampadis. Ipse itaque dimittens lampadem, igne, quem divina ministraverat pietas, illam accendit.

& Christum sub forma pueri, velut alter Simeon, videre, petat & obtineat.

7 Cmúque sub umbra alarum Jesu requiesceret, & Deo devotus sempiternas epulas corporalibus præferret deliciis, & gaudia mansura lætitiæ labenti, die quadam in altari nostræ Sacramenta salutis obtulit, & cùm omnium Salvatorem pium Jesum teneret in manibus, ac ejus dulcissimi spiritus in corde prægustaret dulcedinem, confortatus in se, non à se tamen, sed eo, qui fecit, prece precabatur humili in interiori homine suo, quatenus in ea forma, quâ eum

B Mater foverat in gremio, ac Symeon Justus secundùm desiderium suum susceperat in brachio, ipsi quoque, licèt indigno, sub carnis visibili specie apparere dignaretur. Apparuit itaque illi speciosus formâ præ filiis hominum, non sicuti in judicio apparebit terribilis, nec sicut in cruce cruentus & despectus, sed in forma dulcissimi pueri, glorioso & amicabili aspectu penetralia servi sui uberiori irrigatione perfundens. Tenebat manibus, à quo tenebatur, & post aliquantulum temporis spatium Salvator omnium, quem sibi priùs assistentem in humana viderat forma, sub ea specie panis & vini, quâ à fidelibus percipitur, in altari ei exhibetur percipiendus.

ANNOTATA.

a *Monasterium hoc Bruno primus ejus nominis archiepiscopus Colonienſis fundâsse censetur; cujus tamen instauratorem potiùs, quàm primum fundatorem fuisse, Gelenius scribit lib. 3 de Magnitudine Coloniæ Aprippinæ Syntagmate* 12.

b *Plures alios, qui è monasteriis etiam procul*
C *dissitis majoris perfectionis desiderio Villarium se contulerunt, vide apud Gramaye lib. de Antiquitatibus ducatus Brabantini in Genappia.*

c *Repulsam priùs passus Heisterbaci, levitatis falsò suspectus. Ex Cæsario lib.* 1 *Dialog. cap.* 35.

d Amittere sensum *Flandricismus est, idemque significat, quod* mentis impotem fieri.

e *Illius officium est infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni sollicitudine curam gerere. Ex Regula S. Benedicti.*

f *Namurcum Belgii civitas est, ubi in Mosam Sabis devolvitur, sita, comitatûs & episcopatûs titulo insignis.*

g *Puta, die Sabbati. Ex Cæsario suprà cit.*

h *De quo Regula S. Benedicti cap.* 35 *hæc statuit:* Egressurus de septimana, Sabbato munditias faciat, *id est, monasterium verrat;* Lintea, cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt, lavet. Pedes verò tam ipse, qui egreditur, quàm ille, qui intraturus est, omnibus lavent.

i *Quod de Christo pedes* Godefrido *lavante dicitur, per visionem solùm contigisse, aut angelum Christum repræsentantem id officii* Godefrido *exhibuisse, monet Tissier in Notis ad Distinctionem primam Dialog. Cæsarii.* A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO

CAPUT II.

Godefridi cælestia dona, favor à B. Virgine, pia mors; miracula mortem subsecuta.

Crescentibus indies Beati donis & virtutibus, a

TEmpore quodam dominus Carolus abbas Villarienſis veniens in partes Alemanniæ *a* duxit secum eumdem venerabilem Virum, ubi, sicut retulerunt, qui viderunt, tantam gratiam devotionis eidem in Missa contulit, quòd stillicidia lacrymarum ex oculis ipsius super altare vel pectus ejus stillarent; quem cùm interrogaret dominus Theodoricus de Lurke *b*, tunc novitius cujusdam domûs Ordinis Cistercienſis illarum partium, quondam canonicus Bunnenſis, qualiter orare deberet, ille respondit: Nihil debetis dicere in oratione, sed tantùm cogitare de Salvatoris nativitate, passione & resurrectione ac aliis, quæ vobis nota sunt *c*; quod ipse frequenter in usu habuit, hoc & alios docere studuit. Habebat & spiritum prophetiæ, ita ut quandoque monachis tentationes futuras prædiceret, & ut corda sua per patientiam præpararent, admoneret. Quantas habuerit consolationes, & quàm mirificas visiones, solus ille plenariè novit, qui autor illarum fuit. Tantæ gratiæ copiâ ebriatus in anima, positus in carne nihil carnale ultrà sapiebat; sed plùs quàm dici possit, atterendo carnem jejuniis & vigiliis, frigore & nuditate ac ceteris afflictionibus, virtutum spiritualium sumpsit incrementa, in Creatoris omnium timore, pariter & amore aciem mentis fixam tenens. *b* B *c*

ex B. Virgine instare sibi mortem intelligit,

9 Unde actum est, quòd in Annunciatione beatæ Virginis in nocturnis vigiliis solemniter cantaret, ac maximè in coastantium sibi fratrum concentu satis delectaretur, vidit beatam Virginem chorum monachorum circumeuntem, fratresque confortantem, & ex eadem parte chori, quâ intraverat, exeuntem. Quantam, qui hoc vidit, senserit tranquillitatem & in spiritu suavitatem, non est homo, cujus lingua eloqui condignè possit. Subsecutus itaque exeuntem de choro à pia Jesu Matre amicabile responsum accepit in hunc modum: Revertere ad fratres tuos, nec sequaris me ampliùs, quia citò ex toto me sequêris, recepturus tui laboris præmium, tuæ militiæ donativum & felicitatem Sanctorum omnium in regno. Reversus denique ad chorum, tantæ beatitudinis promissum per dies aliquot expectabat, atque ex tunc magis & magis erat sollicitus, quomodo ad desideratæ quietis & tantæ salutis pertingeret portum.

nec diu pòst ægritudine corripitur, quâ ingravescente,

10 Sextâ itaque feriâ, quæ proximè Pascha Domini præcedit, quâ verus Agnus immolatus est prò salute mundi, & quâ specialiter Dominicæ Passionis Sacramentum recolitur, ex superveniente infirmitate viribus corporis cœpit repentè

A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO

pentè deſtitui. Et licèt, ut infirmitorium intraret, cum omni inſtantia rogaretur, quatenus membra, ex longo labore feſſa, quiete modica confoveret, renuit in hac parte conſiliis acquieſcere, ſed virtute animi moleſtias corporis ſuperavit uſque ad vigiliam Paſſchæ in fratrum conventu perdurans. Tunc primùm ut infirmus infirmis eſt ſociatus, violenter tamen & compulſus, utpote qui vix umquam ſuper cura corporis ſui alicujus conſilio acquievit. Secundâ feriâ Dominicæ Reſurrectionis, cùm felicis migrationis ſuæ horam ſentiret adeſſe, quâ de ergaſtulo corporis, poſito carnis cinctorio, tranſire deberet ad domum longè aliam, non manufactam, æternam in cælis, fatiſcentes artus, qui ſemper ſpiritui ſervierant, ſacro petiit Olei liquore perungi.

ſacris morientium præſidiis ritè munitur,

11 Paulatim itaque vires corporis defecerunt, cùm tamen mens liberè Deo vacaret, faciem Domini in confeſſione præoccupans & ſeipſum ante ſe diligenti diſcuſſione conſtituens, quidquid in ſe ante oculos diſtricti Judicis reprehenſibile noverat, invectione rigida corrigebat. Fatigabat dolor immenſus exhauſtum longâ pœnitentiâ corpus, ut hac excoctione probatus in ſummi Regis diademate exſculpi dignè mereretur. Porrò fratrum Villarienſium corda vexabat dolor immenſus, cùm eum, qui ad vitam ipſos invitabat, viderent communi morientium reſolutione involvi, ac mœſtitiam ſuam vultûs pallore ac multa lacrymarum effuſione demonſtrabant. Dolebant Concivis talis ſibi ſubtrahi præſentiam, in cujus vultu relucebat ſanctitas, in ore veritas, in moribus honeſtas, in conſiliis maturitas, in verbis utilitas, in carne & ſpiritu integritas, in omnibus diligendis profuſa charitas, ita ut modum naturæ fragilis magnitudo excelleret virtutis, & norma ſupernæ illius converſationis normam prætenderet vitæ immortalis. Precabatur à fratribus, quòd Dominus iter ſuum in pace diſponeret, & quòd ab eo, qui vocavit & juſtificavit, ex mundi naufragoſo incolatu ad locum placidæ manſionis transferretur, & ſic eum Olei ſacri liquore perungunt.

liberatâque, quam dederat infirmario, fidè,

12 Poſt inunctionem, animatus in corpore adhuc ſemivivo, mente tota cæleſtibus intendebat, expectans agonem ſuum læto exitu conſummari. Circa finem itaque cœnæ, cùm, ingraveſcente, dolore tenderet ad mortem, imò propinquaret ad palmam, & conventus ſurgeret à menſa, ſervitor eidem deputatus affatus eſt eum voce lacrymabili: Domine, iſta neceſſitas gravem mihi dolorem incutit, timeo enim, quòd, ſi à vobis receſſero, de cetero vos non videbo, & ideo invitus vado comedere verens, ne interim moriaris. Cui ille ſerenata facie reſpondit: Vade ſecurus, quia adhuc me videbis, nec propter me poſtponas Ordinis conſuetudinem. Paruit ille & ſedens in menſa vultu dimiſſo, vidit duas reverendi habitus perſonas, Priorem ſcilicet Cæſarium proximè defunctum *d*, & alium, dominum Godefridum. Hic ſiquidem Cæſarius vir grandævus & probatæ converſationis ac miri in Dei ſervitio fervoris, cùm felicis vocationis ſuæ hora inſtaret, in hæc verba converſus ad circumſtantes prorupit: Cantabo cum cantantibus, pſallam cum pſallentibus, pſallam ei, qui me conjunxit ſibi, dulcedo ex ore ejus, mel & lac. Et his dictis exſpiravit. His igitur duobus per oſtium refectorii introeuntibus ante fratrem, dixit ad eum dominus Godefridus: Ecce, me vides, ſicut promiſeram; pax tibi, recedo.

alacer migrat ad Dominum, ſepelituque Villarii

13 Vix per oſtium egreſſi fuerunt, & ecce ſtatim tabula pulſatur *e*, quâ fratres conveniunt & ſanctam animam cum pſalmis Deo commendant; ac ſancti angeli ipſum cum hymnis in montem Domini & in tabernaculum ejus deducunt, liberatur anima à corpore, honoris debiti reverentiâ procuratâ, ſacro tempore Reſurrectionis, cùm verus Agnus libertatem reddidit Iſraëli. Tranſit ex hoc mundo ad Patrem, ubi videt, quoniam ſuavis eſt Dominus, non per ſpeculum in ænigmate, quoniam priora abierunt; ſed ambulat in vultûs Dei lumine cum illis Beatorum choris, qui perſtiterunt in agone certaminis, inter amplexus Sponſi ab ubertate domûs Dei feliciter inebriatus; qui, licèt de ſorte ſit ſecurus beatitudinis ſuæ, noſtræ tamen pacis & ſalutis curâ conſtringitur, interpellans pro nobis, ut hoſtium laqueos poſſimus evadere, & ad veram beatitudinem pervenire. Nudato ejus corpore ad lavandum, ita dorſum ejus inventum eſt plagis virgarum lividum, ut omnes miraremur, qui quantæ religioſitatis, quantæ ſanctitatis, quàm fervens in Ordinis diſciplina, per ſacras ejus reliquias Dominus uſque hodie non ceſſat oſtendere; nuper ſunt levata per revelationem ejus ſacra oſſa & in ſacrario poſita *f*. Ipſi gloria, qui ſic ad ſe converſos magnificat, in ſæcula ſæculorum. Amen.

etiam à morte miraculis clarus.

14 Sanctimonialis quædam Bruxellenſis, Gilla *g* nomine, ſub Regula beati Benedicti habitus nigri, ſed multæ devotionis arctioris vitæ deſiderio ad Ordinem Ciſtercienſem aſcendere modis omnibus aſpirabat, nullum habens deſiderii ſui adjutorem, præter dominum Carolum tunc temporis Vilarienſem abbatem. Venit itaque ad portam cœnobii Vilarienſis perturbata, & anxia fratri Wigero tunc temporis veſtiario conquerens, quantas à clericis ſuſtineret tribulationes, qui minabantur ei excommunicationis ſententiam, ſi habitum Ciſtercienſem ſuſciperet. Ait monachus ad eam: Sanctimonialis es ſub Regula S. Benedicti, nec per clericos talis in te ſententia procedere poteſt, porrexitque illi cucullam, quam domini Godefridi fuiſſe putabat, quam ipſa induit & receſſit; nec poſtea impedimenta ſuſtinuit ab æmulis. Audivi ab eadem, quòd à tactu illius veſtis multis infirmis & languentibus deſiderata reſtituta ſit ſanitas. Profecit itaque ſanctimonialis illa in deſiderio ſuo & adjutorio egregiæ memoriæ domini Karoli abbatis præfati domum de Bunebeke *h* apud Bruxellam, quæ nunc Camera *i* appellatur, fundavit *k* ac ædificavit. Nunc igitur, Vir beate, mihi hæc ſcribenti implores veniam peccatorum & ampliorem impetres gratiam ac laborantem in maris hujus periculoſis fluctibus, orationis tuæ remigio ad optatum perducas portum, eoſque, qui lecturi ſunt hæc, inſtantiſſimè moneo & ſupplex peto, ut me, qui hæc ſcripſi, ſummo Patri commendent, quatenus in valle miſeriæ ita me cuſtodiat, ut in vivorum regione cæli civibus tandem aggregari valeam.

ANNOTATA.

a Heiſterbacum, *ut Cæſarius cit. innuit. Eſt verò Heiſterbacum Ciſtercienſis Ordinis abbatia*, Vallis S. Petri *etiam dicta, in ducatu Montenſi diœceſis Colonienſis circa annum* 1188 *à Domino Philippo*

A *Philippo de Heinsberg, archiepiſcopo Colonienſi, fundata. Ita Jongelinus in Abbatiis Ciſtercienſibus, & Ms. ejuſdem Ordinis Catalogus genealogicus.*

b *Apud Cæſarium legitur* Lureke.

c *Tiſſier in Annotatis ad cap.* 1 *hæc ita interpretatur :* Quod item ipſe Godefridus dicebat, nihil in oratione dicendum, ſed ſolùm de Chriſti paſſione aliiſque myſteriis cogitandum, hunc ſenſum habet, quòd, dum pſallimus & officium perſolvimus divinum, præſtat tunc mente Chriſti paſſionem recolere magis, quam aliquid à Deo petere, ad devotionem & attentionem fovendam : quamvis etiam &c.

d *Idem habet Joannes d'Aſſignies &* Godefridi *Vita apud Martene tom.* 3 *Anecdotorum : nec video, qua de cauſa, quæ hîc de Cæſario memorantur, expungi debeant, prout Manrique contendit. Videſis num.* 5 *&* 6 *Commentarii prævii. Eſto, de iis Cæſarius Heiſterbacenſis altùm taceat ; utpote qui* multa alia, *quæ de* Godefrido *narrantur,* ſtudio brevitatis, *ipſomet teſte, ſuppreſſit.*

e *Ciſtercienſium conſuetudo fuit, ut, cùm quis moreretur, tabula in clauſtro crebris ictibus quater pulſaretur, ad cujus ſonitum confluebant monachi, certas preces coram moribundo ritè perſoluturi. Ex lib. Uſuum Ciſtercienſium cap.* 94, *apud Martene de antiquis monachorum Ritibus lib.* 5 *cap.* 9. A. MONACHO VILLARIENSI ANONYMO.

f *Textus hic integer à neſcio quo, in Vitam* Godefridi *aliunde videtur intruſus. Vide Commentarium prævium num.* 2.

g *Ita Ms. noſtrum : ſed diploma Henrici ducis Brabantiæ, habet* Giſla. *Alibi etiam legitur* Gilla.

h *Locus eſt ſub pago ſuburbano Elſen dicto à parte urbis auſtrali.*

i *Ita jam inde ab anno* 1207 *appellatam fuiſſe, inſtrumentum donationis docet, quo Leonius Caſtellanus Bruxellenſis decimam, quam in parochia de Sanbergen poſſidebat, abbatiſſæ & conventui de Camera donavit, quod Miræus exhibet in Notitia Eccleſiarum Belgii cap.* 203.

k *Anno* 1201 ; *non circa annum* 1211, *ut Gazæus & Roſweydus, teſte Miræo litterâ* i *proximè citato, in ſuis Hiſtoriis aiunt. Vide num.* 7 *Commentarii prævii.*

B E

DE B. BERENGARIO CONFESSORE ORDINIS PRÆDICATORUM ILERDENSI EPISCOPO ELECTO IN CATALAUNIA.

SYLLOGE.

Beati ſedes, geſta, cultus.

J. B.

ANNO MCCLVI. *Ilerda jam olim epiſcopalis*

C *Lerda earum, quas Ilergetes Hiſpaniæ Tarraconenſis populi incolunt, urbium celeberrima inter Iberum flumen & Pyrenæos montes ad fluvium Sicorim,* Segre *indigenis dictum, ſita eſt, pari fere à Barcinone & Cæſarauguſtâ intervallo diſtans ; bellis variis, obſidionibus & excidiis à multis retrò ſeculis nominis celebritatem conſecuta. Frequens apud Cæſarem in Commentariis de bello civili illius eſt mentio ; cujus pariter Ptolemæus lib.* 2, *Strabo lib.* 3, *aliique ſcriptores antiqui meminêre. Sedem habet epiſcopalem perantiquam Tarraconenſi ſuffraganeam. Jam inde à Conſtantini temporibus erectam fuiſſe oportet, juxta quamdam Hiſpaniæ in ſuos epiſcopatus diviſionem Conſtantino adſcriptam : ſed apocryphan illam eſſe tom.* 4 *Tract.* 3 *Hiſpaniæ ſacræ Florez oſtendit. Si Catalogo Epiſcoporum Hiſpaniæ Haubertino fides habenda eſt, primus Ilerdenſium epiſcopus fuit Iſicius anno* 203, *at varios fictitii hujus Catalogi errores prodit Nicolaus Antonius Bibliothecæ veteris Hiſpaniæ lib.* 6 *cap.* 22 ; *Iſicium verò Carceſi quieviſſe Ado & Uſuardus ſcribunt, ibidemque epiſcopum fuiſſe Maurolycus, Conſtantius Felicius & Galeſinius docent. Sedis illius initium Pſeudo-Flavius Dexter, interprete Bivario, anno* 268 *illigat, quo S. Licerium, Caritenſem primò epiſcopum, ſedem ſuam Ilerdam tranſtuliſſe, ait : is porrò non alius fuiſſe videtur, quàm Licerius Conſorannenſis epiſcopus, qui ſeculo ſexto floruit, ut dictum eſt tom.* VI *Auguſti pag.* 45. *Caſtellanus in Tabula topographica Martyrologii univerſalis S. Cæcilium primum Ilerdenſium epiſcopum fuiſſe ſcribit : in Catalogo tamen Sanctorum, omiſſo Cæcilio Ilerdenſi, ſolius meminit S. Cæcilii primi Eliberitanorum epiſcopi : unde ſuſpicor, Cæcilium Eliberitanum cum Ilerdenſi à Caſtellano confuſum eſſe.*

F *Catalaunia civitas*

2 *Certiùs, etſi minùs diſtinctè, Ilerdenſis ſedis antiquitas ex conciliorum in Hiſpania celebratorum ſubſcriptionibus intelligitur. Joannes Vaſæus in Hiſpaniæ Chronico ad annum* 525 *ita habet :* Hoc anno, id eſt, Theodorici Junioris XV celebratum eſt octavo Idus Auguſti concilium Ilerdenſe ab octo epiſcopis ſub Sergio illius civitatis id temporis epiſcopo. *Agit de hoc concilio Cardinalis de Aguirre tom.* 2 *Conciliorum Hiſpaniæ pag.* 286, *& quamquam titulus concilio præfixus habeat* Anno quindecimo Theuduredi regis, *aut, ut aliis in Mss. legitur,* Theoderici ; *contendit tamen concilium hoc anno æræ Hiſpanicæ* 584, *Chriſti* 546 *celebratum eſſe, anno ſcilicet* XV, *nec Theuduredi, nec Theoderici, ſed* Theudis *regis* ; & ita dicitur, *inquit,* in Ms. Lucenſi conciliorum Hiſpaniæ, omnium planè codicum antiquiſſimo. *Sed neque Sergius epiſcopus Ilerdenſis, verùm metropolitanus Tarraconenſis fuit ; tum quòd (inquit idem Aguirre) ita habeant canones Barcinonenſes, tum quòd id etiam ex ver-*

AUCTORE J. B.

bis ſubſcriptionis cum fratribus noſtris *colligatur. Quod etiam ex ſubſcriptione octava patet, quæ ita habet :* Februarius in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Ilerdenſis, his conſtitutionibus interfui & ſubſcripſi. *Idem porrò eſſe concilium, de quo Vaſæus & Aguirre agunt, ſuadent idem concilii locus, idem epiſcoporum numerus, eadem Sergii primo loco ſubſcriptio, idem celebrati concilii menſis Auguſtus, idem denique dies ab Aguirre aſſignatus in margine. Concilio quoque Barcinonenſi* I, *quod ſecundùm illuſtriſſimum Garziam Loaiſa circa annum Domini* 540 *habitum eſt, Andreas Ilerdenſis epiſcopus interfuit : antiquioribus autem ſi quis Ilerdenſium præſulum interfuerit, certè nomen ſedis non exprimitur.*

Patres Dominicanos admittit circa annum 1229,

3 *Verſus ſeculi* XII *medium ſub Maurorum jugo Ilerda gemebat, cùm illam Mauris ereptam Raymundus Barcinonenſium comes & Aragoniæ princeps recepit in fidem civibus pene vacuam, inſtauravitque non ſolùm urbem ipſam, ſed & ſedem ejus epiſcopalem, tranſlato Ilerdam Guilielmo Pereſio Rotenſi epiſcopo, teſte Surita ad annum* 1149, *& Petro de Marca archiepiſcopo Pariſienſi Marcæ Hiſpanicæ lib.* 4. *Seculo dein* XIII *circa annum nonum ſupra vigeſimum*

B *Dominicani Patres fixêre Ilerdæ domicilium, in quo aliquanto pòſt non vulgari ſanctitatis laude floruit* Berengarius de Peralta. *Dolent Dominicanæ familiæ ſcriptores* Berengarii *præclarè geſta, paucis exceptis, ſeu temporum edacitate, ſeu veterum ſcriptorum ſuorum negligentiâ poſterorum effugiſſe notitiam. Damnum hoc, quoad licuit, recentiores Dominicani reſarcire conati ſunt. Inter eos, quorum ſcripta nobis in promptu ſunt, ſcriptionis ordine primus eſt Franciſcus Diago, qui, teſte Echardo, in veteribus eruendis ruderibus, archiviſque tum Ordinis, tum regni evolvendis vitam penè inſumpſit omnem, nulli parcens operæ, nullum ea de cauſa non aggreſſus iter. Opus ejus prodiit anno* 1599. *Succedit proximè Antonius Vincentius Domeneccus in Hiſtoria Sanctorum Catalauniæ, quam ut ederet numeris omnibus abſolutam, quater Catalauniam peragrâſſe, inſtrumenta publica, & archiva reconditiora legiſſe & diſcuſſiſſe fertur. Obiit Gerundæ anno* 1606, *in vita & morte miraculorum ſplendore illuſtris ; prodiit autem hujus Opus anno* 1602. *Ita in Bibliotheca Dominicana Echardus. Sequuntur Joannes Michaël Pio, Dominicus Maria Marcheſe epiſcopus Puteolanus, & Jacobus la Fon. Quæ apud auctores jam citatos de* Berengario *leguntur, paucis perſtringo.*

C

quibus, abdicato Ilerdenſi canonicatu,

4 *In primis quod obtigerit* Berengario *natale ſolum, haud ſatis perſpectum eſt. Altum de eo apud Franciſcum Diagum lib.* 2 *Hiſtoriæ provinciæ Aragoniæ Ord. Præd. cap.* 38 Berengarii *vitam deſcribentem ſilentium eſt. Michaël Pio lib.* 1 *de Viris illuſtribus ſui Ordinis Ilerdæ natum ſcribit : at unde id hauſerit, non exponit. Idem quoque Marcheſius & Jacobus la Fon, hic in Anno, ille in Diario Dominicano ad diem* XXII *Novembris, ſed timidè aſſerunt. Contrà verò Domeneccus, Montione (oppidum eſt Aragoniæ, quà Catalauniam reſpicit) natum eſſe, lib.* 2 *de Sanctis Catalauniæ diſertiſſimè tradit. Gente igitur Hiſpanus fuit, Catalaunus, an Aragonius, ob diſcrepantes prædictorum auctorum opiniones non facilè dixero. Utut ſit, certum eſt,* Berengarium *canonicis Ilerdenſibus adſcriptum fuiſſe, conficiturque ex inſtrumento privilegii cujuſdam ab epiſcopo, capituloque Ilerdenſi conventui olim conceſſi, cui penultimo inter canonicos loco* Berengarius *anno* 1249 *ſubſcripſit his verbis :* Ego B. de Peralta Illerden. canonicus ſubſcribo & hoc ſignum pono. *Marcheſe & la Fon canonicatu auctum fuiſſe ſcribunt, cùm ætatis annum* 15 *nondum exceſſiſſet ; quod & Diagus & Domeneccus tacet ; quorum prior tum ex traditione, tum ex citato inſtrumento, & emortuali* Berengarii *anno, nempe* 1256, *quidem tradit, parùm provectæ ætatis fuiſſe* Berengarium, *cùm Guilielmo Barberano ex eadem S. Dominici familia defuncto Ilerdenſi epiſcopo ſucceſſor electus eſt ; at determinati ſuſcepti ab eo canonicatûs anni non meminit. Sit igitur penes auctores dicti fides.*

D

adſcriptus B. Berengarius,

5 *Porrò* Berengarium *religioſæ quietis amore, altioriſque perfectionis deſiderio, miſſa dignitate canonica, & quos inde capiebat, fructibus, Dominicanum in conventu Ilerdenſi ſuſcepiſſe habitum, Regulamque profeſſum eſſe, iidem referunt, nixi non tantùm veteri traditione, ſed etiam ſedis Ilerdenſis archivi ſcripto, quo id contineri, Berengarius capituli notarius aliquando aſſeruit. Novus hic Dominicani inſtituti Alumnus eum mox fecit in virtute progreſſum, ut admirationi ſimul & venerationi univerſæ non modò fuerit Aragoniæ, ſed etiam defuncto Ilerdenſi epiſcopo Barberano, divino monitu, cùm diaconus tantùm eſſet, ſubrogari meruerit. Hanc autem eſſe peractæ electionis ſeriem volunt. Diviſa erant in eligendo epiſcopo canonicorum (penes quos id juris etiamnum vigebat) ſuffragia : coacta ſæpe comitia, verùm nullo operæ pretio ; optatum ſcilicet eorum exitum electorum diſſenſio impediebat. Terebatur his altercationibus tempus, cùm tandem, calo judice, deciſa lis eſt. Apparuit nempe altercantibus angelus, atque Ilerdenſes infulas* Berengario *deferendas edixit. Quod de canonicorum diſſenſione narratum eſt, non tamquam certum tradunt, ſed veriſimile putant. De ea agens Michaël Pio Diagum citat in Hiſtoria provinciæ Aragoniæ, qui lib.* 2 *cap.* 38 *laudatæ Hiſtoriæ ea in re tum Michaëli Pio, tum aliis recentioribus potiſſimùm præluxiſſe, videtur. Ceterùm miraculoſam* Berengarii *electionem ex antiqua aiunt traditione acceptam eſſe, confirmariquè picturâ, quæ in pariete ſupra ejus ſepulcrum viſitur, & angelum epiſcopalem mitram ei deferentem exhibet.*

& Ilerdenſis epiſcopus electus obiit anno 1256,

6 *Divino mandato canonici, quibus* Berengarii *perſpecta virtus erat, non illubenter paruêre. Ille verò vitâ potiùs, quàm religioſa quiete carere malebat. Itaque converſus ad preces Deum obteſtari cœpit, ut tam grave à ſuis humeris onus averteret : nec Servi ſui preces divina pietas ſprevit. Nondum enim in ſua dignitate confirmatus aut conſecratus piè obdormivit in Domino anno* 1256 *die* 2 *Octobris, ut habet inſcriptum ejus tumulo epitaphium :* Anno Domini MCCLVI ſexto Nonas Octobris tranſitus venerabilis patris Domini Berengarii de Peralta hujus ſacroſanctæ ſedis electi. *Unde miror, Michaëlem Pio de Viris illuſtribus ſui Ordinis parte* 1 *cap.* 38, *& rurſum parte* 2, *ubi ſui Ordinis epiſcopos recenſet, emortualem* Berengarii *diem, non* 2 *ſed* X *Octobris affixiſſe, reclamantibus ceteris, atque ipſa ſepulchrali inſcriptione, in qua ſexto Nonas Octobris obiiſſe, verbis expreſſis legitur. Longiùs autem à vero aberrat de Vienne, tertii Ordinis S. Dominici presbyter, dum in anno Dominicano Gallicè ſcripto ad diem* XXVIII *Julii ita ſcribit :* Hoc eodem die obiit B. P. Berengarius de Peralta,

E

F

A alta, episcopus Ilerdensis, charitate in proximum & alta humilitate pollens. *Frequentibus quoque miraculis* Berengarium *claruisse, testatum posteris reliquére, quorum tamen sive temporum injuriâ, sive scriptorum incuriâ interierit memoria. Quod sigillatim proferant, unicum est ex Diago depromptum; fuisse nimirum ex episcopis Ilerdensibus nonneminem, qui* Berengarii *loculum recludere voluerit, sive inspiciendi corporis gratiâ, sive, ut aliis placet, aliò transferendi; verùm id perfici minimè potuisse, tanta scilicet prorumpente sanguinis copia, ut in tumuli frontem (non in faciem & vestimenta episcopi, ut perperàm vertit la Fon) sese diffuderit, quo illud effectum est, ut* Berengarii *apud Ilerdenses veneratio non mediocre ceperit incrementum. Tumulus verò, inquit Marchesius, hodiedum usque effusi sanguinis notas retinet.*

cultumque ecclesiasticum obtinet.

7 *Ceterùm* Berengarium *ab immemorabili tempore in Sanctorum numero ab Ilerdensibus habitum, cultumque ut talem, triplici probant argumento. Primum est, quod à patrato mox memorato prodigio cœptum sit ejus tumulo à diacono thus ingeri, quoties id aræ principi ingeritur. Alterum est, quod & altare ejus nomini erectum,* B *& Sancti titulus illi adscriptus legatur in antiqua quadam charta, quâ Joanni de Peralta Ilerdensi canonico Romei, ejusdem sedis episcopi, vicarius generalis, totumque capitulum facultatem facit, ut possit* instituere & dotare in dicta ecclesia (*cathedrali*) quandam cappellaniam in & super altari seu sepultura sancti Berengarii sedis Illerdensis cum dupla & anniversario, *quod anno* 1370 *apud Diagum & Domeneccum, sed mendosè; anno verò* 1379 *apud Marchesium & la Fon contigisse, legitur. Tertium denique est, quod in* Berengarii *memoriam porta quadam ejusdem ecclesiæ* S. Berengarii *dicta reperiatur in quadam apocha archivi Ilerdensis capituli anni* 1373 *à Domenecco visa: agit autem ea apocha de supplicatione tunc habita à canonicis in translatione ossium* B. Berengarii *ad claustrum ecclesiæ hactenus* In illo sarcophago (*verba sunt apochæ*) sive monumento, quod erat extra sedem versus januam sancti Berengarii *servatorum. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum* 2 *Octobris* Berengarii *his verbis meminit:* Ilerdæ in Hispania B. Berengarii episcopi. *Addit in Notis:* Migravit ex hac vita ann. MCCLVI electus, sed nondum consecratus episcopus. Illi ara erecta conspicitur in ecclesia Ilerdensi. *Plures martyrologos non addo, quoniam ceteri, quos quidem consului, de* Berengario *tacent.* E

AUCTORE J. B.

DE S. THOMA DE CANTILUPE EPISC. HEREFORDIENSI IN ANGLIA.

APUD MONTEM FLASCONIS IN HETRURIA PONTIFICIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. C. S.

§ I. Locus sedis, ac olim præcipui cultus ejus: annuntiatio in Martyrologiis: Vitæ non edendæ: Processus canonizationis, ex quo compendium vitæ & miracula danda.

ANNO MCLXXXII. *Hic sanctus Episcopus Herefordiæ, cujus notitia datur,* C

Herefordia, vulgo Hereford, *Magnæ Britanniæ, sive Angliæ, civitas episcopalis sub metropoli Cantuariensi, sedet in sui nominis, cujus caput est, comitatu, Anglis* Hereford-Shire *dicto*, pratis gratissimis, *ut loquitur Camdenus in descriptione ejusdem comitatûs*, & arvis uberrimis interspersa, fluminibus ferè incincta, ad Septentrionem & Occasum anonymo, ab Austro Vegâ, qui è Wallia huc accelerat. *De ejusdem civitatis primordiis & incrementis plura habet ibidem Camdenus, ex eoque Henschenius noster ad diem* XX *Maii in S. Ethelberto, Orientalium Anglorum rege ac martyre, anno* 793 *è vivis sublato, ibidemque sepulto, & insigni ecclesia, quæ cathedralis est, à Milfredo vel Milefrido, Merciorum rege, pro meritis honorato. Eidem Milefredo Joannes Bromtonus in Vita laudati sancti regis ab Henschenio edita, num.* 13, *& Camdenus attribuunt episcopalis sedis erectionem; quod Henschenius in Annotatis lit.* e *de illius stabili fundatione accipiendum putavit, quia alii Puttam jam inde ab anno* 680 *istius loci episcopum fuisse statuunt. Vetus illa ecclesia anno* 1055 *hostili manu deleta fuit ac deinde resuscitata, vel à Roberto Losinga ejusdem civitatis episcopo, ut scribit Franciscus Godwinus in Commentario de Præsulibus Angliæ pag.* 529, *vel à Reinelmo, istius post Gerardum successore, ut Camdenus affirmavit.* F

sedem suam habuit seculo 13.

2 *Juverit hìc Camdenum audivisse. Sic ait:* Reinelmus episcopus, regnante Henrico primo, speciosum hoc, quod nunc cernitur, templum posuit, succesforesque adauxerunt, adjuncto collegio nitido, & pulchris præbendariorum ædibus. Nam præter episcopum, qui trecentis & duabus ecclesiis præest, sunt in hac ecclesia decanus, archidiaconi duo, præcentor, cancellarius, thesaurarius & præbendarii viginti octo. In templo, præter episcoporum, nulla ferè monumenta vidimus; Thomam verò Cantelupum episcopum, nobili loco natum, mausolæum habuisse, accepimus; qui ob sanctitatem inter Divos relatus, parùm abfuit, quin pietatis opinione regio martyri Ethelberto præluxerit. *Hæc de ecclesia illa cathedrali, prout erat seculo* 17 *inchoato, scripsit Camdenus; Godwinus, qui eodem tempore vixit, addit pag.* 540 *mausoleum illud è marmore stetisse* in Aquilonari parte transepti ad Orientem, *atque insuper ait*, A succesforibus hoc illi (*S. Thomæ*)

AUCTORE C. S.

honoris habitum, ut insignia ejus gentilitia jam inde ab eo tempore pro sedis suæ insignibus usurpaverint; in campo videlicet rubro tria leopardorum capita aurea inversa, totidem lilia in ore gestantia.

qui obiit 25 Augusti, sed 2 Octobris colitur

3 *Itaque inter Herefordienſis eccleſiæ epiſcopos poſt medium ſeculum* XIII *eluxit* S. Thomas, *ex illuſtri Cantiluporum familia in Anglia natus, doctrinâ, morum ſanctitate & invicta animi fortitudine in vindicandis eccleſiæ ſuæ juribus conſpicuus. Illum, dum apud Sedem Apoſtolicam eadem de cauſa verſaretur, prope Montem Flaſconis anno* 1282, *die* XXV *Auguſti vitâ functum, ac deinde plurimis miraculis coruſcantem, Joannes XXII ſummus Pontifex anno* 1320 *ſanctorum confeſſorum albo ſollemniter adſcripſit, feſtumque ejus annuum ſexto Nonas Octobris celebrari mandavit. Eapropter in Martyrologio Romano hoc poſtremo die cum præcipuo olim cultûs, non obitûs loco paucis ſic legitur:* Herfordiæ in Anglia, S. Thomæ epiſcopi & confeſſoris. *Baronio præiverat Petrus Galeſinius, ad eumdem diem ſic inquiens:* Herefordiæ in Anglia, S. Thomæ epiſcopi, vitæ ſanctimoniâ &
B miraculis clari. *Præiverant item Martyrologii Uſuardini editiones Lubeco-Colonienſis, Greveni & Molani, quarum prima ſic habet:* In Anglia, S. Thomæ epiſcopi & confeſſoris; *duæ autem aliæ clariùs ſic:* In Anglia ſancti Thomæ Herefordienſis epiſcopi & confeſſoris, vitâ & miraculis clari.

& inſcriptus Martyrologiis eſt, in quorum aliquibus etiam ad alios dies memoratur.

4 *Iſtis omnibus antiquius noſtrum Ms. Florarium Sanctorum, utpote anno Chriſti* 1486 *completum, de eodem ſancto Præſule rectè quidem ad diem 2 Octobris, ſed in loco aberrans, ita meminit:* In Scotia ſancti Thomæ epiſcopi & confeſſoris. *Secundum Octobris diem etiam ſervat Conſtantinus Ginius in Natalibus ſanctorum canonicorum, ubi ejuſdem elogium ex Suriana Collectione de Vitis Sanctorum concinnavit. Joannes Wilſon, Catholicus presbyter Anglus, in ſuo Martyrologio Anglicano, editionis anni* 1608, S. Thomam *noſtrum bis annuntiavit; primò in Monte-Flaſconis ad diem* XXV *Auguſti, velut ipſius emortualem; atque iterum ad 2 Octobris Herefordiæ titulo tranſlationis; ſed in altera ejuſdem Martyrologii editione, anno* 1640 *facta, ſolum diem 2 Octobris, velut depoſitionis illius Herefordiæ retinuit. Ad alterum rurſus diem, nempe ad* XV *Februarii, neſcio, quo titulo, ſuprà laudatus Petrus Galeſinius ejuſdem ſic meminit:* Herfordiæ S. Thomæ epiſcopi, cujus vitæ ſanctimoniâ & rebus divinitus geſtis planè cognitis, Joannes XXII Pontifex Maximus in Sanctis eum ritè adſcripſit. *In Annotationibus ibidem laudat* Annales Anglorum; *ſed cur ad prædictum Februarii diem de eodem agat, quamve feſtivitatem hîc deſignet, non ediſſerit.*

C

etiam ad alios dies memoratur.

5 *Denique in noſtro Florario Sanctorum ejuſdem Sancti canonizatio ad diem* XVII *Aprilis memoratur hoc modo:* Item S. Thomæ & Fordienſis (*lege* Herfordienſis) canonizatio facta Johanne XXII apud Avinionem anno Pontificatus ſui V, Salutis MCCCXX, à tranſitu ſanctiſſimi Viri XXXVIII. Fuit vir nobilis, doctor in Decretis & magiſter in Theologia. *Pro anno* V *Pontificatûs Joannis ſubſtitue annum* IV, *& omnia rectè ſe habere, conſtabit ex dicendis. Porrò Majores mei* S. Thomam *Herefordienſem epiſcopum in Prætermiſſis ad diem* XV *Februarii ex memorato Petro Galeſinio, ad* XVII *Aprilis ex Florario Sanctorum, alioque Cartuſiæ Bruxellenſis, & ad* XXV *Auguſti, qui Sancto verè emortualis fuit, ex Wilſoni Martyrologio Anglicano commemorârunt, & in diem 2 Octobris diſtulerunt, quia feſtum ejus ſuprà laudatus Joannes ſummus Pontifex in Bulla canonizationis ejuſdem eidem diei affixit, quo etiam in Martyrologio Romano inſcriptum eſt. Cur tamen hunc diem præ ceteris deſignaverit Pontifex, mihi planè incompertum eſt. Certè illo nec obiit, nec ex humili ſepultura in marmoreum mauſoleum tranſlatus fuit, nec Sanctis adſcriptus, nec quidquam eodem die factum novimus, quod huic Pontificio decreto cauſam dederit; niſi fortè iſto die oſſa ejus, dum ex Italia transferebantur, in Angliam vel in eccleſiam ſuam cathedralem advecta fuerint.* D

Vitæ Mſs. editaque à Surio, prætermittendæ

6 *Vitam* S. Thomæ, *ſeu veriùs Vitæ compendium, accepimus ex Ms. Rubeæ Vallis, cui ſimillimum habuit Laurentius Surius, quod ſuo ſtilo donatum in Vitis Sanctorum hoc die vulgavit. Auctorem, qui æquè apud ipſum, quàm apud nos anonymus eſt, fide dignum meritò appellavit; nam quæ profert anonymus ille, potiſſimùm hauſiſſe videtur ex proceſſu canonizationis ejuſdem, de qua diſertè meminit. Sola Surii editione uſus eſt Adrianus Bailletus in ejuſdem ſancti Epiſcopi Vita, Gallicè data tom.* 3 *Vitarum Sanctorum ad 2 Octobris. Nos alteram præterea illius brevem Vitam nacti ſumus ex eodem monaſterio Rubeæ Vallis, collatam cum Ms. canonicorum Regularium Corſendonckanorum. Hujus auctor, pariter anonymus, poſt Præfationem, cujus initium eſt,* Sanctorum vitam & converſationem ad legentium ædificationem litteris tradere, ſalubre eſt; *cetera ferè accepit ex Bulla canonizationis, quam ſuo loco dabimus. Supervacaneum igitur foret, Vitam iſtam edere, neque plus operæ pretii eſſet dare primò nominatam aut Surianam; cùm ad manum mihi ſit proceſſus, ex quo iſtam concinnatam eſſe dixi, & de quo nunc agendum eſt.* E

ſed ex proceſſu canonizationis, ſub Clemente V facto,

7 *Dum Majores noſtri Godefridus Henſchenius & Daniel Papebrochius ad comparanda Operi ſuo inſtrumenta anno* 1661 *Romæ morabantur; invenerunt in bibliotheca, niſi fallar, Vaticana codicem Ms.* 4015, *continentem proceſſum pro canonizatione* Thomæ *de Cantilupe, juſſu Clementis V Papæ, anno* 1307 *à commiſſariis Apoſtolicis in Anglia confectum, ex eoque deſcribenda curârunt, quæ ad ejuſdem Sancti geſta illuſtranda utilia fore, judicabant. Deinde verò cùm iſthæc amiſſa crederent, Conradus Janningus anno* 1686 *Romæ degens, eadem denuo collegit; unde factum eſt, ut aliqua bis deſcripta habeamus. Præter hunc nullum pro canonizatione* S. Thomæ *Herefordienſis unquam confectum fuiſſe, comperi, quamvis canonizatio illius non niſi tertiodecimo anno poſt à Joanne XXII Papa perfecta fuerit. Erit infrà de ejuſdem proceſſus inſtituti modo ceteriſque adjunctis ſatis prolixè loquendi locus; interea, quæ huc magis ſpectant, pauca accipe. In adjecta à Majoribus meis annotatione hæc eſt* diviſio libri, ſeu codicis 4015, qui in tergo inſcribitur PROCESSUS DE VITA D. THOMÆ DE CANTALUPO. PS.; *Fortè hîc legendum eſt* PP, *id eſt*, Pars prima. INCIPIT: IN NOMINE DOMINI. AMEN. AD HONOREM &c. Deponunt teſtes trecenti viginti tres, quorum ſexaginta duo primi ferè agunt de vita, inſertis tamen modò aliquot miraculis; ex quorum depoſitionibus ferè excerpſi, quæ ipſi de viſu teſtantur vel immediatè, vel ſaltem mediatè, ſcilicet quæ ab iis, qui viderunt, immediatè audive-
F

A diverunt. Et hi ſexaginta duo teſtes conſtituunt primam libri partem uſque ad folium 123, quod folium ſic habet.

8 PS. INCIPIT SECUNDA PARS HUJUS PROCESSUS DE PROBATIONE MIRACULORUM. Et probat ſeptemdecim miracula teſtibus à ſexageſimo tertio ad centeſimum ſeptuageſimum ſeptimum omnino centum & quindecim, aliis alia miracula ordine atteſtantibus. Poſt hæc ponuntur Rubricæ miraculorum in prima parte ſparſim poſitorum. Poſtea ponuntur tredecim miracula.. Hinc Quaternio miraculorum incipit folio 247. Tum Epiſtolæ Innocentii &c. Poſtea à folio 265 ad 309 ponuntur quædam non producta. Ultimo loco Epiſtolæ & Compendium de proceſſu excommunicationis. *Hactenus laudata Notitia. Longum atque tædioſum eſſet iſta omnia excudere, maximè quòd in tanto teſtium numero neceſſe ſit, eadem aſſerta recurrere, ideóque laudati Majores mei prudenti conſilio ea tantùm deſcribenda curârunt, quæ ad propoſitum ſuum neceſſaria aut ſaltem congrua utiliaque cenſebant. Quæ autem hæc ſint, partim ac maximè hîc, partim ſuis locis Commentarii mei prævii exponam.*

B

9 *Inter teſtes, qui, præſtito juramento, interrogati examinatique à commiſſariis Apoſtolicis fuêre, ſexageſimo primo loco recenſetur* Reverendus pater, dominus Richardus, Dei gratiâ epiſcopus Erfordienſis & magiſter in Theologia, ſexagenarius & ultrà, qui fuit de robis & familia domini Thomæ per quatuordecim annos circitèr. *Richardus hic, cognomento de Sweinfeld, fuit proximus ejuſdem* S. Thomæ *in Herefordienſi ſede ſucceſſor, in qua uſque ad annum* 1316 *ſediſſe dicitur à Godwino in epiſcopis Herefordienſibus pag.* 540. *Fuerat autem is* de robis & familia, *id eſt, in obſequiis & unus è domeſtica familia ipſiuſmet ſancti Deceſſoris ſui* per quatuordecim annos circitèr, *non tamen* toto illo tempore continuè converſatus cum eo, ſed per vices, quia vacabat interim ſcholaſticis diſciplinis, *uti ipſemet aſſeruit in ſuo teſtimonio, in quo etiam tantùm annos* XIII *circiter, pro* XIIII *in Sancti obſequiis ſic exactos numeravit. Utut ſit, ipſe certè de Præſulis ſui geſtis tanto tempore apprimè inſtrui potuit, nec ſine injuria cenſeri poteſt in re tam gravi, etiam conſtrictus jurisjurandi religione, coram commiſſariis Apoſtolicis mentiri voluiſſe aut non comperta leviter teſtari auſus eſſe.*

C

10 *Hujus teſtimonium bis deſcriptum habeo, in quo ille ad commiſſariorum interrogata reſpondens, quoddam Vitæ compendium reliquit, à ſtirpe ejus nativitateque exorſus uſque ad ejuſdem oſſium è prima ſua ſepultura in marmoream tumbam tranſlationem, quam ipſe perfecit. Hoc itaque teſtimonium, quod Compendium Vitæ liceat appellare, primo loco edam, debitiſque Annotatis tum ex aliorum teſtimoniis, tum aliunde acceptis illuſtrabo. Hinc ibo ad Miracula, quæ ſanè multa & magna ſunt, ut conjicere licet ex anonymo in Vita, quam à Surio politiori ſtilo ornatam dixi, quæque in Ms. noſtro ſic habet:* Miracula verò, quæ poſt obitum ejus ad laudem & honorem nominis ſui peccatoribus oſtendere dignatus eſt omnipotens Dominus, in diverſis voluminibus in loco requietionis, quaſi infinita vidi, inter quæ ſexaginta mortuos reſuſcitavit, quadraginta & unum cæcos illuminavit, quinquaginta duos contractos valetudini reſtituit, paraliticos viginti & unum curavit, & cæcos & mutos viginti tres, recepta ſalute optata, Deum laudare fecit. Vidi etiam in uno volumine in loco præfato de diverſis miraculis & morbeorum generibus, quæ per S. Thomam patrata fuerant & oſtenſa quadringenta viginti quinque.

AUCTORE C. S.

11 *Nolim equidem pro hiſce omnibus ſpondere; verumtamen, qui epiſtolam à commiſſariis Apoſtolicis poſt diligens examen ad Clementem V Papam hac ſuper re datam, infráque recitandam legerit, non inficiabitur, opinor,* S. Thomam *multis magniſque miraculis eluxiſſe. Ego non alia, niſi quæ in ſuprà laudato proceſſu ac in Romano codice leguntur, quæque ſanè in magno numero ſunt, recenſebo, eaque omnia in quatuor partes diſpertiam. In prima Parte dabo ſeptemdecim miracula, quæ in eodem codice ſecundum diviſionem num.* 8 *expoſitam primo loco habentur. Quæ ſequuntur Rubricæ miraculorum, eas in Appendicem rejiciam, quia propter brevitatem paſſim debent ex teſtibus prolixiùs exponi. Secundo loco reponam quædam alia miracula, ab iiſdem commiſſariis pariter examinata probataque. Succedet pars tertia, quæ complectitur aliquot alia miracula, quæ in diverſis locis impetrata fuerunt, & in eccleſia Herefordienſi debitè annuntiata, atque in proceſſum relata. Quarta denique Pars ea continet, quæ in Proceſſum non fuêre redacta, nec à commiſſariis propter temporis brevitatem examinata,* niſi in quantum contenta in iſtis... fuerant abbreviata... & appoſita in quaternis miraculorum præcedentibus, redditis XIII die menſis Novembris coram commiſſariis antedictis.

E

12 *Hinc facilè judicabit lector primò, in hac poſteriori Parte recurrere debere varia miracula jam antè data: ſecundò, ea, quæ ex illis antè data non ſunt, non eâdem, quâ cetera, auctoritate fulciri. Verùm de miraculis univerſim obſervandum eſt, loca, in quibus illa facta dicuntur, paſſim fruſtra à me quæſita eſſe in Lexicis tabuliſque topographicis, cujus rei triplex cauſa eſſe poteſt; nempe vel quòd loca iſta minora quatuor ſeculorum lapſu nomina mutârint, vel interierint, vel nobis malè deſcripta ſint. Poſſent nonnulla quoque alia hîc obſervari, quod in Annotatis præſtabo. Jam quod ad hunc Commentarium prævium ſcribendum attinet, in primis magno uſui mihi erit prælaudati Richardi epiſcopi Herefordienſis teſtimonium, cui accedent & alii teſtes, omnes pariter Sancto ſynchroni, quorum alii ipſum noverunt, alii etiam in ejuſdem obſequiis ac familiari convictu degerunt, aut etiam morienti adſtitêre. Pro gloria illius poſthuma facient quoque litteræ à Clemente V pro proceſſu canonizationis ejuſdem inſtruendo datæ, & quas nominati ab eo commiſſarii poſtea ad ipſum reſcripſerunt; ac denique Bulla, quam Joannes XXII Papa pro ejuſdem canonizatione edidit.*

F



AUCTORE C. S.

§ II. Sancti illuſtres parentes, fratres ac ſorores: natale tempus & locus: pia educatio: litterarum ſtudia in Anglia, deinde Pariſiis: acceſſus ad concilium Lugdunenſe: fit capellanus Pontificius: audit Leges Aurelianis.

Sanctus patrem habuit Wilhelmum de Cantilupe

S*Ancti* Thomæ *parentes Richardus Schinfeildus, proximus ejus in ſede Herefordienſi ſucceſſor, in Compendio Vitæ num.* 2 *&* 3 *prodidit his verbis:* Dominus Thomas fuerat ortus de nobili ſtirpe baronum regni Angliæ; & pater ipſius domini Thomæ vocabatur dominus Wilhelmus de Cantilupo, & fuit magnus baro, habens in reditibus annuis bene duo vel tria millia librarum ſterlingarum. Mater verò dicti domini Thomæ fuit vocata domina Meliſenta, B quæ fuerat comitiſſa de Ebroycis in Normannia, & fuerat dicta domina orta ex valdè nobilibus Normanniæ vel Franciæ. Et poſt obitum comitis Ebroycenſis nupſit dicto domino Wilhelmo. *Conſonant & alii teſtes, ac nominatim Wilhelmus de Cantilupe, juratus teſtis trigeſimus ſeptimus, ipſius Sancti ex Joanne fratre nepos, qui à ſuprà laudatis commiſſariis Apoſtolicis interrogatus, à quibus* Thomas *traxiſſet originem,* reſpondit, quòd pater dicti domini Thomæ fuit miles & baro, & fuit vocatus dominus de Cantalupo, & habuit uxorem quamdam magnam dominam de Normannia, quæ erat domina de Everoys.

potentem baronem Angliæ, qui ortus eſſe videtur

14 *Pari modo teſtis quinquageſimus ſextus, magiſter Robertus de Glouceſtria, doctor Decretorum & cancellarius Herefordienſis, interrogatus, è quibus parentibus* Thomas *natus eſſet,* reſpondit, quòd ex nobili progenie baronum, & quòd pater dicti domini Thomæ fuit vocatus dominus Willelmus de Cantalupo, miles & baro, qui fuit potens homo & magnæ auctoritatis & feneſcallus domini Henrici IV regis Angliæ. *Pro* C *Henrico IV ſubſtituendus hic eſt Henricus III, aut certè is deſignatur, ut liquet ex ratione temporis: quia Henricus communiter dictus IV primùm natus eſt poſt medium ſeculum* XIV. *Fortè tamen Robertus Henricum III appellavit IV ratione Henrici Junioris, qui à vivente patre ſuo Henrico II coronatus rex fuit, ſed ante illum mortuus, ac propterea numerum regum Angliæ ſui nominis non ſolet augere. De paterna Sancti familia præterea ait Richardus epiſcopus loco mox citato:* Avus verò dicti domini Thomæ dicebatur traxiſſe originem de Normannia.

ex Normannis, qui ſub Guilielmo Conqueſtore Angliam ſubjugârunt:

15 *Quam ob rem veriſimillimum eſt, ejuſdem Sancti proavum abavumve unum è Normannis illis fuiſſe, qui cum Guilielmo Normanniæ duce,* cognomento Conqueſtore, *anno* 1066 *in Angliam trajicientes, eam ſubjecerunt; maximè quòd etiam Joannes Bromton abbas Jornalenſis in Chronico ad eumdem annum* Cantelou *recenſeat inter eos, de quibus ibidem præmiſerat iſta:* Tunc rex Wilhelmus terras Anglorum magnatibus & militibus ac aliis hominibus ſuis Franciæ & Normanniæ, qui ſecum in conqueſtu ſuo extiterant, donavit. Quorum plurima cognomina, adhuc in Anglia ſatis cognita & frequentata, ſicut ea reperi ſcripta, hîc inſerere dignum duxi. *De Cantilupis honorificè etiam meminit Guilielmus Camdenus in Deſcriptione Magnæ Britanniæ, in qua illos catalogo illuſtriorum familiarum Angliæ inſeruit, atque in deſcriptione comitatûs Northamtoniæ pag.* 80 *curſum Wellandi fluvii proſequens, ſic ait:* Poſtea Heringenworth, olim Canteluporum, nunc baronum Zouch ſedem, præterfluit; qui ab Eudone, filio minore Alani de la Zouch de Ashbye prognati in ampliſſimam baronum familiam ſuccreverunt. Quibus plurimum honoris acceſſit ex nuptiis cum una hæredum de Cantelupo, & altera baronis de Sancto Mauro, qui etiam ab hærede domini Zouchæi de Ashbye, Lupelliſque dominis de Caſtel-Cary in comitatu Somerſettenſi ſtemma deduxit. *Vide etiam, ſi lubet, ibidem pag.* 488 *in deſcriptione comitatûs Monumethenſis.* D

matrem verò habuit Meliſindam de Gurnay,

16 *Ad ſancti Præſulis matrem redeamus. Wilhelmus Cantilupus verbis num.* 12 *datis conſentit, illam fuiſſe* magnam dominam de Normannia, quæ erat domina de Everoys; *ſed quod mireris,* de cujus nomine dixit, ſe non recordari. E *At ſi huic nepoti nomen aviæ ſuæ tunc exciderit, Richardus epiſcopus illam in Compendio Vitæ num.* 7 *rectè nominavit* Meleſintam; *neque aliter, quàm ex memoriæ vel calami lapſu factum eſſe dicendum eſt, quòd ad mox laudati Wilhelmi Cantilupi teſtimonium in apographo noſtro annotatum legatur, eamdem à teſte* XII *Richardo de Kimberle, qui* S. Thomæ *in obſequiis fuit,* Margaretam *dictam fuiſſe, niſi tamen fortè binominis fuerit. Qua autem ratione hæc nobilis mulier facta ſit comitiſſa Ebroicenſis, & ex qua nata familia, Robertus de Glouceſtria num.* 14 *citatus ſic docuit:* Mater verò dicti domini Thomæ fuit comitiſſa Ebroycenſis in Normannia, filia domini Godefridi de Gurnay: nupſerat enim priùs dicta domina comiti Ebroycenſi, & eo mortuo, pater dicti domini Thomæ duxit eam in uxorem. Et dicta domina retinuit nomen Comitiſſæ ſecundùm morem Angliæ, quia fuerat uxor comitis.

Ebroicenſis comitis vidaam.

17 *Jacobus Wilhelmus Imhoff in Hiſtoria genealogica Magnæ Britanniæ, tabulâ* LXI, *quæ familiæ Montfortiæ eſt, nominat Amalricum V comitem Ebroicenſem, qui comitatum ſuum anno* 1200 *Philippo Auguſto Galliæ regi vendidit, eidemque* F *Amalrico primam uxorem attribuit Mabiliam, Wilhelmi I Gloceſtriæ comitis filiam, ſecundam autem* Meliſſendam, *filiam Hugonis de Gournay. Neſcio, uter Meliſindæ vel Melleſſendæ patris prænomen rectiùs dederit; ſed ſatis liquet, Melleſſendam ab Imhoff laudatam illam ipſam eſſe, quam Robertus de Glouceſtria poſt obitum viri ſui, comitis Ebroicenſis, Wilhelmo de Cantilupe nupſiſſe, ex eoque* S. Thomam *genuiſſe aſſeruit. Porrò Ebroicum, nunc vulgo* Evreux, *urbs Galliæ eſt in Normannia Superiori ad Itonium vel Ittonam fluvium, quam Richardus I dux Normanniæ in gratiam filii ſui Roberti in comitatum olim erexit. Habemus ergo patrem matremque* S. Thomæ *ex illuſtribus familiis genitos, ſed quanto tempore Amalricus poſt venditum comitatum ſuum ſive poſt annum* 1200 *vixerit, quove anno Meliſinda Wilhelmo de Cantilupe nupta ſit, hactenus non comperi.*

18 *Wilhelmus ille* ex *hoc* legitimo matrimonio, (*ita proſequitur Richardus epiſcopus*) cum Meliſenta genuit dictum dominum Thomam, &

Habuit quatuor fratres, è quibus unus fuit seneſcallus Aquitaniæ,

& dominum Hugonem, fratrem ſuum, magnæ auctoritatis & litteraturæ virum, & tres ſtrenuiſſimos milites, & tres vel quatuor dominas, matrimonio collocatas nobilioribus baronibus regni Angliæ. *Conſonat Wilhelmus de Cantilupe, in proceſſu teſtis trigeſimus ſeptimus:* Ex eis deſcenderunt dictus dominus Thomas & dominus Johannes, pater dicti teſtis (*ipſiuſmet Wilhelmi*) & magiſter Hugo, qui fuit clericus & dives, contemporaneus dicti domini Thomæ, domini Willelmus & Nicholaus milites. *Paulò clariùs loquitur magiſter Robertus de Gloceſtria, qui* dixit inſuper, quòd dictus dominus Thomas habuerat quatuor fratres, videlicet dominum Hugonem, archidiaconum Glouceſtriæ (*id eſt Gloceſtriæ;*) dominum Willelmum primogenitum, qui fuit ſeneſcallus ducatûs Aquitaniæ tempore domini Henrici regis (*nimirum Angliæ hujus nominis ſecundi, cui S. Ludovicus rex Franciæ partem Aquitaniæ anno* 1259 *reſtituit,*) dominum Johannem & dominum Nicolaum, milites & barones. Et omnes erant magnæ reputationis; & dicebatur, quòd erant valdè fideles, Catholici & devoti.

B

alter archidiaconus Gloceſtriæ, duo alii ſtrenui milites,

19 *De Wilhelmo, Sancti fratre natu maximo, nihil præterea annotandum habeo, niſi quòd Richardus de Kimberle, in proceſſu teſtis duodecimus, affirmaverit, illum fuiſſe dominum* Bergarennii, *& ex annuis redditibus ſuis percepiſſe* circa duo millia librarum ſterlingarum. *Hugo alter Sancti frater germanus, qui ex teſtimonio Wilhelmi Cantilupi num.* 17 *recitato* Thomæ contemporaneus *fuit, ab eodem Wilhelmo etiam dicitur illo* major *ætate fuiſſe; ex quibus colligas, Hugonem paulò quidem majorem ætate, ſed fermè æqualem illi fuiſſe; id enim hîc ſignificat vox* contemporaneus. *Tertio itaque tantùm loco, ſi non etiam aliquo poſteriore, inter fratres ſororeſque ſuas natus* Thomas *eſt. Hugo ille mox nominatus fuit ſancti Fratris ſui in ſtudiis litterarum artiumque ſocius, & eccleſiaſticum ſtatum amplexus, archidiaconus Gloceſtriæ factus eſt, uti mox dictum eſt; ſed de eodem ſermo infrà recurret. Joannes alter ejuſdem fratrum, pater fuit prædicti Wilhelmi Cantilupi, mortuuſque ante* Thomam, *quem illius teſtamenti exſecutorem fuiſſe, idem Wilhelmus teſtatus eſt, eumdemque de hoc munere juſtè obito laudavit. Verba ex proceſſu accipe.*

C

& horum unus pater Wilhelmi, qui in proceſſu teſtatus fuit;

20 Interrogatus (*Wilhelmus*) de fide dicti domini Thomæ per dilectionem operante, reſpondit, quòd valdè fuerat legalis, & quòd pro patre ſuo non feciſſet contra conſcientiam ſuam.... Poſtmodùm dixit, quòd occurrit memoriæ ſuæ, prædictum dominum Thomam fuiſſe executorem deputatum in teſtamento patris ipſius teſtis; & mater prædicti teſtis volebat habere equos, & aliqua harneſia (*fortè ephippia, aliave ſimilia*) viri ſui defuncti; & dictus dominus Thomas noluit conſentire, quia non videbatur ſuæ rationi conſonum, nec voluntati teſtatoris: ſed dixit, quod de proprio daret (*id eſt, daturus eſſet*) eidem. *De Nicolao, qui ultimo inter fratres loco nominatur, aliunde nîl dici.*

item tres ſorores, baronibus de Tregoz, de S. Joanne & Gregonet nuptas.

21 *E ſororibus unam tantùm laudatus Wilhelmus ſuo nomine appellavit* Julianam, *quam uxorem* domini Joannis Tregoz baronis *fuiſſe dixit. Id ipſum etiam aſſeruit Richardus de Kimberle, ſed Julianæ maritum, non* Joannem, *ſed* Robertum de Tregoz baronem *nominavit; addiditque, alteram* S. Thomæ *ſororem, cujus nomen reticuit, ſed quæ à Roberto Deynte teſte ſexageſimo* Agnes *nuncupatur, nuptam eſſe Roberni* baroni de Sancto Joanne, *atque ex his natum Joannem de Sancto Joanne, baronem & ſeneſcallum ducatûs Aquitaniæ ſub Eduardo rege Angliæ, Henrici III ſucceſſore. Unam item è ſororibus maritatam aut ſaltem deſponſatam fuiſſe* Roberto Gregonet baroni de Anglia *inquit Hugo le Barber teſtis ſextus: ac denique, ſuprà dictam Julianam & unam alteram ſororum maritis ſuis viduatas, dum adhuc viveret earum ſanctus Frater, infrà viſuri ſumus.*

AUCTORE C. S.

Natus eſt Thomas circa annum 1218 *in paternis ædibus*

22 *Quoto Chriſti anno Sanctus natus ſit, nullus teſtium indicavit; ex ſuprema tamen ejuſdem ætate à duobus circitèr aſſignata, certoque anno obitûs non procul aberrare poſſumus, ſi id circa annum* 1218 *contigiſſe ſtatuamus. Ex dicendis enim certè obiit anno* 1282, *quando ex unius teſtimonio erat* ſexaginta trium annorum vel parùm ultrà; *ex alterius autem,* ſexaginta ſex annorum vel circà. *Primi tamen, quod Richardi epiſcopi Herefordienſis eſt, teſtimonium præferendum videtur. Certiùs novimus locum ejus natalem, quem teſtes conſentiunt fuiſſe* Hameldene, *ubi pater illius* manerium *habebat, quique locus propterea in veneratione poſtea habitus fuit. Juverit duo vel tria teſtimonia produxiſſe. Richardus Herefordienſis antiſtes in Compendio Vitæ dando num.* 3, interrogatus, Ubi fuit natus & baptizatus dictus dominus Thomas, reſpondit, ſe audiviſſe ab eo, quòd fuerat natus in dioceſi Lincolnienſi, in quodam manerio, tunc patris ſui, in villa de Hameldene. Et dixit, ſe credere, quòd ibi fuerit baptizatus, ubi comes Cornibiæ *, dominus ſcilicet Edmundus, filius domini Ricardi quondam regis Alamanniæ, conſtruxit oratorium ob reverentiam Dei & dicti domini Thomæ, quem in vita ſua reputabat ſanctum; ſicut idem dominus epiſcopus dixit, ſe audiviſſe à dicto comite. Et in dicto oratorio Dominus dicitur pro dicto domino Thoma miracula operari.

E

** i. e. Cornubiæ*

in villa Hameldene in comitatu Buckingamiæ,

23 *Wilhelmus de Cantilupe, ipſius Sancti ex fratre nepos, ſimiliter interrogatus,* reſpondit, quòd apud Hameldene, diœceſis Lincolnienſis, & in dicto loco in quadam capella, conſtructa per comitem Cornubiæ in loco, in quo dictus dominus Thomas dicitur natus fuiſſe, Deus pro ipſo domino Thoma dicitur miracula operari. Et idem teſtis dixit, ſe vidiſſe in loco prædicto ſigna (*id eſt, anathemata*) aliquorum miraculorum, quæ Deus dicitur per dictum dominum Thomam operatus fuiſſe. Item interrogatus, Ubi fuerat baptizatus dictus dominus Thomas, reſpondit, ſe credere, quòd in eccleſia parochiali dicti loci de Hameldene. *Situm loci natalis paulò clariùs aſſignavit Robertus de Gloceſtria, qui, ut ceteri,* interrogatus, In quo loco dictus dominus Thomas fuerat natus & baptizatus, reſpondit, quòd in comitatu Bukinghuam Licolnienſis diœceſis, in quadam villa, quæ vocatur Hameldene, juxta Wycumbe per tria vel quatuor milliaria; ſicut dixit, ſe audiviſſe referri ab eodem, quantùm ad originem.

F

diœceſis Lincolnienſis, ubi oratorium poſtea erectum fuit.

24 *Camdenus in ſua Britannia comitatum Buckingamiæ, vulgo* Buckingham-Shire *deſcribens, non meminit de* Hameldene, *ſive quòd hæc villa nomen mutaverit, ſive quòd minoris momenti viſa ſit, quàm ut locum in eadem deſcriptione obtineret. Recenſuit tamen oppidum* Wicombe, *quod aliàs, ſed minùs rectè,* Highwickam *appellari obſervavit, aitque, ſitum ad fluviolum, qui prope*

oppidum

AUCTORE C. S.

oppidum Marlow *Tamisi miscetur. Tribus ergò vel quatuor milliaribus Anglicis ab oppido, nunc* Highwickam *appellato, sita fuerit* Hameldene, *in qua* S. Thomam *natum baptizatumque asseverant laudati testes, & in cujus rei memoriam testantur ab Edmundo Cornubiæ comite, Richardi Alamanniæ, id est, Romanorum sive Germaniæ regis electi filio, oratorium ibidem erectum esse, quod & à peregrinis eadem de causa frequentatum fuisse, suo loco ostendemus. De eodem oratorio dixit Hugo le Barber, sextus in processu testis, in eo pictam fuisse* S. Thomæ *effigiem, & à se visos, qui devotionis ergò illuc peregrinabantur. Habebat ibidem, ut dictum est,* Thomæ *pater* manerium, *quam vocem Henricus Spelmannus, eques Anglo-Britannus, in Glossario suo sic interpretatus est:* Manerium.... A manendo, apud Anglos Baronis est sedes, tam minoris, quàm majoris, splendidam aliquam prædiorum continens portionem, infra quam baro iste seu manerii dominus suis colonis & vassallis (TENENTES vocamus) jura reddit prædialia juxta regni manerii illius consuetudines. *Ceterùm Lincolnia, in cujus diœcesi locus iste fuisse dicitur, Angliæ civitas est, aliàs etiam* Lindocolnia *&* Lindum, B *nunc vulgo* Lincolne *dicta, Lincolnienſis comitatûs, sive* Lincolne-Shire *caput, ampleque diœcesis episcopatu insignita.*

Educatur primò à pia nobili matrona, deinde à patruo suo

25 *A Sancti tempore locoque natali ad ejusdem educationem progredior. Richardus episcopus Herefordienſis in Compendio Vitæ num.* 4 *testatus est,* se audivisse referri à fide dignis, & etiam ab eodem domino Thoma, quòd in infantia sua fuerat nutritus à quadam valdè devota, nobili & sancta matrona, nomine.... *Lacuna hæc in utroque apographo nostro sic exstat; ex quo colligere licet, eamdem etiam in Romano codice esse, aut certè in eo nomen istius matronæ sic detritum vel obliteratum, ut legi non potuerit.* Post septennium autem vel circà (*ita pergit episcopus Herefordienſis*) cùm traderetur litteris informandus, traditus fuit bonis magistris cum dicto fratre suo Hugone; & Missam omni die & Horas canonicas audiebant. Et cùm ætate processissent, dicebant prædictas Horas canonicas. *Dominus Richardus de Kimberle, qui per decem annos fuerat in obsequiis sancti Præsulis, & in processu duodecimus testis numeratur, aliquam ejusdem educationis partem attribuit illius patruo* C *Waltero, episcopo Wigornienſi in Anglia.* Fuit autem (*inquit*) dictus dominus Walterus patruus domini Thomæ; & audivit dici, quòd nutriverat, & postmodùm in scholis tenuerat, & beneficiaverat dictum dominum Thomam, & quemdam fratrem ejusdem, scilicet magistrum Hugonem archidiaconum Glouceſtriæ.

Wigornienſi episcopo, qui clericatum ipsi prædixisse fertur:

26 *Præmiserat ibidem de eodem Waltero:* Fuit reputatus homo sanctæ vitæ, & pro quo Deus dicitur multa miracula operari; qui etiam fuit magnæ austeritatis vitæ, sicut prædictus testis dixit se audivisse à patre suo, qui fuerat in servitio dicti domini Walteri, & post obitum ipsius domini Walteri habuit zonam cilicinam, quâ utebatur prædictus dominus Walterus, & eam dimisit in custodia dicti testis. *Ejusdem etiam honorificè meminit prælaudatus Robertus de Glouceſtria, asserens,* se vidisse dominum Walterum, quondam Wygornienſem episcopum, patruum dicti domini Thomæ; & fuit, *inquiens,* reputatus homo sanctæ vitæ, & Deus dicitur pro eo miracula operari; & ante tumbam ipsius domini Walteri, dictus testis dixit, se vidisse multa signa miraculorum pendentia. *Wilhelmus de Cantilupe addit quoddam Walteri velut vaticinium de futuro* Thomæ *clericatu.* Dixit *enim* idem testis (*Wilhelmus*) se audivisse referri, quòd, dum prædictus episcopus, petens à dicto domino Thoma & à prædictis ejus fratribus adhuc parvulis, quem statum habere volebant, responsum accepisset ab ipso domino Thoma, quòd volebat esse miles; dixit idem episcopus, quòd esset miles Christi, & quòd Deo & S. Thomæ martyri, Cantuarienſi archiepiscopo, in clericali ordine militaret. D

de quo patruo aliqua hîc observantur.

27 *Hactenus illi; ego verò, etsi inficiari nequeam, Walterum illum bonæ vitæ episcopum fuisse, cultum tamen ejus nuspiam legi, neque ausim pro miraculis per laudatos testes assertis spondere. Quinimò idem jure merito culpatur, quòd turbulento illo Angliæ tempore, quo aliquot regni optimates Henrico III regi suo armata manu leges præscribere attentârunt, ipse cum aliquot aliis episcopis horum partibus adhæserit; quam ob rem & à legato Apostolico Guidone, qui postea summus Pontifex fuit, Clemens IV appellatus, & ab hujus legato Ottobono Fliſco, S. Adriani Cardinale diacono, sacris interdictus, vel etiam anathemate percussus fuit, ut* E *pluribus legi potest apud Matthæum Weſtmonaſterienſem in Floribus historiarum ad annum Christi* 1265. *Resipuit tamen Walterus, veniamque obtinuit; nam eodem Weſtmonaſterienſi ibidem testante,* Dominus Walterus Wigorniæ antistes in articulo mortis positus, se dicebat errâsse fovendo partem Simonis de Monteforti; & super hoc literas ad legatum direxit, petens beneficium absolutionis, quod obtinuit, & decessit. *Igitur hanc culpam suam pœnitentiâ & absolutione abluit, neque illa obstare potest, quo minùs & ante eam sanctè vixerit, & post eam ex hac vita piè excesserit.*

Parisiis studet artibus cum fratre suo Hugone,

28 *Sanctus Juvenis, humanioribus litteris abunde imbutus, missus Parisios est, in celebri illa universitate unà cum fratre suo Hugone altioribus scientiis operam daturus, uti testatur Richardus in Compendio num.* 4. *Simillima habentur in testimonio Roberti de Glouceſtria, ex quo sequentia excerpsi:* In studio Parisiensi fuerat in adolescentia sua, & inceperat ibi in artibus. Et prædictus dominus Hugo frater ejus, qui erat major, ipso domino Thoma, & inceperat etiam in artibus, morabatur in eadem domo. Et tenebant magnum hospitium, & habebant in familiam suam & ad expensas & robas suas (*id est in obsequiis & ad rem domesticam curandam*) probos viros, inter quos erat magister Petrus de Buttevilt, magister in artibus, qui fuit postmodùm seneſcallus dicti domini Walteri Wigornienſis episcopi. *Priusquam progredior, ad voces istas,* Inceperat ibi in artibus *observo, aliis in locis hujus processûs verbum* incipere *simili modo positum usurpari pro bacchalaureatu, ut vocant, vel licentia aut magisterio seu doctoratu in aliqua scientia obtento; adeò ut non dubitem, quin hîc quoque indicetur,* Thomam *bacchalaureum vel potiùs magistrum in artibus creatum fuisse.* F

eam eoque ad Lugdunenſe concilium profectus, fit capellanus Pontificis:

29 *Inter hæc Innocentius IV Papa concilium Lugdunenſe I generale indixerat, quod & anno Christi* 1245 *ipsemet præsens ibidem celebravit. Potuit* S. Thomas *ex iis, quæ de tempore natali suprà diximus, tunc annum ætatis suæ circitèr* 27 *numerâsse, ac frater ejus Hugo paulò fuisse major, dum ambo illuc profecti sunt, & inter capellanos Pontificios ab eodem Innocentio adsciti.*

Testem

A *Teſtem denuo habemus Richardum epiſcopum in Compendio num.* 4, *ubi hæc ait:* Poſtmodùm ambo iverunt ad concilium Lugdunenſe, celebratum per dominum Innocentium Papam quartum; & fuerunt ibi facti ambo capellani ipſius domini Papæ. *Veriſimile eſt*, Thomam *tunc ab eodem Pontifice diſpenſationem facultatemque impetrâſſe ad plura beneficia eccleſiaſtica obtinenda, legeſque civiles publicè audiendas, quod utrumque aliàs ſacri canones vetabant, eratque ille tum temporis certè clericus, ac veriſimiliter etiam presbyter. Ita ſuſpicor, quòd Sanctus è concilio Lugdunenſi reverſus, vel mox, vel non ita multò poſt audiendis legibus vacaverit, quódque procurator cauſæ in proceſſu dicatur produxiſſe* quatuor litteras bullatas domini Innocentii Papæ quarti, & quamdam litteram patentem domini Fulconis, Londonenſis quondam epiſcopi, ſuper diſpenſatione circa pluralitatem beneficiorum & audiendas leges factam cum dicto domino Thoma ad certum tempus. *Plura autem beneficia eccleſiaſtica ab eodem Sancto ſimul poſſeſſa fuiſſe, conſtabit ex dicendis.*

B *deinde audit jus civile Aurelianis.* 30 *Florebat tum temporis ac publicè tradebatur ſcientia juris civilis in urbe Aurelianenſi, Gallis* Orleans *dicta, triginta tres leucas Gallicas Pariſiis diſſita in Meridiem, quæ hodieque univerſitatem ſive academiam retinet. Illuc ergò* Thomam *ſe contuliſſe, tradit Richardus epiſcopus in Compendio num.* 5, *aliique teſtes conſentiunt. Inter hos Robertus de Glouceſtria hæc dixit:* Poſt prædicta dictus dominus Thomas tranſtulit ſe ad ſtudium Aurelianenſe, & ibi ſtuduit in legibus, & in tantum profecit, quòd intrabat pro magiſtro ſuo, qui vocabatur dominus Guido. Et audivit referri ipſe teſtis (ſicut dixit) jam ſunt triginta anni elapſi & ampliùs, antequam eſſet in obſequium * dicti domini Thomæ, apud Glouceſtriam à magiſtro Gregorio de Carewent, Legum profeſſore, qui fuit poſtmodùm auditor domini Roberti Portuenſis epiſcopi Cardinalis, qui erat temporibus illis in ſtudio Aurelianenſi, quòd, dum prædictus Thomas quadam die eſſet lecturus pro dicto domino Guidone, magiſtro ſuo, nocte præcedenti fuit viſum in ſomniis prædicto magiſtro Gregorio, quòd videbat prædictum dominum Thomam legentem in cathedra dicti magiſtri Guidonis, C habentem mitram epiſcopalem in capite, in circumferentiis ipſius mitræ crucibus plenam.

* in obſequio

§ III. Jus canonicum, quod Pariſiis audierat, docet Oxonii; fit cancellarius univerſitatis, deinde regni Angliæ, & duorum regum conſiliarius: Pariſiis audit Theologiam, quam deinde docet Oxonii: fit denuò cancellarius univerſitatis: Lugdunum proficiſcitur ad concilium.

POſt comparatam *Aurelianis juris civilis* peritiam S. Thomas *reverſus Pariſios eſt, parem operam in Decretorum ſive juris canonici ſtudio poſiturus; ſed cùm antea ſimul cum fratre ſuo Hugone habitâſſet, nunc* de ſua & amicorum voluntate (*ut habet Richardus in Compendio num.* 4) quilibet ex dictis fratribus tenuit hoſpitium & familiam magnam per ſe; *ſive quòd ita ſuaderent claritudo opulentiaque familiæ, ex qua nati erant, ſive quòd id quacumque alia de cauſa expedire videretur. Perrexerunt tamen ambo ibidem ſtudiis vacare, & laudato Richardo teſte,* ſtuduerunt Pariſiis, dictus dominus Thomas in Decretis, in qua facultate fuit licentiatus ibidem; & alter frater in Theologia. *Quàm verò Chriſtianè vitam inter litteraria ſtudia inſtituerit, colligi poteſt ex teſtimonio Hugonis le Barber, qui in proceſſu ſextus eſt teſtis, dicitque in obſequiis ipſius Sancti fuiſſe, illum vidiſſe ſtudentem Pariſiis, cum eo veniſſe in Angliam, illius commenſalis fuiſſe quatuor annis Oxonii, ejuſdem cubiculum cuſtodiſſe, lectum ſtraviſſe, cum eoque ante & poſt acceptum epiſcopatum habitâſſe. Hic igitur inter alia juratus depoſuit ſequentia.* AUCTORE C. S. *Pariſiis ſtudet juri canonico, piè vivit,*

32 Dominus Thomas in prædicto ſtudio Pariſienſi, & in omnibus aliis locis, in quibus dictus teſtis vidit eum, habebat ſecum continuè in familia ſua & de robis ſuis unum capellanum, qui celebrabat continuè Miſſam dicto domino Thomæ valdè manè & antequam iret ad ſcholas & ad aliqua alia loca. Item dixit, quòd in dictis ſtudiis continuè dabat ad comedendum quinque pauperibus ad minus in domo ſua, & aliquando tredecim; & de fragmentis & micis menſæ ſuæ vivebant ſaltem duo pauperes ſcholares. Et ſuper prædictis depoſuit de viſu dictus teſtis: & quòd etiam pauperes ſcholares & honeſtos libenter juvabat, & pro eis magnos dominos rogabat. Et de dictis pauperibus ſcholaribus beneficiatis dicti domini Thomæ requiſitus nominavit unum, qui vocabatur Petrus Clericus, qui fuerat de epiſcopatu Ciceſtrenſi, & alium, qui vocabatur Normannus. Et poſtmodùm dictus dominus Thomas, cùm receſſiſſet de ſtudio Pariſienſi, recepit in familia ſua, & benefecit eis. *Inſigne quoque illius ejuſque fratris Hugonis probitatis ſimul ac illuſtris generis indicium eſt, ſi verum ſit, quòd Robertus de Glouceſtria ſe audiviſſe teſtatus eſt, nimirum,* quòd beatus Ludovicus, tunc rex Francorum, viſitaverat eos in hoſpitio eorum. *Ceterùm quæ hîc dicta ſunt, partim ad primam, partim ad ſecundam tertiamve Sancti in urbe Pariſienſi commorationem ſunt referenda.* *alit pauperes, à S. Ludovico rege inviſitur.* E F

33 *Pergo cum Richardo in Compendio:* Habitâ autem, *inquit,* Pariſiis licentiâ in Decretis, incepit in dictis Decretis, & rexit Oxonium per aliquos annos, & fuit cancellarius dictæ univerſitatis (*Oxonienſis*) & in officio cancellariæ, & in omni ſtatu ſuo, quem antè & pòſt habuit, juſtè & ſanctè ſe geſſit *&c. Eadem alii quoque affirmârunt; è quibus cùm conſtet, illum cancellariatu in Oxonienſi univerſitate functum eſſe, oportet de hoc graviſſimo munere quædam hîc annotare. Oxonium, aliàs etiam Oxonia,* vulgo Oxford *appellata, ampla cultaque Angliæ civitas eſt, ad Tameſim flumen ſita in comitatu, qui ab eo Oxonienſis, Anglicè* Oxford-Shire *dicitur, eſtque antiqua, quæ hodieque floret, univerſitate celebris. Antonius à Wood ejuſdem univerſitatis Hiſtoriam vulgavit, in ejuſque lib.* 2 *à pag.* 386 *etiam Faſtos magiſtratuum illius contexuit. Ibi docet, cancellarios olim ex artium magiſtris aut cujuſvis facultatis profeſſoribus, qui* *Oxonium reverſus publicè explicat Decreta; & cancellariatu univerſitatis,*

AUCTORE C. S.

Oxonii commorabantur, ſoluiſſe aſſumi; deinde verò epiſcopos illo munere functos, ac tandem etiam laicos: eligendi verò poteſtatem penes magiſtros regentes & non regentes fuiſſe & eſſe, cum hoc tamen diſcrimine, quòd electi, ſecùs ac nunc, ab epiſcopo Lincolnienſi olim debuerint confirmari. Docet denique, munus hoc, quod modò perpetuum eſt, olim dumtaxat bienne, nonnumquam etiam annuum fuiſſe.

de quo munere pauca annotantur,

34 *De dignitate poteſtateque cancellarii ſic loquitur ibidem:* Magiſtratui huic ſupremo privilegia (velut alibi paſſim hoc noſtro in Opere oſtendimus) ampliſſima indulsêre reges Anglicani, Pontifices Romani, epiſcopi &c; adeò ut cancellarii noſtri maximâ ab omnibus obſervantiâ colerentur, tamquam in ſummo dignitatis gradu collocati. Summus nempe in municipio magiſtratus audit, & prætore urbano, etiam in foro aut prætorio ſedente, honoratior. Togatos ſibi, quaſi ſubſidiarios, nunc pauciores, nunc plures, prout opus eſſet, adhibuêre olim cancellarii, præſentes licèt ipſi & in academia commorantes. Eorum verò operâ in ju-
B re dicendo, reliquiſque, quæ ad provinciam ſuam ſpectarent, præſtandis utebantur. Hi ut plurimùm vicem gerentes, nonnumquam Commiſſarii (ea voce denotatos invenio primo & ſecundo Edoardi III anno) antiquitus appellabantur: nomen autem noviſſimè dictum unicè demum invaluit, donec Vicecancellarius, vox uſu diuturno jam trita, obtinuerit *&c. Plura lege ibidem.*

fungens anno 1262 ac fortè ſequenti,

35 *Porrò in laudatis Faſtis Woodus* S. Thomam *anno Chriſti* 1262 *cancellarium conſignavit*, ſic conſtare, *inquiens*, è ſcripto quodam abbatis & conventûs Oſneienſis, hoc anno confecto, & Fratrum de Pœnitentia Jeſu habitacula tractante. *Poſt eumdem annum vacant ibidem Faſti uſque ad annum* 1267, *quo magiſter Nicolaus de Ezvelme ſignatus eſt; ideóque putavit Woodus, Sanctum noſtrum* annos poſtmodùm aliquot *intermedios idem munus geſſiſſe*, quippe qui chartas nonnullas (*inquit*) exarari poſt hæc viſas, nomine ſuo teſtis firmârit. *Atque id quidem de duobus tribuſve annis inficiari nequeo; ſecùs de pluribus propter calculos infrà producendos. Fortè tamen aliqua ex dictis*
C *chartis, quarum annos non noverat Woodus, potiùs ſpectant ad ſecundum* S. Thomæ *cancellariatum, Woodo pariter ignotum, quem tamen ſuo loco è proceſſu probabo. Ad utrumque pertinent quædam generalia, ad alterutrum verò quædam etiam particularia de hoc argumento à teſtibus aſſerta.*

omnibus æquum ſe exhibet,

36 *Richardus Herefordienſis antiſtes in Compendio num.* 30 *de ipſo* interrogatus, ſi fuerit juſtus & timens Deum, reſpondit, quòd ſic; & de hoc dixit fuiſſe commendatum per dominum Robertum, tunc archiepiſcopum Cantuarienſem, coram univerſitate Oxoniæ, quam idem archiepiſcopus inducebat in teſtem; quia (*S. Thomas*) fuerat cancellarius dictæ univerſitatis, & ratione dictæ cancellariæ habebat juſtitiam & actus juridicos in ſcholares & alios explectare (*hoc eſt, exercere*) & in dicto officio propter favorem & aliam cauſam non fuerat viſus à juſtitia deviare. Et dixit prædictus teſtis, ſe credere, & notorium fuiſſe in univerſitate prædicta, veritati inniti commendationem archiepiſcopi ſuprà dicti. *Contigit hæc commendatio publica, dum Sanctus magiſter ſeu doctor in Theologia inauguratus Oxonii eſt, qua de re conſule dicenda ad num.* 48. *Paulò enucleatiùs loquitur Hugo le Barber, in proceſſu teſtis ſextus, in cujus teſtimonio ſequentia legere eſt.* D

delinquentes caſtigat,

37 Prædictus dominus Thomas ... poſtmodùm fuit factus cancellarius ſtudii Oxonienſis, & valdè bene regebat ſtudium Oxonienſe, & valdè bene puniebat ſcholares delinquentes, & faciebat eis auferri arma, quando ea portabant: & illis, qui erant diffamati, quòd malè regebant ſe, nolebat reddere dicta arma; ſed aliis, qui erant bonæ famæ, reddebat ea. Et idem teſtis dixit, ſe habuiſſe aliquando ſimul viginti inter (*id eſt, partim*) arcus (*partim*) enſes & gladios, dictis ſcholaribus ſic ablatos, in cuſtodia ſua. Et dixit, ſe habuiſſe ex dono dicti domini Thomæ enſem Rogerii de Horn ſcholaris, qui erat multùm diſſolutus, & qui aliquando audebat obviare viginti ſcholaribus adverſantibus ſibi; ita erat ſtrenuus & audax. *Uti hæc magnam ſancti Cancellarii pro ſervanda reipublicæ pace caſtigandiſque improbis curam indicant, ita ejuſdem manſuetudinem, dum propria illius cauſa agebatur, non minùs manifeſtant, quæ dominus Joannes de Kemeſeya, canonicus Herefordienſis, in eodem proceſſu teſtis quinquageſimus ſeptimus affirmavit.* E

injuriam ſibi illatam diſſimulat.

38 *Hic* dixit, ſe audiviſſe referri, quòd bene geſſerat ſe in officio dictæ cancellariæ; & narravit, quòd, cùm eſſet diſcordia in ſtudio Oxonienſi inter ſcholares de parte Boreali & Auſtrali, & dictus dominus Thomas interponeret ſe ad pacem inter eos (*componendam;*) quidam de parte Boreali percuſſit dictum dominum Thomam; & ante pectus ex dicta percuſſione (neſcit, ſi ex gladio, vel qualiter facta) apparuit quædam fractura in capa, quam portabat dictus dominus Thomas. Et licèt diceretur eſſe factum injuriosè & malo animo, dictus teſtis, qui erat tunc in ſtudio Oxonienſi & frequenter veniebat ad domum dicti domini Thomæ, non vidit, nec audivit (ut dixit) quòd dictus dominus Thomas de hoc curaret, nec murmuraret, nec quòd vellet expetere ultionem; dicens, ſe credere, quòd, ſi voluiſſet, ulciſci potuiſſet; *nimirum, ut opinor, quia percuſſor ille non ejuſmodi erat conditionis, quæ impunitatem ſceleris ſui ei poſſet procurare. Quid per* ſcholares de parte Boreali & Auſtrali *hîc ſignificetur, alia occaſione indicavit teſtis decimus ſeptimus, Thomas de Ylleye, Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo, docens, omnes univerſitatis Oxonienſis alumnos Anglos pro ratione plagæ natalis ex veteri more in alterutra claſſe, Boreali vel Auſtrali cenſeri. Hæc pauca ſunt, quæ de geſtis ejus in cancellariatu Oxonii novimus.* F

Conſiliarius & cancellarius Henrici tertii regis Angliæ

39 *Non diu poſtquam magiſtratum hunc primò geſſerat, ad multo ampliorem, totius ſcilicet regni Angliæ cancellariatum per Henricum III regem aſſumptus eſt. Richardus enim in Compendio num.* 6 *teſtatus eſt*, Thomam fuiſſe conſiliarium & cancellarium domini Henrici, tunc regis Angliæ; *numero autem* 30 *diſertè aſſerit, ipſum hoc ampliſſimo munere anno* 1265 *functum eſſe. Ad eumdem annum nomen ejus legitur in Faſtis Cancellariorum Angliæ, quos Henricus Spelmannus in Gloſſario ſuo ad vocem* Cancellarius *vulgavit. Mitto alios teſtes ex proceſſu; unum addo Robertum de Glouceſtria, ex cujus teſtimonio ibidem dicitur:* Conſilio maturo & deliberato, & communicato ſibi aſſiſtentibus, agebat negotia ſua, & non erat fantaſticus nec capitoſus; quòd * ratione dictæ diſcretinis & pru- ** forte &*

A prudentiæ fuerat aſſumptus ad conſilium domini Henrici regis Angliæ, & fuit ejus cancellarius. *Dum hoc munus obiret, ſpecimen dedit, qua integritate mentis ſua cuique adjudicare ſoleret, quantúmque abhorreret à muneribus. Juverit id ex Richardo epiſcopo Herefordienſi, oculato auritoque teſte, totidem verbis retuliſſe.*

factus anno 1265 munera reſpuit; officio cedere mavult, quàm æquitatem lædere.

40 *Compendium num.* 30 *ſic habet:* Item narravit, quòd, cùm dictus dominus Thomas eſſet cancellarius regis Henrici, quidam monachi, habentes facere in curia regia, obtulerunt quoddam pretioſum jocale (*id eſt monile ſeu gemmas*) eidem domino Thomæ; qui reſpuens curialiter increpavit eoſdem, quia ad recipiendum, quod eum non decebat recipere, cum animæ ſuæ periculo inducere volebant eumdem, acſi corruptibilem & flexibilem putarent eumdem. In quibus dictus teſtis dixit ſe fuiſſe præſentem anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto. *Alterum integerrimi Cancellarii exemplum, officium ſuum abdicare regiſque gratiâ excidere, quàm æquitatem lædere malentis, ab eo datum teſtatus eſt Wilhelmus Cantilupus, dum dicere juſſus, quo modo ille cancellarii munus obiiſſet*, reſpondit, ſe audiviſſe, quòd bene, & quòd reddiderat ſigillum ſuum prædicto

B regi quadam vice, dum dominus rex mandaret, ſigillari quamdam litteram, quæ non videbatur dicto domino Thomæ eſſe ſigillanda. *Cùm plura non dixerit Cantilupus, aliique hac de re ſileant, in dubio manet, utrùm rex abdicanti tunc annuerit, an meliora ſuadenti ſit obſecutus; quod poſtremum veriſimilius eſt.*

Non eſt eo munere functus usque ad obitum dicti regis,

41 *Anonymus ſcriptor Vitæ in apographo noſtro Rubeæ Vallis de eodem* Thomæ *magiſtratu honorificè meminit*, Famâ verò ejus, *inquiens*, ubique diffusâ, cancellarius regis Henrici tertii, licèt invitus, præficitur. Erat namque in ſermone verax, in conſilio providus, in miniſterio ſibi commiſſo fidelis. Cœpit igitur quotidie extunc in bonis creſcere, & in omni negotio & cauſa à munerum acceptione manus penitus excutere. Tumentium faſtum divitum attendens, à veritate non declinavit, & auris auditum omnibus pauperibus inclinans, manum miſericordiæ extendit. Mortuo rege Henrico, S. Thomas Oxoniam regreditur, & Theologiæ ſtudiis ſe applicans, gradum magiſtralem habere meruit. *Hæc totidem verbis leguntur apud*

C *Joannem Capgravium in Legenda Sanctorum Angliæ, & mutato ſtilo apud Laurentium Surium. Hinc Bailletus indubitanter ſcripſit, Sanctum in eo munere perſtitiſſe uſque ad obitum prædicti regis Henrici, qui contigit anno Chriſti* 1272, *ut etiam in margine annotavit. Verùm nec cancellariam Angliæ* Thomas *ultra annum tenuit, neque uſque ad Henrici obitum apud illum manſit.*

ut quidam credidêrunt; ſed poſtea fuit conſiliarius regis Eduardi,

42 *Primum patet ex laudatis Faſtis Spelmanni, in quibus poſt* Thomam, *ad annum* 1265 *illis inſcriptum, mox alius ad annum* 1266, *alius ad annum* 1267, *alius ad* 1268 *ſignati ſunt. Ratio eſt, quia hunc magiſtratum dumtaxat annuum facere, Henricus compulſus fuerat à baronibus Angliæ rebellantibus; ut tradit Matthæus Weſtmonaſterienſis in Floribus hiſtoriarum ad annum Chriſti* 1265. *Alterum, nempe* Thomam *ante ejuſdem regis obitum receſſiſſe, ut ceteris ſcientiis etiam Theologicam adderet, mox probabo. Quod priuſquam faciam, ſuadet argumenti ſimilitudo, ut de altero Sancti officio, conſiliarii ſcilicet, quod ſub rege Eduardo I, aliàs IV, Henrici filio ac ſucceſſore, integerrimè geſſit, pauca, quæ novi, hîc præmittam, licèt hæc ad aliud tempus pertineant. In primis narrat Richardus epiſcopus in Compendio num.* 26 *& ſequenti, Sanctum, dum eo munere fungeretur, quodam die, cùm jam in procinctu eſſet ad ſacrificandum, nuncios à laudato rege miſſis urgentibuſque, ut, dilato Sacrificio, conſultandi gratiâ ad illum ſine mora pergeret, incunctanter reſpondiſſe*, ſe priùs velle ſervire Regi altiſſimo in officio ſupradicto, quàm terreno regi, domino eorumdem; *addidiſſeque*, ut hæc dicerent, ſi volebant, prædicti nuncii dicto domino ſuo regi.

AUCTORE C. S.

cui liberè reſpondit, & ob ſuggeſtum conſilium in veneratione fuit:

43 *Movit ea religioſa libertas regem, qui proinde poſt finitum Miſſæ ſacrificium ad ſe venientem de mora increpuit, nec tamen aliud, quàm quod per nuncios acceperat, reſponſum ab eodem retulit. Verùm ea regis indignatio in Dei ejuſque Servi laudem converſa eſt.* Thomas *enim, auditâ, ob quam arceſſitus fuerat, cauſâ, ſuggeſſit conſilium, quod omnes approbârunt; atque ipſe (ut Richardi verbis utar)* rex, qui ex dicta mora, per memoratum dominum Thomam contracta in veniendo, aliquantulùm fuerat conturbatus; lætificatus & conſolatus ex dicto conſilio, per eumdem dominum Thomam præſtito, dixit ei, quòd Deus benefaceret ipſi domino Thomæ, & quòd benedictus eſſet ille Rex altiſſimus, cui ſerviverat ipſe dominus Thomas; & quòd utinam poſſet ipſi Deo congruè longo tempore deſervire! *Aliud factum ejus narrat primus in proceſſu teſtis Raderus, vel, ut alibi ſcribitur, Rudolphus de Hengham, ejuſdem Eduardi* regis Angliæ in ſuo banco (*ſive tribunali regio*) juſticiarius, in Londinenſi & Herefordienſi eccleſiis canonicus, juriſperitus famoſus, annorum ſeptuaginta vel circà; *cujus teſtimonium ſubjicio.*

E

aliàs eidem regi etiam liberè diſſuaſit,

44 Item reſpondit, quòd dictus dominus Thomas fuit juſtus, timens Deum & miſericors; & reddidit cauſam ſcientiæ, quia hoc viderat in converſatione & familiaritate habitis cum dicto domino Thoma, dum erant ambo conſiliarii dicti domini regis: adjiciens, quòd quadam vice dictus dominus rex Angliæ de conſilio aliquorum de concilio ſuo voluit concedere cuidam militi, qui fuerat Judæus, & vocabatur Henricus de Wynton, converſus, quod * haberet teſtimonium ſive recordum (quod eſt idem dicere, ſicut auctoritatem & poteſtatem

F habere, quòd ad ejus dictum & teſtimonium ſeu recordum alii poſſint perdere vitam & membra) ſuper Chriſtianos, qui tonderent ſive falſarent monetam dicti domini regis. Et prædictus dominus Thomas, qui erat in dicto concilio, ſurrexit & dixit prædicto domino regi, quòd non erat conveniens, ut prædictus converſus & Judæus haberet tantam poteſtatem ſuper Chriſtianos; & quòd ipſe nolebat conſilium dare, nec in hoc conſentire; petens cum lachrymis licentiam à dicto domino rege, quòd poſſet recedere de concilio ſuo.

* *i. e.* ut

ne cuidam è Judæis ad Chriſtum converſo

45 Et tunc dictus dominus rex, motus conſilio & lachrymis dicti domini Thomæ, ſupersedit à prædictis, quæ facere intendebat & concedere dicto converſo: & præcepit dicto domino Thomæ, quòd ſederet & non recederet à concilio ſuo. Subjiciens idem teſtis, quòd in hoc exemplo dictus dominus Thomas poterat notari juſtus & etiam miſericors & timens Deum. *Scilicet quia indignum Deoque minimè gratum judicabat, Chriſti fideles è Chriſtianis natos pa-*

AUCTORE C. S.

rentibus homini à Judaiſmo ad Chriſtum nuper converſo ſubjacère, eorumdemque vitam & membrorum integritatem in poteſtate eſſe ejuſmodi viri, cujus converſionem æquitatemque forſitan ſuſpecta habebat ex Judaica perfidia veterique gentis in Chriſtianos odio. De tempore, loco ac præſentibus requiſitus ibidem reſpondit laudatus teſtis, quòd erant circitèr viginti octo anni, & quòd hoc fuerat prope civitatem Londinenſem apud Weſtmonaſterium in palatio dicti domini regis in camera ſua, in qua tenebat concilium & parlamentum ſuum; & quòd non credebat, aliquem ex prælatis, baronibus & aliis conſiliariis dicti domini regis, qui interfuerant dicto concilio, nunc eſſe ſuperſtitem, niſi ipſum teſtem.

poteſt item concederet in Chriſtianos.

46 Et nominavit aliquos prælatos, quos dicebat interfuiſſe prædictis cum ipſo teſte. *Si tempus rectè annotatum ſit, conſilium habitum fuerit circa annum* 1279, *qui prodibit, ſi annos* 28 *auferas ab anno* 1307, *quo prædicta dominus Hengham teſtatus fuit. Atque hæc quidem pauca ſunt, quæ à Sancto in cancellaria conſilioque duorum regum Angliæ, Henrici & Eduardi, geſta accepimus; ſed ex his ſatis ſuperque licet colligere, qualem ſe in ceteris quoque utriuſque muneris negotiis exhibuerit; Vir ſcilicet, quem divini humanique juris ac ſacrarum litterarum ex diuturno ſtudio non vulgaris hauſta peritia ad eadem perquam idoneum reddiderant, quemque nec duæ illæ potentiſſimæ ad avertendos ab æquo animos machinæ, dona ſponte oblata, regiæque gratiæ amittendæ metus, ullo modo concutere potuerunt. Hiſce partim præter ordinem temporis inſertis, in viam redeamus.*

B

Redit Pariſios, ubi audit ſacram Theologiam,

47 *Richardus in Compendio num.* 5 *varia* S. Thomæ *ſtudia litterarum ſeriatim memorans, prætermiſſo, quem ab eo geſtum eſſe diximus, cancellariatu Angliæ, ſic proſecutus eſt:* Poſtmodùm rediit Pariſios ad audiendam Theologiam; & erat tunc dominus Thomas quadraginta quatuor annorum vel circà. *Porrò cùm ex ejuſdem Richardi calculis Sanctus anno Chriſti* 1282 *moriens ætatis ſuæ* annos 63 vel parùm ultrà *numeraverit, hic ad urbem Pariſinam regreſſus circa annum* 1263 *figendus eſſet, niſi aliud obſtaret. Obſtat enim, quòd, ut vidimus,* Thomas *anno* 1262 *fuerit cancellarius univerſitatis Oxonienſis, annoque* 1265, *ipſomet teſte Richardo, cancellarius regni Angliæ, tempus autem intermedium, ſive biennium, quod inter utrumque magiſtratum effluxit, non ſufficiat iſti commorationi Pariſinæ, in qua ab eodem Richardo loco citato dicitur tunc Theologiæ ſtuduiſſe ac prælegiſſe* per plures annos. *Agnoſcendus ergò hic error in annis eſt, ac pro* quadraginta quatuor vel circà *reponendum* quadraginta ſeptem vel circà, *quot annos Sanctus habuiſſe dicendus eſt, quando poſt geſtum anno* 1265 *Angliæ cancellariatum, anno* 1266 *Pariſios rediit.*

C

& ſacram Scripturam publicè interpretatur.

ſ 48 *Tunc illum comitatus eſt Richardus jam æpe laudatus ejuſdem in epiſcopatu Herefordienſi ſucceſſor, qui jam biennio cum ipſo convixerat, & ex quo novimus, Sanctum Pariſiis tunc ſtuduiſſe* in Theologia per plures annos, *legiſſeque ſive publicè explicâſſe* curſoriè Epiſtolas, quas Canonicas vocant. *Inter auditores illius fuiſſe ſe teſtatus eſt Frater Eadmundus de Aumari, Ordinis S. Dominici, in proceſſu teſtis vigeſimus tertius, audiviſſeque eumdem Apocalypſim publicè interpretantem. Verba è proceſſu accipe:* Poſtmodùm vidit illum in ſtudio Pariſino, & curſoriè legit ibi Apocalypſim; & dictus teſtis audivit ab eo multas lectiones. *Quod ad tempus hiſce omnibus impenſum attinet, quodque Richardus* plures annos *appellat, non potuit illud integri ſeptennii fuiſſe, cùm mox oſtenſuri ſimus, Sanctum certè non ſeriùs, quàm ſub initium anni* 1273 *Pariſiis Oxonium reverſum fuiſſe. Etenim Richardus in Compendio num.* 5, *ſic progreditur:* Cùm autem ſtuduiſſet in Theologia per plures annos, & legiſſet ibidem curſoriè Epiſtolias, quas Canonicas vocant, rediens Oxonium, incepit & rexit ibidem in Theologia per unum annum & quatuor menſes, priuſquam celebraretur concilium Lugdunenſe per dominum Gregorium Papam decimum, cujus concilii occaſione, dimiſsâ lecturâ, ivit ad concilium ſupradictum. D

Poſt hæc Oxonium redux initiatur magiſterio Theologiæ,

49 *Sacrâ igitur Theologicâ ſcientiâ inſtructus in patriam remeavit, ut eam in celeberrima Angliæ univerſitate cum popularibus ſuis communicaret. Cúmque Theologiæ magiſterio ibidem decorandus eſſet, rogatus accurrit Robertus de Kilwardby, vir magnæ eruditionis, qui multis annis eidem fuerat à confeſſionibus, quique ex Ordine Prædicatorum tum nuper evectus erat ad archiepiſcopatum Cantuarienſem, ac poſtmodum S. R. E. Cardinalis epiſcopus Portuenſis diem ſuum obiit. Plura de illo videri poſſunt apud Jacobum Echardum in Bibliotheca laudati Ordinis Prædicatorum. Is porrò Robertus in ea ſolemnitate elogium novi Doctoris, ut ferebat conſuetudo, ipſemet coram academicis dicere voluit, in quo inſigne de ejuſdem integritate animæ corporiſque teſtimonium reliquit, quod Richardus auritus teſtis in Compendio Vitæ apud me num.* 9 *& ſequenti poſteritati reliquit. Eadem de re etiam meminit Nicolaus Trivettus, vel Trevettus, Ordinis Prædicatorum ſcriptor Sancto ſynchronus aut ſuppar, in Chronico, quod ab anno* 1136 *uſque ad* 1307 *perduxit, ediditque Acherius in Spicilegio veterum ſcriptorum tomo* 3, *ex cujus pagina* 209 *excerpſi, quæ ſubdo.* E

qua occaſione panegyrim de ipſo habuit Robertus de Kilwardby,

50 Hic (*Thomas*) nobilibus ortus natalibus, à puero Deo vixit devotus. Studii autem exercitatione litterarum acquirens peritiam, primò in artibus liberalibus, deinde in jure rexit Canonico, tandemque ad Theologiam totam intentionem tranſtulit mentis ſuæ. In qua licentiatus ad magiſterium, cùm ſub Fratre Roberto de Kilwardeby Ordinis Prædicatorum (quem, dum Provincialis fuerat, admodùm familiarem habuit) decreviſſet incipere, incidit negotii dilatio, medio tempore præfato Fratre aſſumpto ad Cantuarienſis eccleſiæ præſulatum. Sub quo tamen poſt conſecrationem ejus Oxoniæ veniente in eccleſia Fratrum Prædicatorum incœpit juxta deſiderii ſui complementum, in cujus commendatione, quæ ſolet ante principium poſt diſputationem, quæ Veſperiæ appellantur, de bachillariis fieri magiſtrandis, aſſeruit præfatus archiepiſcopus, quem dictus Thomas ab olim confeſſorem habuerat, nullius ipſum mortalis criminis ſenſiſſe contagium; quantique meriti fuerit apud Deum, crebreſcentium ejus miraculorum gloria indubitata fide demonſtrarat*. *Ita Trivettus, ſed Roberti verba habes in Compendio loco ſuprà laudato.* F

**an demonſtrat?*

archiepiſcopus Cantuarienſis, anno 1273,

51 *Suſcepti magiſterii annum habemus ex Richardi verbis num.* 47 *datis, quibus dicitur Sanctus per unum annum & quatuor menſes Oxonii rexiſſe uſque ad habitum concilium Lugdunenſe. Celebratum hoc concilium generale Lugdunenſe II*

A *à Gregorio X Romano Pontifice eſt anno* 1274 *à die* VII *Maii uſque ad* XVII *Julii : igitur, ſi à die* VII *Maii ejuſdem anni unum annum ac menſes quatuor ſubducas, pervenies ad diem* VII *Januarii* 1273, *circa quem diem Sanctus proinde magiſterium ſuum auſpicatus fuiſſe dicendus eſſet. Sed aliqua oritur difficultas ex dictis Trivetti; nam Echardus in Bibliotheca mox laudata rectè probat, Robertum de Kilwardby, non anno* 1272, *ut nonnullis viſum fuerat, ſed noſtro computandi modo anno* 1273, *die* XXVI *Februarii archiepiſcopum fuiſſe conſecratum, poſt quem diem ſi* S. Thomas *magiſterium ſuum Oxonii auſpicatus ſit, fruſtra hinc quæremus menſes illos ſedecim uſque ad concilium Lugdunenſe die* VII *Maii anno* 1274 *inchoatum, ejuſdemque anni menſe Julio abſolutum. Ut hæc componantur, non video aptiorem modum, quàm ſi ſedecim illos menſes ordiamur non à die ſuſcepti magiſterii, ſed à Sancti adventu Oxonium, accipiamuſque pro toto illo tempore, quod ipſe è Pariſina urbe reverſus Oxonii tum exegit uſque ad profectionem ſuam Lugdunenſem.*

B *dum Sanctus eſſet circiter 54 annorum: eodem vel ſequenti anno*

52 *Ceterùm tempori rectè congruit ætas* quinquaginta annorum & quatuor vel circà, *in qua ille magiſterium auſpicatus eſſe dicitur in Compendio num.* 10: *ſubductis enim his* 54 *annis à ſuprema ipſius ætate, ſive ab annis* 63, *ſupererunt anni* 9, *quos ſi ad annum Chriſti* 1273 *addiderimus, habebimus annum* 1282, *quo* Thomas, *eodem teſte Richardo num.* 35 *Compendii, in ætate* ſexaginta trium annorum vel parùm ultrà *exceſſit è vivis. Ad eumdem annum* 1273 *vel ad ſequentis initium referendus videtur ſecundus Sancti cancellariatus in univerſitate Oxonienſi, quem Robertus de Glouceſtria in proceſſu his verbis aſſeruit:* Fuit dictus dominus Thomas in ſtudio Oxonienſi, & ibi rexit in Decretis; & fuit cancellarius univerſitatis (*anno* 1262, *ut ſuprà probatum eſt;*) & poſtmodum ibidem ſtuduit, & rexit in Theologia, & fuit denuò cancellarius univerſitatis prædictæ.

geſſit ſecundum cancellariatum univerſitatis Oxonienſis:

53 *Clara hæc ſunt, dictaque ab idoneo teſte, qui Sanctum Oxonii noverat; addo tamen & alterum, Richardum de Kimberle, in ejuſdem Sancti obſequiis aliquot annos verſatum, cujus teſtimonium ſic habet:* Fuit bis cancellarius dicti ſtudii Oxonienſis; ſcilicet dum regebat in Decretis, & poſtmodùm cùm rexit in Theologia: &

C hoc totum de Oxonio prædictus teſtis dixit ſe vidiſſe & audiviſſe. *Ad alterutrum ergò annum, nempe ad* 1273 *vel* 1274 *reponendus videtur hic ſecundus cancellariatus, ſeu potiùs ad poſtremum, quia Woodus, qui eumdem neſcivit, in ſuprà laudatis Faſtis ejuſdem univerſitatis Gulielmum de Boſco ad annum* 1273 *repoſuit, huncque ex ſola veriſimilitudine, quòd alium non noſceret, ad annum* 1274 *reproduxit. Hoc ſi ita ſit, dicendus eſt Sanctus iſtud munus geſſiſſe, quando ad concilium Lugdunenſe II profectus fuit.*

ad concilium Lugdunenſe profectus fit capellanus Gregorii X Papæ.

54 *Illuc proficiſcentem comitatus eſt illius ex fratre nepos Wilhelmus Cantilupus, teſtis jam frequenter laudatus; ex quo inſuper novimus, ipſum ea occaſione à Romano Pontifice Gregorio X in capellanorum ſuorum numerum cooptatum fuiſſe; ita enim in Wilhelmi teſtimonio dicitur:* Cum eodem ivit ad concilium Lugduni celebratum per dominum Gregorium Papam decimum; & in dicto concilio prædictus Thomas fuit factus capellanus prædicti domini Papæ. *Eodem igitur honore, quem anno* 1245 *ab Innocentio IV Papa in primo Lugdunenſi concilio generali* S. Thomæ *collatum fuiſſe, vidimus ſuprà num.* 28, *illum etiam dignatus eſt Gregorius X in ſecundo concilio Lugdunenſi, annis* 29 *poſt celebrato.*

§ IV. Beneficia eccleſiaſtica, quæ Sanctus ante epiſcopatum obtinuit, ſanctéque adminiſtravit: modus & tempus accepti epiſcopatus: corporis illius habitus & cultus: eximia caſtitas.

Sanctus antequam eſſet epiſcopus, multa beneficia eccleſiaſtica

P *Rinſquam ad* S. Thomæ *epiſcopatum progrediar, præmittenda ſunt, quæ de aliis beneficiis eccleſiaſticis, ante præſulatum per eum obtentis, in proceſſu legimus. Teſtimonium Richardi epiſcopi Herefordienſis apud me in Compendio num.* 6 & 7 *de hoc argumento ita habet:* Dixit etiam, quòd prædictus dominus Thomas habuerat valdè magnum & honorabilem ſtatum ante epiſcopatum, & circà mille marcas argenti annui redditus in beneficiis & dignitatibus eccleſiaſticis, quæ ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, quam idem teſtis ſe vidiſſe aſſeruit, obtinebat. Fuerat enim præcentor & canonicus in Eboracenſi, archidiaconus & canonicus in Lichefeldenſi, & canonicus in Londinenſi & Herefordienſi eccleſiis; & plura eccleſiaſtica beneficia obtinebat. *Pari modo in teſtimonio Roberti de Glouceſtria legitur:* Dictus dominus Thomas ante epiſcopatum fuerat ferè ita locuples, ſicut quando fuit epiſcopus: nam erat præcentor & canonicus Eboracenſis, & archidiaconus Staffordienſis & canonicus in eccleſia Lichefeldenſi, canonicus Londinenſis & Herefordienſis; & obtinebat canonicè dicta beneficia & alia plura ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ: fuerat enim cum eo (ſicut publicè dicebatur) diſpenſatum per dominum Innocentium Papam IV ſuper pluralitate dictorum beneficiorum.

ex diſpenſatione Innocentii IV ſimul poſſedit:

56 *Ne verò quis exiſtimet, duos laudatos teſtes diſſentire, dum à primo dicitur fuiſſe* archidiaconus & canonicus in Lichefeldenſi *eccleſia, ab altera autem* archidiaconus Staffordienſis & canonicus in eccleſia Lichefeldenſi; *obſervandum eſt, Staffordiam eſſe quidem caput comitatûs Staffordienſis in Anglia, non tamen eſſe civitatem epiſcopalem, ſed ſitam in diœceſi Lichfeldenſi, cujus epiſcopi ſedes eſt civitas Lichfeldia, in eodem comitatu Staffordienſi condita. Itaque Richardus* S. Thomam *archidiaconum in Lichfeldenſi eccleſia dixit à diœceſi, in qua eo munere fungebatur; Robertus autem archidiaconum Staffordienſem à civitate Staffordia, quæ erat ejuſdem diœceſis portio illius archidiaconatui ac juriſdictioni aſſignata; nam in aliquot diœceſibus plures quàm unus archidiaconi conſtituti fuêre. Hinc Hugo le Barber teſtis ſextus rectè ait:* Erat archidiaconus Staffordenſis in eccleſia (*id eſt, in diœceſi*) Lichefeldenſi. *Ex aliis locis, in quibus alia beneficia inſuper poſſedit, aliqua per decurſum hujus Commentarii nominabuntur. De diſpenſatione pro iis omnibus poſſidendis à Sede Apoſtolica facta conſtitit in proceſſu ex litteris Innocentii IV, quas procurator cauſæ commiſſariis Pontificiis exhibuit.*

AUCTORE C. S.

quæ diligengenter & munificè curavit, tam per ſe, quàm per alios,

57 *Juverit nunc audire, quàm ſanctè hæc omnia beneficia adminiſtraverit, eorum jura defenderit, reddituſque non in luxum aut delicias, ſed in eorumdem utilitatem impenderit. Præter ea, quæ habes in Compendio num. 7, Robertus de Glouceſtria interrogatus, qualiter ille ſe geſſerit in beneficiis ſupradictis*, reſpondit, quòd valdè bene, curiosè & diligenter; & quòd frequenter diſcurrebat per ſingula loca, in quibus erat beneficiatus; & valdè devotè celebrabat & prædicabat in eis, & ſervabat ibi magnam hoſpitalitatem, quantùm ad majores & mediocres recipiendos, & largas eleëmoſynas pauperibus faciendo; ſicut prædictus teſtis dixit ſe vidiſſe. Dixit etiam, ſe vidiſſe & audiviſſe, quòd dictus dominus Thomas valdè viriliter & ferventer & bona fide defendebat jura & libertates dictorum beneficiorum, & in ipſis beneficiis ædificabat, ubi opus erat ædificiis, & reparabat, & reædificabat, quæ reparatione & reædificatione indigebant, & erat valdè diligens ad perquirendum & habendum bonos vicarios & ſufficientes, qui regerent dicta beneficia pro eodem. Et prædicta omnia, dixit, ſe vidiſſe pluries idem teſtis, antequam eſſet cum dicto domino Thoma; *id eſt, ante annum 1276, quo ab illo ad epiſcopatum Herefordienſem provecto inter domeſticos adſcitus fuit.*

B

maximam curam habens de infirmis & pauperibus,

58 *Præclara quoque ſunt, quæ Hugo le Barber, multis annis ante & poſt aditum epiſcopatum illius obſequiis addictus, in proceſſu teſtata reliquit. Inter alia* dixit etiam, quòd dicta compaſſione (*ſeu miſericordiâ*) quandocumque declinabat ad aliquem locum, in quo habebat beneficium, faciebat perquiri, ſi qui erant infirmi in dicto loco; & cibaria meliora & delicatiora, quæ erant in domo ſua, mitti eis. Interrogatus, quomodo hoc ſciebat, dixit, quòd hoc viderat & audiverat pluries, & de mandato dicti domini Thomæ perquiſiverat à vicinis, ſi qui erant in dictis locis infirmi. Interrogatus de locis, dixit, quòd apud Hampton, Suyterfeld, Schyrebourne, Kemeſeye, & quòd idem faciebat, quando morabatur in Oxonia, dum ſciebat, aliquos pauperes ſcholares infirmari; de nominibus tamen dictorum ſcholarium interrogatus dixit, ſe nunc non recordari, temporibus tamen prædictis recordabatur (ut dixit.) Et prædicta, depoſuit, fuiſſe, priuſquam dictus dominus Thomas fuiſſet ad epiſcopatum aſſumptus, per multos annos...

C

quibus etiam abſque eleëmoſynas erogari jubebat,

59 Item dixit, quòd, cùm ipſe non poterat declinare ad beneficia ſua, ut in eis teneret feſta, & faceret convivia parochianis ſuis, ſicut conſueverat facere, quando declinabat ad dicta beneficia, tunc faciebat bladum (*id eſt frumentum*) vel fabas & piſa dari pauperibus parochianis dictarum eccleſiarum ſuarum. Interrogatus, quomodo hoc ſciret, reſpondit, ſe vidiſſe & audiviſſe, cùm dictus dominus Thomas præcipiebat hoc ballivis ſuis; & quòd ipſe teſtis, dum erat infirmus in locis, de quibus ſuprà depoſuit, fecit excuti blada, fabas & piſa, ut darentur pauperibus ſupradictis. Interrogatus, ubi viderat & audiverat, quòd dictus dominus Thomas præciperet prædictis ballivis ſuis, dixit, quòd apud Doderhult, Hampton, Aſton, Wyntringhuam, Dyghton. Unus autem ex dictis ballivis vocabatur (ut dixit requiſitus) Willelmus Wycher, alius vocabatur Alanus de Kymberle, alius Robertus de Wodeford, alius Willelmus de Kymberleye: de nominibus aliorum dixit ſe non recordari. De tempore dixit, quòd quamdiu fuit ſcholaris, (*id eſt ab illo tempore, quo cœpit altioribus ſtudiis operam dare uſque ad epiſcopatum.*)

D

60 De quantitate ejus, quod dabatur in ſingulis parochiis, reſpondit, quòd ſecundum pauperum quantitatem (*ſive numerum*) & qualitatem; & quòd communiter cuilibet pauperi dabatur quædam menſura de dicto blado, vel de dictis fabis vel piſis, quæ menſura continebat communiter tantum, quantum continet communis præbenda ſeu liberatio unius equi in nocte. Præbenda & liberatio, *ſive* libratio, *ejuſdem ſignificationis ſunt, ſignificantque menſuram avenæ vel pabuli, quæ equo in unam noctem ſufficiebat, & dari conſueverat. De cura, ut in eccleſiis ſibi commiſſis idoneos dignoſque miniſtros conſtitueret, hæc ait Wilhelmus Cantilupus:* In eccleſiis ſuis, quas habebat, priuſquam eſſet epiſcopus, volebat, quòd eſſent presbyteri ſcientes prædicare, qui eſſent bonæ & honeſtæ converſationis; & dabat eis de veſtibus ſuis, & onerabat eos, quòd eſſent ſolliciti in cura animarum.

cavenſque, ut in illis eccleſiis idoneos miniſtros conſtitueret,

E

61 *Neque verò negligebat alteram officii partem, quæ in eccleſiarum, quibus præerat, juribus ſervandis vindicandiſque conſtabat. Geminum ejus rei exemplum habemus ex teſtimonio laudati Cantilupi, qui (ut verbis proceſſûs dennò utar)* ſpecificavit, quòd, priuſquam dictus dominus Thomas eſſet epiſcopus, pro jure eccleſiæ ſuæ de Ryppel, diœceſis Wigornienſis, quam dictus dominus Thomas obtinebat, litigavit contra epiſcopum Wigornienſem; & magiſter Gregorius, officialis dicti epiſcopi Wigornienſis, tulit ſententiam contra dictum epiſcopum dominum ſuum, & fecit reddi dicto domino Thomæ quamdam vaccam ſive bovem, ratione mortuarii, ſibi debiti ratione dictæ eccleſiæ de Ryppel; & hoc depoſuit de relatu alieno. *De* mortuario *conſuli poteſt Cangius in Gloſſario ſuo, ubi adductis exemplis probat, jus quoddam eſſe rectorum eccleſiarum percipiendi unum bovem vel equum, aliudve è rebus, quas quilibet parochianorum ſuorum moriens relinquit.* Item ſpecificavit (*ita rurſum legitur in teſtimonio ejuſdem Cantilupi*) ex relatu alieno, quòd, dum dictus Thomas eſſet rector ſeu perſona eccleſiæ de Suynterfeld Wigornienſis diœceſis, litigavit pro minutis decimis contra decanum de Warwik, & obtinuit; & habuit inde duas marcas argenti. *Plura vide in Compendio num. 7. Hactenus de* S. Thoma *nondum epiſcopo.*

eorumdemque jura tueretur.

F

Vacante epiſcopatu eccleſiæ Herefordienſis,

62 *Epiſcopatum, quem multis titulis dudum meruerat, nec ambiverat umquam, tandem penè invitus ſuſcipere compulſus eſt. Illum ipſi prædictum fuiſſe tum biennio antè à Joanne Breton vel le Breton, proximo illius in ſede Herefordienſi deceſſore, tum olim in adoleſcentia à Waltero Cantilupo ejuſdem patruo, Wigornienſi epiſcopo, obſervavit Richardus in Compendio num. 22 & ſequenti, quod ibidem videſis. Wilhelmus le Wayte de Boſco Arſo, prædicti Joannis epiſcopi Herefordienſis, ac deinde etiam ipſiuſmet* S. Thomæ Gayta *ſive* excubitor, *in proceſſu teſtis quinquageſimus octavus, præterea aliud ejuſdem Joannis præſagium produxit.* Narravit *enim*, quòd dominus Joannes le Breton, prædeceſſor immediatus dicti domini Thomæ, cum quo ipſe teſtis tunc morabatur pro gayta, per biennium ante obitum ipſius domini Joannis in quodam feſto natalis, cùm dictus dominus Thomas eſſet inde receſſu-

A recessurus, & acciperet in aula licentiam ab eo, dictus dominus Joannes dixit prædicto domino Thomæ, audiente ipso teste & multis aliis, quòd habuit unum donarium, quod sibi * dare voluit; & rogavit eum, quòd illud non refutaret.

* i. e. eidem

63 Cui respondit, quòd posset esse donarium, quòd illud admitteret, & tale, quòd non. Tunc expressit, quòd voluit sibi dare præbendulam in ecclesia Herefordiensi, & quòd erat futurus episcopus post eum. Cui respondit, quòd præbendam reciperet, non tamen cum illo onere; rogando Deum, quòd illum à tali onere præservaret. *Hæc ibi; sed non disputo, an hæ Joannis & Walteri episcoporum prædictiones pro vaticiniis, an, quod facilè fieri potuit, pro meris eorumdem probabilibus conjecturis, ex Viri merito natis, quasque probavit eventus, accipiendæ sint. Præbenda tamen ista, sive canonicatus, quæ ipsum de gremio collegii canonicorum Herefordiensium faciebat, occasio esse potuit, ut ad ejusdem ecclesiæ episcopatum biennio post eligeretur. De canonico, quo ad hanc dignitatem pervenit, electionis modo consentiunt testes omnes in processu à commissariis Apostolicis hac super re interrogati, ex quibus juverit unum frequenter laudatum, Wilhelmum Cantilupum, qui sancto Patruo tunc adfuit Herefordiæ, audivisse.*

tu qua erat canonicus,

B

64 *Hic interrogatus à commissariis, qualiter dictus dominus* Thomas *adeptus esset episcopatum Herefordiensem*, respondit, quòd vacante sede, dum dictus dominus Thomas esset archidiaconus Staffordiensis, & canonicus Londini, & Londini resideret, ivit ad dictam ecclesiam Herefordiensem, in qua erat canonicus. Et cùm esset dies ad eligendum præfixa, prædicavit dominus Thomas (*ut collegas suos canonicos ad æquam electionem faciendam hortaretur, prout habet alter è testibus*;) & licèt multos haberet socios & domicellos, noluit, quòd irent cum eo, quando ivit ad prædicandum, nisi dominus Johannes capellanus suus, & ipse testis, & quidam alius domicellus. Illa die canonici non potuerunt concordare; in crastinum compromiserunt in quosdam canonicos dictæ ecclesiæ Herefordiensis: & omnes dicti compromissarii dixerunt, quòd volebant habere Thomam in episcopum. Et quia in dicta ecclesia erant multi canonici, qui vocabantur Thomæ, aspirantes ad episcopatum prædictum, ultimus ex dictis compromissariis dixit, quòd ipse intelligebat de Thoma de Cantilupo; & alii responderunt, quòd ipsi quoque intelligebant de eodem. Et sic fuit concorditer electus, & renitens & flens, & allegans, quòd non erat sufficiens, portatus, ipso teste præsente, ad altare; & fuit cantatum TE DEUM LAUDAMUS.

à compromissariis canonicis invitus eligitur episcopus

C

65 *Ex hujus testimonio collige, quo modo accipiendum sit, quod apud Laurentium Surium in Vita legitur:* Cùm autem Herefordiensis ecclesia suo esset orbata pastore, omnium votis electus anno MCCLXXV episcopus consecratus est. *Surio etiam liberalior fuit Bailletus, dum* S. Thomæ *merita, non idoneum auctorem, præ oculis habens, verbis Gallicis ait:* Sanctus, qui in universa regione notus erat, communi populi clerique voce ad vacantem sedem expetitus, omnibusque suffragiis eorum, ad quos electio pertinebat, evectus fuit. *Annum electionis consecrationisque illius è Vita sua Ms. rectè annotavit Surius, & post illum Bailletus, eumdemque etiam habent apographa nostra & Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum. Consentit Nicolaus Trevettus Ordinis Prædicatorum sancto Præsuli synchronus, qui in Chronico suo ad præcitatum annum, in editione Acherii tom. 3 Spicilegii veterum Scriptorum, pag. 206 hunc eventum cum brevi, sed insigni, Sancti elogio annotavit. Verba ejus accipe.*

anno 1275,

AUCTORE C. S.

66 Obiit hoc anno Joannes Brutoun (*ab aliis* Breton & le Breton *appellatur*) Herfordensis episcopus, qui admodùm peritus in juribus Anglicanis librum de eis conscripsit perutilem. Cui successit magister Thomas de Cantilupo, doctor in sacra Theologia, vir nobilis genere, sed multo nobilior moribus animique virtute. *Optimè hæc congruunt durationi sedis illius, quam laudatus Trevettus, obitum ejusdem anno* 1282 *rectè illigans, septennio concluſit*, Hoc anno, *inquiens*, B. Thomas Herfordensis episcopus... de præsenti sæculo nequam ereptus, ad regna migravit cælestia, cùm annis septem gregem sibi commissum sollicitâ curâ rexisset. *Ad eumdem annum* 1275 *Joannis obitum, sanctique* Thomæ *successionem cum Trevetto reposuit Matthæus Westmonasterienſis, quamvis ejusdem Sancti mortem æquo serius, ad annum* 1287 *distulerit. Priori loco paucis ait:* Obiit hoc anno Joannes Bretoun episcopus Herefordensis, qui admodùm peritus in juribus Anglicanis librum de eis conscripsit, qui vocatur LE BRETOUN. Cui successit Thomas de Cantalupo.

ut communis est omnium assertio.

E

67 *Supersedeo pluribus, quia hic annus certus est, etiam apud illos, qui Sancti obitum ultra annum* 1282 *figendum putaverunt, ac proinde diuturnius quoque, quàm septennii spatium sedi ejus adscripserunt. Diem consecrationis ipsius episcopalis à nemine assignatum inveni, præterquam à Francisco Godwino in Commentario suo de Præsulibus Angliæ, apud me pag.* 536, *ubi scribit, Joannem Breton excessisse è vivis die* XII *Maii anni* 1275, *ac mox ad ejusdem successorem, quem inter episcopos Herefordienses quadragesimum quartum numerat, progrediens subdit:* Septembris VIII sequenti Thomas Cantilupus, Staffordiensis archidiaconus, & Angliæ necnon & academiæ Oxonienſis cancellarius, consecratus est. *Potuit Godwinus istum diem ex tabulis ecclesiæ Herefordiensis didicisse, eratque anno* 1275 *dies* VIII *Septembris dies Dominica, episcoporum consecrationibus opportuna. Dum tamen* S. Thomam *Angliæ & academiæ Oxoniensis cancellarium hîc appellavit, id de utroque munere ab eo ante id temporis gesto interpretare.*

ordinatur que (ut quidam ait) die 8 Septembris,

F

68 *Agebat tunc Sanctus annum vitæ suæ quinquagesimum sextum vel septimum, siquidem ex suprà dictis dicendisque anno Christi* 1273 *paucis mensibus inchoato* erat quinquaginta annorum & quatuor, vel circà; *dumque mense Augusto anni* 1282 *obiit, fuit* sexaginta trium annorum, vel parùm ultrà. *Porrò cùm Sanctum ab ipsa sua pueritia per litterarum scientiarumque studia, magisteria muniaque, & quæ obtinuit ecclesiastica beneficia per illos* 56 *annos ad episcopatum usque perduxerimus, nunc oportet exponere, quibus potissimùm virtutibus instructus episcopatum iniverit & ad mortem usque illustraverit. Quamquam enim jam inde aliquas ex iis, data opportunitate, memoraverim, multo tamen plures distuli, tum ne narrationem, quæ ad vitæ seriem pertinebat, frequenter cogerer interrumpere, tum quia multa earumdem tam ante, quàm post acceptum præsulatum*

anno vitæ suæ 56 vel 57.

AUCTORE C. S.

ſulatum ab illo exercitu fuêre, & de aliis etiam incertum manet, ad utram vitæ partem referendæ ſint.

Corporis illius habitus & cultus.

69 *Naturalem corporis habitum Frater Robertus de S. Martino, ſacriſta S. Bartholomæi Londini, in proceſſu teſtis trigeſimus, quinquagenario major, qui ipſum per quatuor annos canonicum Londinenſem noverat, paucis ſic deſcripſit:* Habebat quaſi vultum angelicum, & erat albus & rubicundus, bene barbatus, longo naſo; & capilli barbæ & capitis ſui erant partim albi & partim ſubrufi. *In exteriori corporis cultu à ſui generis conditioniſque hominibus non diſſidebat; nam, ut Hugo le Barber, domeſticus ejus jam aliàs laudatus, aſſeruit,* non erat hypocryta, ſive papelardus, nec oſtendebat, ſe eſſe aliis meliorem vel excellentioris vitæ; ſed conformabat ſe in veſtibus extrinſecis, & in apparatu lecti & aliis, comparibus ſuis, & portabat mantellum intra domum in prandio, & garnachiam, ſicut portant prælati, dum erat in ſtudiis ſupradictis, quia erat archidiaconus Staffordenſis in eccleſia Lichefeldenſi; & utebatur pellibus de variis in veſtibus ſuis, & etiam in quodam coo-
B pertorio lecti ſui fodratò de dictis variis. Varii, *quos alii* ſciuros, *alii* mures Ponticos *interpretantur, pretioſas pelliculas habent, è quibus confectum vellus nobilium veſtibus inſuebatur.* Fodratum *ſive* foderatum *vox Italica eſt à verbo* foderare *inſuere; unde liquet, quid ſit* coopertorium, *ſeu ſtragulum,* lecti fodratum ex variis. *Demum* garnachia *item vox Italica, Latinè toga, ſeu veſtis talaris eſt.*

Virginitatem nitrè coluit, cujus inſigne teſtimonium

70 *Paſſim ſequar virtutum ordinem, quem Richardus in Compendio Vitæ tenuit, exceptis tamen iis, quæ ad epiſcopales curas propiùs pertinent, quas poſt reliquas recenſebo, ut deinde ad ſancti Præſulis obitum, quæque hunc ſubſecuta ſunt, ſervata rurſus rerum geſtarum ſerie, procedam. Richardi verò dicta, quæ in Compendio legi poſſunt, non niſi leviter attingam, ſed ex aliorum teſtimoniis, quoties operæ pretium viſum fuerit, confirmabo, adjiciamque, quæ illi præterea memoratu digna teſtati ſunt. Itaque Richardus ab angelica virtute orſus, à num.* 8, *non dubitavit affirmare,* ſe credere, ipſum fuiſſe caſtum & mundum mente & corpore, & virgi-
C nem tempore obitus ſui exſtitiſſe. *Aſſerti ſui rationes allegavit, quòd multis annis cum illo familiariſſimè, utpote domeſticus, converſatus, nihil unquam in eodem adverterit, ex quo vel leviſſima in contrarium ſuſpicio potuiſſet ſuboriri; quòd morum modeſtia verborumque verecundia non niſi virginem ſonarent; quòd ab eo caſtigata in aliis dicta laſciva & leviora, vitata conſortia mulierum, etiam ſororum ſuarum, quas nec ad oſculum admittere, nec in ædibus ſuis diu morari volebat, non dubia fuiſſent virgineæ illius caſtitatis indicia.*

publicè dedit Cantuarienſis archiepiſcopus poſtea Cardinalis.

71 *Demum laudavit teſtimonium Roberti de Kilwardby, archiepiſcopi Cantuarienſis, deinde S. R. E. Cardinalis epiſcopi Portuenſis, de quo ſuprà jam memini, qui ex diuturna conſcientiæ ejuſdem Sancti notitia in publico academicorum conventu Oxonii ipſum commendare ſic auſus eſt:* Ita me Deus juvet, ſicut Homo iſte ita mundus eſt hodie quoad mentis & corporis caſtitatem, ſicut ipſo die, quo de matre ſua fuit natus in mundum. *Erat autem tunc, ut meritò ibidem obſervavit Richardus,* quinquaginta annorum & quatuor, vel circà. *De eodem Kilwardbyi teſtimonio expreſsè etiam meminerunt Robertus de Glouceſtria & Wilhelmus Cantilupus, ambo profitentes, ſeſe adfuiſſe audiſſeque, quando à laudato archiepiſcopo Cantuarienſi publicè prolatum fuit. Meminit quoque Nicolaus Trevettus verbis, quæ ſuprà dedimus. Frater Eadmundus de Aumari, Ordinis Prædicatorum, in proceſſu teſtis vigeſimus tertius, ſingularem caſum expoſuit, in quo* Thomas, *dum adhuc in Pariſina academia verſabatur, ſtructas ſuæ virginitati inſidias feliciter evaſit.* D

Pariſiis extra hoſpitium ſuum pernoctare compulſus,

72 *Res ita ſe habuit.* Narravit item frater Eadmundus de Aumari (*verba proceſsûs ſunt*) ſe audiviſſe referri à perſonis fide dignis, quòd, dum prædictus dominus Thomas eſſet ſcholaris Pariſiis, & pecuniæ tunc egens, feciſſet requiri quemdam burgenſem Pariſienſem, ut ſibi pecuniam mutuaret, quò uſque pecunia de Anglia aportaretur eidem; & mutuo nondum habito, ſocii ipſius domini Thomæ ſuaſiſſent eidem, ut ad dictum mutuum faciliùs & celeriùs aſſequendum ad domum propriam dicti burgenſis adiret, & de prædictis rogaret eumdem; dictuſque dominus Thomas ſic perſuaſus intrâſſet domum dicti burgenſis & non reperiſſet eumdem; uxor
E prædicti burgenſis, quæ valdè formoſa reputabatur, curialiter, honorificè & benignè eum recipiens, & ejus formoſitatem circumſpiciens, efficaciter inſtitit penes eum, ut remaneret ad jacendum (*id eſt ad dormiendum*) in domo prædicta, quia hora tarda erat ad revertendum ad domum ipſius domini Thomæ, & portale * civitatis inveniret clauſum; ita quòd, ſi vellet ad domum propriam illa nocte redire, nequiret. *Habitabat nimirum burgenſis, id eſt, civis ille in ſuburbio Pariſienſi,* Thomas *in civitate, vel contrà.*

* *i. e.* portam

impudicam mulierem è cubili ſuo abigit,

73 Cùm autem dictus dominus Thomas non acquieſcens recederet, & machinatione (ut dicitur) dictæ mulieris dictum portale ante tempus clauſum fuiſſet, & ad domum propriam redire non poſſet, & foret anxius, in quo loco nocte prædicta jaceret, per ſuaſionem dictorum ſociorum ſuorum reverſus [*eſt*] ad jacendum in domo dicti burgenſis, & in pulcro lecto & in pulcra camera collocatus. Cùm jam dormiendi hora inſtaret, & ab uxore dicti burgenſis obdormire crederetur, dicta uxor per portam ſecretam cautè ingrediens, ſe nudam in eodem
F lecto poſuit cum eodem. Cùm autem non dormiret, ſed ſe dormire ſimularet, & dicta mulier in lecto appropinquaret ad eum, ipſe eam fugiens, de lecto in terram cecidit: quo facto, prædicta mulier abſceſſit. Cùm autem in craſtinum dictus dominus Thomas ad domum ſuam redire vellet, & uxor dicti burgenſis ab eo peteret, qualiter ſibi fuerat nocte illa; reſpondit, quòd peſſimè, & quòd numquam habuerat ita malam noctem, quia diabolus tentaverat eum.

corrigitque: verbis & opere caſtus

74 Tunc ipſa petiit inſtanter, quòd diceret ei veritatem, & ipſa vice verſa diceret ſibi: & ipſe promiſit, ſe veritatem dicturum. Poſt quæ petiit dicta mulier ab eodem, ſi ipſe vigilabat, vel dormiebat, quando habuit tentationem prædictam: & ipſe reſpondit, quòd vigilabat; & illa ſubjunxit, quòd fuerat diabolus ille, qui tentaverat eum. Quo dicto, prædicta mulier regratians eidem, promiſit, deinceps ſe victuram honeſtè: & ita dicitur obſervâſſe. *Ita Frater Eadmundus de Aumari, ex relatu, ut præmiſſum eſt, perſonarum fide dignarum. Credibile eſt, caſtum Juvenem mulieri fœditatem facti ſui expoſuiſſe, acriterque increpitam impuliſſe, ut e-*

men-

A *mendationem promitteret, ac fortè etiam reipſa deinceps præſtaret. Pudicitiam Sancti commendavit etiam Robertus de Glouceſtria, qui juſſus dicere, unde ſciret*, reſpondit, quòd ex converſatione, quam habuerat cum eodem; & quia numquam viderat vel audiverat ſignum vel factum de eo, ex quibus poſſet deprehendere contrarium; quin immò per certa indicia ejus manſueta ſimplicitas, aliquando verbis, dum ſocii loquerentur de mulieribus, eo audiente, per multas circumlocutiones declarata, indicabat, eum ſemper fuiſſe ab omni illicita contagione alienum.

etiam ſororum conſortium vitat, ſororemque ab oſculo arcet.
* *i. e.* hoſpitarentur

75 Et quando domina Juliana Tregoz, & quædam alia domina, ſorores ſuæ, quæ erant baroniſſæ & viduæ, veniebant ad viſitandum eumdem vix ſemel in anno, valdè parùm colloquebatur cum eis, dicens, mulierum colloquia eſſe vana. Et ſi ſtarent * ultra unam diem in domo ſua, curialiter ad receſſum inducebat eaſdem; nec aliquas alias mulieres, quantúmcumque vetulas vel annoſas, permittebat ſtare in domo ſua. *Conſonat teſtimonium Wilhelmi Cantilupi, qui de prædicta baroniſſa, ſanctum Fratrem ſuum inviſente, præterea iſtud memoriæ prodidit.*

B Cùm domina Juliana, uxor domini Joannis Tregoz baronis, ſoror uterina & legitima ipſius domini Thomæ, quæ erat pulcherrima domina, viſitâſſet dictum dominum Thomam ſemel, poſtquam fuit epiſcopus, & veniſſet ad viſitandum eum in manerio ipſius epiſcopi, vocato Boſebury, & vellet oſculari eum in ore; idem dominus Thomas non permiſit, ſed porrexit ſibi manum, ut oſcularetur eam. Et dicta domina inde turbata incepit flere: & aſtantes rogaverunt dictum dominum Thomam, quòd permitteret, ut dicta ſoror oſcularetur eum, quia licitum erat & honeſtum; & ipſe nullatenus acquievit.

Inhoneſta dicta reprehendit, etiam in viro illuſtri,

76 *Ad hæc, quia caſtarum mentium eſt caſtas aures habere, ſanctus Antiſtes non impunè ſinebat abire, ſi quis verbum impudicum coram illo protuliſſet. Teſtem hîc rurſum habemus familiarem domeſticum ejus Hugonem le Barber*, qui dixit etiam, quòd, ſi aliquis de parentibus vel amicis ſuis dixiſſet aliquod mendacium, vel verbum inhoneſtum, vel vellet detrahere alii, quòd dictus dominus Thomas ſtatim opponebat ſe mendaci & detrahenti & verba inhoneſta dicenti, & alios defendebat. Et interrogatus, quomodo hoc ſciebat, dixit, quòd viderat & audiverat; & ſpecificavit requiſitus, quòd, dum ſemel dictus dominus Thomas comederet cum domino Roberto Gregonet, barone de Anglia, qui deſponſaverat quamdam ſororem dicti domini Thomæ, & cuidam domicellæ ſedenti in menſa quidam accidiſſet ſingultus, dictus baro dixit dictæ domicellæ in turpi vulgari, quòd hoc ſignificabat, eam requirere conſortium viri; & dictus dominus Thomas ibidem publicè reprehendit dictum baronem de dicto turpiloquio.

C

& nepotem ſuum non ſatis verecundum

77 *Ex hac tam illuſtris viri publica objurgatione quilibet facilè ſtatuet, non fuiſſe Sanctum tacitè paſſum ſimilia in domeſticis ſuis, nec in obſequiis convictuque ſuo retenturum, qui de hujuſmodi delicto ab illo caſtigati, ſeſe emendare neglexiſſent. Re vera mox laudatus Frater Eadmundus de Aumari ejus generis ſeveritatis exemplum produxit.* Dominus Thomas (*inquit ille*) multùm deteſtabatur peccatum carnis in familiaribus & propinquis ſuis & aliis.... Et habuit quemdam nepotem, quem tenuit in ſcholis, & incepit (*nepos iſte*) in artibus Oxonii, & terminavit Pariſiis. Et tenebat pro dicto nepote ſuo unum magiſtrum; & quia temporibus illis dictus nepos bene proficiebat vitâ & ſcientiâ, dictus dominus Thomas multùm diligebat eum, & prædictus nepos habebat etiam magnam familiaritatem cum dicto domino Thoma. Et hoc viderat dictus teſtis frequenter in domo dicti domini Thomæ. AUCTORE C. S.

è ſuo convictu amovet.

78 Poſtquam autem dictus dominus Thomas fuit factus epiſcopus, & direxit... ad curiam Romanam greſſus ſuos, idem teſtis petiit à prædicto domino Thoma, quare non tenebat & non ducebat ſecum prædictum nepotem ſuum, & non habebat eum ita familiarem, ut priùs; & idem dominus Thomas reſpondit, quòd aliqua ſiniſtra audiverat de eo, adjiciens, quòd: "Iſti juvenes non ſunt ita verecundi, ſicut ſo-„lebant eſſe. Nam quando ego eram juvenis, „ſi aliqua pulcra mulier inſpexiſſet me, ego e-„rubuiſſem, & avertiſſem oculos meos ab ea, „& attraxiſſem capucium meum ad faciem, „ne viderem eam: juvenes autem iſti non fa-„ciunt ſic.„ Ex quibus verbis prædictus teſtis ſuſpicatus fuit, quòd prædictus dominus Thomas notâſſet in prædicto nepote aliqua talia, quæ non placuerant ſibi, & quòd ex hoc à familiaritate ſua repuliſſet eumdem. Et licèt dictus teſtis fuiſſet coætaneus dicti nepotis, & fuerant contemporanei in ſtudio, & prædictus dominus Thomas diligeret & libenter videret dictum teſtem; tamen dictum nepotem ad ipſius teſtis preces noluit reducere ad familiaritatem ſuam. E

§ V. Sancti ſevera à cibis potuque abſtinentia: caſtigatio corporis per cilicia, nocturnas vigilias & humi cubationes: lacrymarum donum inter ſacrificandum: preces quotidianæ.

F

Sobrietati ultra modum addictus

U*Nanimis eſt teſtium conſenſus de mira* S. Thomæ *in victu temperantia. Richardus num.* 12 *& duobus ſequentibus hac ſuper re plura commemorans, teſtatus eſt, illum* habuiſſe... in excellentia ſobrietatem, parſimoniam & abſtinentiam in cibo & in potu, qualem numquam viderat habentem aliquem hominem ſanum, *qualis ſcilicet erat ille. Ex ejuſdem teſtimonio quotidianus ejuſdem victus erat modicus; potus ordinarius cereviſia tenuis, aut ſi hæc in promptu non eſſet, vinum valdè limphatum. Ex delicatis cibis modico delibato, reliquum infirmis pauperibus jubebat erogari: perquàm rarò cœnabat; pomeridiano tempore abſtinebat à potu, & ſi quando virorum optimatum præſentia ex more patriæ aliter exigebat, noverat, admoto ori calice, pia ſimulatione urbanitati ſatisfacere. Ea autem erat Viri, ex corporis ſui conſtitutione ciborum appetentis, in victitando parcitas, ut miraretur Richardus*, qualiter poſſet vivere cum ita modico nutrimento; *eodemque judice*, tota vita *illius* deducta fuerit in jejunio propter ſobrietatem & abſtinentiam. *Cetera vide ibidem*, ego

AUCTORE C. S. *ego nunc eadem ex aliorum teſtimoniis hîc confirmabo.*

multis annis numquam niſi famelicus a menſa receſſit;

80 *Wilhelmus Cantilupus* dixit, ſe frequenter vidiſſe, dum erat cum prædicto domino Thoma, quòd ipſe veniebat ad menſam, in qua familiares ſui vel alii comedebant; & quando videbat illos bene comedentes, dicebat aliquando, quòd habebat appetitum comedendi; & non comedebat, ſed intrabat cameram ſuam. Dixit & idem teſtis, ſe audiviſſe referri à domino Willelmo Daubeney, prædictum dominum Thomam dixiſſe eidem, quòd non comederat ad ſaturitatem, triginta erant anni elapſi ante obitum ſuum; ſed poſtmodùm pœnituerat... (ſicut referebat præfatus dominus Willelmus) quòd ſibi, quamvis eſſet multùm ejus familiaris, dixerat ſuprà dicta. *Res, ut contigit, paulò latiùs à Richardo, qui adfuerat, narratur in Compendio num.* 14, *ubi dominus ille, Latino forſitan nomine,* Willelmus de Albaniaco *appellatur. Pergo teſtimonium Cantilupi recitare.* De cibariis delicatis non comedebat, niſi parùm, quaſi duos vel tres bolos; ſed odorabat dicta cibaria, & dimittebat ea, loquendo &

B continentiam faciendo, & dicendo cum ſemetipſo: Comedam? Non comedam. Et ita dimittebat dicta cibaria delicata, & comedebat potagia; *id eſt, olera vel legumina.*

vilioribus cibis veſcebatur,

81 Et aliquando, quando habebat diverſa potagia vel diverſa ſalſamenta, aliquando faciebat mixturam de eis; & credit idem teſtis (ut dixit) quòd dictam mixturam faceret, ut minorem ſaporem in dictis ſalſamentis & potagiis inveniret. Et prædicta dixit ſe vidiſſe frequenter, dum ſcinderet coram dicto domino Thoma in menſa, priuſquam dictus dominus Thomas eſſet epiſcopus, & pòſt. *Similem à delicatioribus cibis abſtinentiam illius alio exemplo commendavit dominus Nicolaus (alibi* Aicardus *dicitur) de Warewik vel Warevik, juſtitiarius & conſiliarius Eduardi regis Angliæ, juriſperitus & teſtis quintus, de quo in proceſſu legitur:* Item dixit, quòd prædictus dominus Thomas diligebat lampredas de Saverne (*Sabrina flumen Angliæ eſt, in Wallia ortum*) ſuper alios piſces, ſicut ipſe teſtis prædictus dixit ſe audiviſſe ab eo; & familiares ipſius domini Thomæ hoc dicebant; vidit tamen dictus teſtis pluries, quando comedebat cum prædicto domino Thoma,

C quòd abſtinebat à prædictis lampredis, & etiam ab aliis cibariis delicatis & pretioſis. *Huc quoque pertinet, quod Hugo le Barber teſtatus eſt,* ſe vidiſſe & audiviſſe pluries, priuſquam dictus dominus Thomas eſſet epiſcopus, quòd præcipiebat, ſibi parari perdices & alia volatilia; & cùm eſſent parata, abſtinebat ab eis in totum, vel aliquando comedebat unum bolum. *Addidit teſtis, hæc à ſe obſervata eſſe* in pluribus locis, & nominavit Oxonium, Suyterfeld, Hampton & Schirebourne.

varia obſervabat jejunia;

82 *Redeo ad Cantilupi teſtimonium.* Item dixit, quòd in die Mercurii non comedebat carnes, & quòd in die Veneris non comedebat, niſi panem & potagium, & jejunabat; neſcit tamen, ſi bibebat vinum (*nempe* aquâ mixtum, *ut præmiſerat*) vel cereviſiam dicta die Veneris. In die Sabbati jejunabat & manducabat piſces. In vigiliis B. Mariæ jejunabat in pane & aqua; & jejunabat in Adventu ante Natale Domini communi jejunio; & rarò cœnabat, & de omnibus, quæ comedebat, ſive eſſent fructus, ſive alia, primum bolum, quem eſſet aſſumpturus, ponebat ad eleëmoſynam. *Hactenus ille, cui addo & alterum teſtem, in paucis nonnihil variantem. Joannes Bute, teſtis quinquageſimus nonus, qui è domeſticis ſancti Præſulis fuit, & cujus notam veracitatem etiam alii teſtes commiſſariis Apoſtolicis jurejurando commendârunt, de Domino olim ſuo depoſuit,* quòd fuerat vehementiſſimè ſobrius in cibo & in potu; & quòd valdè parùm comedebat & bibebat; & in menſa faciebat apponi coram ſe unum potum de vino albo, & aliud * de aqua; & interdum, cùm crederetur potare vinum, bibebat aquam, vel debilem cerviſiam. D

* alium

in potu æquâ ac in cibo parcus, rarò cœnabat;

83 Scyphus autem, cum quo bibebat vinum, erat valdè parvus de argento, & quaſi non continebat plus in quantitate, quàm contineret ſalſerium (*id eſt*, ſalinum, *Anglis* ſaltſeller) unum mediocre: nec bibebat totum in uno hauſtu, & non bibebat communiter in menſa, niſi duos tales ſcyphos vini, & modicum de cerviſia. Rarò autem cœnabat, & tunc non comedebat * unam vel duas vipas in vino multùm limphato. *Quid per* vipas *hîc indicetur, diſcimus ex Hermolao apud Cangium in Gloſſario dicente:* Erat veteribus jentaculum buccea ex vino, quod genus barbari à VINO & PANE VIPPAM vocant. Vipa *ergò à Joanne Bute hîc dicitur buccea panis intincta vino aquâ diluto. Ita etiam Robertus de Glouceſtria de eodem Sancto noſtro ait:* Rarò comedebat, niſi ſemel in die; & tunc, quando comedebat bis, quaſi non aſſumebat in cœna, niſi modicum de pane poſitum in cerviſia. *Nunc reliquum teſtimonii Joannis accipe.* E

* *adde* niſi

certiſque diebus, dum licuit, ſolum panem & aquam ſumebat.

84 Delicata cibaria in rariſſima quantitate comedebat; guſtabat tamen de eis unum vel duos bolos. Sextâ feriâ non bibebat vinum, ſed debilem cerviſiam: Vigilias B. Mariæ in pane & aqua jejunabat; celebrabat & obſervabat jejunium Adventûs Domini ante Natale, & jejunium Apoſtolorum, ſcilicet novem diebus ante Pentecoſten. *Hæc ibi. Ceterùm quæ in amborum aſſertis occurrit diverſitas, partim orta eſſe poteſt ex eo, quòd varia de Sancti ætate, valetudine aliiſque ſimilibus adjunctis loquantur. Sic Richardus in Compendii num.* 13 *expreſsè aſſerit:* In vigiliis autem B. Mariæ (*in quibus* Thomam *in pane & aqua jejunare ſoluiſſe, prædicti teſtati ſunt*) & in Paraſceve non ſinebant

F eum medici ſui jejunare in pane & aqua ſimpliciter; ſed comedebat panem cum potagio in modica quantitate, & bibebat vinum valdè lymphatum, vel debilem cerviſiam. *Ut hæc componantur, veriſimillimum eſt, Sanctum iſtud rigidum jejunium prædictis diebus olim quidem obſervare conſueviſſe, ſed poſtea ob debilitatem ſtomachi viriumque ex medicorum judicio prudenter temperâſſe.*

Amicis monentibus, ut plus cibi caperet,

85 *Longum ac tædioſum eſſet omnium teſtimonia recenſere; addo tamen unum & alterum, in quibus dicitur Sanctus de nimia cibi potûſque parſimonia ab amicis ſuis monitus fuiſſe. Robertus de Glouceſtria à commiſſariis Apoſtolicis juſſus dicere, unde ſciret,* Thomam *in ea virtute excelluiſſe,* reſpondit, quòd quaſi per triennium fuerat cum eodem in domo & in menſa, & videbat prædicta. Et dum ſemel idem teſtis ad latus prædicti domini Thomæ apud Arlee juxta Radingam (*oppidum Angliæ eſt in comitatu Bercheria*) Sarr, (*id eſt Sariſburienſis*) diœceſis, diceret ei: Domine, nimis parùm comeditis & bibitis; non poteritis durare; & dictus dominus

A dominus Thomas nil reſponderet, & dictus teſtis iterum repetiiſſet prædicta, reſpondit ſibi * idem dominus Thomas: Comedas, bibas, quod tibi placet, & tace, & dimittas me in pace. Et dictus teſtis repilogavit: Domine, non faciam, quia nollem, quòd deficeretis, nam perderem promotionem, quam ſpero à vobis. Et tunc dictus dominus Thomas replicavit: Tu vis adulari mihi; *ita ſcilicet ſilentium imponens moleſto admonitori.*

* *i. e.* ei

reſponſo ſuo ſilentium impoſuit,

86 *Alterum teſtimonium eſt Fratris Nicolai de Wichio, presbyteri monachi cathedralis eccleſiæ Wigornienſis, qui fuerat clericus capellæ ejuſdem Sancti per quinquennium, antequam eſſet epiſcopus. Is verò* dixit, ſe audiviſſe narrari à domino Willelmo de Monteforti, conſanguineo dicti domini Thomæ, qui erat maximi ſtatus, & habebat ultra mille marcas ſterlingorum annuatim; quòd idem dominus Willelmus quadam vice ſedens in menſa prope dictum dominum Thomam, & advertens & admirans, quomodo comederet ita parùm & biberet, dixit prædicto domino Thomæ, quòd placeret ſibi, ut non gereret moleſtum, ſi diceret ſibi * aliqua verba. Et dicto domino Thoma reſpondente, quòd diceret illud, quia non credebat, eum dicturum, niſi verba honeſta & licita, prælibatus dominus Willelmus dixit, ſe mirari, qualiter dominus Thomas, qui ita modicum comedebat & bibebat, & in tantum debilitabat corpus ſuum, audebat aggredi ita magna & ardua facta, ſicut ipſe fecerat habendo litem cum comite Glouceſtriæ & cum archiepiſcopo Cantuarienſi.

* *i. e.* ei

B

permittens, ut illi caperent, quantum vellent.

* &

* quod

87 Et dictus dominus Thomas reſpondit: Cognate, tu non debes perſcrutari in menſa, quantum ego comedo nec * bibo; ſed tu cùm fueris magnus prælatus, comedas & bibas, quid * volueris: quia tamen es presbyter, ſicut ego, dicam tibi unum, quod non reveles in vita mea, poſt mortem tamen dicas, ſi volueris: Triginta duo anni ſunt elapſi, quòd non ſurrexi de menſa, quin fuerim magis famelicus, quàm quando ponebam me ad comedendum in dicta menſa; & tamen ſum ita fortis, quòd auderem aggredi bellum contra te. *Hoc reſponſo importunum inquiſitorem comiter repulit, & quid ipſum pariter deceret, inſinuavit. Porrò laudatus Frater de Wichio interrogatus, quo loco & tempore, & coram quibus præfatus dominus de Monteforti iſta narravit,* reſpondit, quòd in hoſtelaria (*id eſt in hoſpitio peregrinorum*) prioratûs Wigornienſis, præſentibus domino Symone, quondam præcentore Wigornienſi, ipſo teſte, & pluribus aliis jam defunctis. Et hæc fuerunt narrata poſt obitum dicti domini Thomæ, quaſi per triennium.

C

Aſperrimum cilicium ad nudam carnem ferebat,

88 *Altero quoque ad coërcendam carnem remedio atque ad propitiandum Deum in ſacris Literis commendato, cilicio ſcilicet,* Thomam *uſum fuiſſe, varii in proceſſu teſtati ſunt; qua de re etiam jam paucis meminit Richardus epiſcopus in Compendio num.* 20. *Certum eſt teſtimonium Joannis Butè, qui cilicium ejus ipſemet in ejuſdem lecto abſconditum invenit, ac propriis manibus tractavit, quo tempore Sanctus profectus erat in Franciam ad Pontiniacum* (*quod pagus & abbatia eſt, vulgo* Pontigny *in provincia Campaniæ*) *ad honorandum ibidem corpus S. Edmundi archiepiſcopi Cantuarienſis, de quo ad diem* XVI *Novembris, quo in Martyrologio Romano annuntiatur, in Opere noſtro agendum erit. Verba proceſſûs ex laudati Joannis teſtimonio ſubjicio.* Item dixit, quòd, cùm prædictis temporibus dictus dominus Thomas peregrè profectus ad S. Edmundum, Cantuariæ quondam archiepiſcopum, apud Pontiniatum *, reliquiſſet cuſtodiam cameræ, & dominium (*id eſt adminiſtrationem*) rerum ſuarum ipſi teſti; & audito ejus regreſſu, prædictus teſtis vellet præparare lectum ipſius domini Thomæ, invenit inter paleas profundè ad caput lecti quoddam cilicium de pilis albis ſubtile & nodoſum.

AUCTORE C. S.

* Pontiniacum

89 Et diſplicans dictum cilicium, invenit ipſum quaſi carne & ſanguine infectum, & aliquæ particulæ carnis adhærebant ſibi *; & in ipſo erant pediculi multi. Et dictum cilicium ita erat longum, quòd poterat pertendi uſque ad mediam coxam, & habebat manicas ultra medium brachium. Quod cilicium repoſuit in eodem loco. Cùm dictus dominus Thomas rediiſſet, & ſediſſet ſuper lectum, & dictus teſtis extraxiſſet ſibi * calcearia & ocreas, appoſita manu ad locum, in quo erat dictum cilicium, dixit ipſi teſti: Nunc ſcio, quòd non jacuiſti in lecto meo. *Nimirum, quia ſenſerat, cilicium ſuum in eodem, in quo diſceſſurus per incuriam reliquerat, loco permanſiſſe, haud illibenter exiſtimâſſe videtur, non fuiſſe illud à Joanne deprehenſum. De eodem argumento ceteris omnibus magis inſtructus fuit teſtis ſexageſimus, Robertus Deyntè,* S. Thomæ *familiaris domeſticus & camerarius ſub Nicolao de Hodinet, camerario principali, qui ambo cum ſancto Domino ſuo ad Romanam curiam profecti fuêre, quo in itinere idem Sanctus ac Nicolaus diem ſuum obierunt. Ex hujus Roberti teſtimonio ſic habet proceſſus.*

quod inventum fuit ejus carne & ſanguine infectum;

* *i. e.* eidem

E

* ei

90 Dominus Thomas portabat cilicium nodoſum, aſperius, quod poterat reperiri. Et cùm priùs habuiſſet cilicium domini Walteri Wigornienſis epiſcopi, patrui ſui; & non videretur ſibi ſatis aſperum (quod ſimiliter erat nodoſum & de pilis animalium) miſit ipſum teſtem apud Oxonium, ut faceret ſibi fieri aſperius. Et ita fecit, & portavit ſibi * ad manerium ſuum de Preſtebury. Et hoc dixit fuiſſe infra unum menſem vel circà, poſtquam idem dominus Thomas fuit adeptus poſſeſſionem epiſcopatûs & conſecratus in epiſcopum. Interrogatus, ſi ante epiſcopatum utebatur cilicio, reſpondit, quòd non; ſed zonis cilicinis ita latis, ſicut palma hominis. Interrogatus, ſi continuè uſus fuit dicto cilicio uſque ad ejus obitum, poſtquam fuit epiſcopus, reſpondit, quòd ſic. Et habebat plura cilicia, & idem teſtis lavabat ea; & erant aliquando tot pediculi in dictis ciliciis, quot poſſent recipi in una manu vel palma hominis, ut ſibi videbatur. Item interrogatus, ſi jacebat (*id eſt, dormire ſolebat*) cum dicto cilicio, reſpondit, quòd ſic. *Ex ejuſdem teſtimonio præterea excerpta reperi ſequentia:* Cùm lavaretur corpus domini Thomæ poſt ejus obitum per ipſum teſtem, vidit ibi veſtigia & quaſdam impreſſiones nodorum cilicii ſupradicti.

habebatque plura cilicia, quibus jam epiſcopus ſemper uſus fuit.

F

91 *Juverit poſtremo loco etiam audiviſſe teſtem duodecimum, dominum Richardum de Kimberle, per decem annos in obſequiis ſancti Præſulis verſatum, ad quem cilicium unum zonaque ferrea, quibus ille uſus fuiſſe credebatur, pervenerunt, permanſeruntque poſt ejuſdem Sancti obitum. Hic à commiſſariis Apoſtolicis juſſu dicere,* ſi aliquam ... auſteritatem ... vitæ notaverat in eo, reſpondit, quòd Robertus Deyntè laïcus (*mox laudatus*) qui jacebat in camera dicti domini Thomæ, poſtquam ipſe dominus Thomas

Ipſius etiam fuiſſe creduntur zonæ, una ferrea,

AUCTORE C. S.

esset episcopus, & priusquam arriperet iter eundi ad curiam Romanam pro discordia, quam habuit cum domino archiepiscopo Cantuariensi, tradidit ipsi testi semel quemdam sacculum, per ipsum testem custodiendum, non tamen sigillatum; in quo sacculo invenit idem testis (ut dixit) petiam pancheræ ferreæ (*hoc est* partem loricæ ferreæ, *ab Italicis vocibus* pezzo, frustum, & panciera, lorica) factam ad modum zonæ, cum qua homo poterat cingi ad carnem, mediantibus quibusdam corrigiis, in capitibus dictæ zonæ ferreæ existentibus, habentibus in latitudinem circa tres digitos; & erat rubiginosa. Et prædictus testis dixit, se credere, quòd prædictus dominus Thomas portaverat aliquo tempore dictam zonam ferream ad carnem subtus cilicium suum.

92 Sed postmodùm dictus Robertus non requisivit dictum sacculum ex oblivione, ut credit, nec rehabuit à teste prædicto. Invenit etiam dictus testis in prædicto sacculo quamdam aliam zonam, factam de filis seu cordulis nodosis, ex quibus cilicia nodosa componuntur; & dicta zona erat ex multiplicatione dictorum filorum quasi ita grossa, sicut sunt cordæ, quibus cinguntur Fratres Minores exteriùs: & dicta corda erat etiam præter nodulos, qui erant in singulis filis seu cordulis, nodosa, sicut sunt cordæ dictorum Fratrum Minorum; prout patuit ex inspectione partis dictæ zonæ cilicinæ, quam exhibuit dictus testis in examinatione & deposi-

& altera cilicina,

B

tione ejusdem, dicens, se credere, prædictum dominum Thomam aliquo tempore portâsse zonam cilicinam prædictam; dictus tamen testis non vidit dictum dominum Thomam utentem zonis ferrea & cilicina prædictis.

93 Interrogatus, quid fecerat de zonis prædictis, respondit, quòd pro majore parte zonam cilicinam distribuerat & condivisserat inter multos nobiles de parentela dicti domini Thomæ, ex devotione ab ipso testa prædictam requirentes. Zonam autem ferream dederat (ut dixit) canonicis ecclesiæ Christi diœcesis Wyntonien sis, in qua sunt canonici Regulares, dictam zonam sicut reliquias dicti domini Thomæ in veneratione habentes. *Hactenus testimonium Richardi de Kimberle, qui meritò credidit, ambas zonas illas fuisse* S. Thomæ, *quem cilicinis usum esse, constat ex prædictis, & de quo etiam testis trigesimus, Frater Robertus de S. Martino, sacrista S. Bartholomæi Londini, asseruit,* se audivisse à quodam camerario illius, qui vocabatur Willelmus, ... quòd etiam portabat ferrum circa lumbos suos. *Idem testis conformiter ad aliorum dicta ex auditu quoque asseruit, Sanctum etiam aliquando ferre solitum* camisiam & femoralia de cilicio usque ad pedes. *Addo etiam locum ex testimonio Aicardi vel Nicolai de Warevik, qui sic habet:* Audivit dici idem testis, quòd comes Cornubiæ quondam habuit quoddàm cilicium dicti domini Thomæ, quod alicui, sicut referebatur, dictus dominus Thomas præceperat projici in ignem in infirmitate, de qua obiit, & non potuit comburi. *Sed de his nunc satis.*

quæ post obitum illius pro reliquiis habita fuerunt.

94 *Ad diurnam à cibis abstinentiam corporisque per cilicinas vestes afflictationem accedebant nocturnæ vigiliæ utiliter impensæ, quas dum necessarius somnus urgens interrumpebat, non rarò excipiebat incommoda cubatio. De vigiliis vide Richardum in Compendio num.* 15, *cui consentiens, aliaque adjiciens, oculatus testis Robertus*

Maximam noctis partem lectioni aut scriptioni impendebat,

C

Deyntè, interrogatus, an sanctus Antistes dormire soleret indutus cilicio, respondit, quòd sic, & quòd jacebat indutus vel supra lectum, vel prope lectum supra tapetum. Et dixit, quòd rarò jacebat & modico tempore; sed sedens supra lectum vel prope lectum, & habens circa se libros suos, & studens in eis, vel scribens, seu componens collationes (*id est sermones ad populum dicendos*) dormitabat. *Interrogatus, unde ista sciret,* respondit, quia jacebat in camera ejusdem, & frequenter veniebat ad eum ad parandum lumen, cum quo studebat, in lanterna *; & in tantum erat fatigatus dictus testis, sicut dixit, vigiliis dicti domini Thomæ, quòd proposuit aliquando furtivè recedere ab eo. Dixit etiam, quòd de die non dormiebat dictus dominus Thomas.

D

*laterna

95 *Roberto Deyntè addo alterum testem pariter oculatum, Joannem Butè.* Non cessabat (*inquit hic*) temporibus opportunis, quin vacaret orationi vel lectioni; & multoties, cùm crederetur dormire in lecto & jacêre, jacebat in terra ante lectum, appositis aliquibus pannis inter ipsum & terram, & aliquibus ad caput, & aliquibus super ipsum. Et hoc dixit se dictus testis frequenter vidisse in Normannia in loco vocato Funtaynes, in quo dictus dominus Thomas traxit moram per annum cum dimidio, & tunc ipse testis cum eo, tunc panetarius & butelarius ipsius, & aliquando vices camerarii ejus gerens. Et prædicta dixit fuisse ferè per biennium dicti domini Thomæ ante obitum. Panetarius *est, qui panem conficit, seu* pistor; butelarius *curator vini, Anglicè,* buttler, *Italicè* Bottigliere, *Gallicè* bouteiller *dictus.*

ac passim non in lecto, sed in solo cubabat.

E

96 *Alterum, in quo* S. Thomam *excelluisse, Richardus episcopus in processu, sive apud me in Compendio num.* 15 *declaravit, est orationis studium, ac devotio in divinis mysteriis celebrandis cum lacrymarum dono, quo ex tenera pietate vivaque fide solitus erat tunc frui. Hoc ipsum quoque asseruit testis quinquagesimus septimus, dominus Joannes de Kemeseya, canonicus Herefordiensis, unus è Sancti familiaribus domesticis, ex cujus testimonio excerpsi sequentia.* Item dixit, quòd fuerat attentus in oratione & in dicendo Horas suas canonicas, cantando etiam per aliquos annos, antequam esset episcopus; & in sermonibus componendis, & quòd erat valdè devotus. Et numquam vidit eum celebrantem Missam, quin lachrymaretur ante elevationem Corporis Christi; & dixit, se credere, quòd centies & ultrà ipse testis serviverat sibi * in Missa, vel ei astiterat ut minister altaris. Et ultimam Missam, quam dictus dominus Thomas celebravit, dixit apud Montem Flasconis in ecclesia Fratrum Minorum pro quodam de parentela sua defuncto; & licèt quàm plurimi ex familiaribus & domicellis domini Papæ & aliorum essent in circuitu altaris, & eum viderent & aspicerent in facie, quando celebrabat, nihilominus tamen celebravit cum devotione solita, & cum maxima lachrymarum profusione.

In Missis celebrandis semper pias lacrymas effundebat,

F

* illi

97 *Oculatus item testis in processu decimus tertius, Frater Rogerius de Hunneden, supprior Fratrum Eremitarum S. Augustini in conventu Londinensi,* dixit, quòd, quando ab ipso fuerat in presbyterum ordinatus in ecclesia de Leominstre diœcesis Herefordiensis, & dictos Ordines celebravit tunc valdè devotè, & ex quo incepit Canonem Missæ, visum fuit dicto testi (ut dixit) quòd lachrymæ non cessarent ab

ut à variis observatum fuit:

A ab oculis ejus ; & abſtergebat cum quadam tabalIiola (*videtur legendum* tobalIiola, *ab Italica voce* Tovaglivola, *quæ Latinè parvum ſudarium eſt*) exiſtente ſuper altare. Dictus autem teſtis appropinquavit ad altare (ut dixit) præ aliis coordinatis cum eo, quia erat debilis propter infirmitatem, quam paſſus fuerat, & ratione propinquitatis loci advertit (ut dixit) diligentiùs ad prædicta. *Accedit Roberti de Glouceſtria teſtimonium, dicentis*, ſe vidiſſe, dùm morabatur cum dicto domino Thoma, & credebat eſſe notum omnibus, qui viderant dictum dominum Thomam celebrantem Miſſam, quòd cum magna devotione & lachrymarum effuſione celebrabat. *Addo & Wilhelmum Cantilupum, cujus iſta verba ſunt:* Frequenter idem ipſe celebrabat, & multùm plorabat in Miſſa, & prolixas Miſſas dicebat.

Horis canonicis, quas ſemper cantu perſolvebat, addebat alias preces &c.

98 *De quotidianis precibus ab eodem perſolvi ſolitis hæc addidit prælaudatus Robertus de Glouceſtria:* Totum Officium ſuum & Horas canonicas dicebat valdè devotè cum nota ſive cantando, & ultra hoc ſine nota (*ſeu ſine cantu*) dicebat quotidie ſeptem pſalmos Pœnitentiales cum Letania, & Officium mortuorum. *Adjecit inſuper dominus Joannes de Kemeſeya, eumdem viſum à ſe eſſe, dum in eccleſia Miſſam audiret, attracto, ne videretur, in faciem capucio, cum ſingultu orantem, cúmque poſt orationem receſſiſſet, deprehenſum locum, ubi fuerat, aliquot deciduis lachrymis tinctum.*

B

§ VI. Sancti manſuetudo in ferendis condonandiſque injuriis & aliorum defectibus: ſtudium concordiæ in aliis conciliandæ: miſericordia in pauperes & infirmos.

Mitis animi Vir convicia,

PRater *virtutes jam memoratas Richardus in Compendio humilitatem, manſuetudinem, benignitatem, amorem pacis, patientiam aliaſque in Sancto noſtro breviter commendavit; quod & alii teſtes fecerunt. Manſuetudinis illius, quâ illatas ſibi injurias æquo animo tulit, jam dedi exemplum ſuprà num.* 38; *alia habes in Compendio num.* 18 *&* 33, *alterumque produxit Joannes Butè, teſtis quinquageſimus nonus, qui loquens de lite, quam ſanctus Præſul pro vindicandis eccleſiæ ſuæ juribus cum domino barone Petro Corbet habuit, ut infrà pluribus dicetur, ait, illa lite pendente, auditum à ſe eſſe præfatum baronem Sancto dicentem:* "Aut tu es plenus diabolo, aut tu es nimis ſecretarius cum Deo;" illumque reſpondentem benignè ac manſuetè eidem, quòd non utebatur ulla arte diaboli; ſed quòd in ſpe divini adjutorii proſequebatur jura eccleſiæ ſuæ. *Teſtatus item eſt Wilhelmus Cantilupus, illum, dum Oxonii Theologum ageret, ab uno ex aliis magiſtris immeritò objurgatum, eumdemque, cùm inter alia ei diceretur*, quòd multùm erat ruſticus, *reſpondiſſe* benignè ac patienter, quòd verum dicebat.

C

graveſque injurias patienter fert:

100 *Hanc virtutem etiam magis exercuit eo tempore, quo graves moleſtias tulit à Joanne Peckhamo archiepiſcopo Cantuarienſi, metropolita ſuo, à quo pro epiſcopatus ſui juribus diſſidebat, quique illum pro excommunicato volebat haberi. Controverſiam infrà latiùs exponam; audiamus interim, quanta animi manſuetudine Sanctus hac in re ſe geſſerit. Raderus vel Rudolphus de Hengham, ſuprà jam laudatus teſtis*, reſpondit, quòd fuerat valdè mitis, patiens & benignus; & interrogatus reddidit cauſam ſcientiæ de viſu & auditu proprio; & quòd Frater Johannes de Pecham, quondam archiepiſcopus Cantuarienſis, perſequebatur dictum dominum Thomam injuſtè (ſicut dictus teſtis dixit ſe credere, & quòd etiam communiter gentes * hoc dicebant;) & cùm dictus dominus Thomas non videbatur propter hoc habere aliquam malam voluntatem contra dictum dominum archiepiſcopum, nec prorumpebat in verbis contra eum; immò benignè patiebatur. Et dictus teſtis dixit, quòd, cùm prædictus dominus Thomas ratione perſecutionis dicti domini archiepiſcopi ivit ad curiam Romanam, ipſe teſtis equitavit & ivit pedes cum ipſo domino Thoma, equitante vel peditante, per quatuor leucas Anglicanas: & licèt loquerentur de diverſis epiſcopatum ſuum Herefordienſem tangentibus, non tamen audiverat, quòd diceret aliquod ſiniſtrum de archiepiſcopo ſupradicto.

AUCTORE C. S.

* *i. e.* homines

E

etiam miniſtrorum ſuorum inconſiderata dicta factaque

101 *Jam quod ad domeſticos illius pertinet, delinquentes ſic arguebat, ut leves eorum defectus patienter ferret, ac pœnitentibus facilè ignoſceret. Robertus de Glouceſtria ea de re teſtari juſſus, depoſuit*, ſe non vidiſſe eo tempore, quo fuit cum eo converſatus, aliquid, propter quod de contrario potuerit notari. Et vidit frequenter, quòd, quando ejus clerici, vel alii ejus familiares reſpondebant ſibi *, aliquid præcipienti, turbato animo & impatienter, dictus dominus Thomas patienter & benignè tolerabat & ſupportabat eos, & aliqua verba placatoria dicebat ad demulcendum eoſdem. *Mox exempli gratiâ ſubdit, quod ipſimet acciderat.* Cùm ipſe (*ait*) dominus Thomas præcepiſſet ipſi teſti & magiſtro Rogerio de Sevenak ſociis ejus, quòd conciperent & dictarent & ſcriberent formam cujuſdam arbitrii ſeu amicabilis compoſitionis, inter ipſum & epiſcopum Aſſavenſem factæ, interveniente domino Edwardo rege Angliæ, & uterque eorum neglexiſſet propter alterum; & adveniente die, in qua debebat exhiberi forma dictæ compoſitionis, dictus dominus Thomas ante exhibitionem vellet videre dictam formam compoſitionis, & eam requireret; & dictus magiſter Rogerius diceret, quòd credebat, eam dictâſſe magiſtrum Robertum; & dictus Robertus vice verſa diceret, quòd credebat, eam dictâſſe dictum magiſtrum Rogerium; prædictus dominus Thomas dixit: Modò video, qualiter vadunt negotia mea. Apportetis mihi pergamenum, incauſtum (*ſive* atramentum) & pennam; & ego dictabo.

* ipſi

F

leniter fert, diſſimulatque,

102 Quibus allatis per dictum teſtem, & ſuper ejus lectum poſitis, cùm dictus teſtis reverſus ad cameram ſuam ſe poſuiſſet in lecto ad dormiendum poſt meridiem, poſt paulùm dictus dominus Thomas, qui nihil dixerat ipſi teſti, quando pergamenum, incauſtum & pennam ſuper ejus lectum poſuerat, ſed quaſi admirativè conſpexerat nihil dicendo, veniens ad cameram ipſius teſtis cum pergameno, incauſtò & penna prædictis, dixit ei patienter & eum excitando: Surge, ſurge, & dicta hoc inſtrumentum. Et licèt materia magna impatientiæ fuiſſet præſtita eidem in facto prædicto, & quia non

AUCTORE C. S.

dictaverat, ut præceperat, & quia dictum pergamenum, incauſtum & pennam dictus teſtis quaſi deriſorie ſibi apportaverat; cùm non petiiſſet, ſibi apportari ea intentione, ut ipſe idem ſcriberet (ſicut putat idem teſtis; cùm talia non conſueviſſet ſcribere vel dictare; ſed petiiſſet potiùs ad corrigendum & accelerandum eoſdem) ſupportavit patienter & benignè; nec ex hoc contra ipſum teſtem & prædictum magiſtrum Rogerium murmuravit.

eoſdemque delictorum ſuorum veniam precantes

103 *Sancti Viri manſuetudinem in ignoſcendo pariter expertus laudavit etiam Hugo le Barber, domeſticus ejus, qui (ut habet proceſſus)* interrogatus, ſi remittebat libenter illis, qui inferebant vel dicebant ſibi * injurias vel offenſas, reſpondit, quòd ſic: & interrogatus, quomodo hæc ſciebat, dixit, quòd hoc viderat & audiverat pluries, dum petebatur ab eo, quòd parceret illis, qui eum offenderant; quia citò parcebat. Et ſpecificavit, quòd ipſe teſtis & Anſelmus Mareſcallus & quidam alius familiaris dicti domini Thomæ quadam nocte evagari volentes, cùm non poſſent per portam exire, exiverunt per murum domûs eccleſiæ de Hampton, in qua erat tunc dictus dominus Thomas. Et cùm fuiſſent coram eo in craſtinum accuſati, arguit & corripuit eos, & voluit eos expellere à ſe. Et cùm inſtanter peterent veniam, pepercit eis; ita tamen quòd, ſi ampliùs hoc contingeret eis, eſſent perpetuò excluſi à familia ſua. *Subjicit idem Hugo & alterum exemplum, quod totidem verbis juverit ſimiliter retuliſſe.*

* ei

B

facilè in gratiam recipit,

104 Dum dictus dominus Thomas erat in ſtudio Oxonii & ibidem regeret in Decretis, declinavit ſemel ad civitatem Londinenſem, & invitavit ad comedendum dominum Edwardum, tunc filium domini Henrici regis Angliæ, & multos comites & barones & juſticiarios regis. Dictus autem teſtis apportavit vaſa ejus argentea ad dictam civitatem Londinenſem; & dum depoſuiſſet in curte (*id eſt in ædibus atrii*) domûs, in qua debebat fieri convivium, & in qua erat tunc dictus dominus Thomas, ingeſſit ſe quidam, qui videbatur ex habitu & geſtu eſſe nobilis & curialis domicellus, ad adjuvandum dictum teſtem, ut collocaret & reponeret cum eo dicta vaſa argentea; & prædictus domicellus tunc furtivè & fraudulenter ſubripuit quamdam cupam argenteam deauratam cum coopertorio ponderis ſeptem marcarum argenti cum dimidia, cum qua bibebat idem dominus Thomas; & cum dicta cupa fugiens, ex tunc non potuit ab ipſo teſte reperiri. Cùm autem in craſtinum innotuiſſet dicto domino Thomæ, & dictus teſtis multùm inde dolens & triſtis ex dicta ſubtractione cupæ, peteret ab eo veniam, pepercerat ſibi, primò tamen de negligentia arguens, & poſt veniam datam præcipiens, quòd ſe exhiberet deinceps in conſimilibus cautiorem.

C

ut & alterum, quem etiam domeſticis ſuis adſcivit,

105 *Graviùs in ipſum peccaverat, veniamque obtinuit Adamus de Kyngeshuam juriſperitus, qui in proceſſu undecimo inter teſtes loco nominatur, dixitque,* quòd ipſe teſtis & gentes ſuæ occaſione dictæ gardiæ derobaverant (*id eſt apprehenderant vel ſpoliaverant*) & mutilaverant aliquos ex gentibus dicti domini Thomæ; & ipſe teſtis petiit veniam & miſericordiam à dicto domino Thoma, & pepercit ei. Et prædicta dixit fuiſſe *, erunt triginta anni ante finem hujus menſis Julii, *videlicet anni* 1307, *quo hæc teſtatus Adamus eſt, atque adeo iſta contigerint anno* 1277. Gardia *Latinè* cuſtodia *eſt; ſed cùm non habeam totum Adami teſtimonium, non aſſequor, quid vocibus illis* occaſione dictæ gardiæ *indicetur; niſi fortè ea referendæ ſint ad litem, quam mox præmiſerat Sanctum intendiſſe baroni Petro Corbet, qui ſervos pecudeſque eccleſiæ Hereſordienſis in locis, de quibus erat contentio, violenter abduxerat. Utut ſit, cùm Adamus in proceſſu dicatur fuiſſe* de familia, *ſive ex domeſticis* Thomæ poſt aditum epiſcopatum, *procul dubio graves illas injurias Sancto intulerat, antequam in familiam ipſius fuerat admiſſus; quod ejuſdem Sancti manſuetudinem non parùm commendat.*

* *i.e.* contigiſſe

D

atque aliud beneficium ei præſtitit. Diſſidentes

106 *Hanc gratiam deinde etiam novo beneficio pius Præſul auxit; nam, ut ibidem ſequitur,* ipſe teſtis erat obligatus in decem marchas argenti dicto domino Thomæ; & quando ivit ad curiam (*Romanam ſcilicet*) dictus dominus Thomas, & idem teſtis reciperet ab eo licentiam (*ſive valediceret*) apud Preſtebury diœceſis Wigornienſis, dictus dominus Thomas dixit eidem teſti, quòd in teſtamento ſuo remiſerat ei illas decem marchas, ſi contingeret, eum decedere, priuſquam rediret in Angliam. Et dictus teſtis dixit ei: Domine, vos revertimini, ſi Deo placet. Et dictus dominus Thomas reſpondit: Non credo. Et dixit valdè pio modo, & ſicut prædixit, ita extitit ſubſecutum; quia obiit in partibus ultramontanis. *Ita ille. Ex tam miti autem animo naſcebatur amor pacis etiam inter alios conciliandæ, de quo pauca in proceſſu reperio. Frater Thomas Ylleye, Ordinis Fratrum B. M. de Monte Carmelo, magiſter in ſacra Theologia, teſtis decimus ſeptimus depoſuit, dum Sanctus Oxonii in ſtudiis verſaretur, acres ſimultates inter ſcholaſticos Auſtrales Borealeſque ortas eſſe; ipſum verò, qui inter Auſtrales eminebat, non modò non voluiſſe horum partes tutari, ſed pro viribus laborâſſe, ut diſſidentes conciliaret.*

E

ad concordiam & amicitiam reducit.

107 *In eadem univerſitate ſtudiis operam adhuc dabat, quando duos presbyteros ad concordiam reduxit, utque eam magis firmaret, convivio excepit. Ita diſcimus ex teſtimonio Hugonis le Barber,* qui interrogatus, ſi libenter pacificabat diſcordes, reſpondit, quòd ſic; & ſpecificavit, quòd apud Hampton concordavit & pacificavit duos presbyteros inter ſe diſcordes; & unus vocabatur dominus Petrus, & alius dominus Robertus. Interrogatus, quomodo ſciebat de dicta concordia, reſpondit, ſe fuiſſe præſentem, quando dicti presbyteri comederunt cum dicto domino Thoma in die, quâ prædictam pacem feciſſe publicè dicebantur & aſſerebantur à familiaribus dicti domini Thomæ, qui interfuerant ſupradictis. Et prædicta dixit fuiſſe illo tempore, quo dictus dominus Thomas morabatur in ſtudio Oxonienſi. *Eodem teſte Hugone,* ſpecificavit & concordavit Joannem de Ludhuam domicellum cum amicis & parentibus Matildis de Valoyes, filiæ domini Joannis de Cantalupo, fratris dicti domini Thomæ, quam Matildem deſponſaverat dictus domicellus, inſciis parentibus ejuſdem Matildis. Interrogatus, quomodo hoc ſciebat, reſpondit, ſe vidiſſe & audiviſſe prædicta apud Suyterfeld, dicto domino Thoma nondum epiſcopo exiſtente. *Huc uſque Hugo le Barber: breviùs Robertus de Glouceſtria ait:* Diſcordes libenter ad concordiam reducebat; & ſpecificavit (*idem teſtis*) ipſum reduxiſſe ad concordiam dominum Hugonem de la Su-

F

A che, baronem Lincolnienſis diœceſis, & ejus uxorem diſcordes.

Quotidie coram ſe alebat aliquot pauperes,

108 *Multo magis in eo eluxit miſericordia in pauperes, quos non modò vulgari ſtipe juvabat, verùm etiam coram ſe cibis recreabat. Certè Richardus epiſcopus num.* 31 *Compendii affirmavit,* Thomam *tam ante, quàm poſt ſuſceptum epiſcopatum, feciſſe* coram ſe comedere multos pauperes omni die, & nihilominus aliis pauperibus juxta ejus poſſibilitatem eleëmoſynas *erogare conſueviſſe. Conſonant alii teſtes, quorum aliquos hìc nominabo. Robertus de Glouceſtria dixit,* ſe vidiſſe, quòd largas eleëmoſynas tam Religioſis quàm aliis fieri faciebat; & ultra hoc comedebant multi pauperes omni die coram eo. *Wilhelmus de Cantilupo ait:* Multi pauperes, antequam eſſet epiſcopus & pòſt, comedebant omni die coram eo in aula ſua. *Dominus Adamus de Kyngeshuam, ſuprà laudatus domeſticus ejus,* Faciebat, *inquit,* aliquos pauperes comedere coram ſe. *Joannes Butè addidit numerum egenorum, quos quotidie, ſive coram ſe ſive in domo ſua alebat,* Continuè, *inquiens,* dabat ad comedendum in domo ſua tredecim pauperibus & ſeptem parvulis, & ultra hoc dabat eleëmoſynam alternis diebus.

B

quos vocabat Fratres & vocari volebat;

109 *Solebat autem Sanctus pauperes omnes* ſuos fratres *vocare, & à domeſticis ac familiaribus ſuis ſic vocari volebat; cujus rei exſtat in proceſſu inſigne teſtimonium Raderi vel Rodulphi de Henghuam, quod locum hìc habere meretur.* Loquebatur ita humiliter pauperibus & famulis ſuis, ſicut aliis, & dictos pauperes vocabat FRATRES; & frequenter redarguerat ipſum teſtem & alios familiares ſuos, quando non vocabant dictos pauperes FRATRES; aſſerens idem dominus Thomas, pauperes dumtaxat eſſe, quos Deus odiebat; Et quos vocatis pauperes (*inquiebat ſanctus Præſul*) nobis ſunt ditiores. Cùm autem dictus dominus Thomas quadam die comederet & haberet coram ſe quinque vel ſeptem pauperes comedentes, præcepit Roberto de Wytacre familiari ſuo, quòd iret ad portam ad videndum, ſi erant ibi aliqui fratres, & quòd faceret aſcendere duos. Dictus autem famulus ivit ad portam, & non invenit ibi Religioſos, quos credebat vocari FRATRES: & retulit dicto domino Thomæ, quòd non erant in dicta porta Fratres alicujus Ordinis.

C

ac primos ferculorum bolos & delicatos cibos deſtinabat egenis.

110 Et dictus dominus Thomas dixit ei, eum arguendo: Nonne ſunt ibi tales fratres, quales ſunt iſti, qui comedunt hìc, oſtendens illi pauperes, coram ipſo comedentes? Et ille Robertus reſpondit, quòd bene erant tales viginti fratres ad portam: & præcepit tunc, quòd faceret aſcendere quinque ex eis; & factum eſt ita. Et prædicta dixit fuiſſe apud Hampton Wigornienſis diœceſis, acta præſente ipſo teſte & pluribus aliis familiaribus dicti domini Thomæ, bene per ſedecim annos, antequam eſſet promotus ad epiſcopatum. *Ad hæc in more poſitum habebat, primum ferculorum bolum, quodque ex delicatioribus cibis in lancibus demum ſupererat, pauperibus deſtinare. Audi Hugonem le Barber in proceſſu denuò teſtantem.* Aliquando fingebat, ſe bibere bonam cerviſiam & bona cibaria comedere; & dimittebat ea & dabat aliis, vel faciebat poni in eleëmoſyna; & hoc frequentiùs, quàm quòd mitteret aliis, niſi de cibariis delicatis eſſet in rara copia; quia tunc de dictis cibariis pretioſis primò dabat ſociis & aliis comedentibus cum eo; & ſi quid ſuperat ſibi, faciebat in eleëmoſyna poni. Dixit etiam, quòd numquam aſſumebat aliquem cibum, quin primum bolum, quem eſſet aſſumpturus, pericerat * & deputaret ad eleëmoſynam; & quando miniſtrabantur ſibi potagia, fruſtum panis ponebat in eis, & poſtmodùm dictum fruſtum panis ponebat in dicta eleëmoſyna.

AUCTORE C. S.

* *i. e.* reponeret

Sublevabat etiam inopiam nobilium

111 *Atque hæc quidem de quotidianis eleëmoſynis in vulgares pauperes ab illo erogari ſolitis, quibus addenda ſunt, quæ ſuperiùs num* 32, *ubi de pia Sancti, ſtudiis litterarum vacantis, vita actum eſt, aliaque, quæ* § IV *de ejuſdem religione in beneficiis eccleſiaſticis adminiſtrandis jam expoſui. De alterius conditionis pauperibus ex teſtimonio Joannis Butè in proceſſu hæc rurſum legere eſt:* Dixit etiam, ſe vidiſſe, quòd nobilibus, qui propter aliquod infortunium devenerant ad paupertatem, faciebat eleëmoſynas ſecretas de blado (*id eſt de frumento*) & de pecunia; & nominavit unum, ſcilicet Alanum de Walinton, cui præcepit dari, audiente ipſo teſte, medium quartum frumenti, & pecuniam, neſcit, in quanta quantitate: & hoc dixit fuiſſe in manerio (*ſeu domo vel villa*) dicti Epiſcopi de Preſtebury: & ſimilia faciebat in aliis maneriis ſuis, ſicut dixit, ſe audiviſſe.

E

& Religioſorum.

112 *Vox* quartus *vel* quartum *videtur idem ſignificare, quod* quarta, *quam Spelmannus in Gloſſario ſcribit Anglis fuiſſe quartam partem modii; quod ſi ita ſit,* medius quartus *erit tantùm octava pars modii, exiguaque videbitur eleëmoſyna, viro nobili facta, niſi modius ille magnæ menſuræ fuerit. In Gloſſario Cangii auctо vox* quartus *nonnumquam uſurpatur pro quarta parte fructuum, quam domini annuatim percipiebant ex agris ſuis, quos ea conditione elocabant aliis colendos. Quid ſi ſanctus Epiſcopus ejuſmodi quartam partem frumenti ex quodam agro eccleſiæ ſuæ apud Preſtebury perceperit, & hujus mediam partem laudato viro nobili conceſſerit in eleëmoſynam? Nec præteribat pia Sancti munificentia Religioſos, quos ſua profeſſio fecerat pauperes. Nam* Religioſos omnes (*verba proceſſûs ſunt ex teſtimonio Roberti de Glouceſtria*) multùm honorabat, ut dixit, pluries ſe vidiſſe: & ſæpius comedebat in domibus Fratrum Prædicatorum & Minorum, & ibi paſcebat eoſdem.

F

Variis malctas condonat, frumentum mutuum concedit, veſtes

113 *Joannes Butè* adjecit etiam, quòd, quando ſubditi ſui erant mulctati à ſeneſcallis ſuis, multoties remittebat in totum; & quando indigebant blado, faciebat eis tradi de blado ſuo mutuò, ut redderent bladum pro blado in ſequenti anno; & quando ſolvere non poterant propter paupertatem, remittebat eis. *Altera* S. Thomæ *cura erat de egenis veſtiendis, de quæ Wilhelmus Cantilupus oculatus teſtis hæc ait:* In parochiis, quas habebat, antequam eſſet epiſcopus, faciebat dari veſtes pauperibus parochianis ſuis, & idem fecerat, poſtquam fuit epiſcopus. *Erant hæ veſtes, ut ibidem legitur,* de groſſo panno, & de diverſis coloribus; & onerabat gentes ſuas (*id eſt miniſtros ſuos*) quòd bene diviſerent dictos pannos inter pauperes in locis, à quibus beneficia recipiebat. *De locis, in quibus iſta fieri viderat laudatus Wilhelmus, præmiſerat ibidem:* Antequam eſſet epiſcopus, dabat prædictas veſtes in parochiis de Hampton, Suterfeld; & poſtquam fuit epiſcopus, apud Boſebury.

pauperibus, & egentibus presbyteris,

114 *Simili liberalitate ſuccurrebat etiam presbyteris, quibus non ſatis proſpectum erat, ut pro ſuo ſtatu veſtes ſibi compararent. Audiamus rurſum*

AUCTORE C. S.

rurſum Hugonem le Barber, veterem ejus domeſticum, qui à commiſſariis Apoſtolicis interrogatus, ſi dabat presbyteris ſervientibus in beneficiis ſuis dictas robas, vel aliis, dixit, quòd interdum illis & interdum aliis; quòd idem teſtis de mandato dicti domini Thomæ portavit unum mantellum de blueto, foderatum de minutis variis, cuidam vicario, qui non erat in eccleſiis vel ſervitiis dicti domini Thomæ; de ejus autem nomine dixit ſe non recordari, quia jam erant quadraginta ſex anni elapſi, quòd prædicta fuerant. *Ut verò lector voces barbaras intelligat*, Bluetum *eſt color cæruleus, Gallis* bleu, *Anglis* blue *dictus.* Foderatum *ab Italico* foderare *inſuere, ut ſuprà dixi; ac denique* minuti varii, *Gallicè* menu-vair, *vellus eſt è pretioſis pelliculis candidis cæruleiſque confectum. Itaque* mantellum de blueto *&c eſt palliolum è panno cæruleo, fortè violaceo, cui intrinſecus inſutum erat ejuſmodi vellus, ad calorem pariter & ſplendorem conciliandum.*

aliique, ut eum ad frugem redacat, elargitur.

B

115 *Proſequitur ibidem laudatus Hugo ſubjungens alterum ejus generis donum, quod* S. Thomas, *dum Pariiſis habitabat, cuidam fecit, non tam ut inopi ſuccurreret, quàm ut eumdem à liberiori vita revocaret ad frugem. Verba accipe.* Dixit etiam, quòd, cùm dictus dominus Thomas erat in ſtudio Pariſienſi, & ipſe teſtis cum eo (jam ſunt quinquaginta anni elapſi) dedit Willelmo Plantefolie, facienti colliridas & ſequenti tabernas & ludenti ad taxillos, mantellum ſupertunicale & capucium, foderata de minutis variis, & etiam tunicam de bono blueto de Ipre; quo quidem Willelmus promiſit ſibi * & juravit, quòd per annum abſtineret à ludo taxillorum & ab ingreſſu tabernarum. *Vocabula barbara expone ex prædictis; dum autem dicitur* bluetum de Ipre, *puto, indicari pannum cæruleum, contextum tinctumque Ipris, civitate Belgii noſtri Auſtriaci in comitatu Flandriæ, in qua pannorum fabrica olim celebris fuit.*

* *i. e.* illi

Eximiam curam gerit de infirmis:

C

116 *Ad miſericordiam pariter ſpectat cura de infirmis, pro quibus quàm ſollicitus fuerit, ex gemino teſtimonio licebit colligere. Primum, quod Wilhelmi Cantilupi eſt, ſic habet:* Multùm compatiebatur infirmis de familia & de parochiis ſuis; & de cibariis delicatis, quæ præparabantur pro ipſo, mittebat eiſdem, & præcipiebat ſuis, quòd haberent bonam curam de dictis infirmis. Et prædicta dixit, ſe vidiſſe pluries, antè etiam quàm dictus dominus Thomas eſſet epiſcopus; & ipſe idem viſitabat infirmos prædictos. Interrogatus, ſi ſciret ſpecificare aliquem caſum de viſitatione dictorum infirmorum, reſpondit, quòd generaliter dictus dominus Thomas faciebat prædicta, & quòd viſitaverat ipſum teſtem infirmum. *Alterum teſtimonium eſt Hugonis le Barber, qui* dixit etiam, quòd multùm compatiebatur infirmis; & quando aliquis de familia ſua (*hoc eſt, ex domeſticis ſuis*) infirmabatur, ipſe viſitabat eum perſonaliter frequenter, & faciebat haberi magnam curam de eo; & quantumcúmque (*lege* qualiſcumque) eſſet infirmi ſtatus, faciebat medicinalia præparari eidem. Et hoc dixit accidiſſe in perſonam ipſius teſtis, qui fuit per annum & quatuor menſes apud Hampton & Kemeſeye & Aſton infirmus. De nominibus aliorum dixit, ſe non recordari, quia non ponebat hoc corde ſuo, cùm paſſim omnes de familia ſua infirmos viſitaret. *Adi etiam Commentarium hunc ſuprà num.* 58, *ubi reliqua Hugonis verba, quæ huc pertinent, jam recenſui.*

D

agit adverſus Judæos Chriſtianis noxios.

117 *Joannes Butè, in proceſſu teſtis quinquageſimus nonus, inter illius miſericordiæ opera etiam retulit ejuſdem geſta adversùs Judæos, qui adulterando monetam regiam uſuraſque extorquendo multos Chriſtianos redegerant ad egeſtatem. Obtinuit igitur à rege Angliæ, Henrico III, aut ejus filio Eduardo licentiam, ut illis Chriſtus prædicaretur, & obſtinati in ſuperſtitione ſua è regno pellerentur. Neque vinci ſe paſſus eſt nummorum copiâ, quâ pro more ſuo tentabant illi impunitatem iniquitatis ſuæ ab illo emere. Factum ita narrat proceſſus:* Dominus Thomas videns, quòd Judæi multa mala perpetrabant in regno Angliæ, procuravit cum rege, quòd prædicaret eis, & quòd illi, qui nollent converti, exirent regnum Angliæ. Falſaverant enim monetam regiam, & multi fuerant in regno Angliæ exhæreditati per eos propter extorſionem uſurarum. Et ipſo teſte præſente, occurrerunt dicto domino Thomæ quingenti ex Judæis, rogantes & pecuniam offerentes, ut deſiſteret à perſecutione eorum. Et ipſe reſpondit, quòd non faceret, niſi converterentur; quia erant inimici Dei & rebelles fidei. *Sic ibi; quem tamen finem iſta pia molimina habuerint, nec hîc nec alibi comperi.*

E

Pauperes præ divitibus audit confitentes.

118 *Porrò tenerum affectum, quo pauperes, quos* Fratrum *nomine, ut dictum eſt, appellare ſolverat, ubique complectebatur, quemque in ſuſtentanda eorumdem egeſtate, in leniendis corporum doloribus, arcendiſque malevolorum injuriis tam benignè ac munificè exhibebat, non minùs paternè in curandis animarum morbis præſtabat. Argumento eſt, quod Nicolaus de Wichio, monachus presbyter cathedralis eccleſiæ Wigornienſis coram crebrò laudatis commiſſariis juratus depoſuit.* Ita, *inquiebat*, benignè & humiliter ſe habebat erga pauperes, ſicut erga divites. Et dixit, ſe vidiſſe, quòd, dum eſſet in eccleſia ſua ſancti Auguſtini de Wichio, diœceſis Wigornienſis, & multi ex parochianis ſuis vellent confiteri eidem, audiebat primò confeſſiones pauperum, quàm divitum. Et cùm quidam nobilis & dives in prædicto loco dixiſſet prædicto domino Thomæ, quòd non decebat eum loqui cum talibus pauperibus; dominus Thomas reſpondit, audiente ipſo teſte, quòd ita bene erat redditurus rationem Deo de animabus pauperum, ſicut divitum. Interrogatus (*teſtis Nicolaus*) de tempore, quo fuerunt prædicta verba dicta per dictum dominum Thomam, reſpondit, quòd per octo annos, antequam eſſet epiſcopus, & ſunt modò quadraginta anni vel circà, ... & quòd ille, qui confitebatur dicto domino Thomæ, erat contractus, nec poterat ſine duobus baculis ire.

F

A

§ VII. Sancti curæ & virtutes episcopales: justa severitas in delinquentes pervicaces: observantia sacrorum canonum: jura ecclesiæ Herefordiensis adversus comitem Gloecestriæ vindicata.

Factus episcopus gregem suum diligenter curat,

QUas hactenus memoravi S. Thomæ *nostri virtutes, ad varios vitæ illius status pertinent; nunc ad eas progredior, quæ magis propriæ episcoporum sunt. Richardus in Compendio num.* 21 *ferè tantùm generaliter declaravit, ipsum omnes sancti episcopi partes diligenter expleviſſe; ac deinde pluribus exposuit, quæ idem ille pro juribus ecclesiæ suæ defendendis restituendisque fortiter æquè ac feliciter gessit. Quapropter pauca quædam ab aliis testibus paulò explicatiùs tradita præmittam, priusquam ad contentiosa illa veniamus. Robertus de Gloucestria, juratus testis* interrogatus, qualiter in episcopatu rexerit seipsum & ecclesiam atque plebem sibi commissam, respondit, quòd valdè bene.... Et dixit, quòd viderat ipsum bene regentem seipsum in exercitatione virtutum, domum & familiam suam, & quòd bene defenderat jura ecclesiæ suæ; visitabat diœcesim, & visitando celebrabat cum maximis fletibus, & prædicabat ferventer & devotè, & audiebat confessiones, & alia episcopali officio incumbentia debitè peragebat.

diœcesim visitat, concionatur, confessiones audit, Sacramentum confirmationis

120 *Pari modo ad eamdem quæstionem respondit Wilhelmus Cantilupus, & responsi sui rationem reddidit,* se vidisse, quòd ipse audiebat & dicebat Matutinum & Missam & alias Horas cum nota (*id est*, cum cantu) & frequenter ipse celebrabat, & multùm plorabat in Missa, & prolixas Missas dicebat, & multoties prædicabat & confessiones audiebat subditorum suorum. Et hoc dixit, se vidisse & audivisse, priusquam dictus dominus Thomas esset episcopus, & pòst, in diversis locis; & specialiter apud Bosebury, ubi est ecclesia pertinens ad mensam episcopi Herefordiensis, & apud Suyterfeld, Doderbult, Hampton & Kemeseye, in quibus locis dictus dominus Thomas erat beneficiatus, priusquam esset episcopus. *Singulare est, quod de ejusdem ad conferendum Sacramentum Confirmationis promptitudine ibidem etiam asseruit, sic inquiens:* Quando equitabat, portabat semper stolam ad collum suum subtus capam vel Rodeundellum suum (*aliàs* Rodundellus & Rotundellus *dicitur, estque chlamydis species*) & erat circumcinctus dictâ stolâ ad modum crucis ex parte interiori, & portabat dictam stolam, ut esset paratus ad chrismandum pueros occurrentes eidem, quorum confirmatio petebatur.

B

C

parvulis confert, delinquentes, etiam nobiles, corripit, castigatque;

121 *Præmiserat quoque ista:* Quando equitabat per diœcesim suam, & veniebat aliquis pauper homo vel aliqua paupercula mulier cum aliquo parvulo, quem petebat confirmari, descendebat de equo, & confirmabat dictum parvulum, & valdè curialiter & humiliter loquebatur eisdem. *Ex paucis hisce cuique facile erit conjectare, quanta cum sollicitudine pastorali gregem sibi commissum curaverit. Non minùs explebat alteram sui muneris partem, quæ in correptione delinquentium & castigatione pervicacium consistit.* Corrigebat (*inquit Robertus de Glouceſtria*) & arguebat subditos suos, tam majores, quàm mediocres, quàm minores. Et requisitus (*Robertus*) ut specificaret casus, si quos sciebat, narravit, eum excommunicâsse propter vitium incontinentiæ & aliqua alia, illata sibi & suis; dum visitaret diœcesim suam, dominum Reginaldum, filium Petri, militem & baronem diœcesis Herefordiensis; & tamdiu eum tenuit excommunicatum, quò usque debitam correctionem subiit, ad præcepta ipsius domini Thomæ redeundo. *Adi etiam Compendium Vitæ num.* 25.

AUCTORE C. S.

mœchum excommunicat, pervicacemque curat carceri includi.

122 *Justam severitatem illius expertus quoque est quidam alter laïcus Herefordiensis, qui cùm pellicem substituisset uxori suæ, monentique sancto Episcopo minimè obtemperaret, ab eodem anathematis vinculo constrictus, ac deinde, cùm vel sic in sua pervicacia perstaret, eodem curante, in regium carcerem conjectus fuit. Testem habemus Richardum de Kymberlè, de quo in processu legitur:* Dixit, quòd, cùm quidam burgensis de civitate Herefordiensi, de cujus nomine dixit se non recordari, uxore propria relicta, adhæreret cuidam alteri mulieri; & admonitus ac correptus, à dicto domino Thoma excommunicatus fuisset, & per quadraginta dies excommunicationem sustinuisset animo indurato, prædictus dominus Thomas, elapsis quadraginta diebus, fecit per curiam regiam capi & incarcerari eumdem. Et prædicta dixit se audivisse prædictus testis à ministris dicti domini Thomæ.

E

Potentem baronem propter veras delictam

123 *Sub eodem sancto Præsule baro Rogerius de Clifford facinus, quod in Petrum de Aquablanca, secundum ipsiusmet* Thomæ *in Herefordiensi sede decessorem, commiserat, multisque annis tulerat impune, coactus tandem fuit publicâ pœnitentiâ eluere. Factum affirmavit Joannes de Leoministre, in processu testis quinquagesimus quartus, cujus hac de re testimonium totidem verbis transcribo.* Narravit, quòd, cùm nobilis & potens vir, dominus Rogerius de Clifford, baro convicinus diœcesis Herefordiensis, cepisset causâ quæstûs & extorsionis tempore generalis guerræ *, quæ erat in Anglia, dominum Petrum de Aquablanca, quondam episcopum Herefordiensem; & idem baro ex causa reconciliationis venisset ad dictum dominum Thomam, non potuit obtinere cum dicto domino Thoma, licèt offerret centum libras sterlingarum, quin ageret publicam pœnitentiam in conspectu totius populi in ecclesia Herefordiensi. Et ivit in tunica sine capucio, nudis pedibus, cum processione per totam ecclesiam Herefordiensem & per claustrum ecclesiæ; & dictus dominus Thomas sequebatur eum cum virga in manu, quò usque fuit ad majus altare, fugando eumdem. Et hoc dixit se prædictus testis vidisse semel, & interfuisse prædictis: de dictis autem centum libris dixit se audivisse per relatum communem.

* *i. e.* belli

F

ad publicam pœnitentiam adigit,

124 *Petri captivitatem Nicolaus Trivettus in Chronico ad annum Christi* 1263, *id est, annis circitèr duodecim ante* S. Thomæ *episcopatum memorat, ejusdemque causam ac modum exponit his verbis:* Edwardus filius regis Angliæ (*Henrici III*) cùm exercitum copiosum contra principem Walliæ collegisset, & ille ad nemorosa & palustria fugiens, copiam pugnæ non faceret, à patre in Angliam revocatur. Symon Leicestriæ

AUCTORE C. S.

striæ comes, capitaneus baronum contra regem insurgentium factus, prædari cœperat bona regi adhærentium, & præcipuè eorum, qui reginæ attinentes per eam introducti fuerant in Angliam, quos Alienigenas appellabant. Quidam etiam de parte baronum Herefordenſem epiſcopum Petrum, natione Burgundum, in eccleſia ſua cathedrali captum duxerunt ad caſtrum de Herdefleya, theſaurum ejus pariter dividentes. *Ceterùm Franciſcus Godwinus in Commentario de Præſulibus Angliæ eumdem epiſcopum vernaculè cognominavit* de Egueblank, *mortuumque ait anno* 1268, *ſuccedente eidem Joanne Breton, proximo* S. Thomæ *deceſſore.*

aliaque juſtæ ſeveritatis exempla ſtatuit,

125 *Alterum ejuſdem baronis contra immunitatem eccleſiaſticam delictum pœnamque Robertus de Glouceſtria commemoravit, de juſtitia Sancti teſtari juſſus. Nam in confirmationem dictorum ſuorum* adjecit (*uti in proceſſu legitur*) quòd, cùm dominus Rogerius de Clifford, miles & baro diœceſis Herefordienſis, propter detentionem cujuſdam clerici in caſtro de Erdefleye dicti baronis incarcerati, fuiſſet excommunicatus ab ipſo teſte, tunc officiali dicti domini Thomæ exiſtente, & clerico relaxato, petiiſſet abſolvi à dicto domino Thoma, quamquam eſſet magnus & potens, noluit eum abſolvere; ſed remiſit eum abſolvendum ad officialem prædictum: *nempe ut baro ille magis ſe humiliaret, ab eoque veniam peteret, in quem forſitan ob latam excommunicationis ſententiam impotentiùs fuerat animatus. De eodem argumento correptionis juſtæque ſeveritatis ſancti Præſulis meminit Joannes Butè, qui cùm ejuſdem juſtitiam vindicativam coram commiſſariis aſſereret*, reddidit cauſam, quia, *ut inquit*, viderat multos publicè pœnitentes coram dicto domino Thoma in camiſia, quibus propter favorem vel preces noluerat remittere, ne læderetur juſtitia, pœnitentiam ſuprà dictam. *Alia ejuſmodi exempla producemus inferiùs, ubi agendum eſt de invicta Sancti in eccleſiæ ſuæ juribus adverſus quoſlibet vindicandis fortitudine animi.*

B

monachumque ſe objectis purgare renuentem è diœceſi ſua pellit.

C

126 *Hactenus de perſonis laïcis à ſancto Præſule caſtigatis; unum de monach. exemplum protulit Richardus de Kymberlè, teſtis duodecimus, quod in proceſſu ſic memoratur:* Item dixit, quòd, cùm prædictus dominus Thomas viſitaret prioratum monachorum nigrorum apud Leominiſtre, invenit Fratrem Guillelmum de Wynton, monachum dicti loci, graviter eſſe diffamatum de inhoneſta converſatione cum quadam moniali de Lingebrok; & cùm nollet ſe purgare cum dicto domino Thoma, fecit eum amoveri à dicto loco, in quo erat ſubdecanus, & ipſum transferri apud Radingiam diœceſis Sarisburienſis. *De Leominiſtrenſi prioratu pluribus agunt Rogerius Dodſworth & Guilielmus Dugdale tom.* 1 *Monaſtici Anglicani pag.* 420 *& ſequenti, ubi dicitur fuiſſe cella cœnobii Readingenſis Ordinis S. Benedicti, in agro Herefordienſi ſita. Hoc titulo* S. Thomas *jus eam viſitandi, quod monachi deceſſoribus ejus negaverant, velut ſibi debitum multo cum labore tandem obtinuerat, uti in Compendio num.* 24 *narratur; eaque de cauſa hìc plura non addens, tantummodo obſervo, monachum illum, ſive jure ſive injuriâ accuſatum, ſeque apud ſanctum Epiſcopum purgare renuentem, ab eodem è diœceſi ſua ad Readingenſe monaſterium, cui Leominiſtrenſis prioratus ſuberat, amandatum fuiſſe, ut abbati ſuo ſuæ converſationis rationes redderet.*

Clericos plura beneficia contra ſacros canones

127 *Irrepſerat etiam in Herefordienſem, uti & in alias Angliæ diœceſes abuſus ille, ex quo contra ſacrorum canonum decreta clerici ſine Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione plura eccleſiaſtica beneficia obtinebant. Ut hunc tolleret, monuit illos, ut vel altera dimitterent, vel diſpenſationem à ſummo Pontifice obtentam exhiberent, aut certè peterent; recuſantes verò ipſe ſua uſus poteſtate mulctavit. Teſtem habemus ſæpe nominatum doctorem Decretorum & cancellarium Herefordienſem, magiſtrum Robertum de Glouceſtria, cujus aſſerta de more ſubjungo.* Item dixit, occurrere memoriæ, exemplificando de correctione prædicta, quòd, cùm ſupradictus Herveus (*videlicet Herveus de Borhuam, decanus eccleſiæ Londinenſis & præcentor Herefordienſis, qui ad epiſcopatum aſpiraverat, quando* S. Thomas *electus fuit*) abſque diſpenſatione teneret præcentoriam eccleſiæ Herefordienſis, quæ reputabatur ibidem dignitas, cum decanatu eccleſiæ Londinenſis, dictus dominus Thomas zelò juſtitiæ privavit eum præcentoriâ prædictâ.

ſine diſpenſatione poſſidentes, eorumdem parte privat,

E

128 Item ſpecificavit, quòd, cùm magiſter Richardus de Graveſende, archidiaconus Northuamptonenſis in eccleſia Lincolnienſi, obtineret abſque diſpenſatione parochialem eccleſiam de Ros diœceſis Herefordienſis, dictus dominus Thomas privavit eum eâdem eccleſiâ. Item ſpecificavit, quòd, cùm magiſter Jacobus de Vitri, archidiaconus quondam Salopshire * in eccleſia Herefordienſi, obtineret unà cum dicto archidiaconatu medietatem eccleſiæ de Ledebury, quæ eccleſia conſuevit inter duos canonicos dividi, & dictus magiſter Jacobus abſentâſſet ſe à diœceſi Herefordienſi, & requiſitus & monitus reſidere nollet, nec diſpenſationem ſuper reſidentia & ſuper pluralitate curatorum beneficiorum, quæ obtinebat cum dicto archidiaconatu, exhibere, privavit eum dicto archidiaconatu & portione, quam obtinebat in eccleſia de Ledebury ſupradicta.

* *i. e.* Salopiæ

abhorret vel ab umbra ſimoniæ.

F

129 *Dubitari quoque nequit, quin ſanctus Præſul, quem ante aditum epiſcopatum maximè ſollicitum fuiſſe, § 4 vidimus, ut in eccleſiis, quas ex diſpenſatione Apoſtolica multas obtinebat, idoneos miniſtros collocaret, dubitari, inquam, nequit, quin deinde factus epiſcopus non minori cura ampliſſimæ ſuæ diœceſi Herefordienſi de iiſdem proſpexerit, & in beneficiis eccleſiaſticis conferendis cautè integréque proceſſerit. Sanè quàm alienus fuerit à ſimonia & reſpectu perſonarum, diſcimus ex ejuſdem Roberti teſtimonio, ex quo abundè liquet, illum vel à ſola umbra ſimoniæ abhorruiſſe. Teſtimonium illius tale eſt.* Narravit item (*Robertus de Glouceſtria*) quòd, cùm ſemel dictus dominus Thomas negâſſet ad ſupplicem inſtantiam domini Rogerii de Mortuomari, magni baronis ſuæ diœceſis, cuidam clerico de quodam ſatis modico beneficio eccleſiaſtico providere; & ipſe teſtis & alii ejuſdem domini Thomæ ſocii dicerent prædicto domino Thomæ, quòd decuiſſet eum prædicto baroni complacuiſſe de beneficio ſupradicto; reſpondit, ſe negâſſe, quia pro precibus, quas porrigebat dictus baro, putabat eum munera recepiſſe.

Læſa eccleſiæ ſuæ jura poſt maturum examen

130 *Alterum in diœceſi ſua malum ſanctus Antiſtes deprehendit, tollereque aggreſſus ſtrenuè eſt; nimirum poſſeſſiones juraque eccleſiæ ſuæ à potentioribus vi & auctoritate iniquè occupata: utut enim pacis erat amans, procul tamen aberat, ut importuno pacis deſiderio, ſeu veriùs ſocordiâ*

A *cordiâ ignaviâque episcopatus sui jura minui pateretur, aut antè læsa non curaret restitui. Imò verò quotiescumque æquitas sic exigebat, nec aliter poterat obtineri, nulla habita ratione de partis adversæ potentia ac ferocitate, intentabat lites, nullisque laboribus, nullis sumptibus parcebat, donec causam evicisset. Verumtamen ne quis suspicetur, eum in ejusmodi litibus sequendis æquo leviùs processisse, juverit aliquot testium dicta hac super re præmisisse. Frater Nicolaus de Wichio, testis sexagesimus secundus*, requisitus, si idem dominus Thomas fuerat naturaliter discretus & prudens, respondit, quòd fuerat prudens in his, quæ pertinebant ad mundum, & prudentior in his, quæ pertinebant ad Deum. Et reddidit causam dicti sui; quia habebat secum bonos & prudentes consiliarios, cum quorum consilio agebat illa, quæ pertinebant ad mundum, & ipse vacabat in his, quæ pertinent ad Deum; & onerabat dictos consiliarios & conscientias eorumdem, quando à vero & recto deviarent.

adversus quoscumque vindicat.

131 *Clariùs loquitur Wilhelmus Cantilupus, quo teste, ille*, priusquam inciperet aliquam litem, habebat consilium, an haberet jus, priusquam moveret litem; *additque idem Wilhelmus,* B hoc... se vidisse Londini, quando movit litem contra comitem Glouceſtriæ. *Prudentiam ejus in rebus agendis similiter laudavit Robertus de Glouceſtria*; quòd consilio maturo & deliberato & communicato sibi assistentibus agebat negotia; & quòd non erat fantasticus nec capitosus; quòd ratione dictæ discretionis & prudentiæ fuerat assumptus ad consilium domini Henrici regis Angliæ, & fuit ejus cancellarius, & postmodùm fuit consiliarius domini Edwardi regis, filii dicti domini Henrici regis. *Mitto plura, quia ex suprà allegatis erat* S. Thomas *eminentioris in utroque jure scientiæ, probatiorisque prudentiæ, justitiæ ac sanctitatis vir, quàm ut in illum suspicia cadere possit, quòd litigiosa negotia præter æquum ac decorum leviter aggrederetur.*

Venationem ecclesiæ Herefordiensis à patre iniquè usurpatam

132 *In Compendii edendi num.* 16 *& duobus sequentibus primo loco exponitur lis, quam ille Gualberto, aliàs Gilberto de Clare, Gloceſtriæ comiti, movit, & evicit, quamque hîc explanari oportet, quia de eadem plura exponenda sunt, quàm pro more nostra capiant annotata ad Vitas. An hæc prima fuerit omnium, quas in episcopatu susceperit, equidem nequeo affirmare; sed ejusdem initium certè ad priores illius sedis annos referendum videtur, finisque circa annum* 1280; *cùm testis mox producendus illam* quatuor vel quinque annis *cucurrisse dicat, & ab ejusdem (quantùm mihi quidem apparet) fine usque ad annum* 1307, *quo testabatur, numeret annos* viginti octo. *Causa litigandi hæc fuit. Erat in comitatu Herefordiensi versus colles seu montes Malvernicos, qui ejusdem comitatus plagam Orientalem à Wigornienſi ibi separant, oppidum* Lydbury *vel* Ledbury, *ad ecclesiam Herefordiensem pertinens, simul cum jure in proximo nemore Malvernico venandi. Huic possessioni ecclesiasticæ adjacebant prædia Gilberti Clare Gloceſtriæ* C *comitis, cujus pater jam inde à temporibus duorum triumve* S. Thomæ *decessorum vi & auctoritate sua jus illud sibi iniquè vindicaverat, episcopis ob viri potentiam non ausis illum jure aggredi. Insistebat Gilbertus patris sui vestigiis, & si quos ibi deprehenderet episcopi Herefordiensis venatores, abducebat captivos, & quod volebat, pretium pro eorumdem libertate exigebat.*

133 *Et verò erat Gilbertus ille Gloceſtriæ comes vir summæ potentiæ pariſque audaciæ, atque ipsis quoque Angliæ regibus Henrico III, ejusque filio Eduardo, quos aliquandò captivos habuit, magnoperè metuendus, adeò ut laudatus Eduardus rex filiam suam Joannam ipsi postea dederit in uxorem, ut hoc affinitatis vinculo eumdem sibi arctiùs devinciret. Cùm tanto igitur talique viro sanctus Præsul de illata ecclesiæ suæ injuria expostulavit, & satisfacere renuentem in jus ad tribunal regium vocavit. Et comes quidem illum tum minis tum oblatâ ingenti pecuniæ summâ à cœptis revocare conatus est, sed frustra. De intentatis ab eo minis disertè meminit Robertus de Glouceſtria; idque minimè mirandum in viro, qui, eodem Roberto teste, erat* potentior regni Angliæ post regem, & homo crudelis & austerus. *De oblata per eumdem pecunia in testimonio Joannis Butè legitur:* Dictus comes obtulerat magnam pecuniam dicto domino Thomæ, ut desisteret à prædicta lite; & dictus dominus Thomas respondit, quòd pro nullo auro dimitteret prosequi jura ecclesiæ suæ. AUCTORE C. S. *injustè detinebat comes Gloceſtriæ, vir potens ac ferox;*

hunc Sanctus nihil verius in jus vocavit, E

134 *Audiamus modò Raderum vel Rudolphum de Henguam, qui inter testes primo loco ponitur, dicturque fuisse* regis Angliæ in suo banco justiciarius, in Londinensi & Herefordiensi ecclesiis canonicus, jurisperitus famosus, annorum septuaginta vel circitèr, *quique ab Eduardo rege ipsemet deputatus fuit, ut hanc litem decideret. Itaque is* dixit etiam, quòd dominus Gilbertus de Clare, comes Glouceſtriæ, quondam usurpabat jura ecclesiæ Herefordiensis in nemoribus ecclesiæ apud Maliverniam circa venationes & alia; & prædecessores dicti domini Thomæ quasi nihil fecerant super prosecutione jurium suorum contra dictum comitem. Prædictus autem dominus Thomas, cùm esset assumptus in episcopum Herefordiensem, videns, in hoc jura, sibi & ecclesiæ Herefordiensi competentia deperire, habuit propter hoc magnam contentionem & litem cum dicto domino Glouceſtrensi, qui erat tunc major comes & potentior & ditior Angliæ. Et dictus testis fuit à prædicto domino rege deputatus justiciarius, & diffinitor dictæ causæ & contentionis.

& non obstante ejusdem potentia, litem evicit. F

135 Et finaliter, justitia exigente, cùm litigâssent quatuor vel quinque annis, dictus dominus Thomas propter ejus virilem & audacem prosecutionem, & quòd non formidabat dictum comitem, habuit pro se sententiam & judicium, per ipsum testem datum; & recuperavit jura ecclesiæ suæ. Et dixit interrogatus (*testis Robertus*) viginti octo annos jam esse elapsos, quòd intervenerunt prædicta. Adjecit insuper, quòd non credebat, in regno Angliæ fuisse tunc aliquem archiepiscopum vel episcopum, comitem vel baronem, licèt essent multi potentiores dicto domino Thoma, qui fuisset tunc ausus aggredi prædictam litem, & sic eam prosequi contra comitem supradictum, quem comitem dictus dominus rex etiam verebatur & dubitabat (*sive* formidabat;) quia, quicquid dictus comes assumebat contra dictum regem vel alios, obtinebat; & vicerat & ceperat dictum regem (*Eduardum I*) & ejus patrem (*Henricum III*) in bello Lewensi (*à rebellibus baronibus gesto.*) Et postmodùm convertit se ad dictum regem, & in alio prælio facto apud Eveshuam vicit dominum Symonem de Monteforti (*Liceſtriæ comitem, & rebellium baronum tunc ducem*) & complices suos & eos tradidit morti; & liberavit dictum regem, qui nunc est

AUCTORE C. S.

eſt (*Eduardum*) & ejus patrem à carceribus prædictorum : unde dictus dominus rex dedit filiam ſuam prædicto comiti in uxorem, & dixit publicè, quòd eam ſibi dabat, ut haberet pacem in regno ſuo.

Ejuſdem facti narratio ex altera teſte oculato,

136 *De inteſtino illo Anglorum bello, quod ad propoſitum noſtrum non attinet, conſuli poſſunt Rerum Anglicarum ſcriptores; mihi hîc annotâſſe ſatis erit, memoratam Henrici III regis liberorumque captivitatem & liberationem contigiſſe ante epiſcopatum* S. Thomæ; *unde colligere licet, quàm formidabilem adverſarium ille aggreſſus ſit, ſuâque conſtantiâ ac fortitudine animi in regio tribunali ſuperaverit. Eadem alii quoque in proceſſu aſſeruerunt, quorum teſtimoniis, ne lectori tædio ſim, ſuperſedeo, præter aliqua adjuncta, quæ ab aliis præterita Hugo le Barber teſtata reliquit. In primis de injuriis à comite illatis hæc ait :* Violenter & manu armata capiebat & capi faciebat gentes dicti domini Thomæ, in dictis nemoribus venantes, & eas redimere ad voluntatem ſuam. Et idem fecerat pater dicti comitis temporibus trium prædeceſſorum domini Thomæ prædicti, ſicut communiter referebatur &
B reputabatur, & adhuc reputatur notorium in partibus illis.... Nam dicti comites erant ita alti & potentes, quòd alii de regno Angliæ non audebant reſiſtere eis.

qui aliquot adjuncta,

137 Dixit autem idem teſtis, ſe fuiſſe præſentem in caſtro dicti epiſcopi Ledebury, conjuncto dicto nemori, quadam vice, in qua dictus comes Gilbertus cum gentibus ſuis armatis venit ad dictum nemus, & dictus dominus comes dixit eidem domino Thomæ multa verba imperioſa & ſuperba, & minatus fuit ei, & vocavit eum CLERGIASTER (*quaſi diceret* contemptibilis clerice) & dixit, quòd ipſe caſtigaret eum, ſicut caſtigaverat alios clergiaſtros, quia nullus clergiaſter auferret ſibi illud, quod ipſe & ejus prædeceſſores tenuerant & poſſederant per longa tempora pacificè & quietè. Et prædictus dominus Thomas reſpondit prædicto comiti, quòd propter ejus minas non omitteret proſequi jura ſuæ eccleſiæ Herefordienſis. Et juſticiarii regis erant ibi tunc præſentes, & coram eis fiebant minæ prædictæ. Cùm autem comes tunc feciſſet præſentari quaſdam litteras
C regias (*fortè confictas*) dictis juſticiariis regis, qui convocaverant corám ſe multitudinem gentium illius provinciæ ad ſciendum, quis erat potior jure quoad dicta contentioſa, & ut ſecundum recordum (*id eſt, ſententiam & probationem*) in teſtimonium vocatorum deciderent dictam litem & contentionem; in quibus quidem litteris regis mandabatur dictis juſticiariis, quòd ſuperſederent & differrent terminare prædicta.

in priori relatione omiſſa,

138 Hoc audito, idem dominus Thomas rediens ad quemdam locum ſatis propinquum in dicto nemore, in quo erat clerus ſuus, induit ſe pontificalibus, aſſumens mitram & croſſam (*ſive pedum paſtorale*) & alia apparamenta epiſcopalia, & fecit etiam parari & indui capis & veſtimentis ſacerdotalibus & clericalibus clerum ſuum; & præcedens dictum clerum ſuum cum candelis accenſis in manibus venit ad locum, in quo ſedebant dicti juſticiarii & comes cum gentibus ſuis; & ibidem candelis extinctis, cum dicto clero, habente ſimiliter candelas accenſas in manibus, & poſtmodùm eas extinguente, excommunicavit & anathematizavit publicè & ſolemniter omnes & ſingulos, qui prædicta die impedirent & turbarent in dictis nemoribus jus D
ſuum & dictæ eccleſiæ Herefordienſis: & dicta ſententia fuit generalis, & non fuit in ea nominatus dictus comes, nec aliquis alius ſpecialiter.... Latâ autem dictâ ſententiâ, prædictus comes ſtatim aſcendit palefredum (*equum*) ſuum, & receſſit immediatè cum gentibus ſuis. Et gentes patriæ, quæ convenerant pro dicto judicio faciendo, reddiderunt ibidem ſecundùm morem patriæ teſtimonium ſuum & recordum pro jure eccleſiæ Herefordenſis; & juſticiarii regis prædictum teſtimonium & recordum ſecuti, tulerunt in dicto loco, priuſquam inde recederent, & reddiderunt judicium pro dicto domino Thoma & eccleſia Herefordenſi.

præterea memoravit.

139 Et tunc dictus dominus Thomas, qui fecerat multos venatores & canes venaticos congregari, illa die ac tribus ſequentibus fecit palàm & publicè venari in nemore ſupradicto. Et licèt dictus dominus comes fuiſſet comminatus in prædicto ſuo receſſu, quòd, quicumque veniret ad venandum in dicto nemore, inveniret obſtaculum & encountre (*hoc eſt, vim ſibi oppoſitam; nam Anglis* encounter *Latinè eſt* certamen, conflictus *&c*) & gentes armatas ſecum E
haberet, nullum tamen tunc, nec etiam poſtmodùm oppoſuit impedimentum in prædictis dicto domino Thomæ vel ſucceſſoribus ejuſdem (*lege* ſucceſſori, *quia proximus Sancti ſucceſſor Richardus Swinfeld etiam vivebat, quando iſta Hugo teſtatus eſt.*) Et dixit, quòd iſta fuerunt publicè & notoriè facta, & ſunt publica & notoria in partibus illis, ... & quòd in prædicta die dictus dominus Thomas habuit ſecum multos barones & nobiles de parentela ſua; & nominavit dominos Galfridum de Lucy, Joannem Tregoz, Nicolaum de Zegraue, Fulconem de Lucy & alios. *Huc uſque Hugo le Barber; pauca, quæ poſt deciſam litem præterea contigerunt, leguntur in Compendio num.* 17 *&* 18, *ubi illa ex aliis teſtibus confirmabo. Pro cognomento* de Lucy *fortè legendum eſt* de Lacy, *cujus nominis familiam, uti etiam* Tregoz *&* Segrave *inter illuſtriores Angliæ numerat Camdenus.*

§ VIII. Aliæ ejuſdem lites geſtaque pro poſſeſſionibus & juribus eccleſiæ Herefordienſis : initia diſſenſionis cum Joanne Peckhamo archiepiſcopo Cantuarienſi : receſſus in Normanniam. F

Alteram eccleſiæ ſuæ litem evincit adverſus baronem Corbet,

IN ſæpe dicto Compendio ſequitur *brevis narratio de altera lite, quam Sanctus pro eccleſia ſua obtinuit adverſus baronem Petrum Corbet, qui* magna paſcua, *ut ibidem ait Richardus*, quinque vel ſeptem milliarium in loco vocato Longa Memida *uſurpaverat tempore deceſſorum illius antiſtitum Herefordienſium. De eadem lite meminerunt & alii teſtes, è quibus Robertus de Glouceſtria dixit :* Cùm dominus Petrus Corbet miles & baro, & ejus pater, ſcilicet dominus Thomas Corbet, occupâſſent temporibus prædeceſſorum dicti domini Thomæ circa quadringentas açras terræ prope foreſtam

(*id*

A (*id eſt*, *nemus*) dicti domini Petri & caſtrum dicti domini epiſcopi de Ledebury... & prædeceſſores dicti domini Thomæ non potuiſſent recuperare jura ſua contra eum propter potentiam ſuam, dictus dominus Thomas, mota lite, obtinuit contra eum; & in iis, dixit, ſe prædictus teſtis interfuiſſe. Acra *apud Spelmannum in Gloſſario dicitur derivata à voce Saxonica, eſſeque Anglis* menſurata terræ portio, olim incerta, ſed nunc ſtatuto anni xxxi Edoardi I (*id eſt, diu poſt* S. Thomæ *obitum, ſed ante inchoatum proceſſum canonizationis ejuſdem*) bis octogies perticam continens. *De oppido vel caſtro* Ledebury *vide dicta ſuperiùs.*

141 *Eamdem controverſiam Hugo le Barber ſic expoſuit:* Dominus Petrus Corbet baro, dominus quondam terræ de Caus, uſurpaverat jura eccleſiæ Herefordenſis, in quibuſdam terris & paſcuis pertinentia caſtri * dicti epiſcopi & cujuſdam villæ, vocatæ Ledebury; & quando dictus baro vel ejus gentes inveniebant animalia dicti Epiſcopi vel ſubditorum ſuorum * in dictis terris & paſcuis, capiebant ea & ſibi retinebant, niſi pro redemptione cujuſlibet animalis decem formæ ſterlingorum (*argenteæ monetæ genus erant*) ſolverentur eiſdem; & hoc fecerant temporibus duorum prædeceſſorum immediatorum ipſius domini Thomæ & ſuo. Contra quem baronem poſt multos tractatus concordiæ, cùm convenire non poſſent, movit dominus Thomas litem in curia regia, & judicialiter obtinuit contra eum. *Eadem lite pendente, ac veriſimiliter in favorem Sancti jam tum vergente, contigit, quod ex Joannis Butè teſtimonio ſuprà retuli, prædictum ſcilicet baronem indignabundum hæc ei verba ingeſſiſſe:* Aut tu es plenus diabolo, aut tu es nimis ſecretarius cum Deo; *illumque nihil his commotum modeſtè repoſuiſſe*, quòd non utebatur ulla arte diaboli, ſed quòd in ſpe divini adjutorii proſequebatur jura eccleſiæ ſuæ.

à quo illa magnis damnis affecta fuerat.

* ad caſtrum

* *i.e.* illius

B

142 *Tertium duobus præcedentibus etiam magis formidabilem adverſarium aggreſſus invicti animi Præſul eſt, Lewelinum, aliis Leolinum dictum, ultimum è Britannico genere principem Walliæ, qui tres eccleſiæ Herefordienſis villas prope Montem Gomerii, Walliæ oppidum comitatûſque Montgomerienſis caput, ſitas, jam à temporibus deceſſorum ejuſdem Sancti iniquè occupatas detinebat. In apographo noſtro teſtimonii Joannis de Kemeſeya hæ villæ vocantur* Aſtone, Cheſtrok & Multon, *è quibus in Tabula topographica comitatûs Salopiæ apud Camdenum eo loci inveni* Aſton, *non duas alias, niſi fortè nomen* Multon *deinde mutatum fuerit in* Mathlinton, *haud procul ab Aſton in eodem comitatu ſitum, &* Cheſtrok *pariter tranſierit in* Churchſtroke, *vicum in limite comitatûs Montiſgomerienſis poſitum. Eſt quoque ibidem in Salopia quatuor aut quinque milliaribus Anglicis ab oppido Montis Gomerii oppidulum* Bishops-Caſtle, *quod Camdenus ſic dictum ait*, quia ad epiſcopos Herefordenſes ſpectavit, quorum diœceſis in hac provincia latè patet. *Ad hoc ergò oppidum caſtrumve tres prædictæ villæ in contigua Wallia ſitæ fortaſſe pertinuerunt. Non poterat Sanctus eas ordinariâ juris viâ indicta in regiis tribunalibus lite repetere à principe potenti, cui etiam grave erat principatum ſuum velut feudum regis Angliæ agnoſcere, quique ne id faceret, adverſus Eduardum regem poſtea bellans cæſus eſt. Ad arma ergò eccleſiaſtica* Thomas *ſe convertit, curavitque, ut ille à Cantuarienſi archiepiſcopo excommunicaretur, atque ipſe etiam eodem gladio ſuâque ſolitâ conſtantiâ uſus, tandem evicit.*

Lewelinum Walliæ principem, tres villas eccleſiæ iniquè detinentem,

C

AUCTORE C. S.

143 *Hiſce prænotatis, duorum teſtium aſſerta, nonnihil diſcrepantia in adjunctis, audiamus. Hugonis le Barber, qui rem latiùs, quàm Richardus in Compendio num.* 19, *expoſuit, teſtimonium tale eſt.* Item ſpecificavit, quòd eccleſia Herefordenſis habet tres villas in Wallia, de quarum nominibus, quia nomina Walliæ à nominibus Angliæ ſunt multùm extranea, dixit ſe non recordari; & dictæ tres villæ tantum valent epiſcopo in redditibus, quantum tertia pars epiſcopatûs Herefordenſis, ſicut audiverat dici à Roberto de Wodeford, tunc conſtabulario (*id eſt, præfecto ſeu œconomo*) dicti Epiſcopi in caſtro ſuo vocato Ledebury & in diſtrictu ſuo. Temporibus autem prædeceſſorum dicti domini Thomæ & ſuis Wallenſes (*ſive Walliæ incolæ dicti principis Lewelini ſubditi*) occupaverant, & tenuerunt per violentiam occupatas dictas tres villas, & ſubtrahebant dicto Epiſcopo Herefordenſi jura ſua, & de dictis tribus villis faciebant guerram & damnificabant alias gentes & loca dicti epiſcopi & circumvicinorum.

ejuſdemque ſubditos eidem eccleſiæ infeſtos

E

144 Cùm autem quadam vice circà mille ex dictis Wallenſibus cepiſſent quamdam magnam prædam in terra dicti Epiſcopi in partibus de Ledebury, ipſe teſtis cum aliis gentibus armorum, exiſtentibus in illis partibus pro dicto domino Thoma, & cum circumvicinis, receſſerunt & abſtulerunt & recuperaverunt dictam prædam manu armata. Et cùm hoc notificâſſent dicto domino Thomæ, declinavit cum clero ſuo ad prædicta loca, & in quodam caſtro eccleſiæ Herefordenſis, ab antiquo diruto à prædictis Wallenſibus, propinquo dictis tribus villis, ſolemniter excommunicavit & anathematizavit dictos Wallenſes, multis candelis accenſis in foſſatum dicti caſtri projectis; & exinde receſſit. Cùm autem dicti Wallenſes in multitudine congregati, ad denuo invadendam terram dicti Epiſcopi, facerent inde tranſitum, & invenirent dictas candelas in multitudine projectas in foſſatum, exinde ſtupefacti, territi & turbati retroceſſerunt, licèt eſſent bene duo millia.

publicè excommunicat

F

145 Poſtmodùm infra paucos dies majores dictarum trium villarum ſignificaverunt ipſi teſti & aliis, qui erant pro dicto domino Thoma * de Ledebury, quòd ipſi volebant concordare & pacificare cum eis, dum tum juvarent eos contra alios Wallenſes, qui volebant derobare * dictas tres villas, & dummodò receptarent eos & eorum familias & animalia & res in caſtro prædicto: & ita factum extitit. Et dictus dominus Thomas recuperavit jura ſua & eccleſiæ Herefordenſis prædictæ, & adhibet & tenet epiſcopus dictas tres villas pacificè & quietè. Et prædicta dixit eſſe & fuiſſe publica, notoria & manifeſta in partibus illis. *Nunc etiam accipe relationem Joannis de Kemeſeya, canonici Herefordienſis, quam ex eodem proceſſu tranſcripſi.* Item ſpecificavit de lite, quam habuerat cum Lewellino principe Walliæ pro tribus villis, ſcilicet Aſtone, Cheſtrok & Multon, quas nitebatur auferre eccleſiæ Herefordenſi; & eum fecit excommunicari per Fratrem Robertum, tunc archiepiſcopum Cantuarienſem, & idem dominus Thomas ex commiſſione dicti archiepiſcopi denuntiavit eum excommunicatum, candelis accenſis & extinctis in paſcuis prope villas prædictas, præſente teſte prædicto. Et prædicta

atque ita à ſubditis villas recipit.

* *adde* in caſtro

* *i.e.* prædari

AUCTORE C. S.

dixit fuiſſe tempore æſtivo, quadam die Dominica, ſed non recordatur de anno, nec de menſe, quibus habuit præſentem litem.

Pauca de hiſce

146 *Ex hac varia narratione duorum teſtium utcumque dubitari poteſt, eademne, an gemina excommunicatio à ſancto Præſule diverſo tempore in Lewelinum lata indicetur. Mihi tamen veriſimilius eſt, eamdem utrobique deſignari, & Joannem de Kemeſeya unicè meminiſſe de excommunicato Lewelino, quia hic ceterorum princeps erat auctorque facinoris; Hugonem autem le Barber potiſſimùm de Wallenſibus, quia illi latâ in ſe excommunicationis ſententiâ conterriti, ipſomet Hugone operam ſuam conferente, pacem cum ſancto Epiſcopo ſuo iniverunt. Alterum in utriuſque relatione diſcrimen eſt, quòd Hugo dicat, tres illas villas jam inde à temporibus deceſſorum* S. Thomæ *à Wallenſibus occupatas fuiſſe; Joannes verò tantùm aſſerat, Lewelinum niſum fuiſſe eaſdem* S. Thomæ *auferre. Utut ſit, eas à Lewelino reipſa occupatas fuiſſe, expreſiè etiam docet Richardus in Compendio num.* 19, *ubi ait,* Thomam excommunicâſſe dominum Lewelinum principem Walliæ, pro eo, quòd tres villas eccleſiæ Herefordienſis prope Montem Gomery hoſtiliter occupatas dimittere & reſtituere recuſabat.

B

obſervantur: Lewelinus tandem cedit, Sancti conſtantiâ fractus.

147 *Addendum hîc verbulum eſt de caſtro* Ledebury, *de quo laudatus Hugo num.* 144 *& ſequenti meminit. Suprà diximus, caſtrum ſive oppidulum* Lidbury *vel* Ledbury *ſitum eſſe in comitatu Herefordienſi prope montes Malvernicos, qui eumdem comitatum ab Ortu ibidem à Vigornienſi ſeparant. Verùm cùm prædictæ tres villæ in longè diverſa plaga poſitæ ſint, videlicet in confiniis comitatuum Salopiæ & Montiſgomerii, quorum primus comitatum Herefordienſem à Septemtrione claudit, difficile eſt ea, quæ idem Hugo geſta tunc ait, ad loca tam diverſa ſitu referre. Ceſſaret omnis difficultas, ſi ſuprà dictum caſtrum, quod, quia ad epiſcopos Herefordienſes olim pertinuit,* Bishops-Caſtle, *id eſt* Epiſcopi-caſtrum *appellatur, olim etiam* Ledebury *dictum fuiſſet; hoc enim in comitatu Salopiæ pauciſque milliaribus à civitate Montis-Gomerii, prope quam eædem villæ erant, ſitum eſſe oſtendi num* 142. *Porrò Lewelinus excommunicationis vinculo innodatus in ſua perſtitit pervicacia, donec ab eodem Sancto, coram rege Eduardo Miſſam celebraturo, è ſacello regio excludi juſſus, illiuſque conſtantiâ victus ſatisfactionem ſpopondit, & abſolutus fuit, uti pluribus legitur in Compendio num.* 20.

C

Litigat cum epiſcopo Aſaphenſi:

148 *Quartam* S. Thomæ *litem Richardus in Compendio num.* 19 *paucis ſic attingit:* Quia epiſcopus Aſſavenſis (*ſeu Aſaphenſis in Flintenſi Walliæ comitatu*) in illis partibus uſurpaverat jura epiſcopalia, dictus dominus Thomas movit litem contra eum in curia Romana. *Plura de illa non notavit Richardus, niſi quòd Sanctus, eadem pendente, obierit. Æquè obſcura hîc eſt aliorum teſtium narratio; ſed de ejuſdem eventu Godwinus in Commentario de Præſulibus Angliæ pag.* 658 *in Aniano II Aſaphenſi epiſcopo annotavit ſequentia:* In alia lite, inter ipſum (*Anianum*) & Thomam de Cantelupo Herefordenſem epiſcopum excitata propter juriſdictionem territorii de Horddor, eadem felicitate non eſt uſus. Thoma Herefordenſi defuncto, Richardo de Swinfeild ſucceſſore ejus annuente, res per compromiſſum ad arbitrium delata eſt Richardi Londinenſis epiſcopi, qui pro Herefordenſi judicavit. Unde regio illa jam inde ab eo tempore Herefordenſis diœceſis pars ſemper eſt æſtimata. *Vidimus ſuprà num.* 101, S. Thomam *juſſiſſe conſcribi* formam cujuſdam arbitrii ſeu amicabilis compoſitionis, inter ipſum & epiſcopum Aſſavenſem factæ, interveniente domino Edwardo rege Angliæ. *Potuit hîc agi de diſſenſu altero, aut ſi de eodem agatur, dicenda eſt amica illa compoſitio non fuiſſe perducta ad finem, vel poſtmodùm diſſoluta.*

D

item cum epiſcopo Menevenſi & barone Tregoz,

149 *Rurſum aliam contentionem pro eccleſiæ ſuæ juribus ſervandis, de qua tacuit Richardus, Sanctus habuiſſe legitur cum epiſcopo Menevenſi in Penbrochienſi comitatu in Wallia. Robertus de Glouceſtria in teſtimonio, ut verbis proceſſûs utar,* ſpecificavit de contentione, quam habuit cum epiſcopo Menevenſi pro conſecratione eccleſiæ monaſterii de Dore; & licèt contra dictum dominum Thomam eſſent multi ſagittarii, nihilominus conſecravit dictam eccleſiam. *Monaſterium Dorenſe, aliàs* S. Mariæ de Dora *dictum, in Monaſtico Anglicano tom.* 1, *pag.* 862 *inter cœnobia Ordinis Ciſtercienſis recenſetur, poniturque* in agro, *id eſt in comitatu,* Herefordienſi. *Sed quocumque titulo Menevenſis epiſcopus jus ſibi arrogaverit eccleſiam Dorenſem conſecrandi, eidem adjunxit ſe Joannes baro Tregoz,* S. Thomæ *è ſorore ſua nepos, qui, neſcio, quo jure contendebat, ſibi in eodem loco competere quædam jura, quæ* regalia *vocant, ſi probari poſſet, monaſterium ad diœceſim comitatumque Herefordienſem non pertinere.*

E

quo etiam cum armata manu militum obſiſtente,

150 *Hac ſpe abductus juvabat epiſcopum Menevenſem, non verbis ſolùm, ſed etiam cum armata militum manu illuc advolans, ut ſanctum Avunculum ſuum ab ejuſdem eccleſiæ conſecratione arceret. Verùm ille his nihil territus, ſuiſque etiam defenſoribus ſtipatus, ſuo officio ibidem functus eſt, ac deinde litem coram judicibus evicit. Ita habemus ex Fratre Waltero Kinille, ſacræ Theologiæ magiſtro, qui in proceſſu nominatur teſtis quadrageſimus ſeptimus, diciturque ſancto Præſuli familiariter notus fuiſſe.* Cùm dictus dominus Thomas (*inquit ille*) vellet conſecrare eccleſiam monaſterii de Dore, quod monaſterium dicebat eſſe in diœceſi Herefordienſi, dominus Thomas Beck epiſcopus Menevenſis contendens, dictum monaſterium eſſe in diœceſi Menevenſi, oppoſuit ſe, & etiam Tregoz baro, nepos dicti domini de Cantalupo, qui contendebat, ſe debere habere regalia in loco prædicto, ſi eſſet, ut ipſe optabat & contendebat, extra diœceſim & comitatum Herefordienſem.

F

eccleſiam Dorenſem conſecrat, & cauſam ſuam apud judices obtinet.

151 Ad impediendum autem, ne dictus dominus Thomas de Cantalupo conſecraret dictam eccleſiam, ut priùs ordinaverat, dictus baro, collecta multitudine equitum & peditum, fecit inſultum in dictum dominum Thomam de Cantalupo & familiam ſuam & alios, quos causâ ſecuritatis & defenſionis ſecum ducebat. Hoc non obſtante, conſecravit dictam eccleſiam, & obtinuit finaliter, lite mota, judicialiter contra Menevenſem epiſcopum & baronem prædictos. Et in hoc facto propter dictum inſultum dixit prædictus teſtis, præfatum dominum Thomam fuiſſe in periculo corporali. *Addo ego, ſanctum Antiſtitem præter ſolitum ſui pectoris invictum robur probâſſe ſe prorſus alienum ab eo animi vitio, quod nimis crebrò utilitatem eccleſiarum facit cognatorum emolumento poſthaberi: nam ſi huic Here-*

A *Hereſordienſis epiſcopatûs juri cedere voluiſſet, nepoti ſuo baroni Joanni Tregoz inſigne beneficium præſtitiſſet.*

In concilio Radingenſi opponit ſe archiepiſcopo Cantuarienſi

152 *Poſtremam, eamque graviſſimam diſſenſionem Sanctus habuit cum metropolita ſuo Joanne Peckham, qui ex Ordine Fratrum Minorum ad archiepiſcopatum Cantuarienſem à Nicolao III ſummo Pontifice promotus, Roberto Kilwardby, veteri ejuſdem* Thomæ *amico ſucceſſerat, juraque ſuæ ſedis extendere volebat ultrà, quàm Sancto aliiſque Angliæ epiſcopis par eſſe videbatur. Argumento ſunt querelæ eorumdem epiſcoporum, articulis viginti & uno comprehenſæ, quas illi ex communi conſenſu ad eumdem archiepiſcopum ſcripſerunt, poſtulantes, ut ſuper his ſibi fieret ſatis. Hos articulos unà cum totidem archiepiſcopi reſponſis edidit David Wilkins tom. 2 Conciliorum Magnæ Britanniæ & Hiberniæ pag. 75 & ſequenti. Sed nullus eorum auſus fuit tam fortiter ei reſiſtere, quàm* S. Thomas, *qui gravem ejuſdem indignationem propterea incurrit, cauſamque eccleſiæ ſuæ apud Apoſtolicam Sedem primùm per litteras ac demum ipſemet coràm præſens tutatus eſt, donec vixit. Prima,*

B *quam novi, inter hos ſimultas orta videtur in concilio Radingenſi in comitatu Bercheriæ, quod Peckhamus, convocatis omnibus ſuffraganeis ſuis, celebravit anno primo ſedis ſuæ, Chriſti verò 1279 menſe Julio, ſi accurratæ ſint notæ chronologicæ eidem præfixæ apud laudatum Wilkins pag. 33.*

quædam incongruè decernere volenti;

153 *Eidem ſynodo cum ſancto Præſule ſuo interfuit Robertus de Glouceſtria, iſque, ut legitur in proceſſu, cujus verbis utor, à commiſſariis Apoſtolicis poſtmodùm* de fide ipſius domini Thomæ requiſitus, reſpondit, quòd dominus Thomas fuerat valdè Catholicus & fidelis & zelator Catholicæ fidei & eccleſiaſticæ unitatis. Et ad roborationem hujus ſui dicti adjecit, quòd, dum ſemel propter aliqua oneroſa, quæ fiebant à Fratre Joanne de Pechuam, tunc archiepiſcopo Cantuarienſi, in concilio Radingiæ, inter quæ idem archiepiſcopus volebat interpretari conſtitutiones principales, dictus dominus Thomas in prædicto concilio dixit prædicto archiepiſcopo, quòd non decebat nec licebat,

C eum intromittere de prædictis (*id eſt immiſcere ſe prædictis*) & quòd meliùs faceret, quòd intromitteret ſe de hierarchia ſua; quia hoc pertinebat ad Eccleſiam Romanam. *Quidquid hîc decernere voluerit laudatus archiepiſcopus, videtur hæc prima fuiſſe hunc inter Sanctumque diſſenſio.*

alterum propterea Romanæ curiæ detrahentem reprehendit.

154 *Subjecit deinde Robertus, candidéque faſſus eſt, ſe ea uſum occaſione Romanam curiam criminatum eſſe, quòd hujuſmodi præſules mitteret, ac propterea à* S. Thoma *mox meritò reprehenſum. Sequitur enim ibidem in ejuſdem teſtimonio:* Poſt prædicta autem cùm dictus teſtis ſedens in menſa * ad latus dicti domini Thomæ in manerio de Rutherfeld Lincolnienſis diœceſis, reducens ad memoriam, quæ acta & dicta fuerant in dicto concilio, diceret, quòd tot fatui prælati mitterentur ab Eccelſia Romana per univerſum orbem & Religioſi & alii, quibus providebat dicta Eccleſia Romana de prælationibus; quòd dicti prælati tot præſumptuoſa & temeraria facerent & ſtatuerent, quòd ſubditi recederent ab obedientia eorumdem, & quòd non plus facerent pro Eccleſia Romana, quàm pro Soldano. Tunc autem dictus dominus Thomas, quaſi motus & accenſus, increpavit dictum teſtem, præcipiens, ne deinceps talia loqueretur; & quòd ſemper primatus Eccleſiæ Romanæ duraret. *Hactenus ille.*

* *i. e.* ad menſam

AUCTORE C. S.

Creſcente diſcordia cum eodem archiepiſcopo,

155 *Accedentibus deinde novis diſcordiarum cauſis, maximè quòd Joannes Peckhamus jura, quæ credebat ſibi deberi, vehementiùs urgeret, ſanctus Antiſtes ad Sedem Apoſtolicam appellavit, atque interim ſeceſſit ex Anglia in Normanniam, ut inde per litteras procuratoreſque cauſam ſuam apud Romanum Pontificem ageret. Seceſſiſſe ipſum in hunc finem ex Anglia, diſcimus ex litteris Peckhami ad ſuos in curia Romana procuratores datis, quales exhibet Wilkins in ſuprà dicta collectione Conciliorum tom. 2, pag. 81, ubi ſic loquitur:* Inſinuante nobis magiſtro de Pontiſar archidiacono Exon. *, cognovimus, eum in tranſmarinis partibus latitantem per procuratores ſuos in curia contra nos literas Apoſtolicas ſuper quibuſdam indebitis exactionibus & aliis injuriis impetrare; quod poſtea patuit in effectu. *Locum verò ſeceſſûs docuit Joannes Butè, in proceſſu teſtis quinquageſimus nonus, qui tam hunc, quàm commorationis tempus, aliaque quædam adjuncta aliâ occaſione indicavit.*

* *i. e.* Exonienſi

E *Sanctus ſeceſſit in Normanniam,*

156 *Nam de Sancti nocturnis vigiliis & humi cubationibus agens,* hæc ſe dixit... frequenter vidiſſe de nocte in Normannia, in loco vocato Funtaynes, in quo dictus dominus Thomas traxit moram per annum cum dimidio, & ipſe teſtis cum eo, tunc panetarius & butelarius ipſius, & aliquando vices camerarii ejus gerens. Et prædicta dixit fuiſſe ferè per biennium dicti domini Thomæ ante obitum. *Idem teſtis infrà quoque narravit, puerum aquis ſubmerſum, vitæque redditum vel ſervatum à* vivente dicto domino Thoma per biennium vel circà ante obitum ejus, & moram trahente in abbatia de Lyra in diœceſi Ebroycenſi in Normannia; *addiditque, eumdem poſt præfatum ſervati pueri beneficium in eadem abbatia per medium annum vel circà permanſiſſe. Erat tam paterna quàm materna* S. Thomæ *familia, ut ſuprà dictum eſt, è Normannia oriunda, ejuſdemque mater primis nuptiis juncta fuerat comiti Ebroïcenſi, quæ ratio ſimul cum facili trajectu ex Anglia illum inducere potuit, ut Normanniam ſuo ſeceſſui elegerit. Supereſt hodieque abbatia Lyrenſis Ordinis S. Benedicti, in diœceſi Ebroïcenſi ſecus fluvium Riſelam vel Rillam ſita, præeratque tum temporis abbas Robertus II de Gauville; de quibus conſuli poſſunt Galliæ Chriſtianæ continuatores tom.* XI *à col.* 644.

F

ubi puerum ſubmerſum

157 *Quod de puero ibidem tunc contigit, in laudati Butè teſtimonio refertur hoc modo.* Item narravit, quòd, vivente dicto domino Thoma, per biennium ante obitum ejus, & moram trahente in abbatia de Lyra in diœceſi Ebroycenſi in Normannia, quidam infans circitèr trium annorum, qui frequenter conſueverat ludere cum aliis infantibus ante portam dictæ abbatiæ, fuit ſubmerſus in quadam aqua (*nempe in Riſela vel Rilla fluvio*) currente ante portam dictæ abbatiæ, quadam die priuſquam dictus dominus Thomas intraret menſam ſuam (*id eſt, antequam ad prandium acceſſiſſet*) & parentes dicti infantis quærebant eum, & non invenerunt. Et hoc, ſcilicet quòd dicti parentes quærerent & non invenirent dictum infantem, erat publicatum in domo ipſius domini Thomæ, antequam menſam intraret prædictam. Poſtmodùm eo exiſtente in menſa, fuit dictum coram eo, quòd dicti parentes invenerant prædictum infantem

in

AUCTORE C. S.

in dicta aqua ſubmerſum & mortuum. Tunc idem dominus Thomas elevans manum, & faciens ſignum Crucis verſus locum, in quo dicebatur prædictus infans eſſe inventus, dixit: Vivet infans iſte, dante Deo.

vitæ reſtitu-iſſe creditus eſt.

158 Accurrens autem dictus teſtis unà cum aliis ad dictum infantem, invenit ipſum mortuum & nullum ſignum vitæ habentem, & aquæ plenum, & rigidum. Cùm autem idem teſtis feciſſet aperiri os dicti infantis cum cultello, & eum teneri, capite deorſum pendente ad terram, & pedibus elevatis ſurſum, & exiviſſent aqua & arena, quibus erat repletum corpus dicti infantis ad quantitatem duarum lagenarum vini, dictus infans incepit movere membra ſua, & fuit portatus ad ignem & calefactus, & vixit. Tunc autem fuit hoc adſcriptum miraculo, quòd dictus infans poſt prædictam ſubmerſionem vixerit; ſed non adſcribebatur miraculo facto meritis dicti domini Thomæ, nec etiam meritis alicujus alterius Sancti, de quo tunc diceretur: nunc verò dixit, ſe credere, idem teſtis propter alia miracula facta meritis dicti domini Thomæ, & quia perduxit ſignum Crucis verſus locum,
B in quo erat inventus dictus infans ſubmerſus, & prædixit victurum, exiſtimat, quòd dictus infans miraculosè poſt dictam ſubmerſionem vixerit meritis dicti domini Thomæ. De menſe, die, nomine infantis, & à quibus ortus parentibus, dixit interrogatus, ſe neſcire; adjiciens, quòd dictus infans vixit per medium annum vel circà, quo ex tunc fuit moratus dictus dominus Thomas in abbatia prædicta; neſcit tamen, quid ex tunc acciderit de infante prædicto, qui erat filius cujuſdam tabernarii, commorantis prope abbatiam prædictam. *Huc uſque Joannes Butè, qui ob allegatas rationes vitam eidem infanti ſervatam aut redditam meritis* S. Thomæ *non temere adſcripſit.*

§ IX. Cauſæ diſcordiarum inter Joannem Peckhamum archiepiſcopum Cantuarienſem & ſuffraganeos ſuos: geſta officialis ejuſdèm contra S. Thomam, propter quæ videtur contigiſſe hujus ſuprà dicta in Normannia commoratio.

C

Joannes Peckhamus archiepiſcopus Cantuarienſis,

SI verum ſit, quod præcedenti § ex teſtimonio Joannis Butè affirmatum vidimus, S. Thomam *biennio circitèr in Normannia commoratum eſſe, oportet, eum gravibus rationibus ad id adactum fuiſſe, quia aliàs parùm veriſimile eſt, tam ſollicitum Paſtorem à grege ſuo tamdiu abfuiſſe. In Angliam jam redierat uno anno ante mortem ſuam, id eſt, anno* 1281, *in cujus feſto Pentecoſtes ipſum Calevæ, nunc vulgo Walingford in comitatu Bercheriæ coram comite Cornubiæ Miſſam ſolemniter celebrâſſe, depoſuit teſtis quintus Nicolaus vel Aicardus de Warwik, juſticiarius & conſiliarius regis Angliæ. De ejuſdem reditu etiam meminit Joannes Peckhamus archiepiſcopus Cantuarienſis in epiſtola num.* 155 *jam laudata, ac mox recitanda. Et pacificus quidem fuit primus illius cum Peckhamo congreſſus; verùm hoc jura ſua, ut contendebat, vehementiùs, quàm* D *antè promovente, tantæ inter eoſdem ſimultates exarſerunt, ut* Thomas *poſt intentatam ſibi ab illo excommunicationem tandem ad Romanum Pontificem, tunc Martinum IV, ad quem antè appellaverat, cauſam ſuam ipſemet coràm acturus, in Italiam profectus ſit.*

eccleſiæ ſuæ jura fortè æquo vehementiùs urgens,

160 *Joannis Peckhami, velut viri doctrinâ ac pietate præſtantis, elogium dedit Lucas Waddingus tom.* 5 *Annalium Minorum ad annum Chriſti* 1279 *num.* 13 *& ſequentibus, ibidemque num.* 19 *ad propoſitum noſtrum hæc ait:* Controverſias aliquot ob varias, ut fit, cauſas cum ſingulis ferè epiſcopis Joannes habuit, quarum aliquot ſuo attingemus alibi loco; imò & cum univerſis. Exiſtimabant enim epiſcopi, Joannem multa ſibi in cauſarum cognitionibus præter juris rationem & in legitimæ poteſtatis ipſorum detrimentum atque imminutionem arrogâſſe. Cujus generis illi viginti ſupra unum gravamina, ob quæ ſe nimiùm ab illo premi, juriſdictionem ſuam eccleſiaſticam perturbari detrahique querebantur, collegêre. Quibus ille ſingulis ſpeciatim reſpondit, reſponſique totius ſumma in hoc volvebatur, ut diceret, ſe nihil ulla in re tentâſſe, quod non cum eccleſiaſtici juris, cum majorum ſuorum inſtitutis & exemplis, cum poteſtatis ſuæ amplitudine, quam non ſolùm ut metropolitanus, ſed ut ſummi Pontificis legatus (*natus ſcilicet ratione ſedis Cantuarienſis*) exercebat, cohæreret atque congrueret. E

epiſcopos ſuffraganeos offendit:

161 Ceterùm, ne videretur nimis ſeverè & ſummo jure agere, conſenſit, ne officialis, ut appellant, Cantuarienſis avocaret ad ſe cauſas à ſuffraganeis, niſi appellationibus gradatim factis, & cùm conſtaret, epiſcopum negligenter & remiſsè verſatum, inque teſtamentariis cauſis, cùm defuncti bona in diverſis diœceſibus poſſiderent. Neque voluit ſequeſtrationes, ut appellamus, eccleſiarum per ſuffraganeos factas reſcindi; hac tamen hæc omnia cautione, ne hoc indultum eccleſiæ ſuæ aut ſucceſſoribus ſuis eſſet damnoſum. *Ita ille. Exſtant, ut ſuprà jam dixi, iſti viginti & unus articuli epiſcoporum, & archiepiſcopi totidem ad illos reſponſa tom.* 2 *Conciliorum Magnæ Britanniæ & Hiberniæ pag.* 75 *& ſequenti. Exſtat etiam ibidem pag.* 77 *ejuſdem epiſtola, ſive* ordinatio ſuper querelis & appellationibus officiali Cantuarienſi per ſubditos fratres & ſuffraganeos illatis, *in qua ille poſt rem maturiùs examinatam faſſus eſt, nova quædam circa uſum poteſtatis à miniſtris inducta eſſe, quæ impoſterum cavenda pollicetur & emendat. Juverit pro notitia controverſiæ, quam cum* S. Thoma *habuit, eamdem epiſtolam, ex Regiſtro ejuſdem archiepiſcopi fol.* 145 *B. editam recenſuiſſe.* F

quorum querelis ut ſatisfaceret,

162 Univerſis præſentem paginam inſpecturis Frater Joannes permiſſione divina &c. Cùm nuper clamoſa plurimorum inſinuatio nobis veriſimiliter retuliſſet, ſuffraganeis noſtris ac ſubditis eorum quædam noſtris temporibus præter conſcientiam noſtram, tam per auditores curiæ noſtræ, quàm per officialem noſtrum Cantuarienſem, necnon & decanum de Arcubus Londini, dicti officialis commiſſarium, fuiſſe illata gravamina, quæ prædeceſſorum noſtrorum temporibus non fuerunt, quorum tenemur & volumus veſtigiis inhærere; nos & nova reſecare volentes, & vetera, quantùm ſecundùm Deum poſſumus, temperare pro pace venerabilium fratrum coëpiſcoporum noſtrorum, eorumdemque

A que quiete ſubditorum, quos cupimus intimis præcordiis conſolari, mandavimus diſcretis viris, venerabili fratri domino W. Norwicenſi epiſcopo, magiſtris R. archidiacono Cantuarienſi, G. de S. Leofardo theſaurario Ciceſtriæ, A. de Itales, R. de Brandon canonico London., in conſuetudinibus & juribus Cantuarienſis eccleſiæ longi temporis experientiâ eruditis, ut ipſi de prædictis diligenter inquirerent, & nos circa ipſa fideliter informarent. Quorum conſilio aliorumque prudentum indagine præmuniti volumus & decrevimus dicta gravamina in certis articulis reſcindere, & ordinationem noſtram ad perpetuam memoriam commendare.

poſt maturum examen conſultoſque viros peritos

163 Inprimis igitur volumus & ordinamus, quòd officialis noſter Cantuarienſis ad querelas ſubditorum fratrum & ſuffraganeorum noſtrorum de cætero non reſcribat, præterquam in caſibus ſpecialibus, videlicet in caſu negligentiæ, & in audiendis ratiociniis ab executoribus decedentium in provincia Cantuarienſi, habentium reditus, maneria, poſſeſſiones & bona in diverſis diœceſibus noſtræ provinciæ memoratæ; nec non & in aliis caſibus, qui tam de jure, quàm de conſuetudine noſtris & prædeceſſorum noſtrorum temporibus eidem ſunt permiſſi pariter & conceſſi; & ſi de facto in aliis reſcripſerit, & de hoc coram ipſo excipiatur, hujuſmodi exceptio ſine difficultate qualibet admittatur. Volumus inſuper & ordinamus, quòd idem officialis ad appellationes à ſubditis fratrum & ſuffraganeorum noſtrorum directè ad curiam Cantuarienſem, omiſſo medio, interpoſitas de cætero non reſcribat; & ſi de facto reſcripſerit, ac de hoc coram ipſo aut ſuo quovis commiſſario excipiatur, cùm de hujuſmodi exceptione & ipſius effectu competenter conſtiterit, de eadem appellationis cauſa ulteriùs ſe nullatenus intromittant.

B

ordinationem edidit,

164 Hoc etiam temperamentum in favorem fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum ac cleri, & populi provinciæ Cantuarienſis quietem præmiſſis annectentes, quòd ad querelas ſubditorum fratrum noſtrorum prædictorum ſine conſcientia noſtra ſpecialiter & expreſſa, & abſque cauſa rationabili nomine noſtro de cætero nullatenus reſcribatur. Nos verò hoc jure noſtro ſic moderatè abſque cujuſlibet præjudicio uti intendimus, ut in nullo à prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis diſcrepemus. Sanè ſi contingat, aliquem fratrum noſtrorum fructus eccleſiæ clerici ſubditi ſui ex cauſa canonica vel conſueta ſequeſtrare, & poſt hujuſmodi ſequeſtrationem ea occaſione ad Sedem Apoſtolicam, & noſtram curiam pro tuitione ab eodem fratre ex parte hujuſmodi clerici appelletur, quamquam in curia noſtra pro eodem in tuitorio negotio pronuntietur, hujuſmodi ſequeſtrum, tanquam eandem appellationem præcedens, hujuſmodi tuitionis obtentu finaliter nullatenus volumus relaxari.

C

in qua varia emendavit & conceſſit.

165 Cæterùm ſi contingat alicui, in curia noſtra litiganti, per noſtrum officialem aut commiſſarios noſtros, vel ſuos, abſolutionis ad cautelam beneficium impertiri, ſi abſolutionis hujuſmodi publicatio petatur ab eodem, cùm publicatio conformis eſſe debeat abſolutioni, ne per ſimplicem abſolutionis publicationem ſe gerat pro ſimpliciter abſoluto, & ab aliis abſolutus finaliter reputetur, volumus & ordinamus, quòd in litteris ſuper hujuſmodi abſolutionis publicatione in poſterum obtinendis verba illa AD CAUTELAM expreſſiùs inſerantur. Si autem neceſſe fuerit aliqua prædictis adjicere vel detrahere, vel ipſorum aliqua declarare, parati ſumus in prima congregatione fratrum eis in his & in aliis condeſcendere, quantùm poſſumus, ſalva eccleſiæ noſtræ libertate. Per hanc autem ordinationem noſtram non intendimus ſucceſſoribus noſtris ſeu eccleſiæ noſtræ in aliquo derogare. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus apponendum. Valete. Datæ apud Mortelake VII Kalendarum Maii anno Domini MCC octogeſimo ſecundo, conſecrationis noſtræ quarto. *Ex his notis chronicis atque infrà dicendis certum eſt, ordinationem ab archiepiſcopo factam eſſe eo tempore, quo poſtrema lis hunc inter &* S. Thomam *jam fuerat ad Romanam curiam delata; præmittenda tamen fuit eadem ordinatio, ut de ipſa lite æquiùs poſſit judicari.* AUCTORE C. S.

Ante iſtam ordinationem diſcordia orta fuerat

166 *Porrò quamvis ea cauſa omnibus Cantuarienſis provinciæ ſuffraganeis epiſcopis fuerit communis, præ ceteris tamen ſpectavit ad* Thomam, *ſive quòd hic ſeſe reliquis fortiùs metropolitani ſui conatibus opponeret, ſive quòd fortè evenerit, ut potiſſimùm in ejuſdem diœceſi Herefordienſi controverſiæ occaſio naſceretur. Commiſſarii Apoſtolici Guilielmus Durantes vel Duranti, Mimatenſis in Occitania epiſcopus, Rudolphus de Baldock epiſcopus Londinenſis in Anglia, & Guilielmus archidiaconus Aranenſis, in eccleſia Convenarum in Aquitania capellanus Pontificius & in Anglia nuncius Apoſtolicus, in epiſtola, quam de proceſſu, hac ſuper re ab illis confecto, anno* 1307 *ad Clementem V Papam ſcripſerunt, de gravi illa controverſia ſic aiunt:* Per ipſorum (*teſtium*) depoſitiones & ſcripturas aliquas, quas penes ſe in cuſtodia dudum habuerant, ab eis de mandato noſtro exhibitas, & aliis modis comperimus, dictum dominum Thomam cum venerabili patre, fratre Johanne de Pecham, quondam archiepiſcopo Cantuarienſi, metropolitano ſuo, ſuper juribus archiepiſcopalibus & epiſcopalibus magnam contentionem & diſcordiam habuiſſe, ex quibus dicebatur idem dominus Thomas fuiſſe poſt appellationes legitimas, ad Sedem Apoſtolicam interpoſitas, excommunicationis antedictæ dicti archiepiſcopi vinculo innodatus. *Verùm ex his non liquet, quiſnam caſus eidem controverſiæ ſpecialiter cauſam dederit, quem proinde aliunde oportet inquirere.* E

inter S. Thomam & Peckhamum, ſeu curiam ejus,

167 *Exſtant ſuper hoc negotio in prædicta collectione Conciliorum Magnæ Britanniæ tom. 2 duo inſtrumenta ex ejuſdem archiepiſcopi Regiſtro anni* 1282 *accepta, ex quibus diſcimus, geminam fuiſſe inter duos illos præſules gravem controverſiam, utramque ab utriuſque miniſtris ortam. Primum inſtrumentum ibidem editum eſt pag.* 84 *& ſequenti ſub hoc titulo:* Proceſſus habitus contra curiam Herefordenſem coram magiſtro P. de ſancto Mario officiali Cantuarienſi. Ex Reg. Peckh. fol. 149 b. *Tum ſequitur ipſe proceſſus, ſeu veriùs proceſsûs compendium, quod totidem verbis hic ſubdo, vocibus tamen, quæ abbreviatæ ibidem ſunt, claritatis gratiâ integris redditis.* Cùm nuper cauſa matrimonialis inter Petronillam Bebler, partem actricem ex parte una, & Ricardum de Bramford Herefordenſis diœceſis, partem ream ex altera, coram ſubdecano Herefordenſi diutius fuerit agitata, lata fuit ſententia diffinitiva pro dicta Petronilla; à qua ſententia dictus Ricardus ad ſedem Cantuarienſem legitimè appellavit, omiſſo medio (*id eſt*, F

AUCTORE C. S.

est, *præterito* Thoma *episcopo diœcesano*) juxta consuetudinem curiæ Cantuariensis hactenus observatam; & post appellationem interjectam judex appellatus (*designatur* judex à quo) præfatum Ricardum appellantem excommunicationis sententiâ innodavit.

ratione appellationis factæ ad officialem Cantuariensem,

168 Tandem rescriptum fuit per officialem Cantuariensem ad appellationem & inhibitum; & hoc non obstante, judex appellatus dictum Ricardum denunciavit excommunicatum. Super quo idem Ricardus officiali Cantuariensi conquestus est; qui querelam admisit, & rescripsit vocando judicem prædictum, querelanti responsurum, & prædicto contemptui curiæ Cantuariensi responsurum & satisfacturum: quæ omnia apparent per acta. Quo quidem rescripto querelæ per Ricardum de Bramford seniorem patrem, & Ricardum juniorem appellantem dicto subdecano præsentato, excommunicavit patrem dicti Ricardi, dicti rescripti exhibitorem, nec non præfatum Ricardum juniorem, ut priùs, & Alanum de Lichefeldia nuncium, qui dictum rescriptum impetravit, carcerali custodiæ mancipavit; super quibus iteratò vocabatur per-
B sonaliter juraturus & veritatem dicturus. Qui sic vocatus comparuit, & prædicta sufficienter confessus est. Unde officialis Cantuariensis suam confessionem secutus, in decem marcis sterlingorum pro contemptu prædicto, ex officio suo procedens, dictum subdecanum finaliter condemnavit, & sæpe dictos Ricardum de Bramford seniorem & Ricardum juniorem, suam appellationem in curia Cantuariensi prosequentes absolvit in forma juris, & eosdem absolutos denunciari, & Alanum incarceratum liberari, eidem subdecano mandavit: quæ omnia apparent per acta.

subdecano & officiali Herefordiensibus sub pœna excommunicationis

169 Quibus litteris subdecano præsentatis, easdem in lutum projecit, & curiæ Cantuariensi certificare recusavit. Super quibus contemptibus iteratis ad curiam prædictam extitit evocatus; quæ quidem vocatio apparet per acta. Quo non comparente, mandatum fuit pœnitentiario Herefordensi & magistro Ricardo de Gerdebrigge, quòd testes in partibus illis constitutos super dictis contemptibus reciperent; & hoc mandatum apparet per acta. Qui testes receperunt,
C quorum depositiones apparent etiam per acta. Ad hæc mandatum fuit officiali Herefordensi, quòd dictum subdecanum moneret & efficaciter induceret, ut de dictis decem marcis curiæ Cantuariensi satisfaceret inter certum tempus sub pœna sententiæ majoris excommunicationis ex tunc latæ, si dictis monitionibus non parêret; quod quidem mandatum apparet per acta. Et quia dictus subdecanus non satisfecit, nec dictus officialis certificavit, mandatum fuit iteratò, sub pœna sententiæ majoris excommunicationis ex tunc latæ, dicto officiali Herefordensi, quòd sæpe dictum subdecanum denunciaret excommunicatum, & dictos Ricardum & Ricardum absolutos nunciaret, & Alanum à carcerali custodia liberaret; & hæc apparent per acta.

& S. Thomæ sub pœna interdicti executionem suæ sententiæ dicitur mandâsse.

170 Et quia mandato nullo modo parêre voluit, mandatum fuit Episcopo Herefordensi, quòd prædictos subdecanum & officialem excommunicatos, & dictos Ricardum & Ricardum absolutos nunciaret, & nihilominus dictos subdecanum & officialem citaret vel citari faceret, quòd certo die in ecclesia B. Mariæ de Arcubus Londoni comparerent, super contemptibus curiæ Cantuariensi factis responsuri, & super quibusdam articulis juraturi, & ulteriùs fa- D cturi &c. Et hoc mandatum fuit Episcopo memorato sub pœna suspensionis capellæ suæ, & interdicti, quod posuit in omnibus locis, ad quæ contingeret dictum Episcopum declinare; nisi evenerit, dominum regem, vel reginam, vel liberos eorum, vel saltem archiepiscopum Cantuariensem locis prædictis adesse, seu præsentes vel præsentem esse: & hæc apparent per acta. Nec adhuc plus venit ad manus nostras de processu habito contra subdecanum Herefordensem, officialem vel Episcopum; credimus tamen, plura sufficienter in posterum obtinere. Sunt etiam aliqua de processu habito inter partes, & illa apparent per se. Item sunt quædam extracta ex Registro de Arcubus Londoni, & illa per se apparent. *Hactenus laudatum compendium processûs, in cujus exordio cùm dicatur causa illa tum* nuper *agitata fuisse, videtur illud non diu pòst conscriptum esse.*

Verùm istud processûs compendium pro adversa parte confectum

171 *Sed cujuscumque temporis sit, suspectum esse debet vel ex eo capite, quòd ab adversa* S. Thomæ *parte factum sit, neque justum est, inaudita parte altera, pro compertis habere, quæ ab adversariis, maximè contra sanctum Præsulem, allegantur. Ac in primis quidem compendii compilator suprà dictum appellandi rescribendique modum*, omisso medio, *audacter asserit, esse* juxta consuetudinem curiæ Cantuariensis hactenus observatam; *qui tamen sub Joanne Peckhamo primùm cœpit invalescere. Sanè ita docent quatuor illi viri, quibus idem archiepiscopus velut* in consuetudinibus & juribus Cantuariensis ecclesiæ longi temporis experientiâ eruditis, *mandavit, ut de his ac similibus ipsum inter & suffraganeos episcopos ortis dissidiis sententiam suam ederent, uti num.* 162 *dictum est. Tertius illorum articulus tom.* 2 *Conciliorum Magnæ Britanniæ pag.* 78 *sic habet:* Decreverunt etiam, quòd officialis curiæ Cantuariensis non rescribat ad appellationes interpositas à subditis suffraganeorum Cantuariensis ecclesiæ, omissis ordinariis mediis, ad sedem Cantuariensem supradictam; eò quòd fieri non debet secundùm jura, NEC FIERI ANTIQUITUS CONSUEVIT.

falsitatis convincitur.

172 *Primus eorumdem articulus ibidem talis est:* Licèt officialis curiæ Cantuariensis modernis temporibus ad querelas subditorum suffraganeorum Cantuariensis ecclesiæ, appellatione minimè interposita, frequentiùs rescripserit, quàm officiales prædecessorum dicti patris (*Joannis Peckhami*) in ecclesia Cantuariensi suis temporibus ibidem præsidentium, rescribere consueverint, eo quòd constat, antiquorum officialium aliquos rarò, aliquos nullo tempore ad hujusmodi querelas rescripsisse, decreverunt, quòd de cætero ad querelas hujusmodi nullatenus rescribatur *&c. Accipe etiam secundum eorumdem arbitrorum articulum.* Licèt, *inquiunt*, dominus Cantuariensis jure legationis valeat, ut videtur, omissis appellationibus quibuscumque, rescribere ad querelas præmissorum, potestas tamen sic rescribendi ad querelas ad officialem curiæ Cantuariensis non extenditur, eo quòd extraordinaria jurisdictio legationis non includitur in jurisdictione ordinaria officialitatis; etiamsi dominus Cantuariensis in creando sibi officialem hoc fieri vellet. Ex hoc enim sequeretur absurdum, quòd legatus in causis & negotiis, acsi sua potestas foret ordinaria, officialis ministerio posset uti. Propter quod decreverunt, ad querelas hujusmodi non fore rescribendum per offi-

officiales curiæ Cantuarienſis jure legationis ſuperſcriptæ; ſi tamen dominus archiepiſcopus, tamquam legatus reſcribere voluerit, poterit utique, ut videtur, ex cauſa rationabili ſpecialiter perurgente; per hoc non intendens juri ſuffraganeorum ſuorum & eccleſiarum earundem præjudicium aliquatenus generare.

& in aliis meritò ſuſpectum eſſe debet.

173 *Procul ergò eſt à vero, ejuſmodi procedendi modum fuiſſe* juxta conſuetudinem Cantuarienſis hactenus, *id eſt, à longo tempore ad id uſque*, obſervatam. *Agnovit id etiam ipſe Peckhamus, qui eorumdem, quos velut arbitros cenſoreſque conſtituerat, ſecutus ſententiam eſt, prout ſuprà videre licet. Ex hiſce quoque colligè, non omnia pro probatis habenda eſſe, quæ in ſuprà dicto proceſſûs compendio aſſeruntur, licèt ſingula nunc refelli nequeant, ex defectu monumentorum partis alterius. Exempli causâ, quæ de utriuſque Ricardi excommunicatione incarceratoque Alano tam crudè ibidem dicuntur, veriſimillimè æquiora apparerent, ſi totius rei geſtæ adjuncta noſceremus. Porrò cur culpandi erunt prædicti ſubdecanus & officialis Herefordienſes,* B *atque ipſe ſanctus Epiſcopus, ſi tam inſolentibus officialis Cantuarienſis mandatis, quæ ipſemet archiepiſcopus poſtea non auſus probare eſt, minimè parendum eſſe, judicaverint, ne cum ſuæ Herefordienſis eccleſiæ injuria eidem officiali in novis cœptis ſuis animos adderent? Dixi:* Mandatis officialis Cantuarienſis; *nam in toto illo inſtrumento nulla de archiepiſcopo facta eſt mentio, ex eoque ſilentio ſuſpicari quis poſſet, iſta officialis molimina eſſe ex illis, quæ archiepiſcopus velut præter conſcientiam ſuam ab eodem facta poſtea improbavit verbis, quæ num.* 162 *recitavi. Verùm etſi ille in hoc negotio fortè nullam mandando partem habuerit, vix credibile eſt, id ei etiam latuiſſe, nec ſaltem connivendo aliterve officiali ſuo tacitè conſenſiſſe.*

Propter has turbas videtur Sanctus in Normanniam profectus eſſe,

174 *Imò mihi veriſimillimum apparet,* S. Thomam, *cùm ſibi perſuaſum haberet, nihil ſeſe apud archiepiſcopum adversùs officialem illius obtenturum, ſeceſſiſſe in Normanniam, ubi eumdem ferè biennio ante mortem ſuam* per annum cum dimidio *commoratum fuiſſe, ſuprà num.* 156 *vidimus ex Joannis Butè teſtimonio, qui ibidem ipſi fuit in obſequiis. Veriſimillimum, inquam, eſt, hujus profectionis diuturnæque commorationis cauſam fuiſſe, ut ſanctus Præſul è Cantuarienſi provincia eccleſiaſtica interim recedens in Normanniam, hinc per litteras procuratoreſque ſuos apud Romanum Pontificem ſuæ eccleſiæ jura tueretur. De eadem enim commoratione egiſſe credo archiepiſcopum Peckhamum, dum in epiſtola ad procuratores ſuos poſtmodùm data de illo ait:* Inſinuante nobis magiſtro de Pontiſar. archidiacono Exonienſi, cognovimus eum in tranſmarinis partibus latitantem per procuratores ſuos in curia contra nos ſuper quibuſdam indebitis exactionibus & aliis injuriis impetrare; quod poſtea patuit in effectu.

ut cauſam ſuam inde per procuratores apud Pontificem tueretur.

175 *In hac mea opinione haud difficulter quoque aſſignatur ratio tam diuturnæ ſancti Epiſcopi à grege ſuo abſentiæ. Cùm enim hæc profectio ex ceteris calculis contigiſſe dicenda ſit anno* 1280, *cujus menſe Auguſto Nicolaus III Papa obiit, eique non niſi menſe Martio anni ſubſecuti ſuffectus Martinus IV eſt; quid mirum, ſi cauſa illa longiuſculas moras paſſa fuerit, Sanctuſque à ſede ſua abeſſe coactus ſit, tum ut cœpta apud novum Pontificem perficeret, tum ne in diœceſim ſuam redux majores turbas cæncitaret, negligendo mandatum, quod officialis Cantuarienſis ipſi* AUCTORE C. S. *dederat, ut vidimus,* ſub pœna ſuſpenſionis capellæ ſuæ & interdicti, quod *poſuerat idem ille officialis* in omnibus locis, ad quæ contingeret dictum Epiſcopum declinare *&c. Porrò ignotum mihi eſt, quo pacto hæc lis tandem fuerit compoſita; compoſitam tamen fuiſſe, conſtat ex ejuſdem Sancti reditu in Angliam, ubi ipſum cum archiepiſcopo amicè collocutum eſſe ante diem* XV *Januarii anni* 1282, *ſequenti* § *oſtendemus.*

§ X. Alia Sancti cum archiepiſcopo ſuo controverſia, de qua recitantur adverſæ partis edita inſtrumenta, deinde examinanda.

Sanctus in Angliam redux incurrit in archiepiſcopi offenſam, E

SAncti Thomæ *in Angliam reditum, amicumque ad Joannem Peckhamum acceſſum, ipſemet archiepiſcopus in epiſtola, ad procuratores ſuos in curia Romana data, infráque recitanda, teſtatus his verbis eſt:* Ipſe Epiſcopus de ultramarinis partibus (*in quibus eum latitâſſe & adverſus curiam Cantuarienſem Apoſtolicas litteras impetrâſſe præmiſerat, uti mox num.* 174 *dictum eſt*) redierat in Angliam, ubi ad nos attendens juxta Cantuariam, indeque ſub ovino vellere porrigens oſculum, ſe ita nobis confœderavit, & devota, ut nobis videbatur, promptitudine alligavit, ita quòd de ipſo confidebamus in omnibus, tamquam devotiſſimo & conſtantiſſimo fratre noſtro. *Sed brevi tempore ea pax perſtitit, nata paulò pòſt occaſione, in qua Peckhamus, dum ſua, ut contendebat, jura vehementiùs, quàm alteri æquum videbatur, urgeret, Sanctique reſponſa factaque ſiniſtrè interpretaretur, excommunicationis ſententiam ei comminatus eſt; ille verò ad Apoſtolicam Sedem appellans, tandem ad ſummum Pontificem Martinum IV cauſam ſuam coràm ipſe acturus in Italiam profectus eſt.*

à quo excommunicatus fuiſſe dicitur, F

177 *In ſæpe dicta collectione Conciliorum Magnæ Britanniæ tom.* 2 *pag.* 85 *exſtat* Proceſſus, *ut habet titulus,* habitus contra Epiſcopum Herefordenſem, & officialem &c. Ex Regiſtro Peckhami folio 150 a. Cùm eccleſia Cantuarienſis tali gaudeat privilegio in corpore jurium redacto, quòd archiepiſcopus, qui pro tempore fuerit, cauſas ſubditorum ſuffraganeorum ſuorum etiam per ſimplicem querelam audire poſſit & debeat; inſuper & tali gaudeat conſuetudine, quæ nec à jure diſcrepat, & fuit & eſt in poſſeſſione, vel quaſi à tempore, cujus memoria non exiſtit, quòd, cùm contingat, aliquem in fata decedere, qui in pluribus diœceſibus beneficiatus exiſtit, executio & defenſio & probatio, & omnia, quæ teſtamentum ſuum contingunt, ad ipſum ſpectare dignoſcuntur. His itaque ſuppoſitis, factum tale eſt. Magiſter Henricus de Havekly, quondam canonicus Lincolnienſis, & in pluribus diœceſibus beneficiatus, deceſſit, condito teſtamento; & inter alios vicarium de Ros Herefordenſis diœceſis ſibi conſtituit executorem, quem ad inſtantiam vicarii de Wrotham per magiſtrum Robertum le Wyſe, tunc officialem domini Herefordenſis Epiſcopi, citari mandavit.

178 Qui quidem officialis mandatum hujuſmodi reſpuens & curiam Cantuarienſem contemnens,

AUCTORE C. S.

mnens, ſententiâ majoris excommunicationis meruit innodari: & hæc per acta liquent. Tandem mandatum fuit Epiſcopo Herefordenſi, quòd præfatum vicarium citaret, & ſæpe dictum officialem excommunicatum publicè denunciaret. Et quia idem Epiſcopus omnia mandata ſibi per curiam Cantuarienſem qualitercumque directa contemptibiliter exequi recuſavit, monitus fuit canonicè ſub pœna excommunicationis majoris ex tunc in perſonam ſuam latæ, quòd idem mandatum & alia ſibi per curiam Cantuarienſem directa exequeretur: & hæc apparent. Qui poſtea, per ſe vel per alium, nullum mandatum ſibi, ut præmiſſum eſt, directum exequi curavit. Quare per prædictam curiam Cantuarienſem denunciatum fuit publicè & ſolenniter, ipſum in majoris excommunicationis ſententiam incidiſſe, & tanquam excommunicatum ab omnibus arctiùs evitari debere: & hæc ſimiliter liquent.

quia excommunicationem in officialem ſuum latam

noluerat publicè denunciare.

B

179 Unde liquet per utrumque proceſſum (*quorum alterius compendium dedi § præcedenti*) quòd propter varias & multiplices inobedientias primò fuit dicti Epiſcopi Herefordenſis capella interdicto ſuppoſita, & omnia loca, ad quæ ipſum contingeret declinare; ſubſequenter ipſum excommunicationis ſententiâ involutum & excommunicatum publicè & ſolenniter denunciatum. Archiepiſcopus tamen præſens non fuit, ubi Epiſcopus Herefordenſis fuit excommunicatus, ſed aliis ſuper hoc commiſerat vices ſuas. *Quiſquis hujus compendii proceſſûs compilator fuerit, non majorem in hoc, quàm in ſuperiori, cujus idem auctor fuiſſe videtur, fidem meretur, maximè in adjunctis. Sic verbi gratiâ omittit hic, officialem Herefordienſem ad ſummum Pontificem appellâſſe, ac propter hanc appellationem* Thomam *recuſâſſe demandatam ſibi excommunicationis ſententiam in eumdem denunciare; ut conſtabit ex dicendis. De eodem argumento prolixiùs ſcripſit ipſe Joannes Peckhamus in duabus epiſtolis ad ſuos in Romana curia procuratores, quas, licèt acri ſtilo & in cauſa propria exaratas, ad ampliorem rei geſtæ notitiam ſimiliter præmittendas cenſui.*

Eadem controverſia exponitur in epiſtola,

C

180 *Ambæ editæ ſunt in ſæpe dicto tom.* 2 *Conciliorum Magnæ Britanniæ, earumque primæ paginâ* 81 *præfixus hic titulus eſt:* Alia (*nempe epiſtola Joannis Peckhami archiepiſcopi Cantuarienſis*) eiſdem (*Renerio & Philippo procuratoribus ſuis in curia Romana*) de ſtatu eccleſiæ Anglicanæ & conventu epiſcoporum in Lameth. *Sequitur epiſtola, quam ſubdo, ſed nonnullis vocibus abbreviatis, quas, ne lectionem valdè impeditam reddant, faciam integras.* Frater Joannes &c procuratoribus ſuis in curia Romana ſalutem, gratiam & benedictionem. Ex inopinato nobis nuper ſupervenit quædam tempeſtas de Epiſcopo Herefordenſi, quem credebamus veraciter inter omnes ſuffraganeos noſtros obedientiorem & ſpecialiorem, tanquam illum, quem recommendatum habebamus præ ceteris inveniſſe; donec inſinuante nobis magiſtro de Pontiſar., archidiacono Exonienſi, cognovimus, eum in tranſmarinis partibus latitantem per procuratores ſuos in curia contra nos literas Apoſtolicas ſuper quibuſdam indebitis exactionibus & aliis injuriis impetrare; quod poſtea patuit in effectu: ſed tamen conatus ſuos circa hoc citò Deus evertit.

181 Cùm itaque Robertus de Glouceſtria, dictus le Wyſe, officialis ejuſdem Epiſcopi propter ſuam inobedientiam contractam, contemptum pariter & offenſam, tam per officialem noſtrum Cantuarienſem, quàm per nos & auditores noſtros fuiſſet excommunicationis ſententiâ innodatus, nullo juris ordine prætermiſſo; poſtquam ipſe Epiſcopus de ultramarinis partibus redierat in Angliam, ubi ad nos attendens juxta Cantuarium, indeque ſub ovino vellere porrigens oſculum, ſe ita nobis confœderavit & devota (ut nobis videbatur) promptitudine alligavit, ita quòd de ipſo confidebamus in omnibus, tamquam devotiſſimo & conſtantiſſimo fratre noſtro. Ad hoc dicto officiali ſuo in ſua contumacia & inobedientia perſiſtente, eidem tam per officialem noſtrum, quàm per nos, demandata fuit executio ſententiæ memoratæ, & etiam quòd, ſicut venerabilis frater noſter, nihilominus adimpleret, quòd officialis ſuus neglexerat & contempſit.

qua velut à Peckhamo

182 Ipſe verò, à quo ſperabamus conſolationem intimam reportâſſe, abjecto bono obedientiæ, quam eccleſiæ noſtræ & nobis per ſacramentum ſuum profeſſus eſt, reſcripſit, quòd ipſam ſententiam, tamquam invalidam, ſeu mandatum noſtrum contra officialem ſuum, ſeu quoſcunque ſubditos ſuos, exequi minimè tenebatur, pro eo quòd conſtitit ei (ut dixit) ipſum officialem ad Romanam curiam appellâſſe; aſſerens etiam, nos nullam poſſe juriſdictionem, niſi per appellationem tantùm, in ſuos ſubditos exercere; plures alias aſtutias & tergiverſationes literis ſuis inſerens, per quas ſe in hac parte à noſtra obedientia excuſabat, mandata noſtra expreſſa contradictione exequi recuſans. Quo intellecto, dolentes de damnatione ſua, & volentes eum ſalubribus exhortationibus ad obedientiæ bonum reducere, ſcripſimus eidem ſæpe & ſæpius, ut mandata noſtra prædicta exequeretur fideliter cum effectu, ne nos oporteret, licèt invitos, labem tantæ inobedientiæ ſeveritate canonica expiare.

ad procuratores ſuos in Romana curia data exſtat,

E

183 Tandem convenientibus nobis ad invicem apud Lameth, & amicabiliter ex parte noſtra tractantibus, petivimus ab eodem viva voce, ut hoc nobis faceret, quod ipſe & prædeceſſores ſui Herefordenſes epiſcopi nobis & prædeceſſoribus noſtris huc uſque fecerunt, & dimiſſo inobedientiæ vitio, rediret ad firmam charitatem & obedientiam, quam promiſit. Demum cùm nihil monitiones noſtræ & amicabiles inductiones proficerent, ſed magis ſub columbina ſpecie ad aſtutias ſuas & excogitatas malitias contra nos idem Epiſcopus ſe armaret, iteratò eum perſonaliter præſentem in ſcriptis ſolenniter fecimus ad obedientiam commoneri. Et quia adhuc in ſua rebellione & malitia pertinaciter & contemptibiliter perſiſtebat, ipſum excommunicationis ſententiâ, exigente juſtitia, in ſcriptis fecimus innodari; qui ſtatim ad Romanam curiam appellavit. Poſtmodùm verò ipſam ſententiam per epiſcopos & ſuffraganeos noſtros per noſtram provinciam contra eum mandavimus publicari.

in qua Sanctus fœdè tractatur,

F

184 Nunc autem cauſas frivolas confingens, ſed etiam blaſphemias & mendacia ſuis appellationibus immiſcens, in omni aſtutia & falſitate progrediens, facit appellationes ipſas in locis publicis & ſolennioribus Angliæ ad noſtri infamiam, & jurium eccleſiæ noſtræ ſubverſionem, non ſine reatu perjurii, publicari. Et hanc noveritis eſſe proceſſus contra Epiſcopum habiti plenam per omnia veritatem. Dicitur autem, quòd

ab eoque excommunicatus fuiſſe dicitur.

A quòd idem Episcopus jam iter versus Romanam curiam arripuit ; quòd tamen non credimus, quia incertum est ; cùm, si ita sit, non publicè transfretaverit, sed occultè ; & dum in uno loco inveniri creditur, jam ad alia loca latenter inclinans, sub vulpina pellicie se abscondit. Si autem eum ad curiam venire contigerit, vel impetrationes fieri in præmissis, caveatis omnino, ne aliquæ literæ generales audientiam sub quacunque forma transeant sine contradictione ; nec literæ speciales sine convenientia judicum & locorum. Et circa hos vigiles sitis & soliciti, quantùm adversarius noster prædictus astutus est, in omni gradiens falsitate. Dat. apud Clyst. episcopi Exon. II Cal. Aprilis, consecrat. nostræ anno IV, *id est*, *anno Christi* 1282.

Recitatur & altera ejusdem archiepiscopi nomine edita epistola,

185 *Altera ejusdem Peckhami epistola, sub titulo*, Archiepiscopi literæ continentes factum Herefordensis Episcopi in summa. Ibid. fol. 148 a, *tomo sitato pag.* 83 *& sequenti, controversiæ causam clarè exponit.* Frater Joannes, permissione &c, dilecto filio magistro Renerio de Florent., clerico & procuratori suo in curia Romana, salutem, gratiam & benedictionem. Ne à memoria vestra facta nostra, quæ habetis in curia promovere, recedant, ea sæpius vestris auribus inculcamus. Summa autem negotii Herefordensis hæc est. Cùm ecclesia nostra Cantuariensis in possessione sit & fuerit à tempore, quo non extat memoria, cognoscendi passim & indifferenter de causis illis testamentorum, quorum testatores beneficia sua vel alia bona quæcunque in diversis diœcesibus habuerunt, & vocandi & citandi executores testamentorum hujusmodi ad compotum * persolvendum ; hoc quia sit per universos nostros suffraganeos approbatum, nos hujusmodi jure nostro & possessione uti volentes, mandavimus dudum officiali Herefordensis Episcopi, ut quosdam executores testamenti bonæ memoriæ magistri H. de Havetle *, qui in Herefordensi diœcesi manebant, citaret peremptoriè ad compotum administrationis suæ de bonis testamenti prædicti coram nobis reddendum, & nos de citatione facta redderet certiores.

B

* *i. e.* computum

* *suprà* Havekly

in qua idem Episcopus

186 Et quia ipse officialis hoc facere contempsit, tandem propter hoc & alios plures contemptus, quos fecit tam nobis, quàm officiali nostro Cantuariensi, in forma canonica, tam per nos, quàm officialem nostrum prædictum, excommunicationis sententiâ, justitia exigente, meruit innodari. Et cùm mandaremus Episcopo Herefordensi, ut sententiam ipsam contra officialem suum exequeretur, idem Episcopus satis ostendens, officialis sui inobedientiam & contemptum hujusmodi nobis factum de suæ malitiæ pharetra processisse, ipsam sententiam exequi contumaciter recusavit ; prætendens, dictum officialem suum ab ipsa sententia appellâsse ; asserens etiam & affirmans, nos non posse in subditos suos, ipso omisso, jurisdictionem aliquam exercere, nec de causis subditorum ullo modo cognoscere per querelam. Nos autem volentes dictum Episcopum amicabiliter ad bonum obedientiæ reducere & observantiam proprii juramenti, monuimus eundem sæpe & sæpius, literis & nunciis, ut ab errore hujusmodi desisteret, & mandatis nostris, ut astrictus erat juramento proprio, obediret.

C

187 Tandem, ipso adhuc in sua pertinacia indurato animo persistente, convenimus simul apud Lameth, si posset inter nos concordia reformari ; ubi diversis juribus, consuetudinibus & rationibus efficacibus pro parte nostra allegatis, inter alia pacis & charitatis signa obtulimus eidem, ut, si placeret sibi hoc idem nobis facere, quòd ipse & prædecessores sui fecerunt prædecessoribus nostris (nec aliud petebamus) nos hanc consuetudinem & alia jura ecclesiæ nostræ adeò moderaremur circa eum, quòd se gravatum in nullo sentiret. Et quia hoc facere recusavit, & iteratis vicibus monitus canonicè, adhuc inobediens perduravit, magister R. de Lacy in eum tamquam contumacem & inobedientem auctoritate nostra in scriptis excommunicationis sententiam promulgavit ; qui statim, hoc facto, ad Romanam curiam appellavit. Dicit autem, se appellâsse antea ; quod nos latet. Nec credimus, quòd dominus Papa velit causam istam in curia in nostri injuriam retinere, sicut nec fecit causam Dunelmensis episcopi, quem metropolitanus suus excommunicationis sententiâ similiter innodavit. Mittemus ad vos in brevi aliquem, loco vestro in curia moraturum, & tunc ad nos cum gaudio & sanitate redibitis, Domino concedente. *Sic terminatur hæc epistola, omissis solitis notis chronologicis ; sed eam præmissâ posteriorem esse, verisimile est tum ex ipso exordio, tum ex eo, quòd archiepiscopus velut pro certo hîc habeat* S. Thomæ *profectionem ad curiam Romanam, de qua in præmissa dubitanter loquebatur.*

AUCTORE C. S. *non multò, quàm in priori traducitur.*

E

Denique idem archiepiscopus

188 *De eadem controversia rursum meminit Peckhamus in alia epistola ibidem sine nota temporis edita pag.* 78 *& duabus sequentibus, in qua varia negotia procuratoribus suis in curia Romana, magistris Renerio & Philippo commendans, inter alia sic scribit :* Versutiam autem Herefordensis Episcopi miramur plurimùm, quem credebamus amicum fidelissimum invenisse ; quem qualem inveniamus, citò fortè Romanæ Ecclesiæ palatia personabunt. Asserit ipse Episcopus, nos nullam in suos subditos exercere posse jurisdictionem, nec se aut suos ministros, nisi in sui defectum, ad nostra mandata teneri. Unde pro contemptu multiplici & contumacia ipsius officialem excommunicavimus, & excommunicatum fecimus publicè nunciari. *Post hæc interjectis nonnullis huc non pertinentibus, demum prosequitur :* Præterea noveritis, quòd xv die mensis Januarii dictus Episcopus Herefordensis misit ad nos cum literis suis quendam suum clericum, qui coram commissariis nostris à nobis nomine ipsius Episcopi & etiam officialis sui appellavit, & quasdam appellationes etiam renovavit.

F

in aliis literis,

189 Et quia scimus, ipsum velle contra nos in curia impetrare, mittimus vobis in quadam schedula, præsentibus intercluſa, nomina locorum & judicum, in quæ debeatis, & non alia, convenire. Et quantumcunque poteritis, in odium partis adversæ impetrationem ipsam impediatis, & per oppositiones & suspiciones contrarias differatis, ad hoc procuratores nostros omnimodè informantes. Cùm autem literæ fuerint impetratæ, cum omni celeritate, nulli parcentes pecuniæ, nobis eas per cursorem velociſſimum transmittatis, ne per ipsos adversarios præveniamur in commissionibus faciendis, qui modis omnibus, quibus possint, in subversionem ecclesiæ nostræ jurium machinantur. *Reliquum hujus epistolæ in fine mutilæ de aliis tractat negotiis. Ibidem pag.* 80 *& sequenti in epistola anno* 1282 v *Kalendas Martii ad eosdem procu-*

AUCTORE C. S.

ratores variis de cauſis data, idem negotium denuo commendavit; cùm enim quidam Româ reverſus, qui literas cancellario eccleſiæ Sarisburienſis apportaverat, dixiſſet, ſe etiam Herefordenſi Epiſcopo attuliſſe, procuratores ſuos ea de re admonuit, ſic ſcribens.

in quibus cauſas ſuas prædictis procuratoribus commendavit,

190 Interrogatus etiam (*Richardus Româ redux*) ſi alias quaſcunque literas ſecum à curia portâſſet, reſpondit, quòd præter illas (*pro cancellario Sarisburienſi*) portaverat ſecum uſque ad XII paria literarum pro Epiſcopo Herefordenſi, quas dixit, ſe cuidam burgenſi Londoni tradidiſſe, eidem Epiſcopo aſſignandas; qui tamen Epiſcopus præſens negavit, ſe aliquas ab eo literas accepiſſe. *Rurſum poſt aliqua ad argumentum noſtrum non ſpectantia ſubdit:* Circa hoc autem, quòd dictus Herefordenſis Epiſcopus prætactas literas dicitur recepiſſe, & præfatum vicarium, qui literas (*pro laudato cancellario*) impetravit, ſolicitè vigiletis. Ad hæc dudum Robertus de Wyſe de Glouceſtria, officialis dicti Herefordenſis Epiſcopi propter ſuam contumaciam & offenſam à noſtris commiſſariis excommunicationis ſententiâ, exigente juſtitia, B extitit innodatus; & cùm ipſius ſententiæ dicto Epiſcopo demandaretur executio, idem Epiſcopus ſe nobis per literas excuſavit, quòd, quia conſtitit ei, dictum officialem ſuum ad Romanam curiam à dicta ſententia appellâſſe, mandatum noſtrum circa hoc exequi non valebat, ne quid in ſui præjudicium aut officialium ſuorum attemptaremus, per ſuum procuratorem, ut dicitur, prorogando.

de eadem loquitur controverſia,

191 Et priùs etiam nobis plurimùm infeſtus & inobediens extiterat, multaque contra profeſſionem ſuam faciebat, quæ jura noſtræ lædunt eccleſiæ, committendo; conſtanter aſſerens, nos, eo omiſſo, nullam poſſe juriſdictionem in ſuos ſubditos exercere. Unde ipſum Epiſcopum monuimus ſæpe & ſæpius, ac moneri fecimus diligenter, ut ab inquietatione noſtrorum & eccleſiæ noſtræ jurium deſiſteret, & nobis tamquam devotus ſuffraganeus obediret. Tandem apud Lameth ſub ſpe pacis inter nos reformandæ invicem congregati, expoſitâ querelâ ſuâ, & noſtris in hac parte juribus allegatis, eum monuimus ore proprio, ut nobis tantummodo id faceret, quod ipſe idem & alii prædeceſſores ſui nobis & prædeceſſoribus noſtris fecerunt huc uſque. Qui ſemper elationis ſpiritu C inflammatus in contumacia ſua perſtitit inobediens & rebellis. Unde ipſum iteratò in ſcriptis monuimus, ut ad bonum obedientiæ ſe converteret, & mandata noſtra circa dictum officialem ſuum efficaciter adimpleret.

eumdemque à ſe excommunicatum eſſe pronuntiat.

192 Cúmque idem Epiſcopus monitionibus noſtris nullatenus acquieſceret, ſed magis ad defenſiones & appellationes frivolas ſe pararet, nos volentes ejus malitiis occurrere, ipſum, monitione præmiſſa in ſcriptis, excommunicari fecimus per magiſtrum R. de Lacy, cui ad hoc coram teſtibus commiſimus ſpecialiter vices noſtras; qui tunc poſt latam in eum ſententiam per ſuum procuratorem appellavit in ſcriptis; & nos etiam ipſum procuratorem excommunicavimus, & mandavimus excommunicatum publicè nunciari; ſententiam etiam contra Epiſcopum per ſingulos epiſcopos executioni debitæ fecimus demandari. *Quæ ſequuntur uſque ad finem epiſtolæ, ad alias rurſus cauſas ſpectant. Notatur autem hæc epiſtola* Dat. apud Exon. v Cal. Mart. conſecrat. noſtræ anno IV. *Atque hæc ſunt, quæ de graviſſima illa inter ambos præſules* D *controverſia reperi, quæque cùm ab una adverſa parte litigantium conſcripta ſint, non poſſunt non ſuſpecta eſſe, eo etiam magis, quòd allegata literæ tam atro felle, dictiſque ſancto Antiſtiti procul dubio injurioſis conſperſæ ſint, ut mirer, ea ab archiepiſcopo, pietate ac doctrinâ ceteroqui conſpicuo, proficiſci potuiſſe. Quis enim non miretur, ſanctum Epiſcopum ab illo mendacii, verſutiæ, aſtutiæ, malitiæ, inobedientiæ, rebellionis, contumaciæ, elati, induratique animi, perjurii ac blaſphemiæ argui, ac modò ſub vulpina pellicie abſconditum, modò ſub ovino vellere ac in columbina ſpecie ſimulatorem traduci?*

§ XI. Exponitur prædictæ controverſiæ initium & progreſſus: Sancti ad curiam Romanam profectio, invitaque adverſa parte, honorificus ad Pontificem acceſſus.

E

Præmittuntur aliqua tam ex Joannis Peckhami,

UT tandem ad præmiſſorum diſcuſſionem veniamus, *non eſt, quòd dubitemus, quin cauſa teſtamentaria ſuperiùs allegata, ſi minùs ſola, ſaltem præcipua origo fuerit caputque ſimultatum: nam & unus è teſtibus in proceſſu eamdem non obſcurè inſinuavit; ſed nihil quoque cogit nos aſſerenti Peckhamo credere, jus, quod ſibi contendebat competere*, cognoſcendi paſſim & indifferenter de cauſis illis teſtamentorum, quorum teſtatores beneficia ſua vel alia bona quæcunque in diverſis diœceſibus habuerunt, & vocandi vel citandi executores teſtamentorum hujuſmodi ad compotum perſolvendum (*ſive ad reddendam rationem*) per univerſos ſuffraganeos *illius* approbatum *fuiſſe jam illo tempore, quo præfata diſcordia ipſum inter & officialem Herefordienſem cœpta eſt; nihil, inquam, cogit nos hæc credere Peckhamo, quem conſtat ex dictis etiam alia jura velut ſibi indubiè debita aſſerere conatum eſſe, quæ non tam certa fuiſſe, reclamantes ſuffraganei epiſcopi probârunt, atque ipſe etiam Peckhamus remittendo agnovit. Secundò cùm, eodem archiepiſcopo teſte*, S. Thomas *ſententiam excommunicationis in officialem ſuum latam cenſuerit* invalidam, *quia idem officialis appellaverat ad curiam Romanam, veriſimile eſt, ab officiali appellatum fuiſſe ante latam ſententiam, atque ita ejuſdem cauſam à Cantuarienſi curia ad Pontificiam tranſlatam. Hæc de cauſa officialis.* F

quàm ex commiſſariorum à Clemente V deputatorum litteris,

194 *Pro controverſia ſancti Epiſcopi advertendum quoque primò eſt, quòd commiſſarii Apoſtolici in ſua ad Clementem V Papam epiſtola, de proceſſu ſuper hac cauſa confecto aiunt; nimirum*, quòd probatum eſt, plures appellationes per dictum dominum Thomam, vel per alios vice ſua, à dicto archiepiſcopo & ejus curia ad Sedem Apoſtolicam competenter interpoſitas, præmiſſas (*id eſt*, prædictas) excommunicationum ſententias præceſſiſſe & ſubſecutas fuiſſe etiam poſt eaſdem. *De appellationibus ab illo interpoſitis etiam meminit Peckhamus in epiſtola ad procuratores, ſuprà num.* 187, *ubi tamen velut ignoraſſet eam, quæ ſententiam excommunicationis præceſſit, ſic inquit:* Magiſter R. de Lacy in eum... auctoritate noſtra... excommunicationis ſententiam promulgavit; qui (*Thomas*) ſtatim, hoc facto,

A facto, ad Romanam curiam appellavit. Dicit autem, se appellâsse antea; quod nos latet. *Si hæc verba verè Peckhami sint, demus aliquid oblivioni illius; minùs enim credibile est*, Thomam, *virum sanctum, in re tam gravi mentitum fuisse, quàm Peckhamum memoriâ hîc lapsum esse.*

ex quibus aliisque præsens controversia exponenda videtur.

195 *Profectò ipsemet Peckhamus in epistola anteriori & ante latam excommunicationis sententiam scripta eosdem procuratores suos de appellationibus ab illo factis commonuerat*, Noveritis, *inquiens*, quòd xv die mensis Januarii dictus Episcopus Herefordensis misit ad nos cum litteris suis quemdam suum clericum, qui coram commissariis nostris à nobis nomine ipsius Episcopi & etiam officialis sui appellavit, & quasdam appellationes etiam renovavit. *Esse autem, ut dixi, hanc epistolam prælaudata priorem, manifestum sit ex eo, quòd in hac dicat, officialem excommunicatum esse, quod non ait de* Thoma; *in prælaudata verò utriusque excommunicationem expressè commemoret. Alterum ex suprà dictis commissariorum litteris ad Clementem V Papam observandum est*, Thomam præsen-

B tâsse eidem archiepiscopo, de se conquerenti, litteras quorumdam jurium, à Sede Apostolica super præmissis impetratorum, priusquam monitiones cum excommunicationis sententia . . . processissent. *Denique laudati commissarii in iisdem litteris asseruerunt*, judices de convenientia & assensu procuratorum partium extitisse super dictis appellationibus auctoritate Apostolica in Angliam deputatos, antequam lata ultima sententia, quæ magis videbatur dubia, extitisset.

Sanctus latam in officialem suum, qui antè ad Papam appellaverat, sententiam exsequi renuit,

196 *His itaque positis, ejusdem controversiæ initium ac series hoc simili modo ordinanda videtur. Mortuo Henrico de Havekly vel de Havetle, canonico Lincolniensi, qui in Herefordiensi aliisque provinciæ Cantuariensis diœcesibus beneficia aliave bona possederat, archiepiscopus Peckhamus vicarium de Ros diœcesis Herefordiensis, quem defunctus unum ex testamenti sui executoribus constituerat, pro jure, ut contendebat, suo per officialem Herefordiensem citari fecit, ut administrationis suæ rationem redderet. Officialis autem, seu sponte, sive ex consilio Episcopi sui, si hic jam tum è Normannia redierat in Angliam, arbitratus, sese sine ecclesiæ Herefordiensis injuria hujusmodi mandato non posse parêre, obedire recusavit, tandemque post commonitiones, intentatasque sibi excommunicationis minas, ad Apostolicam Sedem appellavit. Contrà archiepiscopus appellationes istas frivolas reputans, sententiam excommunicationis in officialem tulit, ejusque executionem* S. Thomæ *demandavit. Hic verò, de cujus ecclesiæ juribus agebatur*, excusavit se, *ne id faceret*, pro eo quòd constitit ei, ut dixit (*verba Peckhami sunt*) ipsum officialem ad Romanam curiam appellâsse.

C

utque id faciat, frustra rogatus ad Pontificem similiter appellat:

197 *Justa utique erat hæc sancti Præsulis excusatio; sed archiepiscopo aliter visa; & quia probè gnarus erat, multum suæ auctoritati accessurum, si Herefordiensem Episcopum, virum nobilitate generis doctrinâque præstantem, hac in parte sibi obsequentem haberet, tentavit illum per litteras inducere, ut obediret; cúmque his nihil proficeret, invitavit ipsum in* Lameth, *aliàs* Lambeth & Lambith, *qui vicus Angliæ erat cum ædibus archiepiscoporum Cantuariensium in comitatu Surriæ, haud procul supra Londinum ad flumen Tamisim situs. Huc ergò cùm ambo præsules convenissent, archiepiscopus id ipsum ei blando sermone persuâdere studuit, pollicitus, fore ut, si consentire vellet*, hanc consuetudinem & alia jura ecclesiæ *Cantuariensis* adeò moderaretur circa eum, quòd se gravatum in nullo sentiret. *Vide dicta superiùs num.* 183 *&* 187. *At Sanctus in sua perstitit sententia, negans, sibi fas esse eam sententiam in officialem suum exsequi, qui ante illam ad Apostolicam Sedem appellaverat. Fortè etiam tunc illi exhibuit istas* litteras quorumdam jurium à Sede Apostolica super præmissis impetratorum, *de quibus commissarii num.* 195 *meminerunt; atque eadem occasione, ne archiepiscopus ulteriùs procederet, ad eamdem Sedem appellavit.*

AUCTORE C. S.

archiepiscopo excommunicationem minante, appellationes iterat,

198 *Post hoc Lambethanum colloquium Peckhamus exarsit, atque omnia* S. Thomæ *dicta gestaque in malam partem suique contemptum interpretatus, minaces ad illum litteras dedit, removendum à communione fidelium, nisi obtemperâsset. Respondit ad has Sanctus mense Januario litteris, quas per clericum suum deferendas curavit, ac per eumdem tam suo, quàm officialis sui nomine denuo appellavit, prioresque appellationes renovavit. Intellexit subinde Peckhamus*, Thomam *per procuratores causam suam in Pontificia curia agere; quapropter & ipse quoque ad suos in eadem curia degentes scripsit, monuitque, quid ab illis factum vellet. Verba ejus, licèt jam antè data, juverit hîc repetiisse.* Noveritis, *inquit*, quòd xv die mensis Januarii dictus Episcopus Herefordensis misit ad nos cum literis suis quendam suum clericum, qui coram commissariis nostris à nobis nomine ipsius Episcopi & etiam officialis sui appellavit, & quasdam appellationes etiam renovavit. Et quia scimus, ipsum velle contra nos in curia impetrare, mittimus vobis in quadam schedula præsentibus intercluſa, nomina locorum & judicum, in quæ debeatis, & non alia, convenire.

E

& ambo scribunt ad procuratores suos in curia Pontificia.

199 Et quantumcunque poteritis in odium partis adversæ, impetrationem ipsam impeditis, & per oppositiones & suspiciones contrarias differatis, ad hoc procuratores nostros omnimodè informantes. Cùm autem fuerint impetratæ, cum omni celeritate, nulli parcentes pecuniæ, nobis eas per cursorem velocissimum transmittatis, ne per ipsos adversarios præveniamur in commissionibus faciendis, qui modis omnibus, quibus possint, in subversionem ecclesiæ nostræ jurium machinantur. *Ita ille; qui cùm hîc procuratoribus suis mandaverit, in quos judices, & horum conveniendi loca possent consentire, verisimile est, paulò pòst* judices *illos, quorum commissarii num.* 195 *relati meminêre*, de convenientia & assensu procuratorum partium extitisse super dictis appellationibus auctoritate Apostolica in Angliam deputatos. *Hi tamen, quantùm ex reliquo controversiæ decursu colligere est, in Angliam non appulerunt; sive quòd alterutra partium, sive alia ignota mihi ratio, seu casus aliquis, eorumdem accèssum impedierit.*

F

Inter hæc archiepiscopus per officialem suum facit Thomam excommunicari

200 *Inter hæc archiepiscopus Peckhamus à minis ad facta progressus, officiali suo magistro R. de Lacy vices suas commisit, ut Episcopum Herefordiensem excommunicaret.* Nos volentes (*ait in epistola ad procuratores suos Romanos*) ejus malitiis occurrere, ipsum monitione præmissa in scriptis, excommunicari fecimus per magistrum R. de Lacy, cui ad hoc coram testibus commisimus specialiter vices nostras; qui tunc post latam in eo sententiam (*uti etiam illum antea fecisse, constat ex dictis*) per suum procuratorem appel-

AUCTORE C. S.

appellavit in ſcriptis; & nos etiam ipſum procuratorem excommunicavimus & mandavimus excommunicatum publicè nunciari : ſententiam etiam contra Epiſcopum per ſingulos epiſcopos executioni debitæ fecimus demandari. *Notatur hæc epiſtola* dat. apud Exon. v Cal. Mart. conſecrat. noſtræ anno IV, *id eſt, Chriſti* 1282. *De excommunicatione in Sanctum lata promulgataque eodem modo loquitur in litteris ſub finem Martii eodem anno ad procuratores iterum datis hæc ſcribens :* Et quia adhuc in ſua rebellione & malitia pertinaciter & contemptibiliter perſiſtebat, ipſum excommunicationis ſententiâ, exigente juſtitia, in ſcriptis fecimus innodari; qui ſtatim ad Romanam curiam appellavit. Poſtmodùm verò ipſam ſententiam per epiſcopos & ſuffraganeos noſtros per noſtram provinciam contra eum mandavimus publicari.

& ut talem per ſuffraganeos publicè denunciari.

201 *Item in altera ejuſdem epiſtola, ad prædictos procuratores ſine temporis notis ſcripta, ſimiliter legitur :* Et quia hoc facere recuſavit, & iteratis vicibus monitus canonicè, adhuc inobediens perduravit, magiſter R. de Lacy in eum tanquam contumacem & inobedientem auctoritate noſtra in ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgavit; qui ſtatim, hoc facto, ad Romanam curiam appellavit. *Conſonat compilator compendii proceſsûs adverſus Sanctum conſcripti, cujus verba ſequentia ſunt :* Per prædictam curiam Cantuarienſem denunciatum fuit publicè & ſolenniter, ipſum in majoris excommunicationis ſententiam incidiſſe, & tanquam excommunicatum ab omnibus arctiùs evitari deberi : & hæc ſimiliter liquent. *Qui hæc legerit, dubitare non poterit, quin ſanctus Epiſcopus Herefordienſis graviſſimâ excommunicationis cenſurâ fuerit percuſſus. Dubitârunt tamen commiſſarii, à ſummo Pontifice Clemente V annis viginti quinque poſtea ad id ipſum inquirendum deputati, etiam poſt diligenter diſcuſſa provinciæ Cantuarienſis archiva, auditoſque teſtes, ac in primis* illum, qui dicebatur prædictam excommunicationis ſententiam protuliſſe, ac quatuordecim alios, qui in partibus fuerant clerici & familiares archiepiſcopi antè dicti; ut omnino poſſet per nos (*ut inquiunt*) ſciri & haberi veritas de excommunicationum articulis ſupradictis.

B

C

Non conſtat tamen, hanc ſententiam in ipſum abſolutè latam fuiſſe.

202 *Poſt tam diligens examen pronunciârunt illi*, quòd ſufficienter prædictarum excommunicationum ſententiæ non probantur; & ſi quis forſitan pro probatis vellet haberi eaſdem, non inveniuntur cauſativæ explicitè, ſed conditionaliter, vel ſub quadam generalitate præproperè ac minùs competenter & ſolemniter latæ fuiſſe; ſed (*lege* nec *vel infrà adde* non, *ut ex toto contextu patet*) conſtat per proceſſum, dictum dominum Thomam contra conditionem vel generalitatem feciſſe, vel eas adimplere indebitè contempſiſſe, nec hoc fuit per dictum archiepiſcopum vel alium legitimè declaratum, licèt idem archiepiſcopus ſcripſerit ſuffraganeis ejus *, quòd, cùm memoratus dictus dominus Thomas meruiſſet excommunicari, facerent excommunicatum denunciari eumdem, non declarando (quamquam per aliquos ex ſuffraganeis, mandatum hoc adimplere recuſantibus, dicatur de dicta declaratione priùs facienda fuiſſe requiſitus) ipſum dominum Thomam eſſe excommunicatum; ſed in dictis finibus, QUÒD EXCOMMUNICARI MERUERIT, perſiſtendo. *Plura dabimus infrà, ubi laudatam epiſtolam integram recitabimus.*

* *i. e.* ſuis

203 *Quis iſta facilè conciliet cum dictis Peckhami? niſi fortè hujus officialis de Lacy, cui ille* Thomam *excommunicandi curam commiſerat, ſententiam mitigaverit eo modo, quo illam latam eſſe, prælaudati commiſſarii dixerunt. Certè hi de re tota optimè inſtrui potuerunt, ſi, ut affirmant, inter alios teſtes etiam* illum (*forſan eumdem officialem*) qui dicebatur prædictam excommunicationis ſententiam protuliſſe, ac quatuordecim alios, qui... fuerant clerici & familiares archiepiſcopi *Peckhami, delegata auctoritate Apoſtolica examinârint. Ex eorumdem commiſſariorum verbis præcedente numero adductis adverte, ſuffraganeos epiſcopos, ſi non omnes, ſaltem aliquos recusâſſe* S. Thomam *excommunicatum eſſe promulgare, quod ſiluit Peckhamus, ita loquens, quaſi illi omnes huic mandato ſuo obtemperâſſent. Sed utcumque hæc ſe habeant, idem archiepiſcopus* Thomam *pro excommunicato voluit haberi, ita ut etiam defuncti oſſa primò vetuerit ſepeliri; Martinus verò IV Papa cum tota ſua curia eumdem* Thomam *ad oſculum & communionem ſuam valdè honorificè admiſit; quod utrumque ſuis locis probabo.*

ac certè non ab omnibus ſuffraganeis promulgata fuit, nec à ſummo Pontifice probata.

E

Has archiepiſcopi molitiones Sanctus patienter ferens,

204 *Quo animo iſta metropolitani ſui adverſus ſe geſta Sanctus tulerit, Richardus epiſcopus Herefordienſis in Compendio Vitæ num.* 29 *ſic breviter declaravit :* Licèt à multis... & ſpecialiter à fratre Joanne, tunc archiepiſcopo Cantuarienſi, vehementer injuriosè ac indebitè ſecundùm commune judicium, fuerit perſecutus, patienter & benignè & abſque aliqua murmuratione tolerabat prædicta, eis non detrahens, nec à familiaribus ſuis vel aliis in ejus præſentia detrahi permittens vel maledici; quin potiùs orabat pro eis. *Verumtamen ut ſuæ quoque famæ conſuleret, neve cum publica offenſa velut rebellis & contumax juſtè excommunicatus videretur, appellationes ſuas in publicis locis publicari curavit, teſte Peckhamo, cui cùm ea res malè eſſet, injurioſis planè verbis, ipſoque indignis de eadem ad procuratores ſuos ſcripſit :* Nunc autem cauſas frivolas confingens, ſed etiam blaſphemias & mendacia ſuis appellationibus immiſcens, in omni aſtutia & falſitate progrediens facit appellationes ipſas in locis publicis & ſolennioribus Angliæ ad noſtri infamiam & jurium eccleſiæ noſtræ ſubverſionem, non ſine reatu perjurii, publicari.

F

ad ſummum Pontificem proficiſcitur.

205 *Inter hæc ſanctus Præſul cùm adhuc aliam litem in curia Romana haberet, optimum fore ratus eſt, ſi ipſemet ad Romanum Pontificem proficiſceretur, utramque cauſam præſens acturus.* Et quia, *inquit Richardus in Compendio num.* 19, epiſcopus Aſſavenſis in illis partibus uſurpaverat jura epiſcopalia, dictus dominus Thomas movit litem contra eum in curia Romana, & propter proſequutionem dictæ litis, & etiam contentionem, quam propter libertates eccleſiæ Herefordienſis & ſubditorum ejuſdem habuit cum fratre Joanne de Pecham, tunc archiepiſcopo Cantuarienſi, certioratus per viros peritos, quòd juſtam cauſam fovebat, & quòd proſequi meritorium ſibi erat ad curiam Romanam, non parcens corpori, ſenio & debilitate confecto *&c, ad eam profectus eſt tum ſexagenario major, nec umquam rediturus vivus in Angliam. Hujus rei aliquam præſenſionem habuiſſe videri poteſt; nam & teſtamentum ſuum ante diſceſſum condidiſſe, & Adamo de Kyngeshuam jurisperito, proſperum ipſi in patriam reditum precanti,* valdè pio modo *reſpondiſſe,* Non credo, *in proceſſu legitur.*

206 *Etiam*

A *præſagiens, ſe non regreſſurum vivum in Angliam: quæ profectio*

206 *Etiam clariùs id indicavit Wilhelmo Jaudre, uni ex domeſticis ſuis, qui inter teſtes quinquageſimo tertio loco recenſitus*, narravit, quòd, dum dictus dominus Thomas fuit profectus in anno obitus ſui propter litem, quam habebat cum Fratre Joanne, tunc archiepiſcopo Cantuarienſi, ad curiam Romanam, & tunc idem dominus Thomas quaſi ore prophetico dixit eidem teſti, quòd deinceps non videret eumdem: & ita evenit, ut prædixit. *Quin etiam quaſdam veſtes ſuas, quibus indui ſoluerat, in diſceſſu ſuo eidem Wilhelmo donavit, quas ille poſt ejuſdem obitum ad varia mala pellenda feliciter adhibuit. Jam quod ad ejuſdem profectionis tempus attinet, Adrianus Bailletus in Vita Gallica* S. Thomæ *illam anno Chriſti* 1285 *innexuit, deceptus Vitâ à Laurentio Surio editâ, in qua rectè quidem ille dicitur à Martino IV ſummo Pontifice benignè honorificéque exceptus fuiſſe, ſed ejuſdem Sancti mors manifeſto errore uſque in annum* 1287 *differtur. Etenim cùm Martinus IV anno* 1285 XXVIII *Martii ſupremum diem ſuum obierit, credidit Bailletus, memoratum* S. Thomæ *ad illum acceſſum poſtremo ejuſdem Pontificis anno illigandum eſſe, ne Sancti in Romana curia, apud quam mortuus eſt, moram nimis diuturnam facere cogeretur.*

B

207 *Ex eodem errore ſtatuit Bailletus*, S. Thomam *poſt laudati Martini obitum toto illo biennio, quo ſucceſſor ejus Honorius IV Pontificatum tennit, id eſt, uſque ad diem* III *Aprilis anni* 1287, *Romæ manſiſſe, indeque regreſſum tempore conclavis, in quo Nicolaus IV electus fuit. Verùm ego ex certioribus monumentis ſequenti § probabo*, S. Thomæ *obitum nec ſeriùs nec citiùs, quàm menſe Auguſto anni* 1282 *contigiſſe. Ad hæc cùm Wilhelmus Jaudre mox laudatus expreſsè aſſerat, eumdem* in anno obitus ſui *ex Anglia illuc iter aggreſſum eſſe, & huic teſtimonio etiam alia inferiùs adducenda apprimè conſentiant, non eſt dubium, quin iſta profectio ad annum* 1282 *referenda ſit. Nec longiorem moram exigunt ejus geſta apud Pontificem; tantùm enim abeſt, ut mora illa biennis fuiſſe dicenda ſit, ut ne menſtrua quidem certò adſtrui poſſit. Ad hæc ex proceſſu certum eſt*, Thomam *non modò non ſupervixiſſe Martino IV Pontifici, ad quem acceſſerat, ſed etiam toto biennio ante illum vivere deſiiſſe: nec potuit ergò ad Pontificatum Honorii IV, nedum ad conclave, in quo Nicolaus IV creatus eſt Pontifex, perveniſſe.*

C

208 *Nunc, unde paululùm digreſſi ſumus, revertamur. Archiepiſcopus Cantuarienſis, audito, ſed nondum ſatis certis auctoribus cognito*, S. Thomæ *ex Anglia diſceſſu, ſine ulla mora ſub finem menſis Martii prædicti anni* 1282 *procuratores ſuos apud Pontificiam curiam agentes ea de re admonuit, expoſitâque pro ſuo ſenſu controverſiâ ejuſque progreſſu, tandem ait:* Dicitur autem, quòd idem Epiſcopus jam iter verſus Romanam curiam arripuit, quod tamen non credimus, quia incertum eſt: cùm, ſi ita ſit, non publicè transfretaverit, ſed occultè; & dum in uno loco inveniri creditur, jam ad alia loca latenter inclinans ſub vulpina pellicie ſe abſcondit. Si autem eum ad curiam venire contigerit, vel impetrationes fieri in præmiſſis, caveatis omnino, ne aliquæ literæ generales audientiam ſub quacunque forma tranſeant ſine contradictione, nec literæ ſpeciales ſine convenientia judicum & locorum. Et circa hoc vigiles ſitis & ſoliciti, quantum adverſarius noſter prædictus aſtutus eſt, in omni gradiens falſitate. Dat. apud Clyſt. epiſcopi Exon. 11 Cal. Aprilis, conſecrat. noſtræ anno IV. *Hanc epiſtolam integram habes ſuperiùs à num.* 180.

AUCTORE C. S.

non anno 1285. *ſed* 1282 *illigandа eſt.*

Archiepiſcopus procuratores ſuos hac de re monet & inſtruit.

209 *Laudati procuratores his ac fortè aliis, quæ ad nos non pervenerint, monitis inſtructi, in primis laborârunt, ut Epiſcopo Herefordienſi, velut à communione fidelium ſemoto, non pateret ingreſſus ad ſummum Pontificem & curiam ejus; ſed eorum conatus fruſtra fuêre. Auctores hîc rurſum habeo crebrò laudatos commiſſarios Clementis V Papæ, in ſua ad illum epiſtola dicentes:* Per teſtes ſufficienter deponitur in proceſſu, fuiſſe per duos Cardinales auditores procuratoribus partium deputatos, causâ ſummariè cognitâ, priuſquam idem dominus Thomas propter præmiſſarum appellationum proſecutionem Sedem Apoſtolicam perſonaliter adiens intraret curiam, declaratum, eumdem dominum Thomam, de dictis excommunicationibus dominis Papæ Martino felicis recordationis & Cardinalibus à procuratoribus archiepiſcopi memorati, ne eum ad communionem ſuam non * admitterent, delatum, fore integri ſtatus & ſicut hominem integri ſtatus, quando veniret ad dictam curiam, admittendum. Poſt quam declarationem veniens, à dictis dominis Papa & Cardinalibus ad oſculum & valdè honorificè propter vitæ, nobilitatis & ſcientiæ ſuæ excellentiam receptus extitit, & ab eis in divinis & aliis communicatum eidem. *Huc quoque pertinet, quod ex Joannis de Kemeſeya, eccleſiæ Herefordienſis canonici, teſtimonio alia occaſione ſuperiùs adduxi, nempe Sancto poſtremam Miſſam ſuam cum effuſis pro more ſuo lachrymis apud Montem-Flaſconis celebranti* plurimos ex familiaribus & domicellis domini Papæ & aliorum... in circuitu altaris *adſtitiſſe. Conſonant item, quæ de honorificis ejuſdem exſequiis ſequenti § referemus.*

quibus fruſtra obnitentibus, Thomas à Pontifice cum honore in communione recipitur.

*non abundat

E

§ XII. Supremus S. Thomæ morbus; pia mors, & hujus annus, menſis, dies ac locus: carnis ab oſſibus ſeparatæ ſepultura à S. R. E. Cardinalibus in eccleſia S. Severi prope Urbem veterem honorificè peracta.

F

Quàm longè à vero abfuerit Bailletus, dum S. Thomam *apud curiam Pontificiam biennio commoratum fuiſſe ait, dumque ex Vita à Surio edita, cui etiam Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ conſentit, eumdem obiiſſe credidit, quando poſt omnia, quorum causâ venerat, feliciter peracta redibat in patriam, manifeſtum ſit ex epiſtola commiſſariorum Apoſtolicorum, quam frequenter laudavi. Hi enim dicerte affirmant, ſanctum Antiſtitem in morbum, ex quo obiit, incidiſſe* paululùm poſt ejus adventum ad curiam, prædicta lite necdum, quod invenerimus, judicialiter exordita (*id eſt*, exorſa) nec ex tunc etiam proſecuta. *Itaque ille cauſas ſuas (ſi appellationem de excommunicationis ſententia excipias) non modò non evicerat, verùm etiam nec judicialiter agere cœperat, quando*

Paulò poſt acceſſum ſuum ad Pontificem

AUCTORE C. S.

do mortuus est; & ex litibus una, quam cum metropolitano suo habebat, per mortem sponte concidit; alteram verò, quam adversus Asaphensem episcopum susceperat, postea sub Richardo Sancti successore per Richardum Londinensem episcopum, ex compromisso electum arbitrum, ecclesiæ Herefordiensi adjudicatam fuisse, dictum est suprà num. 148.

incidit in morbum, quo jàpè laboraverat,

211 *Supremi morbi genus indicavit testis sexagesimus Robertus Deyntè, qui camerarii vices apud ipsum tunc supplebat, & in cujus brachiis ille felicem animam exspiravit. Ex illo discimus,* Thomam *à multis antè annis intestinorum seu colico dolore subinde cruciatum fuisse, eique tandem succubuisse.* Habebat, *inquit*, torsiones in ventre & colicam passionem, & habuerat, priusquam esset episcopus, & in anno (*id est*, quotannis) dicta passio colica affligebat ipsum multùm, ter vel quater, & durabat sibi dicta afflictio per dimidium diem & dimidiam noctem. *Deinde post pauca testatur, eumdem* ex febre & dicta colica passione *mortuum esse. Richardus quoque in Compendio num.* 34 *inter molestias, quas sanctus Decessor ejus in vita passus fuerat, memoravit*, quòd adversitate, sive gravi infirmitate ex dolore viscerum, seu iliaca passione
B & dolore stomachi per multos annos, priusquam esset factus episcopus, & pòst, quamdiu vixit, extitit molestatus. *Inveterato malo causam aut fomentum fortè dederint severa illius victitandi ratio, ac laboriosum iter Italicum, quod pro ecclesia sua susceperat*, non parcens corpori, senio & debilitate confecto, ex dictis fervore & zelo, quos habebat ad jura dictæ ecclesiæ suæ defendenda, & in *quorum* prosecutione martyrizatus laboribus, angustiis & expensis diem ibi clausit extremum, *ut loquitur Richardus in Compendio num.* 19.

conditoque testamento, & Ecclesiæ Sacramentis munitus

212 *Mortem itaque sive ex morbi gravitate, sive ex certiori notitia sibi instare præsagiens, huc omnes curas convertit, ut Christianè sanctèque, ut vixerat, moreretur; & ne archiepiscopi Cantuariensis molitiones suam cum Romano Pontifice communionem, quam semper meritò maximi fecerat, dubiam redderent. Quamvis igitur ante suum ex Anglia egressum jam condidisset testamentum, suumque, cui de peccatis confiteri solebat, capellanum secum haberet, voluit tamen, petitâ obtentâque à Martino IV facultate, testamentum denuò facere, & à Pontificio pœnitentiario sacramentalem absolutionem obtinere. Ita disertè asserunt sæpe dicti commissarii in epistola ad Clementem V, quorum verba subnecto.* Paululùm pòst ejus adventum ad curiam, prædicta lite necdum, quòd invenerimus, judicialiter exordita, nec ex tunc etiam prosecuta, cùm infirmitas, (de qua sicut fidelis Catholicus & Deo devotus dicitur anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, die Martis in crastinum B. Bartholomæi apostoli in castro Florenti obiisse) arripuisset eumdem, obtentâ condendi testamentum licentiâ, fuit confessus fratri Galfrido de Chepeya, de Ordine Minorum, tunc pœnitentiario domini Papæ, & ab eodem de omnibus suis peccatis, tamquam verè pœnitens & contritus, absolutus; & ejus absolutio ab antedicto domino Papa extitit approbata, sicut idem pœnitentiarius in suis patentibus tunc ibidem confectis litteris attestatur.
C

213 *Cetera morbi mortisque adjuncta discimus ex testimonio Roberti Deyntè, oculati, ut diximus, testis.* Obierat in castro Florentini prope Montem-Flasconis ex febre & dicta colica passione, receptis ecclesiasticis Sacramentis, & habuit bonam memoriam usque ad mortem, & fuit confessus cuidam presbytero suo, qui vocabatur dominus Nicolaus; & fuit locutus frequenter & per plures dies fratri Galfrido de Schepeye de Ordine Minorum, pœnitentiario domini Papæ, nescit, de quo, in infirmitate prædicta. Item adjecit (*Robertus Deyntè*) quòd, cùm instaret hora obitûs dicti domini Thomæ, & idem testis assisteret sibi in lecto, & teneret (*moribundus Episcopus*) caput inclinatum super brachia seu ulnas dicti testis, & etiam totum corpus appodiaret * super ipsum testem, quia stabat indutus super lectum propter clistere, quod medici dederant sibi in nocte præcedenti, idem dominus Thomas incepit dicere hymnum, VENI CREATOR SPIRITUS, legendo. Et finito toto hymno, dixit: PER SIGNUM SANCTÆ CRUCIS DE INIMICIS NOSTRIS LIBERA NOS, DEUS NOSTER; & PER CRUCIS HOC SIGNUM FUGIAT PROCUL OMNE MALIGNUM; ET PER IDEM SIGNUM SALVETUR QUODQUE BENIGNUM. Et subdens, IN MANUS TUAS, DOMINE, repetendo ter DOMINE DEUS VERITATIS, COMMENDO SPIRITUM MEUM, elevatis & junctis manibus versus cælum, repetendo dicta verba COMMENDO SPIRITUM MEUM, emisit spiritum.

mentis compos, & animam suam Deo commendans, sanctè moritur

* *i.e.* inclinatum teneret

E

in exiguo cubiculo, anno ætatis sæ

214 Interrogatus (*idem Robertus*) de præsentibus in hora dicti transitus, respondit, quòd dictus dominus Nicolaus capellanus suus, cui fuerat confessus, & Robertus de Starklaund, laïcus, ductor garderobæ (*id est curator rei vestiariæ*) ipsius domini Thomæ, affuerunt cum ipso teste; nam camera, in qua dictus dominus Thomas ægrotabat in quadam turri, erat ita modica, quòd vix poterant ibi recipi lectus dicti domini Thomæ & lectus ipsius testis, tunc ejus camerarii, & quoddam parvum altare in ea erectum: nec medici, nec socii arbitrabantur, quòd deberet ita citò mori. *Priusquam ad sepulturam progredimur, inquirendum hîc est in supremam illius ætatem, annumque, mensem, diem ac locum obitûs. Quod ad primam attinet, in uno duorum apographorum Compendii Vitæ, sive testimonii Richardi episcopi Herefordiensis dicitur* S. Thomas *tunc fuisse* sexaginta trium annorum, vel plurium ultrà; *in altero autem* sexaginta trium annorum, vel parùm ultrà; *sed ex ipsa phrasi liquet, posteriorem lectionem genuinam esse, priorem verò vitiatam, nam adverbium* ultrà *in priori abundat, non in posteriori.*
F

sexagesimo tertio vel quarto, Christi autem, non 1287.

215 *Proximè accedit Joannes de Kemeseya, canonicus Herefordiensis, Sancliquè in supremo itinere comes, qui à commissariis requisitus, quot annorum ille esset, dum obiit, respondit,* sexaginta duorum, vel circà. *Paulò seniorem illum fecit Robertus de Glouceстria, qui simili modo interrogatus, reposuit,* quòd credebat, dictum dominum Thomam fuisse sexaginta sex annorum vel circà, quando migravit ad Dominum. *Apud me prævalet testimonium laudati Richardi episcopi, qui post diuturnum cum illo convictum eidem etiam in episcopatum successit, & à quo assignata* sexaginta trium annorum vel parùm ultrà ætas *optimè congruit calculis ex eodem jam relatis num.* 52. *Magis erratum ab aliis est in anno emortuali, quem auctor Vitæ apud Surium, Matthæus Westmonasterienſis in Floribus historiarum, Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ, & post illos Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum hoc die, Odoricus Ray-*

A *Raynaldus in continuatione Annalium eccleſiaſticorum, Bailletus aliique dixerunt, fuiſſe Chriſtianæ æræ* 1287 *; ex quo deinde cetera digerentes, totam rerum, quæ ad* S. Thomam *pertinent, chronotaxim neceſſariò perturbârunt. Hæc de cauſa viſum mihi eſt, verum emortualem Sancti annum certis teſtimoniis argumentiſque ſtabilire.*

Sed anno 1282.

216 *Hunc eſſe annum Chriſti* 1282, *clariſſimè aſſeruerunt commiſſarii Apoſtolici ad inſtruendum proceſſum canonizationis illius anno* 1307 *deputati, quorum verba dedi num.* 212. *Conſonat Richardus epiſcopus, Sancti proximus ſucceſſor, cui proinde Deceſſoris ſui annus obitûs latêre non potuit, quique in Compendio num.* 35 *teſtatus eſt, illum mortuum eſſe* anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo. *Non video, quid ad hæc reponi valeat, niſi gratis ficta ſuſpicio de vitiatis apographis noſtris, ad quam, ſi neceſſe eſt, tollendam abunde ſufficient obſervationes ſubjectæ. Idem Richardus num.* 36 *Compendii anno* 1307 *numeravit annos circiter* 25 *tunc elapſos ab ejuſdem Sancti ſepultura; hos ergò aufer à præcitato anno* 1307, *prodibitque annus* 1282, *pro emortuali aſſignatus. In miraculis, tempore*

B *proceſſûs canonizationis, anno* 1307 *inſtituti, conſcriptis ſic legitur:* Quintâ igitur feriâ in Cœna Domini, videlicet IIII (*probabo ibidem legendum eſſe* III) Nonas Aprilis anno Gratiæ milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo, & à tranſitu dicti Epiſcopi ab hac vita anno quinto *&c. Numera denuò annos, qui à die* XXV *Auguſti anni* 1282 *uſque ad* III *Nonas Aprilis anni* 1287 *efluxerunt, annoſque quatuor cum inchoato octavo menſe anni quinti reperies.*

Iti manifeſtè probatur.

217 *Adde Nicolaum Trivettum vel Trevettum, ejuſdem temporis ſcriptorem, qui, ut ſuprà dictum eſt, in Chronico ſuo primò ad annum Chriſti* 1275 *ſcribit:* Obiit hoc anno Joannes Brutoun Herfordenſis epiſcopus.... Cui ſucceſſit magiſter Thomas de Cantilupo, doctor in ſacra Theologia *&c*; *ad annum verò* 1282 *rurſum ait:* Hoc anno beatus Thomas Herfordenſis epiſcopus in via versùs curiam de præſenti ſæculo nequam ereptus ad regna migravit cæleſtia, cùm annis ſeptem gregem ſibi commiſſum ſollicitâ curâ rexiſſet. *Ini calculos, & accuratos deprehendes. Rectè item auctor noſtri Ms. Florarii Sanctorum, ſeculo* XV *ad finem vergente exarati, obſervavit,* Thomam *inter Sanctos relatum fuiſſe anno* Salutis MCCCXX, à tranſitu ſanctiſſimi Viri XXXVIII; *ſubductis annis* 38 *ab annis* 1320, *reſidui erunt anni* 1282, *quorum poſtremus Sancto emortualis fuiſſe omnino dicendus eſt. Hinc ſimul obſerva, auctorem Vitæ Surianæ, alioſque conſentire de ordinatione illius epiſcopali ad annum* 1275 *referenda, ſed conſequenter, quod expreſsè fecit Bailletus, debere eidem annos ſedis duodecim attribuere, ut ejuſdem vitam uſque in annum* 1287 *producere poſſint; ſed neutrum eſſe probabile, jam ſatis à me demonſtratum puto.*

C

Obiit non die 2 Octobris,

218 *Æquè infelices fuerunt idem biographus Surianus & Capgravius, dum* Thomam *noſtrum* ſexto Nonas Octobris *è vivis exceſſiſſe ſcripſerunt, quos à menſe dieque aberrantes Bailletus aliique ſecuti fuêre. Errori occaſionem dedit bulla canonizationis à Joanne XXII Pontifice anno* 1320 *edita, in qua cùm hic feſtum illius* ſexto Nonas Octobris *affixerit, crediderunt illi, eumdem diem Sancto emortualem fuiſſe: ſed quacumque de cauſa Pontifex illum ejuſdem annuo cultui aſſignaverit, certum eſt,* Thomam *eo die non obiiſſe. Sanè nullum hac ſuper re dubium relinquunt commiſſarii Apoſtolici in epiſtola ſæpe memorata, ubi illum mortuum aiunt* anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo, die Martis in craſtinum beati Bartholomæi Apoſtoli, *id eſt, die* XXV *Auguſti, qui præcitato anno* 1282 *re vera dies Martis erat, ſeu feria tertia, ut liquet ex littera Dominicali* D. *In Compendio quoque Vitæ num.* 35 *obiiſſe dicitur* in craſtinum ſancti Bartholomæi apoſtoli anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo.

AUCTORE C. S.

Sed 25 Auguſti.

219 *Magis ambiguum eſt teſtimonium Roberti Deyntè, qualiter in noſtro proceſsûs apographo exſtat; nimirum ille* interrogatus de hora dicti tranſitus & obitus, dixit, quòd in die vel vigilia beati Bartholomæi, ut ei videtur, priùs ſolis occaſum, inter diem & noctem, & fuerunt viginti quinque vel viginti ſex anni in feſto beati Bartholomæi proximè tranſacto. *Ex hujus igitur teſtimonio* S. Thomas *obiiſſe dicendus eſſet die* XXIII *aut* XXIV *Auguſti; niſi tam dubia reſponſio ex præmiſſis aliorum aſſertionibus emendanda eſſet. Ut tamen hæc hæſitatio in viro, qui morienti adſtiterat, minùs mirabilis videatur, obſervandum*

E *eſt, feſtum S. Bartholomæi Romæ non celebrari, ut alibi, die* XXIV *Auguſti, ſed poſtridie; quem morem credibile eſt à Pontificia curia, quæ in Etruria tunc degebat, ſervatum fuiſſe, eoque factum, ut Robertus Deyntè, homo laïcus, annis viginti quinque pòſt ex confuſa memoria ſic hæſitanter locutus fuerit: nam dies* XXIV *Auguſti, qui apud nos S. Bartholomæo ſacer eſt, apud Romanos ejuſdem vigilia eſt; dieſque* XXV, *qui apud eoſdem illi feſtus eſt, apud nos poſterus eſt. Quam ob rem ſi ex Romanorum more teſtis ille reſponderit, rectè dixerit,* S. Thomam *in feſto S. Bartholomæi vivere deſiiſſe.*

annos epiſcopatus ſui non 12, ſed ſeptem numerans.

220 *Denique, cùm iſta Robertus teſtatus fuerit die* X *Septembris anni* 1307, *rectè à Sancti obitu uſque ad feſtum S. Bartholomæi tunc nuper præteritum numeravit annos viginti quinque in ipſo feſto ſecundum morem Romanorum, aut poſtridie ſecundum noſtrum completos. Obiit ergò ſanctus Præſul anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio vel quarto, Chriſtianæ æra* 1282, *die* XXV *Auguſti ſub veſperam; qui cùm anno* 1275 *ordinatus fuerit epiſcopus, Hereſordienſem ſedem tenuit annis ſeptem minus diebus tredecim, ſi ordinatio illa, ut habet Franciſcus Godwinus in Commentario de Præſulibus Angliæ, facta ſit die* VIII *Septembris. Annos ſeptem, completos vel incompletos, ſedis ipſi etiam tribuit Trevettus num.* 217 *laudatus; ac certè non poſſunt eidem concedi anni duodecim, quod facit Bailletus, & facere coguntur, quotquot, retento, quem aſſignavimus, ordinationis ipſius anno, ejuſdem mortem uſque in annum* 1287 *ex Vita apud Surium vel ex Joannis Capgravii Legenda Sanctorum Angliæ diſtulerunt.*

F

in Tuſcia ſuburbicaria in caſtro prope Montem Flaſconis,

221 *Supereſt, ut de ejuſdem loco emortuali agamus. In epiſtola commiſſariorum Apoſtolicorum è vivis exceſſiſſe dicitur* in caſtro Florenti; *eodemque modo legitur in teſtimonio Joannis de Kemeſeya, canonici Hereſordienſis. Clariùs loquuntur Robertus de Glouceſtria:* Apud caſtrum Florenti juxta Montem Flaſconis: *Robertus Deyntè:* In caſtro Florentini prope Montem Flaſconis, *ac denique Richardus in Compendio num.* 35, *cui conſonat Capgravius:* Apud Florentinum juxta Montem Flaſconis. *Notus vulgo eſt Mons-Flaſconis, Italis* Monte Fiaſcone *dictus, vinoque ſuo celebris, tunc caſtrum Balneoregienſis diœceſis,*

AUCTORE C. S.

sis, nunc civitas episcopalis nulli suffraganea, ditionis Pontificiæ in Tuscia suburbicaria ad lacum Vulsinium sita. Prope hanc ergò civitatem oportet exstitisse castrum, quod à prælaudatis testibus ac commissariis castrum Florenti, Florentini & Florentinum *appellatur. In bulla quoque, per quam Urbanus V Papa anno* 1369 *Montem-Flasconis ob sua erga Romanos Pontifices merita in episcopatum erexit, inter castra, quæ ad novam illam diœcesim pertinerent, castrum* Florentini *recensetur. Verumtamen nec in Mappis nec in Lexicis geographicis illud ibi inveni; quod nescio, an mutationi nominis, an loci excidio vel ignobilitati adscribendum sit.*

nec fortè multùm ab Urbevetere dissito.

222 *Non rectè anonymus in Vita apud Surium Sancti locum emortualem assignavit* apud Florentinos juxta Flasconis Montem, *ex eoque Bailletus verbis Gallicis* in Monte Flasconis in territorio Florentino. *Decem circitèr milliaribus Italicis à Monte-Flasconis abest Urbsvetus, vulgo* Orvieto *dicta, ubi tunc Martinus IV summus Pontifex suam curiam passim habebat, ac subinde etiam ad Montem-Flasconis divertebatur, uti videre licet in Annalibus ecclesiasticis Odorici Raynaldi ad annum* 1282. *Hoc cùm aliqui non adverterent, crederentque,* Thomam, *quem ad* curiam Romanam *profectum fuisse legerant, proinde ad Urbem Romam accessisse; eorum aliqui dixerunt, ipsum, dum eò tenderet, alii, dum post negotia feliciter confecta ex Urbe rediret, apud Montem-Flasconis morbo correptum ad cælos migrâsse. Neutrum verum esse, satis superque probant hactenus adducta testimonia, ex quibus statuendum est, ipsum eo in loco vitâ functum esse, seu quia Pontificem secutus fuerat ad Montem-Flasconis, seu quia ob propinquitatem Urbisveteris, ubi Pontifex cum sua curia degebat, fortè apud aliquem amicum in prædicto castro hospitabatur, seu denique, quia quacumque alia de causa illuc digressus fuerat, quando in supremum morbum ex non insueto ipsi cruciatu colico incidit.*

B

Ejus caro ab ossibus separata honorificè sepulta fuit

223 *Quæ post obitum secuta fuêre, creberrimè laudati commissarii Apostolici domino suo Clementi V ita perrexerunt exponere.* Dominicâ post ejus felicem transitum proximè subsecutâ fuit ipsius corpus à bonæ memoriæ domino Hieronymo, tunc Cardinali, aliis Cardinalibus astantibus, intra ecclesiam monasterii sancti Severi prope Urbemveterem honorificè ac solemniter ecclesiasticæ traditum sepulturæ. *Hæc de carne illius intellige: nam ossa ejusdem ab illa separata ad sedem suam Herefordiensem in Angliam paulò post translata fuisse, tam ex eorumdem commissariorum, quàm ex aliorum juratis testimoniis mox dicemus. Robertus Deyntè, qui morienti adstiterat, de sepultura similiter testatus est:* Corpus dicti domini Thomæ fuit sepultum, præsente domino Hugone de Eveshaim & aliis Cardinalibus, de quorum nominibus non recordatur, intra ecclesiam monasterii sancti Severi prope Urbemveterem, ex parte dextera, cùm à claustro intratur in dictam ecclesiam.

C

in ecclesia abbatiæ S. Severi, officio fungente Cardinale Prænestino,

224 *Cardinales, qui præsentiâ suâ sacrum funus honestârunt, nominavit Richardus episcopus in Compendio num.* 35, Ejus, *inquiens,* corpus (*de carne rursum interpretare*) in ecclesia abbatiæ sancti Severi sub Urbeveteri die Dominica proximè subsequenti à domino Hieronymo Cardinali, præsentibus dominis Hanchero, Latino, Comite, & Hugone Cardinalibus, fuit honorificè cum solemnitate ecclesiasticæ traditum sepulturæ; & à dicto domino Hieronymo prædicante defunctus multùm commendatus ibidem. *En etiam testimonium Joannis de Kemeseya Herefordiensis canonici, qui etiam funeri adfuit.* Ipso teste præsente (*verba processûs sunt*) frater Jeronimus Cardinalis, qui fuit postmodùm Papa Nicolaus IV, cum solemnitate debita, astantibus dominis Hugone de Evesham, Anchero & Comite Cardinalibus, sepelivit in ecclesia monasterii sancti Severi versùs partem Australem juxta parietem & ostium, per quod monachi de claustro intrant ecclesiam, corpus dicti domini Thomæ, & egregiè in prædicatione sua commendavit defunctum.

D

postea summo Pontifice, aliisque Cardinalibus præsentibus;

225 *Ex Cardinalibus nominatis primus, qui funebri officio tunc functus est & orationem panegyricam de defuncto Præsule habuit, fuit Hieronymus, à diœcesi, in qua in Piceno natus est, Asculanus dictus, qui ex Ordine Fratrum Minorum factus primò S. R. E. presbyter Cardinalis S. Pudentianæ titulo Pastoris, deinde anno* 1281 *episcopus Cardinalis Prænestinus, tandemque anno* 1288 *summus Pontifex creatus fuit, Nicolaus IV appellatus. Hancherus seu Ancherus Pantaleo, patriâ Trecensis in Campania Gallica, sacro Cardinalium collegio allectus fuit ab Urbano IV anno* 1261, *annoque* 1287 *mortuus. Latinus Frangipanis, seu Malabranca, ex Ordine Prædicatorum à Nicolao III anno* 1278 *eamdem dignitatem adeptus, anno* 1294 *vivere desiit. Comes Glusianus de Casate Mediolanensis, & Hugo Atratus Anglus, à natali loco dictus* ab Evesham, *Cardinalitiam purpuram à Martino IV anno* 1281 *acceperunt, amboque anno* 1287 *excesserunt è vivis. Ita* S. Thomæ *caro, quem, velut à fidelium communione semotum, à Romana Pontificis curia arcendum speraverant procuratores archiepiscopi Cantuariensis, honorificè ecclesiasticæ sepulturæ mandata fuit, atque ipse pro meritis in oratione funebri publicè laudatus à Cardinale episcopo, postea summo Pontifice, astantibus aliis Cardinalibus, qui in Pontificia curia tum versabantur. Nimirum prodit se ubique virtus, & à persequentibus novum acquirit splendorem.*

E

cujus monasterii, apud Urbemveterem conditi,

226 *De S. Severi abbatia, situque ac vario statu agit reverendissimus dominus Carolus Ludovicus Hugo, abbas Stivagiensis, tom.* 2 *Annalium Ordinis Præmonstratensis, col.* 741 *& sequentibus, ex quibus ad loci notitiam pauca annotabo.* Abbatia, S. Severo nuncupata, his etiam temporibus magnifica & spectabili structura insignis, in planitie ad Meridionalem plagam quingentis circitèr ab Urbeveteri passibus dissita, à monachis ad Præmonstratenses translata est, jubente Honorio III Pontifice, anno MCCXXVI; non autem, ut Ughello placuit, MCCXXI. *Deinde recenset aliquot Ordinis Præmonstratensis ejus loci abbates, quorum primum anonymum anno* 1228, *ultimum verò, quem noverat, Nicolaum filium Bindi seu Bivoli, ex nobili Marscianorum familia, anno* 1373 *præfuisse observat. Incolebant ergò Præmonstratenses canonici Regulares hanc S. Severi abbatiam, quando* S. Thomæ *separatæ ab ossibus carnes in ecclesia ibidem humatæ fuerunt. Quis tamen tunc temporis abbas fuerit, non habeo compertum; nam laudatus Hugo inter Bartholomæum, quem anno* 1277 *abbatem egisse ait, ac mox memoratum Nicolaum nullum intermedium è monumentis nominavit; postque illos non novit alios ejusdem abbatiæ prælatos, quàm abbates, ut vocant, commendatarios, eosque S. R. E. Cardinales.*

F

227 *Nec Præmonstratenses deinceps mansêre illius*

AUCTORE C. S.

§ XIII. Sacrorum ossium translatio in Angliam & prima sepultura in ecclesia cathedrali Herefordiensi: altera eorumdem translatio intra eamdem ecclesiam ad novum tumulum, ac mox secuta veneratio.

Sancti ossa à carnibus separata portantur in Angliam.

POst solemnia funebria S. Thomæ *persoluta humatamque, ut vidimus, carnem in ecclesia abbatiæ S. Severi apud Urbemveterem, reliquum corporis, ossa scilicet, ac fortè etiam cor, in Angliam relata fuêre, ut in sua cathedrali ecclesia Herefordiæ tumularentur. Adi Compendium Vitæ num.* 35, *ubi id factum esse dicitur* per familiares ipsius *defuncti, è quibus fuerunt Joannes de Kemeseya Herefordiensis canonicus, & Robertus Deyntè, camerarii ipsius vices supplens. Horum prior hanc translationem paucis his verbis asseruit:* Post dictam autem sepulturam ossa, à carne separata, fuerunt apportata ad ecclesiam Herefordensem: *alter similiter ait:* Ossa, separata à carne, fuerunt apportata ad ecclesiam Herefordiensem, & inibi requiescunt. *Mitto alios, qui eamdem translationem in processu affirmârunt; commissariorum Apostolicorum verba aptiùs infrà dabo. Dixi,* fortè etiam cor *tunc in Angliam translatum fuisse, quia Adam Kyngeshuam, in processu testis undecimus, deposuit, illud eo anno* 1307 *quieviſſe* apud Aſshrugg Lincolniensis diœcesis.

An in hac translatione, ut quidam asserunt,

231 *Singulare est, quod in hac translatione contigisse legitur in testimonio quinti testis, Aicardi de Warevik, vel Warwik, jurisperiti & justiciarii ac consiliarii regis Angliæ, qui* dixit, se audivisse publicè referri, quòd, quando ossa dicti domini Thomæ fuerunt apportata de partibus, in quibus obierat, & dicta ossa portarentur per diœcesim Cantuarienſem, emanavit sanguis à dictis ossibus, quando fuerunt in diœcesi supradicta. *Præerat etiam tunc ecclesiæ Cantuariensi archiepiscopus Joannes Peckhamus, utquò ex dicendis patebit, nondum remiserat simultates, imò* Thomam *pro excommunicato volebat haberi; cui rei, opinor, laudatus testis causam prodigiosæ illius sanguinis effusionis adscripsit. Simile prorsus, sed cum variatis adjunctis, legere est in Vita scripta per anonymum, tam in apographo nostro quàm in edito à Capgravio, hoc scilicet modo:* Ossa in Angliam ad sedem suam per tot terrarum & maris spatia delata sunt. Cùm enim ossa sancta comiti Glouverniæ Gilberto de Clara, qui ipsum pro juribus ecclesiæ fatigaverat laboribus & expensis multis, in itinere obviarent, statim sanguinem in magna abundantia effuderunt, ut vasa, in quibus erant posita & delata, sanguine rubricata apparerent. Quo viso, comes timore & horrore percussus universa ecclesiæ jura restituit, pœnitentiam pro commissis agens.

sanguine manârint, non satis constat.

232 *Eadem Surius stilo suo paululùm mutata sic reddidit:* Ossa verò per tam longinqua terrarum ac maris spatia in Angliam ad sedem suam apportata sunt. Cúmque obviàm illis veniſſet

& à Præmonstratensibus tunc inculti, aliqua notitia datur.

illius perpetui inquilini, nec hodiedum sunt, nec constat de tempore, quo inde recesserunt; quod ab illis seculo XIV *vel* XV *propter intestina Urbevetanorum aliorumque bella sponte factum esse, laudatus ab Hugone reverendissimus Andreas Pennatius, Urbisveteris vicarius generalis, existimavit. Non meminit quoque idem abbas Stivagiensis, an & qui Præmonstratensibus in abbatiam successerint; sed hodierno tempore à nullis Religiosis clericisve incoli colligitur ex eo, quòd de Eminentissimo Cardinale Joanne Baptista Altieri, ejusdem tunc abbate commendatario dicat:* Cui ibidem curæ est, ut à quodam eremita custodiatur domus Dei. *Ex tam obscuris ejus loci notitiis obscura mihi etiam est* S. Thomæ *in ejusdem ecclesia veneratio, adeò ut nesciam, quo in honore ejus ibi sepulcrum sit, quæve exstet memoria. Nullam de illo mentionem fecit prælaudatus abbas annalista, ac propterea nullam quoque feciſſe videtur reverendissimus Andreas Pennatius, cui ille accepta retulit pauca, quæ de eadem abbatia scripsit.*

B *Quòd sacrum cadaver suaviter fragrâsse dicitur,*

228 *Ante hujus § finem paucis refutanda hîc venit narratio anonymi Suriani, qui, postquam* S. Thomæ *obitum* VI Nonas Octobris anno Domini MCCLXXXVII *malè fixerat, subjecit sequentia:* Interea sex diebus corpus ejus exanime asservabatur, odorem spirans suaviſſimum. Deinde caro ab ossibus separata in ecclesia S. Severi honorificè sepulta est. *Ita ibi Surius, nonnihil mutatis verbis anonymi, qui in nostro apographo & apud Capgravium sic habet:* Cúmque corpus suum per sex dies custodiretur, odor suaviſſimus nihilominus ab ipso procedebat. Postea verò caro ab ossibus separata in ecclesia S. Severi honorificè sepulta est. *Suprà probavi, Sancti obitum contigisse anno* 1282 *sub vesperam die* XXV *Augusti, quæ feria tertia erat; sepulturam verò* Dominicâ post ejus felicem transitum proximè subsecutâ; *ita ut vix quinque dies integri inter ejusdem mortem ac sepulturam potuerint intercessisse.*

idoneo caret auctore.

229 *Quod ad odorem attinet, si eo exanime corpus aliquot dies revera suaviſſimè fragraverit, miror, nullum è testibus, è quibus certè duo, scilicet Joannes de Kemeseya canonicus Herefordiensis & Robertus Deyntè, camerarii vice apud Sanctum tunc fungens, iis rebus omnibus adstiterunt;*

C *miror, inquam, nullum è testibus in processu de tam insigni miraculo locutum fuisse, nec sacri funeris curatores eo deterritos fuisse à corpore exossando. At nullum de hisce verbum in testimoniis, quæ habeo, factum reperio. Suspectum hoc prodigium habuisse videtur Bailletus, qui cùm Surianum biographum secutus in ceteris sit, pro* suaviſſimo odore *substituit* incorruptionem, *Gallicè dicens:* Corpus ejus, postquam sex diebus servatum fuit, corruptionis expers deprehensum, est exossatum. *Itaque, quamvis ejusmodi prodigiosa fragrantia in Sanctorum cadaveribus non careat exemplis, pro ea tamen hîc asserenda desideratur auctoritas, & propter testium silentium mihi non apparet verisimilis.*

E

F

AUCTORE C. S.

Gilbertus de Clara, comes Gloverniæ, qui ob jura ecclesiæ beatum Virum fatigaverat, mox ab eis sanguis copiosissimus manavit, ita ut vasa, in quibus ferebantur, sanguine tincta viderentur. Id comes ille cernens, timore & horrore concussus jura omnia ecclesiæ restituit, & ob ea, quæ temerè admiserat, egit pœnitentiam. *Hactenus ille. Multa* S. Thomam *à Gilberto Gloverniæ seu Gloucestriæ comite passum esse, constat ex prædictis. Eumdem comitem infrà quoque videbimus ad ejusdem Sancti tumulum sæpe cum muneribus supplicem venisse; sed an hæc viri pietas ex asserto sanguinis miraculo nata fuerit, ejusdemque inimicitiæ injustaque ecclesiasticorum jurium violatio tunc primùm cessaverint, haud equidem ausim affirmare. Utque mentem meam paucis aperiam, auctoritas anonymi, incerti loci ac temporis, qui post* Thomæ *canonizationem, id est, non citiùs, ac fortè multo seriùs, quàm annis triginta & octo post translationem scripsit, multùm cedere debet testimonio Aicardi de Warwik, translationi synchroni; neque huic tamen de tanto prodigio certam fidem habere audeo, quia silentibus ceteris testibus, unicè dixit, se illud* audivisse publicè referri, *& quia aliunde novimus, ejusmodi rumores, sæpe sine idoneo teste natos, facilè in vulgus spargi; quod hîc quoque factum esse, ut minimùm suspicari facit aliorum testium silentium.*

B

Archiepiscopus Cantuariensis primò vetuit, deinde permisit, ea sepeliri.

233 *Porrò archiepiscopus Peckhamus, in sua de excommunicato* Thoma *persistens sententia, ejus ossa vetuit ecclesiasticæ sepulturæ mandari, donec ex producta fratris Galfridi de Schepeya, pœnitentiarii Pontificii epistola ei constitit, illum ab hoc in supremo morbo sacramentaliter absolutum fuisse; qua de re vide dicta § præcedenti. Ita docent commissarii Pontificii in epistola ad Clementem V.* Ossa, *aiunt*, separata à carne, delata in Angliam, fuerunt per dictum archiepiscopum (qui priùs ea sepeliri prohibuerat, donec de dicti domini Thomæ legitima absolutione constaret) eadem, exhibitâ sibi litterâ dicti pœnitentiarii, ut quidam testes aiunt, absoluta & subsequenter, eo permittente, tumulata in ecclesia Herefordiensi... & tam ipse archiepiscopus, quàm ejus suffraganei dederunt indulgentiam orantibus pro anima dicti domini Thomæ; & idem archiepiscopus approbavit testamentum ipsius, & ipsius auctoritate extitit executum. *Hac ratione manifestè agnovit Peckhamus, sanctum Episcopum, si umquam verè legitimèque excommunicatus fuerit, ecclesiasticæ communioni ante mortem suam fuisse restitutum; sed in duobus quoque præcedentibus §§ probavi, eumdem nulla ejus generis absolutione opus habuisse.*

C

tumulumque missis donis veneratus est

234 *Agnovit etiam postea sanctitatem ejus, quemque in vivis multùm vexaverat, defuncti in cœlis patrocinium imploravit.* Ad *ejus enim* tumulum (*utor rursum verbis commissariorum*) deposuit quidam familiaris dicti archiepiscopi, se de voluntate ejusdem cum oblationibus aliis apportâsse candelas, factas in filo, cum quo idem archiepiscopus ad ipsum dominum Thomam in infirmitate, de qua post aliquot menses obiit, fuerat mensuratus. *Hac occasione inserendum hîc verbum est de istius temporis more Anglorum, de quo in miraculis creberrima occurret mentio. Solebant illi personas aut etiam pecudes, pro quibus Sanctorum opem invocabant, filo aliave simili re* secundùm morem patriæ, *ut sæpe dicetur, mensurare, ex eoque filo ceraque factam ejusdem magnitudinis candelam ad tumulum aut ecclesiam Sanctorum, quos imploraverant, deferre; vel si fortè non universalis erat candelæ donandæ consuetudo, saltem isto mensurandi ritu, suam in Sanctos fiduciam protestabantur, remque mensuratam eorumdem clientelæ commendabant. Exempla plurima in miraculis legemus.*

D

in supremo morbo, de quo obiit.

235 *Cùm isthæc Joannis Peckhami per familiarem suum ad* S. Thomæ *tumulum supplicatio facta dicatur* in infirmitate, de qua post aliquot menses obiit, *audi, quid Nicolaus vel Aicardus de Warwik, in processu testis quintus, ex communi fama de supremo ejusdem archiepiscopi morbo, veluti divinitus inflicto, testatus fuerit. Postquam dixerat, Sanctum, dum viveret, multa passum* à fratre Joanne de Pecham, tunc archiepiscopo Cantuariensi, propter jurisdictionem, quam in subditos dicti domini Thomæ volebat dictus archiepiscopus usurpare; *subjecit:* Communiter fuit dictum per totam Angliam, & fuit fama publica & est, quòd dictus archiepiscopus per dimidium annum & amplius ante obitum ipsius archiepiscopi, fuit infatuatus, & faciebat & dicebat multas fatuitates, acsi fuisset puer, cantando in mensa, & consimilia; quia indebitè persecutus fuerat dictum dominum Thomam; & quòd ex hoc Deus inflixerat sibi * dictam plagam, & assumpserat dictam vindictam de eo. *Quamquam non possim hæc aliunde confirmare, quæ tamen ex epistola commissariorum mox præmisi, apparet, etiam Peckhamum, ejusve amicos simile quid saltem suspicatos fuisse.*

E

* *i. e.* eidem

Eadem in ecclesiæ cathedralis Herefordiensis sacello S. Mariæ sepulta,

236 *Sancti Episcopi ossa Herefordiam, ut dixi, allata, factâ ab archiepiscopo facultate, primò* in capella B. Mariæ ecclesiæ Herefordiensis, *cathedralis scilicet, tumulata fuisse, docet Richardus in Compendio Vitæ num.* 36, *quod & alii testati fuerunt; in quo loco paucis tantùm annis quieverunt. Idem enim Richardus cognomento de Swinfeild,* S. Thomæ *olim familiaris, tuncque in episcopatu successor, nobilius illi sepulcrum in eadem ecclesia erexit, ossaque ejusdem ex priori illo humili in novum illud transposuit. Fecit hoc non cultus deferendi gratiâ, sed, prout in Parte* IV *miraculorum num.* 2 *legitur*, ob causas varias & legitimas secundum ordinationem illorum, qui quondam fuerant executores testamenti ejusdem, ac de voluntate capituli ecclesiæ supradictæ. *Utque minùs de non cultu dubites, additur, Richardum* juxta sepulchrum novum ipsius in præsentia sua Missam, quæ communiter celebratur pro defunctis, celebrari *tunc jussisse, quod etiam ipsemet in Compendio testatus fuit.*

F

ad elegantiorem tumulum intra eamdem ecclesiam translata fuêre anno 1287.

237 *Eamdem translationem pluribus exposuit ibidem num.* 36 *& tribus sequentibus, ad quos lectorem remittens, solùm adjuncta temporis hîc annotabo. Anno* 1307, *die* XIV *Septembris, dum ista testatus est Richardus, numerabat* viginti annos vel circa *ab hac translatione elapsos, qui computus ad annum* 1287 *deducit. Præmiserat item ibidem, inter eamdem translationem primamque in ecclesia Herefordiensi sepulturam* quinquennium vel circà *interfuisse, quod si ad annum* 1282, *quo* Thomas *obiit, adjeceris, in eumdem annum* 1287 *incides, quem etiam alii affirmârunt, ut de eo dubitari non possit. Diem à nemine signatum legi, nec tamen ab eo multùm aberrari sinunt, quæ in processu hinc inde dicuntur. Gilbertus procurator capituli Herefordiensis testatus est, quamdam furibundam, nomine Editham*, die Veneris proxima ante festum Ramis-

palmarum

palmarum anno Domini MCCLXXXVII (*legebatur hîc* MCCCLXXXVI *manifeſto deſcribentis errore, quem correxi*) *matutino tempore in eccleſia Herefordienſi ſanæ menti reſtitutam iviſſe* ad locum, in quo oſſa dicti S. Thomæ erant tunc recondita in capella S. Mariæ in eccleſia Herefordienſi, à qua capella fuerunt poſtmodùm tranſlata in tumulum, in quo nunc ſunt.

poſt diem 28 Martii

238 *His conſonans Robertus, ejuſdem Edithæ maritus, die* IV *menſis Novembris anno* 1307 *dixit, circa principium ſubſequentis Quadrageſimæ fore annos viginti & unum, ex quo illa in phreneſim inciderat; in eâdemque Quadrageſimâ ſic furibundam ductam eſſe ad eccleſiam Herefordienſem, & in ea poſt aliquot dies* die Jovis ante Dominicam Ramiſpalmarum *deductam* ad capellam B. Mariæ in eadem eccleſia, in qua capella recumbebant tunc oſſa dicti S. Thomæ; *ac denique* in craſtinum, ſcilicet die Veneris manè *priſtinæ rationis uſui redditam fuiſſe. Conſule Partem* I *Miraculorum à num.* 73. *Præcitato igitur anno* 1287 *die Veneris ante Dominicam Palmarum, ſive die* XXVIII *menſis Martii* (*nam Paſcha eo anno in diem* VI *Aprilis incidit*) *nondum facta fuerat*

B *memorata tranſlatio. Non diu tamen pòſt differri poſſe, evincunt alia aſſerta in proceſſu, quamquam & hæc, ut invicem concilientur, difficultatem patiantur pro certo tranſlationis die aſſignando.*

ſed ante diem 3 Aprilis proximè ſubſecuti.

239 *In collectione miraculorum tempore ejuſdem proceſſus facta, quam ſub titulo* Partis IV *edam, initium miraculorum deſumitur à cæcis illuminatis* quintâ feriâ in Cœna Domini, videlicet IIII (*legendum eſt* III) Nonas Aprilis, anno Gratiæ milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo, & à tranſitu dicti Epiſcopi (*S. Thomæ*) ab hac vita anno quinto, cùm dominus Richardus, Dei gratiâ ejuſdem eccleſiæ epiſcopus, proximuſque ipſius ſucceſſor, oſſa Servi Dei prædicti de loco, ubi priùs ſepulta fuerant... in loco alio competentiori in eadem eccleſia ſepeliſſet, ac juxta ſepulchrum novum ipſius in præſentia ſua Miſſam, quæ communiter celebratur pro defunctis, celebrari feciſſet *&c. Hoc anno* 1287 *Paſcha, ut dictum eſt, incidit in diem* VI *Aprilis, atque adeò Cœna Domini in diem* III, *ante quem oportet ſacra oſſa tranſlata fuiſſe: nam*

C *ut eodem die tranſlata dicantur, neutiquam exigunt allata verba; neque ulla ratione veriſimile eſt, diem hunc, funebri pompæ Miſſæque pro defunctis celebrandæ minimè accommodatum, à Richardo epiſcopo ad eam rem electum fuiſſe. Uno in loco ſic quidem loquitur Joannes de Kemeſeya, canonicus Herefordienſis, quaſi tranſlatio in ipſa Cœna Domini contigiſſet; verùm ille varia ibi paucis memorat, quorum aliqua eo die potuerint contigiſſe, minúſque accuratè ibidem locutus fuiſſe dicendus eſt.*

Diſcutiuntur aliquot aliorum dicta,

240 *Valdè intricata ſunt, quæ ex teſtimonio nobilis viri Milonis, ſexennio contracti pedibus, ac deinde* in feſto Reſurrectionis Domini *ad novum* S. Thomæ *tumulum priſtinæ incolumitati reſtituti, referuntur inter miracula apud me in Parte* 2, *num.* 6 *&* 7, *unde, quæ huc faciunt, ipſis ferè verbis deſcripſi. Dicitur igitur Milo ille ſic contractus*, cùm ſibi perſuaſum fuiſſet à domino Richardo ... epiſcopo Herefordienſi, ut veniret ad quamdam maximam ſolemnitatem, ab ipſo epiſcopo in feſto Reſurrectionis Domini, quando per ipſum epiſcopum fuerunt tranſlata oſſa ipſius domini Thomæ in tumulo, in quo nunc ſunt, faciendam, *juſſiſſe ſe Herefordiam curru vehi; cúmque ibidem* audiviſſet, AUCTORE C. S. quòd in dicta tranſlatione Deus fuerat multa miracula pro ipſo S. Thoma in die Jovis ſancto & in die Paraſceve operatus... *feciſſe* ſe portari ad dictum tumulum horâ veſperarum in die Sabbathi ante dictum feſtum Reſurrectionis; *ac denique poſtridie* adeò plenè & perfectè ad dictum tumulum... fuiſſe curatum, quòd eadem die exultans in Domino ſervivit coram epiſcopo ſupradicto in ſolemni convivio celebrato per eum.

ex quibus videri poteſt

241 *Ex hiſce videri poſſet Milo duo feſta* Reſurrectionis Domini, *quorum unum Cœnam Domini præceſſerit, alterumque ſubſecutum fuerit, hîc indicâſſe. Hunc in finem obſervo, præter Dominicam Reſurrectionis Domini, quæ aliàs* Paſcha *appellatur, & mobile feſtum eſt, in vetuſtis Martyrologiis etiam* Reſurrectionis Domini *memoriam fixum diem habuiſſe, & in aliis quidem ad* XXVII, *in aliis ad* XXVIII *menſis Martii inſcriptam eſſe. Conſule Henſchenium noſtrum ad priorem diem tomo* III *Martii, pag.* 687 *ſub titulo:* Sacra memoria Jeſu Chriſti Reſurgentis. *Anglicanis Martyrologiis adjici poteſt Kalendarium,* E *Enchiridio eccleſiæ Sarisburienſis, anno* 1533 *typis excuſo præfixum, quod in Muſeo noſtro exſtat, & in quo ad diem* XXVII *ejuſdem menſis Martii* Reſurrectio Domini *ſimiliter ſignata eſt. Attamen ne feſtum hoc immobile à laudato Milone indicatum credam, gemina obſtat ratio. Prima eſt, quòd ex præmiſſis conſtet,* S. Thomæ *oſſa die* XXVIII *Martii adhuc requieviſſe in primo ſuo ſepulcro in ſacello S. Mariæ, neque ex tota Gilberti procuratoris narratione veriſimile ſit, illa eodem die inde ad novum ſepulcrum delata fuiſſe. Altera eſt, quòd ipſemet Milo ſatis inſinuet, ſe de unico feſto Reſurrectionis, ſive de feſto Paſchatis agere, dum ait, ſeſe ad Sancti tumulum deferri curâſſe* in die Sabbathi ante dictum feſtum Reſurrectionis.

eadem tranſlatio

242 *Quam ob rem puto equidem, Milonis narrationem confuſam eſſe, itáque explicandam, ut per* feſtum Reſurrectionis Domini *utrobique intelligendum ſit Paſcha, hocque à Richardo epiſcopo præſtitutum dicatur, non ad tranſlationem faciendam* (*quorſum enim in tam læta feſtivitate pompa funebris?*) *ſed ad Paſchalia gaudia ſolemni etiam convivio celebranda: Iſta verò Milonis*

F *verba*, Quando per ipſum epiſcopum fuerunt tranſlata oſſa ipſius domini Thomæ in tumulo, in quo nunc ſunt, *non ad ipſum Paſcha diem reſtringantur, ſed modo non prorſus inſolito ad proximè præcedens tempus referantur. Nimirum ſic loqui potuit laudatus Milo, tum quòd ſolemne iſtud convivium ratione prædictæ tranſlationis veriſimillimè inſtitutum fuerit, & quia Quadrageſimale tempus eidem minimè conveniebat, in feſtum Paſchatis dilatum; tum etiam quòd tunc ipſe ad idem convivium ab epiſcopo invitatus, auditis, quæ occaſione tranſlationis, biduo triduove antè tunc factæ contigerant, in ſpem erectus ſanitatis recuperandæ voti ſui compos evaſiſſet. Ita certè explicandus Milo eſt, niſi & cum aliis & ipſe ſecum diſſidere dicendus ſit.*

ad alios dies referenda eſſe.

243 *Difficilior locus eſt in teſtimonio Roberti de Glouceſtria, qui, ut verbis proceſſûs utar,* interrogatus, à quo tempore citrà inceperat dicta fama, dictum dominum Thomam eſſe ſanctum, & Deum pro eo miracula operari, reſpondit, oſſa dicti domini Thomæ priùs fuiſſe tumulata in eccleſia Herefordienſi in capella beatæ Virginis; cùm autem ſtetiſſent ibi per multos

AUCTORE C. S.

tos annos (*certè non ultra quinquennium*) & dominus Richardus, nunc epiſcopus Hereford-ienſis, præparâſſet tumulum honorabilem dicto domino Thomæ & tranſtuliſſet oſſa dicti domini in feſto Reſurrectionis Domini multis de patria convocatis, Deus tunc fuit in prædicta tranſlatione multa pro dicto domino Thoma miracula operatus; & ſic fama de ſanctitate vitæ ipſius domini Thomæ, & de operatione miraculorum extitit divulgata, & ex tunc continuata & augmentata. *Ut verum fatear, non video, qua ratione hæc componi poſſint cum dictis præmiſſorum, qui eamdem tranſlationem ante Cœnam Domini peractam fuiſſe unanimiter affirmant. Non video, inquam, quo modo hæc cum iſtis conciliari poſſint, niſi forte Roberti de Glouceſtria implicata phraſis unicè ſignificet, famam ſanctitatis* Thomæ *ex miraculis, quæ in tranſlatione contigerant, ſtatim pòſt* in feſto Reſurrectionis Domini multis de patria *ad ſolemne convivium ab epiſcopo Hereford-ienſi* invitatis *innotuiſſe, atque ita facilè divulgatam eſſe. Utut ſit, malo credere reliquis, quàm uni Roberto, eo etiam magis, quòd ex hujus ſententia ſine ulla veritatis*

B *ſimilitudine officium illud funebre in ipſo Paſchatis ſolemni die peractum fuiſſe dicendum eſſet. Itaque ne lectorem pluribus teneam, mihi certum videtur, ſæpe dictam tranſlationem inter diem* XXVIII *Martii diemque* III *Aprilis contigiſſe.*

Poſt hæc mox cœpit Sanctus miraculis inclareſcere,

244 *Jam obſervavi, tranſlationem, de qua loquimur, ſine ulla ſacri cultus deferendi intentione, ſed ſolùm, ut tanti Viri, illuſtri genere meritiſque in diœceſim ſuam conſpicui oſſa honorabiliori in tumulo conderentur, à Richardo ſucceſſore illius factam eſſe. Quamvis enim jam tunc magna eſſet de ejuſdem ſanctitate exiſtimatio, nulla tamen hactenus veneratione publica honorabatur. Sed ex eo tempore vehementer aucta fuit fama ſanctitatis ejus, hominumque in ipſum fiducia, atque tot beneficiis ad ejuſdem invocationem divinitus conceſſis continuè propagata, ut viginti annis pòſt laudatus Richardus epiſcopus apud me in Compendio num.* 36 *coram commiſſariis Apoſtolicis non dubitaverit affirmare, publicam illius ſanctitatis famam jam tum fuiſſe* per totam Angliam, Scotiam, Walliam & Yberniam, & per multas partes regni Franciæ diffuſam. *Roberti de Glouceſtria hac ſuper re teſtimonium partim jam dedi, ſed addendum eſt, quod præmiſerat de*

C *variis perſonis illuſtribus, quas ad illius ſepulcrum ſupplices veniſſe ait, earum inſigniores nominatim recenſens.*

ejuſdemque tumulus etiam à regiis ac illuſtribus perſonis

245 *Juſſus enim* Thomæ *ſanctitatis famam probare, reſpondit*, quòd omnes (*verbis proceſſûs utor*) communiter ſic dicebant, & ad eum recurrebant, & ad ejus tumulum peregrè confluxerant tam dominus rex Edwardus inclitæ recordationis, & regina Angliæ Margareta, & dominus Edmundus, frater dicti domini regis, & regina Navarræ, quondam uxor dicti domini Edmundi, quàm prælati, comites, proceres, barones, & alii majores & minores dicti regni; & ex devotione, quam habebant ad dictum dominum Thomam dicti domini rex & regina, prælati & alii, veniebant peditando, deſcendendo de equis ſuis, cùm erant prope civitatem Herefordienſem, & aliqui ex ipſis veniebant nudis pedibus (inter quos fuit dominus Gilbertus comes Glouceſtriæ ſupradictus, cum quo litigaverat dictus dominus Thomas, & multoties viſitavit tumulum domini Thomæ) & ex ſupradicta devotione & ex opinione, quam habebant de dicto domino Thoma, larga ad ejus tumu- D lum munera offerentes. *Huc etiam faciunt, quæ frater Nicolaus de Wichio, monachus & presbyter eccleſiæ cathedralis Wigornienſis, juratus teſtis ſexageſimus ſecundus, in proceſſu depoſuit.*

& peregrinis undique confluentibus honorari.

246 Totus (*inquiebat*) populus regni Angliæ reputat dictum dominum Thomam ſanctum, & habent in ipſum devotionem, ſicut in Sanctum, & peregrinantur & recurrunt ad ipſum, ſicut ad Sanctum. Et hæc dixit ſe ſcire, quia tot ex dictis peregrinis faciunt tranſitum, veniendo ad tumulum dicti domini Thomæ, per civitatem Wigornienſem, quòd eccleſia Wigornienſis ex oblationibus peregrinorum habet propter hoc annuatim ultra decem libras ſterlingorum. Interrogatus, quid offerebant dicti peregrini in eccleſia Wigornienſi, quòd oblatio poſſet aſcendere ad tantam quantitatem, dixit, quòd aliqui quartam partem unius denarii ſterlingi, & alii medium ſterlingum, & alii unum ſterlingum. *Prædicta omnia multo etiam magis confirmabuntur ex maxima copia omnis generis anathematum, quæ commiſſarii Apoſtolici anno* 1307 *ad ejuſdem Sancti tumulum in eccleſia Here-fordienſi ipſimet conſpexerunt, enumeraverunt-* E *que in ſua ad Clementem V ſummum Pontificem epiſtola, ſuo loco recitanda.*

§ XIV. Litteræ pro canonizatione illius ad Clementem V Papam datæ, qui commiſſarios conſtituit, quos de excommunicationibus in Sanctum, ut dicebatur, latis priùs jubet inquirere: proceſſus hic feliciter abſolutus.

Pro canonizatione ejus inter alios ſcribit Eduardus rex Angliæ

Inchoata eo, quo dictum eſt, modo S. Thomæ *apud clerum populumque veneratione, mox etiam cœpit ille tot tantiſque miraculis inclareſcere, ut pro ejuſdem canonizatione ab Apoſtolica Sede impetranda initio ſeculi* XIV *ſeriò actum fuerit. Hunc in finem decanus & collegium canonicorum eccleſiæ cathedralis Herefordienſis procuratores ſuos miſerunt ad Clementem V, qui anno* 1305 *ad ſummum Pontificatum aſcenderat. Scripſerunt item Eduardus I, aliàs IV, rex Angliæ, & è clero Anglicano Guilielmus de Greenfeild archiepiſcopus Eboracenſis, epiſcopi quindecim, abbates ſeptem; è populo autem undecim comites cum pluribus baronibus aliiſque viris nobilibus Angliæ, uti legere eſt in epiſtola ejuſdem Clementis inferiùs danda, ex qua tamen non ſatis conſtat, an non aliqui ex illis jam ante Clementis Pontificatum ad Sedem Apoſtolicam ſcripſerint. Ex horum omnium epiſtolis unam tantùm reperi laudati regis Eduardi, editam in collectione Conciliorum Magnæ Britanniæ & Hiberniæ tom.* 2, *pag.* 283, *qualem hìc deſcripſi.*

ad Clementem V Papam anno 1305,

248 Sanctiſſimo in Chriſto Patri domino C. divinâ providentiâ ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici Edwardus eâdem gratiâ rex Angliæ &c, devota pedum oſcula beatorum. Pium & juſtum eſſe cenſetur, ut, ſicut glorioſus Deus in Sanctis ſuis & in majeſtate mirabilis, fideles miniſtros ſuos magnificat,

A gnificat, altis decorat honoribus & cæleſtis efficit beatitudinis poſſeſſores in cælis; ſic & ſacroſancta Romana Eccleſia veſtigia ipſius proſequens, eos, ad quorum memorias ipſe Deus ſuæ virtutis potentiam manifeſtat, ſigna ac prodigia faciens pro eiſdem, dignæ venerationis officio laudari, glorificari & ſtudiis ſolicitis honorari efficiat in terris; ut per hoc fides Catholica roboretur, & idem Altiſſimus, qui laudabilis eſt in ſecula, glorificetur ampliùs & laudetur, ac ex hoc ſalutis noſtræ cauſam miſericordiùs & miſerabiliùs operari dignetur.

249 Cùm itaque Thomas de Cantelupo, eccleſiæ Herefordenſis antiſtes, qui nobili exortus proſapia, dum carnis clauſus carcere tenebatur, pauper ſpiritu, mente mitis, juſtitiam ſitiens, miſericordiæ deditus, mundus corde, verè pacificus, prout firmiter recolimus, nos expertos, utpote cujus apud nos diu & laudabilis converſatio & glorioſæ vitæ inſignia ex multa familiaritate, quam nobiſcum habuit, eadem fuerunt evidentiùs nobis nota; quòd ſanctitatem vitæ & ipſius converſationem laudabilem cernebamus; quemadmodùm degens in ſeculo magnis pollebat meritis, nunc veniens * in cælo magnis coruſcare miraculis dignoſcatur, in tantùm, quòd ipſius meritis & interceſſionibus glorioſis lumen cæcis, ſurdis auditus, verbum mutis & greſſus claudis, & alia pleraque beneficia ipſius patrocinium implorantibus cæleſti dextera conferuntur; de quorum miraculorum coruſcatione multiplici nonnullis de regno noſtro certitudinaliter innoteſcit.

cujus epiſtola

* *an* vivens?

B

250 Nos attendentes per Dei gratiam, fideles in Chriſto, noſque præcipuè & populum regni noſtri ejus poſſe ſuffragiis adjuvari, ut, quem familiarem habuimus in terris, mereamur habere patronum in cælis, Sanctitati veſtræ devotiſſimè ſupplicamus, quatenus tantam lucernam abſconſam ſub modio remanere diutius non ſinentes, ſed eam mandantes ſuper candelabrum collocari, his, qui ſunt in domo Domini, ſolatium præbituram, dignemini ipſum aſcribere Sanctorum catalogo venerando, ut ejus precibus Dominus exoratus gratiam in præſenti & gloriam nobis præbeat in futuro. Conſervet vos Altiſſimus ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora feliciter longiora. Dat. apud Weſtm.* ſecundo die Novembris, anno regni noſtri xxxiii.

hic recenſetur.

* *i. e.* Weſtmonaſterium

C

Hic annus concurrit cum Chriſti anno 1305 *uſque ad diem* XVI *Novembris, quo die anno* 1272 *Eduardi pater Henricus III obierat: nihilominus editor ibidem, eumdem annum Chriſti ſignans, neſcio qua de cauſa, annotavit pro anno* XXXIII *regni Eduardi* rectiùs XXXIV *legendum eſſe; neque differri poteſt uſque ad 2 Novembris anni* 1306, *uti patebit ex epiſtolis Clementis eo anno menſibus Auguſto & Septembri datis.*

251 *Tot itaque litteris atque æquis precibus virorum illuſtrium motus Clemens V Papa anno ſequenti tres commiſſarios conſtituit, qui auctoritate Apoſtolica de* Thomæ *vita & miraculis diligenter inquirerent, ac proceſſum pro ejuſdem canonizatione conficerent. Fuerunt hi Guilielmus Durantes vel Duranti, Mimatenſis in Occitania epiſcopus; Rodulphus de Baldock, epiſcopus Londinenſis in Anglia, & Guilielmus de Feſta archidiaconus Aranenſis in eccleſia Convenarum in Gallia, capellanus Pontificius & in Anglia nuncius Apoſtolicus. Clementis epiſtola, quam ex codice Vaticano, proceſſum canonizationis continente, accepimus, in apographo noſtro ſic habet:*

Illorum precibus Clemens annuens, epiſcopis Mimatenſi & Londinenſi

AUCTORE C. S.

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei Venerabilibus fratribus Mimatenſi & Londinenſi epiſcopis, ac dilecto filio Willelmo archidiacono Aranenſi in eccleſia Convenarum, capellano noſtro, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Lætanter nuper ſuſcepimus jucundos rumores, quos dilecti filii decanus & capitulum eccleſiæ Herefordienſis per procuratores & nuncios eorumdem, quos propter hoc ad noſtram deſtinârunt præſentiam, intimârunt.

& archidiacono Aranenſi mandat,

252 Ex quibus, ſi, prout ſperamus, veritate nitantur, exultare debet in jubilum ſancta mater Eccleſia, omneſque, qui ſub religione militant fidei Chriſtianæ, dum de illorum conſortio Vir ad alta progrediens, factus conſors cæleſtium, pius habetur & ſedulus pro terrigenis hominum filiis interceſſor. Nos autem non ſine laudis jubilo læti referimus, quòd, ſicut iidem procuratores & nuncii ex parte decani & capituli prædictorum in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia retulerunt, recolendæ memoriæ Thomas de Cantalupo, epiſcopus Herefordienſis à primis ſuæ juventutis auſpiciis per viam veritatis incedens, cæſis virtutum falce fallacis mundi blanditiis, quibus frequenter fragilitatis humanæ conditio fallitur, ſic novit voluptates carnis ſubjugare ſpiritui, ſibique, dum præſens vita ejus membra corporea vegetavit, per opera ſanctitatis proficere & alios exemplis laudabilibus erudire; ſicque tandem ſeipſum Deo placidam hoſtiam immolavit, quòd per ipſius grandia præcelſaque merita multa & evidentia miracula in eadem eccleſia, in qua corpus requieſcit ipſius, Dominus operatur. Cæci namque, prout accepimus, ibi lumen recuperant, claudi ambulant, mortui reſurgunt, cæterique languidi & debiles, diverſis oppreſſi valitudinibus, ultra naturæ vires & potentiam liberantur.

E

ut hac ſuper re proceſſum de more

253 Fuerunt autem præmiſſa non ſolùm per procuratores & nuncios antè dictos, ſed & per venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Wigornienſem, apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, in noſtra & fratrum prædictorum præſentia expoſita diligenter. Noſque poſtmodùm ex relatione venerabilis fratris Joannis, epiſcopi Portuenſis, & dilectorum filiorum noſtrorum, Thomæ tituli S. Sabinæ presbyteri, & Guillelmi S. Nicolai in carcere Tulliano decani, Cardinalium, quos nos ad inſpiciendum & examinandum documenta, quæ ſuper his poſſent apud Sedem Apoſtolicam reperiri, duximus deputandos, invenimus, quòd tam cariſſimus in Chriſto filius noſter Edwardus, rex Angliæ illuſtris, quàm venerabilis frater noſter archiepiſcopus Eboracenſis cum quindecim epiſcopis & ſeptem abbatibus, undecim quoque comites cum pluribus baronibus & nobilibus illarum partium per eorum patentes litteras teſtimonium perhibent de ſanctitate vitæ ipſius Epiſcopi Herefordienſis & miraculis antè dictis.

F

inſtruant, per litteras anno 1306 *datas Burdegalis.*

254 Ut igitur ulteriùs ſub modio tanta lucerna non lateat, ſed humanis laudibus reverenter excolatur in terris, quem providentiæ divinæ ſublimitas honorari voluit in excelſis, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de fide, vita ac moribus dicti Epiſcopi Herefordienſis, necnon fama & miraculis, & cæteris circumſtantiis hujuſmodi negotium contingentibus, tam per teſtes, quos ipſi decanus & capitulum ſuper his duxerint producendos, quàm alios, infra quatuor menſium ſpatium poſt receptionem præſentium inquiratis dili-

AUCTORE C. S.

diligentiùs veritatem ; & quæ ſuper præmiſſis inveneritis, fideliter in ſcriptis redacta, ſub veſtris incluſa ſigillis nobis per fideles & idoneos nuncios deſtinare quantocyus procuretis. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratiâ, odio vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, cogatis veritati teſtimonium perhibere. Quòd ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrûm ea nihilominus exequantur. Datum Budegale * x Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno primo.

*Burdegale

Sed cùm paulò poſt iſta ſuggeſtum eſſet,

255 *Fuerat Clemens in diœceſi Burdegalenſi, vulgo* de Bourdeaux, *in Gallia Aquitanica natus, eratque archiepiſcopus Burdegalenſis, quando, allaborante Philippo IV Francorum rege, abſens Perugii electus eſt Pontifex; iſque Galliam Italiæ præferens, Lugduni coronari voluit, nec unquam in Italiam Pontifex profectus eſt, ſed in Gallia manſit, ſedemque ſuam deinde primus tenuit Avenione, cujus exemplum magno Eccleſiæ damno aliquot alii Romani Pontifices ſecuti fuêre. Dies decimus ante Kalendas Septembris primi anni Pontificatûs illius indicat annum Chriſti* 1305,

B

ſi ab electione ejus numerandus eſſet; annum verò 1306, *ſi à coronatione ejuſdem ducatur initium; nam anno* 1305 *menſe Junio electus fuit Perugii, ejuſdemque anni menſe Novembri coronatus Lugduni. A coronatione inchoandum eſſe, eruitur ex eo, quòd de epiſtola Eduardi regis Angliæ meminerit, quam menſe Novembri anni* 1305 *ſcriptam eſſe vidimus. Lugduno autem anno* 1306 *poſt Paſcha rediit Burdegalam, ibique cum curia ſua toto illo reliquo anno reſedit, teſte Bernardo Guidonis in Vita ejuſdem Pontificis.*

Sanctam majoris excommunicationis vinculo innodatum obiiſſe,

256 *Paucis diebus pòſt, quàm has litteras dederat, ſuggeſtum illi eſt,* Thomam *tempore obitus ſui majoris excommunicationis vinculo innodatum fuiſſe, nempe à Joanne Peckhamo, olim Cantuarienſi epiſcopo metropolita ſuo, de qua controverſia ſat multis ſuprà egimus. Quam ob rem Clemens eodem anno Kalendis Septembris alteras ad eoſdem commiſſarios ſuos litteras deſtinavit, quas ex eodem apographo noſtro Romano hìc recenſebo.* Clemens (*excidit hìc vox* Epiſcopus) ſervus ſervorum Dei. Venerabilibus fratribus Mimatenſi & Londonenſi epiſcopis ac dilecto filio Guillelmo archidiacono Aranenſi in eccleſia

C

Convenarum, capellano noſtro, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper dilectis filiis, decano & capitulo eccleſiæ Herefordienſis, nobis intimantibus, quòd potentiæ divinæ ſublimitas multa operabatur in eccleſia prædicta miracula propter excellentiæ * merita recolendæ memoriæ Thomæ epiſcopi Herefordienſis, cujus corpus inibi requieſcit, nos ſuper inquiſitione facienda de moribus ac vita dicti Epiſcopi, nec non famâ, miraculis & cæteris circumſtantiis, hoc negotium contingentibus, noſtras vobis certi tenoris litteras meminimus deſtinâſſe.

*an excellentia?

mox alteras litteras ad eoſdem dedit, ut id priùs inquirerent.

257 Verùm quia ſuggeſtum eſt nobis, quòd idem Epiſcopus tempore ſui obitus majoris erat vinculo excommunicationis aſtrictus, nos nolentes, quòd hujus excommunicationis articulus maneat indiſcuſſus (quamvis id in tanto Viro nequaquam veriſimile videatur) diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper hoc etiam articulo excommunicationis & ipſum contingentibus, ſicut & de aliis in litteris eiſdem contentis inquiratis intra duorum menſium ſpatium poſt receptionem præſentium diligentiùs veritatem. Et ſi forſan in dictum Epiſcopum reperitis fuiſſe aliquam excommunicationis ſententiam promulgatam, vel ipſum eam aliqua occaſione incurriſſe; niſi vobis conſtiterit de abſolutione ipſius, vel ejuſdem ſententiæ nullitate, inquiſitionis negotio, per prædictas alias litteras vobis commiſſo, ſuperſedere curetis; alioquin ex tunc in illo juxta formam vobis traditam procedatis. Quæ autem inveneritis tam ſuper iis, quàm aliis, quæ in dictis continentur litteris, juxta eorum continentiam fideliter in ſcriptis redacta, ſub veſtris incluſa ſigillis per idoneos nuncios ad noſtram præſentiam deſtinetis. Quòd ſi non omnes iis exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrûm ea nihilominus exequantur. Datum Burdegalis Kal. Septembris, Pontificatus noſtri anno primo.

D

Ambæ litteræ commiſſariis exhibitæ fuerunt anno 1307.

258 *Ambæ Clementis litteræ, licèt eodem anno* 1306 *datæ, non niſi anno* 1307 *die* XV *Aprilis per procuratorem cauſæ, à venerabili capitulo eccleſiæ Herefordienſis conſtitutum, tribus illis commiſſariis Apoſtolicis exhibitæ fuerunt prope Londinum in ſuburbana æde ejuſdem civitatis epiſcopi,* cùm *id antè* propter multa & varia impedimenta nequiviſſet fieri, *ut loquuntur iidem commiſſarii in epiſtola ad Clementem. Procurator hic fuit Henricus de Schorne, archidiaconus Herefordienſis, cui litteris, à laudato capitulo die* IV *Novembris anni* 1306 *ſignatis, plena facta eſt poteſtas hoc negotium tractandi, atque etiam* alium procuratorem ſubſtituendi, & ipſum revocandi ac officium procuratoris reaſſumendi, cùm id viderit expedire *&c. Eidem Henrico anno ſubſequenti die* V *Aprilis ab eodem capitulo Herefordienſi, decano* extra regnum agente, *additus fuit alter procurator Thomas de Orletone, ſic ut ambo* conjunctim & diviſim *& eorumdem* quilibet in ſolidum *procuratoris munere fungi & poteſtate uti poſſent. Poſtea etiam occurret alter procurator* Gilbertus, *ſive quòd hic prædictis duobus adjunctus, ſive in alterutrius locum ſubrogatus fuerit. Ambas litteras patentes habeo, ſed, quia nihil peculiare continent, prætermitto.*

E

quarum illi exemplaria in tota Anglia promulgari juſſerunt,

259 *Poſt hæc laudati commiſſarii utriuſque præmemoratæ epiſtolæ Pontificiæ* omnibus archiepiſcopis & epiſcopis regni Angliæ, & eorum vices gerentibus, tranſcripta ſub ſigillis noſtris (*inquiunt*) tranſmiſimus eis reverenter, humiliter & diſtrictè auctoritate Apoſtolica injungentes, quatenus omnes & ſinguli eorumdem facerent infra octo dies poſt litterarum noſtrarum receptionem publicè, ſufficienter & ſolemniter denunciari per omnes ſuas cathedrales & civitatum ſuarum collegiatas & parochiales ac alias ſolemniores & magis populoſas ſuarum diœceſium eccleſias, de quibus eis fore expediens videretur, & Londonenſi & Herefordienſi epiſcopis, in quorum civitatibus & diœceſibus idem dominus Thomas fuerat diutius converſatus, per omnes etiam parochiales eccleſias diœceſium ſuarum, quòd ſi ſciebant aliquid de contentis in ſecundis litteris ſupradictis, comparerent ſufficienter & legitimè coram nobis infra XXIIII diem menſis Maii tunc incluſivè ſequentis in capitulo cathedralis eccleſiæ Londoniarum, in qua procedere incepimus, ſicut in ſolemniori & in communiori regni Angliæ, & magis diſcuſſioni negotii atque nobis accommoda, minúſque Herefordienſi capitulo ſumptuoſa; inſtructuri & informaturi nos, necnon propoſituri, ſi quid proponere volebant, & veritati perhibituri teſtimonium ſuper contentis in ſecundis litteris memoratis,

A ratis, adjecto, quod venientibus faceremus in expensis debitis providere.

processumque de excommunicationibus auspicati sunt;

260 Ceterùm (*ita denuò post aliqua pergunt laudati commissarii*) ne duorum mensium tempus nobis præfixum inutiliter laberetur, recepimus & nominavimus viginti novem testes, quorum plures fuerant in obsequiis præfati domini Thomæ, à procuratore prædicti capituli ministratos; & quia per ipsorum depositiones & scripturas aliquas, quas penes se in custodia dudum habuerant, ab eis de mandato nostro exhibitas, & aliis modis comperimus, dictum dominum Thomam cum venerabili patre, fratre Johanne de Pecham, quondam archiepiscopo Cantuariensi, metropolitano suo, super juribus archiepiscopalibus & episcopalibus magnam contentionem & discordiam habuisse, ex quibus dicebatur idem dominus Thomas fuisse post appellationes legitimas ad Sedem Apostolicam interpositas excommunicationis antedictæ dicti archiepiscopi vinculo innodatus; hæc procuratori notificavimus supradicto, ne posset prætendere insciam se, & capitulum Hereford-

B dienſe probabilem causam ignorantiæ præmissorum ex eo habuisse, quòd attestationes non fuerant publicatæ; eidem procuratori die decima tertia præfati mensis Maii terminum peremptorium præfigentes, ut infra temporis spatium, in nobis facta commissione contentum, proponeret & probaret, quidquid vellet super absolutione de dicta excommunicationis sententia, vel nullitate ejusdem.

sed post diligentissimam inquisitionem censuerunt,

261 Significavimus insuper supradicta regentibus spiritualitatem archiepiscopatûs Cantuariensis (*nam archiepiscopus Robertus Winchelsey à rege proscriptus exsulabat*) & conventuali procuratori Cantuariensi, mandantes, ut nobis mitterent omnia documenta, si qua penes se habebant, contingentia supradicta, & indicarent habentes. Cùm autem tam ipsi, quàm quidam per eos nuncius, se nec habere nec scire, respondissent, fecimus omnia registra, libros & cartularia dicti archiepiscopi & ecclesiæ generalia, ac provincialia ejusdem, & omnia protocolla & rogationes tabellionum, qui una parte vel alia prædictis interfuisse dicebantur personaliter, unà cum aliis prædictis juratis & fi-

C delibus cum diligentia perscrutari omnia, quæ ad instructionem facere poterant præmissorum; in eis inventa assumentes & facientes redigi in processum. Misimus insuper ad partes Tusciæ, ubi processus inter eosdem dominos archiepiscopum & Thomam in curia Romana, ut dicebatur, habiti, penes procuratores partium remansisse credebantur; quos finaliter nequivimus recipere.

Sanctum ab iisdem immunem fuisse, & ad alterum processum esse progrediendum.

262 Recepimus etiam ex officio nostro in testes illum, qui dicebatur prædictam excommunicationis sententiam protulisse, & XIIII alios, qui in partibus fuerant clerici & familiares archiepiscopi antedicti, ut omnino posset per eos sciri & haberi veritas de excommunicationum articulis supradictis. Postquam processum longum & diffusum necessariò inde factum rubricavimus, examinavimus, & extractum cum ipso processu Sanctitati vestræ remissum laboriosè fecimus ex eodem, venerabili patri domino, per Dei gratiam episcopo Sabinensi, & peritis ac expertis viris, dominis Symoni de Marvilla thesaurario Metensi, Onufrio de Trebis decano Meldensi, & Bosolò canonico Tornacensi, sacri palatii vestri auditoribus, in ejus-

dem domini Cardinalis comitiva tunc Londoni existentibus, processum & extractum hujusmodi ostendentes. Quibus per eos visis & super diversis punctis juris ex inventis per ipsum processum consurgentibus, collatione & deliberatione pluribus diebus habita cum eisdem, finaliter visum eis extitit atque nobis, fore per nos ad faciendam inquisitionem de fide, vita, moribus, fama & miraculis prælibati domini Thomæ procedendum juxta nobis traditam formam, non obstantibus quibuscumque de dicta & aliis excommunicationibus, quas dicebatur idem archiepiscopus tulisse in præfatum dominum Thomam, per processum inventis. *Reliqua hujus epistolæ partim jam dedi suprà, partim dabo infrà, ubi eamdem integram excudam, ut studiosus lector ex continuata narratione totam processûs seriem melius percipiat.* AUCTORE C. S.

§ XV. Processus alter de vita, moribus &c inchoatus: præscripta forma juramenti à testibus præstandi: parata interrogatoria: auditi testes, & horum nomina.

Eodem anno 1307, die 13 Julii

PRimo processu de excommunicationum articulis feliciter & ex votis finito, inchoatus est alter de Thomæ *fide, vita, moribus ac miraculis, cui initium datum Londini est in eadem ecclesia cathedrali eodem anno* 1307, *die* XIII *mensis Julii. Quæ primo hoc die facta fuêre, continet instrumentum è processu, quale è Ms. nostro hîc subjungo.* In nomine Domini. Amen. Ad honorem, laudem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, beatæ Mariæ, beatorum apostolorum Petri & Pauli, beati Agilberti patroni ecclesiæ Herefordiensis, regni Angliæ, provinciæ Cantuariensis, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, & ad honorem sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ, & domini nostri, domini Clementis, divina providente clementia, Papæ quinti; F & ad devotionem ac ædificationem totius orthodoxi cleri & populi excitandam, & ad futurorum memoriam & cautelam. Ineipit inquisitio de vita & moribus, fama & miraculis recolendæ memoriæ domini Thomæ de Cantalupo, quondam episcopi dictæ ecclesiæ Herefordiensis, & ea contingentibus.

procurator capituli Herefordiensis postulavit

264 Notum sit igitur universis præsentibus & futuris, præsentem scripturam inspecturis, quòd Dominicæ Incarnationis anno millesimo tricentesimo septimo, Indictione quinta, die tertiadecima mensis Julii, Pontificatûs dicti domini Clementis Papæ quinti anno secundo, venerabilis vir magister Henricus de Schorne, archidiaconus Herefordiensis, legum doctor, procurator à venerabili capitulo Herefordiensi ad prosequendum & procurandum ac promovendum negotium prædictæ inquisitionis specialiter constitutus, prout in procurationis suæ litteris patentibus, sigillo dicti capituli sigillatis, quarum tenor infrà subjicitur (*jam monui, me illas non recensurum*) pleniùs continetur, constitutus coram reverendis in Christo patribus, dominis, Dei gratiâ Mimatensi & Londonensi episcopis,

AUCTORE C. S.

& venerabili viro, magistro Guillielmo, archidiacono Aranensi in ecclesia Convenarum, domini Papæ capellano & in Anglia nuncio, ad inquirendum de prædictis per dictum dominum Papam deputatis, cum instantia requisivit eosdem, ut procederent ad prædictam inquisitionem faciendam juxta formam litterarum Apostolicarum eis super hoc directarum, quarum tenor infrà subjicitur. *Ego ambas suprà jam dedi.*

à commissariis, ut, quoniam processus de prætensa excommunicatione finitus esset,

265 Quas litteras dictus procurator præsentavit eisdem (hoc petens potissimè, cùm dictus procurator non crederet, ut dicebat, aliquid fuisse inventum per processum factum per duos episcopos & archidiaconum supradictos super excommunicationum articulis, quibus dicto domino Papæ suggestum fuerat, præfatum dominum Thomam tempore obitus sui fuisse astrictum, propter quod posset vel deberet præsens inquisitio retardari) petens cùm instantia procurator prædictus, ut dicti domini commissarii intentionem suam super hoc declararent; cùm dictum processum per eos factum jam dicti domini commissarii, sicut dictus procurator dixit se credere, examinâssent, & consilium, deliberationem & collationem pluribus vicibus & diebus super eo habuissent cum venerabili patre, domino Petro, Dei gratiâ episcopo Sabinensi, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Londoniis existente, & cum omnibus sacri palatii dicti domini Papæ auditoribus, scilicet cum dominis Symone de Marvilla thesaurario Methensi, Onuphrio decano Meldensi, Bozolo canonico Tornacensi, existentibus in comitiva præfati domini Cardinalis.

B

procederent ad alteram de fide vita & re instruendam:

266 Protestans dictus procurator & proponens, quòd litteras istas Apostolicas super præsenti inquisitione, per dictos dominos commissarios facienda, directas eisdem, non repræsentaverat eis anno Domini millesimo tricentesimo septimo, Indictione quinta, decimaquinta die mensis Aprilis, in manerio dicti domini episcopi Londonensis apud Stebbenheth, quando dictas litteras eis exhibuit cum aliis litteris Apostolicis, in quibus mandabatur dictis dominis commissariis, quòd inquirerent de excommunicationum articulis supradictis, ad hunc effectum, ut tunc procederent ad contenta in dictis litteris; nec quòd terminus quattuor mensium ex tunc curreret; sed quia in litteris tunc præsentatis eisdem dominis commissariis, per quas mandabatur inquisitio de prædictis excommunicationum articulis fieri, de istis litteris Apostolicis, quæ in impetratione priores fuerant, mentio habebatur, à prælentatione ipsarum litterarum hodierna die facta, volens & intendens dictus procurator (ut dixit) incipere terminum quattuor mensium, infra quem debent per antedictos dominos commissarios expediri contenta in litteris Apostolicis prælibatis.

C

cui illi annuentes,

267 Cui quidem procuratori responsum extitit per dominos commissarios antedictos, quòd parati erant procedere ad dictam inquisitionem de fide, vita, conversatione, fama & miraculis dicti domini Thomæ, juxta litterarum Apostolicarum eis directarum continentiam, faciendam: cùm viso & examinato cum diligentia prædicto processu facto per eos, hoc concordatum fuerit inter ipsos, & consultum eisdem à prædictis domino Cardinali & tribus auditoribus sacri palatii de iis, quæ reperta sunt per prædictum processum ab ipsis dominis commissariis (ut dixerunt) plenariè informatis; offerentes dicti domini commissarii se paratos citare, recipere & examinare testes, & omnia alia ad instructionem præsentis inquisitionis facientia, quandocumque à prædicto procuratore fuerint requisiti; prædicentes & præcipientes eidem, quòd non recederet à civitate Londinensi sine licentia eorumdem, cùm ipsi domini commissarii ex officio suo intenderent aliquos testes recipere super inquisitione præsenti, quorum juramenta cùm reciperentur & jurarent, volebant, procuratorem interesse prædictum. Sanè forma procurationis dicti magistri Henrici talis est.

D

præscripserunt formam juramenti

268 *Sequitur instrumentum procurationis ejusdem datum die* IV *Novembris anni* 1306, *de quo suprà memini; sequitur & aliud, per quod, ut ibidem monui, idem magister Henricus de Schorne & Thomas de Orletone* conjunctim & divisim *ejusdem causæ procuratores die* V *Aprilis anni* 1307 *ab eodem capitulo ecclesiæ Herefordiensis constituti fuère, quod etiam superiùs annotavi. Post hæc subditur prima epistola Clementis V Papæ jam antè data, neque hìc repetenda. Deinde legitur* forma juramenti testium *hoc modo:* Eisdem anno, die & loco prædicti commissarii concordaverunt inter se, quòd testes super præsenti inquisitione recipiendi jurent secundum formam infrascriptam, videlicet jurent testes, sacrosanctis Euangeliis manu tactis & coram ipsis testibus recipiendis astantibus, quòd super omnibus & singulis contentis in prædictis litteris Apostolicis (quæ litteræ priùs legantur & exponantur ipsis testibus) & super omnibus litteras contingentibus, & toto negotio, de quo agitur, dicent ipsis dominis commissariis & cuilibet eorumdem (uno tamen vel duobus ex dictis dominis commissariis cum commissario interrogante præsentibus) & alii vel aliis, si iidem commissarii vel duo ex iis committent, totam, plenam, puram, meram & simplicem veritatem, quam sciunt, vel credunt, vel audiverunt, sicut sciunt, credunt, vel audiverunt, quotiescumque ab eis, vel ab uno de voluntate aliorum, præsentibus aliis, vel alio vel duobus ex eis, vel ab alio seu aliis, vice dominorum ipsorum commissariorum, fuerint interrogati, usquequo dictum negotium fuerit terminatum; etiamsi non interrogarentur ab ipsis vel duobus ex eis, seu alio vel aliis vice ipsorum:

E

à testibus præstandi, & receperunt juramentum procuratoris

269 Item quòd propter gratiam, vel favorem, vel amicitiam, vel propter privatum commodum, quod per se vel per alios ex hoc jam habuerint, vel habituri sint, vel habere sperarent, vel pro timore aut odio non testificabuntur; & quòd per aliquod ingenium non admiscebunt aliquam falsitatem, nec suppriment aliquam veritatem, nec aliquid de suo adjicient testimonio suo, & quòd testimonium suum nulli pandent, donec attestationes super hoc negotio fuerint publicatæ. Sicut autem hìc est scriptum, & ipsis testibus lectum & expositum fuerit, jurent dicti testes, hoc servare, tactis sacrosanctis Euangeliis: Sic Deus eos adjuvet, & prædicta sancta Dei Euangelia. *Mox sequitur de procuratore causæ:* Item post prædicta dicti domini commissarii receperunt corporale juramentum, tactis sacrosanctis Euangeliis, præstitum à dicto magistro Henrico, procuratore capituli Herefordiensis, in animam suam & in animas illorum, à quibus constitutus est procurator, quòd in negotio isto & in processu toto non aget, nec faciet aliquid, nec aliquas probationes inducet per calumniam vel malitiam, & quòd in toto negotio

F

A tio iſto & præſenti proceſſu utetur veritate, & dictam veritatem dicet, & reſpondebit, quandocumque & quotieſcumque fuerit interrogatus vel requiſitus à dictis dominis commiſſariis, vel altero eorumdem, ſeu ab alio vel aliis vice eorum.

& trium notariorum adhibendorum in proceſſu;

270 *Eodem quoque die notarii, qui in proceſſu adhibendi erant, juramentum ſuum dicere juſſi ſunt. Sic enim ibidem ſequitur in proceſſu:* Item præſente dicto procuratore, ego Willelmus le Dorturer Wintonenſis diœceſis, & Adam de Landeſeya diœceſis Lincolnienſis, Apoſtolica, & Reymundus de Prada, imperiali auctoritate notarii publici, qui quidem notarii nos omnes tres interfueramus in primo proceſſu per dictos dominos commiſſarios facto ſuper excommunicationum articulos, quibus dictus dominus Thomas de Cantalupo dicebatur fuiſſe aſtrictus, ſicut nos notarii dicti proceſſus juravimus, tactis ſacroſanctis Euangeliis, fideliter ſcribere omnia, quæ ſcribenda erunt in negotio & proceſſu præſenti, & depoſitiones teſtium & alia, quæ ſecretò tenenda ſunt, ſecreta tenere, & in omnibus, quæ ad noſtrum officium pertinent, in toto iſto negotio & proceſſu fideliter nos habere.

B

initium examinis teſtium in craſtinum indixerunt,

271 *His ita conſtitutis, rogatus eſt à commiſſariis procurator Henricus de Schorne, an ipſe vellet articulos, ſeu rerum capita ad* Thomæ *fidem, vitam &c pertinentia, ſuper quibus examinandi erant teſtes, tradere; illoque abnuente ac flagitante, ut ea ipſimet præſcriberent, hanc curam illi receperunt. Nam* poſt hæc (*verbis proceſſûs rurſum utor*) dicti domini commiſſarii petierunt à prædicto procuratore, ſi volebat reddere articulos ſive capitula ſuper negotio iſto; & reſpondit, quòd non; ſed quòd dicti domini commiſſarii procederent in negotio iſto ſecundùm formam litterarum Apoſtolicarum, & ipſi formarent articulos ſeu capitula, ſi eis expediens videbatur. Et prædictam reſponſionem dixit ſe feciſſe de conſilio ſapientûm, qui pro conſilio habendo fuerant deputati eidem à capitulo Herefordienſi. Et quia dictus procurator dixit, quòd intendebat in iſto negotio producere aliquos teſtes, juſticiarios & officiales domini regis Anglorum illuſtris, & quoſdam alios, qui habebant ſe à civitate Londinienſi abſentare, præceperunt dicti domini commiſſarii eidem procuratori, quòd die craſtina faceret repræſentari coram eis in capitulo cathedralis eccleſiæ S. Pauli Londinienſis ante tertiam ſupradictos, quos dictus procurator producere intendebat de præſenti in teſtes; & quòd idem procurator compareret in dictis loco & termino coram eis ad videndum jurare dictos teſtes & alios, quos dicti domini commiſſarii ex officio ſuo recipere intendebant.

C

præſcripſerumque articulos examinandos,

272 Poſt hæc dicti domini commiſſarii concordaverunt, quòd ſuper infraſcriptis articulis & interrogatoriis examinentur teſtes in negotio iſto. In Dei nomine. Amen. Iſta eſt forma articulorum & interrogatoriorum hujus proceſſus concordata, ſuper quæ teſtes recipiendi in inquiſitione de fide, vita, moribus, converſatione & miraculis recolendæ memoriæ domini Thomæ de Cantalupo, quondam epiſcopi Herefordienſis, facienda, ſunt examinandi. Ante tamen eorum examinationem, poſtquam juraverint, ut in fine examinationis, deſcribatur conditio dictorum teſtium, ſcilicet an ſint litterati vel illitterati, nobiles vel plebei, divites vel egeni, & an fuerint de parentela, vel de familia dicti domini Thomæ; cujus ætatis ſint ipſi teſtes: & non interrogentur ſuper omnibus articulis infraſcriptis paſſim omnes, ſed illi dumtaxat, de quibus veriſimile erit, quòd ſuper his, de quibus interrogabuntur, ſcire debeant veritatem; nè, ſi aliter fieret, cùm multi ſint tantùm ad probandum miracula inducendi, contingeret, tempus circa eorum examinationem in vanum expendi, & membranas inutiliter occupari. AUCTORE C. S.

quorum primus erat de fide, moribus &c S. Thomæ

273 Primus articulus eſt de fide, vita, moribus & converſatione dicti domini Thomæ, & circumſtantiis pertinentibus ad prædicta, ſupra quæ interrogentur primò dicti teſtes: Unde & à quibus & qualibus parentibus dictus dominus Thomas traxit originem; & ubi fuit baptizatus, & ubi in pueritia, adoleſcentia, juventute & ſenectute ſua, & cum quibus & qualiter converſatus, & qualiter moribus temperatus. Item ſecundò interrogentur: Quibus ſtudiis & exercitiis idem dominus Thomas mancipavit ſe antequam eſſet aſſumptus ad epiſcopatum; & quæ & qualia officia ante dictum epiſcopatum, & quem ſtatum habuit, & qualiter in eis ſe geſſit. Item tertiò interrogentur de fide ipſius domini Thomæ per dilectionem operante, & de vitæ excellentia; ſcilicet ſi aliquas virtutes ſive operationes virtutum habuit in excellentia præcipuas, & quanto tempore in eis perſeveraverit; & ſi dictas excellentias & operationes virtutum habebat ſingulariter ſive notabiliter ultra modum, conditionem ſeu converſationem aliorum, qui erant in conſimili ſtatu vel gradu cum eo. E

à prima ætate uſque ad mortem;

274 Item quartò interrogentur: Qualiter in epiſcopatu rexit ſeipſum & eccleſiam atque plebem ſibi commiſſam; & ſi diligenter inſiſtebat circa gubernationem, viſitationem & correctionem ſubditorum, circa prædicationis officium, & Miſſarum celebrationes, & alia ſpiritualiter & temporaliter officio epiſcopali incumbentia; & qualem ingreſſum in eo habuerit. Item quintò interrogentur, ſi erat naturaliter diſcretus & prudens, humilis, mitis & manſuetus, patiens & benignus, ſobrius, pudicus & caſtus; in oratione, devotione & contemplatione ſeu meditatione ſedulus; ſi juſtus, timens Deum, & miſericors & pacificus; & quales perſecutiones vel adverſitates paſſus fuit in vita ſua, & propter quam cauſam. Item ſextò interrogentur: Quot annorum erat, quando migravit ad Dominum, & ubi & qualiter finivit hanc vitam; & ſi receptis Eccleſiaſticis Sacramentis: & ubi corpus ejus requieſcit. F

ſecundus de fama & communi voce ſanctitatis illius,

275 Secundus articulus eſt de fama & communi voce & opinione; ſuper quo interrogentur primò teſtes, utrùm ſit fama publica & communis vox & opinio, ſive credulitas gentium, quòd dictus dominus Thomas ſit ſanctus. Item ſecundò, ſi deponant de prædictis, interrogentur, quomodo hoc ſciunt, & ubi eſt de præmiſſis dicta fama publica & communis vox & opinio; & à quo tempore citrà ſciverunt vel audiverunt dici, eſſe dictam famam, vocem & communem opinionem. Item tertiò, ſi dicant, ſe audiviſſe dici prædicta, interrogentur, à quibus & à quot, quoties & ubi audiverunt dici prædicta, & an illi, à quibus audiverunt, erant homines bonæ vel malæ famæ, & an ſpeciales amici, vel de parentela dicti domini Thomæ, vel beneficiati in eccleſia Herefordenſi. Item quartò interrogen-

AUCTORE C. S.

tur; Quid vocant, vel credunt, esse famam publicam in prædicta sua depositione, & quid communem vocem & communem opinionem vocant, sive communem gentium credulitatem.

tertius de miraculis

276 Tertius articulus est de miraculis dicti domini Thomæ, super quo interrogentur primò testes, de dictis miraculis deponentes, si qua & quæ ac qualia Deus fuit operatus per eum aut pro eo in ejus vita & post ipsius obitum. Item secundò, si deponant de dictis miraculis, interrogentur de causis scientiæ. Item tertiò, si dicta miracula fuerunt supra vel contra naturam. Item quartò, quibus verbis utebantur illi, qui petebant dicta miracula fieri, & qualiter Deum & dictum dominum Thomam invocabant. Item quintò, si in operatione dictorum miraculorum fuerunt appositæ herbæ vel lapides, vel aliquæ aliæ res naturales & medicinales, & si incantationes vel superstitiones, vel fraudes aliquæ intervenerunt in operatione dictorum miraculorum. Item sextò, si, factis dictis miraculis, augebatur propter ipsa miracula fides seu devotio, in quorum personas vel ad quorum invocationem seu petitionem dicta miracula accidebant, vel aliorum, ad quorum notitiam veniebant, & glorificaverunt Deum.

B

ante & post obitum impetratis;

277 Item septimò, in quorum & cujus ætatis & conditionis personis dicta miracula facta fuerunt, & de quo loco, & à quibus parentibus erant oriundi. Item octavò, si testes, antequam dicta miracula facta fuissent, noverant illos, in quorum personas dicta miracula accidisse dicuntur, & si priùs, & per quantum tempus viderunt eos sanos. Item nonò, quanto tempore & de qua ægritudine miraculosè curati, priusquam miraculum accideret, fuerant infirmi, & quot diebus viderant eos antè infirmos; & quomodo sciunt, quòd tali ægritudine laborarent. Item decimò, si post miraculum factum fuerunt plenè & perfectè curati & sani, & si in continenti vel ex intervallo, & quanto tempore fuerunt, & dicti testes eos viderunt post dictum miraculum sanos & ab ægritudine liberatos. Item undecimò, quo anno, mense, die, loco, & quibus præsentibus, dicta miracula facta sunt. Item duodecimò, si dicta miracula fuerunt in continenti vel ex pòst facto, & si ex pòst facto, per quantum tempus pòst publicata in locis, in quibus accidisse dicuntur. Item decimotertiò, si est & fuit fama publica de dictis miraclis, & per quantum tempus, & à quo tempore citrà in locis, in quibus ipsa miracula facta fuisse dicuntur, & in aliis locis.

C

quartus denique de devotione populi in eumdem.

278 Quartus articulus est de devotione populi, utrùm scilicet populus & gentes habent in ipsum dominum Thomam devotionem, sicut in Sanctum, & ad ipsum recurrunt, ut ad Sanctum, & à quanto tempore citrà; & interrogentur, quomodo hoc sciunt, si de prædictis deponant dicti testes. Ultimò quæratur à dictis testibus, an prece, præcepto, timore, odio, amore, pretio, & lucri dati vel promissi, habiti vel habendi causâ deposuerint, & utrùm docti vel instructi fuerint testificati *, & an concordaverint cum aliis testibus sic deponere. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Christi MCCCVII, Indictione V, mensis Julii die XIII in capitulo cathedralis ecclesiæ S. Pauli Londini, præsentibus venerabilibus viris, domino Raymundo Harroti * præcentore Mimatensi, magistro Wilhelmo de Meleford canonico Lond., & me Wilhelmo dicto Le Dorturer, ac magistris Adam de Lyndeseya *, Apostolica, & Raymundo de la Prada, imperiali auctoritate notariis publicis hujus processus.

* an testificari?

* alibi Garroti

* *suprà* Landeseya

279 *Postridie igitur, sive die* XIV *mensis Julii laudati commissarii testes examinare cœperunt Londini in ecclesia S. Pauli, continuâruntque examen partim ibidem, partim Herefordiæ, spatio quatuor mensium, quod à summo Pontifice ad hoc negotium eis fuerat præstitutum. Universim autem examinati fuêre testes omnino trecenti viginti & tres, quorum sexaginta duos primos, qui maximam partem de* S. Thomæ *vita & moribus ferè deposuerunt, descriptos habeo, atque hîc subjungo.*

Postridie cœperunt examinari testes, è quibus sexaginta duo,

Primus testis dominus Rudolphus de Heughum, regis Angliæ in suo banco justiciarius, in Londin & Herefordiensi ecclesiis canonicus, jurisperitus famosus annorum LXX vel circà.

Secunda testis domina Maria de Breuse, relicta D. Wilhelmi de Breuse baronis militis.

Tertius testis Willelmus de Breuse, baro & miles.

Quartus testis Willelmus de Codinestон, presbyter, rector ecclesiæ de Findon Cycestrensis diœcesis.

Quintus testis D. Aicardus de Warevik, E justitiarius & consiliarius domini regis Angliæ, jurisperitus.

Sextus testis, Hugo le Barber, de civitate Elyen oriundus, annorum LXX & ultrà, qui fuit de familia D. Thomæ, eumque viderat Parisiis studentem, ac venit cum ipso in Angliam ad visitandos amicos; & Oxoniæ quatuor annis in studiis versantis commensalis & familiaris fuit, cubiculum ejus custodiens, & lectum sternens, ac postea ante & post episcopatum acceptum cum eo vixit.

Septimus testis, D. Joannes de Wynton, presbyter & rector ecclesiæ S. Benedicti.

Octava testis Juliana.

Nonus testis, Adam Aspelon.

Decimus testis Willelmus de Eston.

Undecimus testis, ... d. Adam de Kyngeshm *, diœcesis Erefordiensis, jurisperitus annorum LV & ultrà, de familia dicti Thomæ post aditum episcopatum.

* *al.* Kyngeshuam

Duodecimus testis, d. Richardus de Kimberle, LX annorum, qui fuit de familia d. Thomæ per X annos variis in officiis.

Decimustertius testis, Frater Rogerius de F Hunneden, supprior Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini, conventûs Londinensis, annorum L & ultrà, qui à d. Thoma in presbyterum ordinatus fuit in ecclesia Leoministrensi, diœcesis Erefordiensis.

Decimusquartus testis, Frater Hermerus de Tytyngton, Ordinis ejusdem, lector in naturalibus in conventu Londinensi, annorum XL vel circitèr.

Decimusquintus testis, Frater Robertus de Machinge dicti Ordinis, annorum XL circitèr.

Decimussextus testis, Frater Joannes de S. Albano, annorum XXVI.

280 Decimusseptimus testis, Frater Thomas Ylley, magister in Theologia, de Ordine Fratrum B. M. de Monte Carmelo, annorum LIII.

qui pro maxima parte

Decimusoctavus testis, Frater Richardus de Weluwe ejusdem Ordinis, ubi fuit XXXI annis Prior conventualis, annorum LXVIII.

Decimusnonus testis Frater Willelmus de Thorp dicti Ordinis, ubi fuerat diu Prior, annorum LXVII vel LXVIII.

Vigesimus

A Vigesimus testis, Frater Robertus Wyk, dicti Ordinis diversis in conventibus Prior, annorum LX.

Vigesimusprimus testis, Frater Hugo Mamcestr, magister in Theologia, de Ordine Fratrum Prædicatorum, annorum LXXI.

Vigesimussecundus testis, Frater Joannes de S. Ægidio, Ordinis S. Dominici, annorum LX circitèr.

Vigesimustertius testis, Frater Eadmundus de Aumari, dicti Ordinis, annorum LIX circitèr.

Vigesimusquartus testis, Frater Petrus de Wyrebrugg, dicti Ordinis, annorum XLIX, qui viderat eum non semel apud Oxonium tenentem quoddam principium in ecclesia B. M. de Oxonio, in qua tunc magister Guillelmus de Monteforti incepit in Decretis sub eo, & Frater Joannes de Trinitate incepit eadem die in Theologia sub eo, & fuerunt XXVII anni in crastinum Trinitatis.

Vigesimusquintus testis, Frater Hugo de Londino, Ordinis Fratrum Minorum, annorum LXII.

B Vigesimussextus testis, Frater Henricus de Sintone, guardianus Fratrum Minorum conventûs Londinensis, annorum XLV vel circitèr.

Vigesimusseptimus testis, Frater Joannes de Wesewode, dicti Ordinis, annorum XL circitèr.

Vigesimusoctavus testis, Frater Walterus de Cantuaria, dicti Ordinis, annorum XLIV circitèr.

Vigesimusnonus testis, Frater Joannes Keusington, Prior conventualis S. Bartholomæi Londini, annorum LX & ultrà.

Trigesimus testis, Frater Robertus de S. Martino, sacrista S. Bartholomæi Londini, annorum L & ultrà.

Trigesimusprimus testis, Frater Radolphus de Cantuaria, Prior conventualis S. Trinitatis Londini, annorum XXX & ampliùs.

Trigesimussecundus testis, Frater Robertus de S. Martino, sacrista S. Trinitatis, annorum L, vel circà

Trigesimatertia testis, Joanna, filia Radolphi, annorum XIX & ultrà.

Trigesimaquarta testis, Alicia, annorum
C XXX.

Trigesimaquinta testis, Beatrix le Marescal, annorum XV (*vitiosus hic numerus est*) & ultrà, nutrix prædicti Chilberti, in vase aquæ submersi; & erat præsens in domo prædicti Radolphi.

Trigesimasexta testis, Catharina, uxor Joannis Cissoris, annorum XXX circitèr.

281 Trigesimusseptimus testis, Willelmus de Cantalupo, annorum XLV & ultrà, filius d. Joannis de Cantalupo, & patruelis ipsius d. Thomæ, cujus semper ferè fuit socius. *de Sancti vita ac moribus testati fuêre,*

Trigesimusoctavus testis, Frater Richardus de Insula, Ordinis Fratrum Minorum, juris civilis professor, annorum XXXVII circitèr.

Trigesimusnonus testis, Willelmus de Lonesdale.

Quadragesima testis, Alicia, filia prædicti Willelmi, annorum XIX circitèr.

Quadragesimaprima testis, Anicia Rysshwyk, annorum XLV, de Bernastorica Norwycensis diœcesis oriunda, & diu Londini versata.

Quadragesimussecundus testis, Willelmus de Oxonio, Lincastriensis diœcesis, annorum XL circitèr. AUCTORE C. S.

Quadragesimustertius testis, Nicolaus Chiket de Gloucestria, Londini diœcesis, annorum XL circitèr.

Quadragesimusquartus testis, d. Willelmus de Londino, perpetuus capellanus ecclesiæ Omnium Sanctorum ad forum Londini, annorum L circitèr, qui vidit dictam Aliciam per quinquennium contractam.

Quadragesimusquintus testis, Hugo le Chaundeler de Shorhm, Cantuariensis diœcesis.

Quadragesimasexta testis, Agnes, uxor prædicti Hugonis.

Quadragesimusseptimus testis, Frater Walterus Kinille, magister in Theologia, LX annorum vel ultrà, familiariter notus d. Thomæ pluribus in locis.

Quadragesimusoctavus testis, Frater Walterus de Risebury, de Ordine Fratrum Minorum, annorum LXVI, notus item familiariter d. Thomæ.

Quadragesimusnonus testis, Frater Robertus de Herton, Ordinis Fratrum Minorum, an- B
norum LXIII.

Quinquagesimus testis, Frater Adam de Chabbenore, Ordinis Fratrum Minorum, annorum XXXIII circitèr, qui cohabitavit per XV annos confessario d. Thomæ in civitate Erfordiensi, appellato Fratre Henrico de Hellington, ejusdem Ordinis sui.

Quinquagesimusprimus testis, Frater Robertus de Ribbesfordia, Prior Ordinis S. Benedicti prioratûs SS. Apostolorum Petri & Pauli, & S. Guthlaci, annorum XLII circitèr.

Quinquagesimussecundus testis, Frater Joannes de Tourey, supprior dicti Ordinis & loci.

282 Quinquagesimustertius testis, Willelmus Jaudre, civis Erefordiensis, octuagenarius, domino Thomæ in episcopatu notus & serviens. *hîc recenjentur.*

Quinquagesimusquartus testis, Joannes de Leominstria, civis Erefordiensis, octuagenarius & ultrà, notus D. Thomæ in episcopatu.

Quinquagesimusquintus testis, Arnaldus le Glovere, civis Erefordiensis.

Quinquagesimussextus testis, magister Robertus de Glouceстria, doctor Decretorum, Cancellarius Erefordiensis, annorum LV circi- F
tèr, qui fuerat de familia D. Thomæ.

Quinquagesimusseptimus testis, D. Joannes de Kemeseya, canonicus Erefordiensis, de familia D. Thomæ, præsertim in episcopatu.

Quinquagesimusoctavus testis, Willelmus le Wayte de Bosco arso, qui fuit gayta D. Thomæ per septennium in episcopatu, uti & prædecessoris ejus.

Quinquagesimusnonus testis, Joannes Bute, civis Erefordiensis, annorum LXXX, qui fuerat pistor quondam D. Thomæ, & de familia & de robis ejusdem, postquam fuit episcopus: qui testis commendatus fuit dominis episcopo & commissariis de fidelitate & veracitate ab aliis testibus sub juramento, & auditus fuit IX Septembris in capella S. Catharinæ.

Sexagesimus testis, Robertus Deyntè laïcus, familiaris & camerarius quondam dicti D. Thomæ per plures annos sub Nicolao de Hodinet, principali camerario, de parentela dicti D. Thomæ, qui in curia Romana in comitiva dicti domini Thomæ diem clausit extrèmum Idem Robertus

AUCTORE C. S.

bertus erat natus annos XL (*hæc ætas vitiosa videtur*) & ultrà, & fuerat cum D. Thoma in concilio Lugdunensi.

Sexagesimusprimus testis, R. P. D. Richardus Dei gratiâ episcopus Erefordiensis, & magister in Theologia, sexagenarius & ultrà, qui fuit de robis & familia D. Thomæ per XIV annos circitèr.

Sexagesimussecundus testis, Frater Nicolaus de Wichio, presbyter monachus cathedralis ecclesiæ Wigornienſis, annorum LV circitèr, qui fuit clericus capellæ domini Thomæ per quinquennium, antequam esset episcopus.

§ XVI. Litteræ, in quibus commissarii Apostolici Clementi V Papæ rationem reddiderunt de omnibus in utroque processu à se gestis.

B

Finito testium examine, commissarii Apostolici

Finitum tandem examen testium est eodem anno 1307, *die* XIII *Novembris, quo die expiravit quatuor mensium spatium, à Clemente V commissariis constitutum. Ut verò lector intelligat, quid eo interim tempore in hac causa ab iisdem præstitum fuerit, subjungo hîc ipsam eorumdem epistolam, in qua laudato Pontifici de commisso sibi munere rationem reddiderunt. Est ea ex eodem codice Vaticano, ex quo cetera processûs monumenta accepimus, descripta, sed in paucis locis mutila, seu quòd nonnihil detriti ibi essent characteres, seu quòd legi non possent. Accipe igitur illam, prout in Ms. nostro habemus.*

in epistola ad Clementem V Papam rationem reddunt

284 Sanctissimo Patri ac Domino suo, Domino Clementi, divina providente clementia, sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici. Fideles vestri & humiles servientes, Mimatensis & Londinensis episcopi, & Guillelmus archidiaconus Aranensis in ecclesia Convenarum, capellanus vester & in Anglia nuncius, pedum oscula beatorum. Expositum dudum, beatissime Pater, per procuratores, & nuncios decani & capituli Herefordien., & per

C

venerabilem D. Wigornienſem quondam episcopum, tunc apud Sedem constitutum Apostolicam vestræ clementiæ Sanctitatis, quòd per recolendæ memoriæ domini Thomæ de Cantalupo, quondam episcopi Herefordiensis, præcelsa & prægrandia merita Dominus multa & evidentia in ecclesia Herefordiensi operabatur miracula, in qua ossa requiescunt ipsius; litterisque patentibus sereniſſimi principis, domini Edwardi, inclitæ memoriæ regis tunc Anglorum illustris, venerabilium patrum, domini Eboracensis archiepiscopi, quindecim episcoporum, septem abbatum, undecim quoque comitum ac plurium baronum illarum partium, in quibus quidam * litteris testimonium perhibent de sanctitate vitæ dicti domini Thomæ & antè dictis miraculis, Beatitudini vestræ expositis.

* *an* quidem?

de injuncto sibi ab illo munere; significanique se gemino ejusdem mandato

285 Ne tanta lucerna, si, ut sperabatur, præmissis suffragabatur veritas, lateret ultrà sub modio, sed humanis laudibus reverenter extolleretur in terris, quem honorari providentiæ divinæ voluisset sublimitas in excelsis, nobis per scripta vestra Apostolica mandavistis, quatenus de fide, moribus ac vita dicti domini Thomæ, nec non fama, miraculis & cæteris circumstantiis hujusmodi negotium contingentibus, tam per testes, quos idem decanus & capitulum Hereford. super iis ducerent producendos, quàm aliter, infra quatuor mensium spatium post litterarum Apostolicarum receptionem, inquireremus diligentiùs veritatem. Verùm, quia post commissionem prædictam Sanctitati vestræ suggestum extitit, quòd idem dominus Thomas tempore sui obitus erat majoris excommunicationis vinculo innodatus, nolentes, Pater sanctissime, remanere hujusmodi excommunicationis articulum indiscussum (quamvis id in tanto Viro, ut in Sanctitatis vestræ litteris continebatur, nequaquam verisimile videretur) nobis per alias Apostolicas litteras mandavistis, ut super hoc etiam articulo, & ipsum contingentibus, sicut & de aliis, in primis litteris contentis, inquireremus infra duorum mensium spatium post harum secundarum litterarum receptionem diligentiùs veritatem.

D

diligentem operam ad veritatem indagandam contulisse:

286 Et si forsan in dictum dominum Thomam reperiremus fuisse aliquam excommunicationis sententiam promulgatam, vel ipsum eam occasione aliqua incurrisse; nisi nobis constaret de absolutione ipsius, vel ejusdem sententiæ nullitate, inquisitionis negotio, per primas litteras nobis concesso, supersedere, alioquin ex tunc in illo curaremus procedere juxta traditam nobis formam, clausulâ illâ, QUÒD SI NON OMNES, DUO VESTRUM ETC in utrisque insertâ litteris; & quòd super omnibus præmissis inventa fideliter in scriptis redacta, & sub nostris sigillis inclusa, ad Sanctitatis vestræ præsentiam per fideles & idoneos nuncios mitteremus. Quæ omnia cum debita reverentia pro injuncto, sicut tenemur, sollicitudinis studio & forma mandati, exactâ diligentiâ observati, fideliter, solemniter & solertè fumus executi, prout per processus inde factos plenè liquere poterit, quos per viros fideles, providos & discretos, magistrum Adam de Orletone rectorem ecclesiæ de Wootone Wigornienſis diœcesis, & Thomam de Guines, clericos, procuratores capituli Herefordiensis, qui juraverunt fideliter præsentare; quos in sua dignetur habere gratia commendatos, sub sigillis nostris juxta commissionis formam duximus transmittendos, retentâ nihilominus penes me episcopum Mimatensem,

F

& in Londonensis ecclesiæ thesauraria relictâ ad cautelam, & in integro sub dictis sigillis copiâ eorumdem. Scripta London. die ... (*hic excidit dies*) mensis Decembris anno Domini M. CCCVII.

ac in primis promulgari jussisse per totam Angliam binas illius litteras;

287 Hæc est summula formæ & substantiæ primæ inquisitionis de excommunicationum articulis. Ad hæc, beatissimè Pater, modum, quem in procedendo servavimus, si eum & aliqua ex inventis in utroque processu magis explicitè audire fortè vacet & libeat, summariè intimamus. Secundis nempe litteris per procuratorem à capitulo Herefordiensi prædicto, decano eorum in remotis agente, legitimè constitutum, nobis primùm (cùm antè propter multa & varia impedimenta nequivisset fieri) decimoquìnto die mensis Aprilis nuper præteriti prope London. * præsentatis, responsoque à procuratore præfato habito, quòd super contentis in ipsis secundis litteris nulla nobis capitula reddere intendebat, earum & primarum omnibus archiepiscopis & episcopis regni Angliæ, & eorum vices gerentibus transcripta sub sigillis nostris

* Londoniam

A ſtris tranſmiſimus, eis reverenter, humiliter & diſtrictè auctoritate Apoſtolica injungentes, quatenus omnes & ſinguli eorumdem facerent infra octo dies poſt litterarum noſtrarum receptionem publicè, ſufficienter & ſolemniter denunciari per omnes ſuas cathedrales & civitatum ſuarum collegiatas & parochiales & alias ſolemniores & magis populoſas ſuarum diœceſium eccleſias, de quibus eis fore expediens videretur, & Londonienſi & Herefordienſi epiſcopis, in quorum civitatibus & diœceſibus idem dominus Thomas fuerat diutius converſatus, per omnes etiam parochiales eccleſias diœceſium ſuarum, quòd, ſi ſciebant aliquid de contentis in ſecundis litteris ſupradictis comparerent ſufficienter & legitimè coram nobis infra XXIIII diem menſis Maii, tunc incluſivè ſequentis, in capitulo cathedralis eccleſiæ civitatis Londoniarum, in qua procedere incepimus, ſicut in ſolemniori & in communiori regni Angliæ, & magis diſcuſſioni negotii atque nobis accommoda, minúſque Herefordienſi capitulo ſumptuoſa, inſtructuri & informaturi nos, necnon propoſituri, ſi quid proponere volebant, & veritati perhibituri teſtimonium ſuper contentis in ſecundis litteris memoratis.

B

mandâſſe, ut, ſi qui ſcirent de excommunicationibus in Thomam latis, Londinum venirent;

288 Adjecto, quòd venientibus faceremus in expenſis debitis providere, & quòd poſt dictum terminum, ex cauſis rationabilibus peremptoriè aſſignatum, non præſtaremus, niſi juris neceſſitas hoc expoſceret, audientiam volentibus aliquid proponere ſuper excommunicationum articulis antedictis. Licèt autem ſupradicta omnia per prælibatos archiepiſcopos & epiſcopos, vel eorum vices gerentes, fuerint promptè ac integraliter adimpleta, per neminem tamen ante dictum terminum, vel poſt, fuit coram nobis aliquid propoſitum ſuper excommunicationibus ſupradictis. Cæterùm ne duorum menſium tempus nobis præfixum interim inutiliter laberetur, recepimus & nominavimus viginti novem teſtes, quorum plures fuerant in obſequiis præfati domini Thomæ, à procuratore prædicti capituli miniſtratos; & quia per ipſorum depoſitiones & ſcripturas aliquas, quas penes ſe in cuſtodia dudum habuerant, ab eis de mandato noſtro exhibitas, & aliis modis comperimus, dictum dominum Thomam cum venerabili patre, fratre Johanne de Pecham, quondam archiepiſcopo Cantuarienſi, metropolitano ſuo, ſuper juribus archiepiſcopalibus & epiſcopalibus magnam contentionem & diſcordiam habuiſſe, ex quibus dicebatur idem dominus Thomas fuiſſe poſt appellationes legitimas ad Sedem Apoſtolicam interpoſitas, excommunicationis antedictæ dicti archiepiſcopi vinculo innodatus. Hæc procuratori notificavimus ſupradicto, ne poſſet prætendere inſcium ſe, & capitulum Herefordienſe probabilem cauſam ignorantiæ præmiſſorum ex eo habuiſſe, quòd atteſtationes non fuerant publicatæ; eidem procuratori die decimatertia præfati menſis Maii terminum peremptorium præfigentes, ut infra temporis ſpatium in nobis facta commiſſione contentum proponeret & probaret, quidquid vellet ſuper abſolutione de dicta excommunicationis ſententia, vel nullitate ejuſdem.

C

289 Significavimus inſuper ſupradicta regentibus ſpiritualitatem archiepiſcopatûs Cantuarienſis (*exſulante tunc archiepiſcopo Roberto Winchelſey*) & conventualiter procuratori Cantuarienſi mandantes, ut nobis mitterent omnia documenta, ſi qua penes ſe habebant, contingentia ſupradicta, & indicarent habentes. Cùm autem tam ipſi, quàm quidam per eos nuncius, ſe nec habere, nec ſcire, reſpondiſſent, fecimus omnia regiſtra, libros & cartularia dicti archiepiſcopi & eccleſiæ generalia ac provincialia ejuſdem, & omnia protocolla & rogationes tabellionum, qui pro una parte vel alia prædictis interfuiſſe dicebantur perſonaliter, unà cum aliis prædictis juratis & fidelibus, cum diligentia perſcrutari omnia, quæ ad inſtructionem facere poterant præmiſſorum; in eis inventa aſſumentes, & facientes redigi in proceſſum. Miſimus inſuper ad partes Tuſciæ, ubi proceſſus inter eoſdem dominos archiepiſcopum & Thomam in curia Romana, ut dicebatur, habiti, penes procuratores partium remanſiſſe credebantur; quos finaliter nequivimus recipere. Recepimus etiam ex officio noſtro in teſtes illum, qui dicebatur prædictam excommunicationis ſententiam protuliſſe, & XIIII alios, qui in partibus fuerant clerici & familiares archiepiſcopi antedicti, ut omnino poſſet per nos ſciri & haberi veritas de excommunicationum articulis ſupradictis.

AUCTORE C. S. *archiza Cantuarienſia inſtrari feciſſe, idoneos teſtes examinâſſe;*

E

290 Poſtquam proceſſum longum & diffuſum neceſſariò inde factum rubricavimus, examinavimus, & extractum, cum ipſo proceſſu Sanctitati veſtræ remiſſum, laboriosè fecimus ex eodem, venerabili patri, domino per Dei gratiam epiſcopo Sabinenſi, & peritis ac expertis viris, dominis Symoni de Marvilla theſaurario Metenſi, Onufrio de Trebis decano Meldenſi, & Boſolo canonico Tornacenſi, ſacri palatii veſtri auditoribus, in ejuſdem domini Cardinalis comitiva tunc Londoni exiſtentibus, proceſſum & extractum hujuſmodi oſtendentes. Quibus per eos viſis, & ſuper diverſis punctis juris, ex inventis per ipſum proceſſum conſurgentibus, collatione & deliberatione pluribus diebus habita cum eiſdem, finaliter viſum eis extitit atque nobis, fore per nos ad faciendam inquiſitionem de fide, vita, moribus, fama & miraculis prælibati domini Thomæ procedendum juxta nobis traditam formam, non obſtantibus quibuſcumque de dicta & aliis excommunicationibus, quas dicebatur idem archiepiſcopus tuliſſe in præfatum dominum Thomam, per proceſſum inventis.

tandemque ſtatuiſſe, ad alterum proceſſum ſibi tranſeundum eſſe,

F

291 Tum quòd ſufficienter prædictarum excommunicationum ſententiæ non probantur; &, ſi quis forſitan pro probatis vellet haberi eaſdem, non inveniuntur cauſativæ explicitè, ſed conditionaliter, vel ſub quadam generalitate præpropere ac minùs competenter & ſolemniter latæ fuiſſe: ſed * conſtat per proceſſum, dictum dominum Thomam contra conditionem vel generalitatem feciſſe, vel eas adimplere indebitè contempſiſſe: nec hoc fuit per dictum archiepiſcopum vel alium legitimè declaratum; licèt idem archiepiſcopus ſcripſerit ſuffraganeis ejus, quòd, cùm memoratus dictus dominus Thomas meruiſſet excommunicari, facerent excommunicatum denunciari eumdem, non declarando (quamquam per aliquos ex ſuffraganeis, mandatum hoc adimplere recuſantibus, dicatur de dicta declaratione priùs facienda fuiſſe requiſitus) ipſum dominum Thomam eſſe excommunicatum, ſed in dictis finibus, quod excommunicari meruerit, perſiſtendo.

tum quia non conſtabat de excommunicatione in ipſum decretoriè lata,

* *l.* nec

292 Tum quòd probatum eſt, plures appellationes per dictum dominum Thomam, vel

AUCTORE C. S.

per alios vice ſua, à dicto archiepiſcopo & ejus curia ad Sedem Apoſtolicam competenter interpoſitas, præmiſſas excommunicationum ſententias præceſſiſſe, & ſubſecutas fuiſſe etiam poſt eaſdem, priuſquam poſſent aliquæ conditiones monitiones *, contentæ in ipſis ſententiis adimpleri: & judices de convenientia & aſſenſu procuratorum partium extitiſſe ſuper dictis appellationibus auctoritate Apoſtolica in Angliam deputatos, antequam lata ultima excommunicationis ſententia, quæ magis videbatur dubia, extitiſſet. Et in tranſcripto cujuſdam litteræ, ipſius epiſcopi nomine conceptæ, in quodam ejuſdem libro, non authenticato invento, inter cætera continetur, dictum dominum Thomam præſentâſſe eidem archiepiſcopo, de ſe conquerenti, litteras quorumdam jurium à Sede Apoſtolica per eumdem dominum Thomam ſuper præmiſſis impetratorum, priuſquam monitiones cum excommunicationis ſententia contentæ in dicto tranſcripto (ne ſcilicet dictus dominus Thomas turbaret jura Cantuarienſis eccleſiæ, & ut à turbatione deſiſteret) proceſſiſſent. Et illa eſt prima excommunicatio, de qua per dictum tranſcriptum (cujus nec originale * nec ſi litteræ juxta formam tranſcripti præceſſerint, & ſi eidem domino Thomæ fuerint præſentatæ) apparet aliquid inventum eſſe per proceſſum.

*tum quia Sanctus ad Sedem Apoſtolicam appellaverat; * an* monitioneſque?

* *addè* invenitur,

B

293 Tum quia per teſtes ſufficienter deponitur in proceſſu, fuiſſe per duos Cardinales, auditores procuratoribus partium deputatos, causâ ſummariè cognitâ, priuſquam idem dominus Thomas, propter præmiſſarum appellationum proſecutionem Sedem Apoſtolicam perſonaliter adiens, intraret curiam, declaratum, eumdem dominum Thomam de dictis excommunicationibus, dominis Papæ Martino felicis recordationis & Cardinalibus à procuratoribus archiepiſcopi memorati, ne eum ad communionem ſuam non * admitterent, delatum, fore integri ſtatus, & ſicut hominem integri ſtatus, quando veniret ad dictam curiam, admittendum. Poſt quam quidem declarationem veniens, à dictis dominis Papa & Cardinalibus ad oſculum & valdè honorificè propter vitæ, nobilitatis & ſcientiæ ſuæ excellentiam receptus extitit, & ab eis in divinis & aliis communicatum eidem. Tum etiam, quia paululùm poſt ejus adventum ad curiam, prædicta lite necdum, quod invenerimus, judicialiter exordita, nec ex tunc etiam proſecuta, cùm infirmitas, de qua, ſicut fidelis Catholicus & Deo devotus, dicitur anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo, die Martis in craſtinum B. Bartholomæi apoſtoli in caſtro Florenti obiiſſe, arripuiſſet eumdem, obtentâ condendi teſtamentum licentiâ, fuit confeſſus fratri Galfrido de Chepeya, de Ordine Minorum, tunc pœnitentiario domini Papæ, & ab eodem de omnibus ſuis peccatis, tanquam verè pœnitens & contritus, abſolutus, & ejus abſolutio ab antedicto domino Papa extitit approbata; ſicut idem pœnitentiarius in ſuis patentibus tunc ibidem confectis litteris atteſtatur.

tum quia à Martino IV Papa in communione habitus fuit. mortuique caro

* *abund.* non

C

294 Et die Dominica poſt ejus felicem tranſitum proximè ſubſecuta fuit ipſius corpus à bonæ memoriæ domino Hieronymo, tunc Cardinali, aliis Cardinalibus aſtantibus, intra eccleſiam monaſterii S. Severi prope Urbemveterem honorificè ac ſolemniter eccleſiaſticæ traditum ſepulturæ, & poſtmodùm ejus oſſa, ſeparata à carne, delata in Angliam, fuerunt per dictum archiepiſcopum, qui priùs ea ſepeliri prohibuerat, donec de dicti domini Thomæ legitima abſolutione conſtaret, eadem, exhibitâ ſibi litterâ dicti pœnitentiarii, ut quidem teſtes aiunt, abſoluta & ſubſequenter, eo permittente, tumulata in eccleſia Herefordienſi; ad quem tumulum, depoſuit quidam familiaris dicti archiepiſcopi, ſe de voluntate ejuſdem cum oblationibus aliis apportâſſe candelas factas in filo, cum quo idem archiepiſcopus ad ipſum dominum Thomam in infirmitate, de qua poſt aliquot menſes obiit, fuerat menſuratus. Et tam ipſe archiepiſcopus, quàm ejus ſuffraganei, dederunt indulgentiam orantibus pro anima dicti domini Thomæ: & idem archiepiſcopus approbavit teſtamentum ipſius, & ejus auctoritate extitit executum.

in Italia à Cardinalibus honorificè ſepulta, oſſa verò, conſentiente Peckhamo, Herefordiæ, &c.

D

Poſt hæc aiunt, ſe proceſſum de vita & exorſos, audiſſe teſtes primò Loudini, deinde Herefordiæ.

295 Hæc eſt ſummula formæ & ſubſtantiæ ſecundæ inquiſitionis de fide, vita, moribus, fama & miraculis. Præſentatis itaque nobis die XIII menſis Julii London. primis litteris Apoſtolicis, in quibus inquiſitio de fide, vita, moribus, fama & miraculis ejuſdem domini Thomæ fieri mandabatur, ibidem ſuper fama & aliis ex officio noſtro quatuor Religioſos de Prædicatorum, totidem Minorum, Auguſtinenſium & Carmelitarum Ordinibus, & totidem de ſancti Bartholomæi, & alios duos de ſanctæ Trinitatis prioratibus conventualibus canonicorum Regularium London., qui in diverſis ſtatibus ejuſdem domini Thomæ dicebantur habuiſſe notitiam, & plures alios à procuratore capituli miniſtratos in teſtes recepimus. Eis examinatis, nos Mimatenſis & Londonenſis epiſcopi, magiſtro Guillelmo archidiacono, commiſſario * noſtro pro negotiis aliis à Sanctitate veſtra commiſſis eidem in remotis agente, Herefordiam perſonaliter accedentes, ubi viſo, quòd multa ſigna miraculorum, quæ Deus dicebatur operatus fuiſſe meritis ejuſdem domini Thomæ, circa ejus pendebant tumulum, fecimus cum canonicis & aliis pluribus, qui ejuſdem tumuli hactenus cuſtodes fuerant, inquiſitionem ſummariam, ſi circa ipſa ſigna vel miracula fuiſſent per eos vel quoſcumque alios ex quocumque ingenio aliqua conficta vel etiam machinata.

E

* *an* commiſſario?

296 Et non invenimus cum eis vel pluribus aliis pluribus * teſtibus, priùs & poſtmodùm ſuper toto negotio receptis, ſuper hoc diligenter interrogatis, quicquam, quod ſiniſtram poſſet ſuſpicionem inducere in præmiſſis: conſtanter atteſtantes *, prædicta ſigna, & plura alia vetuſtate conſumpta, ratione miraculorum, quæ contigerant, & multa alia ibi inventa ex fidelium fuiſſe devotione oblata. Inter quæ invenimus centum ſeptuaginta naviculas argenteas & quadraginta unam cereas, à marinariis (*id eſt nautis aliiſque per mare vectis*) diverſis pro maris periculis, à quibus dixerant ſe fuiſſe miraculosè ejuſdem domini Thomæ meritis liberatos (ut dicebant) oblatas. Et nobis inibi exiſtentibus, fuerunt duæ aliæ argenteæ & una cerea apportatæ, & juraverunt coram nobis duodecim nautæ Ybernici, ſe nuper in quadam navi ex marina tempeſtate in tantum, quòd multa aqua ſubintrabat per ſentinam & alias partes, conquaſſatâ, fuiſſe miraculosè ejuſdem domini Thomæ meritis à naufragio liberatos, & dictam navem ſic conquaſſatam, poſt invocationem dicti domini Thomæ, voto ad eum, cùm eſſet prope litus rupium, ad quas à tempeſtate allidenda propellebatur, emiſſo, continuò vento mutato,

ubi anathemata apud ſepulcrum conſpexerunt, * *abundat* pluribus * atteſtantibus

F

poſt

A post unum diem ad portum alium, salvis omnibus personis & rebus in ea existentibus, pervenisse, & confractam remansisse ibidem.

297 Invenimus etiam inter * personas & magnas imagines hominum & figuras diversorum membrorum centum viginti novem (*in margine notatur* * 140 *ac deest vox puta* argenteas *vel alia similis*) & mille quadringentas viginti quatuor cereas, exceptis cereis oculis, mammillis & auribus, quæ non fuisset præ multitudine eorumdem perquàm facile numerare: & ante nostrum recessum fuerunt ibi una argentea & octoginta quinque cereæ, & in magno numero de dictis oculis, mammillis & auribus apportatæ. Pendebant etiam prope dictum tumulum septuaginta septem figuræ animalium & avium diversarum specierum, quæ dicebantur fuisse resuscitatæ, vel ab ægritudinibus diversis curata: & centum & octo croce, seu baculi, à contractis & claudis curatis inibi, ut dicebatur, relicti; tria vehicula lignea & unum cereum, quibus contracti dicebantur fuisse ad dictum tumulum vecti, & inde sani ad propria suis pedibus rediisse: camisiæ permultorum miraculosè (ut dicebatur) progenitorum ab iis, qui liberos habere primò nequiverant, vel resuscitatorum, aut gravibus languoribus curatorum, nonaginta septem.

*eaque varia ac magno numero, * adde* ea

B

298 Pendebant etiam aliquæ lanceæ & sagittæ & aliqui gladii, cum quibus dicebantur fuisse homines vulnerati, & miraculosè curati, & aliquæ catenæ & anchoræ navium. Comperimus etiam multos anulos aureos & monilia aurea & argentea ad præfati tumuli ornatum ex fidelium devotione, ut dicebatur, oblata, centum & sedecim; pannos de auro & serico triginta octo; cereos aliquos grossos; & candelarum, quas septuaginta octo diebus, quibus Herefordiæ fuimus, omni die ex industria intuentes ecclesiam, à confluentibus undique peregrinis vidimus apportari, non erat numerus. De oblationibus autem, quæ dudum in pecunia obvenerant, fuerunt cathedralis ecclesia de duabus navibus ampliata, & fabricatum in parte maximum campanile. Facta autem dicta apisia... (*forte* aprisia, *i. e.* inventarium, *tum lacuna sequentem periodum mutilam relinquit*) si in dictis miraculis vel singulis eorum fuerant aliqua simulata, recepimus ex officio nostro super toto negotio in testes quatuor de Fratrum Minorum & duos de monachorum conventibus Herefordiæ existentibus, à quibus cùm inibi nullorum aliorum Religiosorum conventus adessent, fecimus nobis aliquos ex civibus Hereford., illorum judicio fide dignioribus nominari.

quæ partim recepistis: exposuimus item,

C

299 Et post quorum, & aliorum à prælibato procuratore ad fidei, vitæ, morum & famæ probationem ministratorum, examinationem, ne multitudo onerosa confusionem induceret, relictis dictis capitulis de fide, vita, moribus & fama, super quibus tam ex officio nostro, quàm ad antedictam procuratorum nominationem circa quinquaginta quinque testes principaliter examinati fuerant, ad probandum veritatem miraculorum, de qua etiam multi ex prædictis testibus deposuerant, continuè per quinquaginta novem dies Herefordiæ vacavimus, nobisque duos Fratres Minores, juratos & in parochia illa notos, in examinationem veritatis ipsorum miraculorum propter notitiam testium, & pleniorem interpretationem depositionum eorum associavimus ad cautelam, & examinavimus super dictis miraculis circitèr centum triginta testes, per quos dictus procurator probare visus est resuscitatorum * novem mortuorum, videlicet septem parvulorum, coram nobis exhibitorum, quorum quinque dicuntur fuisse submersi, sextus ex casu ab alto in profundam rupem, & septimus capite ejus dormientis in terra à rota plaustri terrâ onusti super ipsum transeunte conquassato, expirâsse; & unius hominis bis, & cujusdam mulieris semel, suspensorum: illuminationem quinque cæcorum, erectionem trium contractorum, curationem Gilberti à verrucis & furore: quòd lingua meritis & ad tumulum ejusdem domini Thomæ ei, qui à nativitate per multos annos eâ carens, mutus extiterat, cum duplicis idiomatis loquela collata fuerit, & aliqua alia.

AUCTORE C. S.

* *an* resuscitationem?

300 Die verò decimatertia mensis Novembris, in qua labebatur terminus quatuor mensium, nobis præfixus ad dictam inquisitionem faciendam, exhibuit nobis idem procurator scriptis alia ducenta quatuor miracula, in ecclesia Herefordiensi, inquisitione (ut asseverabat) præmissa, publicata & in scriptis redacta. Quæ quidem miracula fecimus registrari ad cautelam in processu cum quaternis, à quibus nimis in aliquibus punctis abbreviando, & annum & diem omittendo, extracta fuerant dicta miracula. Et dicta miracula sunt de resuscitatione aliorum quadraginta trium mortuorum, illuminatione viginti novem cæcorum, erectione triginta octo contractorum, curatione viginti quatuor claudorum, decem paralyticorum, & decem freneticorum & furiosorum, & super restitutionem auditûs tribus surdis, & loquelæ septem mutis. Centum quadraginta unum miracula erant de diversis aliis languoribus & infirmitatibus, à quibus dicebantur personæ diversorum statuum & conditionum fuisse curatæ. Obtulit & protestatus fuit idem procurator, se prædicta ducenta quatuor miracula, & plura alia, quæ non fuerant in scriptis redacta, si opus esset, probaturum, quamquam crederet, ut dicebat, sufficere alia, super quibus testes principaliter producti fuerant per eumdem; ad probationem dictorum ducentorum quatuor clerum & populum civitatis Hereford. in cathedrali ecclesia congregatos, & multos de diœcesi, in quorum personas dicebantur aliqua ex prædictis miraculis contigisse, nominatis nobis in testes.

quæ item miracula ultimâ commissionis die

E

F

301 Quibus auditis, & de tot ac tantis miraculis quodammodò admirati, à venerabili patre, domino Richardo episcopo & ab omnibus canonicis presbyteris & pluribus clericis ecclesiæ Herefordiensis, tunc in civitate præsentibus, qui fuerunt numero... (*numerus hîc excidit*) coram nobis evocati, sub virtute juramenti ab eis & à tribus procuratoribus prædicti capituli solemniter præstiti, post singula miracula ex dictis ducentis quatuor in eorum distinctè lecta præsentia requisiti, si credebant, dicta miracula esse vera, & posse probari, & si publicè & communiter fuerant & erant ascripta meritis dicti domini Thomæ; & omnes & singuli responderunt unanimiter, quòd sic, & etiam plura alia, quæ fuissent lecta coram nobis & eis; adjicientes sub dicto juramento requisiti, quòd nullam sciebant vel audiverant fraudem, vel simulationem in dictis miraculis.

à procuratore producta

302 Postquam * eadem die quadraginta quatuor testes, à prædicto procuratore ministratos, summariè substantiam & efficaciam depositionis

ac partim probari visa sint.

* Post quæ

AUCTORE C. S.

fitionis eorum breviando, & redigendo in ſcriptis examinavimus, per quos dictus procurator viſus fuit probare ſex ex ducentis quatuor miraculis, per eum illa die in ſcriptis redditis; ſcilicet, quòd ei, cui lingua dicebatur fuiſſe à noverca ſua præciſa, cum loquela extiterit redintegrata; & quòd quatuor contracti fuerunt erecti, & una puella ſubmerſa, reſuſcitata; & ſex alia, quæ non fuerant cum dictis ducentis quatuor miraculis, nec aliàs in proceſſu in ſcriptis redditа per eumdem; ſcilicet ſuper erectione duorum contractorum, & ſuper reſuſcitatione quatuor parvulorum mortuorum, unius ex infirmitate naturali defuncti, alterius ex caſu & ſuſpenſione à cunabulis, tertii ex oppreſſione materna; & quòd quartus natus fuerat mortuus, & menſuratus ad dictum dominum Thomam vivificatus. Et plures alios teſtes ad plura alia miracula comprobanda habebat dictus procurator in promptu, quos non examinavimus, quia plus nobis de tempore quatuor menſium non reſtabat.

Modum denique ac fidem ſuam in utroque proceſſu ſervata

B

303 Rurſus Sanctitatis veſtræ, beatiſſime Pater, clementia non ignoret, me epiſcopum Mimatenſem in omnibus & ſingulis, tam primi, quàm ſecundi proceſſuum actibus unà cum dictis dominis Londonenſi epiſcopo & archidiacono Aranenſi, vel eorum altero, quando pro Sanctitatis veſtræ vel regiis negotiis contingebat impediri alium, affuiſſe, & mecum ad conſcribendum ſingula magiſtrum Raymundum de la Prada, de mea diœceſi oriundum, imperiali & mea auctoritate notarium publicum, aut dominum Raymundum Berengarii, monachum Figiacenſem, capellanum meum, loco dicti notarii, cùm aliquando pro dictis negotiis fuit abſens, continuè habuiſſe & in omni actu, excepta depoſitione Walteri bis ſuſpenſi, in qua non habuimus, qui eum intelligerent, niſi duos Fratres Minores, interpretes nobiſcum. Et præter nos commiſſarios, quatuor ad minus perſonæ fideles & juratæ affuerunt, intelligentes deponentium teſtium idiomata, ad quæ fuerunt per nos deputati diſcreti viri, magiſtri Raymundus Garroti præcentor Mimatenſis, & Willelmus de Melford cancellarius domini Londonenſis epiſcopi, juriſperiti; & magiſtri Gilbertus de Bruena presbyter beneficiatus, Adam de Lyndeſeye, & Willelmus le Dorturer Apoſtolica, & Ranulphus de Waleham ſanctæ Crucis dyaconus beneficiatus, imperiali auctoritate notarii publici, de Anglia oriundi.

C

reverenter commendant, ac epiſtolam concludant.

304 Quorùm notariorum publicorum Anglicorum ſaltem duo cum dictis Raymundo de la Prada, vel monacho, omnibus interfuerunt & in ſcriptis omnia redegerunt, & inſuper duo Fratres Prædicatores vel Minores quaſi continuè, quando aliqui in Anglico deponebant. In primo autem proceſſu nullus depoſuit, niſi litteraliter * vel Gallicè loquendo; nec in ſecundo, niſi . . . (*hic rurſum lacuna eſt.*) Et quamquam ex eo potiſſimè, quia certa non fuerunt nobis miſſa ſub bulla, quamplurima ſpecialia interrogatoria ſuper vita, moribus & converſatione ejuſdem domini Thomæ, teſtibus de eis deponentibus ex officio noſtro, nil palliando, fecerimus, nullum tamen ſiniſtrum de eo potuimus invenire, ſed potiùs communi omnium teſtimonio, prout proceſſûs pleniùs indicabit diſcuſſio, multa magnalia atque mira, nobis, niſi ſic diligenter & argutè diſcuſſiſſemus & palpaviſſemus, non facilè credibilia, de quibus quamplurimùm in Domino conſolamur, & exultare ſperamus Sanctitatis veſtræ clementiam, quam conſervet Altiſſimus Eccleſiæ ſanctæ Dei felicem, ſicut optamus, ac incolumem, quando ei fuerunt tam magna & tanta Dei beneficia ad noſtræ fidei orthodoxæ corroborationem, & devotionem fidelium excitandam modernis oſtenſa temporibus reſerata. Scriptum ut ſuprà, *videlicet* die . . . menſis Decembris anno Domini M. CCCVII.

** i. e.* Latinè

D

§ XVII. Sancti canonizatio facta per Joannem XXII Papam, cujus bulla recitatur: ejuſdem inſignes reliquiæ Audomaropoli in Arteſia.

Joannes XXII Thomam Sanctis adſcribens, edidit bullam,

E

C*Lemens V ſummus Pontifex, ex cujus mandato auctoritateque proceſſum canonizationis* S. Thomæ *anno* 1307 *confectum eſſe vidimus, vivere deſiit anno* 1314, *nullo interim edito decreto pro eodem inter ſanctos confeſſores referendo. Poſt biennii ac quatuor ferè menſium ſanctæ Sedis vacationem ſucceſſit illi anno* 1316 *Joannes XXII, iſque anno quarto Pontificatus ſui, qui fuit vulgaris æræ Chriſtianæ* 1320, *Avenione reſidens, quod deceſſor ejus inchoaverat, feliciter perfecit. Exſtat bulla illius in Bullario Romano, Laërtii Cherubini operâ anno* 1617 *Romæ vulgato, pag.* 160 *& duabus ſequentibus. Eamdem etiam dedit Juſtus Fontaninus archiepiſcopus Ancyranus in Codice canonizationum anno* 1729 *Romanis typis pariter edito: ſic autem hi duo conſentiunt, ut alter altero nonnumquam accuratior ſit; ac propterea illam ex Fontanini editione, niſi, ubi altera correctior eſt, recenſurus ſum. De editione altera loquar inferiùs.*

in qua cælum terramque ad applauſum invitans,

F

306 Johannes Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Unigenitus Filius, ſplendor ac figura ſubſtantiæ Patris, qui pro lapſi medela hominis exinaniens ſemetipſum factus in utero Virginis Verbum caro, de horto militantis Eccleſiæ modò roſas coloris ignei, nunc lilia candoris nivei, nunc violas odoris placidi colligere, ſuiſque offerre aſpectibus non deſiſtit, in hodiernis temporibus, adveſperaſcente die, mundi hujus labilis termino propinquante, de radice matris Eccleſiæ florem fecit aſcendere, ex Jacob noſtro oriri juſſit ſtellam ſplendidam matutinam. Ecce namque, quòd, qui ſedens in throno omnia facit nova, novi confeſſoris, beati videlicet Thomæ, Herefordienſis quondam epiſcopi, nova magnalia mundo prodit, ejus fama offert* magnificè, vitam offert imitandam à cunctis, ut regulam fulgidam & exemplar. Lætentur igitur cæli ſursùm, qui hunc Sanctum glorioſum in ſe ſuſcipiunt; & exultet terra deorſum, quæ ſuperiùs tranſmittit Præſulem tam mirandum. Plaudant ob hoc cœtus angelici, & canoro jubilo Deum laudent. Huic occurrant cœleſtes cunei: hunc collaudent feſtivè cæli cives. Collætetur immensè Chriſti ſponſa mater Eccleſia, tantæ prolis claritate fœcunda, quæ terram deſerens & terrena, cœleſtis imperii admirabilis ipſi * ineffabili throno gaudet.

** an famam effert?*

** al.* ipſe

307 Ut autem lucerna ſplendidæ vitæ ſuæ poſita

præcipuas ejuſdem Sancti virtutes,

poſita ſuper candelabrum domûs Dei non lateat, ſed pateat cunctis fidelibus, ut cœleſtis & perpetuæ vitæ norma; de ſuis felicibus moribus & actibus aliqua de multis ad utilitatem audientium referamus. Ipſe namque, quem fides firmum, ſpes erectum, Dei & proximi abundans caritas fecit latum, circumſpectum prudentia, temperantia in omnibus ordinatum, innoxium cunctis juſtitia, audacem & ſtrenuum fortitudo, virtutum omnium aromatibus redolebat, velut plena divinorum cariſmatum apotheca. Sanè beatus hic Thomas natione Anglicus, angelicus homo ipſe, de parentibus nobilibus & Catholicis originem ſuam trahens, ab ætate primæva morum honeſtate præclarus, ſtudiis literarum ſic ſe dedicavit totaliter, ſic in ipſis ſolicitè ſtuduit & profecit, quòd tam in humanis ſcientiis, quàm etiam in divina, honorem magiſterii eſt adeptus, póſtque doctrinæ ſuæ radios longè latéque diffundens, quamplures ad juſtitiam erudivit, velut luminare in mundo præfulgidum continens verbum vitæ.

quibus tam ante, quam poſt adeptum epiſcopatum
B

308 Ne autem terrenæ carnis inhabitatio deprimeret ſecum ſenſum cœleſtia cogitantem, ipſam, ut ſerviret ſpiritui, vigiliis & abſtinentiis, necnon pungenti cilicio, ſed & cibi & potûs parſimoniâ continuâ macerabat, abſtinens à vino ſæpius, ſciens, quòd in ipſo lubricum latet carnis. Sciens etiam, quòd Deus ſe promittit in objectum & præmium mundis corde, à juventute ſua caſtitatis pulcritudinem adamavit, proptereáque mulierum conſortia, quæ pretioſam viri animam rapiunt, ac ipſarum blanda colloquia prudentiſſimè devitabat. Noverat namque, quòd propter mulieris ſpeciem, à qua factum eſt peccati initium, multi perierunt. Iſte Sanctus etiam, ut alter Job, ſimplex, rectus ac timens Deum, à Chriſto didicit eſſe manſuetus, mitis corde, humilis & benignus, miſericordiâ nihilo minùs, quæ ab infantia ſecum crevit, erga pauperes & afflictos ſuæ pietatis viſcera ſic affecit, quòd ipſe verus pauper ſpiritu, dives rebus, illos largis ſuſtentabat eleëmoſynis; iſtos verò crebris conſolationibus refovebat: cum Apoſtolo namque Paulo infirmabatur cum infirmantibus, & cum patientibus ſcandalum urebatur.

C
floruit uſque ad obitum ſuum, breviter recenſuit,

309 Hic demum Sanctus de innocente agno factus in Herefordienſi eccleſia bonus paſtor, ſeipſo in mente major effectus eſt, ſtudens ſemper de virtute progredi in virtutem, quo in tempore in Dei templo in virtutum culmine poſitus ſic effulſit, quòd meritò gemma præſulum dici poſſet. Orationi verò inſiſtebat aſſiduè, ac ſui fervorem ſpiritus demonſtrabant in orationibus & celebratione Miſſæ abundanter ex oculis lacrymæ defluentes. Commiſſas verò ſibi oves perducebat ad paſcua, & à lupis protectas rapacibus, paſtaſque verbo & exemplo pariter ad Chriſti caulas ſedulè reducebat. Jura verò ſuæ eccleſiæ defenſabat indutus juſtitiâ, ut loricâ. Paratus namque pro ſibi commiſſo grege animam ponere, non timuit in hoc principem nec magnatem. Et quia dignum erat, quòd huic tam excellenti merito daretur æterna requies poſt laborem, cùm pro ſuæ cauſis eccleſiæ ad Romanam perveniſſet curiam, diem clauſit extremum, receptis devotè priùs Eccleſiæ Sacramentis; ſicque Vir felix iſte ad Deum tranſmittendo ſpiritum, de peregrino & advena factus eſt eximius cœli civis, &, quod decebat multùm divinæ potentiam Majeſtatis, ut Sanctum hunc in cælis regnare ſecum, per ſignorum evidentiam fidelibus declararet, ipſum coruſcare in terris miraculis multis fecit; quorum quædam fidelibus probata teſtimoniis ad Dei laudem & gloriam Sancti hujus duximus inſerenda.

AUCTORE C. S.

uti & aliqua ex multis miraculis,

310 Quædam namque puella ætatis annorum quinque, quæ tempore longo in quodam profundo ſtagno ſteterat mortua & ſubmerſa, extracta inde frigida tota & rigida, non habens aliquod ſignum vitæ, facto ad Sanctum hunc pro ejus reſuſcitatione voto, vitæ fuit priſtinæ reſtituta. Infans etiam biennis quidam in aqua quadam ſubmerſus & mortuus, extractus inde, poſt factum pro ipſo votum miraculosè extitit ſuſcitatus. Puer quidam annorum novem ſubmerſus in quodam flumine, poſtquam extractum de aqua Sancto huic aliqui devoverant *, reſtitutus eſt vitæ pariter & ſaluti. Parvulus alter ætatis unius anni cum dimidio, cujus ſupra caput dormientis in area rota tranſiverat onuſti currus, qui à bobus quatuor trahebatur, mortuus ex hoc, recuperavit vitam & animam meritis Sancti hujus. Infans alius, nondum ætatis annorum duorum, in fundo cujuſdam foſſati, in quem locum de ponte altitudinis magnæ de nocte aſſeritur cecidiſſe, repertus mortuus, frigidus omnino & rigidus abſque aliquo ſigno vitæ, menſuratus ad hunc Sanctum, vitæ fuit mirabiliter reſtitutus.

* *al.* devoverint

E

ad illius invocationem obtentis;

311 Mulier quædam, quæ ſeptem annis ſic contracta fuerat, quòd nec ſtare nec ire poterat per ſeipſam, portata ad tumulum S. Thomæ, oratione ibidem facta per ipſam, reſtituta fuit priſtinæ libertati ſanitatis. Quædam inſuper puella annorum quinque *, quæ pedem unum habebat annis pluribus quaſi totum ex fiſtulis putrefactum, ita quòd nec ſtare nec ire poterat, niſi ſe ſuper femur trahendo per terram, portata ad dicti Sancti tumulum per patrem, fuit ibidem à dicta infirmitate curata. Altera mulier, quæ per annos plures viſu caruerat, nec quóquam ire poterat, niſi ut cœca ab altero duceretur, ducta ad eccleſiam Herefordienſem, & facta oratione ad tumulum S. Thomæ, fuit à cœcitate dicta continuò liberata. Puer inſuper annorum quinque, qui ex infirmitate quadam omnino viſum perdiderat, & duobus annis manſerat ita cœcus, ductus ad hujus Sancti tumulum, oratione facta, viſum recuperavit perfectè. Quidam etiam homo, qui gilbum * ad quantitatem unius ovi anſeris ortum in collo ſuo portaverat multis annis, orans ad tumulum hujus Sancti & denarium offerens, cum quo in modum crucis tetigerat dictum gilbum, ſtatim curatus omnino fuit, & à dicto gilbo penitus liberatus.

* *imò* novemdecim

F

* *i. e.* gibbum, *ſeu* tuber

quibus cùm Deus ipſum in cælis honoratum manifeſtet,

312 Prædictis & aliis multis miraculis Sanctum ſuum clarificavit Deus, qui facit mirabilia magna ſolus. Hæc ſunt certè miracula opera tua, Deus, qui ſic per cœleſtes ſpiritus gubernas terrena omnia & diſponis, quòd ipſorum ſacratum numerum, quem cadentium ruina minuit, reparas mirabiliter de terrenis. Hi ſunt Sancti tui, omnipotens Deus, qui tuæ dono gratiæ ſemper virent, rubent ut roſa, candent ſicut lilium, ut mel placent, currunt ut ſpiritus, flagrant * ut balſamum, ut ſol fulgent. Sic clemens Deus, ſanctum ſuum Thomam glorificans, fidem firmat, nubiloſos errores diſſipat & confundit, ad ſuperna noſtros rapit affectus, amoris flammis ſuccendit frigida corda noſtra. In hac igitur læta die, quam fecit Dominus, quâ

* *an* fragrant?

AUCTORE C. S.

Confessor iste in Dei throno coronâ gloriæ clarus sedet, laudet Deum omnis spiritus, cœli cœlorum clamore ineffabili Deo canant: Sanctorum Ecclesia mente ac spiritu in chordis & organo Deo psallat. Sed eo magis plaude, Herefordia, quæ sui thesaurum corporis contines tam immensum; nam quem in terris habuisti pastorem, nunc obtines in cœlis sedulum protectorem.

ipse eumdem annuo festo die 2 Octobris coli mandavit,

313 Verùm quia multum convenit, ut, quem Deus in cœlis glorificat, in terris ad suum fructum & gaudium mundus colat, nos de ipsius vita & miraculis inquiri fecimus diligenter: dehinc super inventis per nos & fratres nostros attenta examinatione habita, & discussione solerti de ipsius sanctitate vitæ ac veritate miraculorum plenariè certi facti, ad requisitionem instantem ac supplicationem humilem & devotam prælatorum multorum, apud Sedem Apostolicam existentium, de dictorum fratrum nostrorum consilio & assensu, confisi de omnipotentis Dei misericordia, auctoritate quoque beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, & nostrâ, * sanctorum confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideóque universitatem vestram monemus & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus sexto Nonas Octobris festum Confessoris ejusdem devotè & solemniter celebretis, ut pia ejus intercessione & hîc à noxiis protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.

* *al. add.* in

B

& ad sepulcrum ejus orantibus indulgentias concessit: hæc bulla

314 Ut autem ad venerabile ipsius sepulcrum ardentiùs & affluentiùs Christiani populi confluat multitudo, ac celebriùs ejusdem Confessoris extollatur festivitas, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, duos annos & duas quadragenas; accedentibus verò annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi Octavas, centum dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum Avenione decimo quinto Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno quarto. *Hæ notæ indicant Christi* 1320, *sive annos Pontificatûs Joannis ordiaris à die* VII *Augusti anni* 1316, *quo creatus est Pontifex, sive ab ejusdem anni mense Septembri, quo coronatus fuit. Eamdem bullam, sed magna sui parte, miraculis omnibus præcisis, mutilam, cum eisdem tamen notis chronicis edidit David Wilkins tom.* 2 *Conciliorum Magnæ Britanniæ pag.* 651 *& sequenti, ubi illam alieno prorsus loco recensuit.*

C

pertinet ad annum 1320.

315 *Reposuit enim sub Pontificatu Benedicti XII anno* 5, *Joannis Stratford archiepiscopi Cantuariensis anno* 6, *Christi anno* 1339, *Eduardi III regis Angliæ anno* 13. *Titulum verò hunc præfixit:* Canonizatio S. Thomæ, episcopi Herefordensis in Anglia, ejusque relatio in numerum sanctorum confessorum, cum suæ festivitatis institutione pro die 2 mensis Octobris. Ex Bullar. Roman. vol. 1, p. 223, edit. M. DC. LXXIII *. *Deinde ad hunc asteriscum infrà sic notat:* * Bulla hæc ad anno Dom. M. CCC. XIX referenda, hoc vel sequ. anno publicata fuit, testante Bullario. *Editionem illam Bullarii Romani equidem non vidi; atque hinc nescio, quid ista sua annotatione indicatum voluerit laudatus Wilkins; aut enim eamdem bullam anno* 1319 *vel rectiùs* 1320 *promulgatam fuisse voluit; sed quorsum tunc eamdem sub anno Christi* 1339 *excudit? vel illam anno quidem* 1319 *vel* 1320 *à Joanne XXII datam, sed non ante annum* 1339 *vel* 1340 *promulgatam fuisse indicavit; sed quo argumento tam diuturna ejusdem Bullæ promulgationis dilatio probatur? Ego certè nihil usquam reperi, quod dubitare me faciat, an sæpe dicta bulla seriùs promulgata fuerit, quàm anno* 1320, *quo data notatur.*

D

E Sancti reliquiis curâ Catholicorum

316 *Porrò quamvis nullum dubium esse possit, quin* S. Thomæ *cultus post decretos illi Pontificio oraculo sacros honores magnum incrementum ceperit, nihil tamen super hoc argumento præterea legi. Verisimile est, si minùs totum illius corpus, at partem saltem ejusdem è marmoreo suo tumulo id temporis elatam fuisse, fideliumque venerationi publicè exponi solitam, dum Catholica fides in Anglia stetit, sive usque ad tempora regis Henrici VIII. Dehinc verò saltem non omnia sacra illius ossa, Anglis olim tam cara, ab heterodoxis dissipata fuisse, disco ex notitiis anno* 1755 *ad nos missis è collegio Societatis nostræ Audomaropolitano, ad quod integrum os brachii ejusdem seculo* XVII *pervenit. Prima notitia est Joannis Stephani Poynezii vel Poinzii, Societatis nostræ presbyteri testimonium datum anno* 1668, *quale hîc transcripsi:* Infrà scriptus Societatis Jesu sacerdos fidem facio, brachium S. Thomæ episcopi Herefordiensis, cujus in adjuncto scripto fit mentio, mihi traditum fuisse à P. Francisco Bayo (verè, *sive proprio nomine* Custaudo) Societatis ejusdem sacerdote, è pluribus sacris ejusdem Sancti ossibus, ejus custodiæ concreditis Herefordiæ in Anglia, ubi magna pietate à Catholicis coluntur, illudque ex præscripto R. P. Provincialis nostri à me depositum fuisse in sodalitate Parthenia seminarii nostri Anglicani 1 Septembris MDCLXVIII Audomari. Joannes Steph. Poynezius Societatis Jesu, notarius Apostolicus.

E

manibus hæreticorum subductis unum os brachii

317 *Sequitur ibidem mox & aliud testimonium, ejusdem, ut apparet, quamvis in nomine aliqua sit differentia.* Sacrum illud pignus, quod fascia viridi involutum Parisiis anno Christi MDCLI, Novembris XII apud sororem meam dominam Mariam Poinz depositum reliqui, ego Joannes Poinz Societatis Jesu sacerdos testor unum esse ex ossibus magni illius antistitis miraculisque celeberrimi, S. Thomæ Herefordiensis, cujus festum 2 Octobris in Martyrologio Romano celebratur. Fretiosum hoc cimelium unà cum capite aliisque sanctissimi Præsulis reliquiis à Catholicis usque temporibus pia veneratione, licèt clanculùm, asservatum, anno tandem MDCXLII, cùm parlamentarii milites, comite Stamfordiensi duce, Herefordiam occupâssent, ab iisdem direptum est; piis tamen conatibus dominæ Ravenhill, matronæ Catholicæ, in illa tunc civitate commorantis recuperatum. Unde insignem hanc tanti thesauri partem prædictus ego Joannes Poinz à P. Alexandro Custaud (*aliter, ut mox vidimus,* Francisco Bayo *appellato*) etiam Societatis Jesu sacerdote accepi, depositamque sorori meæ dominæ Mariæ Poinz Parisiis tradidi, ut, si quid mihi accideret, R. P. Præposito provinciali Angliæ Societatis Jesu tunc existenti redderetur. Joannes Poinz Societatis Jesu sacerdos. *Hæc ille, quæ si rectè intelligo, sacrum istud os brachii Parisios primùm atque hinc Audomaropolim allatum fuit.*

F

318 *Altera notitia est testimonium R. P. Richardi Bartoni, ad cujus calcem adjecta est facultas illustrissimi episcopi Audomaropolitani pro eodem*

in Belgium allatum Audomaropoli in collegio Anglicano

eodem ſacro oſſe publicæ venerationi exponendo, quod hic pariter exhibeo. Richardus Bartonus Societatis Jeſu collegii Anglorum Audomari rector. Omnibus has viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Fidem facimus, teſtamurque univerſis ad poſterorum memoriam, 1 Septembris anni MDCLXVIII collocatum fuiſſe juſſu R. P. Provincialis noſtri in ſacello ſodalitatis Partheniæ hujus collegii os majus ac integrum brachii dexteri S. Thomæ, epiſcopi Herefordienſis & confeſſoris, incluſum thecæ ebeneæ, & per vitra undique inſerta conſpicuum, ſpectans ad provinciam Anglicanam dictæ Societatis, pro depoſito hìc interea aſſervandum, quod jam pridem deſumptum fuit ex arca, in qua venerandum ejus caput & oſſa complura, jam olim hæreticorum furori à Catholicis ſubducta, apud ſacerdotem Catholicum Herefordiæ in Anglia religiosè aſſervantur, & publicæ fidelium venerationi (quantùm iſtic inter hæreticos fieri poteſt) exponuntur, continuata ſucceſſione jam inde à tempore, quo fides Catholica in Anglia viguit; prout nobis conſtat ex teſtimonio & ſancta aſſeveratione R. P. Joannis Stephani Poinezii Societatis noſtræ presbyteri & plurium collegiorum noſtrorum quondam rectoris, qui hoc ſacrum pignus juſſu R. P. Provincialis ad nos detulit. In quorum fidem has manu noſtra & officii noſtri ſigillo munitas dedimus Watenis 1 Octobris MDCLXVIII. Rich. Bartonus m. p.

B

L. S.

Societatis Jeſu honoratur,

319 *Mox ſubditur epiſcopi Audomaropolitani approbatio his verbis:* Illuſtriſſimus ac reverendiſſimus dominus epiſcopus Audomarenſis infrà memoratas reliquias permittit exponi publicè fidelium venerationi. Datum Audomari prima Octobris MDC LXVIII.

De mandato
J. De la Ramonery.
L. S.

Epiſcopus ille ſecundùm Galliæ Chriſtianæ ſcriptores debuit fuiſſe Ladiſlaus Jonnart, poſtea ad archiepiſcopatum Cameracenſem tranſlatus. Guilielmus Wappeler Societatis noſtræ provinciæ Anglicanæ presbyter, qui prædictas notitias anno 1755 die XXIV Junii ex Anglicano collegio Audomaropolitano ad nos tranſmiſit, quædam ad illas in adjecta epiſtola annotavit. Ac primò quidem obſervavit, approbationem illuſtriſſimi epiſcopi in autographo præfixam legi teſtimonio P. Richardi Bartoni, ac propterea in eadem dici: Infrà memoratas reliquias. *Secundò*, Franciſcum Bayum & Alexandrum Cuſtaud, *de quo ſuprà facta mentio eſt, eumdem eſſe. Tertiò de lipſanotheca ſic ait:* Theca ebenea cum vitris (*de qua vide num. præced.*) mutata eſt poſtea in rotundum cryſtallum, & hoc à me tribus abhinc annis in thecam ex ſtanno confectam & laminâ argenteâ obductam; ſed reliquiæ ſemicirculis argenteis impoſitæ per vitra cryſtallina conſpiciuntur. Reliquiæ iſtæ aſſervantur in anteriore parte ſeu fronte menſæ altaris in oratorio ſodalitatis Partheniæ, & remoto antipendio, feſtis ſolennioribus apparent, ſecundâ verò Octobris in templo noſtro publicæ venerationi exponuntur.

C

Ibidemque Sanctus propterea colitur feſto ritus duplicis.

320 *Denique præmiſerat, ejuſdem* S. Thomæ *feſtum ob prædictas reliquias in eodem collegio quotannis cum ritu duplici celebrari. Ceterùm Audomaropolis, aliàs etiam* Fanum S. Audomari *ac vulgo* Saint Omer *appellatum, civitas Belgii eſt in provincia Arteſiæ ad Agnionem fluvium atque in limite comitatûs Flandriæ ſita, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Cameracenſi. Atque hæc quidem de oſſe brachii ſancti Præſulis; ſed quid ceteris ejuſdem membris tandem factum ſit, inexploratum mihi eſt; nec amplius ſcio de ejuſdem corde, quod Adamus Kyngeshm, in proceſſu teſtis undecimus*, apud Aſhrugg Lincolnienſis diœceſis *in Anglia ſuo tempore quieviſſe, aſſeruit. Nunc Acta ſubjungo.*

AUCTORE C. S.

COMPENDIUM VITÆ

Ex Proceſſu Canonizationis,

Ex codice Vaticano 4015.

CAPUT I.

E

Sancti illuſtris familia, nativitas, educatio, litterarum ſtudia, officia beneficiaque, virginea caſtitas, miraque in cibo potuque temperantia.

Præfatio.

MAgiſter Henricus de Schorno, archidiaconus Herefordienſis, & ad promovendum negotium canonizationis domini Thomæ epiſcopi Herefordienſis à capitulo Herefordienſi procurator deputatus, x Septembris produxit teſtem ſuper toto hoc negotio LXI reverendum patrem dominum Riccardum, Dei gratiâ epiſcopum Herefordienſem *a*, qui, ſacroſanctis Euangeliis in ejus conſpectu poſitis, juravit dicere veritatem ſuper toto hoc negotio ſecundum formam juramenti ceteris omnibus teſtibus propoſitam *b*.

a

b

Sanctus patrem habuit baronem de Cantilupo, matrem, antè comitiſſam Ebroicenſem;

2 Primò autem interrogatus, ſi fuerat de parentela vel familia dicti domini Thomæ, reſpondit, quòd non fuerat de parentela ejus, ſed de robis & familia *c* per XIIII annos, vel circà, ut credit; ſed non fuit toto illo tempore continuè converſatus cum eo, ſed per vices; quia vacabat interim ſcolaſticis diſciplinis. Item interrogatus de ætate ſua, reſpondit, ſe eſſe ſexagenarium, & ultrà. Item interrogatus, unde & à quibus parentibus dictus dominus Thomas traxit originem, reſpondit, ſe habuiſſe ex relatu multorum, & reputabat eſſe notorium in toto regno Angliæ, quòd dictus dominus Thomas fuerat ortus de nobili ſtirpe baronum regni Angliæ, & pater ipſius domini Thomæ vocabatur D. Wilhelmus de Cantilupo, & fuit magnus baro, habens in reditibus annuis bene duo vel tria millia librarum ſterlingarum. Mater verò dicti domini Thomæ fuit vocata domina Mileſenta, quæ fuerat comitiſſa de Ebroycis in Normannia, & fuerat dicta domina orta ex valdè nobilibus Normanniæ vel Franciæ *d*.

c

F

d

3 Et poſt obitum comitis Ebroycenſis nupſit dicto domino Wilhelmo, & ex legitimo matrimonio genuit dictum dominum Thomam, & dominum Hugonem, fratrem ſuum, magnæ

Ex cod. Vatican. *habuit fratres & sorores; natus & baptizatus in diœcesi Lincolniensi.*

auctoritatis & litteraturæ virum, & tres strenuissimos milites, & tres vel quatuor dominas, matrimonio collocatas nobilioribus baronibus regni Angliæ *e*. Avus verò dicti domini Thomæ dicebatur traxisse originem de Normannia. Item interrogatus, ubi fuit natus & baptizatus dictus dominus Thomas, respondit, se audivisse ab eo, quòd fuerat natus in dioceſi Lincolnienſi, in quodam manerio, tunc patris sui, in villa de Hameldene *f*; & dixit, se credere, quòd ibi fuerit baptizatus, ubi comes Cornibiæ, dominus scilicet Edmundus, filius domini Ricardi, quondam regis Alamaniæ *g*, construxit oratorium ob reverentiam Dei & dicti domini Thomæ, quem in vita sua reputabat sanctum, sicut idem dominus episcopus dixit, se audivisse à dicto comite; & in dicto oratorio Dominus dicitur pro dicto domino Thoma miracula operari frequenter.

e
f
g

Fit cancellarius Henrici & consiliarius Eduardi, regum Angliæ:

r
ſ

Piè educatus, studet Parisiis, in concilio Lugdunensi fit capellanus Innocentii IV:

4 Item interrogatus, ubi, cum quibus, & qualiter dictus dominus Thomas fuit in pueritia, adolescentia & juventute sua conversatus; respondit, se audivisse referri à fide dignis, & etiam ab eodem domino Thoma, quòd in infantia sua fuerat nutritus à quadam valdè devota, nobili & sancta matrona nomine *h*... Post Septennium autem vel circà, cùm traderetur litteris informandus, traditus fuit bonis magistris cum dicto fratre suo Hugone *i*; & Missam omni die & Horas canonicas audiebant; & cùm ætate & litteris profeciſſent, dicebant prædictas Horas canonicas. In adolescentia autem sua idem dominus Thomas & prædictus ejus frater studuerunt & rexerunt Parisiis in artibus, & stabant ibi valdè honorificè, & cum bona & honorabili comitiva *k*; & postmodùm ambo iverunt ad concilium Lugdunense, celebratum per dominum Innocentium Papam quartum, & fuerunt ibi facti ambo capellani ipsius domini Papæ *l*. Postmodùm de sua & amicorum suorum voluntate quilibet ex dictis fratribus tenuit hospitium & familiam magnam per se. Studuerunt Parisiis, dictus dominus Thomas in Decretis, in qua facultate fuit licentiatus ibidem; & alter frater in Theologia.

h
i
B
k
l

Studet legibus Aureliani, Decretis & Theologiæ Parisiis, docet Oxonii, ubi fit cancellarius universitatis.

5 Priùs etiam dictus dominus Thomas studuerat Aureliani legibus *m*, & in tantum profecit, quòd aliquando legebat pro domino Guidone, tunc famosissimo doctore, quem dictus dominus Thomas audiebat. Habitâ autem Parisiis licentiâ in Decretis, incepit in dictis Decretis & rexit Oxonium per aliquos annos *n*, & fuit cancellarius dictæ universitatis *o*, & in officio cancellariæ & in omni statu suo, quem antè & pòst habuit, justè & sanctè se gessit, & viam veritatis, quam priùs inchoaverat, non dimisit; scilicet semper de bono in melius profecit. Postmodùm rediit Parisios ad audiendam theologiam, & erat tunc dominus Thomas quadraginta quatuor annorum *p*, vel circà & tunc dominus Ricardus, nunc episcopus Herefordiensis, fuit cum eodem, & fuerat per biennium. Cùm autem studuisset in Theologia per plures annos, & legisset ibidem curſoriè Epistolas, quas Canonicas vocant; rediens Oxonium, incepit & rexit ibidem in Theologia per unum annum & quatuor menses, priusquam celebraretur concilium Lugdunense per dominum Gregorium Papam decimum, cujus concilii occasione, dimissa lecturâ, ivit ad concilium supradictum *q*.

m
n
o
C
p
q

6 Fuit autem dictus dominus Thomas ita laudabiliter conversatus in omni statu suo, quòd nec turpitudo, nec stultiloquium, nec scurrilitas, quod ipse testis sciat vel audiverit, per se vel ab aliis, processerunt ab ore ipsius domini Thomæ. Item super secundo interrogatus primi articuli, Quibus studiis, requisitus dixit idem dominus episcopus Herefordiensis, se per præcedentia in parte respondisse ad interrogationem supradictam, adjiciens, dictum dominum Thomam fuisse consiliarium & cancellarium domini Henrici *r*, tunc regis Angliæ, & postmodùm etiam fuit de consilio domini Edwardi, filii dicti domini Henrici, jam defuncti *s*. Dixit etiam, quod prædictus dominus Thomas habuerat valdè magnum & honorabilem statum ante episcopatum, & circa mille marcas argenti annui redditus in beneficiis & dignitatibus ecclesiasticis, quæ ex dispensatione Sedis Apostolicæ, quam idem testis se vidisse asseruit, obtinebat.

beneficia sua ecclesiastica optimè administrat & tutatur.

t

7 Fuerat enim præcentor & canonicus in Eboracensi, archidiaconus & canonicus in Lichefeldensi, & canonicus in Londinensi & Herefordiensi ecclesiis, & plura ecclesiastica beneficia obtinebat; adjiciens, quòd dicta beneficia salubriter gubernabat, & eorum jura defendebat & augmentabat, & in eis ædificia plura faciebat. Et specificavit, eum litigâsse & obtinuisse contra parochianos suos ratione ecclesiæ suæ parochialis de Doderhull * decimam de salinis, quæ multum ascendebat, omnibus prædecessoribus ejus in dicta ecclesia solvere recusantes, & ubicumque jura aliorum beneficiorum suorum læsa vidit vel perdita, ea resarcire & in integrum restituere cum magnis sumptibus & laboribus satagebat. Specificavit insuper, dictum dominum Thomam ædificia plura construxisse apud Bradewelle Londinensis dioceſis, Schireburn Wintonensis dioceſis, & apud Kemeseyam Wigornensis *u*, & apud Eboracum *x* in beneficiis suis *y*.... Acta in capella S. Catharinæ die XI mensis Septembris coram dictis dominis, episcopis & commissariis, præsentibus notariis hujus processus.

E
* Doderhult
u x
y

Excellit virtutibus theologicis & moralibus:

8 Post hæc in crastinum, videlicet XII die mensis Septembris, præfatus dominus Ricardus episcopus Herfordiensis rediens, coram dictis dominis commissariis ad continuandum depositionis suæ seriem, requisitus super tertio interrogatorio primi articuli, scilicet de fide dicti domini Thomæ per dilectionem operante, respondit, ipsum dominum Thomam habuisse rectam fidem, spem certam, & perfectam caritatem; sicut ipse testis ex multis causis rationabilibus perpendere potuit, dum ejus familiaris existeret. Item interrogatus de vita ipsius domini Thomæ, respondit, quòd numquam vidit hominem judicio suo majoris sanctitatis, devotionis & abstinentiæ. Item interrogatus de vitæ ipsius domini Thomæ excellentiis, respondit, quòd in ipso notaverat excellentias infrà scriptas ultra modum, conditionem seu conversationem aliorum, de quibus testis habuit notitiam. Primò siquidem dixit, se credere, ipsum fuisse castum & mundum mente & corpore, & virginem tempore obitus sui extitisse.

F

in primis castitate virginea, quam Robertus archiepiscopus Cantuariensis,

9 Interrogatus, quare crederet supradicta; respondit, se credere per signa & opera sanctitatis, quæ vidit ipsum facere, dum multis annis esset de familia ejusdem; nec umquam vidit: nec audivit dici aliquid, propter quod posset notari contrarium, vel ab aliquo rationabiliter suspicari. Et narravit, se fuisse præsentem in oratione

A ratione in magna ecclesia fratrum Prædicatorum cum universitate doctorum & scholarium Oxonienſium, quando dominus Robertus archiepiſcopus Cantuarienſis, magnæ ſanctitatis, & eminentis ſcientiæ Vir, qui fuit poſtmodùm Cardinalis epiſcopus Portuenſis z, & per multos annos fuerat confeſſor dicti domini Thomæ; & venerat ſpecialiter apud Oxonium, quia dictus dominus Thomas erat incepturus ſub eo in Theologia *aa*, ut illum, quem in Deo dilexerat, ſuâ præſentiâ honoraret; cùm tenuiſſet dictus archiepiſcopus diſputationem, quam ſolent ſcholares Veſperias communiter appellare, & ad hoc deventum eſſet, quòd debebat tunc commendare, ut conſuetum eſt fieri, ipſum dominum Thomam, tunc bachelarium, incepturum ſub ipſo, commendavit eum inter cetera, & aſſeruit, ita dicens.

poſtea Cardinalis Portuenſis, dum Sanctus viveret, in publica concione aſſeruit.

10 Ita Deus me juvet, ſicut Homo iſte eſt ita mundus hodie quoad mentis & corporis caſtitatem, ſicut ipſo die, quo de matre ſua fuit natus in mundum; dicens, ipſum eſſe virginem carne & mente, licèt eſſet quinquaginta annorum & quatuor, vel circà. Adjiciens dictus archiepiſcopus, faciens dictam commendationem coram dicta univerſitate, Si quæratis à me, qualiter iſtud ſciam, reſpondeo coram Deo, quòd ita purè & apertè legi in conſcientia & vita ſua, ipſius confeſſionem audiendo ab annis pluribus uſque modò, ſicut vos potueritis legere in libro bene ſcripto & coram oculis veſtris aperto, omnibus concurrentibus, quæ ad viſum fuerint neceſſaria. Et revera ſpero, quòd Deus, qui iſtum Hominem in tanta munditia hactenus cuſtodivit, ipſum in perpetuum conſervabit. Iſta dixit prædictus dominus epiſcopus Herefordienſis ſe audiviſſe, cùm prolata fuiſſent tunc per archiepiſcopum ſupradictum *bb*; & quia dictus archiepiſcopus erat tantæ perfectionis quoad vitam, ſcientiam & doctrinam, & tantæ maturitatis, quòd in Anglia non habebat ſibi parem reputatione communi; dixit prædictus dominus, quòd non credebat, dictum archiepiſcopum contra ſuam conſcientiam fuiſſe locutum in hiis, quæ dixit de munditia & de aliis, quæ infrà ſubjicientur in commendationem dicti domini Thomæ.

Conſortia mulierum, etiam ſororum, vitat: turpia loquentes reprehendit.

11 Item narravit dictus dominus epiſcopus ad commendationem munditiæ & caſtitatis dicti domini Thomæ, quòd, antè etiam quàm eſſet epiſcopus, mulierum conſortia devitabat; & quando ſorores ſuæ propriæ, quæ erant magnæ dominæ, veniebant ad videndum eum, vel ipſe declinabat ad maneria, ſeu loca virorum ſororum ſuarum, (quod rarò contingebat) vel declinabat, in quantùm poterat bono modo, ſalva honeſtate ſua *cc*, colloquia & conſortia earumdem, & quàm priùs poterat, licentiabat eaſdem, & ad plus non morabantur in loco, in quo ipſe eſſet, niſi per unam diem; nec in ejus abſentia in maneriis eccleſiæ ſuæ permiſit per dies aliquos morari eaſdem; nec umquam vidit dictus epiſcopus Herefordienſis (ſicut dixit) ipſum dominum Thomam pati, ſe à ſororibus ſuis, vel ab aliis quibuſcumque mulieribus, oſculari. Item adjecit dictus dominus epiſcopus, quòd, quando aliqua verba colorata vel figurata narrabantur aliquando à familiaribus dicti domini Thomæ, vel ab aliis coram eo, quæ aliquam inhoneſtatem vel turpitudinem luxuriæ deſignarent, & ex hoc ipſi familiares, vel alii jocarentur vel riderent, quaſi inſcius, quid importarent dicta verba, petebat, de quo ridebant; & aut non intelligebat ſignificata dictorum verborum propter innocentiam ſuam *dd*, vel ſi intelligebat, talia loquentes acriter arguebat.

Ex cod. Vatican. *dd*

Excellit in cibi potûſque parſimonia & abſtinentia,

12 Item dixit prædictus epiſcopus Herefordienſis, prædictum dominum Thomam habuiſſe ſecundò in excellentia ſobrietatem, parſimoniam & abſtinentiam in cibo & in potu, qualem numquam viderat habentem aliquem hominem ſanum. Interrogatus, in quibus & ex quibus notaverat ſpecialiter ſupradicta, & qualiter ſciebat; reſpondit, ſe fuiſſe per multos annos commenſalem ejuſdem, & frequenter ſediſſe in menſa juxta eum, & notâſſe prædicta; adjiciens, quòd valdè parùm comedebat de pane & de aliis cibariis: quòd ipſe teſtis, videns dictum dominum Thomam bene complexionatum, ut ipſi teſti videbatur, mirabatur, qualiter poterat vivere cum ita modico nutrimento: & cùm quadam vice ipſe teſtis ſibi aſſideret in menſa, & in fine prandii quæreret ab eodem, quare ita modicum comediſſet, & ſi amplius non poſſet comedere propter defectum appetitûs edendi; reſpondit idem dominus Thomas, manu tangens bonam quantitatem panis, quantam non conſueverat idem dominus Thomas comedere in una die, Non deficit, inquit, mihi appetitus comedendi, immò adhuc poſſem comedere tantum de pane cum bono appetitu. Interrogatus de loco & tempore, in quibus prædicta dicta fuerunt, & de præſentibus; reſpondit, de præſenti non occurrere memoriæ ſuæ; in tot locis & toties in menſa comedebat cum eodem.

quod uno & altero exemplo

13 Item dixit, quòd de delicatis cibariis temperatiſſimè & valdè modicum aſſumebat, reſiduum autem cibariorum coram eo appoſitorum faciebat infirmis pauperibus & languidis erogari. Item dixit, quòd potus ejus erat communiter debilis cerviſia, quando eam habere poterat, vel vinum valdè limphatum, & de utroque in modica quantitate bibebat: poſt prandium verò bibere communiter non ſolebat. Et quando ſuperveniebant tales perſonæ & ſic ſollemnes, propter quas deceret eum bibere unà cum eis poſt prandium, aſſumebat ſcyphum cum vino & cerviſia, & apponebat ad os ſuum, & nichil inde guſtabat, ſed ſimulabat, ſe guſtare. Et dum ipſe teſtis quadam vice dixiſſet ipſi domino Thomæ ſolatiando *ee*, quòd in hoc faciebat ſuis hoſpitibus fraudem, quia ſimulabat, ſe bibere, & non bibebat; reſpondit, in tali fraude non eſſe periculum, & ideò non curandum. Item dixit prædictus teſtis, quòd tota vita prædicti domini Thomæ, ut ſibi videbatur, deducta fuit in jejunio propter ſobrietatem & abſtinentiam ſupradictam, & quòd perquàm rarò cœnabat: in vigiliis autem beatæ Mariæ & in Paraſceve non ſinebant eum medici ſui jejunare in pane & aqua ſimpliciter; ſed comedebat panem cum potagio *ff* in modica quantitate, & bibebat vinum valdè limphatum vel debilem cerviſiam.

confirmatur.

14 Item dixit ad confirmationem prædictorum, quæ de ſobrietate, parſimonia & abſtinentia dicti domini Thomæ depoſuit, quòd, dum quadam vice dominus Wilhelmus de Albaniaco, qui fuerat ſocius dicti domini Thomæ per viginti annos & ultrà, ſederet ſecum in menſa, & finito jam prandio, & ceteris à comeſtione ceſſantibus, ipſe Wilhelmus panem ſolus comederet, & hoc dominus Thomas prædictus vi-

Ex cod. Vatican.

videret, & de hoc aliquantulùm miraretur; quæsivit ab eo, sic dicens: Homo senex, quid facis? Et protinus ille respondit: Ego comedo: & ipse dominus * Thomas dixit: Quare comedis modò? Et ipse respondit: Quia adhuc habeo appetitum comedendi. Et dominus Thomas ait: Numquid habes consuetudinem comedendi, quantùm tibi duraverit appetitus? Et ille cum assseveratione respondit: Sic; adjiciens *, quòd ita faciebant omnes alii, quos ipse novit, videlicet comedendo, quamdiu illis appetitus edendi duraret. Quod dictum & factum admirans, & ipsum quasi redarguens & informans, idem dominus Thomas dixit: Non placeat Deo, quòd sic faciant omnes: nam & ego in veritate dico vobis, quia à triginta annis usque hodie non surrexi à mensa cum minori appetitu edendi, quàm accesserim ad eamdem. Et prædicta fuerunt dicta per dictum dominum Thomam & per dictum dominum Wilhelmum, ipso teste præsente & audiente; sed de loco, tempore, & quibus præsentibus, dixit se non recordari; adjiciens, quòd de hoc fuit etiam à prædicto archiepiscopo in dictis vesperiis publicè commendatus *gg*. Actum in dicta capella sanctæ Catharinæ coram dictis dominis episcopis commissariis, præsentibus nobis notariis hujus processus.

* *al.* dictus

* adjiciens *al. deest.*

B

gg

ANNOTATA.

a *Consule Commentarii prævii § 1 à num. 7, ubi de omnibus huc spectantibus satis prolixè actum est.*

b *Formam juramenti ab omnibus testibus præstandi dedi in Commentario prævio num. 269 & seq.*

c Roba *à Gallico* Robe, *Latinè* vestem *significat, ac sæpe usurpatur ista vox pro vestibus, quas viri principes domesticis suis, quosque in obsequiis habebant, dare soluerunt, uti pluribus docet Cangius in Glossario. Dum itaque dixit Richardus, se* de robis & familia *sancti Præsulis fuisse; idem est, acsi dixisset, sese ejusdem obsequiis addictum ac domesticum fuisse.*

d *De paterna maternaque* S. Thomæ *illustri stirpe adi Commentarium prævium § 2.*

C e *De his quoque actum ibidem est.*

f *In eodem § 2 num. 22 nativitatem illius reposui circa annum Christi* 1218, *ubi & sequentibus numeris etiam loci, in quo natus baptizatusque fuit, vocisque* manerii *notitiam dedi.*

g Cornibia *sive* Cornubia, *Anglis* Te Cornwall, *comitatus Angliæ Occidentalis est, cujus ultimus comes fuit Edmundus, secundò genitus filius Richardi Cornubiæ comitis, in Romanorum seu Germaniæ regem electi, post cujus Edmundi obitum comitatus ille ad Eduardum Angliæ regem hereditatis titulo pervenit. Vide etiam dicta in Commentario prævio num. 24.*

h *Licèt duplex testimonii Richardi Herefordiensis episcopi exemplar habeamus, in utroque hîc lacuna est, nec potui hujus nobilis piæque mulieris nomen aliunde supplere.*

i *Inter educatores amborum nominatur eorumdem patruus Walterus, episcopus Wigorniensis in Anglia, de quo consule dictum Commentarium prævium num. 25 & duobus sequentibus.*

k *Adi eumdem Commentarium num* 28, 31 *&* 32.

l *Celebratum est hoc concilium ab Innocentio IV Pontifice Lugduni Segusianorum, vulgo* Lyon, *in Gallia anno Christi* 1245. *Legesis dicta in Commentario num.* 29. D

m *Consule eumdem Commentarium num.* 30.

n *De* Oxonio, *vulgo* Oxford, *Angliæ civitate, quæ academia, seu universitate, ut vocant, hodieque celebris est, annotavi aliqua in Commentario num.* 33.

o *Hoc amplissimo munere functus fuisse dicitur anno* 1262, *ut dixi in Commentario num.* 35; *ubi numero quoque præcedenti ac sequentibus de ejusdem muneris præstantia, Sanctique integerrima administratione quædam observata leges.*

p *In eodem Commentario num.* 47 *monui, errorem hîc in annis cubare, ac pro his legendum esse* quadraginta septem annorum vel circà, *ipsumque Sancti regressum ad studia Parisina circa annum* 1266 *reponendum esse.*

q *Hoc concilium Lugdunense II à Gregorio X præsente celebratum fuit anno* 1274 *à die* VII *Maii usque ad* XVII *Julii. Adi Commentarium num.* 49 *& tribus sequentibus, ubi de anno adjunctisque suscepti magisterii in Theologia, & accessu ad concilium Lugdunense egi.* E

r *Nempe Henrici III Angliæ regis, sub quo* S. Thomam *cancellariatum gessisse anno* 1265, *ostendi in Commentario num.* 39 *& seqq.*

s *Eduardus I, aliàs IV, laudato Henrico patri suo, anno* 1272 *vitâ functo, successit in regnum Angliæ, obiitque die* VII *Julii anno* 1307; *Richardus autem ista testatus est eodem anno die* X *vel* XI *Septembris.*

t *Lege, si lubet, Commentarium § 4, ubi hæc, quæque ad eorumdem beneficiorum integerrimam administrationem pertinent, pluribus exposui.*

u *De diœcesibus hîc memoratis hæc pauca accipe:* Londinum, *vulgo* London, *urbs, Angliæ caput in comitatu Midlesexiæ, notius est, quàm ut explicatione egeat.* Wintonia, *olim* Venta Belgarum, *nunc incolis* Wincheſter, *altera Angliæ civitas est in comitatu Hantoniæ, vulgo* Hant-Shire, *episcopalis sub metropoli Cantuariensi.* Wigornia *denique, indigenis* Worceſter, *sub eadem metropoli episcopalis civitas est, ac cognominis comitatûs caput.*

x Eboracum, *vernaculè nunc* Yorck, *Eboracensis comitatûs in Anglia civitas & caput est archiepiscopatu insignita.* F

y *In uno apographo nostro (nam aliud hoc & in multis locis contractum ac mutilum est) sequebantur ista:* Item super tertio interrogatus de fide ipsius domini Thomæ & dilectione operante & de ipsius vita & vitæ excellentia requisitus respondit, quod.... *Tum subditur:* Acta in capella S. Catharinæ die XI mensis Septembris &c. *Hinc anceps hæreo, an omnia, quæ laudatus episcopus die* XI *Septembris testatus fuerat, hîc prætermissa sint, an verò suprà num.* 1, *ubi dicitur idem ille die* X Septembris *coram commissariis productus fuisse, is error commissus, ut pro die* X *legendus sit* XI. *Ut postremum potiùs credam, inducor, quia, idem testis in præmissis examinatus fuit super primo ac secundo interrogatorio primi articuli, die autem* 12 *ejusdem mensis, ut mox videbimus, examinari mox cœpit super tertio interrogatorio ejusdem primi articuli; ut nihil ibi omissum videatur, saltem quod alicujus momenti sit. Porrò* capella S. Catharinæ *erat Herefordiæ prope ecclesiam cathedralem, ut alibi dicitur. Notariorum, qui Acta processûs scripserunt, nomina habes in Commentario num.* 303.

z *Fuit*

A z *Fuit hic Robertus de Kilwardby ex Ordine Prædicatorum, de quo plura legi possunt apud Jacobum Echardum in Bibliotheca ejusdem Ordinis.*

aa *Id est, adepturus magisterium seu doctoratum, qua de re vide dicta in Commentario num. 49 & duobus sequentibus.*

bb *Ista etiam ex Trivetto confirmata habes ibidem num. 49 & 50.*

cc *Id est, quantùm urbanitas permittebat.*

dd Innocentiam *interpretare virgineam mentis castitatem, cui prorsus peregrina erant impudica dicteria. Quæ de castitate jam dicta sunt, etiam aliis factis ex aliorum testimoniis illustravi in Commmentario prævio à num. 71.*

ee *Id est, amicè jocandi gratiâ.*

ff Potagium *pulmentum ex oleribus aut leguminibus est.*

gg *Nimirum à Roberto de Kilwardby, ut suprà dictum est. Porrò in Commentario prævio § v à num. 79 plura dedi, quibus* S. Thomæ *mira abstinentia confirmatur illustraturque.*

B

CAPUT II.

Sancti pietas in celebrandis Missis; assiduitas in precibus & studiis sacris: fortitudo in vendicandis ecclesiæ suæ juribus: aditus ad episcopatum, in eoque administrando sedula cura.

Piè divina celebrat: multum noctis in precibus & sacro studio exigit:

POst hæc in crastinum, scilicet die XIII mensis Septembris, prædictus dominus episcopus rediit in eodem loco coram dictis dominis episcopis commissariis ad continuandum & perficiendum depositionem suam, commendans tertiò dictum dominum Thomam de excellentia devotionis in celebrando divina officia, asserens, quòd sic reverentissimè divina Sacramenta

C tractabat, ut intuentium fidem & mores ipsa contractatio * informaret. Altari enim assistens, cor sic contritum & humiliatum semper habebat, quando Missam celebrabat, & tantam abundantiam lacrymarum, quasi præsentialiter in carne Dominicam teneret * passionem. Et hoc dixit prædictus dominus episcopus Herefordiensis pluries se vidisse, & notum esse omnibus, qui eidem domino Thomæ solebant assistere celebranti *a*; subjiciens, quòd multùm erat in Missa morosus & prolixus ex causa devotionis prædictæ. Noctes verò singulas cum brevissima somni degustatione decurrit in tantum, quòd socii & alii sibi assistentes sæpe ex hoc plurimùm gravabantur: residuum verò temporis noctis, in quo vigilabat, in orationibus & studio sacræ Scripturæ expendebat, & collationes, quas componebat, manu propria scribebat *b*.

*contrectatio

*an videret?

a

b

jus venandi, ecclesiæ suæ injustè ablatum,

16 Item dixit prædictus dominus Herefordiensis, dictum dominum Thomam quartò habuisse excellentiam sermonis & zeli ad jura ecclesiæ Herefordiensis illæsa servanda, & si in aliquo læsa essent, restauranda, in hoc non parcens laboribus nec expensis, nec formidans incurrere periculum personale. Interrogatus, ut specificaret, in quibus noverat, & qualiter sciebat prædicta; dixit se scire, quia fuerat de familia ejusdem; & specificavit, se fuisse præsentem, quando post magnos labores & sumptus idem dictus * Thomas per judicium curiæ regiæ recuperavit chassiam de Malbunia *c*, ad Herefordiensem ecclesiam pertinentem, occupatam per potentissimum virum, dominum Gualbertum *d*, comitem Gloceſtriæ, & patrem ejusdem, temporibus dominorum Petri & Johannis *e*, proximorum prædecessorum dicti domini Thomæ, qui propter potentiam dictorum comitum non potuerant recuperare jura prædicta.

Ex cod. Vatican.

*an dominus?

c

d

e

etiam cum periculo vitæ vendicat: iniquè resistenti

17 Et cùm dictus dominus Thomas non potuerat bene equitare, aliquando fecit se portare in lecteria *f* inter duos equos, ut posset coram curia regia particulariter adesse terminis sibi assignatis à comite supradicto. Cùm autem judicio pro dicto domino Thoma & ecclesiæ * Herefordiensi reddito, causâ possessionis recuperandæ & apprehendendæ dictus dominus Thomas faceret venari in chassia supradicta, & perambularet fines & limites inter chassiam suam & chassiam dicti comitis existentes, inermis; & quidam sagittarii & forestarii *g* dicti comitis sagittarent prope eum, & posset verisimiliter ex dictis sagittis mortis periculum formidare, non obmisit propter hoc præcurrere & perambulare omnes fines & limites supradictos.

*f

*ecclesia

E

g

divinam ultionem prædicit: calumniantibus respondet mansuetè.

18 Et cùm uni ex dictis sagittariis, magis infesto ceteris, divinæ ultionis judicium comminatus fuisset ratione injuriosæ infestationis prædictæ, dictus sagittarius infra modicum tempus submersus interiit; & fuit vox in illis partibus, ipsum taliter interiisse ratione delicti contra dictum dominum Thomam taliter perpetrati. Et hæc dixit se prædictus testis de sagittatione dicti sagittarii scire per relatum familiarium dicti domini Thomæ, qui interfuerant in prædictis. Item dixit, se fuisse præsentem in die & loco, quibus fuit redditum judicium secundum; quando comiti & domino Riccardo de Haidone *h*, ejusdem comitis seneſcallo, aliqua obprobriosa eidem domino Thomæ falsò imponentibus, sicut erat notum ipsi testi & aliis præsentibus ibidem, dictus dominus Thomas cum mansuetudine, benignitate & patientia respondit, quòd dicerent, quidquid vellent; sed non possent tantum dicere, quòd provocarent eum ad dicendum de ipsis aliqua inhonesta; quia non venerat ad hoc, sed ad recuperandum jura ecclesiæ suæ.

h

F

Ablatas ecclesiæ possessiones recuperat: injustum possessorem excommunicat,

19 Item specificavit, eumdem dominum Thomam per judicium dictæ curiæ obtinuisse magna pascua quinque vel septem milliarium, in loco vocato Longa Memida, à domino Petro Corbet barone, qui ea usurpaverat temporibus prædecessorum dicti domini Thomæ *i*. Item specificavit, eumdem dominum Thomam excommunicâsse dominum Lewelinum principem Walliæ *k*, pro eo quòd tres villas ecclesiæ Herefordiensis prope Montem Gomerii *l* hostiliter occupatas dimittere & restituere recusabat, & quia episcopus Assavensis *m* in illis partibus usurpaverat jura episcopalia, dictus dominus Thomas movit litem contra eum in curia Romana, & propter prosequutionem dictæ litis, & etiam contentionem, quam propter libertates ecclesiæ Herefordiensis & subditorum ejusdem habuit cum fratre Joanne de Pecham, tunc ar-

i

k

l

m

Ex cod. Vatican.

chiepiſcopo Cantuarienſi *n*, certioratus per viros peritos, quòd juſtam cauſam fovebat, & quòd proſequi meritorium ſibi erat, ad dictam curiam Romanam, non parcens corpori, ſenio & debilitate confecto, ex dictis fervore & zelo, quos habebat ad jura dictæ eccleſiæ ſuæ defendenda, in eorum proſecutione martyrizatus laboribus, anguſtiis & expenſis, diem ibi clauſit extremum *o*.

n

o

20 Item ſubdidit idem teſtis, quòd, cùm ad requiſitionem domini Edwardi, inclitæ memoriæ vel recordationis regis Angliæ, nuper defuncti *p*, in quadam magna ſolemnitate coram prædicto domino rege & majoribus regni ſui celebraturus, in inchoatione dictæ Miſſæ vidiſſet dictum Lewelinum cum aliis nobilibus aſtantem, & priùs per eum, ut dictus teſtis ſuprà depoſuit, excommunicatum; noluit celebrare, quantúmcumque inſtanter per dictum regem & alios rogatus, quouſque dictus Lewelinus ab eccleſia excluſus, competenti ſatisfactione oblata, & de dicta ſatisfactione litis * ſuis parentibus datis, extitit abſolutus. Et in hiis dictus teſtis dixit ſe fuiſſe præſentem; de anno tamen & die, quibus

eoque præſente, Miſſam celebrare renuit: aſpero cilicio utitur.

p

* *an* literis ?

B

intervenerunt iſta, & alia de litibus ſupradictis, requiſitus reſpondit, ſe recentem memoriam non habere. Item dixit, ſe credere, idem teſtis, quòd prædictus dominus Thomas nodoſo duro cilicio & zonis cilicinis utebatur tempore obitus ſui, & per multos annos uſus fuerat ante mortem; & aliquibus potentibus legavit aliqua ex ciliciis ſupradictis; & idem teſtis dixit, ſe vidiſſe aliqua de eiſdem *q*.

q

21 Item ſuper quarto interrogatus, requiſitus, qualiter in epiſcopatu rexerat ſe ipſum & eccleſiam atque plebem ſibi commiſſam, & ſi diligenter inſiſtebat circa gubernationem, viſitationem & correctionem ſubditorum, & circa prædicationis officium, Miſſarum celebrationes & alia, ſpiritualiter & temporaliter officio epiſcopali incumbentia; reſpondit, quòd ſic, & quòd bene & ſedulè pro viribus ſuis peragebat omnia ſupradicta. Interrogatus, quomodo ſciebat prædicta, reſpondit, quòd ſæpe in viſitationibus fuerat cum eodem, & viderat ſupradicta, & ab aliis referri audiverat, qui comitabantur eumdem. Interrogatus, in quo noverat, bene rexiſſe ſeipſum, dixit, quòd in bono regimine, & in excellentiis & virtutibus vitæ ſuæ,

Epiſcopatum Herefordienſem bene regit,

C

& quia erat domui ſuæ bene præpoſitus. Interrogatus, in quo ſpecialiter promoverat bonum regimen eccleſiæ, ipſi domino Thomæ commiſſæ, reſpondit, quòd in proſequutione & recuperatione jurium prædictorum, de quibus depoſitum eſt per eumdem: caſus autem ſpeciales de correctione dixit non occurrere memoriæ ſuæ, requiſitus *r*.

r

22 Item interrogatus, qualem ingreſſum habuerat ad epiſcopatum Herefordienſem idem dominus Thomas, reſpondit, quòd per electionem canonicam & concordem *ſ*; & quòd renitens, & ex humilitate ſuam imbecillitatem prætendens, fuit aſſumptus ad epiſcopatum prædictum *t*; & narravit, per dominum Joannem, immediatum prædeceſſorem *u* dicti domini Thomæ, prædictum fuiſſe prædicto domino Thomæ per biennium ante obitum ipſius domini Joannis, quòd erat futurus immediatus ſucceſſor ejuſdem in eccleſia, ducens dictus dominus Joannes, quando dixit verba prædicta, eumdem dominum Thomam ad videndum quamdam domum, per ipſum dominum Joannem tunc de novo conſtructam, ſed nondum coopertam in manerio ipſius epiſcopi de Bosbur. *x*, adjiciens dictus dominus Joannes, quia ex hoc * monſtrabat prædicto domino Thomæ prædictum ædificium; quia, ſi placebat ipſi domino Thomæ ſitus & diſpoſitio dicti ædificii, perficeret ipſum dictus dominus Joannes: ſi autem non placebat dicto domino Thomæ ſitus & diſpoſitio ædificii ſupradicti; quòd diceret ei, quia facilius erat & minùs ſumptuoſum tunc prædicta reformari, quàm ſi dictus dominus Thomas, ejus ſucceſſor effectus, ipſa faceret immutari. Quæ verba non fuerunt viſa complacere domino Thomæ prædicto; ſed oravit, quòd Deus daret bonam & longam vitam dicto domino Joanni *y*. Quibus omnibus dictus teſtis dixit ſe fuiſſe præſentem, non tamen recordari de menſe, nec de die: quæ autem de dicto ingreſſu ad epiſcopatum depoſuit, dixit, ſe ex fide dignorum percepiſſe relatu.

canonicè electus, quod ipſi tum biennio antè,

ſ

t

u

x

* *i. e.* propterea

y

D

E

23 Item narravit, ſe ex fide dignorum relatu percepiſſe, quòd, dum quadam vice bonæ memoriæ dominus Walterus, tunc Wigornienſis epiſcopus, vir magnæ literaturæ & ſanctitatis, pro quo Deus poſt ejus obitum, dicitur fuiſſe multa miracula operatus, patruus *z* dicti domini Thomæ, ab ipſo domino Thoma parvulo, & ab ejus fratribus coram ipſo domino Waltero adductis, cujus conditionis vel ſtatus eſſe vellent, quando ad provectiorem ætatem perveniſſent, ſciſcitaretur, & dictus dominus Thomas reſponderet, ſe militem fore velle, memoratus dominus Walterus protinus reſpondit ipſi domino Thomæ: Fili, optimè reſpondiſti; quia Regi altiſſimo & ſancto Thomæ, ejus glorioſo martyri, perpetuò militabis *aa*. Quod dictum, ſicut dictum prophetæ, pater dicti domini Thomæ accipiens, ipſum tradidit litteris informandum, & reliquos fratres tres ad electam per eos temporalem militiam deputavit.

tum in pueritia vel adoleſcentia fuerat prædictum.

z

aa

24 Item narravit dictus dominus epiſcopus Herefordienſis, occurrere memoriæ ſuæ, quòd, cùm monachi prioratûs de Lewmunſtre *bb*, dioceſis Herefordienſis, potentes in redditibus eccleſiaſticis & mundanis, contenderent, quòd non tenebantur dictum dominum Thomam recipere, eos viſitare volentem; & quòd portas quaſdam magnas & fortes, per eos factas ante atrium parochialis eccleſiæ dicti loci, propter voluntatem parochianorum ipſius loci non deponerent pro eodem domino Thoma, dictus dominus Thomas cum laboribus & ſumptibus obtinuit dictam viſitationem, ſibi & ejus prædeceſſoribus indebitè negatam, & fecit portas deponi prædictas, quia earum obtentu presbyteris parochialibus liber de nocte & aliis horis oportunis pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis ad eorum officium pertinentibus, non patebat ingreſſus; nec ad dictam parochialem eccleſiam liberè confugere poterant, immunitatem eccleſiaſticam expetentes & ad eccleſiam fugientes. Et hæc dixit prædictus dominus epiſcopus ſe audiviſſe & fore notoria in partibus illis *cc*.

Litem adverſus quoſdam monachos obtinet: bb

F

cc

25 Item narravit, ſe audiviſſe referri, quòd, dum quadam vice dictus dominus Thomas viſitationis officium exercendo, hoſpitatus fuiſſet in hoſpitio eccleſiæ de Pantesbur *dd*, dioceſis Herefordienſis, & dominus Reginaldus, filius Petri, baro potens & voluntarius ac auſterus, prætendens, ſe eſſe patronum dictæ eccleſiæ, ſuperveniens vellet violenter dictum dominum Thomam

iniquum eccleſiæ aggreſſorem excommunicatione coërcet.

dd

A Thomam de prædicto hoſpitio eccleſiæ ejicere, & in eo hoſpitari, terribiles minas inferens ipſi domino Thomæ & ſuis familiaribus, niſi hoſpitium ſibi dimitterent ſupradictum; dictus dominus Thomas, quia canonicè monitus deſiſtere noluit, à dicto hoſpitio propter hoc ipſe dominus Thomas non recedens, excommunicavit eumdem, & tamdiu excommunicatum tenuit, quò uſque reatum ſuum agnoſcens, ad ejus miſericordiam & gremium Eccleſiæ reverſus, abſolutionis beneficium meruit obtinere. Ex quibus omnibus per ipſum teſtem ſuperiùs depoſitis aſſeruit, dictum dominum Thomam fortem & conſtantem & magni zeli in proſequendis & recuperandis & defendendis eccleſiaſticis juribus extitiſſe.

Juſſus à rege ſine mora adeſſe, Miſſam priùs celebrat;

26 Item ſupra quinto interrogatus, ſi dictus dominus Thomas erat naturaliter diſcretus & prudens, requiſitus reſpondit, quòd ſic; & reddidit cauſam requiſitus, quia in omnibus ſuis agibilibus prudenter & ſtrenuè ſe gerebat, & erat magni conſilii. Et narravit, ſe audiviſſe à dignis fide, quòd, cùm prædictus dominus Edwardus rex, de cujus conſilio erat prædictus dominus

B Thomas, quadam vice pro conſilio ſuper quibuſdam valdè arduis, ipſum & regnum ſuum contingentibus habendo, miſiſſet ſpeciales * nuncios ad dictum dominum Thomam, ut immediatè abſque alia mora, aliis ſuis propriis negotiis prætermiſſis, dictus dominus Thomas veniret ad eum ad palatium ſuum apud Weſtmonaſterium *ee*; & dictus dominus Thomas tunc præpararet ſe, quando dicti nuncii ſupervenerunt, ad celebrandum Miſſam, noluit obmittere propter feſtinantiam dictorum nunciorum, ex parte regia, ut omnibus prætermiſſis, ad dictum dominum regem veniret requirentium, quo minùs perficeret divinum officium, quod diſpoſuerat explere illa die, priuſquam veniſſent nuncii ſupradicti; reſpondens nunciis ſupradictis, ſe priùs velle ſervire Regi Altiſſimo in officio ſupradicto, quàm terreno regi, domino eorumdem; ſubjiciens, ut hæc dicerent, ſi volebant, prædicti nuncii dicto domino ſuo regi.

* *al.* ſpirituales

ee

deinde regi liberè reſpondet, eumque conſilio ſuo recreat.

27 Cùm autem, conſummato divino officio, veniens ad præfatum dominum regem, fuiſſet de mora aliquantulùm redargutus per dictum dominum regem & ſuos, & eiſdem, ſicut præfatis nunciis, effectualiter reſpondiſſet, ille, ſibi expoſitis, propter quæ ipſe & alii ad conſilium regium fuerant convocati, ſic notabile &

C laudabile dedit conſilium in præmiſſis, quòd ab ipſo domino rege & ab omnibus aliis, qui convenerant in dicto conſilio, ſecutum extitit, & quamplurimùm approbatum; in tantum, ut prædictus dominus rex, qui ex dicta mora, per memoratum dominum Thomam contracta in veniendo * aliquantulùm fuerat conturbatus, lætificatus & conſolatus ex dicto conſilio, per eumdem dominum Thomam præſtito, dixit ei, quòd Deus benefaceret ipſi domino Thomæ, & quòd benedictus eſſet ille Rex Altiſſimus, cui ſerviverat ipſe dominus Thomas, & quòd utinam poſſet ipſi Deo congruè longo tempore deſervire. Actum in dicta capella ſanctæ Catharinæ, præſentibus notariis hujus proceſſûs.

* *al.* confeſtanter veniendo.

ANNOTATA.

a *Lege Commentarium prævium num. 96 & ſequentibus.*

b *Iſta quoque ex aliis teſtibus confirmavi ibidem num. 93 & ſequenti.* Ex cod. Vatican.

c Chaſſia, *Gallicè* Chaſſe, *Anglicè* Chaſe, *Latinè* venatio, *jus venandi hîc ſignificat. Pro* Malbunia *ſcribendum eſt* Malvernia, *ad quem locum ſpectant, quæ habet Camdenus in deſcriptione comitatûs Wigornienſis pag.* 435. Haud procul hinc à dextra ripa Malverne hils ſuſpicit Sabrina (*fluvius*) colles ſanè, ſive potiùs montes magnos & editos, qui per ſeptem plùs minùs mill. paſſ. ut gradus ſubinde conſurgunt, hunc agrum (*Wigornienſem*) ab Herefordienſibus dirimentes; quorum ſupercilio Gilbertus de Clare comes Gloceſtrenſis foſſam olim duxit ad diſterminandas ſuas & eccleſiæ Wigornienſis poſſeſſiones, quæ etiamnum non ſine admiratione cernitur. *In tabula topographica ibidem præmiſſa circa eoſdem montes legitur* Malvernchaſe, *quæ videtur fuiſſe venatio, de cujus jure hîc loquitur Richardus. Conſule etiam Commentarium prævium à num.* 132, *ubi etiam aliorum teſtium aſſerta ſuper hac controverſia prolixè expoſui.*

d *Alibi ſemper vocatur* Gilbertus, *cujus potentiam, ipſi etiam regi Angliæ formidandam, vide in eodem Commentario num.* 135. E

e *Horum primus à Godwino in epiſcopis Herefordienſibus vocatur* Petrus de Egueblank, *ſecundus* Joannes Breton.

f *Id eſt*, in lectica.

g Foreſtum *ſaltus ſeu nemus eſt; hinc* foreſtarius *cuſtos ſaltûs, aliàs etiam* ſaltuarius *dictus.*

h Seneſcallorum *vel* ſeneſcalcorum *variam pro vario ſtatu notitiam dat Cangius in Gloſſario; hîc pro œconomo domeſticæque familiæ comitis Gloceſtriæ adminiſtratore ea vox uſurpari videtur.*

i *De eadem lite loquuntur & alii teſtes, quorum dicta dedi in Commentario num.* 140 & 141.

k Lewelinus *iſte, aliàs etiam* Leolinus *dictus, ultimus fuit è Britannico genere princeps Walliæ, de quo, uti & de tota hac cum* S. Thoma *lite cùm ſatis prolixè ſcripſerim in Commentario prævio à num.* 142, *lectorem illuc remitto.*

l Mons-Gomerii *vel* Mons-Gomericus, *vulgo* Montgomery, *oppidum Walliæ eſt, ſuique nominis comitatûs caput.*

m Fanum S. Aſaphi, *quod ab eodem ſancto epiſcopo ſuo nomen habet, epiſcopalis civitas Angliæ eſt in principatu Walliæ & in comitatu Flintenſi, archiepiſcopatui Cantuarienſi ſuffraganea.* F *Epiſcopus, quocum* S. Thomas *litem habuiſſe dicitur, apud Godwinum nominatur Anianus II. Cetera huc ſpectantia lege, ſi lubet, in Commentario prævio num* 148 & *ſequenti.*

n *Hanc graviſſimam litem prolixè expoſui in eodem Commentario à num.* 152 *uſque ad* 209.

o *Anno* 1282, *die* 25 *Auguſti, ut infrà videbimus.*

p *Adi Annotata ad Caput* 1, *lit.* l.

q *Plura de ciliciis ejus zoniſque aſperrimis tradiderunt alii teſtes, quos in Commentario prævio num.* 88 & *quinque ſequentibus adduxi.*

r *Ego aliquot ejus generis exempla recenſui in Commentario num.* 121 & *ſequentibus.*

ſ *Quomodo hæc concors electio intelligenda ſit, dixi in eodem Commentario num.* 64 & 65 *ex teſtimonio Wilhelmi Cantilupi, qui electioni interfuit. Ibidem oſtendi, eamdem electionem contigiſſe anno* 1275.

t *In teſtimonio ejuſdem Wilhelmi Cantilupi di-*

Ex cod. Vatican.

citur Sanctus renitens & flens, & allegans, quòd non erat sufficiens, portatus, ipso teste præsente, ad altare, & fuit cantatum Te Deum laudamus.

u *De eo breve hoc elogium dedit Godwinus:* Joannes Breton legum doctor (juris etiam nostri municipalis tam peritus, ut libellum ea de re conscripserit, qui etiamnum hodie magno in pretio habetur, cui titulus: De juribus Anglicanis) episcopus Herefordensis moritur Maii XII, MCCLXXV.

x *Sic ibi; at locus iste ignotus mihi est.*

y *In Commentario prævio num. 62 & 63 aliud ejusdem Joannis Breton de* S. Thomæ *successione præsagium retuli ex testimonio Wilhelmi le Wayte de Bosco Arso.*

z *De illo consule eumdem Commentarium num. 25 & duobus sequentibus.*

aa *Scilicet S. Thomæ Cantuariensi archiepiscopo, cujus Acta illustranda in Opere nostro venient ad diem 29 Decembris, quo colitur. Dicitur autem illi militaturus* S. Thomas *noster, quia sedes Herefordiensis suffraganea est Cantuariensi.*

B bb Lewmunster, *sive, ut aliàs vocatur,* Leanminster, & Lemster, *Latinè* Leonis monasterium, *oppidulum Angliæ est ad Lugum fluvium in comitatu Herefordiæ. De etymologia ejus loci Camdenus in descriptione ejusdem comitatûs hæc ait:* Leonis monasterium dictum à leone per quietem viso, somniârunt nonnulli; Britanni autem Lhan-lieni vocant, quod cùm Monialium fanum denotet, & monialibus hîc templum Merewalcum regem Mercium posuisse constet (quod postea cella monasterii Readingi) aliam originem indagare, quid aliud est, quàm ventos venari? *Plura de eodem legere est tomo* I *Monastici Anglicani pag.* 420 *& sequenti, ubi dicitur* Leominsterensis prioratus in agro Herefordensi, cella Readingensis cœnobii, *& inter Benedictina monasteria reputatur.*

C cc *Richardus de Kymberle, in processu testis duodecimus, de visitatione ejusdem prioratûs sequentia testatus est.* Item dixit, quòd, cùm prædictus dominus Thomas visitaret prioratum monachorum nigrorum apud Leominstre, invenit Fratrem Guillelmum de Wynton, monachum dicti loci, graviter esse diffamatum de inhonesta conversatione cum quadam moniali de Lingebrok; & cùm nollet se purgare coram dicto domino Thoma, fecit eum amoveri à dicto loco, in quo erat subdecanus, & ipsum transferri apud Rading. diœcesis Sariburiensis. *Deinde controversiam de porta ecclesiæ sic exposuit.* Item dixit, quòd intra prioratum de Leominstre prædictum erat ecclesia parochialis, & monachi claudebant dictam ecclesiam, ita quòd parochianis & aliis ad Matutinum & ad alias Horas, quando volebant, non patebat accessus, ex quo monachi clauserant portas; nec in extrema necessitate existentes poterant ex tunc confugere ad ecclesiam. Eucharistia etiam tenebatur in privata domo presbyteri, & non in ecclesia, ut dictus presbyter, clausâ dictâ ecclesiâ, posset portare dictam Eucharistiam infirmis, quando existeret requisitus. Et quia visum fuit dicto domino Thomæ, quòd prædicta non essent convenientia, & correctione indigerent, ordinavit & præcepit, quòd fieret extra portam dicti prioratus una capella, in qua celebraret unus presbyter quotidie, & in qua teneretur Eucharistia, & ad quam possent confugere, præsidium, libertatem & immunitatem ecclesiasticam expetentes. Dixit etiam, quòd dictus dominus Thomas ordinavit, ut una porta amoveretur à dicta ecclesia parochiali tamdiu, quousque esset prædicta capella completa: & hoc deposuit ex relatu alieno, & quòd capellam viderat supradictam. D

dd *Ita in apographo nostro, sed plura de eodem loco non reperi.*

ee Westmonasterium, *vulgo* Westminster, *quondam celebris abbatia ad Tamesim fluvium, olim ab urbe Londino sejuncta, nunc ejusdem suburbiis ab Occasu adhærens civitas est, antiquo regum Angliæ palatio insignis.*

CAPUT III.

Aliæ Sancti virtutes: beata mors in Italia: ejusdem caro ibidem honorificè sepulta; ossa in Angliam relata, ac quinquennio pòst non sine prodigiis in honorabiliorem tumulum translata: fama sanctitatis & miraculorum. E

Humilitate, mansuetudine & benignitate omnibus fuit carus,

POst hæc in crastinum, scilicet die XIV mensis Septembris, præfatus dominus Riccardus episcopus Herefordiensis rediit coram dictis dominis episcopis commissariis in dicta capella sanctæ Catharinæ ad continuandum & perficiendum seriem depositionis ejusdem. Requisitus autem, si dictus dominus Thomas fuerat humilis, respondit, quòd sic. Interrogatus, in quo notaverat potissimè humilitatem, respondit, quòd in obedientia, quam impendit Deo & suis superioribus; & quia erga æquales sibi & inferiores verbis & factis humiliter se gerebat; & ex hoc erat carus regi & majoribus, mediocribus & minoribus regni, & communiter dilectus ab eis. Item requisitus, si fuerat mitis, mansuetus, patiens, & benignus & pacificus; respondit, quòd sic. Requisitus, in quibus & ex quibus deprehenderat supradicta, & quòd specificaret, si quæ noverat facta notabilia dicti domini Thomæ, in quibus prædicta potuerint notari; respondit, se deprehendisse prædicta ex diuturna conversatione, quam habuit cum dicto domino Thoma; & numquam vidit in eo aliquem excessum in verbis vel factis, prosperis vel adversis, lætis vel tristibus, ex quibus potuerit nosci contrarium. F

item pacificus, patiens, prudens,

29 Quin imò, licèt à multis (cum quibus, dictus testis deposuit suprà litigâsse eumdem) & specialiter à fratre Joanne, tunc archiepiscopo Cantuariensi, vehementer, injuriosè, ac indebitè secundùm commune judicium fuerit persecutus, patienter & benignè & absque aliqua murmuratione tolerabat prædicta; eis non detrahens, nec à familiaribus suis vel aliis in ejus præsentia detrahi permittens vel maledici; quin potiùs orabat pro eis. De morte parentum & proximorum suorum non ostendebat se esse conturbatum. Discordes & dissidentes juxta possibilitatem suam ad concordiam reducebat, pacem,

A cem, quantùm in ſe erat, cum omnibus hominibus habens *a*; lites tamen, informatus, quòd eccleſia ſua haberet jus, pro dicto jure ſubire non recuſabat; cùm aliter dicta jura amicabiliter non poterat obtinere: juriſperitos & homines approbatos in ſocietate & amicitia * ſua retinens, ſine quorum maturo conſilio nihil judicabile agebat, & omni die ſuper agendis habebat poſt divinum officium conſilium cum eiſdem.

a

* *al.* comitiva

30 Item interrogatus, ſi fuerit juſtus & timens Deum; reſpondit, quòd ſic; & de hoc dixit fuiſſe commendatum per dominum Robertum, tunc archiepiſcopum Cantuarienſem *b*, coram univerſitate Oxoniæ, quam idem archiepiſcopus inducebat in teſtem, quia fuerat cancellarius dictæ univerſitatis, & ratione dictæ cancellariæ habebat juſtitiam & actus juridicos in ſcholares & alios explectare *c*; & in dicto officio propter favorem & aliam cauſam non fuerat viſus à juſtitia deviare. Et dixit prædictus teſtis, ſe credere, & notorium fuiſſe in univerſitate prædicta, veritati inniti commendationem archiepiſcopi ſupradicti. Item narravit,

juſtus, & munera ſibi oblata reſpuens.

b

c

B quòd, cùm dictus dominus Thomas eſſet cancellarius regis Henrici *d*, quidam monachi, habentes facere in curia regia, obtulerunt quoddam pretioſum jocale *e* eidem domino Thomæ, qui reſpuens curialiter increpavit eoſdem, quia ad recipiendum, quod eum non decebat recipere, cum animæ ſuæ periculo inducere volebant eumdem, acſi corruptibilem & flexibilem putarent eumdem. In quibus dictus teſtis dixit ſe fuiſſe præſentem Londoni * anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto; de menſe tamen & die & nominibus monachorum dixit ſe non recordari.

d

e

* *al.* Londoniis

f

31 Item requiſitus, ſi fuerat miſericors, reſpondit, quòd ſic. Interrogatus, in quo notaverat ſpecialiter miſericordiam in eo, dixit, quòd fuerat valdè compatiens pauperibus, ſcholaribus & aliis, & antequam eſſet epiſcopus & pòſt, faciebat coram ſe comedere multos pauperes omni die, & nihilominus aliis pauperibus juxta ejus poſſibilitatem eleëmoſynas miniſtrabat *g*. Dixit etiam, quòd, quando ſibi equitanti occurrebat funus quodcumque & ubicumque, poſtquam fuit epiſcopus, deſcendebat de equo & orabat pro anima defuncti, dicendo De profundis cum orationibus conſuetis devotè; & petentibus veniam de commiſſis, ſi in eis apparebant ſigna pœnitentiæ, non negabat *h*: & hoc dixit prædictus teſtis ſe vidiſſe, cùm ipſius domini Thomæ familiares petebant veniam ab eodem; incorrigibiles tamen rejiciebat à familia ſua.

Miſericordia ejus in pauperes, defunctos & pœnitentes;

g

C

h

32 Item narravit idem teſtis, ſe audiviſſe ab ore dicti domini Thomæ, quòd, cùm ipſe & ejus frater adoleſcentes, in artibus ſtudentes Pariſiis habitarent in quadam domo, in qua erat vinea, & idem dominus Thomas accepiſſet unam virgulam, quæ vineæ palmites ſuſtentabat, nullius quaſi valoris exiſtentem, cum qua paraverat feneſtrale ſtudii ſui *i*; exinde per ſeptennium egit pœnitentiam, & quolibet ex dictis ſeptem annis fuit inde confeſſus. Ex quo dictus teſtis inferebat, prædictum dominum Thomam, qui de tam modico conſcientiam habuerat, & tanto tempore pœnituerat, valdè mundam & ſinceram ac puram conſcientiam habuiſſe, ſicut videbatur eidem.

leve delictum ſuum diuturnâ pœnitentiâ eluit:

i

33 Item narravit exemplificando de patientia dicti domini Thomæ, ſe vidiſſe, dum erat cum dicto domino Thoma Pariſiis, quòd quidam ſcriptor, quem præfatus dominus Thomas in ſua familia retinebat pro ſcriptura librorum ſuorum, ſemel per dictum dominum Thomam à diurna dormitione poſt prandium leviter excitatus, ex mala conſuetudine, quam habebat percutiendi cum pugno quoſcumque à ſomno excitantes eumdem, priùs quàm etiam oculos aperiret; percuſſit fortiter cum pugno dictum dominum Thomam ſuper latus ſuum; cùm ignorans dicti ſcriptoris malam conſuetudinem, parùm inclinâſſet ſe ad excitandum eumdem; quod dictus dominus Thomas ſuſtinuit patienter abſque omni offenſione, nihil aliud dicens exinde recedendo à dicto ſcriptore, * Cave te, fili, quia presbyterum percuſſiſti. Et hæc dixit prædictus teſtis fuiſſe tres vel quatuor annos, priuſquam dictus dominus Thomas fuiſſet ad epiſcopatum provectus *k*.

Ex cod. Vatican. *à domeſtico ſuo imprudenter percuſſus, fert patienter.*

* *adde* quàm

k

34 Item requiſitus, ſi & quales percuſſiones vel adverſitates paſſus fuerat in vita ſua dictus dominus Thomas, reſpondit de perſecutoribus, ut depoſuit ſuprà de litibus, quas habuerat pro jure eccleſiæ ſuæ, ſubjiciens, quòd adverſitate ſive gravi infirmitate ex dolore viſcerum ſeu iliaca paſſione & dolore ſtomachi per multos annos, priuſquam eſſet factus epiſcopus, & pòſt, quamdiu vixit, extitit moleſtatus *l*. Item interrotus, ſi prædictus dominus Thomas in virtutibus & excellentiis vitæ, quas dictus teſtis ſuprà depoſuit habuiſſe eumdem, perſeveraverat uſque ad finem vitæ ſuæ; reſpondit, quòd ſic, adjiciens, quòd, priuſquam eſſet epiſcopus, ſanctiſſimè & cum magna morum gravitate & honeſtate vivebat, & odore bonæ famæ, & abſque omni infamia.

uti etiam infirmitates corporis: perſeveravit in virtute,

E

l

35 Item ſuper ſexto interrogatus, ſcilicet, quot annorum erat idem dominus Thomas, quando migravit ab hoc ſeculo, requiſitus reſpondit, quòd ſexaginta trium annorum, vel parùm ultrà *m*, ut credit; & quòd apud Florentinum juxta Montem Flaſconis *n*, in craſtinum ſancti Bartholomæi apoſtoli, anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo *o*, orans & dicens, In manus tuas commendo spiritum meum, migravit ad Dominum, recepta confeſſione, Euchariſtiâ, & extrema Unctione *p*. Et ejus corpus in eccleſia abbatiæ ſancti Severi, ſub Urbe-veteri *q*, die Dominica proximè ſubſequenti à domino Hieronimo Cardinali, præſentibus dominis Hanchero, Latino, Comite & Hugone Cardinalibus, fuit honorificè cum ſolemnitate eccleſiaſticæ traditum ſepulturæ, & à dicto domino Hieronimo prædicante Defunctus multùm commendatus ibidem *r*. Poſt quæ * ejuſdem domini Thomæ defuncti oſſa à carne ſeparata fuerunt in Angliam apportata per familiares ipſius, & honorificè collocata & ſepulta in eccleſia Herefordienſi, prout idem teſtis dixit ex relatu veridico dicti Thomæ familiarium audiviſſe prædicta *ſ*.

moritur ſexagenario major & ſepelitur in Etruria, oſſa in Angliam portantur:

m

n

o

p

q

F

r

* *al.* Poſtquam

ſ

36 Item ſupra ſecundo articulo de fama requiſitus, ſi in civitate & diœceſi Herefordienſi & in circumvicinis diœceſibus eſt fama publica & communis opinio, quòd dictus dominus Thomas ſit ſanctus, & quòd Deus pro eo, ſicut pro ſancto, miracula operatur, reſpondit, quòd ſic, & quòd notorium erat, dictam famam eſſe per totam Angliam, Scotiam, Walliam * & Yberniam, & per multas partes regni Franciæ. Requiſitus, quomodo ſcit prædicta, reſpondit, quòd

deinde honorabiliori loco tumulata miraculis clarent.

* *al.* Italiam

Ex cod. Vatican.

quòd ex communi relatu fide dignorum, & quia de dictis terris & provinciis multi peregrini confluunt ad tumulum dicti domini Thomæ cum devotione & reverentia, multas imagines & ſigna miraculorum ſecum afferentes, quæ dicunt meritis dicti domini Thomæ in dictis terris & provinciis contigiſſe, tam in terra, quàm in mari *t*. Item interrogatus, quando incepit dicta fama & concurſus populi ad tumulum dicti domini Thomæ, reſpondit, quòd, cùm oſſa ipſius domini Thomæ ſtetiſſent per quinquennium vel circà tumulata in capella B. Mariæ eccleſiæ Herefordienſis, & dictus teſtis, honorabili tumulo præparato, in alio loco dictæ eccleſiæ dicta oſſa in prædicto tumulo collocâſſet, ſive tranſtuliſſet *u* (jam ſunt viginti anni, vel circà) tunc Deus pro dicto domino Thoma fuit quatuor vel quinque miracula operatus, ſicut dicebatur tunc; & ex iis habuit initium dicta fama.

t

u

Hanc tranſlationem facturus epiſcopus, mirabiliter excitatur è ſomno :

37 Et narravit, quòd, cùm ipſe teſtis diſpoſuiſſet collocare dicta oſſa in tumulo ſupradicto, & veniſſet ad jacendum *x* prope civitatem Herefordienſem ad duo milliaria, & propter nocturnam vigiliam eâ horâ, quâ ſurgere debuerat, obdormîſſet, in quadam feneſtra cujuſdam ſolarii, in qua* dormierat, poſita, ad quam acceſſus homini volenti eam pertingere propter altitudinem non patebat, fuerunt dati tres ictus, acſi homo cum junctura unius digiti, manu clauſa, in dicta feneſtra fortiter percuſſiſſet, excitatum ſonum faciens ad ſurgendum. Ad quem idem teſtis expergiſcens ſurrexit, & familiam excitavit, in corde ſuo cogitans, hoc divinitus in favorem dictæ collocationis, ſeu tranſlationis oſſium factam eſſe; cùm humanitus ſine ſcalæ poſitione, quam dictus teſtis, prædicta intra ſe revolvens, inibi non reperit, dictus ſonus & prædicta percuſſio fieri nequiviſſent, prædicta adſcribens miraculo dictus teſtis facto meritis & ad honorem dicti domini Thomæ.

x

* in quo

B

lapis ſepulcralis magnæ molis facilè amovetur

38 Item narravit, quòd, cùm quidam maximus lapis & ponderoſus & longus & latus, ſicut conſuevit apponi ſuper tumulos prælatorum, ſeu nobilium defunctorum, fuiſſet appoſitus ſuper locum illum, ubi primò oſſa dicti domini Thomæ in capella beatæ Mariæ fuerant collocata, & dictus teſtis & alii, amoto cœmento, cum quo dictus lapis aliis conglutinabatur, cogitarent, qualiter poſſent lapidem revolvere ſupradictum, & de ſubtùs extrahere dicta oſſa, appoſuerunt duo ex domicellis *y* ipſius teſtis manum * ad trahendum lapidem ſupradictum, ut, eo aliquantulùm ſeparato ab alio lapide concavo, in quo dicta oſſa repoſita exiſtebant, ipſa oſſa inde extrahere poſſent; cum tanta facilitate dicti duo domicelli, qui non erant corporalibus viribus multùm robuſti, traxerunt dictum lapidem, quantùm ſufficiebat; acſi ligneus extitiſſet. Et quia ſecundùm commune judicium dictus lapis non poterat in tantum trahi à quatuor hominibus bene robuſtis, facilitatem movendi & trahendi dictum lapidem ipſe teſtis & alii circumſtantes miraculo aſcripſerunt, facto ad oſtenſionem ſanctitatis dicti domini Thomæ, cùm dicta motio & tranſlatio oſſium ei complaceret.

C

y

* *al.* manus

difficulter reponitur.

39 Cùm autem, facto ſive completo officio ſepulturæ, & dictis oſſibus in novo præparato eis tumulo collocatis, dictum lapidem, ſic priùs faciliter à duobus motum & tractum, ad locum priſtinum retrahere, & ſicut priùs collocare vellent, vix ad decem homines, totis ſuis viribus intendentes, propter dicti lapidis ponderoſitatem ſufficere potuerunt; quamquam ſecundùm diſpoſitionem tumuli & loci, in quo lapis prædictus jacebat, major difficultas debuiſſet eſſe in prima amotione & tractione ipſius lapidis, quàm in ſecunda retractione & repoſitione ejuſdem. Interrogatus, ſi ex dictis duobus factis, per eum proximè narratis & per eum miraculo aſcriptis, augmentata ſit fides & devotio ipſius teſtis & aliorum, qui prædicta intendentes vel ſcientes miraculo aſcripſerunt, & ſi ex hiis glorificaverunt & laudaverunt Deum & dictum dominum Thomam; reſpondit, quòd ſic, ut credit quoad alios, & ſimpliciter quoad ſe.

D

Teſtis hactenus examinatus reſpondet

40 Interrogatus, quid in ſua depoſitione prædicta vocet famam publicam, & quid communem opinionem; reſpondit, quòd famam publicam vocabat illud, quod clerus & populus vulgariter clamant; communem opinionem, quòd communiter creditur à clero & populo. Interrogatus, quid movet eum ad credendum pro eo, vel dicendum, quòd gentes communiter credant, dictum dominum Thomam eſſe ſanctum, & quòd Deus pro eo, ſicut pro Sancto, miracula operetur; reſpondit, quòd ex eo, quia gentes communiter ſic loquuntur, & credit ipſe teſtis, quòd ita credant, ut dicunt, quia ad ipſum, ſicut ad Sanctum concurrunt, & ſigna miraculorum oſtendunt. Item ſub tertio articulo de veritate miraculorum requiſitus, ſi ſcit, quòd Deus pro dicto domino Thoma fuerit alia miracula, quàm ſuprà depoſuit, operatus; reſpondit, quòd non viderat de aliis; ſed audivit referri à fide dignis de reſuſcitatione quamplurimorum mortuorum, & de multis aliis miraculis diverſis, factis meritis dicti domini Thomæ.

E

ad quæſdam interrogationes generales

41 Quæ miracula credit idem teſtis vera fuiſſe; à tot & à tantis fide dignis audivit, & tot ſigna & indicia eorumdem vidit; potiſſimè cùm bonitas & ſanctitas vitæ ipſius domini Thomæ, ipſi teſti notæ, non diſcrepent à miraculis ſupradictis, ſed conveniunt cùm eiſdem, adjiciens, hoc idem ſibi aſſeruiſſe fratrem Gaufridum Schepeye de Ordine fratrum Minorum, qui ut domini tunc Papæ pœnitentiarius confeſſionem ipſius domini Thomæ in infirmitate, de qua obiit, audiverat; cùm ipſe teſtis cum magna devotione & inſtantia ſe certificari peteret ab eodem, ſi vita ipſius domini Thomæ cum miraculis concordaret. Et hoc dixit prædictus teſtis fuiſſe (decem anni ſunt elapſi & ampliùs) in manerio ipſius epiſcopi de Witeborne *, ad quod manerium dictus frater Gaufridus declinaverat, vadens pergere ad tumulum dicti domini Thomæ, vel rediens ab eodem. Et ſubjunxit dictus frater Gaufridus, quòd numquam viderat hominem majoris zeli, quantùm ad jura eccleſiæ ſuæ proſequenda & defendenda.

F

* *al.* de Witenborne

de fide, qua teſtatus fuerat.

42 Item interrogatus, ſi ſcit, credit, vel audivit dici, quòd aliqua fraus, fictio & machinatio propter quæſtum, vel ex quacumque alia cauſa fuit commiſſa à quibuſcumque perſonis circa miracula vel ſigna miraculorum, quæ Deus dicitur operatus fuiſſe pro dicto domino Thoma; reſpondit, quòd non. Ultimò interrogatus, an præcepto, timore, odio, amore, pretio, lucri dati vel promiſſi, habiti vel habendi causâ depoſuerit, & an doctus vel inſtructus fuerit teſtificari, & utrùm concordaverit cum aliis teſtibus ſic deponere; reſpondit, quòd

A quòd non. Imò rogavit aliquos familiares ſuos, in teſtes ſuper iſto negotio productos & examinatos, quòd nullatenus deviarent à vero, nec dictis ſuis propter commendationes dicti domini Thomæ vel favorem ejus adjicerent aliquam falſitatem. Actum in dicta capella ſanctæ Catharinæ, præſentibus nobis notariis hujus proceſſûs.

ANNOTATA.

a *Virtutes à principio hujus capitis hactenus breviter relatas aliquot exemplis ex aliorum teſtimoniis illuſtravi in Commentarii prævii* § VI.

b *Videlicet Robertum de Kilwardby, à quo Sanctum, pridie quàm ſacræ Theologiæ doctoratûs laureâ donaretur, pro more publicè laudatum fuiſſe, dictum ſuprà eſt cap.* 1, *num.* 9 *&* 10.

c Explectare *à Gallico* exploiter, *eſt* exercere, facere exſecutioni mandari *&c. De munere cancellariatûs univerſitatis Oxonienſis ab illo integerrimè geſto egi in Commentario prævio num.* 33 *& aliquot ſequentibus.*

d *Fuit cancellarius Henrici III regis Angliæ,*
B *qua de re etiam vide, ſi lubet, Commentarium prævium num.* 39 *& tribus ſequentibus.*

e *Id eſt*, monile.

f *Ita totidem verbis annus hîc legitur in uno apographo noſtro, cùm in altero manifeſtè perperam habeatur* M. CC. IXV.

g *Eximiam ſancti Viri miſericordiam in pauperes & infirmos à juratis teſtibus expoſitam habes in Commentario prævio à num.* 108 *uſque ad finem* § VI. *Vide etiam ibidem num.* 58 *&* 59.

h *Exempla dedi in eodem Commentario num.* 103 *& tribus ſequentibus.*

i *Id eſt, opinor, quâ uſus fuerat ad aptandam feneſtram muſei ſui.*

k *Alia patientiæ illius exempla memoravi in Commentario prævio num.* 38, 99 *ac tribus ſequentibus.*

l *Robertus Deyntè in proceſſu depoſuit, Sanctum eodem morbo febrique obiiſſe, ac de eodem morbo præmiſerat:* Habebat torſiones in ventre & colicam paſſionem, & habuerat, priuſquam eſſet epiſcopus, & in anno (*ſive* quotannis) dicta paſſio colica affligebat ipſum multùm ter vel quater & durabat ſibi dicta afflictio per di-
C midium diem & dimidiam noctem.

m *In uno apographo noſtro legebatur hîc:* vel plurium ultrà: *ſed legendum eſſe* vel parùm ultrà, *oſtendi in Commentario prævio num.* 215.

n *De* Monte-Flaſconis, *caſtroque* Florentino, *in quo Sanctus obiit, lege Commentarium prævium num.* 221 *&* 222. *Obiit autem ibidem, dum pro juribus eccleſiæ ſuæ adverſus Joannis Peckhami, archiepiſcopi Cantuarienſis, molimina defendendis ex Anglia profectus fuerat ad Martinum IV ſummum Pontificem, qui tum temporis cum ſua curia Urbe-veteri in Tuſcia ſuburbicaria reſidebat.*

o *Hunc annum diemque etiam commiſſarii Apoſtolici, qui proceſſum pro canonizatione illius anno Chriſti* 1307 *inſtruxerunt, in ſua ad Clementem V Papam epiſtola ſignârunt, mortuum eſſe, inquientes,* anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſecundo, die Martis in craſtinum beati Bartholomæi apoſtoli, *id eſt, die* 25 *Auguſti. Adi Commentarium prævium à num.* 216, *ubi communem ferè errorem, ex quo mors ejus ſeriùs figitur, correxi.*

p *Commiſſarii Apoſtolici mox laudati in eadem epiſtola ad Clementem aiunt, illum tunc confeſſum fuiſſe* fratri Galfrido de Chepeya, de Ordine Minorum, tunc pœnitentiario domini Papæ. *Robertus Deyntè etiam meminit de altero ejuſdem confeſſario tum adhibito,* qui vocabatur dominus Nicolaus. *Lege dicta in Commentario prævio* 212 *& duobus ſequentibus, ubi ex laudati Roberti Deyntè teſtimonio, qui morienti adſtitit, alia beati illius obitus adjuncta invenies.* Ex cod. Vatican.

q *Per* corpus *carnem ab oſſibus ſeparatam intellige, uti mox patebit, dixique in Commentario prævio num.* 223. *Ibidem & quatuor numeris ſequentibus aliquam notitiam dedi monaſterii S. Severi prope Urbem-veterem vulgo* Orvieto *appellatam.*

r *Ibidem quoque num.* 224 *& ſequenti annotavi aliqua de Cardinalibus, qui Sancti funus præſentiâ ſuâ honorârunt, quorum primus Hieronymus poſtea ſummus Pontifex creatus fuit & Nicolaus IV dictus. Ita* Thomas, *quem velut excommunicatum haberi voluerat metropolita illius Joannes Peckhamus, à Martino IV tunc ſummo Pontifice, ut alibi dixi, pro meritis honorificè ſuſceptus fuit, & poſt obitum ſuum à futuro ſummo Pontifice aliiſque S. R. E. Cardinalibus eccleſiaſticâ ſepulturâ & ſolemnibus exſequiis honoratus.* E

ſ *Quæ de prodigioſo ſanguinis ex ipſius oſſibus profluvio, velut in hac tranſlatione facto, unus & alter aſſeruerunt, legi poſſunt in Commentario num.* 231 *&* 232.

t *Inter plurimos, qui jam ante annum* 1307 *ad illius tumulum venerabundi acceſſerant, ipſum Angliæ regem Eduardum aliaſque perſonas principes nominavit Robertus de Glouceſtria in Commentario prævio num.* 245 *relatus: anathemata verò donaque, ad eumdem tumulum appenſa, magno ſanè numero recenſuerunt oculati teſtes commiſſarii Apoſtolici in laudata epiſtola ſua ad Clementem V. Adi Commentarium num.* 296 *& duobus ſequentibus.*

u *Hanc tranſlationem, quæ ſine ulla cultus deferendi intentione facta fuit, in Commentario prævio num.* 237 *& ſequentibus oſtendi, contigiſſe anno* 1287, *inter diem* 28 *Martii &* 3 *Aprilis.* F

x *Id eſt*, ad pernoctandum.

y Domicelli *tunc dicebantur nobilium virorum filii; quapropter videntur iſti duo honoris gratiâ in Richardi epiſcopi obſequiis fuiſſe.*



A

MIRACULA

Ex Proceſſu Canonizationis.

PARS I.

MIRACULUM I.

Puella quinquennis, in vivario ſubmerſa, vitæ reddita.

Puella quinquennis parentes ſuos ſecuta ad tabernam, *a*

NObilis vir Adamus le Schirreve, Joannæ pater *a*, productus à procuratoribus capituli Herefordenſis, & requiſitus, ut narraret veraciter miraculum, quod in perſonam Joannæ, ejus filiæ, ante ipſum proximè examinatæ, dicitur contigiſſe, & facti circumſtantias; dixit, quòd jam ſunt quindecim anni & ampliùs circa illud tempus, in quo primò inceperunt publicari miracula, quæ Deus dicebatur operari pro dicto domino Thoma, in menſe Aprilis quadam die Dominica ante feſtum B. Georgii martyris *b*, contigit, quòd quædam taberna cervifiæ erat in parochia, de qua eſt oriundus ipſe teſtis, videlicet de Maurdin *, in domo Walteri de la Wile *, ad quam tabernam venerunt dicta die dictus teſtis & Cæcilia ejus uxor poſt nonam *c*, & bene centum perſonæ vel circà de dicta parochia; & cùm irent ad dictam tabernam, dimiſerunt prædictam Joannam, filiam eorum, in domo ſua cum aliis fratribus & ſororibus ſuis. Cùm autem eſſent prope dictam tabernam, viderunt dictam Joannam, eorum filiam, quæ tunc erat quinque annorum *d*, ſequentem eoſdem, & non curaverunt; quia erant ibi multi alii parvuli vicinorum.

B

b

* *al.* Waurdin
* *al.* del la Wylle

c

d

2 Cùm autem ſtetiſſet aliquantulùm in dicta taberna cum aliis parvulis coram dicto teſte & coram aliis pluribus, fuit egreſſa cum dictis parvulis de dicta taberna, & intravit gardinum *e* prædicti Walteri, in cujus domo erat taberna. In dicto autem gardino erat quoddam ſtagnum, ſeu piſcaria, ſeu ſerva-piſcium, & ibi erat aqua profunditatis ſex pedum vel circà & foſſatum erat latum per viginti quatuor pedes, & longum per ſexaginta pedes vel circà, & à ſummitate ripæ uſque ad aquam erant ſex pedes vel circà *f*, & in circuitu ripæ erant aliquæ herbæ fragiles, quia dicta ripa erat partim terrea, partim lutea, & partim arenoſa. Dicta autem puella ingreſſa dictum viridarium, cùm aliis parvulis accedens & appropinquans ad dictum ſtagnum, piſcariam, ſeu foſſatum, projiciebat in ipſo lapillos unà cum Joanne filio Thomæ Schout, ejuſdem villæ, qui erat quaſi coætaneus dictæ puellæ, & filius matris ſpiritualis dictæ puellæ, & cum eis erant duo alii pueri ejuſdem villæ, de quorum nominibus, & quorum eſſent filii, non occurrit memoriæ dicti teſtis, ut dixit.

cum aliis pueris ludens in viridario, *e*

C

f

3 Dum autem ſic projicerent lapillos in aquam, prædictus Joannes coætaneus dictæ Joannæ impinxit * Joannam, ut terreret eam, in dictum foſſatum; & dicta Joanna cecidit in aquam, & fuit ibi ſubmerſa *g*: ſicut prædicta omnia de acceſſu dictæ puellæ ad viridarium & de dicto ludo, impinctione * & caſu in ipſam aquam dictus teſtis dixit ſibi fuiſſe relata ex pòſt facto per prædictos Joannam & Joannem coætaneum ſuum. Cùm autem dictus teſtis & alii, qui erant in dicta taberna, hoc ignorarent, & ſecundum modum & uſum eorum juniores poſt potum ſemel acceptum poſuiſſent ſe in chorea, & dictam choream duxiſſent per gardinum & prope foſſatum, in quo dicta Joanna erat ſubmerſa, aliqui exiſtentes in dicta chorea viderunt veſtes dictæ puellæ in dicta aqua, & ipſam in fundo aquæ jacentem ſine motu, & æſtimaverunt, quòd eſſet filia Chriſtinæ de Grenewei, ejuſdem parochiæ, mendicantis cum dicta filia ſua, & quòd rancore paupertatis & miſeriæ dicta Chriſtina projeciſſet dictam filiam ſuam in prædicto foſſato.

à puero in vivario piſcium impulſa ſubmergitur

* impegit
g
* impactione

4 Et quia conſuetudo eſt in patria illa & per totum regnum Angliæ, exceptis civitatibus, quòd, quicumque primò invenit interfectum vel ſubmerſum, debet clamare & hoc publicare, & omnes audientes dictum clamorem & inventorem debent eum ſequi de villa ad villam, quò uſque ſit in loco, in quo ſunt præſidentes juriſdictioni illius patriæ, coram quibus per dictum inventorem denunciatur prædictum homicidium vel ſubmerſio, & dictus denunciator perſonaliter detinetur, niſi præſtet idoneam fidejuſſoriam cautionem de repræſentando ſe juſticiariis regiis, quàm primùm venient ad partes, ſubiturus judicium coram eis. Nec interfectus vel ſubmerſus taliter inventus debet amoveri à loco, in quo inventus eſt, niſi priùs vocetur ille, qui præeſt pro rege ad inquirendum de talibus caſibus, ſpectantibus in regno Angliæ ad coronam domini regis, quantumcumque ille, qui præeſt, diſtet à loco, etiamſi non veniret tribus menſibus ad locum prædictum; &, ſi fiat contrarium, committitur magna & graviſſima pœna, & ſtagnum, in quo reperitur aliquis ſubmerſus, repleretur terrâ.

& à nonnullis reperta in eo relinquitur

E

5 Prædicti choreantes propter prædictam conſuetudinem, & quia nullus volebat facere ſe inventorem dictæ ſubmerſionis (quamquam Joannes de Pirebrok ejuſdem villæ, famulus Walteri della Wylle, in cujus domo tenebatur dicta taberna, dictam ſubmerſionem vellet denunciare dicto Waltero, & ex hoc, aliis choreantibus non permittentibus, niteretur à chorea recedere ſupradicta) cogitantes, quòd nocte adveniente, projicerent dictam puellam in quamdam aquam flumalem, prope villam illam currentem, quæ vocatur Lugge *h*, diſſimulârunt publicare caſum dictæ ſubmerſionis, & extrahere dictam puellam de prædicto foſſato, ſicut ex pòſt facto dicti choreantes narraverunt ipſi teſti, quia ipſe teſtis non fuit in dicta chorea, ſed remanſit cum aliis provectis & ſenibus in dicta taberna. Dum autem Cæcilia, uxor ipſius teſtis & mater dictæ Joannæ, eſſet adhuc in dicta taberna, & dictus Joannes coætaneus dictæ Joannæ, qui impinxerat eam in foſſatum, inciperet hæc narrare matri dictæ Joannæ, colloquenti cum aliis, ſuperveniente Thoma Schout, patre ipſius Joannis, dictus Thomas, qui duxerat prædictam choream, & viderat, ducendo choream, prædictam puellam ſubmerſam in aqua, nolens,

ex timore legum; & ſubmerſio celatur,

F

h

A nolens, quòd publicaretur dicta ſubmerſio, accipiens dictum Joannem filium ſuum, duxit ſeu portavit ipſum ad domum uxoris ipſius Thomæ, quæ erat remota à dicta taberna per unum ſtadium vel quaſi; & recluſit eum, ne revelaret prædicta.

donec per eumdem puerum facto indicio ex aqua extracta

6 Demum egreſſus dictus Joannes prædictam domum poſt occaſum ſolis, & rediens ad dictam tabernam, & in ipſa taberna dictam Cæciliam, matrem puellæ ſubmerſæ, inveniens, narravit ſibi de dicta ſubmerſione. Et tunc prædicta mater naturalis dictæ puellæ, quæ gravida erat, & ex tunc peperit infra menſem, cum Joanna Waſe, uxore dicti Thomæ Schout, commatre ſua, matre ſpirituali dictæ puellæ ſubmerſæ, currens ad dictum foſſatum cum Radulpho Ciſſore, vidit dictam puellam filiam ſuam ſubmerſam in dicto foſſato; & prædicta Joanna, commater ejus & mater ſpiritualis dictæ puellæ, cum impetu projecit ſe in dictam aquam, & traxit dictam puellam ſubmerſam ad ripam. Et hæc omnia dixit prædictus teſtis ſibi narrata fuiſſe per alios; ſed non vidit puellam intra dictum foſſatum nec in aqua; erat tamen

B in dicta taberna, alia tractans cum convicinis ſuis *i*. Cùm autem dicta puella fuiſſet extracta de aqua, & eſſet poſita prope ripam in terra, fuit vocatus ipſe teſtis, & videns, dictam filiam ſuam ratione dictæ ſubmerſionis mortùam eſſe, & nullum in ſe ſignum vitæ habere, & matrem ipſius puellæ & multos aſtantes plangére & flere circa eam; commotis viſceribus paternis, dolens nimiùm planxit & flevit.

reperta eſt mortua, & à patre aliiſque

7 Et quia dictus teſtis audiverat, quòd Deus operabatur multa miracula pro dicto domino Thoma, flexis ibidem genibus, cum multis lachrimis & cum magna compunctione & devotione rogavit dictum ſanctum Thomam, quòd, ſi verum erat, quòd Deus operaretur pro eo miracula, reſuſcitaret dictam filiam ſuam: & omnes alii aſtantes, qui poterant eſſe circà

k quadraginta inter mares & mulieres *k*, flexis genibus, cum lachrimis rogaverunt pro reſuſcitatione dictæ puellæ dictum ſanctum Thomam; & idem teſtis cum zona ſua menſuravit ibidem

l dictam filiam ſuam ad dictum S. Thomam *l*. Poſt autem dictam menſurationem ſtatim dictus teſtis ſcidit cingulum, cum quo erat cincta dicta puella ſubmerſa, quia præfata puella habebat

C ventrem ita tumidum & turgidum, quòd ipſe teſtis vix poterat apponere digitos ſuos inter corpus dictæ puellæ & cingulum. Sciſſo autem dicto cingulo, aperuit os præfatæ puellæ cultello appoſito, cùm non poſſet aperire cum digito, & unà cum Cæcilia ejus uxore & aliis aſtantibus conabatur reducere in os dictæ puellæ linguam ejus, quæ pro magna parte protendebatur extra os puellæ, & erat nigra & inflata.

S. Thomæ commendatur.

8 Dicta autem lingua repoſita violenter intra os & dentes immediatè, cùm digitus amovebatur ab ea, cum quo tenebatur intra dictum os & dentes, regrediebatur extra os & dentes, ut priùs, & os ipſius puellæ, poſtquam fuit cum dicta violentia apertum, remanſit ſic apertum per totam noctem, niſi cùm violenter claudebatur, & tunc ceſſante violentia, mox dictum os aperiebatur. Sciſſo autem dicto cingulo, & ſic primò aperto ore memoratæ puellæ, fuit auditus ab ipſo teſte & ab aliis aſtantibus quidam rugitus in corpore dictæ puellæ, & unus de aſtantibus, ſcilicet Walterus de Pirebrok, dixit: Si erat aliquis flatus vitæ in puella, modò ex toto exalavit*; alii verò dicebant, quòd meritis dicti ſancti Thomæ Deus inſpiraverat vitam in eam, & ex hoc ſperantes de reſuſcitatione dictæ puellæ, ferventiùs in oratione perſiſtebant. Sciendum tamen eſt, quòd iſte teſtis non perſeveravit in hoc, quòd alii dicerent, ſpiritum vitæ eſſe immiſſum in puella meritis S. Thomæ; immò variavit, perſiſtens in hoc, quòd nec motus, nec alitus*, nec calor, nec aliqua alia ſigna vitæ apparuerunt in ipſa puella uſque ad ſubſequentem auroram,

Ex Proces. can.

* exhalavit

* halitus

Noctu puella primò in tabernam, deinde ad domum paternam delata,

9 Cùm autem ſtetiſſent juxta prædictam ripam ab occaſu ſolis uſque ad obſcuram noctem perſeverantes in dicta oratione, & propter devotionem omnes viri amoviſſent caligas à genibus ſuis, ut orarent tam ipſi quàm mulieres nudis genibus ſuper terram, & adhuc nulla ſigna vitæ apparerent in dicta puella, & exiviſſet de corpore ſuo tam per os, quàm per alias partes naturales, circa quantitatem duarum lagenarum & ampliùs de aqua *m*, introduxerunt *m* matrem dictæ puellæ, quæ tenebat ipſam in ulnis ſuis, & plangebat eam ut mortuam, in domum, in qua erat dicta taberna; & ibidem ſteterunt perſeverantes in dicta oratione, quòd E dictus S. Thomas reſuſcitaret dictam puellam, ferè uſque ad mediam noctem: & cùm adhuc nulla ſigna vitæ apparerent in dicta puella, fuit portata dicta puella ad domum ipſius teſtis *n*; *n* & vicini, qui oraverant pro reſuſcitatione dictæ puellæ, fuerunt ſubſecuti, & ſteterunt per totam noctem in domum * ipſius teſtis, ſperantes & orantes, quòd dictus S. Thomas reſuſcitaret dictam puellam; & cùm mater nollet dimittere dictam filiam ſuam, & ipſe teſtis & alii aſtantes dubitarent, quòd præ dolore & anguſtia perderet partum ſuum, fecerunt eam intrare lectum, & quia volebat habere dictam filiam ſuam mortuam ſecum in lecto, fuit lectus appoſitus prope ignem, ne ex frigiditate filiæ mortuæ mater prægnans gravaretur *o*.

* in domo

o

invocantibus pro ipſa aliis S. Thomam, manè reviviſcit;

10 Cùm autem ſtetiſſet *p* dicta filia mortua in lecto cum matre ſua uſque ad auroram, priuſquam aliqua ſigna vitæ apparuiſſent in ea, in dicta aurora prædicta mater ſenſiit * aliqualem motum in dicta filia ſua, & dixit hoc aſtantibus; & tunc dicti aſtantes laudaverunt & glorificaverunt Deum & dictum S. Thomam cum maximis lachrimis; & ſtatim puella appoſuit ſibi manum dexteram ad humerum ſiniſtrum, ut ſibi videtur, & cœpit evomere humores & ſuperfluitates, quæ remanſerant in corpore ratione ſubmerſionis prædictæ. Et poſt dictum vomitum fuit locuta; & interrogata, qualiter fuerat ſubmerſa, narravit, quòd dictus Joannes impulerat eam in dictum foſſatum *q*. Et cùm aliquantulùm dicta puella reſumpſiſſet vires circa ortum ſolis portaverunt eam ad eccleſiam parochialem dicti loci, & poſuerunt eam ſuper altare S. Ethelberti regis & martyris, pâtroni eccleſiæ Herefordiæ *r*, & fuerunt ibi pulſatæ campanæ, & convenit totus populus, & fuit cantatum Te Deum laudamus.

p

* ſenſit

F

q

r

poſtea à patre deferitur ad tumulum S. Thomæ.

11 Et idem teſtis, quaſi contra voluntatem vicinorum nolentium, quòd eam portaret adhuc, quia dicta puella erat debilis, accepit eam in ulnis ſuis, aſcendens equum, pulvinari ſuppoſito, & apportavit eam ad eccleſiam Herefordiæ, & multi ex vicinis ſuis, tam ex his, qui oraverant pro reſuſcitatione dictæ puellæ, quàm ex aliis, circa triginta numero, venerunt cum eo, & aliqui ex ipſis nudis pedibus, & multi

Ex Proces. can.

de villis circumpoſitis, ſcilicet Maurdyn, Wiſtanton, Froremanton & de Walde, in via ratione dicti miraculi occurrentes eidem, & etiam multi de civitate Herefordiæ, à quibus vix poterat tueri dicta puella; quia ex devotione miraculi volebant videre & oſculari eamdem. Et quantò dicta puella plùs appropinquabat ad eccleſiam Herefordiæ, dum apportaretur ad eam per ipſum teſtem, tantò ampliùs fortificabatur & roborabatur, & colorem facie reſumebat. Cùm autem dictus teſtis introduxiſſet dictam filiam ſuam in eccleſia Herefordiæ, & duxiſſet eam ad tumulum dicti domini Thomæ, canonici inquiſiti priùs & facta eis ſummariè fide de dicto miraculo, fecerunt pulſari campanas per totam civitatem Herefordiæ, & convocato populo & facta magna proceſſione, fuit miraculum publicatum ibidem, & cum lacrymis & maxima devotione cleri & populi fuit cantatum Te Deum laudamus, & fuerunt laudes & gratiæ redditæ Deo & dicto S. Thomæ *f*.

f ibidemque miraculum ſolemniter publicatur;

12 Poſtmodùm dictus teſtis reduxit dictam filiam ſuam, & fecit fieri imaginem ceream dictæ puellæ, quæ per multos annos ſtetit appenſa prope tumulum prædicti domini Thomæ, & poſtmodùm corruit vetuſtate conſumpta. Ex nunc autem idem teſtis cum familia ſua venit omni anno ſaltem ſemel, & aliquando pluries, nudis pedibus cum oblationibus peregrinus ad tumulum dicti domini Thomæ, & ſpecialiter in feſto prædicti S. Ethelberti, patroni eccleſiæ Herefordiæ. Interrogatus de nominibus illorum, qui erant in dicta chorea, quando viderunt dictam puellam ſubmerſam in aqua; dixit, quòd Thomas Schonk * ſupradictus & Stephanus de Pirebrok, teſtes jurati & producti ad probationem hujus miraculi, Joannes de Pirebrok & multi alii vicini ſui; quibus quidem vicinis eſt ita notorium & publicum, quod depoſitum eſt per ipſum teſtem de ſubmerſione, morte & reſuſcitatione dictæ puellæ, & quòd ad invocationem nominis dicti S. Thomæ fuerit reſuſcitata, & quòd in dicta reſuſcitatione & miraculo nulla intervenerit fraus, dolus, fictio vel machinatio, aut res naturales, ſed virtus duntaxat & potentia Dei, quæ operata fuit dictum miralum ad invocationem nominis & meritis dicti S. Thomæ, quòd nullo modo poteſt celari, nec dubitari de prædictis: & adhuc dicta puella vocatur in dicta villa, de qua eſt oriunda, Joanna filia Adæ le Schirreve, quam S. Thomas resuscitavit.

**an Schout?*

C

13 Et multi nobiles de partibus remotis in atteſtatione dicti miraculi veniunt adhuc ad videndum dictam puellam. Item interrogatus, ſi ante ſubmerſionem & reſuſcitationem dictæ puellæ ipſe teſtis & ejus uxor habebant devotionem in dictum S. Thomam; reſpondit, quòd fuerant peregrini ad ejus tumulum cum aliis convicinis eorum, & ſtatim cùm dictus teſtis, viſo, quòd dicta puella erat mortua, incepiſſet invocare nomen dicti S. Thomæ, omnes, qui aderant, inceperunt eodem modo invocare eum unanimiter cum lachrimis, habentes magnam fiduciam, quòd Deus meritis dicti S. Thomæ reſuſcitaret eam. Poſt dictam autem reſuſcitationem nullam viſionem vel aliqua alia ſpecialia habuerant ipſe teſtis, vel ejus uxor, aut filia prædicta, quòd ipſe ſciat vel audiverit, de prædicto domino Thoma *t*.

cujus rei gratiâ multi puellam inviſerant.

D

ANNOTATA.

a *Hic vir nobilis, Joannæ ſubmerſæ & ad invocationem* S. Thomæ *reſuſcitatæ pater, fuit in proceſſu teſtis ſexageſimus quartus, diciturque tunc fuiſſe* ſexagenarius. *Teſtatus autem hæc eſt anno* 1307, *die* 16 *Septembris in capella S. Catharinæ prope eccleſiam cathedralem civitatis Herefordiæ, ad quam commiſſarii Apoſtolici Londino ſe contulerant. Ipſa verò Joanna, puella tunc* annorum circitèr viginti, *proximè ante patrem totiùs proceſſûs teſtis ſexageſima tertia ibidem teſtata fuit, ejuſdemque mater Cæcilia, tum* quinquagenaria & ultrà, *poſt maritum ſuum die* 17 *ejuſdem menſis Septembris. Utriuſque teſtimonia, matris ſcilicet ac filiæ, etiam habeo, ex quibus, ubi opus fuerit, aliqua annotabo. Prætuli teſtimonium paternum, tum quia Joanna quinquennis tantùm erat, dum res contigit, tum quia hæc eadem, non potuit, niſi poſtea ex auditu, ſcire plurima miraculi adjuncta.*

b *Colitur celeberrimus ille martyr Georgius die* 25 *Aprilis.*

c *Ex reliquo contextu, totoque proceſſu ſatis liquet, notarios, qui illum conſcripſerunt, in annotandis horis ſecutos fuiſſe morem eccleſiaſticum, ſecundum quem hora Nona, reſpondet noſtræ tertiæ pomeridianæ.*

E

d *Quos* nondùm tunc compleverat *ex teſtimonio matris.*

e *Ab Italico* giardino, *quod Latinis* hortus *vel* viridarium *eſt, uti etiam infrà vocatur.*

f *Walterus de la Wyle, teſtis ſexageſimus nonus, annorum* 40 *circitèr, idem vivarium piſcium ſic deſcripſit:* Habet & habebat tunc in longitudine 60 pedes & ultrà, & in latitudine 24, & aqua dictæ piſcariæ habebat tunc & adhuc habet in profundum 13 pedes & dimidium vel circà, & fuit dicta piſcaria ab initio per talem modum, quòd haberet tantum in profunditate in lateribus, ſicut in medio.

g *Joanna ipſa hæc in teſtimonio ſuo ſic expoſuit*: Sic impulſa cecidit in aquam; & accipiens ſe cum manibus ad quaſdam herbas fragiles, exiſtentes in dicta ripa, clamavit. Et cùm non adeſſet in loco propinquo tunc aliquis, qui eam clamantem audiret præter puerum ſupradictum, & qui ſibi ſubveniret, dictis herbis, ad quas cum manibus hærebat, evulſis, ſubmerſa fuit in ſtagno prædicto & mortua.

F

h *In teſtimonio matris legitur:* In quoddam flumen propinquum, quod vocatur Rugge.

i *Accipe igitur teſtimonium Cæciliæ matris, quæ præſens fuit.* Dicta Cæcilia non vidit in prima circumſpectione dictam Joannam ſubmerſam: commater autem ipſius Cæciliæ Joanna, mater prædicti Joannis, acutiùs circumſpiciens, dixit ipſi Cæciliæ, quòd ipſa videbat aliquid ſubmerſum in fundo aquæ & in medio dictæ piſcariæ; & confeſtim dicta Joanna, commater ipſius Cæciliæ, nullas ſibi veſtes exuens intravit dictam piſcariam, & veſtibus ejus ab aqua ſupportatis, & ipſa natante * (*quamquam aliàs numquam natâſſet, ut ipſamet Joanna aſſeruit*) venit ad locum, in quo jacebat dicta puella ſubmerſa, & ponens caput ſuum & demergens ſe totam intra aquam, accepit dictam puellam ſubmerſam, neſcit qualiter (manu dextera apprehendit veſtes dictæ puellæ, *inquit ipſamet*) & veniens ad ripam (natando, ſicut priùs, *ait rurſum ipſa*) ſicut projeciſſet unum truncum, pro-

* ipſa natans

A projecit dictam puellam ſuper aridam. Et dicta Cæcilia circumſpexit, ſi eſſet dicta Joanna filia ſua, & ex facie non potuit eam cognoſcere, quia habebat dictam faciem totam alteratam & lutoſam, & habebat linguam nigram, extra os emiſſam, dentibus compreſſam: veſtes autem erant adeò lutoſæ & deturpatæ, quòd non cognoſcebat eas. Intuens autem ſotulares, cognovit, quòd erat filia ſua ad dictos ſotulares, quia emerat de proximo novos ſotulares dictæ filiæ ſuæ, habentes rubeas corrigias, ſuperiorem partem ipſorum ſotularium ambientes. *Ceterùm* ſotulares *aliàs* ſubtalares, *quaſi* ſub talo, *calcei ſunt.*

k *Id eſt*, partim mares, partim mulieres.

l *Jam dixi ſuprà, hunc morem in Anglia fuiſſe, ut, quos alicui Sancto commendatos vellent, eos menſurarent, atque hoc ritu, quaſi Sancto illi voverent, ac deinde ipſam menſuram, aliquando cereo inſertam, ad ejuſdem Sancti ſepulcrum offerrent: quod cùm ſæpius in his miraculis recurrat, ſuffecerit hîc denuo dixiſſe.*

m Aqua autem, *inquit mater*, quæ erat intra corpus dictæ puellæ, exivit per partem poſteriorem, ſicut exiviſſet per foramen alicujus vaſis, pleni aquâ, ad tantam quantitatem, quanta poterat contineri in corpuſculo dictæ puellæ. B

n *Matrem rurſus audiamus.* Cùm autem ſtetiſſent juxta ripam dictæ piſcariæ uſque ad noctem, intraverunt domum, in qua tenebatur dicta taberna, cum dicta puella mortua, & cùm ſtetiſſent ibi per aliquam pauſam, ita quòd homo potuiſſet ire per duo milliaria, vel circà, communi greſſu; ipſa Cæcilia dubitans, quòd in dicto loco fieret clamor per inventricem dictæ puellæ ſubmerſæ & per alios, ita quòd ſecundùm conſuetudinem Angliæ oporteret, dictam puellam dimitti ibidem, ivit cum dicta puella filia ſua mortua ad domum propriam, viro ſuo & aliis, qui adfuerant prædictis, concomitantibus, & in planctu & oratione perſeverantibus, & ſperantibus, quòd Deus reſuſcitaret dictam puellam meritis S. Thomæ præfati.

o *Cæcilia mater die* 18 *Septembris coram dominis commiſſariis rurſum comparens, &* requiſita, quare dictus ignis fuerat factus prope lectum, ipſi Cæciliæ præparatum, *reſpondit*, Ex eo, quia aliqui ex aſtantibus dicebant, quòd, ſi non fieret ignis, ipſa Cæcilia gravida ex frigiditate filiæ mortuæ, quam ſecum in lecto tenebat juxta carnem ſuam nudam, gravaretur. Item dixit, quòd prædictam filiam ſuam mortuam ex tunc tenuerit ſecum in lecto, non ſentiens in ea aliquod ſpiraculum vitæ uſque ad auroram ſubſequentem. C

p Stetiſſet, *id eſt hîc* jacuiſſet: *nam verbum* ſtare *in hoc toto proceſſu tam ſuprà quàm infrà pro verbo* eſſe *in quovis ſitu corporis uſurpatur; quòd ſufficiat ſemel monuiſſe.*

q *In teſtimonio laudatæ matris aliquot adjunctа paulò aliter leguntur; nimirum*, item dixit (*Cæcilia mater*) quòd prædictam filiam ſuam mortuam ex tunc tenuerit ſecum in lecto, non ſentiens in ea aliquod ſpiraculum vitæ uſque ad auroram ſubſequentem. In aurora autem dicta puella incepit primò movere unum pedem (& videtur ſibi, quòd fuerit pes dexter) poſtmodùm dicta puella infremuit toto corpore; & apponens dicta Cæcilia os ſuum ad os dictæ puellæ, ſenſerit * anhelitum ipſius puellæ, & audivit quemdam gemitum ſubmiſſum, quem dicta puella faciebat ad modum patientis, non exprimens aliquam vocem, niſi ſignificativam planctûs; & cùm continuâſſet dictam vocem tanto tempore, quòd potuiſſet dici communiter bis PATER NOSTER ſine cantu, tunc ipſa Cæcilia apponens os ſuum ad aurem dictæ puellæ, petiit ab ea: Quid voluiſti in aqua? Et puella reſpondit, quòd Joannes impulerat eam. Quo facto, ipſa Cæcilia ſtatim revelavit & publicavit prædicta viro ſuo & aliis aſtantibus, qui oraverant perſeveranter pro reſtitutione dictæ puellæ; & oſtendit eis dictam puellam vivam: & illi videntes, dictam puellam vivere, laudaverunt & glorificaverunt Deum & dictum S. Thomam, & ſignificaverunt hoc dominæ illius villæ, quæ vocatur domina Margeria * Gafre; & illa venit cum comitiva ſua ad videndum dictam puellam; quâ viſâ, circa ortum ſolis, concomitante dicta domina & multitudine parochianorum dictæ villæ, fuit portata ad eccleſiam parochialem ejuſdem villæ *&c.* Ex PROCES. CAN. * ſenſit * an Margarita? D

r *De hoc ſancto Orientalium Anglorum rege actum in Opere noſtro eſt ad diem* 20 *Maii.*

ſ *Conſonat Cæcilia mater, quæ & ipſa in eccleſia Herefordienſi tunc fuit, ac inter cetera ſic teſtata eſt.* Cùm autem eſſent in eccleſia Herefordienſi, & dicta puella jacuiſſet aliquantulùm ſuper tumulum dicti S. Thomæ in quiete, levavit dicta puella caput ſuum, & canonici cum juramento inquiſiverunt de veritate dicti miraculi, (ut eidem Cæciliæ videtur) & ea (*Cæciliâ*) ſedente in medio eccleſiæ cum dicta filia ſua, facta proceſſione circa eam, & pulſatis campanis, cantaverunt cum lacrymis, neſcit quid. Et erat ibi magnus populus; & omnes laudabant Deum & S. Thomam propter miraculum ſupradictum. E

t *Sæpe dicta Cæcilia die* 19 *Septembris coram laudatis commiſſariis tertiò comparens, rogataque*, ſi ipſa vel ejus vir, priuſquam dictum miraculum contigiſſet, habebant aliquam ſpecialitatem in vita ſua præ aliis eorum vicinis; reſpondit, quòd peregrini cum multis ex dictis vicinis eorum venerant ad tumulum præfati domini Thomæ; & quòd erant fideles & Catholici ac Eccleſiæ devoti, de proprio viventes, eleëmoſynas juxta eorum facultates feliciter largientes, circumvicinos ſuos diligentes, & dilecti ab eis *&c.* *In fine autem teſtimonii illud additur:* Et ſciendum, quòd depoſuit in Anglico. *Ceterùm hoc miraculum præter tres dictos teſtes, parentes ſcilicet, atque ipſam, quæ ſubmerſa fuerat, Joamam, ſeptem inſuper alii teſtes jurati, prout quique rei geſtæ adfuerant, aſſeruerunt, quorum nomina hæc ſunt.* Radolphus de la Broche, annorum 60 circitèr. Thomas Schout, annorum 39 circitèr. Joanna Waſe. Walterus de la Wyle, annorum 40 circitèr. Joanna uxor Walteri de la Wyle prædicti, annorum 50 circitèr. Stephanus de Pirebrok, annorum 38. Willelmus le Pipere, annorum 100 & ampliùs. *Relatum eſt hoc miraculum in bullam canonizationis, in qua ſic legitur:* Puella ætatis annorum quinque, quæ tempore longo in quodam profundo ſtagno ſteterat mortua & ſubmerſa, extracta inde frigida tota & rigida, non habens aliquod ſignum vitæ, facto ad Sanctum hunc pro ejus reſuſcitatione voto, vitæ fuit priſtinæ reſtituta. F

Ex Proces. can.

MIRACULA II ET III.

Duo alii pueri ſubmerſi, reſuſcitati.

Puer nondum bimatus in ſtagnum lapſus.

EDitha uxor Guilielmi Draek *a*, oriundi de loco vocato Parva Markele, parochiæ de Ledebury *b*, requiſita, quòd narraret illud, quod ſciebat de reſuſcitatione Joannis filii ſui; dixit, quòd die Martis in feſto Rogationum ante feſtum Aſcenſionis Domini fuerunt tres anni elapſi, quòd exiſtens in dicto loco de Parva Markele poſt horam Nonæ *c* per tantum ſpatium, ut deſignavit interrogata, quòd homo potuiſſet communi paſſu iviſſe unum miliare, vidit, quòd dictus Joannes filius ejus, qui tunc erat ætatis unius anni cum dimidio, receſſit de domo propria viri ipſius teſtis, & exiſtimavit dicta mulier tunc, ſicut dixit, quòd prædictus filius ſuus, qui ſurrexerat à dormitione, ſtatim iviſſet ad ludendum cum aliis parvis in quereriam ſeu via publica, & dicta teſtis remanſit in domo ſua, mundando dictam domum & ejiciendo inde fimum, paleas, & alia mundatione indigentia. Et faciendo prædicta, ſtetit per tantum ſpatium in dicta domo (ut arbitratur) ab hora, quâ receſſerat ab ipſa dictus filius ſuus de prædicta domo, quòd ipſa iviſſet de paſſu per unum miliare.

a b

c

B

in eoque ſubmerſus, à matre inventus

15 Egreſſa autem domum ſuam, & credens, dictum filium ſuum invenire in via cum aliis parvulis & eum reducere in domum ſuam, quæſivit, & ipſum non invenit, nec aliquos alios parvulos prope domum ſuam; & progreſſa ultrà interrogavit vicinos ſuos, ſcilicet Gilbertum *d* le Neve & Galfridum de Smalmedelke *e*, teſtes ſuprà juratos & ad probationem hujus miraculi inductos, ſi vidiſſent dictum filium ſuum tranſeuntem tunc coram eis, vel cum aliis pueris exiſtentem. Et accepto reſponſo ab eis, quòd non viderant præfatum filium ſuum, ivit unà cum dictis duobus teſtibus, per eam nominatis, ad quærendum dictum filium ſuum per unam partem dicti loci, & ex quo ipſa viſa fuit egreſſa domum ſuam ad quærendum dictum filium ſuum, antequam ipſum inveniret, tranſivit tantum tempus (ſicut reſpondit interrogata) quòd ipſa potuiſſet iviſſe, ut dixit, ſe credere, per unum miliare. Cùm autem quærens ipſum puerum cum dictis duobus teſtibus rediiſſet prope domum ſuam, fuit ſuſpicata, quòd memoratus filius ſuus cecidiſſet in quadam aqua, ſtante prope domum ſuam, in qua adaquabantur tempore illo animalia illius loci.

d e

C

dum à parentibus lugetur, adſunt duo ignoti equites, quorum unus

* converſa

16 Et cùm ipſa teſtis & prædicti Gilbertus & Galfridus aliquantulùm circumſpexiſſent, ſi viderent prædictum Joannem ſubmerſum in dicta aqua, ipſa teſtis vidit ipſum ſubmerſum, ut dixit, in dicta aqua, facie reverſa * ad fundum aquæ; & continuò induta & calciata intrans dictam aquam, quæ erat profunda in tantum, quòd pertingebat uſque ad humeros ipſius teſtis, extraxit inde dictum filium ſuum, præſentibus dictis Gilberto & Galfrido; & fuit poſitus dictus Joannes in via prope dictam aquam, in qua fuerat ſubmerſus; & Gilbertus prædictus elevavit dictum puerum à terra, pedibus ſurſum erectis & capite pendente deorſum, ut exiret aqua de corpore dicti Joannis *f*. Tunc quia dictus Joannes tenebat os clauſum, ſupervenientes duo equites (neſcit, qui, nec unde eſſent) induti unus de Bluveto, alius de Pounacio *g*, quorum unus erat coloris nigri & alius ſubruſi (ut deſignavit interrogata) deſcendentes de equis & videntes dictum puerum mortuum, & compatientes appropinquaverunt ad dictum puerum mortuum. Et ſenior ex eis, extracto filo de burſa ſua propria, menſuravit dictum Joannem, tunc nudum & veſtibus propriis exutum, ad S. Thomam de Cantilupo de Herefordia, & invocabat Deum & dictum S. Thomam, quòd reſtitueret vitam ipſi Joanni.

D

f

g

S. Thomam invocari jubet;

17 Et ipſa teſtis & ſupradicti Gilbertus & Galfridus, & de convicinis uſque ad viginti, ut arbitratur, ſed de eorum nominibus reſpondit ſe non recordari, flexis genibus, cum devotione rogârunt ſimiliter Deum & S. Thomam prædictum, quòd reſtitueretur vita dicto Joanni; & multi ex ipſis lachrimabantur & dicebant flexis genibus, Pater noster, & Ave Maria, & Credo in Deum: & ſteterunt tanto tempore in via cum dicto Joanne poſt præfatam menſurationem, antequam apparerent in eo aliqua ſigna vitæ quoad motum, halitum, calorem & alia, quòd ipſa potuiſſet iviſſe per unum miliare, ut credit. Et licèt equi dictorum duorum equitum ſupervenientium aufugiſſent, ipſi tamen equites noluerunt recedere à dicto Joanne mortuo & menſurato, quò uſque fuit reſuſcitatus *h*. Acta in dicta capella S. Catharinæ, præſentibus dictis fratribus Waltero & Joanne de Ordine Minorum, & nobis notariis hujus proceſſûs.

E

h

ac paulò pòſt puer revivi-ſcit,

18 Poſt hæc in craſtinum rediit coram dictis dominis commiſſariis prædicta Editha ad complendum depoſitionem ſuam, & requiſita, quæ ſigna vitæ poſt dictam menſurationem apparuerunt priùs in præfato filio ſuo ſubmerſo, reſpondit, quòd primò aperuit unum oculum, & poſtmodùm alium; neſcit tamen, quem ex dictis oculis aperuerit primò. Et poſt apertionem primi oculi fluxit, ut æſtimat, tantum ſpatium, quòd homo dixiſſet bis Pater noster, antequam aperiret alterum oculum. Poſt apertionem verò amborum oculorum aperuit os, fluxo tanto tempore ab apertione oculorum uſque ad apertionem oris, quanto homo ſtat communiter in menſa ad comedendum. Aperto autem ore, non fuit locutus nec ploravit; & ipſa teſtis expreſſit à mamilla ſua lac in os dicti Joannis pluries, & paulatim cum dicto lacte aqua egrediebatur per os dicti pueri. Demum pedibus rectis ſurſum, & capite ipſius Joannis pendente deorſum, ipſa teſte ſuſtinente eumdem, exivit aqua in magna quantitate per utroſque meatus de corpore dicti Joannis, repleti dictâ aquâ, quantum in pelle poterat contineri.

F

& materna ubera fugit: deinde miraculum ſolemniter annuntiatur.

19 Aquâ verò egreſſâ de corpore ipſius Joannis, eo ante ſolis occaſum per tantum ſpatium, quòd homo potuiſſet iviſſe per unum miliare, manu annuente, fuit ſibi ab ipſa teſte miniſtrata mamilla, & ſuxit lac ab ipſa mamilla; non tamen fuit locutus dictus Joannes dicta die Martis, quâ fuerat ſubmerſus, nec in die Mercurii ſubſequentis; ſed in die Jovis immediatè ſequenti circa horam nonam cœpit loqui balbutiendo, ſicut priùs loqui geſtiebat: non tamen potuit ire uſque ad diem Sabbati ſubſequentem *i*; adjiciens ipſa teſtis, quòd dicta die

i

Sabbati

A Sabbati ad oſtenſionem dicti miraculi fuit apportatus ad eccleſiam Herefordiæ & poſitus ſuper tumulum memorati domini Thomæ; & tam in dicta eccleſia Herefordiæ, quàm in eccleſia parochiali, de cujus parochia dictus Joannes eſt oriundus, & in aliis eccleſiis & capellis ipſi eccleſiæ parochiali propinquis, quando dictum miraculum publicabatur, fuerunt pulſatæ campanæ, & ad compulſationem campanarum convenit populus locorum, in quibus pulſabantur campanæ prædictæ, laudans & glorificans Deum & dictum S. Thomam, & gratias eis cum devotione agens ratione miraculi ſupradicti.

Non tamen ſubitò reſtitutus fuit priſtino vigori, & ſigna in facie retinuit.

20 Subjunxit etiam ipſa teſtis, quòd Dominicâ immediatè ſequente poſt diem, in qua fuerat ſubmerſus, idem Joannes fuit confirmatus in cimiterio parochialis eccleſiæ de Ledebury ſupradictæ à domino Richardo *k* epiſcopo Herefordienſi. Item requiſita, poſt quantum tempus à die prædictæ ſubmerſionis & reſuſcitationis numerandum idem Joannes fuerat in tali vigore & robore perſonæ ſuæ, quali erat ante ſubmerſionem præmiſſam; reſpondit, quòd tranſiverunt tres ſeptimanæ; & quòd ex tunc

k

B non habuit idem Joannes, nec habet adhuc ita bonum & vivum colorem, ſicut habebat priùs; & adhuc reſtant (ut dixit) aliqua interſignia in oculis & naſo dicti Joannis ratione ſubmerſionis prædictæ, non ex caſu, ſed potiùs (ut credit) ex aqua, quia habet in dictis oculis & naſo carnem in aliqua ſui parte quaſi viridem, croſſeo *l* colore permixto, ut dixit. Exhibito autem dicto Joanne coram præmiſſis dominis commiſſariis & nobis notariis hujus proceſſus, & fratribus Waltero & Joanne infraſcriptis & dictis interſigniis, quæ dicebantur apparere in oculis & naſo dicti Joannis, cum diligentia circumſpectis, viſum fuit dictæ Edithæ teſtimonium in hoc fore conſonum veritati *m*.

l

m

Item alter puer ſubmerſus in fluvio

21 Thomas *n* filius Wilhelmi de Doninghton *o*; ſexdecim annorum adoleſcens, requiſitus, ut narraret, quod ſciebat de ſubmerſione & reſuſcitatione Wilhelmi, filii Joannis de Lorimer; dixit, quòd quadam die Dominica per octo vel per quindecim dies ante inſtans feſtum B. Michaëlis fuerunt duo anni elapſi *p*, ipſe teſtis de mandato Wilhelmi de Doninghton avi ſui circa altam terciam *q* pergens ad colligendum poma ſilveſtria pro facienda ſalſa *r*, tranſivit per quamdam aquam currentem, quæ vocatur Somergeld, & dicta aqua currit prope locum de Doninghton. Tranſiens autem vadum dictæ aquæ diſtantem à domo avi ipſius teſtis, quantum ipſe traheret ſagittam cum uno arcu, vidit quaſdam veſtes rubeas ſubtus aquam ex parte dextra, & cogitavit, quòd aliqua lotrix dictas veſtes dimiſiſſet ibidem. Diligentiùs autem intuens, vidit cum dictis veſtibus caput unius parvuli recenter raſum, & appropinquans ad dictum caput & veſtes, extraxit de dicta aqua ſupradictum Wilhelmum, filium Joannis de Lorimer ſupradicti, ſubmerſum & mortuum. Erat tunc circitèr duorum annorum cum dimidio, ut ſibi videtur. Et apponens eum ſuper aridam prope litus dictæ aquæ, levavit clamorem, qualis ſecundum morem patriæ conſuevit levari, quando inveniuntur ſubmerſi vel caſualiter mortui vel interfecti; & ad dictum clamorem convenerunt ibi omnes teſtes inducti ad probationem hujus miraculi *ſ*.

n o

p

q

r

C

ſ

22 Et videntes dictum Wilhelmum mortuum & membra ipſius Wilhelmi rigida & corpus frigidum, ſicut lapis, & quòd non movebatur, nec trahebat halitum, & tenebat os clauſum, & oculos apertos, & fuerunt valdè dolentes: & Hugo De Atforton teſtis ſuprà juratus menſuravit eum quodam filo (neſcit, à quo habito) videnti ipſo teſte, dictum Wilhelmum mortuum ad S. Thomam de Hereford., & ipſe Hugo & alii aſtantes, flexis genibus, rogaverunt Deum & dictum S. Thomam, quòd daret vitam dicto Wilhelmo, dicentes PATER NOSTER & AVE MARIA meliori modo, quo ſciverunt. Et idem Hugo cum ligno ad hoc aptato aperuit os prædicti Wilhelmi, cujus labia erant retracta & decurtata: & levavit ipſum per pedes ſurſum, capite pendente deorſum, & aqua exivit in quantitate, quam quantitatem neſcivit deſcribere, per os ipſius Wilhelmi. Cùm autem ſtetiſſent cum dicto Wilhelmo mortuo in loco prædicto per tantum tempus, quòd homo potuiſſet iviſſe de paſſu per unum miliare (ut arbitratur) & nullà ſigna vitæ apparerent in dicto Wilhelmo, fuit portatus ad domum prædictam Wilhelmi de Donington, avi ipſius teſtis; & quia ſperabant, quòd reſuſcitaretur meritis dicti S. Thomæ, fecerunt ignem circa corpuſculum dicti Wilhelmi mortui *t*.

Ex PRECES. CAN. extractuſque toto corpore jam rigido & exanimi,

E

t

poſt ſuſas ab aliis S. Thomæ preces

23 Et cùm ſtetiſſet in dicta domo uſque ad horam mediam inter nonam & occaſum ſolis, ut ſibi videtur, tunc inceperunt primò apparere ſigna vitæ in dicto Wilhelmo, & incepit habere palpitationem circa cor; & circa horam veſperam incepit movere oculos & trahere halitum & movere membra, & videbatur quidem deſpicere aſtantes torto viſu, acſi eſſet furioſus, & dictum aſpectum torvum habuit cum ſignis pavoris ſpecialiter de aqua quaſi per octo dies *u*; ſed in craſtinum vidit ipſe teſtis, ut dixit, prædictum Wilhelmum debiliter euntem; & tranſiverunt duo dies ex tunc, antequam loqueretur & iret, ut priùs, & die Mercurii ſequenti, ut ſibi videtur, aportatus [eſt] ratione dicti miraculi ad tumulum dicti domini Thomæ in eccleſia Herefordienſi. Item interrogatus, quâ horâ & qualiter dictus Wilhelmus fuerat ſubmerſus, & ubi & quanta erat profunditas aquæ, reſpondit, de hora ſe nihil ſcire, nec qualiter fuerit ſubmerſus; ſed arbitratur, quòd ceciderit in dictam aquam de quodam ponte ligneo & ſtricto, qui eſt factus ad tranſeundum ultra dictam aquam, quando non poſſunt tranſire per

u

F vadum propter inundationem aquarum, & in lateribus pontis non erant aliqua appodiamenta *x*, in quibus dictus Wilhelmus, per ipſum pontem tranſiens & aquam reſpiciens, timens aut ceſpitans, ſe tenere poſſet, ne caderet in aquam prædictam.

x

ad vitam revocatur.

24 Aqua verò ſubtus dictum pontem habebat tunc in profundo circà quatuor pedes, & pons erat elevatus ſuper ſuperficiem aquæ per quinque pedes vel circa, ut ſibi videtur, verumtamen ipſe teſtis non repperit dictum Wilhelmum ſubmerſum in dicta aqua ſubtus pontem, ſed in loco remoto à ponte per ſeptuaginta pedes vel circà. Interrogatus, quantam profunditatem habebat aqua in loco, in quo invenit dictum Wilhelmum ſubmerſum, reſpondit, quòd non habebat de profunditate ultra unum pedem; & æſtimat, quòd curſus aquæ decurrentis per prædictum locum, in quo jacebat ſubmerſus, duxiſſet prædictum Wilhelmum à ponte uſque ad locum prædictum, & quòd non poſſet ultra ipſum locum ducere ipſum propter

Ex Proces. can.

propter raritatem aquæ prædictæ. Item interrogatus, qualiter jacebat prædictus Wilhelmus in aqua, quando repperit ſubmerſum, dixit, quòd facie verſa ad cælum, & quòd aqua cooperiebat totam faciem, & faciebat aqua rivulum & elevabatur aliquantulùm propter obſtaculum corporis & veſtium dicti Wilhelmi; quia non poterat dicta aqua propter debilitatem ipſius aquæ ultrà pellere corpus dicti Wilhelmi. Item interrogatus, an dictum Wilhelmum reperiſſet ſubmerſum in medio vel in ripa dictæ aquæ, reſpondit, quòd in medio *y*.

y

ANNOTATA.

a *Guilielmus Draek, vel, ut alibi legitur,* Drake, *fuit in proceſſu teſtis* 74, *cujus habemus teſtimonium, in quo reſpondit,* ſe eſſe ſexagenarium vel circà... & quòd eſt liber, & vivit de agricultura & laboricio ſuo. *Ipſa verò Editha uxor ejus in catalogo teſtium ſeptuageſima tertia eſt, diciturque tantùm fuiſſe* 29 annorum circitèr.

B b Ledebury *ſeu* Lidbury, *oppidum eſt comitatûs Herefordienſis, fluvio Leddeno appoſitum, inquit Camdenus in Deſcriptione Britanniæ, qui etiam in tabula ejuſdem comitatûs ad alteram dicti fluvii ripam nondum tertio milliari ab eodem oppido* Marcle parvam *exhibet.*

c *Id eſt, poſt noſtram horam tertiam pomeridianam, uti obſervavi in Miraculo primo, lit.* c.

d *In catalogo teſtium loco ſeptuageſimo ſeptimo recenſetur* Gilbertus le Neve, annorum 30 circitèr.

e *Ibidem mox ſequitur* Galfridus de Smalmedewe, annorum 50. *Divinare nequeo, utro loco nomen hujus teſtis rectiùs ſcriptum ſit.*

f *Inter hæc Guilielmus Draek, pater pueri, ad uxoris ſuæ planctum accurrit; ut legitur in ejuſdem teſtimonio, ex quo ſequentia accipe.* Dixit, quòd die Martis ante feſtum Aſcenſionis Domini fuerunt tres anni elapſi, quòd ipſe teſtis, faciens quoddam foſſatum inter agrum ſuum & viam publicam poſt horam Nonæ, audivit tali hora, ut arbitratur, qualis poteſt eſſe hora media inter Nonam & ſolis occaſum, Editham uxorem ſuam, ſuprà proximè examinatam, plorantem & lamentantem prope domum ſuam; & accurrens invenit prædictum Joannem filium ſuum intra clauſum ſuum (*id eſt, intra ſepta villæ ſuæ*) prope viam publicam jacentem ſuper terram aridam, & mortuum: & dicebatur, quòd fuerat ſubmerſus in quadam aqua, ſtante in propinquo, in qua conſueverant animalia illius loci adaquari. Et dictus filius ſuus non habebat motum nec anhelitum, & erat frigidus, ut dicebant aſtantes; quia ipſe teſtis non poterat eum tangere præ dolore.

C g Bluvetum *ſeu* Bluetum *à Gallico* Bleu *eſt color cæruleus: ſed quid* Pounacium *ſit (ſi tamen hæc vox vitioſa non eſt) hactenus non reperi. Guilielmus pater verbis mox dandis credidit, alterum è duobus equitibus indutum fuiſſe de* Ruſſeto *ab Anglico* Ruſſet, *id eſt fuſci coloris.*

h *Edithæ maritus Guilielmus in adjunctis nonnihil variat, aut certè quædam omittit; nam ſic habet teſtimonium ejus:* Eis autem ſic aſtantibus & lamentantibus, ſupervenerunt duo equites ignoti ſibi (*id eſt, Guilielmo*) unus ſenex, & alter juvenis: non recordatur certitudinaliter, de quali panno induti, ſed arbitratur, quòd ſenex eſſet indutus de ruſſeto; & videbantur laïcales perſonæ: & ſenex, alio equite coadjuvante, menſuravit cum quodam filo prædictum Joannem ad S. Thomam de Herefordia, & rogaverunt Deum & B. Mariam & dictum S. Thomam, quòd redderent vitam dicto Joanni, dicentes Pater noster & Ave Maria, flexis genibus cum devotione, & perſuadentibus aſtantibus, quòd facerent illud idem. Et dicti equites ſteterunt ibi per aliquantulum tempus, antequam apparerent aliqua ſigna vitæ in dicto puero; & antequam revixiſſet (ut ſibi videtur) receſſerunt. D

i *Diſſonat hîc rurſus teſtimonium mariti, qui interrogatus, ex quo tempore filius poſt ſubmerſionem balbutiendo loqui cœpiſſet,* reſpondit, quòd eadem nocte, ut ſibi videtur, antequam collocaretur in lecto. *Rogatus quoque:* Infra quot dies poſt dictam reſuſcitationem fuit idem Joannes reſtitutus in vigore corporali, quem habebat ante ſubmerſionem? Reſpondit, quòd lapſi fuerunt octo dies & ultrà; ivit tamen in craſtinum poſt dictam ſubmerſionem. *Ita ille; ſed magis credendum eſt Edithæ, quàm ipſi, qui, ut notarii proceſſûs obſervârunt, fuit* valdè ſimplex homo. E

k *In Ms. noſtro mendosè legebatur* Rico; *præerat enim tunc Herefordienſi eccleſiæ ſæpe laudatus Richardus Swinfeild,* S. Thomæ *proximus ſucceſſor, & in hoc ipſo proceſſu teſtis ſexageſimus primus.*

l *Id eſt,* croceo.

m *Pro hoc miraculo, quod minùs evidens eſt, quàm præcedens, præter parentes teſtati fuêre* Cæcilia le Neve, quinquagenaria circitèr, *in proceſſu teſtis* 75; Gilbertus le Neve, annorum 30 circitèr, *teſtis* 76; Galfridus de Smalmedewe annorum 55, *teſtis* 77, *qui omnes erant ejuſdem parœciæ;* D. Joannes de Wichio, presbyter & rector capellæ S. Gregorii de Parva Markele, *teſtis* 78; D. Joannes de Almalia, diœceſis Erefordienſis, vicarius perpetuus prædictæ eccleſiæ de Ledebury, *teſtis* 79; D. Willelmus de Murival, presbyter diœceſis Conventrenſis, qui dicebatur gerere curam animarum in dicto loco de Parva Markele tempore, quo dictum miraculum Joannis dicitur contigiſſe, *teſtis* 80.

F n *Sequentia miracula à teſtibus probata fuêre Herefordiæ in capella S. Catharinæ, quò ſe contulerant commiſſarii, ut cœptum proceſſum proſequerentur. Quia verò varii teſtes hîc nominantur, juverit eoſdem è catalogo præmiſiſſe. Hic ita habet:* De probatione miraculi tertii facta Erefordiæ ſuper reſuſcitatione Willelmi, filii Joannis le Lorimer de Donington, parochiæ de Nova Radenora, diœceſis Erefordienſis. Probârunt ſequentes ejuſdem parochiæ teſtes. LXXXI teſtis Thomas, filius Willelmi de Donington, annorum 16 circitèr. LXXXII teſtis Hugo de Atforton, annorum 24. LXXXIII teſtis Philippus de Donington, annorum 30 circitèr. LXXXIV teſtis Joannes Hoke de Donington, annorum 20 circitèr. LXXXV teſtis Thomas le Frenſche, annorum 42 circitèr. LXXXVI teſtis die 2 menſis Octobris D. Rogerius capellanus perpetuus in capella B. M. de Nova Radenore. LXXXVII teſtis Adam Pauy, annorum 30. LXXXVIII teſtis Willelmus Botte, annorum 20 circitèr. LXXXIX Joannes le Lorimer, annorum 35 circitèr. XC teſtis Willelmus filius Willelmi de Donington, annorum 30. XCI teſtis Willelmus de

A de Stones, annorum 30 circitèr. XCII teſtis Alicia, mater prædicti Willelmi reſuſcitati, annorum 28 circitèr.

o *Mox vidimus*, Donington *locum eſſe* parochiæ de Nova Radenora, diœceſis Erefordienſis. *Eſt autem* Nova Radenora, *Anglis* New Radnor *ad diſtinctionem veteris dicta, oppidum Walliæ ad fluvium* Somergil, *in comitatu* Radnor-Shire, *cujus caput eſt, qui comitatui Hereſordienſi ad Occaſum æſtivalem annexus eſt.*

p *Alicia ſubmerſi pueri mater tempus & occaſionem ſubmerſionis indicavit.* Dixit, quòd prima die menſis Octobris fuerunt elapſi duo anni & quatuordecim dies, quòd ipſa Dominicâ invitata ad prandium à Willelmo de Borwore in villa Borwore, diſtante per unum milliare cum dimidio à villa de Donington, in qua eſt domicilium viri ſui, citò poſt ortum ſolis ante mediam primam, quia erat aliquantulùm debilis, arripuit iter ſuum ad eundum ad locum, in quo fuerat invitata. Et cùm eſſet prope quemdam pontem ligneum ad tranſeundum aquam, vocatam Somergeld (*Camdenus* Somergil *appellat*) decurrentem prope dictum locum de Do-
B nington, viſo, quòd dictus Willelmus filius ejus, ætatis tunc circitèr duorum annorum cum dimidio, ſequebatur eam, acceptâ virgâ de quadam arbore, fugavit ipſum uſque ad domum viri ſui, & eum dimiſit intra clauſum domus prædictæ; & vocata Mathilde de Harpton, tunc ancillâ ſuâ, ætatis tunc undecim annorum vel circà, præcepit dictæ ancillæ, quòd cuſtodiret dictum Willelmum. Et pergens ad locum, ad quem fuerat invitata, ſtetit ibi uſque prope horam veſperarum; & in dicto loco fuit ſibi narratum, dictum Willelmum filium ſuum cecidiſſe de ponte prædicto in dictam aquam, & ibi fuiſſe ſubmerſum *&c. Sub tali itaque cuſtode puer ille malè obſervatus matremque ſecutus, in fluvium decidit.*

q Hora tertia *noſtræ nonæ matutinæ reſpondet.*

r *Id eſt* condimenta, *opinor.*

ſ *Vide ſuprà num.* 4, *dictaque hîc ad lit.* p.

t *Juverit hæc omnia ex teſtimonio jurato ipſiuſmet Hugonis de Atforton, qui magnam in illis partem habuit, confirmâſſe. Poſtquam dictum erat, Hugonem ad clamorem Thomæ accurriſſe, puerumque ab eodem jam ex aqua extractum reperiſſe, ſubditur ibidem:* Et levans ipſe teſtis
C (*Hugo*) ipſum Wilhelmum mortuum, & nullum in ſe ſignum vitæ tunc habentem, de prædicta arena, portavit ipſum ad quamdam plateam ſeu aream, ſitam in dicto loco de Donington, & poſuit ipſum ſuper herbam viridem in dicta platea. Et ad clamorem ipſius teſtis & prædicti Thomæ ſupervenerunt omnes teſtes ſuprà producti... & plures alii, mares & mulieres ejuſdem parochiæ. Cùm autem omnes prædicti & alii, qui videbant dictum Wilhelmum ſubmerſum, reputarent, ipſum eſſe verè mortuum, quia nullum ſignum vitæ apparebat in eo, & habebat corpus frigidum, membra adeò rigida, quòd non poterant plicari, & violenter dentes ad invicem conſtrictos, labia retracta, oculos apertos, & pupillam oculorum ex quadam tela opertam, ita quòd non poterat videri ipſa pupilla, & nulla ſpes adeſſet eis, quòd ipſe Wilhelmus naturaliter reſurgere poſſet, ipſe teſtis dixit aſtantibus, quòd Deus operabatur multa miracula pro S. Thoma de Herefordia, & quòd menſurarent ipſum Wilhelmum ad dictum Sanctum, & quòd rogarent eum, ut rogaret Deum, quòd mitteret prædicto Wilhelmo mortuo vitam. Et ipſe teſtis cum filo, (neſcit, à quo habito) menſuravit dictum Wilhelmum ad prædictum S. Thomam; & ipſe & omnes aſtantes, flexis & nudis genibus ſuper terram, multi ex aſtantibus cum lachrymis, rogaverunt cum devotione dictum S. Thomam, quòd mitteretur vita dicto Wilhelmo. Et poſt dictam menſurationem ipſe teſtis cum manibus aperto violenter ore dicti Wilhelmi, & ligno inter dentes ipſius, videlicet, ne os denuò clauderetur, appoſito, levavit dictum Wilhelmum per pedes ſurſum, capite pendente aliquantulùm deorſum; & per os ejuſdem videlicet illico exivit aqua ad quantitatem mediæ lagenæ, ut ſibi videtur. Poſtmodùm exuentes dictum Wilhelmum, introduxerunt in domum Wilhelmi de Donington, avi Thomæ, teſtis proximè examinati; & facto igne, calefecerunt corpus totum ipſius Wilhelmi: & quando erat calefactum ex una parte virtute ignis, & calefaciebant ipſum ex alia, pars corporis primò calefacta demum efficiebatur frigida, ſicut priùs. Et ita ſteterunt circa dictum puerum ab hora Tertia, quâ levaverat ipſe teſtis dictum Wilhelmum de E
arena prope ripam aquæ, uſque ad horam Nonæ, priuſquam apparerent aliqua ſigna vitæ in eo.

u *Idem Hugo de hiſce ſic teſtatus eſt.* Poſt horam verò Nonæ per tantum ſpatium, quòd homo potuiſſet de paſſu iviſſe per tria milliaria vel circà, ipſe teſtis applicuit os ſuum & genas ſuas ad os dicti Wilhelmi, & poſuit digitum intra os dicti Wilhelmi pluries, & finaliter ſtrinxit cum dentibus dictum digitum, & ſenſit halitum; & apponens manum ad ventrem circa cor ipſius Wilhelmi, ſenſit ipſum cor palpitare, ſicut palpitat cor hominis attrahentis halitum; & ex tunc omnes aſtantes, videntes prædicta ſigna vitæ in dicto Wilhelmo, laudaverunt & glorificaverunt Deum & dictum S. Thomam; gratias agentes eiſdem. *Hæc ille die* 28 *menſis Septembris teſtificatus eſt: poſtridie verò aſſerta ſua latiùs exponere juſſus*, dixit, quòd poſt dictam palpitationem cordis dictus Wilhelmus movit oculos, & tela, quæ cooperiebat pupillam oculorum, diſparuit; & torvo oculo inſpiciebat aſtantes, & parùm ante dictam motionem oculorum emittebat parvos vagitus; poſt dictam verò motionem & circumſpectionem idem Wil-
E helmus emiſit magnum rugitum, & cum dicto rugitu clauſit oculos; & tunc aſtantes dixerunt, ipſum eſſe mortuum. Sed ipſe teſtis ſentiens adhuc palpitationem cordis & halitum ipſius Wilhelmi, quem tenebat in gremio ſuo, dicebat, quòd non erat mortuus: & ſic quievit & ſtetit * in gremio teſtis dictus Wilhelmus, ut * *i. e.* jacuit dixit, quaſi ſoporatus per tantum ſpatium, quòd ipſe teſtis iviſſet de paſſu per unum milliare; & à prima palpitatione cordis & attractione halitûs, primò ſentitis per ipſum teſtem, uſque ad motum dictorum oculorum fluxit tantum tempus (ut reſpondit interrogatus) quòd ipſe potuiſſet iviſſe per duo milliaria. Item dixit, quòd, cùm dictus Wilhelmus ſtetiſſet quaſi ſoporatus poſt clauſuram oculorum gremio ſuo per ſpatium ſupradictum unius milliaris, aperuit oculos, & aſpexit aſtantes; & habuit aſpectum placidum, & fuit ita bene coloratus, quòd ipſe teſtis non viderat eum (ut dixit) ita bene coloratum ante dictam ſubmerſionem, nec vidit pòſt. Et ipſe teſtis, videns ipſum Wilhelmum

Ex Proces. can:

Ex Proces. can. vivere, petiit ab eo, ſi volebat aliquid habere; & ille reſpondit, quòd ſic, panem & caſeum. Et dederunt ſibi, & comedit: & interim fecerunt ſibi toſtam, id eſt, panem roſtitum (*ſeu toſtum*) ad ignem, & poſuerunt in cerviſia, ut eam calefaceret, & dictum panem cum dicta cerviſia adminiſtraverunt ei. Et cùm comediſſet & bibiſſet, recognovit aſtantes, & reſpondit eis; & exinde fuit poſitus ad quieſcendum. Et ipſe teſtis rediit ad domum ſuam, & non vidit eum exinde de pluribus diebus.... Sed adhuc dictus Wilhelmus vivit.

x Appodiamenta *ab Italico* appogio *Latinè* fulcro. *Teſte Hugone mox laudato*, prædictus pons erat ligneus & fuerat fractus, & inter fracturas ipſius pontis fuerat appoſita una trabs latitudinis unius pedis cum dimidio; & ſubtus dictam trabem currebat aqua, habens in profunditate circa quatuor pedes, & à ſuperficie ipſius aquæ uſque ad dictam trabem erant quaſi quatuor alii pedes. Et hoc reſpondit, ſe ſcire, quia frequenter fuit piſcatus (ut dixit) in loco prædicto, arbitrans, prædictum Wilhelmum cecidiſſe de dicta trabe in aquam *&c.*

B y *Porrò Wilhelmi mater Alicia à commiſſariis* requiſita: Infra quod tempus dictus Willelmus fuit poſt reſuſcitationem incolumitati priſtinæ reſtitutus? Reſpondit, quòd infra menſem pòſt non fuerat reſtitutus priſtinæ incolumitati; nec adhuc habere priſtinum colorem & quòd adhuc eſt pavidus, quando videt pontes & aquam. *Vel ad hoc vel ad præcedens miraculum referenda ſunt hæc bullæ canonizationis verba:* Infans item biennis quidam in aqua quadam ſubmerſus & mortuus, extractus inde, poſt factum pro ipſo votum miraculosè extitit ſuſcitatus.

MIRACULUM IV.

Item alter puer, in fluvio ſubmerſus, ad vitam revocatus.

Puer novennis,

a C Nicolaus filius Joannis Piſcatoris *a* decem & ſeptem annos natus, productus à magiſtro Henrico procuratore capituli Herefordienſis, requiſitus, ut narraret illud, quod ſciebat de miraculo, quod dicitur in ejus perſona contigiſſe; dixit, quòd quadam die Sabbati, ſunt octo anni vel circitèr elapſi, at neſcit, quo menſe, ut ſibi videtur, eo tempore, quo gentes communiter peregrinantur ad S. Milburgam in prioratu de Wenlok *b*, neſcit, de qua dioceſi, & eo tempore, quo ſolent homines torrere ſpicas bladi in campis, & comedere granum manibus confricatum, ipſe teſtis duxit quamdam vaccam patris ſui rufam, albam in capite, deputatam cuſtodiæ ipſius teſtis, ad quamdam paſturam prope domum patris ſui circa campum domini ejuſdem villæ, qui campus vocatur Crofta Domini *c*; & cùm dicta vacca non eſſet ad plenum domita, & diſcurreret pluſquam ipſe teſtis vellet, & intraret blada *d* dicti domini, idem teſtis volens compedicare *e* dictam vaccam cum circulis faciendis ex virgulis viridibus, acceſſit ad quemdam locum, qui vocatur Skedemeres Croft *, prope dictum campum domini ex una parte, & ex alia prope ripam fluminis vocati Weye, currentis in loco prædicto.

b

c

d

e

* *al.* Skedemſtrot

26 Et quia virgulæ quædam, de quibus voluit dictos circulos facere ad dictam vaccam compedicandam, erant per patrem ipſius teſtis poſitæ in batello ſeu navicula, cum qua pater piſcabatur, quæ navicula erat in flumine ſupradicto prope ripam cum catena ferrea colligata, volens de ripa intrare dictam naviculam, cùm dicta ripa eſſet lubrica, colliſit, & collapſis ejus pedibus, cecidit in aquam inter naviculam & ripam, & ſenſit ſe eſſe diu in aqua ſubtus dictam naviculam, & quòd poſtea aqua portabat eum, ſed neſcit, quid ex tunc actum fuerit de eo; ſed eâ horâ, quâ gallinæ aſcendunt perticam ad quieſcendum de nocte, ipſe invenit ſe in domo & in lecto patris ſui, & fuit evigilatus. Item interrogatus, quâ horâ cecideratin dictam aquam, reſpondit, quòd jentaverat, id eſt, comederat in manè, & quòd cecidit in dictam aquam circa mediam primam. *ſolus naviculam ingredi volens,*

27 Item interrogatus, ſi recordatur, quòd in dicta aqua poſt præmiſſum caſum biberit, dixit, quòd ſic, ultra menſuram & velle ſuum; & fuit ſibi relatum, quòd biberat ultra unam lagenam aquæ. Item interrogatus, ſi recordatur, ſe aliquid vidiſſe in aqua prædicta, reſpondit, quòd non vacavit ſibi tunc aliquid videre. Item requiſitus, ſi cogitavit de Deo & de dicto S. Thoma aut de aliis Sanctis, dum erat in dicta aqua, & ſi rogavit, quòd liberarent eum à periculo, reſpondit, quòd cogitavit de Deo, & volebat eum rogare, quòd daret ſibi gratiam, ut applicaret ad terram; & cùm aperiebat os, aqua ſubintrabat; non tamen recordatur, quia erat tunc juvenis, quòd haberet tunc, vel priùs habuiſſet in memoria dictum S. Thomam, vel aliquem alium Sanctum. Item interrogatus, ſi recordatur, ſe vidiſſe aliquos homines, vel aliquas res ab eo tempore, quo ſenſit, ſe eſſe ſubtus naviculam, & quòd aqua ducebat eum, uſque ad illud tempus, quo ſenſit, ſe evigilatum in lecto & domo patris ſui; reſpondit, quòd non. *in flavium lapſus, poſtea reſuſcitatur;* E

28 Item interrogatus, ſi eſſet devotus ad dictum S. Thomam, reſpondit, quòd ſic; quia dicitur ſibi, quòd menſuratus fuerit ad dictum S. Thomam, & ejus meritis reſuſcitatus: & ideo dicit decies Pater noster & decies Ave Maria, quando ſurgit de lecto, & poſtmodùm pluries, quando vacat ſibi. Item cùm dictus Nicolaus videretur aliqualiter languidus, fuit requiſitus, ſi poſt dictam ſubmerſionem fuerat bene ſanus, ut priùs; reſpondit, quòd non, quia priùs non ſenſerat ponderoſitatem in corpore, ſed ex tunc fuit frequenter ponderoſus & aggravatus in corpore circa cor; ita quòd interdum vix poterat ire de una vel duabus diebus. Et quia ſimplex erat multùm dictus Nicolaus, non fuit ſuper pluribus à dictis dominis commiſſariis interrogatus: & depoſuit in Anglico, quia neſciebat loqui litteraliter, nec Gallicum, ſicut dixit. Actum &c. *quod ipſe ſeſtatus eſt.* F

29 Poſt hæc Joannes Piſcator, pater *f* prædicti Nicolai, ab eodem procuratore productus & requiſitus, ut narraret, ſi quid ſciebat de miraculo, quod in perſona prædicti Nicolai, ejus filii, dicitur contigiſſe; dixit, quòd in Vigilia Pentecoſtes fuerunt elapſi ſeptem anni *g*, ipſe teſtis circa ortum ſolis, ut arbitratur, fecit duci per dictum Nicolaum, filium ſuum, quamdam vaccam ſuam rufam, habentem ſtellam albam in capite, ad quoddam paſturale prope Croftam *h* ſive campum domini villæ de Huecapel, qui *Nimirum juſſus à patre virgam è ſcapha quærere,*

f

g

h

A qui campus eſt modico ſpatio intermedio contiguus fluminí vocato Weye, & dictus filius rediit cum dicta vacca ad domum ipſius teſtis
i poſt horam Tertiæ *i*, & comedit panem & lac, & circa horam mediam inter tertiam & meridiem dictus teſtis præcepit dicto filio ſuo, quòd iret ad quærendum quamdam virgam in navicula ipſius teſtis, quæ erat in flumine ſupradicto; & ivit, & ipſe teſtis remanſit in domo ſua, æſtimans, dictum Nicolaum ludere cum coætaneis ſuis.

in fluvium incidit: pater ab alio puero monitus

30 Poſtmodùm circa mediam horam, ut arbitratur, inter Nonam *k* & veſperas, veniens ad domum ipſius teſtis quidam parvulus quatuor annorum vel circà, filius cujuſdam pauperculæ mulieris, mendicantis in dicta villa de Huecapel (de quorum parvuli & pauperculæ mulieris nominibus reſpondit ſe non recordari, nec ſcire, ubi modò ſunt) dixit ipſi teſti, quòd prædictus Nicolaus ejus filius fuerat ſubmerſus in dicto flumine de Weye; & continuò currens ipſe teſtis ad dictum flumen, in quo flumine juxta ripam erat navicula ſua, cum qua piſcabatur, ligata prope campum Joannis Skydemore *l*, & in qua quidem navicula idem teſtis reliquerat dictam virgam viridem, de qua virga volebat ipſe teſtis facere circulos ad compedicandum dictam vaccam, ne diſcurreret per
k
B
l
* *al.* & blada; ideo * præceperat prædicto filio ſuo, quando receſſit de domo ſua, quòd apportaret ſibi prædictam virgam; vidit prope dictam navem in ripa veſtigia hominis, qui propter lubricitatem dictæ ripæ videbatur cecidiſſe in aquam fluminis inter ripam & navem: & ſtatim cogitavit, dictum filium ſuum de prædicto loco cecidiſſe & lapſum fuiſſe in aquam prædictam.

eò accurrens, inventum præferratâ aduncâ perticâ extrahit,

31 Et pergens per ripam, circumſpexit, ſi videret prædictum filium ſuum intus aquam; & dum circuiret, vidit prope locum, in quo primò fuerat ligata navicula ſua, ad quadraginta pedes vel circà in quodam ſinu aquæ profundæ per decem & octo pedes, vel circà, quamdam albedinem. Et quia dictus filius ſuus erat, ut pauper, indutus & circumvolutus quodam linteamine albo, arbitrans ipſum eſſe, appoſito croco *m* ferreo & perticâ, elevavit & traxit ſurſum à fundo aquæ cum dictis croco &
m
C pertica (quæ pertica habebat decem & octo pedes in longum, & vix poterat attingere ad ipſum ſubmerſum) dictum filium ſuum ad ripam, & invenit, ipſum eſſe mortuum. Et cùm Lucia uxor ipſius teſtis, mater dicti Nicolai, cum Chriſtina filia Henrici, teſtis ſuprà producta & nondum examinata, ſuperveniens, viſo dicto filio ſuo ſic ſubmerſo & mortuo, & ipſe teſtis poſtea dolorem ferre nequeuntes, commotis viſceribus, collapſi fuiſſent ad terram quaſi exanimes, & demum perfuſi aquâ in facie ad ſeipſos rediiſſent, dictâ Chriſtinâ, quæ traxerat dictum Nicolaum remotiùs aliquantulùm ab aqua prædicta, perfundente & aſpergente dictam aquam in facies eorumdem; mater dicti pueri menſuravit ipſum mortuum cum quodam filo ad S. Thomam de Herefordia.

& S. Thomæ commendatum domum defert;

32 Et rogavit dicta mater Deum & dictum S. Thomam, quòd poſſet habere dictum filium ſuum vivum, cum magna lachrymarum profuſione; & ipſe teſtis & dicta Chriſtina & Felicia Morker, teſtes ſuprà productæ, rogaverunt etiam, flexis genibus & cum lachrymis idem. Cùm autem fuiſſet menſuratus, continuò aperuit os ſuum dictus Nicolaus, quod quidem os ipſe teſtis priùs non potuerat aperuiſſe, cultello etiam appoſito, niſi fregiſſet dentes ipſius Nicolai. Attraxit etiam ipſe Nicolaus immediatè poſt dictam oris apertionem brachia ſua ad ſe, quæ priùs habebat protenſa & adeò rigida, quòd dictus teſtis nullo modo potuerat dicta brachia plicâſſe ante ipſam menſurationem, nî ipſa brachia confregiſſet. Poſtmodùm ipſo teſte ſublevante per pedes dictum filium ſuum, & prædictis Lucia matre & Chriſtina moventibus & confricantibus ventrem ipſius Nicolai, exivit aqua per os ipſius Nicolai ad quantitatem duarum lagenarum, & poſt aquam exivit lac, quod prædictus Nicolaus biberat ante dictam ſubmerſionem *n*. Et poſt præmiſſa fuit portatus dictus Nicolaus per ipſum teſtem & dictam Chriſtinam in brachia ad domum ejuſdem teſtis, & in lecto ipſius teſtis collocatus.

Ex Proces. can

n

ubi, cum mortuus crederetur, ipſemet Sanctam inclamavit,

33 Et cùm ſtetiſſet in dicto lecto per tantum tempus, quòd homo potuiſſet iviſſe de paſſu per quinque miliaria, & nulla alia ſigna vitæ apparuiſſent in dicto Nicolao, niſi apertio oris & attractio brachiorum prædictæ; & ipſe teſtis reputaret adhuc dictum filium ſuum mortuum, qui habebat corpus totum frigidum & rigidum & ſubpallidum, ſeu lividum ad modum plumbi, & teneret oculos apertos & quadam tela velatos, cogitans ipſe teſtis de ſepultura prædicti filii ſui, & quòd ipſum corpus ad ſepulturam pararetur, appoſitis duobus digitis ad palpebras oculorum ipſius Nicolai, voluit & tentavit claudere dictos oculos; & cùm teneret cum digitis palpebras oculorum ipſius filii ſui
E
clauſos, clamavit ipſe filius, dicens: Domina *, adjuva, sancte Thoma, adjuva *o*, repetendo bis vel ter prædicta verba. Et tunc teſtis amovit digitos ab oculis ipſius Nicolai: & dictus Nicolaus movit òculos & circumſpexit aſtantes. Et prædictus teſtis, applicata & elevata manu propria prope faciem dicti filii ſui, petiit, ſi videbat; & ille reſpondit, quòd ſic, manum ipſius tenens. Tunc ipſe teſtis movit digitos ſuos, petens à dicto filio ſuo, ſi videbat, quid ipſe pater faciebat; & reſponſo per ipſum filium, quòd dictus pater movebat digitos ſuos, ipſe teſtis & ejus uxor, qui tunc ſoli erant cum præfato eorum filio, laudaverunt & glorificaverunt Deum & dictum S. Thomam, gratias
F
agentes & immediatè miraculum convicinis eorum publicantes.

* *al.* Dulcis domina

o

& comedit, ac triduo poſt ad ejuſdem Sancti tumulum pedes profectus eſt.

34 Qui convicini videntes, dictum Nicolaum vivere, laudaverunt ſimiliter & glorificaverunt Deum & dictum S. Thomam, & gratias egerunt eis. Item dixit, quòd poſt præmiſſa dictus Nicolaus, cùm ter rejeciſſet lac calidum, per matrem cum cocleari ligneo in os ejus effuſum, quartò dicto lacte infuſo in ore ejus, retinuit ipſum lac, & quievit & dormivit uſque ad ſecundum galli cantum, & ex tunc excitatus dixit, quòd eſuriebat. Et ipſe teſtis præparata lacticinia cum ſimilagine miniſtravit eidem, & comedit & iterum obdormivit uſque ad diem; & tunc excitatus induit ſe dictus Nicolaus, ſedens in lecto, & dixit ipſi teſti patri ſuo; Pater, nimis differimus ire ad S. Thomam. Et die Martis proximè ſubſequenti ipſe Nicolaus propriis pedibus cum patre & matre ipſius & aliis vicinis venit ad tumulum dicti domini Thomæ in eccleſia Herefordienſi; & receſſerunt de villa eorum, diſtante ab Herefordia per ſex miliaria, ante ortum ſolis, & applicuerunt ante horam

Ex Proces. can.

ram tertiæ. Et inquisito de dicto miraculo per canonicos Herefordienses, fuerunt pulsatæ campanæ, populus congregatus, processio facta, miraculum populo publicatum, & prædictus Nicolaus populo monstratus & exhibitus, & cantatum, nescit quid. Et omnes, qui convenerunt ad publicationem dicti miraculi laudaverunt & glorificaverunt Deum & dictum S. Thomam.

Submersi pater aliquot rerum adjuncta

35 Item requisitus, quâ horâ diei dictus Nicolaus movit oculos & fuit locutus post extractionem de aqua, ut suprà depositum; respondit, quòd circa horam mediam inter Nonam & solis occasum. Item requisitus, quot annorum erat dictus filius suus tempore prædictæ submersionis, respondit, quòd novem annorum vel circà. Item requisitus, per quantum tempus dictus filius suus steterat in dicto flumine submersus, & qualiter fuerat submersus; respondit, se nescire certitudinaliter; sed ex conjecturis probabilibus existimat, quòd in aquam ceciderit ante meridiem quasi horâ mediâ inter tertiam & meridiem. Requisitus, quæ sunt prædictæ conjecturæ, dixit, quòd circa dictam horam mediam inter tertiam & meridiem dictus filius suus exivit domum suam de mandato ejus ad quærendum virgam prædictam, quæ erat in navicula supradicta; & Margarita Fraunceps villæ de Eneston, quæ erat ex altera parte fluminis, vidit dictum Nicolaum venientem ad dictam naviculam, cùm recessisset de domo ipsius testis, & vidit ipsum tunc labi & cadere in flumen prædictum; sicut narravit prædicto testi.

à commissariis jussus exponit.

36 Item requisitus, quare dicta Margarita Fraunceps non subvenit dicto Nicolao, vel non revelavit hoc aliis; respondit, quòd dicta aqua erat ita profunda & ita lata, quòd nullo modo dicta Margarita ex alia parte aquæ potuisset venisse sine navi ad aliam partem aquæ, in qua ceciderat dictus Nicolaus; nec de propè ad duo miliaria erat aliqua navis, cum qua posset dicta aqua transiri, nisi navis ipsius testis, quæ erat cum catena ligata ex parte ripæ, in qua fuit demersus dictus Nicolaus: nec aliquis pons erat ibi propinquus, nisi ad sex miliaria. Præfata autem Margarita dixit ipsi testi, quòd ipsa clamaverat pluries, & non fuerat audita. Requisitus, qua die narravit sibi prædicta dicta Margarita; dixit, quòd in crastinum, cùm ipse testis piscaretur in aqua prædicta, & quòd dicta Margarita fuit desponsata cuidam & transducta, nescit ubi. Item requisitus, si dictus filius suus fuit de pleno restitutus incolumitati pristinæ post dictam resuscitationem, dixit, quòd per annum unum stetit, priusquam restitueretur pristinæ sanitati, & tunc etiam fuit frequenter gravatus circa cor dolore *p*.

B

C

p

ANNOTATA.

a Piscatoris *vocabulum videtur Joannis patri non proprium fuisse, sed conditionis illius, aut certè ab hac eidem datum. Habitabat autem ille in parœcia de Huecapel, diœcesis Herefordiensis. Testes, qui hoc miraculum attestati sunt, in catalogo meo enumerantur, ut subdo.* XCIII testis, Nicolaus filius Joannis Piscatoris, annorum 17 circitèr, de se ipso. XCIV testis Joannes Piscator, pater dicti Nicolai, sexagenarius circitèr. XCV testis Lucia, uxor dicti Joannis Piscatoris, quadragenaria circitèr. XCVI testis Christina, filia Henrici de Huecapel, annorum 40 & amplius. XCVII testis Felicia Morker, annorum 20. XCVIII testis, D. Walterus de Caple, presbyter, rector ecclesiæ de Huecapel prædictæ.

D

b *Hæc regia virgo S. Milburga colitur Romanoque Martyrologio inscripta est die 23 Februarii, ad quam ejus gesta illustrata apud nos sunt. Colitur item die 26 Maii, quo sacrum illius corpus inventum fuit. Quod ad locum attinet, Wenlochium, Anglis* Wenlocke, *oppidum est comitatûs Salopiæ, vernaculè* Shropp-shire, *de quo Camdenus in descriptione ejusdem comitatus sic breviter meminit:* Wenlocke, nunc calce; sub Richardo secundo æris fodinâ notum. Sed multò notius Saxonico seculo antiquissima sanctimonialium habitatione, ubi Milburga sanctissima virgo vitam egit, & tumulum accepit; quod restauravit & monachis implevit comes Rogerus de Montegomerico. *Plura de eodem loco vide apud Henschenium nostrum loco citato, ubi etiam invenies, diœcesis Herefordiensis fuisse, & post exstinctas ibidem sanctimoniales, à Cluniacensibus inhabitatum. De tempore, quo miraculum hoc contigit, in testimonio patris redibit sermo.*

E

c *Nicolai pater infrà num.* 29 *habet:* Ad quoddam pasturale (*id est pratum*) prope Croftam, sive campum domini villæ de Huecapel. *Apud Spelmannum in Glossario* Croftum, Croftus, Cruftum, *Anglicè* Croft, *dicitur esse* prædiolum pone habitaculum rusticum, à latioribus campis ideo distinctum, ut animalia rustica subitis usibus exhibeat.

d Bladum *quibusdam* bladium, *inquit idem Spelmannus, hanc vocem à Saxonica* Blada *deducens*, nostro foro de segete tantùm intelligitur, præsertim etiam in herba.

e *Id est, pedes vinculis seu compedibus impedire, quo minùs liberè incederet.*

f *Ex hujus testimonio clariora fient, quæ filius obscurè narravit, multaque dicemus, quæ iste non poterat, nisi ex aliorum narratione, scivisse.*

g *Contigit ergò hoc miraculum anno Christi* 1300, *quo Vigilia Pentecostes incidit in diem* 28 *Maii; quod rectè congruit cum testimonio Nicolai, suprà num.* 25 *asserentis, ista sibi accidisse* eo tempore, quo gentes communiter peregrinantur ad S. Milburgam in prioratu de Wenlok; *nimirum ratione festi inventionis ejusdem sanctæ virginis, quod die* 26 *Maii ibidem celebrari solitum dixi.*

F

h *Adi Annotata hîc ad lit.* c.

i *Id est, post nonam matutinam.*

k *Nona nostrati horæ tertiæ pomeridianæ respondet, uti jam aliàs monui.*

l *Suprà num.* 25 *paulò aliter scribitur.*

m Crocus, *seu* Croccus, *à Gallico* Croc, *Latinè est uncus.*

n *Papebrochius hîc ex testimonio matris (ut apparet) quod non habemus, in margine annotavit, post lac etiam sanguinem ex ore manâsse, visumque eidem matri, manu sua exploranti, aliquem in eo halitum fuisse, sed eam nullum in oculis reliquisve corporis membris deprehendisse.*

o *Rursum Papebrochius in margine adjecit:* Eadem mater requisita, de qua domina intelligebat Nicolaus, dicendo: Dulcis domina, adjuva mè? respondit, quòd de Domina cæli; & quòd erat talis modus & communis in patria per talia verba invocare auxilium B. Mariæ. Item requisita, si dictus Nicolaus fuerat ductus ad tumulum D. Thomæ ante submersionem;

A nem; & ſi conſueverat eum nominare; reſpondit, quòd non venerat ad tumulum, ſed frequenter eum nominaverat, & nominaverat, quia juratur communiter per dictum S. Thomam.

p Mater de eodem interrogata (*ita denuò Papebrochius hîc*) reſpondit, quòd per menſem non fuit ita fortis, ſicut priùs; & quòd jam triennio elapſo laboraverat febre acuta per ſeptem dies. *Fortè vel hîc* menſis *pro* anno, *vel in teſtimonio patris* annus *pro* menſe *ex errore poſitus. Alter morbus, ſive febris illa acuta ad rem non pertinet. Hujus miraculi memoria exſtat in Bulla canonizationis hoc modo:* Puer quidam annorum novem ſubmerſus in quodam flumine, poſtquam extractum de aqua Sancto huic aliqui devoverant, reſtitutus eſt vitæ pariter & ſaluti.

MIRACULA V, VI ET VII.

Infans, contrito à rota capite,
B *mortuus, vitâ donatus: duæ mulieres contractæ, ad Sancti tumulum membrorum uſum conſecutæ.*

Infanti dormienti rota plauſtri onuſti caput contrit,

Robertus Ruſſel productus à procuratore, & requiſitus, ut narraret, ſi quid ſciebat de miraculo ſupradicto *a*; dixit, quòd quartâ feriâ in hebdomada Paſchali proximè elapſa fuerunt tres anni elapſi *b*, quòd ipſe teſtis, cujus domus fuerant priùs combuſtæ pro majori parte, extrahebat terram de area dictarum domorum, quas habet in villa de Elleffeld *c*, cum quodam plauſtro, quod quidem plauſtrum onuſtum terrâ prædictâ trahebatur à quatuor bobus ſuis, & ipſe idem minabat plauſtrum cum Lætitia uxore ſua. Contigit autem citò ante horam Primæ, dum dictum plauſtrum ſic onuſtum tranſiret per aream, in qua fuerat priùs aula ipſius teſtis, quæ tunc fuerat combuſta, quòd præfatus Galfridus ejus filius dormiebat in area ſupradicta ſuper terram duram & planam ac ſolidam; &
C dum dictum plauſtrum eſſet prope dictum Galfridum, ita quòd jam erat in aſcenſu ſuper caput ipſius Galfridi, dicta Lætitia exiſtens ex alia parte plauſtri, viſo prædicto filio ſuo, & quòd rota plauſtri ſic appropinquaverat ad caput ipſius Galfridi, & ſic directè habebat tranſire ſuper ipſum caput, quòd ſecundum viam naturæ neceſſe erat, ipſum Galfridum mori ex oppreſſione dicti plauſtri; exclamavit, dicens prædicto teſti: Filius noſter mortuus eſt!

a
b
c

ſpectantibus parentibus, qui cùm pro ejuſdem vita

38 Et ipſe teſtis inclinans ſe & reſpiciens ad rotam ipſius plauſtri, quæ erat ex parte dextera & remotior ab eo, vidit dictam rotam rectè tranſeuntem & deſcendentem ſuper caput dicti Galfridi, dormientis tunc, & tenentis unam aurem & tempora ſuper terram; & dicta rota tranſivit ſuper aliam aurem & tempora, & deſcendit per oculos. Cùm autem dictum plauſtrum pertranſiſſet, quia dictus teſtis non habebat tempus nec retentaculum, cum quo retraheret boves vel plauſtrum; nec quòd poſſet ſubtrahere ante rotæ tranſitum puerum, levantes ipſe teſtis & dicta Lætitia ſupradictum eorum filium de dicto loco, invenerunt ipſum mortuum, & nullum in ſe habentem motum nec flatum. Dubitantes autem, eis poſſe periculum & diſpendium provenire à curia regia; quia fuiſſent ipſe Robertus & Lætitia incarcerati, & boves & plauſtrum & alia bona eorum confiſcata, ſi fuiſſet caſus tunc publicatus; voluerunt celare caſum prædictum, & celaverunt, prout potuerunt, & nemini dixerunt; dictum eorum filium mortuum ponentes & recondentes in lecto eorum exiſtente, in angulo dextero cujuſdam domus eorum, quæ remanſerat incombuſta. Ex PROCES. CAN.

reliquo die ac nocte S. Thomam oráſſent,

39 Et manſit in dicto lecto uſque ad horam mediam inter nonam & veſperam, & frequenter ipſe teſtis & dicta Lætitia, ex quo collocaverant eum in prædicto lecto, palpantes ipſum & manus apponentes circa cor & circa os & nares, nullum motum nec halitum ſenſerunt in eo; & corpus fuit effectum frigidum & rigidum, & nullum in ſe ſignum vitæ habebat. Dictâ autem horâ mediâ inter nonam & veſperam ipſe teſtis reducens ad memoriam, quòd Deus operabatur multa miracula pro dicto S. Thoma, menſuravit cum dicta Lætitia uxore ſua præfatum eorum filium ad dictum S. Thomam; & ambo, flexis genibus, cum lachrymis & devotione rogaverunt Deum, ut pro amore dicti S. Thomæ mitteret vitam in prædictum eorum filium mortuum, dicentes PATER NOSTER & AVE MARIA pluries. Et poſt prædictam menſurationem ſteterunt circa dictum eorum filium uſque ad crepuſculum *d*, nulla ſigna vitæ etiam tunc videntes vel ſentientes in eo.
E

d

idem infans in aurora planè revixit.

40 Cùm autem & adhuc ſtarent circa dictum puerum, in oratione & devotione perſeverantes & ſperantes de auxilio Dei & dicti S. Thomæ, in aurora ſubſequenti audierunt quamdam vocem puerilem, quam emiſit aſperè & altè dictus filius eorumdem, quæ quidem vox non habebat certam ſignificationem, niſi doloris vel horroris, quia dictus filius neſciebat fari, cùm tunc non eſſet, niſi ætatis unius anni cum dimidio vel circà. Et circumſpicientes ipſum cum lumine, viderunt, quòd aperuit & movit oculos: & cùm dicta Lætitia accepiſſet eum in gremio ſuo, & miſiſſet mamillam in os ejus, ſuxit lac; & exinde mater fovit eum uſque ad tertium diem. Et tertia die riſit, & ivit, ſicut priùs. Oculi tamen videbantur lividi & inflati,
F & livor apparebat per totam illam partem capitis, ſuper quam tranſiverat dicta rota, & dictus livor duravit per hebdomadam vel circà, & ex tunc receſſit dictus livor pro majori parte; remanſit tamen aliquid de livore & inflatura in ſuperiori parte ſuperciliorum ipſius Galfridi uſque ad feſtum nativitatis * B. Joannis Baptiſtæ, tunc proximè ſubſecutum *e*.

* *al.* natalis

e

Exponitur, quàm graviter contritum fuerit ejuſdem caput.

41 Requiſitus, ſi ex dicta concuſſione rotæ plauſtri emanaverit ſanguis per os, aures, nares, oculos, vel per aliquam partem capitis ipſius Galfridi, & ſi pellis & oſſa dicti capitis fuerunt confracta; reſpondit, quòd non exivit ſanguis, niſi de aure ipſius Galfridi, quam tenebat verſus terram, quando fuit oppreſſus à rota prædicta; & dictus ſanguis non fluxit à cerebro, nec à parte interiori capitis, ſed ab extremitate auris; quia ſubtus aurem dicti Galfridi invenerunt unum lapillum ita groſſum, ſicut eſſet una groſſa nux, qui læſerat aurem dicti Galfridi, & dictus lapillus inventus fuit confractus ſubtus aurem prædictam, neſcit tamen,

x PR OCES. CAN.

si dicta confractio lapilli contigerit cum oppressione dicti Galfridi, vel antè. Pellis verò capitis præfati Galfridi non fuit confracta; ossa tamen videbantur fuisse contrita ex oppressione dictæ rotæ: nam cùm applicuissent manus ad dictum caput conquassatum & contritum ex oppressione dictæ rotæ, non senserunt duritiem ossium, sed quasi molliciem carnium; & post præfatam conquassationem & contritionem caput ipsius Galfridi fuit effectum tenue & oblongum, sicut res aliqua mollis, quæ fuisset oppressa: sed ipse testis manibus suis contractans ipsum caput, reduxit ipsum, prout meliùs potuit, ad formam priorem. Sciendum verò, quòd dictus Galfridus, sicut ex inspectione apparuit dictis dominis commissariis & infrascriptis Fratribus, & nobis notariis hujus processus, adhuc habet caput oblongum & tempora & ultra aures aliquantulùm constricta, & caput acutum; nulla tamen cicatrix apparet in ejus capite.

Mulier contracta, delata in sporta ad tumulum Sancti

f g B

42 Dominus Gilbertus de Chevenigh presbyter, perpetuus vicarius ecclesiæ de Magna Markele *f*, requisitus, ut narraret, si quid sciebat de miraculo, quod in personam Julianæ Kock dicitur contigisse *g*, dixit, quòd, ipso existente custode tumuli dicti domini Thomæ & vicario in ecclesia Herefordiæ, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo septimo contigit, quòd in die Parasceve horâ Primæ, dum prædicta Juliana staret in dicta ecclesia Herefordiæ in quadam sporta de virgulis, cum qua sporta asportata fuerat ad ecclesiam Herefordiensem per Philippum le Longe, testem suprà juratum, & per quamdam mulierem (cujus nomen dixit se nescire) ut miraculosè curaretur ibi meritis dicti S. Thomæ, pro quo Deus in dicta ecclesia anteriori tempore quatuor miracula fuerat operatus.

subitò sanatur;

43 Videns ipsa Juliana, quòd quidam alius contractus pedibus, qui vocabatur Philippus Cythariſta, & morabatur in civitate Herefordiæ, & stabat in quadam alia sporta in dicta ecclesia Herefordiæ, expectans ibi miraculosè meritis dicti S. Thomæ beneficium recipere sanitatis, fuerat in dicta hora Primæ, vidente ipso teste, miraculosè curatus & erectus, & ambulaverat circa tumulum supradictum absque aliquo appodiamento *h*; accensa ipsa Juliana, & ducta, nescit, quo fervore, per seipsam absque humano adjutorio exivit de dicta sporta, in qua tenebat tibias plicatas & sedebat curva; & dimissâ dictâ sportâ in loco, in quo sic stabat in ea; sed aliquantulùm cum pede à se elongatâ, erecta sine appodiamento & sine aliquo adjutorio humano, non claudicando, prædictâ horâ venit ad tumulum supradictum *i*, & oravit ibidem & obtulit ibi unum denarium, & narravit ipsi testi & aliis & specialiter * domino Henrico de S. Albano, custodi tunc cum ipso teste dicti tumuli, & magistro Rogerio de Sevenok, tunc canonico Herefordiæ, jam defunctis, quòd dictus S. Thomas dixerat ipsi Julianæ, quòd surgeret & ambularet.

C

h

i

* *al.* magistro

sed postquam sportam in ecclesia relictam repetiit,

44 Item dixit, quòd, cùm dicta Juliana narrâsset prædicta, dimissâ sportâ, cum qua asportata fuerat in dicta ecclesia Herefordiæ, rediit propriis pedibus ad domum suam, quam habebat in dicta villa de Eton, distante per tres leucas, ut credit, ab ecclesia Herefordiæ. Idem tamen testis non vidit eam progredientem, nisi ad portam domûs Fratrum Minorum de Herefordia; sed ab ipsa Juliana & ab aliis communiter referebatur, tunc ipsam iviſſe propriis pedibus ad dictam domum suam, & publicâsse prædictum miraculum in parochiali sua ecclesia de Eton die Paschæ. Item dixit, se ex communi relatu habuisse, quòd, prædictâ Julianâ sic reversâ ad domum suam, quædam convicina ipsius Julianæ, quæ accommodaverat sibi prædictam sportam, cum qua fuerat asportata ad ecclesiam Herefordiæ, repetiit dictam sportam à Juliana prædicta, & ipsa Juliana in crastinum Paschæ misit ad ipsum testem mulierem *k*, cujus nomen ignorat, ut per eam sibi remitteret dictam sportam; & ipse testis remisit eam.

D

k

rursum contrahitur, & in eadem illuc relata denuò sanatur,

45 Item dixit, se ab ipsa Juliana & ex communi relatu percepisse, quòd immediatè cùm dicta sporta fuit per præfatam mulierem reportata ad domum ipsius Julianæ, in continenti dicta Juliana fuit effecta contracta, ut priùs, & in die Martis subsequenti idem testis vidit, ipsam Julianam contractam reportari, nescit per quos, in eadem sporta ad dictam ecclesiam Herefordiensem circa horam Primæ, & vidit ipsam lachrymantem. Et in dicta ecclesia Herefordiæ stetit sic contracta in præfata sporta tota illa die Martis & nocte subsequenti, & in die Mercurii & in nocte subsequenti. Et postmodùm in die Jovis circa ortum solis, ipso teste vidente, erexit se & exivit de dicta sporta, clamans, Sancte Thoma, sancte Thoma, gratias tibi ago; habe tuam sportam, & fac inde, quidquid volueris. Et ambulavit, ad tumulum veniens, & tota illa die remansit in ecclesia, ambulans & laudans & glorificans Deum & dictum S. Thomam; & fuit perfectè curata; & ex tunc ipse testis vidit eam per biennium quâlibet hebdomadâ in die Martis venire peregrinam ad tumulum dicti Thomæ; & dicebat, se venire de domo sua prædicta.

E

ac pedes domum regreditur.

46 Et ipse testis ivit cum ipsa Juliana per unum milliare in die Veneris post factam * curationem prædictam, cùm gaudens reverteretur in domum suam; & tunc non portabat baculum, nec quando veniebat peregrina, ut prædixit, ad ecclesiam Herefordiæ. Et supervixit per duodecim annos, ut audivit referri à pluribus de parocha prædicta de Eton, post miraculum antedictum. Item interrogatus, si ante dictum miraculum noverat, prædictam Julianam fuisse contractam, & qualiter, & ex qua infirmitate, & quanto tempore steterat contracta; respondit, quòd, ipso teste, per biennium ante dictum miraculum existente familiari & eleëmosynario domini Richardi, nunc episcopi Herefordiæ, prædicta mulier fuit in quadam sporta apportata quater * diversis temporibus ad manerium dicti episcopi, vocatum Sugwas, propinquum dictæ parochiæ de Eton; & ipse testis ministravit quater * eleëmosynam Julianæ prædictæ, projiciendo dictam eleëmosynam in sportam, extra quam quidem sportam non vidit eam ante dictum miraculum; nec probavit ipse testis, si poterat dicta Juliana ire, vel non; nec vidit tunc ejus pedes vel tibias; sed referebatur communiter, quòd per novem *l* annos ante dictum miraculum steterat contracta, nec potuerat ire *m*. Item interrogatus, quot annorum poterat esse dicta Juliana tempore, quo contigisse dicitur miraculum supradictum; respondit, quòd quadraginta, ut existimabat, & ultrà.

F

* *al.* *deest* quater

* *al* quamdam

l

m

A *Altera item contracta per decennium,*

47 Joannes de Honymer requisitus, ut narraret, si quid sciebat de miraculo, quod in persona Margaritæ, matris suæ, dicitur contigisse; dixit, se vidisse dictam matrem suam per multos annos sanam & robustam corpore; post mortem autem Adæ, viri dictæ Margaritæ & patris ipsius testis, à quo dicta Margarita susceperat quinque liberos, dicta Margarita quadam nocte (nescit, quo anno, nec ex qua causa) incidit in quamdam ægritudinem, ex qua quidem ægritudine fuit sic effecta & contracta, quòd nullo modo poterat ire, nec se movere de uno loco per se ipsam absque adjutorio. Et sic stetit ferè per decennium contracta, & sentiebat talem dolorem (ut dicebat) acsi fuisset puncta cum acubus. Unde, quando Joanna filia sua, vel aliæ mulieres, volebat eam palpare, propter dictum dolorem non permittebat se tangi manibus, nisi linteaminibus vel pulvinaribus interpositis. Movebat tamen pedes & tibias, sed non poterat se appodiare super eos, nec habebat exteriùs in pelle vel in carne aliquam apparentem læsionem; de manibus autem & brachiis usque ad cubitum aliquantulùm

B se juvabat, & fuere poterat, & erat in tantum extenuata, quòd, quando baiulabatur in brachiis, erat levis, sicut unus puer. Et hæc dixit, se frequenter probâsse, baiulando eam.

post varias S. Thomæ apparitiones, ad ejusdem tumulum portata

48 Item dixit, quòd circa finem decennii, quo mansserat sic contracta, retulit dicta Margarita prædicto testi & dictæ Joannæ sorori suæ pluries, quòd S. Thomas de Herefordia, quem ipsa frequenter viderat, cùm esset episcopus Herefordiæ, in episcopali suo manerio de Sug-

** & abundat* wasse, apparens & * multis noctibus videbatur porrigere sibi manum, & innuere, quòd volebat juvare eam. Ex quibus visionibus accensa petebat, quòd portarent eam ad tumulum dicti S. Thomæ: quod implere distulerunt per duos menses & ultrà, ut possent sibi de pecunia providere, & ut esset commodius & melius tempus. Item dixit, quòd post præmissa (nescit,

n quo anno *n*) die Ascensionis Domini in manè ipse testis & dicta Joanna soror sua, & Alicia de Honymer, testis suprà jurata, imponentes dictam Margaritam super quemdam equum, pulvinaribus interpositis, adduxerunt

C ipsam ad dictam ecclesiam Herefordiensem eadem die circa horam Primæ, & depositam de equo collocaverunt prope tumulum prædictum ex parte dextra; candelam factam in filo, cum quo dicta Joanna prædictam matrem suam priùs in domo sua mensuraverat ad dictum S. Thomam, ad ejus tumulum offerentes.

incolumitati restituitur.

49 Quo facto, ipse testis, relictis in dicta ecclesia Herefordiensi prædictis matre & sorore suis, rediit ad domum suam, & in crastinum manè rediit ad dictam ecclesiam; & tunc narraverunt sibi dicta mater & soror, quòd in prædicta die Ascensionis Domini, & citò postquam recesserat inde dictus testis, prædicta mater sua inceperat movere pedes & aliqua alia membra corporis, & quòd fuerat ducta pedes ad tumulum, & appodiata circuiverat ipsum, & paulatim & successivè meliorabatur. Item dixit, quòd,

** forsè* ipse cùm ipsa * rediisset ad dictam ecclesiam in dictum crastinum Ascensionis, vidit dictam matrem suam stantem in pedibus suis prope tumu-

** quem* lum, ad quod * fuerat adducta; & ivit per se

o dicta die absque appodiamento *o*, & jejunabat usque ad vesperam singulis diebus, & fuit confessa magistro Joanni de Brunsope præmortuo, tunc pœnitentiario episcopi Herefordiensis; & in die Sabbati subsequenti post horam Nonæ rediit ad domum suam, distantem ab Herefordia per tria milliaria, cum ipso teste & dictis Joanna & Alicia, & per planam viam peditabat, & per aliam equitabat. Et postquam fuit in domo, paulatim cœpit vigorari, & ivit cum baculo per octo dies & ampliùs intra domum, ad ecclesiam, & postmodùm ivit sine baculo ad agros suos & ad carucam & ad messores, & laboravit, plenè & perfectè curata, ut priùs; absque recidivatione *p* per decem annos & ampliùs, *p* quibus post dictam curationem, ut æstimat, supervixit *q*. *q*

Ex Proces. can.

ANNOTATA.

a *In catalogo testium præmittitur hic titulus:* Miraculum quintum in persona Galfridi, à rota oppressi, & post mortem suscitati, narrant sequentes. XCIX testis Robertus Russel de Edesfeld, Wigornensis diœcesis, pater prædicti Galfridi, annorum 30, auditus die 9 mensis Octobris à commissariis. C testis D. Gilbertus de Cheveninge, Roffensis diœcesis, vicarius perpetuus ecclesiæ de Magna Markele, Erefordiensis diœcesis, & Joannes Ville de Risschok, parochiæ de Chaddesleye-Gorbet, Wigornensis diœcesis, presbyteri. CI testis Leticia, uxor prædicti Roberti Russel, mater Galfridi, annorum 40 & ultrà. CII testis Willelmus Stolchip, annorum 40 circitèr. CIII testis Richardus de Staneweye, parochiæ de Staunton, annorum 36. *Hactenus catalogus, sed horum omnium testimonium nullum habemus descriptum, præterquam Roberti Russel, quod hîc damus, & Gilberti de Cheveninge.*

E

b *Res ergò contigit anno Christi* 1304.

c *In altero ejusdem testimonii apographo contracto legitur* Glesfeld; *in catalogo testium* Edesfeld.

d *Vespertinum intellige, uti ex matris testimonio in margine annotavit Papebrochius, qui ex eodem ibidem addidit:* Et visum fuit matri, quòd in occasu solis filius eorum moveret labia, sed non sensit halitum. Et habebat corpus rigidum & frigidum, sicut tempore mensurationis: appositâ autem mamillâ intra os Galfridi, non attraxit lac. Nihilominus tunc ejus vir & ipsa

F sperantes de resuscitatione, & prout potuerunt in oratione perseverantes, vigilaverunt prope eum cum candelis accensis; & circa mediam noctem Lætitia sensit halitum aspirari & respirari à dicto filio suo; non tamen assumpsit lac, mamillâ in ejus ore impositâ. Circa auroram verò *&c.*

e *Celebratur hoc festum die* 24 *Junii. Miraculum hoc paucis sic memoratur in bulla canonizationis:* Parvulus alter ætatis unius anni cum dimidio, cujus supra caput dormientis in area rota transiverat onusti currus, qui à bobus quatuor trahebatur, mortuus ex hoc, recuperavit vitam & animam meritis Sancti hujus.

f *Hic idem est, qui pro præcedenti miraculo testatus, dicitur* Gilbertus de Cheveninge. *Porrò in sæpe dicto catalogo testes pro hoc & sequenti miraculo producti recensentur hoc modo:* Miraracula sextum & septimum super curatione Julianæ Kock de Eton juxta Sogwas, & Margaritæ de Honymere de Eton, Erefordiensis diœcesis, probant infrascripti. CIV testis D. Gilbertus de Chevening, presbyter, perpetuus vicarius

Ex Proces. can.

rius ecclesiæ de Magna Markele, annorum 30 circitèr. cv testis Philippus le Longe, annorum 40 & ampliùs. cvi testis Agnes, filia Willelmi Cok, sexagenaria & ultrà. cvii testis Joanna, filia Adæ de Honymere, annorum 25 circitèr. cviii testis Joannes de Honymere, annorum 38. cix testis Alicia de Honymere, annorum 32 circitèr. cx testis die 16 Octobris Philippus Bakingthon, annorum 40 & ultrà. cxi testis Joannes Aunfray, annorum 69. cxii testis Adam Kok, filius prædictæ Julianæ Kok, annorum 33. cxiii testis Willelmus Tylie, annorum 40, & ampliùs, de Eton Superiori. cxiv testis Stephanus de Wardelowe, septuagenarius & ampliùs. cxv testis Willelmus Tylie, de Eton Inferiori, annorum 48 vel novem.

g *Ad pleniorem miraculi notitiam præmittenda hoc loco sunt, quæ Papebrochius ex testimonio Adæ Kok, filii ejusdem Julianæ adscripsit.* Adam Kok, dictæ Julianæ filius, ex cujus puerperio mater ita contracta manserat ferè per 13 annos, qualem se vidisse testabatur, addidit, quòd eadem mater sua eidem narravit, sibi sic contractæ visum fuisse in somnis per u-
B num annum, antequam miraculosè curaretur, quòd quidam episcopus apparens ei cum capa clausa dicebat, quòd adiret tumulum Thomæ episcopi ante altare B. Mariæ in ecclesia Herefordiensi, & curaretur. Et per tempora habuit dictam visionem sex vicibus; & mittebat maritum suum apud Herefordiam ad inquirendum, si esset ibi aliquis sanctus episcopus, qui vocaretur Thomas. Nam temporibus illis non crebrescebant miracula pro dicto D. Thoma. Et est sciendum, quòd ille tunc erat tumulatus ante altare B. Mariæ in ecclesia Herefordiensi. Item dixit, patrem suum retulisse dictæ matri suæ, quòd invenerat tumulum dicti D. Thomæ in loco prædicto: & distulit venire dicta mater sua (nescit, ex qua causa) ferè per annum. Postmodùm audito, quòd in Cœna Domini, in qua fuerant ossa dicti D. Thomæ de capella B. Mariæ prædictâ translata ad tumulum, in quo nunc sunt, extiterat ibi quædam mulier furiosa (*de cujus curatione alibi*) miraculosè curata, institit prædicta mater sua penes virum suum, quòd portaret eam ad dictum tumulum;
C quòd sperabat, quòd, cùm esset ibi, immediatè reciperet sanitatem. Et prædicta, dixit, se audivisse à matre; item vidisse se, viginti anni sunt in die Cœnæ Domini post prandium, quòd dicta mater sua fuit in quadam sporta seu confino * de viminibus, sibi commodato à Christina Aufrey, per Philippum le Longe (*qui inter testes est centesimusquintus*) & Agnetem Wilhelmi extracta de domo, ut eam portarent ad tumulum dicti Thomæ: & ipse non ivit cum ea, quia custodiebat pecora patris sui. Item narrâsse matrem suam, se fuisse soporatam in die Paraseves subsequenti, cùm in dicta sporta esset collocata in ecclesia Herefordensi, & in dicto sopore visum fuisse eidem, quòd dictus S. Thomas sibi apparens dicebat ei: Juliana, surge & veni. Et cùm surgens & manibus & pedibus repens applicuisset ad dictum tumulum, fuit ibi erecta & miraculosè curata.

* cophino

h *Id est*, fulcro.

i *Ab hisce dissonant, quæ Adam, contractæ filius, ex ejusdem matris suæ relatione mox ad lit.* g *deposuit; dissonat item testimonium Agnetis, oculatæ testis, ex quo à Papebrochio nostro excerpta fuêre sequentia.* Agnes autem, filia Willelmi Coke, quæ unà cum supradicto Joanne D
(*Philippus superiùs dicebatur*) Julianam in sporta portavit pro denario uno sterlingorum, deposuit, quòd eò pervenerint in die Paraseves ante Primam, & quòd, cùm esset prope tumulum, extraxerunt eam de dicta sporta, & posuerunt eam in loco magis propinquo tumulo, & cùm orâsset ibi usque ad horam Primæ, incepit extendere tibias; & vocata ipsa teste, dixit ei, quòd desiderabat ire; & ipsa testis levavit eam, tunc jacentem super dorsum suum supinam, & juvit eam, ut sederet, & ipsa testis dixit ei, quòd tangeret tumulum manibus: & rangens eum paulatim elevando manum in altitudinem dicti tumuli, erexit se & circuivit ter dictum tumulum, bis apodiando se ad ipsum, & tertia vice sine apodiatione, agens, elevatis manibus, gratias Deo & S. Thomæ. *Hæc, inquam, dissonant à narratione Gilberti; ac propterea suspicor, hunc de prima Julianæ curatione minùs rectè instructum fuisse, credidisseque, eam eodem ferè modo contigisse, quo facta est secunda, num.* 4 *referenda.*

k Ysabellam (*inquit Agnes*) filiam suam, *teste Papebrochio ibidem.* E

l *Adam, Julianæ filius, ad lit.* g *relatus, teste Papebrochio, illam* ferè per 13 annos *contractam fuisse asseruit; quos retinendos esse, adjuncta postulant. Juliana enim ex partu Adæ contracta manserat: Adam anno* 1307, *quo ista testatus est, erat annorum* 33. *Hos* 33 *annos aufer ab anno* 1307, *supererit annus* 1274, *quo Adam natus, ejusque mater contracta fuit. Sanata autem mater est anno* 1287, *ad quem usque ab anno* 1274 *anni tredecim intercesserunt.*

m *Subdit hîc Papebrochius:* Item dixit (*scilicet Gilbertus*) quòd dicta miracula fuerunt publicata in ecclesia Herefordiensi, eo præsente, pulsatis campanis, & processione facta, cantatum Te Deum laudamus. Et vidit propter devotionem ex dictis miraculis habitam ultra centum lacrymantes. Addit Joannes Le Longe, quòd dicta Juliana erat adeò contracta pedibus & tibiis, quòd nullo modo poterat ire nec movere se de loco, nisi portaretur: tenebat enim tibias prope coxas, sed non hærebant (*id est, non adhærebant*) & genua quasi elevata prope
F mentum. Agnes verò filia Wilhelmi Coke, qui cum prædicto Joanne Julianam deportavit ad tumulum S. Thomæ, deposuit, audivisse se, quòd hæc infirmitas ei in quodam puerperio contigerit.

n *Suprà laudatus dominus Gilbertus, cujus testimonium inferiùs recitabo, deposuit, factum id esse eodem* anno millesimo ducentesimo octuagesimo septimo.

o *Papebrochius de hujus curatione ex testimonio Joannæ, filiæ ejusdem, ista denuò annotavit.* Et cùm stetisset (inquit filia Joanna) in oratione usque ad horam Nonam, cœpit primò movere & extendere brachia, & exinde pedes, & potuit sedere; & circa horam vesperarum & in pulsatione earum cœpit se erigere, juvante ipsa teste; & stetit paululùm pedes, laudans & glorificans Deum & dictum S. Thomam, & tunc ipsa testis & dictus Joannes ejus frater (*atqui hic tum se abfuisse profitetur*) juverunt ipsam ad ascendendum quosdam gradus prope tumulum supradictum; & post ascensionem graduum ivit per seipsam ad tumulum, & cùm aliquamdiu orâsset inclinata super tumulum, assurgens inde absque adjutorio ullius, & volvens se & pergens

A gens ad aliam partem tumuli, ſenſit ſe in meliori ſtatu, ſed nondum perfectè curatam. Eadem tamen die poſt veſperas pedes ivit ad hoſpitium Joannis de Bordeſleye, in quo fuit hoſpitata; & in craſtinum rediens ad eccleſiam, antequam portæ eſſent apertæ, eis apertis, ivit ad dictum tumulum: & cùm ibidem ſtetiſſet uſque ad horam Primæ, erexit ſe perfectè, & ſenſit ſe plenè curatam. Et tunc fuit miraculum publicatum in eccleſia de Hereford, proceſſione facta; & ad pulſationem campanarum populo congregato, fuit cantatum, neſcit quid; *videlicet hymnus* Te Deum laudamus.

p *Id eſt, abſque iteratione morbi.*

q *Accipe nunc, quæ de hoc miraculo dominus Gilbertus de Chevenigh breviter teſtatus eſt. Hic* requiſitus, ut narraret, ſi quid ſciebat de miraculo, quod in perſonam dictæ Margaritæ dicitur contigiſſe; dixit, quòd in dicto anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſeptimo (non recordatur, quo menſe, quo die, nec quâ horâ) ipſe teſtis exiſtens in eccleſia Herefordienſi vidit prædictam Margaritam (non recordatur per quos) deponi de quodam animali, cum quo
B fuerat apportata, ante oſtium eccleſiæ Herefordienſis, quod reſpicit ad Occidentem; & accepta in brachiis eam deponentium fuit per eccleſiam portata ad tumulum dicti domini Thomæ, & oravit ibi per magnum tempus; & poſtmodùm vidente ipſo teſte, ſurrexit & ivit abſque adjutorio & auxilio alicujus perſonæ, & agebat gratias domino ſancto Thomæ de curatione ſua; ſed ex tunc non vidit eam, nec viderat priùs, nec ſcit, ex qua ægritudine & quanto tempore fuerat contracta.

MIRACULA VIII, IX ET X.

Gibbus ſeu tuber colli ad Sancti tumulum confeſtim ſublatum: elingui ibidem lingua data: puer, è lapſu mortuus, vitæ reſtitutus.

C

Diuturnum colli tuber

a JOannes Alkyn teſtis juratus *a*, requiſitus, ut narraret, ſi quid ſciebat de miraculo ſuprà dicto, dixit, ſe vidiſſe dictum Joannem de Holaurton, & noviſſe per decem annos, priuſquam contingeret miraculum ſupradictum; & morabatur in parochia de Hammelacyn ſupradicta; neſcit tamen, ſi de dicta parochia, nec
b unde fuit oriundus *b*, nec à quibus parentibus ortus: reputabatur tamen bonus homo, & tempore, quo dictum miraculum contigit, erat (ut æſtimat) ætatis quinquaginta annorum & ultrà. Dictus autem Joannes habebat retro collum quemdam gibbum rubeum, ita groſſum, ſicut eſſet unum magnum ovum anſeris, &
c groſſiorem *c*. Et dictum gibbum vidit pendere in collo ipſius Joannis retrò per decem annos & ampliùs, antequam contigiſſet miraculum prædictum. Poſt prædicta dictus Joannes, audito, quòd Deus ad tumulum dicti domini Thomæ miraculosè curaverat à furia Editham Oldecri-
d ſte *d* de Herefordia, venit ad civitatem Herefordiam, & dictus teſtis audivit, publicè & communiter referri, quòd, cùm dictus Joannes fuiſſet hoſpitatus in domo Agnetis de Porta civis Herefordienſis, cum uno denario ſterlingo, quem jam proponebat offerre ad tumulum dicti S. Thomæ, ad quem ſub ſpe curationis, ratione prædicti miraculi furioſæ curatæ, venire diſpoſuerat, detegit * & circumduxit prædictum gibbum.

Ex Proces. can.

* detexit

51 Et ipſe teſtis exiſtens in eccleſia Herefordienſi (die Lunæ poſt Paſcha immediatè ſequenti fuerunt elapſi viginti anni *e*, ut credit) circa horam Tertiæ vidit prædictum Joannem cum ſuo gibbo in eccleſia prædicta flentem & accedentem ad tumulum dicti S. Thomæ, & offerentem unum denarium; & vidit ipſum ponentem caput ſuum intra quoddam foramen lapideum, propinquum dicto tumulo & ſibi adhærens: & cùm tenuiſſet dictum caput intra dictum foramen tanto tempore, quòd potuiſſet dixiſſe ter Orationem Dominicam cum ſalutatione B. Mariæ, extraxit inde caput, teſte hoc ipſo vidente, & extrahens ſibi capucium, ſentiens ſe curatum à dicto gibbo, quæſivit dictum gibbum in capucio ſuo; & cùm non inveniret, extra- E
hens ſibi tabardum *f*, quem portabat indutùs, *f*
quæſivit dictum gibbum in ſinu ſuo, & non invenit *g*. Et agens inde gratias Deo & dicto S. *g*
Thomæ, cùm ſtetiſſet aliquantulùm in dicta eccleſia, & eſſent, quando dictum miraculum contigit, ultra centum perſonæ, populo currente poſt eum, & circumſpiciente & laudante Deum & dictum S. Thomam, pro prædicto miraculo gaudens, ipſo teſte vidente, exiit eccleſiam; & facta inquiſitione per canonicos de dicto miraculo, pulſatis campanis, populo congregato & proceſſione facta, redeunte ipſo Joanne ad dictam eccleſiam, & eo in conſpectu populi exhibito, fuit ſolemniter publicatum miraculum ſupradictum, & cantatum primò in choro Te Deum laudamus.

ad Sancti tumulum ſubitò ſublatum; *e*

52 Et cantando perrexerunt ad tumulum, & ibi cantaverunt Benedictus Dominus Deus Israel &c. Item requiſitus, ſi poſt miraculoſam curationem remanſerant in collo dicti Joannis cicatrices vel aliqua alia veſtigia dicti gibbi; reſpondit, quòd ipſe vidit eum dicta die in continenti poſt dictam curationem & eadem die repræſentavit ipſum Joannem clero & populo, quando fuit dictum miraculum publica- F
tum; & tunc in octo annis, quibus ſupervixit dictus Joannes, vidit ipſum quaſi ſemel ſingulis ſeptimanis venientem ad forum Herefordienſe in civitate, & in collo ipſius Joannis non vidit ipſe teſtis poſt dictam curationem aliquod veſtigium dicti gibbi *h*.

quod miraculum ſolemniter publicatum fuit.

h

53 Cyſolda, uxor Ricardi de Thorgrymie, civis Herefordiæ divitis, requiſita, ut narraret, ſi quid ſciebat de miraculo, ad cujus eſt probationem producta; dixit, quòd ipſa exiſtente in villa de Lodelawe (ſunt viginti anni elapſi, ut ſibi videtur) mendicabat in dicta villa quidam parvulus, qui tunc erat (neſcit tamen, cujus ætatis) & dicebatur fuiſſe oriundus de Wallis *i*, neſcit, de qua diœceſi, nec de *i*
qua parochia, nec ex quibus parentibus, nec quo nomine vocaretur. Et dictus parvulus mendicando & petendo ſibi neceſſaria, emittebat quoſdam mugitus, qui non erant ſignificativi alicujus vocis Anglicanæ; nec credit, quòd ſignificaret aliquod linguagium *k*. Et in dicta *k*
villa mendicavit per multos annos (neſcit tamen per quot) nec ipſa teſtis vidit ejus os aper-

Adoleſcens ſine lingua natus, apud Sancti tumulum

Ex Proces. can.

tum, nec ſi linguam habebat vel non ante dictum miraculum, quod de eo dicitur contigiſſe. Item dixit, ſe audiviſſe publicè & communiter referri in dicta villa de Lodelawe, quòd dictus
l parvulus non habebat aliquam linguam *l*, & quòd venerat ad tumulum dicti domini Thomæ in eccleſia Herefordienſi, & quòd miraculosè meritis dicti S. Thomæ fuerat ſibi data ad dictum tumulum quædam parva lingua, cum qua lingua loquebatur, ſed non apertè, Anglicum & Wallenſe.

imperfectam linguam impetrat,

54 Item dixit, quòd poſt prædictum miraculum ipſa vidit prædictum parvulum, qui tempore dicti miraculi erat effectus, ut arbitratur, tredecim vel quatuordecim annorum, in dicta villa de Lodelawe mendicantem, & audivit eum loquentem Anglicum non bene, quia repetebat bis vel ter verba, priuſquam intelligeretur. Et audivit etiam eum loquentem aliud linguagium, quod videbatur ſibi eſſe Wallenſe
m *m*. Dixit etiam, ſe vidiſſe dictam linguam, quæ dicebatur miraculosè data & appoſita fuiſſe eidem; & æſtimat, quòd eſſet ita longa & ita groſſa & ita lata, ſicut eſt uncia pollicis. Et habebat concavitatem valdè magnam in palato
B ſuo, ſeu in gutture in tali loco, in quali ſunt radices, ſeu pars inferior linguæ humanæ, in qua concavitate poſſit recipi unum commune ovum gallinæ. Et dicta lingua non erat ita boni coloris, ſicut eſt lingua humana; ſed videbatur eſſe quaſi fruſtum alterius carnis. Et prædictam linguam dixit ſe vidiſſe in eccleſia S. Laurentii de Lodelawe quadam die Dominica, multis, de quorum non recordatur nominibus, præſentibus; nec ſcit, quo anno; nec recordatur, ſi ipſa audivit ab eo, quòd vocaretur Joannes; ſed audivit referri ab aliis, quòd, linguâ habitâ, dixit, ſe vocari Joannem.

deinde eodem reverſus, omnino perfectam.

55 Item dixit, in dicta eccleſia S. Laurentii fuiſſe per ipſam & per alios perſuaſum tunc dicto Joanni, quòd rediret ad dictum tumulum, denuò rogaturus dictum S. Thomam pro receptione melioris linguæ. Et audivit referri, quòd redierit ad tumulum ſupradictum, & quòd ibidem miraculosè receperat meliorem linguam. Item dixit, poſt prædicta omnia ſe iteratò vidiſſe dictum Joannem in eadem villa eodem anno in menſe Auguſti, ut ſibi videtur; & tunc vidit ipſum habentem ita pulchram linguam, & ita
C magnam, longam & latam, ſicut habent ceteri homines. Et vidit, quòd illa concavitas, quam priùs viderat in palato ſeu gutture ejus, erat repleta ex radicibus ex parte inferiori dictæ linguæ; nec in dicta lingua apparebat aliqua mediatio vel diviſio inter linguam parvam, quam priùs receperat, & prædictam linguam magnam
n *n*. Et audivit tunc prædictum Joannem loquentem Anglicum meliùs, quàm priùs loqueretur; ſed dictum Anglicum aliquantulùm miſcebat cum linguagio Wallenſium
o *o*: & ex tunc vidit eum pluries cum dicta bona & pulchra lingua, quæ * neſcit per quot annos. Et dicebatur, quòd ivit poſtmodum ad Terram ſanctam.

* ſed

Procurator cauſæ producit varios teſtes

56 Prædictus procurator reddidit coram dictis dominis commiſſariis quamdam cedulam continentiæ infrà ſcriptæ. Intendit procurator prædictus producere in teſtes dominos Symonem de Watford, perpetuum vicarium de Conewye
p *p*, Richardum de Novo caſtro capellanum B. Mariæ de eadem, Joannem de Boys ſeneſcallum caſtri de Conewye, Symonem Fliut, Joannem Seward, Joannem de Giffyn burgenſes
q *q*, & Liberium de Conewye, prædictæ diœceſis Bangorenſis, ac Gervaſium cocum * & Dionyſiam Peyttenyn uxorem ejus, patrem & matrem prædicti Rogerii, ejuſdem villæ & ejuſdem diœceſis, in qua contigit miraculum infraſcriptum, in teſtes. Videlicet, quòd dictus Rogerius cecidit nocturno tempore in profundum cujuſdam foſſati, in quo jacuit mortuus per aliquod tempus, & per merita S. Thomæ prædicti miraculosè fuit reſuſcitatus, & exhibuit præſentialiter dictum Rogerium coram dominis commiſſariis antedictis, & cum prædictis teſtibus.

D

* *i. e.* coquum

ad probandum pueri reſuſcitati miraculum;

57 Et immediatè teſtes omnes ſupranominati & præſentes juraverunt, tactis ſacroſanctis Euangeliis, in præſentia dicti procuratoris dicere memoratis commiſſariis veritatem ſuper miraculo antedicto & ipſum contingentibus ſecundum formam juramenti. aliorum teſtium ſuperiùs regiſtratam. Poſt præfatum autem juramentum dictus procurator fuit proteſtatus, ſe velle adhuc plures teſtes magnates, in partibus remotis conſtitutos, producere ad probationem miraculi, ſi poſt examinationem teſtium ſuper eo proximè juratorum eiſdem commiſſariis expediens videatur. Item exhibuit dictus procurator præfatis dominis commiſſariis quaſdam patentes litteras ad probationem miraculi antedicti, ſigillatas, ut prima facie apparebat, ſigillis in pendenti impreſſis in cera rubea dominorum, Aniani quondam epiſcopi Bangorenſis
r *r*, David abbatis de Abbertonewye *ſ* *ſ*, Joannis de Havering militis Willelmi de Suthon Cicon, Eſthale *, Hugonis de Leomunſtre, & quorumdam aliorum, quorum nomina non poterant bene legi in ſigillis prædictis. Tenor verò dictarum litterarum talis erat.

E

F

* *al.* Thomæ Eſthale

quod etiam ex authenticis epiſcopi Bangorenſis

58 Pateat univerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, quòd ſexta die menſis Septembris anno ab Incarnatione Domini milleſimo tricenteſimo tertio contigit apud caſtrum de Conewye in Wallia, quòd quidam infans ætatis duorum annorum & trium menſium, cui nomen Rogerius, filius cujuſdam ſervientis caſtri, cui nomen Gervaſius, & nomen matris ejuſdem Dionyſia. Idem puer cecidit tempore noctis in prima hora noctis de ponte ejuſdem caſtri uſque ad profundum foſſati, exciſi in rupe forti & duriſſima; nudus cecidit, & nudus jacuit in foſſato ſuper rupem uſque in craſtinum circa mediam horam Primæ: & eſt altitudo ab imo foſſati uſque ad pontem viginti octo pedum. Cùm verò coronatores
t *t* ejuſdem villæ veniſſent, ut inquirerent de illo infortunio die ſequenti, inveniunt puerum mortuum. Poſtmodùm quidam Joannes de Seward *, burgenſis de Conewye, venit ad corpus mortuum, & cepit unum denarium de burſa ſua, & de eodem denario fecit ſignum Crucis in fronte & ſuper pectus pueri, vovens Deo & B. Thomæ de Cantilupo, bonæ memoriæ quondam epiſcopo Herefordienſi, quòd, ſi Deus per merita ipſius B. Thomæ reſuſcitaret puerum, quòd idem infans viſitaret limina ejuſdem B. Thomæ epiſcopi.

* *al.* Sſiward

aliorumque patentibus litteris probat.

59 Hoc facto, quaſi in ictu oculi puer revixit, benedicens Altiſſimum *. Statim puer fuit reſtitutus matri ſuæ, & mater oſtendit ei ubera, & ſtatim ſugebat mammas matris ſuæ, & poſt puſillum fuit puer hilaris & gaudens, abſque aliqua læſione corporis ſui. Populus verò & clerici eccleſiæ currentes, audientes & videntes

* *al.* Benedictus Altiſſimus

A tes iſtud mirabile, ceperunt corpus & duxerunt ad eccleſiam, cantantes TE DEUM LAUDAMUS, præſentibus venerabilibus patribus, domino Aniano Bangorenſi epiſcopo, & fratre
u David abbate de Maynam *u* Ordinis Ciſtercienſis, qui tunc fuerunt in eadem eccleſia, divina officia celebrantes pro anima bonæ memoriæ
x domini Joannis de ſancto Joanne *x* die anniverſarii ſui. Hujus miraculi ſunt teſtes dominus Joannes de Haverynge, Willelmus de Suthon *, Willelmus de Cicons *, milites, qui ſunt de conſilio & familia illuſtris domini Edwardi, filii regis Angliæ, & principis Walliæ; domini Thomas de Cantebregis *, Hugo de Leominiſtre, & Thomas Eſthale * clerici, qui ſunt de familia & conſilio ejuſdem domini principis; domini Symon, vicarius de Conewye, Richardus de Novo caſtro, Rogerius de Bruges * & Thomas Dynbey ſacerdotes, deſervientes eccleſiæ memoratæ, in eadem villa commorantes, & præter hos pluſquam ducenti viri & mulieres, qui prædictum puerum viderunt mortuum, & poſtmodùm reſuſcitatum, & ad perpetuam hujus miraculi memoriam ſigillum venerabilis patris, domini epiſcopi prædicti, & ſigillum ejuſ-
B dem abbatis, unà cum ſigillis militum, ſacerdotum & clericorum prædictorum huic ſcripto ſunt appenſa. Datum apud Conewye ſeptima die Septembris anno Gratiæ ſupradicto *y*.

y

** al.* de Button
** al.* de Cinton
** al.* de Cantebregge
** al.* Caſtalle
** al.* de Kugges

60 Dominus Simon de Watteford, perpetuus vicarius eccleſiæ de Conewye, teſtis ſuprà juratus retulit cum juramento ſuo præfatis dominis commiſſariis, ſe citâſſe omnes teſtes unà cum ipſo vicario, ad probationem hujus miraculi productos, juxta formam mandati per eoſdem dominos commiſſarios litteratoriè facti eiſdem. Item requiſitus, ſi ipſe erat vicarius in dicta villa de Conewye eo tempore, quo dictum miraculum in perſonam prædicti Rogerii dicitur contigiſſe; reſpondit, quòd ſic, & quòd erat præſens in prædicta villa, & erat tunc ipſe vicarius triginta & unius annorum. Item requiſitus, ut narraret veritatem miraculi ſupradicti & ejus circumſtantias, dixit, ſe baptizâſſe dictum Rogerium de parochia ſua oriundum ex patre
* coquo Gervaſio, coco * domini Willelmi de Cycons conſtabularii dicti caſtri de Conewye, & ex matre Dioniſia de Paytefin, teſtibus ſuprà juratis.

Hic puer uctu poſt parentes domo egreſſus,

C 61 Cùm autem dictus Rogerius eſſet duorum annorum & trium menſium, & moraretur in domo, quam mater inhabitabat in villa; & frequenter de dicta domo, non diſtante à caſtro, niſi per jactum lapidis vel circà, intraret caſtrum prædictum, in quo morabatur prædictus pater ejuſdem cum conſtabulario antedicto, accidit Dominicæ Incarnationis anno Domini milleſimo tricenteſimo tertio, die ſexta menſis Septembris, dictum Rogerium (ut mater ejus referebat) remanſiſſe in domo matris in lecto dormientem, & nondum dicta nocte eunte in crepuſculo, ad eccleſiam B. Mariæ dictæ vil-
* *adde* ivit læ propter exequias Gerardi de Spinee, ſervientis dicti conſtabularii *; & credit, quòd per totam noctem illam pernoctaverit mater dicti Rogerii in eccleſia ſupradicta. Manè autem facto, rediens ad domum, & non inveniens in lecto dictum Rogerium, quæſivit eum prædicta ejus mater (ut dicebatur) per villam ſupradictam, & non poterat reperire *z*.
z

& apud vicinos fruſtra quæſitus

62 Item dixit, quòd ipſe teſtis in craſtinum, ſcilicet die ſeptima Septembris, exiret de dicto caſtro, in quo morabatur cum prædicto domino conſtabulario & cum Joanne de Boys, teſte ſuprà jurato, Joannes de Giſtyn, teſtis etiam juratus, dixit prædictis conſtabulario, Joanni de Boys & ipſi teſti, quòd prædictus Rogerius jacebat in foſſato dicti caſtri ſubtus pontem mortuus. Et procedentes omnes quatuor ſimiliter uſque ad dictum pontem, viderunt dictum Rogerium ſubtus pontem jacentem nudum ſuper rupes & ſuper pruinam exiſtentem ſuper rupes congelatam; & dicta pruina aliquantulùm apparebat ſuper corpus prædicti Rogerii congelata. Quo viſo, dictus Joannes de Giſtyn de mandato prædicti conſtabularii deſcendit in foſſatum ad videndum, ſi eſſet mortuus Rogerius ſupradictus; & eis videntibus, palpavit corpus prædicti Rogerii, & ipſum elevavit de rupe in manibus ſuis, & dixit eis, quòd mortuus erat; & ipſi teſti & aliis prædictis ex aſpectu fuit viſum, quòd eſſet mortuus, quia nec flebat, nec emittebat aliquam vocem, & apparebat rigidus, tenens unam tibiam erectam & aliam incurvatam.

Ex PROCES. CAN. *poſtridie manè repertus eſt mortuus in foſſato caſtri,*

63 Cùm autem dictus Joannes de Giſtyn vellet eum extrahere de foſſato, memoratus Joannes de Boys dixit ei, quòd non faceret, quouſque venirent coronatores regii, ad quorum officium pertinet, quando aliquis invenitur caſualiter mortuus vel interfectus, inquirere de dicta morte; & ſine eis mortuus vel interfectus non debet levari de loco, in quo primò eſt mortuus vel interfectus inventus, & tunc dictus Joannes de Giſtyn dimiſit in loco, in quo invenerat dictum Rogerium *aa*. Item dixit, quòd *aa* poſt præmiſſa Stephanus de Ganvy & Willelmus de Nothingham coronatores regii, & Willelmus clericus & ſcriptor dictorum coronatorum, ſignificato eis prædicto caſu per præfatum conſtabularium, qui erant tunc in prædicta villa vel propè, venerunt, præſente ipſo teſte, ad videndum dictum Rogerium jacentem in foſſato. Et deſcenderunt ad ipſum in foſſatum, & tetigerunt & palpaverunt eum, perquirentes, prout pertinet ad officium eorumdem, ſi habebat aliquam plagam, cujus quidem plagæ longum latum & profundum debent diſtinctè ſecundùm eorum officium redigere in ſcriptis ad referendum ſuperioribus ſuis; & non invenerunt aliquam plagam in eo, nec confractionem alicujus membri, nec alicujus oſſis, nec effu- F ſionem vel emiſſionem ſanguinis, nec confractionem pellis. Habebat tamen in maxilla ſiniſtra, ſuper quam jacebat & adhærebat rupi, quando ipſe teſtis ante adventum coronatorum viderat eum, magnum livorem; ſed in aliqua alia parte corporis ſui non apparebat in eo aliquod aliud ſignum læſionis violenter ſibi illatæ, vel ab eo ſuſceptæ. Et hoc dixit ſe vidiſſe idem teſtis, exiſtens in ponte prædicto, coronatoribus circumſpicientibus & agentibus ſupradicta: & poſt præmiſſa receſſit inde teſtis prædictus.

& à miniſtris regiis poſt diligens examen
E

pro mortuo habitus; ſed poſt votum S. Thomæ ab adſtante factum

64 Item dixit, ſe audiviſſe publicè & communiter referri, quòd, cùm poſt præmiſſa dicti coronatores, in eodem foſſato exiſtentes, elongâſſent ſe aliquantulùm à corpore dicti Rogerii, ut ſedentes formarent inquiſitionem & ſcribi facerent circa præmiſſa pertinentia ad officium eorumdem, ſupervenerunt Joannes Seward burgenſis ipſius villæ, inſcius prohibitionis factæ per ipſos coronatores, ne aliquis deſcenderet in foſſatum, deſcendens & appropin-

Ex Proces. can.

quans ad dictum Rogerium, & eum palpans & mortuum inveniens, cum uno denario extracto de burſa ſua fecit ſignum Crucis in fronte dicti Rogerii, rogans S. Thomam de Cantelupo, pro quo Deus operabatur miracula, pro reſuſcitatione dicti Rogerii, & vovens, quòd pedes viſitaret dictus Rogerius tumulum ejuſdem S. Thomæ, ſi ejus gratiâ miraculosè contingeret reſuſcitari eumdem. Poſt ſignum autem Crucis & votum emiſſum, aperto per eum ore dicti Rogerii, vidit prædictus Joannes Seward, ut dicebatur, ejus linguam aliquantulùm palpitantem, & dixit hoc prædictis coronatoribus & aliis aſtantibus, agens unà cum dictis aſtantibus gratias inde Deo & S. Thomæ.

revixit, convaluitque.

65 Et cùm poſt paululum dictus Rogerius commoviſſet aliquantulùm brachium dextrum, ceſſantibus coronatoribus ab eorum inquiſitione, fuit redditus matri ſuæ: & cùm applicuiſſet eum ad carnem ſuam nudam & tenuiſſet juxta ignem, & plura alia ſigna vitæ apparuiſſent in dicto Rogerio, fuit portatus circa horam Primæ ad eccleſiam dictæ villæ, in qua celebrabat tunc dominus Anianus epiſcopus Bangorenſis exequias pro nobili viro, domino Joanne de S. Joanne; & erant cum eo in dicta eccleſia omnes nominati in ſupradicta littera; à procuratore capituli Herefordienſis ad hujus miraculi probationem exhibita & ſuperiùs regiſtrata. Et eodem die ipſe teſtis fuit locutus cum eodem Rogerio circa horam Nonæ, & non videbatur ſentire aliquem dolorem, & apparebat ita lætus, ſicut diebus anterioribus, & ambulabat per domum matris ſuæ, ſed non ita bene, ſicut conſueverat; & habebat adhuc livorem in maxilla, qui livor paulatim diebus ſubſequentibus receſſit ex toto, & dictus Rogerius poſt triduum, ſicut priùs, ambulavit *bb*.

bb

Exponuntur aliquot rerum

66 Requiſitus, qualiter dictus Rogerius mortuus fuerat, & ex qua cauſa, in dicto foſſato; dixit, quòd certitudinaliter neſciebat, ſed publicè & communiter opinabantur gentes dictæ villæ tunc & dicebant, ſe credere; & ita opinantur & credunt adhuc, & ipſe teſtis idem opinatur & credit, quòd dictus Rogerius egreſſus domum matris, tunc in eccleſia exiſtentis, infantili more nudus de lecto proſiliens, voluerit intrare caſtrum & adire patrem, ſicut frequenter facere conſueverat, in caſtro prædicto; & quia inter villam & caſtrum eſt pons ſuper dictum foſſatum, qui levabatur tunc de nocte, non advertens dictus Rogerius tunc pontem eſſe levatum, nec fortè bene videre valens, cùm nox tunc fuiſſe credatur, ceciderit in foſſatum prædictum, & quòd ex caſu interierit. Et ad præmiſſa fortificanda dixit, ſuffragari dictum Nicolai filium domini Joannis de Havering militis, qui nocte illa jacuerat in dicto caſtro prope pontem, & in craſtinum retulit publicè, quòd in dicta nocte audierat clamorem pueri, quaſi cadentis in dictum foſſatum circa primam partem noctis; & quòd non curaverat, quia non audiverat ulteriùs planctum vel clamorem.

locique adjuncta.

67 Item requiſitus, ſi ex diſpoſitione loci, per quem de villa habetur acceſſus ad prædictum pontem, & loci, in quo ante coronatorum adventum vidit jacêre in prædicto foſſato dictum Rogerium, conjecturaretur viſibiliter & probabiliter, ipſum cecidiſſe in dicto foſſato, volendo pontem tranſire prædictum; reſpondit, quòd ſic, potiſſimè, quia erat propinquus muro exiſtenti ex parte villæ & ſubtus pontem prædictum. Item requiſitus, ſi diſtantia & altitudo pontis uſque ad profunditatem foſſati, in qua vidit jacêre dictum Rogerium mortuum, eſt tanta & taliter, quòd cadendo de loco, de quo eum æſtimat cecidiſſe, potuerit & debuerit ex caſu naturaliter interire; reſpondit, quòd ſic: nam menſuravit dictam altitudinem uſque ad profunditatem, in qua jacebat prædictus Rogerius, & comperit, habere viginti & octo pedes ſuos, cum cordula à ſummitate pontis uſque ad profunditatem foſſati appenſa: adjiciens, quemdam ſervientem dicti caſtri, nomine Joannem, temporibus anterioribus, ut publicè refertur, in dicto loco interiiſſe ex caſu de ponte in foſſatum prædictum, in quo non eſt aqua, nec lutum, nec terra, ſed rupes concavatæ propter ædificia dicti caſtri *cc*. Item requiſitus, ſi dictus Rogerius, antequam prædicta contigiſſent, deſcenderat aliquando in dictum foſſatum per ſe per viam illam, per quam deſcenderunt coronatores prædicti, vel aliam; reſpondit, quòd non; nec poſſet deſcendere aliquis puer ætatis, cujus erat tunc Rogerius prædictus *dd*.

cc

dd

ANNOTATA.

a *In catalogo teſtium huic miraculo præfixus his titulus eſt:* Miraculum octavum ſuper curatione Joannis Holehinton de parochia Hammelaty. *In apographo miraculi, quod edo,* Joannes *ille vocatur* de Holaurton, *parochia verò* Hammelacyn. *Deinde, quòd doleo, in prædicti catalogi apographo noſtro deſiderantur reliqui teſtes; atque hinc conditionem ætatemque hujus teſtis neſcimus.*

b *Ex alio teſte mihi ignoto, à Papebrochio annotatum invenio, quòd fuerit* oriundus de villa vocata Hamme prope civitatem Herefordienſem, ad tres leucas Anglicanas, nomine Junkinus, ſubditus & homo domini Rogerii de Bradele militis.

c *Joannes Bute, quem ſæpe laudavi in Commentario prævio,* item narravit, ſe vidiſſe quemdam hominem (neſcit, unde eſſet dictus homo, nec quo nomine vocaretur) qui apparebat eſſe quinquagenarius & ultrà, loquentem Anglicum, habentem retrò in collo ſuo gibbum ita groſſum, ſicut ſunt duo pugni hominis; & dictum hominem vidit cum dicto gibbo in eccleſia Herefordienſi.

d *De hac vide infrà.*

e *Contigit ergò miraculum anno* 1287.

f Tabardus, *à Gallico* tabard, *eſt tunica longa.*

g *Teſtimonium Joannis Bute ſic proſequitur:* Dictus autem homo, ſicut narravit ipſi teſti & pluribus aliis, appropinquans ad tumulum dicti domini Thomæ, & caput & collum apponens per quoddam foramen, ſupra tumulum dicti domini Thomæ obdormivit: & fuit ſibi viſum, quòd quidam epiſcopus apponeret manum ad gibbum prædictum; & ex hoc excitatus apposuit manum ſuam propriam ad collum, & non inveniens dictum gibbum in collo ſuo, ſed pellem rugoſam in loco, in quo fuerat dictus gibbus, cum qua poſſent communiter duo digiti hominis cooperiri, quæſivit in capucio ſuo dictum gibbum. Et aſtantes ratione dicti miraculi pulſaverunt campanas; & ipſe teſtis, unà cum aliis ad dictam pulſationem ad eccleſiam conveniens, invenit dictum hominem quaſi ſtupe-

ſa-

A factum, quærentem adhuc dictum gibbum in capucio ſuo; & cùm nec ibi reperiret, quærebat ſuper tumulum & ſuper terram: & ſentiens ſe curatum, cum lachrymis, flexis genibus, laudabat & glorificabat Deum & dictum S. Thomam; & aſtantes & prædicta videntes faciebant idem cum lachrymis: & ex hoc augebatur fides & devotio eorumdem. De anno, menſe & die, dixit, ſe non recordari; dixit tamen, quòd ex tunc frequenter viderat dictum hominem à gibbo curatum, & locutus fuerat cum eodem. *Pauca hîc ſunt adjuncta diverſa, ſed quæ cum relatione Gilberti facilè poſſunt componi; potuitque iſta colli ruga, quam Joannes Alkyn in gibbi loco primò ſenſerat, paulò pòſt evanuiſſe, uti ex reliquo ejuſdem Gilberti teſtimonio dicendum eſt.*

h *Miraculum hoc in bulla canonizationis recenſetur his verbis:* Quidam etiam homo, qui gilbum (*lege* gibbum) ad quantitatem unius ovi anſeris ortum in collo ſuo portaverat multis annis, orans ad tumulum hujus Sancti, & denarium offerens, cum quo in modum crucis tetigerat dictum gilbum (*lege* gibbum) ſtatim curatus omninò fuit, & à dicto gilbo (*id eſt*, gibbo) penitus liberatus. *Denique in Rubricis de Miraculis ad propoſitum noſtrum ſic legere eſt.* Intendit procurator prædictus probare, quòd Johannes de Holehuanton (*ſuprà dicitur* Holaurton) de parochia de Havielaty (*vide ſuprà ad lit.* a) Herefordienſis diœceſis, habuit gibbum in collo per multum tempus, de quo unà cum infirmitatis dolore patiebatur magnam verecundiam; & circuivit (*id eſt, circùm ſignavit*) dictum gibbum cum uno denario, implorando auxilium Dei, & ſervi ejus Thomæ de Cantalupo; & accedens ad ejus tumbam cum illo denario; & cùm paululùm orando remanſiſſet, per Servi Dei ſuffragium curatus eſt ab illo gibbo. Ad cujus miraculi probationem producit & nominat infraſcriptos teſtes, videlicet Johannem Alkum (*ſuperiùs dictum* Alkyn) civem Herefordienſem, Walterum Offelman, presbyterum de eadem civitate oriundum, præſentes; & dominum Rogerum de Bradeley militem, Gilbertum capellanum de Havialaty, Stephanum Kaliedek, Joannem Chaldek fratrem
C ejus, & Richardum de Hanvie clericum. Omnes ſunt de civitate vel diœceſi Herefordienſi, & jurati &c.

i *Id eſt, ex Vallia, Anglicè* The Walles, *regni Angliæ principatu.*

k Linguagium *ab Italico* Linguaggio, *Latinis* lingua *eſt.*

l *Non habuiſſe ipſum linguam, Joannes Bute oculatus teſtis aſſeruit, ut liquet ex ejuſdem teſtimonio, quod ad manum mihi eſt. Interrogatus enim à commiſſariis* reſpondit, ſe vidiſſe quemdam adoleſcentem quindecim annorum vel circà, oriundum de Lodelawe, diœceſis Herefordienſis, qui dicebatur naturaliter fuiſſe ſine lingua; & idem teſtis reſpexit inter * os juvenis, & non vidit linguam, nec aliquod ſignum vel veſtigium linguæ.

* intro

m *Vallenſium linguam multùm ab Anglicana diſcrepare, certum eſt.*

n *Joannes Bute, nulla facta mentione de lingua minori, poſt verba ad lit.* l *data ita proſecutus eſt:* Quidam autem Fratres Minores (neſcit, qui, nec de quo conventu) qui conſueverant hoſpitari in domo, in qua erat dictus juvenis apud Lodelawe, perſuaſerunt per ſignum, quòd veniret ad tumulum dicti domini Thomæ; & venit & ſtetit (*id eſt*, manſit) in civitate Herefordienſi, frequentando dictum tumulum, bene per dimidium annum. Poſtmodùm quadam nocte, cùm eſſet in eccleſia Herefordienſi, circa mediam noctem apparuit eidem juveni, ut referebat, quidam Epiſcopus, & appoſitis digitis inter os dicti juvenis, traxit linguam ipſius juvenis. Et inveniens, ſe habere linguam, incepit loqui linguâ Anglicanâ & Wallenſi, & regratiari Deo & S. Thomæ, quia dederant ſibi linguam. In craſtinum autem, publicato miraculo, idem teſtis vidit, quòd habebat linguam ita pulchram, ſicut communiter habent cæteri homines; & dictam linguam oſtendebat publicè, & exhibebat extra os ſuum bene per duos digitos in latitudine. Et ex hoc laudaverunt & glorificaverunt Deum & dictum Sanctum illi, qui viderunt & audiverunt miraculum ſupradictum, & ipſe teſtis unà cum eis; & ex hoc augebatur fides & devotio eorumdem. *Ut horum teſtium relationes concilientur, dicendum eſt, primam imperfectæ linguæ impetrationem Joanni Bute ignotam fuiſſe, & inter hujus integræque linguæ conſecutionem adoleſcentem illum intra paucos dies ad parochiam Lodelawe, atque hinc rurſum Herefordiam, indeque denuò in Lodelawe rediiſſe, adeò ut medius iſte annus, quo ille pro obtinenda lingua Herefordiæ moratus eſſe à Joanne dicitur, paucis tantùm diebus interruptus fuerit, & temporibus à domina Cyſoldâ aſſignatis in eadem parochia conſpici & examinari potuerit.*

Ex Proces. can.

o *Pro tam inſolentis miraculi confirmatione juverit hîc etiam alterius, minimè ſuſpecti viri, teſtimonium attexuiſſe. Thomas Sandi, qui tempore, quo miraculum contigit, ſubballivi, ut vocant, officio Herefordiæ fungebatur, juratus teſtis*, dixit, quòd, priuſquam contigiſſet dictum miraculum ... antè vidit frequenter in civitate Herefordienſi dictum Joannem (*quem ſuprà* de Burton *cognominavit*) & videtur ſibi, quòd tunc eſſet idem Joannes ætatis ſedecim annorum vel circà.... Et quia mendicando non proferebat vocem articulatam, ſed emittebat quoſdam rugitus, volens probare idem teſtis, ſi fingeret ſe mutum, & non eſſet, fecit eum in dicta civitate Herefordienſi prope eccleſiam S. Nicolai F bis vapulare per alios mendicantes cum baculo, quem ipſe Joannes portabat; & non dedit aliquam vocem, ſed rugitum prædictum adinſtar latratûs canum. Et fecit aperiri os ejus, ut probaret & videret, ſi haberet linguam; & dictus Joannes, vidente ipſo teſte, immittens digitum ſuum in os ſuum proprium apertum, oſtendit ſibi dictum defectum linguæ. Sed in loco, in quo debebat lingua ſtare, habebat quoddam parvum fruſtum carnis, ita magnum, groſſum, longum & latum, ſicut poteſt eſſe medietas unciæ indicis. Sed non vidit, ſi ſubtus illud fruſtum carnis erat locus concavus vel planus; vel ſi dictum fruſtum habebat radicem, ſicut habet inferior pars linguæ: & prædicta dixit idem teſtis, ſe feciſſe & fieri mandâſſe, quia erat tunc ſuballivus regius civitatis prædictæ. Item dixit, quòd eodem anno, quo fecit vapulare dictum Joannem, exiſtens in civitate Herefordienſi ipſe teſtis ... ad pulſationem campanarum pro miraculo, quod dicebatur contigiſſe tunc in eccleſia Herefordienſi, accedens ad dictam eccleſiam poſt horam Tertiæ cum multis aliis, vidit prædictum Joannem in dicta eccle-

Ex Proces. can.

ſia habentem ita pulchram, magnam & longam linguam, ſicut habent alii homines; cujus ſummitatem protrahebat, quando volebat, uſque ad mentum; ita erat longa: & non vidit, quòd circulus vel aliqua diviſio appareret intra dictam linguam & fruſtum carnis, quod priùs loco linguæ habebat. Et audivit ipſum cum dicta lingua loquentem idioma Anglicum, trahens ſe ad idioma Wallenſe. Audivit etiam ipſum Joannem referentem, quòd volebat ire ad Terram ſanctam, quia Deus meritis dicti S. Thomæ dederat ſibi præfatam linguam; & vidit ipſum portantem crucem in humero (*nempe ut in Cruceſignatorum exercitu militaret in Palæſtina*) & peram pendentem ad collum. & recedentem de dicta civitate cum quodam presbytero, cui nomen erat Willelmus (ut æſtimat) & dicebant, quòd ibant ad Terram ſanctam: & ex tunc non vidit eos, nec ſcit, quid actum fuerit de eis. *Hactenus Thomas Sandi, ſubballivus, ſeu prætor ſecundarius Hereford ienſis. De eodem miraculo commiſſarii Apoſtolici ad Clementem V Papam ſcripſerunt, videri ſibi probatum eſſe*, quòd lingua meritis & ad tumulum ejuſdem domini Thomæ, ei, qui à nativitate per multos annos eâ carens, mutus extiterat, cum duplicis idiomatis loquela collata fuerit. B

p *Villa & caſtrum eſt, vel certè fuit in Vallia, diœceſis Bangorenſis, prout infrà videbimus.*

q *Id eſt, ut opinor, ejuſdem caſtri incolas.*

r Bangora *vel* Bangoria, *vernaculè* Bangor, *epiſcopalis ſedes eſt in Vallia Boreali, Cantuarienſi archiepiſcopo ſuffraganea.*

ſ *Legendum eſt* Abercon-Wey, *quæ in Monaſtico Anglicano tom.* 1, *pag.* 918 *& ſequentibus dicitur fuiſſe abbatia Ordinis Ciſtercienſis condita* in agro Carmarthenſi, *qui comitatus Angliæ eſt in Vallia, quæque jam inde ab anno* 1198 *ibidem traditur tranſlata in locum* Maynan; *unde laudatus David infrà num.* 59 *vocatur abbas* de Maynan Ordinis Ciſtercienſis.

t *Audi Henricum Spelmannum in Gloſſario ad vocem* Coronator. Apud nos (*inquit*) Coronæ officialis pervetuſtus eſt, ad tuendam pacem & dignitatem regiam in quovis comitatu populi ſuffragiis conſtitutus. Olim non minor, equite aurato; ſed diminuta hodie poteſtate, quatuor plerúmque eliguntur, qui in exquirendis homicidiis operam præſertim navant. Univerſis præeſt capitalis juſticiarius banci regis; qui & ideo Summus Angliæ Coronator habitus eſt. C

u *Conſule Annotata hîc ad lit.* ſ.

x *In Commentario prævio* § 1 *dixi, Agnetem, ipſius* S. Thomæ *ſororem, nuptam fuiſſe Roberto de S. Joanne, atque ex his natum Joannem de S. Joanne, cujus anniverſaria dies hic indicari poteſt.*

y *Hîc annotatum reperio, poſt hæc recenſeri in proceſſu depoſitiones ſatis prolixas præmiſſorum teſtium, quas non habeo præterquam Simonis de Watford vel Watteford, quam ad clariorem miraculi notitiam hîc ſubjungo.*

z *Quæ de matre hîc narrat Simon, propriè pertinent ad patrem, ex cujus teſtimonio Papebrochius quædam excerpſit, quæ etſi longiora ſint, viſa tamen mihi ſunt cum lectore communicanda.* Gervaſius pater de eodem miraculo interrogatus dixit, quòd per unam diem circa Vigiliam proximam feſti B. Mariæ, quod feſtum eſt ante feſtum D. Michaëlis, fuerunt quatuor anni elapſi, quòd ipſe ivit de nocte (*nempe in crepuſculo veſpertino, uti ejuſdem uxor teſtata eſt*) ad vigilandum ibi (*in eccleſia*) propter funebria Gerardi de Pyneye ſervientis, & Cæciliæ Domitale, uxoris D. Guillelmi de Cygnon, conſtabularii dicti caſtri; & cùm ivit ad dictam eccleſiam, dimiſit in domo, quam inhabitabat uxor prope caſtrum ad jactum unius lapidis, prædictam uxorem ſuam & Wenthlianam ancillam dicti caſtri, & dictum Rogerium in cunis ligatum, ſicut ligantur infantes, & Agnetem ſeptem annorum & Yſoldam novem annorum, filias ſuas, & receſſit de dicta domo, prædictis omnibus in ea relictis, inter noctem & diem. Et cùm eſſet ampliùs proceſſum in nocte, ita ut homo (quod æſtimat) potuiſſet iviſſe ad unam leucam Anglicanam, prædicta ejus uxor cum prædicta Wenthliana venit in dictam eccleſiam, ut vigilaret circa funebria antè dictæ Cæciliæ, quia ſervierat ſibi in infirmitate, de qua obierat; & reliquit in domo ſua dictas filias ſuas dormientes in uno lecto, & Rogerium in cunis. Et traxerunt in receſſu de domo oſtium poſt ſe; ſed non firmaverunt cum ſera vel alia firmatura, quia nulla erat in dicto oſtio exteriùs firmatura, & quia eccleſia erat propinqua domui ad jactum unius lapidis; ex interiori verò parte oſtii erat clauſura oſtii cum peſſulo, ſeu barra; ſed dictæ filiæ non appoſuerunt illum, ſicut ſibi retulerunt. Item dixit, quòd ipſe, relictis iis in eccleſia, cùm ibi ſtetiſſet per tantum temporis ſpatium, quòd homo potuiſſet iviſſe de paſſu per quatuor leucas Anglicanas, exivit cum una candela in manu accenſa rediens in domum ſuam, & invenit oſtium domûs apertum, & duas filias dormientes, & non invenit Rogerium: omnes tamen panni, cum & in quibus fuerat ligatus in cuna, remanſerant in ea cum veſtibus ipſius. Et cogitans, eum exiviſſe de cuna & exiviſſe extra domum, quæſivit eum in vicinia, & ſpecialiter in domibus, quas inhabitabant tunc magiſter Thomas, medicus, & Willelmus Godefreay, & omnes poſuerant ſe ad dormiendum; quia jam erat elapſa magna hora; & reſponderunt, ſe nîl ſcire de Rogerio. Arbitratus autem, quòd aliquis vicinorum collegiſſet eum in domo ſua, rediit ad eccleſiam, & narravit uxori ſuæ, quòd non invenerat Rogerium in domo. Et ipſa reſpondit, quòd non exiret extra eccleſiam de tota nocte. Cùm autem poſt præmiſſa manſiſſet ibi Gervaſius uſque ad mediam noctem, & eſſet turbatus, rediit iterum ad quærendum eum cum lumine, ſicut priùs; & non invenit ipſum, nec in domo, nec in via, nec alibi: & quia erat ita tarda hora, noluit excitare vicinos, & rediens ad eccleſiam, ſtetit ibi uſque ad ortum ſolis. Et poſt ortum ſolis cùm rediret ad caſtrum prædictum, D. Willelmus conſtabularius occurrens ei, petiit, ubi ſteterat illa nocte; & reſponſo per eum, quòd in eccleſia propter vigilias funebrium prædictorum, dixit ſibi prædictus Willelmus, quòd malè vigilaverat circa cuſtodiam filii ſui, qui jacebat mortuus in foſſato caſtri. *Nunc ad teſtimonium Simonis redeamus.* D E F

aa *Subinde pueri pater Gervaſius illuc, ut dictum eſt, advenit, qui, prout in ejuſdem teſtimonio denuo legitur*, cùm etiam peteret ... à prædicto conſtabulario, quòd poſſet eum extrahere, non permiſit, uſquequo veniſſent coronatores domini principis Walliæ; & appropinquans

A pinquans ad foſſatum verſus villam, ſed non intrans, vidit in eo jacentem Rogerium ſubtus pontem, ſuper unum latus ſuum; & jacebat quietè in tranſverſo, & non vidit, quòd haberet ſubtus ſe, niſi rupem; & erat nudus, & tenebat unam tibiam erectam, & aliam plicatam. Et quia uxor ſua, intellecta morte filii, erat quaſi extra ſenſum poſita, dimiſſo corpore Rogerii, ivit ad eam regendam & conſolandam, quæ tenebatur à vicinis, ne præcipitaret ſe in foſſatum cum filio. *Uxor enim Dionyſia ipſamet teſtata fuit*, quòd, cùm domum ex eccleſia rediens non inveniret in ea filium, & propter prædicta eſſet dolore nimio & propter vigilias ſomno gravata, dormivit uſque ad diem claram per tantum ſpatium, quòd potuiſſet iviſſe (ut exiſtimat) per unum milliare; & tunc Joannes de Giffon veniens ad domum ſuam, & ubi eſſet Rogerius, quærens, ipſa reſpondente, ſe neſcire, dixit, quòd in foſſato caſtri, jaceret mortuus: & cùm præ dolore corruiſſet in terram, & eſſet quaſi extra mentem ſuam, fuit capta, ligata & retenta à vicinis, ne exiret domum ſuam.

B bb *Audiamus de his matrem rurſum teſtantem.* Cùm ſtetiſſet (*mater*) in domo ſua ferè uſque ad horam Tertiam, *id eſt, uſque ad noſtratem nonam matutinam*) fuit ſibi apportatus Rogerius; & videbatur ſibi, quòd adhuc eſſet mortuus, quia non ſenſit halitum, licèt apoſuerat linguam ſuam intra os dicti Rogerii, quòd os erat ita frigidum, quòd propter frigiditatem ejus non poterat ſine læſione diu tenere linguam ſuam in eo. Et ſciſſis veſtibus ipſius Dionyſiæ ex parte ſuperiori uſque ad cingulum, fuit dictus Rogerius in ejus ſinu poſitus ad calefaciendum: & cùm ſic tenuiſſet eum aliquamdiu in domo ſua, in eodem ſinu portavit eum ad eccleſiam parochialem, & ſedit cum eo ante Crucem, multis aſſiſtentibus; & credebat, quòd ibi fuerint pluſquam ducenti. Et cùm dictus dominus Anianus, epiſcopus Bangorum quondam, celebrâſſet Miſſam in dicta eccleſia, veniens ad
* *i. e.* illi Rogerium fecit ſibi * ſignum Crucis cum pollice in fronte: dictus rogerius aſpexit eum terribiliter; & ſenſit ipſa Dionyſia, eumdem Rogerium in ſinu ſuo tunc primùm movere unum cubitum; & cor ejus valdè velociter palpitare. Et
C tunc ipſa clamavit, timens, quòd propter dictam palpitationem iterum deberet mori; ſed videns, quia vivebat, laudavit inde Deum & dulcem S. Thomam de Hereford, eis gratias agens: & idem fecerunt aſſiſtentes. Et in eadem die potuit ſtare pedes, & circa veſperas ſuxit ubera, & ex tunc infra tertiam diem ivit. Item dixit, quòd propter caſum prædictum ſupervenerunt eidem Rogerio primâ hebdomadâ poſt reſuſcitationem dolor & tumor in oculo dextro, ita quòd non poterat videre cum dicto oculo, & humores tendentes ad ſcabiem in maxilla dextera, ſuper quam dicebatur jacuiſſe, quando fuit inventus mortuus in foſſato; & dictum tumorem & dictam ſcabiem habebat adhuc, quando causâ devotionis & ad publicationem dicti miraculi infra tres hebdomades fuit
* *ſuprà* Cicons
* *ſuprà* Havering
* *ſuprà* Leomunſtre à teſte & viro ejus portatus ad tumulum S. Thomæ, unà tunc venientibus eodem domino Wilhelmo de Cyconis * conſtabulario, Joanne de Havernige *, Hugone de Lemunſtre *, clericis tunc principis Walliæ. Et cùm ſtetiſſet in Hereford per unam hebdomadam, & reduceretur ad villam de Coneweye, fuit perfectè curatus à dictis tumore & ſcabie, priuſquam ſe elongâſſet ab Herefordia per quadraginta milliaria, *videlicet Anglicana.* Ex Proces. can.

cc *Hoc eſt, opinor, quòd ſaxa inde exciſa fuiſſent ad caſtrum ædificandum.*

dd *Miraculum hoc bullæ canonizationis inſertum legitur hoc modo:* Infans alius, nondum ætatis annorum duorum, in fundo cujuſdam foſſati, in quem locum de ponte altitudinis magnæ de nocte aſſeritur cecidiſſe, repertus mortuus, frigidus omnino & rigidus abſque aliquo ſigno vitæ, menſuratus ad hunc Sanctum, vitæ fuit mirabiliter reſtitutus. *Pro* nondum ætatis annorum duorum *legendum eſt* nondum ætatis trium annorum; *nam ex ſuprà dictis teſtimoniis erat puer ille tunc* ætatis duorum annorum & trium menſium.

MIRACULA XI, XII ET XIII.

Nautæ præſentis periculo naufragii erepti: mulier phrenetica, ſanæ menti reddita: bis ſuſpenſus è patibulo, vitæ reſtitutus.

E

Duodecim nautæ Hiberni, ad Sancti tumulum accedentes

POſt hæc die ſecunda menſis Novembris, exiſtentibus prædictis dominis commiſſariis propter executionem & examinationem hujus negotii in capella S. Catharinæ ſupradicta, acceſſerunt ad eos Joannes Bateſwayne, parochiæ de Donotly, Alexander filius Walteri, parochiæ de [Milton, Willelmus, filius Adæ de Virly, ejuſdem parochiæ; Adam de Leneſdale, parochiæ de] Neweton, diœceſis Dunenſis *a*, Matthæus Carpentary, Joannes de Lydel, Alexander filius Gamaël, Joannes filius Nicolai, Jacobus filius Willelmi, Joannes filius Willelmi, Joannes filius Thomæ, & Joannes filius Margaritæ, parochiæ de Knocfergoſe diœceſis Gorguen., provinciæ Armaten. de Hibernia *b*. Et cùm narrarent, ſe fuiſſe de proxi- *b*
mo à maris periculis liberatos meritis dicti S. F
Thomæ miraculosè, & ex hoc veniſſe ad tumulum dicti domini Thomæ peregrini *, præfati domini commiſſarii, ex officio ſuo præſente domino Gilberto procuratore capituli Herefordienſis, receperunt ab eis juramentum, tactis ſacroſanctis Euangeliis per eoſdem ſecundùm formam juramenti aliorum teſtium, ſuprà in proceſſu regiſtratam, de dicenda & narranda veritate eiſdem dominis commiſſariis ſuper facto, quod aſcribunt miraculo, & ſuper omnibus ipſum factum contingentibus, & aliis, quæ petentur ab eis.

* *imò* peregrinos

teſtantur, ſe graviſſimâ tempeſtate in mari jactatos,

69 Poſt quod juramentum dicti domini commiſſarii præceperunt eis in virtute juramenti præſtiti per eoſdem, quòd unus vel duo ex eis, qui meliùs ſciebant, narrarent factum, præſentibus aliis, & de eorum voluntate explicarent illa, quæ exponere volebant circa factum, quod aſcribebant miraculo. Ad quod narrandum fuit Alexander filius Walteri ſuprà juratus per omnes alios deputatus. Qui quidem Alexander narravit, quòd ipſe & omnes alii ſuprà jurati, & inſuper Martinus le Nottoverne, magiſter navis,

Ex Proces. can. navis, nobilis Colt de Knocfergoſe, Hugo le Napeſiller, Thomas Jacobi dominus navis, Iſaac le Wyth, Ricardus de Ives, parochiæ de
c Knocfergoſe diœceſis Coiguen. *c* antedictæ, die ſecunda menſis Octobris proximè præteriti receſſerunt, & ingreſſi navem prædicti Thomæ Jacobi, velo levato, de portu marino, vocato
d Senit Guwes *d* in Cornubia prope fines An-
e gliæ *e*, volentes ire cum dicta navi onuſta pel-
f libus & lanis in Vaſconiam *f*, ut reportarent inde vinum. Cùm autem ſtetiſſent in mari uſque ad horam veſperarum, habentes ſatis bonum
g tempus *g*, ſupervenit tunc ventus contrarius cum tempeſtate maris, qui per totam illam no-
h ctem duxit eos per mare in incertum contra eorum voluntatem: & hoc fuit in die Lunæ *h*.

Jam fatiſcenti navi, 70 Et in die Martis ſubſequenti ventus & tempeſtas cœperunt invaleſcere in tantùm, quòd omnes deſperaverunt de vita eorum; & quili-
i bet ex eis, cùm non haberent presbyterum in navi, fuit confeſſus ſocio ſuo peccata ſua *i*, probabiliter credentes, eis circa horam veſperarum mortis & navis confractionis periculum imminere; cùm dicta navis à vento & tempeſta-
B te directè propelleretur versùs terram, & ſecundum diſpoſitionem dicti venti & loci, in quo erant, & verſus quod pellebantur, prædicta navis haberet percutere cum dicta tempeſtate ad quaſdam rupes & ad eas ſecundum prædictam diſpoſitionem loci & temporis neceſſariò applicare & frangi, & ipſi per conſequens ſubmergi ibidem. Et neſciebant, in qua contrata *k* tunc erant; & arbor, in qua pendebatur * velum propter vehementiam tempeſtatis erat partim fiſſa, & navis in tantum concuſſa, quòd aqua ſubintrabat per ſentinam & per alias ejus partes in tanta quantitate, quòd duo ex eis ſufficere non poterant ad extrahendam dictam aquam de prædicta navi; quia hoc non obſtante, erat in dicta navi tanta quantitas aquæ, quòd pertingebat quaſi uſque ad genua eorum.

k
**i. e.* pendebat

eodem Sancto per votum invocato, ſalvos evaſiſſe. 71 Cùm autem eſſent in dicto periculo conſtituti, omnes unanimiter rogaverunt Deum & S. Thomam de Cantilupo, quòd liberarent eos à dicto periculo, & dominus navis prædictæ vovit, ſi liberarentur à periculo, ſe portaturum ad tumulum dicti S. Thomæ in eccleſia Hereſordienſi unam navem argenteam, cum qua
C venturus eſt, ut dixit, in proximo cum aliis ſuprà nominatis & non juratis, ad tumulum dicti S. Thomæ, & omnes in dicta navi exiſtentes voverunt ſimiliter, quòd venirent ad dictum tumulum peregrini; & dixerunt Pater noster & Ave Maria pluries: & continuò, voto emiſſo, circa horam veſperam ventus fuit mutatus & tempeſtas ſedata. Et elevaverunt velum; & cum dicto vento fuerunt in craſtinum, ſcilicet die Mercurii, circa horam Nonæ proſperè perducti ad quemdam portum limoſum in loco, qui vocatur Sancto Deſpol *l*, diœceſis Bathonienſis, ubi non applicuerant aliæ naves, quòd ſciretur: & dicta navis remanſit ibi in tantum conquaſſata, quòd non potuit deinceps cum ipſa navigari. Et perſonæ omnes & res in ea exiſtentes fuerunt ſalvatæ miraculo-

l

sè meritis S. Thomæ, ut firmiter credunt, cujus meritis dictam liberationem eorum aſcribunt & aſcripſerunt, & ex hoc venerunt nudis pedibus peregrini ad ejus tumulum, laudantes & glorificantes inde Deum & eum, gratias agentes eiſdem, & ex hoc fuerunt (ut dixit) devotiores in fide & firmiores effecti.

72 Item dixit, quòd Alexander, filius Gamaël ſuprà juratus, retulit eis, poſtquam fuerunt egreſſi de navi * mari, quòd, voto emiſſo, ipſe viderat in navi duos in albis, qui videbantur ſibi eſſe in forma hominum, ſed non videbat facies eorum, quia tenebant dorſa verſùs eum; & unus ſtabat ex una parte mali ſive arboris portantis velum, & alter ex altera, & immediatè diſparuerunt. Et idem Alexander ſub juramento per eum præſtito aſſeruit prædictis dominis commiſſariis, ſe prædictam viſionem habuiſſe, ſed propter nimium terrorem, quem habebat, tunc non retulit ſociis, quò uſque fuerunt egreſſi de mari, nec ſcit, qui fuerint prædicti duo, quos vidit in albis. Requiſiti prædicti duo, & etiam omnes alii ſuprà jurati, qui depoſitionem iſtorum duorum ſibi lectam & expoſitam approbaverunt, & ſub juramentis eorum aſſeruerunt, narrata per ſupradictos eſſe vera, excepto de viſione, de qua neſciebant, niſi per relatum dicti Alexandri, filii Gamaël. [Requiſiti] ſi dictus dominus Thomas in Hibernia reputatur communiter ab omnibus gentibus Sanctus, & ſi Deus pro eo, tamquam pro Sancto, in illis partibus miracula operatur, reſponderunt E omnes, quòd ſic, & in mari & in terra in omnibus generibus infirmitatum & periculorum; & ideo multi venerunt de illis partibus peregrini omni anno ad tumulum dicti S. Thomæ *m*.

Viſio, quam eorum unus tunc habuerat.
**&*

m

73 Robertus mercator ferri requiſitus de uxore ſua Edita *n*, reſpondit, quòd fuerit furioſa, in Quadrageſima futura circa principium erunt viginti & unus anni *o*, & numquam priùs fuerat furioſa, quòd ipſe ſciat, & fuerat tunc quaſi per biennium uxor ſua. Et dicta furia accidit ſibi (ut æſtimat) quia parùm comedebat, & multum bibebat; & quadam nocte in prima ſeptimana dictæ Quadrageſimæ (neſcit tamen, qua nocte dictæ ſeptimanæ) prædicta uxor ſua cum eo in lecto jacens cœpit eum manibus diſcerpere; & videns ejus malam diſpoſitionem & delirationem loquelæ, quæ maledicebat ſine cauſa vicinis ſuis, & erat valdè ebria, dimiſit ſibi * *i. e.* illi lectum. In craſtinum autem cùm appareret extra ſenſum ſuum, & clamaret, ut furioſa, fecit eam ligari cum pannis lineis, & conduxit Aliciam le Longe & Emmam de Ravenſe Wath *p*, vicinas ſuas, præmortuas, ut cuſtodirent eam: F & ita tenuit eam ſub cuſtodia in dicta domo ſua ligatam uſque ad hebdomadam ante ſeptimanam Ramis Palmarum. Et in dicto tempore fuit continuè furioſa, nec habuit dilucida intervalla, & non dormiebat, niſi raptim, & comedebat parùm & bibebat aquam vel debilem cerviſiam.

Mulier phrenetica, vinculis conſtricta
n
o
p

74 Et clamabat proferendo verba fatua & delira; ſed non recordatur, quid * blaſphemaret Deum aut Sanctos: & credit, quòd fuit arreptitia, ſed tamen non vidit, quòd portaretur nec mutaretur de loco ad locum, nec quòd fecerit aliquem actum ex potentia malignorum ſpirituum. Item dixit, quòd in dicta Quadrageſima & in dicta furia prædicta uxore ſua conſtituta, ipſe de conſilio vicinorum ſuorum cum uno filo menſuravit dictam uxorem ſuam ad ſanctam Crucem de Herefordia, & ad ſanctam Crucem de Wiſtanton *q* diœceſis Herefordienſis, & fecit fieri duas candelas de quarta parte unius libræ ceræ in dicto filo, & cum una ex dictis candelis fecit prædictam uxorem ſuam furioſam portari ad altare Crucis in eccleſia Hereſordienſi in uno cophino per dictas duas mulieres,

ad eccleſiam Hereſordienſem delata,
**an* quòd?

q

A lieres, ab eo conductas ad cuſtodiam dictæ uxoris, per quinque vel ſex dies (ut æſtimat) antequam curaretur. Quibus diebus ſtetit continuè ligata in dicta eccleſia, niſi cùm comedebat; quia tunc diſſolvebantur vincula manuum ejus, & tenebatur per dictas duas mulieres ad ejus cuſtodiam deputatas.

poſt aliquot dierum in ea moram

75 Item dixit, quòd in die Jovis ante Dominicam Ramis palmarum prædicta uxor ſua furioſa, fuit (neſcit, de cujus clerici conſilio) mutata de pulpito eccleſiæ Herefordienſis, in quo eſt altare Crucis, & in quo ſteterat per quatuor vel quinque dies præcedentes, ad capellam B. Mariæ in eadem eccleſia, in qua capella recumbebant tunc oſſa dicti S. Thomæ; quia dictus clericus dixerat, quòd curaretur ibi meritis dicti S. Thomæ *r*; ſed eadem die (neſcit, ex qua cauſa) fuit circa horam veſperarum reportata ad dictum pulpitum, & ibi jacuit illa nocte *ſ*. Item dixit, quòd in craſtinum, ſcilicet die Veneris manè, ipſe portavit unam ex candelis factis in filo, in quo menſuraverat dictam uxorem ſuam ad dictam ſanctam Crucem de Wiſtanton, & obtulit dictam candelam ad di-

B ctam ſanctam Crucem bene poſt ortum ſolis & ante horam Primæ; & cùm rediret Herefordiam, audivit pulſari magnas campanas eccleſiæ Herefordienſis: & tunc rogavit Deum, quòd dicta pulſatio eſſet pro curatione ſociæ ſuæ prædictæ.

ope S. Thomæ reſtituitur ſanæ menti.

76 Et occurrens ſibi Joannes Slaybrond parochiæ de Maudin narravit ſibi, dictam uxorem ſuam eſſe curatam per epiſcopum Thomam; quia tunc non vocabatur SANCTUS. Et veniens ad eccleſiam Herefordienſem circa horam Primæ, invenit dictam uxorem ſuam curatam, & vidit eam erigentem manus in elevatione Corporis Chriſti in Miſſa, quæ tunc celebrabatur in altari ſanctæ Crucis, & candela, quæ fuerat apportata ad eccleſiam Herefordienſem pro curatione dictæ uxoris ſuæ, & fuerat tunc repoſita in theſauro eccleſiæ Herefordiæ, ut dicebatur *t*.... Item dixit, quòd, finitâ Miſſâ prædictâ, quæ tunc celebrabatur in altari ſanctæ Crucis, narraverunt ſibi prædictæ mulieres cuſtodes uxoris ſuæ, quòd ipſa dixerat, Deum & quemdam epiſcopum, ſcilicet S. Thomam, ſalvâſſe eam; & quòd candela cælitus

C fuerat accenſa *u*. Et in eodem cophino, cum quo fuerat portata ad eccleſiam, fuit per dictas mulieres reportata ad domum ſuam; quia erat debilis, & non poterat ire. Priùs tamen fuit publicatum miraculum in eccleſia Herefordiæ, ut dicebatur. Item dixit, quòd in dicta debilitate nequiens ire, niſi coadjuvaretur & ſupportaretur ab aliis, vixit dicta uxor ſua in ſana mente & ſine furia, in debilitate tamen & infirma, uſque ad feſtum ad Vincula S. Petri *x* vel circà, & tunc obiit, & fuit ſepulta in cimiterio eccleſiæ Herefordienſis. Acta in dicta capella S. Catharinæ die quarta menſis Novembris, præſentibus dictis Fratribus & nobis notariis hujus proceſſus.

Suſpenſus è patibulo, ac deinde depoſitus

77 Willelmus Aprees *y*, aliàs dictus Crah, id eſt, Tinginoſus, de Swayneſeye Menevenſis diœceſis, requiſitus, ut narraret, ſi & ex qua cauſa fuerat ſuſpenſus; reſpondit, quòd impoſito ſibi per dominum prædictum *z*, ſub quo tunc morabatur, quòd interfecerat tredecim homines, fuit captus per dictum dominum & incarceratus in caſtro dicti baronis, vocato Swayneſeye; & cùm ſic ſtetiſſet captus & incarcera-

tus per quindecim dies, & fuiſſet per dominum dicti caſtri inquiſitum cum eo, & non fuiſſet confeſſus dicta homicidia, quia non commiſerat ea (ut dixit) nec fuiſſet per alios convictus, nullâ ſententiâ mortis datâ contra eum, fuit (die Lunæ poſt inſtans feſtum B. Martini erunt quindecim anni) circa horam Tertiæ per parentes proprios ipſius teſtis, ſcilicet per Griffinum Weil & per Ad. Ap. Gryfin & Ythel Fachan *aa*, præmortuos & plures alios ductus de mandato patris dicti Willelmi de Brewes ad furcas, ſuper quemdam montem excelſum poſitas prope dictum caſtrum ad quartam partem milliaris vel circà. Ex PROCES. CAN. *aa*

revixit per patrocinium S. Thomæ.

78 Et circa dictam horam Tertiæ ſupradictus Ythel propinquus ejus cum quadam corda groſſiori, quàm ſit nodus, quem communiter portant Fratres Minores in zonis ſuis, apportata à caſtro per ipſum teſtem uſque ad dictas furcas, ſuſpendit eum; neſcit tamen, qualem nodum fecit in dicta corda, cum qua eum ſuſpendit; & poſt ſuſpenſionem ſuam Trahern Ap Howel *bb*, parochiæ Lanredenſis dictæ diœceſis Menevenſis, qui fuerat cum eo ductus ad prædictas furcas, fuit in continenti (ſicut audivit referri) poſt eum ſuſpenſus in eiſdem furcis & in eadem trabe; & ſtatim prædictus Trahern Ap. Howel, ſicut dicebatur, fuit mortuus poſt ſuſpenſionem ejuſdem. Et eo mortuo, trabs, in *bb*

E qua pendebant, fuit fracta (neſcit qualiter, nec in quot partes) & ambo ſuſpenſi ceciderunt ad terram: & tunc ipſe teſtis non ſenſit dictum caſum, quia credit, quòd eſſet mortuus: ſenſit tamen ſtrepitum, quando alter fuit ſuſpenſus, & audivit publicè & communiter referri in dicta parochia poſt prædicta, quòd eadem die fuit iterum ſuſpenſus in una tibia dictarum furcarum; ſed ipſe nihil ſenſit de ſuſpenſione prædicta, nec ſcit, quanto tempore ſtetit, nec quâ horâ fuerit ſecundò ſuſpenſus *cc*. Acta in dicta *cc*

F capella S. Catharinæ die ſexta menſis Novembris, præſentibus Waltero & Joanne in omnibus, quæ hodierna die acta fuerunt, & memoratis Fratribus Joanne & Mauricio in juramento teſtium ſuper hoc miraculo receptorum & depoſitione Willelmi prædicti, & nobis notariis hujus proceſſus.

qui ipſi antè apparuerat in carcere

79 Poſt hæc in craſtinum dictus Willelmus rediens coram prædictis dominis commiſſariis ad continuandam depoſitionis ſuæ ſeriem, fuit de mandato prædictorum dominorum commiſſariorum requiſitus per antedictos Fratres Joannem & Mauricium interpretes, ſi fuerat idem Willelmus, ſicut ſuprà depoſuit ſe credere, mortuus, quando, ubi, qualiter, & cujus meritis fuit reſuſcitatus. Et reſpondit, quòd audiverat referri publicè & communiter in dicta villa, quòd circa galli cantum *dd* poſt ſuſpenſionem apparuerunt ſigna vitæ in eo; ipſe tamen poſtquam ſenſit ſtrepitum, quando alter fuit ſuſpenſus in eadem trabe, non ſenſit, ſe habere vitam uſque in craſtinum circa horam Nonæ. *dd*

Requiſitus, ſi ante dictam ſuſpenſionem vel à tempore ſuſpenſionis uſque quo recognovit aſtantes, vel ex tunc, vigilando vel dormiendo habuerit aliquam viſionem vel revelationem de vel ab aliquo Sancto, vel mortuis, vel iis, quæ ſunt in alio mundo; reſpondit, quòd illa die, quâ fuit ſuſpenſus, ei dormienti in carcere fuit poſt galli cantum viſum, B. Mariam eſſe in dicto carcere cum quodam domino, & videbatur ſibi, quòd eſſet operta lapidibus precioſis cum

Ex Proces. can.

ſtola alba in capite; non tamen portabat Filium ſuum in ulnis, ſicut ejus imagines materiales repræſentant: de illo autem domino, qui erat cum B. Maria, reſpondit, ſe non recordari, quales veſtes portabat.

cum B. Maria Virgine,

80 Cùm autem prædicta B. Maria cum dicto domino ſic apparuiſſet, petiit ipſa B. Maria, in cujus conſpectione videbantur eſſe omnes incarcerati cum ipſo Willelmo, qui erant tredecim numero, ſi erat inter eos Willelmus Aprees; & ipſe teſtis, qui vocatur illo nomine, reſpondit, quòd ſic; quia ipſe erat dictus Willelmus. Et tunc B. Maria dixit, quòd aſcenderent omnes per quamdam ſcalam, quæ videbatur ibi eſſe appoſita ex adverſo ſupradicti Trahern Ap Howel, qui ſcilicet fuit illa die, omnibus aliis liberatis à carceribus, cum ipſo teſte ſuſpenſus & in patibulo mortuus. Et tunc dictus teſtis iterum petiit à B. Maria prædicta, quid fieret de ſupradicto Trahern Ap Howel; & B. Maria reſpondit: Dimittatis eum. Et poſt hæc dictus teſtis iterum petiit à prædicta Maria, quis erat ille Sanctus, qui venerat cum ea; & ipſa reſpondit, quòd S. Thomas, qui liberaret eum. Et tunc dictus teſtis habuit in mente ſua (ſicut dixit) quòd S. Thomas de Herefordia liberaverat eum.

B

*quemque propterea conſtanter invocaverat, * an* circa?

81 Requiſitus autem, quare meliùs intellexerat de S. Thoma de Herefordia, quàm de S. Thoma apoſtolo vel Cantuarienſi archiepiſcopo; reſpondit, quòd ex eo, quia enim * illud tempus fuerat peregrinus ad tumulum dicti S. Thomæ in eccleſia Herefordienſi, & illa die, quâ fuit intruſus in carcerem plicavit ſecundum morem Angliæ unum denarium ſterlingam ad honorem dicti S. Thomæ, ut liberaret eum, & dictum denarium ſic plicatum recondidit in bracali ſuo *ee*, & quamdiu ſtetit in carcere, & quando fuit ductus ad patibulum, & dum pendebat in furcis, habebat ſecum dictum denarium ſic plicatum; & ſtando in carcere & quando fuit ductus ad furcas, ſemper in corde ſuo & alta voce, ita quòd poterat audiri ab illis, qui aderant, invocabat auxilium dicti S. Thomæ, & habebat ſpem, quòd liberaret eum. Requiſitus, ſi aliquis ex tredecim incarceratis habuerat dictam viſionem, uti ipſe; reſpondit, ſe neſcire. Item requiſitus, ſi ipſe narravit illa die dictam viſionem aliis incarceratis; reſpondit,

ee

C quòd non; ſed poſt reſuſcitationem ſuam narravit omnibus, qui audire voluerunt, pluries & frequenter.

& cui fuerat commendatus.

82 Item requiſitus, quid fuit ſubſecutum de eo, poſtquam fuit reſuſcitatus, & recognovit aſtantes; reſpondit, ſe audiviſſe publicè & communiter referri, quòd, eo ſuſpenſo, domina dicti caſtri petiit à prædicto domino Willelmo de Brewes viro ſuo, qui fecerat eum ſuſpendi, quòd daret ei corpus dicti Willelmi, ut poſſet in cimiterio ſepeliri; & dominus conceſſit ei; & ideo cùm fuiſſet depoſitus à furcis, in quibus fuerat ſecundò ſuſpenſus, fuit portatus à parentibus ſuis ad eccleſiam, & cùm non poſſent ingredi eccleſiam, fuit portatus ad domum propinquam eccleſiæ, quæ erat Thomæ Thuathei *; & tunc prædicta domina fecit eum menſurari ad dictum S. Thomam. Et quia fuit reſuſcitatus, & fuerat datus dominæ, non fuit ultrà ſuſpenſus: fuit tamen infirmus per unam ſeptimanam & ultrà; & poſtmodùm dominus & domina dicti caſtri cum eo venerunt peregrini ratione dicti miraculi ad tumulum prædicti S. Thomæ, & obtulerunt ibi quaſdam funras * de cera, & funem cum qua fuit ſuſpenſus, quam apportavit inſutam * ad collum ſuum.

* *infrà* Mathi

* *an* furcas?

* *fortè* inſertam

Ex alterius teſtimonio ille Wilhelmus

83 Joannes de Bageham requiſitus, ut narraret, ſi habebat notitiam dicti Willelmi Crak, & ſi ſciebat aliquid de miraculo, quod in ejus perſonam dicitur contigiſſe; dixit, quòd per multos annos noverat dictum Willelmum & viderat, priuſquam fuiſſet ſuſpenſus; & ex tunc vidit eum, & eſt ille, qui ſuprà juravit cum dicto teſte ſuper iſto miraculo, qui vocatur Willelmus Crak; & quòd fuit ortus in parochia de Laridiry Menevenſis diœceſis, ex patre vocato Res; nomen matris dixit ſe neſcire. Item dixit, quòd, ipſo teſte exiſtente in ſervitio & familia dicti domini Willelmi de Brewes (ſunt jàm ſedecim anni elapſi) fuit captus prædictus Willelmus Crak, quia dicebatur interfuiſſe cum pluribus aliis invaſioni & combuſtioni cujuſdam caſtri dicti domini, vocati Oſtremue *ff*; & ex hoc fuit incarceratus in caſtro dicti domini, vocati Sweyneſeye. Poſtmodùm eodem anno, die Lunæ poſt feſtum B. Martini, cùm dictus Willelmus eadem die deberet ſuſpendi, & unus alius, vocatus Traheit ab Howel *gg*, deberet ſuſpendi cum eo, prædictus dominus Willelmus de Brewes, ne poſſent auferri dicti ſuſpendendi per eorum amicos & parentes, fecit armari decem equos & decem equites, quorum equitum ipſe teſtis fuit unus.

ff

gg

E

cum trabe patibuli, ex qua pendebat, lapſus, hh

* *al.* Weil

84 Et circa horam Nonæ *hh* fuerunt ducti per eos ad furcas dicti domini, exiſtentes in quodam loco excelſo, diſtantes quaſi per quartam partem unius milliaris à dicto caſtro. Et dictâ horâ Griffinus Woyl * avunculus, David Aſſa conſanguineus germanus, & Ythel propinquus dicti Willelmi Crak, coacti à domino, vidente ipſo teſte & exiſtente prope pedem furcarum, ſuſpenderunt dictum Willelmum in trabe tranſverſali dictarum furcarum cum quadam corda; non tamen advertit, ubi nodus dictæ cordæ curſilis, cum qua fuit ſuſpenſus, applicaretur collo ipſius Willelmi: & immediatè cùm fuiſſet ſuſpenſus, ſcala, per quam aſcenderat ad furcas, fuit ei ſubtracta, ut ſtatim moreretur. Cùm autem pependiſſet dictus Willelmus in dictis furcis per tantum ſpatium (ut arbitratur) quòd homo potuiſſet iviſſe per quartam partem unius milliaris, & emiſiſſet per utroſque meatus inferiores ſuperfluitates naturæ, quæ emittuntur à ſuſpenſis, quando poſt ſuſpendium moriuntur; & reputaretur dictus Willelmus ab ipſo teſte & ab aliis ibi exiſtentibus mortuus, & nullus ex amicis dicti Traharn, qui erat nobilis, ordinâſſet aliquid de redemptione dicti Traharn cum domino, propter quam redemptionem poſt ſuſpenſionem dicti Willelmi diſtulerant aliquantulùm ſuſpendere dictum Traharn, ſuſpenderunt eum carnifices dictæ villæ, ad talia officia deputati, in eadem trabe tranſverſali, in qua fuerat ſuſpenſus præfatus Willelmus.

F

iterumque ſuſpenſus fuit. Deinde corpus ejus

85 Et in continenti cùm ſcala fuit ſubtracta à dicto Traharn, & extendiſſet ſe, dicta trabs fuit fracta per ſe ipſam in medio, & ambo ſuſpenſi ceciderunt ad terram. Et æſtimat, dictam trabem fuiſſe fractam propter debilitatem ſuam; & ambos vidit ipſe teſtis, cùm cecidiſſent à dictis furcis in terram, mortuos, ut viſum fuit eidem; ſed propter opprobrium cognationis prædictorum ſuſpenſorum, & quia ſecundùm morem patriæ non debent à furcis ſine licentia domini amoveri; priuſquam receſſiſſent de prædicto

A &to loco ipſe teſtis & alii armati, fecerunt iterum ſuſpendi dictos Willelmum & Traharn, unum in una tibia dictarum furcarum, & alium in alia. Et poſt ſecundam ſuſpenſionem
ii ipſe teſtis, qui erat ſeneſcallus hoſpitii *ii* prædicti domini, rediit immediatè ad caſtrum, & ſignificavit dicto domino ſuo, prædictos fuiſſe ſuſpenſos & mortuos. Et quia domina Maria uxor prædicti Willelmi petierat corpus dicti Willelmi (neſcit, ex qua cauſa) audito, quòd erant mortui, dictus dominus conceſſit uxori ſuæ prædictæ corpus dicti Willelmi.

donatum dominæ baroniſſæ de Brewes,

86 Et domina rogavit ipſum teſtem, quòd feſtinanter rediens ad furcas prædictas, faceret deponi dictum Willelmum de furcis, & portari ad villam. Et rediens fecit præſcindi cordam, cum qua erat ſuſpenſus dictus Willelmus; & corpus ejus cecidit ad terram. Et præcepit, quòd portaretur ad villam, & vidit, quòd fuit portatus in ſcala, per quam aſcenderat ad furcas: & corpore ejus ibi dimiſſo, fuit reverſus ad miniſtrandum dicto domino ſuo, tunc exiſtenti in prandio in caſtro prædicto. Requiſitus, ſi, quando fuit reverſus ad faciendum
B ipſum Willelmum deponi de furcis, vidit in ipſo aliqua ſigna vitæ; dixit, quòd non; immò
** tanta* credit, quòd tantùm * eſſet in ipſo vita, quanta in lapide. Item requiſitus, qui fuerunt præſentes in dicta ſuſpenſione ad furcas, reſpondit, quòd Henricus Pelliſſarius teſtis ſuprà juratus, ſed nondum examinatus; Henricus de Scorlage, Rogerius de Heve, qui fuerunt de dictis armatis, & plures alii, præmortui.

quæ cùm illud menſurari feciſſet S. Thomæ

87 Item dixit, quòd eadem die cùm dictus dominus comediſſet, prædicta domina, antequam permitteret ipſum teſtem comedere vel bibere in dicto caſtro, tradidit ſibi unum filum acceptum de burſa Margaritæ filiæ ſuæ, & præcepit ſibi, quòd iret in continenti ad menſurandum præfatum Willelmum cum dicto filo ad S. Thomam de Cantelupo. Et vadens ipſe teſtis, invenit corpus dicti Willelmi in quadam domo Thomæ Mathi, propinqua eccleſiæ ſuper terram ſupinum; & oculi ejus pendebant extra palpebras & concavitates ſuas; ſicut vidit aliquando de aliquibus aliis ſuſpenſis conſimile. Et habebat linguam groſſam, lividam in parte extra dentes, ipſis dentibus vehementer
C compreſſam & læſam: & non ſenſit in eo halitum, nec aliquod ſignum vitæ, licèt palpaverit cùm aliis ejus corpus, qui omnes eum palpantes & videntes dicebant & reputabant, eum eſſe mortuum; de quorum nominibus dixit ſe non recolere, quia erat tota domus plena hominibus & mulieribus.

audiſſetque, aliquod vitæ indicium in eo apparuiſſe, cum filia ſua

88 In quorum præſentia extendens brachia dicti Willelmi, menſuravit ejus latitudinem cum dicto filo ad præfatum S. Thomam, & ipſe & major pars illorum, qui erant in domo prædicta, flexis genibus, rogaverunt Deum & dictum S. Thomam, quòd immitterent vitam in dictum Willelmum, ut poſſet agere pœnitentiam de commiſſis, & dixerunt PATER NOSTER & AVE MARIA. Et citò pòſt, ita quòd potuit homo iviſſe, ſicut æſtimat, unum ſtadium, ſive octavam partem unius milliaris, dictus Willelmus movit aliquantulùm unum ex pedibus ſuis (non recordatur, quem) & attraxit halitum, quaſi ſtertendo. Quo viſo, tunc currit ipſe teſtis ad nunciandum prædictæ dominæ, quæ eum fecerat menſurari; & æſtimat, quòd tunc eſſet hora quaſi media inter Nonam & ſolis occaſum.

Et cùm prædicta domina gauderet de dictis ſignis vitæ, & dictus teſtis dixiſſet ei, quòd gaudebat de malo; quia malum erat, quòd ita malus homo reſuſcitaretur; prædicta domina cum militibus & domicellis & aliis familiaribus viri ſui & ſuis vadens ad videndum dictum Willelmum, menſuravit ipſum iterum ad dictum S. Thomam, vidente ipſo teſte, cum alio filo, & Margarita ejus filia cum alio filo menſuravit eum poſt eam ad dictum S. Thomam, rogantes pro ejus vita. Ex PROCES. CAN.

rurſùs menſuravit, ipſumque ad Sancti tumulum poſtea adduxit.

89 Et antequam mater & filia eum menſurarent, apprehenderunt, quòd attrahebat halitum, & poſt menſurationem matris & filiæ oculi ipſius Willelmi, videntibus ipſis matre & filia, teſte, & aliis, qui erant in domo, pendentes fuerunt reducti per ſe ipſos ad concavitates ſuas circa ſolis occaſum, & clauſit dictos oculos & tenuit clauſos per tantum ſpatium, quòd homo potuiſſet iviſſe per unum milliare, ut æſtimat; & poſtmodùm movit & aperuit palpebras; ſed non cognoſcebat homines, nec loquebatur. Poſt quæ dicta domina & ipſe teſtis cum ea rediit ad prædictum caſtrum, & in craſtinum manè fuerunt reverſi ad eum videndum, & invenerunt E ipſum in meliori ſtatu, & videbatur cognoſcere aſtantes; ſed non loquebatur. Et digna domina fecit habere curam de eo, & præparari ſibi ſorbilia de amigdalis. Et in die ſequenti ipſe teſtis audivit eum loquentem; & cùm jacuiſſet aliquot dies (neſcit, per quot) & fuiſſet curatus, poſt menſem, ut æſtimat, à tempore ſuſpenſionis dicti dominus & domina de Brewes adduxerunt eumdem Willelmum peditantem ratione dicti miraculi ad tumulum dicti S. Thomæ in eccleſia Herefordienſi, à qua diſtat dictum caſtrum per tres dietas *kk*. Et poſt reſuſcitationem non audivit, quòd dictus Willelmus aliqua ſiniſtra commiſerit. Item requiſitus, ſi ſciebat vel audiverat referri, præfatum Willelmum Crak ante ejus ſuſpenſionem, vel dum pendebat in furcis, habuiſſe aliquam viſionem vel revelationem ab vèl de aliquo Sancto; reſpondit, quòd non *ll*. *kk* *ll*

ANNOTATA.

a Dunum, *Anglis* Downe, *Hiberuis* Dundalethglas, *parva Hiberniæ civitas eſt, cognominis comitatûs caput, in Ultonia, & epiſcopalis ſub archiepiſcopo Armachano.* F

b *Lege* Armacen., *ut provincia eccleſiaſtica* Armachana *hîc indicetur. Vitioſa item vox videtur* Gorguen.; *nullam enim hujus nominis diœceſim reperi in Hibernia: nec minùs corruptè eadem diœceſis infrà ſcribitur* Coiguenſis, *& in altero apographo* diœceſ. Mignen. *Porrò in hoc poſteriori apographo recenſio teſtium nonnihil variat hoc modo.* Joannes Hirteſwayne parochiæ de Donachi; Alexander filius Walteri, parochiæ de Milton; Willelmus filius Adæ de Virly, ejuſdem parochiæ, Adam de Leneſdale, parochiæ de Neweton, diœceſis Dimen. (*lege* Dunenſis) Matthæus Carpentary, Joannes de Lydel, Alexander filius Gamaël, Joannes filius Nicolay; Jacobus filius Willelmi, Joannes filius Willelmi, Joannes filius Thomæ, & Joannes filius Margaritæ. *Duodecim nautæ hîc numerantur, quot etiam numerârunt commiſſarii Apoſtolici infrà laudandi; quapropter cùm in exemplari, quod edo, dumtaxat decem legerentur, duos uncis incluſos ex hoc altero ſupplevi.*

EX PROCES. CAN.

c *Consule Annotata ad lit. præced. Eædem autem personæ cum aliqua variatione in alio exemplari nostro ita enumerantur:* Martinus le Nottovernes, magister navis; Robertus Cole de Knocfergose, Hugo le Nappesiller, dominus navis; Isaach le Wyth, Richardus de Xues, parochiæ de Knocfergose diœcesi. Mign.

d *Ita planè in utroque Ms. nostro; sed portus iste eo nomine, fortè Hibernico, mihi omnino ignotus est.*

e *Hinc crederem, prædictum portum in Cornubia, Angliæ comitatu quærendum esse, nisi in altero nostro exemplari pro vocibus illis* In Cornubia prope fines Angliæ *legeretur:* In eorum via prope fines Angliæ; *& rectiùs quidem, ut existimo, quia laudati nautæ Hiberni erant, & ex Hibernia venisse videntur.*

f Vasconia, *vulgò* la Gascogne, *nota est Galliæ regio inter Oceanum Aquitanicum, Garumnam flumen montesque Pyrenæos sita.*

g *Id est, faventem auram.*

h *Rectè: cùm enim anno* 1307 *littera Dominicalis fuerit* A, *dies secunda Octobris erat dies Lunæ, seu feria secunda.*

B i *Non sacramentaliter, cùm hujus Sacramenti minister solus presbyter sit; sed ex Christiana humilitate, & ex spiritu contrito.*

k Contrada, *vox Italica Latinè* viam, regionem, viciniam *significat. Nesciebant ergò, versus quam terræ vel littoris partem à tempestate jactarentur.*

l *Alterum apographum nostrum habet* Stotesfpol; *sed neutrum in Mappis reperi; quare id solùm hîc annotabo*, Bathoniam, *Anglis* Bathe, *in cujus diœcesi is locus erat, esse civitatem Angliæ Occidentalis in comitatu Somersetensi, episcopalem sub metropoli Cantuariensi.*

m *Juverit hîc addidisse, quæ commissarii Apostolici in sua ad Clementem V Papam epistola de anathematis nautarum ad* S. Thomæ *sepulcrum appensis, deque his ipsis nautis Hibernicis scripserunt.* Inter quæ (*anathemata multiplicis generis*) invenimus, *inquiunt*, centum septuaginta naviculas argenteas & quadraginta unam cereas, à marinariis diversis pro maris periculis, à quibus dixerant se fuisse miraculosè ejusdem domini Thomæ meritis liberatos, ut dicebatur, oblatas. Et nobis inibi existentibus, fue-
C runt duæ aliæ argenteæ & una cerea apportatæ; & juraverunt coram nobis duodecim nautæ Ybernici, se nuper in quadam navi ex marina tempestate in tantum, quòd multa aqua subintrabat per sentinam & alias partes, conquassata, fuisse miraculosè ejusdem domini Thomæ meritis à naufragio liberatos; & dictam navem sic conquassatam, post invocationem dicti domini Thomæ, voto ad eum, cùm esset prope litus rupium, ad quas à tempestate allidenda propellebatur, emisso, continuò vento mutato, post unum diem ad portum alium, salvis omnibus personis & rebus in ea existentibus pervenisse & confractam permansisse.

n *In Appendice de miraculis inferiùs danda cap.* 2 *recitabo reverendi domini Gilberti procuratoris capituli Herefordiensis de eadem curatione testimonium; quod ibidem consule, si lubet.*

o *Rectè; nam & Gilbertus mox laudatus asseruit, ista anno* 1287 *contigisse.*

p *Nescio, quid hæc vox abbreviata significet.*

q *Locus hic mihi cetera ignotus est; sed verisimiliter tam in hoc, quàm in ecclesia Herefordi-*
ensi fuerit tunc Crux aliqua miraculis clara. D

r *Fortè huc spectant, quæ Papebrochius ex alicujus testis, quem non nominavit, assertione annotavit. Quia aliqui dixerant, quòd dicta* ossa (*S. Thomæ*) stillaverant sanguinem, cùm de loco, in quo obierat, transeundo per terras archiepiscopi Cantuariensis, fuerunt apportata ad ecclesiam Herefordiensem; & ex hoc sperantes, quòd ibi reciperet sanitatem meritis S. Thomæ, pater & mater ejusdem Edithæ fecerunt eam ad dictam capellam portari; & ambiverunt dictum locum, in quo dicta ossa recumbebant, cum quodam filo, in quo facta fuit una candela per Aliciam le Longe.

s *Causam (teste Papebrochio) Robertus Coke, unus è testibus allegavit*, quia ministri ecclesiæ, qui tunc propter custodiam ecclesiæ jacebant in subsacristia ecclesiæ prope chorum, nimiùm inquietarentur ex vociferatione & clamore ejus, existimantes, se minùs inquietari ab eo propter altitudinem dicti pulpiti.

t *Lacuna hîc est in Ms. nostro, quam aliunde nequeo implere.*

u *Consule testimonium domini Gilberti, loco citato ad lit. n.* E

x *Celebratur hoc festum Kalendis Augusti; curata autem fuerit Editha die* 24 *Martii, atque adeò tantùm quatuor menses cum paucis diebus suæ mentis compos supervixit.*

y *In Rubricis de miraculis vocatur* Willelmus filius Apnees, *eoque de argumento sic legitur:* Rubrica de probatione duodecimi miraculi [quod in libro dicitur decimumtertium] facta apud Herefordiam super eo, quòd Willelmus, filius Apnees, parochiæ de Swaynesey, Menevensis diœcesis, qui connominatur ab aliquibus Willelmus Crach, id est Tingnosus (*non intelligo hanc vocem*) fuit in patibulo suspensus & mortuus (ut fertur) & per merita dicti S. Thomæ miraculosè resuscitatus; ad cujus quidem miraculi probationem Thomas de Guynes, procurator capituli Herefordiensis produxit in testes dominum Willelmum, dominum Thomam presbyterum, Joannem de Berham, Henricum Pellipar, Adam de Rowame, Joannem Apenon, quos omnes dixit esse parochiæ & diœcesis prædictarum. Requisitus in virtute juramenti præstiti per eumdem idem procurator, si cre- F
debat, dictum miraculum esse verum, respondit, quòd sic; & quia supradictus Willelmus Apnees nesciebat loqui litteraliter (*id est, Latinè*) nec ydioma Anglicum, nec Gallicum, sed dumtaxat Wallense, ut dicebatur, iidem domini commissarii ad exponendum eidem Willelmo capitula juramenti per eum præstandi, & recipiendam depositionem faciendam per eum, adhibuerunt Fratres Joannem Juvenem & Mauritium de Pencoyt, conventuales in domo Fratrum Minorum de Herefordia, qui dicebantur de Wallia fuisse oriundi, & intelligere & scire loqui ydioma Wallense. Qui Fratres, tactis sacrosanctis Euangeliis, præsente dicto procuratore, juraverunt fideliter exponere dicto Willelmo illa, quæ per dictos dominos commissarios dicerentur eisdem, & fideliter eis referre & receptam responsionem & depositionem ejusdem, & eam tenere secretam, quo usque fuerit legitimè publicatus *. Post quæ capitulis juramenti aliorum testium suprà registratis, in Wallico dicto Willelmo per dictos Fratres, & in Anglico aliis testibus suprà nominatis

* *adde* processus

A minatis per dominum epiſcopum Londonenſem, expoſitis, omnes prædicti teſtes juraverunt *&c.*

z *Fuit hic dominus Wilhelmus de Brewes baro.*

aa *Thomas Mareſcalli, presbyter teſtis juratus, ait, illos id agere coactos à prædicto domino barone. Per parentes autem non progenitores, ſed conſanguineos vel affines, ſeu, ut idem Thomas loquitur*, de parentela ipſius Willelmi *intellige.*

bb *Eodem modo illum vocat laudatus Thomas presbyter, adjiciens, eumdem fuiſſe virum nobilem.*

cc *Hæc, quæ ſcire non potuit ſuſpenſus Willelmus, Thomas presbyter oculatus teſtis expoſuit, ita inquiens:* Cùm autem dictus Wilkelmus eſſet ſuſpenſus, & illi, qui ſuſpendebant eum, traherent unam partem cordulæ, cum qua erat ſuſpenſus, ut ligarent eum ad unam ex tibiis (*id eſt, ad unum è lateralibus ſtipitibus*) dictarum furcarum, prædicta trabs tranſverſalis fuit fracta, & ipſe Willelmus, qui erat ſuſpenſus in dicta trabe tranſverſali, cecidit ad terram.... Et cùm cecidiſſet, quaſi in continente, ita
B quòd (æſtimat) homo non iviſſet ultra centum pedes, fuit dictus Willelmus iterum ſuſpenſus in una ex tibiis dictarum furcarum. Et poſtmodùm cùm vidiſſet eum iterum ſuſpenſum, receſſit dictus teſtis (*nimirum ipſe Thomas presbyter.*) Et audivit publicè referri in dicta villa, quòd fuerat depoſitus de dictis furcis circa horam mediam inter Nonam & occaſum ſolis, & tunc erat mortuus. *Præmiſerat autem, eumdem ſuſpenſum fuiſſe* circa horam meridiei.

dd *Veſpertinum intellige, mox verò infrà matutinum.*

ee *Hoc eſt, in femoralibus ſuis.*

ff *Nec caſtrum* Oſtremue, *nec ſuprà parochiam* Laridiry, *nec multa alia tam ſuperiùs nominata, quàm deinceps nominanda loca, reperire potui; credo, quòd ea partim dudum deſtructa ſint, partim nunc aliis vocabulis veniant, partim etiam in apographis noſtris vitiosè deſcripta ſint.*

gg *Suprà conſtanter dicitur* Trahern Ap Howel; *infrà verò* Traharn.

hh *Videtur hîc error eſſe in hora: nam* Nona *noſtrati tertiæ pomeridianæ reſpondet, & tamen Thomas presbyter ad litt.* cc *relatus ait, illum jam pependiſſe circa horam meridiei.*

C ii Seneſcallus hoſpitii *eſt præfectus victui potuique ſeu menſæ domini ſui. Galli dicunt* le Maitre-d'hotel.

kk Dieta *eſt iter unius diei.*

ll *De eodem miraculo commiſſarii Apoſtolici ad Clementem V ſcripſerunt, procuratorem cauſæ ſibi viſum eſſe probâſſe* reſuſcitationem... unius hominis bis, & cujuſdam mulieris (*de qua vide dicenda inferiùs*) ſemel, ſuſpenſorum.

MIRACULA XIV, XV, XVI ET XVII.

Cæca mulieri viſus redditus: ſuſpenſa in vivis ſervata: pueri, unus ex utroque, alter uno oculo cæcus, ſubitò curati: contracta membris, erecta.

JOannes Alkin, ſæpius juratus & productus in hoc proceſſu, requiſitus, ut narraret, ſi habuerat notitiam prædictæ Agnetis *a*, priuſquam fuiſſet cæca; reſpondit, ſe noviſſe eam, ſunt quadraginta anni & ultrà elapſi, quia fuerunt in eadem parochia nati & converſati; nomina tamen parentum ejus ignorat. Et vidit eam per quindecim annos & ultrà habentem ſanos E oculos, & bene videntem. Poſtmodùm vidit dictam Agnetem per decem annos & ultrà duci ad eccleſiam S. Martini prædictam diebus Dominicis & feſtivis ad audiendum divinum officium per quamdam puellam, filiam *b* filiæ ſuæ (quarum nomen ignorat; dicta puella eſt tamen nunc uxor cujuſdam venditoris piſcium in Herefordia, cujus & nomen ignorat) ſicut ducuntur perſonæ, quæ non vident. Et ipſe fuit in domo ejuſdem Agnetis per triennium continuum ſingulis diebus Dominicis ad miniſtrandum ſibi & aliis in dicta domo aquam benedictam. Et vidit pluries, quòd neſciebat ire, niſi duceretur; ſed non habebat in oculis vulnera, apoſtema, tumorem, maculam vel ægritudinem, quam ipſe teſtis ſciret decernere *, apparentem. Et reputabatur bona mulier, & bonis temporalibus abundabat; ita quòd propter mendicitatem vel quæſtum non confinxiſſet aliquid in prædictis: & dicebatur tunc publicè & communiter in dicta parochia, in qua erat cognita, ipſam eſſe cæcam.

Mulier ultra decennium cæca, a

b

*diſcernere

F 91 Item dixit, quòd, cùm Deus cœpiſſet operari miracula pro dicto S. Thoma in eccleſia Herefordienſi, prædicta Agnes venit ad tumulum prædicti domini Thomæ in dicta eccleſia, & eam vidit ibi tribus diebus, & audivit etiam referri, quòd jacuerat in dicta eccleſia tribus noctibus, & quòd fuerat menſurata ad dictum S. Thomam. Et in craſtinum, ſcilicet in quindena Paſchæ fuerunt viginti anni elapſi, ante horam Tertiæ audito, quòd erat miraculosè illuminata ad tumulum dicti S. Thomæ, ipſe teſtis, qui in illo intermedio vacaverat ad ordinandum proceſſionem propter diei ſolemnitatem in ipſa eccleſia faciendam, accurrens ad tumulum, invenit eam ſanos oculos habentem & videntem. Et recognovit eum, proprio nomine ipſum vocans; & fuit adducta ad dictam proceſſionem, & pulſatis campanis, clero & populo congregatis, narravit, ſe fuiſſe illuminatam meritis dicti S. Thomæ. Inde Deo & ſibi * unà cum his gratias agens & laudans ac glorificans eos: & fuit cantatum Te Deum laudamus. Ex quibus fuit idem teſtis effectus devotior & in fide firmior; idem de aliis credens:

ad S. Thomæ ſepulcrum perſeverans, viſum recipit.

* *i. e.* illi

EX PROCES. CAN.

nec arbitratur, fraudem vel machinationem aliquam, superstitionem vel dæmonum invocationem, sed dumtaxat Dei & dicti Sancti gratiam ultra vires & potentiam naturæ dictæ Agnetis operantem affuisse in prædictis *c*.

c

92 Joannes Alkyn, sæpe juratus & examinatus super aliis miraculis, requisitus, ut narraret, si quid sciebat de prædictis *d*, dixit, quòd non noverat dictam Christinam ante suspendium; sed audivit publicè & communiter referri, quòd prædicta Christina morabatur in dicta parochia de Welinton; & quòd quidam porcus extraneus immiscuerat se cum suis; & quòd dictum porcum, diu retentum & ab aliis non repetitum, cum suis vendiderat. Super quo delata curiæ regiæ fuerat incarcerata in castro regio Herefordiæ, & ex hoc ad suspendium judicata. Et dicebatur publicè & communiter in dicta civitate, eam fuisse per liberos suos mensuratam in introitu carceris ad dictum S. Thomam. Item dixit, quòd (die Sabbati post Pentecosten fuerunt tredecim anni) idem testis vidit prædictam Christinam duci ad patibulum: & cùm esset prope ecclesiam S. Martini in suburbiis civitatis Herefordiensis, fuit, eo vidente, confessa uni Fratri Minori, cujus nomen ignorat; & per ejus filium & filiam iterum mensurata cum filo ad dictum S. Thomam: & hoc fuit ante horam Nonæ per tantum tempus (ut arbitratur) quòd homo potuisset iviſse per unam leucam Anglicanam.

Mulier, dum ad furcam ducceretur, Sancto mensurata, *d*

B

93 Et exinde fuit adducta ad furcas propinquas dictæ ecclesiæ per quartam partem unius milliaris, ut æstimat: ipse tamen testis non fuit eam secutus ad furcas, sed audivit publicè & communiter referri, quòd absque mora fuit ex tunc ducta ad dictas furcas, & in eis ante horam Nonæ cum corda per collum suspensa, & quòd fuerat mortua in dictis furcis, priusquam recederent illi, qui duxerant eam ad suspendium cum decem aliis, post eam suspensis. Et quòd in dictis furcis steterat suspensa usque ad horam vesperarum, & cùm dictâ horâ secundum consuetudinem civitatis Herefordiensis (secundùm quam licet suspensos, postquam mortui sunt, à furcis amotos in cimiterio sepelire, si fuerint de confratria hospitalis S. Joannis, de qua erat Christina prædicta) iviſſent ejus amici & filius ac filia ad deponendum eam de dictis furcis, & asportâssent eam in quadam bera *e* ligatam cum corda, cum qua fuerat suspensa, usque ad ecclesiam S. Martini, ad locum, in quo confessa & mensurata fuerat, quædam mulier parochiæ S. Martini, cujus nomen ignorat, præsente ipso teste & audiente, clamavit, se vidisse, quòd dicta Christina moverat unum pedem, & quòd * introduceretur in dictam ecclesiam S. Martini.

C

e

* ut

post suspendium sepelienda, viva deprehenditur,

94 Et cùm esset, eo vidente, introducta in ipsam ecclesiam, & amota à bera in uno alio loco collocata, fuit locuta *f* & regratiata Deo & dicto S. Thomæ, asserendo justiciariis regiis & aliis, qui ad dictam ecclesiam convenerant, quòd dictus S. Thomas de Cantilupo subportaverat eam per pedes, dum pendebat in dictis furcis, ne moreretur *g*. Et dicebatur publicè, quòd post prædicta stetit in eadem ecclesia S. Martini per tres septimanas, non audens egredi, ne à justiciariis regiis denuò caperetur: & postmodùm secundùm consuetudinem regni accepta cruce in manu & in præsentia dictorum justiciariorum ivit, abjurato regno Angliæ *h*, sicut dicebat, in Hyberniam; & ex tunc non vidit eam.

ab eodem Sancto, ut ipsa aiebat, adjuta. *f*

g

h

D

Puer ex quadam infirmitate biennio planè cæcus, *

95 Margarita, uxor quondam Roberti de Kylpek, requisita, ut seriatim narraret, quod sciebat de cæcitate & illuminatione duorum filiorum suorum Adæ & Rogerii *i*, dixit, quòd jam sunt viginti quinque anni, quòd ipsa testis peperit prædictum Adam in festo Nativitatis B. Mariæ; & habuit pulchros oculos, & vidit ferè per triennium; & exinde dolor capitis & infirmitas oculorum supervenerunt eidem Adæ (nescit, qualiter; quia non recepit ictum, nec vulnus) & habebat tantum dolorem, quòd non poterat quiescere; & mali humores effluebant ex ejus oculis, & aliquando claudebantur palpebræ dictorum oculorum: tunc ipsi oculi inflabantur, & putredine congregata in eis, denuò palpebræ aperiebantur. Et dicta infirmitas adeò prævaluit, quòd de biennio dictus Adam non vidit lucem, nec aliquam rem materialem visibilem, sicut dixit, se frequenter probâsse.

ejusque frater uno oculo captus, E

96 Item dixit, se peperisse prædictum Rogerum (per aliquot dies post Pascha proximè præteritum fuerunt viginti anni) & quando fuit natus, videbat cum utroque oculo; & transactis uno vel duobus diebus à nativitate ejusdem, Petronilla quondam uxor Danielis testis suprà jurati, quæ fuerat obstetrix in principio ejusdem Rogeri, ligavit quadam nocte cum quadam copha *k*, sive infula, ita strictè & improvidè caput ejusdem Rogeri, quòd in manè cùm fuisset idem Rogerus apportatus ad ipsam testem, vidit ejusdem Rogeri sinistrum oculum ratione dictæ ligaturæ præeminere & pendere extra concavitatem suam. De quo cùm nimio affecta dolore redarguisset dictam Petronillam, ipsa Petronilla in præsentia ejusdem testis reposuit oculum in concavitate sua, & post dictam repositionem quidam nodi albi ita grossi, sicut esset uncia pollicis, insurgentes operiebant in tantum totam pupillam & albuginem oculi, quòd cum ipso oculo nihil omnino vidit de tribus septimanis.

k

postquam Sancto mensurati fuêre, eorum primus ad ejusdem tumulum, F

97 Postmodùm Amabilia, soror ipsius testis, rediens de Herefordia, ubi fuerat peregrina ad tumulum dicti S. Thomæ, narrans, quòd Deus inibi multa pro eo operabatur miraculosa, suasit, quòd mensurarentur prædicti Adam & Rogerus ad eum; & ipsa cum uno filo, præsente ipsa teste & vidente, mensuravit utrumque (non recordatur, qua die) & factis quinque candelis de cerea *, misit per Evam filiam Alitiæ, ancillam suam, dictum Adam cum prædictis quinque candelis magnis & longis ad ecclesiam Herefordiensem, præcipiens sibi, quòd staret cum dicto Adam per tres dies & per tres noctes in dicta ecclesia Herefordiensi, tenens unam ex dictis candelis accensam in medio, & alias quatuor in quatuor angulis tumuli dicti S. Thomæ. Et ita retulit, se fecisse; & quòd in tertia nocte fuit visum dicto Adæ, quòd quidam dominus, portans vestes presbyterales albas, cum cruce antè & retrò, apparens sibi terserat ejus oculos cum veste, quam portabat; & quòd postmodùm exiverat per unam magnam fenestram vitream Orientalem prope tumulum.

* cera

alter in materna domo, eadem nocte sanantur.

98 Et dictus Adam apertis oculis respiciebat eum, & petebat, quò iviſſet. Et dominus Gilbertus, qui produxit testes super hoc miraculo, tunc custos dicti tumuli, petiit ab eodem Adam, si videbat: respondit, quòd sic. Et solemniter pu-

A publicato dicto miraculo in ecclesia Herefordiensi, fuit reductus dictus Adam ad domum ipsius testis, sanos oculos habens, & bene videns; & ex tunc nihil mali habuit in eisdem *l*. Item dixit, quòd eadem nocte & eâdem horâ, quâ fuit dictus Adam miraculosè illuminatus, ipsa de cæcitate prædicta dictorum filiorum suorum nimio dolore affecta audivit duas filias suas, scilicet Joannam superstitem, & Amabiliam præmortuam, tenentes prope ignem dictum Rogerum, dicentes ad invicem: Si mater nostra, quæ tanto dolore afficiebatur nocte præterita ex cæcitate hujus Rogeri, videret nunc ejus oculos, bene gauderet. Quibus auditis, accurrens dicta testis & abstergens oculum dicti Rogeri, ad dictam absterssionem amoto nodo, quem habuerat in dicto oculo, vidit ipsum oculum clarum; & ex tunc bene vidit cum dicto oculo idem Rogerus, & nihil mali habuit in eodem *m*.

99 Agnes della Hulle, parochiæ de Clifton *n*, filia Willelmi della Hulle & Margaritæ uxoris suæ, dudum dicitur fuisse contracta, & miraculosè ad tumulum dicti domini Thomæ curata; quæ cum struma & gibbo à dicto domino Gilberto producta, & in ejus præsentia secundùm formam juramenti aliorum testium jurata, respondit requisita, se esse liberam, quinquagenariam & ultrà, & vivere de labore manuum suarum, & morari in civitate Herefordiensi, & non fuisse de parentela vel familia dicti domini Thomæ. Item dixit, se fuisse sanam & robustam per multos annos: & non habebat tunc gibbum vel strumam. Postmodùm supervenit ei quædam ægritudo cum quibusdam puncturis, ex qua fuit effecta gibbosa & strumosa, sicut est nunc. Fuit etiam per quinquennium adeò contracta, quòd non poterat se movere de loco, nec levare brachium dextrum, nisi cum adjutorio sinistri. Et dicta ægritudo fecit rupturam in ejus humero, pectore & latere dextris. Relato autem sibi, quòd Deus operabatur miracula pro B. Maria in ecclesia de Lentwardin, diœcesis Herefordiensis, fuit tracta cum quodam vehiculo per Luciam, sororem suam, & portata ad dictam ecclesiam. Et cùm rector illius ecclesiæ non permitteret, eam manere intra ecclesiam, & staret *o* extrà, unus C homo sibi ignotus, duo animalia ducens, dixit ei, quare non faciebat se portari ad tumulum dicti S. Thomæ in ecclesia Herefordiensi.

100 Et cùm fuisset per dictam sororem adducta cum vehiculo ad dictum tumulum, & mensurâsset dictum tumulum, & de mensura feciisset candelam, & stetisset in dicta ecclesia per quindecim dies vel circà; postmodùm quadam die Veneris (in hebdomada Pentecostes fuerunt viginti & unus anni) apparuit sibi dormienti de nocte in dicta ecclesia quidam vir (nescit, quo indutus) suadens ei, ut voveret, se aliquid facturam ad honorem dicti S. Thomæ. Et excitata, consilio habito cum sorore, vovit, se jejunaturam ad honorem dicti S. Thomæ quartâ feriâ. Et tunc inter horam Primæ & Tertiæ fuit sibi visum, quòd aliquantulùm erigeretur & melioraretur, & post quindecim dies erexit se in tali statu, in quali nunc est. Et ex tunc ivit cum duobus baculis per quartam partem unius anni, & postmodùm cum uno usque ad præsens tempus; sine quo etiam potest ire & ivit coram dictis dominis commissariis. Et hoc ascribit meritis dicti S. Thomæ, & est inde effecta devotior, & in fide firmior; sed dictum miraculum non fuit in dicta ecclesia Herefordiensi publicatum. Item super ultimo interrogatorio, an prece &c, deposuit in Anglico, ut præcedentes, & dixit, se dimisisse vehiculum in prædicta ecclesia Herefordiensi *p*. Ex Proces. can.

l

m

Mulier quinquennio contracta, ad Sancti tumulum vecta,

n

B

o

post votum, quod in somnis facere jussa fuerat, erigitur.

p

ANNOTATA.

a *Hujus miraculi rubrica sic habet:* Rubrica de probatione tertii decimi miraculi (*mihi decimum quartum est*) facta apud Herefordiam super eo, quòd Agnes de la Brok, uxor quondam Hugonis de la Broke, parochiæ S. Martini suburbiorum civitatis Herefordiensis, dicitur miraculosè meritis dicti domini Thomæ recuperâsse visum, quo caruerat per multos annos: ad quod probandum dictus Gilbertus procurator Capituli Herefordiensis produxit hos testes, videlicet Joannem Alkiny, (*alibi* Alkyn *nominatur*) Joannem de Eton, Gregorium de la Birches clericum, cives Herefordienses, & Joannem de Bullinghore de parochia supradicta; qui quidem testes, præsente ipso procuratore, juraverunt.

b Mariotam *dictam fuisse, ait Joannes de* Bollinghope, *vel, ut suprà legitur*, de Bullinghore, *testis* 157, *qui Agnetem* sororem matris E suæ *appellavit.*

c *Accipe etiam testimonium mox laudati Joannis.* Dixit, eam (*Agnetem*) fuisse sororem matris suæ, & uxorem Hugonis de la Broke; nescit tamen cujus filia (*fortè quia ex alio patre aut matre nata fuerat*) & quòd viderat eam habentem sanos oculos & videntem per decem annos vel circà, priusquam efficeretur cæca; & exinde vidit eam duci sicut cæcam annis decem, ut æstimat, per Mariotam, filiam filiæ suæ; non tamen vidit in ejus oculis maculam vel aliquam aliam apparentem læsionem. Item dixit, quòd die Veneris post Octavas Paschæ fuerunt viginti anni, ipse testis venit cum dicta Agnete, quæ ducebatur per Mariotam præfatam, antequam celebraretur Missa B. Mariæ, ad tumulum S. Thomæ in ecclesia Herefordiensi, in qua Deus tunc multa operabatur miracula pro eodem; & vidit ipsam offerre tunc oculos cereos pro illuminatione sua ad tumulum supradictum, & remansit in dicta ecclesia per totam F illam diem & sequentem de die & nocte: & omni die ipse testis vidit eam ibi. Cùm autem ipse testis Dominicâ in quindena Paschæ rediisset ad eam circa horam Primæ (*id est, primo manè*) invenit eam adhuc in dicta ecclesia cæcam, ut priùs. Et cùm deambulâsset per ecclesiam ipse testis, audivit, circa horam Tertiæ (*sive circa nonam matutinam*) ipsam fuisse ad tumulum illuminatam: & accurrens invenit eam ad dictum tumulum; & dixit sibi, quòd meritis dicti S. Thomæ fuerat illuminata ibidem. Et vidit eam discernere colores & alia, sicut faciunt sanos oculos habentes. Et tunc pulsatis campanis, clero & populo congregatis, processione facta, fuit miraculum publicatum, & cantatum, Te Deum laudamus, & dictum S. Thomam. *Idem miraculum in bulla canonizationis memoratur his verbis:* Mulier, quæ per annos plures visu caruerat, nec quoquam ire poterat, nisi ut cæca ab altero duceretur, ducta ad ecclesiam Herefordiensem, & facta oratione ad tumulum S. Thomæ, fuit à cæcitate dicta continuò liberata.

d *Ar-*

Ex Proces. can.

d *Argumentum hujuſce narrationis ex Rubricis miraculorum tale eſt.* Rubrica de probatione decimiquarti miraculi (*apud me decimumquintum eſt*) facta apud Herefordiam ſuper eo, quòd Chriſtina Cray, parochiæ de Willinton diœceſis Herefordienſis, & in patibulo mortua, & poſtmodùm miraculosè meritis dicti domini Thomæ reſuſcitata *; ad quod probandum produxit dictus dominus Gilbertus procurator capituli Herefordienſis in teſtes Joannem Alkyn, Nicolaum barbitonſorem, Gregorium de Birches, Joannem de Eton, ſuper præcedente miraculo examinatos; Robertum de Widimerſtrete, & Jurdanum Herin, cives Herefordienſes, qui, præſente eodem procuratore, juraverunt &c. *Unius tantummodo ex his teſtibus depoſitionem habemus, quam hîc damus.*

* *adde* dicitur

e Bera, *à Gallico* Biere, *Latinè* feretrum *ſeu* ſandapila *eſt.*

f *Joannes de Eton, unus, ut dixi, ex teſtibus, addidit, quòd ipſe,* audito magno tumultu, qui fiebat in eccleſia, accurrens, invenit eam ibidem vivam; & cùm cereviſia calida fuiſſet per Mathildam de Foreſte, vicinam ipſius teſtis, miniſtrata Chriſtinæ ad ſorbendum, & aſſumpſiſſet, projecit per os & evomuit de ſanguine, quaſi unam quartam partem lagenæ; & poſtea fuit locuta.

B

g *Si hoc ita eſt, dicenda eſt hæc mulier à morte immunis divinitus ſervata, non reſuſcitata.*

h *Vetus eſt hæc regni Angliæ conſuetudo, ut, ſi quis capitalis criminis reus in eccleſiam aut cœmeterium, aſyli causâ, confugiſſet, is manu crucem tenens, crimen ſuum coram miniſtris regiis fateretur, editoque juramento ſponderet, ſeſe intra præfixum à legibus tempus toto regno Angliæ exceſſurum, nec in illud umquam rediturum &c. Quibus factis, liber ei dabatur egreſſus ad portum, ex quo erat profecturus. Qui de his plura volet, adeat Cangium in Gloſſario ad vocem* Abjuratio.

i *Ex Rubricis miraculorum iſta dennò præmitto.* Rubrica de probatione decimiquinti & decimiſexti miraculorum, facta apud Herefordiam ſuper eo, quòd Adam de Kylpek, & Rogerius frater ejus, filii quondam Roberti de Kylpek & Margaritæ ejus uxoris, parochiæ de Strangeforde, diœceſis Herefordienſis, dicuntur fuiſſe per multos annos cæci, & poſtmodùm miraculosè meritis dicti domini Thomæ illuminati: ad quæ probanda dominus Gilbertus procurator Capituli Herefordienſis produxit eoſdem Adam & Rogerium, & matrem eorum, & dominum Willelmum de Bradewere capellanum, curam ad tempus gerentem dictæ parochiæ de Strangeforde, Jacobum de la Pini, Danielem Tudenar, & Willelmum de Kilpek ejuſdem parochiæ: qui quidem teſtes, præſente eodem procuratore, tactis &c, juraverunt &c. *Nunc matrem teſtantem audiamus.*

C

k Copha *à Gallico* Coëffe *ſeu* Coiffe, *lene tegumentum capitis eſt, è lino, lana ſimilive molli materia conſutum.*

l *Ex dictis tantùm biennio cæcus fuit; unde corrigas Rubricam, in qua per multos annos cæcus fuiſſe liberaliùs dicitur. Rectiùs in bulla canonizationis legitur:* Puer inſuper quinque annorum, qui ex infirmitate quadam omnino viſum perdiderat, & duobus annis manſerat ita cæcus, ductus ad hujus Sancti tumulum, oratione facta, viſum recuperavit perfectè.

m *Ex hiſce liquet, Rogerum non cæcum, ſed ſolùm luſcum, ſive unius dumtaxat oculi lumine captum fuiſſe, & quidem* tribus *tantùm* ſeptimanis, *non per* multos annos, *uti in ſupradicta Rubrica perperam aſſerebatur.*

D

n *In Rubricis dicitur fuiſſe* parochiæ de Cliftone, diœceſis Herefordienſis.

o *Jam aliàs monui, verbum* ſtare *pro eſſe in quolibet ſitu corporis in toto hoc proceſſu uſurpari. Hîc adhiberi pro* jacêre, *manifeſtum eſt.*

p *Alios hujus curationis teſtes non reperi, niſi Fratrem Joannem de Brompton, ſed ejuſdem teſtimonium non habeo. Atque hîc finis eſt ſeptemdecim miraculorùm, quæ in Romano codice* 4015, *qui à tergo inſcribitur* Proceſſus de vita D. Thomæ de Cantalupo, *ſive in ſecunda ejuſdem proceſſus parte primo loco recenſentur. Sequebantur hîc in eodem codice Rubricæ miraculorum, in prima proceſſûs parte, in qua de S.* Thomæ *geſtis agitur, ſparſim poſitorum; ſed cùm has partim jam dederim, partim etiam multò uberiùs habeam in teſtium depoſitionibus expoſitas, illas in Appendicem ſervo, atque hinc ad miracula tredecim, quæ ibidem mox ſubduntur, progredior.*

E

PARS II.

MIRACULORUM.

Varia miracula & beneficia variis collata.

Procurator cauſæ multa miracula in ſcriptis offert,

ITem eadem die *a* prædictus procurator capituli Herefordienſis exhibuit prædictis dominis commiſſariis quoſdam quaterniones de pergameno, in quibus quidem quaternis continentur ducenta & ſeptem miracula infraſcripta; videlicet ſuper reſuſcitatione quadraginta duorum mortuorum: item ſuper illuminatione triginta trium cæcorum: item ſuper erectione triginta octo contractorum: item ſuper curatione viginti quatuor claudorum, & ſuper curatione novem paralyticorum: item ſuper reſtitutione auditûs trium ſurdorum: item ſuper reſtitutione loquelæ ſeptem mutorum: item ſuper curatione decem freneticorum & furioſorum: item ſuper curatione aliarum diverſarum infirmitatum & diverſorum caſuum quadraginta. Quibus quidem quaternis præfatis dominis commiſſariis redditis, & coram ipſis & coram præfato domino Richardo epiſcopo Herefordienſi, & ejus capitulo & clero eccleſiæ Herefordienſis, ab eiſdem dominis commiſſariis coram ſe evocatis, ex integro lectis, & juramento ab ipſis omnibus (qui non fuerant aliàs ſuper hoc negotio producti in teſtes, & qui non juraverant aliàs dicere veritatem ſuper toto iſto negotio uſque ad ejus finem dictis dominis commiſſariis) tactis ſacroſanctis Euangeliis, tunc ſingulariter à ſingulis præſtito, fuerunt prædicti domini epiſcopus & ejus canonici, omnes tunc in civitate Herefordienſi præſentes, & infraſcripti de clero Herefordienſi, interrogati ab ipſis dominis commiſſariis poſt ſingula miracula contenta in ipſis quaternis, ſeriatim lecta, ſi credebant, dicta miracula omnia & ſingula eſſe vera,

F

A vera, & poſſe probari, & fore publicata & publica & communiter aſcripta meritis dicti domini Thomæ.

quæ propter brevitatem temporis ſummatim probantur à teſtibus,

2 Et omnes unanimiter, nemine diſcrepante, reſponderunt, quòd ſic ſub virtute juramenti præſtiti per eoſdem; adjicientes nihilo minùs in virtute præſtiti juramenti per eos, quòd nullam ſciebant, nec credebant fraudem adeſſe vel affuiſſe in miraculis antedictis. Nomina verò prædicta jurantium & deponentium ſunt iſta: Magiſter Henricus de Schorne archidiaconus Herefordienſis: dominus Gilbertus vicarius de Magna Marcle, & Thomas de Guynes, procuratores in iſto negotio capituli Herefordienſis: qui fuerunt proteſtati in nomine dicti capituli, ſe & dictum capitulum, ſi (quod non credebant) in poſterum opus eſſet, prædicta miracula & alia plura, quæ ſcripta ſunt in dictis quaternis, probaturos. Nomina teſtium. Prædictus dominus Richardus epiſcopus Herefordienſis; Magiſter Robertus de Glouceſtria cancellarius, domini Johannes de Kemeſeya, Richardus de Someſſeld, Magiſter Johannes de ſancto Johanne, canonici.

B *quorum nomina recenſentur;*

3 Dominus Hugo pœnitentiarius, dominus Willelmus de Luda, Richardus de Webeleye, Joannes de Pounde, Willelmus dictus Juvenis, Thomas Piſtor, Radulphus de Evesham, Alfredus Hugo de Caus, capellani, & Hugo de la Bache diaconus, cuſtodes tumuli dicti domini Thomæ; Willelmus Vallet, Elias de Suitone, Radulphus Milet, Thomas de Leminiſtre, Walterus de Suitone, Walterus de la Bache, Joannes Raci, Richardus de Credeley, Willelmus Storly, Nicolaus de Yaneworche, Joannes de Kingeſtone, Walterus de Tibretone, Joannes Helle, Joannes de Burghelle, Philippus de Witeneye, Rogerus de Poſthemente, Joannes de Maureden, Rogerus de Cruce & Joannes de Witeneye, presbyteri; Richardus de Morone, Willelmus de Balkemare, Joannes Kok, Walterus de Coblintone, Rogerus de Broynton, Walterus Lemaſon, Philippus de Stradel, Walterus de Willeye, diaconi & ſubdiaconi; & Joannes de Magdalena juratus, qui receſſit in lectura rubricæ de mutis: qui omnes ſunt de choro & gremio eccleſiæ Herefordienſis.

C *nonnulliſque circa hæc decretis,*

4 Poſt hæc dicti domini commiſſarii videntes, quòd in multis ex miraculis, in dictis quaternis contentis, non continebatur annus nec dies; quia dicebatur, fuiſſe omiſſum ab illis, qui abſtrahendo de aliis quaternis & abbreviando, dictaverant in eiſdem quaternis contenta; præceperunt eidem domino epiſcopo & dictis tribus procuratoribus in virtute juramenti præſtiti per eoſdem, quòd fideliter inſererent in margine dictorum quaternionum poſt ſingula miracula, in quibus abbreviatores non appoſuerant annum nec diem, dictos annum & diem, de quibus eſſent certi per inqueſtas *b* & informationes ac probationes ſuper dictis miraculis dudum receptas & habitas in eccleſia Herefordienſi: quòd ſe facturos, reſponderunt.

b

duodecim miracula ſpecialiùs probantur.

5 Subſequenter cùm antedicti procuratores dicerent, ſe multos teſtes habere in promptu ad probandum veritatem multorum miraculorum, in dictis quaternis contentorum, & aliorum, & eſſet magna pars populi civitatis Herefordienſis in cathedrali eccleſia ad teſtificandum congregata, & de tempore non reſtaret dictis dominis commiſſariis, niſi quod ſupererat de iſta die XIII menſis Novembris uſque ad horam Veſperarum *c*, fuerunt per eos ſummariè recepti & examinati ſuper infraſcriptis duodecim miraculis, de quibus continentur in quaternis miraculorum ſex (ſcilicet ſecundum, tertium & quartum, ſeptimum, octavum & nonum) infraſcripti teſtes, poſt ſingula miracula nominati & examinati, à procuratoribus prædictis producti, & in ipſorum procuratorum præſentia, tactis ſacroſanctis Euangeliis, jurati dicere veritatem. Ex Proces. can. *c*

Nobilis miles, ſexennio contractus, d

6 Primum miraculum. Dominus Milo prædictus, juratus & examinatus, depoſuit in Gallico, ſe propter torneamenta *d*, quæ hactenus ſecutus fuerat, adeò fuiſſe per ſex annos contractum in tibiis, quòd nullo modo ire poterat, ſed ſemper cum pudore & dolore tibiis complicatis manebat, & per nullam artem medicorum ſibi potuerat ſubveniri. Cùm autem ei perſuaſum fuiſſet à domino Richardo, nunc epiſcopo Herefordienſi, ut veniret ad quamdam maximam ſolemnitatem, ab ipſo epiſcopo in feſto Reſurrectionis Domini, quando per ipſum epiſcopum fuerunt tranſlata oſſa ipſius domini Thomæ in tumulo, in quo nunc ſunt, faciendam *e*; ipſe teſtis feciſſet ſe apportari in quodam curru ad Herefordienſem civitatem, & audiviſſet, quòd in dicta tranſlatione ollium Deus fuerat multa miracula pro ipſo ſancto Thoma in die Jovis ſancta & in die Paraſceve operatus, confeſſus peccata ſua, fecit ſe portari ad dictum tumulum horâ Veſperarum in die Sabbati ante dictum feſtum Reſurrectionis, rogans devotè dictum S. Thomam nobilem, ut eidem militi nobili, ſic abjecto & miſero, compateretur, & ut curationis gratiam obtineret. *e* E

ad Sancti ſepulcrum ſubitò ſanatur.

7 Manè autem facto, cùm fieret in dictâ eccleſia Herefordienſi repræſentatio reſurrectionis Domini, dixit, ſe adeò plenè & perfectè ad dictum tumulum ejuſdem S. Thomæ meritis fuiſſe curatum, quòd eadem die exultans in Domino ſervivit coram epiſcopo ſupradicto in ſolemni convivio celebrato per eum, & ex tunc dixit, ſe fuiſſe ſanum & potentem; ſicut nunc eſſe apparet. Et eſt ſciendum, quòd iſte miles famoſus & notus eſt, & miraculum, quod in ejus perſonam accidiſſe dicitur, valdè vulgatum; & pluries fuerat coram dictis dominis commiſſariis diebus præcedentibus, & obtulerat, ſe prædictum miraculum per multos fide dignos probaturum; ſed propter alias probationes ſuper aliis miraculis miniſtratas non fuerat admiſſus. Teſtis centeſimus octuageſimus primus, Dominus Gilbertus procurator prædictus depoſuit de infirmitate, miraculoſa curatione & ſanitate dicti militis, de viſu; & eſt ſciendum, quòd hoc miraculum non eſt contentum in quaternis prædictis. F

Puero linguâ, à noverca præciſa, Sancti ope reddita:

8 Miraculum ſecundum. Item intendit probare dictus procurator ſecundum miraculum in rubrica de mutis contentum; videlicet quòd Hugo de Stoktone, filius Agnetis Leſcepeſtere, à biennio mutus, loquelam receperit, & quòd omnibus inſpicientibus in os ejus magna portio linguæ ſuæ videtur de novo meritis dicti S. Thomæ creviſſe. Ad quod probandum produxit dominum Joannem vicarium de Leminiſtre, Herefordienſis diœceſis, & Walterum tinctorem, & Walterum Walen, capellanum de eadem parochia, & Robertum Piſtorem, ejuſdem parochiæ. Super prædictis depoſuerunt dicti, vicarius, quòd prædicta dicuntur publicè & communiter in parochia ſupradicta; præfatus Wal-

Ex Proces. can.

terus tinctor, quòd vidit linguam prædicti Hugonis præciſam, quam dicebatur noverca ipſius Hugonis abſciſiſſe *; & poſtea vidit eamdem linguam integram, & novam partem linguæ adhærentem parti veteri ipſius linguæ non præciſæ, & publicè ac communiter dicitur miraculosè factum eſſe meritis dicti S. Thomæ. Robertus dixit, ſe vidiſſe linguam præciſam cuidam dictæ parochiæ, quem non novit ex nomine, ſed ex intuitu perſonæ; & dicitur, quòd à noverca ejus fuit præciſa. De appoſitione novæ linguæ & miraculo nihil ſciens. Walterus Walen dixit, ſe noviſſe unum infantem, qui vocatur Joannes, in dicta parochia, & vidiſſe ejus linguam præciſam & à noverca, ut dicebatur, ipſius; & poſtmodùm novam linguam veteri ſuperadditam meritis, ut communiter dicitur, dicti S. Thomæ.

* abſcidiſſe

vir & mulier contracti, ab eodem greſſu donati,

9 Tertium miraculum. Item intendit probare prædictus procurator, quòd Joannes de Hanneleye, parochiæ de Credeleye, diœceſis Herefordienſis, fuerit per ſeptem annos contractus, & poſtmodùm meritis dicti S. Thomæ miraculosè curatus, cùm rediret de eccleſia Herefordienſi. Ad cujus quidem miraculi, & quarti miraculi proximè ſubſequentis probationem producit hos teſtes; videlicet dominum Petrum de Ekynton * capellanum de Credeleye, Julianam Kinges, Joannem de Hanneleye, ejuſdem parochiæ de Credeleye, Joannam della Tuyalle *, Philippum Leambler, Ricardum dictum Leku. Iſtud miraculum continetur in quaternis. Quartum miraculum. Item intendit probare prædictus procurator, quòd Juliana de Credeleye ſupradicta fuerit contracta per multos annos, & poſtmodùm in ſomnis admonita, ut viſitaret tumulum dicti S. Thomæ, fuerit ibi miraculosè curata. Iſtud miraculum continetur in quaternis.

B

al. de Kynton

al. Guyalle

quod tam ipſimet, quam alii

10 Dominus Petrus prædictus depoſuit in Gallico, ſe vidiſſe dictum Joannem claudum; & quòd idem Joannes narraverat, ſe ſomniâſſe & viſionem habuiſſe, quòd curaretur ad tumulum dicti S. Thomæ; & cùm veniſſet ad dictum tumulum contractus, ambulans & bene vadens inde receſſit. Dictam autem Julianam, dixit, ſe vidiſſe, dum eſſet in parochia illa capellanus, claudam & ire nequientem; & dicebatur habuiſſe viſionem à dicto S. Thoma, quòd balnearetur; & ſe poſt dictam viſionem balneâſſe; & poſtea vidit eam euntem. Juliana prædicta, quæ incedebat cum baculo curva *f*, depoſuit in Anglico, quòd fuerat contracta per ſeptem annos, & quòd non potuerat ire, & quòd habuit viſionem in ſomnis à dicto S. Thoma, ut balnearetur; & cùm balneâſſet ſe, fuit curata.

C

f

oculati teſtes aſſeruerunt:

11 Joannes prædictus in cujus perſonam dicitur dictum miraculum contigiſſe, depoſuit in Anglico, ſe fuiſſe per multos annos contractum & confractum, & quòd in ſomnis habuerit viſionem, quòd veniret ad tumulum dicti S. Thomæ; & cùm veniſſet, & non permitteretur intrare eccleſiam, & ſtare prope dictum tumulum, & reverteretur, fuit in via revertendo curatus meritis dicti S. Thomæ. Joannes de Tuyalle depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe dictum Joannem & Julianam per ſeptem annos contractos. Et dictus Joannes aliquando jacebat in via publica, non habens alibi, ubi jaceret; & poſtmodùm vidit eos ſanatos meritis, ut dicebatur, dicti S. Thomæ, de quo habuerant viſiones. Philippus depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe utrumque contractum, & poſtmodùm infra iſtum annum curatum meritis dicti S. Thomæ. Ricardus depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe utrumque contractum, & poſtmodùm curatum meritis dicti S. Thomæ; & quòd Juliana fuerat curata infra iſtum annum, & Joannes, erat triennium elapſum.

D

item alius vehementer contractus, illius ope reſtitutus.

12 Quintum miraculum. Item intendit probare dictus procurator, quòd Philippus Paniot parochiæ de Magna Cowerne, diœceſis Herefordienſis, fuerat per multos annos contractus, & poſtmodùm miraculosè meritis dicti S. Thomæ erectus. Ad quod probandum produxit in teſtes Philippum prædictum, dominum Robertum vicarium de Magna Cowerne, Joannem Philippi, Walterum Panyot & Rogerum de Barat; & non continetur in quaterno miraculorum. Philippus Paniot depoſuit in Anglico, ſe per quinque annos adeò fuiſſe contractum, quòd non poterat ire, & poſtmodùm ad tumulum & meritis dicti S. Thomæ fuiſſe curatum; in die S. Jacobi fuerunt duo anni. Robertus vicarius dixit in Gallico, ſe vidiſſe prædictum Philippum per quinque annos contractum in tantùm, quòd non poterat ire; & poſtmodùm fuiſſe curatum meritis dicti S. Thomæ; in die S. Jacobi fuerunt duo anni. Joannes Philippi dixit in Anglico, ſe vidiſſe dictum Philippum adeò contractum, quòd tibiæ hærebant coxis; poſtmodùm vidit ipſum, neſcit qualiter, curatum. Walterus dixit in Anglico, ſe vidiſſe eum adeò contractum per quinque annos, quòd non poterat ſe movere; & poſtmodùm fuit curatus (duo anni ſunt elapſi) meritis dicti S. Thomæ; neſcit, qua die. Rogerus dixit in Anglico, ſe vidiſſe eum contractum per quinque annos, & fuiſſe curatum ad dictum tumulum, ad quem fuerat adductus in quodam equo per ipſum Rogerum: in die S. Jacobi fuerunt duo anni.

E

Puer naturali morte defunctus,

13 Sextum miraculum. Item intendit probare dictus procurator, quòd Joannes filius Adæ de la Hulle, parochiæ de Credeleye, fuerit mortuus, & per merita dicti S. Thomæ miraculosè reſuſcitatus. Ad quod probandum induxit Joannem Honwit, dominum Petrum de Ekintone, capellanum parochiæ de Credeleye, diœceſis Herefordienſis, & Adam Leuremon *. Non continetur in quaternis miraculorum. Joannes Honwit depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe prædictum Joannem, filium Adæ, tunc dimidii anni, jam ſunt quindecim anni elapſi, mortuum morte naturali; & ipſe menſuravit eum ad dictum S. Thomam: & cùm ſtetiſſet mortuus, & eum vidiſſet mortuum à galli cantu uſque ad horam Nonæ, menſuratus ad dictum S. Thomam, revixit. Dominus Petrus depoſuit in Gallico, ſe audiviſſe publicè & communiter narrare prædicta in parochia ſupradicta. Adam depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe (ſunt quindecim anni elapſi, neſcit, quo die) dictum Joannem, filium Adæ de la Hulle, à galli cantu uſque ad horam Nonæ mortuum, & ad dictum S. Thomam menſuratum revixiſſe.

al. Leureinon

F

& puella in ſtagno extincta,

14 Septimum miraculum. Item intendit dictus procurator probare, quòd Lucia de Aſpertone, filia Matildis de Eldeburg, Herefordienſis diœceſis, in quodam ſtagno caſu ſubmerſa & mortua, meritis dicti S. Thomæ fuerit reſuſcitata. Ad quod probandum produxit infraſcriptos teſtes, ſcilicet dominum Ricardum, capellanum

A lanum de Aſperton, Matildam de Eldeburg, Reginaldum Bayardum, Hugonem Bayardum, & Walterum de Capel. Iſtud continetur in quaternis miraculorum. Ricardus depoſuit in Gallico, quòd non erat in parochiai, quando contigit miraculum ſupradictum; ſed publicè & communiter dicitur meritis dicti S. Thomæ dicta Lucia poſt mortem fuiſſe reſuſcitata. Matildis mater dictæ Luciæ depoſuit in Anglico, quòd dicta Lucia filia ſua fuit in aqua ſubmerſa circa horam mediam inter Tertiam & Nonam, & quòd fuit extracta de aqua mortua circa horam mediam inter Nonam & ſolis occaſum. Et fuit menſurata ad dictum S. Thomam; & poſtmodùm circa galli cantum revixit, die Veneris poſt feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis *g* in Maio fuerunt octodecim anni.

g

S. Thomæ menſurati reviviſcunt.

15 Raynaldus depoſuit in Anglico, prædictam Luciam fuiſſe ſubmerſam circa horam meridiei, & jacuiſſe ſubmerſam in aqua uſque ad horam mediam inter Nonam & ſolis occaſum: & cùm eſſet extracta mortua, fuit menſurata ad dictum S. Thomam, & revixit, cùm ſtetiſſet mortua uſque ad galli cantum; die Veneris

B poſt feſtum ſanctæ Crucis in Magio fuerunt octodecim anni. Et dixit, cùm revixiſſet prædicta Lucia, ſe fuiſſe cum domino Thoma, ipſo teſte eam interrogante, ubi fuerat. Hugo Bayard depoſuit in Anglico, dictam Luciam fuiſſe ſubmerſam circa horam meridiei die Veneris poſt feſtum S. Crucis (in Madio fuerunt octodecim anni) & circa horam inter mediam Nonam & ſolis occaſum fuiſſe de aqua abſtractam & menſuratam ad dictum S. Thomam; & quòd ſtetit mortua uſque ad galli cantum; & tunc revixit, & dixit omnibus petentibus, cùm revixiſſet, ſe eſſe filiam dicti S. Thomæ. Walterus dixit, publicè & communiter referri in dicta parochia ſupradicta, de quibus alii teſtes depoſuerunt de viſu.

Mulier ſeptem annis contracta,

16 Octavum miraculum. Item intendit dictus procurator probare, quòd Anicia de la Putte de Caſtelfrome, diœceſis Herefordienſis, fuerit per multos annos contracta, & poſtmodùm miraculosè curata meritis dicti S. Thomæ. Ad quod probandum produxit infraſcriptos teſtes, ſcilicet Willelmum Siward, capellanum parochialem de dicto Caſtelfrome, Galfridum de

C la Putte, Willelmum de la Putte, Richardum le Carpenter, & Emmam * de la Putte. Iſtud

**al.* Annam

non continetur in quaternis miraculorum. Ricardus capellanus depoſuit in Gallico, ſe vidiſſe dictam Aniciam ſanam, antequam ipſe eſſet in dicta parochia, & poſtmodùm vidit eam contractam per ſeptem annos: & cùm fuiſſet menſurata ad S. Thomam prædictum, fuit cu-

h rata (in die S. Nicolai *h* fuerunt ſeptem anni) in eccleſia Herefordienſi. Galfridus dixit, ſe vidiſſe eamdem Aniciam per ſeptem annos contractam; & poſtmodùm fecit eam apportari per quatuor perſonas ad eccleſiam Herefordienſem. Et cùm fuiſſet menſurata & ſtetiſſet per tres dies, fuit curata.

poſt habitam viſionem ad ejuſdem tumulum evadit incolumis;

17 Et primò dixit, quòd erant jam viginti anni; poſtmodùm quòd erant duodecim, & quòd illud fuit quartum miraculum, quod Deus fuerat operatus pro dicto S. Thoma. Willelmus depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe dictam Aniciam per ſeptem annos contractam. Poſtmodùm dicebatur habuiſſe in ſomnis, quòd curaretur ad tumulum dicti S. Thomæ; & cùm fuiſſet menſurata & portata ad eccleſiam Herefordienſem, fuit ibi curata; in feſto S. Nicolai fuerunt viginti anni. Poſtmodùm dixit, ſe de annis, quot ſunt, quòd curata fuerit, non recordari. Ricardus depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe prædictam Aniciam per ſeptem annos contractam, & poſtmodùm curatam, jam ſunt viginti anni (neſcit, qua die) cùm fuiſſet menſurata ad dictum S. Thomam, & habuiſſet de eo, ut dicebatur, quamdam viſionem. Emma depoſuit in Anglico, prædictam Aniciam fuiſſe ſororem ſuam, & ſe vidiſſe eam contractam per ſeptem annos; & cùm habuiſſet viſionem, quòd curari debebat ad tumulum dicti S. Thomæ, & fuiſſet menſurata ad eum; apportata ad dictum tumulum per quatuor mulieres, fuit ibi curata, ipſa Emma præſente; neſcit, quâ die, ſed erant ſeptem anni. Poſtmodùm dixit, quòd erant ultra novem; quia dicta Anicia nupſerat poſt dictam curationem, & habebat quandam filiam novem annorum.

Ex Proces. can:

item alteri contractæ

18 Nonum miraculum. Intendit probare dictus procurator, quòd Quenelda Tidihorn *, parochiæ de Foy Herefordienſis diœceſis, per multos annos contracta, fuerat miraculosè curata meritis dicti S. Thomæ. Ad quod probandum induxit in teſtes dominum Henricum vicarium Deffoy, Ricardum de Foy, Henricum Hok & Walterum Franceys. Continetur in quaternis miraculorum. Henricus vicarius depoſuit in Gallico de relatu alieno, quòd dicta Quenelda fuerat contracta tribus annis, ut publicè dicebatur, & habebat genua & tibias incurvata; & quòd poſtmodùm fuit meritis dicti S. Thomæ miraculosè curata; & ſubſequenter vidit eam ſanam. Ricardus depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe dictam Queneldam adeò per tres annos contractam, quòd nullo modo poterat ire de quatuor annis *i*.

** al.* Quentilda Gydihorn

E

i membrorum uſus ibidem conceditur.

19 Et domina Juliana de Tregoz, ſoror dicti domini Thomæ *k* fecit eam confiteri, & menſuravit eam ad dictum S. Thomam, & fecit eam portari ad ejus tumulum, & vidit eam inde redire ſanam. Henricus depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe dictam Queneldam adeò contractam bene per quatuor annos, quòd nullo modo poterat ire, niſi rependo manibus per terram. Poſtmodùm portata (neſcit, quo anno, nec quo die) ad tumulum dicti S. Thomæ, & ad eum menſurata, fuit ibi curata & bene erecta. Walterus depoſuit in Anglico, ſe vidiſſe dictam Queneldam adeò contractam per tres annos, quòd non poterat ire, niſi rependo manibus per terram; & cùm dicta domina Juliana Tregoz (jam ſunt novem anni elapſi; neſcit, qua die) ſuaſiſſet ei, quòd confiteretur; & feciſſet eam menſurari ad dictum S. Thomam, fuit curata; & dicta domina Juliana adduxit eam ad eccleſiam Herefordienſem.

k

F

Puellula à canis ſuſpenſa, Sanctò menſurata,

20 Decimum miraculum. Item intendit dictus procurator probare, quòd Margarita, filia Ricardi Pinke, parochiæ de Welinton Herefordienſis diœceſis, fuit mortua, & meritis dicti S. Thomæ reſuſcitata. Ad quod probandum produxit infraſcriptos, ſcilicet Sibillam Tilie matrem dictæ Margaritæ, dominum Rogerium vicarium de Welintone, Cæciliam Wade & Sibillam Adevode *. Non eſt in quaternis miraculorum *l*. Sibilla depoſuit in Anglico, ſe dimiſiſſe dictam filiam ſuam, tum ſexdecim hebdomadarum, in cunabulis; & cùm iviſſet dicta Sibilla ad tondendum quamdam bidentem hora matutinali, & rediſſet, tonſa bidente, ad domum,

** al.* Acewode

l

EX PROCES. CAN.

mum, invenit dictam filiam suam mortuam, pendentem per brachium suspensam in cunabulis *m*. Cùm autem stetisset mortua usque ad horam vesperarum, & capellanus B. Mariæ ejusdem loci mensurâsset eam ad dictum S. Thomam, revixit. Rogerius vicarius dicti loci idem ex communi & publico relatu populi dicti loci deposuit in Gallico, & quòd die Lunæ post festum sanctæ Crucis in Madio fuerunt octodecim anni. Cæcilia deposuit in Anglico, se vidisse dictam Margaritam mortuam ex prædicta suspensione ab hora matutinali usque ad horam vesperarum, & quòd mensurata ad dictum S. Thomam, revixit; die Lunæ post festum S. Crucis fuerunt octodecim anni. Sibilla deposuit in Anglico, se vidisse eam mortuam ab hora matutinali usque ad horam vesperarum; & quòd mensurata ad dictum S. Thomam revixit; die Lunæ circa festum S. Crucis in Madio fuerunt octodecim anni.

m

item infans exanimis natus

21 Undecimum miraculum. Item intendit probare prædictus procurator, quòd Joannes, filius Roberti de Boklond *n*, parochiæ de Elemare Herefordiensis diœcesis, fuerit natus mortuus, & postmodùm meritis dicti S. Thomæ fuerit & adhuc sit vivus. Ad quod probandum produxit dominum Ricardum de Kuolle, vicarium ejusdem loci, prædictum Robertum, & Agnetem d' Abitot ejus uxorem, & Joannam Hobin. Non est in quaternis miraculorum. Gerardus vicarius deposuit in Gallico de fama in parochia & relatu patris, & quòd hæc fuerant isto anno, quo dictus procurator probare intendit *o*, & quòd pater fecit eum baptizari propter timorem mortis *p*, priusquam infans esset præsentatus in ecclesia Herefordiensi; sed non vidit eum mortuum. Robertus deposuit in Gallico, prædictam uxorem suam sibi retulisse, quòd non senserat motum in utero suo, quando peperit dictum eorum filium ab hora Nona diei Dominicæ præcedentis, usque ad horam mediam diei Lunæ, quâ peperit eum mortuum in media Quadragesima isto anno *q*; & postquam fuit natus mortuus, vidit eum tanto tempore mortuum, quòd ipse potuisset iviſſe per unum milliare & plùs, ut credit.

n

B

o

p

q

eidemque mensuratus,

22 Et cùm fuisset mensuratus ad dictum S. Thomam, apparuerunt in eo signa vitæ, & adhuc vivit; & præsentavit eum coram dominis commissariis antedictis. Et dixit, quòd postmodùm fuit infirmus, & quòd iterum mensuratus convaluit. Agnes mater dicti Joannis deposuit in Anglico, eum fuisse natum mortuum; & quòd non senserat in eum * motum in ventre suo ab hora media diei Dominicæ usque ad horam eamdem diei Lunæ sequentis in media Quadragesima proximè præterita. Et cùm fuisset sic natus mortuus & postmodùm mensuratus ad dictum S. Thomam, revixit, & adhuc vivus est. Et vidit eum mortuum per tantum spatium (ut arbitratur) quòd homo iviſſet per unum dimidium milliare. Et fuit ei relatum, quòd post puerperium ejus, antequam ipsa eum videret, steterat tanto tempore mortuus, quòd homo iviſſet per alium * dimidium milliare. Joanna deposuit in Anglico, quòd dicta Agnes peperat memoratum Joannem mortuum, ea vidente, quæ erat obstetrix, circa horam vesperarum; & dicta Agnes narraverat ei, quòd non senserat in eo motum in utero suo ab hora Nona diei Dominicæ præcedentis, quousque peperit eum; & videtur ei, quòd steterat mortuus per tantum spatium, quòd potuisset iviſſe per dimidium milliare.

C

* in eo

* aliud

D

altera quoque infans à matre oppressa, resuscitantur.

23 Duodecimum miraculum. Item intendit probare dictus procurator, quòd Læticia, uxor Willelmi fabri de Kinges, parochiæ Yeune *, Herefordiensis diœcesis, oppresserit Agnetem filiam suam de nocte dormiendo, & quòd ex dicta oppressione dicta Agnes fuerat mortua, & postmodùm revixerit, mensurata ad dictum S. Thomam. Ad quod probandum produxit prædictam Læticiam & Joannam uxorem Willelmi fabri *r*. Istud non continetur in quaternis miraculorum. Læticia prædicta deposuit in Anglico, dictam filiam suam fuisse ab ea, quæ tunc erat infirma, in lecto suo oppressam, & ex oppressione mortuam (circa festum S. Michaëlis fuerunt decem & novem anni) & excitata vidit eam mortuam per tantum spatium, quòd homo iviſſet per unum milliare & amplius. Et cùm fuisset mensurata ad dictum S. Thomam, revixit, & quòd erat tenera * quatuor septimanarum dumtaxat; & fuit conquassata ex oppressione: fluxit multum de sanguine ab ore & naribus Agnetis prædictæ. Joanna prædicta deposuit in Anglico, se suscepisse dictam Agnetem mortuam de gremio matris suæ (circa festum B. Michaëlis sunt multi anni, sed non recolit, quot) & vidit eam mortuam per tantum spatium, quòd homo potuisset iviſſe unum milliare & amplius. Et cùm fuisset mensurata ad dictum S. Thomam, revixit. Non est in quaternis miraculorum.

* *al.* Pyeune

r

* *al.* revera

E

F

ANNOTATA.

a *Erat die* 13 *Novembris, ut mox patebit.*

b *Id est, per* inquisitionem.

c *Nimirum quia tunc terminabatur quatuor mensium spatium, à Clemente V Papa ad inquirendum de vita & miraculis* S. Thomæ *illis præfixum.*

d *Hoc est*, hastiludia, *ac prælia ludicra.*

e *Facta est hæc translatio anno Christi* 1287. *Adi Commentarium prævium* § 13.

f *Intellige, ante curationem.*

g *Mense Maio, sive die* 3 *ejusdem mensis, colitur festum Inventionis sacrosanctæ Crucis; festum autem Exaltationis ejusdem die* 14 *Septembris. Unum ergò festum pro altero hîc positum est.*

h *S. Nicolaus Myrensis episcopus diem sibi sacrum habet* 6 *Decembris.*

i *Fortè hîc legendum est* tribus annis, *vel suprà* tres annos.

k *Adi Commentarium prævium* § 1.

l *Imò est. Adi Partem* 3, *num.* 4.

m *Loco mox citato, easu rectiùs sic expositus est:* Dimissa in cunabulo minùs cautè sub custodia cujusdam infantis alterius, ... vinculisque cunabuli resolutis, seu ex motu infantis nimis laxatis, à cunabulis decidit, & capite cum humeris ad ima vergente, pedibus verò ac tibiis superiùs firmiter ligatis, horribiliter sic pependit *&c.*

n *In altero apographo nostro legitur:* De Kok Lond.; *utro modo rectiùs, haud dispicio.*

o *De anno nihil à procuratore assertum legi.*

p *Hoc pater non dixit, uti mox apparebit.*

q *Isto loquendi modo videtur indicare annum, quo testabatur, nempe annum* 1307, *quod etiam ex testimonio Agnetis mox constabit.*

r *Aut hic fuit diversus à patre puellæ resuscitatæ,*

A *tatæ, aut error latet: nam ſuprà dicitur* Lætitia *fuiſſe uxor* Willelmi fabri, *patris dictæ puellæ Agnetis.*

PARS III

MIRACULORUM.

PRÆFATIO.

IN hac cedula continentur quædam de miraculis, quæ operata eſt potentia ſummi Dei his diebus in eccleſia cathedrali Herefordienſi, & in diverſis partibus mundi, eidem eccleſiæ per juramentum fide dignorum nunciatis *a*, ad laudem & gloriam ſui nominis, & ad declarationem meritorum & vitæ laudabilis ſervi ejus, piæ memoriæ domini Thomæ de Cantulupo, quondam epiſcopi eccleſiæ ſupradictæ, cujus oſſa in eadem eccleſia ſunt ſepulta.

a

B ANNOTATUM.

a *Vide dicta in Parte* 2, *à num.* 1.

CAPUT I.

Mortui & pro mortuis habiti, vitæ & ſanitati reſtituti.

Puella naturali morte, altera in aquis exſtincta, *a*

QUædam puella infans de Broinzard *a* Herefordienſis diœceſis, nomine Iſabella, ad dicti Viri tumulum portabatur, de qua tale miraculum accidit; videlicet, quòd, poſtquam mortua per quatuor horarum ſpatium evidenter exſtiterat, invocato per parentes ipſius puellæ ac alios ipſius Viri Dei ſuffragio, Deus eam à mortuis ſuſcitavit. Item quædam puella, Lucia nomine de Aſperton Herefordienſis diœceſis, filia Matildæ de Aeldebrugge, in quodam ſtagno profundo caſu ſubmerſa circa horam diei ſextam, ſub aquis jacuit ſic extincta uſque ad horam ejuſdem diei undecimam, & tunc extracta de aquis, licèt jam diu fuiſſet defuncta, ipſam tum dicto Servo Dei illi, qui ad hujuſmodi ſpectaculum aderant, devotiſſimè commendârunt; & oblatâ pro ea candelâ longitudinis & amplitudinis ipſius, ut moris eſt patriæ, Viro Dei prædicto, ſtatim à mortuis reſurrexit.

C

Item altera ex angina, aliaque ex ſubmerſione mortuæ reviviſcunt. *b* *c*

3 Item quædam puella, Alicia nomine, filia Roberti Mathiæ de Pion Regis *b*, Herefordienſis diœceſis, invaleſcente morbo, quem ſquinanciam *c* medici vocant, hora matutinali moriens, uſque poſt horam primam ejuſdem diei defuncta jacuit. Et tunc Servo Dei prædicto per parentes & alios commendata, factaque pro ea oblatione candelæ ad longitudinem & latitudinem ipſius, ut moris eſt patriæ, ſtatim eſt cælitus à mortuis ſuſcitata. Item quædam puella, Mabilia nomine, filia Joannis de Aſſchewede, in parochia de Lombleye de comitatu Staffordienſi, Wigornienſis *d* diœceſis, in quodam ſtagno profundo caſu ſubmerſa circa horam Nonam diei ſub aquis jacuit ſic extincta uſque ad horam primam noctis ſequentis. Et tunc ex aqua extracta, licèt jam diu fuiſſet defuncta, ipſam tamen Servo Dei Thomæ pontifici hi, qui ad hujus ſpectaculum aderant, devotiſſimè commendârunt. Et factâ pro ea oblatione candelæ longitudinis & latitudinis ipſius puellæ, ut moris eſt patriæ, ſtatim altiſſimi Dei potentiâ à mortuis reſurrexit per ſuffragium Viri Dei prædicti.

d

Ex PROCES. CAN.

Infans à matre oppreſſa, alia è cunis ſuſpenſa,

4 Item quædam mulier, uxor Willelmi dicti le Sunth de Kingeſpenne, oppreſſit filiam ſuam dormiendo: & cùm evigilâſſet, & ipſam mortuam inveniſſet, ipſam ululando & plorando ſic mortuam pluribus oſtendit convocatis. Qui compaſſionis lacrymas effundendo, infantem, ut moris eſt patriæ, cum oblatione candelæ, ut prædictum eſt, Servo Dei commendârunt prædicto; & ſtatim infans per infinitam Dei potentiam reſurrexit *e*. Item infans quædam, nomine Margarita, filia Ricardi Pink de Welinton, Herefordienſis diœceſis, dimiſſa in cunabulo minùs cautè ſub cuſtodia cujuſdam infantis alterius, abſente aliquamdiu matre ſua, vinculiſque cunabuli reſolutis, ſeu ex motu infantis nimis laxatis, à cunabulis decidit, & capite cum humeris ad ima vergente, pedibus verò ac tibiis ſuperiùs firmiter ligatis, horribiliter ſic pependit ab aurora diei uſque ad horam primam ejuſdem diei. Redeunte tum ad ipſam matre ſua prædicta, inventa eſt per tale ſuſpendium exſpirâſſe. Clamans igitur & ululans mulier memorata multos ex vicinis ad illud miſerandum ſpectaculum congregavit, inter quos etiam fuit parochialis eccleſiæ capellanus. Placuit igitur his, qui aderant, ut pro reſuſcitatione ipſius Deo & Servo ejus prædicto promitteretur oblatio: quo facto, ſtatim per infinitam Dei potentiam revixit, & manus ſuas movit per auxilium Viri Dei prædicti *f*.

e

E

f

puella ſubmerſa, altera biduo mortua reſuſcitantur. **al.* Inteſone

5 Item puella quædam, Alicia nomine, filia Roberti Luteſone *, de Herdewik in parochia de Derherſte Wigornienſis diœceſis, per infortunium cecidit in ſtagnum profundum: ſub aquis jacuit & latuit ſic ſubmerſa tanto temporis ſpatio, quanto poſſent duo milliaria peragrari ab homine lento paſſu. Et cùm ipſam amici ejus extraxiſſent in aridam, & ipſam Servo Dei more ſolito commendâſſent, & factâ pro ea oblatione candelæ longitudinis & latitudinis ipſius puellæ, ut moris eſt patriæ, confeſtim cum multorum admiratione revixit. Item vir quidam, nomine Laurentius, dictus Haraud, de Gipeſwik * Norwycenſis *g* diœceſis, & uxor ejus, Mabilia nomine, cum ſua familia & aliis pluribus fide dignis juraverunt ad tumulum Viri Dei, quòd dicta Mabilia gravi infirmitate conſumpta ſpiritum exhalaverat & mortua fuerat duobus diebus. Completis etiam omnibus pertinentibus ad officium vel exequias mortuorum in domo ipſius, ſupervenit quidam vir extraneus de partibus Herefordiæ, videnſque, dominum domûs & ejus familiam magno dolore gravari, ipſis conſuluit, ut modicum aquæ in quodam ſcipho argenteo, quem tunc vidit à latere poſitum ſuper ſcamnum ibidem, in nomine Salvatoris & ſervi ejus Thomæ pontificis, ipſorum auxilium invocando pro reſuſcitatione ejus, funderent in os ejus: & ſtatim per merita ipſius Servi Dei revixit. Et ipſum ſciphum argenteum cum aliis oblationibus devotiſſimè obtulerunt ad tumulum Viri Dei prædicti.

F

**al.* Gipeſwyt

g

Ex Proces. can. *Puer è morbo mortuus, alter mortuus repertus, duo alii ſubmerſi,*

6 Item adducti ſunt ad tumulum Viri Dei duo parvi filii nobilis viri domini Joannis Burdun, militis de comitatu Notingham *h*, quorum amici juraverunt, quòd junior filius memoratus tam gravi ægritudine per ſeptem dies laboraverat, quòd, ipſis aſtantibus & videntibus, ſpiritum exhalavit, & ſic mortuus jacuit ab hora prima diei uſque ad horam undecimam veſpertinam, in qua per conſilium capellani ejuſdem votum Servo Dei pro ipſius pueri ſuſcitatione fecerunt. Quo facto, puer ſtatim miraculosè revixit & os ſuum aperuit, cibum ſumens per auxilium ſummi Dei. Item quædam mulier de Pyon Regis venit ad locum prædictum & dixit, quòd filius ſuus parvulus inveniebatur mortuus inter brachia ſua circa mediam noctem, & ſic jacuit mortuus uſque ad horam primam: cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, ſtatim revixit, & tertia die ſequente cum patre & matre ſanus delatus fuit ad locum prædictum. Item quidam puer de Okynton de Glouceſtr *i* ſubmerſus fuit & ita jacuit mortuus per dimidium diem; cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, eadem die priſtinæ reſtitutus erat ſanitati. Item quidam puer juxta Tenkeb ſubmerſus fuit in tinea *k* plena cerviſiæ, & ita jacuit mortuus per dimidium diem; cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, eodem die priſtinæ reſtitutus erat ſanitati.

h

i

B

k

ac quatuor variè extincti, ad vitam revocantur.

7 Item quidam paterfamilias de Spalding acceſſit ad locum prædictum & dixit, quòd filius ſuus jacuit mortuus ab hora matutinali uſque ad horam primam; cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, eadem die priſtinæ erat reſtitutus ſanitati. Item nutrix Adæ le Wiſe * de Glouceſtria oppreſſit puerum dicti Adæ, ſecum in lecto jacentem, & ſic jacuit mortuus per ſpatium unius horæ diei. Cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, ſtatim revixit, & in hebdomada ſequenti à dicta nutrice delatus ſanus venit ad locum prædictum cum atteſtatione vicinorum loci, ſcilicet Glouceſtriæ. Item quædam mulier de Manceſtre de comitatu Lancaſtriæ *l*, nomine Margarita, acceſſit ad locum prædictum cum filio ſuo & dixit, quòd idem filius ſuus parvulus die S. Joannis de Beverlaco *m* ſanus, ſubitò cecidit in terra horâ primâ, & ita jacuit mortuus uſque ad veſperam. Cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, illico revixit, & eadem nocte priſtinæ reſtitutus erat ſanitati. Item filius Philippi Coci parvulus circa mediam noctem inventus fuit mortuus inter brachia matris ſuæ, cùm à ſomno excitata fuiſſet, & ſic jacuit mortuus uſque in auroram; cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, ſtatim revixit & citò poſtea priſtinæ reſtitutus erat ſanitati.

al. le Wyſe

l

m

C

Aliis variè ſubmerſis vita redditur.

8 Item quædam mulier juxta Briſtoll *n*, cum filio ſuo venit ad locum prædictum, & dixit, quòd idem filius ſuus parvulus ſubmerſus fuit in quemdam puteum; & ita jacuit mortuus ab hora nona uſque ad veſperam. Cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, illico revixit, & in craſtino priſtinæ reſtitutus erat ſanitati. Item quidam paterfamilias de Forneby * de comitatu Lancaſtriæ acceſſit ad locum prædictum cum filio ſuo parvulo, & dixit, quòd idem puer ſubmerſus fuit in quodam vivario, & ſic jacuit in aqua ab hora nona uſque ad horam veſpertinam; cúmque extractus fuiſſet & menſuratus ad Virum Dei, eadem nocte revixit, & in craſtino priſtinæ reſtitutus erat ſanitati. Item quidam paterfamilias, nomine Gervaſius de Lancadot * prope Druſlay cum uxore ſua nomine, Agnete, & filia ſua parvula, nomine Mabilia, acceſſerunt ad locum prædictum & fatebantur, quòd eadem filia ſua per inundationem aquæ dejecta fuit in quamdam aquam, nomine Thuy, & ſic ſubmerſa jacuit in eadem aqua ab hora nona uſque ad horam veſpertinam. Cúmque extracta fuiſſet à dicta aqua, uſque ad horam primam ſequentem fuit mortua; ſed mox cùm ad Virum Dei menſurata fuiſſet, illico revixit, & in craſtino priſtinæ erat reſtituta ſanitati. Item mulier quædam juxta Briſtoll venit ad tumulum Viri Dei, jurans, quòd quidam filius ſuus parvulus juxta quemdam puteum gradiens minùs cautè, cecidit in eundem: cujus infortunio mater valdè compatiens, ſtatim extrahere eum de puteo fecit; & extractus mortuus ſic jacebat à nona uſque ad veſperam; cúmque ipſum ſervo Dei Thomæ pontifici menſurâſſet, ſtatim revixit per merita Viri Dei.

n

* *al.* de Forne

* *al.* Lantadoc

Unus è morbo, altera è lapſu oſtii, tertia in aquis extincti, reviviſcunt.

9 Item quidam paterfamilias de Salopia *o* juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filius ſuus tam gravi morbo & febri acuta vexatus extiterat, quòd mox, cunctis videntibus, ſpiritum exhalavit, & ſic ab hora veſpertina uſque ad mediam noctem ſequentem ſine ſpe vitæ jacebat exanimis, ſed cùm parentes ipſius defuncti Servo Dei votum voviſſent, & eum, prout moris eſt patriæ, menſurâſſent, ſtatim mortuus ille revixit, ſanitatem integram conſecutus per auxilium Viri Dei. Item vir quidam, nomine Wilhelmus Stari, de parochia de Bureford Herefordienſis diœceſis, cum uxore ſua venerunt ad tumulum Viri Dei, & juraverunt, quòd filia eorumdem parvula, nomine Matildis, per quoddam oſtium obruta ſeu oppreſſa, judicio cunctorum aſtantium ſpiritum exhalavit; & ſic mortua per ſpatium duorum milliarium & amplius *p* ſic jacebat; cúmque parentes defunctæ eam Dei Famulo menſurâſſent, ſtatim revixit, ſatis ſubitò reſtituta ſanitati & vitæ per auxilium Viri Dei. Item mulier quædam, nomine Matilda de Conpeſtre, de Malmesbury *q* venit ad tumulum Viri Dei, & juravit, quòd filia ſua Elionora in aquis ſubmerſa, ſic jacuit mortua ab hora prima uſque ad horam nonam diei; cúmque mater puellæ defunctæ ipſam Dei Famulo menſurâſſet, ſtatim revixit per omnipotentiam ſummi Dei.

o

E

p

q

Item puer in inundatione, & puella in puteo.

10 Item mulier quædam, Margarita nomine, de Scardeburg *, cum quodam filio ſuo parvulo accedens ad tumulum Viri Dei, aſſeruit, quòd idem filius ſuus in villa prædicta per inundationem aquæ ſubmerſus, ſic jacuit mortuus nocte illa, & in craſtino uſque ad horam primam diei; ſed cùm mater ipſius filium ſuum mortuum ad Dei Famulum menſurâſſet, ſtatim revixit per adjutorium & merita Viri Dei. Item quidam juvenis de Kerſtolſton in valle de Beuver, nomine Ricardus, acceſſit ad locum prædictum cum uxore ſua, nomine Emma, & jurati fatebantur, quòd filius eorumdem, nomine Nicolaus, ſubmerſus fuit in quadam foſſa; & ita jacuit mortuus per ſpatium quinque leucarum: cúmque menſuratus fuiſſet ad Virum Dei, citò revixit, & in craſtino priſtinæ reſtitutus erat ſanitati. Item quidam fideliter aſſerentes, quòd Felicia, filia Willelmi de Weſton, de comitatu Staffordiæ *r*, in puteum quemdam cadens, per ſpatium unius miliaris in eodem jacuit ſic extincta; & cùm pater puellæ prædictæ eam quæreret, nec eam inveniret omnino, tandem venit ad

* *al.* Stardeburg

F

r

A ad puteum ſupradictum, & filiam ſuam mortuam ibi videns, ſtatim eam extraxit; quæ ſine omni anhelitu atque vita ab hora matutinali uſque ad horam tertiam exanimis ſic jacebat. Et cùm amici ipſius defunctæ de morte dolentes eam menſurarent, ut moris eſt patriæ, Viro Dei, miraculosè revixit, ſana effecta per auxilium ſummi Dei.

Quatriduo mortuus, reſuſcitatur, ſ

11 Item Willelmus le Mercer de Pinchebeck juxta Spaldon in Holonde *ſ* veniens Herefordiam, evidenter probavit, quòd, cùm Walterus filius ſuus tranſitum faceret minùs cautè gradiendo juxta quemdam puteum valdè profundum, cecidit in eumdem, & in ipſo per duos dies & duas noctes mortuus latuit & ſubmerſus. Et cùm diu fuiſſet quæſitus, tandem in hujuſmodi puteo eſt inventus; cúmque parentes ipſius extraxiſſent eumdem, & poſt alios duos dies & integras duas noctes jaceret ſic exanimis ſuper terram, coronarii regis exſpectando adventum *t*; & tandem obtinuiſſent ab eo licentiam, ut corpus defuncti traderent ſepulturæ, reduxerunt ad memoriam de multis miraculis, quæ operatus eſt ipſe Deus per merita famuli ſui Thomæ,

t

B & voventes prædictum mortuum Viro Dei, plicaverunt unum denarium ſuper eum, & ecce ſatis ſubitò, qui mortuus fuerat, miraculosè revixit, reſtitutus integræ ſanitati per merita Viri Dei.

Mulier mortua reputata, lapſus ex arbore, ſubmerſus in puteo, reſtituti.

x

12 Item quidam armiger venit ad tumulum Viri Dei, nomine Joannes de Colevile, de comitatu Suthfolchiæ *u*, offerens equum unum, pretii duarum marcarum, ad tumulum beati Viri prædicti; referens aſſertione fideli, quòd cùm ipſe quadam die dictum equum equitare contingeret, quædam infirmitas ſubita caput ſuum phantaſiis undique circumvolvens, eum arripuit, per quam viſum & loquelam ſtatim amiſit. Quod videntes ſocii, qui cum eo fuerant comitati, duxerunt ad domum matris ſuæ non longè ab illo loco diſtantem; quem venientem ad domum matris prædictæ de equo ſumentes ipſum poſuerunt in lectum; & ſic jacuit tota nocte abſque loquela & viſu. Manè autem facto, accedentes amici ejus, ipſum mortuum invenerunt. Quem valdè plangentes, pro eo, ſicut pro mortuo, ſepulturæ neceſſaria paraverunt. Horâ autem veſpertinâ mater ipſius defuncti pro morte filii ſui nimio dolore afflicta,

C ad B. Thomæ pontificis ſuffragium devotè confugit, promittens eidem equum filii ſui defuncti, ſi pro vita ſua funderet Deo preces. Quo facto, qui fuerat mortuus, ſtatim revixit, & alloquens matrem ſuam increpare cœpit eamdem, eo quòd à dulci ſomno eum voluit excitare; & ſic vitam & ſanitatem cælitus eſt adeptus per merita Viri Dei.

Mulier mortua reputata, lapſus ex arbore, ſubmerſus in puteo, reſtituti.

x

13 Item acceſſerunt ad tumulum Viri Dei, qui fide digno teſtimonio aſſerebant, quòd domina Iſabella de Maſſy, uxor domini Ricardi de Maſſy, de comitatu Ceſtriæ *x*, per ſpatium duarum leucarum fuit mortua reputata; cúmque amici ipſius dominæ Viro Dei pro ea votum feciſſent, viva & ſana cælitus eſt effecta per potentiam ſummi Dei, & in evidentiam hujus miraculi ipſa domina unam tunicam de ſerico obtulit poſtmodùm ad tumulum Viri Dei. Item probatum fuit ad tumulum Viri Dei miraculum, quod ſequitur teſtimonio fide digno, videlicet quòd, cùm quidam, nomine Joannes de Syrop, ad nidum cujuſdam corvi ſcanderet quamdam quercum, ad æſtimationem ſexaginta quinque pedum & ampliùs, & minùs cautè ſe tenens in ea, caſu fortuito cecidiſſet, & ſic jacuiſſet mortuus reputatus per ſpatium horæ unius, & aſtantes eum ſervo Dei Thomæ pontifici menſurâſſent, & plicâſſent unum denarium ſuper eum, oculos ſuos ſtatim aperuit & vitam obtinuit per merita Viri Dei. Item mulier quædam, Eva nomine dicta Kuaytho *, de Petereſtowe in Irchenfend, Herefordienſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filius ſuus, Gregorius nomine, in puteum quemdam ceciderat, in quo ſubmerſus & mortuus per ſpatium dimidiæ diei jacuerat; quem extractum de puteo Servo Dei ſecundùm patriæ conſuetudinem menſurârunt: quo facto, mox puer ille revixit & ſanus effectus eſt per merita Viri Dei.

Ex Proces. can.

al. Knaytho

Moribundus, fugatis dæmonibus, à Sancto ſanatus.

14 Item Joannes Gunſelyn de Stanes Londonenſis diœceſis, & alii plures cum illo venerunt ad tumulum Viri Dei, & juraverunt ibidem, quòd ipſe Joannes tanta fuerat infirmitate gravatus, ut vicinus morti, vel protinus moriturus ab aſtantibus crederetur, & dum ſic quaſi in extaſi poſitus aliquamdiu jacuiſſet, vidit dæmones horribiles & quàm plures ad ſe accedere,

E & eundem laniando & trahendo per manus & pedes de loco ad locum proterviter conculcare; unde nimio (nec mirum) timore perterritus Deum, ut potuit, inſtanter oravit, ut per merita ſervi ſui Thomæ pontificis ſibi in illo neceſſitatis articulo ſubveniret. Et ecce, dum intra ſe devotiùs ſic oraret, vidit Virum Dei protinus ad ſe venientem, qui caput ipſius infirmi ſuſcepit in manibus, & cùm diutius dicti dæmones decertâſſent cum ipſo, quis magis dominaretur ægroto, tandem quaſi circa auroram diei per auxilium Viri Dei omnes dæmones ſunt fugati, infirmi capite in ipſius Servi Dei manibus remanente. Ipſe autem æger, quaſi de gravi ſomno evigilans, mox repperit ſe curatum & ſanitati divinitus reſtitutum per merita Servi Dei.

Mulieri & infanti mortuo nato vita conceſſa:

15 Item vir quidam, Philippus nomine, de Peneburgg, piſtor, & Editha uxor ipſius, ad tumulum Viri Dei prædicti juraverunt, quòd puella quædam, Tibot nomine, filia eorumdem, tam gravi fuerat ægritudine cruciata, ut ſpiritum exhalaret ſecundùm teſtimonium omnium aſtantium tunc ibidem; & ſic defuncta ja-

F cebat ab hora prima diei uſque ad horam nonam ejuſdem. Ipſi verò parentes ipſius anguſtiati vehementiſſimis triſtitia & dolore pro morte ſuæ filiæ memoratæ, tandem Patrem & Deum totius conſolationis cœperunt devotiſſimè exorare, ut meritis ſervi ſui Thomæ pontificis vitam ſuæ filiæ reſtituere dignaretur. Quo facto, quaſi ſubitò puella miraculosè revixit, à mortuis ſuſcitata per merita Viri Dei. Item mulier quædam, Placentia nomine, de villa de Malling Roffenſis diœceſis *y*, juravit ad tumulum Viri

y

Dei, quòd, cùm filium mortuum peperiſſet, & tribus diebus mortuus jacuiſſet ſecundùm teſtimonium omnium vicinorum, tandem Dei Famulo menſuratus, ſubitò miraculose revixit per auxilium Viri Dei; quem ſtatim aſſumentes amici ad baptiſterium portaverunt, & baptizato in ſignum miraculi Servi Dei nomen fuit impoſitum.

item viro poſt biduum, puero ſubmerſo, infanti recèns nato,

16 Item vir quidam, nomine Nicolaus de Box *, de villa de Malling Roffenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ipſe tempore Autumnali in tantum exinanitus fuerat exceſſivo labore, quòd quaſi ſyncopim *z* pati-

al. de Bor

z

cus,

Ex Proces. can.

ens, imò potiùs, ut à vicinis omnibus dicebatur, quasi mortuus & sine omni anhelitu per duos dies jaceret exanimis; & * amici ejus compatientes eidem, Dei & servi ejus Thomæ auxilium invocâssent, & ipsum more solito mensurâssent, statim revixit mortuus per auxilium Viri Dei. Item vir quidam, Willelmus de Crowedone nomine, de comitatu Cantebrugg *aa*, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filium habuit nomine Joannem, qui, dum juxta puteum aquæ curreret seu luderet, in puteum cecidit, in quo jacuit puer submersus ab hora diei prima usque ad horam nonam; & tum extractus de puteo, mortuus est inventus. Et cùm amici defuncti pro suscitatione ipsius oblationem Dei Famulo promisissent, statim revixit, infra triduum restitutus pristinæ sanitati. Item quidam ad tumulum Viri Dei aderant, qui referebant & asserebant bona fide, quòd, cùm Joanna, tunc uxor Petri de Bosehin *, Cistren. *bb* diœcesis, in crastino S. Bartholomæi cum tantis doloribus filium peperisset, ut ab omnibus ipsum cernentibus mortuus putaretur; & ita exanimis jacuisset ab hora matutinali usque ad horam nonam ejusdem diei, de consilio amicorum votum voverunt parentes pro puero; quo facto, subitò infans ille infinita Dei virtute revixit per merita Viri Dei.

17 Item quidam Walterus de Hayles Molendinarius *cc* juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filius suus parvulus in stagno molendini abbatiæ de Hayles *dd* prædictæ fuit submersus; & sic jacebat exanimis ab hora diei nona usque ad auroram diei sequentis. Sed cùm ipsum extraxissent ab aquis parentes pueri sic defuncti, & ipsum mensurâssent, ut moris est patriæ, Servo Dei prædicto, statim revixit, restitutus pristinæ sanitati. Item Agnes, filia Willelmi Pendok, de parrochia de Mirdeford *, ad Servi Dei tumulum est adducta, de qua tale miraculum est probatum; videlicet quòd ipsa in ægritudinis languore jacebat & * mortua; tandem Viro Dei, ut moris est, mensurata, per ejus suffragium cælitus est curata. Item Agnes de Beadehede, de parochia de Chetkelee juxta Crokesden in comitatu Staffordiensi, habuit filium, nomine Henricum, qui oppressus erat cum * nutrice sua, & jacuit mortuus à media nocte usque ad tertiam horam diei sequentis, & mensuratus domino Thomæ episcopo Herefordiensi, cælitus vitam recepit. Sciendum, quòd de tribus mortuis resuscitatis fit mentio infrà sub rubrica de casibus, id est, XLI, XLII & XLIII de casibus *ee*.

18 Item Florentia, filia Joannis Austin, de Cacenhuam juxta Cantebrugg, cecidit in quodam fonte, & morabatur in aqua, & ibi jacuit, usque dum quidam alius puer currebat à fonte ad domum patris sui, & pater ejusdem præcucurrit ad fontem, & extraxit filiam suam ab aqua. Et mortua erat super terram per spatium dimidiæ leucæ: & tandem voverunt Deo & B. Thomæ; & statim revixit. Item Joannes, filius Gilberti *ff* de Crowedon in comitatu Cantebrugg, cecidit in quamdam foveam aquæ, & jacuit in aqua à meridie usque ad noctem: & extractus ab aqua erat mortuus usque ad auroram; & sic mensuratus B. Thomæ episcopo Herefordiensi vitam pristinam cælitus recepit. Item Joannes, filius Hugonis Londonensis de Radenheche, de communi de Gokynham *, cecidit in foveam aquæ; & extractus ab aqua jacuit mortuus ab hora Nonæ usque ad vesperam; & mensuratus B. Thomæ episcopo, & statim cælitus per merita Servi Dei pristinæ vitæ redditus est.

19 Item accidit in curia domini Alani Plokenet *gg*, quòd præcepto ejus volentes armaturam suam tentando visitare, præcepit cuidam famulo suo, Joanni nomine de Auste, ut indueret arma sua: & cùm coram eo indutus stetisset, accessit quidam de sociis, tentare volens, si jam fiduciam in illis habere posset, assumpsit cultellum, & tentando percussit eum, & graviter vulneravit cum cultello in sinistra parte circa cor. Et extracto cultello, mensuraverunt, quinquè pollices de cultello infra * corpus extitisse de dictis armis. Et stillavit sanguis tantæ quantitatis, quòd vix in eo aliquid remansit, & ipse ad terram prosiliens, corruens * tamquam mortuus; & circumstantes planctu & pietate conflicti *, quid agerent, timuerunt. Tandem bonæ memoriæ Thomæ de Cantalupo mensuraverunt eum beato viro Thomæ; & statim cœpit emendari & ad vitam revocari. Venit dominus Alanus cum majoribus de familia sua ad tumbam B. Thomæ, jurans & contestans, quòd personaliter interfuit & vidit factum rei gestæ, & cum prædictis testimonium perhibuit.

Ex gravi vulnere pro mortuo habitus, sanatur.

ANNOTATA.

a *Quod suprà alibi monui, id hîc rursum pro sequentibus semel monuisse sufficiat, nomina paræciarum villarumque à me passim frustra quæri in Lexicis, Mappisque geographicis regni Angliæ, ejusque rei triplicem causam esse posse, nimirum vel quòd minora hæc loca modò non exstent, vel quòd nomina mutârint, vel denique quòd in apographis nostris vitiosè scripta planéque deformata sint.*

b *In altero apographo nostro est:* De parochia Pyon Regis.

c Squinancia *à Græco* Κυνάγχη, *Latinè est* angina, *acutus gutturis morbus, respirationem intercludens.*

d Staffordia *indigenis* Stafford-Shire, *comitatus Angliæ est, cui à Meridiana plaga adjacet comitatus Wigornienſis, Anglis* Worcester-Shire, *cujus caput Wigornia sive* Worcester, *episcopalis civitas est sub archiepiscopatu Cantuarienſi.*

e *Miraculum hoc, veluti specialiùs probatum, jam dedi in Parte 2, num. 22, ubi tamen in loco, in quo contigit, quædam variatio est.*

f *Relatum est & hoc in Parte 2, num. 20.*

g Norwicum, *incolis* Norwich, *regni Angliæ civitas est in comitatu* Norfolciæ, *cujus & caput est, habetque episcopalem sedem Cantuarienſi suffraganeam.*

h Nottinghamia, *vulgò* Nottingham *urbs regni Angliæ, suique nominis comitatûs caput est, qui inter provincias Lincolnienſem, Derbienſem & Leicestrienſem concluditur.*

i *Id est* de Gloucestria, *cujus nominis civitas & comitatus sunt in Anglia.*

k *Ita in utroque nostro apographo; sed sine omni dubio legendum est* in tina: tina *enim vas est vino aliisque liquoribus recipiendis destinatum.*

l Lancastria, *vernaculè* Lanca-Shire, *comitatus Angliæ est.*

m *S. Joannes Beverlacenſis, archiepiscopus Eboracenſis, colitur die 7 Maii, quo ejusdem gesta & cultus in Opere nostro illustrata sunt.*

n Bristolium *vel* Bristolia, *Angliæ civitas episcopalis est sub metropoli Cantuarienſi, ad Avonam*

A *nam fluvium, cujus utrique ripæ, partim in Somerſettenſi, partim in Gloceſtrienſi comitatu, inſidet.*

o *Sunt hujus nominis urbs & comitatus in Anglia.* Salopia *urbs, ejuſdem comitatus caput, vernaculè* Shrewsbury *&* Shrowsbury *dicta, ad Sabrinam fluvium ſedet : comitatus verò Anglicè* Shropp-Shire *appellatur.*

p *Id eſt, eo temporis ſpatio, quo quis duorum milliarium, & amplius, iter potuiſſet conficere.*

q Malmesbury, *olim celebre* Maldunenſe cœnobium, *oppidulum Angliæ eſt in comitatu Wiltoniæ, vulgo* Wil-Shire *dicto.*

r Staffordia, *vulgò* Stafford-Shire, *Angliæ item comitatus eſt, cujus caput eſt urbs* Staffordia, *indigenis* Stafford *etiam dicta.*

ſ *In altero noſtro apographo pro* Pinchebeck *legitur* Pointhebeck, *cetera eodem modo : at ſive iſta loca rectè ſive vitiosè deſcripta ſint, ignota mihi ſunt.*

t *Jam dixi ſuprà,* Coronarium *in Anglia magiſtratum ſeu regium miniſtrum eſſe, cujus eſt de occiſis, ſive mors caſu, ſive ab aliis violenter illis illata fuerit, cognoſcere : ac nefas eſſe, eorumdem*
B *corpora ſepelire, priuſquam à* coronario *inſpecta fuerint.*

u Suffolcia *comitatus Angliæ Orientalis eſt,* South-Folke *&* Suffolke *incolis dictus.*

x Ceſtrienſis *comitatus Angliæ in ora maris Hibernici ſitus eſt, indigenis* Ches-Shire *nominatus. Caput ejus Ceſtria eſt, civitas epiſcopalis ſub metropoli Eboracenſi.*

y Roffa, *vernaculè* Rocheſter, *Angliæ Meridionalis in Cantio civitas eſt, epiſcopalem ſedem habens, ſuffraganeam Cantuarienſi.*

z Syncope *vox Græca Latinè ſubitam virium defectionem ſignificat.*

aa *Indicatur hîc comitatus* Cantabrigienſis, *vulgò* Cambridge-Shire, *una ex provinciis Angliæ.*

bb *Ita in utroque apographo noſtro ; ſed legendum eſt* Ciceſtrenſis *: eſt autem* Ciceſtria, *vulgo* Chicheſter, *Angliæ civitas in comitatu Suſſexiæ, epiſcopatum habens ſub metropoli Cantuarienſi.*

cc *Id eſt* molitor.

dd *In Monaſtico Anglicano tom.* 1, *pag.* 928 *dicitur Hayleſenſe cœnobium, ſive* de Hayles, *fuiſſe Ordinis Ciſtercienſis, à Richardo Cornubiæ*
C *comite ac poſtea Romanorum rege electo, anno* 1246 *fundatum in agro Glouceſtrenſi.*

ee *Hæc igitur ut ad locum ſuum referantur, hîc ſubjungo.*

ff *Alterum apographum noſtrum habet :* Joannes, filius Willelmi, filii Gilberti.

gg *Fortè legendum eſt* Plugenet, *cujus nominis Alanus baro memoratur à Camdeno in deſcriptione comitatûs Herefordienſis.*

CAPUT II.

Cæcis, luſcis, contractis, claudis & paralyticis incolumitas conceſſa.

CHriſtiana, filia Galfridi de Mortone, in civitate commorans ſupradicta, ab octo annis & ampliùs cæca, viſum cælitus eſt adepta ad tumulum novum *a* Epiſcopi ſupradicti. Item Joannes Pertehaie de Manſinton * in parochia de Ledebur ſub Malvernia, à biennio & ampliùs cæcus, viſum recipit. Item Margarita de Heredeſl. *, filia Willelmi Bedelli, ab uno anno & ampliùs cæca in ſiniſtro oculo, eſt videndi potentiam conſecuta. Item Walterus, filius Willelmi Chitre, de Weſton juxta Lugwardin, à multo tempore cæcus in ſiniſtro oculo, videndi potentiam eſt adeptus. Item Sibilla de Brugg, à tribus annis habens in dextro oculo cæcitatem, viſum obtinuit. Item Agnes Atebroke, de Bilinghope, à ſeptem annis cæca viſum recepit. Item Joannes de London *, de partibus Breton, Menevenſis diœceſis *b*, in civitate Herefordia dudum cyrothecarius *c*, à duobus annis & ampliùs cæcus, viſum recepit. Item Agnes Moreth, de civitate Herefordia prædicta, à ſeptem annis & ampliùs cæca, viſum recepit.

21 Item Juliana de Warevik, à ſexdecim ſeptimanis cæca, viſum recepit. Item Juliana Pectrix, de civitate prædicta, in dextro oculo viſu carens : quæ miraculis ſupradictis inſultans, irreverenter ſe habuit multipliciter in loquendo, & propterea, ut rationabiliter ab aſtantibus putabatur, ad terram corruit ut defuncta. Cùm à quadam muliere Matilda de Corderhale *, quæ à dementia nocte præcedenti ibidem fuerat cælitus liberata, ad ipſum tumulum portaretur, ac ibidem exanimis aliquamdiu jacuiſſet, demum reſumpto ſpiritu, vivificata recedit, & ea, quæ in Deum & in Servum ejus paulò antè peccata commiſerat, confitens & publicè recognoſcens, cum vita etiam videndi in oculo dextro conſecuta eſt à Domino facultatem. Item Kikilda, uxor Willelmi Clement, de Herefordia, à biennio cæca, viſum recepit. Item Alditha de Penna Canonicorum, relicta Joannis de Colewelle, ſex annis & ampliùs cæca, viſum recepit. Item Alicia de Welbell, à decem & ſeptem annis cæca, viſum eſt divinitus conſecuta. Item Nicolaus Brid, ab uno anno & ampliùs habens dextrum oculum excæcatum, viſum recepit.

22 Item Margarita de Hompton, per multa tempora antè cæca, viſum recepit. Item Thomas de Kilpek, à decem annis viſu unius oculi deſtitutus, viſum recepit. Item Thomas, filia * Huelli fabri de Burhulle, à quinque ſeptimanis in utroque oculo viſu carens, & à nativitate penitus in ſiniſtro, viſum obtinuit cælitus in utroque & clariùs ſiniſtro. Item Emmata de Ros, habens dextrum oculum excæcatum, viſum recepit. Item Ricardus, filius Galfridi Huot de Carwiton *, à decem annis cæcus, viſum recepit. Item Willelmus, filius Willelmi Crurele de Brompton, clericus, habens in ſiniſtro octulo maculam & à ſeptem annis & ampliùs cæcitatem *e*, cælitus viſum recepit. Item Ricardus Curſum, de Taddeford, Norwicenſis *d* diœceſis, cæcus antea per tres annos, viſum recepit. Item Ricardus Godefray de Harlay juxta Staffordiam *e*, Coventrenſis & Lichfeldenſis diœceſis *f*, cæcus in oculo dextro viſum recepit. Item Chriſtiana Muleward, habens maculam ſuper oculos & gibbum * in manu ſiniſtra per octo annos, ab utraque deformitate eſt per Dei Servi ſuffragium liberata.

23 Item Juliana, filia Thomæ Haket, de Petreſton in Goldeſmor, à quatuordecim annis

Ex PROCES. CAN. *Varii cæci & luſci curati, inter quos una*
a * *al.* Maſinton * *al* Hereford.
al de Laudon
b
c
ſuæ temeritatis pœnas antè dederat : item alii
E
c
* *al.* Colderhale
uno, alii utroque oculo capti
* *an* filius?
F
* *al.* Carinton
d
e
f
* i. e. tuber

Ex PROCES. CAN. *videndi facultatem recipiunt,*

cæca, visum cælitus est adepta. Item Ricardus Pulle de Teukesbur *g*, à multo tempore cæcus, visum cælitus est adeptus. Item Willelmus de castro Episcopi Herefordiensis *h*, cæcus visum recepit. Item Joannes Noryerwent Landavensis *i* diœcesis, cæcus lumen oculorum recepit, invocato suffragio Servi Dei. Item David, dictus Erum, de terra de Clifford Herefordiensis diœcesis, habens sinistrum oculum excæcatum, qui etiam claudus extiterat antea per tres annos, visum recepit in oculo memorato, & rectum incessum per suffragium Viri Dei. Item Robertus de Winburgg, in dextro oculo cæcus à multo tempore, visum recepit. Item Margarita, filia Joannis Tumbald * de civitate Herefordiensi, ætatem * ferè unius anni, habens oculum dextrum adeò periculosè inflatum, quòd ad latitudinem trium digitorum de loco proprio videbatur amotus, per auxilium Viri Dei cælitus est curata ita salubriter & perfectè, quòd post curationem hujusmodi nec locus morbi nec vestigium appareret.

g *h* *i*

* *al.* Gumbaldi

* ætatis

R *inter quos unus à S. Etheldreda ad Sancti tumulum missus fuit.*

24 Item vir quidam, nomine Walterus de Cluton Bathonienſis & Wellensis diœcesis *k*, qui cæcitatem incurrerat & cæcus permanserat quadraginta dies & ampliùs; dolens de cæcitate prædicta causâ orationis ad quamdam duci se fecit ecclesiam, & ante quoddam altare, quod in honorem S. Etheldredæ virginis *l* fuerat dedicatum, se devotè prostravit, petens divinum auxilium sibi impendi per merita virginis memoratæ; cúmque aliquamdiu sic orâsset, sopor irruit super eum; & ecce virgo prædicta sibi apparuit, dum dormiret, quæ tetigit ejus maxillam, sic dicens: Vade ad tumulum S. Thomæ, qui est Herefordiæ, & ibi optatam recipies sanitatem. Ille autem expergefactus à somno, non immemor visionis, se fecit perduci ad tumulum Viri Dei prædicti; & ibidem devotè orationi insistens, quod petiit, impetravit, lumen videlicet oculorum die prædicta per merita Viri Dei. Item vir quidam, Joannes Hod, de Wigemore Herefordiensis diœcesis, qui per duos menses visum amiserat oculorum, cùm per duos dies orâsset ad tumulum Viri Dei, subitò visum recepit per merita Viri Dei. Item Thomas de Ehilhm. de com. Canter *m*, qui cæcus fuerat annis septem & ampliùs, ipsa die orans ad tumulum Viri Dei visum recepit per auxilium Viri Dei.

k *l*

C *m*

Multi variis membris capti, * *an* filii?

25 Hugo filius Hugonis filius * Raderi Atteke de Hompton, à septem septimanis contractus, gradiendi potentiam cælitus est adeptus. Item Rogerus, filius Walteri molendinarii, de civitate Herefordiæ à sex annis habens manum dexteram aridam & contractam, sanitatem est divinitus consecutus. Item Willelmus Gaint, de parochia de Wellington, à tribus annis & ampliùs habens manum contractam, & clausum pollicem pugillo, sanitatem & rectitudinem recepit, invocato suffragio Viri Dei. Item Agnes de Mordeford, à quinquennio manca penitùs & contracta, cælitus est sanata. Item Eva de Webbeton in parochia de Welbell, à tribus annis contracta adeò, ut veheretur in sporta, sportam relinquens ecclesiæ, rediit; ab ægritudine penitus est liberata. Item Emma de Hepe sub Dunemora, à duodecim annis contracta adeò, ut suffulta duobus podiis ad assellas *n* miserrimè graderetur, sospes ad propria remeavit, podiis ecclesiæ derelictis. Item Joanna, filia Thomæ pistoris de Magna Marcle, à nativitate contracta, gradiendi potentiam primitus est adepta. Item Joannes, filius Joannis de la Were de Kenceſtre *, à nativitate contractus, gradiendi potentiam similiter cælitus est consecutus. Item Isabella, filia Willelmi Griffit, civis Herefordiensis, ab uno anno habens manum sinistram aridam & contractam, sanitatem recepit.

D

* *al.* Lenceſtre

aut penitus contracti.

26 Item Isabella de Chirithward, filia Joannis de Tyberton, à tribus annis contracta adeò, ut non posset caput erigere aut movere, vel pedes proprios intueri, sanitatem optatam recepit. Item Robertus, filius Thomæ Tilterache, de parochia de Tatinton, claudus ab uno anno & ampliùs, ac contractus adeò, ut in quodam cunabulo portaretur, gradiendi rectitudinem est divinitus consecutus. Item Margarita de la Hyde, de parochia de Yrakhulle, à quadriennio contracta, sanitatem recepit. Item Hugo de Salophuris *, à nativitate contractus, gradiendi potentiam primitus est adeptus. Item Agnes de Frompton super Severne *o*, à decem annis contracta, rectam gradiendi potentiam est divinitus consecuta. Item Alicia de Cupestre de Borsebur *, à decem annis & ampliùs habens dextram manum aridam & contractam, optatam sanitatem recepit. Item Willelmus de la Welle de Newenherni super Temede *p*, à duobus annis contractus, similiter est curatus. Item Sedonia de Talgar, à septem annis muta pariter & contracta, rectam loquendi & gradiendi potentiam cælitus est adepta. Item Alicia de Tullinton, à septem annis contracta, optatam sanitatem est divinitus consecuta. Item Joanna de Forhamton, à quinque annis manum habens contractam, sanitatem recepit. Item Joannes, filius Guillelmi Compre, de Norton, ætatis quatuor annorum & dimidii, à tempore, quo tres habuit tantummodò septimanas ætatis, omnino contractus, gradiendi & currendi potentiam est adeptus.

* *al.* de Salophur

o

E

* *al.* Bosebur

p

per S. Thomæ patrocinium

27 Item Alicius * de Frenes, in civitate commorans supradicta, per viginti septem annos antea habens collum sic tortum, ut caput & faciem semper haberet super sinistrum humerum reclinatum, sanitatem optatam recepit, invocato suffragio Viri Dei. Item Christina, filia Radulphi de Ledewith juxta Lodelawe, à viginti annis & ampliùs contracta, sanitatem recepit. Item Christina, filia Ricardi Martin de Chirburg, in sinistra parte adeò contracta, ut cum duobus baculis per annum & ampliùs antea graderetur, rectè gradiendi potentiam cælitus est adepta. Item Christiana, filia Walteri mercatoris de Allkrugg de parochia de Ledebury, à septem septimanis contracta, sanitatem cælitus est adepta. Item Maltilda, filia Dionysii Northin de Glouceſtre, ætatis quatuor annorum, à nativitate habens manum sinistram aridam contractam, sanitatem cælitus recepit. Item Willelmus, filius Willelmi de Humbre, à tribus annis contractus, gradiendi rectitudinem est divinitus consecutus. Item Andreas, filius Willelmi Sely de parochia de Penrkumbe *, à septem annis contractus, recto est gressui cælitus restitutus. Item Catharina, filia Maltildæ Huneſtre de Ros, habens dorsum tortum & in tantum curvum & gibbosum, quòd se erigere non valebat, nec aliter gradi posset, nisi manu posita super genu, deformiter inclinata, se mirabiliter

* *al.* Peukumbe

F

A rabiliter ſuſtentans, gibbo ſublato, ſtaturæ rectitudinem & rectè gradiendi potentiam, Domino largiente, recepit.

membrorum uſum conſequuntur.

28 Item Agnes, filia Willelmi de Eſſch, in parochia de Burford, à quinque annis contracta, recto eſt greſſui cælitus reſtituta. Item Agnes, filia Hugonis Borbi, de eadem, à quatuor annis manibus ſuper genua poſitis gradiens, deformiter inclinata, ſtaturæ & greſſus rectitudinem eſt adepta. Item Alicius * Weredegeos de Bewerdeſert juxta Barewik *q*, ab uno anno & dimidio contracta, gradiens baculis furcatis ſuffulta, recto eſt greſſui reſtituta. Item quædam filia Willelmi Gydehorn, de parochia de Foye, habens dorſum gibboſum & curvum à ſeptem annis & ampliùs, ſanitati eſt reſtituta. Item Nicolaus de Weſton juxta Malmesbury, habens ſiniſtram manum aridam & contractam, cælitus eſt curatus. Item Petronilla, filia Adæ Coti, de Standon Pichard, habens dextram tibiam à tempore multo contractam, greſſus rectitudinem cælitus eſt adepta. Item Wendliana de Oſwaldeſtre, habens ab octo annis præcedentibus dextram manum omnino contractam, per Viri Dei ſuffragium cælitus eſt curata. Item Editha de Ailimni Deſtre *, per quatuor annos contracta, ſanitatem recepit. Item Agnes, filia Regin. * le Hirche, de Ewasharald, in tibiis ſuis contracta adeò, ut virtutem aliquam greſſuum non haberet, cælitus eſt curata. Item adoleſcens quidam, Thomas dictus Cok, de civitate Dublinia in Hybernia *r*, qui, dum dormiret ſub divo juxta Briſtoll *ſ*, ita miſerabiliter factus eſt contractus, ut omnes fideles ipſum gradi videntes ad compaſſionem induceret & horrorem; cùm per tres menſes paſſione hujuſmodi laborâſſet, per ſuffragium Viri Dei fuit priſtinæ ſanitati ſubitò reſtitutus.

Claudi, aliterque greſſu privati,

29 Joanna de Birches, filia Hugonis Ked. de Pionia Canonicorum *t*, clauda ab uno anno & ampliùs, ac contracta, gradiendi potentiam cælitus eſt adepta. Item Agnes Moreth de civitate prædicta, ab octo annis & ampliùs clauda, eſt ſanata. Item Margarita, filia Willelmi Mael civis Herefordienſis, à viginti ſeptem ſeptimanis clauda in pedibus ac contracta, gradiendi rectitudinem cælitus eſt adepta. Item David, filius Matthæi de Baldinghuam, ab uno anno claudus, greſſûs rectitudinem eſt adeptus. Item Margarita, filia Alexandri de Dimoc, à tribus annis & ampliùs clauda, gradiendi rectitudinem per Viri Dei ſuffragium eſt adepta. Item Alicia de la Hulle in parochia de Buthulle, à ſeptennio clauda, ſimiliter eſt ſanata. Item Flanndrith de Aſtone, in parochia de Eye *, à quatuordecim annis clauda adeò & contracta, ut nec ſedere poſſet, nec incedere quoquo modo, per Servi Dei ſuffragium eſt curata. Item Matilda Child de Chideshendh in dextra parte clauda pariter & contracta, gradiendi potentiam cælitus eſt adepta. Item Thomas Brundedif de Deornifeld *, à decem annis claudus, recto eſt greſſui reſtitutus. Item Willelmus de Ros, dictus de Stone, à quatuor annis claudus, gradiendi rectitudinem eſt adeptus.

aliiſque malis obnoxii,

30 Item Matilda, filia David de Talgar le Englevs, Menevenſis diœceſis *u*, ab octo diebus clauda pariter & contracta, ſanata eſt. Item Reginaldus de domo S. Joannis de Stafford, à ſeptem annis claudus, rectè gradiendi potentiam eſt divinitus conſecutus. Item Herdevel de Ledebur North., à duobus annis claudа, habenſque tumorem deformem & magnum in maxillis, à tumore & claudicatione cælitus eſt curata. Item Chriſtiana, filia Hugonis Hugerſſaat, de parochia de Kingeſleve, à quinque annis clauda, rectè gradiendi potentiam eſt à Domino conſecuta. Item Willelmus, dictus Dunepeſe, de parochia de Haneute juxta Portesmuwe *x*, ab uno anno claudus, rectè gradiendi potentiam eſt adeptus per ſuffragium Viri Dei. Item Richardus de la Hulle, de Welbel, gibbum habens in ſiniſtra parte faciei in tantum ut in ſiniſtro oculo frequenter impediretur à viſu; tam etiam gravi dolore renum continuè vexabatur, ut gradi non poſſet niſi grandi baculo ſuſtentatus, ab utroque morbo ſubitò eſt ſanatus per ſuffragium Viri Dei. Item Philippus, filius Philippi Abſeys de Ewaſlati *, claudus, eſt recto greſſui cælitus reſtitutus. Item Dionyſia, filia Joannis Forſenet, de parochia de Jorubur, à VI annis clauda, ſimiliter eſt curata.

ipſo invocato, incolumes evadunt.

31 Item vir quidam, nomine Willelmus, filius Rogeri clerici de parochia de Grete, à tribus annis claudus, rectè gradiendi potentiam miraculosè recepit. Item Juliana Fayſant de Kudinart *, à multo tempore clauda, rectum greſſum divinitus eſt adepta. Item Griffinus Apwillini de Ewiaſlati *, ex utraque parte à dimidio anno claudus, gradiendi rectitudinem cælitus eſt adeptus. Item Henricus, dictus Mercator, filius Henrici de Hupton juxta Seuherne, in ſiniſtra tibia gravi infirmitate percuſſus in tantum, ut per dimidium annum miſerrimè cum uno baculo graderetur, cælitus eſt curatus ad primum tumulum Servi Dei. Item vir quidam, Joannes nomine, de com. Caucie *y*, qui per quatuor annos antè claudus extiterat, venit ad tumulum Viri Dei, cum duobus podiis ſe ſuſtentans; & dum celebraretur Miſſa juxta tumulum Viri Dei, ante tumulum ſe proſtravit, orans devotè, ut per merita Viri Dei ſibi reſtitueret ſanitatem clementia Salvatoris; & ecce, ipsâ Miſſâ completâ, reſtitutus eſt ſtatim vir ille integræ ſanitati per auxilium Viri Dei. Item quidam clericus de Cirnceſtre Wigornienſis diœceſis *z*, nomine Rogerus, qui ideò ut juravit, extitit mancus utraque manu, aut certè contractus, quia vitam Servi Dei & miracula depravare præſumpſerat, acceſſit ad tumulum ſupradictum, & ſuper ſarcophagum ejus ſuas contractas manus, prout potuit, collocavit, & ſic cum lachrymis orans, ſubitò, multis cernentibus, eſt ſanatus *aa*.

Octo paralytici,

32 Agnes de Wynton à quinquennio in dextra parte totius ſui corporis paralytico morbo percuſſa, & in manu dextra contracta, per Servi Dei ſuffragium eſt ſanata. Item eadem Agnes de Wynton in dextra parte ſui corporis paralytico morbo percuſſa, quæ ſanata fuerat, & in eandem ægritudinem, fortè ſuis peccatis exigentibus, incidit iteratò, devota rediit & ſanitatem ſtabilem cælitus eſt adepta. Item Robertus de la Heche, de parochia de Schobbedone, paralytico morbo percuſſus, à morbo ejuſmodi divinitus eſt curatus. Item Margarita de Boſeburg, à viginti tribus annis præcedentibus paralytica jacens in lecto, ſanitatem recepit à Domino per ſuffragium Viri Dei. Item Robertus, filius Adæ de Witebache, de parochia de Bromfeld, à quatuor annis paralyticus, ſanitatem divinitus eſt adeptus. Item Juliana Textrix de Mordford, paralytico morbo percuſſa, ſanitatem recepit. Item Willelmus de la Wiche juxta

Ex Procs. can.

x

y

z

aa

Ex Proces. can. *bb* Ceſtriam *bb*, ab uno anno paralyticus atque mutus, ſanitatem recepit. Item Richardus Coſyn de civitate London, paralyſi morbo percuſſus adeò, ut omnium membrorum ſuorum deſtitueretur virtute, in omnibus membris ſuis ſanitati cælitus extitit reſtitutus.

inter quos unus Hibernus, ſanati. *cc* 33 Item venit nuncius quidam ad tumulum Viri Dei jurans, quòd vir quidam, nomine Raderus, de Kylkenni in Hybernia, diœceſis de Lyminik *cc*, dominus ſuus tam graviter fuerat paralytico morbo percuſſus, ut ab omnibus ipſum cernentibus putaretur in brevi tempore moriturus; & cùm amici ejus plicâſſent unum denarium ſuper eum, & pro ipſo Viri Dei auxilium invocâſſent, ſanitatem cælitus eſt adeptus, & ideo per dictum nuncium imaginem argenteam, quam promiſerat, deſtinavit.

ANNOTATA.

a *Novum hunc tumulum à Richardo epiſcopo Herefordienſi anno* 1287 *factum eſſe, pluribus ſuprà docui.*

b Menevia, *Anglis* Saint Davids *dicta à ſancto hujus nominis archiepiſcopo, de quo apud nos* B *actum eſt Kalendis Martii, nunc exigua urbecula Walliæ eſt in comitatu Penbrochienſi, epiſcopalis tamen ſub archiepiſcopo Cantuarienſi.*

c *Id eſt, chyrothecarum artifex.*

d Norwikum, *incolis* Norwich, *urbs Angliæ eſt in comitatu Norfolciæ, cujus caput eſt, cum epiſcopatu ſub metropoli Cantuarienſi.*

e Staffordia, *vulgo* Stafford, *cognominis comitatûs caput, parva urbs Angliæ eſt.*

f Coventria *ſeu* Conventria, *Anglis* Coventre, *urbs Angliæ eſt in comitatu Warwicenſi, vulgo* Warwick-Shire; Lichfeldia, *vernaculè* Lichfield, *in comitatu* Staffordiæ; *& utriuſque unitus eſt epiſcopatus ſub metropoli Cantuarienſi.*

g *In altero exemplari noſtro legitur* in parochia de Teukesbur. *Fortè is locus eſt, quem tabulæ geographicæ vocant* Tewkesbury, *in comitatu Gloceſtriæ.*

h *Oppidulum Angliæ eſt in comitatu Salopiæ, vernaculè* Bishops-Caſtle *dictum, quia ad epiſcopos Herefordienſes pertinuit, teſte Camdeno in deſcriptione ejuſdem comitatûs.*

i Landava, *indigenis* Landaff, *Angliæ urbecula eſt in Wallia ac in comitatu* Glamorganiæ, C *ſed antiquo epiſcopatu, Cantuarienſi ſedi ſuffraganeo, illuſtrata.*

k Bathonia, *Anglis* Bathe, Wellæ, *iiſdem* Welles, *civitates Angliæ ſunt in comitatu Somerſettenſi, ambæ ſic epiſcopales, ut unus antiſtes utrique præſideat, & ab utraque nominetur epiſcopus Wellenſis & Bathonienſis.*

l *S. Etheldredæ, reginæ, virginis & abbatiſſæ Elyenſis in Anglia, prolixa Acta dedit Papebrochius noſter ad diem* 23 *Junii, quo illa colitur.*

m *Hæc in altero exemplari noſtro ſic habentur:* Item Thomas de Chylhuam, de comit. Kant. *Haud dubiè indicatur hîc comitatus* Cantii, *Anglicè* Kent; *ſed nec* Ehilhm, *nec* Chylhuam *alibi reperi. Quæ nunc ſequuntur, agunt de contractis, ejuſdem* S. Thomæ *patrocinio ſanatis, iiſque præmittitur titulus* Rubrica de contractis.

n *Id eſt, fulcris ſubalaribus*; aſſellas *autem pro* axillis *ponitur.*

o Severne, *aliàs* Sabrina, *ſecundum à Tamiſi Angliæ flumen eſt, in comitatu Mongomerii* D *ortum.*

p *Pro* Newenherni *in alio apographo noſtro legitur* Neuenshuam: *utrobique autem vitiosè, ut ſuſpicor,* ſuper Temede.

q *Alterum apographum habet: juxta* Warewik. *Porrò* Barvick, *Latinè* Borcovicus, *oppidum aut caſtrum eſt in Northumbria:* Warewick *verò, ſeu* Warwicus, *comitatûs Warwicenſis caput in eodem regno Angliæ.*

r Dublinium, *vulgo* Dublin, *primaria Hiberniæ urbs archiepiſcopalis eſt in provincia Lageniæ.*

ſ Briſtolium *vel* Briſtolia, *Angliæ civitas eſt, de qua ſuprà jam memini.*

t *Fruſtra locum hunc, qui* civitas *fuiſſe infrà dicitur, quæſivi. In altero noſtro Ms. hîc legitur:* de Provincia canonicorum. *Porrò his, quæ ſequuntur, tituli loco præfigitur* Rubrica de claudis.

u *Vide Annotata hîc ad lit.* b.

x *In altero Ms. noſtro eſt:* juxta Porteſinwe, *neutro modo mihi locus iſte notus eſt.*

y *Ita planè habet etiam Ms. alterum, debentque, ut opinor, ſic exponi,* de communitate Caucie; *nam Anglia nullum hujus nominis comitatum habet.* E

z Wigornia, *vernaculè* Worceſter, *Angliæ civitas epiſcopalis eſt ſub metropoli Cantuarienſi, caputque cognominis comitatûs, vulgo* Worceſter-Shire *appellati.*

aa *Sequentibus in proceſſu præfixus hic titulus eſt:* Rubrica de paralyticis.

bb Ceſtria, *incolis* Cheſter, *civitas epiſcopalis Angliæ in comitatu Ceſtrienſi, vulgo* Ches-Shire, *cujus caput eſt.*

cc *In altero apographo habetur* Lyminth, *ſed videtur legendum* Limerick *vel* Limrick, *Latinè* Limericum *&* Lumniacum, *quæ Hiberniæ civitas eſt in Momonia, comitatûs Limericenſis caput, cum epiſcopali ſede ſuffraganea archiepiſcopo Caſſelienſi.*

CAPUT III.

Multi alii variis morbis & periculis conflictati, per ejuſdem Sancti opem liberantur. F

Tres ſurdi *a* JOannes *a* de Dokkelowe, à ſeptem ſeptimanis ſurdus, audiendi potentiam eſt adeptus. Item Miriel, uxor Gilberti Travers, ſurda & in ſiniſtro oculo viſu carens, auditum & viſum recepit. Item adoleſcens quidam, Joannes nomine, de domo & familia domini Joannis de Haveringes, juſticiarii domini regis in Snowdon *b*, à tribus annis ſurdus, auditum recepit ſubitò per ſuffragium Viri Dei *c*.

& ſeptem muti curati. 35 Willelmus Ap David mutus pariter & contractus, loquendi & gradiendi potentiam eſt adeptus. Item Hugo de Stoktene, filius Agnetis de Stepeſtre, à biennio mutus, loquelam recepit, in quo facto hoc mirandum apparuit, ut omnibus inſpicientibus in os ejus magna portio linguæ ſuæ manifeſtiſſimè videretur de novo ſupernaturalis virtutis opere accreviſſe. Item Sedonia de Talgar, à ſeptem annis muta pariter

&

A & contracta, rectam loquendi & gradiendi potentiam cælitus est adepta. Item Thomas, filius Thomæ Mile, de Eton juxta Leomer *, ætatis xii annorum, à nativitate mutus loquelam recepit. Item Wendliana, filia Joannis Eynon de Ewyas *, à sex septimanis muta, loquendi potentiam cælitus est adepta. Item Margarita, filia Willelmi Bret de parochia de Novelonde in foresta de Dene *d*, per septem annos & ampliùs antè muta, invocato suffragio Viri Dei ad locum primæ sepulturæ ejusdem facultatem loquendi, soluto silentio, est à Domino consecuta. Item Hugo, dictus Suel, de Marstone in parochia de Pentecumbe, qui loquelam amiserat antea per tres dies, subitò est curatus *e*.

* *al.* Jeon

* *al.* Cynon de Ewas

d

e

36 Matilda de Coldelhale *, à decem & septem annis frenetica sive demens, sanitati extitit restituta. Item Joannes de Cokebrugg juxta Dunsefarum diocesis *f*, per xii annos antè furiosus seu demens, cùm ad tumulum Viri Dei ab amicis in itinere duceretur ligatus funibus & catenis, omnibus ligamentis subitò per se ruptis, sanitatem est divinitus consecutus. Item Hugo, filius Joannis Hove, de Austre, à multo tempore furiosus, sanitatem cælitus est adeptus per suffragium Viri Dei. Item presbyter quidam, nomine Joannes de Tendebur, à septem septimanis furiosus, sanitatem cælitus est adeptus per suffragium Viri Dei. Item juvenis quidam, nomine Joannes de Dunsifarum diocesis *g* presbyter, qui fuerat furiosus à sexta die mensis Aprilis, ad tumulum Servi Dei suo sano sensui est cælitus restitutus. Item vir quidam, nomine Adam le Yewynd, de Burton, qui fuerat à tribus septimanis antea furiosus, suo recto sensui extitit restitutus per suffragium Viri Dei. Item Joannes, filius Joannis de Herdesley Herefordiensis diœcesis, ferè per tres septimanas demens, per suffragium Viri Dei restitutus est pristinæ sanitati. Item mulier quædam, Editha nomine, de Wynton, ab uno anno & ampliùs furiosa, per suffragium Viri Dei ad ipsius tumulum rectum sensum cælitus est adepta. Item vir quidam, Joannes nomine, de Rynemarford *, per dimidium annum & ampliùs similiter furiosus, modo consimili est curatus. Item Robertus aurifaber de Bristoll *h*, qui fuerat furiosus ferè per tres menses, suo fuit sensui cælitus restitutus *i*.

decem phrenetici vel amentes sanæ menti restituti.

* *al.* Colderhale

f

B

g

* *al.* Kynemarford

h

C

i

37 Rosa de Acton *, ab octo annis habens manus inflatas in tantum, ut ipsas movere non posset, optatam in hiis sanitatem recepit. Item Adam, dictus Absalon, capellanus Herefordiæ, moram trahens, morbo, qui dicitur squinantia *k*, tam magnam & duram habens inflationem in gutture & in collo, ut nec loqui posset, nec aliquid deglutire; cùm putaretur à medicis & amicis protinus moriturus, casu fortuito somnum cepit, in quo somno sibi, ut asseruit postmodùm, videbatur, quòd vir Dei Thomas, indutus rubeis sacerdotalibus indumentis, ad ipsum accessit, & manu tetigit fortiter locum morbi, illi præcipiens, ut quàm citò surgeret & liberè loqueretur: qui statim obediens imperanti, sanus surrexit per suffragium Viri Dei. Item Juliana, filia Willelmi Coci de Credehulle, gravata morbo, qui dicitur squinantia, miraculosè sanitatem recepit. Item Willelmus de Gosinton * tam gravi morbo, qui gutta *l* appellatur, per quinque annos & ampliùs vexatus, ut cum baculis vix lento passu & cum angustia graderetur, cùm iter veniendi ad tumulum Servi Dei devotiùs fuisset aggressus, multis asserentibus, quòd ipsum iter perficere non valeret, in ipso itinere tam sanus factus est, ut sine baculis veniret ad tumulum, ac inde totus sanus ad propria cum gaudio remearet.

Tumor manuum, angina, arthritis,

* *al.* Atton

k

* *al.* de Bosvinton

l

38 Item Robertus, perpetuus vicarius de Clifford, casu quodam magnam partem pollicis sinistræ manus suæ horribiliter incidit, & abscissa parte resumpta, cùm ipsam voluisset suo toti conjungere vel aptare, tam gravi dolore vexatus fuerat, ut ipsam partem pollicis, quam alligaverat suo toti, sibi demitteret, & solius Dei & servi ejus Thomæ pontificis suffragium devotiùs invocaret. Quo facto, omnis doloris angustia subitò sic cessavit, ut nullum gravamen postea senserit in eodem, sed infra paucos dies pollex ejus ad integritatem per auxilium Viri Dei sine omni deformitate unguis vel carnis seu longitudinis, est, multis mirantibus, restitutus. Item Thomas London sellarius *m* Herefordiensis, ab undecim septimanis febribus vexatus, sanitatem recepit. Item quædam mulier de castro Goderiti *, nomine Eva Cokes, habens tibiam casu fractam, cui subveniri non poterat, licèt circa ipsius curam magno tempore diligentia fuisset adhibita, cùm ad tumulum Viri Dei aliquando diu * ipsius suffragium devotiùs invocâsset, subitò, multis mirantibus & Deum laudantibus, est sanata, ita ut currens in ecclesia & extra, & præ gaudio plaudens manibus, Deo gratias verbis, signis & nutibus corporis, mirabili devotione persolveret.

malum pollicis & febris curata: tibia fracta sanata.

m

* *al.* Goderici

E

* *al.* aliquandiu

39 Item Rogerus Gernun de parochia de Malmes Hulle Gramages, per decem dies antè vexatus febribus, sanitatem cælitus est adeptus. Item Wendliana, filia Joannis Eynon de Ewyas lati, muta, quæ sanata fuerat meritis Viri Dei, cùm ad sanctum Mowhan Mincheneſili *n* Herefordiensis diocesis, à sepulchro Viri Dei prædicti rediens versus propria perveniſſet, loquelam, quam miraculosè receperat, perdidit iteratò: quæ postmodùm cum parentibus suis ad tumulum Servi Dei devotior rediit, & ibidem optatam loquendi recepit, soluto silentio, facultatem. Item Petronilla de Elehangre, à multo tempore gravissimo capitis dolore vexata, & tumenti ventre quasi hydropica, veneno bufonis infecta, qui eam, ut asseruit, intoxicaverat dormientem, venenum subitò in magna quantitate evomuit, & in capite & in corpore, multis mirantibus, sanitatem recepit. Item Gilbertus de Compton, podagræ infirmitate vexatus, sanitatem cælitus est adeptus. Item Henricus, filius Walteri de Baskewile, domini de Kishope *, ætatis dimidii anni, habens faciem sic inflatam, ut videre non posset, cùm parentes ejus, timentes, ipsum protinus moriturum, pro eodem suffragium Viri Dei devotiùs invocâssent, subitò sanitatem recepit, omni tumore sublato. Parentes ipsius prædicti, ut facerent solvi, quod voverant pro eodem, ad tumulum Servi Dei cum devotis oblationibus detulerunt *.

Item febris abacta: muta loquela reddita; venenum, podagra & tumor faciei sublata.

n

* *al.* de Kysthope

* *ad.* de illum

40 Item Richardus, filius Radulphi de Crumpewalle Lincolnienſis diœcesis *o*, à septem annis febre vexatus, sanitatem recepit, invocato suffragio Viri Dei. Item Joannes, dictus Picard, de hospitio comitis Gloverniæ *p*, in latere sinistro gravi dolore vexatus, sanitatem recepit, invocato suffragio Viri Dei. Item Nicolaus, filius Willelmi Norevs, de Mora Canonicorum,

Carata febris, dolor lateris, malum pedis & arthritis, &c.

o

p

Ex Proces. can.

habens à duobus annis in pede ſiniſtro durum bocium *q* & inflatum, ſanitatem recepit. Item vir quidam, nomine Philippus, dictus de Stepleton, Herefordienſis diœceſis, qui infirmitate, quam medici Guttam vocant, per tres dies continuos tam graviter antea vexabatur, ut nec manus nec pedes abſque dolore graviſſimo poſſet movere, cùm Servi Dei ſuffragium devotiùs invocâſſet, protinus eſt ſanatus. Item dominus Galfredus de Abbetoſt miles, Wigornienſis diœceſis, habens falconem, qui mortuus fuerat per diem integrum naturalem; dum extra domum projectus ibidem ſic mortuus jacuiſſet, quidam de hoc dolens, ultra ipſum falconem denarium unum plicavit, Dei & ſervi ejus Thomæ pontificis auxilium implorando; & ecce ſubitò falco revixit & vivus ac ſanus ad Servi Dei tumulum eſt portatus. Item contigit, quòd quidam equus pretioſus, quem dexterinum *r* vocant, ad Servi Dei tumulum eſt adductus; qui tam à cæcitate, quæ ei mirabiliter ſupervenerat, quàm ab infirmitate gravi, quam habuit in tibia & in pede, ibidem ſubitò, multis mirantibus, eſt ſanatus,

q

r

B

Periclitantibus de vita invocatus Sanctus ſuccurrit,

ſ

t

41 Poſt hæc cùm nobiles memorati caſtrum de Yruſlanh *ſ*, quod Walenſes occupaverant, obſiderent, quidam ex Walenſibus de caſtro jaciens percuſſit dominum Raderum le Buteler *t* militem ſub uno oculorum ſuorum, ita ut ferrum ſagittæ in capitis ſui profundum horribiliter figeretur. Et cùm adſtantibus non ſolùm oculum, ſed & vitam ſuam amiſiſſe certiſſimè crederetur, ac ipſe, ut potuit tunc, per ſigna unà cum amicis ſuis exiſtentibus tunc ibidem, Dei & ſervi ejus Thomæ aliquandiu invocâſſet auxilium, in ipſo oculo læſo viſum & vitæ ſanitatem miraculosè recepit. Item cùm nobiles ſupradicti tantam vim & ſagacitatem caſtro intuliſſent, ut caderet exterior murus ejus, ac cadendo per infortunium ſive caſum plures de dictis nobilibus oppreſſiſſet, duo tamen milites, juxta propiùs tunc aſtantium aſſertionem, per auxilium Servi Dei miraculosè mortis periculum evaſerunt. Unus tamen eorum multo mirabiliùs altero eſt ſalvatus; pro quo *ſ* dum jaceret oppreſſus inter mortuos, nec aliquid de ſuo corpore præter pedes exteriùs appareret, invocavit ipſius armiger auxilium Viri Dei, & ipſum de ſub lapidibus & cemento mirabili facilitate abſtraxit illæſum.

C

uti & è renibus laboranti, ac mulieri mortuæ creditæ,

42 Item Thomas de Peshale, rector eccleſiæ de Frompton, in renibus & in pedibus adeò gravi dolore vexatus, ut per dimidium annum antè ire vel equitare non poſſet, plenam gradiendi & equitandi potentiam eſt adeptus, & ab omni corporis languore curatus per ſuffragium Servi Dei. Item Joannes, filius Adæ de Kingeſcaple, veniens ad tumulum viri Dei Thomæ epiſcopi, ducens ſecum uxorem ſuam & vaccam unam, ac plures amicos alios & vicinos, in multa hominum multitudine retulit, quòd uxore ſua prædicta per paucos dies antè ægritudine adeò gravi proſtrata, ut ab omnibus exiſtentibus circa eam mortua putaretur, ipſe vaccam illam Deo & ſervo ejus Thomæ pro ſanitate & reſtitutione uxoris ſuæ ſe oblaturum promiſit, ipſamque mulierem fecit, prout moris eſt, menſurari; quo facto, ſtatim vivificata reſedit, & cibum petiit ſibi dari, infra paucos dies ſanitati priſtinæ reſtituta.

43 Item adoleſcens quidam Joannes Tregoz *u*, nepos videlicet domini Joannis Tregoz militis, qui ſub latere dextro per quatuor annos antè gravi dolore fuerat vexatus, à quo curari non potuit per multiplex adhibitum auxilium medicorum, venit ad tumulum Viri Dei, & juxta illud in oratione pernoctans, circa noctis medium ſibi, ut aſſeruit, cùm paululùm obdormîſſet, manifeſtiſſimè videbatur in ſomno, quòd vir Dei Thomas ad eum acceſſit, & extenſa manu locum lateris, ſub quo morbus latebat, tam fortiter penetravit, quòd ipſe expergefactus à ſomno, multis audientibus, horribiliter exclamavit, aſſerens coram cunctis, quòd S. Thomas ſibi in latere inflixerat grave vulnus; quo clamore mirabili ad ſe plurimos congregavit, cupientes videre illud vulnus mirabile, ſi quod erat; qui ipſum ſine omni vulnere & dolore omninò curatum & ſanum cælitus repererunt per hujus inſolitum adjutorium Viri Dei.

u

nec non adoleſcenti, lateris malo cruciato.

x

44 Item dominus Rogerus de Poywleſdon * miles, tunc cuſtos Angleſeiæ *x*, & alii quatuordecim milites, ac alii triginta viri in mari navigare cœperunt, per totum illum diem bonam tranquillitatem habentes: nocte ſequenti cœpit mare ſæviſſima tempeſtate turbari, & navis eorum in maris fluctibus adeò agitari, quòd de humano remedio deſperarent. Tandem invocato ſuffragio Dei & ſervi ejus Thomæ pontificis, ſtatim ceſſavit tempeſtas, & ipſi cum tranquillitate & ſuavitate maxima ad portum ſunt adducti. Item beſtiola quædam, ſcilicet capreolus, quem Gallicè vocant chevreul, quem filius domini Alani Plukenet *y* militis carum habuerat, utpote qui illam nutriri fecerat multo tempore curiosè, de muro caſtri de Broſlan * à tam alto cecidit ſuper terram, quòd confractâ unâ de ſuis tibiis etiam viſceribus conquaſſatis, ſanguis per inferiores meatus ſui corporis erumpebat; & cùm ab omnibus aſtantibus tunc ibidem mortua ſeu protinus moritura veriſimiliter putaretur, aliqui eorumdem de hoc caſu dolentes, pro ipſa beſtiola oblationem Deo & ſervo ſuo Thomæ pontifici promiſerunt; & ecce beſtiola ſtatim viva & ſana ſurrexit, & multis cernentibus, mirantibus & Deum laudantibus, protinus cibum ſumpſit.

In mari periclitantibus opitulatur, capreolum ſervat;

** al.* de Poywleſton

x

E

y

**al.* Brollan

45 Item vir quidam, ſcilicet Nicolaus Pop de Briſtoll, & ſocii ſui quàm plures erant in quadam magna navi, onuſta diverſis mercimoniis pretioſis, in mari Hybernico navigantes; orta autem tam grandi & horribili tempeſtate, ut plures naves ſibi vicinas illo tempore manifeſtè viderent ſubmergi, in tam grave periculum inciderunt, ut omni ſpe ſalutis ſublata, omnique navis inſtrumento ſeu etiam gubernaculo derelicto, ipſam navem ſævis fluctibus feri maris & mortiferæ tempeſtatis impulſibus commiſerunt, mortis horam cum timore horribili expectantes. Et tunc Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis ipſis, ut veriſimiliter creditur, tale conſilium inſpiravit, ut ipſius Dei adjutorium & ſervi ejus Thomæ prædicti pontificis invocarent: unde & Servo Dei prædicto navem argenteam promiſerunt, ſi ipſos per ejus merita ſalvare Altiſſimus dignaretur: quo facto, ſtatim quaſi in momento omnis illa tempeſtas ceſſavit, & in tantam tranquillitatem ſubitò & inopinatè mutata eſt, ut ipſam mutationem ſubitam pro grandi miraculo reputarent. Illi verò deinceps proſperè navigantes, ad portum optatum feliciter

viros naufragio ſubducit.

F

A feliciter applicârunt, & navem argenteam, quam promiſerant, devotiſſimè obtulerunt ad tumulum Viri Dei.

Incendium extinctum; equus curatus; officulum gutturi exemptum.

46 Item vir quidam, nomine Galfridus, dictus le Bruth, de Tylſak * in Hybernia, venit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm domus ſua flamma horribili incepiſſet comburi ex incendio cujuſdam domus vicinæ, & idem Viri Dei auxilium invocando denarium unum plicâſſet flexis genibus contra ignem, mirâ Dei potentiâ totus ignis ſubitò eſt extinctus. Item vir quidam, nomine Willelmus Heyward, ſerviens nobilis viri domini Roberti de Ros, domini

z caſtri de Bavier z Lincolnienſis dioceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ſuus dominus

aa antedictus unum habuerat Palefridum *aa*, qui jacuerat quaſi mortuus ſeptem diebus; & cùm tandem fuiſſet Servo Dei more ſolito menſuratus, mox recepit integram ſanitatem. Item vir quidam, nomine Willelmus de Tynewelle in Rote Londa Licolnienſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm quodam tempore carnes bovinas comederet, caſu mirabili os quoddam ejus guttur ſic intrans adhæſit infixum, ut nulla vi vel arte inde extrahi potuiſſet; ſed ſic ipſum per ſex dies continuos affligebat, ut ejus amici de vita ejus certiſſimè deſperarent; ſed cùm pro ſua ſanitate oblationem Dei Famulo promiſiſſent, ſtatim fuit ab oſſe & à dicto periculo liberatus; & idcirco ipſum unà cum oblatione promiſſa ad tumulum Viri Dei portavit.

B

Gravi infirmitate contractus incolumitati redditus.

47 Item mulier quædam, Anicia nomine, uxor Willelmi, dicti Oliverii de Croydon in comitatu de Suchoray *bb* de Winc. dioc. *cc*, in cujus hoſpitio Dei Vir conſueverat aliquoties hoſpitari, & alii plures cum illa juraverunt ad tumulum Viri Dei, quòd Walterus quidam ſcolaris, filius mulieris prædictæ, ita in toto corpore graviſſima infirmitate contractus eſſet, ut jacêret quaſi omnibus viribus ſui corporis deſtitutus circitèr per ſex menſes; cui mater valdè compatiens, quadam die voce flebili in hæc verba prorupit, ſermonem dirigens ad aſtantes: O quoties S. Thomas de Cantilupo in iſto hoſpitio, prout ſuæ placuit voluntati, cum ſua familia requievit! Utinam nunc ſibi placeret nobis in hoc habitaculo in tam miſerabili neceſſitatis articulo ſubvenire! Et his dictis, ad Deum & Servum ejus ſermonem convertit, ipſis humiliter ſupplicando pro ſui filii ſanitate; & oratione facta, cùm filius ejus prædictus poſtea citò dormiret, vidit in ſomnis virum quemdam venerabilem, albis indutum, ſe tangentem, & dicentem eidem: Surge, quia jam ſanus effectus es: qui ſtatim expergefactus & ſanitati totaliter reſtitutus, ſurrexit per ſuffragium Viri Dei.

C

Morbus cardiacus bis abactus; falco reſuſcitatus, extinctum incendium,

48 Item quidam nobiles de com. Norwicen. *dd* evidenter aſſerentes, quòd vir quidam de ſuis partibus oriundus, cardiaca paſſione per decem annos afflictus, ad famulum Dei Thomam Herefordiæ peregre voverat ſe iturum; ſi ab ægritudine memorata Deus per merita Viri Dei ipſum celeri remedio liberaret. Quo facto, totius languoris cælitus dolor abceſſit, & ipſe tanquam ingratus, Curatoris ſui oblitus, votum ſuum ſubſequentibus ſeptem annis negligenter diſtulit adimplere. Quibus ſeptem annis elapſis, iterum dicto morbo cœpit horribiliter cruciari; qui denuo ſe devovens Deo & Famulo Dei prædicto, & ad ipſum perſonaliter viſitandum fidejuſſores inveniens, infra triduum iterum ſanitatem recepit per merita Viri Dei. Item vir quidam, Walterus de Banford, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſe quemdam falconem habuiſſet, qui ſubita morte extinctus & frigidus per magnum temporis ſpatium jacuiſſet, voto pro ipſo Servo Dei emiſſo, ipſum vivificatum protinus & ſanum recepit per auxilium Viri Dei. Item quidam aderat ad tumulum Viri Dei, qui retulit veraciter juratus, quòd, cùm domus ſua ex omni parte incendio eſſet ſuppoſita, & accenſa, & flamma ignis huc & illuc tenderet in diverſa; nec eſſet ibidem humanum remedium expectandum, ad ſolius Dei & famuli ſui Thomæ refugium devotè confugit. Sed cùm, invocato auxilio Viri Dei, plicâſſet unum denarium in ejus memoriam, ut moris eſt, proximè totus ignis ille eſt extinctus. Ex Proces. can.

grave vulnus cruris ſanatum: luſcæ lumen redditum, claudis

49 Item juvenis quidam de Berkel acceſſit ad tumulum Viri Dei, qui aſſeruit, ſe percuſſum fuiſſe per mediam tibiam quadam ſagitta; cúmque ad Virum Dei pro curatione tibiæ ſuæ oblaturus veniſſet, infra tempus modicum extitit reſtitutus priſtinæ ſanitati, nulla de hoc interveniente cura humana. Item Cæcilia, filia Julianæ de comitatu Eboracenſi *ee*, commorantis in parochia de Wyrshop * juxta Blythe, in oculo ſiniſtro cæca per infirmitatem, quæ dicitur Pockes, ſeu per cota *ff*, menſurata poſtea B. Thomæ epiſcopo Herefordienſi, & peregre proficiſcendo veniens ad tumulum dicti Sancti, & in redeundo domi *, viſum recepit & ab omni deformitate in oculo priùs habita per ſuffragium Servi Dei cælitus liberatur. Item Juliana Kynges de Credelee, exiſtens clauda & retracta per quinquennium, & eadem monita per ſomnum, quòd viſitaret tumbam B. Thomæ epiſcopi Herefordienſis, & priſtinam ſanitatem reciperet: & ſic in craſtino menſurata erat dicto Epiſcopo, & paulò pòſt per merita Viri Dei divinitus ſanata eſt.

E

ee * *al.* Winshop

ff

* *an* domum?

incedendi facultas conceſſa.

50 Item quidam adoleſcens, nomine Joannes, de Hamlee in parochia de Credelee, per ſeptem annos claudus & retractus, & memor exiſtens miraculorum, quæ fiebant ad tumulum dicti Sancti, poſtea viſitavit dictum tumulum, & in redeundo domum, juxta Luggebrug plorando & ululando, invocans auxilium Dei & S. Thomæ, primò ſtetit & liberum greſſum per Servi Dei ſuffragium ſtatim cælitus adeptus eſt *gg*. Item Ricardus de Multon juxta Northamton *hh*, contractus à nativitate uſque ad quatuor annos, & menſuratus ad Virum Dei, commorans ad tumulum ejuſdem per duas noctes, & in redeundo domi cælitus liberum greſſum per Viri Dei merita recepit.

gg *hh*

F

ANNOTATA.

a *Hìc in proceſſu præmittitur titulus* Rubrica de ſurdis.

b *Ita etiam habet Ms. alterum; ſed cùm ego locum* Snowdon *fruſtra quæſiverim, ſuſpicor, vel vitiosè apud me ſcriptum eſſe, vel ejuſdem loci nomen poſt hæc mutatum fuiſſe. In eodem altero exemplari pro* Joannis de Haveringes *legitur* Joannis de Haverniges.

c *Sequitur* Rubrica de mutis.

d *Anglicè* Foreſt of Deane, *&* Deane foreſt, *Latinè aliis* Sylva Danica, *aliis* Danubiæ ſylva *appellata, nemus eſt in Occidentali parte trans Sabrinam flumen comitatûs Gloceſtriæ.*

Ex Proces. can.

c *In proceſſu ſequitur* Rubrica de freneticis & furioſis.

f *In altero exemplari noſtro habetur* : Juxta Diviſeſarum diœceſ. , *quæ lectio æquè vitioſa apparet. Credo equidem , duas voces ex ſcriptoris vitio perperam coaluiſſe , legendumque vel ex priori exemplari* , juxta Dunſe Sarum diœceſis , *vel ex altero* , juxta Diviſe Sarum diœceſis. *Eſt autem* Sarum , *aliàs* Sarisburia , *indigenis* Sarisbury , *regni Angliæ civitas in comitatu Wiltoniæ , epiſcopalem ſedem habens ſub archiepiſcopo Cantuarienſi. Porrò an in hac diœceſi locus aliquis ſit fueritve* Dunſe *dictus , non habeo compertum. In eodem comitatu Wiltoniæ caſtrum aliquod invenio* , The Vies , The Devyſes *&* Devizes , *Latina terminatione Florentio Wigornienſi* Diviſionem , *Neubrigenſi* Diviſas *dictum ; quæ vox ad alterius exemplaris lectionem magis accedit ; ſed pluribus ſuperſedeo.*

g *Vide dicta ad lit. præced.*

h *Conſule Annotata ad Partem* 3 , *cap.* 1 , *lit.* n.

i *Quæ ſequuntur , in proceſſu notantur ſub* Rubrica de caſibus.

B k *Id eſt* , angina , *ut ſuprà jam annotavi.*

l *Id eſt* , arthritis , *ſive dolor articularis , Gallis* la goutte , *Italis* gotta *dictus.*

m Sellarius *eſt ſellarum artifex.*

n *In altero Ms. noſtro legitur :* Ad ſanctum Mowham in Incherefeld ; *quæ quid ſibi velint , fateor me neſcire.*

o Lincolnia *olim etiam* Lincoldum *&* Lindocollinum *appellata , nunc Anglis* Lincolne , *præcipua civitas eſt comitatûs Lincolniæ , vulgo* Lincolne-Shire *dicti , habetque epiſcopatum Cantuarienſi metropoli ſuffraganeum.*

p Glovernia , *aliàs* Gloceſtria , *civitas & comitatus eſt , quorum hic Anglis* Gloceſter-Shire , *illa , quæ epiſcopalis eſt ſub archiepiſcopo Cantuarienſi* , Gloceſter *appellatur.*

q *Videtur hæc vox* tuberculum *indicare , eſſeque Italica* boccio , *quæ folliculum bombycis &c ſignificat.*

r *In altero exemplari eſt* dextimum , *ſed denotatur hîc equus , à ſcriptoribus medii ævi communiùs* dextarius *dici ſolitus , quo vocabulo veniebant equi militares & cataphracti.*

C s *Alterum apographum habet :* Caſtrum de Yncilan ; *ſed neutro nomine caſtrum hoc mihi notum eſt. Infrà Parte* 4 , *cap.* 2 *vocatur* Troſlam : *an rectiùs , non divinabo. Vide tamen Annotata ibidem ad litt.* ee. Walenſes , *ſive* Wallenſes , *quorum mox ſequitur mentio , incolæ ſunt Walliæ , quæ pars Occidentalis Angliæ regni eſt* , *Anglis* The Walles *appellata , diuque propriis ſuis principibus paruit.*

t *Guilielmus Camdenus in ſua Deſcriptione Britanniæ inter illuſtriores ejuſdem inſulæ familias etiam* Butler *recenſet.*

u *Unam è* S. Thomæ *ſororibus nuptam fuiſſe cuidam* baroni de Tregoz , *diximus in Commentario prævio.*

x Angleſey , *ſive* Mona , *Magnæ Britanniæ inſula eſt & comitatûs Walliæ , in mari Verginio ſive Hibernico , è regione comitatûs Arvoniæ , à quo non niſi anguſto freto* Menai *ſejungitur. Hujus inſulæ* cuſtos , *id eſt , gubernator , ut opinor , erat Rogerus , de quo hîc agitur.*

y *Alterum Ms. noſtrum habet* Pulkenet. *Apud Camdenum in deſcriptione comitatûs Herefordienſis pag.* 470 Alanus Plugenet *cum* baronis *titulo memoratur. In eodem Ms. pro* filia *legitur* D filii , *& cetera conſequenter in numero plurali.*

z *Apud laudatum Camdenum in deſcriptione comitatûs Eboracenſis* Barones de Roſſe *nominantur. Caſtrum , quod in edito* Bavier , *in altero exemplari* Bewer *appellatur , non reperi. De Lincolnia , cujus diœceſis iſtud fuiſſe dicitur , jam egi ſuprà.*

aa Palefridus , Palafridus *&c* , *Gallis* Palefroi , equus gradarius *eſt.*

bb *Alterum apographum habet* Hicheray : *at puto hîc indicari Angliæ comitatum Surriam , Bedæ* Suthrionam *dictum , nunc Anglis* Surrey *&* Suthrey *vocitatum.*

cc *In altero exemplari :* Wync. diœceſ. *Utrobique videtur deſignari diœceſis Wintonienſis , cujus ſedes eſt* Wintonia , *Anglis* Wincheſter , *civitas in comitatu Hantoniæ , cui Surria adjacet.*

dd *Ibidem legitur* de com. Norwycen. *Legendum eſt* de communitate Norwycenſi *vel* Norvicenſi. *Porrò* Norwicus , *Anglis* Norwich , *præcipua civitas eſt comitatûs Norfolciæ , epiſcopatum habens ſuffraganeum metropoli Cantuarienſi. De eadem Camdenus in deſcriptione Norfolciæ ex Malmesburienſi hæc ait :* Annoque decimo ſeptimo regis Stephani (*qui ſeculo* XII *regnavit in Anglia*) Norwicus de novo fundata , ut villa populata & communitas facta *eſt.* E

ee *Comitatus Eboracenſis , vulgo* Yorck-Shire , *totius Angliæ provincia maxima eſt. Ejuſdem caput eſt civitas Eboracum , Anglis* Yorck *dicta , archiepiſcopatu ducatûſque titulo illuſtrata.*

ff Pockes *ſeu* Pokjes *Belgicè* , the ſmallpox *Anglicè , papulæ ſunt , aliàs etiam* varioli , *Gallis* la petite verole *dictæ. Cur tamen is morbus hîc explicetur per voces* per cota , *non video ; niſi fortè* cota *ſit Gallica vox* cote , *ſeu* quote *ſive* cote part , *Latinè* quota pars ; *quæ etiam uſurpatur pro tributo ; quod ſinguli ſubditi ſuo debent principi pendere. Etenim cùm variolorum morbus adeò communis ſit , ut longè maxima hominum pars eo ſaltem ſemel laboret , tributum quoddam naturæ debitum quodammodo dici poteſt.*

gg *Hîc ſequuntur in apographis noſtris quatuor miracula de mortuis ſuſcitatis , quæ ad ſuam claſſem ſuprà retuli. Unum tamen iſtis immixtum erat , quod cùm huc ſpectet , ſubjicio.*

hh Northantonia , *indigenis* Northampton , E *urbs Angliæ eſt , comitatûs cognominis caput.*

PARS IV

MIRACULORUM.

CAPUT I.

Miracula ac beneficia anno MCCLXXXVII *menſibus Aprili & Maio ad Sancti ſepulcra impetrata.*

Præfatio de ſequentibus.

ILlud , quod ſequitur in ſequentibus quaternis uſque ad relationem , non fuit redactum in

A in processu omnium, nec aliqua examinatio fuit facta super eis per commissarios hujus processus, nisi in quantum contenta in istis quaternis sequentibus fuerant abbreviata, annum & diem in pluribus omittendo & apposita in quaternis miraculorum præcedentibus redditis decima tertia die mensis Novembris coram commissariis antedictis *a*. Hìc notantur quædam miracula fideli assertione probata, quæ operata est potentia summi Dei diebus istis in ecclesia cathedrali Herefordiensi ad laudem & gloriam sui nominis & ad declarationem meritorum & vitæ laudabilis servi ejus, piæ memoriæ domini Thomæ de Cantilupo, quondam episcopi ecclesiæ supradictæ, cujus ossa in eadem ecclesia sunt sepulta.

a

In ipso die translationis cæci ad tumulum illuminati.

2 Quintâ igitur feriâ in Cœna Domini, videlicet IIII Nonas Aprilis *b* anno gratiæ millesimo ducentesimo octuagesimo septimo, & à transitu dicti Episcopi ab hac vita anno quinto *c*, cùm dominus Ricardus, Dei gratiâ ejusdem ecclesiæ episcopus, proximusque ipsius successor, ossa Servi Dei prædicti de loco, ubi priùs sepulta fuerant, ob causas varias & legitimas secundum

b *c*

B ordinationem illorum, qui quondam fuerant executores testamenti ejusdem *d*, ac de voluntate & consensu capituli ecclesiæ supradictæ in loco alio competentiori in eadem ecclesia sepelìsset *e*, ac juxta sepulchrum novum ipsius in præsentia sua Missam, quæ communiter celebratur pro defunctis, celebrari fecisset; vir quidam, nomine Joannes de Masintona de parochia de Ledebury sub Malevernia, Herefordiensis diocesis, à biennio & ampliùs cæcus, visum cælitus est adeptus ad tumulum novum Episcopi supradicti *f*. Item eisdem die & loco mulier quædam, nomine Cristina de Mortone, in civitate commorans supradicta, ab octo annis & ampliùs cæca, visum recepit. Item eisdem die & loco quædam mulier, nomine Margarita de Erdesleye, ejusdem diocesis, ab uno anno & ampliùs cæca in sinistro oculo, videndi est potentiam consecuta. Item eisdem die & loco vir quidam, Walterus nomine, de Westone juxta Inswardin ejusdem diocesis, à multo tempore cæcus in sinistro oculo, videndi potentiam est adeptus. Item eisdem die & loco vir quidam, Ricardus nomine, de civitate prædicta, utriusque oculi à quinquennio & ampliùs

d

e

f

C visu carens, in dextro oculo videndi potentiam est adeptus.

Postridie, ac Sabbato Sancto, contracti,

3 Sexta feria proxima subsequenti, videlicet die Paresceves, Philippus cythariста de civitate prædicta, à sexdecim annis contractus in tantum, ut ejus tibiæ cancellatæ nulla sui virtute nec auxilio medicorum potuissent disjungi, talem ibidem consecutus est sanitatem per adjutorium Servi Dei, ut ipsas tibias per se ipsum posset faciliter disjungere & movere, & cum parvo adminiculo ipsius tumulum circuire. Item eisdem die & loco quædam mulier, nomine Juliana de Etone, juxta Sugwas ejusdem diocesis, à novem annis & ampliùs contracta adeò, ut in sporta ad dictum tumulum veheretur, per se sportam exivit, sanitatem divinitus consecuta. Item eisdem die & loco vir quidam, Joannes nomine, de Mathefeld in parochia de Madeleye ejusdem diocesis, ætatis XXV annorum, mancus utraque manu & ferè mutus pariter & gibbosus, sospes in his omnibus est regressus. Item eisdem die & loco Hugo, filius Hugonis Atey, de Hompton, ejusdem diocesis, à septem annis contractus, gradiendi potentiam cælitus est adeptus. Item eisdem die & loco juvenis quidam, Rogerus nomine, de civitate prædicta, à sex annis habens manum dextram aridam & contractam, sanitatem est divinitus consecutus.

aliisque infirmitatibus afflicti, ibidem sanati

4 Nocte sequenti loco prædicto mulier quædam, Sibilla nomine, de Bruge Solers, ejusdem diocesis, à tribus annis habens in dextro oculo cæcitatem, visum obtinuit in eodem. Item eisdem nocte & loco vir quidam, Willelmus nomine, de parochia de Welintone, ejusdem diocesis, à tribus annis & ampliùs habens manum contractam, & clausum pollicem in pugillo, sanitatem & rectitudinem in eadem recepit, invocato suffragio Viri Dei. Die Sabbati proxima, videlicet Sabbato sancto Paschæ, loco prædicto quædam mulier, Agneta nomine, de Mordeford, à quinquennio manca penitus & contracta, cælitus est sanata. Nocte sequenti ibidem quædam mulier, Matilda nomine, de Codhale, à septem annis frenetica, sive demens, invocato suffragio Viri Dei, sanitati extitit restituta. Item eisdem nocte & loco Joanna de Birches, de Penna canonicorum, ejusdem E diocesis, clauda ab uno anno & ampliùs, ac contracta, gradiendi potentiam cælitus est adepta. Item eisdem nocte & loco mulier quædam, Agnes nomine, de parochia de Bullinghope, ejusdem diocesis, à septem annis cæca, visum recepit.

Sequenti die Paschæ alii, contractæ, cæci, clauda

5 Die sancto Paschæ loco prædicto mulier quædam, Eva nomine, de Webbetone in parochia de Welbeleye, ejusdem diocesis, à tribus annis contracta adeò, ut veheretur in sporta, ab ægritudine penitus rediit liberata, sportam ecclesiæ relinquendo. Item eisdem die & loco quædam mulier, Emma nomine, de Hope sub Cinemor, à duodecim annis contracta adeò, ut suffulta duobus podiis *g* ad asellas miserrimè graderetur, sospes ad propria remeavit, ipsis podiis ecclesiæ derelictis. Item eodem die, ubi priùs ossa fuerant tumulata *h*, vir quidam, Joannes nomine, de Landun de partibus Brehenok *i* Menevensis diocesis, à duobus annis & ampliùs cæcus, visum recepit. Nocte prima subsequenti ad tumulum novum mulier quædam, Agnes nomine, cognomento Moreth, de civitate prædicta, ab octo annis & ampliùs clauda, cælitus sanata est.

g

h

i

F

Iusca eodem in loco incolumes facti.

6 Item eisdem nocte & loco mulier quædam, nomine Juliana, de Warewik *k*, à sexdecim septimanis cæca, visum recepit. Item eisdem nocte & loco mulier quædam, nomine Juliana, de civitate prædicta, in dextro oculo visu carens, quæ miraculis supradictis insultans, irreverenter se habuit multipliciter in loquendo, & propterea, ut rationabiliter ab astantibus putabatur, ad terram corruit, ut defuncta, cùm à quadam muliere, nomine Matilda de Coldahale *, quæ à dementia nocte præcedenti ibidem fuerat cælitus liberata, ad ipsum tumulum portaretur, ac ibidem exanimis aliquandiu jacuisset, demum resumpto spiritu, vivificata recedit, & ea, quæ in Deum & in Servum ejus paulò antè peccata commiserat, confitens & publicè recognoscens, cum vita etiam videndi in oculo dextro consecuta est à Domino facultatem.

k

* *suprà* Codhale

7 Feriâ secundâ proximâ loco prædicto, vir quidam, nomine Joannes de Holhamptone, tunc præpositus domini Rogerii de Bradeleye militis,

militis, habens in collo unum gibbum veterem & tumentem, dum Servi Dei ſuffragium invocaret, à gibbo prædicto fuit concitò liberatus. Nocte proxima loco prædicto Joannes de Dokkelawe, ejuſdem dioceſis, à ſeptem ſeptimanis ſurdus, audiendi potentiam cælitus adeptus eſt. Tertia feria proxima ſequenti puella quædam, nomine Margarita, filia Willelmi Mael, civis Herefordienſis, à viginti ſeptem ſeptimanis clauda in pedibus & contracta, gradiendi rectitudinem cælitus eſt adepta. Item, ubi oſſa priùs fuerant tumulata, infans quidam, Joannes nomine, filius Joannis de la Vere, de Kenceſtr *l*, ætatis duorum annorum, à nativitate contractus, gradiendi potentiam ſimiliter cælitus eſt adeptus. Item ibidem mulier quædam, Muriel nomine, uxor Gilberti Travers, ſurda & in ſiniſtro oculo viſu carens, auditum & viſum recepit. Item eodem die ad tumulum novum puella quædam, Joanna nomine, filia Thomæ piſtoris, de magna Merkeleya, ætatis quatuor annorum, à nativitate contracta, gradiendi potentiam primitus eſt adepta.

Ex PROCES. CAN. *Feriis 2 & 3, gibboſus, ſurdi, claudi, contracti & luſca curati.*

l

B *Tribus ſequentibus diebus rurſum alii*

8 Feria quarta proxima ſubſequenti ad tumulum novum puella quædam, nomine Iſabella, filia Willelmi Grifith, civis Herefordienſis, ab uno anno & ampliùs habens ſiniſtram manum aridam & contractam, ſanitatem recepit. Nocte ſequenti ibidem mulier quædam, nomine Dikibo, uxor Willelmi Clement, de civitate prædicta, à biennio cæca, viſum recepit. Feria quinta proxima ſequenti ad locum primæ ſepulturæ vidua quædam, nomine Alicia, de Uptone, à tribus annis & ampliùs cæca, viſum recepit. Item ad novum ſepulchrum mulier quædam, nomine Iſabella de Chirtheyard, de parochia de Marchel, à tribus annis contracta adeò, ut non poſſet caput erigere ſeu movere, nec pedes proprios intueri, ſanitatem optatam recepit. Item eiſdem die & loco vidua quædam de Penna canonicorum, Alditha nomine, à ſex annis & ampliùs cæca, viſum recepit. Feriâ ſextâ proximâ loco prædicto mulier quædam, Alicia nomine, de Webbel, à decem & ſeptem annis cæca, viſum eſt divinitus conſecuta.

contracti, cæci, paralytici, muti, ibidem ſanitatem adepti. C

9 Item eiſdem die & loco vir quidam, David nomine, de Baldinghtram, ab uno anno claudus, greſſûs rectitudinem eſt adeptus. Nocte ſequenti loco prædicto vir quidam, nomine Nicolaus, cognomento Bridab, uno anno & ampliùs habens dextrum oculum excæcatum, viſum cælitus in eodem recepit. Item eiſdem nocte & loco quædam puella, Agnes nomine, de Ynintone, à quinquennio in dextra parte totius ſui corporis paralitico morbo percuſſa, & in manu dextra contracta, per Servi Dei ſuffragium eſt ſanata. Item ibidem Margarita de Homptone, per multa tempora antè cæca, viſum recepit. Die Sabbati proximo ſubſequenti vir quidam, nomine Robertus de Gilderate, in parochia de Andintone, claudus ab uno anno & ampliùs, & contractus adeò, ut in quodam cunabulo portaretur, gradiendi rectitudinem eſt divinitus conſecutus. Item quidam, David nomine, mutus pariter & contractus, loquendi & gradiendi potentiam eſt adeptus. Item puella quædam, Helena nomine, filia ejuſdem Agnetis, de Bromiard, muta pariter & contracta, ſanitatem priori ſimilem eſt adepta.

10 Die Dominicâ proximâ, videlicet, Idibus Aprilis, quædam mulier, Margarita nomine, de Dimmok, à tribus annis & ampliùs clauda, gradiendi rectitudinem per Viri Dei ſuffragium eſt adepta. Item vir quidam, Willelmus nomine, conſtabularis de Stepeltone *m*, à duodecim annis aridam manum habens, ſanitatem recepit. Feriâ ſecundâ proximâ in loco prædicto vir quidam, nomine Joannes de Kingeſcone, Herefordienſis dioceſis, à quinque annis & ampliùs in ſiniſtra parte claudus pariter & contractus, gradiendi rectitudinem eſt divinitus conſecutus. Item mulier quædam, Editha nomine, de Kingtone, ejuſdem dioceſis, à ſeptem annis in ſiniſtra parte clauda, ſimiliter eſt ſanata. Item quædam mulier, Matilda nomine, de Wbitenburne, ejuſdem dioceſis, clauda per longum tempus, ibidem cælitus eſt curata. Feriâ tertiâ proximâ juvenis quidam, Hugo nomine, de Stoctone, ejuſdem dioceſis, à biennio mutus, loquendi potentiam loco prædicto eſt divinitus conſecutus, in quo facto apparuit hoc mirandum, ut, omnibus inſpicientibus, in os ejus magna portio linguæ ſuæ manifeſtiſſimè videretur de novo ſupernaturalis virtutis opere accreviſſe. Feriâ quartâ proximâ Alicia de Stokemelle, de parochia de Bodenhtram, ejuſdem diœceſis, à triennio clauda, gradiendi rectitudinem per Viri Dei ſuffragium eſt à Domino conſecuta.

Simile beneficium ſequenti quatriduo aliis collatum, *m*

E

11 Feriâ quintâ proximâ loco prædicto, mulier quædam, Alicia nomine de Bokelnitone, ejuſdem diœceſis, à biennio clauda, ſimiliter eſt ſanata. Item eiſdem die & loco mulier quædam, Alicia nomine de la Hulle, in parochia de Burehulle ejuſdem diœceſis, à ſeptennio clauda, ſimiliter eſt ſanata. Item mulier quædam de Dindindale, in parochia de Bodinham, nomine Marſerra, à biennio clauda, modo ſimili eſt ſanata. Item eiſdem die & loco quædam mulier, Alicia nomine, de Avenebyri, ejuſdem diœceſis, ab uno anno clauda, modo ſimili eſt ſanata. Item quædam mulier Roiſia de Hope, ſub Dinemor, ejuſdem diœceſis, à biennio clauda, ſimiliter eſt curata. Item eiſdem die & loco puella quædam, Agneta nomine, de Ymintone, ejuſdem diœceſis, in dextra parte totius ſui corporis paralitico morbo percuſſa, quæ ſanata fuerat, ut patet ſuperiùs, ſexta feria proxima præcedenti, & in eandem ægritudinem, fortè ſuis peccatis exigentibus, incidit, iteratò devota rediit, & ſanitatem ſtabilem cælitus eſt adepta. Nocte ſequenti ibidem juvenis quidam, Willelmus nomine, de Ledewik, ejuſdem diœceſis, à biennio paralitico morbo percuſſus, per Servi Dei ſuffragium à Domino eſt ſanatus.

ac rurſus aliis poſtridie.

F

Similia miracula

12 Feria ſexta proxima ſubſequenti loco prædicto quædam mulier, nomine Margarita, de parochia de Yarchull, à quatuor annis contracta, ſanitatem recepit. Item mulier quædam, nomine Flandritha, de Aſtone in parochia de Cya, à quatuordecim annis clauda adeò & contracta, ut nec ſedere poſſet nec incedere quoquo modo, per Servi Dei ſuffragium eſt curata. Die Sabbati proximo, loco prædicto quædam mulier, Alicia nomine, de Stok juxta Leomiſtre, à biennio clauda, rectè gradiendi potentiam per Servi Dei ſuffragium eſt à Domino conſecuta. Die Dominica ſubſequenti, videlicet XII Kalendas Maii, loco prædicto vir quidam, nomine Robertus, de parochia de Sobbedone ejuſdem diœceſis, paralytico morbo percuſſus, à morbo hujuſmodi divinitus eſt curatus. Feriâ quintâ proximâ loco prædicto puer quidam, Hugo nomine,

A nomine, de Salopresbury Xychefeldenſis *n* diœceſis, à nativitate contractus, gradiendi potentiam primitus eſt adeptus. Feriâ ſextâ proximâ ibidem quædam mulier, Joanna nomine, de Forhamptone, à quinque annis contracta, gradiendi rectitudinem eſt à Domino conſecuta. Item eiſdem die & loco quædam mulier, Himith nomine, deRolveſtone, à nativitate clauda pariter & contracta, optatam in iis ſanitatem cælitus eſt adepta.

n

reliquo menſe Aprili à variis ibidem impetrata.

13 Die Sabbati proxima loco prædicto quædam mulier, Matilda nomine, de Childerheuley, in dextra parte clauda pariter & contracta, gradiendi potentiam cælitus eſt à Domino conſecuta. Item eiſdem die & loco vir quidam, nomine Willelmus de Lude, à biennio ſurdus, auditum cælitus eſt adeptus. Item mulier, Emmota nomine, de Ros Herefordienſis diœceſis, habens dextrum oculum excæcatum, viſum obtinuit in eodem. Item eiſdem die & loco vir quidam, Thomas nomine, de Clif de Berminfeld, à decem annis claudus, recto eſt greſſui reſtitutus. Item mulier quædam, Agnes nomine, de Fromptone ſuper Menerne, à decem annis contracta, rectam gradiendi potentiam

B eſt divinitus conſecuta. Die Dominica proxima ſubſequenti, ſcilicet quinto Kalendas Maii, homo quidam, nomine Thomas de Kilpek, à duodecim annis viſu unius oculi deſtitutus, viſum obtinuit in eodem. Feriâ quartâ proximâ mulier quædam, nomine Roiſia, de Candintone, à decem annis cæca, viſum recepit. Item eodem die quædam mulier, Alicia nomine, de Roſebur Herefordienſis diœceſis, à decem annis & ampliùs habens dextram manum aridam & contractam, optatam ſanitatem recepit. Feriâ quintâ proximâ vir quidam, Willelmus nomine de

o la Welle, de Nevenham ſuper Sabrinum *o* fluvium, à duobus annis contractus, ſimiliter eſt curatus.

Item ſimiles aliæque

14 Feria tertia proxima ſubſequenti, videlicet ſecundo Nonas Maii, mulier quædam, nomine Sedonia, de Galſar, à ſeptem annis muta pariter & contracta, rectam loquendi & gradiendi potentiam cælitus eſt adepta. Feriâ quartâ proximâ quædam mulier, Alicia nomine, de Tilintone, à ſeptem annis contracta, optatam ſanitatem eſt divinitus conſecuta. Feriâ ſextâ proximâ mulier quædam, Joanna nomine, de For-

C hamptone, à quinque annis manum habens contractam, ſanitatem recepit. Sabbato proximo ſubſequenti loco prædicto puer quidam, Thomas nomine, de Burhulle, à quinque ſeptimanis in utroque oculo viſu carens, & à nativitate penitus in ſiniſtro, viſum obtinuit cælitus in utroque & clariùs in ſiniſtro. Item eiſdem die & loco vir quidam, Willelmus nomine de Bos dictus, de Stone, à quatuor annis claudus, gradiendi rectitudinem eſt adeptus. Item eiſdem die & loco puer quidam, ætatis quatuor annorum & dimidii, nomine Joannes, de Nortone, à tempore, quo tres habuit tantummodo ſeptimanas ætatis, omnino contractus, gradiendi & currendi potentiam eſt adeptus. Die Dominicâ proximâ, videlicet quintâ Idus Maii, quædam mulier, Roſa nomine, de Actone, ab octo annis habens manus inflatas in tantum, ut ipſas movere non poſſet, optatam in his ſanitatem recepit.

15 Item eadem die & loco Adam Pictor, de civitate prædicta, à conſimili morbo divinitus eſt curatus. Item eiſdem die & loco quædam mulier, Agnes nomine de la Stone, de Afforwik, de morbo conſimili eſt curata. Feriâ ſecunda proxima ſubſequenti quidam capellanus, dictus Adam Abſalon, in civitate Herefordienſi moram trahens, morbo, qui dicitur ſchinancia *p*, tam magnam & duram habens inflationem in gutture & in collo, ut nec loqui poſſet, nec aliquid deglutire; cùm putaretur à medicis & amicis protinus moriturus, caſu fortuito ſomnum cepit, in quo ſomno ſibi, uti aſſeruit poſtmodùm, videbatur, quòd vir Dei Thomas, indutus rubeis ſacerdotalibus indumentis, ad ipſum acceſſit, & manu tetigit fortiter locum morbi, illi præcipiens, ut concitò ſurgeret & liberè loqueretur. Qui ſtatim obediens imperanti, ſanus ſurrexit per ſuffragium Viri Dei. Feriâ tertiâ proximâ loco prædicto juvenis quidam, Willelmus nomine, de Brampton, clericus habens in ſiniſtro oculo maculam, & à ſeptem annis & ampliùs cæcitatem, viſum recepit cælitus in eodem. Feriâ quintâ proximâ, videlicet die Aſcenſionis Domini, ibidem vir quidam, nomine Ricardus de Gaddefort Roneſorwicenſis *q* diœceſis, cæcus antea per tres annos, viſum recepit.

Ex Proces. can. *corporum infirmitates eodem menſe Aprili*

p

q

E

ac proximo menſe Maio

r

16 Item circa idem tempus vir quidam, Joannes nomine, de Kokebrugg juxta Diviſes *r*, Saresburienſis diœceſis, per duodecim annos antè furioſus, ſeu demens, cùm verſus tumulum Viri Dei ab amicis in itinere duceretur ligatus funibus & catenis, omnibus ligaminibus ſubitò per ſe ruptis, ſanitatem eſt divinitus conſecutus. Feriâ ſextâ proximâ ad tumulum ſupradictum vir quidam, Ricardus nomine, de Arleya juxta Stafford *ſ*, Lichefeldenſis diœceſis, in oculo dextro cæcus, viſum recepit cælitus per ſuffragium Viri Dei. Dominicâ proximâ, videlicet xvi Kalendas *t* Junii, vir quidam, Adam nomine, de Stransford, à tribus & ampliùs annis cæcus, in loco prædicto viſum cælitus eſt adeptus. Feriâ tertiâ proximâ, videlicet die S. Ethelberti *u*, quædam mulier, nomine Alicia, de Fremes, in civitate commorans ſupradicta, per viginti ſeptem annos antea habens collum ſic tortum, ut caput & faciem ſemper haberet ſuper ſiniſtrum humerum reclinatum, ſanitatem optatam recepit ibidem, invocato ſuffragio Viri Dei. Item eiſdem die & loco quædam mulier, F nomine Juliana, de Credenhulle, gravata morbo, qui dicitur ſquinantia, miraculosè ſanitatem recepit. Feriâ quintâ proximâ ad primum tumulum Viri Dei quædam mulier, nomine Chriſtiana, de Ledewiba juxta Lodelawe, à viginti annis & ampliùs contracta, ſanitatem recepit. Eiſdem die & loco quædam mulier de Chirbury Herefordenſis diœceſis, nomine Chriſtiana, in ſiniſtra parte adeò contracta, ut cum duobus baculis per annum & ampliùs antea graderetur, rectè gradiendi potentiam cælitus eſt adepta.

ſ

t

u

per ejuſdem Sancti patrocinium depulſæ.

17 Eodem die ibidem puer quidam de Etone juxta Leominiſtr, Thomas nomine, ætatis duodecim annorum, à nativitate mutus, loquelam divinitus eſt adeptus. Circa idem tempus Robertus, perpetuus vicarius de Clifford, Herefordenſis diœceſis, caſu quodam magnam partem pollicis ſiniſtræ manus ſuæ horribiliter amputavit, & abſciſa parte reſumpta, cùm ipſam voluiſſet ſuo toti conjungere vel aptare, tam gravi dolore vexatus fuerat, ut ipſam partem pollicis, quam alligaverat ſuo toti, ſibi dimitteret, & ſolius Dei & ſervi ſui Thomæ pontificis memorati ſuffragium devotiùs invocaret;

Ex Proces. can.

quo facto, omnis doloris anguſtia ſubitò ſic ceſſavit, ut nullum gravamen poſtea ſenſerit in eodem, ſed infra paucos dies ejus pollex ad integritatem per auxilium Viri Dei ſine omni deformitate unguis vel carnis, ſeu longitudinis, eſt multis mirantibus, reſtitutus. Circa idem tempus vir quidam, Willelmus nomine, de Gohntone, tam gravi morbo, qui gutta *x* appellatur, per quinque annos & ampliùs vexatus, ut cum baculis vix paſſu lento & cum anguſtia graderetur; cùm iter veniendi ad tumulum Servi Dei devotiùs fuiſſet aggreſſus, multis aſſerentibus, quòd ipſum iter perficere non valeret, in itinere tam ſanus factus eſt, ut ſine baculis veniret ad tumulum, ac inde totus ſanus ad propria cum gaudio remeavit.

x

ANNOTATA.

a *Vide dicta in Parte 2 Miraculorum num.* 1 *& tribus ſequentibus. Ratio autem, cur hæc non, ut cetera, examinata fuerint, ea eſt, quòd exſpirâſſet tempus, proceſſui conficiendo à ſummo Pontifice Clemente V commiſſariis conſtitutum.* B *Porrò lectorem hîc etiam monitum volo, plura miracula, ſuperiùs jam relata, hîc recurſura, additis tamen temporis adjunctis, aliiſque ibidem prætermiſſis.*

b *Error ſcriptoris eſt, legendumque* III Nonas Aprilis: *anno enim Chriſti* 1287 *Paſcha celebratum fuit die 6 Aprilis, ac propterea Cœna Domini proximè præcedens incidit in diem tertium Nonas, ſive in diem tertium Aprilis. Non autem in anno erratum hîc eſſe, ex ceteris omnibus manifeſtum eſt.*

c *Obiit ergò* S. Thomas *anno Chriſti* 1282, *ut in Commentario prævio pluribus probavi.*

d *In ſchedis meis ex proceſſu annotatum invenio, unum ex hiſce exſecutoribus fuiſſe dominum Wilhelmum de Monteforti, decanum Londinenſem.*

e *Primum Sancti in cathedrali eccleſia Herefordienſi ſepulcrum fuit in ſacello B. Mariæ Virginis; alterum, de quo hîc agitur, intra eamdem eccleſiam* in Aquilonari parte tranſepti ad Orientem, *teſte Godwino in epiſcopis Herefordienſibus pag.* 540, *ibidem addens:* Ubi ex marmore tumulum videmus excelſum.

C f *Hoc & quatuor proximè ſequentia miracula ſuperiùs breviter & cum aliqua vocum differentia relata ſunt in Parte* 2, *cap.* 2. *Occurrent etiam inferiùs alia, quæ inobſervata tranſibo.*

g Podia *hîc eſſe fulcra ſubalaria, dictum ſuprà eſt.*

h *Nempe in eadem quidem eccleſia, ſed alio in loco, ſcilicet in ſacello B. Mariæ Virginis.*

i *Puto, legendum eſſe* Brecknock, *cujus nominis oppidum & comitatus ſunt in Wallia Meridionali, Latinè* Brechinia *appellata. De diœceſi Menevenſi egi ſuprà.*

k Warwicum, *Anglis* Warwick, *oppidum Angliæ eſt, caputque comitatûs Warwicenſis, vulgò* Warwick-Shire *dicti.*

l Kencheſter, *Latinè* Ariconium, *olim oppidum munitum, nunc vicus Angliæ eſt in comitatu Herefordienſi.*

m *An legendum* Stapleton, *vicus ac olim caſtrum Angliæ in Cumbria, ejuſque conſtabularius ſeu præfectus fuit Willelmus, de quo hic?*

n *An* Lichfeldenſis? *Nam diœceſim* Xychefeldenſem *non novi in Anglia.*

o Sabrina, *Anglis* the Saverne, *celeberrimus Angliæ fluvius eſt, in Wallia Septemtrionali ortus; qui, dum per comitatum Gloceſtrienſem fluit, haud procul ab ipſa urbe Gloceſtria vicum* Newneham *præterlabitur.* D

p Schinancia *ſive* ſquinancia, *Latinè* angina.

q *Ut verum fatear, neſcio, quæ hæc diœceſis ſit. An fortè amanuenſis noſter duas voces conjunxit, ita ut, reſciſſis duabus primis ſyllabis, legendum ſit* Norwicenſis, *de qua ſuprà memini?*

r Diviſes, *ſeu* the Deviſes, *Latina terminatione* Diviſæ *&* Diviſio, *caſtrum vel oppidulum Angliæ eſt in comitatu Wiltoniæ. De* Sarisburia *dictum ſuprà eſt.*

ſ Staffordia *civitas Angliæ eſt, comitatûs* Stafford-Shire *vulgò dicti caput.*

t *Legendum eſt* XV Kalendas, *qui dies anno* 1287 *Dominicus erat.*

u *S. Ethelbertus rex & martyr colitur die* 20 *Maii, iſque dies præcitato anno* 1287 *feria tertia erat.*

x *Etſi vox* gutta *apud medii ævi ſcriptores pro variis morbis uſurpari ſoleat, ex ſequentibus liquet, eam hîc adhiberi pro arthritide, ſeu morbo articulari, Gallis* la goutte *dicto.* E

CAPUT II.

Continuatio miraculorum eodem anno MCCLXXXVII *per Sancti opem impetratorum.*

Multi alii eodem menſe Maio

Feriâ VI proximâ vir quidam, Thomas nomine, cellarius in civitate Herefordienſi, à quindecim ſeptimanis febribus vexatus, ad tumulum ſupradictum ſanitatem recepit. Eodem die & loco mulier quædam, Matilda nomine, de Talgar la Engleche, Menevenſis diœceſis, ab octo diebus clauda pariter & contracta, ſanata eſt. Item mulier quædam, nomine Chriſtiana de Alkerugg, in parochia de Ledebury, à ſeptem ſeptimanis contracta, ſanitatem cælitus eſt adepta. Sabbato proximo ſubſequenti quidam frater, nomine Reginaldus, de domo S. Joannis de Stafford, à ſeptem annis claudus, F rectè gradiendi potentiam eſt ibidem divinitus conſecutus. Item eiſdem die & loco quædam mulier de Owias, nomine Wenthliana, à ſex ſeptimanis muta, loquendi potentiam cælitus eſt adepta. Feriâ tertiâ proximâ loco prædicto puella quædam, quatuor annorum ætatem habens, de Glont, Matilda nomine, à nativitate habens manum ſiniſtram aridam & contractam, ſanitatem recepit cælitus in eadem. Item eiſdem die & loco vir quidam, Willelmus nomine, de Humbre juxta Leominiſtr, qui tribus annis contractus, gradiendi rectitudinem eſt divinitus conſecutus. Item eiſdem die & loco vir quidam, Willelmus nomine, de Pentumbe, à ſeptem annis contractus, recto eſt greſſui cælitus reſtitutus. Feriâ quartâ proximâ loco prædicto quædam mulier, Iſabella nomine de Gloutis, à tribus annis clauda, ſimiliter eſt curata. Eodem die mulier quædam, Erdudenel nomine, de Bidebury North.*, à duobus annis clauda, habenſque tumorem deformem & magnum in maxilla, à tumore & claudicatione prædictis cælitus eſt curata.

* *an* Northumbriæ

19 Item

A *ad Sancti ſepulcrum incolumitate donati.*

19 Item mulier quædam, nomine Margarita, de Roſebury, à viginti tribus annis præcedentibus paralitica jacens in lecto, ſanitatem recepit à Domino per ſuffragium Viri Dei. Item quædam mulier de civitate Herefordia, nomine Criſtiana, habens maculam ſuper oculos & gibbum in manu ſiniſtra per octo annos, ab utraque deformitate eſt per ſuffragium Viri Dei penitus liberata. Feriâ quintâ proximâ loco prædicto puella quædam de Ros, nomine Catarina, habens dorſum totum & in tantum curvum & gibboſum, quòd ſe erigere non valebat, nec aliter gradi poſſet, niſi manu poſita ſuper genu deformiter inclinata, ſe miſerabiliter ſuſtentaret, gibbo ſublato, ſtaturæ rectitudinem & rectè gradiendi potentiam, Domino largiente, recepit. Feriâ ſextâ proximâ quædam mu-
a lier de Caſtro Goderici *a*, Eva nomine, habens tibiam caſu fractam, cui ſubveniri non poterat, licèt circa ipſius curam magno tempore diligentia fuiſſet adhibita; cùm ad tumulum Viri Dei aliquandiu ipſius ſuffragium invocâſſet, ſubitò, multis mirantibus & Deum laudantibus, eſt ſanata; ita ut currens in eccleſia & extrà & præ
B gaudio plaudens manibus, Deo gratias verbis, ſignis & nutibus corporis, mirabili devotione perſolveret. Eodem die vir quidam, Roſerus nomine, de parochia de Malmeshulle Gamages, per decem dies antè vexatus febribus, ſanitatem recepit. Sabbato proximo quædam mu-
b lier, nomine Margarita de la Newalande in foreſta de Dene *b*, per ſeptem annos & ampliùs antè muta, invocato ſuffragio Viri Dei ad locum primæ ſepulturæ ejuſdem, facultatem loquendi, ſoluto ſilentio, eſt à Domino conſecuta.

Continuatio miraculorum

20 Dominica proxima ſubſequenti, videlicet primo die menſis Junii, quædam mulier, Agnes nomine, de Eſſhele in parochia de Bure-
c forda *c*, quinque annis contracta, recto eſt greſſui reſtituta. Feriâ ſecundâ proximâ quædam mulier, nomine Criſtiana, de parochia de Kingellone, à quinque annis clauda, rectè gradiendi potentiam eſt à Domino conſecuta. Eodem die mulier quædam, nomine Agnes Derby, de eadem, à quatuor annis antè manibus ſupra genua poſitis, gradiens deformiter inclinata, ſtaturæ & greſſûs rectitudinem eſt adepta. Feriâ quintâ proximâ juvenis quidam, Robertus
C nomine, de Witebache, in parochia de Bromfeld, à quatuor annis antea paraliticus, ſanitatem divinitus eſt adeptus. Eodem die quædam mulier, Alicia nomine, de Beandeſert juxta
d Warewick *d*, ab uno anno & dimidio contracta, gradiens baculis furcatis ſuffulta, recto eſt greſſui reſtituta per ſuffragium Viri Dei. Sabbato proximo vir quidam, Willelmus nomine,
e de parochia de Havonte juxta Porteſmue *e*, ab uno anno claudus, rectè gradiendi potentiam eſt adeptus. Eodem die vir quidam, Wil-
f lelmus nomine, de Preſtone canonicorum *f*, à quatuor ſeptimanis & ampliùs antè ſurdus, auditum divinitus eſt adeptus.

menſe Junio

21 Feriâ quartâ proximâ, videlicet die S. Barnabæ apoſtoli, mulier quædam, nomine
g Wenthhana de Ewyas Laſcy *g*, muta, quæ ſanata
* *adde* cùm fuerat priùs meritis Viri Dei prædicti, * rediens verſùs propria perveniſſet, loquelam, quam miraculosè receperat, perdidit iteratò; quæ poſtmodùm cum parentibus ſuis ad tumulum Servi Dei devotior rediit, & ibidem optatam loquendi recepit, ſoluto ſilentio, facultatem. Feria ſexta proxima ſequenti Ricardus de la Hulle de Webbele, gibbum habens in ſiniſtra parte faciei in tantum, ut in ſiniſtro oculo frequenter impediretur à viſu: tam etiam gravi dolore renum continuè vexabatur, ut gradi non poſſet, niſi grandi baculo ſuſtentatus; ab utroque morbo per ſuffragium Viri Dei ſubitò eſt ſanatus. Eodem die quædam mulier, nomine Petronilla, de Clehuragre, à multo tempore graviſſimo dolore capitis vexata, & tumenti ventre & hydropica, veneno buffonis infecta, qui cùm, ut aſſeruit, intoxicaverat dormientem; venenum ſubitò in magna quantitate evomuit, & in capite & in corpore, multis mirantibus, ſanitatem recepit. Dominica proxima ſubſequenti XVII Kalendas Julii quædam mulier, nomine Juliana, de Preſtone in Gokesmore, à quatuordecim annis cæca, viſum cælitus eſt adepta.

adſcriptis diebus, quibus ſingula contigerunt

22 Eodem die quædam mulier, nomine Juliana de Mordeford, paralitico morbo percuſſa, ſanitatem recepit. Feria quinta proxima ſequenti Gilbertus de Comptone, podagrâ infirmitate vexatus, ſanitatem cælitus eſt adeptus. Feriâ ſextâ proximâ vir quidam, nomine Philippus, de Ewias Laſcy, claudus, recto eſt greſſui reſtitutus. Feria quarta proxima ſubſequenti, videlicet VII Kalendas Julii, mulier quædam, nomine Margarita, de parochia de Kingellone, à quatuor annis clauda, recto eſt greſſui reſtituta. Eodem die mulier quædam, Dioniſia nomine, de Thomberwe, à ſex annis clauda, ſimiliter eſt curata. Feria ſexta ſequenti vir E
quidam, Hugo de Auſtre, à multo tempore furioſus, ſanitatem cælitus eſt adeptus per ſuffragium Viri Dei. Circa idem tempus infans quidam, Henricus nomine, filius Walteri, de Baskervile *h*, domini de Knines Hore, ætatis di- *h*
midii anni, habens faciem ſic inflatam, ut videre non poſſet; cùm parentes ejus, timentes ipſum protinus moriturum, pro eodem ſuffragium Viri Dei devotiùs invocâſſent, ſubitò ſanitatem recepit, tumore ablato, quem poſtea totum ſanum, videlicet feriâ ſecundâ in craſtino Apoſtolorum Petri & Pauli *i*, ipſius paren- *i*
tes prædicti, ut facerent, ſecundùm quod voverant pro eodem, ad tumulum Servi Dei cum devotis oblationibus detulerunt.

Item menſe Julio

23 Feriâ quintâ proximâ *k* Willelmus de la Whiche juxta Ceſtriam *k*, ab uno anno paraliticus atque mutus, ſanitatem recepit cælitus *k*
& loquelam. Eodem die homo quidam, Ricar- *l*
dus nomine, de Pulle, in parochia de Teukesbiny *m*, à multo tempore cæcus, viſum cælitus F *m*
eſt adeptus. Circa idem tempus quidam juvenis, Ricardus nomine, filius domini Radulphi de Crampewele, Lincolnienſis diœceſis, à ſeptem annis febre vexatus, ſanitatem recepit, invocato ſuffragio Viri Dei. Feriâ ſextâ proximâ Joannes, dictus Picard, de hoſpitio comitis Gloumme, in latere ſiniſtro gravi dolore vexatus, ſanitatem recepit. Eodem die quædam mulier, Quenith nomine, de parochia de Hoye, habens dorſum gibboſum & curvum à ſeptem annis & ampliùs, ſanitatem recepit. Feriâ ſecundâ proximâ, videlicet die tranſlationis B. Thomæ martyris *n*, Nicolaus, filius Willelmi Norreis, *n*
de Mora canonicorum, habens à duobus annis
o in pede ſiniſtro durum botium *o* & inflatum, ſanitatem recepit per ſuffragium Viri Dei.

varia miracula per ejus invocationem obtenta fuére.

24 Feria quinta proxima ſubſequenti, ſcilicet in feſtis ſanctorum ſeptem Fratrum *p*, preſbyter quidam, nomine Joannes de Teme, de *p*

Ex Proces. can. Bury, à quinque ſeptimanis furioſus, ſanitatem cælitus eſt adeptus. Feriâ quartâ proximâ vir quidam, nomine Willelmus, filius Georgii, clericus de parochia de Grete, à tribus annis claudus, rectè gradiendi potentiam miraculosè recepit. Feria ſecunda proxima ſequenti, ſcilicet in vigilia S. Margaritæ virginis *q*, adoleſcens quidam, Joannes nomine, de domo & familia domini Joannis de Havinger, tunc juſticiarius* domini regis in Snoudon, à tribus annis ſurdus, auditum recepit ſubitò per ſuffragium Viri Dei. Feriâ quartâ proximâ, ſcilicet in craſtino S. Mariæ Magdalenæ *r*, vir quidam, Willelmus nomine, de caſtro Epiſcopi Herefordienſis *ſ*, à multo tempore antè cæcus, viſum recepit. Eodem die vir quidam, Joannes nomine, de Neycrevent Landavenſis diœceſis, cæcus, lumen oculorum recepit, invocato ſuffragio Viri Dei.

q in vigilia S. Margaritæ virginis

**an* juſtitiarii

r

ſ

Rurſum multi alii menſibus Auguſto,

25 Quarto die menſis Auguſti, ſcilicet in craſtino Inventionis S. Stephani *t*, quidam juvenis, nomine Joannes, de Diviſes, Saresburienſis diœceſis presbyter, qui fuerat furioſus à ſexto die menſis Aprilis, ad dictum tumulum Servi Dei ſuo ſano ſenſui eſt cælitus reſtitutus.

t

B Quarta Idus Auguſti, ſcilicet die S. Laurentii martyris, vir quidam, nomine David, dictus Erum, de terra de Clifford, Herefordienſis diœceſis, habens ſiniſtrum oculum excæcatum, qui etiam claudus extiterat antea per tres annos, viſum recepit in oculo memorato, & rectum inceſſum per ſuffragium Viri Dei. Quarto decimo Kalendas Septembris, ſcilicet die S. Magni martyris *u*, quidam, Adam nomine, dictus Lethewind, de Burtone, qui fuerat à tribus ſeptimanis antea furioſus, ſuo recto ſenſui per ſuffragium Viri Dei extitit reſtitutus. Item undecimo Kalendas Septembris, ſcilicet in Octava Aſſumptionis B. Mariæ, vir quidam, nomine Philippus, de Stepeltone, Herefordienſis diœceſis, qui infirmitate, quam medici guttam vocant, per tres dies continuos tam graviter antea vexabatur, ut nec manus, nec pedes, abſque dolore graviſſimo poſſet movere, cùm Servi Dei ſuffragium devotiùs invocâſſet, protinus eſt ſanatus. Item v Kalendas Septembris, ſcilicet die S. Auguſtini *x*, vir quidam, nomine Nicolaus, de Weſtone, juxta Malmesbury *y*, habens ſiniſtram manum aridam & contractam, cælitus eſt curatus. Eodem die vir quidam, nomine Robertus, de Wermbruge, in dextro oculo à multo tempore antè cæcus, viſum recepit cælitus in eodem.

u

x

y

C

& Septembri,

26 Item ſecundo die menſis Septembris vir quidam, nomine Thomas, de Clone, contractus adeò, ut ſuper manus & genua graderetur, rectè gradiendi potentiam cælitus eſt adeptus. Eodem die quædam mulier, nomine Juliana, de Rodmerleye, à multo tempore antè clauda, rectum greſſum divinitus eſt adepta. Item XVIII Kalendas Octobris, ſcilicet die Exaltationis S. Crucis, Petronilla de Standone Picard, habens dextram tibiam à tempore multo contractam, greſſûs rectitudinem cælitus eſt adepta. Die proxima ſequenti vir quidam, nomine Abwilmi de Ewyas Laſcii, ex utraque parte à dimidio anno claudus, gradiendi rectitudinem cælitus eſt adeptus. Item XV Kalendas Octobris alia quædam de Shireburne *z* ſuper Waldam, ex utraque parte à quatuordecim annis clauda, rectum greſſum cælitus eſt adepta. Item XI Kalendas Octobris, ſcilicet die S. Matthæi apoſtoli, vir quidam, nomine Odobekard de comitatu Oxonienſi, qui tam gravi & mirabili ægritudine ab uno anno & ampliùs, ſcilicet ſex menſibus, vexabatur, ut quaſi continuè ex ore ipſius ſanguis per excreationem vel per vomitum diſtillaret, cùm ad tumulum Viri Dei ſuffragium devotiùs invocâſſet, à paſſione hujuſmodi ſubitò eſt ſanatus.

z

D

alii aliàs, ſed eodem anno

27 Sunt & alia quædam ſigna, quæ fecit Deus ad declarationem Servi ſui meritorum, quæ ſuperiùs non ſunt ſcripta, quorum aliqua hîc notantur *aa*. Dominus enim Radulphus de Abbetoſt, miles Wigornienſis diœceſis, habens falconem, qui mortuus fuerat per diem integrum naturalem, dum extra domum projectus ibidem ſic mortuus jacuiſſet, quidam de hoc dolens, ultra ipſum falconem denarium unum plicavit, Dei & ſervi ejus Thomæ pontificis auxilium implorando; & ecce ſubitò falco revixit, & vivus & ſanus ad Servi Dei prædicti tumulum eſt portatus in præſentia dominorum Joannis, Dei gratiâ epiſcopi Elienſis *bb*, & Edmundi comitis Cornubiæ *cc* & magnæ multitudinis nobilium, qui Herefordiæ tunc convenerant proficiſcendo versùs Walliam ad Peeſmeredith tum hoſtem regis Angliæ debellandum *dd*. Item in præſentia eorumdem quidam clericus de Cyrenceſtr Wygornienſis diœceſis, nomine Rogerus, qui ideò, ut juravit, extitit mancus utraque manu, aut certè contractus, quia vitam Servi Dei & miracula depravare præſumpſerat, acceſſit ad tumulum ſupradictum, & ſuper ſarcophagum ejus ſuas contractas manus, prout potuit, collocavit; & ſic cum lacrymis orans, ſubitò, multis cernentibus, eſt ſanatus.

aa

bb

cc

E

dd

per Sancti invocationem variis malis erepti:

28 Hæc & alia plura ſigna miranda circa feſtum B. Margaritæ virginis contingentia, quæ ſuperiùs continentur, viderunt nobiles memorati. Poſt hæc autem cùm nobiles prædicti caſtrum de Troſlan *ee*, quod Walenſes occupaverant, obſiderent, quidam ex Walenſibus de caſtro ſagittam jaciens, percuſſit dominum Radulphum le Buteler militem ſub uno oculorum, ita ut ferrum ſagittæ in capitis ſui profundum horribiliter figeretur; & cùm ab aſtantibus non ſolùm oculum, ſed etiam vitam ſuam amiſiſſe certiſſimè crederetur, at ipſe, uti potuit, tunc per ſigna unà cum amicis ſuis exiſtentibus tunc ibidem Dei & ſervi ejuſdem Thomæ aliquandiu invocâſſet auxilium, in ipſo oculo læſo viſum & vitæ ſanitatem miraculosè recepit. Item cùm nobiles ſæpedicti tantam vim ac ſagacitatem caſtro intuliſſent, ut caderet exterior murus ejus, ac cadendo per infortunium ſive caſum plures de dictis nobilibus oppreſſiſſet, duo tantùm milites, juxta propiùs tunc aſtantium aſſertionem, per auxilium Viri Dei miraculosè mortis periculum evaſerunt; unus tamen eorum multo mirabiliùs altero eſt ſalvatus: pro quo, dum jacêret oppreſſus inter mortuos, nec aliquid de ſuo corpore præter caput extrinſecus appareret, invocavit ipſius armiger auxilium Viri Dei, & ipſum de ſub lapidibus & cœmento mirabili facilitate abſtraxit illæſum.

ee

F

alii denuò menſibus Octobri.

29 Item ſecundo Nonas Octobris quædam mulier, nomine Wenthliana, de Oſwaldeſne, ab octo annis præcedentibus habens dextram manum omnino contractam, per Viri Dei ſuffragium cælitus eſt curata. Item x Kalendas Novembris rector eccleſiæ de Fromptone, nomine Thomas de Pelhale, in renibus & in pedibus adeò gravi dolore vexatus, ut per dimidium annum

annum antè ire vel equitare non poſſet, plenam gradiendi & equitandi potentiam eſt adeptus, & ab omni corporis languore curatus per ſuffragium Viri Dei. Item IV Nonas Novembris vir quidam, Joannes nomine, de Kingeskaple, veniens ad tumulum Viri Dei prædicti, ducens uxorem ſuam & vaccam unam ac plures amicos alios ac vicinos, coram magna hominum multitudine retulit & probavit, quòd, uxore ſua prædicta per paucos dies antè ægritudine adeò gravi proſtrata, ut ab omnibus exiſtentibus circa ipſam mortua putaretur, ipſe vaccam illam Deo & ſervo ejus Thomæ pro ſanitate & reſuſcitatione uxoris ſuæ oblaturum promiſit, ipſamque mulierem fecit, prout moris eſt, menſurari; quo facto, ſtatim vivificata recedit, & cibum petiit ſibi dari, infra paucos dies ſanitati priſtinæ reſtituta.

Novembri & Decembri, 30 Item ſecunda Idus Novembris quidam Citharista de Wis, nomine Robertus, gravi gutta in renibus per duos annos vexatus adeò, ut miſerrimè nunc cum uno, nunc cum duobus baculis graderetur, ad primum tumulum Servi Dei per ipſius ſuffragium cælitus eſt curatus. Item XIII Kalendas Septembris * juvenis quidam, nomine Gilbertus de Pophram armiger, de domo & familia domini comitis de Warewik, venit ad tumulum Viri Dei, bona fide referens cunctis circumſtantibus tunc ibidem, quòd ipſe quaſi per quinque annos in ſiniſtro latere à loco zonæ deorſum gravi dolore conſueverat cruciari, noviſſimè tamen diebus viginti & uno, antequam veniret ad tumulum, tantùm cœpit dolor ille graviſſimus intolerabiliter augmentari, ut de vita ejus deſperaretur à medicis & amicis; propè etiamque amens factus, ſæpe clamans rogabat aſtantes, ut dolentem partem abſcinderent, & à ſe projicerent horribiliter ſic abſciſam; amici verò ejus, hoc omnino facere recuſantes, ad Dei potiùs & ad Servi ejus auxilium confugerunt, ipſum infirmum, ut moris eſt, Thomæ pontifici menſurantes; quo facto, ſtatim quievit, & ſomnum cepit, & à dicto dolore cælitus eſt curatus per ſuffragium Viri Dei.

B

* *imò* Decembris

31 Item IIII Kalendas Decembris adoleſcens quidam, nomine Joannes de Tregoz, conſanguineus ſcilicet domini Joannis de Tregoz militis, qui ſub latere dextro per quatuordecim annos antè gravi fuerat dolore vexatus, à quo curari non potuit per multiplex adhibitum auxilium medicorum; venit ad tumulum Viri Dei, & juxta illud * in oratione pernoctans, circa noctis medium ei manifeſtiſſimè videbatur, dum genua flecteret ante tumbam, quòd quidam Epiſcopus albis veſtimentis indutus, habens etiam in capite mitram albam, parvæ tamen quantitatis, utpote unius pedis longitudinem non excedens *, quem parva crux alba etiam præcedebat, egreſſus eſt de ſub imagine ærea, quæ fuſa eſt ſuper ſarcofagum Viri Dei; & cùm acceſſiſſet ad ipſum, manum dexteram intra locum lateris, ſub quo morbus latebat, tam potenter injecit, ut videretur eidem, quòd ventrem ejus ab illo latere uſque in latus oppoſitum diſcerpſiſſet.

maximè ad ipſius ſepulcrum,

C

* *imò* illum

* *an* excedentem?

32 Poſt tactum autem ipſius ſibi apparuit, ut juravit, quoddam caput, quaſi æthiopis, nigerrimum, ſerpens ſuper terram inter genua ſua; & ecce ſubitò apparuit ei magna fiſſura in terra, in quam illud caput intravit, quaſi abſorptum à terra, ita quòd nec veſtigium inde aliquod appareret. Ipſe tamen, qui fuerat infirmus, poſt hæc quaſi per unius horæ ſpatium jacuit immobilis ad modum illorum, qui cincopim *ff* patiuntur; & tunc inventus eſt ab omni dolore & à ſpiritu infirmitatis, quam habuerat ab annis quatuordecim, ut probabiliter creditur, per ſuffragium Viri Dei totaliter liberatus. Item VII Idus Septembris * miles quidam, nomine Rogerus, de Pineleſcone *gg*, tunc cuſtos Angleſeye, & alii quatuordecim milites, & alii numero triginta viri, in mari navigare cœperunt, per totum illum diem bonam tranquillitatem habentes: nocte ſequenti cœpit mare ſæviſſima tempeſtate turbari, & navis eorum in maris fluctibus adeò agitari, quòd de humano remedio deſperarent. Tandem invocato ſuffragio Dei & ſervi ejus Thomæ pontificis, ſtatim ceſſavit tempeſtas, & ipſi ad terram cum tranquillitate & ſuavitate maxima ſunt adducti.

Ex Proces. can.

ff

* *l.* Decembris

gg

incolamitate donati.

33 Item Kalendis Februarii Henricus, dictus mercator de Coptone juxta Severne, in ſiniſtra tibia gravi infirmitate percuſſus, in tantum, ut per dimidium annum miſerrimè cum uno baculo graderetur, cælitus eſt curatus ad primum tumulum Servi Dei. Item VIII Kalendas Aprilis, videlicet in Cœna Domini *hh*, infans quædam de Bromiord, nomine Iſabella, ad Servi Dei tumulum eſt adducta, de qua tale miraculum ſolemniter eſt probatum: videlicet, quòd ipſam, poſtquam baptiſmi gratiam ſuſcepit, mortuam per quatuor horarum ſpatium æſtimatam & veraciter ſic jacentem, invocato ſuffragio Viri Dei, ipſe Deus à mortuis ſuſcitavit. Item Kal. Aprilis *ii* infans quædam, nomine Margarita, de civitate Herefordienſi, ætate ferè unius anni, habens oculum dextrum adeò periculosè inflatum, quòd ad latitudinem trium digitorum de loco proprio videbatur amotus, per auxilium Viri Dei cælitus eſt curata ſalubriter & perfectè, ita quòd poſt curationem hujus nec locus morbi, nec veſtigium appareret. Eodem die mulier quædam, nomine Editha, de Ailmundeſtre, per quatuor annos contracta, per ſuffragium Viri Dei ſanitatem cælitus eſt adepta.

alii denique Februario & Martio.

E

hh

ii

ANNOTATA.

a *Anglis* Goderich-caſtle, *ſitum eſt in comitatu Herefordienſi.*

b *Anglicè nunc* Foreſt of Deane, *Latinè* Sylva Danica, *vel etiam* Danubiæ ſylva *dicta legitur, eſtque in Occidentali parte comitatûs Gloceſtriæ, in regione Tranſſabrina, ad Vagam flumen.*

F

c Burford *vicus Angliæ eſt ad fluvium Iſim in Oxonienſi comitatu.*

d *Notitiam* Warwici *dedi ſuperiùs.*

e *Lege* Porteſmouth *ſive* Portſmouth, *quaſi* Portus oſtium, *inquit Camdenus: eſtque oppidum Angliæ in comitatu Hantoniæ, in ora maris Britannici, capacem portum habens. Non procul inde viſitur* Havant *oppidulum, quod hîc* Havonte *ſcribitur.*

f *Camdenus* Preſton *amplum oppidum in comitatu Lancaſtriæ memorat, &* Sacerdotum oppidum *interpretatur. Hocne, an aliud, hîc deſignetur, mihi incompertum eſt.*

g *Ad hujus loci notitiam ſpectant, quæ habet Camdenus in deſcriptione comitatûs Monumethenſis, pag.* 486 *ſic ſcribens:* In extremo ad Circium angulo, qui Ewias dicitur, non procul à Munow fluvio inter Hatterell montes, quos, quòd inſtar

Ex Proces. can.

instar cathedræ consurgunt, Munith Cader dicunt, Lanthony sedit vetus cœnobiolum, quod Walterus Lacy, cui latifundia hîc dedit Guilielmus comes Herefordiæ, fundavit, & à quo Lacii illi, qui inter primos Hiberniæ expugnatores clarissimi, profluxerunt.

h *Laudatus Camdenus in descriptione comitatûs Herefordiensis pag.* 472 *honorificè meminit de* clara & vetusta familia Baskervillorum, clarorum virorum & equitum auratorum olim admodùm fœcunda *&c.*

i *Id est, die* 30 *Junii.*

k *Hæc eodem anno* 1287 *incidit in diem* 3 *Julii.*

l Cestria, *indigenis* Chester, *Angliæ civitas est in comitatu, qui ab illa* Cestriensis, *vernaculè* Ches-Shire *vel* Chesse-Shire *appellatur, habetque episcopatum sub metropoli Eboracensi.*

m *Fortè nunc* Tewkesbury *in comitatu Gloceſtriæ.*

n *Indicatur S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis, pro defensione jurium ecclesiasticorum occisus, cujus corporis translationem variis Martyrologiis ad diem* 7 *Julii inscriptam esse, observaverunt Majores mei in Prætermissis ibidem.*

B *De eodem sancto Præsule martyre agemus cum Martyrologio Romano ad diem* 29 *Decembris.*

o *Jam annotavi suprà* botium *videri derivatum ab Italico* boccio, *& pro* folliculo *seu* tuberculo *usurpatum.*

p *Septem Fratres martyres, S. Felicitatis filii, Officium in Romano Breviario habent die* 10 *Julii, in quem diem anno* 1287 *incidit feria quinta, ut hîc dicitur.*

q *S. Margarita virgo martyr in Romano colitur* 20 *Julii, qui cùm anno* 1287 *Dominicus fuerit, ejusdem vigilia tunc incidit in Sabbatum, non feriam secundam, nisi festum hoc in ecclesia Herefordiensi alio die celebratum sit.*

r *Colitur S. Magdalena die* 22 *Julii, postridie cujus diei præcitato anno* 1287 *feria quarta erat.*

f *Castrum hoc, quòd ad episcopos Herefordienses olim spectaverit, hodieque Anglis* Bishop-castle *appellatur, situmque est in comitatu Salopiæ, sive* Shropp-Shire.

t *Designatur Inventio corporis sancti protomartyris Stephani, cujus memoria die* 3 *Augusti recolitur. Præcipua ejusdem Sancti festivitas agitur*

C *26 Decembris, ubi de eodem apud nos erit scribendum.*

u *Actum de hoc martyre apud nos est ad dictum diem* 19 *Augusti.*

x *Nimirum sancti Hipponensis episcopi, cujus gesta in Opere nostro illustrata habes ad eumdem diem.*

y Malmesbury *oppidum Angliæ est in comitatu Wiltoniæ.*

z *Est hujus nominis oppidum in comitatu Dorcestriæ, olim insignitum sede episcopali, quæ Sarisburiam translata est. An tamen hoc designetur, dubium mihi est ex adjectis vocibus* super Waldam.

aa *Quæ sequuntur usque ad finem capitis, ferè data sunt Parte* 3, *cap.* 3; *quædam tamen hîc leguntur explicatiùs.*

bb Elia *vel* Elis, *indigenis* Ely, *civitas Angliæ est in comitatu Cantabrigiæ ad Usam fluvium. Apud Godwinum in Commentario de Præsulibus Angliæ dicitur ejusdem episcopatum tenuisse Joannes de Kirkby ab anno* 1286 *usque ad* 1290.

cc *Fuit hic filius Richardi, Cornubiæ comitis,* D *& Romanorum regis electi.*

dd *Hujus bellicæ expeditionis Nicolaus Trivettus in Chronico ad annum* 1288 *sic meminit* Interim (*dum Eduardus III Angliæ rex in Vasconia versabatur*) Resus, filius Mereduci, Walliam conturbavit, impugnareque cœpit aliqua regis castra.... Comes Eadmundus Cornubiæ, cui rex Angliæ in sua absentia regni commiserat custodiam, magnum ducit in Walliam exercitum contra Resum *&c. Hic ergò* Resus, filius Mereduci, *is ipse est, qui in apographo, quod edimus, nescio, utrùm rectè, an malè,* Peesmeredith *appellatur.*

ee *Castrum, quod hîc* Troslan *vocatur, suprà Parte* 3, *cap.* 3, *num.* 41 *dicitur* Yruslanh, *& in Annotatis ibid.* Yncilan; *à Trivetto autem mox laudato* de Druselan. *Hujus verba ad prædictorum sequentiumque illustrationem juverit descripsisse. Post verba mox data sic prosequitur:* Cùm autem castrum de Druselan, quod erat Resi, obsideret (*Eadmundus comes Cornubiæ*) & muros ejus suffodi faceret, casu illorum subitò vir nobilis Willelmus de Monte Tanisii, aliique milites plurimi & scutiferi opprimuntur. E

ff *Sive* syncopen, *est deliquium animi.*

gg *Suprà Part.* 3, *cap.* 3, *num.* 44 *scribitur* de Poywlesdon. *Consule Annotata ibidem.*

hh *Hoc & præcedens miracula pertinent ad annum nostrum vulgarem* 1288, *cujus initium à Kalendis Januariis ducitur. Eo anno Paschа incidit in diem* 28 *Martii, Cœna Domini in* 25 *ejusdem mensis, ut rectè hîc asseritur. Quia verò ista in apographo, quod edimus, ad annum* 1287 *referuntur, videtur anni initium repetitum esse à Paschate; nam si inchoatus annus fuisset à festo Annuntiationis, seu à die* 25 *Martii, Cœna Domini non ad annum* 1287, *sed ad* 1288 *pertinuisset. Contrà verò ex initio capitis primi dicendum potiùs esset, anni auspicium à festo Annuntiationis assumptum esse, quia dies eodem festo posteriores, prioresque Paschate anni* 1287, *eidem anno* 1287 *annumerantur, uti consideranti perspicuum erit. Malo igitur credere, initium duci à die translationis; sed nec hoc initium ubique servatur.*

ii *Fortè legendum hîc est* VII *vel* VI Kalendas Aprilis, *ne extra annum* 1287, *sive in festo Annuntiationis, sive in Paschate, sive in die translationis terminandum, evagemur.* F

CAPUT III.

Miracula continuata anno MCCLXXXVIII.

Paralyticus, moribunda, & puer mortuus natus a b

ANno Gratiæ millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, & à transitu dicti Episcopi ab hac vita anno sexto *a*, videlicet die Sabbati quarto Nonas Aprilis *b*, vir quidam, nomine dictus Ricardus Cusin, de civitate London, paralitico morbo percussus adeò, ut omni membrorum suorum destitueretur utilitate, in omnibus membris suis per suffragium Viri Dei prædicti sanitatem miraculosè recepit. Item VIII die Aprilis quædam mulier, Agnes nomine, de parochia de Mordeford, ad Servi Dei tumulum est adducta, de qua tale miraculum est probatum;

A tum; videlicet quòd ipſa in ægritudinis languore jacebat, & tandem Viro Dei in mortis periculo menſurata, per ejus ſuffragium cælitus eſt curata. Item III Idus Aprilis Joannes, filius Rogeri de Pentan & Chriſtianæ, uxoris ejuſdem, ad Viri Dei tumulum eſt portatus, de quo dilucidè eſt probatum, quòd ipſe IX Kalendas Decembris, videlicet die S. Clementis *c* proximo præterito, de utero matris exiit mortuus abortivus; quem cùm viderent mortuum obſtetrices, & ſic per duarum leucarum itineris ſpatium permanentem, vicinos aliquos convocabant, inter quos mulier quædam acceſſit, quæ ante tumulum Viri Dei de quadam fuerat infirmitate curata, ſuggerens circumſtantibus, ut pro ipſo infante Domino Deo & ſervo ejus Thomæ pontifici funderent preces ſuas, ipſumque protinus menſurarent. Quo facto, ſtatim infantulus ſe movebat abſque intervallo aliquo ſuſcitatus.

c

35 Item Idibus Aprilis Agnes, filia Reginaldi le Riche, de Ewias Haralo *d*, in tibiis contracta adeò, ut virtutem aliquam greſſuum non haberet, cælitus eſt curata. Item XVI Kalendas Maii circa horam ſextam diei quædam puella, ætatis quatuor annorum, Lucia nomine, de Aſpertone, Herefordenſis diœceſis, filia Matildæ de Hardebrugge, in quodam ſtagno profundo caſu ſubmerſa, ſub aquis jacuit ſic extincta uſque ad horam ejuſdem diei undecimam; & tunc extracta de aquis, licèt jam diu fuiſſet defuncta, ipſam tamen ſervo Dei Thomæ pontifici hi, qui ad hujuſmodi ſpectaculum aderant, menſurârunt, quo facto, ſtatim infinitâ Dei potentiâ à mortuis reſurrexit per ſuffragium Viri Dei, & hoc tam inſigne miraculum per teſtes veraciſſimos eſt probatum, qui hoc opus Dei propriis oculis conſpexerunt, prout, tactis ſacroſanctis Euangeliis, juxta Servi Dei prædicti tumulum juraverunt. Nomina autem teſtium prædictorum ſunt iſta: Robertus de Heldeffeld, Walterus de Caſtro, Matilda, mater puellæ prædictæ, Iſabella, commater *e* ejuſdem; plures & alii fide digni hoc ſimiliter juraverunt.

contracta, in aquis extincta, *d*

B

e

36 Item XV Kalendas Maii quædam puella, ætatis duorum annorum, Alicia nomine, filia Roberti Stute, de provincia Reg...*f*, Herefordienſis diœceſis, invaleſcente morbo, quem ſquinanciam vocant, hora matutinali moriens, uſque poſt horam primam ejuſdem diei defuncta jacebat, & tunc Servo Dei fuit, ut moris eſt, menſurata, & ſtatim cælitus à mortuis ſuſcitata. Et hoc juraverunt Reginaldus prædictus, pater, & Alicia, uxor ejus, mater, & Walterus le Maſzun, compater *g* ejuſdem puellæ, & multi etiam alii fide digni hoc ſimiliter probaverunt. Item XIIII Kalendas Maii Joanna, filia Adæ, dicti le Schirrene, de parochia de Maurdin *h*, ejuſdem diœceſis, morbo conſimili moriens, eſt modo conſimili ſuſcitata; & hoc eſt notorium in parochia memorata.

due ex anginâ mortuæ, omnes divinitus convaluerunt. *f*

C

g

h

37 Item Nonis Maii adoleſcens quidam, ætatis XVI annorum, Joannes nomine, filius Joannis, de Burhtone juxta caſtrum Epiſcopi Herefordenſis, à nativitate mutus, eò quòd linguam etiam non haberet; unde & ſi quando debuit aliquando * deglutire, neceſſe habuit intromittere unum vel duos de ſuis digitis in os ſuum, ut ſic officium linguæ ſuppleret cibum interiùs propellendo, de conſilio religioſi viri fratris Hugonis de Bromptone, tunc Gardiani fratrum Minorum Herefordiæ, qui ipſum apud Lodelawe invenit, & propriis oculis vidit linguâ carentem, unà cum confratre ſuo, quem ſecum habuit tunc ibidem, venit ad tumulum Viri Dei, & cùm ibidem aliquandiu remanſiſſet devotus, linguam, quam nunquam habuerat, adeò miraculosè recepit, & cum lingua loquendi peritiam in duplici idiomate, videlicet Anglico & Walenſi, quorum ſtatim habuit etiam liberam expreſſivam. Hujuſmodi apud nos antea inauditi miraculi multiformis ſunt teſtes omnes fide digniores burgenſes de Lodelawe, inter quos converſatus eſt pluribus annis mendicus & mutus. Dictus etiam frater Hugo, poſtquam hoc miraculum viderat, ad honorem Dei & Servi ſui prædicti illud ipſa die, quâ contigit, in Herefordienſi eccleſia cathedrali ſolemniter publicavit *i*.

Adoleſcens elinguis natus, linguam & loquelam obtinuit.
* *l.* aliquid

Ex Proces. can:

i

38 Item eodem die mulier quædam, Editha nomine, de Wintonia *k*, ab uno anno & ampliùs furioſa, per ſuffragium Viri Dei ad ipſius tumulum rectum ſenſum cælitus eſt adepta. Item VII Idus Maii quidam homo, Joannes nomine, de Kinemafford, per dimidium annum & ampliùs ſimiliter furioſus, modo conſimili eſt curatus. Item XV Kalendas Julii circa horam nonam diei quædam puella, Mabilia nomine, filia Joannis de Aſſchewode, in parochia de Kimbley de comitatu Staffordiæ, Wigornenſis diœceſis, in quodam ſtagno profundo caſu ſubmerſa, ſub aquis jacuit ſic extincta uſque ad horam primam noctis ſequentis; & tunc de aqua extracta, licèt jam diu fuiſſet defuncta, ipſam tamen ſervo Dei Thomæ pontifici hi, qui ad hujuſmodi ſpectaculum aderant, devotiſſimè menſurârunt; quo facto, ſtatim infinitâ Dei potentiâ à mortuis reſurrexit per ſuffragium Viri Dei: hoc autem probatum eſt per teſtes fide dignos, videlicet per Iſotham, matrem dictæ Mabiliæ, & Julianam, filiam Adæ de Kuſteley.

Phrenetici ſano ſenſui, ſubmerſa vitæ reſtituti: *k*

E

39 Item XIII Kalendas Julii vir quidam, Robertus nomine, de Briſtollia, aurifaber, qui fuerat furioſus ferè antea per tres menſes, ſuo fuit ſenſui cælitus reſtitutus per ſuffragium Viri Dei. Hujus autem miraculi teſtes fuerunt N. de Windchilleſe, & Joanna, uxor dicti Roberti. Item VI Kalendas Julii Ugo, dictus Suel, de Marſton in parochia de Pentumbe, qui loquelam amiſerat antea per tres annos, per ſuffragium Viri Dei ſubitò eſt curatus. Hujuſmodi rei teſtes fuerunt Agnes, uxor dicti Ugonis, & Matilda, dicta la Clare. Item V Nonas Julii Margarita, filia Joannis de Leiceſtria *l*, quæ fuerat mortua per tres dies, invocato auxilio Viri Dei, mirâ ipſius Dei potentiâ à mortuis reſurrexit. Hujus autem magni miraculi veritatem juraverunt Joannes & Helena, parentes dictæ Margaritæ, & Robertus le Crutoheur, de Leiceſtria, & Agnes, uxor ejuſdem Roberti. Item XVI Kalendas Auguſti Margarita Kenè, uxor Roberti Kenè, de Penyard in Glamorgan *m*, quæ per longum temporis ſpatium mortua fuerat, per auxilium Viri Dei modo ſimiliter * à mortuis reſurrexit; & hoc jurârunt Walterus Roſſel & Matilda Kenè, ſoror dicti Roberti Kenè.

item phrenetis curata, muto loquela, duabus mortuis vita reddita.

F

l

m

* *l.* ſimili

40 Item VII Kalendas Auguſti adoleſcens quidam Tomas, dictus Kok, de civitate Dublinia *n* in Hybernia, qui, dum dormiret quadam die ſub divo juxta Briſtollium, ita miſerabiliter factus eſt contractus, ut omnes fideles ipſum gradi videntes, ad compaſſionem inducerent & horrorem,

Contractus erigitur, capreolus lapſus ſervatur. *n*

Ex Proces. can.

rorem, cùm per tres menſes paſſione hujus * laborâſſet, per ſuffragium Viri Dei fuit priſtinæ ſanitati ſubitò reſtitutus. Item VI Idus Auguſti *o* beſtiola quædam, ſcilicet capreolus, quem Gallicè vocant Chevreuil, quam filius *p* domini Alani de Plukeneth militis caram habuerat, utpote, qui illam nutriri faciebat multo tempore curiosè, de muro caſtri de Oroſlan *q* à tam alto cecidit ſuper terram, quòd, confractâ unâ de ſuis tibiis, & viſceribus conquaſſatis, ſanguis per inferiores meatus ſui corporis erumpebat; & cùm ab omnibus aſtantibus tunc ibidem mortua ſeu protinus moritura veriſimiliter putaretur, aliqui eorum de hoc caſu dolentes pro ipſa beſtiola oblationem Deo & ſervo ſuo Thomæ pontifici promiſerunt, & ecce beſtiola *r* ſtatim viva & ſana ſurrexit, & multis cernentibus, mirantibus & Deum laudantibus, protinus cibum ſumpſit. Hoc autem miraculum ſatis eſt notorium in tota domo & familia domini memorati.

* *an* hujuſmodi?

o

p

q

r

Contracta manuum uſus, phrenetica ſana mens, mortuo vita reſtituta.

41 Item Kalendis Auguſti mulier quædam, nomine Alicia, de Cliftone juxta Briſtoll, quæ diebus quindecim habuerat manus contractas per infirmitatem, quâ fuerat prægravata antea per quindecim ſeptimanas, per auxilium Viri Dei ab utroque incommodo ſubitò eſt ſanata. Item II Nonas Auguſti mulier quædam, Matilda nomine, de Cote in parochia de Wesburic *, quæ per ſeptem dies extiterat antea furioſa, ſuo ſano ſenſui ad tumulum Viri Dei fuit cælitus reſtituta. Item Nonis Auguſti vir quidam, nomine Walterus de Walkere, de Leominiſtr, qui intolerabili infirmitate obiit, quaſi ſpatio horæ unius poſt ſolis occaſum, cùm ſic uſque ad mediam horam noctis ejuſdem mortuus jaceret, & fideles ad funus ſeu cadaver ipſius aſtantes pro reſtitutione vitæ ipſius Dei & ſervi ejus Thomæ pontificis auxilium invocâſſent, ſtatim potentiâ ſummi Dei revixit ac à mortuis reſurrexit: & hoc juraverunt ante tumulum Viri Dei prædicti ad ſancta Dei Euangelia Robertus de Gubeford & Ricardus de Brugg.

* *an* Weſtbury?

Periculo naufragii ſubducti, contracta greſſu donata,

C

42 Item VII Idus Septembris vir quidam, nomine Patricius le Rus, de Briſtoll, & Willelmus Cuppenar, & alii quàm plures, mare, ſicut moris eſt mercatoribus, transfretantes, in immenſum mortis periculum, orta tempeſtate ſæviſſima, inciderunt: cúmque certiſſimè perpendiſſent, quòd ipſis humanum auxilium non valeret, ad Dei & ſervi ejus Thomæ pontificis auxilium confugerunt, Deum cum clamore valido & lacrymis exorantes, ut eoſdem amore pii Præſulis memorati ab imminente naufragio liberaret, & navem Dei Famulo de cera voverunt: & ecce, hoc facto, ſtatim ceſſavit omnis fragor illius horribilis tempeſtatis, ita ut cum tranquillitate maxima deinceps navigarent, & ad portum, quem optaverant, applicarent. Item II Idus Septembris mulier quædam, Lætitia nomine, de Norton Miſſom ſ Wigornenſis diœceſis, quæ in tantum contracta fuerat in tibiis & cruribus antea per ſex annos, quòd ſe gradiendo movere non poſſet, integram ſanitatem à Deo recepit ad tumulum Viri Dei.

f

equus vitæ redditus: Sancti obtrectator

s

43 Item XV Kalendas Octobris equus quidam, quem palefridum vocant, qui fuit domini abbatis de Glouceſtria *t* in prioratu S. Guthlacii Herefordiæ caſu fortuito moriens per ſpatium quatuor horarum & ampliùs jacuit ſic extinctus. Cùm autem quidam, qui ad hujusmodi ſpectaculum aderat, de hoc dolens pro vita ejus recuperanda oblationem Deo & Thomæ pontifici devotiùs promiſiſſet, equus, qui mortuus fuerat, multis mirantibus, qui aſtabant, vivus ſurrexit. Hoc verò miraculum eſt probatum per priorem & conventum domus prædictæ. Circa idem tempus juvenis quidam, nomine Jordanus Natonne fflandien *u* armiger *x* uxoris nobilis adoleſcentis Ricardi domini de Arondel *y*, dum ſederet in menſa in domo cujuſdam burgenſis Herefordiæ, ſtultè contra Servum Dei loqui præſumpſit, aſſerens in ſtultiloquio, quòd eſſe non potuit, quin Vir Dei cupidus fuiſſet in vita, qui poſt mortem tot diverſi generis munera præcioſa, animalia ac etiam volatilia, ex devotione ſibi oblata à fidelibus acceptaret, nihil ſibi ablatum * penitus repetendo *.

D

u *x*

y

* *an* oblatum?
* *an* repellendo?

44 Et ecce, dum hujuſmodi ſtultiloquium proſequi niteretur, una de ſuis manibus cœpit ſubitò contrahi violenter cum tanto dolore, ut multis cernentibus & etiam audientibus, cum clamore valido cogeretur Viri Dei auxilium invocare. Quo facto, manus ejus reſtituta eſt illico priſtinæ ſanitati. Nec mora, cum Liberatori ſuo remaneret ingratus, ac occaſione ſubitæ curationis ſuæ ſibi contractionem hujuſmodi à caſu, & non in ultionem criminis, accidiſſe, coram pluribus adhuc aſtantibus aſſerere conaretur, ſubitò in manum ejus priùs ſanatam irruit tantus dolor & tam deformis contractio, quantùm nunquam antea ſenſerat in eadem: unde & palàm factum eſt omnibus, qui aderant, quòd ſui ſtultiloquii memorati pœnas dignas exſolveret. Ipſe ergò tali dolore correptus, facti pœnitens, & reatum proprium recognoſcens, cœpit unà cum aſtantibus, compatientibus tunc eidem, divinum auxilium & ſervi ejus Thomæ pontificis implorare & oblationem promittere: & reſtituta eſt manus ejus priſtinæ ſanitati ex illa hora per adjutorium ſummi Dei, qui eſt in Sanctis ſuis mirabilis, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum amen.

divinitus bis punitus, ac toties pœnitens ſanatus.

B

Infans ad vitam revocata: infectus toxico factus incolumis:

45 Item V Nonas Octobris quædam mulier, uxor Willelmi, dicti le Sinith, de Kingeſpenne, oppreſſit filiam ſuam infantem dormiendo; & cùm evigilâſſet, & ipſam mortuam inveniſſet, ipſam ejulando & plorando ſic mortuam pluribus convocatis oſtendit; qui compaſſionis lachrimas effundendo, infantem, ut moris eſt, Deo & ſervo ejus Thomæ pontifici menſurârunt; & ſtatim infans infinita Dei virtute revixit. Item VII Idus Decembris adoleſcens quidam, nomine Joannes Tregoz, qui anno proximo præcedenti, ſcilicet quarto Kalendas Decembris, à graviſſima infirmitate fuerat liberatus per merita Viri Dei, ſicut ſuperiùs inter miracula continetur, fortè venenum per quamdam mulierem doloſè ſibi, ut aſſeruit, propinatum guſtaverat, ita quòd, cùm inflatione turgenti ferè ſuffocatus, per ſex menſes loquelam amiſerat, niſi fortè per vices quaſi quædam verba vix intelligibilia in profundo ſui gutturis murmuraret, devotus cum magna fide venit ad tumulum Viri Dei; qui, cùm ibidem in oratione aliquandiu permanſiſſet, ſubitò hauſtum venenum turpiſſimum in magna quantitate evomuit, & ſic, ſtatim omni inflationis tumore ſublato, loquelam recepit & perfectam corporis ſanitatem per auxilium Viri Dei.

F

mortuæ in lucem editæ vita data: periclitantes in mari,

46 Item VI Idus Januarii mulier quædam Golluthith, de Straddel Herefordenſis diœceſis, quæ ſepties partus ediderat mortuos, cùm octavum puerum ſimiliter mortuum peperiſſet, de conſilio

A consilio quorumdam fidelium ipsum partum mortuum Deo & servo ejus Thomæ pontifici mensurârunt astantes; & statim puer revixit per potentiam summi Dei ad invocationem adjutorii Servi ejus. Item XIII Kalendas Novembris vir quidam, nomine Rogerus Beauflour de Bristoll cum multis sociis erat in quadam navi in mari Hybernico; & ecce, dum per magnum maris spatium navigâssent, subitò in ultima parte navis, quæ puppis propriè nuncupatur, grandis fractura seu foramen nautis apparuit, in quo aqua cum tanto impetu introivit, ut navem jam inciperet suo pondere ad ima demergere. Et cùm nautæ huc illucque discurrentes in navi pro remedio, dicto periculo inhibendo nihil perficere potuissent, viderunt navem suam incipientem submergi, appropinquantem ad horribilem maris voraginem, quæ caribdis vocatur, in quam si intrâssent, statim absorpti fuissent à voragine memorata.

post invocatam Sancti opem mirabiliter liberati.

47 Ipsi ergò in tantis periculis constituti, & omni humano auxilio destituti, ad Dei & servi ejus Thomæ pontificis auxilium confugerunt, ipsius Servi Dei adjutorium lacrymosis clamoribus invocando, & sibi * navem argenteam promiserunt, si ipsos à prædictis periculis eripere
B dignaretur: quo facto, statim redintegrata est pars navis, priùs confracta, in tantum, quòd nullum inde vestigium appareret, & media pars aquæ, quæ per fracturam intraverat, inventa est miraculosè disparuisse. Et levantes oculos, viderunt se à voragine supradicta, juxta quam fuerant, per magnum spatium jam remotos. Ipsi autem rejicientes partem aquæ, quæ in nave remanserat, deinceps prospere navigantes, sani & incolumes ad portum optatum feliciter applicârunt, laudantes & sanctificantes Deum, qui eosdem amore Servi sui prædicti tam miraculosè salvavit; & navem argenteam, quam promiserant, cum magna devotione ad tumulum Viri Dei postmodùm obtulerunt, die videlicet S. Vincentii martyris, scilicet XI Kalendas Februarii, & ipsa die prædictum miraculum in Herefordensi ecclesia probaverunt.

** i. e.* illi

Adolescens in aqua submersus resuscitatus:

48 Item III Idus Novembris adolescens quidam, ætâtis quintumdecimum annum agens, Willelmus nomine, de parochia de Froma canonicorum, Herefordensis diœcesis, jumento, quod saccum plenum farinâ ferebat, insedit; & cùm per pontem strictissimum ultra foveam,
C interiùs concavam & profundam juxta fluvium, qui Froma z ab incolis appellatur, incepisset transire, sic in aquam cecidit, quòd jumentum & saccus caderent super eum; unde (nec mirum) duplici pondere sic oppressus vitam finivit, & sub aquis latuit tanto tempore, quanto possent duo milliaria passu hominis peragrari. Quod cùm mater ipsius novisset, nomine Dionisia, lamentabili clamore vicinos ad fluvium congregavit, qui ipsum de fluvio extrahentes mortuum invenerunt, & mortuus sic remansit ab hora prima diei usque post horam sextam ejusdem; & tunc de consilio astantium ipsum mortuum servo Dei Thomæ pontifici mensurârunt, qui per potentiam summi Dei statim à mortuis resurrexit. Hoc miraculum probaverunt in ecclesia Herefordensi mater ipsius & vicini, qui ad spectaculum aderant memoratum. Et sciendum, quòd Radulphus, filius Magote de Eglintone, Lucia in Yehomme, Cecilia, dicta de la Clerkes, dictum Willelmum submersum & mortuum invenerunt in aquis, & Willelmus de la Leye, Willelmus dictus le White molendinarius, Juliana la White & Juliana de la Pyrie ad clamorem hujus infortunii concurrentes, dictum submersum suis manibus de fovea extraxerunt defunctum: dicta autem Juliana la White Deo & servo suo Thomæ pontifici corpus mortuum mensuravit.

Ex PROCES. CAN.

pater cum sua familia subitò sanatus: contractus curatus.

49 Circa idem tempus vir quidam, nomine Joannes le Yreis de Morton juxta Herefordiam, cum uxore & tota sua familia tam graviter incidit in languorem, ut nullus alteri de tota familia subvenire valeret, vel in necessariis ministrare: quod cùm advertisset Joannes prædictus, humilis & contritus effectus ex pœna, infirmitatem, quæ sibi & suis acciderat, suis demeritis imputavit, & ad Dei & servi ipsius Thomæ pontificis auxilium devotè confugit, ipsius subsidium implorando, & morum correctionem, si invalesceret, repromisit, & pro se & suis infirmis meliorem bovem, quem habuit, se vovit oblaturum Viro Dei prædicto. Et ecce, quasi subitò sanus factus est homo & domus ejus tota; unde & bovem postmodùm fideliter obtulit, ut promisit. Item IX Kalendas Martii puer quidam, nomine Rogerus, filius Joannis de Solers de Parva Marcleya, circa horam primam
E diei in ambabus manibus & brachiis contractus tam deformiter est effectus, ut omnes cernentes ageret in stuporem; & sub hac deformitate unà cum doloris gravis angustia usque ad sequentis diei horam tertiam sic remansit, & tunc fuit servo Dei Thomæ pontifici mensuratus, & statim restitutus est pristinæ sanitati; sicut juraverunt, qui eundem ad Viri Dei tumulum cum devotis oblationibus portaverunt die S. Milbergæ virginis, hoc est, VII Kalendas Martii *aa* anno Domini superiùs memorato.

aa

Mulier prægnans mortua, vitæ reddita:

50 Circa idem tempus mulier quædam, nomine Margarita, uxor Joannis de Stokkinge, de parochia de Prestemede, prægnans, cùm esset vicina partui, præ doloris angustia expiravit, & mortua sic jacebat ab hora diei tertia usque ad horam nonam ejusdem: pro qua dictus Joannes vir suus unam vaccam Deo & servo ejus Thomæ promisit, ipsamque fecit, prout moris est, mensurari; quæ statim revixit, & peperit unum puerum vivum, vaccam verò obtulit II Kalendas Martii ad tumulum Viri Dei.

in mari navigantes subducti naufragio.

* *al.* Pop

F 51 Item prima die mensis Novembris vir quidam, nomine Nicolaus dictus Rop *, de Bristollia, & socii sui quàm plures in quadam magna navi, quæ Janetis nomine dicebatur, onusta diversis mercimoniis præciosis in mari Hybernico navigantes, orta tam grandi & horribili tempestate, ut plures naves sibi vicinas illo tempore manifestè viderent submergi, in tam grave periculum inciderunt, ut omni spe salutis sublata, omnique navali instrumento, seu etiam gubernaculo derelicto, ipsam navem sævis fluctibus feri maris & mortiferæ tempestatis impulsibus commiserunt *, mortis horam cum timore horribili expectantes. Sed tunc Pater misericordiarum & Deus totius consolationis ipsis, ut verisimiliter credi potest, tale consilium inspiravit, ut ipsius Dei adjutorium & servi ejus Thomæ pontificis devotissimè invocarent; unde & Servo Dei prædicto navem argenteam promiserunt, si ipsos per ejus merita salvare Altissimus dignaretur. Quo facto, statim, quasi in momento, omnis illa tempestas cessavit, & in tantam tranquillitatem inopinabilem subitò mutabatur, ut ipsam mutationem subitam pro grandi

* *imò* commiserint

Ex Proces. can. * *imò* reputarent

miraculo reputaretur *. Illi ergo deinceps prospere navigantes ad portum optatum feliciter applicârunt, & navem argenteam, quam promiserant, octavo die mensis Martii devotissimè obtulerunt ad tumulum Viri Dei *bb*.

bb

puer fœdo faciei malo subitò liberatus.

52 Circa idem tempus quidam puer, nomine Philippus, filius Stephani Maresealli, de Cirenceſtr Wigornensis diœcesis, tam gravi morbo vexabatur in facie, ut horribilis inflatio faciei, quæ ex morbo acciderat, oculos à locis propriis ferè usque ad inferiorem ejusdem mandibulam amovisset, & cùm à parentibus & amicis pro ipso Servo Dei promitteretur oblatio conferenda, subitò restitutus est pristinæ sanitati, in tantum, ut ipsius oculi locis seu concavitatibus naturalibus redderentur, omni morbo & inflatione sublatis per auxilium Viri Dei *cc*.

cc

ANNOTATA.

a *Rectè, quia eumdem mense Augusto anni* 1282 *mortuum esse, ostendi.*

b *Cùm hoc anno* 1288 *Pascha celebratum fuerit die* 28 *Martii, dies quartus Nonas Aprilis fuit feria sexta, non Sabbatum. Aut igitur* feria sexta *substituenda Sabbato est, aut pro* quarto Nonas *legendum* tertio Nonas.

B

c *Nimirum S. Clementis I Papæ martyris, qui eodem die colitur. Spectat ergò hoc miraculum ad annum proximè præteritum, sed præsenti anno* 1288 *in ecclesia Herefordiensi primùm fuit promulgatum.*

d *Hujus castri, in comitatu Herefordiensi siti, notitiam accipe ex Camdeno.* Munow (*fluvius*) in Ortum conversus, aliquamdiu hanc regionem (*Herefordiensem*) à Monumethensibus dirimit, & ad Map-harald, sive Harol-Ewias castrum Doro fluvio augetur. Hoc castrum, de Ewias dictum ... postea Haraldi fuit, viri nobilis, qui in argenteo clypeo areolam rubram, inter tres stellulas nigras interpositam, gestavit, à quo Harold Ewias dici cœpit &c.

e *Id est*, matrina *puellæ resuscitatæ.*

f *Imperfecta hæc vox est in apographo meo.*

g *Id est*, patrinus.

h *Hæc puella ex suo patrisque & paræciæ vocabulis eadem censenda est, quæ aliquando submersa mortuaque, per ejusdem Sancti invocationem vitæ reddita fuisse dicitur in prima Parte Miraculorum à num.* 1.

C

i *Miraculum hoc etiam suprà relatum fuit.*

k Wintonia, *vernaculè* Wincheſter, *episcopalis civitas Angliæ est in comitatu Hantoniæ.*

l Liceſtria, *incolis* Leiceſter, *civitas Angliæ est, caputque cognominis comitatûs*, Leiceſter-Shire *Anglis appellati.*

m Glamorgania, *Anglis* Glamorgan-Shire, *comitatus Angliæ est in Wallia.*

n Dublinium, *vulgo* Dublin, *primaria insulæ Hiberniæ civitas est in provincia Lageniæ; sui nominis comitatu & archiepiscopatu insignita.*

o *Vel legendum hîc est* vi Kalendas Augusti, *vel hæc narratio alieno loco inserta est, referendaque inferiùs.*

p *Hæc eadem habentur superiùs in Parte* 3 *Miraculorum, num.* 44, *ubi pro* filius *legitur* filia, *& in alio apographo etiam* filii, *ut observavi ibidem.*

q *Ibidem legitur* Broſlan, *alibi* Brollan.

r *Quæ uncis inclusa vides, addidi ex loco mox citato, quia hîc deerant.*

ſ *Fateor, nescire me, quid hæc vox sibi velit.*

t *Erat hæc S. Petri abbatia Ordinis S. Benedicti, in civitate Gloceſtria in Anglia, de qua pluribus agunt Rogerus Dodſworth & Guilielmus Dugdale tom.* 1 *Monaſtici Anglicani pag.* 108 *& ſeqq. Ibidem quoque pag.* 406 *memoratur* Herefordensis prioratus cella abbatia S. Petri de Glouceſtria, *qui videtur is ipſe locus fuiſſe, de quo mox fiet mentio.* D

u *Hæc vox mihi vitiosa apparet.*

x *De* armigeris *tum militaribus, tum civilibus, è quibus hic fuiſſe videtur, conſuli poteſt Spelmannus in Gloſſario.*

y *Illuſtris* Arundeliorum *familiæ variis in locis meminit Camdenus in Opere ſuo ſæpe laudato.*

z *Apud eumdem Camdenum in tabula geographica comitatûs Herefordienſis fluvius* Frome *in eodem comitatu fluit.*

aa *De hac ſacra virgine regia actum in Opere noſtro eſt ad eumdem diem.*

bb *Hoc quoque miraculum relatum jam eſt in part.* 3, *num.* 45.

cc *Hîc deſinit annus ſecundus à tranſlatione ſacri corporis.*

E

CAPUT IV.

Miracula continuata annis MCCLXXXVIII *& duobus ſequentibus.*

Mulier admodùm contracta a b

ITem iii Nonas Aprilis *a* mulier quædam, Alicia nomine, filia Willelmi le Hopere, de Sancombe in comitatu Gloumme *b*, quæ tam miserabiliter fuerat contracta per unum annum & ampliùs, ut aliter se movere non posset, motu scilicet processivo, nisi super manus & genua deformiter graderetur. Cùm ad tumulum Viri Dei fuisset adducta, ibidem vidit in somnis, ut postmodùm coram pluribus asserebat, quemdam virum indutum pontificis ornamentis, de ipso tumulo exeuntem, & sibi appropinquantem, ipsamque tangentem, & sibi, ut concitò surgeret, imperantem; ad cujus imperium ipsa mox tota sana surrexit.

F

adoleſcens phreneticus, à Sancto apparente ſanati.

54 Item circa idem tempus adolescens quidam, nomine Radulphus, filius Rogeri Agath, de Bradewey, in tantam furiam vertebatur, & in ipsa ferè per diem integrum tam irrationabiliter se habebat, ut patrem proprium atque matrem interficere totis viribus niteretur; quod videntes parentes ipsius prædicti, ipsum Deo & servo ejus Thomæ pontifici devotissimè mensurârunt; quo facto, qui vexabatur, in terram subitò corruit ad modum illorum, qui sincopim patiuntur; & cùm sic jacuisset per tempus modicum, somnum cepit, & cùm evigilâsset à somno, sanus & incolumis est inventus. Quod videntes ipsius parentes Deo & Viro Dei prædicto devotas gratias persolverunt; inquirentes postmodùm ab ipso, qui fuerat furiosus, propter quam causam ipsos voluisset tam crudeliter occidisse; quibus ille clementer cum juramento respondit, se nihil scire penitus de iis, quæ per ipsum facta vel dicta fuisse, dicerent illa die. Hoc tamen multis audientibus asserebat, quòd in somno viderat, dum dormiret, virum quemdam pontificalibus insignitum, manu frontem ejus signo san-

A ctæ Crucis ſignantem. Aſſeruit etiam, quòd, hoc facto, ut videbatur eidem, ſtatim diſparuit, & ille ſanus remanſit per auxilium Servi Dei.

Mulieri grave corporis malum, equo cæcitas adempta; c

55 Item xvi Kalendas Maii quædam mulier, nomine Alicia, filia Huberti de Bromp, in comitatu Warewik *c*, quæ per triginta ſex hebdomadas tam gravi morbo antea fuerat in ſuo corpore cruciata ab umbilico ipſius & deorſum, ut omni inferiorum membrorum deſtitueretur virtute; cùm eſſet ad Viri tumulum applicata, & ibidem paululùm Servi Dei auxilium invocâſſet, ſubitò, multis cernentibus & ſtupentibus, per ſe ipſam tota ſana ſurrexit & ad propria cum gaudio remeavit. Item ix Kalendas Junii vir quidam, Willelmus nomine, de Staniçton, qui vocatur Hamptelir, habuit unum equum, qui multo tempore viſum oculorum amiſerat; & cùm pro ipſius ſanitate oblationem Servo Dei devotiùs promiſiſſet & denarium ſuper ipſum plicâſſet, ſtatim viſum recepit opere ſummi Dei.

B *infans è cunis pendula reſuſcitata.*

56 Item viii Kalendas Junii infans ætatis ferè trium menſium, Margarita nomine, filia Ricardi Pinke, de Welinton Herefordenſis diœceſis, dimiſſa in cunabulo minùs cautè ſub cuſtodia cujuſdam infantis alterius diœceſis, abſente aliquandiu matre ſua, vinculiſque cunabuli reſolutis, ſeu ex motu infantis nimis relaxatis, à cunabulo decidit, & capite cum humeris ad ima vergente, pedibus verò ac tibiis ſuperiùs firmiter alligatis, horribiliter ſic pependit ab aurora diei uſque ad horam primam ejuſdem. Redeunte tandem ad ipſam matre ſua prædicta, inventa eſt per tale ſuſpendium expirâſſe. Clamans ergò & ejulans præ dolore mulier memorata, multos ex vicinis ad illud miſerandum ſpectaculum congregavit, inter quos etiam affuit parochialis eccleſiæ capellanus. Placuit igitur hiis, qui aderant, ut pro reſuſcitatione ipſius Deo & ſervo ejus Thomæ pontifici promitteretur oblatio; quo facto, ipſa infinitâ Dei potentiâ ſtatim revixit & manus movit per auxilium Viri Dei *d*.

d

Contracta erecta: geminum incendium extinctum.

57 Circa idem tempus mulier quædam, nomine Agnes, filia Joannis, dicti le Deſpenſer, de Whitthirke Mau Herefordenſis diœceſis, quæ fuerat multis annis in tantum contracta, quòd gradi non potuit, ſanitatem recepit ſubitò per auxilium Viri Dei. Item Idus * Junii cùm ignis novem domos per infortunium combureret in villa de Stamiton juxta Movenurtam Herefordenſis diœceſis, vir quidam, Thomas nomine, filius Roberti, videns domum ſuam incipientem comburi, ipſam, prout potuit, Servo Dei menſuravit, & multis mirantibus, extincto igne, qui ipſam attigerat, ipſa remanſit per Servi Dei prædicti auxilium incombuſta. Item xvi Kalendas Auguſti, cùm mulier quædam, Alienora nomine, quæ fuerat uxor Willelmi, dicti ab Howel, de Clenehok juxta villam, quæ dicitur Haye, ignem accendiſſet in domo, ut ſibi neceſſaria coqueret per eundem, ipſam domum ſubitò ignis invaſit in tantum, ut vorans flamma per tectum erumpens ſe longè latéque diffunderet, magnis venti flatibus horribiliter agitata. Cúmque videret, quòd nullo humano auxilio poſſet ignis extingui, quin potiùs domum illam cum pluribus aliis tunc vicinis conſumeret, ad Dei & ſervi ejus Thomæ pontificis auxilium devotè confugit, orans omnipotentiam

an Idibus?

C

ſummi Dei, ut ipſe amore pii Præſulis, ſervi ejus, habitationi illi ſuccurreret remedio ſalutari. Et hoc orans, plicare cœpit denarium verſus ignem: quo facto, ſubitò tota flamma prædicta tam mirabiliter & faciliter videbatur extingui, ſicut flamma candelæ, cùm in illam fortiter inſufflatur; nec ulteriùs aliquid inde combuſſit.

Ex Proces. can.

Paralytico membrorum uſus, ſubmerſis vita reddita.

e

58 Circa idem tempus monachus quidam, nomine Thomas de Sutton, de conventu de la Bruere Ordinis Ciſtercienſis *e*, qui fuerat paraliticus antea annis tribus & menſibus ſex, à morbo prædicto ſubitò eſt ſanatus, invocato ſuffragio Viri Dei: hujus autem miraculi teſtes exiſtunt abbas & conventus domus prædictæ. Item Nonis Junii puella quædam, Alicia nomine, filia Roberti Lucæ Sone, de Herdewik, in parochia de Derbuſt Wigornenſis diœceſis, per infortunium cecidit in ſtagnum profundum, & ſub aquis jacuit & latuit ſic ſubmerſa tanto temporis ſpatio, quanto poſſent duo miliaria peragrari ab homine lento paſſu; & cùm ipſam amici ejus in aridam extraxiſſent, & ipſam Servo Dei more ſolito menſurâſſent, confeſtim cum multorum admiratione revixit. Hoc etiam miraculum probaverunt in eccleſia Herefordenſi pater & mater Aliciæ ſupradictæ, Nicolaus Aliſamior, Joannes Brun, Margarita Gilberti, & Amicra Jori, parentum vicini prædictorum. Circa idem tempus venerunt Herefordiam Willelmus, dictus le Tackarè & Nicolaus dictus de Oxoneford, aſſerentes, quòd puer quidam, filius Walteri, dicti de Graſton Oxon, fuerat ſubmerſus in quodam vaſe aquario; quod Gallicè CUVE vocatur *f*; quem extrahentes amici, cùm per magnum temporis ſpatium mortuus jacuiſſet, ipſum Viro Dei devotiùs menſurârunt; quo facto, ſtatim infinitâ Dei potentiâ puer ille à mortuis reſurrexit, & clara voce linguâ maternâ, multis audientibus, hæc dicebat: Eamus ad Herefordiam.

E

f

Infans à naſtice oppreſſa vitæ reſtituta: ſubducti naufragii periculo.

59 Item vii Idus Junii infans, nomine Helena, filia Joannis de Schireburne, qui manet apud Huſcard Menevenſis diœceſis, quam ſua nutrix oppreſſerat dormiendo, per patrem & matrem ipſius, poſtquam ipſam verè mortuam inſpexiſſent, fuit Servo Dei cum devotis lacrymis menſurata; & ſtatim à mortuis ſuſcitata per potentiam ſummi Dei, invocato ſuffragio Servi ejus. Item xiv Kalendas Septembris Thomas Richer, Joannes de Hanelbur, & Guillelmus Petri, cum multis aliis in quadam navi, quæ Mariette vocabatur, mare, ut moris eſt mercatoribus, navigârunt; & ecce ſubitò tam horribilis ipſos invaſit tempeſtas, ut, ſublata ſpe vitæ, penè mergerentur impulſibus fluctuum feri maris; qui cùm vidiſſent, quòd per nullum navis armamentum vel humanum auxilium ſe poſſent juvare, præſertim, cùm nec anchora ferrea, quam ejecerant, ipſam navem potuerit vel ad modicum retinere, quin potiùs navis ipſa tempeſtatis impulſum, non obſtante remedio qualicumque, periculoſiſſimè ſequeretur, ad Dei & Servi ejus auxilium confugerunt, ipſum Deum humiliter deprecantes, ut eos amore Servi ſui à periculo eripere dignaretur, & ſibi * de cera anchoram promiſerunt cum oblationibus aliis offerendam. Quo facto, navis prædicta in mediis fluctibus ſic quieta & abſque motu remanſit, acſi fixa fuiſſet in limo terreſtri; & ſic ibidem pauſavit per tempus modi-

F

* *i. e.* ipſi

EX PROCES. CAN.

cum, donec ceſſâſſet fragor tempeſtatis prædictæ, & deinde ad portum optatum feliciter applicârunt.

equi lingua curata.

60 Item circa finem menſis Septembris frater Gilbertus, magiſter hoſpitalis de Brugge-Water *g*, habuit equum unum, cujus linguam ſic involverat frenum ejus, ut, dum garcio *h*, cuſtos equi frænum cum violentia abſtrahere niteretur, magnam partem linguæ ſimul cum fræno extraxit *; & ſic equus quaſi protinus moriturus remanſit, utpote qui nec comedere nec bibere potuit linguâ privatus; quem tamen Servo Dei devotè menſurârunt aſtantes. Statim cœpit equus ipſe hinnire & comedere ſicuti reſtitutus priſtinæ ſanitati. Ipſum autem equum ſecum adduxit magiſter prædictus totum ſanum ad tumulum Viri Dei die ſeptimo menſis Octobris.

g
h

* extraxerit

Acceptam ſanitatem ingratus amittit, pœnitens recuperat;

61 Sunt & alia quædam ſigna, quæ operatus eſt Deus in Vaſconia *i* per merita Servi ſui, dum dominus Eduardus rex Angliæ eſſet ibi *k*: nam circa feſtum S. Petri in cathedra anno Gratiæ milleſimo ducenteſimo octuageſimo octavo vir quidam, Robertus de Bodethram nomine, qui domino regi prædicto tunc temporis ſerviebat, ibidem gravi languore infirmitatis diuturnæ vexabatur, nec curari potuit per auxilium medicorum. Sed cùm ſe feciſſet Thomæ pontifici menſurari, protinus eſt ſanatus. Ipſe verò temerariè judicans & præſumens, ſanitatem ſubitam propriis & naturalibus ſui corporis viribus aſcribebat, & hoc audientibus pluribus affirmabat: quo facto, ſtatim decidit in gravius recidivum, quàm fuerat radicalis infirmitas, quæ præceſſit, in tantum, ut pœnalis acerbitas aperiret oculos mentis ejus, quos culpa clauſerat, cùm per miraculum pœna ceſſâſſet. Cœpit igitur vir ille adjutorium Servi Dei iteratis & devotioribus precibus invocare; & protinus reſtitutus eſt ſtabili ſanitati.

i
k

B

eâdem gratiâ illuſtris juvenis abuſus, de ſalute animæ ſuæ periclitatur,

62 Item juvenis, Robertus nomine, primogenitus & hæres domini comitis Oxoniæ *l*, qui fuit cum domino rege tunc temporis in Vaſconia memorata, morbo paralytico cœpit gravari & anguſtiâ periculoſiſſimâ cardiacæ paſſionis in tantum vexari, ut crederetur à multis in brevi tempore moriturus; præſertim cùm ſibi valere non poſſent remedia medicorum. Ipſe ergò in tantis periculis conſtitutus invocavit devotè auxilium Viri Dei, & ſibi * oblationem promiſit; & reſtitutus eſt illico ſanitati. Sed cùm ſanus eſſet effectus, non eſt recordatus beneficii Salvatoris nec Servi prædicti. Imò quod eis promiſerat, negligens, & Dei miſericordiam parvi pendens, vanitati & levitati more juvenum curialium laſcivorum ſe immiſcens, incidit in tentationes varias & nociva deſideria carnis ſuæ.

l

C

* *i.e.* illi

ſed pœnitentiam agens, ſalvus & incolumis evadit.

63 Ipſum tamen in gravi periculo conſtitutum ſic reſpexit pietas Redemptoris, ut ad ſe rediret, & plangeret ſtatum ſuum, & contritus Dei & Servi ejus miſericordiam precaretur, orando cum lachrymis, ut ipſe Deus aut ipſum à tentatione & culpabili miſeria ſuæ carnis eriperet, aut reduceret in priſtinas ægritudines: magis enim optabat Dei gratiâ tunc præventus, corpore periclitari, quàm mente; & huic contritioni confeſſionis pœnitentialis remedium adjungebat, oſtendens ſe, ſicut oportuit, ſacerdoti. Quo facto, ſic per Dei clementiam eſt ab omni carnali concupiſcentiæ fervore curatus, ut nec corporis ægritudines memoratas, nec affectiones carnis culpabiles de cætero ſit expertus, ſicut ipſemet ad Viri Dei tumulum pluribus audientibus poſtmodùm eſt confeſſus, & in ſignum curationis prædictæ imaginem ad ſimilitudinem propriam argenteam magni ponderis, exteriùs deauratam, devotè obtulit ad tumulum ſupradictum, ultima die menſis Octobris anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono.

D

Sanctus periclitantes in mari ſalvat.

64 Item circa idem tempus Nicolaus Daniel & ſocii ejus quàm plures erant in quadam navi navigantes, & impellente graviſſima tempeſtate, quemdam ſinum maris terrâ ferè circumdatum pro tempeſtatis remedio intraverunt. Et ecce, cùm ibidem aliquandiu quieviſſent, egreſſi ſunt latrunculi regionis illius ad eos trucidandum, ac etiam exſpoliandum, ſi applicâſſent ad terram. Nec de ſinu egredi poterant propter ſævitiam tempeſtatis. Cùm igitur ſe vidiſſent in tantis periculis conſtitutos, navem ſuam Deo & ſervo ejus Thomæ pontifici menſurârunt, & ſtatim ſic ceſſavit tempeſtas, ut cum tranquillitate egredi poſſent, & deinceps ad portum optatum proſpere navigare. In hujus autem ſignum miraculi navem ligneam, quam promiſerant, obtulerunt ad tumulum Viri Dei xii Kalendas Decembris anno Domini proximo ſupradicto. Circa feſtum Purificationis B. Mariæ anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo octavo Bernardus & Thomas, dicti Wulpeii, & Joannes, dictus Juvenis de Kaer Nervam, Bangorenſis *m* diœceſis, erant in quadam navi onuſta vino in mari Hyberniæ; & ecce, ſuborta graviſſima tempeſtate, ad tam remota Oceani maris tempeſtatis impulſibus agebantur, ut terram per dies octodecim videre non poſſent. Cùm autem ſic tribularentur, clamaverunt ad Dominum, ut amore Servi ſui prædicti eos à periculo eripere dignaretur; & ſtatim eis affuit clementia Salvatoris, quæ eis terram oſtendit, & eos ad portum voluntatis eorum deduxit *n* & ideo navem de cera, quam promiſerant, xi Kalendas Decembris anno ſequenti ad Viri Dei tumulum præſentârunt.

E

m

anguinam pellit, mortuum ſuſcitat, pollicem tibiamque ſanat,

65 Item iv Kalendas Decembris anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo nono dominus Galfridus Parey, miles de domo & familia domini Galfridi de Genville *n*, morbo, qui dicitur ſquinancia, tam periculosè & graviter laborabat, ut putaretur ſubitò moriturus: qui Deo & Servo prædicto oblationem promiſit, & protinus eſt ſanatus, omni tumore & doloris anguſtiâ meritis Servi Dei ſublatis: & hoc eſt notorium in tota domo & familia domini memorati. Item circa idem tempus venit ad tumulum Viri Dei prædicti vir quidam, nomine Philippus, cognomine Abbot, de civitate Conventrenſi *o*, afferens coram multis, quòd filius ſuus, nomine Ricardus, qui fuerat mortuus per magnum temporis ſpatium, menſuratus Servo Dei; & mortuus protinus reſurrexit circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ anno proximo ſupradicto. Item circa idem tempus venit ad tumulum viri Dei Thomas, filius Roberti le Hoteler, de Leminton in comitatu & diœceſi Wigornenſi, cujus pollex inter duos treſtellos *p* fuerat tam horribiliter conquaſſatus, & una de ſuis tibiis tanto tumore inflata, quòd ſibi non potuit humano ſuffragio, ut aſſeruit, ſubveniri; quæ ſibi infortunia contigerunt circa feſtum S. Petri, quod Ad Vincula dicitur, anno Domini proximo prænotato. Verùm cùm fuiſſet Servo Dei more ſolito menſuratus, ab utroque incommodo fuit ſubitò liberatus.

n

F

o

p

66 Item

porcos mortuos vitæ restituit;

A 66 Item circa idem tempus aderant, qui referrent ad tumulum Viri Dei, quod IV Idus Octobris anno Domini proximè memorato contigit in prioratu de Wocton Wigornenſis diœceſis, quòd viginti & unus porci mortui ſunt inventi in domuncula, ubi ſolebant recludi, in mane ſcilicet diei illius; quod cùm nunciatum fuiſſet fratri Galfrido de Aqua Monaco procuratoris * abbatis & conventus de Conch *r*, venit ad locum & vidit cum admiratione ipſos mortuos ſic jacêre, unà cum fratribus R. Neroin, N. de Conſtant, W. de Brocia & Stephano de eadem, & quibuſdam armigeris & aliis plurimùm admirantibus, quòd tam ſubitò expirâſſent; quia cauſam hujus infortunii penitus ignorabant; ipſos tamen porcos protinus de domuncula extraxerunt, & in quodam loco exterioris atrii locaverunt, quaſi ad unum acervum, orantes Deum, ut ipſis vitam reddere dignaretur amore Servi ſui prædicti; & ſi hoc faceret, Servo Dei porcum unum de mortuis promiſerunt, & quaſi ad opus ipſius ſignando, unam auriculam abſciderunt. Et ecce mirâ Dei potentiâ dicti porci ipſa die, multis cernentibus & mirantibus, ſani & incolumes revixerunt.

* *an* procuratori?

r

B

falconem graviter læſum, & virum è lapſu moribundum facit incolumes;

67 Item II Idus Januarii dominus Rogerus de Mortuomari *ſ* habuit unum falconem, qui apud Drompton juxta London jactu lapidis tam grave vulnus accepit in capite, quòd, ipſo capite conquaſſato, oculus ejus dexter excuſſus à loco ſuo debito exteriùs dependebat, & tum mortuus ab omnibus putaretur. Ipſum Thomæ pontifici menſurârunt, & ſeorſum in loco ſecreto dimittentes, eundem die proxima ſubſequente ſanum & incolumem repererunt, ſicut juraverunt dominus Rogerus prædictus & ipſius familia ad tumulum Viri Dei in feſto Inventionis S. Crucis anno Gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo. Item ipſo die, videlicet ſecunda Idus Januarii, Joannes, dictus Gran, de Tikeſwelle in comitatu Harkſire * Saresburienſis diœceſis, de quadam arbore cecidit à tam alto, ut quaſi toto corpore conquaſſatus crederetur ab aſtantibus expirâſſe; accedentes tamen Joannes, dictus Barkulle de Farndon, Walterus Alith, & Ricardus Ballus de eadem, ipſum ſervo Dei Thomæ pontifici menſurârunt: quo facto, ſtatim, qui ceciderat, oculos ſuos aperuit & revixit per potentiam ſummi Dei. Hoc juraverunt tres viri prædicti in Herefordenſi eccleſia VII Idus Maii anno ſupradicto.

* *an* Hant-Shire?

ſ

C

ſanat paralyticum,

t

68 Item circa idem tempus juvenis quidam, Joannes nomine, dictus Hoket de Denhram in comitatu de Boking *t* Lincolnenſis diœceſis, paralytico morbo percuſſus à duobus annis & ampliùs, in tantum, ut omnia membra ejus ab umbilico & deorſum quaſi mortua & inſenſibilia redderentur; cùm per amicos fuiſſet Thomæ pontifici menſuratus, ſtatim cœpit meliùs ſe habere; quod percipientes amici ipſum ad Viri Dei tumulum perduxerunt, & ibidem adhuc debilem duobus podiis *u* gradientem miſerabiliter dimiſerunt; ſed poſt amicorum ſuorum receſſum modico tempore ſubſequente ipſum reſpexit Altiſſimus oculo pietatis, per merita Servi ſui ipſi largiens in omnibus membris corporis ſui ſanitatem, ita ut totus ſanus ad propria cum gaudio remearet, podiis derelictis ad tumulum Viri Dei.

u

69 Item I I Kalendas Martii Juvenis quidam, nomine Willelmus, dictus Mercator de Helſton in comitatu Cornubiæ *x* Exonienſis *y* diœceſis,

x y

fuerat furioſus antea per duos annos & menſes ſex, cui amici dixerunt: Cogita de beato Pontifice Herefordienſi, & Domino concedente, recipies ſanitatem. Quibus ille illuſoriè ſic ſtultè reſpondit: Cogito quidem, quòd talis eſt ille Sanctus, qualis eſt ille Simon de Monte forti, quem Sanctum etiam nuncupâſtis, qui apud Oveshram *z* eſt ſepultus. Vix ſermonibus hiis finitis, ſomnum cœpit, in quo ſibi apparuit, ut juravit, Epiſcopus indutus epiſcopalibus indumentis, ſtans pulcherrimè coram ipſo, & ipſum alloquens ſub hac forma: Amice, noli ampliùs illudere Servis Dei tuis ſermonibus imperitis. Et hiis dictis, ſignavit eundem ſignaculo ſanctæ Crucis, & ſtatim diſparuit, ipſo ſignato: ipſe verò, qui fuerat furioſus, protinus ipſa die plenam conſecutus eſt, largiente Domino, ſanitatem per merita Servi prædicti.

Ex Proces. can. *ac alterum furiosum priùs amicè correptum.*

z

ſex viros, ſumpto toxico, ſervat incolumes,

aa

E

bb

70 Circa idem tempus venit ad tumulum Viri Dei juvenis quidam, Willelmus nomine de Wuſput Herefordenſis diœceſis, jurans, quòd ipſe cum tredecim ſociis ſuis, ſecum à Terra Sancta revertentibus, in civitate Reatina *aa*, quæ ab urbe Roma non diſtare dicitur miliaria quadraginta, à quodam, qui ipſos ibidem hoſpitio ſuſceperat, in legumine de ris *bb* facto venenum ſeu toxicum ſumpſit tam forte, quòd ipſe & ſui Socii univerſi, priuſquam à prandio ſurrexiſſent, ſe tam graves & ſomnolentos ſentirent, quòd nullus ex ipſis alterum juvare potuerit, vel ſe ipſum. Sed tamen ex eis, videlicet dictus Willelmus, Hugo Piſtor, Rogerus Camer, Henricus de Neuverk, Simon Cappells, Joannes de Ravenhul Herefordenſis diœceſis, timentes, ſibi mortem protinus imminere, ſe ſervo Dei Thomæ pontifici menſurârunt, & iſti ſolummodo ſunt protinus à toxico liberati, & per merita Servi Dei curati, cæteris octo Sociis, qui non fuerant, ut præmittitur, menſurati, toxico memorato intra tres dies à tempore guſtationis illius extinctis.

puellam jam quarto die mortuam reſuſcitat.

cc

dd

F

ee

71 Item XV Kalendas Aprilis venerunt Ricardus dictus Ciſſor, & uxor ejus de Villa de Yſtelworth in comitatu Middelſex *cc* Londonenſis diœceſis, ad tumulum Viri Dei, jurantes ibidem & in præſentia plurimorum, quòd filia ſua fuit ſubmerſa in fluvio, qui vocatur Brente *dd*, in quo jacuerat & latuerat per diem integrum naturalem; quam ipſi parentes ejuſdem poſtmodùm extrahentes, juxta littus fluvii ſuper terram mortuam per tres dies integros cum triſtitia magna ſervabant, non audentes corpus filiæ ſuæ ſepelire, donec videretur ab illo, qui ratione officii appellatur in Anglia coronarius *ee*, ad quem pertinet ſecundum legem regni modum & cauſam per infortunium morientium, ſeu etiam occiſorum, inquirere, & quod inquiſierit, regis juſticiariis nunciare, ut ſciatur, qualiter ipſa pax regni, quæ ad coronam regiam pertinet, conſervetur, vel etiam infringatur. Cùm autem coronarius memoratus vidiſſet ipſam defunctam, ecce quædam mulier de vicinis advenit, aſſerens coram aſtantibus tunc ibidem, quòd nocte proxima præcedenti fuerat in ſomnis admonita, quòd puellam mortuam ſupraſcriptam ſervo Dei Thomæ pontifici Herefordiæ menſuraret. Hæc ergò audacter acceſſit ad funus, & puellam mortuam menſuravit, ſecundùm quod ſibi fuerat revelatum, & protinus aqua cœpit à corpore abundanter effluere ſine adminiculo cooperationis humanæ, & ipſa puella ſtatim revixit per potentiam ſummi Dei ad invocationem auxilii Servi ſui prædicti.

A N-

Ex Proces. can.

ANNOTATA.

a *In apographo noſtro præmittitur :* Hîc incipit annus tertius, *ſcilicet à tranſlatione facta anno* 1287, *die* 3 *Aprilis.*

b *Ita habet apographum noſtrum : ſed an rectè? Ego quidem nullum hujus nominis comitatum novi.*

c Warwick-Shire *comitatus Angliæ eſt, cujus caput Warwicum civitas,* Warwick *vulgò appellata.*

d *Idem miraculum etiam ſuprà datum eſt.*

e *In Monaſtico Anglicano tom.* 1, *pag.* 835 *inter cœnobia Ordinis Ciſtercienſis recenſetur* Brueria abbatia in agro Oxonienſi, fundata anno MCXLVII.

f Cuves *Gallis ſunt magna vaſa è lignis compacta, in quibus ex uvis vina exprimunt.*

g *Hoc ipſum eſt, opinor, quod tom.* 2 *Monaſtici Anglicani pag.* 432 *inter cœnobia Ordinis S. Auguſtini refertur, diciturque* Hoſpitale S. Johannis de Brugwalter, *poſitum* in agro Somerſetenſi.

B h Garcio *Gallicè* Garçon, *hîc ſervum ſignificat.*

i Vaſconia, *Gallicè* la Gaſcogne, *provincia regni Galliæ eſt inter Oceanum Aquitanicum, Garumnam flumen & Pyrenæos montes extenſa.*

k *Eduardum Angliæ regem, quem alii ejuſdem nominis primum, alii* III *vel* IV *appellant, anno, de quo hîc agitur,* 1288 *in Gaſconia fuiſſe, etiam Nicolaus Trivettus in Chronico teſtatur.*

l Oxonienſis, *vernaculè* Oxford-Shire, *comitatûs in Anglia aliquot proprios comites ex familia* de Vere *memorat Camdenus in deſcriptione ejuſdem comitatûs.*

m Bangorium *vel* Bangoria, *vulgo* Bangor, *Angliæ civitas eſt in Wallia, in comitatu* Snaudoniæ *ſeu* Arvoniæ, *Anglis* Caernarvon-Shire *dicto, epiſcopatum habens ſub metropoli Cantuarienſi.*

n *Sæpe laudatus Camdenus* Genevillos *inter illuſtres Hiberniæ familias reponit.*

o Conventria, *incolis* Conventre, *Angliæ civitas eſt in comitatu Warwicenſi; ejus epiſcopatus, Cantuarienſi ſuffraganeus, Lichfeldienſi ſedi unitus eſt.*

C p Treſtellus, *fortè ab Anglico* Treſtle, *eſt tripes fulcrum tabulam menſæ ſuſtinens. Galli ſimile fulcrum etiam* Treſteau *ſeu* Treteau *appellant.*

q *Tom.* 1 *Monaſtici Anglicani pag.* 558 *invenio prioratum* Wottonam, *aliàs etiam* Wotten-waden *nuncupatum; dicturque ibidem ſitus* in agro Warwicenſi, *eſſeque* cella abbatiæ de Conchis in Normannia. *Quapropter cùm mox infrà fiat mentio* procuratoris abbatis & conventûs de Conch, *putem, iſtam cellam hîc deſignari.*

r *Id eſt,* Conchenſis *in Normannia.*

ſ *Camdenus in catalogo illuſtriorum familiarum Angliæ barones* de Mortuo mari *vernaculè* de Mortimer *nominat.*

t *Opinor, legendum eſſe* de Buckingham, *qui unus è comitatibus Angliæ eſt.*

u *Id eſt, fulcris ſubalaribus.*

x Cornubia, *vulgò* Cornwall, *comitatus Angliæ eſt.*

y Exonia, *olim* Iſca & Iſca Danmoniorum, *nunc vulgò* Exceſter, *Angliæ civitas epiſcopalis eſt in comitatu* Devoniæ, *ſive* Den-Shire, *archiepiſcopo Cantuarienſi ſuffraganea.*

z *Lege* Eovesham *vel* Evesham, *quod oppidum Angliæ eſt ad Avonam fluvium in comitatu Wigornienſi. Igitur Simon ille de Monteforti fuit comes Leiceſtriæ & ſeneſcallus Angliæ, qui rebellionem ſuam nomine reipublicæ reſtituendæ prætexens, arma in dominum ſuum Henricum III Angliæ regem movit, & adverſus ejuſdem exercitum pugnans anno* 1265 *apud prædictum oppidum Evesham cum ſuis caſus & occiſus eſt.* D

aa Reate, *Italis nunc* Rieti, *ditionis Pontificiæ civitas epiſcopalis eſt in Umbria, in confinio regni Neapolitani & Aprutii Ulterioris, quadraginta milliaribus Româ in Septemtrionem diſtans.*

bb Ris *vox Gallica, Latinè* oryza. *Per* legumen *autem* pulmentum *hîc indicatur.*

cc Midleſexia, *vulgò* Midle-Sex, *comitatus Angliæ eſt, in quo ſitum eſt Londinum, urbs primaria & totius regni caput.*

dd *Is fluvius in eodem comitatu prope oppidum* Great-Brentford *in Tamiſim illabitur.*

ee *De* Coronariis *Angliæ etiam ſuprà actum eſt.* E

CAPUT V.

Alia miracula eodem anno MCCXC *per Sancti patrocinium impetrata.*

Mulier contracta, & altera aliâ infirmitate affecta.

ITem XI Kalendas Aprilis anno Gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo tunc die Paraſceve *a*, quædam mulier, nomine Alicia la Waleys, de Bibenton in comitatu Staffordienſi, Conventrenſis & Lichefeldenſis diœceſis, habebat manum contractam & brachium à tribus annis & menſibus ſex, in tantum, ut ipſum tam fortiter lateri adhæreret quaſi infixum, ut ab illo loco non poſſet aliquo artificio amoveri, niſi brachium frangeretur, per merita Viri Dei plenam conſecuta eſt à Domino ſanitatem. Et hoc probatum eſt & per homines fide dignos civitatis Herefordiæ & etiam alios, qui ipſam viderunt contractam, & poſtquam reſtituta fuerat ſanitati, apertè viderunt locum lateris concavatum ex adhæſione diutina brachii memorati corporis mulieris infirmæ. Item VII Kalendas Maii anno proximo ſupradicto quædam mulier, nomine Aldítha Page, de Penetris in comitatu Staffordiæ Conventrenſis & Lichefeldenſis diœceſis, venit ad tumulum Viri Dei, aſſerens coram multis, quòd per duos annos & menſes ſex fuerat tam debilis & infirma & viribus totius corporis deſtituta, quòd vix ſpatium miliaris unius per diem integrum gradiendo potuit peragere. Sed cùm ſe viſitare perſonaliter Viri Dei tumulum promiſiſſet, & ipſum iter fuiſſet aggreſſa, ſubitò tam ſana & incolumis eſt effecta, quòd unà cum aliis, cauſâ devotionis euntibus ad tumulum memoratum, dictam *b* integram peregrinis hujuſmodi conſuetam perficere potuit, propriis pedibus ambulando per auxilium Servi Dei. F

a

b

aliique in mari periclitantes à Sancto liberati.

73 Item die & anno prædictis vir quidam, Willelmus nomine, dictus Touy, mercator de Briſtoll, juravit ad tumulum ſupradictum, ſe fuiſſe in quadam navi, dicta Mariett, cum aliis, qui,

A qui, cùm à terra Hybernia, versùs Briſtoll, navigare cœpiſſent, circa mediam noctis horam orta ſubitò ſæviſſima tempeſtate, versùs quamdam ripam ita ferebantur in præceps, quòd, ſi in ipſam cum hujus impetu impegiſſet, abſque dubio ipſa navis cum hominibus & rebus omnibus, quas ferebat, naufragio deperîſſet; & cùm nautæ in tanto periculo conſtituti ſe juvare non poſſent, ad Servi Dei ſuffragium confugerunt, ſibi * navem argenteam promittendo, ſi Deus eoſdem amore ipſius ab hujus periculo eripere dignaretur. Et hoc facto, ipſos à naufragio liberavit clementia Salvatoris per merita Servi ſui, & ad portum optatum cum proſperitate perduxit; unde & navem argenteam, quam promiſerant, die notata proximè ſuperiùs devotiſſimè obtulerunt ad tumulum Viri Dei.

* *i. e.* illi

74 Item XIII Kalendas Maii venit vir quidam, nomine Nicolaus dictus Mon, ſcilicet filius Philippi Mon, de Direwode in Hybernia, & cum eo Nicolaus Harpe de Drohada & Galfridus, dictus Paliner de Neueton, ad tumulum Viri Dei, jurantes, quòd dictus Nicolaus Mon in mari Græco versùs Terram Sanctam cum aliis navigando per XV dies viſum amiſerat oculorum, & cùm ipſi ſocii peregrinationis ejuſdem oblationem Servo Dei voviſſent pro cæco unum ſterlingum *c* ſuper ejus oculos excæcatos plicâſſent, continuò viſum recepit per merita Servi Dei prædicti. Item IV Kalendas Maii vir quidam, nomine Rogerus, filius Joannis de Caſtelfrom, qui Rogerus manet in parochia de Chirkeſtok juxta Chireburn, Herefordenſis diœceſis, ad tumulum Viri Dei coram multis juravit, quòd gravi infirmitate ſub lingua in tantum fuerat moleſtatus, quòd tumor, qui acciderat, ex dolore, ſic os ejus impleverat excreſcendo, quòd ferè ſuffocatus amiſerat uſum loquendi; & cùm hoc percepiſſent, qui compatientes adſtabant, ipſum veriſimiliter arbitrantes protinus moriturum, pro ſanitate & vita ipſius meliorem vaccam, quam tunc habuit de duabus, quas tantùm inter bona habebat, Dei Famulo promiſerunt, & ipſam vaccam uſque ad ægroti præſentiam deduxerunt. Quâ viſâ, ratificavit, prout potuit, quod ipſi fecerant pro eodem; & ecce, continuò ruptus eſt tumor, quem habebat ſub lingua, & egrediente materia morbi ſui, cœpit loqui & infra paucos dies reſtitutus eſt congruæ ſanitati per merita Servi Dei, & vaccam, quam promiſerant, obtulit dicta die.

Viro cæcitas, alteri malum linguæ ſublata.

B

c

C

75 Item VII die Junii mulier quædam, Alicia nomine, de civitate & diœceſi Wigornenſi, acceſſit ad tumulum Viri Dei, probans per teſtimonium fide dignum, quòd in dextro brachio ſuo ſpaſimo ſeu paralyſi per quadraginta dies & ampliùs ſic erat percuſſa, quòd nihil virium remanſit in brachio; unde nec per ipſum quidquam potuit operari. Sed cùm brachium antedictum Servo Dei menſurari feciſſet, reſtitutum eſt illico priſtinæ ſanitati per auxilium Viri Dei. Item circa idem tempus venit ad tumulum vir quidam, nomine Waſmeyi, filius David Hergin de S. Weynard, qui fuerat paralytico morbo percuſſus in tota ſiniſtra parte ſui corporis per tres menſes & tres dies, in tantum, quòd per nullum membrum partis ipſius, ut aſſeruit, potuit ſe juvare; ſed cùm amici ejuſdem ipſum Servo Dei more ſolito menſurâſſent, ſubitò reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati. Item IV Kalendas Junii Joannes, filius Rogeri de Fekenham, in comitatu & diœceſi Wigornenſi, in tam graviſſima ægritudine laboraverat, quod ab omnibus ipſum videntibus diceretur certiſſimè expirâſſe, & ſic multorum judicio mortuus permanebat tanto temporis ſpatio, quanto poſſent communi paſſu quatuor miliaria ab homine peragrari: & cùm ſuper ipſum fuiſſet auxilium Viri Dei devotiùs invocatum, mox cum admiratione multorum vivificatus ſurrexit ſanus & incolumis per ſuffragium Servi Dei.

Duo paralytici, & mortuus creditus ſanati,

Ex PROCES. CAN.

76 Item quarto Nonas Junii vir quidam, nomine Galfridus, dictus Brut, de Tillach in Hybernia, venit ad tumulum Viri Dei, jurans, * cum aliis in quadam navi, dicta Nicolas, quæ erat Roberti Smeye de Ervelyn, cum pluribus ſociis à Ceſtria *d* verſus Hyberniam navigavit; & ecce, ſuborta ſubitò ferociſſima tempeſtate, ipſe & alii in tantum periclitari cœperunt, ut, confractis inſtrumentis ſeu navis pluribus armamentis, omni humano auxilio deſtituti mortem timerent ſibi protinus imminere; verumtamen inter pericula recordati ſunt Viri Dei prædicti, ipſius auxilium invocantes & ſibi * navem de cera devotiùs promittentes, ſi eos Altiſſimus amore ipſius à tam horribili periculo eripere dignaretur; & cùm ſic vovendo & orando clamarent, ecce venit ignis de cælo & ſuper partem navis, quæ eminentior videbatur, quaſi tres candelas cælitus deſtinatas accendit, quibus accenſis, omnis fragor ceſſavit illius horribilis tempeſtatis, & facta eſt ſubitò magna tranquillitas. Illi ergò homines cùm vidiſſent hoc ſignum evidens clementiæ ſummi Dei, oſtendentis merita Servi ſui, deinceps proſpere navigantes, & ipſum Deum laudantes, venerunt ad portum voluntatis eorum, & navem, quam promiſerant, ad Viri Dei tumulum poſtmodùm obtulerunt, ſcilicet IV Nonas Junii, ut ſuperiùs eſt expreſſum.

navigantes periculo naufragii eripi.

* *adde* quòd

d

* *i. e.* illi

E

77 Item Nonas * Junii vir quidam, nomine Galfridus Bidel, de Bliburn, in comitatu Suthfolk *e* Norwicenſis *f* diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd equus quidam domini Edmundi de Mortuo mari, quem cuſtodiebat apud Feireford, quadam infirmitate expirans, mortuus remanebat ab hora matutinali uſque poſt nonam; & cùm de hoc dolens, ipſum Dei Famulo menſurâſſet, in momento revixit ac ſtatim totus ſanus ſurrexit per auxilium Viri Dei. Item XVI Kalendas Julii vir quidam, Willelmus nomine, cognomento Gras, armiger de villa de Luſton in comitatu Penebrok *g* Menevenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd tanto fuerat dolore dentium gravatus, quòd magis optaret mori, quàm vivere cum anguſtia tantæ pœnæ. Sed cùm verſus Herefordiam pro recuperando remedio per merita Servi Dei iter fuiſſet aggreſſus, confeſtim fuit à præfato dolore penitus liberatus; nam & dentes ejus, qui fuerant doloris occaſio, ſinè artificio medicinæ ac punctura doloris per viam à gingivis ſuis facillimè ceciderunt.

Equo vita reddita, dolor dentium abactus,

* Nonis

e *f*

F

g

78 Item hoc tunc aſſeruit homo ille, quòd filius præpoſiti ſui manum *h* de la Huche oculum unum amiſerat, ſed cùm pater ejus, præpoſitus videlicet memoratus, denarium unum plicâſſet ſuper oculum excæcatum, & hoc denarium ad Viri Dei tumulum detuliſſet & redîſſet ad propria, invenit oculum ſui filii ſanitati priſtinæ reſtitutum. Item IX Kalendas Julii, hoc eſt, in vigilia S. Joannis Baptiſtæ, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo, ducta

oculus curatus, expulſus è muliere dæmon,

h

Ex Proces. can.

est mulier quædam, Agneta nomine, dicta Noreys, filia Galfridi de Muchel Dene Herefordensis diœcesis, ad tumulum Viri Dei, habens dæmonium, & illud erat mutum; nam cùm ipsam multis angustiis & temporibus multo tempore antea infestâsset, ipsam tandem per tres dies fecit obmutescere, quasi mutam. Sed cùm ipsa mulier unà cum aliis in oratione pernoctaret ad tumulum Viri Dei, vidit in somnis, ut asseruit præfata, quemdam virum tangentem & signo sanctæ Crucis signantem, ad cujus signationem dæmonium est ejectum, & locuta est libere antè muta, ac sana & incolumis est effecta per merita Servi Dei.

ablatum malum stomachi,

79 Circa idem tempus venit vir quidam nobilis, Joannes nomine, de Tudehram Herefordensis diœcesis, ad tumulum Servi Dei, asserens coram multis, quòd domina Joanna uxor ejusdem & magno tempore fuerat cruciata tanto tempore *i* cardiacæ passionis & indignatione vel abominatione oris seu orificii sui stomachi, annis scilicet quatuordecim, quòd, si quando cibum debuit deglutire, hoc facere non potuit cum aliis discumbendo; sed necesse habuit ab accubitu surgere, & se huc atque illuc frequenter gradiendo movere & pectus tundere; alioquin nihil potuit de cibariis retinere. Sed cùm Servo Dei fuisset more solito mensurata, protinus extitit ab omni infirmitate curata. Hoc autem miraculum est probatum ad tumulum antedictum XVIII Kalendas Julii per dictum Joannem prædictum *, & per totam ipsius familiam, cùm offerret imaginem ex occasione de cera factam ad similitudinem mulieris prædictæ unà cum viginti solidis sterlingorum.

*i

B

*prædictum abundat

Duæ mortuæ resuscitatæ;

80 Item VIII Idus Julii venerunt ad tumulum Viri Dei Philippus, filius Seykelet, Tangustер uxor ejus, de Rolveston in Yrchenefeld *k*, probantes, quòd Tangustер prædicta infirmitate gravissima expiravit, & per magnum temporis spatium mortua jacuit; & cùm ipsam Servo Dei devotiùs mensurâssent astantes, & se illi dictus Philippus oblaturum vaccam unam pro ipsa promisisset, protinus à mortuis resurrexit per infinitam potentiam Salvatoris; unde & vaccam, quam vir voverat, die prædicta ambo fideliter obtulerunt. Item XV Kalendas Augusti vir quidam, Thomas de la Ware nomine dictus, de Rolveston in comitatu de Somiersete *l*, & uxor ejus, nomine Christiana, & multi alii fide digni solemniter probaverunt coram canonicis & aliis pluribus in ecclesia cathedrali Herefordiensi, quòd una filia, quam habebant, Agnes nomine, mortua fuerat per sex horas diei; & cùm omnia ad sepulturam ipsius necessaria præparâssent, quidam ex circumstantibus valdè compatiens tristitiæ amicorum, ad funus accessit, & Agnetem mortuam Deo & servo ejus Thomæ pontifici mensuravit; quo facto, statim ipsa revixit per merita Servi Dei prædicti.

k

C

l

altera saltem credita mortua, & alter morti proximus, convalescunt.

81 Item VI Kalendas Augusti puella quædam, nomine Agnes, filia domini Willelmi de Gravuson militis, quæ erat in custodia domini Rogeri de Pullesdone, vicecomitis de Angleseya, tunc in parochia de Staves Conventrensis & Lichfeldensis diœcesis, tam diu diversis infirmitatibus fuerat cruciata, quòd tandem ab omnibus eam cernentibus credebatur verisimiliter expirâsse. Quod advertens dominus Rogerus prædictus, gravi dolore turbatus, præsertim cùm in absentia patris puellæ in sua custodia moreretur; unum denarium super corpus puellæ, quod mortuum æstimabat, plicando, se cum prædicta puella tumulum Viri Dei suis pedibus gradiendo visitaturum, promisit, si Deus vitam sibi * concedere dignaretur. Quo facto, ipsa puella, quæ credebatur defuncta, statim revixit, vel convaluit subitò, per infinitam potentiam summi Dei. Item IX Kalendas Augusti dominus Joannes Carbonel & domina Margarita uxor ejus, Norvicensis diœcesis, venerunt ad tumulum Viri Dei, & probaverunt ibidem, quòd Thomas, filius eorumdem, tam graves & alias inauditas infirmitates habuerat, quòd spe vitæ sublata, mortem sibi * protinus imminere, timore horribili expectarent. Ipsum ergò Deo & Servo ejus prædicto voverunt, & imaginem argenteam pro eodem se oblaturos Thomæ pontifici, promiserunt. Quo facto, restitutus est æger continuò pristinæ sanitati; unde & ipsi tunc imaginem argenteam, ut promiserant, obtulerunt.

D

i. e. illi

* illi

Mulier contracta, vir gravi morbo ad Sancti tumulum liberantur,

82 Item III Nonas Augusti mulier quædam, nomine filia Adæ, dicti le Skennere de Monemuth *m*, Herefordensis diœcesis, quæ contracta fuerat antea septem annis & totius sui corporis ab umbilico & deorsum viribus destituta, venit ad tumulum Viri Dei, & ibidem in oratione pernoctans: sibi * in somnis apparuit, ut juravit, vir quidam sibi, ut surgeret, imperans, & aquam tepidam in sinum suum * fundebat; & mox ipsa, quasi ex aquæ infusione prædicta, ab omni infirmitate curata, surrexit, laudans & glorificans ipsum Deum, & gratias referens Servo suo prædicto. Item vigesima quarta die mensis Junii anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo venit ad tumulum Servi Dei dominus Willelmus de Suillington, rector ecclesiæ de Gnimolston in comitatu Notingham *n*, & cùm in oratione ad Viri Dei tumulum pernoctaret, sibi in somnis vir unus apparuit, quærens ab illo hujusmodi quæstionem. Quare talem zonam habes? Et hoc dicens, sibi zonam unam ostendit auro purissimo adornatam, quâ & circumcinxit corpus Willelmi prædicti, qui gravi ægritudine laboraverat ab octava die mensis Aprilis usque ad illam horam. Quo facto, vir ille disparuit, & Willelmus prædictus ex eadem hora restitutus est integræ sanitati per auxilia viri Dei Thomæ pontificis, sicut fideliter credidit & juravit. Quàm periculosa verò ægritudine laboraverat memoratus Willelmus, perhibuit testimonium discretus vir magister Simon de Gandavo, archidiaconus Oxonienſis *o*.

m

* illi

E

* ejus

n

F

o

item vir & falco.

83 Item circa idem tempus dominus Robertus de Suillington, canonicus Lincolnensis, quamdam subitam passionem habebat in corpore, quæ ipsum tam graviter affligebat, quòd omnes ipsum videntes eundem crederent in proximis moriturum. Quod perpendens Willelmus superiùs nominatus, nepos videlicet Roberti infirmi, vovit Deo & Servo ejus prædicto, quòd in pane & aqua omni sexta feria jejunaret, donec pro recuperanda sanitate dicti Roberti Servi Dei tumulum Herefordiæ visitâsset; & ecce, voto emisso, statim restitutus est æger pristinæ sanitati. Item idem Willelmus juravit ad tumulum Viri Dei, se habuisse quemdam falconem, qui simul quum infirmitates habuerat incurabiles secundum omne judicium in his expertorum; sed cùm falconem infirmum Thomæ pontifici

A fici menſurâſſet, ſanitatem recepit. Juravit etiam idem Willelmus, quòd multa alia beneficia ſibi ipſi miraculosè præſtiterat ipſe Deus per merita Servi ſui prædicti, quorum causâ devotus ſibi * eſſe voluit, & debuit in perpetuum, ut promiſit.

* i. e. illi

Alii aliis infirmitatibus

84 Item prima die menſis Septembris aderant quidam ad tumulum Viri Dei, inter quos erat Willelmus, dictus de Hara, narrator in banco domini regis *p*, aſſerentes, præſtito juramento, quòd vir quidam, nomine Ricardus de Goſefelo, ſimiliter narrator in banco, habuit duos filios, quorum unus tantum habuit dolorem in capite, quòd ſenſum naturalem amittens freneticus appareret. Cúmque dolor horribiliter creſceret, pater ipſius & omnes aſtantes pro certo credebant, ipſum protinus moriturum. Ipſum ergò Servo Dei menſurârunt aſtantes; cujus meritis ſtatim reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati; nec mora, & ecce alius filius viri prædicti, & frater ſanati ſimilem anguſtiam per omnia pati cœpit: quo ſimiliter menſurato, ſtatim perfectam ſanitatem recepit per auxilium Viri Dei. Item ipſa die, prima die Septembris venit

B ad tumulum Viri Dei vir quidam, nomine Joannes de Warewik, Wigornenſis diœceſis, dictus Ciſſor, aſſerens, quòd, dum Pariſiis moraretur, fluxum ventris & multas alias infirmitates graviſſimas & quaſi antea inauditas habuerat; cúmque magno tempore ab his curari non poſſet, ipſum amici ejus menſurârunt Pariſiis Servo Dei prædicto; cujus meritis ab omnibus infirmitatibus memoratis mox fuit cælitus liberatus.

liberati, uti & equus graviter vulneratus,

85 Item VIII Idus Septembris venit ad tumulum Viri Dei vir quidam, nomine Alanus, dictus de Fflor, de Warewik Wigornenſis diœceſis, aſſerens, ſe menſe uno hydropico morbo fuiſſe vexatum, cujus morbi materia poſtmodùm ad caput aſcendente, ſenſum naturalem amiſit per violentiam dicti morbi. Cúmque ſibi ſubveniri non poſſet auxilio medicorum, utpote morbo incurabili per naturam, ut præmittitur, laborantium, ipſum Servo Dei menſurârunt aſtantes, & reſtitutus eſt quaſi ſubitò priſtinæ ſanitati per auxilium Viri Dei. Item XI die menſis Septembris venit ad tumulum Viri Dei

C miles quidam, nomine Robertus de Keynis, de Middelton in comitatu de Buckingham Lincolnenſis diœceſis, affirmans, ſe habuiſſe equum unum, cujus ventrem ferrum acutum tam lato vulnere perforaverat, ut ſuis viſceribus patefactis, inteſtina ipſius caderent ſuper terram. Cúmque illi nullo poſſet medicamine ſubveniri, accurrens unus de familia militis memorati, & unum plicans denarium ultra equum pro ſanitate ipſius, Thomæ pontificis auxilium imploravit: quo facto, equus prædictus citò reſtitutus eſt integræ ſanitati.

& alia animalia ſanata.

86 Item eodem die & loco aſſeruit dictus miles, quòd ipſe habuerat niſum unum, quem taliter conculcaverat canis unus, quòd unam alam illius confregerat; & cùm mortuus vel ſemper inutilis putaretur, plicari tamen fecit unum denarium ſuper eum pro ipſo, ſuppliciter invocans auxilium Viri Dei: quo facto, ipſum in quadam camera collocavit, & eumdem in craſtino ſanum & ſalvum recepit per auxilium Viri Dei. Item hoc etiam aſſeruit dictus miles, quòd, cùm quædam beſtiola, quàm Gallicè

q vocant Leyrum *q*, multum ſimilis muſtellæ, cujus eſt inter alias proprietas naturaliter multùm dormire, fuiſſet à caſu ſub pede cujuſdam hominis venientis attrita, ac per eumdem hominem, ejus ſpeciei beſtiolam penitus ignorantem, in parietem, qui proximus fuerat, fortiter jactaretur, & veriſimiliter mortua putaretur, acceſſit quædam mulier, quæ ipſam beſtiolam educaverat, & voce flebili oblationem Servo Dei promiſit, ſi beſtiolæ, quam habuerat in deliciis, vitam impetrare à Domino dignaretur. Quo facto, mortuam, ut putavit, beſtiolam in ſinum ſuum repoſuit, & ſatis citò ipſam inde ſanam retraxit per merita Servi Dei.

Quidam è morbo, alter è lapſu periclitantes convaluerunt,

87 Item VIII Kalendas Octobris vir quidam, nomine Joannes, dictus Duc, de Winton, in comitatu Warevik, Wigornenſis diœceſis, & uxor ejus, Matilda nomine, venerunt ad tumulum Viri Dei, & probaverunt ibidem, quòd quidam filius eorum, Henricus nomine, tam graviter fuerat infirmatus, quòd ex vehementia morbi ſui, tanquam protinus moriturus, viſum omnino perdiderat oculorum. Sed cùm eundem Thomæ pontifici menſurâſſent, reſtitutus eſt continuò priſtinæ ſanitati per auxilium Viri Dei. Item circa idem tempus contigit, quòd quidam puer, nomine Robertus, filius Willelmi, E dicti Knoſton de Ticiford in comitatu Leyceſtriæ, Lincolnenſis diœceſis, tam horribiliter ſuper glaciem cecidit, quòd collum ejus retruſum videbatur in corpus, quod vix inde modicum exteriùs appareret; unde & mortuus ab omnibus aſtantibus credebatur. Cúmque amici ejus ipſum Servo Dei devotiùs menſurâſſent, puer ſtatim ſanus ſurrexit per auxilium Viri Dei.

alii erepti periculo in manus piratarum incidendi.

88 Item circa idem tempus vir quidam, nomine Galfridus, dictus Page de Briſtoll, cum aliis ſeptemdecim ſociis erat in quadam navi, quæ diverſis mercimoniis erat onuſta, cum qua à Normannia versùs Hyberniam navigarent; & ecce quatuor viginti piratæ, vel plures, in quadam galea *r* ad ſpoliandum navem, & nautas trucidandos, ipſis appropinquabant; & cùm viderent, qui erant in navi, quòd dictis piratis humana fortitudine reſiſtere non valerent, ad devotæ orationis tutiſſimum refugium confugerunt, omnipotentem Dominum lacrymando & flexis genibus deprecantes, ut eos amore ſervi ſui Thomæ præſulis memorati ab inſultibus illorum hominum perverſorum defendere dignaretur; & Servo Dei oblationem unanimiter promiſerunt. Quo facto, piratæ, qui jam fuerant juxta illos, quaſi horribili timore percuſſi divinitus, ut veriſimiliter apparebat, veloci remigio aufugerunt ab illis. Nautæ verò prædicti, ſe videntes ab eorum inſultibus tam mirabiliter liberatos, Deo & Servo ejus prædicto devotiſſimas gratias perſolverunt, ac poſtea ad Viri Dei tumulum cum oblationibus venientes, dictum miraculum legitimè probaverunt.

r

F

Falconi & puellæ vita reddita:

89 Item XVII Kalendas Octobris venit ad tumulum Viri Dei Joannes de Frenyngham, aſſerens, quòd falconem unum habuerat, qui per magnum ſpatium temporis mortuus fuerat; ſed cùm ſuper ipſum mortuum, invocato auxilio Viri Dei, plicâſſet unum denarium, ut eſt moris, ſtatim revixit, & hujuſmodi miraculi teſtes fuerunt dominus Robertus de Seyntler & familia ejus tota. Item Kalendis Octobris vir quidam, nomine Adam Smyth de Sponley in comitatu Solopſir *ſ* Herefordenſis diœceſis, & uxor ejus venerunt ad tumulum Viri Dei, probantes, quòd filiam habuerant mortuam per diem

ſ

Ex Proces. can.

naturalem; ſed cùm funus ipſius Servo Dei more ſolito menſurâſſent, & votum voviſſent pro reſuſcitatione illius, ſtatim à mortuis reſurrexit.

infirmi ad extrema redacti, ſubitò convaleſcunt:

90 Item IV Nonas Octobris Nicolaus, dictus Bon, habitans in parochia Omnium Sanctorum de Briſtoll, venit ad tumulum Viri Dei, probans, quòd tam gravi ægritudine laboraverat, quòd omni membrorum ſuorum, excepto capite, viribus deſtitutus XXXV diebus extiterat; ſed cùm oblationem Servo Dei devotiùs promiſiſſet, ſtatim reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati per auxilium Viri Dei. Item XIV Kalendas Novembris Henricus de Stroperi, de familia domini Gilberti de Gannt *t*, in comitatu Oxoniæ tam forti acuta ægritudine laboraverat ſex diebus, ut crederetur certiſſimè die ſeptima moriturus. Cúmque ipſum menſurare voluiſſent aſtantes Sanctis diverſis, dicebat illis dominus Gilbertus prædictus: Nunquid nôſtis, quantùm diligere conſuevit iſte infirmus illum Dei famulum Thomam, quondam Herefordenſem epiſcopum? nunc igitur ipſum illi devotiùs menſurate. Quo facto, ſtatim ab omni anguſtia liberatus eſt æger, & ſubitò reſtitutus priſtinæ ſanitati per auxilium Servi Dei.

B

ſimile mulieri contigit: navigantes mirabiliter ſervati.

91 Item V Kalendas Novembris Joannes de Lindan, & uxor ejus Alicia, in comitatu Lincolnenſi, venerunt ad tumulum Viri Dei, probantes, quòd mulier ſupradicta tam forti ægritudine laborabat, ut, quaſi paralytico morbo percuſſa, in brachiis & manibus nihil ſentiens, viribus omnium membrorum ſui corporis ſub zona caruerat menſibus ferè duobus. Et cùm ei nullo potuiſſet medicali remedio ſubveniri, ſupervenit vir quidam, qui antea fuerat causâ devotionis & orationis ad tumulum Viri Dei, & ipſam Servo Dei, ſicut ſolet fieri, menſuravit; cujus meritis ſanitatem priſtinam recepit divinitus mulier memorata. Item III Idus Novembris Robertus, dictus Cloterbo de Pireton Actewyle, & ſocii ejus quàm plures navigantes in quadam navi, quæ vocatur navis S. Leonardi, impulſu graviſſimæ tempeſtatis in tale periculum inciderunt, quòd navis ipſa ſuper quamdam rupem ſic fixa reſedit, quòd nullo humano ingenio potuit amoveri. Quod videntes viri prædicti, navem ipſam Dei Famulo menſurârunt: & ecce, ſtatim hoc facto, affuit illis miſeratio ſummi Dei; nam rupes illa miraculosè ſciſſa per medium viam navi & nautis ſecuram præbuit recedendi, & omne damnum & periculum evadendi per auxilium Viri Dei.

C

Juvenis è patibulo ter ſuſpenſus, &

92 Item IV Nonas Decembris nobilis vir dominus Willelmus de Breuſe *u* & uxor ejus cum ſua familia, multis præſentibus, venerunt ad tumulum Viri Dei, probantes per plurimos fide dignos, quòd juvenis quidam Willelmus, dictus Crawe, de Guer in terra & dominio domini memorati, VI Kalendas Decembris fuerat ſuſpendio finaliter condemnatus: quod audiens juvenis memoratus ad Servi Dei auxilium devotè confugit, orans, ut ſibi ab Altiſſimo impetraret longius ſpatium pœnitendi, & mores ſuos in melius commutandi, & unum denarium Servo Dei fecit plicari; & ecce, cùm miniſtri, ad ejus ſuſpendium deputati, ipſum nihilominus ſuſpendiſſent, ſtatim rupto vinculo, quo pendebat, ad terram decidit ſemivivus: & cùm iterum ipſum ſuſpendiſſent, in brevi tempore lignum tranſverſale patibuli in ſui medio eſt confractum, & ſic ad terram cecidit tunc mortuus, ut dicebant.

D

& jamjam ſepeliendus, ſervatus in vivis.

93 Miniſtri tamen funus levantes, ad ſummitatem unius poſtis patibuli horribiliter tertiò ſuſpenderunt, & circa ipſum cum magna multitudine hominum expectabant, donec de morte ipſius eſſent certiſſimi, & tunc ipſum pendentem in patibulo dimittentes, omnes ad propria redierunt. Poſt hoc autem acceſſerunt amici illius ſuſpenſi ad dominum memoratum, & petierunt licentiam deponendi & ſepeliendi corpus ipſius; quâ obtentâ, & ipſo depoſito, & ad ſepulturæ foveam deportato, cùm illum ſepelire cœpiſſent, ſubitò cum multorum admiratione revixit, & manus ac pedes ad ſe retrahens cœpit loqui; & cùm interrogaretur à multis, qualiter revixiſſet, aperta voce reſpondit, dicens: Meritis beati præſulis Thomæ de Cantilupo confiteor vitam meam mihi eſſe ab Altiſſimo reſtitutam. Quibus verbis auditis, omnes, qui ad hoc ſpectaculum aderant, Deo & Servo ejus prædicto devotiſſimas gratias perſolverunt *x*.

E

ANNOTATA.

a *Rectè; nam dicto anno Chriſti* 1290 *Paſcha incidit in diem* 2 *Aprilis, ac proinde ſecundo Kalendas, ſive pridie ejuſdem menſis, ſeu die* 31 *Martii, erat Paraſceve.*

b *Id eſt, ſpatium itineris unius diei.*

c *Moneta Angliæ eſt, vulgo* ſterling *dicta.*

d Ceſtria, *incolis* Cheſter, *civitas Angliæ eſt in cognomini comitatu, cujus eſt caput, condita ad æſtuarium fluminis Deæ, ex quo frequens trajectus in Hyberniam eſt.*

e Suffolcia, *vulgò* South-Folke *ſeu* Suffolke, *comitatus Angliæ eſt.*

f Norwicum *vel* Nordovicum, *indigenis* Norwich, *civitas Angliæ eſt in comitatu Norfolciæ, habetque epiſcopatum ſub metropoli Cantuarienſi.*

g Penbrock *comitatus Angliæ eſt in Wallia Meridionali, cujus caput eſt urbs* Penbrochium, Penbrock *ſimiliter vocitata.*

h *Hæc vox vitioſa eſt, pro qua videtur ſubſtituendum nomen proprium viri.*

i *Inepta eſt hæc phraſis ac fortè luxata.*

k *Lege* Irchenfeld, *de quo infrà redibit mentio.*

F

l Somerſet-Shire *ſeu* comitatus Somerſettenſis, *unus è comitatibus Angliæ Meridionalis eſt.*

m Monumethia, *vernaculè* Monmouth, *urbs Angliæ eſt, caputque comitatûs ab illa* Monumethenſis, *vulgò* Monmouth-Shire *appellati.*

n Nottinghamia, *incolis* Nottingham-Shire, *comitatus Angliæ eſt, cujus primaria civitas pariter* Nottinghamia *appellatur.*

o Oxonium *vel* Oxonia, *Anglicè* Oxford, *civitas Angliæ eſt in ſui nominis comitatu, eſtque epiſcopalis ſub metropoli Cantuarienſi.*

p Narrator *eſt cauſarum patronus, quem* advocatum *ſolemus appellare*; bancus *verò* regius, *ſupremum in Anglia poſt Parlamentum tribunal. Vide, ſi lubet, Cangium & Spelmannum in Gloſſariis ſuis.*

q *Lege* Liron, *aliàs* Loir, rat Liron, & Lerot, *Latinè* Glis Alpinus.

r Galeæ *velocis curſus naves ſunt.*

ſ *Deſignatur* Salopia, *Anglicè* Shropp-Shire.

t *Fortè Legendum* de Gaunt, *de qua illuſtri familia*

familia vide, si lubet, Camdenum in descriptione comitatûs Lincolnienſis pag. 402.

u *Alibi vocatur* de Brewes.

x *Hæc ipſa ſuſpenſi reſuſcitatio vel conſervatio in vita pluribus, ſed cum aliqua adjunctorum varietate expoſita ſuprà eſt in Parte* I *Miraculorum à num.* 77.

CAPUT VI.

Miracula continuata annis MCCXCI & MCCXCII.

Moribundus, & alter graviter è latere laborans

a

ITem xix die menſis Januarii *a* venit ad tumulum Viri Dei vir quidam, nomine Walterus, filius Henrici Philippi, ſerviens Reginaldi de Ledelawe, per ſacramentum ſuum affirmans, quòd filius domini ſui prædicti, nomine Robertus, in tantum acuta ægritudine gravabatur, quòd ab omnibus credebatur protinus moriturus. Páter verò ipſius plurimùm de hoc dolens, ſervo Dei Thomæ pontifici menſuravit eundem mira devotione, promittens niſum unum ſe omnibus annis vitæ illius Servo Dei fideliter oblaturum, ſi Deus vitam ſui filii cuſtodiret per merita Viri Dei prædicti. Et ecce ſanitati reſtitutus eſt quaſi ſubitò æger ille per miſericordiam Salvatoris. Item iv Kalendas Februarii venit ad tumulum Viri Dei vir quidam, nomine Menric de Arwiſtly in Wallia, ſerviens domini Oweni, domini de la Pole, jurans, quòd tam gravi infirmitate lateris laboraverat, quòd multo magis mori, quàm vivere affectaverat; in tanta tamen anguſtia conſtitutus bovem unum pro obtinenda ſui lateris ſanitate ſe oblaturum Servo Dei, promiſerat; & ecce, hoc facto, ſubitò fuit homo ab omni anguſtia liberatus per merita, ut aſſeruit, Viri Dei.

tertiaſque è renibus ſubitò curati, jumento viſus, ſurdæ auditus,

C

95 Item iii Idus Martii vir quidam, nomine Paganus, aurifaber de Glovernia Wigornenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd tantum habuerat dolorem in renibus, quòd mori credebat abſque mora; ſed, cùm menſuratus fuiſſet Servo Dei prædicto, reſtitutus eſt illico ſanitati. Item vi Idus Aprilis vir quidam, nomine Robertus Rolws, de Staveley Herefordenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, ſe habuiſſe quoddam jumentum, quod viſum omnino amiſerat per hebdomadam unam & ampliùs; ſed cùm ipſum Dei Famulo menſurâſſet, viſum recepit. Item xvi Kalendas Maii mulier quædam, nomine Roſa, uxor Walteri Boter, de Dunshulle Herefordenſis diœceſis, quæ fuerat quaſi ſurda per annum, & ſurda totaliter antea per tres dies, pro recuperanda ſanitate venit ad tumulum Viri Dei, & cùm caput ſuum lacrymando & orando ſuper tumulum Viri Dei paululùm reclinâſſet, ſubitò recepit auditum.

contractæ membrorum uſus, reddiii: exſtinctum incendium:

96 Item xvi Kalendas Maii vir quidam, nomine Joannes, de civitate Winton, cum filia ſua, nomine Cecilia, venit ad tumulum Viri Dei, probans ibidem, quòd filia ſua prædicta, quæ habuerat manus contractas & pedes per duos menſes & ampliùs, & totum corpus tempore longo morboſum, reſtituta fuerat, quaſi ſubitò, integræ ſanitati, invocato auxilio Viri Dei. Item iii Nonas Maii vir quidam, nomine Lucas de Snitton, in comitatu Salopſir, Herefordenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm domus ſua flamma horribili novies incepiſſet comburi ex incendio cujuſdam domus vicinæ, ac idem Viri Dei auxilium invocando denarium unum plicâſſet, flexis genibus contra ignem, mirâ Dei potentiâ totus ignis ſubitò eſt extinctus.

Ex Proces. can.

mortua revocata ad vitam,

97 Item ii Nonas Maii quidam vir, nomine Laurentius, dictus Harant, de Gipwys, Norwicenſis diœceſis, & uxòr ejus, nomine Mabilia, cum ſua familia & aliis pluribus fide dignis probaverunt ad tumulum Viri Dei, quòd dicta Mabilia gravi infirmitate conſumpta ſpiritum exhalaverat, & mortua fuerat duobus diebus, completis etiam omnibus pertinentibus ad officium mortuorum in domo ipſius, ſupervenit vir quidam extraneus de partibus Herefordiæ, videnſque dominum domûs & ipſius familiam magno dolore gravari, ipſis conſuluit, ut modicum aquæ in quodam cipho * argenteo, quem tunc vidit à latere poſitum ſuper ſcamnum ibidem, in nomine Salvatoris & ſervi ejus Thomæ pontificis, ipſorum auxilium invocando, pro reſuſcitatione ipſius funderent in os ejus: quo facto, ipſa defuncta ſtatim revixit per infinitam potentiam ſummi Dei, & die prædicta ipſum ciphum argenteum cum aliis oblationibus devotiſſimè obtulerunt ad tumulum Viri Dei prædicti *b*.

* *i. e.* ſcypho

E

b

ſanatus paralyticus, mens phreneticò reſtituta.

c

98 Item prima die Junii venerunt ad tumulum Viri Dei frater Walterus de Neuvent & ſocius ejus quidam confrater Ordinis S. Mariæ de Monte Carmeli de conventu Ceſtriæ *c*, aſſerentes, quòd prædictus frater Walterus omnem vigorem ſiniſtri brachii ferè per dimidium annum amiſerat, & cùm unum denarium Servo Dei pro recuperanda ſanitate afferendo plicâſſet, brachium ejus ſtatim reſtitutum eſt integræ ſanitati per auxilium Viri Dei. Item ix Kalendas Julii Gilbertus, dictus Croppe de Acle Picardi Herefordenſis diœceſis, adeò febri acuta fuerat fatigatus, quòd freneticus effectus ſenſum amiſerat naturalem; qui, dum oblationem, quam Thomæ pontifici voverat, ad ejus tumulum obtuliſſet, ſtatim divinâ potentiâ ſanitatem priſtinam eſt adeptus.

F

Puella à dæmone, ut creditum eſt, diu ſollicitata, vexataque,

d

99 Item quædam puella, nomine Chriſtiana, filia Nicolai, dicti Nevenon, de Ingelthorp in Norfolchia *d*, Norvicenſis diœceſis, à dæmone quodam, ut creditur, incubo, per quinquennium fuerat ſollicitata, & multipliciter fatigata, qui eidem multoties donativa diverſa promiſit, ut ipſum ſecum concumbere pateretur; ſed ipſa hoc penitus renuens & abhorrens, ac Crucis ſignaculo muniens corpus ſuum, non obſtantibus multis moleſtiis, tandem illæſa permanſit. Quodam etiam tempore idem malignus ſpiritus duxit eam in quemdam locum amœnum, ubi plures mirabiles res conſpexit, inter quas etiam unam menſam ornatam & multis generibus delectabilium ciborum refertam, qui ipſam, ut ex illis comederet, invitavit; ſed ipſa perterrita & ſe more ſolito muniens ſigno Crucis, Dei adjutorium invocavit, per quod ab his illuſionibus extitit liberata.

tandem ad Sancti tumulum planè incolumis evaſit.

100 Sed ab eadem hora uſque in quartum diem ſequentem jacuit, quaſi mortua ſine motu: quo die, quaſi à gravi ſomno evigilans, quæ ſibi acciderant, enarravit, & tunc inventi ſunt digiti manûs ejus ita contracti, quòd ipſa manus nullatenus potuit aperiri, & ipſa puella

Ex Proces. can.

quasi in amentiam est conversa; quam tunc amici ipsius Thomæ, quondam Herefordensi episcopo, more solito mensurârunt, per cujus auxilium statim tam sensus, quàm digitorum suorum rectitudinem cælitus est adepta. Sed cùm tempore procedente dignas forsitan laudes suo non redderet Salvatori, digiti ejus iterum cœperunt contrahi. Quod quidam puer, frater illius puellæ, advertens, & de ejus angustia multùm dolens, quemdam libellum, in quo matutinæ & cæteræ Horæ, quæ de B. Maria dicuntur communiter, erant scriptæ, quem tunc fortè in manu gestabat, inter palmam manûs sororis suæ & digitos jam in parte contractos intrusit, quem ita fortiter tenuit sic inclusum, quòd de manu ipsius nullo humano ingenio potuit amoveri. Quæ tandem lacrymans & contrita IV Nonas Julii venit ad tumulum Viri Dei, & ibidem orationi parumper insistens, digitorum suorum ibidem rectitudinem est adepta divinitus per auxilium Viri Dei, libello ibidem dimisso.

Puero sanus sensus, alteri insuper loquela reddita: clericus moribundus

101 Item Nonis Julii quidam puer, Joannes nomine, filius Ricardi, dicti de Weh de Wolfres Lowe Herefordensis diœcesis, qui per quinque hebdomadas sensu carens, sensum adeptus est naturalem ad tumulum Viri Dei, ipsius suffragio invocato. Item Kalendis Augusti Adam, dictus Barre, de Cans in comitatu Saloplir * Herefordensis diœcesis, qui per quatuor hebdomadas intellectu caruerat & loquelâ, intelligendi scientiam & loquendi potentiam divinitus est adeptus ad tumulum Viri Dei. Item XV Kalendas Septembris aderant ad Viri Dei tumulum, referentes, quòd quidam clericus, nomine Walterus, dictus Boton, de Cork Castell in comitatu de Dorlete *e* Sarr. *f* diœcesis, tam graviter fuerat infirmatus, quòd ab omnibus amicis & medicis credebatur protinus morituros; cùm igitur nullo posset juvari auxilio medicorum, sed quasi mortuus crederetur, amici ejus præsentes ipsum Viro Dei cum devotione magna voverunt.

B
* Salopiæ

e *f*

per mirabilem visionem subitò sanatus.

102 Et ecce statim ipsis cernentibus apparebat more viventium se movere & ipsi infirmo, ut postmodùm retulit, videbatur, quòd quidam puer elegantis formæ ad se attulit quamdam cortinam, quam * lecti sui circuitum decenter composuit & suspendit; quem puerum sequebatur quædam fæmina splendidissimæ venustatis, caput cujusdam Episcopi portans in manibus reverenter, hæc dicens infirmo: Ecce caput B. Thomæ de Cantilupo, per quod recipies sanitatem, & his dictis, confestim evanuit; & ecce protinus supervenit quidam juvenis aspectu pulcherrimus, ducens Episcopum unum secum, sacerdotalibus vestimentis indutum, dicens infirmo: Huic Episcopo gratias age, cujus auxilio recipies sanitatem; & cùm hoc dixisset, statim disparuit, & ipse infirmus protinus se invenit ab omnibus angustiis liberatum & sanum per merita Servi Dei.

* *adde* per
C

Luscæ lumen oculi, falconi vita, puero gradiendi facultas data.

103 Item IV Nonas Septembris venit ad tumulum Viri Dei Joannes Capellanus dictus, de S. Thoma de Bristoll, asserens, quòd mulier quædam, Lucia nomine, de Bristoll, visum dextri oculi amiserat per sex menses, & votum faciens Viro Dei visum recuperaverat subitò oculi memorati; & ideò per eundem præsbyterum tunc misit unum oculum argenteum Servo Dei prædicto. Item VI Idus Septembris venit ad tumulum viri Dei Thomas de Ktobarewe, commorans cum domino Roberto, filio Paen, in comitatu Dorlet. Sarr. *g* diœcesis, asserens, quòd dominus memoratus habuerat quemdam falconem, qui mortuus fuerat ab hora prima diei usque ad horam vespertinam; & cùm pro ipsius suscitatione oblationem Servo Dei vovissent, statim revixit. Item XIII Kalendas Octobris venit ad tumulum Viri Dei Robertus de Plomtone de comitatu Nevon. *h*, Exomensis diœcesis, probans per testes, quòd quidam puer filius ejus, nomine Joannes, ætatis quinque annorum, ita habuerat deformiter articulos pedum suorum ad talos à nativitate contractos, quòd claudus ab utero matris suæ gressu caruit, quasi contractus; sed cùm denarius unus fuisset super pedes ejus devotè plicatus, Viro Dei postmodùm offerendus, statim cum multorum admiratione pedum & articulorum rectitudine convenienti recepta, gradiendi potentiam est adeptus per auxilium Viri Dei.

D

g

h

Puella sub aquis mortua resuscitata.

104 Item IX Kalendas Octobris vir quidam, Joannes nomine, dictus Campeneis, & uxor ejus, nomine Agnes, & plures de familia eorumdem, Wigornensis diœcesis, probaverunt ad tumulum Viri Dei, quòd puella quædam, nomine Alicia, filia eorumdem, ætatis duorum annorum, cadens in profundum puteum fuit submersa, & mortua jacuit sic sub aquis tanto tempore, quanto posset miliare unum communi passu ab homine peragrari. Et ecce quidam presbyter, nomine Ricardus de la Hulle, capellanus videlicet domini Hugonis de Pleyci militis, casu vel Dei dispositione, ut verius creditur, supervenit, & puellam mortuam extraxit à puteo; quæ extracta jacebat mortua super terram per spatium temporis, quo duo milliaria possent ab homine, ut præmittitur, peragrari, & tum dictus capellanus corpus puellæ mensurando oblationem vovit Servo Dei pro resuscitatione ipsius in multorum præsentia, qui tunc concurrerant ad illud horrendum spectaculum. Quo facto, statim puella oculos aperuit & revixit per adjutorium Viri Dei *i*.

E

i

Clericus gravi brachiorum malo, navigantes periculo naufragii liberati.

105 Item III Kalendas Novembris Robertus de Wicumbe, clericus domini episcopi Dunelin *k*, quem vulgò crociarium *l* ejus vocant, asseruit ad tumulum Viri Dei, se talem & tantam inflationem per quinque hebdomadas in brachiis habuisse, quòd se moriturum in brevi tempore credidit, eo quòd sibi subveniri non posset per auxilium medicorum; sed quadam nocte, cùm se Servo Dei vovisset; & post votum paululùm obdormîsset, evigilans postmodùm se reperit totum sanum, nullo infirmitatis vestigio in suo corpore vel brachiis remanente, per auxilium Viri Dei. Item XIII Kalendas Januarii anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo venit ad tumulum Viri Dei Matthæus, dictus Cheven, de Barstaplo *m* in comitatu Devonienſi, Exonienſis diœcesis, & cum illo quàm plures alii jurantes, quòd fuerunt in quadam navi diversis onusta mercimoniis, quæ nomine Semte-maritok dicebatur, &, dum à partibus Vasconiæ venientes cum aliis navigarent, ecce suborta sævissima tempestate, periclitari cœperunt in tantum, quòd decem naves, quæ cum illis portum exierant, juxta se viderunt submergi. Quod cùm vidissent, Dei & servi ejus Thomæ pontificis auxilium cum clamore valido invocabant, voventes ei navem argenteam. Quo facto, sedata quasi subitò tempestate,

F

k *l*

m

A pestate, deducti sunt ad portum voluntatis eorum per auxilium Viri Dei *n*.

n

106 Item VI Idus Februarii vir quidam, nomine Robertus le Outiller, de Catculne in comitatu Staffordiæ, Conventrensis & Lichefeldensis diœcesis, asseruit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm se, sicut mos est mercatoribus, causâ lucri ad loca diversa transferret, incidit in latrones, qui spoliaverunt eum, & multis plagis mortiferis impositis, abierunt, ipso non solùm semivivo, sed quasi mortuo derelicto, & sic jacuit quasi mortuus & à cirugicis * & medicis desperatus per diem integrum naturalem. Et tunc quidam amicorum ipsius ipsum Viro Dei voverunt, & mox sibi apparuerunt, ut postmodùm retulit, dum sic jacêret quasi in extasi, rex unus & unus Pontifex, stantes juxta eum: & ipse Episcopus sic ei apertissimè loquebatur: Ecce recuperabis protinus sanitatem, & postea ecclesiam istius regis Ethelberti *o* pedester visitabis; & his dictis, ambo disparuerunt, rex videlicet & Pontifex memoratus, & ipse recepit integram sanitatem per merita Viri Dei.

A latronibus graviter vulneratus, à Sancto apparente sanatur.

* *i. e.* chirurgis

o

B 107 Item IV Idus Aprilis affuit ad tumulum Viri Dei Agnes, uxor simonis Alrich, de Borefort in comitatu Oxoniæ, Lincolnensis diœcesis, jurans, quòd vir ejus Simon prædictus visum amiserat viginti diebus & ampliùs; & cùm eundem voviſſent Deo & Servo Dei, ipsa die visum recepit. Item II Idus Aprilis mulier quædam, Cristiana Traynel de Wellescy in comitatu & diœcesi Herefordensi, quæ ita contracta fuerat antea per duos annos, quòd gradi non potuit, nisi cùm, duobus podiis ascellis suppositis, cùm urgeret magna necessitas, se moveret. Sic gradiens & contracta venit ad tumulum Viri Dei, ubi videlicet fuerat primò sepultus, & cùm ibidem aliquandiu devotioni vacâsset, subitò recipere meruit integram sanitatem per auxilium Viri Dei, podiis derelictis ibidem.

cæco visus, contractæ membrorum usus concessus:

Surdus auditum, mortua vitam, cæcus visum recipiunt:

108 Item V Idus Maii Joannes, dominus de Bokelinton in comitatu Wigornensi Herefordensis diœcesis, venit ad tumulum Viri Dei, probans, quòd ipsemet auditum amiserat per quadraginta & duos dies, & veniens ad tumulum Viri Dei subitò recepit auditum per auxilium Viri Dei prædicti. Item eodem die, scilicet V Idus Maii, Philippus & Alicia, dicta Hangharath, de comitatu de Gardif *p* Landavensis diœcesis, probaverunt, ad tumulum Viri Dei, quòd Alicia, filia Willelmi de Berkeley, fuerat mortua quasi per spatium horæ unius; & cùm pro suscitatione ipsius amici ejus Servo Dei oblationem voviſſent, vitam & sanitatem divinitus est adepta. Item Idibus Maii vir quidam Walterus, nomine Bernard de Lorteporte, in comitatu & diœcesi Herefordensi, & uxor ejus, nomine Margarita, adduxerunt filium suum, nomine Walterum, infantem quasi anni unius cæcum, pro quo ad Viri Dei tumulum unum vitulum obtulerunt, ut visum recipere mereretur, qui cæcus antea fuerat septem diebus; cujus meritis statim visum recepit.

C

p

duo paralytici, & alter phreneticus sanati.

109 Item VII Idus Junii Joannes, filius Soreward, de Walnington in comitatu & diœcesi Herefordensi, in dextra parte sui corporis paralytico morbo percussus, votum faciens Servo Dei, restitutus est integræ sanitati. Item II Idus Junii venit ad tumulum Viri Dei Galfridus, dictus Nehelon, de Lesne in comitatu Cancie *q* Cantuariensis diœcesis, jurans, quòd tam graviter fuerat paralytico morbo ferè antea per duos annos in corpore toto percussus, quòd nec se juvare potuit, nec assumpta cibaria in stomacho retinere. Sed cùm fuisset Dei Famulo mensuratus, restitutus est cælitus sanitati per merita Servi Dei. Item VIII Idus Julii aderant ad tumulum Viri Dei probantes, quòd juvenis quidam, nomine Joannes Hok de Habenhale, in fforesta de Dene *r* Herefordensis diœcesis, quasi arreptus à dæmonio in tantam insaniam vertebatur, quòd circumstantes totis viribus nitebatur occidere. Sed cùm parentes ejus & alii ipsum fortiter invitum tenerent, ac denarium super caput ejus Servo Dei voventes plicarent, protinus rectum sensum & intellectum, ipso auxiliante, recepit.

q

r

Ex Proces. can.

110 Item sub anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo VIII Idus Septembris ad tumulum Viri Dei fuit probatum, quòd puer quidam, nomine Thomas, filius Thomæ Aubrey, de Bretonia Menevensis diœcesis, tam gravi incommodo ægritudinis tenebatur, ut mori subitò timeretur; qui, invocato auxilio Viri Dei, restitutus est pristinæ sanitati. Item VI Idus Septembris anno prædicto venit ad tumulum Viri Dei nobilis vir dominus Petrus Malorre miles, tunc justiciarius domini regis Angliæ, cum pluribus de sua familia, affirmans proprio sacramento & juramento suorum, quòd ipse habuerat unum falconem, per grave infortunium violentiæ & læsionis occisum, qui mortuus jacuerat spatio duorum dierum & noctium, pro quo cùm oblationem Viro Dei devotiùs promisisset, ipsum resuscitatum & sanum recepit ac solito meliorem per merita Viri Dei.

Puer à gravi morbo convalescit, resuscitatur falco,

E

111 Item V Idus Septembris anno eodem venit ad tumulum Viri Dei quædam mulier, nomine Juliana Walteri de Assethorne in comitatu Warewak * Wigornensis diœcesis, jurans, quòd per sex menses antea tam gravi cordis & corporis ægritudine fuerat continuè cruciata, quòd vix sex vel septem passus potuit ambulare, nisi per tempus quiescret, & sic vires & anhelitum, labore modico quasi perditos, restauraret; sed cùm, invocato auxilio Viri Dei, & emisso voto ipsum tumulum visitandi, iter cum peregrinis aliis incepisset, tam sana protinus est effecta, ut cum sanis dietas *s* integras faceret & compleret. Item eodem anno VIII Kalendas Octobris mulier quædam, Eva nomine, dicta Knache de Ptreltowe in Irchenfeld *t* Herefordensis diœcesis, juravit ante tumulum Viri Dei, quòd filius, Gregorius nomine, in puteum quemdam ceciderat, in quo submersus & mortuus per spatium dimidii diei jacuerat; quem extractum de puteo Servo Dei secundùm patriæ consuetudinem mensurârunt. Quo facto, mox puer ille revixit & sanus effectus est per merita Viri Dei.

mulier à gravi ægritudine curata, puer submersus vitæ redditus.

* Warwick

s

F

t

112 Item anno eodem VII Kalendas Octobris Joannes, dictus Gunselin de Stanes Londonensis diœcesis, & alii plures cum illo venerunt ad tumulum Viri Dei, & juraverunt ibidem, quòd ipse Joannes tanta fuerat infirmitate gravatus, ut vicinus morti vel protinus moriturus ab astantibus crederetur; & dum sic quasi in extasi positus aliquandiu jacuisset, vidit dæmones horribiles & quàm plures ad se accedere; & eundem laniando & trahendo per manus & pedes de loco ad locum, graviter conculcare *u*. Unde nimio, nec mirum, timore percitus Deum, ut potuit,

Moribundus post miram visionem subitò sanatus:

u

Ex Proces. can.

potuit, instanter oravit, ut per merita servi sui Thomæ pontificis sibi in illo necessitatis articulo subveniret; & ecce, dum intra se devotiùs sic oraret, vidit Virum Dei ad se protinus venientem, qui caput ipsius infirmi suscepit in manibus, & cùm diutiùs dicti dæmones decertâssent cum ipso, quis magis dominaretur ægroto, tandem quasi circa auroram per auxilium Viri Dei omnes dæmones sunt fugati, infirmi capite in ipsius Servi Dei manibus remanente. Ipse autem æger, quasi de gravi somno evigilans, mox reperit se curatum & sanitati divinitus restitutum per merita Servi Dei; & ideo die prædicta venit ipse de villa prædicta de Stanes nudis pedibus cum magna devotione & oblationibus ad tumulum Viri Dei cum aliis, prout superiùs continetur.

mulieri taber ablatum, paralytico manuum pedumque usus restitutus, x y

113 Item ipso anno II Idus Octobris quædam mulier, nomine Margarita, de Limerich *x* in Hybernia Cassselensis *y* diœcesis, quæ per modicum tempus antè venit de Hybernia ad tumulum Viri Dei, ibidem die prædicta curata est per merita Viri Dei de quodam veteri bocio sive gibbo, quo per septem annos in latere periculosè fuerat molestata; nam cùm orâsset ipsa die ad tumulum Viri Dei, ipsum bocium deinceps in suo corpore non invenit. Item circa idem tempus puella quædam de Occle Picard juxta Herefordiam, quæ manum dextram contractam habuerat antea per tres dies, venit ad tumulum Viri Dei, & cùm manum ipsam orando super Viri Dei tumulum collocâsset, manus ipsa restituta est pristinæ sanitati, multis astantibus & videntibus unà cum custodibus tumuli memorati. Item ipso anno x Kalendas Novembris Rogerus, dictus Bernard, de Henton in Wilteliria *z* Sarisburiensis diœcesis, venit ad tumulum Viri Dei, offerens vaccam unam, & jurans, quòd tam gravi morbo paralytico fuerat dissolutus, ut manus ejus & pedes officio debito privarentur, & quasi immobiles redderentur; & ipse quasi toto corpore tabefactus sic languerat multis annis. Tandem cùm Dei auxilium & Servi ejus prædicti devotiùs invocâsset, & vaccam se oblaturum ad Servi Dei tumulum promisisset, restitutus est protinus integræ sanitati per auxilium Viri Dei.

navigantes periculo erepti, furiosus ad sanam mentem reductus.

114 Item ipso anno XVIII Kalendas Januarii venerunt ad tumulum Viri Dei plures homines asserentes, quòd, cùm essent in quadam navi, quæ fuit Willelmi, dicti Fisser, de Weymod in comitatu de Dorsete Sarisburiensis diœcesis, per mare, ut mos est mercatoribus, navigantes, orta tempestate sævissima, intumescentibus undis maris, ipsam navem procul in terram procella tempestuosa projecit, & in tantum se mare retraxit, ut sine omni spe salvationis navis in arido remaneret onusta: quod cùm vidissent homines, qui erant in navi, ad Dei & servi sui Thomæ pontificis auxilium confugerunt, ipsorum auxilium lacrymosis precibus exorando, & navem argenteam Dei Famulo promittendo, si per ipsius merita ipsos divina clementia dignaretur ab hujusmodi mirabili periculo liberare: & ecce contra spem & solitum modum maris ipsum mare subitò & plùs solito intumescens & ascendens, navem arripuit & extulit in sublime à terra; & tunc ipsi, omni tempestate sedata, sine periculo ad portum optatum deinceps prospere navigârunt per merita Viri Dei. Item anno prædicto XII Kalendas Januarii vir quidam, nomine Joannes de Chilton in comitatu de Hant-Shire, Wintonien sis diœcesis, qui fuerat viginti & uno diebus antea furiosus, vel dæmoniacus, ut veriùs putabatur, ab hac furia vel dæmonio fuit totaliter liberatus ad tumulum Viri Dei.

ANNOTATA.

a *Pervenimus ergò ad annum Christi* 1291, *cujus die* 19 *Januarii currebat adhuc annus translationis corporis* S. Thomæ *quartus, complendus die* 2 *Aprilis.*

b *Hoc miraculum jam relatum est suprà.*

c Cestria, *vulgò* Chester, *Angliæ civitas episcopalis est sub archiepiscopo Eboracensi, in comitatu Cestriensi, cujus caput est.*

d Norfolcia, *incolis* Norfolke-Shire, *comitatus Angliæ est.*

e *Lege* Dorsete, *id est*, Dorset-Shire, *seu* Dorcestria *comitatus Angliæ.*

f *Hoc est* Sarisburiensis *diœcesis, cujus episcopi sedes est* Sarum, *aliàs* Sarisburia, *incolis* Salesbury, *civitas Angliæ in comitatu Wiltoniæ.*

g *Adi Annotata hîc ad lit.* e.

h *Credo legendum esse* Plimton *vel* Plymton, *vicum* in comitatu Devonien si, *vulgò* Den-Shire, *in quo sita Exonia est, indigenis* Excester *dicta, episcopalis civitas Angliæ sub metropoli Cantuarien si.*

i *Hoc quoque miraculum unum est ex datis superiùs.*

k *Lege* Dunelmensis, *cujus sedes, archiepiscopo Eboracensi suffraganea, est* Dunelmum, *vulgò* Durham, *civitas Angliæ in comitatu seu episcopatu cognomini, Anglis* The Bishopricke of Durham *appellato.*

l Crocia, *Gallis* crosse, *pedum episcopale est:* crociarius *ergo clericus est, qui illud solet episcopo suo præferre, cum eoque eidem sacris operanti assistere.*

m Berstaple *vel* Barnstable *oppidum Angliæ est in comitatu Devonien si, ut sequitur.*

n *Hoc quoque miraculum unum est ex relatis suprà.*

o *Duos hujus nominis sanctos reges habuit Britannia Magna, quorum unus fuit rex Cantiorum & Anglo-Saxonum, coliturque ut confessor die* 24 *Februarii. Alter Orientalium Anglorum rex Officio martyris colitur* 20 *Maii. De hoc sermo hîc est: ei enim dicata est ecclesia Herefordien sis. De utroque consuli potest Opus nostrum ad præcitatos dies.*

p *Suspicor, hîc legendum esse de* Cardiff, *seu* Cardiffa, *quæ tamen non comitatus est, sed parvæ urbs Angliæ in principatu Walliæ, & in hujus comitatu Glamorganen si, in quo etiam sita est* Landava, *Anglis* Landaff, *parva civitas episcopalis, è cujus diœcesi isti conjuges fuisse dicuntur.*

q Cantia, *aliàs* Cantium, *Anglicè* Kent, *comitatus seu provincia Angliæ est vulgò nota, cujus præcipua civitas est* Cantuaria, *incolis* Canterbury, *archiepiscopali sede illustrata.*

r *De* Sylva Danica *consule Annotata superiùs.*

s *Id est, diurni itineris spatia.*

t Irchenfeld, *olim* Archenfeld, *pars est comitatûs Herefordien sis, quà hiç comitatui Monumeten si adjacet.*

u *Non est necesse dicere, ista à dæmonibus verè sic facta esse, cùm fortè non nisi somnium fuerit ad salutarem timorem dicto ægro incutiendum à Deo immissum.*

x Limericum *urbs Hyberniæ est in provincia Mo-*

A *Momonia, comitatûs Limericenſis caput, & antiquo epiſcopatu inſignita; quapropter dum mox ſubditur fuiſſe* Caſſelenſis diœceſis, *id intellige de ſede ejuſdem Caſſelenſi archiepiſcopo ſuffraganea; niſi fortè de altero loco etiam* Limerich *vocitato ibidem mentio fiat.*

y Caſſelia, *aliis* Caſſilia, *vulgò* Caſhel, *Hiberniæ civitas archiepiſcopalis eſt in Momonia ejuſque comitatu Tipperarienſi.*

z *An fortè legendum* Wiltonia, *in qua ſita eſt Sarisburia, de qua mox.*

CAPUT VII.

Alia miracula vel beneficia impetrata annis MCCXCII, MCCXCIII & MCCXCIV.

Sanatus equus, arthritis viro nobili exempta: a b

B ITem anno prædicto, IX Kalendas Februarii *a* vir quidam, nomine Willelmus Heyvard, ſerviens nobilis viri domini Roberti de Ros *b*, domini caſtri de Beauver, Lincolnenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ſuus dominus antedictus unum habuerat palefridum, qui jacuerat quaſi moriens ſeptem diebus; & cùm tandem fuiſſet Servo Dei more ſolito menſuratus, mox recepit integram ſanitatem. Item anno prædicto ſecundo Nonas Martii nobilis vir, dominus Humfridus, comes Hereford., per ſe & ſuos evidenter probavit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſe parùm antea in ſiniſtra tibia & in pede ita guttâ acerbiſſimâ gravaretur, quòd nec pedem nec tibiam poſſet ſine maximo dolore movere, ſtatim, invocato auxilio Viri Dei, & voto facto eidem de pede & tibia de argento, quos poſtmodùm obtulit, protinus in utriſque optatam receperat ſanitatem.

A nativitate elingui lingua & loquela, ſubmerſæ vita data:

116 Item anno prædicto, VIII Idus Martii C juvenis quidam, ætatis quaſi viginti ſex annorum, à nativitate mutus, eo quòd linguam etiam non haberet, linguam novam & loquelam ac loquendi peritiam Anglicè & Wallicè ad tumulum Viri Dei miraculosè recepit, & hoc miraculum probaverunt ibidem multi de civitate Herefordienſi, in qua antea manſerat tribus annis & ampliùs, ac plures alii de partibus adjacentibus civitati, qui ipſum noverant & viderant à ſua nativitate mutum, ut præmittitur extitiſſe *c*. Item anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, XIV Kalendas Junii venerunt ad tumulum Viri Dei Joannes de la More & Walterus de Hinedon & Elionora, filia Roberti Acte Wiſwere, de Weremeſtr, Sarisburienſis diœceſis, & plures eorum vicini, probantes, quòd ipſa Elionora in quoddam ſtagnum ceciderat & ſub aquis ſubmerſa jacuerat tanto temporis ſpatio, quanto poſſent tria miliaria communi paſſu ab homine peragrari; & tunc à matre quæſita & mortua ſic inventa, cum de aquis fuiſſet extracta & per patrem ipſius defunctæ Dei Famulo menſurata, plicatoque uno denario ſuper funus, ſtatim miraculosè revixit in præſentia teſtium prædictorum, & aliorum multorum, qui ad miſerandum ſpectaculum convenerant memoratum.

c

117 Item anno prædicto, XIII Kalendas Junii venerunt ad tumulum Viri Dei Joannes, filius Philippi, dicti præpoſiti de Remeſye, in Hampteſir *, Wintonienſis diœceſis, & Agnes, uxor ejus, jurantes, quòd ipſe Joannes in ſiniſtro oculo ſuo per duos menſes & ampliùs incurrerat cæcitatem; & cùm fuiſſet Dei Famulo menſuratus, protinus viſum receperat in oculo antea excæcato per merita Viri Dei prædicti. Item anno prædicto x Kalendas Junii vir quidam, nomine Ricardus, filius Willelmi le Carter, de Chelton in comitatu Oxoniæ, Lincolnenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd mater ipſius, Agnes nomine, quæ fuerat quaſi dæmoniaca furioſa per quatuor menſes vel circà, invocato auxilio Servi Dei, ſubitò reſtituta eſt priſtinæ ſanitati. Item anno prædicto VI Kalendas Julii vir quidam, nomine Willelmus de Tynewelle, in Rotelandia *d* Lincolnenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm quodam tempore carnes bovinas comederet, caſu mirabili quoddam os ejus guttur ſic intrans adhæſit infixum, ut nulla vi vel arte inde extrahi potuiſſet; ſed ſic ipſum per dies continuos affligebat, ut omnes amici ejus de vita ipſius certiſſimè deſperarent. Sed, cùm pro ſua ſanitate oblationem Dei Famulo promiſiſſet, ſtatim fuit ab oſſe & à dicto periculo liberatus, & idcircò os ipſum unà cum oblatione promiſſa ad tumulum Viri Dei portavit die ſuperiùs memorato.

Ex PROCES. CAN. *cæcitas oculi ſublata: curata phrenetica: officulum gutturi exemptum:* * Hant-Shire

d

E

ſanatus grex ovium: maris tempeſtas ſedata:

118 Item anno prædicto, nono Kalendas Auguſti vir quidam, nomine Willelmus de Wychebant, in comitatu Wigornenſi & diœceſis *e*, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ipſe magnum gregem ovium habuerat tam magnis infirmitatibus & corruptionibus ſic infectum, ut grex totus in brevi tempore moriturus veriſimiliter putaretur. Sed cùm ipſe Dei & Servi ejus auxilium invocâſſet, & meliorem ovem de toto grege prædicto ſe oblaturum Dei Famulo promiſiſſet, ſtatim totus grex ille ab omnis infirmitatis & corruptionis ſuit ſqualoribus divinitus liberatus per ſuffragia Viri Dei, cui antea non poterat aliquo humano medicamine ſubveniri. Item anno prædicto, VI Nonas Septembris Jordanus Andreu, Robertus Andreu, Robertus Ravemoc, & Philippus dictus de Winton, offerentes navem argenteam, juraverunt ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſi & alii quàm plures in quadam navi, vina portante, de partibus Minoris Britanniæ versùs Angliam navigarent, & orta ſæviſſima tempeſtate, uſque ad mortis confinium periclitari cœpiſſent, procellis undarum quaſſati; cùm Dei Famuli auxilium invocâſſent, & pro ſua liberatione ſibi * navem argenteam promiſiſſent, ſubitò & quaſi in momento omni fragore ceſſante pelagi ſævientis, ad portum voluntatis eorum proſperè pervenerunt.

e

F

* *i. e.* illi

juvenis è gravi morbo repentè convaluit.

119 Item anno prædicto, V Idus Septembris mulier quædam, Avicia nomine, uxor Willelmi dicti Oliver, de Croydon in comitatu de Suthreye *f* Cantuarienſis diœceſis, in cujus hoſpitio Vir Dei conſueverat aliquoties hoſpitari, & alii plures cum illa juraverunt ad tumulum Viri Dei, quòd Walterus ſcolaris quidam filius mulieris prædictæ, ita fuerat in toto corpore graviſſima infirmitate contractus, ut jacêret quaſi omnibus viribus ſui corporis deſtitutus, circitèr per ſex menſes; cui mater valdè compatiens quadam die voce flebili in hæc verba prorupit, ſermonem dirigens ad aſtantes. O quoties S. Thomas de Cantilupo in iſto hoſpitio, prout ſuæ placuit voluntati, cum ſua familia requie-

f

Ex Proces. can. vit; utinam nunc sibi placeret nobis in hoc habitaculo in tam miserabili necessitatis articulo subvenire! Et his dictis, ad Deum & Servum ejus prædictum sermonem convertit, ipsis humiliter supplicando pro sui filii sanitate. Et oratione facta, cùm filius ejus prædictus postea citò dormiret, vidit in somnis Virum quemdam venerabilem albis indutum, se tangentem, & dicentem eidem: Surge, quia ecce jam sanus effectus es. Qui statim expergefactus & sanitati totaliter restitutus surrexit per suffragium Viri Dei *g*.

g

navigantes periculum naufragii evaserunt; mortua resuscitatur.

120 Item anno prædicto, IV Idus Septembris Galfridus de Haverford Menevensis diœcesis, Jordanus Burfater & Joannes Waleys, portantes navem argenteam, probaverunt ad tumulum Viri Dei, quòd à gravissimo periculo naufragii juxta fines Minoris Britanniæ navigantes, fuerant, invocato Servi Dei auxilio, divinitus liberati statim, cùm sibi * dictam navem argenteam promisissent. Item anno prædicto XV Kalendas Octobris vir quidam, Philippus nomine de Penebrugge pistor, & Editha uxor ipsius, juraverunt ad tumulum Viri Dei prædicti, quòd puella quædam, Tibbota nomine,

* *i. e.* eidem

B filia eorumdem, tam gravi fuerat ægritudine cruciata, ut spiritum exhalaret secundum testimonium omnium assistentium tunc ibidem. Et sic defuncta jacebat ab hora prima diei usque ad horam nonam ejusdem; ipsi verò parentes ipsius angustiati vehementissimis tristitia & dolore pro morte suæ filiæ memoratæ, tandem Patrem misericordiarum & Deum totius consolationis cœperunt devotissimè exorare, ut meritis servi sui Thomæ pontificis vitam suæ filiæ restituere dignaretur. Quo facto, quasi subitò puella miraculosè revixit, à mortuis suscitata per merita Servi Dei.

Mulier hydropica subitò sanata:

121 Item anno prædicto, V Kalendas Novembris mulier quædam, Joanna dicta Wyken, de Harewelle juxta Northampton Lincolnensis diœcesis, probavit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm magno tempore, membris sui corporis intumescentibus, fuisset hidropica, & turgenti cute ferè periclitaretur ad mortem, nec posset ei subveniri aliquo auxilio medicorum, statim ut se Servo Dei vovisset, & oblationem devotè orando promisisset eidem, humor ille nocivus,

C qui suæ ægritudinis causa fuit, sic subitò per omnes meatus sui corporis cœpisset effluere, ut statim mulier redderetur integræ sanitati per auxilium Servi Dei.

servatus in vivis vir, cujus guttur incisum erat.

122 Item anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, quidam juvenis, Willelmus nomine, barbitonsor, natus in parochia de la Neuvelonde Herefordensis diœcesis, dum Londoni in parochia S. Catharinæ solus maneret in domo quadam Joannis de Hingelford, ipse compatiens paupertati cujusdam carpentarii, ipsum secum recepit hospitio; & dum nocte in vigilia Apostolorum Simonis & Judæ in strato suo dormiret barbitonsor, prædictus hospes ejus unam de acutissimis novaculis ipsius arripuit, & guttur dormientis incidit, & illum pro mortuo derelinquens, bona ipsius furtivè abstulit & recessit. Manè autem facto, cùm vicini ipsum in suo sanguine volutatum & palpitantem reperissent, & à chirurgicis didicissent, quòd nullo artificio potuisset curari, ipsum devotè voverunt servo Dei Thomæ pontifici, denarium super ipsum suo more plicantes, & sic absque aliquo medicamine infra breve tempus restitutus est integræ sanitati, nisi quòd in signum miraculi quasi cicatricis vestigium usque in hodiernum diem videtur in ejus gutture apparere, sicut probavit & evidenter ostendit memoratus Willelmus ad tumulum Viri Dei die S. Sylvestri Papæ *h* anno prædicto. D *h*

vir amissum visum ad Sancti tumulum recipit.

123 Item anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, qui est annus octavus, ex quo prædicta miracula inceperunt, XII Kalendas Maii vir quidam, nomine Walterus de Chuton, Batoniensis & Wellensis diœcesis *i*, qui cæcitatem incurrerat & cæcus permanserat XL diebus & ampliùs, dolens de cæcitate prædicta, causâ orationis ad quamdam duci se fecit ecclesiam, & ante quoddam altare, quod in honore S. Etheldridæ *k* virginis fuerat dedicatum, se devotè prostravit, petens, divinum auxilium sibi impendi per merita virginis memoratæ. Cúmque aliquandiu sic orâsset, sopor corruit super eum; & ecce virgo prædicta sibi apparuit, dum dormiret; quæ tetigit ejus maxillam, sic dicens: Vade ad tumulum S. Thomæ, qui est Herefordiæ, & ibidem optatam recipies sanitatem. Ille autem expergefactus à somno, non immemor visionis, se fecit perduci ad tumulum Viri Dei prædicti, & ibidem devotè orationi insistens, E quod petiit, impetravit, lumen videlicet oculorum, die prædicta per merita Viri Dei. *i* *k*

Navigantes naufragio subducti:

124 Item anno prædicto, XI Kalendas Maii quidam nautæ unà cum pluribus mercatoribus in quadam navi, unà cum quindecim aliis de partibus Flandriæ versus Hyberniam navigârunt; & ecce repentè ventus vehementissimus irruit super eos & tanta maris tempestas, ut quindecim naves prædictæ cum contentis in illis protinus mergerentur & malus decimæ sextæ navis in tres particulas frangeretur. Quod videntes, qui in navi decima sexta fluctibus jactabantur, malo, ut præmittitur, jam confracto, Dei & servi ejus Thomæ pontificis auxilium magnis clamoribus invocabant, sibi navem argenteam promittendo. Et ecce ipsis clamantibus affuit auxilium summi Dei, quod ipsos ad portum salutis, statim sedata tempestate, perduxit per adjutorium Servi Dei prædicti. Pro navi autem argentea supradicta ipsi nautæ postmodùm denarios argenteos obtulerunt die superiùs memorata ad tumulum Viri Dei, & tunc hoc miraculum legitimè probaverunt ibidem.

F

fluxus ventris compressus; avis sanata, altera resuscitata:

125 Item anno prædicto circa idem tempus vir quidam, Walterus de Wauford nomine, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd uxor illius, Eva nomine, cùm esset vicina partui, tam gravi fluxu ventris cœpit dissolvi, ut ab omnibus tam medicis, quàm aliis crederetur protinus moritura. Pro qua cùm votum vovissent astantes Dei Famulo memorato, protinus est sanata per auxilium Viri Dei. Item anno prædicto circa idem tempus juravit etiam ille homo, quòd, cùm nisus unus, quem habuit, quamdam aviculam insequendo alas proprias turpiter confregisset, statim, ut pro ipso votum vovisset Servo Dei prædicto, restitutus est integræ sanitati. Item anno prædicto circa idem tempus juravit vir prædictus, quòd, cùm ipse quemdam falconem habuisset, qui subita morte extinctus & frigidus per magnum temporis spatium jacuisset, voto pro ipso simili Servo Dei emisso, ipsum vivificatum protinus & sanum recepit per auxilium Viri Dei.

126 Item anno prædicto V Kalendas Junii vir quidam, Alexander de Winchelele nomine, bur-

abactum malum humeri: vir post sanationem brachii è carcere solutus,

burgensis Bristolliæ, juravit ante tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipse tam gravi dolore in sinistro humero fuisset gravatus, ut à medicis moriturus vel paralysim incursurus citò sine dubio crederetur, cùm Servo Dei fuisset more solito devotiùs mensuratus, protinus recepit integerrimam sanitatem. Item anno eodem VIII Idus Junii vir quidam, Willelmus Talgar nomine, cùm per dominum suum terrenum innocens fuisset missus in carcerem, & tanto pondere ferri constrictus, ut ejus sinistrum brachium frangeretur; cùm ipse tam squalore carceris, quàm fracturâ prædictâ nimiùm torqueretur, pro sua liberatione & sanitate Servi Dei auxilium invocavit, votum emittens, quòd ejus tumulum in persona propria visitaret, quàm citò ipsum contingeret à carcere liberari. Et ecce, brachio ejus statim sanato & ipso in brevi postmodùm de carceralibus vinculis liberato, ille sui Benefactoris & voti factus immemor & ingratus, processu temporis gravissimè ægrotabat, in tantum ut freneticus incurreret, & fieret velut arreptitius, à dæmonibus cruciatus, ut sibi videbatur in somnis.

B *voto non stans, divinitus punitur, ac pœnitens denuo sanatur.*

127 Et in tantum torquebatur insanus, ut brachium ejus frangeretur in loco, ubi primitus fuit fractum. Et cùm quadam vice aliquantulùm dormitaret, vidit in somnis glorioſissimam Matrem Dei, dicentem servo Dei Thomæ pontifici, qui, ut sibi videbatur, tunc astabat ibidem: Amice, adjuva miserum istum; qui statim respondit Virgini gloriosæ: Illusit mihi homo iste; promisit enim, quòd me ante hæc tempora visitâsset, & non venit, ut redderet votum suum. Et Mater misericordiæ iterum dixit ei: Ipse veniet ad te; adjuva illum, rogo. At ille respondit: Veniat tunc die Pentecostes, & sanabitur in nomine Domini. Quibus dictis, venerabilis Virgo disparuit, & Vir Dei similiter; ipse autem vir prædictus, referens astantibus visionem, postmodùm ductus est ad tumulum Viri Dei die prædicta, scilicet quæ fuit VIII Idus Junii *l*, & ibidem tam à brachii fractione, quàm à frenetica passione ipsa die fuit divinitus liberatus per interces sionem Virginis gloriosæ & merita Servi Dei prædicti.

l

C *Infans mortuus editus, puer alter mortuus,*

128 Item eodem anno V Idus Julii quædam mulier, Placentia nomine, de villa de Mallingk Cantuariensis diœcesis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm filium mortuum peperisset, & tribus diebus mortuus jacuisset secundùm testimonium omnium vicinorum, tandem Dei Famulo mensuratus subitò miraculosè revixit per auxilium Viri Dei: quem statim assumentes amici ad baptismum portaverunt, & baptizato in signum miraculi Servi Dei nomen fuit impositum. Item eodem anno in crastino Assumptionis B. Mariæ vir quidam, nomine Joannes, de Atmondescote in parochia de Treduton Wigornensis diœcesis, & quàm plures fide digni cum illo jurârunt ad tumulum Viri Dei, quòd filius ejus puer quidam, Joannes nomine, ætatis novem annorum, tam gravi infirmitate laboraverat, quòd vitam finierat & quasi mortuus jacuerat duobus diebus. Sed cùm super funus ipsius, invocato auxilio Viri Dei, plicâssent unum denarium more suo votum voventes, puer revixit, & protinus restitutus est sanitati per auxilium Viri Dei.

129 Item anno eodem circa idem tempus vir quidam, Nicolaus de Box nomine, de villa de Mallingh Cantuariensis diœcesis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ipse tempore Autumnali prædicto anno in tantum exinanitus fuerat excessivo labore, quòd quasi syncopim patiens, imò potiùs, ut à vicinis omnibus dicebatur, quasi mortuus, & sine omni anhelitu per duos dies jacêret exanimis. Et cùm amici ejus compatientes eidem, Dei & servi ejus Thomæ auxilium invocâssent, & ipsum more solito mensurâssent, statim revixit mortuus per auxilium Viri Dei. Item ipso anno die S. Lucæ Euangelistæ vir quidam, Hericus Laxmon nomine, de Nametewich in comitatu Cestriensi *m*, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam puer filius suus, ætatem viginti & unius diei habens, à casu quodam monile cupreum quantitatis non modicæ deglutivit, quod sic in ejus gutture manebat infixum, ut omnes astantes ipsum verisimiliter crederent protinus moriturum. Cúmque parentes Dei Famuli auxilium pro puero invocâssent & votum voventes plicâssent unum denarium super eum, puer statim evomuit monile prædictum, restitutus deinceps integræ sanitati per auxilium Viri Dei.

Ex PROCES. CAN. *vir pro mortuo habitus, evadunt incolumes, uti & infans è periculo suffocationis.*

m

Infanti vita reddita, contractæ vigor manûs;

E

130 Item anno prædicto vir quidam, Hugo de Leominstr nomine, Herefordensis diœcesis, & quamplures cum illo jurârunt ad tumulum Viri Dei, quòd Walterus filius suus, ætatis trium annorum, infirmitate gravissima moriens defunctus jacuerat ab hora matutinali usque ad horam vespertinam, & tunc ipsum funus, qui aderant, Dei Famulo mensurârunt, ipsius auxilium devotiùs invocantes. Quo facto, statim puer revixit per auxilium Viri Dei. Item anno eodem, die videlicet S. Leonardi confessoris *n*, mulier quædam, Alicia de Weston nomine, Wigornensis diœcesis, quæ antea manum contractam habuerat per tres menses & dies viginti & ampliùs, cui subveniri non poterat auxilio medicorum, venit ad tumulum Viri Dei, & cùm ibidem aliquandiu Servi Dei auxilium postulâsset, manus ejus restituta est illico pristinæ sanitati. Quod mulier ipsa primò percipiens, ita inenarrabili gaudio exultavit, ut plauderet manibus ante tumbam, volens ostendere plausu manuum gaudium, quod habebat de restituta sibi, ut præmittitur, sanitate per auxilium Viri Dei.

n

F *periclitantes mirabiliter perducti in portum:*

131 Item anno eodem circa idem tempus vir quidam, Robertus Otri de Bristoll, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipse in quadam navi sua cum aliis navigaret in mari, tam horribilis & horrenda pestis irruit super eos, ut procellosa tempestas in plures partes frangeret malum navis; & cùm nautæ nullo navis armamento se possent juvare, omnes unanimiter navis gubernacula relinquentes, ad Dei & Servi ejus prædicti auxilium confugerunt, se in navi unanimiter prosternentes, & Dei beneplacitum expectantes, ac supponentes, se protinus submergendos, nisi illis Dei & sui Famuli clementia subveniret. Et cùm sic in oratione aliquandiu jacuissent prostrati, & votum vovissent Dei Famulo memorato, invenerunt, navem ipsam quasi ductu angelico applicuisse ad portum salutis, qui Walemoum ab incolis nuncupatur, per auxilium Viri Dei.

dysenteria curata; equus furiosus mansuefactus:

132 Circa idem tempus vir quidam, magister Joannes de Lacy, clericus notarius domini regis Angliæ, accedens ad tumulum Viri Dei, coram multis juravit, quòd ipse per aliquod tempus antea in partibus transmarinis in tantum fuerat molestatus dyssinterica * passione, quòd nullo

* dysenterica

Ex Proces. can. nullo medicamine sibi potuit subveniri, quin potiùs ab omnibus medicis & aliis absque dubio crederetur in brevi tempore moriturus. Quod videntes amici ejusdem ipsum, servo Dei Thomæ pontifici votum voventes, more solito mensurârunt; & ecce, statim postea cœpit meliùs se habere, & die sequenti dormivit somno salubri, qui antè à magno tempore continuis vigiliis vexatus extiterat; & sic deinceps recuperavit integram sanitatem per auxilium Viri Dei. Item ipse magister Joannes juravit etiam ante tumulum Viri Dei, quòd circa tempus prædictum equum quemdam habuerat pretiosum, qui tantâ cœpit insaniâ furere, quòd nullo freno potuit refrenari seu vinculo solito detineri, licèt semper antea fuisset plurimùm mansuetus; sed aliquando se præcipitem dare voluit in partem anteriorem, aliquando posteriorem, aliquoties verò super latera se projecit; quod ut viderunt astantes, ex quo sibi humanum auxilium defuit, non succurrere potuit *, ipsum equum Servo Dei more solito mensurârunt: quo facto, statim restitutus est integræ sanitati per auxilium Servi Dei.

* l. potuisse

B

ANNOTATA.

a *Dies nonus Kalendas Februarii, sive* 24 *Januarii spectat ad annum Christi* 1292 *inchoatum à Kalendis Januariis; hîc tamen idem ille dies ad annum* 1291 *refertur, quia, ut suprà monui, anni initium serìùs repetitur.*

b *Illustris familiæ* baronum de Rosse *meminit Camdenus sæpe laudatus pag.* 579.

c *Miraculum hoc prolixiùs expositum suprà est; uti & nonnulla alia, quæ sequuntur.*

d Roteland *sive* Rutland *parvus omniumque minimus comitatuum Angliæ est.*

e *Lege* in comitatu & diœcesi Wigornensi.

f Surria *aliàs* Suthriona, *vulgò* Suthrey *&* Surrey, *comitatus Angliæ est.*

g *Est & hoc miraculum superiùs jam relatum.*

h *S. Silvester I Papa colitur die* 31 *Decembris.*

i Barthonia, *vulgo* Bathe, *civitas Angliæ est in comitatu Somersetensi, condita ad Avonam fluvium in confinio comitatûs Wiltoniæ. In eodem comitatu Somersetensi sita est civitas* Welles, *Latinè* Wellæ, *olim etiam* Theorodunum *appellata. Hujus antiqua sedes episcopalis, Cantuariensi suffraganea, aliquando fuit translata Bathoniam, ac deinde inter utriusque loci clerum conventum est, ut ejusdem sedis antistites imposterum* Bathonienses & Wellenses *dicerentur.*

C

k *Ad diem* 2 *Augusti actum apud nos est de* S. Etheldritha *seu* Alfreda, *virgine recluſa in monasterio Croylandensi in Anglia; ad diem verò* 23 *Junii de* S. Etheldreda *regina virgine abbatissa Elyensi, item in Anglia. De alterutra hîc ferme est.*

l *Rectè: nam anno* 1294, *quo hæc contigisse dicuntur, Pascha incidit in diem* 18 *Aprilis, ac proinde festum Pentecostes in* 8 *Idus Junii, seu in diem* 6 *ejusdem mensis.*

m Cestria, Ches-Shire, *Angliæ comitatus est, cujus caput est* Cestria, *incolis* Chester, *civitas episcopalis sub metropoli Eboracensi.*

n *S. Leonardus confessor Lemovicensis colitur* 6 *Novembris, ubi ejusdem gesta illustranda apud nos venient.*

D

CAPUT VIII.

Continuata miracula & beneficia anno MCCXCV *& sequenti.*

ITem IV Nonas Julii anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto mulier quædam, Margarita nomine, filia Willelmi Fabri, de Mortone Wygornienſis diœcesis, quæ tam deformiter contracta fuerat per biennium, quòd gradi non potuit, nisi sustentaretur duobus baculis positis sub assellis, venit ad tumulum Viri Dei, ibique per triduum in orationibus perseverans, sanitatem integerrimam est adepta per auxilium Viri Dei. Item VII Idus Julii anno proximo supradicto vir quidam Walterus, nomine le Bonde, de Wykewoneford in comitatu Wigornensi, venit ad tumulum Viri Dei, jurans, quòd habuerat filium unum, Joannem nomine, ætatis quinque annorum, qui dum transitum faceret gradiendo juxta quemdam puteum valdè profundum, cecidit in eumdem, & in ipso mortuus latuit & submersus per tantum temporis spatium, quanto tria miliaria possent communi passu ab homine peragrari; & tunc cùm diu fuisset quæsitus, tandem in hujusmodi puteo est inventus, & extractus in domo parentum more funerum est locatus, & ipsum ferè per duos dies custodiebant ibidem, si fortè aliquod vitæ signum appareret in ipso. Et cùm nullum penitus appareret, ipsum mortuum servo Dei Thomæ præsuli voventes, plicaverunt unum denarium super eum. Et ecce, subitò puer ille, multis cernentibus, fortiter suspiravit, vitæ & sanitati integræ restitutus per auxilium Viri Dei. *Contracta gressu, puer submersus vitâ, donati.*

E

134 Item XVII Kalendas Augusti, videlicet die S. Kenelmi regis & martyris *a*, vir quidam, Milo de Aula nomine, de Erdesle Herefordensis diœcesis, juravit ante tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipse fuisset guerra *b* Walliæ, quadam die sic fuit à Wallensibus circumspectus * atque vallatus, & omni humano auxilio destitutus, ac omni suffragio seu diffugio, quòd nec videret sibi, nisi interfectionem subitaneam superesse. Cùm ergò sic staret super ripam profundi fluminis, quod Waya *c* dicitur, se, sicut potuit, vovit Servo Dei prædicto, ejus auxilium implorando, & se dispositioni divinæ committens, fluvium introivit cum equo & uno famulo, quem habebat, non obstante horribili & quasi necessario submersionis periculo, quod imminebat ibidem. Et ecce, equo ipsius submerso voragine fluvii memorati, ipse & famulus ejus ultra fluvium usque in ripam alteram modo mirabili sunt provecti, & ab omni periculo liberati per auxilium Viri Dei. *duo è periculo submersionis erepti:* *a* *b* * circumseptus *c*

F

135 Item ipsa die prædicta, videlicet S. Kenelmi, venit nuncius quidam ad tumulum Viri Dei, jurans, quòd vir quidam, nomine Radulphus, de Rilreum in Hybernia diœcesis Dilimuith *d*, dominus suus, tam graviter fuerat paralytico morbo percussus, ut ab omnibus ipsum cernentibus putaretur in brevi tempore moriturus. Et cùm amici ejusdem plicâssent unum denarium super eum, & pro ipso Viri Dei *paralyticus & lethaliter sagittâ læsus sanati;* *d*

auxilium invocâſſent, ſanitatem cælitus eſt adeptus; & ideo per dictum nuncium imaginem argenteam, quam promiſerat, deſtinavit. Item XIII Kalendas Auguſti, videlicet die S. Margaritæ virginis, vir quidam, Hugo nomine, de Beldevas in comitatu Salopiæ Conventrenſis & Lichefeldenſis diœceſis, aſſeruit ante tumulum Viri Dei, quòd ipſe in guerra Walliæ à quodam Wallenſe tam graviter fuerat ſagittatus, quòd crederetur protinus à pluribus morituras; quod & ipſemet vir perpendens, vovit, ſe anno quolibet vitæ ſuæ viſitaturum tumulum Servi Dei, ſi ſibi ſuccurrere dignaretur. Et ecce, cùm dicta ſagitta, quâ fuerat lethaliter vulneratus, fuiſſet extracta, reſtitutus eſt integræ ſanitati per auxilium Viri Dei.

falco pro mortuo habitus, & puer reſuſcitati: tumor manûs ſublatus:

136 Item Idibus Decembris, videlicet die S. Luciæ virginis, venit dominus Joannes de Jugervi, miles de domo & familia dominæ comitiſſæ Glonceſtre *, aſſerens, quòd habuerat unum falconem, qui ſubitò ſuffocatus quaſi mortuus jacuerat ab hora prima diei uſque ad horam undecimam; & cùm Servo Dei more ſolito menſuratus * ſtatim revixit. Item V Kalendas Aprilis *e* vir quidam, Willelmus de Croudone nomine, de comitatu Cantebrugg *f*, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filium habuit, nomine Joannem, ætatis quatuor annorum, quï, dum juxta puteum aquæ curreret ſeu luderet, in puteum cecidit, in quo jacuit puer ſubmerſus ab hora diei prima uſque ad horam nonam. Et tunc extractus de puteo, mortuus eſt inventus. Et cùm amici defuncti pro ſuſcitatione ipſius oblationem Dei Famulo promiſiſſent, ſtatim revixit, infra triduum reſtitutus integræ ſanitati. Circa idem tempus mulier quædam, Agnes de Chipphum nomine, de comitatu Cantebrugg ſupradicto, aſſeruit ad tumulum Viri Dei, quòd tantam inflationem habuerat in dextra manu ſua per quinque menſes, quòd ipſa manum ſeu vitam amittere præ dolore veriſimiliter formidabat; & cùm votum Servo Dei voviſſet, protinus ipſa manus reſtituta eſt priſtinæ ſanitati.

* Glocestriæ * *adde* fuiſſet,

e *f*

puer in flumine ſubmerſus ad vitam revocatus:

137 Item III Nonas Aprilis, videlicet die S. Ambroſii *g* anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto, qui eſt annus decimus, ex quo prædicta miracula fieri inceperunt, vir quidam, Ricardus de Hirnardeſton de comitatu de Vorte *h*, venit ad tumulum Viri Dei, referens bona fide, quòd quidam homo, nomine Ribi de Sturmonſtre, piſcator, filium habuit, ætatis ſeptem annorum, qui cùm deſuper pontem, qui Novus pons ab incolis dicitur, graderetur, in fluvium cecidit, qui Scure appellatur, in cujus fundo ſubmerſus jacuit ab hora matutinali uſque ad horam veſpertinam; & cùm pater ejus caſu fortuito juxta locum, ubi corpus defuncti jacebat, more ſolito in navicula niteretur piſcari, vidit corpus pueri in fundo fluminis, ſed quid eſſet, penitus ignorabat. Volens tamen curioſiùs cognoſcere, quid hoc eſſet, perticam cum hamo arripuit, & corpus extrahens, quòd eſſet filius ſuus proprius, cum dolore maximo manifeſtè cognovit, & ipſum ad domum propriam cum magno luctu portavit. Unus autem ex vicinis ejuſdem dolori viri ſupra modum compatiens, dedit conſilium, ut votum emitteret ſervo Dei Thomæ pontifici pro reſuſcitatione pueri memorati. Quo facto, ſtatim revixit cum admiratione multorum, laudantium & benedicentium omnipotentiam ſummi Dei.

g *h*

Ex PROCES. CAN. *Vir ſanatur: inſtans naufragium poſt votum Sancto factum evadunt:*

i *k*

138 Item XIII Kalendas Januarii *i* anno prædicto vir quidam, nomine Simon de Stamiton, commorans cum priore Lanthone Primæ *k*, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ipſe in nocte proxima ante diem S. Thomæ apoſtoli ſubitò cœpit tam gravi morbo vexari, quòd ipſa nocte credidit veriſimiliter expirâſſe, & amici ejus, qui aderant, ſimiliter hoc credebant; ſed cùm votum voviſſent, & in nomine Domini & Servi ejus plicâſſent unum denarium ſuper eum, citò reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati per merita Viri Dei. Item IX Kalendas Maii anno prædicto venit ad tumulum Viri Dei vir quidam, nomine Rogerus dictus de Cornubia, de Berdeſtaple in comitatu Bevon. *l*, referens bona fide, quòd, dum navigâſſet unà cum ſociis, in navi veniens de Vaſconia verſus Angliam, tam horribilis tempeſtas navim arripuit, quòd magnis fluctibus ſævi maris in rupes ſexies magnis impulſibus eſt illiſa, & tandem in locum periculoſiſſimum, qui Canale *m* dicitur, navis fuerat ſic depulſa, quòd omnino deſperabat cum ſociis, ſe poſſe horribilem mortem evadere. Sed cùm navem argenteam ſe Servo Dei oblaturum devotiùs promiſiſſet, à periculo vitæ & navis amiſſione quaſi ſubitò fuit per Dei potentiam liberatus, & navem argenteam, quam promiſerat, fideliter obtulit ipſa die ad tumulum Viri Dei.

l

m

ſanatus contractus: periculum ab infixa ſagitta averſum:

139 Item III Idus Maii anno prædicto vir quidam, Ricardus de S. Joanne de Aldinge in comitatu Cantiæ, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd fuerat duobus annis & tribus menſibus in tantum contractus, quòd gradi non potuit per ſe ipſum, niſi duobus podiis ſuſtentatus; & cùm ſe voviſſet annis ſingulis, dum viveret, nudis pedibus viſitaturum tumulum Viri Dei, infra triduum reſtitutus eſt integræ ſanitati per merita Viri Dei prædicti. Item die Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ anno prædicto venit Griffinus, filius Modak, de Planaruſtut in comitatu de Cardigan *n*, ad tumulum Viri Dei, & juravit, quòd ipſe in ultima guerra Walliæ in profundo auriculæ tam horribiliter fuerat caſualiter ſagittatus, quòd à medicis & amicis veriſimiliter putaretur in brevi tempore moriturus. Ipſe verò vovit meliorem vaccam, vel ejus pretium, Servo Dei, ut per merita ipſius horribilem dolorem, qui imminebat in extractione ſagittæ Altiſſimus mitigaret. Quo facto, ſe fecit incidi, & ſagittam extrahi abſque doloris gravamine, ut dicebat, cum admiratione vehementi hominum, qui aſtabant, & deinceps in brevi reſtitutus eſt integræ ſanitati. Et idcircò caput de cera cum ipſa ſagitta eidem infixa & prædicta vacca devotè obtulit, ut promiſit, ad tumulum Viri Dei.

n

cæcus illuminatus: ſanata tibia: cuſpis ſagittæ è vulnere ſponte prodiit.

o

140 Item III Nonas Julii vir quidam, Joannes Hoe nomine, de Wiggemor, qui per duos menſes viſum amiſerat oculorum, cùm per duos dies orâſſet ad tumulum Viri Dei, ſubitò viſum recepit per merita Servi Dei prædicti. Item IV Idus Julii anno prædicto venerunt quinque viri de villa de Oſta in Walle Eveshanne *o*, ad tumulum Servi Dei, jurantes, quòd vir quidam, Joannes Horm nomine, cujus tibia fuerat cum magna deformitate contracta tribus menſibus, cùm votum Servo Dei voviſſet, infra diem ſeptimum reſtitutus eſt integræ ſanitati. Item VII die menſis Julii, videlicet die tranſlatio-

Ex Proces. can.

nis B. Thomæ martyris *p*, vir quidam, Henricus de Marleclyve nomine, in comitatu Warevik, venit ad tumulum Viri Dei, ſecum unum equum adducens, qui equus in collo à quodam latrone tam horribiliter fuerat ſagittatus, quòd ferrum ſagittæ extrahi non potuit aliquo artificio marſcallorum *q*. Sed cùm vir prædictus unum denarium, votum faciens, Servo Dei ſuper locum vulneris, in cujus profundo ferrum latebat, devotè plicâſſet, cunctis aſtantibus cernentibus & mirantibus, ferrum quaſi per ſe ſubitò vulnus egrediens, in terram decidit, ut juravit, per merita Viri Dei.

p

q

Mulier gravi infirmitate à Sancto apparente liberata;

141 Item v Kalendas Auguſti mulier quædam, Emmota nomine, de Vedeford in parochia, quæ vocatur Ater Ok, Herefordienſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd tam gravis ægritudinis incommodo ſeptem diebus fuerat cruciata, quòd ſe juvare non potuit, nec levamen ſenſit aliquo auxilio medicinæ. Quod perpendens mulier ſupradicta ſemper Servi Dei auxilium flens & gemens cum omni devotione, quâ potuit, invocavit, ſæpius clamitans: S. Thoma, adjuva me. Et cùm in tali clamore diutius perſtitiſſet, ecce vir quidam indutus ſacerdotalibus indumentis ſibi apparuit, quærens ab ea, quid peteret. Cui illa reſpondit: Domine, quis es tu, qui quæris? Cui reſpondit: Ego ſum ille, cujus auxilium toties invocâſti. Quod audiens, rogabat eum, ut miſereretur animæ ejus & corpori. Quo dicto, Vir ille manum extendens detigit * corpus ejus, & ſtatim reſtituta eſt integræ ſanitati.

B

* tetigit

142 Item ipſa mulier ſupradicta ſimiliter juravit ibidem, quòd quadam ægritudine priùs in tantum fuerat moleſtata, quòd dentes amiſerat. Unde nihil poterat maſticare ſeu comedere, niſi legumina vel cibaria in liquida ſubſtantia; & cùm pro hujuſmodi incommodo Servi Dei auxilium devotiùs invocâſſet, per auxilium cujuſdam ancillæ, quæ ſibi tunc temporis miniſtrabat, infra menſem novi dentes eidem in tantum crevere, ut dentata, ſicut antea fuerat, videretur per auxilium Viri Dei.

antè ejus ope etiam dentes receperat.

Vir repentino linguæ malo & inſaniâ percuſſus,

143 Item in vigilia S. Joannis Baptiſtæ anno prædicto vir quidam, Ricardus nomine, de Brune Burſte, de Wembeburis Conventrenſis & Lichefeldenſis diœceſis, cùm in quemdam agrum intrâſſet pro ſuo quodam expediendo negotio, cœpit tantâ corporis moleſtiâ deprimi ex abrupto, ut ſtatim ibidem ſub divo, priùs quàm ulteriùs procederet, ſe ſopori tradere cogeretur invitus. Cùm itaque paululùm dormitâſſet, eo tandem expergefacto, inventus eſt tanta infirmitate vexari, ut in mentis verteretur inſaniam, & loquela cum linguæ officio privaretur, in tantum, ut aliter cibaria maſticare non poſſet, niſi digitis in os ſuum poſitis vicem linguæ ſuppleret, hujuſmodi cibaria, prout ipſa natura exigit, revolvendo.

C

ad Sancti tumulum incolumis redditur.

144 Nec mirum; lingua enim ipſius ita firmiter adhærebat ſiniſtræ mandibulæ, quòd ab illa non poterat abſque violentia per hominis induſtriam removeri. Hic autem cùm tot anguſtiis per duos menſes & viginti unum dies miſerabiliter laborâſſet, poſtremò vicinorum conſilio & conductu in craſtino S. Lamberti martyris *r* ad Viri Dei tumulum eſt adductus. Qui quidem vicini cùm pro ipſo & cum ipſo Viri Dei auxilium devotiùs invocâſſent, illico per ipſius merita tam loquelæ, quàm ſano ſenſui extitit mirabiliter reſtitutus, præſentibus & videntibus teſtibus infrà ſcriptis, qui præmiſſa ſacramento corporali præſtito probaverunt: videlicet Adam de Brunburſt, Adam de Blakenbale, Hugo filius *ſ* Claritus, Henricus Venrou, Roberto Burneth, Ranulpho dicto Monekes, & multis aliis fide dignis.

r

D

ſ

Amens furioſus ex conſilio mulieris ad Sancti ſepulcrum, t

145 Item non eſt ſub ſilentio tranſcurrendum, quod contigit in Hybernia in comitatu de Couvont *t* III Nonas Junii anno prædicto, de Milone videlicet, cognomento Kerry, in quodam fluvio cum duobus ſociis ſecum navigio deputatis, qui cùm in quadam navicula in meridie aliquandiu veheretur, & globus ſolaris expanderet radios calidiùs ſolito ſuper eos, ardorem hujuſmodi diutiùs non ferentes, ab ipſa navicula quantocius aſcendere feſtinârunt ad terram. Qui ſtatim tantâ corporis moleſtiâ premebantur, ut ſopori ſe dare pariter cogerentur ibidem. Quibus poſtmodùm excitatis, inventi ſunt omnes tanquam arrepticii, ſeu etiam mente capti, utpote qui humanum perdiderant intellectum. Unus autem eorum tantâ vexabatur inſaniâ, quòd in tectum aquatici molendini, quod erat ibi vicinum, impetuosè aſcendit: de quo ad terram corruens protinus expiravit.

t

E

apud quod ipſa prolem obtinuerat, adductus ſanæ menti reſtituitur.

146 Alter verò ſub ſpe recuperandæ ſanitatis ad Crucem de Nynvelin *u* ab amicis deductus, ibidem de medio eſt ſublatus. Tertium inſuper, qui eſt Milo, ceperunt amici, à quadam matrona edocti, quæ eis fideliter aſſeruit, quòd, cùm diu ſterilis crederetur à multis, & quaſi pro opprobrio hoc haberet, ex voto ſepulchrum prædicti Pontificis viſitaret, prolem ab ipſo precibus flagitando devotis, oblationibusque expoſitis, ad propria rediit, & à ſuo deſiderio non fraudata concepit & peperit geminos ipſo anno. At illi rumoris hujuſmodi confidentiâ roborati confeſtim verſus Herefordiam iter ſuum arripiunt, furioſum prædictum ducentes cum eis: qui cùm aliquandiu coram Servi Dei ſepulchro in orationibus pariter perſtitiſſent, ipſius auxilium devotiùs invocantes, inventus eſt, qui antea furioſus extiterat, ſubitò manſuetus, optatæ ſaluti per Dei potentiam reſtitutus.

u

Puer ex longo morbo mortuus creditus,

147 Item VIII Idus Julii anno prædicto vir quidam, Thomas nomine, de Nechere Anene, Saresburienſis diœceſis, ad tumulum Viri Dei acceſſit, referens bona fide, quòd, cùm filium ſuum, Thomam ſeptennem, ex longo gravique morbo vexatum & uſque ad ſummum infirmitatis articulum jam conſumptum, ac ſine halitu per tres dies jacentem, tam ille quàm omnes eundem videntes, putarent veriſimiliter expirâſſe; amici, qui aderant, affectantes delenire dolorem patruum *, pro ipſo Servo Dei votum fecerunt, ipſius ſuffragium devotiùs invocantes: quo facto, continuò per merita Servi Dei vitali ſpiritu reaſſumpto, membra cum viribus recollegit, integra ſibi cælitus reddita ſanitate. Cujus rei gratiâ pater ejus oblationem promiſſam prædicta die fideliter offerebat.

F

* *imò* paternum

ti & puella cum cunis everſa ſubitò ſanantur.

148 Item III Nonas Auguſti venerunt ad tumulum Viri Dei cum oblationibus, quas vovendo promiſerant, Willelmus de Clyfburis & Alicia uxor ejus, hoc, quod ſequitur, aſtruentes fideliter; quòd, cùm ipſi in vigilia B. Jacobi apoſtoli pariter in cubiculo ſe ſopori dediſſent, & ipſa mulier ſuam filiam parvulam in cunabulo poſuiſſet, forſitan minùs cautè contigit, antedictum cunabulum cum infante ſubverti, eliſa facie

A facie contra terram. Evigilans itaque mater illa, cœpit ſolicita cogitare de filia, eo quòd nec motum nec ipſius anhelitum, prout aliàs conſueverat, audiebat. Et ſurgens invenit cunabulum cum filia jam ſubverſum, infantemque tangens, frigidam reperit & extinctam. At illa materno dolore concuſſa maritum flebilibus excitavit clamoribus, & rei eventum, quem celare non potuit, indicavit eidem. Qui conſilio deſtitutus humano, conſultiùs ad divinum confugit, Dei videlicet atque ſervi ſui Thomæ pontificis ſuffragium invocando, votum faciens pro eadem: quæ, facto modico intervallo, cœpit cælitus reſpirare puella, parenteſque ſuos pro vita ſibi tam ſubitò reddita ad immenſas Domini gratias excitare.

Ex contractione claudicans liberum greſſum obtinuit:

149 Circa idem tempus vir quidam, nomine Thomas Gaugy, de Coſtane in comitatu Leyncestre Lincolnienſis diœceſis, à quinque menſibus & ampliùs ita erat contractus & claudus, ut ſuper manus & genua miſerrimè graderetur. Cúmque humano medicamine deſperaret ſanari, inito conſilio ſibi ſano, ſe fecit famulo Dei Thomæ epiſcopo Herefordenſi voveri. Quo peracto, confeſtim tale obtinuit relevamen in

B greſſu, ut cum uno baculo ſe in brevi ad Viri Dei tumulum præſentaret, cujus auxilio devotiùs invocato, relicto baculo ſuo ibi, rectus & incolumis ad propria remeavit.

fiſſa viri tibia ſanata.

x

150 Item in craſtino Aſſumptionis *x* anno prædicto ad tumulum dicti Patris aderant, qui probârunt, quòd, cùm Petrus Dandevine de Neweutone in ultima guerra Walliæ fuiſſet à Wallenſibus circumſeptus, in ſiniſtra tibia duarum ictibus lancearum horribiliter eſt percuſſus, adeò ut à genu uſque ad cavillam pedis *y* os concavum tibiæ finderetur per medium, & medulla ipſius totaliter ſit effuſa. Cúmque medici vocarentur, ut curam hujuſmodi ſauciato adhiberent, ipſi tam de vita quàm ſalute non immeritò deſperantes, eundem omnes & ſinguli deſperatum liquerunt. Hoc audito, præfatus Petrus Dei omnipotentis & Servi ſui prædicti auxilio ſe committens, paulatim convaluit; tandemque vovebat, quòd, quàm citiùs gradi poſſet, ſepulchrum ipſius Dei Famuli viſitaret. Nec mora, protinus univerſo dolore ſublato, redintegrata eſt ei, intercedentibus Viri Dei meritis, tibia greſſibus ſatis apta.

y

C

lethaliter vulneratus, poſt factum ab amicis votum, confeſtim reſtituitur ſanitati.

z

151 Item VII Kalendas Septembris acceſſit ad tumulum Viri Dei vir quidam Joannes, vocatus le Foulere, de Rois in Hybernia, cum pluribus ſociis, qui cum ipſo venerunt de partibus tranſmarinis cum ſuis oblationibus, dicens atque probans dilucidè, quòd, cùm ipſe Joannes in exercitu Anglico in inſultu juxta Burdeg. *z* conſtitutus, fuiſſet percuſſus tam horribiliter in capite quodam telo, ut per unam aurem intraret & per auriculam ipſius oppoſitam promineret; cúmque de ſuo capite dictum telum totaliter extraxiſſent aſtantes, jacuit velut mortuus ſuper terram. Socii verò ſui pio affectu compatientes eidem, votum pro ipſo Servo Dei voverunt. Et ecce, qui mortuus veriſimiliter putabatur, ſurrexit integram conſecutus à Domino ſanitatem.

Puer in magno vaſe ſubmerſus

aa

152 Circa idem tempus venerunt ad tumulum Viri Dei Nicolaus de Cliſtone de Derbyſtyre, & Margarita uxor ejus, dicentes fideliter & probantes, quòd filia eorumdem, Letitia nomine, trium habens annorum ætatem, in quoddam vas ligneum, quod aliqui cuvam *aa* vocant, plenum liquore, cecidit circitèr horam primam diei, quæ cùm extracta fuiſſet, inventa etiam mortua, & converſa in nigredinem caro ejus, & cùm pro ipſa voviſſent amici Dei Famulo memorato, ſtatim revixit & facta etiam mirabiliter ejus caro candida, ſicut priùs.

& alter in fluvio, ad vitam revocati.

153 Item VIII Idus Decembris probatum fideliter extitit ad tumulum Viri Dei per Ricardum molendinarium & Emmam de la Forde, quòd quidam puer, Joannes nomine, filius Willelmi dicti le Meſſur, de Wykebolde de comitatu Wigorniæ, pergens juxta fluvium, per ejuſdem villæ medium decurrentem, & corruens decidit in eundem, & per magnum aquæ ſpatium ex impulſibus fluvii vehebatur, quò uſque ad quamdam radicem arboris ſuper ripam creſcentis caſualiter veſtibus adhæreret. Et ſic latebat ſubmerſus ab hora diei tertia uſque horam ejuſdem diei undecimam; parentes verò ſuper filii abſentia ſoliciti, dolentes non modicùm, quærunt illum, quem tandem inventum cum lachrimis extraxerunt ab aquis extinctum, & in domum propriam intulerunt, anxiè cogitantes, quid agerent de eventu. Et cùm conſilium non haberent humanum, cœperunt devotè Dominum exorare, ut ipſe meritis ſervi ſui Thomæ pontificis filium ſuum, qui ſic perierat, reſtitueret ſibi vivum; votúmque pro eo fiducialiter emiſerunt. Et ecce, mirum in modum quantocius puer ille ab aſtantibus videbatur tanquam à ſomno evigilans reſpirare & infra triduum ſubſequens integræ reſtitui ſanitati,

E

F

ANNOTATA.

a *S. Kenelmus, Kenulphi Merciorum regis filius, ſeptennis puer à ſorore ſua occiſus, colitur ut martyr die* 17 *Julii, ubi de eodem actum eſt in Opere noſtro. Quapropter videtur hîc vitium eſſe in die menſis, & pro* XVII Kalendas Auguſti *legendum eſſe* XVI Kalendas Auguſti.

b *Lege* in guerra, *id eſt in bello à Gallico* guerre.

c *Fortè* Vaga, *Anglis* Wy, *quod Angliæ flumen eſt in Wallia.*

d *Nullam novi hujus nominis diœceſim in Hibernia, ſuſpicorque, vocem vitiosè deſcriptam.*

e *Hæc & ſequentia pertinent ad annum Chriſti* 1296.

f Cantabrigienſis comitatus, *vulgo* Cambridge-Shire, *provincia Angliæ eſt, cujus caput eſt civitas* Cantabrigia, Cambridge *Anglis pariter dicta.*

g *S. Ambroſius epiſcopus Mediolanenſis & doctor Eccleſiæ Martyrologio Romano inſcriptus eſt, non* tertio, *ſed* pridie Nonas Aprilis; *feſtum tamen ejuſdem colitur die* 7 *Decembris, qui ordinationis illius eſt.*

h *Non novi ejus nominis comitatum in Anglia. An fortè legendum eſt* Devoniæ, *vulgò* Den-Shire.

i *Ex reliqua rerum ſerie videtur hîc pro* Januarii *ſubſtituendum eſſe* Maii: *fortè tamen alieno loco ſeu ordine hæc relata ſunt.*

k *Suſpicor, hæc vitioſa eſſe.*

l *Haud dubiè legendum eſt* Devoniæ, *in quo comitatu ſitum eſt oppidum* Barnſtable *ſeu* Berſtaple, *quod* Berdeſtaple *hîc appellatur.*

m *Ita vocatur ea pars Oceani, quæ inter Magnam Britanniam Galliamque interfluit, aliàs etiam*

Ex Procis. can.

iam Latinè Mare Britannicum, *& Gallicè* la Manche *quoque dicta.*

n Cardigan-Shire, *antiquis* Ceretica, *Angliæ comitatus eſt in Wallia. Præcipuum ejus oppidum eſt* Cardigan *ad Tivium flumen, quod duobus circitèr milliaribus infrà in mare Hibernicum ingreditur.*

o *Lege* in valle Evesham, *quæ fœcunda vallis eſt in comitatu Wigornienſi, à proximo oppido* Eovesham *ſeu* Evesham *ſic dicta.*

p *Eſt hic ſanctus archiepiſcopus Cantuarienſis & martyr, de quo cum Martyrologio Romano in Opere noſtro agendum erit ad diem 29 Decembris, quo ejuſdem in cælo natalis colitur.*

q Mareſcallus, *Gallicè* Maréchal, *Latinè* veterinarius *eſt, ſeu faber ferrarius, qui equos curat.*

r *S. Lambertus epiſcopus Trajectenſis & martyr, colitur die 17 Septembris. Eſt & alter S. Lambertus martyr Cæſarauguſtanus in Hiſpania, qui ad diem 16 Aprilis in Martyrologio Romano celebratur.*

ſ *Lege* Hugone filio, *& infrà* Henrico.

t *Hæc vox vitiosè ſcripta, nullus enim hujus*
B *vocabuli comitatus in Hibernia eſt.*

u *In loco iſto, qui mihi ignotus eſt, veriſimiliter fuerit ſacra aliqua Crux miraculis aut beneficiis clara.*

x *Id eſt, ut opinor, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis Deiparæ, quod feſtum celebratur die 15 Auguſti.*

y *Aliàs* clavicula pedis *&* malleolus *appellatur, eſtque, ubi tibia pedi jungitur.*

z *An fortè* Burdegala, *vulgò* Bourdeaux, *quæ Galliæ civitas eſt in Aquitania.*

aa *A Gallica voce* cuve, *quod vas eſt, è ligno diligenter compactum ad recipiendum vinum ex uvis expreſſum. Latinè* lacus, *vinarius ſcilicet, appellatur.*

CAPUT IX.

Continuata miracula fortè eodem anno MCCXCVI, *anniſque* MCCXCVII, MCCXCVIII *&* MCCXCIX.

C

Infans à nativitate mortuus creditus,

CIrca idem tempus ad tumulum Viri Dei aderant, qui referrent & aſſerent bona fide, quòd, cùm Joanna, tunc uxor Petri de Boſehram, Ciceſtrenſis diœceſis, in craſtino S. Bartolomæi cum tantis doloribus filium peperiſſet, ut ab omnibus ipſum cernentibus mortuus putaretur, & ita exanimis jacuiſſet ab hora matutinali uſque ad horam nonam hujus diei, de conſilio amicorum votum voverunt parentes pro puero. Quo facto, ſubitò infans ille infinita Dei virtute revixit per merita Viri Dei.

alter puer in fovea aquâ plena,

155 Item in craſtino S. Dioniſii anno prædicto venerunt ad tumulum Viri Dei Willelmus, dictus le Coliare, & Matilla uxor ejuſdem cum multis aliis fide dignis de villa de Nodelwik in comitatu Salopis *, corporali præſtito ſacramento probantes, quòd puer quidam, Ricardus nomine, de prædicta villa, in craſtino S. Joannis Baptiſtæ juxta quamdam foveam aquâ plenam, exiſtentem in manerio abbatis Salopis *a*, quod eſt ibi vicinum, gradiens, forſitan minùs D cautè, caſualiter cecidit in eandem, & ibi jacebat ſubmerſus ab hora diei tertia uſque ad noctis ſequentis crepuſculum. Ubi tandem inventus, cùm veriſimiliter ab aſtantibus crederetur defunctus, parentes ipſius dolore contracti pro ejus reſuſcitatione Domini & ſervi ſui Thomæ pontificis auxilium humiliter implorabant. Qui continuò meritis Servi Dei prædicti revixit, reſtitutus deinceps integræ ſanitati.

tertius fluvio, ſubmerſi, vitæ reſtituti.

156 Circa idem tempus puer quidam, Hugo nomine, filius Criſtophori de Norcherwyche in comitatu Wigornenſi, à quodam ponte, quem propoſuerat pertransîſſe, corruens cecidit in fluvium, ſub eodem ponte currentem, & per dimidii miliaris ſpatium cominus ferebatur ab aquis, quò uſque ad quamdam radicem ſalicis, quam tunc ſibi obicem habuit, adhæreret innixus. Amici autem ipſius, quò devenerat, ſolicitè requirentes, ipſum tandem in fluctibus reppererunt ſubmerſum, vitali ſpiritu jam privatum; quem cum mœrore de fluvio exceperunt, devotè voventes pro ipſo, quatenus in eis erat, quòd, ſi eum per Dei famuli Thomæ pontificis ſuffragium ſuſcitari ad vitam contingeret, ex E tunc annis ſingulis, dum viveret, viſitaret ipſius ſepulchrum: illiſque Dei auxilium aliquandiu invocantibus, protinus puer ille revixit, operante miſericordia Salvatoris. Quod quidem miraculum probaverunt in eccleſia Herefordenſi in *b* *b* apoſtolorum Petri & Pauli anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto *c* Stephanus *c* antecedens *d* & Henricus filius Stephani, cum *d* aliis pluribus fide dignis.

Simile beneficium puellæ * Cantabrigiæ

157 Item circa idem tempus ad tumulum Viri Dei venerunt de comitatu Cantebrigg *, Willelmus de Wynpole, Willelmus Vote & Walterus de Picheforde, probantes, quòd quædam puella, nomine Iſabella, filia antedicti Willelmi de Wynepole in vigilia S. Joannis Baptiſtæ circa horam nonam diei cecidit in foveam aquâ plenam, & in ipſa jacebat ſubmerſa tanto temporis ſpatio, quanto poſſet via unius miliaris communis ab homine peragrari lento paſſu: cujus ſpiritum æſtimabant ſupervenientes totaliter exhalatum; pro qua cùm aſtantes devotè voviſſent Pontifici antedicto, ſubitò viſa eſt reſpirare & meritis Viri Dei priſtina ſanitate vigere. F

& alteri puero collatum.

158 Item circa idem tempus acceſſerunt ad tumulum Viri Dei Thomas de Croudene, Philippus de Brigger & Henricus, filius Willelmi de Brigger, in comitatu Cantebrigiæ, probantes fideliter, quòd quidam puer, Willelmus nomine, filius Gilberti de Croudene, antedicta die quadam horâ nonâ cecidit in profundum putei, de quo ſolent homines aquam cum corda & ſitula exhaurire, & ibi duarum horarum ſpatium latitabat ſubmerſus. Cujus amici ſolicitè, in quam partem ſe diverteret, percuntantes, poſtremò, quod ei contigerat, repererunt. Et cùm perventum eſſet ad puerum, jam defunctum inventum eſt corpus ejus, everſum, caputque infixum in limo profundi. Quo tandem extracto, amici ejuſdem, humano deſtituti auxilio, orationibus inſiſtentes vovebant pro eo Dei ſervo Thomæ pontifici. Nec mora, ecce ſubitò puer ille revixit divina potentia operante, ſuique Famuli merita coram pluribus oſtendente.

159 Item dignum ducitur commendare memoriæ, quòd puella quædam, nomine Agatha

de

Muta & mutus apud Sancti sepulcrum loquelâ donati:

de Confinton, Herefordenſis diœceſis, tredecim annos habens ætatis, cùm per triennium continuum totaliter muta eſſet, & circa tempus prædictum per conſilium amicorum ad tumulum Viri Dei deducta, & per dies quatuordecim in orationibus perſtitiſſet ibidem, tandem die quartodecimo per ſuffragium Servi Dei loquendi potentiam cælitus eſt adepta. Item conſimile miraculum circa idem tempus contigit fieri ad tumulum memoratum, videlicet de Joanne, filio Griffini Waleum de Karmerdine, qui per annos quatuor & ſex menſes omnino mutus effectus, invitis parentibus & amicis, cum cæteris extraneis peregrinis ob gratiam recuperandæ loquelæ verſus Herefordiam arripuit iter ſuum, prædicti Pontificis viſitaturus ſepulcrum. Ubi cùm aliquandiu orationibus ſe dediſſet, & ex devotione ferventi ſepulcri lapidem oſculatus fuiſſet, continuò meritis Servi Dei ſoluto ſilentio, loquendi adeptus eſt liberam facultatem. Quod probatum erat ibidem in craſtino S. Bartholomæi apoſtoli per quàm plures, qui ipſum Joannem mutum viderant toto tempore prænotato.

B *contractus & contracta ſanati:* *e*

160 Circa idem tempus vir quidam, Willelmus nomine, cognomento Meſſur de Scoppeleye in comitatu Hamtone *e*, à die S. Andreæ anno prædicto uſque feſtum S. Laurentii proximò ſubſequens contractus in tantum, ut ſuper manus & genua graderetur deformiter, cùm ſervo Dei Thomæ pontifici votum voviſſet, ſubitò ſtabilem adeptus eſt, largiente Domino, ſanitatem. Item v Idus Septembris anno prædicto mulier quædam, Editha nomine, de Eſſpring in Breudesmerhwe *f*, contracta per biennium & ſex menſes, acceſſit ad tumulum Viri Dei, ipſius auxilium devotiùs invocando. Quem cùm in oratione per triduum præſtitiſſet *g*, ibidem ipſa die tertia conſecuta eſt cælitus ſanitatem, intercedentibus meritis Servi Dei.

f

g

item alteri mutæ loquendi, *h*

161 Circa idem tempus mulier quædam, Eva nomine Abrenon, de parochia S. Waynardi in Ircheneſclo *h* Herefordenſis diœceſis, muta per novem menſes, die Exaltationis S. Crucis anno præfato acceſſit recuperandæ loquelæ gratiâ ad eccleſiam Herefordiæ cathedralem; quæ cùm in pulpitum, quod ibidem coram cruce erigitur, aſcendiſſet, & verbùm emiſiſſet unicum, feſtinans deſcendit, hilarior jam effecta, & coram ſepulchro Viri Dei in oratione proſtrata, ipſius meritis conſecuta eſt loquendi potentiam, quam optârat.

C

aliique contractæ gradiendi facultas ibidem data.

162 Item III Kalendas Octobris anno ſuperiùs annotato miraculum, quod ſequitur, ipſo facto publicè eſt probatum de quadam muliere, Florentia nomine, de London civitate, tunc apud Maresbure commorante, in parochia videlicet S. Eadmundi, quæ in tantum contracta extitit per tres annos, quòd nec tibias neque talos poterat à cruribus * amovere. Cujus tanto vir & pater ipſius dolori & miſeriæ condolentes, eandem contractam in quoddam vehiculum, quod Gallicè Ciner, Anglicè verò Whelberne *i* dicitur, collocârunt, & ita per longa terrarum ſpatia cum immenſis laboribus uſque Herefordiam ſuis manibus deduxerunt. Quam coram ſepulchro Viri Dei recuperandæ ſanitatis gratiâ præſentârunt; ubi cùm aliquandiu pariter cum eadem Dei & ſervi ſui Thomæ pontificis auxilium implorâſſent devotiùs, ecce, nervis contractæ laxatis, membriſque paulatim diſtentis, rectè gradiendi adepta eſt ſufficiens à Domino ſupplementum. Præfato itaque vehiculo derelicto ibidem, oblationibuſque expoſitis, mulier ſic erecta hilaris & incolumis ad propria eſt regreſſa, unà cum ſuis ductoribus in Servi ſui prædicti meritis Deum laudans.

* *an* à clunibus?

i

Puerpera, exanimis credita, facta incolumis: cæci *Ceſtriæ

163 Item VIII Idus Novembris, videlicet die S. Leonardi confeſſoris, anno prædicto acceſſerunt ad tumulum Viri Dei, qui probârunt, quòd mulier quædam, nomine Margarita, de Egreton de comitatu Ceſtre *, poſt partum unius maſculi extitit debilitata in tantum, quòd ab aſtantibus omnino reputabatur exanimis. Et dum de conſilio amicorum circumſtantium in memoriam Viri Dei prædicti plicâſſent unum denarium ſuper eam, adepta eſt cælitus integram ſanitatem, vitæ priſtinæ reſtituta per auxilium Viri Dei. Item die Converſionis S. Pauli anno prædicto vir quidam, nomine Thomas de Chileam de comitatu Cantiæ, qui cæcus fuerat annis ſeptem & ampliùs, ipſa die orans ad tumulum Viri Dei, viſum recepit per auxilium Viri Dei.

illuminati; ſanatus graviter læſus.

k

l

E

m

164 Item VIII Idus Maii anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo octavo *k* vir quidam, nomine Thomas, dictus Sanke, de comitatu de Verby *l*, qui cæcus antea fuerat per tres annos, cùm perſeverâſſet in orationibus per tres dies ad tumulum Viri Dei, viſum miraculosè recepit. Item circa idem tempus quidam armiger, nomine Simon, de Wincestre *m*, jurando aſſeruit, quòd, cùm ipſe fuiſſet in quodam conflictu in Waſconia, per medium caput & oculum dextrum fuit cum quadam lancea letaliter vulneratus; & cùm amici ipſius de vulneratione ejuſdem valdè dolerent, & oblationem pro eo voverent ſervo Dei Thomæ pontifici, infra paucos dies ſanitatem eſt integre conſecutus per auxilium Viri Dei. Item die Inventionis S. Crucis anno prædicto vir quidam, nomine Willelmus de Eliveleye, de comitatu Eboracenſi, cæcus ferè per annum, veniens ad tumulum Viri Dei, & ibidem in devotis orationibus per triduum perſeverans, viſum cælitus eſt adeptus per merita Viri Dei.

Cardiacus votum negligens, relabitur, pœnitens ſanatur.

F

165 Item circa feſtum Aſſumptionis B. Mariæ anno prædicto affuerunt quidam nobiles de diœceſi Norwicenſi, evidenter probantes, quòd vir quidam, in Norwicenſi diœceſi ſatis notus, cardiaca paſſione per decem annos afflictus, ad famulum Dei Thomam Herefordenſem peregre voverat ſe iturum, ſi ab ægritudine memorata Deus per merita Viri Dei ipſum celeri remedio liberaret. Quo facto, totius languoris cælitus dolor abſceſſit, & ipſe, tanquam ingratus filius, Curatoris ſui oblitus votum ſuum ſubſequentibus ſeptem annis negligenter diſtulit adimplere. Quibus annis ſeptem elapſis, die B. Stephani in Natali *n* ad veſperas iterum dicto morbo cœpit horribiliter cruciari; qui denuò devovens Deo & Famulo ſuo prædicto, & ad ipſum viſitandum fidejuſſores inveniens, infra triduum iterum ſanitatem recepit per merita Viri Dei.

n

Puellæ ſubmerſæ vita reddita:

* puella

166 Item die Mercurii proxima poſt feſtum Nativitatis B. Mariæ anno prædicto aderant ad tumulum Viri Dei quidam fideliter aſſerentes, quòd Felicia, filia Willelmi de Weſton, de comitatu Staffordiæ, puer * videlicet ætatis duorum annorum, in puteum quemdam cadens, per ſpatium unius miliaris in eodem jacuit ſic extincta; & cùm pater puellæ prædictæ eam quæreret, nec eam inveniret omnino, tandem venit

Ex Proces. can. ad puteum ſupradictum, & filiam ſuam mortuam ibi videns, ſtatim eam extraxit: quæ ſine omni anhelitu atque vita ab hora matutinali uſque ad horam tertiam exanimis ſic jacebat. Et cùm parentes ipſius defunctæ, de morte ipſius dolentes, eam menſurarent, ut moris eſt patriæ, Viro Dei, ſtatim miraculosè revixit, ſana effecta per auxilium Viri Dei.

errum ſagittæ corpori mirabiliter exemptum: o

167 Item die Veneris proxima poſt feſtum S. Dioniſii anno prædicto aderant ad tumulum Viri Dei, qui evidenter probârunt, quòd, cùm Willelmus de Catewik, de comitatu Suſexie *o*, in quodam prato cum cognatis & aliis extraneis ſagittaret, à quodam cognatorum ſuorum per quamdam ſagittam in dextro humero fuerat graviter vulneratus. Cùm ipſe ferrum ſagittæ à feſto Decollationis B. Joannis Baptiſtæ uſque ad feſtum B. Nicolai *p* proximè ſequens in prædicto humero ſuo portaret infixum, nec ſibi adeſſet poſſibilitas extrahendi, ut poſſet juvari auxilio medicorum; ac perinde * parentes ipſius de ejus vita veriſimiliter deſperarent, ad auxilium Servi Dei confugit, & iturum Herefordiam peregre ſe promittens in honorem Viri Dei, denarium unum plicavit. Quo facto, ferrum prædictum in carne ſua incluſum, & tandiu portatum, ſubitò exiit miraculosè per renes per merita Viri Dei.

p

* proinde

B

ſubmerſus diu mortuus reſuſcitatus. q

168 Item anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono vir quidam, nomine Willelmus le Mercer, de Pynchebek juxta Spalam in Holonda *q*, veniens ad tumulum Viri Dei evidenter probavit, quòd, cùm Walterus filius ſuus tranſitum faceret, minùs cautè gradiendo, juxta quemdam puteum valdè profundum, cecidit in eundem, & in ipſo per duos dies & duas noctes mortuus latuit & ſubmerſus; & cùm diu fuiſſet quæſitus, tandem in hujus * puteo eſt inventus. Cúmque parentes ipſius extraxiſſent eundem * poſt alios duos dies & integras duas noctes jacêret ſic exanimis ſuper terram, coronarii regis expectando adventum, & tandem obtinuiſſent ab eo licentiam, ut corpus defuncti traderent ſepulturæ, reduxerunt ad memoriam de multis miraculis, quæ operatus eſt ipſe Deus per merita famuli ſui Thomæ, & voventes prædictum mortuum Viro Dei, plicaverunt unum denarium ſuper eum: & ecce, ſatis ſubitò, qui mortuus fuerat, miraculosè revixit, reſtitutus integræ ſanitati per merita Viri Dei.

* hoc

**adde* &

C

Unus fratrum vitam, alter loquelam recipit. r

169 Item adducti ſunt ad tumulum Viri Dei duo pueri, filii nobilis viri domini Joannis Burdun militis, de comitatu Notinghram *r*, quorum amici juraverunt, quòd minor filius memoratus tam gravi ægrîtudine per ſeptem dies laboraverat, quòd, ipſis aſtantibus & videntibus, ſpiritum exalavit, & ſic mortuus jacuit ab hora prima diei uſque ad horam undecimam veſpertinam, in qua per conſilium cappellani cujuſdam votum Servo Dei pro ipſius ſuſcitatione fecerunt. Quo facto, puer ſtatim miraculosè revixit, & os ſuum aperuit, cibum ſumens per auxilium ſummi Dei. Item hoc etiam juraverunt amici prædicti, quòd alter filius, ſenior videlicet militis ſupradicti, tam vehementi dolore capitis fuerat cruciatus, quòd loquelam amiſerat per ſpatium totius diei unius; & cùm occaſione paſſionis prædictæ, ut præmittitur, loqui non poſſet, manu ſua innuebat aſtantibus, ut pro ipſo Servo Dei oblationem promitterent, ſicut pro ſuſcitatione fratris ſui eos viderat promiſiſſe: quod cùm devotè feciſſent aſtantes amici, omni ablata doloris anguſtia, ſtatim loquelam recepit, & in * integram ſanitatem per omnipotentiam ſummi Dei.

D

* in *abundat*

Pro mortuo habitus ſubitò ſanus evadit. ſ

170 Item in Vigilia Cathedræ S. Petri anno prædicto venit ad tumulum Viri Dei armiger quidam, nomine joannes de Coluyle, de comitatu Suffolch *ſ*, offerens unum equum pretii duarum marcarum, referens aſſertione fideli, quòd, cùm ipſe quadam die dictum equum equitare contingeret, quædam infirmitas ſubita caput ſuum fantaſiis undique circumvolvens, eum arripuit, per quam viſum & loquelam ſtatim amiſit: quod videntes ſocii, qui cum eo fuerant comitati, duxerunt eum ad domum matris ſuæ non longè à loco illo diſtantem. Quem venientem ad domum matris prædictæ de equo ſumentes, ipſum poſuerunt in lectum, & ſic jacuit tota nocte abſque loquela & viſu. Manè autem facto, accedentes amici ejus ipſum mortuum invenerunt, quem valdè plangentes, pro eo, ſicut pro mortuo, ſepulturæ neceſſaria paraverunt. Horâ autem veſpertinâ mater ipſius defuncti pro morte filii ſui nimio dolore afflicta ad B. Thomæ pontificis ſuffragium devotè confugit, promittens equum filii ſui defuncti, ſi pro ſuſcitatione ſua funderet preces Deo. Quo facto, qui fuerat mortuus, ſtatim revixit, & alloquens matrem ſuam increpare cœpit eandem, eo quòd à dulci ſomno eum voluit excitare, & ſic vitam & ſanitatem cælitus eſt adeptus per merita Viri Dei *t*.

E

t

Equo vita reddita, viſus cæco;

171 Item circa idem tempus vir quidam, nomine Walterus, dictus Herbard, de Godermton juxta Winchetumbe Wigornenſis diœceſis, retulit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſe equum unum haberet, quem mortuum reputabat, ac proinde cùm excoriare proponeret, de conſilio cujuſdam amici aſtantis ipſum menſurare Famulo Dei cœpit: qui ſtatim revixit, ſanitatem integram conſecutus per merita Viri Dei. Item die Dominica in Paſſione anno prædicto mulier quædam, nomine Margarita le Solk-Suoark, per ſacramentum ſuum & teſtimonium plurimorum aſſeruit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſa haberet filium, nomine Robertum, ætatis ferè duorum annorum, qui viſu oculorum à nativitate caruerat, & de conſilio vicinorum & peregrinorum pro eo votum feciſſet famulo Dei Thomæ, & in honorem dicti Præſulis plicâſſet unum denarium ſuper eum, cælitus recepit viſum per merita Viri Dei.

F

item mulier & vir mortui reputati,

172 Item acceſſerunt ad tumulum Viri Dei, qui fide digno teſtimonio aſſerebant, quòd domina Iſabella de Maſſy, uxor domini Ricardi de Maſſy, de comitatu Ceſtriæ, per ſpatium duarum leucarum fuit mortua reputata. Cúmque amici ipſius dominæ Viro Dei pro ea votum feciſſent, viva & ſana cælitus eſt effecta per potentiam ſummi Dei, & in evidentiam hujus miraculi ipſa domina unam tunicam de ſerico obtulit poſtmodùm ad tumulum Viri Dei. Item circa idem tempus, videlicet die Paraſceves anno prædicto, probavit ad tumulum Viri Dei miraculum, quod ſequitur, videlicet quòd, cùm quidam vir, nomine Joannes Tyrop, ad nidum cujuſdam corvi ſcanderet quandam quercum ad æſtimationem ſexaginta quinque pedum & ampliùs, & minùs cautè ſe tenens in ea, caſu fortuito cecidiſſet, & ſic mortuus jacuiſſet per ſpatium horæ unius, & aſtantes eum ſervo Dei Thomæ pontifici menſurâſſent, & plicâſſent unum denarium ſuper eum, oculos ſuos ſta-

tim

A tim aperuit & vitam obtinuit per merita Viri Dei.

alter gravi malo affectus, alter claudus reduntur incolumes.

173 Item circa idem tempus aderant ad tumulum Viri Dei, qui referrent, quòd dominus Thomas de Erbalerbethling tantam infirmitatem & dolorem in collo & in tergo habebat, ut omnino de vita sua propria desperaret; per cujus doloris ingravescentem angustiam timebat, se frenesim incursurum. Cúmque ad Virum Dei Herefordiæ* se promitteret profecturum, confestim sanitatem recepit per merita Viri Dei. Item vir quidam, Joannes nomine, de comitatu Cantiæ, qui per quatuor annos antè claudus extiterat, venit ad tumulum Viri Dei vix cum duobus podiis se sustentans; & dum celebraretur Missa juxta tumulum Viri Dei, ante tumulum se prostravit, orans devotè, ut per merita Viri Dei sibi restitueret sanitatem clementia Salvatoris; & ecce, ipsâ Missâ completâ, restitutus est statim vir ille integræ sanitati per auxilium Viri Dei, prout homo ille juravit, & relictis ad tumulum podiis seu baculis, festinanter ad propria cum magno gaudio sine baculo remeavit.

* Herefordiam

ANNOTATA.

B

a *In Monastico Anglicano tom.* 1, *pag.* 375 *inter monasteria Ordinis S. Benedicti recensetur* Salopiense cœnobium in ejus nominis comitatu, *dicitur que ibidem à Rogerio de Monte-Gomerico & ejus conjuge Adelaisia fundatum fuisse in suburbiis urbis Salopiæ anno* 1083. *Plura vide in laudato Monastico Anglicano.*

b *Lacuna hîc est, ut nesciam, an* in vigilia *an* in festo *legendum sit.*

c *Nonnihil suspicor, substituendum hîc esse* anno Domini millesimo ducentesimo septimo. *Ratio est, quòd, cùm narratio ad mensem Decembrem anni* 1296 *suprà jam pertigerit, hîc ad anteriores ordine menses revertatur; quódque de anno* 1297 *nulla expressa mentio fiat, sed infrà de anno* 1298. *Non est autem verisimile, illo solo anno* 1297 *nulla beneficia per* S. Thomæ *patrocinium à Deo impetrata fuisse.*

d *Fortè aliquid omissum suprà est; non enim scio, cur Stephanus hîc* antecedens, *seu præmissus dicatur.*

e Hantonia, *incolis* Hant-Shire, *unus è comitatibus Angliæ est.*

f *Nescio, an hæc vitiosè scripta sint; sed utrumque nomen frustra quæsivi.*

C g *Mendosa hæc sunt, pro quibus fortè legendum est:* Quæ cùm in oratione per triduum perstitisset.

h *An fortè* Irchenfeld, *qui tractus est comitatûs Herefordiensis?*

i Wheelbarrow *Anglicè est Latinè vehiculum unâ rotâ instructum, & manu trusatile. Galli nunc appellant* brouette.

k *Tunc cœperit currere annus à translatione sacri corporis duodecimus.*

l *Puto, legendum* de Derby, *vel* de Darby, *qui unus è comitatibus Angliæ est,* Darby-Shire *vulgò appellatus.*

m Wincheſter, *Latinè* Vintonia, *& olim* Venta Belgarum, *civitas Angliæ est in Hantonia, episcopalis sub metropoli Cantuariensi.*

n *Id est, in festo natali seu martyrii, quod colitur* 26 *Decembris.*

o Suſſexia, *indigenis* Suſſex, *comitatus Angliæ est.*

p *Si de festo S. Nicolai Myrensis episcopi hîc sermo sit, ferrum istud in Willelmi humero inhæserit ultra tres menses; nam Decollatio S. Joannis Baptistæ recolitur die* 29 *Augusti, natalis autem S. Nicolai Myrensis* 6 *Decembris.* Ex Proces. can.

q *Ut verum fatear, non novi hæc.*

r *Id est,* Nottingham, *sive* Nottingham-Shire, *Latinè* Nottinghamia, *quæ Angliæ comitatus est, cujus caput est urbs pariter* Nottingham *nuncupata.*

s Suffolcia, *vulgò* Suffolk *seu* South-Folke, *comitatus Angliæ est.*

t *Hoc quoque miraculum, ut multa alia, jam fuit suprà relatum.*

CAPUT X.

Miracula & beneficia obtenta anno MCCC *& duobus sequentibus.*

E ITem anno Domini millesimo trecentesimo incipiente, vir quidam, nomine Willelmus de Mallinge in comitatu Cantiæ, qui jam magno tempore brachium sinistrum habuerat taliter conquassatum vel oppressum sub quodam muro lapideo, quòd quasi mortuum seu paralyticum inutile ab humero dependebat, cùm devotè orâsset ad tumulum Viri Dei, ejus brachium fuit cælitus restitutum integræ sanitati per merita Viri Dei. Item circa idem tempus mulier quædam de Manchester de comitatu Langastr. *a*, nomine Margarita, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam filius, ut apparuit, satis sanus, è subitò *b* cadens in terram, ab astantibus fuerat mortuus reputatus veraciter; & cùm ab hora prima diei usque ad vesperam mortuus sic jacêret, & pro ejus suscitatione invocarent astantes Viri Dei suffragium, illico miraculosè revixit per omnipotentiam summi Dei & merita Servi sui.

Paralyticum brachium restitutum: puer à mortuis revocatus:

a

b

175 Item circa idem tempus vir quidam, nomine Hugo de Messingt burgen. Leoministr. *c* Herefordensis diœcesis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm sanus fuisset lectum suum ingressus, tanta inflatio subita contingebat eidem, & tam vehemens dolor cor ejus afflixit, quòd ipsa nocte credidit, & amici ejus, qui aderant, in brevi F spiritum exhalâsse. Sed cùm fuisset servo Dei Thomæ pontifici mensuratus, citò restitutus est pristinæ sanitati per merita Viri Dei. Item circa idem tempus vir quidam, nomine Philippus, dictus Cocus, asseruit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm uxor sua haberet filium, ætatis duorum annorum, & inter brachia matris suæ cum ea in lecto quiesceret, subitò mortuus est inventus; & sic à media nocte usque ad auroram mortuus sic jacebat. Cúmque parentes ejus eundem Viro Dei Famulo mensurâssent, statim revixit per merita Viri Dei.

vir subito corporis tumore liberatus; vitæ reddita infans;

c

176 Item circa idem tempus aderat ad tumulum Viri Dei, qui bona fide assereret, quòd dominus Rogerus de Mortuomari *d* equum unum habebat, qui adeò per infirmitatem diversam gravatus extiterat, quòd per novem dies continuos penitus nihil comedit; cúmque custos equi prædicti ipsum Viro Dei famulo mensurâs-

sanatus equus; contracta tibia restituta usui:

d

Ex Proces. can.

fet, reſtitutus eſt miraculosè & ſubitò ſanitati per merita Viri Dei in tantum, quòd nocte ſequenti duos buſſellos *e* avenæ comederet. Item vir quidam paterfamilias juxta Briſtoll probavit, quòd, cùm filius ſuus ſanus exiſtens & incolumis, ſolus incederet meridie in gardino *f*, omnibus nervis tibiæ ſuæ tam ſubitò eſt contractus, quòd nulla vi manuum ſeu ope patris ibidem præſentis, tibia ejuſdem erigi potuerat. Cúmque ad Virum Dei pater prædictus menſuràſſet filium ſuum prædictum, ſtatim reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati per merita Viri Dei.

e

f

puer ſubmerſus reſuſcitatur; ſurdo auditus, viſus cæco redditur.

177 Item mulier quædam juxta Briſtoll juravit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam filius ſuus parvulus, cadens in puteum aquæ plenum, ſpiritum exhalavit; ſed cùm fuiſſet extractus de puteo, & ab hora nona uſque ad veſperam ſic mortuus appareret, Servo Dei eundem menſurari fecerunt aſtantes; & ſtatim revixit per merita Viri Dei. Item paterfamilias quidam de Cherleton juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm quemdam filium haberet, qui per dimidium ferè annum ſurdus extiterat adeò, quòd nihil penitus potuit per tempus prædictum audire, invocato auxilio Viri Dei, reſtitutus eſt ejus auditus per merita Viri Dei. Item mulier

B

quædam de Baſconia Schireburn juxta Marleberg *g* juravit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam filius ſuus per tres ſeptimanas tantam cæcitatem incurrit, quòd nihil omnino videre valebat. Sed cùm ipſum Dei Famulo menſuràſſet, viſum miraculosè recepit per merita Viri Dei.

g

Loquela leſo, cæco viſus, mortuis

178 Item anno Domini milleſimo trecenteſimo primo incipiente, domina Juliana de Ebylton retulit & probavit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam ſervientium ſuorum ita fuit percuſſus in capite, quòd per quindecim dies loqui non poterat. Cúmque ipſum ſervo Dei Thomæ pontifici menſuràſſet, ſtatim recuperavit loquelam per merita Viri Dei. Circa idem tempus anno prædicto mulier quædam de Pionia canonicorum Herefordenſis diœceſis, acceſſit ad tumulum Viri Dei, adducens cum ea filium ſuum quemdam, qui cæcus fuerat per duodecim ſeptimanas, quæ cùm pro eo Servo Dei oblationem feciſſet, ſtatim miraculosè viſum recepit. Item circa idem tempus quædam mulier de Pionia Regis, Herefordenſis diœceſis, venit ad tumulum Viri Dei, jurans & probans, quòd filius ſuus parvulus circa mediam noctem inter brachia ſua jacens mortuus eſt inventus, & ſic uſque ad horam primam diei jacebat exanimis. Et cùm ad Virum Dei menſuratus fuiſſet, ſtatim revixit, & tertia die ſequenti ad locum prædictum ſanus à ſuis parentibus eſt adductus.

C

vita donata: filia cæca, muta & ſurda, aliuſque paralyticus ſanati.

179 Item eodem tempore, videlicet die Dominica in Ramis palmarum, quer quidam de Oynton juxta Glouceſtriam, Wigornenſis diœceſis, in aquis ſubmerſus, per dimidium diem in ipſis mortuus ſic latebat. Cúmque parentes ejus eum extraxiſſent de aquis, & ad Dei Famulum menſurari feciſſent, eadem die reſtitutus eſt vitæ & priſtinæ ſanitati per merita Servi Dei. Item circa idem tempus aderat ad Viri Dei tumulum, qui probaret, quòd quædam filia Gilberti de Treneweye etiam Hereford. *h* ſana exiſtens poſtmodùm mutatione ſubita in terram caderet, & jacêret cæca, muta & ſurda effecta per duos dies ſequentes. Cúmque parentes ipſius eam Dei Famulo menſuràſſent, ſtatim ſtatus ejus in melius cælitus eſt mutatus,

h

& ipſa ſatis citò reſtituta priſtinæ ſanitati per auxilium Viri Dei. Item circa idem tempus anno prædicto quidam clericus Lincolnenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ipſe tam graviter fuerat multo tempore paralytico morbo percuſſus, ut uſu omnium membrorum ſuorum, maximè ex una parte corporis ſui, careret. Cúmque fuiſſet ad virum Dei Thomam pontificem menſuratus, miraculosè ſaniſſimus eſt effectus.

D

Brachium puellæ malè affectum curatur.

180 Item circa idem tempus anno prædicto acceſſerunt ad tumulum Viri Dei quidam fide digni juxta Wilesbiny Lincolnenſis diœceſis, qui referrent, quòd quædam puella loci prædicti tam horribilem quemdam gibbum inter manum & brachium per ſpatium trium annorum habebat, quòd omnino quoad opera manicalia facienda inutilis ſibimet eſt effecta; ſed cùm ipſam amici ejus Dei Famulo menſuràſſent, gibbus ejus evanuit, & ſtatim per Viri Dei auxilium eſt curata.

Sæva tempeſtas ſedatur;

181 Item anno eodem circa idem tempus quatuor juvenes de Vaſconia juraverunt ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſi de Vaſconia verſus Briſtoll in quadam navi vinis onuſta cum aliis navigarent in mari, & veniſſent in * Hyberniam, circa Croke *i* tam horribilis & horrenda tempeſtas irruit ſuper eos, quòd nautæ nullo navis armamento poſſent juvare: verùm etiam omnes unanimiter navis gubernacula reliquerunt. Et cùm ipſi in tanto periculo conſtituti nimis attoniti jam fuiſſent, ecce, malignus ſpiritus inter eos ſedit in navi. De cujus tam viſione horribili nautæ perterriti, de conſilio navis magiſtri ad Dei & Servi ejus prædicti auxilium confugerunt, ſe in navi humiliter proſternentes, & Dei clementiam expectantes. Et cùm ſic in oratione aliquandiu tacuiſſent * proſtrati, & votum feciſſent Dei Famulo memorato, mox malignus ſpiritus ab oculis eorum evanuit, & ſedata eſt omnis maris tempeſtas, & ipſi ab omnibus periculis liberati proſpere applicuerunt ad portum voluntatis eorum per merita Viri Dei.

** i. e.* circa *i*

E

** an* jacuiſſent?

puer in aquis extinctus reviviſcit; cæca illuminatur; reſuſcitatur puella.

182 Item anno Domini milleſimo trecenteſimo ſecundo incipiente, probabatur ad tumulum Viri Dei, quòd puer quidam juxta Teukesbur *k* Wigornenſis diœceſis, in quodam vaſe aquatico ſubmerſus, quod vulgariter Tina vocatur, per dimidium diem jacuit ſic extinctus; & cùm amici ipſius, qui aderant, ipſum funus Dei Famulo menſuràſſent, reſtitutus eſt vitæ & priſtinæ ſanitati per auxilium Viri Dei. Circa idem tempus vir quidam de Morcebur juxta Briſtoll juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filiam quamdam habebat, quæ per menſem viſum amiſerat oculorum. Sed cùm eam pater ſuus ſervo Dei Thomæ pontifici menſuràſſet, ſtatim viſum recepit per merita Servi Dei. Item circa idem tempus quidam paterfamilias de Epaldigg juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filium habuerat, qui ab hora matutinali uſque ad horam primam diei ſine omni anhelitu jacebat exanimis; & cùm parentes ejuſdem Dei & ſervi ejus Thomæ auxilium invocâſſent, & ipſum, ut moris eſt patriæ, menſuràſſent, ſtatim revixit, qui mortuus fuerat, per auxilium Viri Dei.

k

F

Incendium extinctum; vulnus tibiæ curatum;

183 Item circa idem tempus ad tumulum Viri Dei aderat, qui retulit veraciter & probavit, quòd, cùm domus ſua ex omni parte eſſet accenſa, & flamma ignis huc & illuc tende-

ret

A ret in diverſa, nec eſſet ibidem humanum remedium exoptandum, ad ſolius Dei & Servi ſui remedium devotè confugit; ſed cùm, invocato Dei auxilio, plicâſſet in Servi ſui memoriam unum denarium ſuper ignem, totus ignis ille ſubitò eſt extinctus. Item circa idem tempus juvenis quidam de Derkel acceſſit ad tumulum Viri Dei, qui aſſeruit, ſe percuſſum fuiſſe per mediam tibam quâdam ſagittâ. Cúmque ad Virum Dei pro curatione tibiæ ſuæ oblationem voviſſet, infra ſeptem dies extitit reſtitutus priſtinæ ſanitati, nulla ad hæc interveniente curatione humana.

ſanatus paralyticus; puero vita reddita; l

184 Item circa idem tempus acceſſit ad tumulum Viri Dei quidam, Petrus nomine, de Clare in Senret in Marchia Scotiæ *l*, qui habitum Fratrum S. Auguſtini portabat, jurans, quòd morbo paralytico tam graviter percuſſus extiterat, quòd uſum membrorum ſuorum, maximè ex una parte ſui corporis, non haberet. Cujus morbi ingraveſcente anguſtia, loquelam, viſum & ſenſum perdidit per ſex dies continuos; & cùm frater ejuſdem plicâſſet unum denarium ſuper eum, ſanitatem cælitus eſt adeptus per merita Viri Dei. Item anno Domini ſupradicto probatum fuit ad tumulum Viri Dei,

B quòd Adam le Wiſe de Glouceſtr * nutricem habuerat, quæ puerum dicti Adæ ſecum in lecto nocte jacentem oppreſſerat; qui per ſpatium unius horæ diei mortuus ſic jacebat; ſed cùm prædictum puerum amici aſtantes ſervo Dei Thomæ pontifici menſurâſſent, ſtatim revixit per auxilium Viri Dei, & in hebdomada ſequente puer prædictus, miraculosè reſuſcitatus, à nutrice prædicta ſanus ad Herefordiam eſt portatus.

* *i.e.* Gloceſtria

puer contrito capite reſuſcitatus, mulier de vita periclitans, ſanata.

185 Item circa idem tempus vir quidam, Robertus nomine, dictus Ruſſel, de Erdefelde juxta Tenkesbur * Wigornenſis diœceſis, retulit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſe duceret carrum ſuum terrâ onuſtum in campum, & quidam filius ſuus parvulus juxta carrum adeſſet, rota ipſius ultra caput prædicti pueri tranſiens, ipſum oppreſſit, & omnino contrivit. Et cùm pater ejuſdem morte filii valdè doleret, & Dei ſervi ejus * Thomæ auxilium invocaret, ipſum more ſolito menſurando, ſtatim revixit per merita Viri Dei *m*. Item die B. Auguſtini anno prædicto vir quidam, nomine Nicolaus de Troſtrei juxta Orcheton, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm Blunda uxor ſua tam graviter ægrotaret febre acuta, quòd per duos dies continuos nec loqui poſſet nec videre; ac proinde maritus ſuus prædictus de ejus vita totaliter deſperaret, quamdam vaccam pro eo Viro Dei ſe donaturum promiſit: quo facto, illico oculos ſuos aperuit, reſtituta loquelæ & integræ ſantitati per merita Viri Dei.

* Tewkesbury

* *abundat* ejus

m

C

Puer è febri mortuus reputatus, & juvenis ex angina facti incolumes.

186 Item quidam paterfamilis de Salopia juravit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam filius ſuus tam gravi morbo, ſcilicet febri acuta, vexatus extiterat, quòd judicio multorum aſtantium ſpiritum exalavit; & ſic ab hora veſpertina uſque ad mediam noctem ſequentem ſine omni ſpe vitæ jacebat. Sed cùm parentes ipſius defuncti Servo Dei votum feciſſent, & eum, prout moris eſt patriæ, menſurâſſent, ſtatim mortuus ille revixit, ſanitatem integram cælitus conſecutus. Item circa idem tempus juvenis quidam de Gylgauri in Hybernia juravit ad tumulum Viri Dei, quòd tam vehemens dolor, * de quodam apoſtemate interiori proveniens circ um dederat guttur ſuum, per octo dies eum affli-

* *adde* qui

Ex Proces. can.

xit, quòd nihil guſtare nec etiam loqui poſſet. Cúmque de conſilio cujuſdam fratris aſtantes amici infirmi eum Dei Famulo menſurâſſent, mox omnis dolor abſceſſit, ita quòd ſtatim comedendi, bibendi & loquendi facultatem obtinuit per merita Viri Dei.

Amiſſus viſus mulieri, puero gradiendi facultas data.

187 Item vir quidam, nomine Thomas de Welles, dictus le Porter, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm Alicia uxor ſua in puerperio decubaret, ſubitò viſum amiſit, & ſic ab hora veſpertina uſque ad mediam noctem omnino cæca remanſit. Cúmque vir ejus plicâſſet unum denarium ſuper eam atque eam ducendam fore ad tumulum Viri Dei Herefordiæ, promiſiſſet, ſtatim viſum miraculosè recepit. Item idem Thomas aſſeruit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam filius ſuus Willelmus, puer ætatis trium annorum, tam pedes quàm tibias adeò mortificatos habebat, quòd per unum annum & dimidium ſibi omnino impotens & inutilis remaneret. Cúmque pater ipſius plicâſſet unum denarium ſuper eum, & ipſum puerum Virum Dei devotè viſitaturum, promitteret, ſanitatem priſtinam eſt adeptus per merita Viri Dei.

E

Mulier è gravi morbo contracta, facto voto, erigitur.

188 Item mulier quædam de Salopia, nomine Agnes de Detteleye, aſſeruit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm nocte quadam ſe ſanam ſopori dediſſet, tantam inflationem per totum corpus ſuum incurrit, & tam vehementi dolore cœpit affligi, quòd per quindecim ſeptimanas nihil comedit aut bibit, niſi forſitan aliqua liquida vel ſorbilia loco cibi; nec etiam per quinque ſeptimanas per feceſſum, vomitum, vel urinam aliquid à ſe, ut natura depoſcit, emiſit; & ſic quaſi clauda per annum dimidium jacuit miſerabiliter etiam contracta. Cúmque amici ipſius eam Dei Famulo menſurâſſent, ſtatim cum adminiculo cujuſdam podii, ſive baculi, greſſum qualemcumque recepit. Sed cùm Virum Dei devotè ſe viſitaturam peregrè promiſiſſet, mox ſingulis oſſibus ſui corporis quaſi fragorem inter ſe dantibus, ſe erexit, brachia & tibias ſua extendit, ſanitati per membra omnia reſtituta per auxilium Viri Dei.

Infans vitæ reddita; vir greſſu donatus;

F

189 Item vir quidam, nomine Willelmus Stary, de parochia de Wodirford Herefordenſis diœceſis, cum uxore ſua venerunt ad tumulum Viri Dei, jurantes, quòd filia eorumdem parvula, ætatis duorum annorum, nomine Matilda, per quoddam oſtium obruta ſeu oppreſſa, judicio cunctorum aſtantium ſpiritum exalavit; & ſic mortua per ſpatium duorum miliarium & ampliùs ſic jacebat. Cúmque parentes defunctæ eam Dei Famulo menſurâſſent, ſtatim revixit, ſatis ſubitò reſuſcitata ſanitati & vitæ per auxilium Viri Dei *n*. Item vir quidam, nomine Hugo, filius Matillidis de Dureford Herefordenſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſe quodam gladio in tibia ſiniſtra graviter vulneratus fuiſſet, quòd, nervis tibiæ ſuæ cæſis, duobus baculis multo tempore ſe ſuſtentans miſerabiliter graderetur, ad virum Dei Thomam votum emiſit, & eum devotè ſe viſitaturum promiſit; qui voti emiſſi non immemor ad Herefordiam eſt portatus, & dimiſſis ibidem baculis, remeavit ad propria, Deum laudans per auxilium Viri Dei.

n

puella ſubmerſa, reſuſcitata.

190 Item vir quidam, nomine Gervaſius de Lankadok, prope Druſlan, & Agnes uxor ipſius venerunt ad tumulum Viri Dei, jurantes,

Ex Proces. can. quòd quædam filia ſua, nomine Mabelia, in quoddam * fluvium, qui vocatur Tewy, per inundationem aquæ dejecta, in eodem fluvio jacuit ſic ſubmerſa ab hora nona uſque ad horam veſpertinam ejuſdem diei. Cúmque extracta fuiſſet ab aqua, uſque ad horam primam ſequentis diei mortua ſic jacebat; ſed cùm pro reſuſcitatione ejuſdem puellæ ipſam Dei Famulo menſurâſſent, ſtatim revixit, priſtinæ ſanitati cælitus reſtituta per omnipotentiam ſummi Dei.

* *in* quemdam

malum pedis equi ſublatum;

191 Item clericus quidam de familia domini Reginaldi de Grey *o* venit ad tumulum Viri Dei, aſſerens teſtimonio fide digno, quòd, cùm ipſe de Wigornia verſus Herefordiam iter perageret, quaſi ſolicitè inquirendo de miraculis, quæ operata eſt divina potentia meritis Servi ſui; equus ſuus, priùs ſanus exiſtens, cœpit ſubitò claudicare per ſpatium itineris duodecim leucarum, pedem ad terram vix figens; cui ſubveniri non poterat remedio mareſcalli *p*; ſed cùm dominus equi prædicti in honore Viri Dei denarium unum plicâſſet, mox pedem claudum ſeu læſum figens ad terram, dominum ſuum, ut priùs, ſanus miraculosè effectus ad locum optatum reduxit per auxilium Viri Dei *q*.

o

p

B

q

cæca illuminata, ſubmerſæ vita reddita.

192 Item vir quidam, nomine David Map Phelip de Lancadok, venit ad tumulum Viri Dei, jurans & probans, quòd uxor ſua, nomine Everik, per unum annum & dimidium viſum amiſerat oculorum; cúmque per tres dies devotè orâſſet ad tumulum Viri Dei, ſubitò viſum recepit. Item mulier quædam, nomine Matilda la Coppeſtr, de Malmesbur *, venit ad tumulum Viri Dei, & juravit, quòd filia ſua, nomine Eleonora, in aquis ſubmerſa jacuit mortua ab hora prima diei uſque ad horam nonam ejuſdem diei. Cúmque mater puellæ defunctæ ipſam Dei Famulo menſurâſſet, ſtatim revixit per omnipotentiam ſummi Dei & merita Servi ſui.

* Malmesbury

ANNOTATA.

C

a *Lege* Lancaſter, *ſeu* Lanca-Shire, *Latinè* Lancaſtria, *qui comitatus Angliæ eſt ad mare Hibernicum. In eodem comitatu ſitum eſt vetus oppidum, olim* Mancunium *&* Manucium, *nunc* Mancheſter *appellatum.*

b *Id eſt*, derepentè, inopinatò.

c *Id eſt*, burgenſis Leomeniſtriæ, *ſeu* civis Leominiſtriæ, *quod oppidum Angliæ eſt in comitatu Herefordienſi, Latinè* Leonis-monaſterium, *Anglicè* Leonminſter *&* Lemſter *dictum.*

d *Suprà jam obſervavi, familiam de* Mortuomari, *vulgò* de Mortimer, *à Camdeno illuſtribus Angliæ familiis accenſeri.*

e Buſſellus *&* boiſſellus, *Gallicè* boiſſeau, *medio ævo uſurpata vox eſt pro* modio, *ſeu certa menſura frumentorum.*

f *Id eſt*, horto, *à Gallico* jardin.

g *Non intelligo, quid hæc (ſi tamen rectè ſcripta ſint) ſibi velint.*

h *Fortè* Herefordiæ, *vel* Herefordenſis diœceſis.

i *Forſitan legendum eſt* Corck, *cujus nominis eſt civitas* Corcagia *dicta in Hiberniæ provincia Momonia, & in comitatu Corcagienſi, cujus caput eſt, ſedetque ad Saverenum fluvium, portum habens capacem & commodum, licèt aliquot milliaribus diſtet à mari.*

k Tewkesbury, *teſte Camdeno, aliis* Therci curia, *amplum & elegans Angliæ oppidum eſt in comitatu Gloceſtriæ.* D

l Marchia, *aliàs* Merchia, *vulgò* The Merche, *parva provincia Scotiæ Meridionalis eſt, Twedâ fluvio ab Anglia, ſeu Northumbria, ſeparata, & ad mare Germanicum extenſa.*

m *Vide miraculum hoc in Parte* 1, *à num.* 37 *fuſiùs meliúſque expoſitum & confirmatum.*

n *Eſt & hoc miraculum ex relatis ſuprà.*

o *Apud Camdenum ſæpe laudatum familia* de Grey *inter illuſtriores familias Angliæ memoratur.*

p *Id eſt, ut ſuprà jam dixi, veterinarii, ſeu medici equorum.*

q *Fortè vir ille iſtud mali ſibi arceſſiverat, malè de* S. Thomæ *miraculis ſentiendo.*

CAPUT XI.

Reliqua miracula & beneficia annis MCCCIII, MCCCIV *&* MCCCV *impetrata.* E

Puer ſubmerſus ad vitam revocatus; tuber brachii ſublatum;

ANno Domini milleſimo tricenteſimo tertio quidam Walterus de Hayles molendinarius juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filius ſuus parvulus, ætatis quatuor annorum, in ſtagno abbatiæ molendini de Hayles *a* prædicta ſubmerſus, ſic extinctus jacuit in eodem ab hora nona diei uſque ad auroram diei ſequentis. Sed cùm ipſum extraxiſſent ab aquis parentes pueri, ſic defuncti, & ipſum Dei Famulo menſurâſſent, ſtatim revixit reſtitutus priſtinæ ſanitati. Item juvenis quidam de Wincheleſe, nomine Thomas, de Maydeneſtan Cantuarienſis diœceſis, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm ipſe haberet ſuper brachium quemdam gibbum nimis horribilem & tumentem per ſpatium octo hebdomadarum & ampliùs, & Servi Dei ſuffragium invocaret, ac ſe manum eidem argenteam facturum, devotè promitteret, à gibbo prædicto cum admiratione multorum fuit concitò liberatus.

a

F

linguâ mutilato reſtituta loquela.

194 Item aderant ad tumulum Viri Dei, qui fideliter aſſerebant, quòd, cùm vir quidam, nomine Willelmus Franciſci, juxta Dancaſtr. per loca nemoroſa tranſitum faceret, incidit in latrones, qui ipſum per multas partes corporis graviter vulnerantes, magnam partem linguæ ipſius inhumaniter amputârunt; unde per ſpatium quindecim annorum proximò ſequentium violenter mutus effectus, loca diverſorum Sanctorum perſonaliter viſitavit. Sed cùm nullum exinde ſibi proveniret remedium, tandem ad virum Dei Thomam pontificem ſe convertens, ipſius ſuffragium humiliter imploravit, & ipſum Virum Dei viſitaturum peregre, ſicut potuit, ſe promiſit; & ecce, nocte quadam, cùm ſe ſopori dediſſet, quidam Sacerdos veſtimentis ſuis indutus, & quaſi ad celebrandum paratus, ſibi * apparuit; qui propitius accedens ad eum, miſit tres ſuos digitos in os ejus, & traxit uſque ad effuſionem ſanguinis linguam ejus; & ſtatim miraculosè recuperavit loquelam meritis Viri Dei. Nec eſt prætermittendum, quòd prædicti ſanguinis effuſio, ei facta in ſomnis, à multis vicinis in villa de Donne-

* ei

hram

A hram recens eſt viſa in craſtino manifeſtè *b*.

b *E vulnere mutus loquelam recipit; reviviſcit falco; reſuſcitatur puer,*

195 Item juvenis quidam de Blakemore, nomine Robertus, de comitatu Ceſtriæ, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd ipſe tam horribiliter fuerat caſualiter ſagittatus, quòd per novem dies loqui non poterat. Cúmque amici ejus ipſum Dei Famulo menſurâſſent, infra triduum recuperavit loquelam, reſtitutus in brevi ſanitati per merita Viri Dei. Item vir quidam, nomine Osbertus Giffard, aſſeruit ad tumulum Viri Dei, quòd ipſe habuerat unum falconem, qui ſe de pertica ſua dejiciens per ſpatium itineris decem leucarum mortuus ſic pepèndit; & cùm Servo Dei fuiſſet more ſolito menſuratus, ſtatim revixit. Item mulier quædam, nomine Margarita de Schardeburg, cùm quodam filio ſuo parvulo accedens ad tumulum Viri Dei, ibidem aſſeruit, quòd idem filius ſuus in villa prædicta per inundationem aquæ ſubmerſus ſic jacuit mortuus nocte illa, & in craſtino uſque ad horam primam diei. Sed cùm mater ipſius filium ſuum mortuum ad Dei Famulum menſurâſſet, ſtatim revixit per adjutorium & merita Viri Dei.

B *item alter; cæcitas divinitus inflicta, ſublata pœnitenti.*

196 Item vir quidam, nomine Ricardus Gregorii de Keycelſton in valle de Beauver, cum uxore ſua, nomine Emma, juravit ad tumulum Viri Dei, quòd filius eorumdem, nomine Nicolaus, in quodam foſſato ſubmerſus, per ſpatium quinque leucarum jacuit mortuus in eodem. Cúmque ad Dei Famulum menſuratus fuiſſet, citò revixit, reſtitutus in brevi integræ ſanitati per merita Viri Dei. Anno Domini milleſimo tricenteſimo quarto, videlicet die Martis proxima poſt feſtum Aſcenſionis Domini, venit ad tumulum Viri Dei quidam paterfamilias de Woreceſtr. *c* cum quodam filio ſuo muto, & ibidem aſſeruit, quòd, cùm idem filius ſuus, clericus ætatis ſexdecim annorum, imaginem B. Mariæ in eccleſia de Vorceſtr nimia vetuſtate conſumptam négligenter combureret, & Deum quaſi ludendo, caput dictæ imaginis accenſæ digitis ſcalperet, ſive tangeret minùs dignè, ſtatim loquelam amiſit, & ſic per novem dies continuos mutus permanſit. Qui cùm ad locum prædictum veniſſent, & vota ſua Deo & Servo ejus feciſſent, eodem die facultatem loquendi recepit.

c

C *Puer revocatus ad vitam:*

197 Item die S. Trinitatis anno prædicto quidam paterfamilias de Fornby de comitatu Lancaſtr acceſſit ad tumulum Viri Dei cum quodam filio ſuo parvulo, ætatis duorum annorum, & aſſeruit tunc ibidem, quòd idem puer ſubmerſus fuit in quodam vivario, & ſic jacuit in aqua ab hora nona uſque ad undecimam horam diei. Cúmque extractus fuiſſet, & pro eo votum Dei Famulo emiſiſſent parentes ipſius, eadem nocte revixit, reſtitutus ſatis celeri ſanitati.

contractus poſt viſionem votumque ſanatus;

198 Item vir quidam de London, nomine Willelmus Frere, cum matre ſua & aliis fide dignis aſſeruit ad tumulum Viri Dei, quòd ipſe Willelmus per quadriennium & ampliùs ita claudus jacuit & contractus, quòd durante tempore memorato in nullo potuit ſe movere vel gradi; ſed cùm mater ejuſdem infirmitati filii ſui compatiens ad diverſa loca Sanctorum in quodam vehiculo ad hoc aptato, quodam funiculo mediante, traxiſſet eundem, non * tamen exinde aliquod ſibi ſentiret remedium, poſt lapſum temporis nocte quadam in ſomnis fuit ſibi divinitus revelatum, quòd virum Dei Thomam pontificem Herefordiæ viſitaret, & ſanitatem procul dubio obtineret. Manè autem facto, cùm votum Servo Dei feciſſet, tibias & corpus erexit, ita quòd ſtatim duobus baculis ſuſtentatus rationabiliter graderetur, & ſic in brevi, dimiſſis ibidem baculis in ſignum miraculi, ſanus & gaudens ad propria remeavit per merita Viri Dei.

* nec

cæca, divinitus monita ad Sancti tumulum proficiſcens, viſum recipit.

199 Item venerunt ad tumulum Viri Dei vir quidam, nomine Joannes de Wallere, de Wyneleſtrop Lincolnenſis diœceſis, & uxor ejuſdem, nomine Matilda de Brokton, aſſerentes, quòd dicta Matilda per unum annum & novem ſeptimanas viſum omnimodum amiſerat oculorum. Et cùm quadam nocte in lecto ſuo jacêret, pro cæcitate, quam incurrerat, multùm dolens, viri Dei Thomæ pontificis devotè auxilium invocavit; & cùm anguſtiis & tribulationibus nimis eſſet afflicta, ſopor repentè irrupit ſuper eam, & continuò vocem cujuſdam pueri ſic ſecum loquentis audivit. Mulier, modò evigila, & Thomæ pontifici Herefordiæ gratias dignas perſolve, pro cujus invocatione celerem ſanitatem recipies. Qua * expergefacta à ſomno laudes Deo & Servo ſuo devotas cœpit perſolvere, & unum denarium modo ſuo ultra ſe fecit plicare *; nec mora, cùm arripuiſſet verſus Herefordiam iter ſuum, & continuâſſet per unum diem iter arreptum, viſum oculorum ſuorum cælitus eſt adepta per merita Viri Dei.

* Quæ E

* plicari

Canonicus Regularis diuturno ſanguinis vomitu laborans, &

200 Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinto intrante, vir quidam, frater Robertus de Cline, canonicus Regularis abbatiæ de Ledes *d*, Cantuarienſis diœceſis, venit ad tumulum Viri Dei, probans per abbatem ſuum & duos confratres ſuos domus ſuæ prædictæ, quòd ipſe per unum annum & dimidium paſſus erat per os fluxum ſanguinis tam enormem, quòd bis vel ter in hebdomada ad quantitatem dimidiæ lagenæ, vel ad quartam partem unius lagenæ puri ſanguinis abſque aliqua alia alterius coloris admixtione evomeret. Sed cùm nullo auxilio medicorum potuerat ſubveniri, & omnes amici ejus de ipſius convaleſcentia veriſimiliter deſperarent, & præcipuè abbas ſuus, qui eum tenerè diligebat, præcepit ipſum infirmum cum quodam confratre ſuo in infirmaria honeſtiori modo, quo potuit, cuſtodiri.

F *in ſomno monitus, votum emittit & ſanatur.*

201 Et cùm æger ille ibidem aliquandiu moraretur, quadam nocte in ſomnis quidam juvenis ſibi apparuit, indutus veſtibus clericalibus, dicens ei: Si ſanitatem ſtatus tui deſideres, aliquod beneficium ſpecialiter te facturum in honore Thomæ de Cantilupo, devotè promittas, ob cujus merita priſtinam recipies ſanitatem: quibus dictis, ſtatim evanuit. Qui à ſomno expergefactus, & de viſione prædicta lætus effectus, abbati ſuo & omnibus ſuis confratribus, in ſuo capitulo congregatis, viſionem ſuam, ut potuit, ut præmittitur, per ordinem narravit; & tunc demum de conſilio ſui abbatis & ſuorum confratrum ſervo Dei Thomæ votum emiſit, quòd ipſum videlicet Herefordiæ viſitaret, & etiam à carnibus per quintam feriam, quò uſque votum ſuum impleverit, interim abſtineret. Cujus voto ad Virum Dei, ut præmittitur, ſic emiſſo, ſtatim reſtitutus eſt integræ ſanitati, in tantum, quòd nihil poſtmodùm in toto vel parte priſtini ſui languoris ſentiebat gravamen.

Puer matutus vitæ reſtituitur:

202 Item die Martis in hebdomada Penteco-

ſtes anno prædicto vir quidam Wallenſis, nomine

Ex Proces. can. ne Henrich, dictus Wariok, de parochia de Taliton de Nihervent, probavit ad tumulum Viri Dei, quòd quidam filius suus Nicolaus, puer ætatis quatuor annorum, gravi infirmitate gravatus ab hac vita decessit, & tanto temporis intervallo jacuit sic defunctus, quanto possent sex miliaria peragrari ab homine lento passu. Sed cùm mater ipsius pueri pro dolore clamaret, & multos ex vicinis suis ad funus sui filii convocaret, inter alios affuit pater ejus; & dum devotè suffragium Viri Dei invocaret, & pro resuscitatione sui filii ei denarium unum plicâsset, statim revixit per omnipotentiam summi Dei, & merita Servi sui.

mutus loquelam, contractus vel paralyticus membrorum usum obtinent.

203 Item circa idem tempus vir quidam, nomine Ricardus de Estowemarkat, filius Willelmi de Vrap, de Enthfolk, quæ distat à Burgo S. Edmundi *e* regis & martyris per decem miliaria, per decem annos priùs mutus existens, venit ad tumulum Viri Dei, & ibidem aliquandiu in devotis orationibus perseverans, loquendi potentiam cælitus est adeptus per suffragium Viri Dei. Item vir quidam, nomine Philippus, filius Walteri Paynel, de Magna Cawerne Herefordensis diœcesis, asseruit ad tumulum Viri Dei, quòd, cùm quadam die, horâ meridianâ in domo quiescet, ita deformiter & subitò est contractus quinque sequentibus annis & ampliùs, ut omnia membra ejus ab umbilico & deorsum quasi mortua seu paralytica redderentur, nec posset etiam per manûs officium se juvare. Cúmque parentes ipsius de sua convalescentia verisimiliter desperarent, & ipse æger in tantis angustiis constitutus magis mori quàm sic vivere affectaret, ad Viri Dei auxilium cum devotione maxima confugerunt, ipsum more solito Dei Famulo mensurantes, & se visitaturum * ipsius Viri Dei tumulum, promiserunt. Quo facto, statim æger ille incepit meliùs se habere, & recuperavit in crastino integram sanitatem in omnibus membris suis, ita ut totus sanus effectus ad propria cum gaudio remearet.

*visitaturos

ANNOTATA.

a Haylense *cœnobium Ordinis Cisterciensis dicitur in agro Gloceſtrienſi fundatum fuisse anno 1246 à Richardo Cornubiæ comite. Consule, si lubet, Monasticum Anglicanum tom. 1, pag.* 928.

b *Sequitur hîc instrumentum, seu litteræ Aniani episcopi Bangorensis in Wallia, aliorum sigillis subsignatæ, de miraculo pueri, qui apud castrum de Conewey in Walliæ comitatu Arvonia in fossatum lapsus, ibidemque mortuus, per* S. Thomæ *patrocinium vitæ redditus fuit; sed quoniam has litteras totidem verbis jam recitavi in prima Parte miraculorum num.* 58 *& sequenti, hîc prætermitto.*

c Worceſter, *Latinè* Vigornia, *episcopalis civitas & comitatus Angliæ est, de quibus crebra facta mentio est.*

d *Tomo* 2 *Monastici Anglicani pag.* 110 *dicitur* Prioratus de Ledes in agro Cantiano *anno* 1119 *fundatus esse à* Roberto de Crepitocorde, *seu* de Crevecoeur, *& canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini traditus.*

e Burgus S. Edmundi, *vulgo* S. Edmondsbury, *oppidum Angliæ est in comitatu Suffolciæ, quod ab eodem Sancto ob depositum ibidem corpus ejus, nomen accepit. De hoc sancto rege Anglorum Orientalium & martyre agetur in Opere nostro ad diem* 20 *Novembris, qui ejusdem martyrio sacer est.*

APPENDIX
DE MIRACULIS.
CAPUT I.

Sancti vestes salubriter adhibitæ: Herefordiensis episcopus sanatus: phrenetica sanæ menti reddita: verrucæ mirabiliter sublatæ: cæco visus restitutus.

Sancti vestes mox post obitum pro sacris reliquiis habitæ:

Quamvis multa sanè miracula beneficiaque, per S. Thomæ *potens patrocinium miseris mortalibus collata, ex processu recitaverim, supersunt tamen & alia ex eodem referenda, quæ in certam classem & ordinem non fuerant redacta, sed ab idoneis juratisque testibus nihilominus asserta. Vixdum sanctus Episcopus obierat in Tuscia suburbicaria, quin apud Anglos suos privatim honorari ac invocari utiliter cœperit. Testem produco Wilhelmum Jaudre, ejusdem Sancti domesticum, de quo inter testes quinquagesimo tertio loco in processu sic legitur.* Dixit, quòd dictus dominus Thomas ante ejus recessum ad curiam (*Pontificiam*) dederat vestes suas integras, quibus utebatur, eidem testi; & erant de brunetta rossa (*id est, de panno laneo, rubro colore tincto*) & post obitum dicti domini Thomæ, antequam ejus ossa fuissent apportata ad ecclesiam Herefordiensem, gentes petebant ab ipso teste, quòd daret eis aliquam particulam de dictis vestibus pro reliquiis in honorem & memoriam dicti domini Thomæ; & ipse dabat eis. Et idem petierunt post obitum dicti domini Thomæ; & per frusta minuta sic dedit garnachiam (guarnaccia *Italis vestis talaris est*) & tunicam dicti domini Thomæ. Mantellum autem & capucium retinuit sibi, pro quibus fuerunt sibi oblatæ viginti libræ sterlingorum à quodam rectore cujusdam ecclesiæ de Wallia, cujus nomen dixit se nescire.

ejusdem capucio dolor capitis abactus;

2 Et dictus testis noluit eas recipere propter devotionem, quam habebat in dictum dominum Thomam & adhuc habet, sicut in Sanctum, & quia Deus operabatur miracula pro dictis mantello & capucio (*id est in eorumdem usu*) postmodùm dictis dominis episcopis (*commissariis Apostolicis, quos sæpe laudavi*) exhibitis, vetustate non consumptis nec à tineis corrosis, in honorem & ad invocationem nominis dicti domini Thomæ. Et narravit, jam esse XXIII annos vel circà, quemdam Wallensem (*id est ex Wallia, Magnæ Britanniæ provincia ortum*) cujus nomen dixit se nescire, venisse ad civitatem & ecclesiam Herefordiensem ad tumulum dicti domini Thomæ, ratione doloris magni, quem

A quem asserebat dictus Wallensis se fuisse passum in capite per multos annos, & venerat, ut meritis dicti domini Thomæ miraculosè curaretur ibidem. Accedens autem dictus Wallensis ad domum ipsius testis rogavit eum, quòd traderet sibi dictum capucium, quod fuerat dicti domini Thomæ, ut posset induere eum, quia sperabat, ex hoc posse consequi sanitatem. Cùm autem dictum capucium sibi traditum tenuisset per valdè modicam horam indutum, ante horam nonam dixit idem Wallensis eidem testi, totum prædictum dolorem capitis fuisse sedatum; & sic recessit à prædicto teste, nec postmodùm vidit eum. *Cùm testis ille anno* 1307 *numeraverit annos* 23, *vel circà, à curatione Wallensis elapsos, oportuit hanc circa annum* 1284, *seu triennio ante ossium translationem, anno* 1287 *factam, contigisse.*

parturientes levatæ: cubicularius episcopi ex calculis laborantis,

3 *Incertioris temporis sunt, quæ de ejusdem mantelli usu, puerperis salubri, adjunxit ibidem his verbis:* Cùm multæ mulieres civitatis Herefordiensis laborarent in partu, & prædictum mantellum ex devotione petitum & traditum apponeretur super eas, statim expediebantur à B partu meritis dicti domini Thomæ. De nominibus tamen dictarum mulierum interrogatus respondit, se non recordari, nec etiam de certo tempore, quo prædicta contigerunt. *Alterum memoriæ prodidit Robertus Deyntè, in processu testis sexagesimus, qui* super tertio articulo de veritate miraculorum requisitus, narravit, quòd jam sunt multi anni elapsi, quòd dominus Ricardus, nunc episcopus Herefordiensis, cujus idem testis est, & erat tunc, camerarius, fuit graviter infirmus adeò, quòd medici & alii desperabant de vita ipsius, potissimè cùm ex infirmitate lapidis nimiùm aggravatus, de quinque vel sex septimanis non fuisset egressus cameram suam. Quadam autem nocte, ipso teste dormiente in camera dicti episcopi, visum fuit sibi, quòd audiret quamdam vocem dicentem sibi, quòd surgeret, & unciam pollicis dexteri dicti domini Thomæ, quam unciam ipse testis secum habebat, lavaret in vino, quod vinum erat in quodam urciolo * argenteo in eadem camera in quadam fenestra, & erat rubeum; & quòd dictum vinum, cum quo lavasset * dictam unciam pollicis, daret in potum dicto episcopo, & curaretur.

* urceolo

* lavisset

C *nocte tertiò divinitus monitus, vinum, quo articulum digni Sancti abluerat,*

4 Quod dictus testis excitatus facere distulit, timens, quòd dictum vinum offenderet dictum episcopum, & quòd prædicta uncia pollicis dexteri, quam secretè conservabat, auferretur ab eo. Sequenti autem nocte consimilem vocem audivit, & increpavit eum, quia non adimpleverat prædicta, nihilominus tamen distulit ex causis prædictis. Tertia verò nocte visum fuit sibi, quòd beata Maria cum magna societate dominarum, quæ omnes erant indutæ albis vestibus, & cum maximo splendore intravit cameram, in qua jacebant dictus episcopus & testis prædictus, & appropinquans ad lectum ipsius testis, qui præcedentibus diebus ipsam devotè rogaverat pro sanitate dicti episcopi, domini sui, dixit ei in Gallico ista verba: DEYNTE, DORMEZ VOUS? (*id est*, Deynte dormis?) Et ipse respondit: NAY, id est: Non. Et ipsa subjunxit: LEVEZ SUS SI PRENEZ LE VIN EN CE CRUET DE ARGENT, id est, URCEOLO ARGENTEO, PRENE LE OS, QUE VOUS AVEZ EN VOTRE GARDE, QUE FUT LE OS DE THOMAS VOSTRE MESTRE, ET LAVEZ LE EN LE VIN, QUI EST EN CE CRUET DE ARGENT, ET DONNEZ A BOIRE A VOSTRE MESTRE, ET SERA GUERY; ET SI VOUS NE FASSEZ, MALHEURE LE VOSTRE. *Hæc ex Gallicis Latina accipe:* Surge, accipe vinum, quod in isto urceolo argenteo est, cape os, quod servas, quodque fuit Thomæ domini tui, & lava in vino, quod in illo urceolo argenteo est, & da bibendum domino tuo, & ipse sanabitur: quod nisi feceris, væ tibi. Ex PROCES. CAN.

5 Post prædictam autem visionem dictus testis excitatus, & die adveniente, narravit visionem domino Martino, vicario de Bromeren diœcesis Herefordiensis, confessori dicti episcopi, & magistro Adæ phisico * ejusdem episcopi, vicario de Eye, Herefordiensis diœcesis supradictæ, requirens consilium ab eisdem, si exequeretur visionem prædictam; & in eorumdem præsentia lavit unciam prædicti pollicis dexteri dicti domini Thomæ, & vinum, cum quo prædictam unciam lavaverat *, phisicus & confessor prædicti ministraverunt, assistente ipso teste, episcopo supradicto, & suaserunt, ut reciperet illud; de dicta visione, quòd dictus testis sciverit, nullam tunc facientes mentionem eidem. Assumpto autem dicto haustu vini ad quantitatem trium coclearium, signavit se dictus episcopus; qui tunc non jacebat (*fortè hîc deest vox* amplius) in lecto, sed poterat ire per cameram suam, & descendit ad capellam, ad quam non potuisset descendisse absque magno gravamine corporali de quinque septimanis primò elapsis, sicut idem testis dixit; & in dicta capella audivit Missam, & fuit adeò bene curatus, quòd de toto illo anno, ut idem testis dixit se credere, non sensit dolorem de infirmitate lapidis supradicta: post annum tamen recidivavit in infirmitatem prædictam aliquoties. *Hæc Robertus Deyntè, de quibus in ipsiusmet Richardi episcopi testimonio nihil inveni. Pergo ad alia.* *eidem episcopo potandum dari curat felici eventu.* * *i. e.* medico * laverat

Mulier phrenetica, manibus pedibusque ligata in ecclesiam Herefordiensem adducta,

6 *Quæ modò præmisi, privatim contigerunt; publicè autem & ad Sancti ossa, in primo suo tumulo etiam tunc quiescentia, facta fuit curatio cujusdam mulieris phreneticæ, nomine Editha, quæ manibus pedibusque ligata eò adducta fuerat, & cujus quidem miraculi publicam annuntiationem tam ægre tulit Thomas de sancto Omero, Joannis Peckhami Cantuariensis archiepiscopi officialis, ut testem mox producendum propterea à sacris suspenderit, volueritque, illud non* Thomæ *de Cantilupo, sed Roberto de Betonia, seu de Betun, episcopo Herefordiensi, anno* 1148, *sic rectè habet Godwinus, defuncto, & in eadem ecclesia sepulto, adscribi. Etsi verò miraculum ipsum jam dederim suprà in Parte* 1 *à num.* 73 *ex testimonio mariti ejusdem mulieris, dandum tamen etiam hîc testimonium Gilberti procuratoris capituli Herefordiensis, testis oculati, quia habet aliqua singularia adjuncta, quibus ibidem suprà non poterat commodè dari locus. Itaque Gilberti juratum testimonium è processu audiamus.* Die Veneris proxima ante festum Ramispalmarum (*id est, feriâ sextâ ante Dominicam Palmarum*) anno Domini MCCLXXXVII idem procurator post ortum solis & ante horam Primæ audiebat Missam, quam celebrabat super altare Crucis, in pulpito ecclesiæ Herefordiensis, dominus Joannes Godhyve, quondam tunc capellanus ejusdem altaris; & dum celebraret dictam Missam; omnes lampades & omnia luminaria accensa

F

Ex Proces. can.

circa prædictum altare & in tota ecclesia Herefordiensi fuerunt subitò extincta, licèt non flaret ventus, propter quod debuissent extingui.

post candelas mirabiliter extinctas ac reaccensas,

7 Et ipse testis & omnes, qui viderunt, fuerunt ex hoc multò admirati. Et cùm ita remansissent extincta per tantam horam (ut æstimat, non tamen plenè recordando, ut dixit) quòd homo potuisset dixisse decies Orationem Dominicam cum Ave Maria, ipse testis & alii assistentes in dicta Missa audiverunt quemdam sonum insolitum, acsi fuisset sonus aquarum multarum; & cùm dictum sonum admirarentur, vidente ipso teste & aliis, scilicet Roberto Cok teste suprajurato, & duabus mulieribus suprajuratis (ut credit) & pluribus aliis, de quibus dixit se non recordari; ignis cælestis venit & accensus fuit in una candela complicata, quæ candela stabat ante dictum altare ad caput prædictæ Edithæ tunc furiosæ, quæ ante dictum altare jacebat, manibus & pedibus ligata. Et dicta candela fuit accensa ex tribus partibus, videlicet ex utroque capite & in medio, ipso teste vidente; & stetit accensa, quò usque omnia luminaria dictæ ecclesiæ, tunc extincta, fuerunt inde reaccensa. Et prædicta candela, sicut publicè & communiter dicebatur, extiterat facta in filo, cum quo dicta Editha, in furia existens, fuerat per amicos suos, nescit per quos (*per maritum ejus, ut ipse testatus est*) mensurata ad dictum S. Thomam, *imò ad sanctam Crucem, ut idem maritus asseruit.*

B

per S. Thomæ merita sanæ menti restituitur,

8 Et statim accensâ candelâ supradictâ, memorata Editha, dissolutis absque humano opere vinculis, quibus tenebat manus ligatas (de quibus vinculis, qualia fuerunt, dixit se non recordari) surrexit & stetit pedes, & dixit surgendo & stando, audiente ipso teste & aliis, qui fuerunt præsentes, ista verba: Vir ille sanctus Thomas, qui me præcepit esse sanam; & repetebat dicta verba pluries, & accipiens prædictam candelam sic accensam, dixit cuidam mulieri, quæ tunc erat prope eam, de cujus nomine non recordatur (quæ mulier tenebat ipsam Editham, ut sibi videtur, existens circa ejus pedes ad dissolvendum, ut credit, vincula pedum) Dimitte me ire: & appropinquans ad dictum altare Crucis, posuit super ipsum dictam candelam accensam, & regratiabatur Deo & dicto S. Thomæ de curatione sua. Item dixit (*Gilbertus procurator*) quòd, cùm

C

dicta Missa esset celebrata, prædicta Editha per se absque aliquo ductore & rectore, sicut mulier in sensu suo & memoria constituta, ivit ad locum, in quo ossa dicti S. Thomæ erant tunc recondita in capella S. Mariæ in ecclesia Herefordiensi; à qua capella fuerunt postmodùm translata in tumulum, in quo nunc sunt.

quod cùm à clero populoque solemniter publicatum esset,

9 Et oravit dicta Editha aliquandiu super dictum locum, in quo erant tunc prædicta ossa recondita; & cùm orâsset, rediit ad dictum altare Crucis, in quo tunc celebrabat Missam prædictus dominus Gilbertus; & sicut mulier in pleno sensu constituta obtulit tempore Offertorii, veniens ad osculandum manum ipsius domini Gilberti, unum denarium, & stetit in dicto loco usque ad finem Missæ. Item dixit, quòd, celebratâ Missâ per ipsum testem, ipse ivit ad convocandum canonicos tunc præsentes in civitate, scilicet magistrum Rogerum de Sevenak, Willelmum de sancto Joanne, & Willelmum de Albiniaco & Thomam de Vinton; & eis convenientibus ad ecclesiam dicta Editha & ipse testis narraverunt eis miraculum suprapradictum. Et pulsatis campanis, clero & populo congregatis & processione facta, fuit dictum miraculum publicatum, præsente dicta Editha & narrante, quòd dictus S. Thomas apparuerat ei, & quòd curaverat eam. Et dictum miraculum fuit tunc publicè & communiter ascriptum & adhuc ascribitur meritis dicti S. Thomæ. Et ipse testis in dicta processione incepit alta voce, aliis prosequentibus, cantare Te Deum laudamus: & hi, qui convenerant, de prædictis in Domino exultantes, laudaverunt & glorificaverunt inde Deum & dictum S. Thomam, gratias agentes. Et credit, quòd fuerunt inde devotiores & in fide firmiores effecti, hoc asserens de seipso: & dicta publicatio miraculi fuit facta eadem die circa horam Primæ.

D

officialis archiepiscopi Cantuariensis testem, qui hæc asserit,

10 Item dixit, quòd, cùm in crastinum venisset ad civitatem Herefordiensem magister Thomas de Sancto Omero, tunc canonicus Herefordiensis & officialis Fratris Joannis de Pechuam, tunc archiepiscopi Cantuariensis, ad regendum spiritualitatem episcopatûs Landavensis, sede vacante (*per mortem Guilielmi de Brews, quam Godwinus sub exitum mensis Martii anno* 1287 *contigisse scribit*) & audivisset publicationem miraculi supradicti, vocavit coram se dictum Gilbertum & redarguit ipsum, quia publicaverat miraculum suprapradictum, dicens magister Thomæ prædictus inter cetera, quòd hoc non debuerat fieri sine auctoritate domini archiepiscopi propter litem, quam dictus dominus Thomas habuerat cum eodem archiepiscopo in curia Romana, in cujus litis prosecutione obiit; & quia dicebat, quòd Deus non fuerat operatus dictum miraculum meritis dicti domini S. Thomæ, sed meritis domini Roberti de Betonia, quondam episcopi Herefordiensis, tumulati in dicta ecclesia Herefordiensi, pro quo Deus dicebatur inibi miracula operari.

E

ab officio suspendit, sed suspensionem postea revocavit.

11 Et quamquam Editha constanter asseruisset coram prædicto magistro Thoma, præsente ipso teste, in ecclesia Herefordiensi se fuisse miraculosè curatam meritis dicti S. Thomæ, qui apparuerat ei, & quem viderat, quando erat episcopus Herefordiensis, & non meritis dicti domini Roberti; & nihilominus tamen auctoritate episcopali suspendit eumdem testem ab officio ratione publicationis miraculi antedicti. Et cùm stetisset sic suspensus per septem dies, revocavit dictam suspensionem ad instantiam magistri Willelmi de Monteforti, decani Londinensis & præcentoris Herefordiensis. Et istud fuit primum miraculum (ut dixit) quòd Deus fuit publicè operatus meritis dicti S. Thomæ in ecclesia Herefordiensi.

F

Procurator capituli Herefordiensis produxit Fratrem Minorem,

12 *In prima Parte Miraculorum ad num.* 100, *lit.* p, *monui, in codice Romano processum canonizationis complectente, & quod ex eodem codice descriptum est, apographo nostro ibidem subnecti quasdam rubricas miraculorum, de quibus in prima ejusdem processus parte, in qua de vita ac moribus* S. Thomæ *actum fuerat, sparsim facta est mentio, quaque ob rationes ibidem allegatas ad Appendicem rejeci. Itaque ut fidem exsolvam, prima rubrica est* de probatione decimi octavi miraculi verrucarum, à quibus frater Ricardus de Insula, de Ordine Fratrum Minorum, suprà super hoc miraculo examinatus, dicitur fuisse curatus. Super quo quidem miraculo magister Henricus de Schorne, archidiaconus Herefordiensis, procurator capituli, juramento

de

A de dicenda veritate, præſente prædicto domino Gilberto comprocuratore ejuſdem, ipſum producente, ſecundùm formam juramenti aliorum teſtium, tactis ſacroſanctis Euangeliis præſtito, depoſuit requiſitus, ſe vidiſſe in ſtudio Aurelianenſi dictum fratrem Ricardum, habentem in manibus ſuis verrucas multas.

13 Et erant in tantum manus ejus exteriùs plenæ dictis verrucis, quòd interdum duæ vel tres verrucis aliis præeminebant; ex quo etiam abominabatur comedere ſecum *. Et dictus frater tunc ſcolaris multùm inde erubeſcebat & dolebat. Et in eodem ſtudio vidit eum à dictis verrucis curatum, & pulchras manus habentem, & inde plurimùm exultantem (de anno non bene recordatur.) Et poſt prædicta, dum ambo eſſent conſocii in ſtudio Oxonienſi, narravit ipſi teſti, quòd fuerat curatus à dictis verrucis meritis dicti S. Thomæ. Plura dixit ſe neſcire, niſi quòd multa remedia medicinalia Pariſiis & alibi appoſuerat ad curationem dictarum verrucarum; & non profuerant ſibi. Super ultimo autem interrogatorio, an prece &c, reſpondit liberaliter, quòd non. Actum in dicta

B capella S. Catharinæ (*Herefordiæ prope eccleſiam cathedralem*) duodecima die menſis Novembris, præſentibus fratribus Waltero & Joanne de Ordine Minorum prædictis, & nobis Ranulpho, Adam & Raymundo, notariis hujus proceſſûs. *Frater ille Richardus de Inſula, Ordinis Minorum, in catalogo teſtium recenſetur trigeſimus octavus, diciturque fuiſſe* juris civilis profeſſor (*ante ſuſceptum religioſum habitum, ut exiſtimo*) annorum triginta ſeptem circitèr, *& à commiſſariis Apoſtolicis examinatus die* VI *Auguſti in capella domûs epiſcopi Herefordienſis Londini. Quid verò ipſemet de hac verrucarum curatione teſtatus fuerit, ex ejuſdem teſtimonio diſce.*

14 Interrogatus, ſi ſciebat aliquid de miraculis ejuſdem (*S. Thomæ*) reſpondit, quòd in perſona ſua acciderat miraculum infraſcriptum. Nam ipſe teſtis, priuſquam ingreſſus fuiſſet Ordinem Fratrum Minorum, habebat in corpore ſuo multas & magnas verrucas, & etiam in pedibus & in manibus, ita quòd ratione dictarum verrucarum habebat manus præcipuè ſic deformatas, quòd abſque magna erubeſcentia non

C audebat oſtendere dictas manus, niſi chirothecatas *, & ex dicta erubeſcentia conſortia omnia declinabat. Cùm autem eſſet ſcholaris in ſtudio Aurelianenſi, & portaret chirothecas, ne dictæ verrucæ apparerent; & aliquando, ut notaret velociùs reportationes *, quas ſcribebat poſt dominum Petrum de Bellapertica, tunc temporis magiſtrum ſuum, & alios, extrahebat chirothecas; ſcholares circumſedentes in banctis *, banctæ, in qua ipſe ſedebat in ſcholis, proximis, ſurgebant de dictis banctis ad circumſpiciendum dictam deformitatem verrucarum, quæ erant adeò ſpiſſæ in manibus ſuis, quòd vix puncta unius acus potuiſſet poni inter eaſdem: adeò deformaverant ſibi manus. Nec unquam opere medicorum curari potuerat ab eiſdem, licèt diverſa medicamenta adhibuiſſet tam in Anglia, quàm in Francia; & etiam interdum cum ferro calido & cum ſulphure eas decoquiſſet *, & interdum cum filo incerato ex ipſis aliquas evulſiſſet: & quanto plures evellebat, tanto plures repullulabant.

15 Cùm autem dicta deformitas & infirmitas dictarum verrucarum durâſſet à nativitate ſua eidem teſti per viginti duos annos & ampliùs, & nullum poſſet habere remedium, & ex hoc multùm in corde ſuo & quaſi continuè fuiſſet deſolatus, & interdum etiam in maximo periculo manuum ſuarum perdendarum propter violentiam circa amotionem earumdem conſtitutus; tandem una vice faciens tranſitum cum aliis per planitiem de Bleans juxta Aurelianum equitando, dedit * obviàm cuidam peregrino de Anglia venienti, ut aſſeruit dictus peregrinus; cùm rumores * petiviſſet, dixit ſibi peregrinus, quòd nulla alia nova ſuæ memoriæ occurrebant, niſi quòd apud Herefordiam in Anglia fuerat quidam Sanctus, qui vocabatur Thomas de Cantalupo, quondam illius eccleſiæ epiſcopus, pro quo Deus multa miracula operabatur. Et cùm dixiſſet idem teſtis, Iſti non ſunt rumores; quia jam à magnis temporibus talia de illo Sancto ſunt à pluribus publicata communiter & relata; receſſerunt ambo ab invicem. Ipſis autem ſeorſum recedentibus, cùm dictus teſtis de iſta renovatione miraculorum in animo aliquamdiu recogitâſſet, poſt dictum peregrinum proſpiciens, in tota illa planitie ipſum non potuit videre, licèt planities talis ſit quantùm ad locum, in quo mutuò locuti fuerunt, E quòd ita brevi tempore non potuiſſet latitare, nec ipſam planitiem exiviſſe, vel extra aſpectum ipſius teſtis vel alterius receſſiſſe, ſi homo fuiſſet.

16 Et ex hoc, quia non potuit videre dictum peregrinum, magis intra ſe recogitans, emiſit votum intra ſe, ſuffragia illius ſancti Thomæ humiliter invocando, cùm dixiſſet quinquies orationem Dominicam cum Salutatione beatæ Virginis, quòd, ſi Deus per patrocinium illius Sancti ipſum teſtem à dicta deformitate verrucarum liberaret, ad locum illius Sancti properaret, quàm citiùs ipſum contingeret ad Angliam remeare. Quo voto ſic emiſſo, eadem nocte omnes verrucæ, tamquam lutum, vel tamquam paſta, ſi hæc in manibus tenuiſſet, de ipſius manibus inceperunt minorari, & ſic continuè fuerunt attenuatæ, quòd infra tertium diem omnes penitus abſque aliquo medicamento, confricando ab omnibus partibus ſui corporis receſſerunt ſine quocumque gravamine & dolore; & etiam multæ ex eis ſine aliqua confricatione ceciderunt & receſſerunt. Et cùm ſecundùm ipſius teſtis reputationem ad iſtud miraculum aliis poſtmodùm patefaciendum una ſola verruca in indice manus ſuæ ſiniſtræ remanſiſſet in loco eminenti; de qua cùm, poſtquam vitam mutaverat ſecularem exiſtens in Ordine Fratrum Minorum, Ordine ſacerdotali recepto, propter celebrationem Divinorum aliquoties gravaretur, per filum inceratum illam violenter extraxit; & ſtatim in eodem indice ſe repoſuit, in alio tamen loco, ſcilicet ex tranſverſo, ita quòd, conjungendo indicem cum medio, dicta verruca parùm apparebat. F

17 Et ſic ad commendationem dicti S. Thomæ remanſit dicta verruca in dicto indice (ut dixit) & dictam verrucam dicti domini epiſcopi, factum hujus examinantes, ſuis oculis conſpexerunt, & nos notarii fecimus illud idem. Item interrogatus de tempore, quo prædicta contigerunt, reſpondit, quòd anno ætatis ipſius teſtis vigeſimo ſecundo, videlicet anno Domini MCCXCII in craſtinum Pentecoſtes poſt prandium circa horam Nonam. Item interrogatus de præſentibus, quando dictus peregrinus apparuit, reſpondit, quòd multi erant ſcholares

qui coram commiſſariis Apoſtolicis teſtatus eſt, * *i. e.* cum eodem

ſe multos annos in toto corpore

* *i. e.* chirothecis tectas

* *i. e.* commentationes

* *i. e.* ſubſelliis

* decoxiſſet

Ex PROCES. CAN. *verrucis fœdè ſcatuiſſe, donec ex peregrini occurſu*

* venit

* *i. e* nova

miroque receſſu animatus votum Sancto fecit, & intra triduum illis liberatus fuit,

exceptâ unâ, quæ mirabiliter in digito indice remanſit.

Ex Proces. can.

& alii equites, & erant bene quinquaginta in numero; & nominavit magiſtrum Joannem de Inſula, germanum ſuum, juris civilis profeſſorem, tunc ſocium & cancellarium domini patriarchæ Jeroſolimitani, & Joannem de Roderhuam Eboracenſis diœceſis, ob cujus reverentiam & honorem, ad ipſius patriam redeuntis, ſecundùm morem patriæ & ſtudentium dicti equites fuerant congregati; magiſtrum Galfridum de Blaſton Linc. * diœceſis, rectorem eccleſiæ de Blasby, canonicum eccleſiæ de Lichefeld., Rogerium de Heſlarton Eboracenſis diœceſis, magiſtrum tunc temporis dicti teſtis.

* *fortè* Lincolnienſis

Hugo barbitonſor ex gravi capitis malo,

18 *Sequitur in proceſſu* rubrica de probatione miraculi decimi noni, facta ſuper illuminatione Hugonis Barbitonſoris, ſuper quo deponunt idem Hugo ſextus, ſeptimus, octavus, nonus & decimus teſtes. *Hugonis, quem nomine* Hugonis le Barber, *ſæpe laudavi, quique tunc erat* annorum ſeptuaginta & ultrà, *teſtimonium è proceſſu tale eſt:* Interrogatus, ſi poſt obitum dicti domini Thomæ facta eſſent miracula, reſpondit, quòd ſic. Interrogatus, quæ & qualia fuerant dicta miracula, narravit primò, quòd modò ſunt quatuordecim anni vel circà, quòd idem teſtis & ejus uxor, Londini exiſtentes, cœnaverant quadam nocte cum magiſtris Jacobo de Hulles & Joanne de Baldok, executoribus teſtamenti magiſtri Willelmi de Monteforti, decani quondam Londinenſis, conſanguinei dicti domini Thomæ; dum autem redirent ad domum eorum, & eſſent prope eccleſiam ſanctæ Trinitatis parvæ * Londini in via publica, viſum fuit dicto teſti (qui priùs bene videbat, & viſum, ſicut dixit, acutum habuerat, ita quòd temporibus illis bene videbat ponere filum in acu ſine aliqua difficultate) quòd ipſe haberet oculum dexterum plenum cineribus; & per totam illam noctem fuit valdè afflictus de dolore dicti oculi.

B

* *i. e.* parvam

fruſtra adhibitis medicamentis, triennio planè cæcus manſit:

19 Cùm autem in craſtinum idem teſtis audiviſſet Miſſam in eccleſia S. Pauli Londini, & rediret ad domum ſuam, & eſſet prope portam ducentem ad locum, in quo fiunt panis & ſerviſia * pro canonicis dictæ eccleſiæ S. Pauli, viſum fuit ipſi teſti, quòd haberet alium oculum plenum cineribus, & ſenſit dolorem in oculo ſupradicto, & ratione doloris utriuſque oculi jacuit bene per octo dies valdè afflictus. Et quidam chirurgicus, qui tunc Londini morabatur, qui vocabatur magiſter Robertus, vocatus ad curam dicti teſtis appoſuit ſibi quoddam emplaſtrum; poſt quod emplaſtrum habuit pejus, quàm priùs, & caput inflatum, & dictos oculos & faciem ſuam, & perdidit ex toto viſum ſuum; & fuit ſic alteratus in facie (ut ei dicebatur) quòd videbatur eſſe leproſus. Poſt ea dictus chirurgicus dedit ei medicinam; & non profuit ſibi; ſed habitis ab eo quatuor ſolidis ſterling., reliquit eum incuratum & nihil videntem. Poſtmodùm fuerunt facta ſibi remedia diverſa, ita quòd tumor capitis & faciei receſſit, ſed ipſe remanſit cæcus, & de tribus annis non potuit videre lumen, nec claritatem, nec aliquam rem corporalem, & viſibilem aliis habentibus ſanos oculos.

C

* cerviſia

ſed poſt invocatam Sancti opem,

20 Et accidit aliquando infra dictum terminum, quòd, cùm uxor ſua turbaret eum in aliquibus, & ipſe perciperet, quòd non recederet ab eo; ipſa ponebat ſe ad ſedendum, ſicut poſtmodùm ſibi retulit, ex una parte menſæ, in qua dictus teſtis comedebat, & ipſe teſtis non videbat eam. Faciebat etiam qualibet die infra dictum tempus, quo caruit viſu, poſtquam ſurrexit de dicta infirmitate, de qua jacuerat ægrotans, ſe duci ad dictam eccleſiam, ad audiendum ibi Miſſas, per Rogerium vel per Willelmum, filios ſuos, qui ducebant eum ad manum, ſicut ducitur cæcus: & hoc dixit fuiſſe publicum & manifeſtum, & adhuc eſſe notorium in vicinia ſua, & in eccleſia S. Pauli. Et poſtmodùm idem teſtis rogavit B. Mariam & S. Thomam de Cantalupo, ut rogarent Deum pro ipſo, quòd reciperet viſum ſuum, ut poſſet videre elevari corpus Chriſti in eccleſia, & videre ire, & etiam videre ludentes ad ſcaccos * & ad aleas, & ipſe videret ludere & ſolatiari cum eis. Et per Julianam uxorem ſuam fecit ſe menſurari ad dictum S. Thomam, & dictam menſurationem & oculos cereos miſit per Willelmum de Badolk, Lincolnienſis diœceſis, apud Hamelden., in quo loco fuerat natus dictus dominus Thomas.

D

* *i. e.* latrunculos

eique bis menſuratus, viſum recepit,

21 Poſtmodùm infra duos dies à tempore dictæ menſurationis, dixit, quòd recuperaverat viſum ſuum, ita quòd poterat videre gallinas euntes in domo ſua prope ipſum. Et exinde iterum ſe fecit menſurari per dictam uxorem ſuam ad prædictum S. Thomam, & prædictam menſurationem miſit apud Herefordiam ad tumulum dicti domini Thomæ per Joannam, uxorem Willelmi le Haſteler, de Kyngeſlave ultra Herefordiam per quinque leucas Anglicanas. Et ex tunc infra octo dies à prima menſuratione ivit ſine ductore, quò volebat, & vidit corpus Chriſti, quando per ſacerdotem elevabatur in altari, dum tamen non eſſet multùm remotus ab altari teſtis prædictus tempore dictæ elevationis. Poſtmodùm infra annum dictus teſtis ivit ad eccleſiam Herefordienſem ex cauſa peregrinationis ratione miraculi ſupradicti, & portavit ſecum oblationes aliorum ad tumulum dicti domini Thomæ, & viſitavit dominum Philippum Walenſem, rectorem eccleſiæ de Streiton diœceſis Herefordienſis, cum quo conſueverat aliis temporibus ludere ad ſcaccos & aleas, quando dictus dominus Philippus veniebat ad civitatem Londinenſem.

ut ipſemet commiſſariis teſtatus eſt & probavit.

* *an* invitaretur?

22 Et cùm luderetur in domo dicti rectoris ad dictos ſcaccos & aleas, & dictus teſtis invitaret * ad dictum ludum, luſit primò ad aleas & poſtmodùm ad ſcaccos; & videbat tunc bene puncta taxillorum & ludum ſcaccorum & dictarum alearum; & adhuc videt & ludit frequenter, ut dixit. Et per dominos commiſſarios examinatus ſuper dicto viſu diſcernebat de longè per quinque magnos paſſus, & ampliùs, birretum in manibus eorum; & quanto * magis appropinquabat, res minores & ſubtiliores, ſicut juncum ſiccum & ſubtilem, vel feſtucam, & diſcernebat puncta taxillorum. *Teſtes, qui idem miraculum confirmâſſe ſuprà dicuntur, fuerunt ſeptimus teſtis dominus Joannes de Wynton, preſbyter & rector eccleſiæ S. Benedicti: octava teſtis Juliana, veriſimiliter ejuſdem Hugonis uxor; nonus Adam Aſpelon, & decimus Wilhelmus de Eſton.*

* *an* quando?

CAPUT

A

CAPUT II.

Infans ſubmerſus redditus incolumis : puella fiſtulis & paralyſi laborans , ſanata : cæco viſus reſtitutus : prodigium , quod , S. Thoma vivente, contigiſſe dicitur.

Infans in vaſe aquâ pleno inventus

IN *eodem proceſſu ſequitur* Rubrica de probatione vigeſimi miraculi facta ſuper eo, quòd Gilbertus, filius Raderi Sporonis, dicitur fuiſſe ſubmerſus, & poſtmodùm reſuſcitatus. *E teſtibus, quæ hac ſuper re examinatæ fuerunt, ſolùm duarum teſtimonia habemus, Aliciæ ſcilicet matris Gilberti, & Joannæ ſororis ejuſdem infantis, quorum primum cùm mutilum ſit, ſecundum recenſebo. Itaque Joanna teſtis trigeſima tertia*, annorum XXXIV & ultrà, *ut hîc dicitur, vel dumtaxat* annorum XIV & ultrà, *ut in catalogo teſtium legitur*, requiſita, ut narraret factum de ſubmerſione & reſuſcitatione dicti infantis, & facti circumſtantias, dixit, quòd in præſenti anno die lunæ proxima ante feſtum tranſlationis B. Thomæ martyris, vel poſt ejus tranſlationem, quæ tranſlatio celebratur ſeptimo die menſis Julii (*die Lunæ proxima ante feſtum tranſlationis id contigiſſe, teſtata eſt mater Alicia*) circa horam nonam prædictus Gilbertus frater ſuus receſſit à nutrice ſua, videlicet Beatrice, teſte ſuprà jurata, & egreſſus fuit aulam, in qua dicta nutrix & mater & ſoror dicti infantis & alii de domo vacabant operibus ſuis; & ivit dictus infans ad quoddam vas aquæ poſitum extra dictam aulam juxta hoſtium * aulæ, quod vas non poterat videri ab illis, qui erant intra dictam aulam. Antequam ſcirent aliquid de ſubmerſione dicti infantis, tranſivit tantum tempus, quòd communi paſſu homo potuiſſet iviſſe à domo dicti Raderi uſque ad portam majorem eccleſiæ Fratrum Minorum de Lond., & diſtat dicta domus à porta eccleſiæ de Lond. prædicta per centum & viginti paſſus vel circà.

B

* oſtium

C

ac mortuus creditus,

24 Poſtmodùm Joannes, frater parvulus dictæ Joannæ, qui eſt ſeptennis vel circà, egreſſus dictam aulam, vidit, quòd prædictus Gilbertus frater ſuus ceciderat in prædicto vaſe, capite exiſtente deorſum in fundo vaſis, & pedibus dicti Gilberti exiſtentibus ſurſum, & innexis ſuper oram ſeu labrum dicti vaſis; & una pars tunicæ, quam erat indutus dictus Gilbertus, ceciderat in dicto vaſe cum eo: dictum enim vas habebat intrà in latitudine tres palmos de canna & ultrà, & habebat in altitudine palmum & quartam partem palmi; & ad recipiendum aquam fluentem ex ſtillicidio dictum vas erat deputatum, & non ſtabat planè in terra, ſed erat elevatum ex una parte quaſi per unum palmum à terra. Et acclamavit dictus Joannes, quòd frater ſuus erat ſubmerſus. Et accurrens primò Matilda de Cherteſeya, ancilla dictæ domus, cum matre, & Joanna ſorore dicti Gilberti, & ipſa Beatrice ſubſequentibus, & videntibus, elevavit & extraxit de dicto vaſe prædictum Gilibertum, & mater ipſum de manu dictæ Mathildis recipiens inter brachia ſua, & omnes aſtantes dixerunt & reputaverunt, dictum Gilibertum eſſe mortuum, quia erat totus frigidus & lividus, & tenebat os clauſum, & non attrahebat nec emittebat anhelitum, & tenebat oculos, ſic ut mortuus, & non apparebat in eo ſenſus nec motus.

Ex Proces. can.

25 Tunc mater dicti infantis dimiſit dictum infantem in terra ſupinum in aula ſuperiori dictæ domus, & cum quodam filo menſuravit dictum filium ſuum ad S. Thomam de Cantalupo, & rogavit Deum & dictum S. Thomam ipſa & aliæ mulieres aſtantes cum lacrymis, quòd reſtitueret dictum Gilibertum vitæ. Et poſt dictam menſurationem & orationem modicâ horâ elapsâ, quam horam neſcivit bene determinare, Joanna ſoror dicti Giliberti aperuit os ejus, & dicta Beatrix effudit, comprimendo mamillam ſuam, lac in ore dicti Giliberti, quia ſenſerant ante effuſionem dicti lactis motum aliquem, & audiverant aliquam gurgulationem in gutture ipſius Giliberti; poſt effuſionem autem dicti lactis, quod lac dictus Gilibertus non attraxit ad ſe, ſed remanſit in ejus ore, inclinaverunt versùs terram caput dicti Giliberti: tunc prædictum lac & aqua effluxerunt de ore dicti Giliberti; ſed neſcit determinare quantitatem aquæ, quia effuſa fuit in terram. Poſtmodùm quaſi in continenti dictus Gilibertus, qui habet octodecim menſes à nativitate, vel circitèr, fuit in eo ſtatu, in quo fuerat ante ſubmerſionem, excepto colore, quem non habuit infra octo dies, ſicut habebat priùs. *Præter jam nominatas Joannam, Aliciam, & Beatricem le Marechal pro eadem re teſtata fuit etiam Catharina uxor Ciſſoris, ſed earumdem teſtimonia, ſi mutilum Aliciæ excipias, non habemus, ut plura hîc dicere nequeamus.*

deinde S. Thomæ menſuratus evadit incolumis.

E

26 *Proſequor cum proceſſu, in quo ſub titulo miraculi* XXI *ſequitur* Rubrica de probatione miraculi ſuper eo, quòd Alicia de Lodeneſdale dicitur fuiſſe contracta, & poſtmodùm miraculosè curata, ſuper quo deponunt trigeſimus nonus, quadrageſimus, quadrageſimus primus, quadrageſimus ſecundus, quadrageſimus tertius, quadrageſimus quartus teſtes. *Ipſiuſmet, cui miraculum obtigit, Aliciæ teſtimonium referamus.* Alicia de Loueſdale (*ſic ibi ſcribitur*) teſtis quadrageſima, die x menſis Auguſti coram commiſſariis producta, interrogata de ætate ſua, dixit, quòd erat novemdecim annorum, vel circà, & ſe fuiſſe oriundam de contracta (*id eſt* contrada, *ſeu vico*) vocata Loueſdale, quia infans fuit inde educata. Dixit etiam, ſe eſſe filiam Willelmi teſtis proximè examinati, & Idoneæ, uxoris quondam dicti Willelmi. Requiſita autem, ut narraret ſeriatim infirmitates, à quibus miraculosè dicebatur fuiſſe curata, & curationis modum; reſpondit, quòd, dum pater ejus de dicta contrata ſua adduceret eam verſus Londinum, & eſſent prope Staunford. Lincolnienſis diœceſis, ipſa Alicia cecidit in via publica, quia poſuit pedem per quoddam foramen, quod erat in via; de quo non advertebat, cùm eſſet quinque annorum, vel circà.

Cùm puella paupercula quinquennis, luxato

F

27 Et ex dicto caſu extorſit ſive diſlocavit ſibi pedem, ita quòd non potuit ire; ſed pater ſuus portavit eam ſuper collum ſuum verſus Londinum. Poſt modicum cùm eſſent apud Suthwerk, quod eſt continuum civitati Londinenſi, aquâ intermediâ, & dicta Alicia, tamquam paupercula, non habens, ubi reclinaret

ac deinde putreſcente pede, gravique paralyſi diu laborâſſet,

EX PROCES. CAN.

caput ſuum, jacuiſſet & dormiviſſet inter duo hoſtia *, invenit ſe manè impotentem in pede & in brachio, & in tota parte corporis ſiniſtra, & adeò debilitatam, quòd non potuit ſe juvare de corpore ſuo, niſi de manu dextra: quia in pede dextro receperat dictam diſlocationem & extorturam; & dictus pes erat ingroſſatus, inflatus & indignatus ita, quòd non poterat ſe juvare de eo. Poſtmodùm dictus pes dexter fuit quaſi totus putrefactus, & fuerunt ibi ex dicta putrefactione, inflatura & ſanie facta per ſe tria foramina ſatis magna; & continuè dictus pes magis aggravabatur. Demum cùm eſſet juxta fontem eccleſiæ ſancti Clementis Dacorum prope Londinum (*nimirum ibi ſtipem mendicans*) fuit plùs ſolito aggravata ex dolore dicti pedis; quia per dicta foramina exiverant aliqua oſſa corrupta & putrefacta.

* *i. e.* oſtia

28 Poſtmodùm ad amovendam ſaniem lavit ſibi pedem in quodam rivo emanante à fonte dicti S. Clementis; non ex devotione, quam haberet in fonte vel in rivo, ſed quia mendicans non habebat aliud fomentum ad mundandum dicta vulnera, & quia magiſter Gilbertus ſirurgicus *, qui tunc morabatur in civitate Londinenſi, & amore Dei ac intuitu pietatis bis appoſuerat emplaſtra in pede dictæ Aliciæ, tertia vice cùm vidiſſet dictum pedem, dixit patri ipſius Aliciæ, quòd prædicta infirmitas erat incurabilis, & tamquam incurabilem reliquerat Aliciam ſupradictam. Item dixit, quòd poſt prædicta ſteterat * decem annis contracta, & non poterat ſtare pedibus ſuis, nec ire; ſed trahebat corpus ſuum per terram firmando femur in terra & manum dextram; & aliquando pater ſuus portabat eam ad collum, elemoſynas quærendo. Poſtmodùm pater ipſius Aliciæ, Londini exiſtens, vovit ipſam ad S. Thomam de Cantalupo, quondam epiſcopum Herefordienſem, & juxta morem Angliæ ad honorem dicti S. Thomæ & invocando ejus nomen & auxilium, & dicendo quaſdam orationes, de quibus dixit ſe dicta Alicia non recordari, plicavit unum denarium ſuper caput ipſius Aliciæ, & duxit eam ad eccleſiam Herefordienſem ſuper quemdam parvum currum unius rotæ, quem pater ante ſe manibus pellebat.

poſt factum à patre votum vecta eſt ad eccleſiam Herefordienſem,
* *i. e.* chirurgus

B

* *i. e.* fuerit

C

Habent id utilitatis & commodi jam pridem editæ, quasque his adjicimus Ephemerides Sanctorum cum Alphabetico eorum ordine, qui in Opere nostro illustrati jam sunt, ut, si quis cujuscumque Sancti aut Beati vitam nôsse, vel Acta seu Mss. seu aliàs typis edita perlustrare voluerit, necesse non habeat singulos vastissimi Operis tomos scrutari; sed unico obtutu in Alphabetico illo Indice, velut in brevi tabella, videre possit, an & quo ex illustratis novem mensibus die Sanctus ille aut Beatus colatur, quis ejus fuerit ordo seu status, quod officium, quæ laureola; ac tum inspectis ad assignatum diem Ephemeridibus, illicò perspicere ei in promptu sit, quo seculo is ad Superos evolârit, quæ de eo Acta jam edita, à quibus scripta, aliaque id genus, quæ facilem rei quæsitæ inventionem reddant & Hagiophilorum labori plurimùm parcant.

2 *Ejuscemodi Ephemerides alterumque Alphabeticum Sanctorum Indicem, mox ut secundo Semestri finis esset impositus, typis edere jam pridem fixum erat, ut, quemadmodum gratos lectoribus fructus priores tulerant, ita & Hagiophilorum commodo posteriores inservirent, & unde quilibet ex tot tamque vastis voluminibus haurire quidquam posset, minimè operosa methodo indicarent. Verùm cùm ab anno* MDCCXVII, *quo tempore prodierunt memoratæ Ephemerides primi Semestris, eò Opus nostrum excreverit, ut vulgata de Julio, Augusto & Septembri volumina vix non numero ea exæquent, quibus sex primi menses fuerant illustrati, haud abs re visum est, instigantibus præsertim Hagiophilis Germanis & Gallis, consilium jam diu conceptum mutare, ac nunc generales duos hujus Trimestris Indices texere, alterum qui Martyrologii instar Sanctos Beatosque assignaret, qui quoquo die trium illorum Mensium in Opere nostro locum habent, indicatis breviter iis omnibus, quæ Papebrochius P. M. in prioris Semestris Ephemeridibus indicârat; alterum qui alphabetico ordine servato, omnium, de quibus hoc Trimestri actum est, Sanctorum ac Beatorum nomen ceteraque adjuncta, diem itidem, quo coluntur, referret; ut nemini cuiquam difficile futurum sit, maximè, ubi ultimo Trimestri accesserint similes Indices, illius, quem quærit, Sancti aut Beati Vitam vel Acta invenire. Atque hæc de iis dicta sunt, quorum Sanctitas ac Beatitas religioso cultu legitimisve honoribus celebratur in Ecclesia.*

3 *Verùm cùm præter eos alia sit Sanctorum classis, illorum videlicet, quorum sanctimonia vel communem piorum fidelium modum excedit, vel signis quibusdam admirandis decorata est, de quorum tamen religiosa eaque legitima veneratione nobis non constat, seu quòd iniquitate temporum cultus eorum intermissus sit, seu quòd Ecclesia nondum eis sacros honores decreverit, seu quòd monumenta vel nulla de iis exstent vel ad notitiam nostram non pervenerint; hujuscemodi Sanctis locum utcúmque in Actis nostris dare, eosque inter Prætermissos memorare Majoribus nostris visum est. Placuit & eòdem referre Martyres illos, quorum corpora ex Romanis cryptis accepta sunt: quippe licèt de illorum cultu legitimo dubium nobis non sit; cùm tamen eorum gesta vel nunquam literis commendata sint vel certè interciderint; non est, cur hujusmodi Sanctis parem cum aliis, quorum specialis exstat in sacris Fastis memoria, in Actis nostris locum, eumque digniorem concedamus. Quare ne eorum penitùs omitteretur memoria, de iis inter Prætermissos meminimus. Ex hoc ego Prætermissorum catalogo nonnullos hìc seligam, atque in Ephemeridibus memorabo, in Alphabetico Indice sic* ab iis distinguendos, quorum Sanctitas perspecta est & Acta à nobis illustrata jam sunt. Hunc inde fructum si consequar, ut aliquorum istiusmodi Sanctorum Acta aut documenta cultum probantia nobis subministrentur aut innotescant, laborem hunc meum, ut ut tetricum, abundè compensatum habebo, stabitque iis, qui similia nos edocuerint, sua gratia, nec eorum in nostri Operis decursu omittetur memoria.*

4 *Præfando te diu non morabor, Amice Lector. Hæc tantùm te paucis monitum velim.* 1. *Eas ipsas Observationes, quas Janningus P. M. utrique Indici olim edito præmisit, hìc pro insertis habendas esse.* 2. *Me, qui Papebrochii suprà laudati Opus hìc prosequor, iisdem compendiariis notis usurum, quibus ipse Sanctorum ordines & recurrentia sæpe nomina expressit. Sit EG.* M. *Martyr*, m. *Monachus*, Ep. *Episcopus*, V. *Virgo &c. Quæ notæ si duplicentur EG.* Epp, *pluralem numerum indicatum esse intelligas.* 3. *Ne nimiùm hic Index excresceret, præcipua dumtaxat vitæ capita eaque generalibus terminis expressa esse, sic tamen, ut ad particularia quævis facilis via sit.* 4. *Hoc ipso, quo monumenta quædam seu Mss, seu typis edita hìc assigno, non continuò me ea pro genuinis aut authenticis dare; proinde quæ sit de iis Majorum nostrorum sententia, in ipso Commentario lector criticus videre debet.* 5. *Etsi externorum nomina, qui Acta quædam ex peregrino idiomate in Latinum verterunt, plerúmque in Ephemeridibus exprimam, id me studio in iis omisisse, quæ Majores nostri documenta è Græco, Hispano, Italico, Germanico, Gallico aliove idiomate Latina fecerunt. Cùm enim id ipsis nec ita novum nec rarum sit, crebriùs fuissent eorum citanda nomina. Denique, si qui fortè in hoc Indice memorentur tamquam sacris honoribus nondum ab Ecclesia donati, quibus tamen summus harum rerum arbiter Romanus Pontifex cultum decrevit aut permisit, protestari me, nihil prorsus nos illis detractum velle, at contrà cupere vehementer, ut de concessis ipsis honoribus Ecclesiasticis instruamur, lubentissimè eos agnituri & opportuno loco de ipsis facturi mentionem.*

EPHEMERIDES SANCTORUM

MENSIS JULIUS.

QUod fuerat à Roſweydo præparatum, à Bollando inchoatum, ab Henſchenio verò formatum, Papebrochius, adjutoribus Janningo præſertim & Sollerio uſus, primum de Actis Sanctorum Semeſtre haud infeliciter, ſi viris cordatis & eruditis pluribus fides ſit, anno Domini MDCCIX perfecerat, cùm editis de menſe Junio tomis quinque, anno MDCCXV acceſſit ſextus, complectens eorum Supplementum, prioremque inſuper ſeorſùm aliàs editi partem Martyrologii Uſuardini à Sollerio illuſtrati; ſubſecutus deinde anno MDCCXVII eſt tomus Junii ſeptimus, tum alteram Addendorum, tum Martyrologii Uſuardi partem alteram continens cum geminis Sanctorum omnium, qui primo Semeſtri ſacro illuſtrati fuerant, Indicibus, quibus & Martyrologia aliquot Hieronymiana contracta adjungere viſum erat. Jam itaque ab anno hujus ſeculi decimoſeptimo, indefeſſus dicam an improbus, Majorum noſtrorum labor ad finem perduxerat primum Semeſtre ſacrum, editis tomis viginti quinque, quando biennio pòſt, anno nimirum MDCCXIX, Janningi, Sollerii & Pinii operâ prodiit de Actis Sanctorum tomus viceſimus ſextus, alterius Semeſtris & menſis Julii primitiæ, quas Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori ac Mæcenati noſtro Carolo VI, Domino noſtro Clementiſſimo conſecrare, ſumma nobis benignitate conceſſum eſt. Tomus hic præter Tractatum præliminarem de Sanctis duodecim Sociis è Syria in Umbriam Chriſtianæ fidei propagandæ cauſâ advenis, Auctore Janningo, tres primos dumtaxat hujus menſis dies, ne grandior excreſceret voluminis moles, complectitur; atque his annectitur Synaxarium ex Menologio, Baſilii Imperatoris juſſu collecto, cujus ſex poſtremi menſes ſervantur Mss. in monaſterio Baſilianorum Cryptæ-Ferratæ in Latio.

2 Secundus Julii tomus, iiſdem qui ſuprà auctoribus, anno MDCCXXI in lucem evaſit, Auguſtiſſimæ Imperatricis Eliſabethæ, cui multis titulis debebatur, venerando nobis ſemperque caro nomini inſcriptus; qui licèt primo non ſit mole major, dierum tamen & Sanctorum numero, utpote ſex dies illuſtrans, multò illum excedit. Eadem porrò hujus tomi œconomia eſt, quæ priorum & ſubſequentium; quod hîc ſemel monuiſſe ſufficiat. Præter ea, quæ pro recepto nunc à nobis more diſcutienda & illuſtranda veniunt, continet Vitam Franciſci Baertii deceſſoris noſtri, quem anno MDCCXIX, die XXVII Octobris mors nobis eripuit annos natum ſexaginta novem.

3 Seriùs paulò, quàm quidem initio rati fuerant Majores noſtri, editus eſt Julii tomus III: varia nimirùm hinc inde oborta impedimenta ſuſceptaque Hiſpanica profectio in cauſa fuerunt, cur non niſi exeunte anno MDCCXXIII in lucem emitti potuerit. Ceterùm, quæ fuit Optimi Cæſaris ac Mæcenatis noſtri benevolentiæ erga nos ſuæ iterata teſtificatio, dicatum hunc ſibi tomum ſolito ſuo favore complexus eſt. Poſt novem jam editos dies, percurrit volumen hoc dies quinque, ſtudio diligentiaque Sollerii, Pinii & Cuperi digeſtos atque illuſtratos; exhibet præterea minimè fucatum Conradi Janningi noſtri Elogium, viri in republica literaria multorum eruditorum judicio minimè ignobilis, nec non de Opere noſtro optimè meriti, quem anno MDCCXIX hemiplexia Muſeo noſtro ſubduxit, ac tandem anno MDCCXXIII, die XIII Auguſti verè Chriſtiana & religioſa mors, Superis, ut confidimus, inſeruit anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo tertio.

4 Menſis hujus tomus IV lùcem aſpexit anno MDCCXXV, laudatis ſuprà ſcriptoribus accedente Petro Boſchio, qui Tractatum inſuper præliminarem Hiſtorico-Chronologicum de Patriarchis Antiochenis, improbi tetricique laboris victor adornavit. Dies quinque, à XV ſcilicet ad uſque XIX hic tomus decurrit; atque ut volumina cetera à menſe Julio Auguſtiſſimis Mæcenatibus, quorum munificentiâ & æquitate opus noſtrum ſuffultum ſteterat, fuêre conſecrata, ita Regiæ Principi & Archiduci Mariæ Eliſabethæ, Belgicæ noſtræ Gubernatrici Sereniſſimæ nuncupatus oblatuſque hic tomus eſt.

5 Poſt ſeptem menſis Junii & quatuor Julii tomos Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ Principibus dicatos, hic Julii tomus quintus, & totius Operis triceſimus, ordine duodecimus eſt, qui tam honoriſicis fauſtiſque auſpiciis ſit editus. Prodiit autem anno MDCCXXVII, Sereniſſimæ Archiducis Mariæ Magdalenæ auguſto nomini, ex Imperatoris germani ejus fratris, noſtrique perpetui Mæcenatis nutu dicatus, complectiturque dies quinque, viceſimam nempe & quatuor ſubſequentes, iiſdem, qui ſuprà laudati ſunt, auctoribus, Sollerio, Pinio, Cupero & Boſchio.

6 Anno MDCCXXIX publici juris factus eſt menſis hujus tomus ſextus, ab inchoato Opere primus ſupra triceſimum, quem Regiæ tum Principi atque Archiduci, nunc Auguſtiſſimæ ac clementiſſimæ Dominæ noſtræ Mariæ Tereſiæ, Imperatrici & Reginæ Apoſtolicæ à nobis conſecrari incredibili noſtra voluptate Optimus Cæſar permiſit. Tomum hunc dies quatuor continentem elucubrârunt laudati auctores, quos inter Joannes Pinius Tractatum edidit præliminarem de Liturgia antiqua Hiſpanica, Gothica, Iſidoriana, Mozarabica, Toletana, Mixta hiſtorico-chronologicè deductum.

7 Septimus hujus menſis tomus iſque ultimus anno MDCCXXXI in publicum prodiit, qui licèt ceteros mole exæquet, dies tamen Sanctoſque ſolito pauciores illuſtrat; aſt paucitatem hanc compenſant illuſtriores aliquot Sancti, quorum præclariſſima geſta uberiùs fuerunt pertractanda. Ediderunt tomum hunc ſuprà memorati auctores, eumque Sereniſſimæ Archiduci Mariæ Annæ, poſtmodùm Gubernatrici noſtræ & Lotharingiæ Ducis Caroli Conjugi Belgarumque amori, qua decet, veneratione inſcriptum obtulerunt.

TRACTATUS
PRÆLIMINARIS.
AD TOMUM I. JULII.

XII Socii è Syria in Umbriam advenæ, Anaſtaſius pater, Eutitius & Briſtius filii ejus; Joannes, Theudila, Iſaac, Abundius, Carpophorus, Lau-

Laurentius, Proculus, Herculanus & Baractalis nepotes ejuſdem ex fratre 1. Acta XII Sociorum ſimultanea *à ſcriptore parùm apto compilata; ex Cod. Barberiniano Ms. collato cum Mss. Strozziano ac Beatilliano, atque editis à Mombritio* 9
De Anaſtaſio XII Sociorum ductore & M. ad Aquas Salvias 19
De Eutitio, Anaſtaſii filio ex dodecade advenarum uno 20
De Brictio, altero Anaſtaſii filio 21. Cultus *ex antiquis Mrll.* 21
De Joanne uno ex XII Sociis, & diſtinctione plurium ejuſdem nominis Sanctorum in Umbria 25
De Laurentio, ex XII Sociis uno 28. Diſtinctio inter Laurentios Umbriæ Sanctos 31
De Herculano Ep. ac M. Peruſino, uno ex XII Socciis 33. Acta S. Herculani Ep. Peruſini & M., *ſub rege Gothorum Totila anno* 549 *paſſi; ex S. Gregorii Dialogis.* 37. Miraculum *à coævo deſcriptum, è Paſſionario Spoletino Ms.* 38
De Carpophoro Presb. & Abundio diacono, è numero XII Sociorum, Martyribus Spoleti in Umbria *ex Mrl. veteri Rom., Adone & Uſuardo* 39. Acta tranſlationis S. Abundii diaconi Fulginio Bercetum factæ, *ex Legendario Ms. Strozziano* 45
De Proculo XII. Sociorum uno, ejuſque homonymis Sanctis 47
De Proculo S. Valentini Interamnenſis Ep. diſcipulo & M. 3 *ſec. ex Mrll.* 47. Acta *ex Mss. Petri Calo parte* 1. 61
De Proculo M. *ſub Totila ex Mrll.* 51
De Proculo milite & M. Bononiæ *ſub Maximiano imp. ex S. Paulino & Ferrario* 53
De Proculo Ep. & M. Bononiæ *ſub Theodorico, ex monumentis Bononienſium* 54
De aliis Proculis tum in Italia, tum in Hiſpania 57
De duobus ſanctis Valentinis Interamnenſium epiſcopis; & quodam Voluſiano parergon *ex Mrll. & variis AA* 65
De Iſaac uno ex XII Sociis è Syria advenis *ex S. Gregorio in Dialogis lib 3. & Mrl. Rom.* 68
De Baractale ſeu Paractale uno ex XII Sociis Syris M. Spoleti in Umbria 69
De Theudila ultimo XII Sociorum è Syria advenarum 70
De Criſpolyto, Vincentio, Benigno, aliiſq. Appendix 72

TOMUS I.

DIE I.

Aaron Primus legis Moſaicæ ſacerdos in monte Hor *ex Scriptura ſacra & Mrll.* 7
Maria prophetiſſa Moyſis & Aaronis ſoror, Eleazarus ſacerdos, Aaronis filius; & Phinees, illius filius, hujus nepos, utriuſque ſucceſſor 11. Elogium *ex Petro de Natalibus* 11
Eſther regina, Aſſueri conjux, Suſis in Perſide 12 Ejus ex ſacro textu hiſtoria *digeſta à Petro de Natalibus* 13
Martinus Ep. Viennæ in Gallia 2 *ſec. ex Mrll.* 14
Julius, Aaron & Socii MM. in Britannia 4 *ſec. ex Beda aliiſque* 17
Caſtus & Secundinus Epp. & MM. Sinueſſæ & Cajetæ in Campania 19. Vita & mors, *ex Actis eccleſiæ Cajetanæ* 23. De tranſlatione brachii S. Caſti Ep. & M. ab urbe Cajeta ad urbem Calvum, Capuanæ provinciæ, *ex Actis eccleſiæ Calvenſis* 28
Zoilus M. Nicomediæ *ex Hieronymianis* 29
Iſicius vel Eſicius, Proceſſus, Marina, Antonius vel Antoninus, Serenus & Victor MM. Romani *ex Hieronymianis* 29
Zelus M. in Meſopotamia, cum Sociis ſex: item Orion cum Sociis octo, ac alii CCLXIV *ex Hieronymianis* 30
Severianus, Zoëlus, Epaſus MM. Antiochiæ *ex Hieronymianis* 30
Primus, Idoneus & alii *ex Hieronymianis* 31
Baſilius Ab. fundator monaſterii dicti ad Profundum Rivum, *ex Men. Græcorum impreſſis* 31
Leo anachoreta *ex Mss. Synaxariis Græcis Sirmondi & Chiffletii* 31
Martyres anonymi bis mille *ex Menæis Mazarinianis* 32
Mauricius M. *ex Mss. Synaxariis Græcis Sirmondi & Chiffletii* 32
Martyres XXV Nicomediæ *ex Mss. Synaxariis Græcis Sirmondi & Chiffletii* 32
Lupianus Conf. 4 *ſec. ex S. Gregorio Turonenſi* 32
Pambo Ab. & Conf. in Nitria 4 *ſec.* 33. Vita *ex Palladii lib.* 8. *Cap.* 10. 36. Alia deS. Pambone *ex variis collecta* 38
Hilarius Aviciacenſis Presb. Conf. apud Cenomanos in Gallia. 39. Lectiones de S. Hilario Aviciacenſi 41
Floregius Ep. & Conf. Stagni apud Ruthenos, in Gallia 42. Notitiæ authenticæ Stagno acceptæ 43. Acta *ex Breviario Stagnenſi* 45
Domitianus Ab. apud Seguſianos, in monaſterio S. Ragneberti Jurenſis. 4 *ſec. aut* 5. 46. Vita *ex antiquis Codd. monaſterii S. Ragneberti Jurenſis* 49
Leontius Auguſtodunenſis Ep. 5 *ſec. ex Hieronymianis* 54
Quintianus *ex Mrl. Barberiniano* 55
Servanus Ep. & Conf. Orcadum inſularum Apoſtolus 5 *ſec.* 55. Vita *ex Breviario Aberdonenſi* 57
Moderatus & Felix MM. Autiſſiodori in Gallia, *fortè* 5 *ſec. ex Mrl. eccleſiæ Autiſſiodorenſis, Caſtellano, & tranſmiſſis ad nos notitiis à R. D. Joanne le Beuf Canonico & ſuccentore eccleſiæ Autiſſiodorenſis* 287 *in Appendice hujus diei.* Cultus illuſtratus *ex epiſtola ejuſdem R. D. le Beuf tom.* VII *Julii* 854
Theodoricus Presb. diſcipulus S. Remigii, in monte Or prope Remos 6 *ſec.* 59. Vita *ex Cod. Remigiano, apud Mabillonium tom* 1. *Annal. Bened. pag.* 681, 62. Vita altera *ex Mss. S. Mariæ Bonifontis, Valcellenſi, Reginæ Sueciæ, Belfortii, & noſtro, collatis cum editione Mabillonii* 64. Miracula *ex edit. Mabill. collata cum Mss. noſtris* 70. Alia miracula *ab Adalgiſo S. Theodorici mon.,* 12 *ſec. ſcripta; ex edit. Mabill.* 72. Miraculum S. Theodorici *ex Ms. Reginæ Sueciæ, in* 4. *num.* 1456. 81. Ad hymnos de S. Theodorico Ab. dedicatio *per Hucboldum, ex citato Ms. Reg. Sueciæ* 81. De elevatione corporis S. Theodorici Ab. Remenſis, *ex tom.* 5 *Act. Ord. S. Bened. à pag.* 519. 82. Appendix ad miracula S. Theodorici, ſeu promiſſa diplomata 84
Carilefus Presb. Conf. Aniſolæ apud Cenomanos in Gallia 6 *ſec.* 85. Monaſtica Sancti vita Miciaci acta, *ex Bertoldo mon. Miciacenſi, in Mss. V. C. D. d'Herouval* 86. Vita *ex Mss. collatis cum editione Mabillon.* 90 Miracula

facta ad Sancti ſepulcrum, *ſcripta ab anonymis, ex Ms. Aniſolenſi, Mabillonio & Vita à Surio edita* 99. Alia duo miracula *ex editione Mabillonii* 101

Gallus Ep. Claromonte Arvernorum in Gallia 6 *ſec.* 103. Vita *ex S. Gregorio Turonenſi, de Vitis Patrum Cap.* 6. 105. Epitaphium Domni Galli Ep, *ex Venant. Fortun. lib.* 4. *carm.* 4. 109

Eparchius Conf, mon. Presb. apud Engoliſmenſes recluſus 6 *ſec.* 109. S. Eparchii gloria *ex S. Gregorio Turonenſi & Actis ſinceris* 111. Vita *Anct. coævo, ex Paſſionali Ms. Bodecenſi* 112. Gloria poſthuma in miraculis *ex Gregorio Turon. de Gloria Confeſſ.* 115; item *ex Biblioth. Labbeana Ms. tomo* 2. *à pag.* 522. item de virtutibus ejuſdem S. Eparchii 116. Miracula *ex Chronico Ademari Chabannenſis, monachi S. Eparchii, in Biblioth. Ms. Labbei tom.* 2. *à pag.* 151. 117. *Ex Gonono pag* 431. 118

Leonorius Ep. & Conf. in Britannia Armorica 6 *ſec.* 118. Vita *ex Ms. Atrebatenſi deſcripta à Cl. V. Andrea du Cheſne* 121. Lectiones de S. Leonorio Ep. *ex antiquo Breviario ad uſum eccleſiæ S. Maclovii impreſſo an.* 1517. 124

Golvenus Leonenſis Ep. in Britannia Armorica 6 *ſec.* 126. Vita *apud Gononum de Vitis Patrum Occidentis lib.* 2; *ex Renato Benedicto* 127. Appendicula de miraculis *ex Alberto le Grand* 129

Symeon Salus Conf. apud Emeſam in Syria 6 *ſec.* 129. Compendium vitæ S. Simeonis Sali *ex Menologio Græco & Menæis*; nec non memorabilia quædam *ex Evagrii Scholaſtici Hiſtoria Eccleſiaſtica, lib.* 4. 134. Vita *Anct. Leontio Neapoleos in Cypro epiſcopo, Sancti coævo; ex Cod. Vaticano ſignato num.* 819, *collata cum ea, quæ eſt apud Surium, tom.* 3. *pag.* 1. *à* 136 *uſque ad* 169

Rumoldus Ep. & M. Mechliniæ in Belgio 8 *ſec.* 169. Sancti patria, ætas, parentes, dignitas epiſcopalis, *ex variis AA. pag.* 181 *& ſeqq.* S. Rumoldi cultus *ex Theodorico & Mrll.* 187; *ex antiquis eccleſiaſticis Officiis apud. Leodienſes* 190; *ex Breviariis Aberdonenſi & Canonicorum regularium Congregationis Windeſemenſis* 193; *ex recentiori Leodienſium Breviario, item ex Breviario & picturis Mechlinienſibus* 195. S. Rumoldi ſepultura *ex Theodorico abbate S. Trudonis* 198. Sacri corporis tranſlationes & reliquiarum oſtenſiones *ex variis AA & documentis* 201. De prima pretioſiſſima lipſanotheca deaurata; item de ejus interitu ac de ſacrorum lipſanorum diſperſione & recollectione *ex variis* 208 *& ſeqq.* Nova theca argentea, & ultima reliquiarum viſitatio *ex variis inſtrumentis authenticis* 213. Antiquum S. Rumoldi ſacellum, templum hodiernum &c *ex variis AA & documentis à pag.* 217. *uſque ad* 228. De ſacris reliquiis S. Rumoldi aliò tranſlatis *ex variis documentis* 229 *& ſeqq.* De anno obſeſſæ Mechliniæ & annua proceſſione ex voto inſtituta *ex variis* 235 *& ſeqq.* Appendix de progenitis ab Urſo, *ex veris S. Thomæ Cantuarienſis Actis* 239. Vita *Anct. Theodorico Ab. ad S. Trudonem, ex edit. Vardæi, juxta Mss. Alnenſe & Trudonenſe correcta* 241. Vita altera *Anct. Joanne Domyns, ex editione Vardæi collata cum antiquiori, à pag.* 253 *uſque ad* 263. Additamentum *ex edit. Domynſii, collata cum Ms. Belgico* 264

Regina, Oſtravandiæ comitiſſa, Dononii prope valencenas 8 *ſec.* 266. Vitæ compendium *ex Officio Dononienſi apud Molanum in Natalibus* 1 *Julii* 268. Officium Dononienſe modernum 269

Petrus Patricius Conf. CPoli 9 *ſec. in Appendice* 289. Vita *ex Menæis Mss. bibliothecæ Ambroſianæ F. O. num.* 148 *collata cum Menol. Baſiliano Ms.* 290

Hechardus Preſb. Conf. monaſterii Scheidenſis, Ord. Præmonſtratenſis, fundator, in finibus Colonienſis & Markani territorii 12 *ſec.* 272. Vitæ compendium *ex Grothuſio noſtro* 273. Vita B. Hechardi *à Gelenio concinnata* 274

Bartholomæus Ep. Vicentinus Ord. Prædicatorum 13. *ſec.* 277. Vita B. Bartholomæi *per Leandrum Albertum compendio deducta, ex aliis illuſtratur uſque ad epiſcopatum Vicentinum* 280. Reliquum vitæ 284

INTER PRÆTERMISSOS.

Moderatus & Felix hîc olim ſignati, iidem ſunt qui ſuprà 5 ſec. Eos cultum habere, poſtea compertum eſt 2 *f*

Raynaldus Decanus Martyr memoratur in Catalogo SS. Autiſſiodorenſium 2 *f*

Ezzus vel Izzus Ep. Saliſburgenſis titulo Beati & elogio illuſtratus à Bucelino 3 *b.*

Sabinus ut Ep. Albigenſis, & M. notatus in Kalendario Benedictino. Hunc ita ac duos præcedentes hactenus ut Sanctos non ſatis noſcimus 3. *b*

David Cirburus ex Anglo Carmelita Ep. Drombrenſis mortuus an. 1446, paſſim Beatus appellatus, teſte Acie Carmelitana bene ordinata 3 *c*

Primitivus aliquis Martyr cultus Brunæ, ubi corpus ejus eſt in collegio Soc. Jeſu, eò veriſimiliter ex Romanis Catacumbis delatum 3 *d*

Eugenius II. Ep. Toletanus inſigni elogio ornatus à Tamayo. Si de cultu huic Eugenio exhibito conſtet, de eo agi poterit menſe Novembri 3 *f*

Simeon Agricola Marl. Caſtellani inſcriptus; teſte Gonzalvo Davila, colitur in oppido Acuelenſi in Hiſpania, diciturque miraculis clarus. Nihil certi de ejus ætate aut geſtis habemus. 4 *a*

Electus & Socii ejus MM. in Morea à Mauris coronati & pluribus miraculis claruiſſe dicuntur apud Arturum. 4 *d*

Martinus de Ulmis Ep. Tricaſtrinenſis, cujus ſacrum corpus bis tranſlatum dicitur; de Sancti aut Beati hujus ætate, geſtis & cultu plura doceri cupimus 4 *f*

Arnoldus Aëp. Moguntinus Sancti titulo gaudet apud Caſtellanum, qui refert, occiſum eum eſſe anno 1160. Nobis de illius ſanctitate vel cultu hactenus nihil innotuit 5 *a*

Eliſabetha de Vans (aliàs Wans) Ord. Ciſtercienſis Sanctimonialis in Aquiria monaſterio, diœceſis Namurcenſis celebrata, ut vitâ & ſpiritu prophetico nobilis; ſed de cultu publico olim ei præſtito non conſtat. 6 *b*

DIE II.

Viſitatio B. Mariæ Virginis ad Eliſabeth 295. Primæva hujus feſti inſtitutio &c *ex Bulla Bonifacii* IX *& variis AA.* 295. *Appendix* de S. Maria V. Conſolatrice afflictorum, patrona præcipua ducatûs Luxemburgenſis & Chiniacenſis *ex documentis authenticis* 299

Proceſſus & Martinianus MM. Romæ 1 *ſec.* 300. Actorum compendium *ex Adone* 300. Martyrium *ex perantiquis Mss. Codd. apud Surium* 303. Miracula *ex Homilia S. Gregorii Papæ* 305

Tres milites MM., qui cum S. Paulo paſſi ſunt *ſub Nerone, ex Rom. parvo, Adone, Uſuardo*

do &c 305
Hyacinthus M. 2. *ſec. ex Menol. Baſiliano* 306
Euticius M. Romæ *ex Hieronymianis* 306
Hiſicius, Amidas, Amigradinus, ſeu Amigradina, Arixus & Jocundianilla Romæ vel in Meſopotamia *ex Hieronymianis* 307
Quintus M. in Phrygia *ſub Aureliano. ex Men. Ambroſianis* 307
Ariſton, Creſcentianus, Eutichianus, Urbanus, Vitalis, Juſtus, Feliciſſimus, Felix, Marcia & Symphoroſa MM. in Campania Felice, *ſub Diocletiano, ex Actis S. Sebaſtiani & Mrll.* 307
Adeodatus Presb. Conf. Galliani in agro Mediolanenſi *ex Ferrario & Caſtellionæo* 308
Juvenalis patriarcha Hieroſolymitanus 5 *ſec. ex Menæis & Menoll. tom.* VII *Julii in Appendice* 855. *Sylloge geſtorum* 857
Monegundis vidua recluſa Turonibus in Gallia 6 *ſec.* 309. Inſtrumentum tranſlationis anni 1505. 310. Reliquiæ & cultus Chimaci in Belgio *ex variis documentis* 311. Vita *Auct. S. Gregorio Turonenſi Ep. lib. de Vit. Patrum cap.* 19. *ex editione Surii collata cum aliis editionibus* 313. Miracula *ex eodem, lib. de Gloria Confeſſ. cap.* 24. 316. Officium in eccleſia Chimacenſi 316
Oudoceus Ep. Conf. Landavæ in Anglia 6 *ſec.* 318. Vita *Auct. incerto, ex Legenda Sanctorum Angliæ apud Capgravium* 320
Swithunus Ep. Conf. Wintoniæ in Anglia 9 *ſec.* 321. Corporis tranſlatio & miracula *ex Wolſtano* 321. Vita *Auct. Gotzelino apud Surium, collata cum ea, quæ eſt apud Capgravium* 327. Hiſtoria tranſlationis & miraculorum *Auct., ut videtur, Lantfredo mon. Wintonienſi in Anglia, ex antiquiſſimo Ms. Bigotiano* 328. Miracula S. Swithuni *ex antiquiſſimis membranis Reginæ Sueciæ in Cod. num.* 769 331
Adegrinus mon. vel ſolitarius Ord. S. Benedicti Conf. Balmæ apud Sequanos x *ſec.* 338. Vita *ex Ms. Balmenſi, collato cum Vita S. Odonis* 339
Lidanus ſeu Ligdanus Ab. Setiæ in Latio 12 *ſec.* 340. Vita & miracula *ex Cod. Ms. collegii S. J. Setiæ, collata ex parte cum Ms. Ughelli abbatis* 343
Otto Epiſc. & Confeſ. Pomeranorum Apoſtolus, Bambergæ in Franconia 12 *ſec.* 349. Sancti natales, geſta, obitus *ex variis à pag.* 354 *uſque ad* 367. Sancti canonizatio & elogia 367. Geſta & cultus *ex Officiis eccleſiaſticis &c.* 369. Cultus ex reliquiis &c 372. Beneficia per vinum in Sancti honorem benedictum obtenta *ex documentis ad nos tranſmiſſis per Cl. Schugentium* 375. Appendicula de S. Ottonis Homiliis Mss., quæ ſuperſunt 378. Vita *Auct. ſynchrono, ex editione Caniſii correcta & emendata, à* 378 *uſque ad* 425. Vita altera, *Auct., ſi non fallimur, Ebbone mon. ex Ms. bibliothecæ Paulinæ Lipſiæ, nunquam antehac edita à pag* 425 *uſque ad* 449. Liber quartus Ebboni ſuperadditus 449. Supplem. ad præmiſſas Vitas, *ex Andrea, à Gretzero edito* 456
Lætus puer M. Pruvini in Briegio ſeu Bria Galliæ, hoc die, ut fert loci traditio, 12 *ſec.* paſſus; cultus Dominicâ 2. Julii, *ex Caſtellano & tranſmiſſis ad nos notitiis tom* VII. *Julii in App.* 865
Joannes Vicentinus Ord. Prædicatorum 13 *ſec.* 465. Vita *Auct. P. Valerio Muſcheta Patavino, Ord. Prad.* 467. Antiquiorum de B. Joanne Vicentino teſtimonia 481
Petrus de Luxemburgo S. R. E. Cardinalis, Ep. Metenſis, Avenione in Gallia 14 *ſec.* 486. Beati natales, geſta, obitus, miracula &c. *ex variis* à 486 *uſque ad* 504. Inſigniora quædam Beati elogia 504. Vita *Auct. anonymo coævo, ex antiquo Ms. pergameno bibliothecæ PP. Cæleſtinorum Avenionenſium, collata cum aliis Mss.* 509. Vita altera *Auct. Henrico Albio S. J. Gallicè conſcripta, hîc Latinè reddita* 516. Præambulum ad Proceſſum pro canonizatione *ex Ms. Avenionenſi, quod R. P. Abel le Gros Cæleſtinus ad nos miſit* 525. Pars I. Proceſſus de vita, moribus ac virtutibus B. Petri de Luxemburgo *ex eodem Ms. à pag.* 527 *uſque ad* 565. Pars II de miraculis, *ex eodem Ms. Avenionenſi à* 565 *uſque ad* 607. Hiſtoria eorum, quæ poſt obitum Beati contigerunt, *ex Ms. Cod. PP. Cæleſtinorum monaſterii Avenionenſis, à P. Nicolao Malet ejuſdem monaſterii Religioſo collecta* 607

INTER PRÆTERMISSOS.

Juvenalis Ep. Hieroſolymitanus, inter Prætermiſſos olim notatus, idem ipſe eſt, de quo inter Sanctos ſuprà egimus ad ſec. 5. 292 *d*
Gerundius (*Gall.* Jeroche) ut Sanctus & cultum Reſpaci habens refertur à Caſtellano. Diſtinctiora requirimus monumenta 293. *b*
Gregorius Macloviopoli in Armorica à Sauſſayo ut Ep. & Martyr celebratur. 293 *e*
Magiſter cum duobus novitiis in Grandiſilva, celebrantur in Kalendario Ciſtercienſi inter Ordinis Sanctos. De cultu nobis non conſtat 293 *f*
Maria Converſa, in Nazareth prope Liram (Brabantiæ) virtutum ſplendore & ſanguinis genere nobilis; cujus cadaver miram odoris ſuavitatem poſt obitum emiſiſſe ſcribit Henriquez ex Raiſſio 293 *f*
Bernardinus Realinus, S. J. Sacerdos, an. 1616 piè mortuus, ſanctitatis & miraculorum famâ illuſtris; de cujus beatificatione agi cœptum eſt. 294 *b*
Didacus mon. S. Raymundi Ab. coadjutor, titulo Beati ornatus ab Henriquez aliiſque. Deeſt hactenùs legitima cultûs probatio 294 *d*
Joannes de Eſtremoz, laïcus, virtutibus & miraculis ornatus & Beatus dicitur apud Herreram, ejuſque olim celebrabatur memoria, teſte Auct. Theatri triumphalis 294 *f*

D I E III.

Chreſtus Ep. Syracuſis in Sicilia 1 *ſec. ex Octavio Cajetano* 632
Hyacinthus cubicularius M. *circa init.* 2 *ſec.* item alius Synonymus M. *ex Faſtis Græcis* 633
Theodotus & Theodota, Diomedes, Eulampius, Aſclepiodotus & Golinduchus MM. *circa init.* 2 *ſec. ex Menol. Baſiliano Cryptæ Ferratæ in Latio* 634
Dathus Ep. Ravennæ in Italia 2 *ſec. ex Mrll. & monumentis Ravennatibus* 635
Tryphon, Menelaus, Cyrion, Eulogius, Porphoreus, Apricus, Chuſtus, Julianus, Eradius, item Tryphon, Oreſtes: addi poſſunt Cyrillus, Emerion, alter Cyrion & Julius; MM. Alexandriæ *ex Hieronymianis* 636
Severus, Helion, Trategus, Montanus, Atranus, Euſucius, Germanus, Parthenus & Paulus MM. Tarſi in Cilicia *ex Hieronymianis* 636
Martyres CPolitani XXIV. Euphemia, Acacius, Ammonius, Thomas, Triphon, Menelaus, Cerealis, Heraclius, Eulogius, item Eulogius, Cionia, Julianus, Demetrius, Horeſtes,

TOMUS II

DIE IV.

Oſeas & Aggæus Prophetæ in Palæſtina *ex ſacris Litteris & Faſtis Græcis ac Latinis* 5

Jocundianus M. in Africa *ex Hieronymianis* 5

Innocentius, Sebaſtia, aliàs Sabbatia & alii xxx MM. Sirmii, *ex Hieronymianis* 6

Namphanion & Socii MM. Madauræ in Africa, *ex Mrl. Rom.* 6

Antoninus M. Placentiæ in Italia 3 *vel* 4 *ſec.* 7. Ejus memoria *in Mrll.* 10. De variis Antoninis diſſertatio *à pag* 7 *uſque ad* 19

Theodorus Ep. & M. in Lybia 4 *ſec. ex Menæis & Menoll.* 19

Aſclepias Taumaturga, Theophilus & Menignus MM. *ex Synaxario Sirmondi & Ms. Chiffletii* 21

Theodotus M. & Donatus Ep. Lybiæ *ex Men. impreſſis* 21

Marcus Conf. *ex Men. biblioth. Ambroſianæ* 22

Flavianus & Elias Antiochiæ & Hieroſolymæ Epp. 6. *ſec. ex Mrl. Rom.* 22. Sanctorum apologia *ex Euagrio, Marcellino & Baronio* 24. S. Flaviani geſta *ex variis collecta* 25. Geſta S. Eliæ *ex Cyrillo mon.* 28

Laurianus Ep. & M. Vaſtinni apud Bituriges in Gallia *fortè* 6 *ſec.* 32. Paſſio *ex Cod. Ms. Cheſnæi collato cum editione Labbei, cum præfatione anonymi ex Cod. Ms. eccleſiæ de Caſtro Bituricenſi* 35

Valentinus Presb. Conf. prope Moliſmum, diœceſis Lingonenſis in Gallia 6 *ſec.* 39. Vita *ex Cod. Ms. S. Benigni Divionenſis, collata cum alio Ms. Reginæ Sueciæ* 41

Andreas Cretenſis Ep. & Conf. 8 *ſec. ex Faſtis Græcis* 42. Vindiciæ à Monotheliſmo, ſcripta *&c.* 44

Berta vidua ſanctimonialis Blangiaci in Arteſia 8 *ſec.* 47. Vita *ex Cod. Ms. cœnobii Blangiacenſis* 49. Liber de miraculis & tranſlatione ejuſdem *ex Mss. Codd. Blangiacenſis monaſterii, collatis cum editione Mabillonii* 54

Aurelianus Ep. & Conf. Lugduni in Gallia 9 *ſec. ex Mabillonio* 60

Odo Aëp. & Conf. Cantuariæ in Anglia x *ſec.* 63. Vita *Auctore, ut videtur, Oſberno, mon. Cantuarienſi; ex Ms. membranaceo antiquo, monaſterii, ut putatur, Boni-Fontis, collata cum Vitis, quæ exſtant apud Capgravium & Mabillonium* 67

Udalricus Ep. & Conf. Auguſtæ Vindelicorum x *ſec.* 73. Sancti natales, geſta, obitus, cultus &c *ex variis* 74 *& ſeqq.* Bulla canonizationis, quæ putatur omnium prima, *ad fidem Ms. exempli reſtituta & à Velſero aliiſque edita* 80. Inſigniora quædam Sancti elogia *ex variis* 80. Miracula *ex Udalſchalco ſcriptore ſynchrono, item ex Ms. à R. P. Joanne Gamans S. J. ad nos tranſmiſſo* 82 *& ſeqq.* Reliquiæ, Crux S. Udalrici, terra contra glires, &c *ex variis* 87 *& ſeqq.* Diſſertatio de corporis tranſlatione 90. Officium proprium 93. Vita *Auct. anonymo, æquali & familiari conſcripta ex Codd. membraneis duobus & chartaceo uno, à Marco Velſero eruta, ac dein edita apud Surium & Mabillonium, à* 97. *uſque ad* 125. Miracula S. Udalrici 125 *& ſeqq.* Appendix. Inventio

&

reſtes Heliodorus, Strategus, Amedinus Jocundus, Martyrius, Ammus, Suſtratus, Timotheus Cionius, Cyrianus; *ex Hieronymianis* 637

Eulogius CPolitanus *ex Rom. parvo* 638

Irenæus diaconus, Muſtiola matrona aliique MM. Cluſii in Etruria 3 *ſec.* 638. *Paſſio ex Mss. collatis cum editione Surii* 640

Marcus & Mocianus, puer anonymus & quidam Paulus MM. *ex Menoll. Græcis & Menæis, item Mrl. Rom.* 641

Anatolius Ep. ejuſque deceſſor Euſebius Laodiceæ in Syria 3 *ſec. ex Euſebio & Mrll.* 642

Heliodorus Ep. Altinenſis & Conf. Torcelli prope Venetias 4 *ſec.* 645. Vita *ex Ms. Cod. Sacræ Eremi Camaldulenſis fol.* 100 647

Anatolius Ep. & Conf. Cpoli 5 *ſec.* 651. Inquiſitio critica de præcipuis adverſus Sanctum accuſationibus, *ex variis* 652 *& ſeqq.* Vita *Auct. anonymo, ex Mss. bibliothecæ regis Franciæ ſignato num.* 1387 659

Germanus Ep. in Mannia ſive Mona, maris Hibernici inſula 5 *ſec. ex Vita S. Patricii* 667

Guthagonus Conf. Ooſtkercæ apud Brugas in Flandria *fortè* 8 *ſec.* 668. Elogium *ex Lectionibus in Ooſtkerca* 670

Raymundus Conf. Toloſæ in Gallia XI *ſec.* 670. Notitiæ Toloſâ acceptæ 677. Vita in novem Lectiones diſtributa *ex Ms. Toloſano* 680. Vita altera *ex editione anonymi Toloſani* 683. Manipulus recentiorum miraculorum ab anno MDCLII ad MDCLVI, *ex Vita à J. B. Jalraſio Gallicè edita* 686

INTER PRÆTERMISSOS.

Tecla, Eraſma, Elia, Aquila & Agnes puellæ Calaritanæ ſec. 4. in Domino mortuæ. De martyrio, Sanctitate & cultu nobis ſufficienter non conſtat 630 *b*

Muſanus Presb. & Conf. 2 ſec. à S. Hieronymo & ab Euſebio laudatus, apud Ghinium Sancti titulo gaudet. Nos de cultu doceri cupimus 630 *c*

Tatwinus eremita Croylandenſis inſulæ, à Menardo, Bucelino, & Caſtellano celebratus; eum cultum olim fuiſſe aut modò coli, nobis incompertum eſt 630 *d*

Thomas Prior cœnobii Bonifontis in Tareſca GalliæBelgicæ provincia, quem inter viros ſanctitate celebres, quos protulit Ciſtercium, à Joanne abbate & Miſſali antiquo connumerari, aſſerit Manrique, Sanctum alicubi appellans. Cultum nobis probari cupimus 631 *b*

Monachi XXXV Hemmerodenſes, quorum gloria omnibus innotuerit, admirandis obitum præcedentibus & ſubſequentibus viſionibus &c, teſte Henriquez. De legitimo ipſis exhibito cultu eccleſiaſtico optamus fieri certiores 631 *c*

Tirechanus S. Ultani diſcipulus, deinde Ep. ſec. 7. ſi Colgano credimus, Sanctus eſt, coliturque III Julii; ubi, à quibus, à quo tempore, ignoramus 631 *c*

Tartinna, aliàs Dartinna locum habet in Collectaneis ſacris Hibernicis. Neque de cultu ſatis conſtat, neque de geſtis quidquam traditur 631 *d*

Ægidius Reggienſis aliique hoc die ab Arturo memorati, an cultu aliquo eccleſiaſtico donati ſint, neſcimus 631 *f*

& tranſlatio corporis S. Udalrici *ex editione Velſeri & Surii cum Ms. Cod. collata* 131
Procopius Ab. Conf. Pragæ in Bohemia XI *ſec.* 136. Vita *Auct. anonymo coævo, ex Mſ. Pragenſi* 139
Wilhelmus Conf. Ab. Hirſaugienſis in Suevia XI *ſec.* 148. Beati elogia & geſta quædam *ex variis* 150. Vita *Auct. Haymone, mon. Hirſaugienſi, Beati coævo ac diſcipulo, à Carolo Stengelio è Mss. edita ac deinde à Mabillonio Actis Benedictinis inſerta* 155
Albertus Ep. Conf. Laude Pompeia in Italia 12 *ſec. ex Acerbo Murena, & Ughello* 165
Barduccius & Joannes de Veſpiniano laïci Conff. Florentiæ in Etruria 14 *ſec.* 168. De Beatorum vita & geſtis breviſſima ſynopſis *ex Joanne Villano Auct. coævo* 168
Eliſabetha Luſitaniæ regina, vidua, tertii Ordinis S. Franciſci, Conimbricæ in eadem Luſitania 14 *ſec.* 169. Inſtitutio Proceſſûs de geſtis S. Eliſabethæ, item Vita *Auct. anonymo ferè coævo, ex Cod. antiquo monaſterii S. Claræ Conimbricæ, Luſitanâ linguâ ſcripto, hîc in Latinum tranſlato à pag.* 173 *uſque ad* 197. Summarium miraculorum recentiorum, *collectum Conimbricæ auctoritate epiſcopali, ex depoſitionibus teſtium citatorum & juratorum anno* 1576, *ex interpretatione Roderici Gomes* 197 *& ſeqq.* Relatio facta in Conſiſtorio ſecreto coram S. D. N. Urbano Papa VIII. à Franciſco Maria Ep. Oſtienſi S. R. E. Card. à Monte die XIII Januarii MDCXXV, ſuper vita, ſanctitate &c. B. Eliſabethæ *à pag.* 201 *uſque ad* 211. App. de viſitatione corporis S. Eliſabethæ, inſtituta Conimbricæ anno MDCXII. 211. Hiſtoria tranſlationum anno MDCLXXVII. & MDCXCVII factarum *in Appendice pag.* 848

INTER PRÆTERMISSOS.

Benedictus V. PP. Sanctis annumeratus eſt in Catalogo Ferrarii, ubi dicitur Hamburgi cultum habere. Quod nos non putamus 2 *c*
Dunſtanus Ab. cum Sancti titulo celebratur apud Bucelinum. Diem cultûs non invenit Henſchenius, neque nos hactenus reperimus 2 *d*
Gelduinus Ab. Aquicinctinus à Raiſſio honoratus titulo Beati & ſigno mirabili poſt mortem an. 1123 obitam clarus. Publicam venerationem Gelduino aut ejus oſſibus exhiberi, nobis planè incompertum eſt 2 *e*
Bertranus, aliàs Bertramus Beati titulo gaudet apud Henriquezium & Chalemotum. Ut ut magnifico celebretur elogio, non videmus tamen, Sanctorum honoribus cultum fuiſſe aut hodiedum coli 2 *f*
Bolcanus ſeu Olcanus à Sirino hoc die laudatus, nobis diverſus non eſt à S. Bolcano, de quo XX Februarii, donec duorum diverſorum argumenta clariora ſuggerantur 3 *b*
Natalia monialis domeſtica ſeu tertiaria, regalis & militaris Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum an. 1355 defuncta, prodigiis clara & per annos centum & ampliùs in pia veneratione fuiſſe fertur in Vita Ms., quam habemus 3 *e*
Silveneus Canonicus apud Ferrarium Sancti titulo gaudet; nobis de cultu non conſtat 4 *f*

DIE V.

Stephanus, primus Ep. Rhegienſis, & Socii, Suera Ep., Agnes, Felicitas & Perpetua MM. Rhegii in Calabria; *ſec.* 1, 2, *vel* 3. 217. Acta *Auct. anonymo, niſi forte ſit Metaphraſtes; ex Cod. Ms. monaſterii S. Salvatoris, Ord. S. Baſilii prope Meſſanam* 220
Zoë M. Romæ 3 *ſec. ex Actis S. Sebaſtiani* 221
Agatho & Triphina ſeu Triphon MM. in Sicilia, *ex Hieronymianis cum Romano collatis* 222
Strator, Theodotus, Merona, Marina ſeu Marinus, Rodoſia, Magrinus, Secundinus, Thomus ſeu Theonus, & fortè Sodera ſeu Sodepha MM. Tomis in Scythia *ex Hieronymianis* 223
Arpos M. Alexandriæ, *ex Hieronymianis* 223
Cyprilla ſeu Cyrilla, Lucia & Aroa MM. Cyrene in Libya *circa init.* 4 *ſec. ex Menol. Baſiliano & Menæis* 224
Domitius M. in Syria 4 *ſec. ex Menæis & Mrll.* 225
Valerius Ep. Conf. Conſorannis in Novempopulonia *ex S. Gregorio Turon.* 227
Baſilius & LXX MM. Scythopoli *ex Menæis impreſſis* 228
Agnes M. *ex Menologio Baſilii imperatoris juſſu collecto* 228
Athanaſius diaconus, M. Hieroſolymis 5 *ſec. ex Theophane, Nicephoro & Mrl. Rom.* 228
Philomena V. apud Septempedanos in agro Piceno 6 *ſec. ex Mrl. Rom. & Leonardo Franchi* 229
Numerianus Ep. & Conf. apud Treviros 7 *ſec. ex Mrll. & Browero* 231
Trophima ſeu Trophimena V. & M. Minoræ in Italia apud Picentinos, *ex variis* 231. Hiſtoria inventionis ac tranſlationis, & miracula *ex Ms. noſtro collata cum editis apud Ughellum tom* 7. *Italiæ ſacræ* 233
Moduenna ſeu Monenna, Monynna, Monyma, Moninia, una an plures? 241
Athanaſius Conf. in monte Atho, item Lampadus ſeu Lampadius apud Græcos; item alius Athanaſius, in arbore dictus, X *ſec. ex Faſtis Græcis* 246

INTER PRÆTERMISSOS.

Marcellianus eremita Torcelli titulum Sancti habet apud Ferrarium; an Sanctorum honoribus & cultu legitimo donatus ſit, neſcimus 215 *a*
Doctrinus aliquis & quidem Conf. additus Greveno in Cartuſia Bruxellenſi. Item
Heraſmus Confeſſor, de quo Florarium Sanctorum Ms., uterque Sancti titulum illic habet, ſed major de utroque notitia aliunde requiritur 215 *b*
Urſaria mater S. Bertæ titulo Sanctæ donatur in annotatione aliqua ad editionem Molani anni 1583 manu noſtri Andreæ Schotti. Sed de illius Urſariæ ſanctitate aut cultu nobis non conſtat 215 *c*
Fulbertus puer novitius monaſterii Corbeienſis ex Vita S. Anſcharii adductus hoc die à Bucelino tamquam Martyr & Beatus. Alia requirimus ſanctitatis & cultûs indicia 215 *c*
Venerabilis Hugo de S. Victore Canonicus regularis probabiliùs an. 1142 defunctus, à Ferrario aliiſque tamquam Beatus celebratus. Eum Lutetiæ Pariſiorum aut alibi cultum habere, nondum intelleximus 215 *e*
Everhardus converſus in clauſtro reperitur in Kalendario Ciſtercienſi: apud Chalemotum ſignis plurimis emicuiſſe & Sanctorum Menologio adſcriptus dicitur. Eccleſiaſtico cultu præditum eſſe, deprehendere non potuimus 216 *b*
Maria Suarez à Toleto vidua, virtutibus ac miraculis clara apud Arturum anno 1507 defuncta dicitur. Nihil de cultu nobis innotuit 216 *d*

DIE VI.

EPHEMERIDES SANCTORUM

DIE VI.

Isaias propheta & M. in Palæstina, *ex variis* 250

Romulus Ep. ejusque Socii Marchitianus, Crescentius, Dulcissimus MM. Fæsulis ac Volaterris in Etruria 1 *sec. ex Mrll.* 253. Acta apocrypha *ex Cod. Ms. monasterii Bodecensis, collata cum aliis.* 258

Tranquillinus M. Romæ 3 *sec.* 263. Sancti martyrium *ex Actis S. Sebastiani* 264

Artos M. Alexandriæ *ex Hieronymianis* 267

Zoticus, Palladius, Severus, Zetus, Philippus & Arator MM. in Syria *ex Hieronymianis* 267

Zoticus, Amandus, Artes MM. Nevedunenses *ex Hieronymianis* 267

Isaurus, Felix, Peregrinus, Ermias & Socii MM. 4 *sec. ex Menæis* 268

Dominica V. & M. Tropææ in Calabria 268. Actorum compendium ex Græco Latinè redditum 270. Acta Græco-Latina *ex pervetusto Cod. Calabro bibliothecæ Ambrosianæ f. N. n.* 151. 272. Acta Latina *ex vetusto, uti nominant, Breviario ecclesiæ Tropæensis* 278

Noiala V. & M. Ponte-Vici in Armoricis, *ex Proprio Venetensi* 279

Archippus, Philemon; item Apollonius, Alexander, Epimachus, & Onesimus MM. *ex Menæis* 280

Sisoës Magnus, Conf. in Monte S. Antonii in Thebaïde 5 *sec. ex Fastis Græcis & Cotelerio* 280

Asteius, Astius vel Aberistus Ep. & M. Dyrrachii *ex Fastis Græcis* 284

Nicolaus & Hieronymus MM. Brixiæ, *ex tabulis Brixianis* 285

Palladius Ep. & Conf. Scotorum Apostolus, Fordani in Scotia 5 *sec. ex variis* 286

Darerca seu Monynna V. in Hibernia, Scotia, vel Anglia 5 *sec. vel* 6. 290. Vita *Auct. anonymo conscripta, ex Ms. Hibernico seminarii Salmanticensis S. J.* 290. Viti S. Moduennæ, pluribus nominibus nuncupatæ, *Auct. Conchubrano, ex Cod. Ms. bibliothecæ Cottonianæ sub effigie Cleopatræ A. 2. collata cum Vita S. Monynnæ seu Darercæ à pag.* 297 *ad* 312

Gervasius diaconus M. in agro Cabilonensi *sec.* 4. *aut* 6. 312. Passio *ex duobus vetustis Mss. Codd. Chifletianis, collata cum alio Legendario Cabilonensi* 314

Hugo Peregrinus, Conf. in Navigné, diœcesis Autissiodorensis in Gallia *circa init.* 6 *sec.* 447 *in Appendice.* Vita *ex Ms. Gallico Autissiodorensi Latinè versa* 447. *Vide & tom. VII Julii* 864

Goar Presb. Conf. ad S. Goarem in agro Trevirensi 6 *sec.* 327. Reliquiæ & Corporis translatio *ex variis* 330. Vita *Auct. anonymo, fortè subæquali, ex Ms. Bertiniano vetustissimo ad alia Mss. collato* 333. Miracula *Auct. Wandelberto, mon. Prumiensi, ex Surio & Mabillonio, cum Legenda antiqua, Moguntiæ anno* 1489 *edita collatis* 337

Severus Ep. & Conf. Cæsenæ in Italia 6. *sec.* 324. Vita *ex Cod. Ms. bibliothecæ Vallicellanæ, collata cum editione Ughelli* 325

Sexburga regina, abbatissa Eliensis in Anglia 7 *sec.* 346. Præcipua vitæ Capita chronologicè ordinata *ex variis* 347. Elogium *ex Capgravio f.* 278 349

Bertarius & Atalenus MM. prope Faverniacum apud Sequanos 8 *sec.* 316. Acta *ab Auct. anonymo conscripta, ex Ms. Cod. S. Mansueti Tullensis, collato cum alio Ms. Segueriano* 317

Godeleva V. & M. Ghistellæ, diœcesis Brugensis in Flandria XI *sec.* 359. Sanctæ patria, parentes, martyrium 359 *& seqq.* S. Godelevæ cultus, *ex Actis, Mrll. &c* 370 *& seqq.* Locus primæ sepulturæ, corporis elevatio, translationes &c *ex variis documentis à pag.* 375 *ad* 384. S. Godelevæ reliquiæ variis locis per Belgium venerationi expositæ *ex variis documentis* 384 *& seqq.* Benedictinum Virginum cœnobium sub S. Godelevæ nomine conditum 390. Concretus Sanctæ miraculosus sanguis 392. Celeber puteus &c. *ex variis instrumentis authenticis & AA.* 397 *& seqq.* Vita *Auct. Drogone mon. & sacerdote, ex Ms. cœnobii Aldenburgensis, nunquam antehac sincerè & integrè edita* 402. Vita & martyrium S. Godelevæ *Auct. Drogone monacho & sacerdote Gesteliensi; mutatâ per Laur. Surium ferè totâ dictione* 409. Vita altera auctior, *ab anonymo Ghistellensi descripta, nunquam hactenùs Latinè edita* 413. Miracula *ex variis collecta* 436

Angela Bohemica, V., ut volunt, Carmelitana 350. Vita *ex impressis parte* 4. *Speculi Carmelitani, collata cum alia Vita Ms. P. Segeri Pauli, Carmelitæ Colonienſis* 356

Petrus à Cruce Ord. Servorum B. M. V. Viterbii in Italia 16 *sec.* 444. Brevis notitia de vita & morte B. Petri, Germani, è Cruce nuncupati *ex Annalibus Servorum, & Mss. Conventûs S. Mariæ Veritatis Viterbii* 445

INTER PRÆTERMISSOS.

Golinia V. in Hibernia in catalogis Hibernicis & Florario Ms. celebrata. Si hoc nomen alicunde corruptum non sit, certè major notitia desideratur 249 *f*

Silvester S. Palladii socius in Maria ex Dempstero & Ferrario XI Junii hùc remissus. Hactenus nihil certi de eo inaudivimus 249 *f*

Joannes Kinigamus Anglus omni virtutum genere fulgidus Carmelita an. 1399. Eboraci mortuus, titulo Beati signatus in Acie bene ordinata, item à Leandro & in Kalendario Ord. 249 *f*

Theodoricus Conf., Misnæ miraculis clarus memoratus ab Arturo in Mrl. 250 *a*

Stephanus V PP. à Bucelino Sanctus vocatus. Alia quærimus documenta 250 *b*

Hermannus mon. Heisterbacensis cœnobii & ibidem cantor, Beati titulo & insigni elogio ornatus ab Henriquez aliisque. De cultu nobis non constat 250 *b*

Benedicta sanctimonialis, cœnobii Glascovienſis in Polonia, in odium fidei & religionis à barbaris & ethnicis hominibus trucidata dicitur à Bivario & Chalemoto, qui tamen eam pro martyre ab Ecclesia agnitam esse, non probant 250 *b*

DIE VII.

Apollonius Ep. & Conf. Brixiæ in Insubria Italiæ 2 *sec. ex Mrll. & ex Actis SS. Faustini & Jovitæ* 453

Peregrinus, Lucianus, Pompeius, Hesychius, Papias, Saturninus & Germanus MM. Dyrrachii in Macedonia *sub Trajano, ex Menæis* 457

Pantænus Conf. Alexandriæ in Ægypto 3 *sec. ex Eusebio* 457

Claudius Commentariensis, Nicostratus primiscrinius, Castorius, Victorinus & Symphorianus MM. Romani 3 *sec. ex Actis S. Sebastiani* 461

Navitus Ep. & M. Treviris, vel Tungris in Belgio *fortè* 3 *sec.* 464

Parme-

Parmenius, Heraclius, Helias, Apollonius, Eudomius, Anovius, Publius cum aliis XVIII MM. Alexandrini *ex Hieronymianis* 466
Parthenius, Animatus, & Pividius cum aliis VII. *ex Hieronym.* 466
Alexander & Partinimus MM. *ex Hieronymianis* 467
Thomas Conf. in monte Laconiæ Malæo *ex Menæis* 467
Acacius *è Græcis & Syriacis tabulis* 468
Euſtathius, Polycarpus, & Euangelus MM. *ex Menæis* 468
Joannes Angeloptes Ep. Ravennæ in Italia 5 *ſec. ex Hieronymo Rubeo* 468
Conſul Ep. Comi in Inſubria 5 *ſec. ex Ferrario & Annalibus Comenſibus* 469
Sigisboldus Ep. Sagii in Normannia 5 *ſec. ex Mrl. Caſtellani* 470
Felix Ep. & Conf. apud Nannetes in Britannia Armorica 6 *ſec. ex Lectionibus Officii proprii & Fortunato* 470. Querelæ S. Gregorii Turon. adverſus S. Felicem explicatæ 476
Medranus & Odranus frat. Confeſſ. Lethreci in Hibernia 6 *ſec. ex Actis S. Kierani* 477
Wulfilacius Diac. Conf. Ivodii in ducatu Luxemburgenſi 6 *ſec.* 478. Vita *ex S. Gregor. Turon. Hiſt. Franc. Lib.* 8. *Cap.* 15. 479. Obitus & tranſlatio *ex Vita Ms. S. Magnerici Trev. Ep. A. Eberwino* 480
Agitur etiam paucis de hoc Sancto, in Appendice tom VII. Julii 864
Edelburga V. Angla, Abbatiſſa Eboriaci ſeu Faræ monaſterio in Gallia 7 *ſec. ex Beda & Mrl. Rom.* 481
Hedda Ep. apud Occidentales Saxones in Britannia 8 *ſec. ex Beda & Mrl. Rom. moderno* 482
Eoaldus Ep. Viennæ in Gallia 8 *ſec. ex Adone & Mrl. Viennenſis eccleſ.* 484
Willibaldus Ep. Eyſtadii in Germania 8 *ſec.* 485. Sancti natales, ſcripta, geſta, & obitus *ex variis à* 485 *uſquead* 495. Corporis elevationes, tranſlationes, cultus &c. *ex variis*, 495 *& ſeqq.* Vita ſeu Hodœporicon *Auctore virgine conſanguinea ſanctimoniali Heidenheimenſi, ex edit. Caniſii correcta ex variis Lect. Gretſeri* 500. Vita altera *A. anonymo perantiquo, ex editione Caniſii* 512. Miracula *ex Philippo Ep. Eyſtettenſi* 517
Angelelmus Ep. Autiſſiodori in Gallia 9 *ſec.* 520. Elogium *ex Hiſtoria Epp. Autiſſiodorenſium, Biblioth. Ms. Labbei tom.* 1. 520
Odo Ep. Urgellæ in Hiſpania Tarraconenſi 12 *ſec.* 521. Vita *ex Ms. Legendario eccleſ. Urgellenſis* 522
Davanzatus Conf. Barberini in Etruria 13 *ſec.* 524. Miracula *ex monumentis Strozzianis* 525. Vita Beati *per Dominicum Pratenſem, ex Ms.* 527

INTER PRÆTERMISSOS.

Primitivus & Conſtantius MM. Brunæ in Moravia apud PP. Societatis Jeſu culti; item Pamphilus, Marianus & Liobatus Antverpiæ apud PP. S. J. culti Dominicâ primâ poſt Octavam Apoſtolorum Petri & Pauli. Horum omnium corpora ex cryptis Romanis extracta ſunt 450*b*
Peregrinus M. Sanctis quatuor Fanenſibus Protectoribus additus à Nolfio, qui ejus martyrium ſignat circa annum 820, & cultûs ſigna adducit. Nos ubi diem feſtivitati deſtinatum intellexerimus, debito Sanctum loco referemus 450*e*
Jacobus de Caſtroplebis in Etruria M. Ord. Serv. B. Mariæ laïcus annuntiatur ex Ordinis Annalibus à Ferrario. Necdum ei Beatorum honores legitimè delatos novimus 450*f*
Thomas Morus à Benedicto P P. XIV. lib. III de Serv. Dei Beatif. & Canoniz. cap. 14. num. 5. martyr vocatur, licèt nondum vindicatus 451*f*
Joanna de Jeſu ſanctimonialis Urſulana an. 1636 mortua, famâ ſanctitatis & miraculis clara dicitur à Caſtellano. Non intelleximus, quidquam Romæ de ejus ſanctitate ritè declaratum 451*f*
B. Benedictus XI. PP. ex Ord. PP. Prædicatorum, cui anno 1721, quo prodiit tom. ſecundus Julii, Romæ nondum decreti erant honores eccleſiaſtici, nunc hoc die in novo Mrl. Rom. hoc elogium habet. " Peruſii „ beati Benedicti undecimi Tarviſini, ex Or„ dine Prædicatorum, qui brevi Pontificatus „ ſui ſpatio Eccleſiæ pacem, diſciplinæ reſtau„ rationem, religionis incrementum mirificè „ promovit„. De hoc beato Pontifice agemus in Supplemento Operis 452*e*
Veranus & Honoratus Conff. ut Sancti annuntiantur à Sauſſayo. Maximè de Honorato plus lucis optamus, ut de utroque agamus die XI Novemb. 453*b*
Giraldus, Geraudus, ſeu Girardus Aëp. Bituricenſis anno 1218 mortuus, dicitur fulſiſſe fide, ſanctitate, doctrinâ & miraculis. Quærimus Vitam, geſta & cultum, ut de eo agamus die VII Decembris 453*d*

D I E VIII.

Aquila & Priſcilla Conjuges, fortè in Aſia Minore 1 *ſec. ex Scriptura S., Menæis, Marll. & S. Joanne Chryſoſtomo* 534
Auſpicius Ep. Treviris 2 *ſec. ex Mrll.* 537
Epictetus Presb. & Aſtion m. MM. Almiridenſes in Scythia *ſub Dioclet.* 538. Acta *edita in Vitis Patrum apud Roſweydum Lib.* 1. *Auct. incerto* 540
Angelus de Auguſtinis Ord. Carmel. ſi vero cultu Eccleſiaſtico gaudere probetur, locus ei alibi in hoc Opere dabitur 417 *d*

Carolomannus ex rege, ſeu mavis, duce Francorum, celeberrimus mon. Caſinenſis, Sanctus pronuntiatur à Mabillonio. Nos lubentiſſimè Carolomannum in hoc Opere prædicabimus, ſi modò probetur, eum aut Viennæ in Delphinatu, ubi mortuus, aut in monte Caſino, ubi depoſitus eſt, aut alibi veris Sanctorum honoribus unquam donatum fuiſſe 417 *e*

DIE XVIII.

Florus & Laurus, Proculus, Maximus, & alii MM. in Illyrico *forte 2 ſec.* 520. Martyrium *Auct. Laurentio mon. Rutienſi in Calabria, ex Cod. Ambroſiano N. f. n.* 152 522

Agapitus M. Prænestæ in Italia *ſub Aureliano imp.* 524. Breve Sancti elogium *ex Adone* 525. Templa erecta, reliquiæ & quædam miracula, 527. *& ſeqq.* Hiſtoria Biſuntinæ tranſlationis ac inventionis *excerpta ex Veſontionenſi SS. Joannis & Stephani Legendario* 530. Acta *Auct. ignoto, ex tomo* 147 *Ms. bibliothecæ Caſſinenſis, litteris Longobardicis exarato,* 532. Acta alia *Auct. anonymo, ex Ms. Accinti monaſterii in Burgundia, cujus apographum à Chiffletio noſtro accepimus* 537

Projectitius M. Bergomi in Italia 4 *ſec. ex variis* 539. Lectiones propriæ *ex Breviario Bergomenſi* 543

Joannes & Criſpus Presbb. Romani, fortè & MM. *ſub Diocletiano, ex Mrli.* 545

Pontemus, Pilentia, Tatiana & Marciana, Heliana & Lautia ſeu Lauciana Amaſeæ in Ponto *ex Hieronymianis* 546

Leo & Juliana MM. Myræ in Lycia *ex Faſtis Græcis ac Mrl. Rom.* 546

Hermas, Serapion & Polyænus MM. Romæ *ex Faſtis Græcis & Latinis* 546

Agon Ep. Pictavienſis, *tom. 6. Aug. in Suppl.* 826

Helena, vidua, imperatrix, Magni Conſtantini mater, Romæ 4 *ſec.* 548. Nomen, annus & locus natalis, conjugium cum Conſtantio Chloro *ex variis à pag.* 548 *uſque ad* 556. Helenæ proles unica, ſtudium propagandæ fidei, inventio Crucis &c *à* 556 *uſque ad* 562. Hiſtorica S. Crucis ab Helena inventæ collectio *ex S. Ambroſio, Paulino &c.* 562. Geſta S. Helenæ poſt ejus inventionem, publica crucis veneratio, & miraculis illuſtrata &c 564 *& ſeqq.* Sanctæ teſtamentum, obitus, cultus, &c 569. *& ſeqq.* Vita ſeu potiùs Homilia *Auct. Almanno, cœnobita Altivillarenſi, ex Mss. S. Benigni Divionenſis, Vallis Lucentis & Cartuſiæ Divionenſis, cum exemplari Trevirenſi collata* 580. Gloria poſthuma ex variis corporis tranſlationibus, *è documentis tum editis tum Mss.* 599. Gloria poſthuma ex miraculis, *Auct. Almanno mon. Altivillarenſi, è Ms. Resbacenſi* 612. Alia miracula, *Auct. anonymo, è Cod. Altivillarenſi* 618. Alia *ex D. Ruperto Reginaldo, mon. Altivill.* 622 *& ſeqq.* Alia *ex Ms. notitia à R. D. Romualdo Leupot ſubmiſſa* 644. Appendix ad miracula Altivillarenſia; cæleſtes favores in territorio Luxemburgenſi Sanctæ patrocinio obtenti *ex ſubmiſſis inde notitiis* 645. Gloria poſthuma ex Officiis ſacris &c 647. Elogium rhythmicum, *Auct. incerto* 651

Firminus Ep. Conf. Metis in Gallia 5 *ſec. ex Molano, & Baronio* 654

Joannes & Georgius patriarchæ CPolitani 6 *ſec. & 7 ex Menæis, & Labbeo tom* 4. 655

Dega Maccayrill ſeu Dagæus Ep. Conf. in Hibernia 6 *ſec.* 656. Vita *Auct. anonymo, ex Cod. Ms. antiquo membraneo Salmanticenſi, quem habemus à pag.* 212 658

Inanus ſeu Evanus Conf. in Scotia 9 *ſec. ex Dempſtero & Breviario Aberdonenſi* 663

Clara de Cruce V. prope Montem-Falconis in Umbria 14 *ſec.* 664. Decreta pontificia pro ejus cultu 664. An fuerit Beata ex tertio Ord. S. Franciſci 667. Sacra Dominicæ Paſſionis myſteria ejus cordi impreſſa, poſt mortem inventa *ex Cornelio Curtio & Moſconio* 672. Vita *A. Iſidoro Moſconio, ex vetuſtiſſimis Codd. in monaſterio ſanctæ Crucis repertis, fideliter extracta* 676

Rainaldus vel Raynaldus Aëp. Ravennas, Ravennæ in Italia 14 *ſec.* 688. Vitæ compendium *ex Ferrario* 689. Geſtorum ſeries & quædam analecta 690. Acta Beati & miracula, *quæ Nicolaus de Arimino Minorita anno Chriſti* MCDXIII *collegit; ex apographo Henſchenii noſtri, qui illud Ravennæ ex Mss. documentis iſtius eccleſiæ deſcripſit, & quod cum editione Ughelliana collatum eſt* 692

INTER PRÆTERMISSOS.

Helda, quæ apud Albericum mon. Trium fontium Sanctæ titulum habet, quæque S. Helenæ diſcipula & in Epiſcopatu Trecenſi requieſcere dicitur, in hoc Opere locum habebit, ſi eruditi Trecenſes aliive certa de ea documenta ediderint, aut nobis Mss. ſubminiſtraverint 518 *b*

Dagæus Ep. hoc die inter Prætermiſſos ſignatus, idem eſt cum S. Dega Maccayrili, cujus Vita hoc tomo pag. 656 illuſtratur 518 *c*

Agon, qui Pictavii hoc die à Caſtellano ut Sanctus coli dicitur, cujus ſedis epiſcopus fuerit, quidve egerit, cognoſcere optamus 518 *c*

Joannes mon. Ciſterc. inter Sanctos ponitur in Ordinis

Ordinis Kalendario, laudaturque ab Henriquez aliisque. Nobis de legitimo ejus cultu non conſtat 518 *d*

Saluſtius vel Saluſtus S. Diſibodi ſocius, à Camerario Menol. ſuo inſcriptus & in Vita S. Diſibodi in Opere noſtro die VIII Julii memoratus eſt; at de ejus ſanctitate aut cultu nec veſtigium ibi occurrit 518 *d*

Agapes V. & M., quæ in eccleſia Tuſcanenſi colitur hac die, quæ ſit, quidve egerit, cupimus à Tuſcanenſibus edoceri 518 *d*

Jacobus Mutinenſis, Ep. Sebaſtenus, in eccleſia monialium S. Geminiani ſepultus, quique anno Chriſti 1455 hac die obiiſſe fertur, ſignatur in Monumentis Sanctorum Mutinenſium, à Ludovico Vedriano Italicè editis; aſt in Opere noſtro locum habere non poteſt, priuſquam de legitimo ejus cultu ſufficienter conſtet 518 *f*

Theodorus Cellenſis, auctor aut inſtaurator Ordinis Cruciferorum, à noſtro Fiſeno mirificè laudatus eſt ab inſignibus virtutibus, quibus tamen nondum, quod ſciamus, cultus acceſſit 519 *b*

Helena celebris V. ſanctimonialis Hungara, Ord. S. Dominici, & regiæ virginis B. Margaritæ magiſtra, miraculis clara & Beata à nonnullis vocatur. De legitimo ejus cultu inſtrui optamus, ut ſi de eo conſtiterit, Vitam iſtius Helenæ illuſtremus IX Novemb., quo die refertur in Anno ſancto Ordinis Belgico & Viridario Germanico 519 *d*

Antonius de S. Germano ex Ord. S. Dominici hoc die anno 1459 obiiſſe dicitur virtutibus & miraculis clarus, cujus legitimum immemorabilemque cultum ſi quis nobis ſolidè oſtendat, ultrò ac libentiſſimè de illo agemus cum Virid. German. & Anno Sancto Flandrico ad diem XXVIII Novemb. 519 *e*

DIE XIX.

Julius ſenator M. Romæ 2 *ſec. ex Adone, Uſuardo & Mrl. Romano* 700. Acta *ex Vincentio Bellovacenſi* 700

Magnus Ep. & M. in Italia *ſub Decio* 701. Actorum compendium *ex Ughello* 706. Tranſlatio reliquiarum *ex apographo, quod olim ex Collectione Gallonii ſive ex bibliotheca Oratorii Romani accepimus* 708. item *ex Lectionibus propriis Congregationis Olivetanæ* 709. Item *ex veteri tabula Romana* 710. Acta *Auct. anonymo, ex membranaceo Muſei noſtri Cod. ſignato* ✠ *Ms.* 74 713

Magnus M. Cæſareæ in Cappadocia *ſub Aureliano* 717. Acta *Collect. Petro Calo Dominicano, ex Ms. Cod. de Vitis Sanctorum parte* 2 718

Andreas tribunus ac Socii MM. in Cilicia *ſub Maximiano* 720. Acta *Metaphraſta adſcripta & apud Surium edita* 723

Timotheus, Thecla & Agapius MM. in Palæſtina 4 *ſec.* 727. Martyrium *ex Euſebio, de Martyribus Palæſtinæ cap.* 3. *& 6. edit. Valeſianæ pag.* 321 *&* 326 728

Creſcentia V. Pariſiis *ex S. Gregor. Turon.* 729

Filion, Rufinus, Leontius, Theodolus, Cyrillus, Zelatus, Timotheus, Gadda, Romolus & Sylvius MM. Amaſeæ in Ponto *ex Hieronymianis* 730

Rufinus Conf. apud Mantuam in Italia *ex Mrl. Rom. & Ferrario* 730

Eutychianus miles & Strategius MM. *ex Faſtis Græcis* 730

Maſinus Ep. Conf. in monaſterio S. Petri Beſaluenſi, diœceſis Gerundenſis in Catalonia *ex R. P. F. Antonio Domenec Dominicano, in Hiſtoria generali Sanctorum ac virorum ſanctitate illuſtrium in Catalonia principatu* 731

Satyrus Ep. M. cum Sociis Aretii in Tuſcia Italiæ 4 *ſec. ex Ferrarii Catalogo generali & Ughello* 731

Badulphus Conf. Ab. Athanacenſis in Gallia *ex variis* 732

Clintancus rex M. in Anglia *fortè* 5 *ſec. ex variis, præſertim ex Capgravio* 733

Marianus Conf. in Biturigibus Galliæ 6 *ſec.* 734. Elogium *ex S. Greg. Turonenſi de gloria Confeſſorum cap.* 81 734

Donatus Presb. Conf. eremita in pago Sigiſterico Provinciæ in Gallia 6 *ſec. ex Adone, Uſuardo & Gonono* 735

Mocteus vel Mochteus Ep. Lugmadenſis in Hibernia 6 *ſec.* 736. Sancti ſynonymi à noſtro diverſi &c 738. Vita *Auct. anonymo, ex noſtro Cod. Salmanticenſi antiquo Ms. membraneo, qui ſignatur P. Ms. II.* 743

Elaphius Ep. Conf. Catalauni in Campania Galliæ 6 *ſec. ex variis* 747

Mandrianus & Flavianus MM. Telone in Provincia Galliæ *forſan* 6 *ſec. ex variis* 748

Guenninus Ep. & Conf. (*per errorem relatus heſterna die*) Veneti in Gallia 7 *ſec. ex variis* 662

Bertulfus Ab. Bobii in Liguria Italiæ 7 *ſec.* 750. Acta compendioſa *ex Annal. Benedictinis ad annum Chriſti* DCXXVIII 751. Vita *A. Jonæ mon. Bobienſi, teſte ſynchrono & in multis oculato, ex antiquo Muſei noſtri Cod. ſignato* ✠ *Ms.* 86, *cum edit. Mabilloniana collat.* 752. Carmen de geſtis S. Bertulfi *A. Fradoardo Canonico Remenſi, qui ſec. decimo floruit, ex edit. Mabillonii Sæc.* 2. *Benedictino pag.* 166 *& ſeq.* 754

Magnus Conf. Ep. Avenionenſis in Gallia 7 *ſec. ex variis* 755

Calminius Conf. dux Aquitaniæ, Moſaci in Arvernia 7 *ſec.* 756. Elogium metricum *ex Ms. Sanctorali eccleſiæ oppidi Aquinæ* 757. Vita *Auct. anonymo, quam R. P. Thomas Aquinas à S. Joſeph, Carmelita Diſcalceatus ex veteri Ms. Cod. Moſiacenſi edidit* 759

Sebaldus eremita Norimbergæ in Germania 8 *ſec.* 762. Miſſa propria 762. Diploma Martini V. PP. pro approbatione cultûs S. Sebaldi 763. Metricum Actorum compendium *Auct. Conrado Celte Protucio* 765. Acta *Auct. anonymo incertæ ætatis, ex Ms. Carthuſiæ Gemnicenſis in Auſtria* 769

Bartholomæus Ab. Conf. in Calabria 12 *ſec. pag.* 792 *tomi* 8 *menſis Sept. in Supplem.* Varia de Sancti cultu & rebus geſtis *ex variis à pag.* 792 *uſque ad* 810. Vita *Auct. anonymo coævo, ex Cod. Ms. SS. Salvatoris Meſſanenſis* 810 *& ſeq.*

Ludovicus Ep. Toloſanus, Ord. Fratrum Minorum, Brincolæ in Provincia Galliæ 13 *ſec.* 775. Sancti natales, captivitas, Ordines ſacri, virtutes, locus & annus mortis &c 775 *& ſeqq.* Teſtamentum S. Ludovici *ex Pagio* 787. Elogia *ex variis* 788. Miracula *ex variis* 791. Acta pro Canonizatione 797. Corporis tranſlatio, & publica veneratio *ex Waddingo aliisque* 799. Hymnus, Officia 804. Vita *Auct. anonymo ſynchrono, qui Sancto familiaris fuit, à Fratre Henrico Sedulio Ord. FF. Minorum edita* 806

Petrus Gualdenſis tertii Ord. S. Franciſci eremita in Marchia Anconitana Italiæ 14. *ſec.* 822. Beati memoria in *Faſtis & Annalibus FF. Minorum* 823

INTER PRÆTERMISSOS.

Solonius Presb., qui S. Palladium apostolum sepelivit, cum Sancti titulo à Ferrario annuntiatur in Marria. Plura ac certiora de ejus gestis & cultu cupimus edoceri 698 *b*

Theodorus M. Quarentensis Prior, in Carmelo Quarentanæ dicto, ad annum 1244 per Chorasmianos infideles martyrio cum fratribus affectus dicitur in Acie bene ordinata. Desideramus probationes publici ac legitimi cultus 698 *b*

Sabina & pedissequa ejus, quæ hoc die in Florario Sanctorum Ms. Treviris annuntiantur, locum in Actis habebunt, si plus lucis alicunde affulgeat 698 *d*

Leo Ab. Cavensis, à Bucelino aliisque inter cœnobii abbates sanctos ponitur ordine duodecimus, cujus legitimum cultum nobis probari optamus 698 *d*

Bartholomæus Ab., Ord. S. Basilii, hoc die relatus inter Prætermissos, eò quòd de cultu Majoribus nostris tunc non constabat, locum suum, ut suprà videre est, pro hoc die habet in Suppl. tom. VIII. Septembris pag. 792 698 *d*

Burchardus Ep. Viennensis in Delphinatu, vir virtutibus & miraculis clarus, à Saussayo celebratur in Additionibus ad Mrl. Gallic. xx hujus, hac autem die à Castellano, Venerabilem dumtaxat eum appellante. Mirum videri potest, Antistitem tot prodigiis celebrem Sanctorum honores necdum consecutum 698 *f*

Alexius Strozza Ord. Prædicatorum, anno 1383 hoc die vitâ functus, mirificè laudatur à Joanne Carolo Florentino apud Ambrosium Taëgium. Utinam nobis aliquis ea submministret documenta, ex quibus de legitimo Alexii hujus cultu ejusque gestis constare nobis possit 699 *b*

Jordanus, à patria dictus Pisanus, Ord. Prædicatorum, insigni elogio hoc die ornatus est à Marchesio, graviter conquerente de quorumdam negligentia in prosequendo tanti Viri cultu, hoc tempore penitus exoleto 699 *c*

B. Angelus de Aqua pagana, conversus Camaldulensis, hoc die inter Prætermissos signatus, quia Decessoribus nostris de legitimo ejus cultu sufficiens argumentum non suppetebat, alibi locum suum in Opere nostro habebit, cùm ejus cultus sufficienter probatus sit pag. 290, tom. V. Annal. Camaldulens. Venetiis anno 1760 edit. 699 *c*

TOMUS IV.

DIE XX.

Samuel propheta in Palæstina *an. ante Christum natum* 1076, *ex Scriptura sacra & interpretibus* 6. Sancti scripta, famosa apparitio 14

Amator eremita in Cadurcensi Galliæ provincia *sec.* 1. *aut* 3, *vel forsan exeunte* 5 *sec.* 16. Acta *ex schedis posthumis P. Odonis Gissey S. J. quarum apographum P. Petrus Possinus noster anno* MDCXLIII *ad Bollandum Tolosâ misit* 24

Seronius vel Serronius M. apud Santones in Gallia *forsan.* 3 *sec. ex variis* 26

Porphyrius in Italia *circa fin.* 3 *sec. ex Mrll.* 26

Lucius senator M. in Cypro *in persecutione Diocletiani, ex Menæis & Mrl. Rom.* 28

Martyres XXXVII, item Severus ac Memnon centurio MM. Philippopoli ac Bizyæ in Thracia *sub Diocletiano ac Maximiano*, 29. Acta *Auct. anonymo è Synaxario Sirmondi* 30

Leontius & Carpophorus MM. Vincentiæ in Italia *sub Dioclet. & Maximiano*, 32. Acta *Auct. anonymo, ex editis apud Petrum de Natalibus lib. 7. Cap.* 87 35

Piricius, Arcus, Maximus Conf., Pamphilus, Colouus Conf., item Diomedes, Agaticus, Zelus, partim MM. partim Confl. Synnadæ in Phrygia *ex Mrll.* 36

Dioscorus M. Alexandriæ *ex Mrll.* 36

Valentinianus & Leontius fortè MM. in Lucania Italiæ *ex Mrll.* 37

Auctor Ep. Trevirensis *ante med.* 5 *sec.* 37. Vitæ tempus & dies mortis 39. Reliquiarum translatio multiplex 41. Ossa Sancti elevata & à criminationibus vindicata 43. Obsidio urbis Brunsvicensis ope S. Auctoris soluta 44. Acta apocrypha, *Auct. anonymo Trevirensi, ex Bodecensis Cœnobii Passionali pergameno Ms. mensis Augusti, fol.* 186. *pag. A.* 45. Translatio & miracula *Auct. anonymo Brunsvicensi, ex Bodecensis cœnobii Ms. pergameno* 48

Maximus Ab. & Conf. in Castro Cainone in Gallia 5 *sec.* 55. Acta *A. S. Gregorio Turonensi lib. de Gloria Confl. Cap.* 22. *edit. Ruinartianæ col.* 912 *&* 913 56

Oswinus rex Northumbriæ M. in Anglia 7 *sec.* 57. Acta *Auct. S. & Venerabili Beda, ex Historiæ Anglicanæ ecclesiæ anno* MDCLXXXI *editæ lib.* 3. *cap.* 14. 62. Acta altera *ex Joanne Capgravio seu potiùs Joanne Tynmuthano, in Legenda Angliæ à fol.* 256 *verso* 63

Filibertus Ab. in Herio insula Galliæ 7 *sec.* 66. Sancti nativitas, patria, gesta quædam 69. Variæ Corporis translationes, item miracula *ex variis* 72. Vita *Auct. mon. Gemeticensi anonymo & subæquali, ex editione Mabillonii inter Acta Sanctorum Ord. Benedict. Sec.* 2. *pag.* 818 *& seqq. quam cum Mss. contulimus* 75. Translationes & miracula *Auct. Ermentario mon. & teste oculato* 81

Heliodorus ac Dosas MM. *fortè sub Constantino Copronymo, ex Fastis Græcis* 96

Paulus Junior Aëp. CPolitanus 8 *sec. ex Menæis & Historia Chronolog. Patriarcharum CPolitanorum tomo* 1 *hujus mensis præfixa* 96

Leovigildus & Christophorus MM. Cordubæ in Hispania 9 *sec.* 97. Passio *ex Memoriali S. Eulogii lib.* 2. *Cap.* XI 99

Herbertus Aëp. Compsæ apud Hirpinos in Italia 12 *sec. ex Ughello* 100

Bernardus Conf., primus Claravallensium Ab., Pater ac Doctor Ecclesiæ, in territorio Lingonensi Campaniæ in Gallia 12 *sec.* 101. S. Bernardi natales, gesta, mors &c *ex variis à pag.* 101 *usque ad* 227. Elogia de Sancto *collecta ex Mabillonio* 227. Conscripta à S. Bernardo Opera *ex variis* 235 *& seqq.* Chronologia Bernardina *ex Mabillonio* 237. Acta pro S. Bernardi canonizatione 243. Orationes pro Missa ab ipso Innocentio PP. III dictatæ, elevationes corporis, lectiones propriæ &c 245 *& seqq.* Biographi veteres & recentiores 250 *& seqq.* Vitæ, *quam Mabillonius occasione Operum S. Bernardi anno* MDCXC *Parisiis à se vulgatorum, volumine* 2. *à col.* 1061 *post Opera supposititia & aliena edidit.* Liber Primus *A. Guillelmo, olim S. Theodorici prope Remos Ab., tunc mon. Signiacensi* 256. Liber secundus *Auct. Ernaldo Ab. Bonævallis*

vallis in agro Carnutenſi, ex edit. Mabillonii col. 1091 *& ſeqq.* 277. Liber tertius *Auct. Gaufrido, m. quondam Claravallenſi & S. Bernardi notario; poſtea Claravallenſi Ab.* 295. Liber quartus *A. Gaufrido mon. Claravallenſi* 305. Liber quintus *Auct. Gaufrido m. Claravallenſi* 320. Liber ſextus, ſeu miracula à Sancto patrata & in tres partes diſtributa. Pars 1 *Auct. Philippo monacho Claravallenſi* 331. Pars 2 miraculorum *AA. variis* 337. Pars 3 *Auct. Gaufrido mon. Claravallenſi* 342. Fragmenta *ex Herberti libris de miraculis Ciſtercienſium monachorum apud Mabillonium typis vulgata* 351. Gloria poſthuma ac ſupplementum ad S. Bernardi Vitam & Miracula nec non ad noſtrum Commentarium prævium 353. Supplementum miraculorum *ex variis* 361. Synopſis miraculorum S. Bernardi, quæ ſunt innumerabilia, *Collectore R. A. D. Bernardo Timmermans Cœnobii S. Bernardi ad Schaldim quondam ſuppriorè, poſtea parocho in Capella S. Jacobi* 365

Bernardus m. Ciſtercienſis Candeledæ in Hiſpania *ſec.* 12 *vel* 13 *ex Manrique, & Chryſoſtomo Henriquez* 369

Gobertus Conf. Ord. Ciſtercienſis in abbatia Villarienſi in Brabantia *ſec.* 13. 1370. Beati genealogia, geſta, mors 373 *& ſeqq.* Vita *Auct. anonymo cœnobii Villarienſis aſceta ex Cod. Ms. ejuſdem cœnobii* 377

Burchardus Presb. Beinwilæ in Helvetia *ſec.* 13 *vel* 14, *ut videtur. Tom. 6. Auguſti in Supplemento pag.* 827. Elogium, *A. Auguſtino Stöcklino, ex documentis abbatiæ Murenſis in Helvetia* 829. Miracula Beati patrocinio patrata, *ex documentis, quæ ad nos miſit R. P. Mauritius Chardon è S. J.* 831. *ibid*

INTER PRÆTERMISSOS.

Donortius Ep. Murthlacenſis & S. Beani ſucceſſor cum titulo Sancti Aberdoniæ annuntiatur à Ferrario aliiſque. Nos de Donortii hujus antiquo & immemorabili cultu certa teſtimonia deſideramus 2 *c*

Burchardus Presb. inter Prætermiſſos hîc ſignatus, idem eſt, cujus Vita illuſtrata eſt tom. VI. Auguſti in Suppl. pag. 827. 2 *e*

Rognvaldus Kalius, dignitate comes, anno 1158 defunctus, cujus corpus in Orcades delatum multis magniſque miraculis coruſcâſſe dicitur apud Thormodum Torfæum in Orcadum Hiſt., ab eodem aſſeritur in Sanctorum numerum anno 1192 relatus fuiſſe. Certiora quàm quæ profert Torfæus documenta deſiderare nobis liceat, priuſquam de Rognvaldo ut verè Sancto agamus 2 *e*

Burchardus Ep. Wormatiæ indicatur à multis cum Beati vel Sancti titulo, videturque eccleſiaſtico cultu olim gaviſus fuiſſe, qui tamen nunc demonſtrari non poteſt, cùm ſacræ ejus reliquiæ cum documentis potiſſimis in incendio Gallico conflagrârint, ut ſcripſit eruditiſſ. Schannatus 2 *f*

B. Michaël Ab. & Generalis XXIV Vallis umbroſæ, inadvertenter inter Prætermiſſos notatus, idem ipſe eſt, de cujus reliquiis ac cultu actum erat Tom. 1. Auguſti pag. 101 & ſeqq. 3 *c*

Adelheidis V. recluſa cum titulo Sanctæ notatur in Gynæceo Arturi, item apud Gononum in Vit. Patrum Occidentis lib. 2 pag. 121. Probari deberet, titulum ſanctitatis ei convenire 3 *e*

Gerardus cognomento Magnus, qui initium dedit Fratribus bonæ voluntatis in communi viventibus, Daventriæ à Molano annuntiatur cum Beati titulo & ut perpetuâ memoriâ dignus, licèt eum necdum Sanctis adſcriptum eſſe, candidè fateatur laudatus Molanus 3 *e*

Gofridus ſeu Godefridus Colonienſis, Benedictinus, ac dein mon. Villarienſis, hoc die inter Prætermiſſos collocatus, locum ſuum in Actis habet Tom. 1 Octob. die 2 3 *f*

Thomas, Prior S. Victoris Pariſienſis à S. Bernardo in Epiſt. 138 Martyris & Beati titulo decoratus, item

Erchembaldus, ſubdecanus Aurelianenſis, cum titulo B. Martyris ſignatus à Ferrario, cultum publicum nondum conſecuti eſſe videntur 4 *a & b*

Bruno, Ab. monaſterii Hirſaugienſis, ad cujus tumbam anno 1460 apertam, cœcus viſum recepit, ſi de conſenſu Romani Pontificis publico ſanctitatis honore gaudeat, de eo cupimus edoceri 4 *c*

DIE XXI.

Euprepus vel Euprepius Ep. Veronæ in Italia *ſec.* 1 *vel* 2, *ex variis* 400

Paternus M. Fundis in Latio *ſub Decio, ex Mrl. Rom., Ughello & Mss. Actis* 402

Cyriaca vidua & M. Romæ. *ſub Decio vel Valeriano, ex Mrl. Rom. & Baronio* 403

Anaſtaſius vel Attalus M. Salonæ in Dalmatia *ſub Aureliano, ex Rom. parvo, Adone, aliiſque* 407

Natalis Presb. & Conf. Caſali in Liguria Italiæ *ſec. circitèr* 3, *vel ſec.* 8. 409. Acta qualiacumque *Auct. anonymo* 410

Donatus, Romulus, Sylvanus, Venuſtus & Hermogenes MM. Foro-Julii in Italia *ſub Diocletiano* 411. Acta *ex Breviario Ms. Foro-Julienſi* 412

Luxorius, Ciſellus & Camerinus MM. in Sardinia *ſub Diocletiano* 414. Actorum ſynopſis *ex Ferrario* 414. Acta *ex editione Mombritiana tom. 2, cum alio Ms. apographo collata.* 416

Baſſa & filii ejus Theognis vel Theogonius, Agapius ac Piſtus vel Fidelis; hi Lariſſæ vel Edeſſæ in Græcia; illa in Halone inſula MM. *ſub Maximiano* 417. Martyrium *A. Laurentio m. Rutienſi, ex Cod. Ambroſiano f. N. n.* 152 419

Quadrati Epp. *ex Mrl. Rom. & aliis Faſtis ſacris* 422

Piſtus, Sevus, item Quadratus Ep., Sundophagus, Aſtuſus, Diomedes, Zoticus, Zatamgelus, Moyſeus MM. Alexandriæ *ex Hieronymianis* 423

Julius, Julianus, Vincentius, Augurius & Eulodius MM. in Hiſpania *ex Mrll.* 424

Hippolytus, Trajanus, Quadratus, Primus MM. Romæ *ex Hieronymianis* 425

Bonoſus & Maximilianus vel Maximianus MM. Antiochiæ in Syria 4 *ſec.* 425. Paſſio, *quam Theodoricus Ruinartius ex Ms. Cod. monaſterii B. Mariæ Silvæ-majoris eruit, & Pariſiis anno* MDCLXXXIX *inter Acta Martyrum ſincera à pag.* 664 *vulgavit* 430

Privatus Ep. & M. in Occitania Galliæ provincia *poſt med. ſec.* 3, *aut ineunte ſec.* 5. 433. Acta breviora *ex Speculo hiſtoriali Vincentii Bellovacenſis lib.* XI *cap.* 75, *quam cum edit. Mombritiana contulimus.* 438. Acta longiora *ex Ms. apographo, quod in Trevirenſi monaſterio S. Maximini tranſcriptum eſt, & quod cum alio Ms. exemplari Bernardi Guidonis contulimus* 439

Julianus Benearnenſis ſeu Laſcurrenſis in Gallia Ep.

Ep. 5 *ſec. ex Petro de Marca in Hiſtoria Bearnenſi, & Gallia Chriſtiana* 441
Leontius Ep. Burdegalenſis in Gallia Aquitanica 6 *ſec. ex variis* 442
Avitus Claromontenſis Ep. hujus nominis primus, Claromonte in Arvernia 6 *ſec. ex S. Gregorio Turonenſi, Venantio Fortunato aliiſque* 444
Theocleta thaumaturga 9 *ſec. ex Faſtis Græcis* 449
Balduinus Ab. Ord. Ciſtercienſis, Reate in Italia 12 *ſec.* 450. Beati elogium *ex Ughello* 450
Humbelina ſoror S. Bernardi Ab. *tom 6 Auguſti in Suppl.* 832
Bernardus de Alzira M. Ord. Ciſtercienſis, item Gratia & Maria ſorores ejus VV. & MM. Alziræ apud Valentiam in Hiſpania 12 *ſec.* 452. Sancti natales, frater & ſorores, mira converſio, miracula, Sancti & duarum ſororum martyrium, corporum ſepultura, detectio &c *ex variis à* 452 *uſque ad* 460. Tranſlationes corporum, favores impetrati 460. Alia quædam mira *ex Vita metrica Fr. Lucæ Freire de Daguarda* 462
Bernardus Ptolomæus Inſtitutor Congregationis S. Mariæ Montis Oliveti, Senis in Tuſcia 14 *ſec.* 464. Lectiones propriæ 466. Elogia de Beato *ex Germanico Ptolomæo* 468. Congregationis Olivetanæ origo, progreſſus & privilegia *ex variis* 472. Vita *collectore anonymo, quæ ex Actis tum Latinis tum Italicis excerpta eſt* 475

INTER PRÆTERMISSOS.

Sampſon Ab. Cordubæ in Hiſpania cum Sancti titulo annuntiatur à Ferrario; ſed hactenus publica hujus abbatis veneratio neutiquam nobis ſuadetur 397 *a*
Florus Ab., diſcipulus S. Mauri abbatis, cum Beati epitheto inter Auctaria Uſuardina & apud Ferrarium celebratur. De publico ac legitimo ejus cultu, ſi quem nactus ſit, inſtrui optamus 397 *b*
Sevilo Ep. qui unus ex iis, qui ſub Karolo Magno Saxones converterunt, fuiſſe dicitur, Verdæ commemoratur à Ferrario Sancti titulum ei tribuente. Plura de eo quæſita, ſed reperta non ſunt hactenus 397 *c*
Baſſus mon. in Clara-valle notatus in Kalend. Ciſterc. anno 1617 Divione edito, narratur fuiſſe de primis S. Bernardi diſcipulis; ſed de cultu ejus nihil innotuit 397 *f*
Helinus Floreffienſis primùm Ab. ſeptimus, deinde Ab. S. Abacuc Jeroſolymitanæ diœceſis, cum Beati titulo legitur in Bibliotheca Ord. Præmonſtrat. apud Joannem le Paige. De illius publica veneratione nihil nobis compertum eſt 398 *a*
Gilbertus, ſecundus Ab. conventûs S. Joannis, Valentianæ cum Beati titulo annuntiatur à Raiſſio recitante verſum ad ipſius ſepulcrum appoſitum, in quo Sanctus vocatur; at nobis de publico ejus cultu non liquet 398 *b*
S. Humbelina, ſoror S. Bernardi abbatis, hac die itemque XXII hujus inter Prætermiſſos ſignata eſt propterea quòd de illius legitimo cultu Deceſſoribus noſtris non conſtabat. Poſtmodum ex Magni Bullarii Romani continuatione anno 1739 Luxemburgi edita, comperto cultu, tom. VI. Aug. pag. 832 Humbelina ut Sancta annuntiata eſt, promiſſuſque debitus ei locus in Supplem. ad XII Februar., quo die eam coli comperimus 398 *b*
Conradus Probus Ep. Tulli Leucorum, profeſſione Franciſcanus, ut ſignis & virtutibus clarus cum Beati titulo refertur ab Arturo; ſed altum de ejus cultu ſilentium 398 *e*
Reginbaldus Ep. Spiræ in Germania cum titulo Sancti & inſigni elogio exſtat in Menol. Bucelini; apud Menardum verò annuntiatur cum eodem titulo XIII Octobris, quo die nos de eo agemus, ſi de cultu nobis conſtiterit 399 *b*

DIE XXII.

Symphorianus M. Auguſtoduni in Gallia 2 *ſec.* 491. Miſſa de Sancto *ex Miſſali Gothico* 491. Lectiones propriæ *ex Breviario Viennenſi* 494. Vita *ex Actis martyrum ſinceris & ſelectis, quæ Ruinartius anno* MDCLXXXIX *Pariſiis edidit, cum aliis Mss. Codd. collata* 496
Antonius vel Antoninus M. Romæ *ſub imp. Commodo, ex Adone aliiſque* 498
Anthuſa ſolitaria, item Athanaſius Ep. & M. ac duo S. Anthuſæ ſervi Chariſius & Neophytus MM. Tharſi in Cilicia *ſub Valeriano* 499. Acta *A. Laurentio quodam m. Rutienſi in Calabria* 502
Hippolytus Ep. & M. in Portu Romano 3 *ſec.* 504. Diſtinctio hujus Sancti ab homonymis, cultus ejus, epiſcopalis cathedra &c *ex variis* 504 *& ſeqq.* Elogia hujus ſancti Viri & aliqua ejusdem ſcripta *ex Euſebio, S. Hieron. &c* 511
Martialis, Saturninus, Epictetus, Maprilis & Felix cum Sociis MM. in Portu Romano 3 *ſec. ex Mrll.* 513
Maurus & Socii L. MM. Remis in Campania Galliæ *exeunte circ.* 3 *ſec. ex Mrll., Flodoardo & Marloto* 515
Agathonicus, Zoticus, Theoprepius, Acindynus, Severianus, Zeno ac Princeps ſenator MM. in Bithynia & in Thracia *ſub Maximiano* 519. Martyrium *Anct. anonymo, ex Cod. biblioth. Cæſareæ Vindobonenſis, cum aliis Mss. collato* 522
Gunifortus M. Ticini in Italia *forſan ſub Maximiano* 524. Acta *Anct. anonymo incertæ ætatis, ex editione Bonini Mombritii tom.* 1 *ſub finem* 527
Timotheus M. Romæ *ſub impp. ethnicis, ex antiqq. Mrll.* 530. Acta apocrypha *Anct. anonymo, ex Vita S. Silveſtri PP., quam edidit Combefiſius in libello, cui titulus, Illuſtrium Chriſti Martyrum lecti triumphi à pag.* 260 534
Fabricianus & Philibertus MM. in Hiſpania, *ex Mrl. Rom. & Breviario Mozarabico* 535
Nectavus vel Nectarius & forſan Sevus Neo-Cæſareæ in Ponto *ex antiqq. Mrll.* 536
Sigfridus Ab. in Anglia 7 *ſec. ex Venerabili Beda aliiſque AA.* 536
Andreas Conf. prope Fæſulas in Etruria *ſec.* 9. 539. Acta, *quæ ex Ms. Placidi Puccinelli accepimus* 541
Aldrovandus Ep. Balneoregii in Etruria 9 *ſec. ex Ferrario & Ughello* 549

INTER PRÆTERMISSOS.

Godefridus mon. & monaſterii Cameræ beatæ Mariæ prope Bruxellas confeſſarius, ab Henriquez cum Beati titulo annuntiatur. De hoc Godefrido alibi etiam inter Prætermiſſos egimus; ſed de cultu compertum nihil 489 *a*
Lambertus Ab. Cheſiriaci in Gallia, & frater S. Petri Aëp. Tarantaſienſis, laudatus in præfati S. Petri Vita apud nos die VIII Maji cap. 1, pagg. 324 & ſeq., cum Beati titulo & elogio refertur hoc die ab Henriquez; at de cultu ejus non liquet 489 *b*

Macharius,

Macharius, primus Ab. S. Jacobi Herbipolenſis, cum titulo Sancti annuntiatur in Kalend. Sanctorum Ord. S. Benedicti, cujus apographum habemus è Ms. Domûs S. Salvatoris, Ord. Ciſterc. Cupimus certiores fieri de publico ac legitimo hujus Macharii cultu 489 *f*

Arnulphus Ep. Bedfordiæ in Anglia cum Sancti titulo hoc die annuntiatur in Mrl. Anglicano Wilſoni; apud Sauſſayum verò corporis ejus tranſlatio è Gallia in Angliam hoc die refertur. Ubi Angli diem mortis & diſtinctiorem hujus Ep. notitiam ſuggeſſerint, alibi de eo agi poterit 489 *f*

Quintinus Kennedius, comitis Caſſiliæ frater, & Ab. Crucis Regalis, ab hæreticis, quos publica diſputatione ſuperaverat, medicato poculo exſtinctus anno 1564, refertur à Camerario in Scotorum Menol. De ejus cultu nihil nobis hactenus innotuit 490 *a*

Ariadne regina hoc die in Synaxario Sirmondi ſignata, necdum ſatis perſpecta nobis eſt 490 *b*

Dominicus Hungarus, Ord. S. Franciſci cum Beati Martyris titulo, ut qui propter Chriſtum, à Tartaris vivus excoriatus & occiſus eſt, refertur hoc die ab Arturo; ubi verbum nullum de illius cultu 490 *c*

Vitalis, aliàs Vitus, primus Lituaniæ Ep. cum titulo Beati & elogio indicatur apud Fridericum Steil in Viridario ſacri Ord. Prædicatorum. Nihil nos de illius cultu compertum habemus 490 *d*

DIE XXIII.

Zacchæus vel Zacharias Ep. Hieroſolymitanus *ſec. 2, ex Mrll. & Euſebio Cæſarienſi* 555

Martyres anonymi, Bodobrigæ, quæ nunc vulgò Boppardia vocatur, in Germania *anno* MCCLXXX inventi; paſſi autem, ut fertur, 2 *ſec. ſub Antonino* 556. Hiſtoria inventionis *ex Annalibus Trevirenſibus Chriſtophori Broweri S. J. ad annum Chriſti* MCC 559

Minervius vel Minervus & Eleazarus cum filiis octo MM. Lugduni in Gallia *ineunte* 3 *ſec. ex Mrll.* 561

Quiriacus Ep., Maximus Presb., Archelaus Diac. & Socii MM. apud Oſtia Tiberina 3 *ſec. ex Mrll. antiq.* 565. Martyrii compendium *ex Ferrario* 566

Claudius, Aſterius, Neon, Domnina & Theonilla MM. Ægis in Cilicia 3 *ſec.* 567. Acta proconſularia *ex Pariſienſi Ruinartii editione, cum Ms. Cod. noſtro Fuldenſi & aliis apographis collata* 571

Timotheus & Apollinaris MM. Remis in Campania Galliæ *exeunte circiter* 3 *ſec.* 573. Canonicorum collegium Remis inſtitutum *ex Marloto* 575. Acta *ex Hiſtoria Remenſis eccleſiæ Flodoardi, à Sirmondo edita, lib.* 1. *cap.* 4. 578

Theonas vel Teuna Ep. Alexandrinus *an.* CCC. *ex Mrll. & aliis AA.* 579. Sancti geſta incerta 580. Theonæ Epiſtola ad Lucianum præpoſitum cubiculariorum 583

Fortunatus, Hermon, Xiſtus, Martialis, Hermogeratus, item Laurentius, & tres pueri Habundus, Innocentius ac Merendinus MM. Aquileiæ in Italia & Romæ *ſub Diocletiano & Maximiano, ex Hieronymianis, Ferrario & Florentinio* 587

Silvanus, Sabinus ac Pantherius MM. in Thracia *ſub Diocletiano, ex Synaxario Baſiliano* 589

Donatus, Reſtitutus, Valerianus, Fructuoſa & duodecim alii MM. Antiochiæ in Syria *fortè* 4 *ſec. ex Mrll.* 590

Cedonius vel Sidonius Conf. & Ep., ut fertur, Aquis-Sextiis in Provincia *ex Sauſſayo & Petro Equilino* 591

Lupus vel Luppus M. incerti loci ac temporis *ex Faſtis Græcis & Mrl. Rom.* 593

Moderatus Ep. & Conf. Veronæ in Italia 5 *ſec. ex variis* 596

Sidonius Apollinaris Ep. Arvernis in Gallia 5 *ſec.* 597. Actorum compendium *ex Sirmondo* 598. Sancti ſtemma; patria, res geſtæ, exſilium, ſcripta, obitus &c *ex Mamerto Claudiano, Gregorio Turonenſi aliiſque* à 599 *ad* 624

Eugenius vel Eogainus Ep. Ardſrathenſis in Hibernia 6 *ſec.* 624. Vita *Auct. anonymo, ex membraneo Muſei noſtri Cod. ſignato P. Ms. II à fol.* 215 *verſo* 625

Victor Conf. & Vitenſis Ep. in Africa *poſt init.* 6 *ſec.* 628. Legitimus Sancti cultus; error circa veram ejus cathedram correctus 628. Sancti geſta & obitus *ex variis* 630

Juſtinianus eremita & M. in Lemeneia inſula Angliæ 6 *ſec.* 633. Acta *collectore Joanne Capgravio, ex Legenda Sanctorum Angliæ, Londini* MDXVI *impreſſa* 635

Veredemius eremita Conf. in territorio Ucetienſi Galliæ 6 *ſec.* 636. Sancti noſtri ab homonymo diſtinctio 636. Lectiones propriæ *ex antiquo Breviario Ucetienſi* 639. Fragmentum Vitæ *ex Actis S. Ægidii Mss.* 639

Flavius Ep. Rotomagi in Normannia 6 *ſec. ex variis* 640

Flavianus Ep. Auguſtoduni in Gallia *fortè* 7 *ſec. ex Mrll.* 643

Callinicus I, patriarcha CPolitanus *ſub initium* 8 *ſec.* 644. Vita *Auct. Laurentio quodam m. Rutienſi in Calabria, ex Cod. Ambroſiano f. N. n.* 152 645

Altigianus & Hilarinus mm. & MM. in Burgundia 8 *ſec. ex veteri Breviario cœnobii Segeſtrenſis & ex Mabillonio* 647

Antonius mon., item beatus forſan Nicodemus, Ord. S. Baſilii m m. & Conff. Hieracii in Calabria x *ſec. vel* XI *ex variis* 648

Richildis V. reclusa Summontorii prope OEnipontem *anno* MC. *ex Radero* 649

Aſcelina V. Ord. Ciſtercienſis in Campania Galliæ *ſec.* 12. 650. Vita, *quæ ex longioribus Goſſuini coævi ſcriptoris Actis contracta dicitur, & ab Henriquezio poſt Mendologium Ciſtercienſe edita eſt* 653

Philippus Benitius Conf. Ord. Servorum B. Mariæ Virginis Tuderti in Umbria 13 *ſec.* 655. Decreta canonizationis 657. Vita *collectore P. F. Cherubino Maria Dalab Hiberno, ex editione OEnipontana an.* MDCXLIV 661

Jacobus Mevanas ex Ord. FF. Prædicatorum Mevaniæ in Umbria 14 *ſec.* 719. Conſtitutio Bonifacii IX PP. pro cultu B. Jacobi 720; item Acta alia ad ejus canonizationem 721. Breviora Beati Acta, *collectore Ambroſio Taëgio* 723. Recentiora nonnulla ejuſdem Beati miracula, *quæ R. P. Antoninus Meniconius Prior Mevanienſis ad Majores noſtros miſit* 726. Acta *ex Ms. libro Fratris Ambroſii Taëgii Dominicani de Inſigniis Ordinis Prædicatorum fol.* 354. 728. Acta breviora, *Auct. Bartholomæo Mortario Dominicano, ex Opere Leandri Alberti de Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, quod anno* MDXVII *Bononiæ impreſſum eſt, folio* 227 *verſo & ſeqq.* 734

Bartholomæus à Foreſto Ord. Servorum B. Mariæ V. Converſus Brixiæ in Inſubria Italiæ 15 *ſec.* 737. Vita Beati *A. F. Archangele Gianio, Ord. Servorum B. Mariæ V., ex Annalibus ejuſdem Ordinis, centuriâ* 3. *lib.* 4. *cap.* 8 738

INTER PRÆTERMISSOS.

Johannes Ep. & Conf. Hieroſolymis ex Florario noſtro Ms. hoc die relatus eſt inter Prætermiſſos, ſed de hoc Sancto egerunt Majores noſtri tom. III Maii in Hiſtor. Chronol. Epp. Hieroſol. pag. 6; item tom. 2. Junii pag. 4. 552 *d*

Nectanus Ep. Aberdonenſis Sancti titulo & elogio donatur à Camerario in Menol. Scotico. Nos ei Sancti titulum & in Actis locum dare non audemus, donec de cultu ejus nobis conſtet 552 *f*

Drancius al. Diancius, quem anno 662 ſuffraganei munus adiiſſe & apud Morinenſem eccleſiam inter Cælites connumerari ſolitum ſcribit Malbrancus de Morinis tom. 1., apud Gazetum in Hiſt. eccleſ. Belgica in ſerie Epp. Taruanenſium pag. 560 Sancti titulo gaudet, non item invenitur in Tabula Sanctorum ad calcem ejuſdem Hiſtoriæ; ut meritò nobis liceat deſiderare ulteriora documenta, quibus probetur publicus Viri cultus 552 *f*

Moſes Ep. Fermenſis in Calend. Coptorum Chriſtianorum apud Seldenum memoratus, hac die cum Sancti titulo in Æthiopia annuntiatur à Caſtellano. Plures de hoc Ep. deſideramus notitias ac probationes certiores de vero ac legitimo ejus cultu 553 *a*

Guido de Spathis Ord. S. Franciſci ut beatus Confeſſor potens opere & ſermone miraculiſque illuſtri, refertur hoc die ab Arturo. Si, quem habere dicitur in eccleſia S. Franciſci Bononiæ cultum, ab Eccleſia approbatum eſſe nobis conſtiterit, locum Guidoni huic ſuum poſtea in Actis dabimus 553 *d*

Angelus de Paz, Ord. S. Franciſci, ut genere, doctrinâ & ſanctitate illuſtris, miraculiſque ante & poſt obitum clarus, Romæ memoratur hoc die ab Arturo, qui & de proceſſu pro ejus canonizatione mentionem facit. Nihil hactenus de ejus ſanctitate & cultu ab Apoſtolica Sede deciſum novimus 553 *d*

Primus, Sontius & Valentinus MM. ſub Dioeletiano & Maximiano, Titi in Regno Neapolitano celebrantur Officio ſolemni hac die; horum tamen Martyrum memoriam in Directoriis Neapolitanis aliiſque Mrll. invenire necdum potuimus. Rogamus proinde Titienſes, ut, ſi quæ de Martyrum paſſione, cultu, reliquiarumque detectione monumenta habeant, ea ante XVII Novemb., quo die de S. Laverio M. agetur, communicare nobis dignentur 554 *e*

S. Sperus vel Heſperius Ep. Metenſis hodie in Mrll. Ferrarii, Sauſſayi & Caſtellani refertur; ejus tamen obitus apud Dacherium tom 6. Spicilegii pag. 650 figitur x Kal. Decemb. Si ergo eruditi Metenſes nobis cauſam hujus anticipatæ annuntiationis indicaverint & interim alia ad hunc ſuum Præſulem ſpectantia ſuggeſſerint, poterit de illo agi mortuali ejus die XXII Novemb. 554 *e*

DIE XXIV.

Ptolomæus & Romanus Epp. & MM. in Tuſcia 1 *ſec.* 744. Actorum compendium *ex Lectionibus propriis* 746. Gloria poſthuma *ex Bullis Rom. Pontificum &c* 747. Acta *Auct. anonymo incerti temporis, ex Ms. Cod. cathedralis eccleſiæ Sutrinæ, cum aliis Mss. collato* 749

Eutyches ſive Eutychius, diſcipulus S. Joannis Euangeliſtæ & Apoſtoli Pauli *exeunte* 1 *ſec., aut ineunte* 2. *ex Menologio Baſiliano &c* 751

Aurea ſeu Chryſe V., Cenſorinus, Felix, Maximus, Herculinus, Venerius, Styracinus, Cenas, Commodus, Hermes, Maurus, Euſebius, Ruſticus, Monagreus, Amandinus, Olympius, Cyprius, Theodorus tribunus, Sabainus MM. apud Oſtia Tiberina 3 *ſec.* 755. Acta *ex Ms. S. Maximini apud Treviros* 757

Martyres trecenti, qui paſſim Maſſa candida appellantur, Carthagine vel Uticæ in Africa 3 *ſec. ex Adone, Aurelio Prudentio aliiſque* 761

Tation M. Claudiopoli in Honoriade provincia *forſan ſub Diocletiano* 766. Martyrium *ex Cod. Cæſareo bibliotheca Vindobonenſis* 767

Zenobius, Capitulinus, Emerita, Italica, item Juvianus & Julius MM. Antiochiæ *ex Hieronymianis* 767

Gregorius, Theodorus & Leo Conff. in inſula Samo vel Cephalenia 4 *ſec.* 768. Actorum compendium *ex Petro Equilino ſive de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 7. *cap.* 106. 769. Acta *collectore Petro Calotio Dominicano ex Cod.* 929, *parte* 2 771

Patricius Ep. Conf. Glaſtoniæ in Britannia 5 *ſec. ex variis, Tom.* 6. *Auguſti in Supplem.* 833

Irchardus, ſeu Erthadus vel Echardus Ep. & Conf. in Scotia, *poſt* 5 *ſec. ex recent. Menoll. & Lectionibus propriis Breviarii Aberdonenſis* 773

Eptadius Presb. & Conf. apud Montem-Tolonum in territorio Auguſtodunenſi *ante med.* 6 *ſec.* 775. Vita *Anct. anonymo coævo, quam Papebrochius noſter ex pervetuſto Cod. D. Claudii Jolii Canonici Pariſienſis tranſcripſit, & quam cum truncata Labbei noſtri editione contulimus* 778

Patricius Ab. in territorio Nivernenſi Galliæ 6 *ſec. ex Uſuardo & Marl. Rom.* 781. Actorum Compendium *ex Sauſſayo* 782

Rigomerus Presb. & Conf. Subligniaci apud Cenomanos in Gallia 6 *ſec.* 783. Sanctus hic ab homonymo diſtinctus, tempus ejus mortis 783 *& ſeqq.* Vita *Anct. ignoti nominis ac temporis, ex Cod. noſtro membranaceo antiquo Ms.* ✠ 47. 786. Hiſtoria tranſlationis *A. Petro m. Malleacenſi edita apud Labbeum in Nova Bibliotheca Mss. librorum tom.* 2. *à pag.* 234. 789

Teneſtina V. apud Cenomanos in Gallia *ſec.* 6. *ex Caſtellano aliiſque* 791. Hymnus ſeu elogium *ex Cod. noſtro membran.* 791

Dado vel Audoënus Ep. Rothomagi in Normannia 7 *ſec.* 794. Sancti patria, vita aulica, epiſcopatus, geſta 796 *& ſeqq.* Corporis ejus elevatio & tranſlatio *ex Mabillonio* 802. Reliquiarum tranſlatio in Angliam & ſubſecuta miracula *ex Guilielmo Malmesburienſi & Capgravio* 803. Vita prima *Anct. anonymo ſuppare, ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, quod numquam antea editum eſt* 805. Vita altera, *Anct. anonymo, quem tamen aliqui Fridegodum nominant, ex Mss. Codd. monaſterii Corneolenſis, Vallis-Lucentis, & Cartuſiæ Divionenſis* 810. Variæ tranſlationes ſacri corporis *ex Theſauro novo Anecdotorum apud Edmundum Martene tom.* 3. *col.* 1669 *& ſeqq., quam editionem cum mutilo Ms. Rothomagenſi contulimus* 820. Miracula, quæ poſt obitum Sancti contigerunt, *Anct. Fulberto m. & teſte plerúmque coævo, ex Ms. Cod. Rothomagenſi monaſterii S. Audoëni, cujus apographum P.*

Fredericus Flouetus anno MDCXLIV *ad Majores noſtros miſit* 825. Alia miracula, *Auct. anonymo, ex eodem apographo Rothomagenſi, à laudato Floueto ad Majores noſtros miſſo* 837

Gildardus Presb. Luperciaci in territorio Nivernenſi Galliæ *fortè ſec. 7. ex Mrll.* 840

Georgius Limniota M. in tractu montis Olympi 8 *ſec.* 841. Acta *Auct. anonymo ſynchrono, ex Cod. biblioth. Cæſareæ Vindobonenſis* 842

Theodoricus I iſtius nominis Ab. Andaginenſis in Arduenna ſilva XI *ſec.* 843. Aliqua Beati geſta *ex Auct. anonymo coævo* 845. Vita *Auct. anonymo coævo, ex Ms. Cod. monaſterii Alnenſis, cujus apographum cum editione Mabilloniana Sæc. 6 Benedict. parte 2. contulimus* 848

INTER PRÆTERMISSOS.

S. Gaudentii mon. monaſterii S. Alexii Romæ, dein Aëp. Gneſnenſis, tranſlatio notatur in Kalend. Benedictino ex Ms. monaſterii S. Salvatoris Ord. Ciſterc. Videſis, quæ de Gaudentio dicta ſunt apud nos die XXIII Aprilis in Vita S. Adalberti Ep. Pragenſis 740 *e*

Bartholomæus Ord. Ciſterc. cum Beati titulo inſignique elogio, in cœnobio Nazareth prope Liram Brabantiæ, hac die memoratur ab Henriquez; at ſine cultûs indicio 741 *a*

Bertholdus Ep. Tulli in Gallia cum Sancti epitheto annuntiatur in Novo Catalogo Sanctorum apud Ferrarium; laudatur etiam à Sammarthanis tom. 3 Galliæ Chriſtianæ; item à Calmeto tom 1 Hiſt. Lotharingiæ; ſed de publica ejus veneratione nihil nobis occurrit 742 *a*

Ælicia prioriſſa de Catebia (in agro Northamptonienſi Angliæ, Ordinis S. Benedicti) foror S. Edmundi Cantuarienſis Aëp., ut miræ ſanctitatis & innocentiæ domina, & ad cujus tumbam miracula dicuntur coruſcare, à Matthæo Pariſienſi & à Wilſono ac Ferrario Sanctæ titulum adſcribentibus annuntiatur. Cupimus de publico ejus cultu fieri certiores 742 *b*

S. Fathna Ep., relatus in Catalogo expanſo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ, ſi diverſus ſit à S. Fachnano ſeu Fagnano Ep. & Conf., de quo die XIV hujus, ejus cultum publicum cupimus nobis probari 742 *c*

Anſoaldis in Malbodio monaſterio cum S. Virginis titulo annuntiatur in noſtro Florario Ms. Hujus Sanctæ geſta vide hoc tomo cap. 1. Vitæ B. Theodorici pag. 850. 742 *e*

Sandradus (aliàs Sanderadus) Ab. Gladbacenſis cum titulo Beati inſeritur Actis Sanctorum Ord. S. Bened. apud Mabill. Sæc. V. Gratiam nobis præſtiterit, ſi quis ex eruditis aſcetis Benedictinis verum, publicum ac ſufficientem Sandradi cultum oſtenderit 742 *e*

Maria, V. Tertiaria Dominicana, Popliglioni in territorio Piſtorienſi refertur hoc die à Marcheſio, qui illam ad calcem Vitæ ejus, miraculis poſt mortem illuſtrem fuiſſe ſcribit. 743 *b*

S. Candidus M. Aëp. Rhemenſis, cujus tranſlatio Intici, vulgò Innichen, in Tyroli, diœceſis Brixienſis celebrari dicitur, inter Aëp. Remenſes non invenitur, nec quis iſte Candidus ſit, hactenus exploratum nobis eſt 743 *e*

Petrus Metropolita Kiovicus, & totius Ruſſiæ Thaumaturgus ſec. 14 defunctus, ſignatus in Ephemeridibus Græco-Moſcis, apud Caſtellanum Sancti titulum habet ad diem XXI Decembris; quo die & in Opere noſtro de eo mentio fieri poterit, ſi Acta ejus interim reperiri queant 744 *d*

TOMUS V.

DIE XXV.

Bartholomæus Apoſtolus Albanopoli in Armenia vel Albania 1 *ſec.* 7. Idem eſſe cum Nathanaële oſtenditur *ex variis, & ſeqq.* Sancti patria, geſta, martyrium &c 17 *& ſeqq.* Acta fabuloſa *A. Pſeudo Abdia Babylonio, ex Ms. S. Martini Treviris, coll. cum aliis Mss., & editis exemplaribus* 34. Oratio encomiaſtica *A. S. Theodoro Studita, ex tribus Mss. pervetuſtis, collatis cum editione Acherii* 39. Tranſlatio corporis Beneventum, *Auct., ut videtur, S. Bertario Ab. Caſinenſi, ex duobus Mss.* 42. Oratio altera, *A. Joſepho forſan Hymnographo, ex editione Surii* 43. Oratio tertia *Auct. Niceta Paphlagone, ex editione Græca Combefiſii Latinè reddita* 46. Gloria Sancti poſthuma ex cultu, variis ſacri corporis tranſlationibus, miraculis, reliquiis &c *ex variis documentis à pag.* 49 *ad* 108

Geruntius vel Gerontius Ep. Italicæ in Hiſpania 1 *ſec. ex Uſuardo, Mrl. Rom. & Hymno Breviarii Mozarabici* 108

Euſebius, Pontianus, Vincentius, Peregrinus MM. Romæ *ſub Commodo* III. Acta *Auct. anonymo, ex Ms. Cod. Baſilicæ S. Petri, collato cum aliis Mss.* 115

Maginus vel Maximus M. apud Tarraconenſes in Catalonia *ſub Maximino, ut fertur, ex Mrl. Rom, & variis AA.* 118

Alvera V. & M. Limolii apud Petrocorios in Gallia *ſec. fortaſſe* 3 *exeunte, ex variis, Tomo 6. Aug. in Suppl.* 836

Geneſius mimus & M. Romæ *exeunte ſec.* 3 *vel ineunte* 4. 119. Paſſio *Auct. anonymo, ex editione Ruinartiana, quam cum Ms. apographo Cartuſianorum Ultrajectenſium contulimus* 122

Geneſius notarius & M. Arelate in Gallia 4 *ſec.* 123. Diſtinctio hujus Sancti ab aliis homonymis, cultus &c 123 *& ſeqq.* Hymnus de Sancto, *ex vet. Breviario Mozarabico* 125. Homilia de S. Martyre *ex Ms. Cod. Muſei noſtri ſignato* ✠ *Ms.* 201. *collat. cum editione Suriana* 131. Diverſa miracula patrocinio Sancti poſt mortem ejus patrata, *ex S. Hilario Arelatenſi & S. Gregorio Turonenſi* 133 *&* 134. Acta *A. Paulino Ep. ex Actis Martyrum ſinceris & ſelectis Ruinartii, quæ cum aliis Mss. contulimus* 135

Maxima V. & M. in Territorio Carnutenſi Galliæ *incerto tempore, ex Caſtellano & Mrl. Pariſienſi* 136

Rufina, Eutica, Julianus, & fortè Julius, Hermes, Juſtus ac milites XVIII. *ex Hieronymianis* 138

Julianus M. in Syria *ex antiquis Mrll.* 139

Joannes eremita Ruſelli in Aprutio Italiæ *ex Ferrario & Caſtellano* 140

Victor ſeu Victurus Ep. Cenomanis in Gallia 5 *ſec.* 140. Acta *Auct. anonymo, ex tribus Mss.* 145

Gennadius I, patriarcha CPolitanus 5 *ſec.* 148. Sancti cultus, naturæ ac gratiæ dotes, ſcripta contra S. Cyrillum Alexandrinum non rectè intellectum &c *ex variis* 148 *& ſeqq.* Acta

adverſus impium Timotheum Ælurum, res geſtæ cum Daniele Stylita &c *ex variis* 150
Severus Ab. Agathæ in Occitania Galliæ *anno circitèr* D. 155. Officium eccleſiaſticum de Sancto 156. Vita *Auct. anonymo, ex Mss. adverſariis D. Perez à Mabillonio edita in Appendice ad Sæc.* 1. *Acta Sanctorum Ord. S. Benedicti pag.* 563 *& ſeqq.* 159
Epiphanius patriarcha CPolitanus 6 *ſec. ex Faſtis Græcis* 164
Mennas vel Menas patriarcha CPolitanus 6 *ſec.* 164. S. Mennas pœnitens in gratiam recipitur à Vigilio PP. 167. Vita *Auct. anonymo, ex Ms. Cod. bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* 169
Aredius Ab. Atanenſis apud Lemovices in Gallia 6 *ſec.* 171. Corporis tranſlationes *ex variis* 174. Actorum compendium *ex S. Gregor. Turonenſi* 176. Vita prima *Auct. coævo, ex edit. Mabilloniana inter Acta Sanctorum Ord. Bened. Sæc.* 1. *pag.* 349 *& ſeqq.* 178. Vita altera *Auct. anonymo ſynchrono vel ſubæquali, ex veteribus Analectis Mabillonianis tom.* IV. *pag.* 194 *& ſeqq.* 182
Ebba V. & abbatiſſa in Coludenſi Scotiæ monaſterio 7 *ſec.* 194. Vita *collectore Joanne Capgravio, ex nova Legenda Sanctorum Angliæ Londini impreſſa anno* MDXVI 196
Patricia V. CPolitana, Neapoli 7 *ſec.* 199. Vitæ compendium *ex Ferrario* 199. Sanctæ familia, patria, geſta 200. Bulla tranſlationis ſecundæ 205. Inſtrumentum electionis S. Patriciæ in patronam Neapolitanorum 209. Vita prima *Auct. Græco anonymo, ab anonymo itidem Latinè reddita, ex vetuſto Ms.* 210. Vita altera *A. Leone presbytero, ex tribus antiquis Mss.* 215. Auctarium miraculorum primum *Auct. incerto, ex vetuſto Ms. in folio, eccleſiæ S. Patriciæ* 219. Auctarium ſecundum, ſeu Miracula S. Patriciæ ſeriùs facta, *Auct. anonymo, ut videtur, eodem, ex Ms. memorato* 220
Hunegundis V. in cœnobio Humolarienſi in Veromanduis 7 *ſec.* 223. Elogium ſeu Actorum Compendium *ex Sauſſayo* 223. Vita *Auct. Bernero Ab. ex Ms. Claro-Mariſcano, collato cum noſtro ſignato* ✠ *Ms.* 48. *& edit. Mabill.* 227. Tranſlatio corporis unà cum miraculis, *Auct. Bernero Ab., ex Ms. Claro-Mariſcano, collato cum Cod Ms. & editione Mabillonii* 232. Tranſlatio altera cum miraculis *Auct. anonymo, ex editione Mabillonii* 237
Gregorius Conf., Ultrajectinæ eccleſiæ rector, Ultrajecti in Belgio 8 *ſec.* 240. Sancti ſtirps, patria, an monachus? 240 *& ſeqq.* Sancti Bonifacii prædicatio in Friſia, diſcipulus S. Gregorius, hujus vitæ Chronologia, tempus obitûs *ex variis* 242. *& ſeqq.* Sancti Gregorii reliquiæ, apparitio poſt mortem 253. Vita *Auct. S. Ludgero Ep., ex Ms. Fuldenſi, & editione Broweri collata cum Ms. Bodecenſi* 254
Ebba M. & abbatiſſa cum multis ejuſdem martyrii Sociabus in Coludenſi Scotiæ monaſterio 9 *ſec.* 265. Diſtinctio hujus ſanctæ Martyris ab alia ſynonyma, tempus & modus martyrii *ex variis* 265. Vindicata harum Martyrum, quæ ſe virginitatis ſuæ ſervandæ cauſâ mutilârunt, ſanctitas, *ex Baronio aliiſque* 266
Martianus Ab. Aptæ-Juliæ in Provincia Galliæ *ſec.* XI. 270. Hymni *ex Breviario Aptenſi* 270. Vita *ex Breviario Aptenſi apud Benedictum Cononum edita lib.* 4. *de Vitis Patrum Occidentis, & apud Mabillonium recuſa in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Sæc.* 6. *parte* 1. 271
Gurloëſius Ab., Ord. S. Benedicti, in Kemperlegienſi monaſterio Britanniæ Minoris XI *ſec. ex Chronico Kemperlegienſi & Mabillonio* 273
Ludovicus Conf. Francorum rex prope Tunetum in Africa 13 *ſec.* 275. Notitia auctorum ejus Vitæ 275 *& ſeqq.* S. Ludovici parentes, annus & locus natalis, pia pueritia, educatio &c *ex variis AA.* 283 *& ſeqq.* Mors Ludovici VIII, ejus teſtamentum; S. Ludovici IX coronatio 290. S. Ludovici geſta chronologicè illuſtrata, *ex variis documentis & AA. à pag.* 293 *uſque ad* 500. Teſtamentum S. Ludovici 500. Varia à Sancto geſta 504 *& ſeqq.* Piiſſimus Sancti obitus &c 513 *& ſeqq.* Elogia de Sancto 521. Acta Canonizationis 526. Officia varia de Sancto 532. Corporis elevatio & tranſlatio *ex variis* 534. Vita *A. Gaufrido de Bello-loco Regis confeſſario, ex editione Claudii Menardi & Cheſnii* 541. Appendix Vitæ primæ *A. Guilielmo Carnotenſi, ex editione Menardi & Cheſnii* 559. Appendix altera *Auct. incerto, ex editione Menardi à pag.* 131. 569. Vita ſecunda *Auct. anonymo reginæ Margaritæ confeſſario, Latinè reddita ex Ms. Gallico* 571. Pars ſecunda de miraculis S. Ludovici 616. Vita tertia *A. Joanne Joinvillio Regis familiari, ex editione Menardi & Cangii Latinè reddita à pag.* 672, *ad* 758

INTER PRÆTERMISSOS.

Coſmas II Patr. Alexandrinus Jacobita, anno 851, 8 Julii ordinatur *tom.* 5 *Jun.* *87 *d*; an pro cultu imaginum ad Theophilum imperatorem ſcripſerit *ibid. e f*; obiit 17 Novembris anno 858 *tom.* 5 *Jun.* *88 *b*

Coſmas III Patr. Alexandr. Jacobita obiit 27 Februarii anno 938 *tom.* 5 *Jun.* *90 *c*; ejus nomen abeſt ab Hagiologio & laude caret apud alios *ibid. d*

Coſmas Patr. Alexandr. Melchita templa Orthodoxis erepta recuperat *tom.* 5 *Jun.* *77 *f*, *78 *a*, cùm, abjurato Monotheliſmo, ad Orthodoxiam ſuos reduxiſſet anno 742, defunctus creditur circa annum Chriſti 743 *ibid.* 78 *a b c*

Coſmas I, cognom. *Hieroſolymitanus*, Patr. CPolitanus A. Chriſti 1075 conſtitutus, ab Anna Comnena ſchiſmatica & in Men. magnis laudibus extollitur *tom.* 1 *Aug.* *128 *d e f*; ultrò ſe dignitate abdicavit A. C. 1081 *129 *b c*. Vide etiam *tom.* 2 *Sept.* XVII *e*

Coſmas II, cognom. *Atticus*, Patr. CP. depositur, quia hæreſi Bogomilorum favebat *tom.* 1 *Aug.* *133 *f*, *134

Coſmas Sozopol. Vide *Joannes* XII Patr. CP.

† *Coſmas* Ep. Majumæ & S. Joannis Damaſceni diſcipulus, in reſtituendis locupletandiſque ſacrorum cantuum libris partem haud modicam fortitus *tom.* 1 *Maii* XLVI *c*

Coſmi de Medicis egregia fides in reddendo depoſito erga Joannem PP. XXIII *C* *112 *a d*

Cotelerius (Joannes) edidit quædam monumenta eccleſiæ Græcæ *tom.* 1 *Aug.* *122 *c*

Coyacenſe concilium A. C. 1050 varia præſcripſit circa liturgici Officii apparatum *tom.* 6 *Jul.* *42 *a b*

Creſcentius conſul Romæ infeſtus Pontificibus, *C* 170 *e f*, *C* 174 *f*, *C* 176 *a*, *P* 8 *e*. *Creſcentius* decollatus cum duodecim ſuis ante urbem ſuſpenditur *C* 176 *a*, *P* 8 *e*

Creuſa (Leo) archimandrita Vilnenſis aſſerit, Niphonem & Dionyſium Patriarchas CP. ſynodo Florentinæ adhæſiſſe *tom.* 1 *Aug.* *220 *c*

Creyghton (Robertus) hæreticus Anglus mendacem Syropuli hiſtoriam de concilio Florentino Græco-Latinè edidit *tom.* 1 *Aug.* *186 *f*. Jure merito à Labbeo noſtro aliiſque reprehenditur *187 *a b*. Sæpe alibi convincitur erroris *190 *& ſeq.*

Critopulus (Metrophanes) proto-ſyncellus Patriarchæ Alexandrini ab hæreticis Lutheranis impensè laudatur *tom.* 1 *Aug.* *253 *a b*

Crivellus. Vide *Ubertus Crivellus* Aëp. Mediol.

Crociæ, cappæ nigræ Cardinalium *C* *149 *f*

Cruciata ab Urbano PP. II publicata *C* 200 *b*

Crucifixi in Paraſceve adorandi mos apud Coptos Jacobitas *tom.* 5 *Jun.* 139 *b*. *Crucifixum* omnino prædicari Sinis, ſed nudum minùs congruè exhiberi *P* 142 *f*, *P* 143 *a & ſeqq.* *Crucifixi* imagine nudâ vix uſa ſunt tria prima ſecula *P* 144 *b c*

Crucigeri

Crucigeri canonici Regulares ſic dicti à *Cruce*, quam geſtant in veſtibus *tom.* 3 *Maii* x *f.* An ſub imperio Latinorum in Syria venerint in cenſum Religioſorum Ordinum *C* 32 *d. Crucigerorum* inſtitutio, qua fide adſcripta S. Cleto? *P* 34 *e f*, *P* 35 *a*

Crux ✠ formari ſolita in ſignandis contractibus & aliis quibuſque inſtrumentis, ab antiquis Chriſtianis *tom.* 2 *Apr.* XIII *c.* Eam reges ac principes inſtruxerunt ornaveruntque nominis ſui literis XIII *d. Cruces* decuſſatæ XIV *e f.* Capuciis monachorum olim impreſſa rubra *Crux* ✠ uti etiam nunc apud Moſcos *tom.* 1 *Maii* XII *e* & *f.* An *Crux* †, quam manu tenet Sancti alicujus imago, ſemper denotet martyrium? XII *e.* Scripta de Inventione *S. Crucis* memorata in decreto Gelaſii qualem auctoritatem habeant *tom.* 1 *Jun.* XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI. *Crux* Domini noſtri Jeſu Chriſti à Perſis Hieroſolymæ erepta *tom.* 3 *Maii* XXXI *a*, à Siroë, Perſarum rege, reſtituta *ibid. d. S. Crucis* feſtum triplex Habeſſini celebrant ex inſtituto Alexandrinorum *tom.* 5 *Jun.* *79 *e. S. Crucis* ſigno fugati hoſtes *88 *f. Cruces* an & cur brachiis, fronti &c inurant Copti *tom.* 5 *Jun.* *129 *f*, *130 *a*. Copti *Crucem* unico digito formant & cur *tom.* 5 *Jun.* *121 *e. Crux* Papalis novo invento triplex, ſed in ſolis picturis *P* 53 *e f. Cruces* in Bullis una aut plures *P* 87 *c. Crux* Pontifici Romano præferri, non ab eo geſtari ſolet *C* 209 *b. Cruces* palam habentur in China *P* 147 *c. Crux* diademate olim cincta *P* 144 *b c*

Cruſius (Martinus) heterodoxus Græcam Malaxi hiſtoriam de Patriarchis CP. Latinè interpretatus eſt *tom.* 1 *Aug.* *195 *b c.* Operam dedit, ut Græcos ſchiſmaticos hæreſi Lutherana inficeret *232 *a d.* Explicat, quomodo Patriarcha CP. pecuniam colligat *252 *c d*

Cucumus ædificium deſcribitur *tom.* 2 *Maii* VI *b*

Cultûs Eccleſiaſtici indicia quædam *tom.* 1 *Jan.* XLI *b*

Cunha (Rodericus à) in Tractatu de primatu Bracharenſis eccleſiæ recenſet Patriarchas CP. *tom* 1 *Aug.* *238 *d*

Cuperus (Guilielmus) è Soc. Jeſu, moriens magnum ſui deſiderium reliquit *tom.* 6 *Aug.* *1 *a & ſeqq.*; ejus natales, corporis animique dotes, ſtudia, ingreſſus in Societatem &c *2 *a & ſeqq.* Miſſionem ad Indos poſtulavit *3 *a & ſeqq.* Scripſit Commentarium de S. Jacobo Majore, Apoſtolo, cujus prædicationem Hiſpanicam contra R. P. Michaëlem à S. Maria propugnavit *4 *a & ſeqq.* R. P. Emmanuëlis Cajetani de Souſa honorificum de *Cupero* teſtimonium *ibid e f. Cuperus* edidit hiſtoriam Chronologicam de Patriarchis Conſtantinopolitanis *5 *b c*; item Acta S. Dominici *5 *d e f*, *6, *7 *a b c d e*; ceteri ejus litterarii aliique Muſeo noſtro utiles labores *7 *f*, *8, *9, *10; ejus variæ virtutes *10 *c f*, *11, *12 *a b c d*; piiſſima mors *12 *d e f*

Cuſas vel *Coccas* Vide *Joaſaphus* I.

Cuſpinianus (Joannes) edidit antiquiorem catalogum Rom. Pontificum *A* 3 *c*

Cyborum familia illuſtris & vetus *P* 123 *c d e*

Cyclus Indictionum cur mutatus non ſit, duabus anno uno ſub Heraclio geminatis *tom.* 3 *Mart.* X *b. Cyclus* Judæorum an verè fuerit vitiatus *A* 15 *b c*

Cyfrarum Arabicarum uſus ante bella ſacra minimè notus erat Europæis *tom.* 2 *Apr.* XXXVI *c & d*, *tom.* 3 *Maii* LV *c & ſeqq. pagg.* Vide *Zyfræ*

Cynegius quo anno fuerit conſul *tom.* 1 *Aug.* *29 *e*

† *Cyprianus*, Ep. Carthaginenſis, docet, extra Eccleſiam neminem ſalvari *tom.* 1 *Aug.* *49 *c d.* Pontificem Romanum maximi facit *50 *e*

† *Cyprianus* Magus cum S. Cypriano Carthaginenſi Ep. confuſus à S. Gregorio Nazianzeno & in Menæis *tom.* 1 *Maii* XLV *a*

Cyprianus metropolita Ruſſorum dubiæ fidei *tom.* 2 *Sept.* XXII *d*

Cyprianus II Catholicus, metropolita Kiovienſis, *tom.* 2 *Sept.* XXVII *d e*

Cyprianus, Patr. CPolitanus, poſt annum 1706 electus *tom.* 1 *Aug.* *252 *a b*

Cyprianus Rex Nubiæ, Ægypto imminens, ad preces Michaëlis Patriarchæ Alexandr. recedit *tom.* 5 *Jun.* *79 *d*, *80 *a b*

Cyprius (Gregor.) Vide *Gregorius II* Cyprius

Cyprius (Philippus) ſcriptor Græcus ſeriem Patriarcharum CP. ab Andrea Apoſtolo deducit *tom.* 1 *Aug.* *4 *c d.* Craſſus illius error indicatur *168 *b c*, *176 *f*, *201 *b c.* Patriarchas CPolitanos uſque ad annum Chriſti 1639 recenſet *195 *f*, 196 *a*

Cyriacus, Adanorum epiſcopus, fuit præceptor Nectarii præſulis CP. *tom.* 1 *Aug.* *27 *f*

Cyriacus an fuerit epiſcopus Byzantinus *tom.* 1 *Aug.* *8 *f*

† *Cyriaci* Mrl., cujus ſpecimen exhibetur *tom.* 6 *Jun. parte* 2 *pag.* 48.

Cyriacus al. *Quiriacus* an epiſcopus Hieroſolymitanus fuerit medius inter S. Macarium & Maximum *tom.* 3 *Maii* XVIII *c.* An Crucem Domini N. J. C. monſtraverit *C* 28 *e*

Cyriacus Papa Urſulanus, merum figmentum, *C* 28 *c f*, *& ſeqq. pagg. P* 38 *d & ſeqq.*

Cyriacus Patr. Antiochenus Jacobita ſedit A. C. 793 uſque ad 817 *tom.* 4 *Jul.* *121 *c d e*

Cyriacus, Patr. CPolitanus, videtur circa finem anni 595 Joanni Jejunatori ſucceſſiſſe *tom.* 1 *Aug.* *74 *d e. Cyriacus* reprehenditur à S. Gregorio Papa ob uſurpatum *Oecumenici* titulum *ibid. f.* Non conſtat, eum monenti paruiſſe *75 *c d*; ſtrenuè reſtitit Phocæ imp. *ibid. e.* A. C. 606 mortuus eſt *76 *d*; in quibuſdam Græcorum Menologiis tamquam Sanctus celebratur *ibid. e f*

Cyrillianus an fuerit epiſcopus Byzantinus *tom.* 1 *Aug.* *8 *f*

† *Cyrillus* Bulgaros, Chazaros & Moravos ad fidem convertit *tom.* 2 *Sept.* 11 *d*; an etiam Ruſſos? *ibid. e f.* Litteras Slavonicas invenit & gentibus à ſe converſis tradidit *ibid. f*, III *a.* Cur iis Pſalterium & Miſſale Slavonicum indulſerit *C* 138 *a b*

† *Cyrillus*, Carmelitarum tertius Prior, an recuſaverit patriarchatum Hieroſolymitanum, *tom.* 3 *Maii* LI *d e.* Quid cenſendum de ejus epiſtola ad abbatem Joachimum *ibid. e*

† *Cyrillus* Ep. Hieroſolymitanus ab Arianis intruſus, & ab iiſdem tertiò expulſus, in duos dividitur ab Epiphanio & Auctore Latini catalogi *tom.* 3 *Maii* XVIII *d e f.* Figmenta de *S. Cyrillo* apud Theodoricum Pauli XIX *a b.* Conſuluit S. Julium PP. de die Natalis Dominici celebrandi *P* 23 *e f*, *P* 44 *e.* An ex *S. Cyrilli* Catecheſi myſtagogica quinta probetur antiquitas

quitas Liturgiæ ſcriptæ ante ejus tempora *tom. 6 Jul.* * 10 *c*. Quandonam floruerit & obierit *tom.* 3 *Maii* XIX *c*, *tom. 6 Jul.* * 10 *c*

Cyrilli, veroſimiliter metropolitæ Ruſſorum, Quæſtiones erroneæ *tom. 2 Sept.* XIX *c d*

Cyrillus I, metropolita Ruſſorum *tom. 2 Sept.* XIX *d e f*, XX *a*

Cyrillus II, metropolita Ruſſorum, *tom. 2 Sept.* XIX *d e*

Cyrillus III, metropolita Ruſſorum, *tom. 2 Sept.* XIX *d e*, XXI *b c*

† *Cyrillus* I, Patr. Alexandrinus, obiit anno 444 *tom. 5 Jun.* * 52 *e*. Ut Legatus Apoſtolicus Neſtorium damnavit in concilio Epheſino *ibid. f.* Breve ejus elogium *ibid. f &* * 53 *a*. *S. Cyrillus* diu adverſatus eſt S. Joanni Chryſoſtomo *tom.* 1 *Aug.* * 34 *f*, * 35. Laudavit *S. Cyrillus* ſanctum Atticum CPolitanum * 37 *b*; Vitia Neſtorii hæreſiarchæ narravit * 40 *a*. An ſcripſerit librum de Ortu Virginis *tom.* 1 *Maii* XXXV *a*; an fuerit Carmelita *tom.* 1 *Jun.* XLI *b*

Cyrillus II, Patr. Alexand. Jacobita, 1 Aprilis anno 1078 conſtituitur; obit verò 6 Junii anno 1092 *tom. 5 Jun.* * 95 *a b*; miraculosâ Chriſmatis exundantiâ honoratus fuit *ibid. b*

Cyrillus III, Patr. Alexand. Jacobita, an ſimoniacus, & an Canones compoſuerit *tom. 5 Jun.* * 99 *e f*; quandonam mortuus *ibid.*

† *Cyrillus*, Patr. Antioch. ſedit ab A. C. 280 uſque ad 300 *tom. 4 Jul.* * 28 *e f*; ejus elogia & Acta * 29 *a b*

Cyrillus I, cogn. *Lucares*, Patr. CPolitanus conſtituitur A. C. 1621 *tom.* 1 *Aug.* * 239 *a*. Ejus turbulentum ingenium & ſacrilegæ fraudes *ibid. b & ſeqq.* Ejus enormia ſcelera * 240 *a & ſeqq.* Sæpiùs ſedem CP. recuperat * 241 *& ſeqq.* Tandem à Turcis ſtrangulatur * 240 *b*, * 242 *a*, * 243 *c*

Cyrillus II, cogn. *Contarenus*, Patr. CP., à Guillio noſtro impensè laudatur *tom.* 1 *Aug.* * 242 *c & ſeqq.* Ab Allatio depingitur aliis coloribus * 243. Tandem à Turcis ſtrangulatur * 244 *a b*. An fuerit Orthodoxus *ibid e*. Errores Calviniſtarum damnavit * 245 *b c*

Cyrillus III, cogn. *Spanus*, Patr. CPolitanus *tom.* 1 *Aug.* * 246 *c d*. Ad ſedem ſuam redit *ibid e*

Cyrinus quando factus Præſes Syriæ *A 6 f*. Ab eo acti cenſus duo *A 6 e f*, 21 *e f*, 22 *a*. Ejus ſordida & præpotens ſenecta *A 8 e*

Cyrus Patr. Alexand. jubetur pactas cum Saracenis inducias rumpere *tom. 5 Jun.* * 71 *e f*. Moritur anno 640 * 73 *f*. An Monothelita fuerit *ibid.*

† *Cyrus*, Patr. CPolitanus, Callinico exſuli ſtatim ſucceſſit, & A. C. 711 vel 712 ab imperat. Philippico exauctoratus eſt *tom.* 1 *Aug.* * 90 *b c*

Czar quid apud Moſcos ſignificet *tom.* 1 *Maii* IV *f*. Moſcorum duces *Czaris* titulum à Papa petierunt, ſed opponentibus ſe Polonis, non impetraverunt IV *f*, V *a b*. Uſurpârunt tamen, non invito Romano imperatore V *c*. *Czaris* titulus ab imp. Baſilio Monomacho datus fuit Wlodomiro, primi Wlodomiri nepoti V *c*

D

Daciana diaconiſſa *tom.* 1 *Sept* XXIV *e f*

Dagobertina charta de Laudenburgo eccleſiæ Wormatienſi donato an genuina? *tom.* 2 *Apr.* XX *c*. Potuit ab Ottone & ſucceſſoribus confirmari *ibid. f. Dagobertina* Lobienſis in quibus peccat XXI *a & ſeqq. Dagobertina* Cameracenſis quoad hiſtoriam quam fidem mereatur XXXIII *b & ſeqq. Dagobertinum* diploma Horreenſe fictitium, San-Maximianum indubitatum; unius ad alterum collatio *tom.* 2 *Apr.* V *c & ſeqq.*

Dagobertus I, Clotharii II filius, trifidum aſſumpſit ſceptrum, veluti ex tribus virgis infernè conjunctis, tria regna, Auſtraſiæ videlicet, Burgundiæ & Neuſtriæ, in unum coacta imperium deſignare volens *tom.* 3 *Mart.* XV *e*; unde credi poſſunt lilia Francica poſt aliquot ſecula eſſe nata *ibid. Dagobertus* creatur rex Auſtraſiorum anno 622, ducit Gomadrudem an. 625 *tom.* 3 *Apr.* V *b & c*. Regnat in Neuſtria & Burgundia ab an. 628, natum anno 629 ex Ragnetrude Sigebertum filium ſuum ſtatuit regem Auſtraſiorum anno 632, & moritur *Dagobertus* anno 638 V *d & e*; item *tom.* 3 *Mart.* XVI *a*. Vide etiam *tom.* 7 *Maii* XLII *e f*. *Dagoberti* majores enumerantur *tom.* 3 *Apr.* V *a*. Regium nomen poſteris *Dagoberti* quadamtenùs conſervatum uſque ad coronationem Pippini *tom.* 3 *Mart.* XX *a & ſeqq.*

Dagobertus, Childerici II ex Bilihilde filius, cum patre occiſus anno 675 & ſepultus Rotomagi à S. Audoëno *tom.* 3 *Apr.* VIII *c & IV b*

Dagobertus II, S. Sigeberti III ex Imnichilde filius, mortuo patre, à Grimoaldo majore-domûs in Hiberniam amandatur & Grimoaldi juſſu detondetur in monachum *tom.* 3 *Mart.* XVIII *e*, *& tom.* 3 *Apr.* VII *b*; à S. Wilfrido Aëp. Eboracenſi remittitur anno 661, & annorum circitèr quindecim adoleſcens, ſecedit ex directione matris in Thuringiam *tom.* 3 *Mart.* XVIII *f & tom.* 3 *Apr.* VII *d*. Rex Adrhenanus creatur *ibid.* Circa annum 662 ducit uxorem Machthildem Saxonum duciſſam *tom.* 3 *Apr.* VII *f & tom.* 3 *Mart.* XIX *d*. Poſt cædem Childerici anno 675 regnat in tota Auſtraſia *tom.* 3 *Mart.* XVIII *f & tom.* 3 *Apr.* IV *e*, VIII *d & e*. Varia donat eccleſiæ Argentoratenſi & monaſteriis quibuſdam *tom.* 3 *Mart.* XIX *e*, *tom.* 3 *Apr.* VIII *d*. S. Wilfridum ſede Eboracenſi pulſum benignè excipit anno 679 *tom.* 3 *Mart.* XVIII *f*, *& tom.* 2 *Apr.* IV *a*, item *tom.* 3 *Apr.* IX *a & b*. Bellum gerit contra Theodoricum *tom.* 3 *Mart.* XVIII *f*. Sub finem anni 680 occiditur, viſus aliquando Papebrochio idem eſſe, qui martyr colitur Sathanaci *tom.* 3 *Apr.* IX *d & ſeqq.* Inventa eſt moneta, quæ hujus *Dagoberti* eſſe credebatur *tom.* 3 *Mart.* XIX *a*. *Dagoberti* hujus inſignis mentio in Actis S. Memmii *ibid. b & c*. *Dagoberti* proles in priori Papebrochii ſententia *tom.* 3 *Mart.* XIX *d e & f*, XXI *a*, item *tom.* 3 *Apr.* VIII *f*, IX *a &* X *a*. *Dagobertus* Francorum regem ſe abſolutè ſcribebat, licèt in ſola imperitaret Auſtraſia *tom.* 2 *Apr.* XXI *c*. Potuiſſet ab obitu patris, quantumvis exſul, regni ſui annos numerare: id tamen feciſſe, non probatur XXV *f*

Dagobertus III, Childeberti III filius, non potuit eſſe pater Theodorici ſucceſſoris ſui mediati *tom.* 3 *Mart.* XVII *c*. Moritur *Dagobertus* III anno 715, adhuc impubes, ultimus in linea Theodorici regis, *tom.* 3 *Apr.* XI *d e*, P 64 *a b c*. Si *Dagoberto* huic proles fuiſſet, more majorum ſucceſſiſſet, ſed, ea deficiente, aſſum-

ptus à Neuſtriis eſt Chilpericus *tom.* 3 *Apr.* XI *f*, XII *a & ſeqq.* item *tom.* 3 *Mart.* XVII *e & f*

† *Dalfinus.* Vide *Annemundus.*

Dalmatia, patria S. Caii Papæ & Joannis Papæ IV, *C* 40 *c*, *C* 99 *a*

Dalmaticæ forma VI & XIV ſec. *C* 89 *e f*, *P* 97 *a*

Damaſcus capta à Saracenis *tom.* 5 *Jun.* *70 *f*

† *Damaſus* PP. quando ſederit *tom.* 1 *Apr.* XXXII *a b*, *A* 53 *b*, *C* 57 *c e f*, *P* 44 *f.* Ejus elogia *ibid.* Quomodo ab Hieronymo dicatur XXXV à S. Petro *C* 57 *c.* Liberium in itinere non reliquit nec Romam profectus eſt, ambitione corruptus *C* 54 *d e.* Diſſertatio de anno mortis *S. Damaſi* & quibuſdam ei attributis epiſtolis *C* 58, 59 *a d*, *P* 45 *a. S. Damaſo* vulgò tribuitur liber Pontificalis *tom.* 1 *Jan.* XIV *c*; ſed immeritò *A* 3 *c*, *C* 59 *d. S. Damaſus* non damnavit Liberium mortuum *C** 176 *b c.* An ad S. Hieronymum miſerit Geſta Pontificum, quæ potuit reperire *A* 3 *b c*, *C* 58 *f*, 59 *a*, *tom.* 1 *Apr.* IV *e.* Utriuſque ea de re epiſtolæ putantur ſuppoſititiæ eſſe *A* 3 *c*, *C* 58 *f*, 59 *a. Damaſus* calumnioſiſſimè diffamatus à Luciferianis *tom.* 5 *Jun.* *66 *f*, *67 *a.* Violentam Maximi Cynici conſecrationem improbavit *tom.* 1 *Aug.* *25 *a b*

Damaſus PP. II quando ſederit *C* 188 *b c.* Ejus elogium *ibid.*

Damianus, aliàs *Dimanes*, Patr. Alexand. Jacobita, obiit anno 607, 12 Junii *tom.* 5 *Jun.* *67 *c*

Damianus Jurienſis Ep. *tom.* 2 *Sept.* XVIII *f*

† *Damianus* (Petrus) quid ſcribat de S. Laurentio Farfenſi *tom.* 1 *Jul.* *29 *e. Damiani* ſeu fontis Crucis Avellanæ Ordo, ab aliquibus cum Cæleſtinis confuſus *C** 65 *f*, *66 *a*

Dandulus (Andreas) ſcripſit Chronicon, quod typis excuſum eſt *tom.* 1 *Aug.* *147 *f*

† *Daniël* Stylita non eſt mortuus extra communionem Eccleſiæ Romanæ *tom.* 1 *Aug.* *48 *e*

† *Daniël* ejuſque tres ſocii: exploſa de iis fabula *tom.* 1 *Maii* LV *f*, LVI *a*

Daniël Ruſſorum rex coronam accipit ab Opiſone, Apoſtolicæ Sedis legato, *tom.* 2 *Sept.* XX *d*; promittit, ſe omnes ſubditos ſuos reducturum ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ *ibid. d f*

† *Datius* Ep. Mediolanenſis *tom.* 7 *Maii* LVI *a*, LXIV *b.* Chronica ei temerè attributa, ſcripta eſt ſec. X & XI, *pag.* LXIV *b c*

David Patr. Antioch. Jacobita. Vide *Ignatius* II Patr. Antioch.

David antipatriarcha Antioch. Jacobita *tom.* 4 *Jul.* *120 *e f*

David Paphlago ſcripſit Vitam S. Ignatii Patr. CPolitani *tom.* 1 *Aug.* *105 *b*

Davidis regis poſteritas omnis aut extincta aut ignota *A* 37 *d e f*

Daybertus, aliàs *Daimbertus* & *Dagobertus*, patriarcha Hieroſolymitanus è Latinis primus conſecratur, & ſede ſua poſtea expellitur *tom.* 3 *Maii* XLVI *a b c.* Pontificis Romani auctoritate reſtituendus revertitur anno 1105 *ibid. c*

Decius imp. an numquam Antiochiæ fuerit *tom.* 4 *Jul.* *17 *e f*

Decori ratio habenda in ritibus ſacris, & omittendum, ſi quid offendat *P* 144 *d e f*, 145 *a*

Decreta ficta aut ſuſpecta Bonifacii IV *C* 94 *f*, Stephani IV *C* 127 *d*, Eugenii II *C* 128 *c. Decreta* Urbani PP. VIII quid prohibeant *tom.* 1 *Jan.* XL *d e*

Decretales veterum Pontificum confictæ pleræque: quis auctor, quàm ſine ſcrupulo nunc falſæ dicantur, quàm ridiculæ in nomenclatura Conſulum *C* 4 *e f*, 18 *a*, 21 *b*, 51 *d*: eas nulla juvat Pontificum ipſis uſorum auctoritas, qui tamen in eo uſu excuſandi *C* 136 *e f*, multarum ætas *P* 56 *c. Decretalium* libri, juſſu Gregorii IX compilati, addito ſexto, aucti à Bonifacio VIII, aucti item à Clemente V & Joanne XXII, *C** 36 *c*, *67 *e*, *73 *d*, *76 *d*

Decretum Gratiani, ubi & quando conditum *C* 185 *a b*

Dedicandi eccleſias & oratoria ſuburbicaria à Rom. Pontifice petenda facultas *C* 172 *c d*

Dedicatio eccleſiæ S. Petri Alexandriæ *tom.* 5 *Jun.* *35 *a. Dedicatio* templi S. Sepulcri peracta eſt ſub imp. Conſtantino *tom.* 1 *Maii* XLI *e*

Defuncti: pro iis orant Copti, at de eorum animabus ridicula tenent *tom.* 5 *Jun.* *139 *c d*

Deiparam valde venerantur Copti *tom.* 5 *Jun.* *139 *b.* Ejus cultor eximius XII ſec. Michaël V Patr. Alexand. *97 *c d.* Ejus Quadrageſimam ſervant Copticæ feminæ, imò & Turcicæ, in pane & aqua *148 *b c.* Ei turrim ædificavit S. Theonas *33 *b*: effigiem violans punitur *77 *c.* Voces *Deipara Virgo* à Græcis additæ Salutationi Angelicæ poſt condemnationem Neſtorii *tom.* 2 *Jun.* XLI *b e.* Vide *Maria Deipara*

Delphina præfectus copiarum Phocæ tyranni *tom.* 2 *Sept.* VIII *d*

Delrio (Martinus) S. J. copioſè ſcripſit de arte magica *tom.* 1 *Aug.* *212 *d*

† *Demetrianus* Patr. Antioch., qui ſedit ab A. C. 252 uſque ad 260, acerrimè Eccleſiam defendit contra Novatianos *tom.* 4 *Jul.* *22 *f.* An obierit martyr *23 *a b c*

† *Demetrius* Patr. Alexand. ſedem tenuit per annos 43 ſaltem non plenos *tom.* 5 *Jun.* *21 *f*; obiit 8 vel 9 Octobris anno 231 *22 *b.* An inventor fuerit Cycli Epactarum pro figendo die Paſchatis *ibid. & c.* Eligitur Patriacha indicio recentis uvæ hyeme allatæ *ibid. d*: virginitatem in conjugio ſervatam probat ſtupendo modo *ibid. e.* Quædam ſub eo patriarcha geſta *23 *a & ſeqq.*

Demetrius Ruſſorum rex *tom.* 2 *Sept.* XVII *f*, XVIII *a b c*

Demophilus hæreticus ab Arianis ad cathedram Cpolitanam evehitur *tom.* 1 *Aug.* *22 *e f*; variis erroribus infectus, fictâ pietatis ſpecie diverſas hæreticorum ſectas univit *23 *a b*, CPoli expellitur *24 *c*; dicitur poſtea Berrhœam diſceſſiſſe *24 *d*

Depoſitionis dies ſeu *dies natalis* veterum Pontificum quomodo diſtinguendus à *die elevationis* &c ſub nomine *ſepulturæ* quandoque indicata *C* 24 *c*, 25 *a b d e*

Deſcriptio cenſûs à Sentio Saturnino facta, quomodo Cyrino tribuatur *tom.* 1 *Apr.* VII *d e f*, *A* 6 *d e f*

Deſignati Conſules quinam dicti *C* 60 *d e*

Deus-dedit al. *Deodatus* Ep. Mediolanenſis *tom.* 7 *Maii* LVI *a*, LXVI *e f*

† *Deusdedit* PP. quando ſederit *C* 95 *a.* Ejus elogium *ibid.* Ficta ſub ejus nomine epiſtola ad Gordianum Hiſpalenſem *C* 95 *e f*

Deuseburgum inter Lovanium & Bruxellas ſitum, diverſum eſt à Diſpargo Francorum Saliorum ſede *tom.* 7 *Maii* XLVIII *a*

Deuterius epiſcopus Arianus dum quemdam hæretico modo vult baptizare, aqua diſparet *tom.* 1 *Aug.* * 30 *e*

Dexter, Paciani filius (qui laudatur à S. Hieron. *tom.* 1 *Febr.* XVIII *a*) prætorio præfectus ſub Theodoſio ſeniore omnimodam hiſtoriam texuit *tom.* 1 *Jan.* XXXI *c*. Hæcne ſit Chronicon nomine Fl. Dextri vulgatum *ibid.* De hoc Chronico Bollandi aliorumque, etiam Hiſpanorum judicium *tom.* 1 *Febr.* XVII *c & ſeqq. tom.* 1 *Jul.* * 60 *c*. De eodem Chronico judicium Henſchenii *tom.* 3 *Maii* XV *d & ſeqq.* Vulgatum Fl. *Dextri* nomine Chronicon integre confictum eſt *ibid.* XVI, *tom.* 1 *Jul.* * 58 *e & ſeqq.* Quomodo detecta tandem ſit tota fictio *tom.* 3 *Maii* XV *f*, XVI *a b*

Dextri & *Siniſtri* lateris quando mutata dignitas *C* 126 *b c d e f*, *P* 51 *e*, 68 *a*, quæ ratio eorum in Francia ſub vario reſpectu *P* 33 *d e f*

Diaconæ apud Latinos quæ? *tom.* 1 *Sept.* XII *c f*

Diaconi cur tempore canonis Miſſæ olim flabellis uterentur *tom.* 1 *Sept.* VIII *e*. *Diaconi* innumeri, etiam pueri, ordinantur apud Coptos *tom.* 5 *Jun.* * 132 *a b*. *Diaconi* vetus habitus *P* 97 *a b c*, in eo pictus fuiſſe videtur Clemens V *P* 108 *b c*. Cur *Diaconi* præ presbyteris ſæpe aſſumpti ad ſupremum Eccleſiæ regimen *C* 64 *e*

Diaconicum apud Græcos idem eſt, quod nos *Sacriſtiam* vocamus *tom.* 2 *Jun.* XXXIV *b*. *Diaconici* etymon *ibid.*

Diaconiſſæ à tempore Apoſtolorum inſtitutæ *tom.* 1 *Sept.* 1 *c*. Virgines dumtaxat vel viduæ *Diaconiſſæ* creabantur *ibid. f*, II *a b*; requiſita in eis ſcientia & ætas II *b c d e*. Qualis earum veſtitus *ibid. f*, III *a b*. Multa & varia earum officia *ibid. b & ſeqq.* Ordo earum ab aliarum feminarum conditione diſtinctus IV *a b c*. Earum inauguratio fiebat per manûs impoſitionem *ibid. e f*. Plus dignitatis habebant *Diaconiſſæ*, quàm mulieres laïcæ V *b c*. *Diaconiſſæ* Paulinianiſtarum ſeu Pauli Samoſateni inter laïcas cenſebantur *ibid. b*. *Diaconiſſarum* conſecratio merè cæremonialis *ibid. d e*; præerant monialibus in divinis Officiis *ibid. f*, VI *a*. Tempus, locus ac ritus *Diaconiſſarum* honorificus VI *b c*. Forma ac ritus earumdem conſecrationis multùm differt ab ea, quâ initiantur moniales *ibid. e f*, VII *a b c*. Quo ritu moniales apud Neſtorianos initientur *Diaconiſſæ* VII *d e f*, VIII *a b c d e*. Ritus initiandi olim *Diaconiſſas* apud Orientales, non eſt erroneus & hæreticus VIII *f*, IX, X *a*. Ritus antiquus eas conſecrandi apud Latinos unde deſumptus X *b c d e*; in eo ſtola, annulus & torques inter pias preces ab epiſcopo datur *ibid. e f*, XI *a*; poſt ſacram ſynaxim earum ſecuritati conſulitur XI *b*. Ex *Diaconiſſis* impropriè dictis factæ fuerunt veri nominis *Diaconiſſæ* XII *b c d e*. *Diaconiſſarum* nomen non merentur quædam in Italia feminæ XII *e f*. *Diaconiſſæ* à ſanctimonialibus diſtinctæ XIII *b*. Decretum Theodoſii I imperatoris contra *Diaconiſſas*, auctoritate S. Ambroſii, ut fertur, ex parte abrogatur XIV *b c e f*, XV *a b c*. Varia circa eas à Juſtiniano & Heraclio impp. decreta XV *d e f*, XVI. Temporibus Juſtiniani & Heraclii impp. videntur locum in ædibus ſacris digniorem, quàm aliæ mulieres, occupâſſe XVII *d e f*, XVIII *a b d e*. *Diaconiſſarum* ſtatus ſub Neſtorianis XIX *b c*; ſub Jacobitis *ibid. e f*, XX *a b c*; abolitæ apud Jacobitas, non tamen omnino extinctæ XX *e*. Non videtur communi lege eis interdictus fuiſſe acceſſus ad altare XX *f*, XXI. *Diaconiſſæ* illuſtres S. Phœbe 1 *a b*, XXII *a*, B. Timo, S. Martina V. M., alia anonyma XXII *a b c d e f*; Publia XXII *f*, XXIII *a b*, S. Olympias XXIII *b c*, Pentadia *ibid. d e f*; Amprucla, Dionyſia, S. Radegundis, Baſilina, Manaris, S. Irene XXIII *f*, XXIV *a b c d*. In pleriſque, non tamen in omnibus Orientis ditionibus deſierunt *Diaconiſſæ* ſeculo circitèr XII; nullæ, quantùm ſcimus, nunc in Occidente ſuperſtites XXV, XXVI *a b c d*. *Diaconiſſæ* non lege lata, ſed deſuetudine probabiliùs abrogatæ XXVI *e f*, XXVII *a b*; in Gallia tamen earum ordinatio per varios canones videtur prohibita XXVII *b c d e f*, XXVIII *a & ſeqq.*

Diaconiſſæ templum CPoli Deiparæ ſacrum *tom.* 1 *Sept.* XVII *a b c*

Diaconitæ apud Græcos quinam vocentur *tom.* 2 *Jun.* XLII *c*

Diadema, ſeu circulus, qui capiti appingitur, non ſemper indicat veram ſanctitatem *tom.* 1 *Aug.* * 186 *d e*. *Diadematis* rotundi & quadrati notabilis diverſitas *C* 126 *a*

Dierum à ſcriptoribus aſſignatorum diverſitas conciliata *tom.* 4 *Jul.* * 4 *a b*. *Dies* apud Italos inchoatur poſt ſolis occaſum *C* * 63 *d*. *Dies menſis* vulgari modo cœpti numerari VI ſec. *C* 86 *b c*

Dignitates ſeculares non ſemper dedecent perſonam eccleſiaſticam *P* 146 *c d e*

Dimiſſionis formula pro ratione feſti vel myſterii, quod celebratur, apud Græcos varia *tom.* 2 *Jun.* LXIII *a b*, cum expreſſione Sancti, cujus eſt feſtum, ſi tamen fuerit è Sanctis præcipuis *ibid. b*. *Dimiſſio* etiam in Eccleſia Latina olim mutabatur *ibid. b c*

Diocletianus quando imperare cœperit & à quo Æræ Alexandrinæ anno, à quo item anno Chriſti, ejus imperii initia deſumenda ſint *tom.* 3 *Mart.* VI *f* & VII *a & b*, *tom.* 5 *Jun.* * 33 *d e*. Ejus famoſum decretum contra Chriſtianos *tom.* 1 *Jul.* * 13 *e*, *tom.* 5 *Jun.* * 33 *d*, & *ſeqq.* *Diocletiani* nomen ſæpe in Paſſionibus Martyrum legitur pro nomine Maximiani *C* 42 *f*. *Diocletianæa* perſecutio ſine interruptione ſæviit uſque ad annum 311, quo ſublata eſt, ſaltem ad tempus notabile, edicto Galelerii Maximiani *tom.* 3 *Sept.* VII *c*

Diodorus epiſcopus Tarſenſis dicitur dediſſe occaſionem eligendi Nectarium præſulem CP. *tom.* 1 *Aug.* * 27 *b*

Diodorus Siculus hariolatur circa Ægyptios *tom.* 5 *Jun.* * 150 *c*

Diogenes an fuerit epiſcopus Byzantinus *tom.* 1 *Aug.* * 7 *e*

Dionis error manifeſtus circa Cajum Cæſarem *A* 22 *d e f*

Dionyſia diaconiſſa illuſtris *tom.* 1 *Sept.* XXIII *f*, XXIV *a*

Dionyſiani monaſterii archivio ſua reddita æſtimatio *C* 4 *a*

Dionyſius à Patriarcha CP. miſſus metropolita Ruſſorum *tom.* 2 *Sept.* XXII *a*

Dionyſius Barſalibæus floruit XII ſec. *tom.* 4 *Jul.* * 100 *d*

† *Dionyſius* Ep. Corinthiorum potuit cum diſcipulis Apoſtolorum vixiſſe *A* 42 *b*

† *Dionyſius* Ep. Mediolanenſis *tom.* 7 *Maii* LV *c*, LIX *f*, LX *a b e*; quo anno epiſcopatûs ſui ſede expulſus ſit *ibid. e*

Dionyſius Exiguus exercitatiſſimus chronologus *A* 17 *f*, Canonem Paſchalem Romæ condidit *P* 50 *a*. Ejus calculus annorum Chriſti *A* 12 *a b c*, *P* 50 *a*; à vero differre annis 23, aliquando creditus *P* 50 *d e*. *Dionyſius* anno ùno æram communem prævertens, quò reſpexerit *P* 152 *b c*. An à *Dionyſio* fluxerit uſus hodiernus numerandi annos Chriſti *ibid. c*

† *Dionyſius* PP. quando ſederit *tom.* 1 *Apr.* XXVII *f*, XXVIII *a b*, *A* 50 *d*, *C* 37 *c f*, 38 *a b*, *P* 41 *f*. Ejus elogia *ibid.* Decretales ei affictæ *C* 38 *d*

† *Dionyſius*, Patr. Alexandrinus, quando ſedere cœperit, & quamdiu ſederit *tom.* 5 *Jun.* * 29 *f*, * 30 *a b*. Quædam ſub eo memorabilia acta * 30 *c*; quo die mortuus ſit * 30 *d*. Ejus elogium *ibid. f*. Gravem à plebe vexationem ſecuta gravior perſecutio Decii mox & Valeriani, tum lues, patientiam ejus multùm exercuit * 31 *a b*; nec tamen eò minùs Eccleſiam illuſtravit ſcriptis & exemplis *ibid. c*. Origenis auditor fuit, at an umquam ei fuit adverſatus? *ibid. d*. Acta Martyrum Alexandrinorum litteris tradidit *tom.* 1 *Jan.* XV *a*

Dionyſius I Patr. Antioch. Jacobita ſedit ab A. C. 818 uſque ad 845 *tom.* 4 *Jul.* * 124 *c d*. Ejus Chronicon * 124 *e*

Dionyſius II, Patr. Antioch. Jacobita, ſedit ab A. C. 897 uſque ad 909 *tom.* 4 *Jul.* * 125 *e f*. Ejus ſcripta *ibid. f*

Dionyſius III, Patr. Antioch. Jacobita, dicitur ſediſſe ab A. C. 957 uſque ad 961 *tom.* 4 *Jul.* * 129 *d e f*

Dionyſius IV, al. *Theodoſius*, Patr. Antioch. Jacobita, ſedit Amidæ ab A. C. 1033 aut ſequenti uſque ad 1043 aut 1044 *tom.* 4 *Jul.* * 134 *c d*

Dionyſius V, al. *Lazarus*, Patr. Antioch. Jacobita, ordinatus A. C. 1077, ſedit anno uno & menſibus 9 *tom.* 4 *Jul.* * 135 *d e*

Dionyſius VI, Patr. Antioch. Jacobita, intruſus per annos ſex; tum electus, poſt annum & 7 menſes obiit A. C 1090, vel paulò antè *tom.* 4 *Jul.* * 135 *f*

Dionyſius VII, qui & *Aaron Angur*, Patr. Antioch. Jacobita, ſedit ab A. C. 1253 uſque ad 1261 *tom.* 4 *Jul.* * 143 *f*

Dionyſius I Patr. CPolitanus poſt octo regiminis annos ob falſam quamdam accuſationem, de qua calumniatores ſuos convicit, ſedem ultrò reliquit *tom.* 1 *Aug.* * 200 *f*, * 201 *a b*. Sedi ſuæ reſtituitur * 219 *f*; iterum ſe abdicat * 220 *b c*; dicitur Orthodoxus fuiſſe *ibid. c d*. De hoc dubitandi rationes *ibid. d e f*

Dionyſius II Patr. CP. A. C. 1546 electus eſt *tom.* 1 *Aug.* * 228 *c & ſeqq.*; ob diſſidia Græcorum à Turcis majori tributo gravatur * 229 *a b*; juſſu imperatoris Turcarum à Græcis pro legitimo patriarcha agnoſcitur *ibid. c*. Pars Menæorum Græc., quæ Venetiis poſtea excuſa ſunt, huic *Dionyſio* dedicata * 229 *d e f*. Poſt multa cum ſuis clericis diſſidia aliaque geſta, circa 1555 defunctus eſt * 230 *a b*

Dionyſius III, cogn. *Spanus*, Patr. CP. *tom.* 1 *Aug.* * 247 *f*

Dionyſius IV, cogn. *Muſelimes*, Patr. CP. *tom.* 1 *Aug.* * 249 *b c*. Sæpiùs ad illam cathedram redit * 250 *& ſeqq.*

Dioſcorus I Patr. Alexand., in concilio Chalcedonenſi damnatus, ſchiſma excitat *tom.* 5 *Jun.* * 53 *e f*, & per impoſturas fovet * 55. Quando mortuus * 53 *c d*

Dioſcorus II, Patr. Alexand., non ſine turbis ordinatus, Mongianos ſibi devincit *tom.* 5 *Jun.* * 62 *c d*; obit anno 520 *ibid. d e*. Ejus laus in Hagiologio, licèt communicârit cum impio Severo hæreſiarcha exſule *ibid. f*

Dioſcorus cum Bonifacio PP. II electus, falsò accuſatus Simoniæ *P* 49 *f*

Dioſtenſis comitatûs ſitus *tom.* 7 *Maii* II *a & ſeqq. pagg.*

Diplomata, ante Carolum Magnum indubitata, & ipſius etiam Caroli, ſcripta hac formula: *In nomine Patris & filii & Spiritus ſancti: tom.* 2 *Apr.* VII *b*; aliter inchoata fidem non faciunt, utpote aliis quoque indiciis ſuam falſitatem prodentia *ibid. Diplomata* regum Francorum ante Carolum Magnum non ſignantur Indictionibus *ibid. d. Diplomata* Regum Francorum primæ ſtirpis, quæ habent poſt regum annos has formulas *Chriſto propitio*, vel in fine ante *feliciter* habent *In Dei nomine*, aut *In Chriſti nomine feliciter. Amen*, pro genuinis ſinceriſque habenda non ſunt *ibid.* Quandonam fortè annus Chriſti incarnati acceſſerit *Diplomatis* Francicis *ibid. e*. Concurrentis & Epactæ numerus temporibus Hludovici Pii non ſignabatur in ſcripturis regiis, imò nec in politicis ac publicis ullis VIII *a*. In genuinis *Diplomatis* Ludovici Pii, nomen ejus ſemper inchoatur per H *ibid. b*. Quid cenſendum de *Diplomatis* Pippino regi ac Hludovico imp. attributis apud Zyllezium X *c*. Præter omnem omnino uſum fuit vel regum Francorum primæ ſecundæque ſtirpis, vel Romanorum imperatorum uſque poſt Fridericum Ænobarbum, ut expedirentur *Diplomata* ſub ſolius regis vel imperatoris ſignaculo, ſic ut non adderetur cancellarii, notarii, archicapellani vel archicancellarii recognoſcentis auctoritas & plerúmque proprium ſignum calamo expreſſum XIII *a*. An in *Diplomatis* antiquis principes de ſeipſis locuti ſint in numero plurali *ibid.* VIII *e*. *Diplomata* quædam, etſi ad hiſtoriam inutilia, valent tamen in judiciis *ibid.* XVI *b &* XIX *d*. *Diplomata* antiquiora à principibus ſubſequentibus innovata *ibid.* Errores hiſtorici vel chronologici, quæ in *Diplomata* innovata irrepſerunt, quibus adſcribi poſſint XVII *e*, *&* XXIV *b & ſeqq.*

Diplomatica res à Papebrochio ex occaſione nec ſine erroribus delibata, à Mabilione ex profeſſo accuratiùs pertractata, *C* 3 *f*, 4 *a*

Diptycha quid ſint, & qui de iis ſcripſerint *tom.* 1 *Maii* LX *a*, *tom.* 7 *Maii* LVII *b*. Epiſcoporum nomina ex ſacris *Diptychis* inter divini Officii ſolemnia jam inde à primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis recitabantur *tom.* 7 *Maii* LVII *b*. Ex *Diptychis* eradi nomen alicujus non ſemper ſignum eſt, eum è libro vivorum deleri aut à communione Eccleſiæ ſeparari *tom.* 1 *Aug.* * 53 *c*

Diſcipuli Chriſti ſeptuaginta: horum Catalogi pſeudepigraphi *tom.* 1 *Maii* XI *f*

Diſcretio neceſſaria præconibus fidei, præſertim apud cultiores gentes *P* 140 *c & ſeqq.*

Diſpargum ſedes Saliorum Francorum *tom.* 7 *Maii* XLVII *a*, non alibi quærendum, quàm Dieſtæ, quod oppidum eſt Brabantiæ *ibid. & ſeqq. pagg.*

Ditmarus Mersburgenſis in Saxonia epiſcopus an Martyrologium ſcripſerit *tom.* 1 *Jan.* LII *c*.

Irato in Vladimirum animo de ipſo ſcripſiſſe videtur *tom.* 2 *Sept.* XII *a b*

Diviſio Apoſtolorum quo anno contigerit *tom* 1 *Apr.* XII *b c*, *A* 10 *f*, *tom.* 4 *Jul.* *5 *c d e*

Divortia apud Coptos impetratu facilia *tom.* 5 *Jun.* *136 *c d*

Diurnus Pontificius ſeu Formularium XI ſec. *C* 134 *a*

Dius Ep. Hieroſolymitanus *tom.* 3 *Maii* XIII *a e*

Diusburgum ad Rhenum an fuerit ſedes Saliorum Francorum *tom.* 7 *Maii* XLVII *c*

Dodo Reatinus Ep. adeſt conſecrationi eccleſiæ S. Baractalis *tom.* 1 *Jul.* *70 *e*

Dolichianus Ep. Hieroſolymitanus *tom.* 3 *Maii* XIII *a d*

Dolmans (Petrus) S. J.; ejus elogium *tom.* 5 *Sept.* *2 *d e f*, *3 *a b c d*

Dolſcius (Paulus) Auguſtanam Lutheranorum confeſſionem Græcè vertit *tom.* 1 *Aug.* *231 *a*, *232 *a b*

Domeneccus (Antonius Vincentius) Ord. Prædicator. edidit Hiſtoriam Sanctorum Catalaniæ *tom.* 1 *Jan.* LIII *a*

Dometius an fuerit epiſcopus Byzantinus *tom.* 1 *Aug.* *10 *b c*

Dominica dies ad ordinationes epiſcopales quàm accuratè ſemper obſervata *C* 4 *b c*, 12 *e f*, 51 *c*, 62 *d*, 64 *c*, 96 *e*, 123 *b e*, 128 *b*, *P* 45 *c d*, *C* *32 *b*, *tom.* 5 *Jun.* *55 *f*, *76 *a*. Relaxatus uſus *Dominicæ* ad coronationes Papales *C* *157 *a*

Dominica Rogationum ſeu *Litaniarum* diſtinguenda à *Dominica ante Rogationes* ſeu *ante Litanias tom.* 3 *Apr.* V *f* & VI *a*

Dominicus Ep. Fulginas donat corpus S. Abundii Tiberio abbati Berectano *tom.* 1 *Jul.* *46 *b*

Domitianus imp. malè ſubſtituitur Diocletiano in famoſis Actis Sanctorum 12 in Umbria *tom.* 1 *Jul.* *4 *f*. *Domitianus* fuit Tito fratri moribus & ingenio diſſimillimus *C* 218 *b c*

† *Domitianus* Trajectenſis Ep. *tom.* 7 *Maii* XXVIII *e f*

† *Domitilla* V. in exſilium ablegata *A* 44 *d*, *C* 218 *e*; diverſa eſt à Flavia Domitilla *C* 218 *d e*. Votum virginitatis facit & ſacrum velamen ſuſcipit *ibid. f*, 219 *a*. Vide *Flaviæ Domit.*

† *Domitilla*, ut S. Proculi & S. Domninæ ſocia, martyr à Bivario primùm baptizata *tom.* 1 *Jul.* *59 *c*

† *Domnina* ſeu *Donina* cum quo S. Proculo conjungatur *tom.* 1 *Jul.* *50 *d*

Domninus. Vide *Domnus* III

† *Domnus* I Patr. Antiochenus Paulo Samoſateno ſubrogatur A. C. 269 aut 270 *tom.* 4 *Jul.* *27 *a b*. Videtur martyrii laureâ coronatus fuiſſe anno 272 aut 273 *27 *d e f*

Domnus II Patr. Antioch. ſedit ab A. C. 442 uſque ad menſem Auguſtum anni 446, quando depoſitus eſt *tom.* 4 *Jul.* *72 *a* & *ſeqq.* Ejus pœnitentia & reditus ad S. Euthymium *73 *a b*

Domnus III ſeu *Domninus* Patr. Antioch. ſedit ab A. C. 545 uſque ad A. C. 559 *tom.* 4 *Jul.* *97 *b c*; ejus initia pejora, quàm finis *ibid. d e*

Donati Paſſio à Donatiſtis conficta, quem in finem ab ipſis publicata *tom.* 1 *Jan.* XXXV *d e*

Donationes multas olim eſſe factas abſque ſcripturis, has autem diu pòſt fabricatas fuiſſe, additis expreſſiùs immunitatibus, opinatus eſt Papebrochius *tom.* 2 *Apr.* XXIX *d* & *e*. *Donatio* Carolina, item Conſtantiniana qualem fidem mereantur *tom.* 7 *Maii* LXVIII *f*, LXIX *a* & *ſeqq.* Vide † *Carolus M.* & † *Conſtantinus*

Donatiſtæ gregales ſuos ut martyres celebraverunt *tom.* 1 *Jan.* XXXV *c d e*. Videntur finxiſſe lapſum S. Marcellini *C* 43 *f*

Donatus (Marcellus.) Vide *Marcellus Donatus*

Donus PP. I quando ſederit *C* 103 *a b e*. Ejus elogium *ibid. a*. Divalis ad eum data ſine nota temporis, quæ poſtea addita fuit *C* 103 *b e*

Donus PP. II quando ſederit *C* 167 *a*, *P* 81 *c e*; à nonnullis præteritus, à ceteris ponitur poſt Benedictum PP. VI *P* 81 *d*, ſed unà cum ipſo & poſt ipſum ſedit Bonifacius VII *ibid. d e*

Doreltimin liber Coptis ſummo in pretio & eorum fidei breve compendium *tom.* 5 *Jun.* *126 *b*

Dorganius (Benedictus;) ejus Kalendarium *tom.* 1 *Jan.* LIII *c*

†† *Dormientes* ſeptem Epheſi reperti *tom.* 5 *Jun.* *51 *f*. Eorum Acta quam fidem mereantur *tom.* 1 *Maii* XXXVII *c*, XLIX *b*

Dormitio B. V. Mariæ, vel *Tranſitus* à Græcis dicitur, quod Latini *Aſſumptionem* vocant *tom.* 1 *Maii* XXXVIII *b*; quid de ejus corpore *ibid.*

Dorotheus Arianus epiſcopus CPoli clàm præfuit ſuæ ſectæ *tom.* 1 *Aug.* *30 *b*. Ab aliis Arianis in fide diſcrepat *30 *c*

Dorotheus, de quo Euſebius lib. 7 cap. 32, non fuit patriarcha Antioch. aut S. Cyrilli ſucceſſor *tom.* 4 *Jul.* *29 *b c*

Dorotheus M. non ſcripſit de initio cathedræ CPolitanæ *tom.* 1 *Aug.* *4 *d e*, *5 *d*

Dorotheus Monembaſienſis ſcripſit Græcè ſynopſim variarum hiſtoriarum *tom.* 1 *Aug.* *176 *b*

Dorotheus ſeu *Theodorus* Arianorum Antiochenſium Patr. ſucceſſit Euzoïo A. C. 376; ejectus A. C. 381 *tom.* 4 *Jul.* *61 *f*, *62 *a*

Doſitheus mon. Studienſis, deſignatus patriarcha Hieroſolymitanus *tom.* 3 *Maii* LXXI *d e*. Ex Hieroſolymitano Patr. creatus patriarcha CPolitanus, brevî pòſt deponitur *tom.* 1 *Aug.* *144 *c d e f*

Doſitheus Patr. Hieroſolymitanus anno 1672 ſynodum provincialem celebravit pro aſſerenda contra Calviniſtas reali præſentia Chriſti in Euchariſtia *tom.* 3 *Maii* LXXII *e*. Famam Meletii Pegæ ab hæreſi Calviniana vindicare nititur *tom.* 1 *Aug.* *236 *e*

Dotatio eccleſiæ Aretinæ anno Domini circitèr 370 Zenobio tribuno afficta *tom.* 2 *April.* XXXIV *f*

Douſa (Georgius) heterodoxus Batavus Meletium ſchiſmaticum impensè laudat *tom.* 1 *Aug.* *236 *b*. Societatem Jeſu calumniatur *237 *a*

Doxologia quid ſit & quotuplex *tom.* 2 *Jun.* XXII *d*

Draco repræſentatus ſub pedibus Conſtantini M. & aliquot aliorum Sanctorum quid ſignificet *tom.* 1 *Maii* XIV *a*, XXIII *c d*

Drogo Ep. Metenſis à Sergio PP. II conſtitutus vicarius trans Alpes *C* 131 *a*

Drogo Pippini ex Plectrude filius *tom.* 3 *Mart.* XXI *d*. *Drogonis* filii *tom.* 3 *Apr.* XV *d*

Ducas (Joannes) quo anno imperium ſuſceperit *tom.* 1 *Aug.* *156 *a*. Quando obierit *159 *a b*

Ducas Orthodoxus & nobilis ex imperatoria ſtir-

pe hiſtoricus Græcus pertinaciam ſchiſmaticorum graphicè depingit *tom.* 1 *Aug.* * 187 *f*, * 188, * 192 *a*. Ruinam CPolis à Turcis captæ, ſchiſmati imputat * 193
Duello commiſſa, ſed non dirempta, fertur antiqui Officii Hiſpanici in Romanum mutatio *tom.* 6 *Jul.* * 49 *a & ſeqq.*
Dunaan, dux Homeritarum, Chriſtianos in Ægypto vexat *tom.* 5 *Jun.* * 64 *c d*
Dupin (Elias) Gallus ſequioris doctrinæ ſcriptor reprehenditur *tom.* 1 *Aug.* * 69 *d*
Duplum vel *Duplex feſtum* unde ſic dictum *C* 50 *d e*, *P* 44 *b*; hæc appellatio videtur primùm ſec. XIII incepiſſe *C* 50 *d*
Durantes ſeu *Durandus* (Guillelmus) Ep. Mimatenſis: ejus Rationale Divinorum Officiorum *tom.* 3 *April.* VI *a*

E

† *Ebregiſus* Ep. Trajectenſis *tom.* 7 *Maii* XXIX *e*
Ebremarus ſacerdos intruditur in ſedem Hieroſolymitanam *tom.* 3 *Maii* XLVI *b*. Cæſarienſis eccleſia ei habenda conceditur *ibid. c*
Ebroïnus poſt Rudobertum fit major-domûs *tom.* 3 *Apr.* VI *f*. *Ebroïnus* jubet occidi S. Annemundum VII *d*. Quam occaſionem arripuerit Chlotario III ſubrogandi Theodoricum III *tom.* 3 *Mart.* XVII *a*. *Ebroïnus* Franciæ optimatibus exoſus monaſterio includitur *ibid. & tom.* 3 *Apr.* VIII *a*. Regnum Childerici II occiſi, quod ad fratrem ejus Theodoricum III devolvi debebat, detulit Clodoveo cuidam adhuc puero, quem Clotarii tertii filium eſſe finxit *tom.* 3 *Mart.* XVIII *f*; *Ebroïnus* exercens tyrannidem de prædicto Clodoveo, quem falsò quaſi Chlotarii III filium, regem fecerat, ad Theodoricum reverſus, in priſtinum ſtatum reſtituitur *tom.* 3 *Apr.* VIII *d*. *Ebroïni* juſſu occiſus S. Leodegarius *tom.* 3 *Apr.* X *c*; ab Ermenfrido *Ebroïnus* confoditur *ibid.* X *c*
Eburones ubi olim habitârint *tom.* 7 *Maii* XLV *f*
Eccleſiæ Romanæ auctoritas à novatoribus impugnatur, & ab antiquis Patribus defenditur *tom.* 1 *Aug.* 50 *& ſeq.* *Eccleſiæ* Romanæ, quarum ſola nomina ſuperſunt, ſitus verò ignoratur, recenſentur *P* 42 *b c*. *Eccleſiæ* variæ de conſcribendis SS. Martyrum Actis ſollicitæ *tom* 1 *Jan.* XIV *f & ſeqq.* Celebrabat unaquæque *Eccleſia* ſuos martyres; quæ nullis erant nobilitatæ aut paucis, aliunde petebant, quos venerarentur XLIII *e*; inde ſibi ſuos Faſtos, tuas feſtorum tabulas conficiebant *ibid.* *Eccleſiæ* Orthodoxorum in Ægypto annis 97 clauſæ *tom.* 5 *Jun.* * 78 *c*, denuò reſtitutæ * 81 *d*
Echardus (Jacobus) recenſuit ſcriptores Ordinis Præd. *tom.* 1 *Aug.* * 157 *a*
Echus ſeu *Tonus* quid ſit & quotuplex *tom.* 2 *Jun.* XV *c f*, XVI *a*
Eclipſis mortem Herodis prægreſſa *A* 7 *b*; aliæ eòdem pro ſententiarum varietate referibiles, *P* 150 *b c f*, 151 *a*. *Eclipſis*, moriente Chriſto *A* 15 *f*, 16 *a*. *Eclipſis* ſolis valde notabilis quo anno Mauritii acciderit *tom.* 3 *Mart.* XI *f*, XII *a b c*. Contigit hæc *Eclipſis* anno immediatè præcedenti mortem Gunthramni *tom.* 3 *Mart.* XIV *f*. *Eclipſis* ſub Leone PP. II chronologiam firmans *C* 106 *c e*
Ecthеſis Heraclii quo anno ſcripta *C** 176 *c*
† *Edmundus* Anglicus canonizatur *C** 127 *c*
Eduinus rex ad veram fidem converſus *C* 96 *e*
Electionis Pontificiæ libertas ab Odoacro non impunè ſublata *C* 67 *f*. *Electi* Pontifices ordinati ante conſenſum regis *C* 77 *b c*. Ex tempore ſolemnis depoſitionis ſummi Pontificis demortui colligi præterpropter poteſt tempus *Electionis* ſucceſſoris ejus *C* 93 *a b d e*. Relatio ad Principes de *Electione* Pontificis *C* 106 *c f*, 107 *a*. Ordinationis poſt *Electionem* libertas à Conſtantino Pogonato reſtituta, à Juſtiniano Juniore rurſus reſtricta *C* 109 *b d e*. Optimatum, militum ac civium ad eam jus 117 *c d*. Mos veniendi ad *Electionem* novi Papæ tertio die poſt mortem deceſſoris *C* 64 *d e*, 93 *c f*, 128 *a b*, 140 *e*, 142 *f*, *C** 32 *a*; dein nono die *C** 69 *c*. An & quatenus olim ad *Electionem* & conſecrationem Pontificis requiſiti fuerint Miſſi ſeu legati principum, aut eorum conſenſus *C* 50 *c*, 67 *f*, 68 *a*, 70 *b*, 77 *b*, 127 *d*, 129 *a*, 130 *f*, 189 *a*, *C** 7 *c d e*, * 20 *e*, * 164 *b d*, *P* 61 *d e*, 97 *e*. Joannis PP. IX hac de re decretum *C* 149 *b d*. Dies *Electionis* quàm ſerò cœptus adhiberi ad ordiendos annos Pontificatûs *C* 4 *c e*, *C** 7 *d e f*, *C** 164 *b d*. *Electionis* faciendæ forma XII ſeculo *C** 32 *a b*. *Electionis* jus reſtrictum ad Cardinales *C* 196 *a b*. *Electio* firmanda conſenſu populi *ibid. b*. Definit populus & clerus inferior hac in re audiri *ibid. d e*. *Electi* Pontificis poteſtas ante conſecrationem *C* 37 *c d*, *C** 160 *a b d e*. *Electioni* determinati Pontificis duæ tertiæ partes electorum debent conſentire *C** 37 *b*. Quænam *Electio* Pontificem conſtituat *C** 57 *f*, * 160 *a b d e*. *Electio* facienda per ſecreta ſuffragia *C** 161 *c f*. Vide *Ordinatio* & *Pontifices*
Electorum Imperialium inſtitutio *C* 175 *d e*
† *Elesbaan* rex Æthiopiæ Homeritas debellat VI ſec. *tom.* 5 *Jun.* * 64 *d*
Eleuſius Cyzicenus, ut hæreticos Macedonianos defenderet, juſſu Theodoſii imp. ad ſynodum veniſſe dicitur; ſed an verè? *tom.* 1 *Aug.* * 28 *e*
Eleutheria non fuit Diocletiani conjux *C* 83 *b c*
Eleutherius, de quo agit Mrl. Rom. ad XX Febr., à Majoribus noſtris rectè prætermiſſus eſt *tom.* 1 *Aug.* * 7 *f*, * 8 *a*. Videtur cum alio homonymo confuſus * 7 *f*. An fuerit epiſcopus Byzantinus * 7 *f*, * 8 *a*
† *Eleutherius* PP. quando ſederit *tom.* 1 *Apr.* XXIII *e f*, *A* 47 *c*, *C* 26 *a*, *P* 37 *f*. Ejus elogia *ibid.* Per poſitivum decretum abſtulit diſcrimen ciborum ex præſcripto Legis veteris mundorum & immundorum *tom.* 1 *Apr.* XXIV *a*, *A* 47 *c*. Legatio Martyrum Lugdunenſium ad *Eleutherium* PP. cum annis novem Soteris conciliata *A* 47 *d e f*, 48 *a b*
Eleutherius Patr. Antioch. fictitius *tom.* 4 *Jul.* * 128 *b & ſeqq.*
Elias metropolita Kiovienſis ſchiſmaticus *tom.* 2 *Sept.* XXVI *f*
Elias Patr. Antioch., Jacobita ſedit ab A. C. 709 uſque ad 723 *tom.* 4 *Jul.* * 117 *c d e*; apoſtata fuit à fide Orthodoxa *ibid. f*
Elias I Patr. Antioch., ſedit ab A. C. 904 uſque ad 931 *tom.* 4 *Jul.* * 125 *f*, * 126 *a b*
Elias II Patr. Antioch. *tom.* 4 *Jul.* * 130 *d e*
Elias Patr. Hieroſolymitanus, variè divisâ eccleſiâ, Euphemio CPolitano & Flaviano Antiocheno adhæret *tom.* 3 *Maii* XXVI *a b*. Flaviano ejecto, etiam de ſede ejicitur *Elias*; exſul viſitatur à S. Saba, &, ut prædixerat, moritur 19 Julii anno 518 *ibid. b c d*
Elias II Patr. Hieroſol. fraude Theodori pſeudomo-

monachi expulſus, eodem dejecto, reſtituitur *tom.* 3 *Maii* xxxix *b c d*

Elias III, Patr. Hieroſol., ſcribit in Franciam anno 881, quòd converſo Saracenorum in Syria principe, reſtaurârit eccleſias, oppignoratis earumdem bonis, ad quæ redimenda juvari petit *tom.* 3 *Maii* xlii *a b c*, *tom.* 7 *Maii in Append.* 699 *f*, 700 *a*. Probat quartas nuptias Leonis imp. 700 *a b*; ejus epiſtola encyclica 700 *c*

Elias Patr. Hieroſol. Latinus *tom.* 3 *Maii* lviii *c*, lix *a b*

† *Elias* Propheta qua ratione vocetur *monaſticæ profeſſionis dux, princeps, auctor, magiſter? tom.* 1 *Maii* viii *f*, xxxiv *c*. Per revelationem tam rectè vocatur inſtitutor Ordinis Carmelitarum, quàm B. Virgo Ordinis Servorum *tom.* 1 *Jun.* xxviii *b c*. *Eliæ* raptus per totum Orientem celeberrimus *tom.* 1 *Maii* xxxiv *b c*

Eliæ mons deſcribitur *tom.* 2 *Maii* viii *a*

Eliberitanum concilium, ineunte ſec. iv celebratum, non dat diſtinctam liturgiæ ſacræ tum adhibitæ notitiam *tom.* 6 *Jul.* *4 *d e*

† *Eligii* Ep. Noviomenſis ac Tornacenſis Vita ſcripta eſt à S. Audoëno Rothomagenſi Ep. *tom.* 3 *Febr.* x *c* & xi *a*; item *tom.* 3 *Mart.* xvi *b* & *c*; quos converterit ad Chriſtum *tom.* 3 *Febr.* xi *a*. Quo anno epiſcopus conſecratus *tom.* 3 *Mart.* xvi *b*, *tom.* 3 *Apr.* ii *a*, v *f*

Elipandus, Ep. Toletanus, ex depravatis Mozarabici Officii locis ſuos errores tueri ſatagit, ſed condemnatur à concilio Francofordienſi *tom.* 6 *Jul.* *36 *d e f*, *37 *d e*. Deceſſores ſuos ac S. Ildephonſum injuſtè proſcidit *38 *a b*

Eliſabeth Caſtellæ regina unà cum Ferdinando rege privilegia Mozarabum confirmat A. C. 1480 *tom.* 6 *Jul.* *59 *c* & *ſeqq.*

† *Eliſabeth* cognata, id eſt, affinis Deiparæ *A* 39 *f*, 40 *a*

Eliſabetha uxor Cralis, principis Triballorum, patriarcham CP. ſchiſmaticum impensè veneratur *tom.* 1 *Aug.* *180 *e*

Elmacinus (Georgius) ſcriptor ſec. xii inchoati, hiſtoricus accuratus *tom.* 3 *Maii* xxxiii *c*, xxxiv *e f*. Ejus Hiſtoria Saracenica in anno 1128 finiens *tom.* 5 *Jun.* *96 *c*. Ejus chronologia correcta *94 *b*

† *Eloquius* Ab. Latiniacenſis in Neuſtria, an ſub Chlodoveo II vixerit *tom.* 2 *Apr.* xxvi *c*

Embaticium apud Græcos quid ſit *tom.* 1 *Aug.* *231 *b*

Emerentiana an mater S. Annæ, Chriſti aviæ? *tom.* 1 *Maii* xxxv *a*, *tom.* 7 *Maii* 519 *d*, *A* 38 *a*. Papebrochii judicium de cultu *Emerentianæ* *ibid.*

Emeritenſis ſynodus A. C. 666 præcipit unum in pſallendo modum *tom.* 6 *Jul.* *25 *e*

Emmanuël Smolenſcenſis Epiſcop. *tom.* 2 *Sept.* xix *a*

Emmaus urbs deſcribitur *tom.* 2 *Maii* viii *f*

Energumeni ſuis manibus in eccleſia miniſtrare prohibentur *tom.* 6 *Jul.* *4 *d*

Engelbertus. Vide *Angilbertus*

† *Ennodius* indicat, Acacium CP. à bonis moribus deſciviſſe *tom.* 1 *Aug.* *45 *b*

Enoch de Amathim an Carmelitarum præpoſitus & inter 72 Chriſti diſcipulos ſeptimus ordinatus ſit? *tom.* 3 *Maii* v *e*, *tom.* 1 *Jun.* xxvi *d e f*, xxvii *a* & *ſeqq.*, xxxvi *e* & *ſeqq. pagg.*

Enoch an Patr. Hieroſol. poſt captam anno 1187 Hieroſolymam *tom.* 3 *Maii* lxxi *e*

Epactæ & *Concurrentes* quando notari cœptæ *P* 60 *b* & *ſeqq.*, 61 *a* & *ſeqq.*, *tom.* 2 *Apr.* viii *a*. *Epactarum* Cyclus, quando & à quo inventus ſit *tom.* 5 *Jun.* *22 *b c*

Epagomenon biſquintum apud Ægyptios quam diverſitatem in communi curſu anni inducat *tom.* 5 *Jun. pag.* xi *Præf. ad Hiſt. Chronolog. Patr. Alexandrinorum*, *num.* 15, item *ibid. pag.* xviii

† *Ephebus* cujus S. Proculi ſocius fuerit *tom.* 1 *Jul.* *50 *b* & *ſeq.*

